MORALIS ENCYCLOPAEDIA, ID EST, SCIENTIARUM OMNIUM...

Marcellin : de Pise, Josè Maria Fonseca de Evora




31
8 H
2

MORALIS
ENCYCLOPÆDIA
ID EST
SCIENTIARVM
OMNIVM CHORVS,
Expendens moraliter Sacro-sancta Euangelia.

TOMVS SECVNDVS.

DE CRVCE, ANGELIS, ET FESTIS OMNIVM SANCTORVM.


ACCESSERVNT HOMILIÆ DE DEFVNCTIS, DE PVRGATORIO, de Institutione Festorum, de Ecclesiis consecratis, de Imaginibus, de Reliquiis Sanctorum, de Peregrinationibus, de Processionibus, de Flagellis Dei, de Iubileo, de Indulgentiis, & de Confessione.

ITEM HOMILIÆ MVLTÆ DOMINICALES, ET IN TOTAM Quadragesimam, speciali ratiocinandi modo contexta, adiectis scientiarum omnium ornamentis.

HIC PRÆCIPVE RECENSENTVR ANTIQVITATES HEBRÆORVM, Chaldæorum, Indorum, Persarum, Medorum, Scytharum, Ægyptiorum, Arabum, Æthiopum, Græcorum, & Romanorum.

Auctore R. P. MARCELLINO DE PISE, *Matisconensi, Prædicatore Capucino Prouinciæ Lugdunensis.*

CVI PRÆTER INDICES CAPITVM, SCRIPTVRÆ SACRÆ, RERVM & Verborum, Accesserunt alij septem Indices, scilicet Theologiæ, Philosophiæ, Symbolorum, Medicinæ, Iuris Canonici, Iuris Ciuilis, & Historiarum.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LVI.
CVM PRIVILEGIO.

INDOLES ET CONTEXTVRA huius ſecundi Tomi.

MOralis iſta Encyclopædia prodiit primo volumine, vt in rudimento: hoc Tomo terſior eſt, & rationum ſeries elimatior, vt & ſtylus facilior. Illud animo recole, Lector, procera quæque, à tenui exordio, in altiorem ſtatum aſſurgere: præcoci conamine nolui me totum prodere primo Tomo; nempe immatura labant, & ea duntaxat perennare ſolent, quæ productiora tempora decoxerunt. Aliis etiam Tomis, qui imminent, ſecundâ cœlitus aurâ afflante dabo ditiora. Quippe enitendo cultior euadet animus, & aptior ad congrua nanciſcendum. Demum conſulturus eis, quos audio hærere in capienda ditione mea, indixi meæ phraſi vt humiliore cothurno incedat, & tyronum etiam captui ſe meus ſtylus aptet. Cæterum ſi te aliorum voluminum, quæ ſuperſunt, aliqua cupido tenet, beneuole Lector, ſuſtine fœtus impuberes: nihil præcox eſt perfectum. Mens mea prægnans ſua vult momenta libris idonea quos concepit. Eorum editioni propitias emendico preces tuas, veluti congruas obſtetrices.



CHRISTO
DEO CRVCIFIXO
VOTVM.



PROPENSIOR animus Hebræorum in Dauidem ille fuit, vt cum obsessum ærumnis in spelunca Odollam, conuenerint omnes in angustia constituti, & obstricti ære alieno; ea enim venustate Dauid erat, vt & molestiæ eius cederent in solamen eorum, quos sors iniquior exceperat. CHRISTE DEVS, in quem desiderant Angeli prospicere, cultiori forma nites, vtpote quæ valeat sibi omnium hominum studia deuincire. Et quamuis in cruce quasi decurtato habitu gloriæ, mœrens appareas, & facie subliuida contusa pugnis, & deformi sputis inductis; hoc tuo tamen liuore sanati sumus, & æs omne alienum dissoluitur cruce tua, deleto quocunque chirographo, & affixo stipiti salutari. Sensi te Deo mihi propitio, virtute crucis rescissa omnia pacta inita cum sæculo, luget dæmon inualidi chirographi detrimentum quod accepit, irrita plangit fœdera contracta salutis animæ dispendio. Demum quisquis liber est, illud omne habet à te CHRISTO CRVCIFIXO, vt ab omnimodæ vindice libertatis. Cùm igitur ærumnæ tuæ aliorum eant obuiam molestiis, & debita expungant; redeo ad te Do-

minum meum è cruce pendulum, & pretiosum pretium redemptionis nostræ, vt diluam nouum æs contractum; quippe obstrinxi me primo volumine, expensurum alios textus sacros omnium scientiarum suffragio, ideo consulo te Deum scientiarum omnium, crucem conuenio vt celebre palladium, ex quo disciplina omnis sanctior emanauit. De ea cruce, vt de mystico subsellio præfatus est Isaias. Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum: siquidem crux liber est scriptus intus & foris, quem aperio in limine voluminis huius, vt hinc resciant omnes me hausisse aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: Etenim licet insudarim scrutinio literaturæ omnisciæ; nullos tamen sensu puriores alibi, quàm ex crucis arbore delibaui.

Hæc igitur esto mea ingenua confessio posteris inspectoribus meorum operum scilicet me tibi CHRISTO meo CRVCIFIXO debere eos latices disciplinæ omnis, cuius aspergine mea scripta florent, nimirum si quidpiam vernat in meo rudi & spinis hirsuto solo, si quid in fruges assurgit idoneas pascendis animis, illud totum ego testor quasi me inscio factum: tu enim Sol in sphæra crucis irradians, semina mea, id est, sensus meos in hoc opere satos, tuo ad hoc idoneo lumine decoxisti. Itaque volumen hoc non tam est de cruce, quàm crucis opus, seu CHRISTI CRVCIFIXI sensa suggesta mihi, aliunde inepto ad recolenda abdita illa mysteria: ventilet iam & laudibus efferat arborem suam Rex Chaldæus, asserens volucres cœli in ea apricari, & omne viuens inde annonam decerpere, ramosque eius patulos, & diffusos, terrarum cunctas oras extimas opacare. Illam cedere cruci necesse est: in ea enim alites cœli, scilicet Angeli degunt, tibi CHRISTO CRVCIFIXO sua referentes obsequia, vt sospitatori beatarum illarum mentium. Eamobrem post tractatum de Cruce, subieci alium de Angelis, quem excipit titulus de omnibus Sanctis, qui tibi suum exoluerunt æuo suo, eodem crucis tegmine, famulatum.

Cùm

Cùm ergo benè sit omnibus Sanctis in opaco frondosæ arboris huius, & bestiis terræ liber accessus patuerit ad arborem Danielis; ego sordidum pecus accurro ad vitale tuum lignum, vt eo pascar, & colligam inde fructus, quos queam recondere meis libris, ac proinde hominibus aliis meorum operum auidis impertiri.

Non abstrahit me à cruce horrida facies ligni hispidi spinis, & acumine clauorum, sicuti Moysem non sunt remoratæ vepres accensæ. In medios ille aculeos senticeti perrexit incurius punctionis, quæ manebat eum si in acumina incautus incurreret, ignis sacri desiderio captus, quamcunque iacturam Moyses est sui corporis aspernatus. Eodem ego spiritu actus, ruo in amplexus crucis, & esto sit lacerum corpus meum spinis, atque clauis, res est quàm amœna mihi, vulnerari iisdem rebus, quibus dissolutæ sunt compages tuæ carnis innoxiæ: non sunt lethales illæ plagæ, quas aspergit viuificus sanguis, quo maduere claui atque spinæ; & vtinam sint perennes apud me tuæ crucis insignes & non ingloriæ cicatrices. Ardet amore rubus ille sacer, scilicet crux ignea; quidni & ardeam ego etiam crucifixus, cùm Augustini famuli tui sentiam sacra scintillare incendia: vnde & cogor vsurpare has huius Sancti tui voces, indubias testes animi conflagrantis.

Quis est ignis, qui calefacit cor meum? quæ est lux, quæ irradiat cor meum? O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me, ô lux quæ semper luces, & nunquam offuscaris, illumina me, ô vtinam arderem ex te! Ignis sancte, quàm dulciter ardes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris, væ iis, qui non ardent ex te, væ illis, qui non illuminantur ex te.

Quid Augustinum commemoro, cùm puella Canticorum, ducatu tuo animos addat ad quæuis aspera superanda. Illa Epithalamij sanctioris sponsa tua, CHRISTE DEVS, amore sauciata, non horruit palmæ corticem austerum, neque folia, quæ natura aptauit in modum gladij: ea enim protracta longius desinunt in acumen: amans hæc anima, arboris rigidæ baccas perquàm dulces collectura, præteriit omnes obices, qui eam poterant à suo proposito

deterrere. Namque eius sunt voces istæ morarum nesciæ: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Pudet ab imbelli sexu præteriri in eo curriculo, quo agitur de te Deo salutari nostro, totis animi nostri iisque feruidis æstibus assequendo. Comitem me adiungo heroinæ illi animæ Canticorum; flocci enim pendo sentes, quibus Crux circumsepta terrori est vecordibus, & ignauis, dummodo te meo CHRISTO fruar, quibuscunque telis, clauis, & sentibus, erit suaue mihi & vtile terebrari. Quamuis excoriet cortex huius palmæ, etsi folia ensiformia laceræ cutis partes euulsas habeant sibi pendulas, & implexas; si te saltem aliquando fructu sapido potiar, amabilis IESV, dispendia mea cuncta resarciet beata illa tui fruitio, molestias omnes animæ detersura. Annue ergo votis supplicis animæ meæ, Deus, & ne admitte me tantùm in amplexus Crucis inuestigatæ diu, sed concede vt configar tibi totus, & sicuti surculus inseritur trunco vitali quo vegetat; ita & Crucem tuam seriò peruadam, vt succo sanguinis tui, quo illa delibuta sudat, ego fiam vegetior, & fructus emergant ex me idonei consonique tibi Deo meo & Domino CRVCIFIXO.

R.A.P.



R. A. P.
P. IOANNI
A MONTE CALERIO,
MERITISSIMO CAPVCINORVM
PRÆPOSITO GENERALI.



EVERENDE admodum Pater.

Priſca Gentium Philoſophia typis idoneis lineatura ſcientiarum ingenium, finxit eas apricari in edito cacumine montium, in quibus celebrantur Helicon, Parnaſſus, & Cithæron. Eo commento ætas illa ingeniola congruè ſuggeſſit, rerum omnium peritiam præaltas depoſcere ſibi mentes: huius ego animi inſignis ſcientiarum conſcius, cùm apud me diuertiſſent priori Tomo meæ Moralis Encyclopædiæ, ne iniurius eſſem eis, deduxi chorum omniſcium in locum conſonum, quando Eminentiſſimo Cardinali Richeleo librum hunc deuoui, quem porphyrogenitum dicere non cunctabor, quia in incunabilis, & ante præli induſtriam beneuolè exceptus eſt à purpura viri illius magni, qui informes adhuc chartas ſuis dignatus oculis, annuit eas mandari typis ſuo nomini nuncupatas. Iſte alter Tomus primogenito ſuo præſtantior, & felicius aſſurgens in cothurnos altiores, voluit ad aliquem Purpuratum diuertere, ne degener alio tegmine quàm purpurâ vileſceret. Equidem indoli magnæ indulſi decernens iſti volumini Dynaſtam murice Tyro præfulgidum in patronum, vt vterque Tomus ſcientiarum omnium choro fœtus, eminentiæ quæ deerat operi, titulos ſaltem à purpura mendicaret. Verumenimuerò propoſitum illud etſi ſtatum ratumque animo meo excidit, dum memini Crucem erectam pro foribus huius libri, cuius præcipuus tractatus eſt, de Cruce. Occurrit enim ſtatim prodigium illud Heraclij Imperatoris, qui purpuratus Cruci humeros ſubmittens impar fuit huic oneri: ſed vbi chlamydem purpuream, & calceos rubeos exuit, Crux vltro eius humeris incubuit, annuens votis Heraclij in humilem habitum compoſiti.

Cùm itaque tunc ægrè coierint Crux & purpura, feciſſem fortè rem ingratam Cruci, ſi eam repoſuiſſem penes aliquem hominem purpuratum. Æmulatus ſum facinus Heraclij, cruci à me inuentæ prouidens virum Imperio natum, nudipedem, & habitu viliori. Nimirum Crux illa Domini Ieſu monti Caluariæ affixa, & eò delata humeris Heraclij rerum potientis,

 ſuggeſſit

suggessit esse conquirendum hominem dignum Imperio hŭmili amictŭ, cui cum monte Caluariæ optimè conueniret. Absit dicto inuidia: lustrato orbe toto vnus adfuisti titulis ornatus, quos deposcit stipes ille salutaris. Quippe euectus es in apicem Religionis Seraphicæ, ac proinde Generalatus infulæ clamant te dignum Imperio, quod summum nactus es, antea expertus omnes præfecturas indices pietatis, doctrinæ & peritiæ in his quæ ad regimen animarum pertinent. Nempe Fratrum præfecturæ addictus fuisti in argumentum virtutis emeritæ. Quia autem arctior erat ille alueus, vt doctrinæ tuæ sacros latices concluderet, assumptus in Theologiæ prælectorem, sacræ huius disciplinæ diu oracula reserasti. Dein Prouincialis effectus, postea Definitor generalis pronunciatus: demum in vltimis comitiis generalibus, non tam electus es, quàm petitus in Generalem concordi omnium nationum suffragio. Nonne ergo incurri in virum dignum Imperio? Capucini vestis aspera, & nudipes incessus, viuendi ritus austerior insolitus tibi, non æmulum tantùm Heraclij, sed imitatorem Christi efficiunt. Si verò Crux gestit in monte Caluariæ, habebit in te quod gaudeat, quia es è Monte Calerio. Ita planè mons es, Dei amore calens. Si rursus Crux querula petit Ioannem, qui adstitit Cruci erectæ ingemens Christo in agone posito. Ecce hîc Ioannes, Christi Crucifixi profitens impigrum obsequium. Ioannes ille fuit dilectus Domini, cuius in te amoris signa indubia sunt gratiæ quibus irradias, & quæ non deuinxere tibi tantùm animos Religionis sanctæ, sed & affectum conciliant omnium Principum, quorum ditiones munus tuum obeundo permeas. Testis huiusce rei est illa celebris exceptio, qua te dignata est illustris Respublica Veneta, quæ etsi parca in rependendo etiam Principibus cultu, tamen effusa est in te suis gratiis exornando. Prætereo alias prouincias, vbi Proreges venerati tuorum stemmata meritorum, nihil sibi honoris reseruarunt, quod ipsi etiam Regi adiicerent si coram adesset.

Cùm ergo certatim omnes tuo studeant obsequio, opportunè adsum Cruce accinctus, vt ea tibi consecrata clamem, tantam esse tibi meritorum eminentiam, quanta est significatio nominis tui: Scilicet Ioannes à Monte Calerio insinuat gratiarum omnium agmen defluere ex alto. Mons ille Calerius refricat memoriam alterius montis, qui igne desuper incaluit, quando legis sacræ mysteriis Moyses initiatus est. Capucinorum Proceres omnes Galli crepidini montis huius aduoluti decreta expectant, ad quorum arbitrium se componant. Præcipua Religionis nostræ columina: Prouinciales inquam conuenere Parisios, illud Isaiæ effatum vsurpantes cap. 2. *Ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex.* Concolor eis omnibus animus fuit Deum consulere in Monte Calerio, vt in cultoris vitæ tuæ semitis eruditi, omnes regni Christianissimi prouinciæ eosdem obeant calles, quos inoffenso pede teris.

Dum Religionis nostræ Antistites adunati te montem excelsum suspiciunt, ego huic apici Crucem impono bonis auibus, vt sic indicem tibi qui his comitiis Galli animo conceperint. Illud idem planè quod Rhuteni, quibus in more positum est, Crucem mittere in argumentum fœderis. Ita ego suasione eius Reuerendi admodum Patris, qui præcipuus est procerum Congregationis nostræ in Galliis, tibi librum hunc de cruce dico sacroque, vt inde resciat Paternitas vestra admodum Reuerenda, Galliæ

Capucinos

Capucinos omnes esse suo nomini quàm deuotos. Præterea cùm maximè in Gallia vigeat Seraphica Religio afflans virtutum omnium fragrantiam, Gallia crucifixa Monti Calerio voluit insidere. Igitur æquior esto votis, in quæ anhelat legitima Beati Francisci prosapia tuum spirans obsequium, cuius liber iste erit præco, non inferiora sequutus, quando nomen tuum suæ inussit fronti, appositè consulens scientiis omnibus, quæ montium indigenæ luculentum diuersorium in Monte Calerio nanciscuntur. Quod namque titulus libri sonat, illud omne penitiore tua mente reconditum spargis & effundis vbertim in omnes orbis oras, quò tua te sedula cura vocat.

Itaque tibi inscribere scientiarum omnium penu, illud est texere indicem eius quam calles omnigenæ disciplinæ. Igitur operæpretium fuit viro omniscio, & illustri monte sato nuncupare scientias omnes, quæ Cruci ancillantes in isto volumine fuissent mihi importunæ, si vnà cum labaro sancto eruditum istud pancarpium alteri deuouissem. Nusquam sanè erit pœnitendus hic delectus in dedicatione libri, qui sacratissima quæque versans mysteria, non credidit indecorum sibi præfigere nomenclaturam viri, qui plura exantlat virtutum facinora, quàm decernat tota series hæc typorum. Vnde ausim dicere, argumentum huius voluminis esse tuæ indolis atque præfecturæ ideam decurtatam. Nempe tuo defæcato viuendi ritu, composito in specimen pœnitentiæ senticetis assuetæ, Crucis es baiulus indefessus. Præterea animus tuus scientiarum omnium sincera semente satus, ac proinde Encyclopædia viuax, voluminis huius intuitu sibi protinus innotescet. Sic relatio imaginis ad prototypum exurgit inter te & librum istum, qui à Ioanne, id est à gratia venustatem accipiet, quæ decet scientiarum omnium agmen, cui vt assurgere inolitum est, non deorsum vergit, nec fatiscit in hac dedicatione, & tessera mei affectus, haudquaquam iniurij scientiis tuo nomini nuncupatis. Igitur qui te Galliæ beneuolum prodis totum, accipe ab homine Gallo temetipsum, ex charta tuis coloribus vtcumque lineatum, atque ita transmittendum posteræ ætati, quæ ex hoc volumine recolens tuas dotes, querula suo sæculo ingemet, non dignata tanto viro, cuius imago genuina, est mea hæc Moralis Encyclopædia, referens stylo quo potui tersiore lineamenta virtutum, quarum praxis assidua viget in te, quem hoc opere æternitati conciliat.

Reuerende A. P.

Tibi addictissimus & obsequentissimus
in Christo filius
F. Marcellinvs de Pise
Matisconensis Prædicator Capucinus Prouinciæ Lugdunensis.

Parisijs Nonis Iunij 1638.

PRÆFA

PRÆFATIO

Aperiens seriem, & compagem huius operis.

ELIAS emensus importunum viæ tractum, fessus recubuit sub arbore iunipero hispidâ spinis, ac proinde minus idonea lassa recreare membra aculeis huius arboris obnoxia. Prophetæ mœrens & inquies animus somno tantisper indulgens, excitatus ab Angelo, & recreatus illius obsequio, audiit incongruas esse moras, seque vocari ad inuios calles, & protractos pernice gressu quantocyùs obeundos. Itaque vir anhelus factus alacrior vmbra iuniperi, & Angeli suffragio, ad montem Horeb contendere se accinxit, tantúmque progressus est incunctante nisu, vt præalta & abrupta cacumina montium, necnon & ima conuallium sospes & integer, vno eodemque itinere superarit. Euectus ille ad apicem montis sancti, vidit illic gloriam Dei, quantùm homini fas est degenti in humanis absorberi hac ineffabili abysso. Ego vilis homuncio simile quidpiam nactus sum, in arduo conamine quod suscepi, Euangelia scilicet expendere, & digerere in sectiones discussas moraliter omnium scientiarum congruâ contexturâ.

Primo volumine enixo habuit animus vnde fatisceret, perlustratâ videlicet encyclopædiâ, nimirum discurrere per omnes scientias, & euoluere libros propè innumeros, satis est superque quo pertæsus animus quieti se dedat; occurrit iuniperus horrida sanè, multo acumine punctionem recumbenti indubiè minitante. Illa iuniperus est Crux Sancta prætendens coronæ spineæ, & clauorum aculeos rubentes sanguine Christi; illa inquam arbor se obtulit mihi, quasi viribus exhausto, post editum primum Tomum. Itaque auspicor à Cruce hoc volumen, volui diu hærere in illo tractatu de Cruce, penes quam est alta quies, animumque demulcens eâ suauitate, quam nescia caro capere nequit, sed aliò me deduxit Angelus immorantem. Quippe in intuitu Angelorum, & eorum suffragio quo gaudemus, totus est alter tractatus, qui excipit illum de Cruce. Igitur occupatum me, & quasi quiescentem sub tegmine Crucis, excitauit Angelus, & suggessit esse differendum de Angelis post Crucis encomia: non renui, sed lubens secundum tractatum inscripsi de Angelis, meque totum illi sacro ordini mancipaui. Rursus vt Elias ab Angelo perrexit in Horeb mõtem arduum, & excelsum; ita & ego finito tractatu de Angelis, alium duobus aliis grandiorem emetior, videlicet tractatum tertium, qui est de omnibus Sanctis, ad quos scandere res est operosa valde; sunt etenim illi proceres cœli in monte supero, & supra hominum ausus edito, constituti.

Vidit Elias gloriam Dei è vertice montis, & ego in eo tractatu de Sãctis, eiusdem gloriæ velut è spelunca meditabor aliquot riuulos deductos ex torrẽtes, qui lætificat Sanctos; namque agones aperiens beatorũ athletarum, & diadema plectens capiti heroum aulæ cœlestis & præmia enarrans, quibus ærumnas eorum tersit Deus, nonne id est primoribus labris aliquid de obiecta Eliæ Dei gloria delibare? Sic ego veluti consors Vatis huiusce celebris, post

poſt viæ longioris tædium exhauſtum, incurro in Iuniperum, in Angelos, & in montem gloriâ Dei inſignem: id eſt primo Tomo excuſo, & in hac editione multo obice expuncto, qui occurrit variis è plagis, quas recenſere netas, ſuperatis abruptis, & inuiis, dicere non cunctabor, multorum zelum & cenſuram impauidè prætęriens, curriculum tædioſi tramitis exantlaui Deo propitio deueni in hunc Tomum de Iunipero Crucis, de Angelis, & monte excelſo gloriæ Sanctorum, quieui in vmbra Iuniperi, dum immorans in indagine boni quod è Cruce manat, expertus ſum rem proditam hiſtoriis, ſcilicet lignum illud ſalutare, oleum, & balſamum cuiuſuis ægritudinis curæ idoneum prouidè deſudare.

Etenim cogitando ſanguinis Chriſti rubeos & vberes latices hoc ſtipite defluentes, gauiſus ſum etiam poſſe me & ſudores meos adiicere illi ligno madenti liquore tam ſpectabili; nihil inglorium duxi quod occurrit ei, quem delectat vmbra huius arboris opacæ; glorioſum reputaui quicquid humile ſenſerunt plerique de me, opus hoc arduum ad gloriam Dei Domini moliente. Quàm ſuauiter ego quieuerim in hirſuto hoc cubili Crucis, collige Lector in Euangelio Crucis, quod digeſſi in tot ſectiones, quot neceſſe eſt vt ingeratur amor thalami adeò demulcentis animas æmulas agonum Chriſti. Fuiſſem ſanè diffuſior in excolenda Cruce multiplicis ſcientiæ floribus, niſi me ad auſpicandam aliam materiam Angelus excitaſſet. Et vt benefica eſt indoles Angelorum, multus fui in hoc argumento, ſed chorus omnis Beatorum neſcius numerari in latiorem campum me deduxit, ſiquidem dum volui ſingulas obire claſſes beatarum mentium, & vnicuique ſuas pendere panegyres, operæ-pretium fuit, in amœna illa Elyſiorum plaga ſtylo effuſo longè latéque ſpatiari.

Denique vt huiuſce Tomi contextura omnis conueniat cum recenſito facinore Eliæ, qui quadraginta dierum tractum emenſus eſt, antequam Deo ſiſtereretur in auræ tenuis ſibilo reſonanti. Adieci ego conciones in totam Quadrageſimam, ea methodo compactas, quam maximè probant noſtrates hodie præcones ſacri. Quippe ex ſingulis quibuſque Euangeliis ſelegi textum, vnde affluunt duæ ſemper veritates, concionem in duo capita diſpeſcentes. Stabilio propoſitas à me theſes ſuffragio omnium ſcientiarum, ratiocinandi ritu inolito Theologis, atque Philoſophis. Namque penes illas duas tantùm diſciplinas ſita eſt veridica rerum diſcuſſio. Aliis vtor ſcientiis, & artibus velut ornamentis congruis huic operi teſſellato, & multiplici rerum varietate Polymito.


Cæterum eruditior iſte Tomus priori inuidiam faciet, quia in eius editione me totum effinxi ad arbitrium peritorum, quorum ego collegi ſuffragia, poſtquam voluminis alterius paginas inſpexerunt. Qualeſcunque ſint meæ ſpecies & ideæ, non eis fornices & concamerata delubra dico ſacroque; doctiorum hominum ſemper litabo conſiliis, quæ ſupplex efflagito, vt plures alij Tomi quos concepi, mundo tandem bonis auibus adnaſcantur.

In calce huius præludij, vnum te monitum volo, ô ſagaci ingenio Lector, ſcilicet me duobus hiſce Tomis meæ Moralis Encyclopædiæ illibatum ferè reliquiſſe ſenſum litteralem textuum, quos diſcuſſi, vt me totum effunderem in animaduerſiones idoneas moribus excolendis, & ſic operis ſeries congrueret titulo, qui caſtigat mores incongruos. Si meo intento beneuola afflauit hominum aura, ego vulturum inſtar afflatus nouos & potiores

potiores adhuc concepi fœtus, videlicet alios Tomos contexturæ ditioris, quam vide infra in epilogo huius voluminis, vbi te certiorem facio me in posterum decursurum singulos quosque versus Euangeliorum ad trutinam sensus intenti à Spiritu Sancto, consultis oraculis omnium linguarum principum, quæ Scripturæ sacræ suum pendunt obsequium. Quippe textus Hebræi, Syri, Chaldæi, & Græci vulgatæ editioni nostræ obstetricantur omnes, vt mysteria parturiat, quibus est prægnans illa canonica editio, cui potissimum adhæreo, vt cœlitus impertitæ. Sanctiorum Patrum adiiciam suffragia meo calculo, ne quid exoticum sapiat exegesis mea, vbi si quæ noua depromo hactenus intacta, illud dandum est abysso inexhaustæ, quam concludit hic contextus, quem vbi ad litteram expendero, subiiciam sensum moralem aduocatis omnibus disciplinis, quas insuper stipabo ritibus antiquis, petitis ex obsoleta historia omnium ferè nationum, quæ multa intercapedine soli, & alto aquarum vortice dispescuntur. Huius indolis plures tibi cudo Tomos ad structuram bibliothecæ sacræ, qui Deo dante spero multis voluminibus imponere colophonem. Ne doctissimis tantùm diceret insudasse, duos præmisi Tomos ad solamen eorum præconum verbi Dei, quos nulla cupido tenet reconditæ disciplinæ, quam mea volumina cætera profitentur; ea tamen methodo, vt rudiores etiam reperiant plurima quæ decerpant, si consulant Morales sensus, quos abundè semper aperio, & eo schemate quod ambiunt omnes qui incumbunt verbo Dei populis explicando.



FACVLTAS



FACVLTAS REVERENDI ADMODVM Patris Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum.

NOs Frater Antonius à Motina, Minister Generalis (licet immeritus totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum, tenore præsentium concedimus, vt liber cui titulus est, *Moralis Encyclopedia, id est, Scientiarum omnium chorus expendens moraliter Sacro-sancta Euangelia, Authore admodum Venerando Patre Fratre Marcellino De Pise Matisconensi Prædicatore* eiusdem Ordinis nostri Capucinorum, à duobus Theologis dictæ nostræ religionis iuxta commissionem nostram relectus, & approbatus typis mandari possit, seruatis seruandis. In quorum fidem, his sigillo nostro munitis subscripsimus, Romæ die vigesimo quinto Februarij, millesimo sexcentesimo trigesimo septimo.

Locus sigilli.

Frater ANTONIVS A MVTINA
Minister Generalis.

APPROBATIO DOCTORVM SORBONICÆ sacræ Facultatis Parisiensis.

EGo subsignatus è Societate Sorbonica Doctor Theologus Parisiensis Tomum hunc alterum Moralis Encyclopædiæ, R. P. F. Marcellini de Pise Prædicatoris Capucini, postquam attentè perlegi, eò lubentius probaui quòd vt in priore Tomo increatam: ita in hoc incarnatam sapientiam Dei merito visum sit audire per verbum Crucis, aut reprobantem sapientium, prudentiámque prudentum: aut captiuantem illas in obsequium Crucis. Siue quod author, qui & ipse ex ordine suo, tollit Crucem suam, scientias artesque omnes visus sit angariasse, vt tollerent Crucem Iesu: siue quod pius concionator, ex hoc Tomo sumere possit, vnde per stultitiam prædicationis, stultam faciat sapientiam huius sæculi, & doceat salutem credentes: nec non quod pio lectori in hoc monte monstretur exemplar secundum quod transformari possit in imaginem Crucifixi Domini nostri, Sanctorumque eius hominum, atque Angelorum. Quocirca testor, in his homiliis De Cruce, De Angelis, & Festis Sanctorum nihil esse scriptum contra fidem orthodoxam, aut bonos mores. Datum Sorbonæ. Die XXII. Iunij. An. M.D.C.XXXVIII.

ROVSSE Rector S. Rochi.



Alia Approbatio Doctoris eiusdem sacræ Facultatis Parisiensis.

EGO subsignatus in sacra Theologiæ Facultate Parisiensi Doctor, notum facio me perlegisse, & examinasse secundum Tomum Moralis Encyclopædiæ in Sacrosancta Euangelia, authore Reuerendo Patre, Fratre Marcellino De Pise Ordinis Capucinorum egregio Theologo, & Concionatore, in quo variis & natiuis coloribus veritatem Catholicam depingit, & eam euocatis omnibus disciplinis mirificè adornat. Zeuxim mirentur alij ob effictum Helenæ simulachrum, quod vt præstantissimum efformaret, elegantes puellas accersiri curauit, ex quarum facie quæ erant pulchriora delibauit, vt formosam Helenam exprimeret. Noster hic author meliùs, & conuenientiùs ipsam Reginam veritatem admirabili varietate circumdat omnium scientiarum appositis lineamentis quæ in vnum fœliciter coëunt, vt vtramque animæ potentiam ad verum & ad bonum pelliciant. Nihil est in eo quod possit Lectorem offendere, imò omnia in eo contenta ad cognitionem orthodoxæ veritatis, & ad morum informationem maximè conducunt, & inseruiunt. In cuius rei fidem chirographum apposui. Die 1. Iunij. An. 1638.

N. DELESTOQ.
S. Laurentij ad Parisios Pastor.

Approbatio Theologorum Ordinis Capucinorum.

NOS subsignati Theologi Ordinis Minorum Capucinorum, ex mandato Reuerendi Patris Prouincialis Prouinciæ Parisiensis, hunc secundum Tomum Moralis Encyclopædiæ, à V. P. Marcellino Matisconensi eiusdem ordinis Concionatore factum perlegimus. Nihil in eo inuenimus orthodoxæ fidei dissonum: quæ doctâ, nulla maiori eruditione, quæ morum instructioni, nulla hominis perfectioni vtiliora ac magis necessaria. Culpantur multi quòd sacris ita profana misceant, vt fidei mysteria sola Gentilium nugacitate fulciri videantur. Hic diuino eloquio, Conciliis, Ecclesiæ Patribus, Theologia firmat. Si quid ex Philosophia, historia, ac aliis adiiciat, ita sanctè, & concinnè, vt prima veritas, his non obnubiletur, sed mira ingenij subtilitate dilucidetur, aperiatur, omnibus nota sit. Hoc ergo totum opus planè diuinum, sanctum, ac catholicum, sic omnes legant & sibi, & aliorum vtilitati valde proficuum. Hoc testamur, & manuum nostrarum sigillo confirmamus. Die 16. Iunij, anni. M. DC. XXXVIII.

F. Bernardinus Mondiderinus Capucinus Concionator.
F. Pacificus Maceriensis, Lector antea in sacra Theologia.
F. Paulus De Montbron Capucinus Concionator.

INDEX

INDEX CAPITVM.

TRACTATVS PRIMVS DE CRVCE.

Tractatus de Angelis.

Parænesis

Dominica IV. post Epiphaniam.

Dominica Septuagesimæ.

Dominica Sexagesimæ.

Dominica Quinquagesimæ.

Dominica I. post Pascha.

Dominica II. post Pascha. 503

HOMILIÆ QVADRAGESIMALES.


Feria quarta Cinerum.

PRÆFATIO.

Feria quinta Cinerum.

PRÆFATIO.

INDEX



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVIBVS IN HOC TOMO LVMEN aliquod affulget.

LECTOR SISTE GRADVM.

PRæmissa primo Tomo præfatiuncula, est hîc refricanda, monens indici locorum Scripturæ sacræ, plures attexi sensus, quàm recolat pagina consulenda notis indice prænotatis. Cùm namque Tomus iste sit eodem auctore satus quo fuit ille prior, hoc memento quod illa sonat admonitio: quippe noui prostant sensus in hoc indice, sicque Tomus iste primo concolor est, vtpote fraternizans.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap. 1. *IN principio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas: dixitque Deus: Fiat lux.* Homo ad imaginem Dei effictus, erat vt cœlum pellucidum: sed vbi gratia excidit, factus est terra inanis & vacua, & opaca obducta caligine vitiorum, quæ se se hominum animis offuderunt. Vt hanc Deus caliginem abstergeret, auspicatus est à nouo lumine, quo recreatus homo, nouum indueret ingenium. Posterior hæc lux fuit disciplina crucis, quæ vt orbi affulsit, illa fœdas vitiorum tenebras discussit.

Spiritus Domini ferebatur super aquas. Vbi pœnitens anima soluitur in lacrymas, illa sibi conciliat gratiam, quæ comitem semper habet Spiritum Sanctum, qui superiores efficit animas omni voluptate, eas sic efferens super aquas voluptatum, quæ absorbere aliàs orbem vniuersum.

Benedixit illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini. Benedictio Dei homini impertita notat gratiam, cuius beneficio crescimus, & replemus terram nostram bono semine, & passionibus nostris dominamur. Peccando, homines hisce titulis exciderunt.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Ergo malè causantur hæretici, esse Deum peccati authorem.

Cap. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Primus gratiæ influxus, quo fit homo paradisus, Dei dignatio est, & non meritum, aut dignitas hominis. Reuera facit animam paradisum gratia, & hanc custodit homo bonis operibus.

De ligno scientiæ boni & mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Ius vitæ atque necis esse penes Deum, Adam inde sciuit, ac proinde Deum esse summum Dominum.

Non est bonum esse hominem solum. Homo solus est ad instar vitis, quæ sola repit humi; sed innixa palo, assurgit. Homo Deo innixus assurgit ad cœlestia, sed solus ad infima deuoluitur.

Cap. 3. *Nequaquam morte moriemini.* Dæmon vt homines inducat ad peccandum, expungit omnem memoriam pœnarum, quæ sunt indictæ peccantibus.

Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile. Vox, igitur, illationem & consequentiam sonat. Consequens autem fuit vt ad peccandum se aptaret mulier, à qua memoria mortis exciderat. Nota secundò, prima præludia erroris Euæ fuisse lenocinia sensuum, quibus mulier incauta animum inflexit ad carpendum lethale pomum, vnde virus effluxit in totam prosapiam.

Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Caro capta & decepta fœdis sensuũ illecebris, statim spiritũ sollicitat, vt sequatur.

Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei. Ei qui peccauit Deus ambulat post meridiem, & ad occasum vergit, occisionem & pœnas decernendo. Rursus peccato perpetrato, talis pudor subsequitur, vt homo velut tenebrio, fugiat ad latebras: nam qui malè agit, odit lucem.

Mulieri dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries. Peccatis obnoxia caro semper inquies est, & quando parit iniquitatem, dolor anxius hunc partum consequitur: nam synderesis importuna discruciat hominem totum.

Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Caro licet ferociat; gratia diuina tamen comite spiritui subiicitur, nec inuitus vnquam potest spiritus à corpore subiugari.

Quia

Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes. Quisquis autem præbet carni, ille procul dubio committet illicita: ne ergo crimen aliquando patret homo, carnis voces sunt subitò reprimendæ.

Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi. Qui cœlo totus intentus est, ille flores inde metet, & fructus persuaues. Qui verò totum se terræ addixit & deuouit, ille nihil inde leget præter angustias: siquidem esto diues aliquandò fiat, diuitiæ erunt illi velut spinæ, suis aculeis animas & corpora lacerantes.

Puluis es, & in puluerem reuerteris. Puluis est ludibrium venti, nisi humore madens massa fiat, & caloris æstu postea solidetur. Ita homo nequit constare sibi in bono, sed agitur, atque gyrat ad dæmonis impulsum, nisi diuinæ gratiæ ros influat in animam eius, & coquatur in fornace mystica charitatis.

Eiecit Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Vt homo redux subire queat paradisum, gladio mortificationis, aut flammis Purgatorij obnoxius est.

Cap. 4. *Si benè egeris recipies: sin autem malè, statim peccatum in foribus aderit.* Rectè factorum merces est fecisse: namque bonum opus recreat animam, mala verò secus opera perpetrata diu noctuque suum scelus animæ refricant importunè.

Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quasi diceret: noli causari effrænes appetitus inferioris effluxus, tuum est præcingere appetitum ne diffluat: si autem fueris incurius reuocare ad normam iustitiæ sensus tuos, actus in præceps pessum-ibis.

Ecce eijcis me hodie à facie terræ: & à facie tua abscondar, &c. Omnis qui inuenerit me, occidet me. Homo à Deo deuius occiditur ab ea re, cui primò totis suæ animæ viribus adhæres cit: siquidem in eo sita est peccati cuiusque labes, vt amore suo addicto rebus infimis, eas Deo suo reprobus anteponat. Item omnis tentatio, quæ hominem iam in peccato quatit, eum in noua peccata rapit.

Cap. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Estò Dei spiritus illabatur animis nostris, animamque Deo gratam efficiat; ille tamen perseuerare nequit diu in homine, quia caro concupiscit aduersus spiritum. Itaque qui est in statu gratiæ, is cautè Dei spiritum foueat: nam non in æternum manebit vbi caro suis susurris hominem est solita dementare.

Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. Omnis nostra sufficientia ex Deo est: suo solo marte nequit homo proferre nisi mala: namque donum optimum omne desursum est.

Cap. 9. *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis.* Seruitus est maledictionis effectus, qui benedictione Dei excidit, ille est seruus peccati.

Cap. 14. *Cùm audisset Abraham, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos, & persecutus est vsque Dan.* Cùm audimus proximos esse in angustiis, nullis debemus opibus parcere, vt eiam præbeamus opem.

Dixit Rex Sodomorum ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Sodoma, id est voluptas, opes homini concedit, vt animam sibi deuinciat. Dæmon vt animas aliquando sui iuris efficiat, honores, opes, atque delicias homini subministrat.

Cap. 19. *Habes hìc quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias omnes, qui tui sunt, educ de hac vrbe: delebimus enim locum istum.* Non sufficit religioso fuga corporis ex sæculo, sed quiquid eius est, vt affectus & cogitationes, illud omne debet à sæculo segregari. Mundus enim, & omnia quæ mundi sunt, peribunt.

Cùm esset mane cogebant eum Angeli, dicentes: surge, &c. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius. Matutinum tempus signat gratiæ exortum, quæ vbi affulsit, manus Dei est hic apprehendens manus nostras, vt exerceamus actiones congruas lumini desuper emicanti.

Cap. 21. *Dixitque Abimelech ad Abraham: Deus tecum est in vniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi.* Nota, Regem Abimelech primò iniquum extitisse Abrahæ, cuius patientiam expertus, cœpit metuere, ne Deus vindex expeteret pœnas. Malo semper omini est viro iniquo, probati viri patientia.

Cap. 24. *Prolatis vasis argenteis & aureis, ac vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius, & matri dona obtulit.* Quando Deus sibi animam desponsat, vasa gratiæ profert, id est sacramenta, quorum facit eam participem. Fratribus & matri dat munera, quæ sunt exempla virtutis edita ab anima, quæ sic proximos, & matrem suam Ecclesiam lætificat.

Rebecca conspecto Isaac descendit de camelo, &c. Tollens cito pallium suum operuit se. Anima desponsata Deo, repudiare debet omnia brutalia, & auertere oculos suos à rebus, quæ abstrahunt ab amore Dei.

Cap. 27. *Vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filij mei sicut odor agri, cui benedixit Dominus.* Anima stolâ gratiæ induta, Dei benedictionem sibi conciliat, cuius obsequio, gratiæ amplioris suscipit incrementum.

Cap. 28. *Vidit in somnis scalam, &c. Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Præter Angelos custodes, Deus etiam saluti nostræ inuigilat. Nemo seipso potest in cœlum ascendere: sed euehente Deo, & attrahente potest.

Cap. 29. *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Vt nihil est impossibile credenti, ita nec amanti. Nota, charitatem vires adiicere, quæ superant omne laboris onus. Homo charitatis expers fingit laborem in præcepto.

Cap. 31. *Laban pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi.* Laban perinde est ac dealbatus mundum significat, qui deforis est albus, intus verò niger: multa suis assectis promittit, quæ præstare nequit: iis, quos Deus adiuuat, affricare nequit suam malitiam.

Noluit Iacob confiteri socero suo quòd fugeret.

Qui

Qui cogitat de mundi fuga, ille debet aufugere mundi assectis inconsultis.

Nuntiatum est Laban die tertio quòd fugeret Iacob. Non nisi post tria vota emissa fuga mundi perfecta est.

Assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem, & comprehendit eum in Monte Galaad. Anima à mundi nexibus expedita degit in monte perfectionis.

Vidit in somnis dicentem sibi Deum: Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob. Estò ferus insaniat mundus in eos, qui dedere suum nomen Christo; nihil vltra potest, quàm vt canis oblatrare.

Cap. 32. *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Christus baculo crucis innixus ad inferos transiit, vnde redux, & triumphans, stipatus turmis iustorum, in cœlum ascendit.

Iacob abyt itinere, quod cœperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei. Qui perseueranter init virtutum viam, ille Dei Angelos habet adiutores.

Cap. 38. *Instante partu apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium; vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens; iste egredietur prior: Ille vero retrahente manum, egressus est alter.* Iudæus, & Gentilis duo fratres sunt eadem matre sati, scilicet natura humana. Iudæus prior manum extulit accepturus legem è monte Sinaï. Sed illa manus perfusa sanguine Christi rubuit, & ab eo retracta est: quippe Synagoga non dedit manus Christo: ideo Gentilis prior egressus est obuiam suo Domino Saluatori.

Cap. 41. *Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph, &c. Tu eris super domum meam, & ad oris tui imperium, cunctus populus obediet.* Hæc verba sicut sonant aptare potes S. Ioseph sponso Deiparæ, Deo sic eum affante.

Cap. 43. *Maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Beniamin minor inter Patriarchas est figura S. Francisci, qui inter Patriarchas religionum dictus est Frater Minor. Maior pars ei contigit, quia nulla magis propagata fuit religio, quàm fratrum Minorum. Item quinque plagis à Deo dignatus, habet quinque partes nulli Sanctorum communicatas.

Cap. 45. *Nolite pauere, neque vobis durum videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos in Ægyptum.* Iusti in ærumnis suis attendunt ad iudicia Dei, quibus vt se totos aptant, ita nihil eis durum occurrit.

Cap. 47. *Iacob vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum, &c. Non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis.* Hoc enixè debet quisque petere à S. Ioseph sponso Deiparæ, vt eius suffragiis moriatur morte iustorum. Vide Iacob nec mortuum voluisse moras agere in Ægypto.

Cap. 49. *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Libido totum colliquat hominem, & expungit omnes characteres diuinæ similitudinis, & impedit incrementa corporis & animæ: nam libido detrahit sanitati corporis, opibus, famæ, & saluti animæ.

Catulus leonis Iuda. Iuda perinde est, ac confessio. Profectò patrat facinus audax homo suas confitendo noxas, & proponendo vitam agere sanctiorem. Ille leonis instar bellum indicit, & eius confessio, quæ dicitur Hebraicè Iuda, fœtus est, seu catulus leonis.

Ioseph filius accrescens, decorus aspectu. Cùm animæ iustæ decor sit gratia; ille, penes quem est gratiæ incrementum, erit decore conspicuus.

Cap. 50. *Præcepit Ioseph seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Christiane patri tuo mortuo, & dolenti in Purgatorio opportunè potes succurrere, & medicum agere, si balsamo eleemosynæ funus vngis: inde spirat gratus odor Deo.

Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me. Iniuriæ illatæ ab æmulis in perniciem nostram, si æquo animo ferantur, conducunt ad gloriam, Deo patientiam nostram æterna gloria compensante.

EXODVS.

Cap. 3. *Locus in quo stas, terra sancta est.* Si stamus, id habemus à gratia Dei, cuius obsequio sanctus est ille status. Literaliter terra fuit sancta, quia apparuit illic Angelus.

Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Deus, iustorum dicitur Deus, quia illi se totos deuouere Deo. Mali verò, Deum abnegantes operibus, sunt reprobi, nec dignatur Deus dici eorum Deus.

Cap. 4. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Moyses derelicta Ægypto, vacans orationi secretus à turbis, amore Christi venturi exarsit, quo flagrare nequit is, qui in mundo degit, & gyrat in plateis.

Cap. 13. *Non eyciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo donec augearis.* En synopsim diuini intenti, quando lacessunt nos homines iniurij. Deus eorum iniurias non compescit, sed dirigit ad examen emeritæ virtutis, & sæpe foret anima inculta, si non inuigilarent hostes actibus nostris, qui ne fiant æmulorum censuræ obnoxij, ad trutinam æquitatis ideò reuocantur. Ne bestiæ, id est, vitia, irrepant in incautos, Deus æquum sanxit nos vexari ab æmulis, vt gratiis augeamur. Fit Deo prouidè nostras versante vices, vt illud exterminium, quod moliebatur hostis, cedat in virtutis exercitæ maximum incrementum.

Cap. 15. *Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum.* Vide, Dei gratiam nos aptare duris angustiis, & tentationibus.

Venerunt in Elim fily Israël, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castra metati sunt iuxta aquas. Vide sociari palmas, & fluenta, id est, lacrymas, & triumphos. Adeò tutum est lacrymarum asylum, vt qui recordatione suorum peccatorum soluitur in lacrymas, dici queat esse tutis in castris.

Cap. 22. *Decimas tuas, & primitias non tardabis reddere.* Cor vt primum viuens, cùm Deo consecratur, habet locum primitiarum, sicut & Decalogi obseruatio decimas soluit.

Cap. 23. *Si occurreris boni inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* Qui peccantes inducit ad meliorem frugem, ille bestias deuias in viam regiam deducit, & liberat à faucibus lupi.

Cap. 25. *Omne pondus candelabri cum vniuersis*

uersis vasis suis habebit talentum auri purissimi. Omnes Prælati, qui aliis eminent, esse debent ex auro charitatis, alioquin non prælucebunt.

Cap. 27. *Quidquid decimum venerit, sanctificabitur.* Quisquis in obseruantia decalogi Dei sistitur, ille sanctificatur.

Cap. 28. *Deorsum ad pedes eiusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis.* Vestis illa Pontificis insinuat qualis esse debet vita Prælatorum. Punicea mala coccinea bis tincta notant charitatem in Deum, & proximum. Tintinnabula significant debere vocales esse gressus eius, ita vt eius vita loquax sit, & exemplo suo hortans ad virtutem. Christus vt Pontifex in horto Gethsemani vestitus est. Fimbriata vestis sanguine concreto videbatur circumferre mala punica, quorum specie pendulæ cruoris guttæ oculis ingerebant. Tintinnabula intertexta fuere orationes tertiò repetitæ, vt Deum homini faceret propitium.

Cap. 18. *Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi.* Profectò solùm est beatarum mentium illa sitis, quæ in Deum fertur bonorum omnium fontem, cuius est tantùm, sua vbertate reficere animas vsquequaque.

LEVITICVS.

Cap. 1. *Detracta pelle hostiæ, artus in frusta concident, & subijcient in altari ignem.* Antequam amore diuino totus ardeas, exue veterem hominem, & in frusta cæde tua membra, malum eorum vsum in posterum abnegando.

Cap. 6. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, &c. & imposito holocausto desuper.* Nota, sacrum ignem velle holocausta, quibus hostia tota flammis addicitur. Diuinus amor hominem totum petit, & nihil excipit. Nam Deus est diligendus ex toto corde, tota anima, tota mente, & virtute.

Omne sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. Peccata sacerdotum alto debent silentio commendari.

Cap. 8. *Obtulit Aaron, & filios eius. Cumque lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea, accingens eum balteo.* Nota, sacerdotes omnes debere esse lotos, vt ministrent; puritas namque comes esse debet eorum obsequij: Pontifices maiora decent ornamenta, suas vt dignè vices agant. Subucula linea totum concludens corpus, explicat debere totum esse purum Pontificem. Balteus militiæ tessera est, quæ suo typo clamat, debere zelum Pontificis acui, & armari pro grege, si expedit.

Induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo, aptauit rationali, in quo erat Doctrina, & Veritas. Præter munditiem, qua nitere debet Pontifex, est & adiicienda charitas, qua vrgente, preces Deo fundat mente cœlum versus directa, petens inde suum colorem hyacinthinum, cingulo præcinget eum castitas, sicut & doctrina verax cum ab ignorantiæ vitio vindicabit.

Cap. 9. *Egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum.* Amor Dei non accendit eos, qui aliqualem sui partem Deo dedicando, volunt & aliam huic prætereunti sæculo mancipare. Friget amor, qui non in homine toto flagrat. Charitas holocausta petit, & non mutila sacrificia. Nempe Dei amor, & sæculi affectus, non coëunt. Secedat amor ille tepens, & noxius, & succedet amor innoxius.

Cap. 11. *Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum trahitur, abominabile est.* Anima amore incedit: amando etenim in obiectum tendit. Si terrena adamat, colligit eo affectu puluerem multum, perque humum trahitur pectore gradiens, sicque Deo fit abominabilis, atque ita condemnatur. Multos item pedes habet anima, quæ variis affectibus ad creaturas fertur. Vt quando Venus amorem accendit, & opes auri cupidinem.

NVMERI.

Cap. 4. *Scient singuli, cui debeant oneri mancipari.* Carpitur hinc ignorantia sacerdotum, quos impares oneri suo sugillant Canones.

Cap. 11. *Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum.* Vide, nobiles non insurgere in Deum, sed populum: quò quis enim conditione humilior, eò etiam superbiens tentat adiicere natalibus suis gloriam, cuius ei natura para fuit.

Promiscuum vulgus, quod ascenderat cum eis flagrauit desiderio carnium, sedens, & flens, iunctis sibi pariter filijs Israël. Gula fuit vitium infimæ sortis hominum: sed hodie gliscente malo, immoderata cupido carnium, nobiliores animos ad ima deponit, subiiciens eos vili plebeculæ, quæ reuera hodie nobilibus in eo cautior est, quòd nobiles epulis & Veneri intenti, bona sua dilapidant, dum populi homines frugi conglomerant opes, quibus nobilium bona sibi comparant, quæ eorum profusione quotidie subhastantur.

Cap. 14. *Iacebunt cadauera vestra.* Peccator gratiâ Dei extinctâ putet, atque iacet in cœno fœtido vitiorum.

Cap. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Reprobi contagio suo inficiunt omnes qui eis conueniunt, eosque cladis & pœnarum socios efficiunt.

Dirupta est terra sub pedibus eorum. Animæ nostræ pedes, id est affectus, in terra nihil solidum inueniunt: illa quippe fugax animam ducit in præceps.

Descenderunt viui in Infernum operti humo. Terra suos amatores operit, & deorsum inflectit, ita vt viui iam Inferni supplicia horrenda luant. Nam reprobi terræ addicti conscientiæ furiis agitantur.

Cap. 17. *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum rebellionis filiorum Israël.* Tabernaculum est figura Ecclesiæ, in qua sunt virgæ, scilicet censuræ, & correctiones, vnde coërcentur rebellio, & vitia peccatorum.

Cap. 20. *Quare nos adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, insuper aquam non habet ad bibendum.* Mundus locus iniquus est, vtpote in maligno positus. Seri non potest, quia bona opera illic ægrè germinant, & arent homines deficiente rore gratiæ desuper influente.

Obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, donec transeamus terminos tuos. Beatus

Pater Franciscus hoc pactum iniit cum mundo, vt nullas in terra metas describeret, vt ad cœlestia regna sibi promissa velox, atque leuis ascenderet, omni rerum onere deposito. Huius Seraphici Patris exemplo & instituto sata Religio Fratrum Minorum pertransit, & equidem celeri gressu terram istam, haudquaquam in ea sistens, non enim habet vbi figat gressus suos: quippe abdicauit agros omnes, & vineas, aqua plerumque & pane sibi faciens satis. Illa est, quæ graditur via publica, & regia, quæ ducit ad Deum, qui est extra terminos mundi.

Cap. 21. *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Serpens æneus suspensus in ligno, percussos à serpentibus sanabat; ita percussi à diabolo serpente antiquo, si dæmonem suspenderint, & cruci affixerint, sanabuntur. Cruci autem affigitur dæmon, quando caro maceratur. Rursus, Serpens æneus est figura Christi pendentis in cruce, quem quisquis aspexerit, & proposuerit sibi in signum, id est, in scopum, ad eum imitandum; ille, licèt à diabolo percussus, beneficio Christi, quem sequetur, restituetur pristinæ sanitati.

Cap. 22. *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio. Cui Angelus: Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, & nisi asina declinasset de via dans locum resistenti, te occidissem.* O si peruij essent obscœnis hominibus minaces Angeli, explicantes gladios vltores criminum, quibus insana cupido eos obstrinxit, fortè asina, scilicet caro, declinaret iram Angelorum, alias ineundo vias. Quid ærumnas tuas loqueris, ô homo infœlix? Quid alios incusas, vt auctores angustiæ, quæ te premit? resera oculos, quos Venus occlusit, & videbis Angelum aduersum tibi, quia peruersa est via tua. Nisi asina caro tua declinet ab impudico ritu suo dando locum Angelo resistenti, proculdubio imminente illo tibi gladio discerperis.

Cap. 26. *Factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij illius non perirent.* Scriptura notat fuisse velut prodigium, pereunte Core, dehiscente terra, filios eius non ruisse in præceps. Nimirum omnia parentum vitia facilè filiis astricantur.

Cap. 28. *Die sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba, quæ ritè funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum.* Ecce ritum celebrandi dies festos. Duo agni immaculati notant debere Deo sisti homines comite duplici puritate, corporis scilicet, & animæ. Simila oleo conspersa, typus est misericordiæ, seu eleemosynæ in pauperes erogatæ. Liba quæ funduntur, insinuant lacrymas in peccatorum recensione fusas. Vt caueat obuiam recidiuæ, debet esse homo holocaustum sempiternum, vt ita Deo se consecrando totum, nihil supersit, quod diabolo suggerente queat sæculo mancipare.

DEVTERONOMIVM.

Cap. 5. *Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, vt possit viuere.* Quisquis excipit verbum Dei, & vitam suam componit ex præscripto vocis sacræ, necem infert carni, rescindendo omnia carnis opera, gulam, luxuriam, &c.

Cap. 2. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Filij terræ sumus quando ei seruimus, & ab ea calcamur pressi cupidine auri, & illecebris voluptatum. Terra verò nostra est, & ei dominamur, quando contemnimus.

Cap. 16. *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* In vrbe sola Ierusalem Pascha celebratum significat agnū Paschalem, id est, Christum in communione dari tantùm pacificis, qui nullas exercent cum proximo simultates. Nam Ierusalem perinde est, ac visio pacis. Deus elegit sibi sacrarium apud pacificos; quia factus est in pace locus eius.

Epulaberis in festiuitate tua. Præcipua festa coli rectè docet Ecclesia, si sistuntur homines sacris altaribus, & pascuntur ibi sacris Angelorum epulis, quarum partem pauperi dabunt, si ei epulas alias stipem erogando parent. Nam eleemosynam dare est effectus Eucharistiæ, quæ dum gratiam infundit, solicitat nos ad bonorum operum praxim, & præsertim ad misericordiam in pauperes.

Cap. 22. *Non videbis bouem, & ouem fratris tui errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo.* Si caro deuia aberrat à calle Dei mandatorum, est dirigenda ad amussim spiritus fratris eius.

Cap. 28. *Nisi custodieritis, & feceritis omnia verba legis huius, augebit Dominus plagas.* Peccata nostra, Dei flagella sollicitant.

Cap. 31. *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Nota Dei flagellis sanguinem carnemque peti solùm. Namque Deus hoc feriendo clamat, vt caro vitio moriatur. Etenim mortua carne, viuit anima.

Cap. 32. *Abscondam faciem meam ab eis.* Solo Dei benefico aspectu stamus in gratia. Si ergo Deus faciem auerterit, inde velox casus subsequitur.

Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus. Quando quis creaturas deperit, habet eas pro Deo, illis deuouendo suum affectum, sicque Deum prouocat, à quo auertitur, vt conuertatur ad cupiditatis suæ ludicra simulacra.

Ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Fideles ob peccata Deus exponit gladio gentis infidelis.

De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ, Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. O Christiane, quem libido sollicitat ad consensum, hoc memento, carnis scilicet illecebras esse botros sapidos quidem gustui, dum eduntur, sed tamen illicò mutari in fel draconum, dum repetita noxæ memoria lancinat animam, & velut horrore concutit, assidua synderesi viscera discerpente. Recole, esse citam peccatorum voluptatem; vltionem autem termini nesciam, perpetuas pœnas expetere ab anima libidine deturpata. Hoc item animo versa, has pœnas temporales esse præludia mulctæ sempiternæ.

Cap. 33. *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. Ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.* Religiosi qui vitæ sanctioris intuitu vale dicunt mundo & parentibus suis, hi reuera soli obediunt consilio

Christi suadentis repudium mundi: sed si voto emisso suis adhuc parentibus attendunt, se immiscendo rebus sæcularibus, contra suum pactum agunt. Qui verò suis stant pollicitis, iram Dei auertunt suis precibus. Ipsi etiam sunt holocausta, quia totos se Domino consecrarunt.

IOSVE.

Cap. 6. *Dixit Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manu tua Iericho, &c. Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem, &c. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in Iubilæo, & præcedant arcam fœderis.* Vide processiones à Deo esse institutas, & esse debere ordinatas.

Cap. 7. *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream, & concupiscens abstuli.* Ecce duo argumenta, quibus in mortem incurrit Acham. Primum est pallium coccineum, significans excusationes, quibus nostra vitia palliamus. Verbi gratiâ, qui non ieiunant, hoc vitium gulæ excusant, morbum stomachi prætexentes. Illa pallia sunt rubea, quia qui his abutuntur, pudore æterno homines erubescent. Hæc pallia omnes ferè homines inuoluunt: quippe nemo in malum intendens operatur, sed omnes aliquo pallio sua vitia dissimulant. Alterum, vnde sibi mortem consciuit Acham, est regula aurea. Aurum est regula omnium ferè actionum. Ad hoc enim agunt homines, vt conquirant aurum, & inde sibi parent mortem æternam, quia plerumque malis artibus opes in perniciem animæ cumulantur.

Cap. 10. *Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Domino voci vnius hominis.* Nusquam à sæculo tantùm humilitas emicuit, quantùm eo tempore, quo Dominus Iesus erat subditus Mariæ, & Iosepho. Obediente Deo voci duorum hominum.

IVDICES.

Cap. 1. *Dixit Adonibesec: Septuaginta Reges, amputatis manuum, ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias.* Summitas manuum, est virtus operandi bonas actiones. Summitas verò pedum, est puritas affectuum. Plerumque duas illas summitates amittunt potentes in sæculo, quorum opera nefanda clamant, amisisse manus illam gratiæ summitatem. Item eorum affectus impij & impuri testes sunt, animæ pedes sua summitate penitus excidisse. Huiusmodi more canum homine exuto viuunt.

Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Qua mensura vsi fueritis, eadem agetur & vobiscum.

Cap. 4. *Egressa Iahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me domine mi.* Voluptates habitu fœminino & compto nobis occurrunt, & omnem timorem iudiciorum Dei pellunt à nobis.

Ingressus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam: Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde. Quisquis annuit voluptati, pallio statim inuoluit se, quærens prætextus vnde sua vitia excuset. Consensum excipit sitis indefessa mali perpetrandi.

Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitque Sisara ad eam, cum venerit aliquis dicens: Nunquid est aliquis hic? Respondebis: Nullus est. Quò plus aliquis voluptati indulget, eò altius ab ea operitur palliis, & magis ad tenebras fugit. Confessario sciscitanti an in corde graue delitescat peccatum. Respondet ore sacrilego, nullum delitere.

Tulit Iahel clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondité, & cum silentio. Mulier illa necem spirans, armata clauo & malleo, clam ingressa notat voluptatem esse stimulis armatam, quos astutè & callidè ingressa promit, animam configens.

Clauum percussum malleo defixit in cerebrum vsque ad terram, qui soporem morti socians defecit, & mortuus est. Aduerte, hominem plus nimio mulieri confisum cecidisse capite terebrato, Deo edocente nos hoc exemplo, eos facilè dementari, qui capiuntur externo rerum habitu, quem mundus explicat oculis hominum incautorum. Vt namque Iahel pallio inuoluit Sisaram, & eo amictu delusum clauo capiti infixo perdidit. Ita sæculum istud infidele offundens rerum varias imagines, & ideas velut vestes, quibus obteguntur essentiæ, fingit velle se suis sequacibus præstare obsequium, oblato penu suarum facultatum: dum autem species sensibiles ingerit corpori perquam amœnas, eo rerum amictu præludens caput petit, & rationem præoccupat, quæ occumbit, arbitrata sibi quadrare hæc pallia, id est, extrinsecum illum mundi habitum, quem depereunt homines immemores boni potioris. Aduerte, lethalem fuisse Sisaræ somnum, quem consciuit lactis potio. Estò tibi grata quies videatur ex voluptate nata: tamen illa tuæ salutis incurium immemoremque facit, & sic morti æternæ addicit.

Cap. 5. *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in cursu suo, contra Sisaram pugnauerunt.* Religiosi perseuerando piè in ordine suo, sunt stellæ micantes, quæ contra mundum & diabolos pugnant, Deo partes iustorum cœlitus adiuuante.

Cap. 9. *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem, dixeruntque oliuæ: Impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, & venire vt inter ligna promouear?* Nobiliora quæque ligna noluere principatum, quia pinguedine quadam diffluebant, vt oliua, ficus, vitis. Ita & regno Dei cadent omnes, quos procerus quidam habitus oris, insignis facies, oculi mundi produnt esse sues de grege Epicuri. Eos illecebrarum carnis nimia pinguedine inunctos, supera beatarum mentium gloria dedignatur.

Dixerunt ad Rhamnum: Veni, & impera super nos. Quæ respondit eis: Si me Regem vobis constituistis, venite, & requiescite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani. Spinoso arbusto defertur imperium, ita & Crux hispida sentibus exaltatur, & assurgunt ei palmæ, & cedri. Quippe omne, quod exurgit, Cruci se inclinat, ei se aduoluunt Pontifices, & præalti quique Principes diadema suum ante Crucem deponere non detrectant. Nulla namque quies est potior ea, quâ gestiunt illi, qui recubant in vmbra arboris illius salutaris, quæ osores suos, vt acerrima vindex insequitur, lethalia spirans incendia, quibus pessum eunt cedri, id est, elati omnes typho superbiæ, Crucem humilem atque ingloriam arbitrantes.

Quod me videritis facere, citò facite.. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem. Christus Antesignanus crucem totam arborem spinis hirsutam, fesso licet & lacero flagris humero baiulauit. Sed Christianis satis est præcidisse ramos singulos. Vnus, exempli gratiâ, cibo austero viuens, imitatur Christum in cruce, felle & aceto potum. Alter flagris se lacerans, flagellato Domino sociatur. Ita plures est reperire ramos, qui præscindant singulares patiendo pœnas. Sed ille rarus est, cui crucem integram, id est, omnes Christi angustias studeat imitari.

Cap. 11. *Dimitte me, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam, cum sodalibus meis.* Anima reproba, morte instante dirè flebit se sterilem fuisse tota sua vita, & nulla bona opera peperisse.

Cap. 16. *Decipe eum, & disce ab illo quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere.* Hoc dæmones aiunt sensui corporeo: O sensus, illecebris tuis hominem induc in discrimen tentationis, vt vitiorum vinculis obstringatur.

Cum molesta esset ei, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius. Reuera iugis est molestia illa, quam facessunt sensus etiam homini dormienti, cui rerum etiam obscœnarum, inuito licèt, species obuersantur. Gliscente voluptatis, & sensuum titillatione nequit sese ab his lenociniis animus inquies expedire.

Tunc aperiens veritatem dixit ad illam, &c. Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam. Frustra reluctatur anima, si non perseuerat. Hoc exigit omnis illecebra ab homine, vt ille radat caput suum, id est, omnes cogitationes suas ad Deum pertinentes expungat. Scit nempe desertor Angelus, animum, qui defluxit in sensus, illico frangi, & deficere: idcirco sollicitat carnem, vt adblandiatur spiritui, eo ferè modo, quo Dalila Samsoni.

Illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius: & statim ab eo fortitudo discessit. O sensuum perfidiam! deliniunt animam, vt feriante sano cogitatu, lenociniis spiritus indormiat, omnique sua virtute cadat, & eodem fato, quo Samson, miserè defungatur. Nota obiter, Deum reposuisse robur Samsonis penes rem infirmam, vt sunt crines. Virtutum fortitudo penes humilitatem est, qua rasa labant & fatiscunt virtutes, vtpote nomine dumtaxat virtutes.

Quem cùm apprehendissent Philisthym, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. Ecce infœlix status hominis, cuius perniciem sensuum illecebræ procurarunt. Lumine mentis orbus, vitiorum vinculis adstringitur, & carcere conclusus, molæ addictus gyrat. Nam impij in circuitu ambulant. O homo deliciis irretite, quid insano tripudio gestis, & Dalilæ amplexus iactas? Tota illa tragœdia desinet in noxiam cœcitatem. Nimirum quidquid huius sæculi hominem afficit vltra modum, illud eum facit obnoxium cœcitati. Nota, hominem, quem vitia excœcauere, tetro cõcludi carcere, vnde sola clauis gratiæ diuinæ potest eum pristinæ reddere libertati.

RVTH.

Cap. 2. *Nuntiata sunt mihi omnia, quæ fecisti socrui tuæ post mortem viri tui, & quòd reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum, quem antè nesciebas.* Hæc verba potes, ô prædicator, vsurpare in die professionis cuiuius monialis, eam sic affando: Hocce tuum facinus audax, quo vale dicis parentibus, vt adscribaris populo Dei, ô Heroïna, scitur à Deo, vt auctore bonæ & grandis huius actionis. Scit mortuum esse tibi mundum, cui olim desponsata, nunc sociaris Christo, in terra, quam antea nesciebas, scilicet in religione.

Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius alas confugisti. Reddet aliquando tibi mercedem ille tuus sponsus, ad quem venisti, & cuius te totam obsequio, emissione voti hodie consecrasti. Illa hora extrema, qua suos mundus asseclas deserit indonatos, te Deus dignabitur gloria minimè marcescente.

Cap. 4. *Faciat Dominus mulierem hanc, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel, vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat nomen celebre in Bethlehem.* Hoc & aptare potes virgini, quæ dat nomen suum Religioni: Deum impensè rogo, ô sponsa Deo deuota, vt tot sis fœta virtutibus, quot filios enixæ sunt, Lia, & Rachel, vt eo pacto queas ædificare domum, quam nunc ingrederis. Etenim egregia specimina virtutum edita, sunt ædificationes animarum. Esto igitur exemplum virtutis in Ephrata. Ephrata vox Hebræa sonat vbertatem. Religio, quatenus est fœcunda bonis actibus & exemplis, est frugifera, sicque dicit vbertatem. In loco illo fertili, & vbertatis, vberes ede virtutum omnium fructus, vt illic comparato celebri nomine sanctitatis, tandem aliquando tuo sponso congaudeas, in æternum cum eo regnatura.

REGVM I.

Cap. 1. *Ascendebat Elcana de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo.* Vide orationem, esse ascensum. Nequit enim orare anima, nisi egressa, id est, terræ curis omnibus expedita. Nota, Deum assignasse loca vbi sacra debent fieri, vt sunt templa.

Cap. 2. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Dei gratia singularis est, quando mortificamur. Spiritu namque Dei influente, caro maceratur, & inde vita animæ comparatur, iuxta illud Apostoli: *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Rursus qui mente recolit inferni pœnas, ille cauet ne peccando, pœnis illis aliquando fiat obnoxius. Cùm ergo Deo inspirante animus ad inferna meditando delabitur, inde reducitur, bona postmodum opera conglobando.

Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ex Seneca, Deus tractat nos, sicut tractatur à nobis: Qui ergo Deum honorat, ille sibi honorem conciliat; blasphemi verò in æternum erunt inglorij.

Cap. 3. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Quasi diceret: Penes Deum est, & personarum, & rerum omnium dominium: quis ergo queat eludere iudicium eius, appellando tribunal superius? Nota, bonas esse cruces, seu angustias: quippe Deus has decernit vt congruas

ad

ad salutem. Nam ex Augustino : affligimur ne peccemus : affligimur, quia peccauimus.

Cap. 6. *Ibant in directum vaccæ, per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Bethsames vox Hebræa sonat idem, ac domus Solis. Paradisus est illa domus Solis, vbi Christus Sole clarior irradiat. Illuc pernice gradu tendunt religiosi, indefesso conamine vsque ad mortem, probè callentes, se non posse declinare à recto calle mito citra animæ dispendium. Caro & anima, velut duæ vaccæ concordes eadem via mandatorum Dei congruè gradiuntur.

Cap. 8. *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersa habent nationes.* Qui dominium Dei detrectat, ille vitam agit Gentilium.

Non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos. Qui legitimo suo superiori non obedit, ille Deo iniuriam facit. Quia non est potestas, nisi à Domino.

Cap. 9. *Saül electus, & bonus: & non erat vir de filijs Israël melior illo.* Ecce dotes, & qualitates eius, quem Regno æterno Deus aptat.

Numquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter familias omnes de tribu Beniamin? Quare ergo locutus es sermonem istum? Quando animæ Deo gratæ sua resonare sentiunt encomia, tunc magis se deprimunt, & consciæ sui nihili, hoc recolunt quod sunt. Ita se ancillam Domini dixit ea, quam Angelus Matris Dei titulo dignabatur.

Cap. 10. *Applicuit Samuel omnes tribus Israël, & cecidit sors super tribum Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius, & peruenit vsque ad Saul filium Cis.* Electio diuina viros nobiles secundùm carnem non attendit, vt erant multi ex tribu Iuda, quos Deus ad regnum non euexit: sed aspexit minimam tribum, & in illa virum de se minima sentientem, scilicet Saül humilem, ideóque Regem factum.

Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus illic. Respondit Dominus. Ecce absconditus est domi. Quia humiles latere volunt, & à gloria mundi abhorrent, Deus illos afficit gloria, & equidem summa.

Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum. Animæ à Deo electæ caput efferunt sursum, vtpote ad cœlestia semper attentæ. At plebeij homines deorsum caput inclinant, terrena solùm animo recolentes.

Ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Populus in vitia pronus, commune nihil habet cum electis Dei, qui à gratia commendantur.

Filij Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dissimulabat se audire. Regius animus dissimulat iniurias, vtpote supra omnem æmulorum iactum. Qui verò clamat se læsum, ille est infra sui æmuli ictum.

Cap. 13. *Inueni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Amoris Dei summa petit, vt dirigamus voluntates nostras ad amussim diuinæ voluntatis. Nota, Deum non attendere verba, sed opera. Nam perfectè amare Deum, perinde est, ac facere voluntatem Dei.

Cap. 14. *Videns Saul, quod Deus esset cum David, cœpit eum timere.* Quæro vnde grauis ille timor increpsit, quo pauere incepit Rex ille Dauidi iniurius? Non aliunde sanè quàm ab eius æquanimitate, qua patiens ille gener soceri furentis, hos meritorum cumulos fecit ex nequitia sæuientis, vt ei non modicum terroris incusserit. Nulla namque validiore plaga quatitur homo iniurius, quàm cùm se deprehendit flocci pendi ab eo quem feriunt incassum quæuis molestiæ.

Cap. 16. *Spiritus Domini recessit à Saül, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Gratia Dei in anima stante, nequit dæmon in eam irrumpere. Sed expunctâ Dei gratiâ, dæmon Deo sic permittente malè habet animam: à malo namque malum infertur ei qui repulit à se bonum. Ex Isaia: *Dicite iusto, quoniam benè.* Ex Ieremia cap. 2. *Amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum.*

Spiritus Domini malus arripiebat Saül. Nota, eumdem spiritum vocari, spiritum Domini, & spiritum malum, quæ duo non concordant. Etenim si est spiritus Domini, ergo minimè malus. Si spiritus malus, ergo non Domini. Dissolutas ecce tricas. Spiritus ille erat malus, quia malum intendebat. Siquidem Saülem exagitans hic spiritus, cum vrgebat ad peccandum, blasphemando, atque desperando. Eamobrem ab iniquo fine nuncupatur ille malus spiritus, qui consideratus vt missus à Deo ad expurgandam coriam, quam Saül collegerat, & ad corripiendam eius insaniam, vt fieret inde cautior, tunc dicitur hic spiritus Domini.

Cap. 17. *Egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine Goliath de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi.* Goliath iste typus est mundi, quem Ioannes ait esse colluuiem omnium vitiorum, videlicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Spurius homo notat Venerem noxiam, seu concupiscentiam carnis. Procera moles corporis eius indicat superbiam, sicut & concupiscentia oculorum se prodit in eo quod ait: *Si præualuero, vos seruietis nobis.* Auarus ille animus, quidquid erat oculis obuium ambiebat. Sed aliis vitiis eminet ille fastus, quo improperans homo nequam ait: *Ego exprobraui agminibus Israël. Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.* Hinc inferre potes, quàm longè latéque patuerit dominium vitiorum, quibus Mundus insultabat hominum genti. Nam ante Christum singularis certamine rarus extitit, qui non fuerit aliquo peccati contagio sauciatus. Vni Christo debebatur victoria de immani hoste, & tessera triumphantis debebat esse baculus, id est, Crux.

Tulit baculum, &c. & elegit sibi quinque limpidissimos lapides, &c. & processit aduersus Philistæum. In hoc apparatu, gigas infidelis nihil exhorruit præter baculum: sic enim in Dauidem succensuit: *Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo.* Debebat esse baculus innoxius: namque penes lapides erat victoria de hoc homine iniurio Hebræis. Ita dæmon cum Christo Domino congressus magna pompa emicuit, longéque fragor armorum eius insonuit: quippe feros armigeros habuit Iudæos, Scribas, Pharisæos, & Romanos, qui erant in præsidio Ierosolymitano, imò ex Apostolis transfugam vnum, videlicet Iudam, sacræ militiæ desertorem. Christus humili habitu iuit obuiam hosti, sola cruce armatus;

armatus,& quinque plagis. Mundus tamen præcipuè occubuit, & periit ictus baculo crucis. Etenim tota cohors peccatorum, ex qua coalescit Mundus, in cruce affixa est: id est, cruce Domini, soluta sunt crimina, quibus antea tenebamur.

Induit Saül Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica. Regius ille apparatus non erat ad pompam, & otium, sed ad pugnam: siquidem homines strepitu armorum, ad prælia conuocantur. Eo intento Deus animas gratia sua instruit, vt scilicet in vitia prælientur. Nota, gratiam hominem totum facere cataphractum.

Cap. 18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Amoris summa penes vnionem est.

Cap. 20. *Sedebis iuxta lapidem. Ego tres sagittas mittam iuxta eum. Si dixero: Ecce sagittæ intra te sunt pax tibi est. Si autem sic locutus fuero: Ecce sagittæ vltra te sunt: Vade, quia dimisit te Dominus.* Habet Deus tres sagittas, quas emittit in sedentes iuxta lapidem obstinationis in peccato, videlicet pestem, famem, & bellum quibus traiicit obstinatos. Si hæ sagittæ intra nos sunt, pacata sunt omnia. Sunt autem intra nos hæc spicula, si hiante corde, & spirante amorem, suscipimus ictus Domini castigantis. Intra nos sunt sagittæ Dei, quando amori amorem rependimus. Extra nos sunt, quando instar lapidis obdurati, hæc spicula retunduntur obstinatione nostra.

Ionathas Saüli patri suo ait: Quare morietur Dauid, quid fecit? Et arripuit Saül lanceam, vt percuteret eum. Ne correctione fiant cautiores impij, suggerit dæmon, omnem correctionem esse ingloriam, & detrahere honori eius, qui ab alio corripitur, sicque deliros homines ad iram sollicitat, quando ab alio corriguntur.

Cap. 21. *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Periculo instante, Dauid confugit ad gladium, quo Goliath occiderat: Ita & nos vrgente tentatione Crucem accipiamus, qua Christus diabolum vicit. Nulla sanè armatura potest ita citam parere victoriam, vt Crux, si ei conformemur.

Dixerunt serui Achis ad eum, cùm vidissent Dauid: Numquid non iste est Dauid Rex terræ. Extimuit Dauid, & immutauit os suum coram eis, defluebantque saliuæ eius in barbam. Ait Achis: Vidistis hominem insanum. Homo cacodæmone afflatus in Paradiso Edem ambierat titulos indebitos, anhelans ad regnum cœli viâ incongruâ. Ne in rebellem & tumidum Deus vt par erat desæuiret, Christi facies indecora facta est in Passione, vtpote salinâ muncta, & contusa pugnis. Demum oculis velamine obductis, sapiens ille rerum Dominus pro insano habitus est. Hac industria Redemptoris, declinauit homo iram Dei, in quam imprudens incurrerat, quando Dei voluit infulas vsurpare, dæmone teste.

Cap. 22. *Dauid fugit, &c. Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* In Christi Passione duo latrones ei sociantur, quasi ipse esset latronum princeps. Ei etiam & nos adiungamur, vt fures, & oppressi ære alieno, cui diluendo impares sumus. Nomina nostra expedire non possumus etiamsi omnes trapezitarum gazæ prostarent nobis, & tentarent debitum soluere creditori. Christo solo ad promissore & fideiussore fas est repetere chirographum. Ille vadem rei capitalis se præstabit, nec deerit vadimonio, vltrò mortem appetiturus, vt è rationibus Dei iustitiæ nomen nostrum expungat. De furto itaque est actio in Christum intercessorem pro Adamo, qui Deo inconsulto suam fecit arborem inconcessam.

Cap. 26. *Sopor Domini irruerat super eos.* Dormiente toto exercitu Saül, Dauid æmulus eius ingressus est tentorium Regis Saül, quem vt Deus abiecerat à se, ita sopor in eum noxius irrepserat. Quando namque Dei gratia excidimus, homo suis peccatis indormiens, morte concluditur impœnitens, factus ita sui hostis præda.

REGVM II.

Cap. 1. *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. Ionatas in excelsis tuis occisus est.* O animæ fideles, locuples est argumentum fletuum in morte Domini Redemptoris, qui purpureo suo sanguine tinxit stolam gratiæ, idoneum vestræ animæ tegumentum. Ille est, quo dignante rutilant animæ fidelium. Heu in excelsis occisus est, quando superbia mea, excelsa petens, piaculo se obstrinxit, ad quod diluendum, cruci appensus est Christus. Hoc apud me statutum volo in posterum, millies potius obire mortem; quia quantùm possunt elati homines iterum te occidunt, quando suo fastu te procul abigunt.

Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis. Doleo super te, Iesu Christe. Non solùm amabilis eras, aut amans, sed ipsemet amor eras. Ideò, cùm lacrymis non satietur amor, abeo totus in lacrymas, vt eo saltem profluuio cruorem abluam, quem mea crimina profuderunt.

Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum. Hoc fruemur elogio, si amor noster impetu retrogrado non feratur in res à Deo penitus alienas. O anima incauta, quando rebus infra Deum plus nimio adhæres, sagitta tua redit retrorsum, Deumque sic prouocat ad vindictam. Vt namque clauus incuruus apponitur incudi, & validè malleo concutitur, quo omne queat obliquum exuere; ita affectus hominum à Deo deuius, eos malleo subiicit, id est vindictæ, & flagellis, vt amissam congruam rectitudinem denuò consequantur.

Cap. 3. *Leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner, & ait: Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati.* Regibus adeò ingloria visa est vinculorum iniectio, vt Rex Dauid Principis Abner encomia auspicatus sit ab eius indole nescia vinculorum. Hanc gloriosam aspernatus es, Christe Deus, in hominum gratiam. Namque manus tuæ ligatæ sunt, & fuere pedes tui compedibus aggrauati, vt eo habitu inglorio caderes coram hostibus anhelis in cædem tuam. Hominum fastum spreuit iste rerum Dominus vincula confregerat. Solutæ hominum manus pleraque impia commiserant, pedes etiam eorum effrænes effusi in omne nefas, à Deo procul homines extulerant. Huic discrimini consuluit Christus, assumptis manicis, atque compedibus.

Cap. 2.

Cap.2. *Area Dei, & Iſraël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam. Non faciam rem hanc.* Diabolo titillante tuos ſenſus, vt te pelliciat ad voluptatum obſequium; animo refricato duros Chriſti agones, vt acetum & fel contra gulæ cupedias; iniurias, atque conuicia, & Barrabam ei prælatum, contra vanæ gloriæ auram; flagella, ſpinas, atque crucem contra Veneris illecebras: ita fiet anima tua à Diaboli nexibus expedita.

Cap.12. *Dixit Dauid: Peccaui Domino. Dixit Nathan: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, &c. Veruntamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Dimiſſa culpa, manet obligatio ad pœnam.

Cap.16. *Ecce filius meus, qui exiuit de vtero meo, quærit animam meam: quantò magis nunc filius Iemini? Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini, &c. & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Exclamat Ambroſius: O altitudo prudentiæ! ô inſigne patientiæ! ô deuorandæ contumeliæ grande inuentum! Non accuſat Dominum, quaſi auctorem iniuriæ, ſed magis laudat, quòd patiatur nos minora perpeti, vt maiorem veniam peccatorum adipiſcamur. Quis ſecum talem non compenſet iniuriam, vt quem homo læſit, eum Deus factum meliorem, retributione ſoletur.

Dauid aſcendebat cliuum oliuarum, ſcandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite. Vrgente cruce, Dauid aſcendebat. Benè. Aſcendit ille, qui peccatorum iugo non premitur; totus erigitur, quem vitiorum ſarcina grauis deorſum non inclinat. Rurſus, aſcendit, quia ea eſt natura crucis, vt euehat ſurſum eos, quos videtur vrgere.

Aſcendebat clinum oliuarum. Optima combinatio oliuarum, & aſcenſus. Quippe oliuæ ſymbola ſunt gratiæ, & vnctionis Spiritus ſancti, cuius chariſmata manent eos, qui aſcendunt, vnum tantùm Deum feruidis æſtibus anhelantes. Scandebat operto capite. Opertum caput inſinuat altam attentionem, cui cùm vacare volumus, caput obducimus. Notandus planè Regis hic habitus, vtpotè conducens ad crucis amplexus, quos nemo horret, niſi is, qui non recolit commoda crucis.

Flens, nudis pedibus incedens. Lacrymarum profluuia pedes animæ tergunt. Nimirum attenta crucis, quam ferimus, meditatio, nos ad Deum effert, cuius opem, ſeu gratiam mendicamus, vt inundante fletu iniquos affectus illicò diluamus. Pedes ſic deterſi, & nullo vitiorum cœno lubricantes idonei ſunt ad aſcenſum, quem ſuperare non poſſent, eos vitio remorante.

Cap.17. *Achitophel videns quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum, abyt, & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit.* Digno equidem fato elatus: quo & efferuntur ij omnes, quos iniqua acerbitas ſollicitat in iuſtorum hominum perniciem. Nota, virum hunc de ſua fuiſſe domo ſollicitum, & de animæ ſalute prorſus incurium.

Cap.18. *Tulit Ioab tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon.* Reprobi vt Abſalon inſurgunt in Deum Patrem, pertæſi regnum Dei, iugum eius excutiunt, nolunt regnare Deum in cordibus eorum, inſurgunt in eum filij à tanto Patre degeneres, peccatorũ omnium ſtipantur illecebris, & quaſi acie explicata dubium volunt facere regnum Dei. Namque Deo à mente eorum longiùs abacto, apud eos tantùm ſenſibus indulgetur. In hos intorquere ſolet Deus tres lanceas, peſtem, famem, bellum.

Cap.23. *Statio Philiſtinorum tunc erat in Bethlehem. Deſiderauit ergo Dauid aquam, & ait: ô ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem!* Quia lacrymæ nos diſponunt ad Euchariſtiam, quæ eſt domus panis, illæ typum habent in ciſterna Bethlehem. Has aquas altè ſitit Chriſtus, deſiderans in anima pœnitente fletus. Sed mundus, caro, dæmon obſident hanc ciſternam, obſtando ne pœnitens homo fleat, refundendo fletus ad extremum vitæ.

Irruerunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid. Homines pœnitentes ſunt magnanimi, quia ſeſe à caſtris vitiorum expediunt. Lacrymæ, ſunt in porta Bethlehem, quia illæ nos aptant ad Euchariſtiam, quæ eſt domus panis; item hominem accingunt ad gratiam.

Banaias interfecit virum Aegyptium. Vt extorſit haſtam de manu Aegyptij, & interfecit eum haſta ſua. Dæmon hominem dementarat cæſum ligno illo paradiſi, cuius vſum ei negauerat Deus. Eo ligno obiecto homini, Diabolus hunc proſtrauit. Vt toti illuderet genti, vbique terrarum erexit veluti trophæa ex ligno, volens adorari in lucis, ſeu ſyluis, triumphans in ligno, quo genus hominum callidè debellauit. Inde virus effuſum in lucos omnes, vt pronæ vnicuique arbori aduolutæ Gentes, earum ſe cultui manciparent. Nam rara eſt arbor, cui non aliquid diuinum Diabolus affinxerit. Quercus Dodonea pro Ioue habita, cultores ſuos habuit, vt & Laurus referens Apollinem. Myrtus Veneri ſacra fuit, ſicut & Baccho. Chriſtus ligno crucis diabolum vicit, in ligno alio triumphantem. Banaïas perinde eſt ac filius Domini.

Percuſſit leonem Banaias in media ciſterna in diebus niuis. Banaïas, id eſt filius Domini, Chriſtum refert, qui diabolum pellendo ex corde peccatoris, leonem occidit in ciſterna diſſipata, & hoc hyeme. Quippe dæmon algorem inducit in animam, quæ excedit amore Dei, qui ignis eſt.

REGVM III.

Cap.2. *Miſit Rex, & vocauit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi. Quocumque die egreſſus fueris, ſcito te interficiendum.* Ieruſalem, perinde eſt, ac viſio pacis, & ita typus eſt vitæ Religioſæ. Quamdiu homo in clauſtro degit, vbi voto emiſſo ſibi domum elegit, ille tutò vitam agit; ſed ſi deſertor eſt & transfuga, morti æternæ obnoxius eſt.

Cap.3. *Dabis ſeruo tuo cor docile. Placuit ſermo coram Domino, & dixit, &c. Quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet, & gloriam.* Cum oratio ſit actus latriæ, & aſſumatur ad medium pro fine obtinendo, debet ille finis eſſe ſuo medio nobilior. Ergo malè Deum quis ſollicitat vt det diuitias, & honores: quippe vana ſunt hæc, & niſi meritum orationis. Primùm ergo Dei regnum quærite, & cætera adiicientur.

Cap.5. *Nunc requiem dedit Dominus Deus*

 mihi

mihi per circuitum, & non est Sathan, neque occursus malus. Gratia, quasi in gyrum acta, totum hominem induit, armat, & protegit; ita vt omnis animæ aditus inuius sit Satanæ, quo fugato, bona omnia affluunt, quia mala omnia penitus effluxerunt.

Cap.6. *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuæ, decem cubitorum altitudinis.* Nota, oliuam, quæ est gratiæ Dei, seu misericordiæ tessera, denario numero sociari, & rursus hunc numerum esse mensuram altitudinis Angelorum. Id est, homines, qui volunt in Angelorum ordinem assurgere, debere etiam explere hunc numerum, Decalogum excolendo, cuius obseruantia esse potest ita Deo grata, vt copiosa inde fluens gratia, hominem illum supra Angelos euehat, aut saltem adæquet eis ratione eiusdem mensuræ recensitæ.

Cap.7. *Capitella, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant in porticu.* Adiicit textus, eadem capitella fuisse malogranatis insignia. Fructus ille tessera amoris est, sicut & lilia virginitatem clamant. Maria, & Ioseph, duæ eminentes columnæ fuerunt, pro foribus domus vbi Christus erat. Sed estò duo coniuges Maria & Ioseph amore mutuo sese dignati sint; non defuere tamen lilia malogranatis. Nam virginitas reciprocus amor conuenerunt in Mariam & Ioseph, vt in vtriusque gratiæ terminos adæquatos. Aduerte, benè componi cum columnis hos coniuges ratione constantiæ, & inflexibilitatis. Etenim nullo impulsu peccati nutauere bases Mariæ, & Ioseph.

Cap.10. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, vestiuit eum auro fuluo nimis, &c. Duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus, hinc atque inde.* Hæc pompa fuit vmbra leuis gloriæ Christi, quæ in monte Thabor rutila coruscauit. Christus ibi facie in modum Solis lucidi composita, præfulgidus illuxit, veste præ ebore nitido candida amictus. Adfuerunt illi mysterio præcipua legis antiquatæ capita, Moyses, & Elias, duo vtique leones, qui Pharaoni & Achab Regibus impiis fortiter obstiterunt. Ex duodecim leunculis, id est Apostolis, qui nondum tunc erant assecuti illam perfectionem, quam nacti sunt in die Pentecostes, vbi leones effecti sunt, tres assumpti sunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes, vt in crepidine throni adstarent, sic nos erudiente Deo, non patere aditum ad gloriam, nisi leonibus, id est generosis.

Cap.18. *Inuocate nomina Deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei. Deus qui exaudiet per ignem, ipse sit Deus.* Deus solus ignem amoris sancti accendit in cordibus eorum, à quibus excolitur vt par est; creaturæ verò suo amore ignem profanum accendunt, id est, luxuriam, aut auaritiam.

Cap. 9. *Perrexit in desertum viam vnius diei. Cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum petiuit animæ suæ, vt moreretur, &c. Obdormiuit in vmbra iuniperi. Ecce Angelus Domini tetigit illum, & dixit: Surge, & comede. Respexit ad caput suum, & ecce subcinericius panis, & vas aquæ. Ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Horeb.* Iezabel Heliam persequens, est figura mundi persequentis animam. Mundi technas explicat Angelus custos homini gratia Dei conspicuo. Ille pertæsus omnia, quæ à Deo dissentiunt, consulit sibi fugâ, petens loca inuia sæculo, & carni; nec quiescit, quin iuniperum inueniat, arborem scilicet spinis hirsutam, figuram crucis, quâ solâ tuta gaudet anima.

Petiuit animæ suæ, vt moreretur, & obdormiuit in vmbra iuniperi. In crucis amplexu homo animam sollicitat ad mortem obeundam, eam vtique, quæ carnis est, & sæculi, sic affatus: Caue ne sæculo viuas aut carni, ô anima deuincta Deo tot titulis, & dotibus. Morere vanitati, & cæteris illecebris, quas vt lethales tibi & noxias Deus tuus auersatur. In eo soliloquio obdormit anima, vtpotè quantum fas est Domino Deo fruens.

Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ. Animam quiete sua captam Angelus fortiter excitat, & ad ardua vocat, scilicet ad virtutum apicem, quæ figurat mons præaltus Horeb. Aquam propinat, & subcinericium panem, ita notans, sudoribus victuque tenui agones maximos exantlari. Aqua largiori suos clientes alluit atque potat Angelus custos, quando ciet lacrymas, quas effundit homo liquefactus igne sacri amoris. Panem offert insinuando sacrum vsum Eucharistiæ panis Angelorum.

Rursum obdormiuit. Reuersusque est Angelus, & dixit: Surge, & comede, &c. Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb. Si quando sopor estò leuis irrepat, vel minimus in amore tepor amorem remittat vel tantisper, Angelus animam stimulis exagitat, quibus integros quadraginta dies pernice cursu contendit ad gloriam, quæ præostensa fuit Heliæ supra montem Horeb.

Cum venisset Elias ad Elisæum, misit pallium suum super eum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam. Quotidiano liquet experimento, sacras vestes Religionis sic immutare suos nouitios, vt statim exuant quidquid in eis bestiam redolebat, & citato cursu ineant virtutum calles.

Cap.22. *Fecit Iosaphat quod rectum erat in conspectu Domini. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus adolebat incensum in excelsis.* Homo, licet iustus, excelsa non delet omnimodè (quippe leui tangitur auræ gloriæ, quæ bona opera consequitur) nec omnino abhorret ab illo famæ bonæ incenso, quod sanctis viris populus assolet adolere.

REGVM IV.

Cap.2. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Turbines & angustiæ nos hic premendo vehunt in cœlum.

Cap.12. *Ouem reddet in quadruplum.* Hanc furti admissi legem subiit Christus, luendo pœnas furti à primo homine perpetrati. Christus ad quatuor tribunalia raptus est, & vbique dirè exceptus est. Primò ad Annam socerum Pontificis adductus, ibi instar sacrilegi habitus, audiit illic, parari sibi mortem, cuius iniuriæ illic acceptæ fuere prima rudimenta. Inde fuit tractus ad Caipham Pontificem illius anni: nam alternis vicibus ludebant in Pontificatu Annas, & Caiphas. Difficile est dictu, quæ ludibria expertus sit illic

illic ille pius adpromissor, & pro homine fideiussor. Tertium tribunal fuit Pilati, vbi cum Barabba compositus, habitus est vilior homicida. Quartò Herodi obiectus est, illic summo despicatui habitus est, deinde reductus ad Pilatum, quo decernente, flagris & capitali sententia plectitur. Vtque palàm fieret, mulctam capitis esse ei indictam in pœnam furti, medius inter duos latrones, quasi latronum princeps fuit crucifixus.

Cap. 18. *Venerunt Ierusalem, & steterunt iuxta aquæ ductum piscinæ superioris, quæ est in via agri fullonis.* Non itur in Ierusalem cœlestem, nisi per piscinam lacrymarum pœnitentiæ necessariæ adultis hominibus, qui se vitio polluerunt. Lacrymæ dicuntur piscina superior, quia desuper influunt: quippe Dei est, donum lacrymarum. Item sunt in via agri fullonis, quia lacrymæ non alluunt modò, sed abluunt, & eo candore dealbant, quem fullo suis artibus nequeat æmulari.

Cap. 19. *In nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cúmque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit.* Hominem vitiis inuolutum Angelus adoritur in tenebris, & adiuuat contra feras vitiorum acies, quas gladio pœnitentiæ fundit, & postea corpora mortificat inedia, vigiliis. Dæmon aspecta strage vitiorum, & mortificatione corporum, victus postea retrocedit.

Cap. 21. *Præcepit Iosias omni populo dicens: Facite Phase Domino Deo vestro secundum quod scriptum est in libro fœderis.* Phase seu Pascha sonat idem, ac transitus. Est autem resurrectio transitus à morte ad vitam. Fit hæc resurrectio animarum, quando vita componitur, ad amussim diuinæ legis.

Pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in Ierusalem, abstulit Iosias, vt statueret verba legis. Vt homo legis diuinæ queat dici obseruator, vitare debet iniqua consortia, & omnia vitia repurgare.

Cap. 22. *Quia dereliquerunt me irritantes in cunctis operibus manuum suarum, succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur.* Qui ad creaturas affectu conuertitur, ille simul à Deo auertitur; inde faces inferi succenduntur.

Cap. 23. *Ascendit Rex templum Domini, &c. Cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, stetit Rex super gradum, & fœdus percussit coram Domino.* Cùm ad templum proceditur, esse debet mens intenta Deo, vt cum fructu Verbum Dei percipiat, cuius effectus est, vt quisque suo stet in gradu, sorte sua viuens contentus, & ita sua vita composita in meliorem frugem redeat in gratiam cum Deo.

PARALIPOMENON I.

Cap. 10. *Mortuus est Saül propter iniquitates suas, eò quòd præuaricatus sit mandatum Domini.* Qui recedit à vita æterna, nequit mortem effugere: nam peccata etiam mortem temporalem vehunt, & æternam.

Cap. 17. *Misit Rex Iosaphat de Principibus suis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, habentes librum legis Domini. Creuit ergo Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime.* Huiusce Regis æmulus fuit S. Ignatius à Loyola, qui suæ Societatis sanctæ primos alumnos & principes viros misit in varias mundi plagas, vt erudirent homines ad praxim diuinæ legis. Inde Deo influente creuit cœlo tenus Societas Iesu.

Cap. 19. *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Ad opera diuina se aptare debet homo congruo apparatu.

PARALIPOMENON II.

Cap. 7. *Cùm complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta, & victimas, & maiestas Domini impleuit domum.* Templis consecratis adest Deus speciali influxu; nam illic homines quando Deum orant amoris sacri ignibus incalescunt.

Non poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eò quòd impleßet maiestas Domini templum Domini. Quando sacerdotes recolunt maiestatem Dei, reuerà tremunt accedentes ad altare.

Cap. 20. *Athalia impiissima & filij eius destruxerunt domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt phanum Baalim.* Mulier illa sacrilega, Priapi obscœnum simulacrum adorans, ei addixerat ea, quæ pertinebant ad templum Dei. Huic impudicæ comites se adiungunt illæ omnes mulieres, quæ abutuntur bonis editis ad gloriam Dei. Verbi gratiâ, Deus formosas effecit aliquas mulieres, vt ea specie inspecta homines assurgant ad pulchritudinem Dei. Tamen adiectis stibio & cerusa, conspurcatur illa forma mulierum, quæ debuit refricare memoriam templi Dei, & impenditur cultui sordidi simulacri.

Cap. 22. *Ochozias fecit malum, &c. ipsi enim fuerunt consiliarij post mortem patris sui in interitum eius.* Aurem præbere malis consiliis, est lethale.

Cap. 33. *Cognouit Manasses, quòd Dominus ipse esset Deus. Et abstulit Deos alienos. Porrò instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas. Præcepitque Iudæ, vt seruiret Domino Deo Israel.* Ecce typum perfectæ pœnitentiæ. Manasses auspicatus est à cognitione, seu ab examine conscientiæ, cuius obsequio cognouit se offendisse Deum. Inde suis vitiis repudium indixit, & ita demum se macerando Deo obtulit in victimam, & exemplo suo induxit alios ad easdem pœnitentiæ semitas ineundum.

ESDRÆ I.

Cap. 2. *Filij Berzelai quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio.* O sacerdotes, scriptura genealogiæ vestræ, est Scriptura sacra, hanc quærite, & discite labore improbo. Codices sancti sunt tituli sacerdotum, qui lectione iugi, & impigro studio comparantur. Qui nescius erit literaturæ sanctæ, ille indignus erit sacerdotio, vtpotè censendus cum Gente exotica, & ignara rerum cœlestium.

Cap. 6. *Deus, qui habitare fecit nomen suum, ibi, dißipet omnia regna, & populum, qui extenderit manum suam, vt repugnet.* Anima, in quam gratia Dei illapsa est, singulari protectione Dei gaudet. Vide locũ istum applicatũ Societati Iesu, in quam frustra sua spicula intorquẽt eius æmuli, quia Dominus Iesus habitare fecit nomẽ suũ ibi.

Cap. 13.

Cap.13. *Clauserunt ianuas Ierusalem, & præcepi vt non aperirent eas vsque post sabbatum, & de pueris meis super portas constitui, vt nullus inferret onus in die Sabbati.* Vt obseruemus dies festos vti par est, debemus imitari industriam Esdræ. Hoc equidem præstabimus, si præuia mentis recollectione, nosmetipsos seriò concludamus, sensuum omnium foribus obseratis, ne quæ deliciæ irrepant insciis nobis. Si quis Deo & nobis iniquior, nostram tentat constantiam, vt recludamus ostiola sensuum, insurgamus audacter, & rescindamus noxia fœdera eorum, qui animas nostras subdolè nundinantur.

Manserunt negotiatores, & vendentes vniuersa venalia foris Ierusalem semel & bis. Si propositi tenax sit animus, & libellum repudij porrigat iis omnibus rebus, quæ hominem à diuinis arcent, ille deget Ierosolymis procul à strepitu nundinarum, quibus mundus, caro, dæmon faciunt animæ mercaturam.

ESDRÆ II.

Cap.2. *Leuaui vinum, & dedi Regi, & eram quasi languidus. Dixit mihi Rex: quare vultus tuus tristis est, &c. Dixi Regi: quia ciuitas deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni.* Animi anxietatem, quæ vexabat Nehemiam epulæ regiæ detergere nequiuerunt. Legebatur in facie eius mœror edax cordis, cuius argumentum erat desolatio vrbis sanctæ Ierusalem, cui flamma depascens etiam portas eius adeò fuerat iniuria, vt desertus esset omnino locus ille sacer. Vbi libido exarsit, & depasta est animam olim Deo sacram, temperare nequit sibi homo impudicus à mœrore, quem inducit illud incendium. Estò sit in epulis regio apparatu dispositis, mœret tamen vultus hominis impudici.

Quare vultus tuus tristis est? Quare non mœreat vultus meus: ciuitas deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni. Dic quæso, ô asseclа Veneris, quare mœret facies hæc decora? cur subpallidum sapit habitus oris tui? omnia læta tibi applaudunt, & tu solus hæc explodis. En responsum altè inculcandum. Anima mea libidine exæstuat, portæ illius, id est, oculi luxuriantes scintillant, pruriunt aures turpiloquio, omnia denique mea illo igne Inferni depasta sunt. Nonne hoc est luctus argumentum vtique locuples, cùm Venus iniqua, pacis impatiens, faciat animam inquietam.

TOBIAS.

Cap.1. *Cùm omnes irent ad vitulos aureos, solus Tobias fugiebat consortia omnium, & pergebat in Ierusalem.* Impij omnes non eunt ad vitulos, sed ipsi abeunt in vitulos, dum pecorum more viuunt, ratione penitus inconsulta. O candidate gratiæ, secede ab hac vitulorum turba. Perge ad loca sancta, vbi viget Dei cultus, vt incolumem agas vitam integra sanctitate.

Cap.4. *Perge nunc, &c. Egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, ignorans quòd Angelus Dei esset.* Insciis nobis adsunt Angeli, qui incolumes seruant, & tutantur ineuntes viam mandatorum Dei.

Cap.5. *Rogo te, indica mihi de qua domo es tu? Cui respondit Angelus: Genus quæris mercenarij: an ipsum mercenarium, qui eat cum filio tuo?* Inde vide, non esse tutum satis, velle curiosa indagine rimari genus seu indolem Angelorum, sed satiùs esse demereri eorum custodiam, & ducatum, vt verba sonant Angeli: Nihil ad te pertinet status meus. Vnum hoc satage, vt me deuincias ad tutelam.

Dixit Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum. Quare ancipiti animo distraheris, ô pater? Quid metuis integro statui filij tui, quem in meas ego partes accipio: penes me habeo claues, quibus ad Dei arbitrium aperio seu morbos, seu sanitatem. Idcirco tuum committe filium ductori, qui meliorem sortem illi impertiet.

Cap.10. *Heu heu me fili mi! vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, &c. Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Maiora præstant impietati nostræ argumenta luctus ob Christum derelictum, imò abiectum, ideòque fas est multo lacrymarum imbre nostra hæc crimina repurgare. Hoc fletuum profluuium prouocabunt hæc lamenta. Heu heu, & proh dolor! Christe Deus, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum? Quare incauti coniecimus in vincula hominum impiorum, qui te vitiorum nostrorum multis nexibus alligarunt? Nostræ salutis incurij malè nobis consuluimus, quando procul abegimus te, in quo simul omnia habẽtes, debuimus vt thesaurũ intimo pectore reseruare.

Cap.12. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, &c. Ego obtuli orationem tuam Domino.* Nota, preces nostras alis indigere, quibus ad Deum assurgant. Opera bona velut alæ sunt, & præsertim opera misericordiæ: nam merentur, vt anima misericordiam Dei comite oratione sibi conciliet.

IVDITH.

Cap.111. *Tantus metus, &c. Principes cum populis exibant obuiam venienti, &c. ducentes choros cum tympanis, &c. ciuitates eorum destruxit. Præceperat enim illi Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret.* Hoc vnum diabolo insedit: scilicet abolere festa Dei, & Sanctorum, vt vitia inducat. Suasori impio morem gerunt plerique homines sortis omnigenæ. Magnates, & infimæ classis lixæ, & calones, in solennes dies sua regerunt tripudia, vt omni apparatu voluptatis explicato queant litare dæmoni, qui sic decernente Deo præcocis lætitiæ omnia argumenta in luctum vertit. Nempe deliri homines effusi in sensuum illecebras, pœnis æternis se obstringunt: & quò magis in vitia proni sunt, eò etiam magis properant ad ruinam suam.

Cap.4. *Induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini. Et clamauerunt ad Dominum Deum Israël vnanimiter.* Tria recensentur hic, quæ reddidere Deo gratas preces à populo afflicto fusas. Cilicium, infantes, & homines vnanimes. Cilicium significat pœnitentiam & mortificationem, quæ stipare debet preces. Infantes insinuant puritatem, quæ debet esse comes orationis. Demum populus vnanimis indicat concordiam, qua expuncta preces nostræ Deo displicent.

Cap.7. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia ab omnibus, & per multas horas vna voce clamabant.* Vide preces non vno momento fusas, sed per multas horas cum fletu. Quippe duo hæc commendare solent orationes nostras; videlicet attentio, & perseuerantia.

Clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te. Grata sanè Deo est oratio, quæ incipit ab accusatione sui. Iustus enim in principio accusator est sui. Rursus satius est incidere in flagella Dei, quàm iacere diu in cœno sordido vitiorum. Vitia sunt domini qui non solùm Deum ignorant, sed & suos captiuos à Deo longiùs abducunt.

ESTHER.

Cap.3. *Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus, & à se mutuo separatus, nouis ... legibus, & caremonijs, insuper & Regis scita contemnens: si tibi placet decernere vt pereat.* Reprobi sunt dispersi orbe toto: etenim nunquam ad se redeunt, sed cogitatione vagi sunt, & ideo inepti ad orandum. A se sunt separati, agendo vitam in rixis perpetuis. Aspernando legem Dei, viuunt ad arbitrium mundi. O homo nequam, insolescis voluptate diffluens, iniquis legibus vteris, Deo & proximo tuo iniuriis, Dei scita contemnis; sed ille in die iudicij decernet vt pereas. Te accusandi fiet omnibus copia.

Cap.6. *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, & imponi super equum, qui de sella Regis est.* Homo Deo charus stola gratiæ indutus est, & baiulat crucem, quæ sessorem habuit Christum.

Homo quem Rex, &c. debet accipere regium diadema super caput suum, & primus de regijs principibus teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare. Quando Deus vult aliquem iustum referre in Catalogum Sanctorum, decernit vt ille pingatur cum radiis, & diademate in capite, & vt Papa primus inter homines hunc proclamet Sanctum.

Cap.9. *Nulli liceat hos dies absque solennitate transigere.* Dies præsertim sacri mysteriis redemptionis nostræ debent agi cum solennitate.

Cap.13. *Iussimus vt nefarij homines vna die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbauerant.* Impiorum hominum nequitia castigata cauet ne alij peccent, & ita pacem conciliat.

IOB.

Cap.1. *Numquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* Timor Dei conciliat animæ custodiam Angelorum, qui non animæ dumtaxat, sed & etiam toti familiæ iustorum inuigilant.

Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Opera bona perpetrata nobis conciliant bonorum omnium incrementum.

Surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit. Flagella Dei nos sollicitant, vt surgamus, & corde contrito Deum adeamus humiliter, à quo peccando superbè recessimus.

Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Quando Deo decernente bonis temporalibus excidimus, nihil nostrum amittimus. Quippe Deus mutuata nobis reperit, & de his disponit ad arbitrium suum, & ad salutem animæ nostræ. Vnde citas & veloces debemus ei laudes rependere.

Cap.2. *Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* In afflictione caro sollicitat spiritum ad impatientiam & murmur contra Deum. Sed spiritus cautè malos hos susurros compescit, & recolendo bona se accepisse, mala quoque patienter excipit, vt aptata suam ad salutem mediante patientia cautiùs adstruendam.

Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt, &c. Cumque eleuassent oculos, non cognouerunt eum. Christo crucifixo tale exhibeas obsequium: exi de loco obscœno vbi degis, & meditare crucem vbi speciosus forma nequit cognosci, vtpotè sputis & coagulato sanguine conspurcatus.

Exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum. Obduruisti, nisi Passio Christi lacrymas excitet, & ad pœnitendum sollicitet.

Sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem. O vos omnes, qui transitis, attendite, & videte, si est dolor instar eius, qui vexat Christum. Cùm attendetis hunc dolorem, sedete cum Christo, & participes estote crucis eius.

Cap.5. *Huius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes diuitias eius.* Deo vltore, malè partæ facultates in auaro dispereunt: omnes enim exosi sordidum hominem auro grauem, quidquid illius est emungunt, & prædantur.

Cap.6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera. Quasi arena maris hæc grauior appareret.* Christo hæc aptantur verba. Peccata hominum ille pius Dominus sua dicit, non quòd hæc commiserit, sed quia hæc suscepit expianda. Copiosa sanè fuit illa redemptio.

Sagittæ Domini intra me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Ait, flagella Dei, seu sagittas eo fine in homines intorqueri, vt exsugant omne virus, si quod aliquando diabolus instillauit. Diluitur autem omne malum, quod irrepsit in animam, si illa recolens spiritum nequam, quo diabolo afflante perempta est, eliminat hunc spiritum, vt pristinam rectæ rationis indolem postea nanciscatur.

Vt incaluerit soluentur de loco suo. Impij, vt concupiscentiæ fomes exæstuat, inardere solent & dissolui in nihilum. Nam peccatum nihil est.

Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt. Nota; virum

sanctum

sanctum subiicere ruinam vacuo: vt enim ille, qui præceps agitur in abyssum, quasi inane decurrens, nullum habet terminum sui casus, præter excidium: ita & is, quem vacuum peccatorum excipit, deliquij sui finem accipit æternum animæ dispendium.

Cap.7. *Ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Gratia diuina sola replet dies vitæ nostræ, qui in tenebras & in noctes conuertuntur, si peccando Dei gratia penitus euanescat. Est peccatoris vita nox vtique laboriosa ob conscientiæ stimulos importunos.

Peccaui, &c. Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi grauis? Vt peccatum est auersio à Deo, ita Deus reprobos auersatur. Quare verò grauet animas peccatum, accipe. Gratia superiores facit animas omni voluptate, eas efferendo supra. Itaque quisquis peccando excidit illa facultate, quæ hominem attollit, necesse est vt deorsum vergat, & peccatorum pondere conquassetur.

Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Homo suo Marte solo potest peccare. Sed absque Deo miserante nequit sese à peccati nexibus expedire.

In puluere dormiam: & si manè me quæsieris non subsistam. Auarus, estò suis opibus incubans, penes illas quietem suam & omne bonum constituat; gazæ tamen eius sunt cumuli pulueris. Imò quidquid in mundo micat, soluetur in puluerem. Peccator non subsistit, quia ad nihilum redactus est.

Cap.14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Quidquid infra cœlos editum est corporeum, illud in gratiam & in obsequium hominum fuit compositum, atque ita non est humano corpore nobilius. Sed corpus humanum singulis quibusque momentis deperit, & fit seipso deterius. Est ergo fugax & fragile quidquid mundus habet. Omnia prætereuolant, & alternis ludunt, ne illudant homini, affectum illius noxiè demulcendo fusiùs.

Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. Quando Deus peccantium corpora flagellando ferit, signat hisce plagis sacculum animæ, quæ si quando sapit, ad Deum conuertitur, ita suo corpore castigato.

Cap.15. *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Vt rei inutilis bonus esse nequit finis, ita neque reproborum, qui dicuntur bibere iniquitatem, quia concupiscentiæ iniquæ sitis apud eos iugiter inardescit.

Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est. Operuit faciem eius crassitudo. Homo afflatus prosperitatis aura tumet, & in Deum insurgit, voluptati turpiter indulgendo.

Habitauit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ. Reprobi suis vsuris & furtis exhauriunt viduarum & pupillorum domos, & ita citam mortem multis afferunt.

Non recedet de tenebris. Impij non aduertunt iniquam suam sortem, quia caligine iugiter obumbrantur.

Ramos eius arefaciet flamma. Vt libidine & auaritia semper ardent impij, ille ignis depascit omnia eorum opera, quæ nihil prosunt eis ad bona cœlestia comparandum.

Cap.21. *Tenent tympanum, & citharam, gaudent ad sonitum organi, &c. In puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Quia scientiam Dei respuunt impij, ideò à Deo recedunt, & genio indulgent, choreis, libidini, & epulis. Inde rixæ, & gladij punctim ferientis vulnera, quæ lethaliter punctos ad Inferos mergunt. Prosperitas nimia fuit semper ancipitis salutis indicium, quia deorsum semper homines inclinat, & ita facit inferis obnoxios.

Cap.24. *Non est potestas, quæ comparetur ei super terram.* Homo solis naturæ viribus diabolo nequit resistere. Sed adiutus gratia diuina potest ipsi diabolo prænalere.

Cap.28. *Cùm audierit buccinam, dicit, vah.* Ad conflictum & arma læti properantes equi docent homines se fortiter habere quando Cruces ingruunt.

Cap.36. *In manibus abscondit lucem.* Doctor manibus probet quod loquitur. Nam opera verbis adiiciunt magnum luminis incrementum.

Cap.37. *Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimè funduntur aquæ. Frumentum desiderat nubes.* Glossa sic expendit. Flante Deo concrescit gelu, quia per instinctum Spiritus sancti timor initialis crescit in filialem. Et rursum latissimè funduntur aquæ, quia tunc lacrymæ deuotionis & pœnitentiæ fluunt abundanter. Frumentum desiderat nubes. Per frumentum intelligitur cœtus fidelium. Matth.3. Congregabit triticum in horreum suum. Qui cœtus desiderat prædicatores, significatos per nubes iuxta illud Isa.60. Qui sunt isti, qui volant vt nubes.

Cap.42. *Addidit Dominus quæcumque fuerunt Iob duplicia.* Ecce fœnus patientiæ.

Dominus benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Benedictio, quæ iustis datur in hora mortis, potior est omnibus bonis, quæ in hac vita beare queunt homines. Nam illa benedictione fiunt compotes gloriæ æternæ.

PSALMI.

Psal.4. *Filij hominum vsquequò graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nota hominem effici graui corde, dum illum cupido tenet rei perituræ. Etenim amor induit habitum eius, quod amatur. Cùm igitur hæc infima grauedini obnoxia sint, vtpotè compacta luto, homo sibi iniurius est, quorum ista vilia mundi crepundia totis viribus insectatur.

Psal.6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Salutare genus orationis est, commendare suam infirmitatem Dei misericordiæ.

Psal.9. *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant Gentes, quoniam homines sunt.* Chrysostomus ita fatur: Sit eis supplicium pro admonitione. Erit supplicium loco legis, & non eis tantùm, sed & aliis.

Psal.11. *In circuitu impij ambulant.* Deus est rerum omnium centrum, à quo dum peccat homo, procul abit, & animo inquieto gyrat.

Psal.15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Reprobi sunt anonymi: nam verba eorum non sunt scripta in libro vitæ.

Psal.21. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.* Est deplorata salus animæ, si ore tacito nefanda celat, quæ commisit.

Puluerem

Puluerem mortis subiicit arenti virtuti, & linguæ faucibus adhærenti. Namque nihil verius arguit imminentem mortem, quàm silentium in confessione.

Psal. 29. *Vita in voluntate eius.* Illa sola anima viuit vita gratiæ, quæ se componit ad amussim voluntatis Dei.

Ps. 31. *Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Homo in diluuio voluptatum ad Deum nequit accedere. Vt neque potest dæmon accedere ad hominem pœnitentem positum in diluuio lacrymarum.

Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Homo degens in opaco vitiorum à Deo solo potest illuminari.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Vide, Dei timorem conciliare bonis custodiam Angelorum.

Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. A Dei vocatione salus incipit. Quisquis Deo vocanti morem gerit, ille Dei timorem concipit, & sic initiatiuè sapit.

Inquire pacem, & persequere. Incepisse parum est inire vias pacis; sed vltra sequi, & perseuerare, salus est sarta tecta.

Psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Societas illa lucis, & fontis, duo dicit. Primum est, animæ bonum esse penes intellectum. Secundò, bonum indeficiens illud esse fluens iugi influxu.

Psal. 37. *Tota die contristatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Concupiscentiæ obscœnæ fomes multa turpia suggerit animæ etiam inuitæ, & præcipuè pœnitenti, quæ tristatur se ab insolitis olim cogitationibus turpibus infestari.

Qui iuxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Peccata procul à nobis Angelos abigunt, dantque locum diabolo tentatori.

Qui inquirebant mala mibi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Reuera dolis agit nobiscum dæmon, obiiciens pro re solida vanitatem.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Vt lupis inest vis quædam iniuria vocis ita & diabolo virus insitum est, quo loquelæ vsum hominibus adimit, impediens orationis exercitium, & à confessione procul arcens homines.

Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Vt flagret amore Dei homo, debet oraturus componere suam voluntatem ad affectum, vt disposuit intellectum ad attentionem. Id est, sicut intellectus ante orationem excussit ideas rerum omnium, quæ animam à Deo distrahunt; ita voluntas debet deponere omnes iniquos affectus, vt ita totus homo Deo se deuoueat.

Opprobrium insipienti dedisti me. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. O quàm potens agnita & inspecta Dei voluntas in ærumnis, vt illæ Dei amore accensæ placidè & tacitè tolerentur!

In imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Perperà sanè is torquetur, qui dum arbitratur se gestire veris, pascitur tantù inanibus.

Psal. 41. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.* Tribulationes dicuntur excelsa, quia in cœlum eleuant.

Psal. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Deus associare suo vult regno virum, quem correctione sua ferit, & dirigit in viam virtutis.

Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis. Stola gratiæ præter odorem virtutum, spirat adhuc myrrham mortificationis.

Ps. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei, sanctificauit tabernaculũ suum altissimus.* Nota, fluminis impetum nõ lætificare Dei ciuitatẽ, nisi sanctificato tabernaculo. Quippe tristatur anima vitiis obnoxia, cuius est pollutum tabernaculum.

Vacate, & videte, quoniã ego sũ Deus. Vacare debet anima à curis sæculi, si attentè velit orare.

Psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Quia principes intellectus actiones sunt discernere vnũ, & ab alio dispescere, & ex præmissis inferre sequelam: homo dicitur non intellexisse, quia non distinxit inter legem Dei, & suasionem diaboli, & carnis, quæ ad fœminã inclinabat. Feriante intellectu, homo se permisit ducatui appetitus sensitiui, atque ita ritum induit iumentorum.

Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Libidinis ardor, quo incaluere parentes, vrit & sobolem ex his æstibus emergentem. Licet puerilia corpora non ardeant, quia multo humore suffusa sapiunt ignes abditos luxuriæ; pubescente tamen carne, & calore natiuo depascente superfluum humidum, scintilla latens Venerem prodit, & longè latéque sua spargit incendia, quibus pessum abit castitas hactenus illibata.

Ps. 54. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Ille fugit, qui de mente sua excutit ideas omnes seculi. Inde manet in solitudine, qui in rerum cœlestium attentione totus perseuerat.

Psal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Illi, quos luxuriæ ignis vrit, ad cœlestia cœcutiunt, estò rebus huius mundi pertractandis apti sint.

Ps. 59. *Commouisti terram, & conturbasti, eam sana contritiones eius, quia mota est.* Gratiam excitantem sonant illæ voces: *Commouisti terram.* Si namque Deus non vrgeret animam ad gratiæ indaginem, illa proprio conamine nunquam attingeret gratiam. Idcirco Deus dicitur commouisse terram, quando influit in animam, quæ antea terræ affixa transit in statum gratiæ. Tristitiam clamant hæc verba: *Conturbasti eam.* Et quia contritionem excipit animæ sanitas, subiicit Dauid: *Sana contritiones eius.* Demum ipsa Deo consentit, non inuitè mota, sed liberè.

Ps. 64. *Valles abundabunt frumento, & inter medium montium pertransibunt aquæ.* Quia humiles gratia exudante madent, ideo inter medium montiũ pertranseunt aquæ. Aqua autẽ vt imprægnat agros, quos alluit, est symbolum gratiæ, quæ fœcundat eos, quibus est cœlitus impertita.

Ps. 65. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Anima lacrymarum imbre sudans, & amore flagrans, contrita fiet compos æterni refrigerij, vt & illa, quæ per lacrymas & ignem Purgatorij transiit.

Psal. 67. *In Ecclesiis benedicite Domino de fontibus Israël.* Opera bona Deum laudant. Apostoli sunt fontes Israël, qui nos docuere ritum hunc laudandi Deum, id est, benefacere.

Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Iste est Paulus de tribu Beniamin, raptus ad tertium cœlum.

Principes Iuda, Duces eorum. Ex tribu Iuda

vterque Iacobus, Ioannes, Simon, & Thadæus.

Principes Zabulon, Principes Nephtali. Cæteri Apostoli fuere de tribubus Zabulon, & Nephtali in Galilæa. Dicuntur Apostoli Duces nostri, vt sequamur.

Psal.68.*Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Ingrauescens homo pondere voluptatis, putido cœno immergitur, scilicet vitiorum fœtido volutabro. Deorsum vergit, quia caret gratia, quæ illum erigebat.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici me iniustè, quæ non rapui tunc exoluebam. Adam furto pomum abstulit, luit inde pœnas Christus.

Psal.73. *Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* Incendunt igni sanctuarium Dei, qui de gula solùm solliciti ingurgitant sese, & multa vini illuuie libidini fomitem parant. Eodem etiam igne flagrant, qui choreis, & comœdorum gesticulationibus frequentes adsunt. Obscœnis his ritibus polluitur festiuitas, & traditur obsequium debitum vni Deo.

Psal.75. *Ab increpatione tua Deus dormitauerunt qui ascenderunt equos.* Reprobi genio indulgentes à peccati sui somno non resurgunt, estò Deus ad aures cordis eorum perstrepat increpitans.

Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Contritio habita die festo obstabit, ne postridie pecces.

Psal.76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui.* Ego qui placido pelago erraui, redij ingruente tempestate.

Psal.84. *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Frustra enitimur ad reducem gratiam, nisi præuia conuersione sua Deus nos conuertat.

Psal.89. *Vespere decidat, induret, & arescat.* Tribus gradibus extrema hominum pernicies concluditur. Primò cadit homo, idque semper tempore vespertino, quia gratia occidente alicui, ei mox se caligo multa offundit. Gliscente illecebra, casus ille, qui fuerat actualis, in habitum transit, & hic habitus indurat animam, quæ dum assuescit crimini, arescit in ea, quidquid erat viuax.

Psal.90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Angelorum custodia cessat extra viam, id est, post mortem.

Psal 94. *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Gratiæ Dei efficacia petitur à momento, quo si vocanti non respondet homo, tandem vitiis callum obducentibus induratur.

Psal.95. *Confessio, & pulchritudo, in conspectu eius.* Vis pulcher esse, confitere.

Psal.97. *In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ Iubilate.* Ductiles tubæ æreæ sunt, tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando. Eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ, si cùm tribulamini proficiatis, tribulatio tunsio, profectus productio est.

Psal.99. *Introite portas eius in confessione.* Confessio est porta ducens ad Deum.

Psal.100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* In omnibus operibus Dei misericordia & iustitia coëunt.

Psal.103. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Angelus est nomen officij, spiritus est nomen naturæ.

Psal.106. *Confiteantur Domino misericordiæ eius. Eduxit eos de tenebris, &c. & vincula eorum disrupit.* Misericordia Dei nos pristino honori restituit. Cùm olim vincula rumpebantur, nulla erat aspersa ignominia ei, qui coniectus fuerat in vincula: si verò soluebantur nexus, hoc erat inglorium.

Psal.117. *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Adam peccando, & moriendo diem verterat in noctem. At Christus resurgendo fecit diem, & tenebras tersit, quas effuderat Adam. Idcirco benè in Pascha canit Ecclesia versum hunc, ad iubilum homines excitando.

Psal.118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Sicut speculum mendax refert singula quæque obiecta alio habitu, quàm sint; ita & mundus incautis illudit oculis, quibus auersione solum consulitur.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Via Dei, & via ad Deum, via viuificans animas, est crux, seu mortificatio. Vanitas homines abstrahit ab hac via: quippe via mortis est vanitas, estò flores initio spargat. Ab hac caue via, vt aliam incas, quæ ducit ad vitam.

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Mandata Dei obseruata comite gratia iustificant animam, & eam lætitia ineffabili perfundunt, quæ lætitia sollicitat iustos ad cantum & gratiarum actiones. Sic cantando, suas homo leuat angustias in hoc sæculo.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Disciplina Christiana verax adeò est, vt aliæ omnes cum illa comparatæ, velut fabulæ sint aniles.

Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Non lumine naturali solo potest homo suæ saluti consulere, sed indiget vt Deus irradians præbeat intellectum.

Psal.119. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs.* Deus quandoque ferit, adiiciens carbones pestilentiæ: namque lues illa, quæ grassatur populans vrbes, carbunculos spargit, qui ægrotorum membra lurida depascuntur.

Psal.120. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Nihil omnino Dei prouidentiæ vel ad momentum se subtrahit.

Psal.125. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Nemo planè potest sine Dei adiutorio, sese à peccatorum laqueis expedire.

Psalm.126. *Cum dederit dilectis suis somnum. Ecce hereditas Domini, filij merces, fructus ventris.* Mors iustorum est somnus, quo expleto, patet aditus ad gloriam æternam, quæ est merces Passionum Filij Dei, quas obiit in humanitate assumpta Beatæ Virginis Mariæ in vtero.

Psal.129. *Copiosa apud eum redemptio.* Redempti quippe sumus à culpa, & à pœna æterna.

Psal.131. *Paraui lucernam Christo meo.* Ioannes fuit hæc lucerna lucens, & ardens.

Psalm.133. *Benedicite Dominum omnes serui Domini, Qui statis in domo Domini.* Non est speciosa Dei laus in ore peccatoris: sed ora sancta decet, vt sunt ora seruorum Dei, qui stant & erecti sunt ad cœlestia. Mundi verò iacent serui, vtpotè sese in vitiorum volutabro sordido volutantes.

Psal.134. *Fulgura in pluuiam fecit.* Ocul

impudic

impudici, quando soluuntur in lacrymas pœnitentiæ, sunt fulgura in pluuiam facta.

Psal. 136. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.* Salices sunt arbores infœcundæ, quibus appenduntur organa, quando silet censor nolens corrigere impios, qui inutiles sunt ad faciendos fructus pœnitentiæ. Correctio est canticum Domini, quod non resonat auribus impiorum.

Psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Vt incensum non redolet nisi flagret, ita nec oratio est Deo grata, nisi procedat ab anima conflagrante Dei amore.

Psal. 141. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Est cautè vita hæc transigenda, quia omnes creaturæ nobis laqueos obiiciunt. Corporum pulchritudo faces accendit luxuriæ. Opes auaro sui cupidinem faciunt, Paulo teste: Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueos. Ipsa etiam opera bona suos laqueos habent vnde vani & superbi homines inde vanam gloriam captantes miserè vinciuntur.

Psal. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi.* Mulieres comptæ & impudicæ sunt Veneris delubra, vbi tot mactantur hostiæ, quot homines impudicè flagrant.

Psal. 144. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.* Mentiri est cōtra mentem ire. Mentitur oratio, quando mens profana versat, & non est attenta voci, Christo Domino consecratæ. At contrà vera est oratio, vbi cōcordant os & anima. Hac oratione Deus conciliatur.

Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Lætitia mundi huius inquies est. Et extrema gaudij luctus occupat. Sed gaudia beatorum pacifica sunt & quieta.

Psal. 150. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Redundat in Deum laus omnis, quæ defertur Sanctis.

PROVERBIA.

Cap. 1. *Cum simplicibus sermocinatio eius.* Humiles maiori gratiarum influxu Deus dignatur.

Cap. 7. *Occurrit illi mulier habitu meretricio preparata ad capiendas animas.* Mulieres impudicæ sunt in perniciem animarum.

Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto. Nota, funes sociari, & tapetia, quasi eo tantùm fine vestium luxus peteretur, vt luxuriæ funibus homines irretiret. Itaque, ô mulier casta, si vis constare tibi, depone meretricis habitum, & induere amictu conscio castitatis.

Aspersi cubile meum myrrha, & aloë, &c. Non est vir in domo sua, abijt via longissima. Reuera vir abiit longè, quando animus euanuit libidine diffluens. Vir euasit, quando intellectus excidit. Amaritudo myrrhæ & aloës synderesim clamat, cuius amarore anima sauciata fastidit illecebras.

Cap. 9. *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Quia porta salutis angusta est, humiles soli possunt has subire fores.

Cap. 18. *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit iustus & exaltabitur.* Iustus penes Deum solum suas spes reponit.

Cap. 25. *Qui mel, &c. Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.* Misericordia diuina sicut mel dulcescit, sed qui peccat sub spe misericordiæ, malè sibi consulit. Voluptates primò sicut mel dulcescunt, sed postea nauseam pariunt, & bilescunt.

Cap. 26. *Flagellum equo, & virga dorso imprudentum.* Qui vitiis magnis obnoxij sunt, flagellantur acerbe. Qui verò leuiora patrant, illi virga correctionis in viam reduces inducuntur.

Cap. 27. *Si contuderis stultum, &c. Non auferetur ab eo stultitia eius.* Reprobi dicuntur stulti, quia bono mentis vsu penitus exciderunt. Flagella nihil illis prosunt.

Cap. 31. *Date ebrietatem, &c. Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.* Reuera pœnitentes amarore suo se congruè aptant ad consolationes spirituales.

ECCLESIASTES.

Cap. 4. *Verti me, &c. vidi lacrymas innocentiū, & neminē consolatorē.* Omnia sunt lacrymis obnoxia in hoc sæculo, nec vlla vera sunt solatia.

Funiculus triplex difficilè rumpitur. Superbia, luxuria, auaritia componunt funiculum, nullis humanis viribus exoluendum.

Cap. 9. *Quodcumque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, &c. apud inferos quo tu properas.* Post mortem non est locus pœnitendi.

Cap. 10. *Qui dissipat sepes, mordebit eum coluber.* Qui non cauet à venialibus peccatis, ille viam sibi sternit ad maiora.

Cap. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem. In quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Auster gratiam, & Aquilo statum peccati significat. Mors in aliquo eorum concludens hominem faciet impotem sortem suam commutare.

Cap. 12. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Homo est partim corporalis, & partim spiritualis. Qui non obseruat mandata, neque Deum timet, ille est corporalis tantùm, ac proinde pecus. Vox, omnis, perfectionem significat. Ille perfectus est, qui mandata Dei plenè custodit.

CANTICA.

Cap. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Est lac esca rudis infantiæ. Vinum verò datur adultis. Doctrina sæcularis, vt est Philosophia, qua initiantur ætate prouecti, minor est rudimentis vitæ Christianæ, quæ monstratur infantibus in Catechismo.

Oleum effusum nomen tuum. Vt oleum in mare fusum sedat tempestates; ita nomen Iesu vt insonuit, iram Dei compescit.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus est frutex humilis. Mariæ humilitas Verbum ex accubitu Patris attraxit in vterum eius. Item Christus in monte Thabor loquens de excessu suo in Cruce, Crux odorem suum spirauit vsque ad cœlos, vnde Patris vox insonuit: Hic est filius meus.

Cap. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Nacta sum dilectum, vtique Deum, quo suasore fœdus pepigi de sarta tectaque puritate mentis, & corporis: illis ergo assueta liliis nequeo aliò declinare sine iniuria dilecti, nempe Dei, qui deuota sibi mea lilia sic custodit, vt velit ea esse illibata, quamdiu vitæ dies aspirarit, id est, vsque ad mortem, cuius vmbris vita deficiens opacatur.

Cap. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Virginitas est thalamus

thalamus Christi pacifici Salomonis, qui gladiis exertis vult fieri excubias ad lectulum suum. Nam castitas petitur vndequaque, & multas patitur insidias.

Cap. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Virgo visa rubet, pudorem sub cortice tegens. Castitatis illibatæ pudor est custos.

Cap. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Adami lethale pomum Christus suum fecit, mortemque subiit, quam virulentus ille fructus intulit.

Veni in hortum meum, soror sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Optima sanè commistio myrrhæ & aromatum: putret enim oratio, quam mortificatio non vindicat à defectu: delicatæ nimis sunt illæ preces, quæ Christi angustiis minimè condiuntur. Magni equidem facio orationis aromata, sed vapescunt, nisi adsit myrrhæ suffragium. Ille ad ludibrium orat, qui labiis concrepantibus inuocat Christum, & tamen angustias eius imitando tergere dedignatur.

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Exui veterem hominē, posui noxias omnes & lethales exuuias, nolo iisdem amplius circumdari. Viæ sæculi omnes luteæ sunt instar volutabri, nolo eas iterum obire, meos ne inficiam pedes, quos purgaui.

Cap. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Bernardus huic loco lucem istam adfert, ita fatus: Virgo regia gemmis ornata virtutum, gemmisque pariter mentis & corporis, decore præfulgida, specie sua & pulchritudine in cœlestibus cognita, cœli ciuiū in se prouocauit affectum, ita vt cœlestis Regis animum ad sui concupiscentiam inclinaret.

Cap. 7. *Ascendā in palmam, & apprehendam fructus eius.* Si quæris, vnde anima beata sit habitura suaues palmæ fructus? Respondeo, Ab ascensu: nam degentes humi nequeunt decerpere baccas, quas sursum euehit palma. Ita & crux licet arbor sit fœta multiplici fructu, illa suos tamen non spargit fructus, sed expectat vt carpantur à scandentibus, & non repentibus.

Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Vtroque typo, tritici videlicet, & lilij, fœcunditas, & virginitas Mariæ cōgruè lineatur. In tritico notatur vbertas: Christus autem est frumentum electorum. In liliis candicat albedo virginitatis.

Cap. 8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat.* Hæc sunt repetita vota naturæ humanæ anhelæ in incarnationem Verbi, cuius osculum dicit vnionem hominis cum Deo. Sciebat ab hac vnione suum opprobrium esse detergendum.

Sub arbore Malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Alea Christi cum diabolo decertantis fuit arbor. Ibi natura humana donis & gratia excidit, scilicet sub arbore Malo, cuius Mala non aurea, sed virulenta, fuere lethalia & parenti & proli. Ad aliam arborem Christus diabolum prouocauit, id est, ad crucem, in qua pendens Dominus ille velut pomum præmaturum, serpenti insidianti, sui cupidinem fecit: sed dum momordit illud pomum, eadem via cecidit dominio suo, quâ & illud callidè vsurparat. Itaque factum est, vt homo vnius arboris ope resurgeret, sicut sub arbore fuerat lethali vulnere sauciatus.

Vinea mea coram me est. Id est, ego me circumspicio, & lustro assiduè. Hæc est valida sepes, seipsum semper attendere.

SAPIENTIA.

Cap. 2. *Venite fruamur bonis, quæ sunt.* Frui respicit finem, vt & vti pertinet ad media. Quia ergo bonis huius sæculi animum suum addicunt reprobi, vt vltimo suo fini, ideo magnam inferunt iniuriam Deo.

Vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Reuera velox est voluptas, & celeriter trāsit.

Coronemus nos rosis. Congruè mentionem rosarum faciunt reprobi, quorum ea tantùm est sors, vt hìc regnent, futuri longè à regno cœlorum. Nota, rosis coronari reprobos: vt namque spinis est sociata rosa, ita voluptates sunt obnoxiæ aculeis conscientiæ, punctæ synderesi. Rursus coronæ desinunt in acumen, ita voluptatis regnum desinet in puncturas.

Qui vult in cœlo coronari, ille debet aculeos pœnitentiæ patienter in hoc sæculo sustinere.

Cap. 4. *Condemnat iustus mortuus viuos impios.* Impij negant posse vitam agi ad amussim mandatorum Dei: sed falsitatis à iusto mortuo conuincuntur.

Cap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis.* Animus inquies est carpendo viam iniquitatis. Nota, viam iniquitatis desinere in ruinam.

Ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Suauius est seruire Deo, quàm peccato, quod excæcando suum auctorem obstat ne viam Dei ineat.

Cap 8. *Sapientia attingit à fine vsque ad finem, disponens omnia suauiter.* Prouidentia diuina nobis media constituit congrua, quorum obsequio finem debitum assequamur.

C. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Si sola ostensio regni illius conceditur incedēti per vias rectas, qualem iustitiam in homine, eiusdem regni postulat incolatus? Eam sanè, quæ exurgit ex omnium virtutū omnimoda contextura. Nota, incedentes via mandatorum Dei iam spe Dei regnū attingere.

Cap. 11. *Diligis ea, quæ sunt, & nihil eorum odisti.* Vt peccator ad nihilum redactus est, ita solus ille potest dici esse, quē gratia Dei exornat. Et hunc reuera Deus diligit, vt iniquos odio habet.

Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est eis de petra altissima aqua. Firma est, atque sibi constās æterna fœlicitas, quæ restinguit appetitū animæ in Deū toto pectore anhelantis. Ideoque benè dicitur aqua hæc scaturire de petra, quia solida est.

C. 14. *Tu Pater gubernas omnia prouidentiâ.* Prouidentia Dei est æterna, quia illa est ratio ordinis rerum in finem, quæ ratio in Deo est ab æterno: Gubernatio verò, quæ est executio prouidentiæ Dei, fit in tempore.

ECCLESIASTICVS.

Cap. 3. *In mansuetudine opera tua perfice.* Vt mansuetudo bonum opus ad perfectionem adducit, ita zelus eius perfectioni detrahit.

Quātò magnus es tu, humilia te in omnibus & corā Deo inuenies gratiam. Oculi Domini super iustos. At humiles sunt iusti: namquè Deo soli dant gloriam, & sibi mala sua tantum attribuunt.

Cap 13. *Omne animal diligit simile sibi.* Animalis homo nihil nisi sensuale petit.

Cap. 15.

Cap.15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.* Præscientia diuina nihil obstat, quin sit homo liber.

Cap.17. *Vnicuique Deus mandauit de proximo suo.* Inde colligitur obligatio ad correctionem fraternam.

C.24. *Ego mater pulchræ dilectionis, agnitionis, & sanctæ spei.* Tres virtutes Theologales, charitatem, fidem, spem, Mater Dei impetrat suis cultoribus, saltem quoad augmentum.

In me omnis spes vitæ, & virtutis. Mariæ cultores sperare vitam æternam possunt, vt & virtutum omnium incrementum.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Maria clientes suos hortatur, vt valedicant mūdo, vt impleantur donis, quæ Mariæ precibus infunduntur.

C.25. *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ probata coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, amor proximorū, & vir, & mulier, benè sibi consentientes.* Vt diabolus est ex aduerso Dei, ita rara est concordia fratrum, diabolo impulsore, sicut & rixæ inter proximos, & coniuges.

Cap.26. *Non est digna ponderatio continentis animæ.* Præmia æterna manent castos: namque nihil habet mundus, vnde queat eorum merita compensare.

Gratia super gratiam mulier sancta. Anna significat gratiam. Cùm Anna fuit facta parens Mariæ, quæ gratia plena fuit. Tunc Gratia super gratiam mulier sancta.

Cap.33. *Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Vnum contra vnum.* Quid ergo gemis te vexari ab æmulis, cùm nihil nisi decernente Deo accidat, & contraria iuxta se posita magis elucescant.

Cap.40. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum.*

Cap.48. *Surrexit Elias Propheta, quasi ignis.* Doctor, & censor morum debet vita intemerata super alios assurgere, amore Dei ardere, sicut & exemplis aliis illucere.

Cap.51. *Potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Inde liquet esse nobis liberum arbitrium.

ISAIAS.

Cap.1. *Incensum abominatio est mihi. Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam. Lauamini, mundi estote.* Displicuere Deo filij Aaron accendentes incensum igne profano. Ita anima obscœno amore flagrans oratione Deum non placat. Redeat itaque in gratiam cum Deo, & sic mundas preces fundet Deo gratas.

Cap.2. *Ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas.* Tota familia recensita in monte Thabor, est domus Dei Iacob, scilicet Dei pugnantium, qui & Deus exercituum dicitur. Non fert ignauos Deus ille valens & fortis. In monte Thabor docuit vias suas. In Petro Deus docuit firmitatem & constantiam in bono incepto. In Iacobo robur & certamen: Iacobus enim luctam significat. In Ioanne demum gratia lineatur.

Cap.3. *In domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite me constituere Principem.* Quare igitur vltro, ó anima incauta, te creaturarum deuoues obsequio, cùm impotes sint præbere tibi annonam congruam indoli tuæ, aut vestes vnde tua nuditas obtegatur. Habe tibi Christum Principem: quippe panem & vestes habet.

Cap.4. *Purgabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, &c. in spiritu iudicij, & spiritu combustionis.* Purgatio, iudicium, & combustio simul concurrunt in igne Purgatorij.

Cap.5. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.* Illa rerum huius sæculi nimia cura prodit incuriam rerum cœlestium.

Nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Magnates hiante gula plebem deuorant, nec inde auri sacra fames expletur, imò magis augetur in perniciem animæ sic mortali peccato obnoxiæ. Plebs sanguine suo à nobilibus exhausto sitit opes, quas dum congregare nequit, moritur arefacta.

Cap.7. *Dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet.* Maria est signum in quod debent preces atque vota omnia collimare.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Virginitas sancta nihil nisi diuinum parturit. Virgo quippe Deo deuota Deum solum cogitat, & digna Deo.

C.9. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit.* Impij ardebunt igne, qui succendet animā aliunde tortam aculeis consciētiæ.

Paruulus natus est nobis, &c. vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis. Vocat eum paruulum, & filium, vt humilem eius habitum prodat. Nuncupat eum consiliarium, vt insinuet non casu, aut fortuitò coïuisse Christum & diabolum ad certamen; sed id maturè gestum, & cum delectu armorum. Totum hactenus diabolo de superbia constiterat; factus est paruulus Deus, & diabolum fregit.

Factus est principatus super humerum eius. Cruce suo humero sublata Deus Principem huius mundi foras expulit. Res est onerosa principatus, & deposcit fortes humeros.

Cap.10. *Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Oleum est symbolum gratiæ Dei, qua stante nihil potest esse homini iniurium: omnia enim noxia tota vi sua cadunt, cùm incurrunt in hominem sacro hoc gratiæ oleo delibutum.

Væ Assur, virga furoris mei. Assyrij eo deuenerè nequitiæ, vt in cumulum peccatorum sint Israëlem afflicturi, mittentes eum sub iugum, & diripiendo vasa sacra. Sed hanc ego virgam flammis postea mancipabo.

Cap.11. *Erit sepulchrum eius gloriosum*, ob relationem ad Christum.

Cap.13. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis inclyta in superbia Chaldæorum: sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham: non habitabitur.* Huius sæculi gloria superbos efficit homines, & superbia eos ad ruinā impellit. Anima superborum est deserta, Deo non eam inhabitante.

Cap.15. *Secundùm magnitudinem operis, sic & visitatio eorum.* Castigatio est aptata malis. Pro mensura delicti, est plagarum modus.

Cap.16. *Prædicare captiuis indulgentiam.* Peccator est captiuus tot vinculis nexus, quot peccatis est obnoxius. Gratia diuina influens in hominem ante duris vinculis oppressum, eum restituit pristinæ libertati.

Cap.22. *Vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, &c. & ecce gaudium.* Deus sanxit

sanxit vt homo vitam auspicaretur à fletu, quia pœnitentiæ fletibus obnoxia est vita nostra. Sed mundus lacrymas tergit, & inducit ad gaudia.

Comedamus, & bibamus; cras enim moriemur. Anima pertæsa crucem, vbi genio indulsit, cedit in ius mortis reuera imminentis ei, qui intendit ad obsequium carnis.

Cap. 28. *Flagellum inundans, &c. Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Vexatio compendiosè docet homines, instar enim collyrij inungens oculos illos illuminat, & ostendit eis calles inuios hactenus ad virtutem.

Cap. 34. *De cadaueribus eorum ascendit fœtor.* In anima extincta tanta est corruptio, vt inibi scaturiant vermes, illi scilicet, qui iugi corrosione lancinant omnes malè sibi conscios. Ex impij ore fœtor exhalat, imò ille est putidus vndequaque.

Cap. 42. *Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo.* Quisquis vrgetur appetitu gloriæ, ille tentat vetitos hymenæos, atque ita in capitis discrimen incurrit. Nota; veram gloriam, & supremum dominium esse duas res indiuiduas. At nemo nisi Deus est propriè Dominus, cui cætera omnia seruiunt.

Cap. 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Christus non inhabitat animas nostras, nisi antè sacer gratiarum ros cœlitus influxerit.

Cap. 46. *Consilium meum stabit, & omnis mea voluntas fiet.* Nihil omnino potest sese Dei voluntati subducere: nam qui Deo volenti saluos facere omnes homines non obedit, ille faciet voluntatem Dei, volentis impios igne æterno vindice castigare.

Cap. 48. *Pax non est impijs.* Nempe Deo & hominibus inuisi cum nemine concordant: imò iuges secum discordias anxij patiuntur.

Cap. 49. *Hæc dicit Dominus ad animam contemptibilem, ad Gentem abominatam, ad seruum vitiorum.* Nulla seruitus est turpior, quàm quæ voluntaria. Cùm ergo non inuiti, sed vltrò homines vitiis inseruiant, benè habentur contemptui, iniurij humanæ naturæ, quam nihili facientes, seipsos etiam ad nihilum impij redegerunt. O peccatoris titulos inglorios! Contemptibilis, abominabilis, seruus vitiorum.

Cap. 50. *Quis ex vobis timens Dominum audiens vocem serui eius? Qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super seruum suum.* Quando insonuerit oratio Christi, Deum deprecantis pro suis æmulis vtique perduellibus, rarus erit, qui eo exemplo ad veniam erogandam hostibus suis minimè percellatur. Si memoria iniuriarum tenax homini læso caliginem offuderat, innitatur ille suo Domino crucifixo, & ei inde lumen rutilum affulgebit.

Cap. 52. *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Ierusalem ciuitas Sancti, quia non adijciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus, & immundus.* Ecclesia hîc describitur, quæ Synagogam multis partibus antecedit.

Solue vincula colli tui captiua filia Sion. O anima, quid tacita in confessione siles, præpedita vinculo pudoris, quo implexum collum tuum, abundè clamat, te captiuam esse, & sub alicuius peccati grauis gemere seruitute.

Cap. 53. *Vidimus eum despectum, nouissimũ virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Christus infra homines se depressit, postpositus homicidæ. Quò persona maior, eò clarior humilitas. Huic altæ humilitati accessit & patientia singularis.

Quasi absconditus vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Sapientibus huius sæculi inuisa est scientia crucifixi, quam Deus humilibus & paruulis reuelauit.

Posuit in eo Dominus iniquitatem omniũ nostrũm. Oblatus est, quia ipse voluit. Christus spõte Deo satisfecit pro peccatis omniũ nostrũ.

Cap. 54. *Ad punctum in modico reliqui te.* Deus nos abiicit, quando peccauimus. Est enim peccatum delectatio quædam momentanea.

Cap. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite. Venite, emite vinum, & lac.* Lex gratiæ, id est Euangelium, cuncta dedit gratis.

Cap. 57. *Pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum.* Ignorantia Prælatorum viam sternit ad vitia, quibus impunè suam mancipant vitam.

Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multò amplius. Repetitis actibus vitiorum habitus noxij generantur.

Impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum. Mundus est adinstar maris, alluit luto voluptatum eos qui pelago huic infideli suam vitam committunt.

Cap. 58. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti; humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* Stante in anima affectu ad peccandum, opera bona non sunt meritoria vitæ æternæ.

Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, adsum. Si alias res infra Deum petis, non aderunt semper, quia plerumque noxiæ sunt iis, qui talia petunt, nescij eorum, quæ conducunt ad salutem. Dominus dicit: Adsum, vt ipsum petas, & non alia ab ipso. Quidquid extra Deum petis, illud est infra Deum.

C. 59. *Iniquitates vestræ diuiserũt inter vos, & Deũ vestrum, & peccata vestra absconderunt faciẽ eius à vobis.* Peccatũ creaturas interponit inter animas nostras, & Deũ nostrum. Si ergo Deũ volumus esse nobis, & præsentẽ, & propitiũ, creaturas omnes ab affectu nostro nimio propulsemus.

Cap. 60. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Ecclesia orbe toto diffusa suos vbique videt filios. Vnde patet latiùs quàm Synagoga, quæ restricta fuit in Iudæa.

Cap. 61. *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiã.* Euangelij prædicatio cõciliat hominibus indulgentiã peccatorum. Sed nota, Dei verbum non sortiri suum effectum nisi in mansuetis, id est, manu assuetis, qui in praxim redigunt ea, quæ verbo Domini consuluntur.

C. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalẽ non quiesciã, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accẽdatur.* A Prophetis & Patriarchis olim fuere fusæ preces, eo intento vt Verbum naturam humanam indueret, & sua virtute toti mundo illuceret.

IERE

IEREMIAS.

Cap. 1. *Virgam vigilantem ego video, &c. Ollam succensam ego video.* Quisquis noluerit à virga vigilante regi, ille cadet in ollam vindicem.

Ab Aquilone panditur omne malum super omnes habitatores terræ. Cùm incipit anima frigere extincta charitate, rigor ille malum hoc portendit ingens. Quippe malum omne capit initium à peccatis antea perpetratis.

Cap. 2. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Peccatum omne sicut scorpio cauda ferit: quippe transacta voluptate subit aculeus, qui conscientiam lancinat importunè.

Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Aqua turbida est mista luto; ita voluptates quibus reprobi indulgent, vt sunt obscœnæ, & cœno infectæ, animam conspurcant, & conscribunt inter Ægyptios illos, qui miserè perierunt.

Quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Mundus vt fluenta citò volat, & præterit. Igitur incautè bibit homo sicut aquam iniquitatem, cuius deliciæ sunt fugaces, nihilque sui relinquunt in anima præter lutum, & sordes vnde anima turpiter inficitur.

Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Qui Deo adhæret, ille bonorum omnium fonte perenni alluitur. Reprobi non continere valent aquas voluptatum sæculi, quia eorum corda rimas agunt, vtpote synderesis vulnere sauciata.

Cap. 3. *Numquid vidisti, quæ fecerit auersatrix Israël? abijt sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.* Fornicationem nuncupat cultum idolorum, quia anima desponsa Deo in fide, Dei cultum transferens ad idola fit Deo infidelis, & ad alienum quasi torum transit, dum se totam vltrò deuouet obsequio exoticæ deitatis. Nota Dei auersionem in peccatore, cuius ideo anima dicitur auersatrix.

Vade, & clama sermones istos contra Aquilonem, & dices: Reuertere auersatrix Israël, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis. Quia peccator obsurduit, validè clamandum est, vt audiat. Quia gelu cor concretum habet, ideo dicitur degere ad Aquilonem. Quia procul à Deo recessit, ideo hortatur eum Deus vt à peccato redux conuertatur, & ei gratiam ad reditum congruum pollicetur.

Cap. 8. *Super contritione populi mei contristatus sum, stupor obtinuit me, numquid non est resina in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix populi mei.* Mihi etiam animus obriguit eo stupore, qui perculit Ieremiam, quia rari sunt ægri, qui resurgunt ab infirmitate, qua decumbit anima, etsi ea non egeat medico, qui exploret naturam morbi, cùm synderesis ipsa satis inuestiget causas, principia, & seriem omnem morbi.

Cap. 12. *Quare via impiorum prosperatur.* Homines pusilli scandalizantur, & dubiam faciunt Dei prouidentiam & iustitiam, quando bonis huius sæculi affluunt homines impij.

Cap. 17. *Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur.* Non in altero tantùm sæculo confusio æterna manet impios, sed & in hac vita malis hominibus peccata notas ingloriæ inurũt vnde pessimè confunduntur, & omni honore cadũt.

Recedentes à te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Qui à Deo recessere, nomen non habent in libro vitæ, sed in terra regione mortis.

Cap. 51. *Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam. Nolite tacere super iniquitatem eius, quoniam tempus est vltionis eius à Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.* Angeli homines iustos arcent ab omni impio noxiorum hominum consortio, dum suadent esse fugiendum de medio Babylonis, vbi citra ordinem sunt omnia susque deque versa. Insinuant esse impios admonendos de noxio eorum ritu, vt saltem aliquando resiliant ab iniqua via, quam suæ salutis incurij hactenus inierunt, & sic effugiant debitam vitiis vltionem.

Vicissitudinem ipse retribuet ei. Ne piis hominibus suas illecebras affingat voluptas, ait Vates, delicias & mulctam suas variare vices, ita vt voluptas intensa pœnis sit interminis postmodum addicenda.

Calix aureus in manu Domini Babylon, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideò commota sunt. Calix aureus dicitur voluptuosa vita, quia opibus vtplurimum est stipata talis vita: namque facultates necessariæ sunt ad epulas, ludos, & choreas. Calix ille dicitur inebrians omnem terram, quia hoc speciale virus est insitum voluptati, vt dementet homines, qui suo indulgent genio. Et nota, solam terram inebriari eo calice, id est, homines eos solos, qui terrena sapiunt, longè à cœlo dissiti studere illecebris. Illi quippe, quibus & cœlo nihil est commune, toti inhiant terræ, cui amorem suum affigentes, à terra suum etiam nomen emendicant.

De vino eius biberunt gentes, & ideò commota sunt. Subitò cecidit Babylon, & contrita est: vlulate super eam. De vino eius biberunt omnes animæ nesciæ Dei, scilicet impio ritui Gentium obnoxiæ: quisquis enim à Deo deuius est, in illecebrarum carnis discrimen incurrit: vnde validi insurgunt motus quatientes corda synderesi insomni, & corpora pœnis vindice flagello Dei desuper irrogatis. Vbi sæuitum est in vilia hæc capita, vlulatus exurgit multus, index mœroris eius, qui succedit illecebræ demulcenti.

Tollite resinam ad dolorem eius, si fortè sanetur. Est de rarò contingentibus, salus hominum, qui sese illecebrarum iugi obsequio mancipatunt.

Curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam. Angeli quasi capessentes fugam, in suas se Hierarchias recipiunt, pertæsi iniquam indolem hominum impiorum, quibus hoc vnum est in deliciis, litare Baccho, & Veneri, multoque repetito crimine nepotari.

Peruenit vsque ad cœlos iudicium eius. Peccata Deum sollicitant, vt iusto suo iudicio plectat impios.

THRENI, ID EST, LAMENTATIONES.

Cap. 1. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Voluntas creata fuit domina facultatum animæ: sed vitio prævalente cadit suo dominio, & seruit appetitui sensitiuo. Hæc princeps potentiarum animæ, quamdiu est Deo subiecta, gerit principatum: sed vbi sensuum illecta cupediis, afficitur illecebris, & suaue iugum Christi excutit, iam sensibus vtitur vt dominis, effecta vile mancipium carnis.

Misit ignem de excelso in ossibus meis, &

erudiuit me. Nota, Deo decernente, ac proinde de excelso nobis inflicta mala, quibus anima cœlitus eruditur. Vt de excelso fecit Deus, ita suis hoc flagellis intendit, scilicet nos eò trahere, vnde mala nobis immittuntur.

Cap. 2. *Magna est velut mare contritio tua.* Lacrymæ amaræ produnt magnitudinem contritionis.

Cap. 3. *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Flagella Dei sunt sagittæ intortæ præcipuè in capita reproborum.

Recordare paupertatis meæ, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis. Transgressio mandatorum vt homini nuditatem suam aperuit; ita nudos adhuc & pauperes hodie multos efficit: quippe suas facultates decoquunt reprobi Baccho & Veneri seruientes. Quodque fuit dulce primò, postmodum amarescit.

Misericordia Domini, quia non sumus consumpti. Misericordia est quæ miseriam repellit. Omnis miseria attenditur penes aliquod malum: & hoc eatenus est malum, quatenus à bono deuiat, & tantum est malum, quantum est bonum quo priuamur. Cùm ergo bono gratiæ nos peccatum exuat, & sic à summo bono excludat, erit illud insigne malum, ac proinde insignis misericordia Dei, qua ab hoc malo pessimo liberamur.

Cap. 4. *Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos.* Philostratus ait, lamias vocari Empusas, & esse genus dæmonum muliebri specie adeò exquisita, vt qui has speciosas laruas aspexerit exerto vbere, statim earum amore flagret, effusus in sinum, luxuriæ facinus anhelantem. Vbi mox homo imprudens ab hoc diabolo suffocatur. Harum meminit Cœlius Rhodig. lib. 29. c. 5. Iniquior est sors eorum, quos nostrates hodie mulieres aperto suo sinu turpiter illaqueant. Non semel intereunt: sed lento igne singulis quibusque moris dira patiuntur incendia. Hæc vbera aperta virus spargunt, imò faces, quibus in omnia mala proni homines inardescunt.

BARVC.

Cap. 6. *In horto spina alba, supra quam omnis auis sedet.* In horto oliuarum Christus fuit spina, cui Angelus vtauis cœlestis insedit. Isaac immolandus, sacrificio ereptus est beneficio arietis, qui hærebat in spineto. Ecce Agnus Dei spinis implicitus, qui in hominis mactandi locum sufficitur. Philomelæ æmulemur planctum: querula hæc auis sentibus incubat, vt puncta aculeis vigil agat insomnes noctes, & suaue melos edat. Vtinam spinis hispidum diadema Christi punctione sua nostram acueret ignauiam. Is profectò Luciniæ planctum refert, qui ingemuit Christo transuerberato sentibus, & inde suam carpit acediam.

EZECHIEL.

Cap. 1. *Facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper, vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur nec reuertebantur, cùm ambularent.* Hominum, quibus vegetior aura Spiritus sancti afflauit, facies, & pennæ, id est, omnia diriguntur sursum. Diuino velut œstro perciti hi homines aguntur impetu quodam in apicem virtutis omnigenæ.

Aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hi, quos Spiritus sanctus inhabitat, charitate flagrant, & satagunt aliis instar lampadis illucere.

Manus hominis sub pennis eorum. Non sunt iustorum inania vota & affectus ad virtutis cultum: namque manus habent socias, ad praxim reducentes bona, quæ animo conceperunt.

Cap. 3. *Omnis domus Israel attrita fronte est, & duro corde.* Peccato quouis perpetrato pudor excidit. Vnde & perfrictæ frontis dicimus homines impudentes. Expuncto pudore durum cor fit, & vitiis gliscentibus obstinatur.

Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum. Prædicatoris præsentiam ferre nequit homo vitiis obnoxius.

Vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam. Ad præsentiam adamantis magnesius lapis dimittit ferrum, quod attractum arcto sibi fœdere sociarat. Ita pius & eruditus prædicator animas separat à voluptate, licet illa sibi auditores antea colligasset. Vtque silex in ferrum incurrens scintillas emittit: ita pius ille morum censor, quando ferit ferreos & obstinatos animos, inde Deo adiuuante trahit ignem amoris, vnde prius impij conteruntur, & ita fiunt illo Dei amore sanctiores.

Ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia domus exasperans est. Peccato commisso robur omne excidit: vnde pios & eruditos prædicatores reprobi quique timent, vtpote diuina gratia armatos.

Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaueris ei, &c. Sanguinem eius de manu tua requiram. Ea animaduersione Deus ferit Prælatos, Iudices, & Prædicatores, si segniores sint in corrigendo. Nimirum in eos Deus agit vt fautores criminum, & animam reorum petit ab his, quibus eorum curam antea demandauit.

Cap. 7. *Non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed ponam vias tuas super te.* Peccatoris pœna grauis est, habere suum scelus semper obuium vt tortorem.

Cap. 8. *Eleuauit me spiritus inter cœlum & terram.* Lex carnis deprimit homines in abyssum, sed lex spiritus eos sursum vehit.

Fili hominis, fode parietem templi. Et cum fodissem, apparuit ostium vnum, &c. Ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israel. Plerique hodie ementito nomine Christiano se componunt in similitudinem templi. Sed si fas esset introspicere, quæ nefanda facinora rimantibus explicarent sese? O hypocrita, fode parietem templi tui, & videbis simulacra reptilium, & aliarum omnium bestiarum, quibus anima tua prostat, versans non inuita ideas rerum obscœnarum. Quisquis enim appetitui sensitiuo morem gerit, & agitur illecebris sensuum, quot actiones sensuales meditatur, ille tot peccata seu pecoris acta mente fouet, atque ita polluit sanctuariũ Dei, quod profanas species non admittit.

Introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. Congruè indoli suæ mulieres illæ suos obtutus dirigunt ad Aquilonem: inde nimirum mala in homines omnia deriuantur. Nonne ostium illud Aquilonis mulier incauta reclusit, cùm malè suada virum effecit conscium defectionis suæ à Deo. Plangunt Adonidem mulieres, quando desunt eis obscœni homines in libidinem fracti.

Cap. 9. *Dixit Dominus: Transi per mediam ciuitatem*

ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio eius. Verè pœnitentes cum Christo crucem participant; nota crucem ab eis fronte geri, quia opprobria Christi non erubescunt animę pœnitẽtes.

Percutite, interficite vsque ad internecionem; omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis. Homines nequam internecioni deuouet Angelus, vt & vita donat crucigeros. Peccatores vt vilia mancipia ob characterem bestiæ neci addicuntur: est enim mors peccati stipendium. At beatæ crucis amasij, sequaces, & baiuli, eo stigmate sacro velut cataphracti, inuij sunt vnicuique telo; quippe non coëunt vita, & mors.

Cap. 18. *Cum auersus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Quoad culpam non recordabor, eam tergens; sed recordabor quoad pœnam, cui obnoxius est homo, cui culpa in sacramento fuit à miserante Domino relaxata.

Cap. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* Duo elucent signa Dei in creaturis. Vnum est per modum vestigij, vtpote indicans tantùm Dei transitum, seu influxum, à quo ea res habet esse. Aliud est signum Dei viui, quod vocatur signum similitudinis, cuius tantùm sunt compotes Angeli, & homines conspicui gratia singulari.

Tu Cherub extentus, &c. Eieci te de monte Dei, & perdidi te. Reuera fuit plus nimio extentus ille nequam Angelus, qui vt voluit esse Dei instar, in montem Dei ascenderat, id est, ambierat altitudinem Dei. Vnde luit pœnas actus in præceps.

Nihili factus es, & non eris in perpetuum. Ecce supremam peccati catastrophen: hominem de libro vitæ expunctum trudit in abyssum nihili.

Cap. 34. *Facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarũ agri, eò quòd non esset pastor.* Quando suas superiores agunt vices perfũctoriè, subditi eorum genio indulgent & præda fiunt omnium vitiorum. Reuera non est pastor, quando negligenter agit ille, cuius est cura animarum.

Neque quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant semetipsos, & greges meos non pascebant. Coaceruare sibi opes ex sensu Ecclesiæ, & suburrare ventrem ex annona eius, non erudire gregem verbo, & exemplo; hoc est pascere semetipsum, non oues. A populo exigere pensum, & non rependere auxilia idonea saluti animarum, illud est ouium carnibus impinguari.

Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum. Deus morte cita punit eos Præsules, qui se malè gerunt in officio pastorali.

Cap. 36. *In die, ex qua mundauero vos omnibus iniquitatibus vestris, &c. & terra fuerit exculta, dicent: Terra illa inculta facta est, vt hortus voluptatis.* Est anima in peccato sicut senticetum, vtpote inculta, spinis & vrticis plena. Sed vt gratia diuina expurgauit hanc animam, illa floret & germinat veluti paradisus.

DANIEL.

Cap. 1. *Ait Rex præposito Eunuchorum, vt introduceret de filijs Israël, & de semine regio pueros, in quibus nulla esset macula, &c. & qui possent stare in palatio Regis.* Nemo Dei palatium, id est, Paradisum ingreditur; nisi regio animo sit, id est, non peccati seruus. Secundò debet esse puer, id est, humilis, & simplex. Demum nullo debet indigere repurgio Purgatorij, vtpote sine næuis & macula peccatorum.

Cap. 4. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ.* Hæc arbor à Daniele recensita prodit indolem voluptatis. Est hæc fortis, vtpote qua prosternuntur & ipsi præpotentes, Dauid, Samson, & alij. Terrarum orbem ferè totum operit arbor illa suis diffusa ramis: quippe rari sunt homines, quibus non se affricet aliqualis illecebra, & ita non sint cõscij voluptatis.

Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius. Folia recensentur esse plena delicijs: quia totum de folio negotium est, quod agitur cum sæculo; vbi nihil solidum prostat.

Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro. Commemoratio volucrum superbiam notat, quæ auium instar & leuis est, & assurgit semper. Subter eam Vates ait habitare bestias, quia qui voluptati adhæret, rationis vsu abdicato, abijt in pecus: Etenim homo & pecudes distinguntur essentialiter à forma. Hominis forma est anima rationalis, pecudis autem anima sensitiua. Ergo si homo exuit animam rationalem, vt induat tantùm animam sensitiuam, reuera cute tenus tantùm erit homo, & formaliter pecus, quia actiones naturam formæ produnt.

Cap. 5. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuerat in Ierusalem, vt biberent in eis Rex, & concubinæ.* Gula ludit in re sacra. Eadem gula litat libidini, quam vt expleat, animas, quæ sunt vasa sacra, facit iuris eius, eas Veneri mancipando.

In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus scribentis contra candelabrum. Eadem qua peccamus hora fertur sententia mortis æternæ contra nos secundùm præsentem illum statum.

Appensus es in statera, inuentus es minus habens. Peccatum omnes gratias expungit ab anima, quæ appensa ad trutinam Dei, nullius est ponderis, & momenti, vnde meritò reprobatur.

Cap. 8. *Intellige fili hominis.* Angelus illuminat intellectum, sicque facit conscium arcanorum Dei.

Cap. 9. *Et docuit me, & locutus est mihi: Ego veni, vt indicarem tibi.* Locutiones Angelorum cum homine fiunt animas edocendo.

Cap. 10. *Dixi ad eum, qui stabat contra me: Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.* Anima intenta Deo languet ad terrena, sicut sponsa, quæ amore languebat: quippe talis anima, vt Deum diligit tota virtute, & tota fortitudine sua, nihil habet virtutis, aut fortitudinis, quod mundo queat impendere.

Cap. 13. *Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscentia tui sumus: quamobrem assentire nobis, & commiscere nobiscum.* Voluptas animas pelliciendo, Dei præsentiam expungit, suggerendo fore secretum hoc peccatum.

Si nolueris, dicemus contra te testimonium. Voluptas est importuna, clamans nisi anima consentiat se eam malè iugiter habituram.

Ingemuit Susanna. O optimum remedium contra

contra iuges tentationes! Gemere, & se imparem cognoscere ad propulsanda diaboli conamina: quippe fiet vt anima suæ infirmitatis conscia, Deum consulat, & conciliet orando sibi opem cœlestem.

Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Homines corpus tantùm possunt occidere, sed peccatum occidit animam.

OSEAS.

Cap. 2. *Ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam, & interficiam eam siti.* Redacta est in solitudinem anima, quæ gratia excidit, nullo nempe humore madens arida est, atque adeò nequit esse fetax virtutum, quarum estò nobis semina sint insita, illa tamen non germinant, nisi cœlitus alluantur. Itaque reprobus sitiens interit non irrorante Deo: & quò maior est deliciarum affluxus, eò etiam magis noxia dyscolorum sitis ingrauescit.

Cap. 4. *Et corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecum.* Mundus & caro clamant, productiorem fore vitam, vt hac spe delinitus homo genio indulgeat sub spe pœnitentiæ in prouecta ætate. Sed mors præceps & immatura prodit esse vanos & mendaces hos susurros, & has prophetias non constare sibi, cùm mundus ipse parù sibi constet, & caro citò vergat ad occasum.

Cap. 7. *Cùm sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.* Peccata hominum præpediunt influxum gratiarum, quas alioquin Deus omnibus impertiret.

Operati sunt mendacium, & fur ingressus est spolians, latrunculus foris. Homo multa bona proponit, imò in oratione suam fidem oppignerat Deo, pollicendo vitæ emendationem; sed postea mentitur in opere. Peccata sunt mendacia: mentiri est contra mentem ire. In mente bona concepisti, & opere conspurcaris. Fur ingressus spolians est volupras, gratias deprædata. Latrunculus foris est diabolus.

Cap. 14. *Vt Libani ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor vt Libani.* Libanus perinde est, ac dealbatio. Rami Libani sunt cedrorum. Anima in statu gratiæ est niue candidior. Actiones eius vt cedro dignæ sunt meritoriæ vitæ æternæ, & gratum omnibus odorem virtutis afflant.

IOEL.

Cap. 2. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, &c. egrediatur sponsus de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Ecce conditiones omnes supplicationis, seu processionis publicæ, cui præit ieiunium, & clangor tubæ, id est, prædicatio. Sono campanæ cœtus colligitur. Sanctificatur Ecclesia sacramentis, quæ illo tempore frequentantur. Coniuges temperant sibi à deliciis, & sacerdotes deuotè suas agunt vices.

Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo. Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replemini in eis, & non dabo vos vltra opprobrium Gentibus. In incarnatione Deus misertus est Ecclesiæ suæ, dando frumentum & vinum Eucharistiæ, & oleum gratiarum, & hinc libertas à vitiis.

AMOS.

Cap. 3. *Si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Nullum omnino malum pœnæ, aut naturæ nobis accidit, nisi Deo ipso rerum omnium Domino decernente.

Cap. 4. *Facti estis sicut torris raptus de incendio.* Animæ de Purgatorio ereptæ quadrat.

Vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus. Prosperitas in montem superbiæ extollit suos asseclas, & voluptati addicit adinstar pecorum, & animas demum trudit in caminum ignis.

Cap. 5. *Vnusquisque stupebit ad proximum suum, facies combusta vultus eorum.* In extremo die iudicij stupor erit, atque pudor, & facies exardescent igne, quem sibi reprobi accenderunt.

IONAS.

Cap. 1. *Mittite me in mare.* Anima pœnitens anhelat ad profluuium lacrymarum.

Cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Denarius significat decalogum, & quaternarius Euangelium. Denarius ductus quater facit quadragenarium, qui est laboris index, quia decalogus, & Euangelium sine labore nequeunt obseruari. Anima ergo incuria obseruate legem decalogi, & Euangelij, miserè subuertetur.

Cap. 4. *Præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, &c. lætatus est Ionas super hedera lætitia magna. Parauit Deus vermem, &c. percussit hederam, & exaruit.* Momentaneum sanè est in hoc sæculo quod delectat, & quidquid vitore suo oculis illudit, id omne est vermibus obnoxium.

HABACVC.

Cap. 3. *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit.* Thomas vox Hebræa significat abyssum. Hæc abyssus dedit vocem suam, & confessa fuit Christum resurrexisse, quando altitudo Christi leuauit manus vt ostenderet ei loca clauorum.

Requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum. In morte, quæ est maxima tribulationum, iusti requiescunt in pace, & ascendunt ad Angelos, qui semper sunt accincti, & parati ad mandata Dei citò citius exequenda.

ZACHARIAS.

Cap. 1. *Dixit Angelus ad me, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi, quid sint hæc.* Locutio Angelorum, quæ fit in nobis, est intellectualis, illuminando intellectum.

Cap. 9. *Tu in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Purgatorium à limbo Patrum distinguitur, quia in limbo Patrum erat aqua consolationis, at in Purgatorio non est aqua talis. Ex Purgatorio animæ liberantur in sanguine testamenti, quando Papa ex thesauro Ecclesiæ applicat satisfactiones Passionis Christi, & dat indulgentias pro defunctis per modum suffragij.

MALACHIAS.

Cap. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam.* Sacerdotum est pascere verbo Dei populum. At docere nequeunt absque scientia.

Cap. 1. *Ipse sedebit quasi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos.* Ignis Purgatorij tergit fæces residuas animæ: sed nota, debere esse animas aureas, id est, in charitate, vt recipiantur in Purgatorio.

MACHABÆORVM I.

Cap. 1. *Scripsit Antiochus omni regno suo, vt relinqueret*

relinqueret vnusquisque legem suam; & consenserũt omnes Gentes. Mundus male suada voluptate suggerit defectionem à Dei obsequio: noxio huic susurro morem gerunt omnes suæ salutis incurij, viuentes sicut Gentes bestiarum cultui mancipatæ.

Cap. 3. *Ait Iudas: Accingimini, &c. Et estote parati in mane vt pugnetis, &c. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Homo compositus ad nutum Dei, non est inermis, sed est semper accinctus ad prælium contra Dei hostes.

Cap. 4. *Fecerunt dedicationem altaris, & obtulerunt holocausta cum lætitia.* Perfecta animæ dedicatio requirit vt se Deo offerat in holocaustum. Si namque sui aliquid excipit, Deus exosam habet illam dedicationem.

Cap. 6. *Vidit Eleazar vnam de bestijs loricatam loricis Regis, & erat eminens super omnes bestias, & visum est ei, quod in ea esset Rex. Iuit sub pedes elephantis, & occidit eum.* In conflictu vitiorum, superbia aliis eminet, & est bestia, cui Rex iniquitatis insidet, & vnde tela intorquet in virtutes, quæ superbia tactæ cadunt. Humilia te & submitte sicut fecit Eleazar, & occumbet statim illa moles superbiæ.

MACHABÆORVM II.

Cap. 1. *Nehemias nepotes eorum, qui absconderant ignem, misit ad requirendum. Non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* Vt populo Hebræo captiuo fuit ignis sacer mutatus in aquam sordidam; ita diuinus amor abit in luteum & obscœnum, quando anima vitiis irretitur.

Iussit Nehemias sacrificia aspergi ipsa aqua: Tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Quando suum cor luteum anima conuersa Deo exponit; Deus, qui ante erat in nubilo, irradians accendit animam pœnitentem, quæ postea omnibus est stupori.

Cap. 3. *In loco illo est verè Dei virtus quædam: nam ipse, qui habitat in cœlis, adiutor est loci illius.* Deus seuerè castigat homines, qui adeunt templa vt deprædentur animas colloquiis impudicis.

Cap. 12. *Inuenerunt sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, omnibus manifestum factum est ob hanc causam eos cecidisse.* Si id corde latet crimen, illud mors repentina prodit.

EX NOVO TESTAMENTO
S. MATTHÆVS.

Cap. 1. *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Christus.* Euangelista nobis explicat altitudinem Ioseph, ex eius affinitate cum Maria.

Ioseph autem, cùm esset vir iustus. Matthæus ne detraheret meritis sancti Ioseph, omnia eius virtutum agmina conclusit vno capite, vocans eum iustum.

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Timor ille Ioseph erat surculus humilitatis, qua benè suadatus est esse se indignum sub eodem tecto degere cum Maria.

Cap. 3. *Venit Iesus ad Ioannem vt baptizaretur ab eo, &c. Respondens Iesus dixit ei: Sic decet nos implere omnem iustitiam.* Christus editurus specimen omnium virtutum, ab humilitate, eaque maxima, Euangelij præconium voluit auspicari, inclinando se infra suum præcursorem: in ea humilitatem affirmans esse summam omnigenæ iustitiæ.

Cap. 4. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* Quisquis à diabolo accepit opes, is cecidit, id est, ille malis artibus effectus est diues.

Cap. 5. *Vos estis sal terræ.* Vt sal habet à lumine Solis vt tale sit: sincera etiam doctrina desuper habet, vt mentes illuminet, & à corruptione vindicet ea, quæ aspergit. Habet namque duo, quæ coëunt, sacra scientia; videlicet lucere, & ardere: ideo Christus vbi suos discipulos dixit esse sal terræ, adiecit eos esse lucem mundi.

Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Via est vita, aduersarius est lex Dei, quæ est inimica carni: quippe vetat ea, quibus caro litat. Iudex est Christus, tortor est Angelus siue bonus, siue malus. Carcer est Purgatorium. Vnde talis exurgit sensus. Dum est vita superstes, legi Dei obtempera, ne lex temerata Deo iudici te sistat, & ille reum te seu debitorem tradet Angelo detrudendum in carcerem Purgatorij, vbi minuta quæque peccata lues, non inde liber euasurus, nisi post quadrantem, id est, post leuia debita persoluta.

Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Noxium vsum membrorum hoc tenore vetat Christus.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Verus amor in corde flagrans, se manibus & lingua prodit.

Cap. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Hæc nimia cupido rerum in hoc sæculo, magnam malorum iliadem congerit in futurum.

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit ea. Nonne vos magis pluris estis illis? Christus anxios hominum animos carpit, de futuro supra modum sollicitos; vt instanti inopiæ occurrant quasi de prouidentia Dei malè ominantes. Homines illos Deo iniurios mittit ad aspectum liliorum, & auium cœli, quibus prouidus ille rerum parens illis insciis sic consulit, vt nullius rei patiantur inopiam.

Cap. 7. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Non verba fidem faciunt, sed opera.

Cap. 8. *Cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris.* Ea industria pœnitentes curat Deus; vult eos explicare suas manus sacerdoti medico animarum, cui operæpretium est narrare crimen, id est, opus iniquum, vt eliminet febrem, quâ decumbit homo, alioquin non innotescente morbo subitò perimendus.

Ascendente in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus factus est magnus in mari. Quando nomen damus Christo, procellis vndique concutimur. Caro, dæmon, mundus in nos validè insurgunt.

Cap. 10. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni mittere pacem, sed gladium.* Est suspecta quies & pax cum carne, & mundo. Deus nos accinxit gladio mortificationis vt validè decertemus.

Inimici

Inimici hominis domeſtici eius. Concupiſcentiæ fomes eſt inteſtinus hoſtis.

Tradet frater fratrem in mortem. Corpus tradit in mortem æternam ſpiritum fratrem ſuum.

Inſurgent filij in parentes. In die iudicij actus noxij inſurgent in parentes ſuos, id eſt, in reprobos, qui eos pepererunt.

Eritis odio omnibus propter nomen meum. Mundus vt perire volens odio habet eos, qui ſuæ ſaluti inuigilant.

Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Non quæuis perſeuerantia in gratia, ſed finalis tantùm ſaluat.

Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Nota, amorem Dei non poſſe ſtare cum amore naturali; ſi naturalis amor excedit charitatem, quæ ſola Deo dignos efficit homines.

Cap. 11. *Ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Voluntas diuina eſt regula, ad quam ſe aptare debet vnuſquiſque.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Homo ſequax mundi deficit, ſed Deus eum reficit, ſi ad eum reuertitur. In obſequio mundi labor, & onus. In obſequio Chriſti quies, & honor.

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Vt elementa in ſuo centro non grauitant, ſed quieſcunt, ita neque homo eſt inquies in ſuo centro degens. Cùm ergo terra velut centrum hominis ſit vnde eductus eſt, ſi animo verſet ſe eſſe lutum, & ita ſe deprimat humiliter de ſe ſentiendo, pacem ſibi conciliabit.

Cap. 12. *Extendens manum ſuam in diſcipulos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Gregor. hom. 3. in Euang. Qui Chriſti frater, & ſoror eſt credendo, mater efficitur prædicando. Quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater eius efficitur, ſi per eius vocẽ amor Domini in proximi mente generatur.

Cap. 13. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito.* Vt hic theſaurus aliquando fiat noſtri iuris, debemus omnia huius ſæculi contemnere.

Cap. 15. *Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum: cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Mundus vt in maligno poſitus eſt, excæcatur à malitia ſua, & ſequaces ſuos in infernum trahit.

Cap. 16. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Natura reuelante fides non influit. Illa quippe fides Theologalis eſt gratiæ diuinæ donum.

Tibi dabo claues regni cœlorum. Soli Petro datæ claues, quia ille ſub Chriſto caput inſtituitur Eccleſiæ, & Princeps Apoſtolorum, ex Aug. in Pſalm. 108. Clauis hic notat in Petro, & Pontificibus ſucceſſoribus, ſummam poteſtatem tum ordinis, tum iuriſdictionis in totam Eccleſiam. Aug. ſerm. 28. de Sanctis. Solus, inquit, Petrus inter Apoſtolos meruit audire: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum.

Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Gregor. hom. 32. in Euang. Aliud ſumus per peccatum lapſi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus; aliud quod facti ſumus. Relinquamus noſmetipſos, quales nos peccando fecimus, & maneamus noſmetipſi, quales per gratiam facti ſumus. Qui ſuperbus fuit, ſi conuerſus ad Chriſtum humilis factus eſt, ſemetipſum reliquit. Paulus ſe abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego; extinctus quippe fuerat ſæuus ille perſecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eum, qui ſuper ipſum eſt, non appropinquat: nec valet apprehendere quod vltra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare quod eſt.

Cap. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Chriſto colloquenti de ſua Paſſione Deus Pater teſtimonium perhibuit: ita & nos in filios adſciſcet, ſi Chriſto eius filio compatimur.

Cap. 19. *Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Quidquid in mundo nitet, vt ſunt opes, honores, deliciæ, illud omne ſuos aſſeclas abſtrahit ab obſequio Chriſti. Quiſquis ergo vale dixit mundo, ille ſe aptauit ad obſequium Chriſti.

Cap. 18. *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Qui exemplo ſuo prouocauerit alios ad peccandum, ille luet, & equidẽ acerbè.

Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris. Quò quis humilior eſt, & videtur abiectior, eò magis conciliat inde ſibi Angelos, qui vt fruuntur beata Dei viſione, ita ſuos clientes adiuuant, & vindicant. Nota, neminem eſſe contemnendum, cum vnicuique Deus Angelum cuſtodem addixerit.

Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Vbi charitas & amor, ibi Deus.

Cap. 20. *Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conueniſti mecum?* Quid cauſaris auſterum meum animum cunctantem reddere mercedem nouem mandatorum? Ex denario conueniſti mecum, toti Decalogo te obſtrinxi, præmiandum ſi morem geſſeris, puniendum ſi incurius decem mandatorum, non fueris omnibus obſequutus.

Cap. 21. *Cùm intraſſet Ieſus Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas dicens: Quis eſt hic.* Ieroſolyma, id eſt, viſio pacis, animam notat peccatis obnoxiam, quæ geſtiens in obſcœna vitiorum colluuie, pace fruitur ementita. Chriſtus gratiam delineat, quæ vt influit in animam reatibus antea obſtrictam, illa Ieroſolyma tota concutitur. Intellectus enim, & voluntas, & appetitus ſenſitiuus, ſuis abdicatis actibus illico reformantur. Tota anima tripudians, dignata introitu Chriſti, ait: Quis eſt hic? quæ inſueta gaudia me recreant? vnde mihi hoc bonum?

Et intrauit Ieſus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo. Anima, quam gratia diuina ſubit, fit templum Dei, ex ſtabulo, quod antè fuit, & quò omnes beſtiæ confluebant, Chriſtus inde fugat omne quod beſtiam ſapit.

Cap. 24. *Parebit ſignum filij hominis in cœlo.* Crux apparet in iis tantùm hominibus, qui cœleſtes ſunt. Nam lex in terra vetat pingi cruces. Crux in cœlo apparet, vti ſcala ad cœlos.

Veniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum. Mors repentina rapit impios, diuidendo corpus ab anima, & à rebus antea concupitis.

Cap. 25. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso.* Ecclesia est regnum cœlorum concludens animas virgines, id est, fideles. Denarius significat vniuersitatem. Sed sola fides sine charitate non intrat cum sponso ad nuptias.

Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Ita Deus vnicuique cauet, vt cuius suggestioni morem gerit in culpa, eius imperio subdatur in pœna.

Cap. 26. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: In hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Petrus nimia præsumptione sui elatus, in præceps ruit. Aug. serm. 24. de Sanctis. Fuit (inquit) audax præsumptor, & postea factus est timidus negator.

Sustinete hic, & vigilate mecum. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Tentatio neminem opprimit, nisi incurium orare Deum.

Cap. 27. *Centurio, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Verè filius Dei erat iste.* Quando peccator conteritur, & concipit timorem Dei, hoc habet à Passione Christi.

Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Crucis apex cœlos aperuit latroni, & pars ima crucis terræ infixa limbos aperuit, vnde mortui plerique homines exierunt.

S. MARCVS.

Cap. 6. *Da mihi protinus in disco caput Ioannis Baptistæ.* Vt Herodias, ita & libido petit caput, hominem miserè dementando.

Cap. 10. *Sinite paruulos venire ad me: talium enim est regnum Dei.* Humilitate Deum conuenimus, & aptamur regno Dei.

Cap. 12. *Cum à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cœlis.* Vt Angeli nesciunt angustias, quas caro facessit animæ; ita beati post resurrectionem, ab illis molestiis, quas caro parit procul erunt.

Benè Magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus. Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine. Perfectus amor Dei duo petit. Primum est, vt totus homo Deum diligat, & non aliqua parte sui diuidendo cor suum: Alterum est, vt fortiter amet, id est, perseueranter vsque in finem.

Cap. 14. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.* Quemcumque sensuum illecebra suis voluulis implexum tenet, ille ruinæ proximus est: siquidem cautè irretitum dæmones tot vitiorum implicant nexibus, vt ægrè admodum queat ab his anfractibus anima resilire.

S. LVCAS.

Cap. 1. *Non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Anima non imprægnata Dei gratiâ, sterilis est, neque potest ex se meritoria vitæ æternæ opera parturire.

Regnabit in domo Iacob in æternũ. Iacob perinde est ac supplantator. Christus regnat in anima, quæ fratrē suum, id est, corpus supplantauit.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Inde liquet votum virginitatis emissum à B. V. Maria, que estò Ioseph nupta, tamen virum non cognoscebat.

Cap. 2. *Erat subditus illis.* Bern. serm. 1. super Missus. Erat subditus eis. Quis? quibus? Deus hominibus. Quòd fœminæ Deus obtemperet, humilitas sine exemplo. Quòd fœmina principatur Deo, sublimitas sine socio. Beda. Quid inter nos aliud, quàm quod à nobis agi vellet ageret.

C. 5. *Præceptor per totam noctem laborantes nil cepimus.* Nota, Petrum, qui aliàs vocabat Dominum, iam vocare præceptorem, vt vel sic insinuaret ignorantiam esse noctem, quæ opacat tenebrosum mundi mare, & obstat quin captura fiat congrua labori, quo desudant homines irrito conamine semper enitentes.

Cap. 6. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.* Molestiæ in hoc sæculo æquo animo perpessæ viam sternunt ad gloriam.

Cap. 7. *Resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.* Anima, cui Deus propitius adstat, primò sedet, mẽte reuoluens defectionem suam à Deo, & à tramite rationis. Secundò, illa prudens animæ sessio loquela substracta tacitum hactenus os reserat, dum hominem pœnitentem sollicitat ad piacula sua in confessione propalanda. Demum redditur Ecclesiæ communi omnium matri homo ille rediuiuus, in cuius gratiam Ecclesia gemebunda non modicas lacrymas effuderat.

Cap. 8. *Mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, &c. At ipse dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit.*

Cap. 11. *Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Si Spiritus sanctus adest mihi in expulsione mali spiritus à vobis, incipit regnare Deus in vobis per gratiam.

Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Quando Deus aliquem euehit ad eminentem scientiam, intendit vt ille lucem hanc diffundat, quia vt labia sacerdotis custodiunt scientiam, ita vult eos ex pulpito prædicare.

Profectò testificamini, quia consentitis operibus patrum vestrorum, quia illi Prophetas occiderunt, vos autem ædificatis sepulchra illorum. Iudæi machinantes necem Christo summo Prophetarum, & Apostolis, vt suam malitiam tegerent, ædificabant sepulchra Prophetarum. Cùm ergo totum opus esset ex hypocrisi, Christus penetrando rimas cordis eorum ait, ædificium sepulchrorum eos arguere homicidij, quia eo nomine ædificabant hæc sepulchra, vt tutò necem Christo inferrent.

Cap. 14. *Omnis, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Aug. in Psal. 57. Vnde curuatus es? Quia elatus eras. Si fueris humilis, erigêris: si fueris elatus, curuaberis. Non enim deerit Deo pondus, vnde te curuet. Illud erit pondus, fasciis peccatorum tuorum, hoc replicabitur in caput tuum, & curuaberis. Quid est autem curuari? Non se posse erigere.

Non possum, vxorem duxi. Reuera nequit ille, qui non est sui iuris. At ille sui iuris non

est, qui se totũ turpi Veneris obsequio mãcipauit.

Cap. 15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Quippe sedes vacuæ sunt replendæ.

Cap. 16. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Bona, & mala alternant. Si eligis in hoc mundo bona corporis te in alia vita mala manent æterna.

Cap. 17. *Sicut factum est in diebus Noë, ita erit in diebus filij hominis, Edebant, & bibebant, vxores ducebant, &c. Venit diluuium, & perdidit omnes.* Gula & luxuria sic dementare solent homines, vt adimant omnem curam salutis æternæ. Vnde cita & improuisa mors succedit.

Cap. 18. *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri.* Vide quàm peccet contra regulas artis orationis congruæ, cuius initia sunt declinare, & postea coniugare. Hic autem non declinat à se, vt se Deo inclinet, & sic ei obtenta gratia coniungatur. In sese inclinat, de seipso gestiens effunditur in laudes suas, vt in bracteas, hoc vno ingratas, quia sunt strepentes.

Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest. Omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus. Illud vnum quod deest diuitibus est Deus, qui non stat cum malè partis.

His ille auditis, contristatus est, quia diues erat valde. Vide, diuitias non lætitiam, sed mœrorem inuehere, & obstare ne Deo vocanti homo gerat morem.

Cap. 19. *Hodie salus huic domui facta est.* Anima, quam subit Christus, habet vnde fiat salua.

Nolumus hunc regnare super nos. Anima assueta iugo voluptatum non vult subire iugum Christi.

Si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nũc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Peccatum adimit omnem oculorum vsum in his, quæ ad salutem animæ spectant.

Circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te. Diaboli reprobos ita terræ addicunt, vt ad cœlos nequeant euolare.

Cap. 22. *Et auulsus est ab eis.* Vide, quàm altas amor radices egit in corde Christi, qui cùm discretos à se præsciret Apostolos consulturos sibi fugâ ingloriâ, ægrè admodum ab eis secessit oraturus, & hanc illius molestiam congruo vocabulo expressit Lucas, dicens eum fuisse auulsum ab eis. Dicitur auelli id quod altè defixum est.

Continuò illo loquente cantauit gallus. Anima peccante strepit synderesis, ita monens eam vt resipiscat.

Cõuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini. Et egressus foras Petrus fleuit amarè. Vt Sol sua luce trahit vapores ex palude, vnde fluit imber, Solis lumine dissolutus. Ita Deus irradians & illucens animæ fæcibus vitiorum obnoxiæ, illa suæ miseriæ conscia, reuoluendo sua peccata, iuges abit in lacrymas. Percussit Christus petram, & fluxerunt aquæ.

Cap. 23. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Latro in cruce nouit esse Regem Christum, quem Iudas facientem prodigia vendidit, & negauit. Certè tutiùs est patienter ferre Crucem Christi, quàm prodigia facere.

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Vocat Deum patrem suum, orando pro inimicis: nam iniurias relaxare facit homines filios Dei, qui singulis quibusque motis & momentis benefacit inimicis suis.

Videns Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat. Crucis amor, quem morte sua probauit Christus compulit & gentiles affirmare virum hunc fuisse iustum.

Cap. 24. *Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?* Si caput nonnisi spinis afflictum subiit cœlos, membra putas cœlum florida subitura?

S. IOANNES.

C. 1. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Verbum erat in mundo Archetypo, id est, in Deo Patre. Mundus iste, id est, tota rerum congeries habet à Verbo Dei quòd sit. Mundus, qui Christum non cognouit, est cœtus impiorum.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Vide, fidem charitate informatam facere nos filios Dei adoptiuos. Nota, fidem non esse viri, aut carnis susurrum, sed Dei influxum, volentis nos saluare.

Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Christus remittendo peccata dedit gratiam. Item fuit veritas, cuius vmbra fuit in figuris de eo sacro codice recensitis.

Ecce Agnus Dei. Vt aries suffectus in locum Isaac immolandi fecit eum saluum, ita Christus vt agnus suffectus est in locum omnium hominum, qui vt nati erant filij iræ, debent huic agno pretium suæ redemptionis.

Intuitus eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod est Petrus. Illis, quos Christus intuetur gratia sua præueniens, adijcitur inde robur, vnde in obsequium Dei anima solidatur.

Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum. Qui Christum inuenit, ille velut impos sui gestit, & hunc omnibus annuntiat.

Cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret.* Quantus amor Dei sit ex dono colligitur. Dedit Deus filium vnigenitum, vt nos ad cor nostrum ei rependendum cœlitus excitaret.

Oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Præsupposito æterno Dei decreto de crucifigendo Christo, fuit necesse ad salutem fidelium, vt Christus in hoc crucis stipite figeretur.

Cap. 4. *Iudæi non coutuntur Samaritanis.* Iudæus, perinde est, ac confessus. Pœnitens post confessionem iniqua fugit consortia.

Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Christus sitit lacrymas nostras, ad quas præueniente sua gratia nos excitat. Petamus ab eo influxum gratiæ iustificantis.

Benè dixisti, quia non habeo virum; quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. O anima, tota deuota Cupidini, quinque viros olim habuisti, scilicet quinque sensus! sed hi periere tibi, vt suum Veneri obsequium præstent. Aures obseratæ sacris eloquiis, ad turpia recluduntur. Oculi eò tantùm vibrant aciem suam, quò abducit eos adblandiens caro.

A Tuetur

Assueuit gula deglutire cibos, qui foueant incendia vitiorum. Luxuriat tactus corporum contagio. Demum luxuriosa cohors procorum suaueolens, aspergine sua recreat nares. Eo pacto quinque sensus rationis nescij & decliues Veneri mancipantur. Ille alius vir, qui superest tibi, ô anima impudica, non est tuus. Hic est intellectus, quo insana cadis, quando nescia rationis, in volutabro luxuriæ sordidè volutaris. Reuera virum non habes, quia quidquid masculum est & viuidum in homine, libido emollit.

Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Qui corpore solo Deum colit, ille ludit in re sacra. Quippe Deus spiritu præcipuè colitur.

Cap.6. *Vt autem impleti sunt.* Solæ Dei epulæ satiare queunt animas in hoc sæculo fame lurida tabescentes.

Dixit discipulis suis: colligite fragmenta quæ superauerunt, ne pereant. Illa reliquiarum collectio animos sollicitat, vt sint memores beneficiorum Dei, ne excidant.

Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit. Tu in communione sacra refectus à Deo, pro gratiarum actione Deum constitue tibi Regem, & obsta ne peccatum regnet in te. Nota, Christum fugisse, quia non est Rex mortuorum, sed viuentium. Id est, Christus non reproborum vult dici Rex, sed iustorum.

Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. Nemo manus dat Christo, nisi prius aures dederit vocanti Deo.

Cap.7. *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Homines sollicitant nos, vt bona opera nostra fiant palàm & inde vanam gloriam conciliemus.

Vos ascendite ad diem festum hunc. Anima celebratura dies festos, sese expedire debet à curis terrenis, vt ad cœlestia meditando citiùs euehatur.

Stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Stat semper Iesus, id est, paratus & accinctus ad iuuandum nos. Clamat: quippe vocat excitando. Omnes sitiunt, namque volunt esse beati, sed falluntur in delectu: opes enim, vel honores sectantur. Hos sitientes ad se vocat Christus habens omnium bonorum fontem, & hunc inexhaustum.

Cap.8. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Christo nobis illucente, lumen gratiæ influit in animas, & tergit tenebras peccati. In hoc lumine videbimus lumen. Namque lumen gratiæ excipit lumen gloriæ, lumen vitæ æternæ.

Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere: ille erat homicida ab initio. Diabolus ab initio cædem Messiæ machinatus est. Hoc patre sati sunt omnes qui peccant: namque Deum ex se procul abigunt, & quantùm possunt interimunt.

In veritate non stetit, quia veritas in eo non est: cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. Veritas rei, est conformitas rei cum suis principiis, id est, cum exemplari quod de ea re Deus habuit ab æterno. Superbiens Angelus non retulit ideam, quam de Angelo Deus habuit ab æterno, ac proinde fuit mendax, & falsus, ementitus speciem Angeli, licèt ab eo imago genuina boni spiritus procul esset. A mendaci autem spiritu, quid nisi spurium & falsum emanare potest, cùm causa defectiua prodat etiam sua deliquia in effectu mutilo.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Gregor. hom.18. Interroget se vnusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget vnde sit. Cœlestem patriam desiderare veritas iubet, carnalia desideria cōteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo vnusquisque vestrûm, si hæc vox Dei in cordis eius aure conualuit, & quia ex Deo sit iam agnoscet.

Cap.11. *Eamus, & nos, & moriamur cum eo.* Erat olim inter Soldurios apud Gallos Fœdus, aut simul vincendi, aut commoriendi, ex Cæsare de bel.Gal. Ita Thomas hortatur Apostolos vt Christo commoriantur. Ita 2. Corinth.7. In cordibus estis ad commoriendum, & conuiuendum.

C.12. *Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ.* Christus ita fuit superior carni, vt inde queat dici pullo asinæ insedisse.

Venit hora, vt clarificetur filius hominis. Crucis ignominiâ Christus meruit suo corpori claritatem.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Qui non studet mortificationi, inutilis est. Qui verò sibi vim infert, & se mortificat, ille suis exemplis aliis vsquequaque prodest, eos excitando ad virtutum praxim.

Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Ea voce (*Omnia*) intellige homines teretes, & rotundos, æqui obseruantissimos, vt ingerit Ecclesiastes. Deum time, & mandata eius serua, hoc est enim omnis homo. Si igitur aliquem offendis à cruce alienum, & eructantem conuicia in ærumnas, quæ occurrunt; dic eum esse partialiter tantùm hominem, & non omnem hominem: quippe talis habet tantùm vt sit animal, sed ratione caret.

Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Dixit Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est: Ambulate dum lucem habetis. Estò mira fecisset Christus, Gens Hebræa fidem Christo non adhibuit; sed vbi de cruce fecit sermonem, imperitum vulgus, quasi nouo lumine aspersum, agnouit Christum, subodorans quid diuinum, longè à morte, quam crux ipsa vehit. Cruce innotuit Christus dyscolæ genti, quā infinita propè signa & miracula minimè ciceurarant.

Cap.15. *Maiorem hac nemo dilectionem habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Eò natura potest accedere. Vt fecere fidem Damon & Pythias, Pylades & Orestes. Qui ergo ponit animam pro inimicis suis, ille supra naturam est.

Cap.18. *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum.* Homo probè sciens ea quæ conducunt ad salutem, proficit, & procedit de virtute in virtutem, & vltrò cruces amplectitur, occurrendo malis quæ instant.

Pōtifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. O prouidum Dei consilium! Homo imprudens anhelauit ad scientiam Dei aucupandam suasore diabolo, qui suggessit istud delirium. Eritis sicut Dij scientes bonum,

& malum. Et Deus hodie homini subiicitur, vt probet esse suam scientiam orthodoxam. Ita luit pœnas Christus peccati Adæ.

Cap. 19. *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te? &c. Non haberes potestatem aduersum me, nisi tibi datum esset desuper.* Quid queruli in cruces nostras inuehimur, nescij esse à Domino Deo omne quod patimur, & homines nobis iniurios esse iustitiæ Dei vindices, & ministros.

Cap. 21. *Cùm ergo serò esset, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio.* Occlude fores animæ tuæ, id est sensus, & habeto pacem cum omnibus, si vis vt in medio tui, id est, in corde tuo stet Iesus.

ACTA APOSTOLORVM.

Cap. 3. *Et vocantes eos, denuntiauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu.* Quando vocat mundus aliquem, ei interdicit obsequium Christi.

Cap. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Est hoc sanè diues argumentum lætitiæ, scilicet à Deo dignum reputari, vt pro eius quis nomine patiatur. Quippe cruces æterna parant præmia crucifixis.

Cap. 6. *Stephanus plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa in populo.* Sese gratia diuina prodit, egregiis operibus.

Cap. 7. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Qui non circumcidunt affectus suos carnales, hi sunt obstinati, & Deo vocanti non auscultant.

Cap. 9. *Subitò circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Gratiæ efficacia petitur à momento, quod subitò transit. Illa gratia affulgente Deus insonat animæ, eam in Deum insurgere.

Domine, quid me vis facere? Anima pertæsa vitam noxiam, auspicatur suam pœnitentiam componendo suam voluntatem ad arbitrium Dei.

C. 12. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Ecce typum peccatoris. Noctem meminit textus, quia reo obstricto peccatis nulla dies gratiæ affulget. Duæ illæ catenæ insinuant duas principes potentias animæ nexibus implicitas: videlicet intellectum delirio affectum, & voluntatem à summi boni recto tramite deuiantem.

Custodes ante ostium custodiebant carcerem. Heu quot custodes conducit dæmon, ne anima euadat illi illudens? Si quando deprehendit luxuriosum velle pœnitere, illico pellicem obiicit, quæ lacrymis obortis deliniens animum eius instar ceræ igni admotæ liquat & dissoluit. Si auarus malè parta cogitat reddere dominis, spiritus ille refuga recenset liberos inde diram passuros inopiam.

Ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo. Benè auspicatur à lumine Angelus, contrarias obeundo vices eis, quas iniit dæmon intellectui humano tenebras offundédo Spiritus ille rutilans menti affulgens, aperit ei quàm sit tetra colluuies peccatorũ cui se immersit. Ea sorte ingloriâ cognitâ ab homine, immutatur affectus stimulis actus ad alterã partẽ.

Percussoque latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter. Ictum latus synderesim clamat, quæ vbi animæ discrimen innotuit, hominem vrget ad meliorem frugem. Ille excitatus surgit: iacebat enim in fæce squalida peccatorum.

Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Liberæ manus se explicant ad egregia facinora, quæ manus antea inertes erant, otio dissolutæ.

Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Nota, diffluere omnes affectus hominis addicti vitiorum carceri: Serpit enim anima impos eniti ad superna. Quòd si quando erigitur anima, illucente Dei gratia, Angeli monitu exurgit; quippe hortatur, vt anima præcingatur. Collectis affectibus anima diabolo subducitur; & tota in Deum effunditur, à quo recepit priscam stolam gratiæ, quæ est tessera libertatis.

Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum. Benè ait: Circumda tibi vestimentum tuum: nam etsi gratiæ Dei, quâ anima tota circumdatur, & armatur, sit donum desuper illapsum, nunquam tamen influit in adultos homines, nisi ipsi suam opem contulerint, similem vtique illi, quam adhibet homo, induens vestem: hanc vt aptet sibi inclinat caput, brachia leuat, & inserit manus hianti manicæ, & denique in omne latus vertitur, vt si quæ rugæ indecoræ contrahant vestem, has distendat. Eandem sollicitudinem postulat Angelus; namque hominem vult demittere caput, gerendo morem Deo; & ne consensus iners, aut vacuus sit, hortatur vt exerat brachia ad cooperandum Deo. Et vt sit integra conuersio, animum quasi in gyrum versat, vt exploret si quid in penitiore recessu latet, vt egerat illud in confessione foras.

Cap. 14. *Turba autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Quando viros probos mundus nequit decipere, illos solicitat ad vanam gloriam, eis consulendo vt opera sua bona prodant, & sic eorum probitas innotescat.

Cap. 20. *Vna sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem.* Illa dies erat Dominica, quam quis ritè volet celebrare, panem frangat, id est, communicet: quippe dies festos communio sancta decet.

EPISTOLA S. PAVLI AD ROMANOS.

Cap. 5. *Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Vt ignis agens in lignum viride valde potens est, ita & maximè calet amor, qui fertur in homines inimicos.

C. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Non dixit: Non tyranniset, sed ait non regnet, quia peccatum nequit nobis inuitis atque renitentibus animam subiicere. Quisquis ad arbitrium concupiscentiæ viuit, ille manus dat peccato.

Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Concupiscentia membris nostris vtitur vt armis idoneis ad peccatum in animas inducendum.

Gratia Dei vita æterna in Christo. Gratia est inchoatiuè vita æterna, cuius meritis Christi compotes erimus.

Cap. 7. *Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Pretio pomi vetiti nos omnes ab

Adamo

Adamo sumus venditi, & ea libertate caremus, quam iustitia originalis inuexerat. In hoc statu miserando caro malè excipit animam.

Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Vt repetunt proprios quæque regressus, ita caro oriunda deorsum, ad ima nos sollicitat, vt contra spiritus Deo patre satus ad Deum nos euehit.

Cap. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Hi qui sunt iustificati in Christo, licèt in se sentiant stimulos concupiscentiæ, dummodo non eis consentiant, sunt à damnatione procul.

Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest. Sapientia carnis, vt carnalis est, non potest esse Deo subiecta, quia sẽper anima sollicitat ad opera carnalia.

Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Bernard. serm. 2. Pentecost. Spiritus sanctus donat animæ, primò pignus salutis, scilicet testimonium quòd filius Dei sis. 2. robur vitæ, vt in laboribus, vigiliis, & in omnibus obseruantiis delectabiliter incedas. 3. lumen scientiæ, vt cùm omnia benefeceris, te seruum inutilem putes. Anima in statu gratiæ, Spiritus sancti obsequio coniecturas habet suæ diuinæ filiationis.

Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam. Bernard. de conuersione ad cleric. cap. 30. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur; ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur; ad futuram gloriam quæ promittitur.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Chrysost. Non ait, quòd diligentibus Deum nulla accidat res aduersa, sed quòd ea cedat in bonum. Hoc est, Deus aduersis rebus vtitur, ad eorum splendorem.

Cap. 9. *Dicit Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam.* Estò Deo esse velint iniurij homines impij; pœna tamen eis irrogata cedit ad gloriam Dei, cuius inde palam fit iustitia.

Cap. 10. *Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Mundus suos asseclas ditare nequit, sed in morte nudos in aliam vitam transmittit. Sed Christus abundè ditat suos sequaces, tribuendo gratiam in hoc sæculo, & gloriam in futuro.

Cap. 11. *Si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.* Si primitiæ Iudæorum Apostoli, & primi Christiani fuere sancti, Iudæi omnes in eis oblati sunt Deo. Si Patriarchæ, vnde velut rami Iudæi orti sunt, sunt sancti, eorum filij poterunt & esse sicut illi sancti.

Cap. 12. *Obsecro vos fratres, &c. vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Sanctum est quod Deo consecratur, & profano vsui denegatur. Corpus quod nulli vitio mancipatur est sanctum si se Deo totum offerat vt hostiam.

Rationabile obsequium vestrum. Moderata debet esse & rationi consentanea corporum afflictio. Bern. serm. 49. in Cant. Discretio est moderatrix, & auriga virtutum, affectuum, morum: omni virtuti ordinem ponit: ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.

Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. In his, quæ ad fidem spectant, est sistenda curiositas desiderans scire plusquam sana fides homini permittit.

Si esurierit inimicus tuus ciba illum: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Si beneficia inimico præstita non conciliant amicitiam, vertentur in carbones, qui obstinatum hoc caput vrent in inferis. Item beneficia collatâ suis inimicis sunt philtra amoris reciproci ignem accendentia.

Vince, in bono malum. Chrysost. in cap. 12. ad Roman. In Olympicis certaminibus diabolo consecratis lex est, malefaciendo vincere: in stadio Christi omninò lex est contraria: hic enim non eum, qui percutit, sed qui percutitur coronari decretum est. Illud demum est diuinæ virtutis, illud cœleste stadium: illud Angelorum theatrum. Si mansuetudinem exhiberemus; essemus omnibus insuperabiles, nec vlla ad nos iniuria perueniret. Roga inimicum, an non doleat, an non censeat se victum, cùm rides, cùm contemnis iniurias eius?

AD CORINTHIOS I.

Cap. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed Euangelizare: non in sapientia verbi: vt non euacuetur crux Christi.* Si Euangelium fuisset prædicatum magna eloquentiæ pompa, fides fuisset credita propagata virtute eloquentiæ, & non efficaciæ crucis.

Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, ijs autem, qui salui fiunt, id est nobis, Dei virtus. Omnes qui genio indulgent, & pœnitentiæ ritus habent ludibrio miserè dispereunt. At secus in mortificatione vitam reperiũt animæ pœnitentes.

Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Crux sola capit quod Iudæi petunt, id est, miracula, & quod Græci quærunt, id est, sapientiam. Namque fuit crux magnum miraculum: quippe cruci affixo totus penè orbis credidit, & Philosophi sapientiam suam esse infra crucem confessi sunt.

Cap. 3. *Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit.* In Concilio Florentino locus ille refertur ad astruendam fidem Purgatorij.

Cap. 6. *Empti estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Christi Redemptoris nostri tessera in corpore humano est castitas.

Cap. 9. *Nescitis quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* Qui in se est indiuisus, & diuisus à creatis, & Deo adhæret, ille vnus est spiritus, & corona æterna manet eum.

Cap. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Qui tentationi succumbit, ille deest gratiæ Dei, neque suam adhibet industriam ad susurros dæmonis eludendos.

Cap. 15. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius vacua in me non fuit.* Si in statu gratiæ diuinæ viuo, reuera sum, & subsisto vi gratiæ: Si pecco, nihil sum. Non est gratia vacua quando bonis operibus ei adiicitur incrementum.

Primus homo de terra terrenus, &c. Sicut portauimus imaginem terreni portemus & imaginẽ cœlestis. Peccatum est nota inglorìa inusta homini post lapsũ. Gratia verò fuit tessera Christiani.

Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptionem possidebit. Vt animalis homo vile carnis mancipium non

percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; ita sedes beatorum spirituum ille non replebit.

AD CORINTHIOS II.

Cap. 2. *Non iudicaui me scire aliquid, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Quæuis Philosophia citra crucem homines sciolos facit. Sed doctores præcipui, vt fuerunt Apostoli, è libro crucis magisterij sui summos titulos emendicant. Crucis ope deuenimus in cognitionem rerum scientiis aliis abditarum.

Cap. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Gratiæ diuinæ custodia magnam impigramque curam postulat. Corpora namque nostra parum absunt à peccato, quod est gratiæ perditio.

Cap. 6. *Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in castitate, & in charitate non ficta.* Non vna sola virtus sufficit: sed omnes comparare debet ille qui affectat nomen & rem Christiani.

Cap. 10. *In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus; arma militiæ nostra non carnalia sunt.* Qui in gratiam carnis militat, ille genio indulget, & arma eius sunt epulæ, ioci, choreæ, libido.

Cap. 12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Animæ fortitudo prodit se ipsam, quando nulla prorsus infirmitate frangitur. Mundi fortitudo patet fortia agendo. Sed Christiana fortitudo liquet grandia patiendo.

Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. Paulus ibi applicat satisfactiones suas pro fidelibus.

AD GALATAS.

Cap. 2. *Legi mortuus sum vt Deo viuam.* Qui Iudaismo abdicato suum dedere nomen Christo, legi mortui sunt, vt viuerent Deo.

Christo crucifixus sum cruci; viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Vt surculus resectus ab arbore sua, & alteri trunco insertus non priore suâ vitâ viuit, sed vitâ trunci; ita homo segregatur à mundo, vt Christo vniatur, qui in eum influit, gratiam cœlitus infundendo.

Cap. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, idolorum seruitus, luxuria, veneficia, contentiones, inimicitiæ, ebrietates, comessationes.* Libidine recensita, ponit idolorum cultum. Nam quemcumque amor obscœnus vrit, eumdem etiam idololatram facit, quia omnem suam curam adhibet, vt impudica semper niteant phana, quibus Venus adoratur. Præcipua ferè anxietas, quæ homines sollicitat, est vestium cura, quibus vt aulæis atque tapetibus obducunt hæc delubra luxuriæ, vt dum tersior ille vestium cultus allicit oculos, etiam subinde nitor cutis animum frangat, & inclinet ad turpia. Vestium pompæ Venus adiicit epulas, vt fomites incendij, quo solet inardere.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Cruce caro olim mactata fuit. Qui dedere nomen suum Christo crucifixo, suam etiam carnem protinus abnegarunt. Inde nomen mortificationis. Vt subiecto pereunte perit accidens. Ita carne crucifixa, simul & vitia profligantur.

Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Si gratia in nos influxit, sequamur eius ductum, & non carnis pruriginem.

Cap. 6. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Chrysost. Is qui peccat, homo; qui verò benè operantur, spirituales dicuntur. Hic virtutis vocabulum posuit, illic naturæ nomen dixit. Inde nota, eos, quibus incumbit alios corrigere, esse debere procul à vitiis, necnon & vinum censuræ debere misceri oleo lenitatis.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Senec. Epist. 1. Turpissima temporis iactura est, quæ per negligentiam fit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Nota, debere esse ordinatam charitatem, & esse bonos aliis præferendos in distributione gratiarum, quia inter domesticos fidei alios antecedunt.

Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Aug. serm. 20. de verbis Apost. Vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo. Vbi humilitas, ibi maiestas: vbi infirmitas, ibi potestas: vbi mors, ibi vita. Si vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere, ideo in fronte tanquam in sede pudoris, signum crucis accepisti. Item Bern. Quæcumque mundus reputat crucem, ego delicias reputo. Et quæ mundus delicias, ego reputo crucem.

Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Nemo potest esse molestus ei, qui molestias omnes habet vt tesseras honoratas Christi. Secus verò crucis refugæ omnia sunt molesta. Imò sibi ipsi ille molestus est, qui cruces est exosus.

AD EPHESIOS.

Cap. 1. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Nota, tria concipi in operatione Dei ad extra. Primum est sapientia, quæ disponit. Alterum est voluntas, quæ mouet, & imperat. Vltimum est potentia, quæ operatur.

Cap. 2. *Gratiâ estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Fides, qua mediante salus nostra adstruitur, est donum Dei, quod meris operibus naturæ nequit ab homine comparari.

Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. Ecclesia, quæ militat in terra, conciues habet Angelorum, iuxta locum hunc Augustini. Pars quædam terrenæ ciuitatis, imago cœlestis ciuitatis effecta est.

Cap. 3. *Vt possitis comprehendere quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, & profundum.*

Cap. 4. *Quod autem ascendit quid est, nisi quia, & descêdit primùm in inferiores partes terræ.* Ambr. Qui nihil habebat quod ad suam potestatem adderet, habuit quod ad cultum suæ maiestatis adiungeret. Audeo dicere: Operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset.

Deponite secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia. Status veteris hominis adstruitur ex actibus: scilicet ex desideriis erroris: appetitu enim sensitiuo hominem deducente ad carnalia aberrauit homo, & carnalis effectus, passus est sicut carnalia omnia corruptelam. Iniquuus ille habitus dicitur vetus homo,

homo, quia homo ſenuit in illa carnis & animæ diſcordia. Alius verò ſtatus hominis dicitur nouus, & ſecundùm Deum creatus, quia nunquam ſeneſcit, & ita facit hominem ad imaginem Dei, qui nunquam ſeneſcit. Anima in ſtatu gratiæ, erit perpetuæ conſcia nouitatis.

Ego Paulus vinctus in Domino. Ligari & affligi pro Christo, res adeò glorioſa eſt, vt Paulus eſſe vinctum in Domino ducat eximio titulo dignitatis.

Cap. 5. *Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt.* Correctio mores eſſe malos quando probat & manifeſtat, hos ad melius inſtitutum dirigit, & ita facit luminoſos.

Cap. 6. *Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Gladius ille, qui & armatura Dei dicitur, eſt iugis mortificatio carnis, quam ſuaſit Chriſtus, monens vt reſcinderentur oculi, manus, pedes, ſcandala meditantes.

AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. *Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui.* Quando auditores in praxim reducunt verba audita in concione, reuera vitæ verba continent, & eorum conuerſio conducit ad gloriam prædicatorum, quorum ſic non inanis erit labor. Eſt vacua prædicatio, quæ non repletur operibus.

Fratres, hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Sentire, & moueri, ſunt argumenta vitæ. Qui ergo viuit vita Chriſti, ille ſicut Chriſtus ſentiebat, & mouebatur, ita ſentit, & mouetur. At Chriſtus de humilitate & cruce benè ſenſit, & exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam. Qui ſecus facit, aliâ vita viuit.

Cap. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum detrimenta propter Chriſtum.* Proſpera huius mundi quia ſibi deuinciunt affectum noſtrum, inde nocent. Quantum enim affectus noſtri accedit mundo, tantùm deperit Chriſto, qui nos totos ſibi obſtrinxit.

Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucri faciam. Vt lutum deterit omne, cui iniicitur; ita & Paulus credidit eſſe gratiæ detrimentum ei, quem mundus infecerit aſpergine ſua.

Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt. Qui genio indulget, ille crucis inimicus eſt, ac proinde malus, & ruinæ ſuæ proximus.

Cap. 4. *Fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea.* Quando procuramus ſalutem proximi, hoc maximè conducit ad coronam noſtram.

AD COLOSSENSES.

Cap. 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* Lux fidei facit nos conſortes Sanctorum initiatiuè.

Cap. 2. *Vos cùm mortui eſſetis in delictis conuiuificauit, donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Crucis obſequio peccata deleta ſunt. Peccatum dicitur chirographum decreti ex S. Thoma, eò quòd ſit in decreto Dei, qui decreuit illud punire.

Cap. 4. *Stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.* Perfectionis ſtatus attenditur penes voluntatem noſtram plenè compoſitam ad amuſſim voluntatis Dei.

AD THESSALONICENSES I.

Cap. 4. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Voluntas ſigni, quâ Deus inſinuat quid velit nos facere, eſt vt ſtudeamus ſanctitati.

Cap. 5. *Sobrij ſimus induti loricam fidei, & charitatis.* Lorica totum operit pectus, & charitas eſt tegumen faciens cor hominis inuium ictibus hoſtium. Sobrietas eliminat omnem illicitum deliciarum appetitum.

Sine intermiſſione orate. Qui omnia ſua opera dirigit ad gloriam Dei, ille benè orat, & ſine intermiſſione, quia mens eius eſt ſemper intenta Deo.

AD TIMOTHEVM I.

Cap. 1. *Scimus hoc, quia lex iuſto non eſt poſita.* Ex malis moribus ortæ bonæ leges. Sed iuſtorum mores non ſunt mali. Ergo lege non indigent.

Cap. 3. *Si quis domui ſuæ præeſſe nequit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Si quis conſcientiæ ſuæ incurius eſt, ille nequit eſſe ſollicitus de ſalute aliorum.

Cap. 5. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Fides namque docet eſſe ſalutem procurandam eorum, qui ad nos pertinent.

Cap. 6. *Præcipe diuitibus non altum ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum.* Tinea diuitiarum eſt ſuperbia.

AD TIMOTHEVM II.

Cap. 2. *Qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certauerit.* Bonum ex integra cauſa, & non eſt bonum, niſi benè fiat.

AD TITVM.

Cap. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos.* Incarnatio vocatur gratia, quia Deus nullo ſe pacto hominibus addixerat aſſumpturum indolem noſtram, ſi qui eorum hoc vel illud facinus exantlarent.

AD HEBRÆOS.

Cap. 4. *Non habemus Pontificem, &c. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, &c. vt gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Gratiæ efficacia petitur ab auxilio opportuno.

Cap. 9. *Omnia penè in ſanguine mundantur ſecundùm legem, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio peccatorum.* Sanguinis Chriſti efficacia cognoſcitur ex munditie omnium animarum petita ab hoc lauacro ſalutari.

Cap. 10. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos meliorem habere & manentem ſubſtantiam.* Opes huius ſæculi fluxæ labant atque gyrant de domo in domum. Sed æternæ manent & ſubſiſtunt, ideóque fides Chriſtiana nihili facit opes terrenas, vt æternis in alio ſæculo potiatur.

Cap. 12. *Obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, &c. Quem diligit Dominus caſtigat.* Magna ſanè conſolatio in aduerſis, cogitare Deum nos amare, cùm caſtigat.

Deponentes omne pondus, & circumſtans peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Nemo malus aptare poteſt ſe ad diſciplinam Chriſtianam, quin præuia confeſſione ſuam peccatorum ſarcinam depoſuerit: nam homo in peccato nequit currere, vtpote vinculis irretitus.

Cap. 13.

Cap. 13. *Optimum est gratia stabilire cor.* Cor nostrum in diuersa gyrat, quando Deo non sistitur. Sed gratia diuina modum ponit hisce gyris, & cor firmat.

EPISTOLA S. IACOBI.

Cap. 1. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Ærumnæ semen sunt gaudij sempiterni.

Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Vt corona fit ex auro probato in fornace, ita & Beati.

Cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.*

EPISTOLA S. PETRI I.

Cap. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Si compatimur, & conglorificabimur.

Cap. 4. *Tempus est incipere iudicium à domo Dei.* Incipit iudicium à domo Dei, quando ipsi homines seipsos diiudicant, & à se expetunt pœnas, quia Domino peccauerunt.

S. PETRI II.

Cap. 2. *A quo quis superatus, huic addictus est.* Peccati seruus ab eius iugo nequit sese solis humanis opibus expedire.

EPISTOLA S. IOANNIS I.

Cap 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Gratia diuina nequit stare cum peccato.

Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Manus, & lingua debent in charitate proximi concordare.

APOCALYPSIS.

Cap. 1. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Christus docuit mortificationem, qua non solùm vt gladio resecatur vsus noxius membrorum, sed & iniqui etiam affectus animæ extirpantur. Vt quando docuit abstinendum à vindicta, & à cupidine honoris, &c.

Cap. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias.* Nemo planè Beatorum potest infundere charitatem, sed solus Deus, à quo est emenda crebris votis, & precibus. Sine charitate nequit esse diues anima, quia quicquid sine charitate in peccato facit, illud non eam ditare potest in cœlo.

Cap. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Vt Adam homines effecerat diabolo regnum; quippe nutum diaboli sequebantur: ita Christus erogando nobis gratiam fecit vt Deus regnaret in nobis, noua dans mandata, quibus ipso miserante pij quique homines obsequuntur.

Cap. 6. *Vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Equus ille nitens hominem sonat, cuius facies rutila ad æmulationem Solis, hominem illum insuper esse Deum clamat. Leuior armatura equitis huiusce prodit inuictum animi robur, non indigum alterius panopliæ. Arcus, & ensis insinuant, eum cominus & eminus esse terribilem: quos namque refugas transuerberare nequit vltore gladio, hos arcu inflexo petit, & sagitta intorta necat. Exeuntis capiti corona implexa clamat victorias & triumphos, qui varia discrimina huius Principis exceperunt. Equo albo insidet, in tesseram subiugatæ carnis, quam communem cum iumentis circumferimus. Nomen eius non est bellator, sed vincens. Christus enim non tam exiit vt certaret, quàm vt vinceret.

Cap. 7. *Hi sunt, qui venerunt de magna tribulatione.* Ad Christi gloriam pergitur itinere sentibus horrido, quod inire solent illi, qui sunt asperis assueti.

Vidi Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, &c. Vide locum istum fusè explicatum de Seraphico Patre S. Francisco.

Cap. 12. *Proiectus est draco, &c. Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.* Nota, Deum regnare in nobis, quando draco procul abactus est, & quando salus initiata est virtutis obsequio.

Cap. 13. *Vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius diademata.* Mare typus est mundi, id est cœtus hominum impiorum, in quos diabolus, vt subiectos à se, dirum exercet principatum.

Cap. 14. *Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei.* Vide diaboli cultores esse bestiales: nam charactere bestiæ designantur.

Beati qui in Domino moriuntur, opera illorum sequuntur illos. Nemo potest mori in Domino, quin viuat de Domino. Viuitur autem de Domino, quando bonis actibus insudatur.

Cap. 17. *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ.* Iste locus explicatur de tota peccatorum colluuie.

Cap. 21. *Vnus de septem Angelis, &c. Veni, & ostendam tibi sponsam Agni, &c. Ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem.* Ciuitas illa typus est animæ in fide & charitate Domino desponsatæ.

Habet murum altum & magnum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim. Angeli custodes sunt muri animæ Deo gratæ. In portis excubant Angeli, cauentes nequando sensus aditum præbeant hosti deforis irruenti.

Cap. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & Sanctus sanctificetur adhuc.* Præsuppositâ primâ gratiâ, quâ gratis iustificamur à Deo, possumus mereri gratiæ incrementum. Nota, Deum velle nouos adiici huic gratiæ diuinæ gradus, impigrè laborando.

Potestas eorum in ligno vitæ. Mediante Cruce, vita in omnes iustos influxit, nec quidquam virtutis inest Sanctis, quod non habeant influente Cruce, id est, meritis Domini crucifixi, qui crucis infirmitate robur tantum indidit hominibus, vt eis iam diaboli sint impares.

Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Gratia non datur inuitis, sed efficaciter volentibus se componere ad amussim voluntatis Dei.

TRACTA



TRACTATVS PRIMVS DE CRVCE,

CVI SCIENTIAE OMNES FAMVLANTVR congruum opus ad conciones texendas pro Aduentu.

ARGVMENTVM.



IN limine huiusce Tractatus (Beneuole Lector) te compello, eo planè modo, quo dilectum suum affata est Sponsa Canticorum. *In portis nostris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Cant. 7. Etenim in aditu libri istius, surgit arbor salutaris, videlicet Crux, poma ferens alia prorsus ab eo pomo, cuius esu, lethale virus hausit tota Adami prosapia. Si hanc arborem vel minimùm succutias, aurea mala dabit: quot namque virent gratiæ, tot sunt fructus eximij de stipite Crucis emergentes. Itaque in hac arbore pomiferâ, obiecta tibi pro foribus huius tomi secundi, habes velut in portis nostris omnia poma. Rursus noua & vetera seruaui tibi: nam opus hoc de Cruce ita compactum est, vt noua & vetera sese inibi prodant. Si me consuluisti primo Tomo, & genium meum ebibisti; meam es indolem nactus, alienam ab eo scribendi ritu, qui transcribit, id est ab aliis recensita, sua facit: nihil mihi, & cornici Æsopicæ mutuatitiâ pennâ glorianti. Tractatus iste eò potissimum est insignis, quòd licet plerique plura de Cruce ediderint; verso tamen ego materias hactenus illibatas, & id nouo schemate disserendi: alij ante me luculenter in eodem argumento versati sunt; sed ea quæ titulis pollicentur ferè tantùm probant ab auctoritate: nouos adiicio titulos, & probatos multiplici scientia coëunte.

Vetera non respui, scilicet sententias SS. Patrum, quas selectas inserui operi polymito, in eumque modum spatiatus sum hoc Tractatu, vt hinc queat elici seges vberrima ad conciones concinnandas toto decursu Aduentus, singulis quibusque titulis præbentibus vnam concionem. Ne mirare, potuisse me post tot edita volumina de Cruce, depromere res intactas: hoc non est feracis ingenij indubium argumentum; sed est indicium virtutis eius, quæ emanat à Cruce, de quâ sic Ioannes. *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Apoc. 22. Crux est copiosum penu, suppeditans noua & vetera; illi appendo in trophæum, scientiarum omnium exuuias, quæ prostant hoc Tractatu, quem edidi instar commentarij in Euangelium legi solitum die Exaltationis Sanctæ Crucis. Si hîc lignum illud vitæ recentes exerit fructus, non inde venor lenocinia auræ popularis, sed potius satago vt folia ligni sanitatem impertiant: totus enim sum in vitiis extirpandis, & virtutibus ingerendis. Faxit Deus vt tot nanciscar Crucis amasios, quot habebit & lectores hic Tractatus; siquidem hoc intento erexi hoc labarum, vt qui dedere nomen suum militiæ Christi, Dominum hunc, & Antesignanum, præferentem signum Crucis, sequantur & ipsi Cruce insignes, vt etiam adscripti superis postmodum assequantur.



IN DIE FESTO EXALTATIONIS SANCTÆ CRVCIS.

EVANGELIVM. Ioan. 12.

I. NVnc iudicium est mundi.
II. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. III.
IV Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, (hoc
autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus.) Respondit
ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum; & quo-
modo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius homi-
nis? V.
VI. Dixit ergo Iesus: adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lu-
cem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: qui ambulat in tenebris, ne-
scit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. VII.



MORALIS EXPOSITIO, digesta in sectiones.

I. *INSTANTE passione Christi duplex mundi iudicium editum est. Vnum iniquum, quo Dominus Iesus actus est in Crucem, mundo eum expostulante ad patibulum; sed vt malum consilium consultori pessimum est, alio æquo Dei iudicio mundus affixus est Cruci: tota enim vitiorum sordida colluuies, ex qua coalescit mundus, Cruci affixa est; ibi namque depressa est Adami superbia, obediente Christo; caro mactata est, corpore Domini lacero, auaritia coërcita, manibus fixis, & non valentibus aliquid carpere; gula castigata in felle, & aceto.*

II. Dæmon omni satellitio peccatorum fuso, & ipse effusus est in fugam.

III. Non ille tantùm Lucifer superbiæ parens, Crucis virtute compressus est, sed & Asmodæus ille impurus Veneris assecla, vidit extingui faces suas obscœnas, sanguine ex Cruce defluente.

IV. Ea Crucis energia ita conciliauit sibi omnium hominum animos, vt Crux sequaces multos postmodum habuerit, ab omni ætate exigens peculiare obsequium; sicuti liquet historiis, prodentibus tenellas etiam virgines aspernantes sponsos vtique nobiles, vt Cruci adhærentes, eam proprio sanguine cruentarent. V.

VI. Nec est hallucinandi periculum sequacibus Crucis: quippe adeò rutilans est & coruscа, vt lux inde emicans, omnia opaca reseret, & aperiat fucos, quibus obducta sunt omnes mundi illecebræ. Nimirum Crux est veluti cathedra Christi docentis, & abdita quæque mysteria omnibus exponentis. VII.



VT INIQVO MVNDI iudicio Christus in Cruce pependit; Ita iusto Dei iudicio mundus crucifixus est.

SECTIO PRIMA, subdiuisa in Puncta.

Ad quem pertineat erigere Cruces.

In hæc verba:

Nunc est iudicium mundi.
Ioan. 12.

PVNCTVM I.

INDVBIVM est Philosophiæ assertum, vniuscuiusque rei effectus fluere à forma, quæ dat esse tale: materia enim prima iners est, & impos actionis; siquidem nulla substantia infra Deum agere potest insciis accidentibus, quibus cùm careat materia nuda, nihil omnino exercere potest, ac proinde necesse est materiam primam semper in rerum natura feriari. Nimirum causalitas tota materiæ sita est in passione potius quàm in actione: recipit enim formam, à qua & cuius beneficio omne compositum accingitur ad agendum.

Ex PHILOSOPHIA. *Aristot. lib. 1. de generat. c. 7. textu 55. & lib. 2. c. 9. textu 53.*

Theologia

Ex Theologia.
S. Thom. 2. 2. q. 23. ar. 8.
Forma dat esse composito.

Theologia etiam ingerit, omnia hominum grata Deo conamina esse à charitate, vt à forma, sine qua virtutes, vt informes adulterinæ sunt, & in recensione meritorum penitus exploditur. Stante verò ea forma cælitus infusa, homo in miros prorumpit ausus, etsi aliàs absque charitate nequeat se prodere, vtpote referens materiam primam: sicut enim se habet materia prima ad formam in physicis; ita & homo in iis, quæ supra naturam sunt, se habet ad charitatem: nam vt à forma compositum idoneum fit ad agendum, eo planè modo charitas ad integros & perfectos actus euehit hominis indolem imbecillem. Eò spectauit Paulus sic fatus. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Rursus omne compositum, suffragio formæ determinatum est ad vnum quod intendit quando se componit ad operam; ita & homo charitatis obsequio vni Deo studet, & vbi plures cohabitant eâ formâ insignes, lege non indigent, quæ eos coerceat; etenim eo coagulo amoris in vnum optimè coalescunt. Secus est, eâ insigni forma expunctâ; quia tunc homines in aliquod vnum non coeunt, sed discreti adinuicem omnes quærunt quæ sua sunt, & propriâ cuiusque cupidine accensâ, dum nemo sua sorte contentus est, singuli vsurpare volunt peculium alterius, vt adiectione illius rei familiaris summa; optatum citius & compendiosè capiat incrementum.

Ex Ivre Civili.
Ius Gentium quid sit.
Lege omnes §. quod vero ff. de iustitia & iure. leg. vt vim eodem titulo. lege necessarium, ff. de origine Iuris.

Vt iretur obuiam nimiæ libidini bona aliena deprædandi, Ius gentium cepit initium, quod sic definit Imperator. *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes perequè custoditur, vocatúrque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtantur.* Hoc iure nefas est alicui inferre iniuriam, ac proinde sæuiente lege, iniurij pœnâ multiplici compelcuntur. Sic fatur Iuris auctor. *Cùm inter nos cognationem quandam natura constituerit; consequens est, hominem homini insidiari, nefas esse.* Cuius autem sit cruciare reos ipso Iure sancitum est, quo Cruces erigere summum arguit dominium, vt videre est apud Caium, qui ait Romanos etsi Reipublicæ summam voluerint esse penes Consules; noluisse tamen eos iniussu populi, Ius dicere de capite ciuis Romani, ne sic induerent infulas regiæ potestatis. Crucis nomine intellige omne id quod cruciat: Crux enim à cruciando nuncupata est; ea enim lentis & acutis cruciatibus mortem protrahit.

Cruces decernere ad quem pertineat.

Decernere Cruces aut quæuis alia supplicia fuisse Ius supremum eadem Roma testata est, quæ Consuli præire voluit fasces seu virgas, & secures, supellectilem mortis aut cruciatus; concedens Consuli longè abeunti, vt Ius capitis diceret, cuius auctoritas illis symbolis iustitiæ capitalis elucebat.

Ex Historia.
S. Lazarus in Historia Imperiali, sub an. 1572.
Vignerij Ducis Venetorum cum Ioann. ab Austria dissidium.

Viget & hoc æuo summæ potestatis tessera in erectione Crucis, & hinc orta discordia, quæ prope non exitialis extitit orbi Christiano; ea scilicet, quæ celebrem illam classem, quæ Turcis ad Naupactum occurrit, ferè dispescuit. Discriminis istud fuit exordium. Constabat vniuersa classis Romanis, Hispanis, & Venetis, singulis quibusque Gentibus præpositos suos habentibus. Rei tamen bellicæ summa erat penes Ioannem ab Austria. In principe naue Venetorum miles Hispanus tragœdias excitauit, eoque prorupit insaniæ, vt aliis iniurius mortem meruerit, Vignerio Duce Venetorum sanciente, vt malo nauis appensus animam ageret infelicem. Malus autem & antennæ Crucem efficiunt. Vbi resciuit Dux Austriacus, se inscio, Venetum in Crucem egisse hominem Hispanum, ita exarsit, & credidit illo iudicio suam peti præfecturam, totúsque ille naualis exercitus stans à partibus eius, Vignerio consuluit, vt hanc noxam dilueret adeundo Ioannem Ducem, & prostando se infra eum esse, & dolere quod eo inconsulto decreuisset Crucem: & ni Vignerius eo humili obsequio Principis animum inflexisset; re infecta, imbellis acies, dissita fuisset, & ingloria cessisset Turcis, quorum numerosæ naues explicatæ, duorum hominum intempestiua discrimina, profligata eorum classe indubiè terminassent.

Guillelmus Postellus lib. de moribus Turcarum.

Ius vitæ & necis apud Turcas quibus detur.

Stat & illud institutum apud Turcas quorum præfecti generales tantùm habent ius vitæ, & necis; eo tamen iure nefas est vti, quandiu summos turrium apices aspicere queunt eius vrbis, quam incolit impiæ gentis summus Phalaris, & tyrannus: insinuantes eo ritu, solius esse supremi dominij statuere Cruces atque supplicia, eos autem, qui absente Imperatore ferunt sententiam capitalem, gerere vices eius.

Ex Ivre Civili.
Leg. Sed & quod instit. de iure naturali.
Principes habent ius & vnde.

Solius autem Principis esse Cruces decernere liquidò est, ex eo quòd illa potestas toti populo reseruata confluxit in Principem, vt ait Iustinianus Imperator, cuius hæc auctoritas. *Sed & quod Principi placuit legis habet vigorem, cùm lege Regia, quæ de eius imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum, & potestatem concedat.* Cùm autem Princeps vbiuis adesse nequeat, Ius capitis deponit apud Magistratus, qui Principum vices obeunt, aut penes Marchiones, aut Comites, quibus in ratione feudi etiam impertit Ius necis & vitæ in homines eorum ditioni mancipatos.

Ex Mathematica.
Iulius Firmicus lib. 9. cap. 3.

Ius illud alios coërcendi, inuehere dominium, liquere etiam potest ex cæli Mathesi, quæ asserit vim maleficam Planetarum non posse restringi nisi à Ioue & Venere beneficis, & dominantibus: dominantur autem, cùm sunt in domo sua, aut in exaltatione, & in cuspide cæli; sicut contrà, Planeta virulentus cruciat, quando in genesi puerili dominium sibi aliquale vendicat, cuius suffragio morbos valeat excitare.

Pharmaca sunt specifica.
Ex Re Medica.
Fernelius lib. de Methodo medendi.

Suffragatur & res medica, quæ dum humoris noxij perniciem vult delere, non cuiusuis Pharmaci opem implorat, sed eorum tantùm, quibus inest à natura ius compescendi iniquos ausus talis humoris, plus æquo affluentis. Verbi gratiâ, si pituita inundans partes infimas alluat nimio diluuio, Medicus non decernet Rheumbarbarũ, cuius tribunali non sistitur humor aqueus, sed Agaricum, & folia sennæ consulet, quibus competit eliminare pituitam ratione dominij insiti: si verò bilis sit effera, iudicio Rheibarbari erit subiicienda; eius enim imperio compescetur.

Ex Ivre Canonico.

Defectu huius dominij, Iure Canonico Cruces minimè decernuntur ad expiationem peccatorũ. Nam vt Ecclesię forum animas attẽdit,

eius etiam supplicia non sunt morte tenus: nescit Ecclesia sanguinem effundere, quia Ius illius non se effundit in sanguinem, imò Ius ipsum Pontificium profitetur obsequium Iuri Cæsareo, in his quæ Cæsaris sunt, vt legere est in hoc Canone, vbi Papa Leo IV. Lotharium Augustum sic affatur. *De capitulis vel praeceptis Imperialibus vestris, vestrorumque Pontificum praedecessorum irrefragabiliter custodiendis, & conseruandis, quantùm valuimus, & valemus Christo propitio, & nunc, & in æuum nos conseruaturos modis omnibus profitemur.* Hinc ritus Ecclesiæ clericos morti obnoxios tradere brachio sæculari puniendos, cuius est affigere Cruci reproba capita indigna lucis vitura.

Canone de capitulis dist. 11.
Pontifices iuri Cæsareo obsequium se præstituros professi sunt in his quæ Cæsaris sunt.

Ius populi quare ad Principes deuolutum.

Et reuerà operæ pretium fuit, populos Ius suum gladij & Crucis reponere apud Principes, ne fieret iniuria legi, ad cuius amussim plebs imbellis nequiret reuocare reos impunè delinquentes; quia inermis populus non in impiorum cœtum præualeret, sicque esset lex exlex, & grassaretur orbe toto iniquitas impunita. Principe autem ferente leges, & eas tutante armis & Crucibus, rari sunt legifragi; & si qui sunt qui deuient à legibus, incidunt in Cruces, aut gladium, iuxta effatum Caroli Magni Imperatoris, qui capulo gladij sui veluti sigillo suas sanctiones obserabat, dicens eumdem ensem, qui signarat leges, fore vindicem iniuriæ illatæ legibus.

Carolus Magnus capulo gladij signabat leges.

EX SYMBOLIS.
Regis iusti symbolum.
D. Ambros. lib. symbol.
Leges cur debeant esse in tutela Regis.

Fauet symbolum illud effectum in gratiam Christianissimi Regis Galli Ludouici, qui cùm à teneris annis iustitiam excoleret, & titulo Regis iusti caperetur, oblatus est ei cubus liliis insitus, hoc titulo. STAT REGE LEX, STAT LEGE REX. Cubus legem refert, quę debet esse firma, iugiterque sibi constans, lilia notant Regem. Voluit auctor Principi ingerere Legem & Regem ope reciproca vigere: labant enim leges, quæ sunt extra tutelam Regis, eas auctoritate sua minimè fulcientis.

EX IVRE CANONIC.
Can. Iustum est. Dist. 9.
Legibus obtemperare debet Princeps.

Irrita esset Crucis erectio, si regia fulcra eam non firmarent; ita & Rex incurius legum, id est, exlex, & sine lege, Rex est nomine tantùm tenus cùm potissimum Regis decus pendeat à legibus obseruatis, vt Canones sancti clamant, & in his istę præcipuus. *Iustum est Principem legibus obtemperare suis: tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam praebet. Principes legibus teneri suis, nec in se conuenit posse damnare Iura, quæ in subiectis constituunt: iusta est enim vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Leges sunt armatura Regum.
EX IVRE CIVILI.
Ex proœmio instituti.

Ea est habitudo legum & Principum, quæ gladij & clypei; leges sunt gladij Principum, & Principes clypei legum, quarum obsequium Reges armat & tuetur, vt ait ipse legifer Imperator sic exorsus rudimenta Iurisprudentiæ. *Imperatoriam Maiestatem, non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.* Itaque leges & Principes mutuo obsequio se tutantur. Leges incumbunt Crucibus, quas erigit principatus; & Principes stant legibus, quarum iniuria pessum eunt regna, iustitiâ tantùm & pietate stabilita.

Iustitia & pietas sunt columnæ Reipubl.

Hoc numismate suo Carolus IX. Rex Gallus aperuit. Duas ille columnas cudit in icone; singulis columnis, totidem coronis imminentibus, hac epigraphe ducta in ora numismatis. PIETATE ET IVSTITIA. Quasi diceret, coronas omnes nutare, si impietas, & iniustitia in regna irrepserint. Benè ergo adinuentæ Cruces, nimirum sunt columnæ pietatis & iustitiæ; quæ fortasse forent extorres, si non terreret impios aspectus Crucis, brachiis expansis reprobos amplectentis, vt eos miseros vexet, & expetat pœnas læsæ pietatis, & spretæ iustitiæ. Vt autem essent efficaces Cruces, nancisci debuere Principes, quorum dominio stare potis essent; nam deiectæ Cruces nullius sunt momenti, nec impij earum formidine compescuntur.

EX SYMBOLIS.
Luckius libro Numismat.

Titulo supplicij expuncto, viget iniquitas, & quisque bonus incurrit in discrimen, quia vndique curritur in crimina. Audiendi Patres Sancti, & in his Augustinus. *Remotà iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna? manus etenim ipsa hominum ex imperio Principis regitur, pacto societatis astringitur, Placiti lege præda diuiditur: hoc malum, si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget; euidentis regni nomen assumit, quod eis iam in manifesto confert non adempta cupiditas, sed additâ impunitas: eleganter enim & veraciter, Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit; nam cùm idem Rex hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? ille liberâ contumaciâ; quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? sed quia ego id exiguo nauigio facio latro vocor; quia tu magna classe, Imperator.* Hæc Augustinus, explicans quo impij, & impunes hominum ausus orbem totum præcipitem agant. Bernardus etiam compendiosè rem attingit sic fatus. *Impunitas securitatis & negligentiæ mater, nouerca virtutum, religionis virus, tinea sanctitatis.* Et alibi superiorum carpens incuriam, quæ crimina non compescit, sæuiendo pœnis reprobis hominibus irrogatis; sic Sanctus ille in eos inuehitur. *Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix; inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentésque rectores.* Hactenus ille.

Iustitia remota quàm multa noxia emergant.
EX SS. PATRIBVS.
S. Aug. lib. 4. de ciuit. Dei c. 4.

S. Bernard. lib. de conscientia c. 13.
Impunitatis mala.

Idem lib. 3. de consideratione.

Itaque necessaria fuit Crucis erectio, eo auctore, qui suo dominio eam stabilire posset, & ad eius mulctam reuocare reos. Ex præfatis infer, Deo auctore Cruces inuectas, & supplicia instituta, vt à cuius dominio suum dominium emendicant omnes, qui domini nuncupantur. Etenim ille rerum Dominus, qui aliquos homines voluit gerere dominium, concessit etiam titulos & infulas suæ potestatis; Ius scilicet gladij, & Crucis, Vnde Paulus ait. *Potestatem time, non enim sine causa gladium portat.*

Cruces quare sint necessariæ.

Rom. 13.

Esse autem Cruces seu patibula argumentum dominij, videre est ex Iure, quo nefas est erigere hos titulos, si minimè ditioni conueniant: hinc olim Comites Campaniæ, æmuli Regum Galliæ, in parma gentilitia præferebant tæniam transuersam substratam tredecim patibulis seu Crucibus, quas commissas vocant,

Cruces quæ sint gloriosæ Comitibus Campaniæ.
EX HISTORIA.
Rara … de Gentilitiis parmis.

vocant, quia stipiti lignum transuersum committitur, nullo eminente capitello. Hæ autem tredecim Cruces notabant tredecim comitatus, quibus præerant potentes hi Dynastæ, habentes in singulis, singulas Cruces erectas. Cùm ergo Deus orbi toti præsit iuxta illud. *Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarũ, & vniuersi qui habitant in eo.* Nullæ Cruces eo inscio decernuntur. Nimirum nemo Cruci affigitur, nisi Deo quasi cedente Iuri suo, & permittente Crucis pœnam infligi eis, quos Crux lacerat, & diuexat, vt liquet ex responso Christi Domini, cui cùm Pilatus obiecisset. *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me, nisi tibi datum esset desuper.*

Psal. 23.

Ioan. 19. Cruces nemini Deo inscio decernuntur.

Quid ergo queruli in Cruces nostras inuehimur, nescij esse à domino Deo omne quod patimur, & homines nobis iniurios esse iustitiæ Dei vindices, & ministros? Quid imitamur canes lapidem proiectum rabido dente demordentes, ad sui perniciem? dum enim sæuiunt in lapidem, dentes comminuunt, illæso homine qui emisit. Conterimur ipsi, dum armamur in vindictam; & dum sumus iniurij Crucibus nostris, impatiens animus officit sibi, & non Deo, quo moderante eueniunt illæ molestiæ. Alius in ægritudinem suam inquies debacchatur, hic suam deflet inopiam; perperam sanè, cum vtriusque Crucis Deus ipse sit æquus dispensator.

Ex Figvris. Cruces & supplicia quare Heli sacerdos æquo animo acceperit.

Huius doctrinæ non nescius Heli sacerdos Hebræorum, cùm audiisset à puerulo vate, domui suæ imminere cladem summam, scilicet translationem sacerdotij, necem filiorum suorum, & suiipsius instantem mortem, quia ipso patre segnius agente, filij eius deliquerant. Pontifex grandæuus nihil sua canitie indignum emutiit; non ingemuit posteros suos fore inglorios amisso Pontificatu; non defleuit filiorum suorum immaturam mortem; demum non studuit excutere Cruces impositas: sed speculans Deo decernente Cruces aptari consonas vnicuique, in has erupit voces indices animi sui Deo deuincti. *Dominus est, quod bonum est, in oculis suis faciat.* Quasi diceret; penes Deum est & personarum, & rerum omnium dominium, quis eludere queat eius iudicium, appellando tribunal superius? iusta sunt iudicia eius; Cruces amplector, mihi Deo sic sanciente præstitutas. Benè ergo Christus instante passione sua ait: Nunc est iudicium mundi; nulla enim Crux erigitur inuito iudicio Dei, cuius decreta æterna in impositione Crucis excolenda sunt, & animus excitandus ad obsequium voluntatis Dei, cui debent nostra omnia supplicia suffragari.

1. Reg. 3.

An Deo conueniat Cruces homini imponere.

Pvnctvm II.

Propensionem ad miserandum, esse quid proprium Dei, Scriptura sanctior passim insinuat, & præcipuè Psaltes sic iubilans, & ad iubilum excitans omne hominum genus. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius.* Et alibi. *Misericordia Domini plena est terra.* Hinc licet arguere, non esse locum Cruci, si totam terram misericordia occupat: non enim coeunt miseratio atque supplicia. Dubij istius tota discussio Theologica est, & petenda ab indagine rationum, quæ affirmant iustitiam Deo competere.

Psal. 116. Psal. 118. Misericordia Dei propria.

Disciplinæ illius sacræ indubium est assertum, Deo conuenire omne illud, quod imperfectione seclusa perfectionem sonat. Sed iustitia in suo conceptu formali nihil Deo dissonum dicit, sed omnia illi idonea; ergo in Deo erit iustitia: nec est quod quispiam instet, iustitiam esse qualitatem, & nullas virtutes esse substantias, Deum verò esse nescium qualitatis; nam tota ratio iustitiæ stat in Deo, etiamsi non sit accidens: non enim Deum accidentaliter iustum dicimus, sed essentialiter, ab eóque secernimus modum operandi creaturis insolitum; ideóque iustitia vt est perfectio simpliciter simplex, vnum est ex attributis Dei.

Ex Theologia. S. Thomas lib. 1. contra Gentes c. 93. Iustitia quid sit.

Iure Ciuili liquet illa perfectio; sic enim definitur. *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens.* Hac autem definitione nihil incongruum asseritur, imò maximè perfectum. Nam beatius est dare quàm accipere; & perfectionem insinuat illa constans perpetuáque voluntas, nesciens in vllam inflecti partem contrariam æquitati; siquidem de ratione boni ex Philosopho est, vt sit diffusiuum.

Ex Ivre Civili. Lege iustitia est ff. de iustitia. Iustitia competat Deo necne.

Igitur cùm Deo competat iustitia, & ex Philosophia pars iustitiæ sit vindicare, & punire delicta; Dei erit Cruces decernere, quibus coërceat hominum deliquia; & dicitur iustitia vindicatiua, quæ est voluntas puniendi delicta. Esse in Deo huiusmodi voluntatem, Codice sacro multifariam ostenditur, vt istis locis. *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Et Ioannes hanc adstruit. *Vera & iusta sunt iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.*

Ex Philosophia. Aristot. l. 5. Ethicor. ca. 11. & l. 3. Polit. c. 5.

Roman. 12. Apoc. 19.

Vindex tamen Dei animus misericordiam non expungit: nam misericordia dicit excessum in præmiis, & diminutionem in pœnis infligendis, & taxandis, quod ostendit misericordiam, & iustitiam coire, nec esse in Deo realiter quid discretum. Istam vtriusque attributi concordiam benè explicat Anselmus. *Iustus es, quod decet te summum bonum; id solum iustum est quod vis, & non iustum quod non vis: sic ergo nascitur de iustitia tua misericordia tua, quia iustum est te sic esse bonum, vt & parcendo sis bonus.* Rursus tantùm abest vt iustitia vindicatiua officiat Deo, quin potius diuinitatem astruit in hominum mente, quos pœnæ formido validiùs abstrahit à peccato, quàm præmia obiecta. Eamobrem Deus homini non præmia est pollicitus, ob inediam pomi, sed vt exigeret obsequium à ieiunio minas potius intentauit: siquidem ait. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Suum Ius vitæ & necis Deus ab initio homini propalauit, insinuans se rerum

Misericordia Dei stat cum iustitia.

Ex SS. Patribvs. S. Anselm. prosolog. c. 11.

Genes. 2. Cruces seu supplicia quare Deus instituit.

rerum esse omnium Dominum: & in argumentum sui dominij, Crucem veluti erexit in pœna mortis indicta homini delinquenti. Hoc non latuit Petronium virum infidelem, cuius hoc est effatum. *Primus in orbe Deos fecit timor.*

Petronius in fragmentis.

Ius illud erigendi cruces adeò regium est, & zelantes adeò fuere Reges huius potestatis, vt in eius partem noluerint adsciscere quemquam etiam præpotentem; vt constat ex Rege Assuero, qui etsi Iura regni sui penes Principem Aman deposuisset, non ausus est tamen crucifigere Mardochæum Rege inconsulto. Sic enim fatur scriba sacer. *Responderunt ei Zares vxor eius, & cæteri amici: Iube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic manè Regi vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum Rege lætus ad conuiuium. Placuitque ei consilium, & iussit excelsam præparari crucem.* Hæc exponit Codex sanctus, & subiicit, ipsummet Aman pependisse in ea cruce ex mandato Regis, & hoc in mulctam ambitus. Etenim videbatur ambiuisse principatum, dum crucem erexit. Si ergo cruces decernere sit summæ tessera potestatis, & supremum Ius ad Deum pertineat; quis eat inficias, Deum citra sui dispendium, cruces com, onere idoneas vnicuique?

Cruces erigendi facultas regia.

Esther. 5.
Aman quare Cruci addictus.

Rursus quò quis melior est, eò magis insurgit in id omne quod impetit bonum. Vnde & Dauid suæ bonitatis specimen editurus ait. *Iniquos odio habui.* Et alibi. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Cùm igitur Deus sit summè bonus, Deo conuenit odisse malos summè: hinc vt amare est velle bonum, ita odisse erit velle malum. Velle autem Dei, quia est practicum, ideo parturit cruces vt vindices mali, in quod desæuit Deus. Non igitur alienum est à Deo præfinire cruces: nam si impunè grassaretur iniquitas, esset periculum ne quis obtrectator Deo affingeret illud scomma, quod Græcus quidam Principi extero aptauit. Audiuit ille Philosophus aduenam effusum in laudes Principis sui, & dicentem adeò esse bonum, vt & malis rarò succenseret. Tunc ille: Ergo tuus iste Princeps longè est à bonitate: nam bonitas, vt est bona bonis, ita & mala malis; ex lege rerum, quæ discordes nequeunt conuenire, vt quò calor intensior, ita magis eliminat frigus. Non est igitur quod quis demiretur asseri istud, à Deo esse cruces omnes, iuxta illud. *Non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Et illud. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Alioquin non esset Deus, si peccati fautor esset, & in hoc maximè se moderatorem rerum probat, eo quod bonos recipit ad amplexus, & impios nexibus plectit, & agit in cruces.

EX PHILOSOPHIA.
Aristotele. lib. Categoriar. c. 10.
Psal. 118.
Psalm. 100.
Cruces decernere non est ingloriū Deo.

Amos 3.
1. Reg. 2.

Eo habitu voluit in numismate depingi Imperator Carolus Quintus, sub typo aquilæ. Cudit ille iconem, in qua regia auis Imperio sacra, alis expansis cælicum quid spirans, media erat inter surculum oliuæ à dextris, & à læua fulgur scintillans, hoc titulo explicante elinguem hanc picturam. SVVM CVIQVE. Quasi diceret regij Iuris esse præmia decernere benè de Republica meritis; sicuti & arcere in los cruce, quæ est veluti fulmen, quo quatiunt Reges impia capita reproborum.

Carolus V. quomodo depingi voluit.
EX SYMBOLIS.
Lukius lib. [illegible]
Carolus V. amator [illegible] cultus.

Nec obiicias, in Deo nullam esse rationem mali, qua possit aliquod ingerere nocumentum etiam ipsis malis: à bono enim nihil nisi tale emanare potest; atque adeò ne inferas, alienum esse à Deo vindicare piacula, & cruces inuehere: nimirum Deus non ideo semina malorum habet in se quando punit; sed de eius rectitudine voluntatis est, vt nolit ea, quæ deflectunt à tramite boni: & cùm efficaciter nolit malum; odium illud erumpit in cruces.

Similitudo congrua petitur è re Medica, ex Mathematica, & Historia, imò & ex Iure Canonico, quibus quò res melior est, constat etiam eam magis in quæque noxia desæuire. Res Medica tanti facit suum Rheum Barbarum electum, vt illud nuncupet vitam hepatis; eamque ait illi esse insitam vim ventriculo salutarem, vt cùm reliqua pharmaca cathartica noxia sint principi visceri; istud non innoxium modò sit, sed salutem etiam stomacho & iecori morbidis impertiat. Tamen idem Rheum, partibus quas nobiles vocant idoneum, nactum in ventriculo bilem stabulantem porraceam, & æruginosam, inimicam saluti hominum, eam eliminat, veluti maleficam: imò licet hepati maximè congruat tale remedium; si tamen hepar æstuet calore immodico, iam erit mors hepatis accensi eadem res, quam principale viscus antea beneuolam perceperat. Nec eamobrem desinit esse pretiosum illud Pharmacum, cuius etiam inde bonitas petitur, quòd noxio humori validè resistit, & ab hepate vitij contracti quasi expetit pœnas, eò quòd à calore debito recesserit, vt æstu lethali miserè conflagraret.

EX RE MEDICA.
Paulus Aginata l. 7. c. 11.
Duretus in praxim Holerij capite de Ictero.

Rhei barbari facultates

Omne hominum genus instar vnius est corporis ante Deum, vt & Paulus. *Multi vnum corpus sumus in Domino.* In eo corpore partes ignobiles, & malefici humores sunt homines nebulones, atque nefarij; sicut ex aduerso, vices nobilium partium gerunt, animæ iustæ. Deus, qui omnibus hominibus adest, & intimè omnium peruadit mentes, si quas inuenerit biliosas, concipientes odium in proximum, si quas nanciscitur auaras, æruginosas, æri alieno insidiantes, illis irascitur, has expellit, & exilio mulctat. Si verò quispiam hominum principum id est Sanctorum à calore pristino amoris Dei defecerit; ille idem Deus, qui antea propitius erat, gratias infundendo, aduertens iam æstuare eum libidine, hunc cruciat in pœnam sceleris exantlati. Nec ideo Dei bonitas deperit, imò vel inde liquet maximè, quòd eius illibata bonitas malitiam nequeat vllatenus sustinere: & sic Cruces à Deo intentatæ reprobis non derogant eius optimæ maiestati.

Rom. 12.
Iustitia Dei cùm plectit non officit bonitati.

Siderum inspectores, dum Mathesim suam laudibus efferunt, vt præsciam rerum futurarum, multi sunt in recensendis virtutibus Planetæ illius, quem Venerem vocant: aiunt enim illū Planetam esse beneficum maximè & aliorum siderum dotes homini propitias adaugere, easque domos, quas peragrat in schemate cæli, reddere fortunatas. Verbi gratia, in prima domo nugantur Venerem longum æuum promittere fœtui edito, in decima domo honores, in septima coniugium felix, in quarta hæreditates, & mortem gloriosam. Si alios Planetas Venus obuios habuerit, eos

Veneris Planetæ virtus.
EX MATHEMATICA.
Ioannes schonerus & Donati Origanus in Isagoge ad Astrologiam capite de Inimicitiis & Amicitiis Planetarum.

recreat

recreat aspectu suo, & virtutis beneuolæ ingerit incrementum. Sed si Venus incurrerit in Saturni sidus, quod est pessimum omnium, & quod infortunium aliquod adfert semper, tunc Planeta Veneris velut immemor sui, iniquus est Saturno, nihilque boni ingerit, imò eum exasperat & virulentum facit: quasi vindicaret mala omnia, quæ peperit hic Planeta suis aspectibus infortunatis. Esto, virus effundat in Saturnum Planeta salutaris; nihil tamen inde dispendij patitur, aut desistit esse beneficus, quia male excipit pessimum sidus; sed potius hinc suam prodit bonitatem, quòd non impunè ei occurrit Planeta malis obnoxius.

Saturnus vt planeta malus.

Christus quare durius exceperit Scribas, & Pharisæos.

Ea ratione Deus ex Euangelio dum versatur in humanis, pertransiit benefaciendo, & sanando omnes: sed quandoque asper & austerus extitit obuius Scribis & Pharisæis, in quos vt hypocritas, & superbos sæpe succendebat; imò à verbis ad verbera processit aliquando, reperiens in templo celebrari nundinas: tunc enim facto flagello eiecit impios illos cœtus, iniurios loco sacro. Idem Dominus Deus optimus, à quo est omne donum optimum, quotidie incidens in maleficos homines, nonne sæuit & prorumpit in cruces & flagella? in bella videlicet, & in lues, quæ grassantur orbe toto in hominum perniciem, quos ea supplicia depascuntur; & tamen sospes est, & integra bonitas Dei, adeò defæcata, vt sit impatiens omnimodi mali.

Ex Ivre Canonico.
Canone de his qui de Pœnitentia D. st. 5.
Reprobi malè excipiuntur à sacris Canonibus.

Dei naturam æmulantur Canones sancti, & Præsules Ecclesiæ; quò enim Antistes magis eminet, plures etiam gratias impertitur iustis hominibus: sed ex aduerso sæuior existit in reprobos, vt videre est hoc Canone facto in relapsos ex Concilio Aurelianensi. *De his qui suscepta pœnitentia religionem suæ professionis obliti, ad secularia relabuntur, placuit eos, & à communione suspendi, & ab omnium Catholicorum conuiuiis separari. Quòd si post interdictum cum eis quisquam præsumpserit manducare, & ipse communione priuetur.* Audis concilium, quod debet omnium animos conciliare sibi, esse tamen rigidum, & efferum? Ita planè; sed in relapsos, qui fiunt repetito facinore peiores. Ipsi summi Pontifices, penes quos sunt thesauri & prædiuites gazæ meritorum Christi, quando concedunt indulgentias, nonne sibi reseruant aliqua piacula, quæ homines sceleftos secernunt ab illo beneficio? nec ideo non est Ecclesia misericors, quia iustam se probat sanciendo pœnas vnicuique sceleri competentes.

Et ne causeris Ecclesiam ab ea recessisse lenitate, quam à Christo Domino Apostoli primitus ebiberunt, consule Apostolorum Canones, & deprehendes eos Christi discipulos, Principes Ecclesiæ, ita fuisse vnanimes, & publici boni atque concordiæ cupidos, vt in minima etiam deliquia aduertisse videantur, ne grauiora irreperent, quibus læderetur concors animus Ecclesiæ. Vide quàm seuerè animaduertant Apostoli in rem, quam hodie nihili facimus. Sic habet canon. *Si quis mancum aut mutum, surdumve, aut cæcum, aut eum, cui vitiosus incessus est, subsannauerit, communione priuator; consimiliter & laicus.* Quæso vbi illa lenitas insita Euangelio Christi? Vbi

Canone 56.

illa mansuetudo toties commendata à Domino? Quis non hoc Canone colligeret immemores esse Apostolos dictorum Christi? Et hoc tamen non derogat benigno illi spiritui; qui vt compatitur afflictis, ita etiam in dyscolos excandescit.

Ex Historia.
Duplex in Carolo VIII.

Non ergo derogat Dei dignitati crucis hæc fabrica austera, prodens dominium Dei, & odium mali cuiusuis; imò maximè consonat diuino ingenio cruce enim bonis, & malis cauit; bonis quidem, ne degeneres in crucem inciderent; malis, vt cœptis imponerent finem retrogrado gressu. Eâ cautione Carolus VIII. Rex Gallus imperij sui longè latèque diffusos esse ostendit fines. Nam ille in expeditione Neapolitana, quæ ei adeò feliciter cessit, cùm Romam ingressus omnes suspensi expectarent, qualiter se gereret Rex in prima adhuc lanugine. Ille consulturus vrbi, & modum positurus rixis atque tragœdiis, quas sæpè miles inquies excitat, iussit in quibusque triuiis erigi prægrandes cruces, quarum aspectu Romani concepere securitatem, quam dubiam fecerat exercitus ille de victoria insolescens. Sed vt cruces illæ Regis Galliæ erant indices & potestatis, & iustitiæ bonis non ingratæ; ita noxiis horrorem ingerebant. Nec adeò Romanis extitit gratus epulis & largitione munerum, quàm crucibus multis erectis, quibus vt columnis Romana salus quasi incumbebat.

Carolus VIII. Rex Gal quomodo Romę suā potestatem ostendit.

Crucis erectione Caroli VIII. Rex Gal suam gloriam probat.

Eo ritu Deus omne hominum genus iudicaturus adueniet: nam in nubibus apparebit signum filij hominis, scilicet Crux ad solamen priorum, & ad vltionem eorum, qui nefariis actibus meruerint in malam crucem condemnari; vide igitur quàm inanis sit ratio eorum, qui genio suo indulgent, & credunt se impunè dare operam voluptati: aiunt quippe Deum non hominem edidisse in pabulum ignis, sed ad gloriam; non ad cruces, sed ad infulas, & titulos dignitatis: dixit enim Deus hominibus adhuc in incunabulis. *Dominamini, & crescite.* Quorum vnum ad honores spectat, & alterum ad voluptates. O cæcas hominum mentes! ô sordidum Epicuri de grege pecus, ô reprobos ad sui perniciem doctos. Dominium illud erat in bestias, ac sic gloriæ expers; vt & hodie inglorium est pascere porcos & armenta. Incrementum verò in illo statu naturæ integræ erat alienum ab effræni illa libidine, quæ postea accendit totam Adami prosapiam. Et tantùm abest vt homo ad voluptates sit editus, quin potius, ad laborem est effictus, ipso auctore Moyse, qui ait hominem esse positum in paradiso vt operaretur, & custodiret illum. Vnde ego sic arguo; si laborem, & custodiam iniunxit Deus homini innoxio, quid credis iniunctum ei post fracta iustitiæ repagula? Audi sententiam. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas, & tribulos germinabit tibi: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Crux in nubibus Christus potestatem suam aperiet.

Hominis dominium erat in bestias.

Gen. 1.

Ex Figvris.

Gen. 3.

Speculare quæso callidum Dæmonis ingenium. Deus ab exordio mundi Crucem erexe-

Cruce erecta Deus Adam voluit seruare.

rat, vt eius aspectu atque formidine homo non fieret exlex: ait enim illi Deus, instare mortem, si ad esum pomi sese accingeret; ideo Dæmoni suadenti esum vetiti cibi, Eua obiecit Crucem, id est, minas futuræ mortis, dicens. *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Optimè sanè ô mulier, & non ad insipientiam tibi, & vtinam stetisses in hac recensione Crucis & pœnæ indictæ; Sed heu Angelus ille vafer, & nequam Crucem euertit, & velut in frusta comminuit, quando suggessit mulieri, frustraneam esse illam mentionem mortis à Deo factam, eamque fuisse terroris & non veritatis. Sic spiritus ille nebulo. *Nequaquam moriemini: scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum.*

Gen. 3.

Cruce euersa dæmon perdidit Adam. Gen. 3.

Quæso meditare, quo astu satagat dæmon eradere characteres Crucis seu pœnæ, quos Deus impresserat hominum menti, & quibus integris, nequidem cogitarat Eua de carpendo fructu, cuius pastus erat Cruce recensita puniendus. Sed vbi audiit esse ementitam illam Crucem, quam Deus obiecerat, & pomi degustati reliquias esse tam sapidas, scilicet Deitatem & scientiam, aliasque præclaras dotes animi subsequentes illud edulium; inclinare animum cœpit ad fructum comedendum, à quo etiam hactenus oculos auerterat, vt & colligere est ex ipso textu sic narrante. *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Nota mulierem iam habenas omnes relaxasse oculis antea cautis, ne læderentur aspectu rei, quæ contacta Cruci faciebat obnoxios eos qui tangebant.

Gen. 3.

Assuetum, inquit S. Ambrosius, bello viperum fraus hesterna instruit: vt enim didicit vsu, benè sibi cessisse Crucis memoriam deletam ex hominum mente; primum quod ingerit suasurus voluptatem, istud est: Nequaquam morieris: Deus non tyrannum agit, sed patrem se præstat vtique immemorem criminum omnium, quæ incauti filij perpetrarunt; teste prodigo, qui pessum actâ substantiâ suâ redditus est prisco statui, à quo impiè defecerat: Miserationes Dei super omnia opera eius: nouit hominum imbellem esse & fragilem indolem; ac proinde non damnabit eos, quos scit fragilitate potius quàm iniquo animo deliquisse. Talia suadenti aures præbet caro patulas, remque incauta considerat, à qua cautior antea sibi temperabat. Tandem aspectu obiectum sese insinuat in delectationem, & demum gliscit in consensum, quando caro tradit viro suo, id est, cùm caro delinita spiritum trahit ad exerendos actus dissonos obsequio, quo sibi Deus nos deuinxit; totaque mali labes habet initium ab euersione crucis, qua stante irriti sunt omnes dæmonum ausus.

Crucis obliuio perniciosa reprobis.

Hoc ante me aduerterunt Sancti Patres, quorum in hac materia accipe suffragia; & in primis Augustini. Sic ille. *Irremediabile est periculum, sic aliquem vitij, & cupiditatis frœna laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum.* Quasi diceret: obliuionem crucis, quæ manet reprobos, eos agere præcipites in certam abyssum. Occinit Augustino Sanctus Cæsarius Arelatensis. *Quando subrepit peccati delectatio, statim futuri iudicij diem abscondit obliuio, iuxta illud Psalmi: Non est Deus in conspectu eius, auferuntur iudicia tua à facie eius. Irritauit impius Deum: dixit enim in corde suo; non requiret.* Sed vt Adam dum oblitus est crucem, in eam & in spinas incidit, quas maledicta terra vindex facinoris eius edidit; ita & omnes, qui aucupio voluptatis deliniti capiuntur, dum non recensent supplicia, fiunt illis obnoxij. Luculentus est testis huius asserti diues ille Epulo, cui in argumentum pœnæ irrogatæ, nihil aliud obiecit Abraham, quàm vitam actam in deliciis longè à cruce. Quasi à cruce abhorreret Deus, sicuti mentitur dæmon.

Ex SS. Patribus. S. Augustin. sermon. 120. De tempore.

S. Cæsarius Arelatensis. in opusculis. Iudicij obliuio perniciosa est reprobis.

Audiendus est Bernardus, totus in mea sententia, expendens rationem eorum cruciatuum, quos subit in inferis ille diues infelix suæ gulæ mancipium. Sic in perditum hominem Sanctus hic debacchatur: & in omnes reprobos asseclas eius. *Expergiscimini ebrij, & flete; terribilis enim Deus in iudiciis super filios hominum. Haccine cruciatuum causa tota, quòd in hoc sæculo bona recepit? Ipsa planè. Neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animaduersio diuina eiecisse videtur, vt alterum sibi hic paradisum adinuentio humana pararet. Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quòd venit in mundum. Quid respondebit ei qui misit eum, qui instituit vt laboraret? Memento ait quòd recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Quid dicemus ad hæc? Si talis finis, & tale iudicium, vt extrema gaudij luctus occupet: nunquid non præferenda sunt in hoc sæculo mala bonis? Quippe nec illa vera bona, nec ista vera mala esse manifestum est. Vera potius sententia Salomonis: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Cæterum si sic cruciandi sunt qui in vita sua bona receperunt, & habentibus consolationem præsentem, væ repositum est sempiternum; consequens videtur, vt bona omnia, & omnem sæculi huius recipientes consolationem, nihilominus vniuersum væ, & vniuersi maneant cruciatus. An verò & illud æquè ex eadem Abrahæ sententia coniiciendum videtur, eos qui contrario ducti spiritu, vita præsentis omnia bona respuunt, & eligunt mala, omnia quoque bona Domini, & omnem habituros consolationem.* Hæc ille, reponens bonorum omnium & malorum summam penes crucis amplexum aut contemptum. Nemo igitur auscultet Dæmoni suggerenti, Deum non intentare cruces: sed hoc esto omnibus ratum, eum parturire salutares conceptus, qui cruciatus crimini debitos animo versabit; eum verò, qui crucis erit immemor, facere abortiuum.

Homo non est eiectus de paradiso vt in terra quærat paradisum. S. Bernard. in declamatione supra hæc verba: Ecce nos reliquimus omnia.

Pœnitentia quare sit hic facienda.

Cruces omnes ad tria tantùm genera referuntur.

PVNCTVM III.

Quamuis omne id quod cruciat, crucis nomen importet, ac si innumeræ Cruces recenseri

Crux dicta à cruciando.

recenseri queant; omnes tamen adæquatè ternario numero concluduntur, & sigillatim reducuntur ad has tres, quas commemorat sacer textus historiæ Passionis Christi. Prima Crux dicitur in se bona, sed mala vitio hominis impij in ea crucifixi; & est ea, in qua pependit latro ille nebulo, qui iniurius fuit Christo in eodem agone posito. Secunda Crux melior, quia expiatoria facinorum illa est, cuius obsequio alter latro socio suo cautior, exosus præterita piacula, hac Cruce veluti vehiculo raptus est in cælum, derelictis exuuiis peccatorum suorum; in illo ligno vindice delictorum. Tertia demum Crux, & optima, dicitur gloriosa, quia non ad expiationem patientis adiecta est, sed ad maiorem Dei gloriam; vt fuit ea, quæ Christum Dominum sustulit, non indigum expiationis. Habent hæ tres Cruces sua signa, quibus optime dignoscuntur.

Crucis species ad tres reducuntur.

Ex Philosophia.

Ne autem hallucinemur in æquiuocis, ea sunt ex Philosophia distinguenda ipso orationis exordio, ne longiore tractu similitudo vocum nobis imponat: & cùm primò occurrat mala Crux reprobi latronis; inuestiganda est natura mali, vt inde nomenclaturam mali liquidius aucupemur. Ex Philosophô contrariorum eadem est scientia, & contrariæ etiam passiones: ergo si natura boni sita sit in virtute quadam demulcendi voluntatem, quæ protinus & vltro fertur ad obiectum, & virtus illa deliniendi animos nihil sit aliud quam quædam conuenientia boni cum re, quæ appetit; ex regula contrariorum colligere est, naturam mali attendi penes fugam & odium, & proinde malum esse id quod omnia fugiunt: & rursus inferre possumus fomitem odij, quo ferimur in malum, esse disconuenientiam aliquam omnibus insitam cum malitia cuiusque rei. Hanc disconuenientiam alij explicant nomine carentiæ, cùm asserunt malum esse priuationem boni: vt enim priuatio dicit carentiam formæ in subiecto natura sua apto ad talem formam; ita priuatio alicuius boni non dicit malum inesse alicui inepto ad tale bonum: verbi gratiâ, homini esse animal implume non est aliquod malum, quia ad volatum non est editus homo; sed hirundini, quæ duntaxat volando pascitur, exui alis est summum malum illi, ex quo indubia sequitur pernicies, siquidem hirundo implumis inedia consumetur.

Aristoteles lib. categoriarum cap. 1.

Crux quomodo esse queat malè.

Malum quotuplex esse queat.

Alterum quod occurrit est, malum esse vnum naturæ, aliud culpæ: malum naturæ pœnam dicit; non enim distinguo mala naturæ & pœnæ, cùm sint generis physici. Malum culpæ in moribus attenditur, vnde si quæ est conuenientia alicui rei malæ secundùm naturam; si inquam res aliqua naturæ inimica faciat ad congruos mores, erit illa bona moraliter, quia competit ei ratio generica boni, attendenda penes aliquid consonum appetenti.

Ex re Medica.

Fernelius lib. 2. sua Pathologia.

Dolor quid sit.

His præfatis, omnes Cruces malæ sunt physicæ speculationi; omne enim, quod cruciat aut dolorem adfert, non conuenit animali, nimirum ex Medicis, dolor siue cruciatus est tristis affectus appetitus sensibilis, exortus ratione læsionis, quam incurrit homo quando dissoluitur naturæ debita temperies; aut in qualitate quando rigent ea quæ calere debuerant, aut æstuant plus æquo illæ partes, quas natura modicè tantùm voluit foueri. Vt cùm meninges cerebri accensæ à bile feruida lancinant & diuexant miserum caput. Si verò solutio fit in quantitate, repentinus dolor exurgit, vt videre est in animi deliquio excipiente amputationem membri.

In eo igitur genere naturæ, humanum est horrere Crucem vt malum, quantumuis à Deo proueniat. Eamobrem Christus præscius fore hæreticos, qui dubiam facerent naturam suam communem cum cæteris hominibus, dicentes eum fuisse hominem cute tantùm tenus, & membra illius vt oculorum ludibria duntaxat fuisse fictitia. Ille inquam Deus homo specimen editurus naturæ indubiæ, Crucem exhorruit, & petiit calicem hunc transferri, quamuis constaret ei de cruce cælitus ordinata. Itaque Physicè omnis Crux est absolutè mala, nec in acrum natura locus est titulo huius puncti astruentis tres Cruces, bonam scilicet, meliorem, & optimam. Vt ergo stet illa diuisio, est aliò reuocanda, videlicet ad genus morum, ratione cuius sunt institutæ Cruces atque supplicia. Cùm autem dico frequenter Cruces atque supplicia, nolo intelligas esse semper nomina synonyma Cruces atque supplicia: licet enim omnia supplicia sint Cruces, eò quòd cruciant; Cruces tamen omnes non sunt supplicia: supplicium enim dicit quidpiam inglorium quod supponit crimen aliquod expiandum; non tamen supplicium desinit esse bonum moraliter: nam facit ad meliorem frugem, seu ad reformationem morum, qui sanctiores fiunt aliquo supplicio castigati.

Cruces abhorrere naturale est.

Cruces & supplicia nō semper sunt res synonimæ.

Sit ergo ista conclusio, vt & vera ita & planè Christiana. In genere morum, absolutè quælibet Crux est bona: bonum enim moraliter & Theologicè loquendo est id quod meritum auget in ordine ad gloriam; & hinc bona actio etiam meritoria nuncupatur. Bonitas autem moralis cuiusque rei petitur à fine & intentione illius: cùm ergo finis seu intentio Dei immittentis Cruces sit incrementum gratiæ, erunt suspiciendæ Cruces vt à Deo aptatæ, iuxta indolem hominum singulorum. Si licuit Philosopho dicere, opus naturæ esse opus intelligentiæ, quia res inanimæ ad vnum quid determinatæ diriguntur in finem suum ab aliquo genio perspicaci, à cuius intento bono siue malo res physica dicitur absolutè bona aut mala, etsi ipsa sit inscia finis sui, vtpote cognitionis impos. Verbi gratiâ, panis censetur esse bonus, quia Deus bonum finem ei sanxit, scilicet animalis sartam tectamque substantiam; venenum verò dicitur absolutè malum, quia in eius vsu Deus intendit dissolutionem corporis & animæ, quam homo naturaliter malam existimat, dicens mortem esse terribilium omnium terribilissimum. Si inquam res physicæ nomenclaturam boni, & mali emendicant ab intento intelligentiæ, quod est bonum, quando conueniens est naturæ; malum verò physicè quando naturæ est inimicum; potiori titulo in moralibus res etiam vitæ expertes dicentur bonæ, si in earum editione Deus intendit animæ curam, seu perfectiorem habitum; vt constat in Crucibus, quibus reuera nunquam angimur, nisi eas

Cruces moraliter acceptæ bonæ sunt semper.

Ex Theologia.

S. Thomas 1. part. q. 5. art. 4. 5.

Bonitas moralis vnde petatur.

Bonum illud est omne, quod Deus ordinat ad salutem nostram.

Cruces institutæ à Deo ad salutem hominum.

Domino

Domino moderante, & gratiæ modum hominibus quasi ad Crucis trutinam dispescente.

Quis igitur eat inficias, Cruces omnes esse bonas moraliter? quandoquidem plexu indiuiduo cultius schema morum Crucibus annectatur. Fauet pictura illa Ecclesiæ vernacula, qua Christo oranti in horto pridie Passionis adest Angelus è cælo baiulans Crucem & calicem. Insinuat enim hæc pictura loquax, Cruces omnes, id est, supellectilem omnem mortis sensibus ingratam, non casu accidere, sed maturo, & æquo Dei iudicio cælitus euenire. Adstipulatur huic dogmati orthodoxo luculenta historia, faciens fidem origini earum omnium passionum, quas Cruces in genere nuncupamus.

Crucis apparitio intra supra montem Oliueti.

Ex Historia.

Marcellinus in Chronico sub an. 419

Cruces apparentes in vestibus Gentilium post baptismum.

Cruce quare signentur baptizati.

Theodosij iunioris æuo, ille cælorum apex incubans monti Oliueti plus solito emicuit, & albescente cælo, nubes lucida quasi Deo fœta Christum parturiit, qui visus est imminere monti. Illius aspectu plagæ illius Gentes infideles, initiari sacris mysteriis in animum suum induxerunt. Illius oræ Pontifex sanctus præuia catechesi omnes candidatos alluit fonte sacro. Prodigiumque loco fuit, quòd vbi primum salutaris aqua tinxit illos neophytos, statim innumeræ Cruces ex eorum vestibus emerserunt. Has cælitus illapsas fuisse non est legitimus ambigendi locus; Deo sic testante, Cruces esse tesseras indubias fidei nostræ, & curæ quam suscipit animarum, quæ dedere nomen suum militiæ Christianæ; eas enim sic signatas discernit ab aliis, quas palantes agit dæmon extra caulas Ecclesiæ: videre est ergo, Cruces esse bonas moraliter, si originem spectes, quam desuper trahunt, siue specularis finem, qui est sanctificatio animarum.

Ex Ivre Canonico.

Potest, & adduci Ius vtrumque, scilicet Canonicum atque Cæsareum, in argumentum huius veritatis. Canones sacri eamobrem aiunt signari Cruce eos, quos baptismi vnda salutaris tergit, vt sciat inde Angelus nequam eos in Ius cessisse Christi. Sic habet textus. *Postea signatur baptizandus signaculo sanctæ Crucis, tam in fronte, quam in corde; vt ab eo tempore ipse apostata diabolus in vase suo pristino, suæ interemptionis cognoscens signaculum, iam sibi deinceps illud sciat esse alienum.* Nihil sane expressius ad rem nostram, cui incumbit probare, Cruces esse moraliter bonas. Etenim si ipso Crucis aspectu Dæmon ereptam sibi prædam gemit; profectò illud erit bonum quod nos eripit Diabolo, malorum omnium capiti & auctori: & secus, res ea bona censenda est, quæ nos adscribit albo Dei, à quo vt summo bono habent omnia quòd bona sint; sed Crux ea virtute pollet: ergo & non bona modò, sed optima nuncupanda.

Canone postea. de consecr. distinct. 4.

Cruces horret dæmon.

Crux est titulus regius

Titulus quid sit.

Ex Ivre Civili.

Lege animaduertimus. Codice de his qui potentiorum nomine titulos.

Iure Ciuili, tantùm olim præualuere tituli hominum præpotentum; vt prædiis affixi litigantium, sæpe elu serint aduersariorum actiones: eamo rem Imperatores Arcadius, & Honorius hanc constitutionem promulgarunt. *Animaduertimus plurimas iniustarum desperatione causarum, potentium titulos, & clarissimæ priuilegia dignitatis, his à quibus in Ius vocantur opponere. At ne in fraudem legum aduersariumque terrorem his nominibus abutantur, & titulis; qui huiusmodi dolo scientes conniuerint, afficiendi sunt publica sententia nota.* Hactenus hi Principes.

Tituli vnde petuntur

Titulus quare supra crucem positus.

Crux Christi regius est reuera titulus: vt enim Dynastæ titulum sumunt à loco potioris, ita & Dominus Iesvs antonomasticè dicitur Crucifixus, titulum à Cruce aucupans, vt ab insulis regiæ maiestatis. Hinc Cruci titulus appositus, clamans Christum demeruisse nomen Regis mediante Cruce: quasi magis arrideret, Pilatus inscius quid ageret, affixit Cruci epigraphen, qua Dominus Iesvs Rex dictus est; Nam penes Crucem stemmata sunt regia, vt præcinit Vates sic fatus. *Principatus eius super humerum eius.*

Isaia. 9.

Ex SS. Patribvs.

S. Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 21.

Ea fuit mens Sanctorum Patrum, in quibus Cyrillus sic. *Stabile ac supra columnam Christi regnum est, etiamsi Iudæi nolint, etiamsi gloriam eius non confiteantur. Non vult Pilatus mutare titulum, quia non fuit sibi permissum, aduersus Saluatoris Regis gloriam furere.* Subscribit Ambrosius, in Crucis titulo subodorans aliquid regale. Sic ille. *Meritò supra Crucem titulus, quia non humani corporis, sed Diuinæ potestatis est regnum, quod habet Christus. Meritò supra Crucem titulus, quia licet in Cruce erat Dominus* Iesvs; *supra Crucem tamen Regis maiestate radiabat.* Accedit & Rabanus. *Supra Crucem Regis maiestas fulgebat.* Adiice & Eucherium sic scribentem. *Lucere in altum posita, regnum eius clarè promulgabant.*

S. Ambrosius lib. 10. in Luc.

Rabanus in c. 27. Matth.

Eucherius in cap. 27. Matthæi.

Ex Profanis.

Festus in voce Titulus.

Varro. l. 6. de ling. latina.

Itaque Crux est titulus, cuius aspectu hostiles Dæmonum acies capessunt fugam. Hinc Latinæ linguæ proceres censuere, titulum sic dictum, quasi titulum, à tutando, eò quòd tituli tutarentur eos, qui titulos erigebant; & hanc putant esse etymologiam tituli, Festus, & Varro. Ex præfatis liquet, Crucem esse moraliter absolutè bonam, cùm aliquid faustum atque propitium secum, vehat. Sed inquies; vnde ergo illa distinctio Crucis in moraliter malam, & bonam? Respondeo, ex Philosophia alias esse passiones rei spectatæ in statu absoluto, & dispesci ab eis, quæ fluunt ex schemate relatiuo. Verbi gratiâ, Socrates vt Philosophus potuit esse vtquequaque summus, sed vt paterfamilias næuis fuit obnoxius: quippe seminauit rixas & iurgia inter vxores suas, delectatus earum discrimine. Ita Socrates absolutè fuit insignis, omnium scriptorum elogiis; respectiuè tamen censuræ obnoxius extitit.

Ex Philosophia.

Aristot. lib. categor. cap. 7.

Crux quando sit mala.

Simili modo Crux absolutè bona est; sed relatiuè bonitatem, aut malitiam capit ex ritu baiulandi Crucem, grato, aut ingrato. Nam sicut ex Seneca, Nemo miser nisi comparatus; ita nulla est mala Crux nisi comparata seu composita cum alia bona: non quòd illa comparatio faciat malam Crucem; sed quia eam prodit, faciendo palam illud discrimen, quod intercedit inter vtramque Crucem. Verbi gratiâ, latro blasphemus Deo iniurius & despumans verba nefanda, si conferatur cum alio latrone exoso sua piacula, & deprecante veniam, nonne hic nebulo eructans scommata virulenta in Christum, clamat Crucem suam iniquam esse atque præludium supplicij intermini, quo est in loco infero lancinandus? Alius verò latro Cruci etiam addictus, dum ait se recipere pensum idoneum factis, nunquid æquo animo amplectens Crucem prædicauit eam esse salutarem? Simili

ferè

ferè examine probantur Cruces argenteæ: vt enim quisque sciat, an crux illa referat speciem argenti superficie tantum tenus, illam percutit; si concussa sonum raucum ediderit, redolent interiora cuprum: at si Crux icta nitidè tinniat nihil adulterinum sonat, sed expurgati argenti lepido hoc tinnitu exhibet limpidum argumentum.

Ex Figuris. Iob. 1.

Locuples est testis Iob, indagine soni inuestigari bonitatem Crucis: ille enim annuente Deo, a quo sunt omnes Cruces, appetitus à dæmone, vbi summam sensit inopiam, & corpus suum quasi liquatum vidit fœtida diffluere sanie, sic exagitatus, non exarsit ira, aut erupit in voces indices animi inique ferentis Cruces impositas; sed veluti cygnus in agone extremo occinens suaue melos, vir ille summus atque superior omni Cruce, se totum effudit in actionem gratiarum, cumque edidit sonum, quo Crux illa eius argentea comprobatur. Nimirum ille iudicia Dei non detrectans, pressus immani pondere Crucis suæ, non oppressus tamen, ait. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Reuera eructauit cor eius verba bona, & lingua eius calamus scribæ velociter scribentis in tabulis cordis carnalibus, quo sermonis apparatu Cruces amplecti, & animo beneuolo excipere debeamus.

Cruces suas Iob quomodo fecit esse bonas.

Ex SS. Patribus. S. August. in Psal. 1.

Augustinus demiratus egregium hoc facinus inconcussi viri, suscepit illius præconium: sic enim de eo fatus est. *Non dixit Iob: Dominus dedit, diabolus abstulit; sed Dominus dedit, Dominus abstulit.* Et alibi illud idem speculans patientiæ specimen præcipuum, quasi coram positus, affatur sanctum Iob. *Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec Diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem.* Hæc ille. Eamdem Crucem dilapidatæ facultatis impia coniunx, non adeò æquo animò tulit; sollicitauit enim mulier impatiens virum suum, vt blasphemias euomeret ea de, quas ipsa in rabiem acta antea despumarat. Sic eam induxit scriba sacer, repetibo ferentem eloquio. *Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* In dispari sono vocum viri, & vxoris vide etiam dissitas & discretas Cruces, & collige, Cruces seorsim sumptas in genere morum esse quidem bonas, sed in indiuiduo, suam singularem bonitatem aut lethale virus capere a subiectis, quibus adaptantur.

Idem in Ps. 31. Cruces consideratæ vt à Deo veniut.

Iob. 2.

Cruces Iob malas esse quare credidit vxor eius.

Ex Mathematica. Iulius Firm. lib. 3. cap. 3.

Ita & coniectores Mathematici discurrunt de influxu & natura errantium siderum. Omnes Planetas aiunt in genere esse bonos physicè; sed vbi coëunt cum aliis sideribus Zodiaci, aut etiam adinuicem, accidere illis bonitatem aut malitiam, collectam ex coniunctione illa. Verbi gratiâ, Luna ex se salutare est sidus; si tamen coëat in schemate cæli cum sidere, cui nomen est oculus Tauri, metuunt Astrologi mortem præcocem deforis illatam: at si secus Venus & Luna concordes extiterint, nugaces illi Mathematicæ proceres, omnia fausta pronuntiant homini edito, cœlo sic optimè constituto. Ea & nos ratione inferimus naturam cuiusque Crucis singularis, ex coniunctione. Erit enim bona Crux si incidat in hominem probum; mala verò si in eam reprobus incurrat.

Planetæ quomodo mali fiant.

Ex Re Medica. Fernelius lib. de Methodo medendi.

Res etiam Medica tota est in simili speculatione pharmacorum: ait enim, omnia sua remedia instituta esse ad salutem hominum conseruandam, aut saltem reuocandam, si quando ea collabatur. Tamen disciplina illa therapeutica monet, totam bonitatem, aut malitiam pharmacorum peti ex calore insito illi homini, cui pharmaca decernuntur. Verbi gratiâ, confectiones cardiacæ Andromachi, Alkermez, Hiacynthi, potentes sunt ad firmandum cor, quod impetit haustum virus. Sed si calor naturalis tepet, & sit iam cor effœtum, mortem accelerant illa remedia, quæ venenum expellunt nacta calorem vegetum, & cor præualidum. Sic se habent Cruces impositæ; agunt pro intensiore aut remissione caloris, seu charitatis. Homo Diuino amore conspicuus obiectas omnes sibi Cruces late & vtiliter decoquit, omneque virus collectum ex voluptatis illecebris expuit & euomit in confessione: aut detudat se totum lacrymis alluendo. Ast anima infirma, & nescia amoris Dei, excandescit, Crucibus illapsis, capitque ærumnas ad sui perniciem, quas viri sanctiores capiunt ad sospitatem.

Pharmaca vt prosint debent inuenire naturam propitiam.

Rursus, quemadmodum arbores; quibus ardeæ, & corui insident, depereunt stercore illarum auium, & sunt ominis infausti, ob aues illas mortem adumbrantes; aliæ verò arbores olim habitæ sunt sanctæ, quibus ciconiæ incubabant, ob munia pietatis exhibita parentibus; ita & Cruces, quibus affiguntur reprobæ & nigricantes animæ, pestiferæ sunt, & præsagæ mortis æternæ; has enim excrementis suis, atque blasphemiis fœdant homines impij. Secus se res habet in Cruce, quam baiulant iusti & pietatis amantes, ea enim sanctior est atque veneranda, ratione virtutis, eius suffragio inibi exantlatæ. Item sicuti nemo arbori inuidebit, è qua noctua lugubre canit, imò eam quisque refugit velut ominosam; ita planè ex ore rabido sæuiente in Crucem suam omnes colligunt illam Crucem prænuntiam mortis æternæ: sicut ex aduerso illa conuenitur arbor, ex qua lucinia musicæ tonos omnes atque suaues partes obit. Illa etiam Crux suspicitur à singulis, è cuius senticeto mystica philomela, scilicet anima pœnitens, edit suaue melos obsequij sui coëuntis cum decreto Dei.

Ardea suo stercore necat arbores

Crux suauis ei, qui eam patienter habet.

Ex prælibatis vtinam cautiores exhibeamus nosmetipsos, quando Deo decernente, alicui Cruci addicemur; id est, cùm aliquid aduersum occurrerit, caueamus ne vox erumpat iniquior, aut impatiens corporis habitus animum prodat inquietum: hæc enim sunt argumenta hominis diabolo mancipati. O feruidi præcones Verbi Dei, arripite hinc ansam inuehendi in blasphemos & turpiloquos homines, qui ingruente aliquâ molestia statim effutiunt indecora vitiis, qui dedere nomen suum Christo. Inculcate, sepulchrum patens esse guttur eorum, hasque voces incongruas esse prænuntias mortis æternæ, quæ manet eos, qui malis artibus satagunt sese à Crucibus expedire. Fiamus & nos ea cautela sanctiores

ctiores

ctiores vltro submittentes humeros Cruci, ne inclinata vitio nostro cadat, & sic sit irrita virtus eius: etenim Cruci vt columnæ incumbit salus nostra. Eamobrem sicut columnæ deiectæ; ita & Cruces proiectæ nulli bono sunt vsui, sed potius arguunt ignauiam eius, qui se subduxit illi oneri salutari.

Crux quando sit inutilis ad salutem docetur egregie symbolo.

Ex Symbolis.

Franciscus Villana lib. Symbolor.

Appositè potest adduci Symbolum illud egregium, quod visitur apud Franciscum Villaua, qui columnam erectam pinxit hoc titulo, PLVS RECTA VALEBO. Quasi diceret: Caue ne decidam; etenim casu meo deperit omnis ille vsus, ad quem efficta sum. Ita & Crux nos affatur, PLVS RECTA VALEBO. ego instituta sum à Deo, maximo hominum commodo, si tamen erecta sim; erigor autem quando patienter excipior; euertor quando proiicior, & à vecordibus hominibus, refugis Christi impiè derelinquor. Non est quod desides illæ animæ recenseant illas Cruces vt reportent inde præmium; nullius namque momenti sunt, quia euersæ sunt, vtpote animo inuito exceptæ: Crux autem iacens, has querulas edit voces, quibus desides & suæ salutis incurij homines obiurgantur. Audiant delicati, Crucis Christi suaue iugum ad sui perniciem miserè deponentes. Eos sic increpat. NIHIL INVERSA VALEBO. Aut si quid inuersa valebo, illud erit ad interitum vestrum; quia vos ego inuoluam meis ruinis: sicut enim Samson columnis eiectis oppressus est earum ruina; ita & Cruces concussæ ab inuitis, suo lapsu conterunt homines conscios iniuriæ Crucibus intentatæ.

Cruces quando fint perniciosæ.

Isai. 11. Crucis euersio ominosa.

De homine iusto præfatum est. *Leuabit signum in nationibus.* Quippe vt omninosa est Crucis euersio; ita & fortunata erectio: reprobi verbis impiis conspuunt Crucem; probi verò obuij Crucibus suaue melos insonant, & cantibus hanc indubiam Domini Iesu tesseram amplectuntur. Iuxta illud Psaltis Crucibus assueti. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Et reuera Cruces iustificationis sunt instrumenta, si à cantantibus animo hilari perferantur. Siquidem iusti æmulantur indolem cygni, qui cum maximè angitur, dulcisono cantu gratior efficitur.

Psal. 118.

Ad solamen eorum, quos diu vexant ingruentes aliquæ Cruces, Paulus Crucis amasius ait, eas esse indubium instantis gloriæ æternæ symbolum. *Si compatimur* (inquit) *& conglorificabimur.* Habent ergo quòd lætentur illi, qui æqui bonique consulunt, imò & gratanter accipiunt quicquid ingratum sensibus desuper ingeritur. Etenim iubilus ille, quo itur obuiam Cruci, prænuntiat omnia fore sarta tecta illis hominibus, qui vltrò Crucibus obsequuntur. Et hoc reuera est, Apostolorum schema referre, quorum istud versat elogium Lucas; eorum agonum vt testis atque comes, ita etiam & fidus interpres. Sic ille. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine* IESV *contumeliam pati.*

Rom. 8.

Cruces sunt argumentum gloriæ æternæ ei cui decernuntur.

Actor. 5.

Ex SS. Patribus.

S. Augustinus. Psal. 33. Cruces suos sanctificant baiulos.

Adiicit & Sanctus Augustinus calculum suum, quo in Pauli it sententiam, inferentem salutem alicuius ex ærũnis non ingrato animo susceptis; suaque sensa probat Sanctus ille ex singulari Dauidis eloquio. *Multæ tribulationes iustorum. Nunquid dicit: Ideo sint Christiani iusti, ideo audiant verbum meum, vt nihil tribulationis patiantur? Non hoc promittit, sed dicit: Multæ tribulationes iustorum. Magis si iniusti sunt pauciores habent tribulationes; si iusti, multas habent: sed post paucas tribulationes, aut nullas, illi venient ad tribulationem sempiternam, vnde nunquam eruentur: Iusti autem post multas tribulationes venient ad pacem sempiternam, vbi nunquam aliquid mali patientur.* Hactenus Augustinus.

Itaque deflenda est insania delicatorũ hominum, qui cùm sese expedire putant à Cruce leuiori, in grauiorem incidunt: fiunt enim impœnitentes æternis Crucibus obnoxij; sicut ex aduerso cruciferi pœnitentes, mortui cum Christo de Cruce deponentur, nequaquam inglorij surrecturi.

Cruces ad Dei gloriam iustis decernuntur.

Prope non præterij tertium genus Crucis, quod fuit peculiare Christo, illud scilicet, quod adhibetur non ad expiationem sceleris alicuius contracti, sed ad maiorem Dei gloriã, & spectantium eruditionem, & salutem. Crucis huiusmodi rari sunt surculi, qui ex stipite dominicæ Crucis emerserunt. Nescio an reperire sit hominem ceu truncum idoneum, cui talis surculus inseratur: adeò enim aliis omnibus Crucibus præstat hæc species; vt hominem, qui ei congruat, postulet illibatum.

Quænam autem sint notæ indices huius Crucis, accipe à sequela Crucis Christi, quam sacer textus sic describit. IESVS *autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, & terra mota est.* Aliaque adiicit scriba sanctus, quæ expendam moraliter puncto septimo; hîc satis erit annotasse, animas sanctiores Cruce sua aliis prælucere, & desiderium virtutis ingerere; tanta siquidem est vbertas fructuum Crucis, vt non crucigeros tantùm pascat, sed & in alios etiam eius copiosa charismata deriuentur. Quis non igitur ruet in amplexus Crucis, cùm ea tantùm spiret idonea saluti omnium nostrùm?

Ex Figuris. *Matth. 27.*

Crux est fons bonorum.

Quomodo Cruces quandoque cedant in perniciem hominum afflictorum.

PVNCTVM IV.

Ex Philosophia. *Ferrariensis. in lib. 2. contra Gẽtes cap. 70.*

EA est rerum omnium habitudo ad Solem, vt nulla prorsus se abscondat à calore eius; imò nihil eorum, quæ infra Solem edita sunt, eo sidere inscio aliquos effectus exerere valet: tamen cùm nobilis illa causa non operetur immediatione suppositi, quod cœlis addictum est, sed media virtute, qua influit, deorsum agat; necessarium fuit vehiculum, cui cœlestis illa qualitas insideret. Vehiculum illud vtplurimum est aër, aut aliquod aliud medium interiectum inter Solem & subiectum, circa quod efficax illa causa suas explicat vires. Sed plerumque accidit vt subiectum malè afficiat medium interpositum, quod sic malè affectum, irrita facit dona Solis; imò ea ita deprauat, vt Sol tali rei videatur esse iniquior. Verbi gratiã, paludes nihil salutare referunt, etiamsi Sol in eas benignus influat. Ratio petitur à natura paludum, quæ aërem inficiunt vaporibus adeò virulentis,

Aër est vehiculum influentiarum.

Sol omnibus est beneficus.

vt virus hoc rediens in inferas partes vnde emersit vapor iniquus, procreet serpentes & buffones, dedecus aquarum stagnantium: siquidem terra putris, quæ parens extitit noxij generis, ab eo despumante mortem inficitur: fitque Sol maleficus illis locis, quia beneficum Solem illa loca repudiant, dum veluti iniuriâ afficiunt medium illud, quo sidera suas dotes traiiciunt.

Ex Theologia. S. Thomas lib. 1. sentent. dist. 37. q. 1. art. 1.

Iste ritus agendi Solis abhorret ab eo modo, quo Deus operatur in nobis: nam etsi Deus operetur immediatione suppositi, cùm sit immensus & omnia intimè peruadat; dici etiam potest agere mediante gratia, sicuti dicitur accedere & recedere, cùm tamen accessus & recessus impos sit Deus.

Psal. 50. Cruces faciunt Deum nobis propitium.

Quale autem vehiculum gratia seu influxus Dei postulet, liquet ex Scriptura sacra, quæ medium tale prodit ex persona Dei. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Id est, Crux media inter me, & homines: exhibet me illis propitium, & reuera Crucem esse vehiculum gratiarum Dei, duce à Christo Domino, qui in Cruce positus dixit consummatum esse mysterium redemptionis nostræ, etsi guttula vna eius sanguinis, quem in circuncisione effuderat, satis superque fuisset ad homines sospitandos. Penes Crucem reposuit ille gazas suorum charismatum, etsi alia innumera media ad manum haberet ad gratiam largiendam. Cùm ergo Crux Deo magis arrideat, vt gratiæ affinis, Ecclesia signum illud adhibet ad administrationem omnium sacramentorum, vt hoc veluti signaculo Crucis concludat omnia sacramenta.

Ex SS. Patribus.

Cùm igitur homini Deus media suppeditet idonea; quis nisi mentis inops erit iniurius Cruci quando illa occurret, & quam Sancti omnes beneficij loco reputarunt? Vadem accipe Augustinum. *Quid non misericorditer præstatur hominibus a Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis; res autem aduersa donum est admonentis Dei.* Chrysostomus locupletior est in elogiis sacrosancti illius medij salutis nostræ. Sic ille: *Crux est argumentum totius gratulationis spiritualis, totius beatitudinis causa, discordia amputatio, pacis firmamentum, bonorum omnium copiosa largitio, salutis iudicium, lætitia nostra, sol iustitiæ, spes Christianorum, resurrectio mortuorum.* Et quamuis Christo deberetur aliunde gloria; tamen Cruci eius eam assignat Paulus, sic fatus: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.*

S. Augustin. Epist. 87. ad Felicitatem.

S. Chrysost. Homilia de cruce & latrone. Cruces sunt Dei beneficia.

Philippen. 2.

Ex Symbolis. Scipio Bargaglius lib. symb.

Igitur immeritò querulus homo in Crucem inuehitur, cùm sit illa vehiculum gratiæ in hominem illabentis, & veluti rheda eius ad superiora vecti; etenim procellis quibusque ingruentibus, id est Crucibus quæ accidunt, aptari potest Symbolum illud Scipionis Bargaglij, qui ventos reflantes pingit versantes aquas hoc titulo. TVRBANT, SED EXTOLLVNT; quasi diceret, placidis aquis, non esse eis mœroris vllum argumentum: etenim si ventus inquies, videatur esse stagnantibus aquis iniurius; hoc vnum præstat tamen obsequium, quòd aquas euehit sursum turbatas, quas quies antea humili loco depresserat. Ea item est indoles ærumnarum, quarum creber est affluxus, hominem quidem TVRBANT, sed EXTOLLVNT; nimirum prospera felices in-clinant humum versus, aduersa verò secus efferunt sursum.

Ex Figuris. 4. Reg. 21. Cruces nos in cælū euehunt.

Testis est sine exceptione maior Rex Manasses, cui cùm prosperè omnia succederent, extitit ille immemor Dei, & ad idolorum cultum impiè deflexit: vbi verò cecidit regno, & peregrè abductus est, cautior effectus, Deum animo versans se accinxit ad superiora transcendendum: etenim totum se effundens in feruidas preces, Deum, quem in prosperis & secundis rebus abegerat, postmodum sorte iniqua demeruit. Quid Manassis excito Manes? nonne hodie & vtplurimum omnes annuente fortuna dehiscunt in vitia & ad voluptatis inania simulachra, gulam, libidinem, fastum, & incurrunt in discrimē suæ salutis æternæ, quam dubiam faciunt res pro nostro arbitrio succedentes. Vbi verò Deus, quem vitia repetita semper exasperant, iucundæ fortunæ vices alternat, & desæuit in impia capita, virgis suis aptatis atque compositis ad vindictam; vbi inquam morbi ingrauescunt, & lues populatur agros; vbi discordiæ Principum classicum ingerunt auribus, assuetis antea cantilenis; vbi terra nefandis hominum actibus læsa, annonam negat, & respuit semina commissa; tunc reprobi palinodiam canunt, lacrymisque diluunt quod voluptatis iniqua aspergine primitus alluerant: adeò verax est titulus Symboli præilibati, TVRBANT, sed EXTOLLVNT.

Manasses cruce fuit saluatus.

Cruces malas facit esse malitia hominis afflicti.

Igitur si quandoque cedant Cruces in perniciem hominum afflictorum, ratio venanda est ex prauo habitu eius, qui fit Cruce deterior: vt enim præfatus sum, ipse cœli influxus plerumque noxius est aliquibus plagis, quæ serpentibus scatuiunt, quia fœtida terræ facies nihil nisi graueolens spirat aut exhalat. Vnde cùm natura hominis à primo Adami deliquio omne asperum refugiat; Cruces omnes vt asperitate horridas & ingratas, eo quo potest nisu recusat, & horrescit. Noua autem accessione criminum, ea fit humanæ naturæ corruptio, vt non sit incuria tantùm boni sui, sed & fiat iniuria rebus, quæ conducunt ad sospitatem eius, vt sunt Cruces omnes, quæ patienter exceptæ, indubia sunt salutis humanæ nutantis argumenta; ægrè autem habitæ, præambula sunt mortis interminæ. Hinc eruenda ratio, cur Crux instituta ad salutem, plerumque tamen virulenta fiat. Tanti mali labes ea est, quòd bonitas Crucis sit moralis, sita in rectitudine voluntatis, à qua qui deuiat, nihil nisi naturale reperit in Cruce, naturaliter verò Crux est malefica, vtpote instituta ad naturæ perniciem: huic autem malo naturæ reprobus obuiare nequit, laborans inopiâ gratiæ, cuius obsequio duntaxat cuiusque Crucis molestiæ optimè deterguntur.

Ex re Medica. Diosc orides lib. 1. c. 21. Mathiolus ibidem.

Res tota fiet planior comparatione petita ex re Medica, quæ de ligno Aloës quod Agallochum dicitur, sic eloquitur apud Dioscoridem. *Agallochum lignum est, quod ex India, & Arabia deportatur, gustu adstringens cum quadam amaritudine, manditur, aut decocto os colluitur, commendandi halitus gratia, si lateris tecorisque dolor excruciat, ex aqua bibere prodest.* Hæc ille Scholiastes eius Mathiolus ait, tantæ virtutis esse salutare illud lignum, vt creduli plerique homines existimarint, nasci tantū in paradiso terrestri, quē sacra historia cōmemorat, & inde ad nos vehi fluminibus, quæ illinc emergūt; aiunt enim turgentibus his aliquando fluuiis eradicari arbores illas, & sic aquarum arbitrio in oras exteras asportari.

Aloës lignū salutare quomodo fiat maium.

Ex præfatis duo colliguntur valde idonea

Cruci. Vnum est, lignum Aloës esse viuificum, vtpote auerruncans morbos lethales. Aliud in eo speculandum, est sapor ingratus, & astringens. Primum, id est, quòd Aloës sit lignum opitulans homini, & præsens remedium, peritis tantùm hominibus innotescit. Alterum verò, videlicet quòd amarore inficiat eos, qui ori admouent, liquidum est etiam rudibus & ignaris, quibus sensus duntaxat sunt rerum interpretes. Detur igitur ægro imperito fragmentum huius ligni vt mandatur, ille amaritudine deprehensâ sæuiet in Medicum, qui decreuit huiusmodi pharmacum, in quod æger insanus conspuet, itaque sic accensâ, ingrauescet morbus, & indirectè res benefica verget in discrimen ægro, qui pessum ibit, nescius energiæ tanti ligni, cuius virtutem callens alius homo decumbens non attendet amarorem, neque credet malè suadæ voluptati, quæ refugit omne inimicum sensibus; sed meditans vim insitam ligno & latentem, vltro mandet illud, aut ex aqua propinatum deglutiet, occurrens ea potione dolori latera lancinanti.

Crucis bonitas est moralis.

Appositè omnino ad rem subiectam de duplici differentia meditanda in Cruce. Bonitas & vis salutaris Christi, vt sæpius inculcaui, est in morali speculatione constituta. Ab ea autem meditatione abhorrent nefarij homines vilia mancipia carnis, quibus quando Deus Cruces immittit, illi consultores adhibent sensus, qui exosi amarorem Crucis, illam conspuunt, & in Deum Medicum impiè debacchantur. Quare autem iniqui sint pharmaco instituto ad molestiam lateris, id est, ad conscientiæ aculeos; non alia est inuestiganda ratio, quàm gratiæ penuria inuehens ignorantiam virtutis inditæ ligno illi sacro, quod reuera è paradiso ad nos lacrymarum vehiculo deportatur. Nimirum aliunde emanare nequit, quàm è cœlo lignum quod illuc vehit eos, qui ei se totos ex animo credunt.

Crucē horrent omnes sensus.

Igitur accusanda est nimia necessitudo cum sensibus, & penes eam reponenda discrimina, quæ occurrunt ex Cruce obiecta reprobis. Dum enim flocci homines in ærumnis suis consulunt tantùm sensus de natura Crucis; illi exosi omne quod vellicat, nihil nisi punctiones renuntiant, nec aliud clamant præter amarorem. Eamobrem plures sunt homines impij refugæ Crucis, quàm eiusdem impigri sectatores; quia plerique sunt sensibus obnoxij, rari autem sunt, qui studeant animo suo virtutibus excolendo. Hos gratiæ cultores assiduos si Crux suis vlnis amplectitur, reperit annuentes beneplacito Dei, moderantis momenta vitæ nostræ modo congruo saluti nostræ. Homines hi gratiâ conspicui, ac proinde ingenij perspicacis, parui pendunt sensuum susurra, quæ animam abstrahunt à sapore iniquo, quem Crux aspergit; sed animo versantes eiusdem ligni salutaris obsequia, nullas trahunt moras, sed incunctanter illi vitali arbori sociantur.

Crucis cultores pauci.

Cruci appēsi non lugendi sunt.
Cruci nusquam affixi ciues Romani.
Ex Ivre Civili. Leg. liberorũ. ff. de his qui no. antur infamia.

Rursus physica Crucis trutina ingloria est, si cutetenus expendatur; ideò noxij homines dum ab opprobrio abhorrent, Crucem etiā specimen opprobrij qua cautela queunt à se elongant. Namque Crucis decor non est carnalibus oculis obuius; sed his tantùm, quos inunxit collyrium gratiæ singularis. Cùm ergo, impij nihil nisi carnale sapiant, & ad cœlestia cæcutiant; nihil nisi ignominiam in Crucis opprobrio mediantur. Primò occurrit eis lex, quæ vetat lugeri suspendiosos, vt omni miseratione indignos, & infames. Clarus Iurisperitus Petrus Faber ait, suspendiosos eos esse, quos Crux tulerat è medio, quorum fatum adeò ignobile creditum est priscis sæculis, vt litteræ omnes etiam profanæ supplicium Cruci scripserint indecorum. Imò ipsum nomen Crucis fuisse dedecori tanto liquet, vt nefas extiterit illud nominari.

Petri Faber l. 2. Semest. c. 9.

Ex Profanis. Cicero oratione pro Rab.

Vadem accipe Ciceronem, sic declamantem in nomenclaturam Crucis: *Misera est ignominia iudiciorum publicorum, misera mutatio bonorum, miserum exilium; sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis: mors denique si proponitur, in libertate moriamur. Carnifex verò, & obductio capitis, & nomen ipsum Crucis, absit non modo à corpore ciuium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, & auribus. Harum enim omnium rerum, non solum euentus perpessio, sed etiam conditio, expectatio, mentio denique indigna ciue Romano, atque homine libero est.* Idem alibi detestatur id genus supplicij. *Facinus est vincire ciuem Romanum; scelus verberare; propè parricidium necare. Quid dicam in Crucem tollere? crudelissimum teterrimumque supplicium, verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest.* Seneca vocat infelix lignum. Sic ille: *Inuenitur qui velit adactus ad infelix lignum, trahere animam tot tormenta tracturam.* Aurei asini agaso Apuleius satis superque arbitratur esse iniuriarum, si hominem quis eo notet conuicio vt appellet, *Damnata iam Crucis candidatum.*

Idem in Verrem.

Seneca Epist. 01.
Apuleius l. 1. de Asino.

Ex Historia. Cassius Emin. apud Seruiũ.

Sed potissimum argumentum petitur ab historia prisca Romanorum, quos cum Tarquinius adegisset ad cloacas expurgandas; populus illud ministerium ratus esse infra conditionem Romani nominis, maluit vltro mortem oppetere potius quàm infici colluuie cloacarum. Vt occurreretur morti, quæ aliis etiam instabat ciuibus conuocandis ad cloacas. Tarquinius sanxit, vt cadauera eorum, qui sibi conscisscerent mortem, affigerentur Cruci. Ratus Crucem esse quid morte peius, resque è voto successit: etenim populus, cui mors erat in deliciis, ita Crucem exhorruit in corpore etiam exanimo, vt violentas inferre sibi manus illico temperarit. Item probrosium fuisse genus supplicij, crucifigi, liquidò est ex personis affixis stipiti infelici. Nimirum ea erat pœna seruorum tantùm, & non eorum, quos sors æquior liberas ediderat. Vnde Iuuenalis sic.

Tarquinij industria vt impediret ciues à morte sibi consciscenda.
Cruci affixi olim inglorij
Macrinus cur malè audiit.

Pone Crucem seruo.

Et Iulius Capitolinus, in Macrinum inuehitur, quòd nomini bellico iniurius, milites quasi mancipia habuerit. *Et in Crucem milites tulit, & seruilibus suppliciis semper affecit.*

Iuuenalis Satyr. 8.
Iulius Capitol. in Macrino.

Sancti proceres Ecclesiæ expendentes vim amoris, quo exarsit Christus in hominum genus, inferunt pondus eius ex Crucis opprobrio, quod subiit amantissimus ille Dominus; sicuti stupet & clamat Chrysostomus, cuius sensa audi. *Quale autem Symbolum huius mortis? signum erat mortis maledicta, mortis omnium ignominiosissimæ, hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxium fuit: & vt aliquid exempli gratiâ dicam, qui olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & aliis modis vitam finiebant, vt suppliciis tantùm: Crucifixus autem, & in ligno suspensus, non solùm ferebat, vt graue aliquod supplicium, cui adiudicatus erat, sed, vt maledictum*

Ex SS. Patribus. S. Chrysost. Oratione Quòd Christus sit Deus.

Idem Homilia, de laudibus S. Pauli

ledictum quoddam; nam maledictus omnis qui pendet in ligno. Idem alibi eamdem suam recensens ecstasim, qua supra se ferebatur speculando necem Christi, in has effundit voces: *Mors turpis, & exprobrabilis mors. Est enim vtique, & pœnalis mors, & omnium teterrima, & apud Iudæos maledicta, & inter Gentiles abominanda.* Consonat Arnobius sic nuncupans Crucem: *Supplicium, quod personis infame est vilibus.* Accedit & Lactantius, vocans hunc plectendi modum: *Homine libero, quamuis nocente indignum.*

Arnobius lib. 1. contra Gentes. *Lactantius lib. 4. c. 26.*

Hinc ansam arripit Chrysostomus probandi, Christum, amoris hominum ergò, omnia serui munia obiuisse. Sic ille: *Magnum, & vehementer ineffabile est, quòd seruus factus est; quòd verò mortem quoque sustinuit, multo plus est, sed & aliud maius quiddã isto, & admirabilius. Quamobrem? quando non quæuis isti similis est; ista namque omnium videbatur probrosissima, ista plena dedecore, ista maledicta; propterea Iudæi studiosè satagerunt, ista morte interimere eum, vt probrosum quoque efficerent: vt etsi nemo propterea ab ipso abstineret, quòd occisus esset; abstineret tamen vel ideo, quod hoc pacto occisus esset.* Hactenus ille, & appositè iuxta phrasim Codicis sacri, vbi Christus è Cruce pendulus dicitur, *Opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et Isaias eodem spiritu actus, quo & Dauid, habitu isto indecoro Christum pingit. *Vidimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, vnde nec reputauimus eum.*

S. Chrysost. in cap. 2. epist. ad Philippenses.

Crucis supplicium maxime probat amorẽ Christi in nos.

Psalm. 21.

Isai. 53.

Itaque sequaces voluptatis homines, & asseclæ mundi, turgidi typho superbiæ, ex ærumnis atque molestiis Christi nihil colligentes, nisi supellectilem ingloriam, & disertam ab ea inani gloria, cui inhiant, recensentur cum impiis, de quibus ait Paulus: *Crux Iudæis scandalum est; Gentibus autem, & his qui pereunt stultitia.* Nota, non inanem fieri hîc commemorationem Iudæorum, & Gentium, vbi agitur de scandalo Crucis, & de stultitia, comite eorum, qui sectantur obsequium Crucis: vt autem mysterium hoc fiat lucidius, ista est ponenda assertio, explicatura rationem, quam puncti istius titulus inuestigat. Scilicet quare quandoque cedat Crux in perniciem hominum afflictorum: hæc, inquam, esto conclusio. Homines inanis gloriæ cupidi, & irretiti cupediis voluptatum, vt nescij rerum supernarum, refugiunt Crucem, & si in aliquam impingunt præcipites acti colliduntur, veluti si in lapidem offensionis incurrerent; hoc enim sonat, scandalum, nomen Græcum σκάνδαλον deductum à σκάζω claudico. Nec eis est satis cadere, sed & alios trahere satagunt in ruinam suam, dum eos stultitiæ insimulant, ex eo quòd Crucis obsequio sponte & ex animo mancipentur.

1. Cor. 1.

Ex Philosophia.

Albertus Magnus de anima tract. 2. cap. 18.

Causa sibi suum effectũ assimilat.

Ad probationem effati istius, aduocandæ sunt Principes disciplinæ, scilicet Theologia, & Philosophia. Ab ista, vt prodroma seu præeunte Theologiæ, ordiamur. Physicis omnibus agentibus hoc insitum est à natura, vt non effundantur extra sphæram suæ actiuitatis, sed agant in cancellis sibi præstitutis; habent enim causæ sua confinia, quæ præterire nefas, & eò spectat illud axioma, quòd natura ad vnum determinat, & vetat euagari. Omnis item causa, sui semper memor, seipsam prodit in effectu, quem edit suæ indoli consonum, vt sonat illud Lycæi proloquium enuntians effectum assimilari suæ causæ, ita vt causa infirma effectus etiam exerat imbelles. Hinc arguo, homines vitiis obnoxios, quæ naturam effœtam ægrè afficiunt, necessariò succumbere Crucibus impositis: quia enim inermes sunt, in quocunque agone cadunt, id est virtutis inopia nequeunt superare aduersa; quippe ea naturæ inimica depascunt vegetos animos, quos non habent homines in delicias Veneremque fracti. Et esto plerique Philosophi, gratiæ Dei inscij, aduersa visi sint æquo animo excipere; animus tamen eorum ille æneus tumens fastu non tulit opprobrium Crucis. Imo cedens immani huic ponderi, mortem esse oppetendam potius quàm inglorium quidpiam pati, Lucilio suo Seneca prædicauit.

Cruces quare oderunt voluptuosi.

Ex Theologia.

S. Thom. 1. 2. qu. 110. art. 1. Crux est aculeis plena.

Penes Theologiam est ratio imporis animi hominum, quos in muliebrem ignauiam voluptatis illecebræ colliquarunt. Accipe oraculum disciplinæ cœlo satæ. Crux punctionibus horrida, similis est illi senticeto aculeis hispido, quod flamma cælitùs illapsa lambebat: multis datum est hunc videre rubum, eiusque sentibus pungi fas cuique fuit, conuenienti rubum; sed Deum illucentem in flamma incumbente rubo videre vni duntaxat Moysi concessum est, qui regias infulas Ægypti Dei ergò contempserat. Ita & Crucis ingrata sensibus acumina pati, res est peruia singulis hominum classibus; sed speculari in sentibus horridi stipitis Deum amoris igne rutilum, idipsum est gratiæ singularis, & ad quam natura suis ausibus nequit accedere.

Crucem spinosam Deus inhabitat.

Si figura facessit negotium, accipe liquidiùs Theologorum mentem. Natura suis finibus coërcita nequit euolare sursum, & aliquid eniti in ordine ad gloriam æternam; sed animum inclinare ad Crucis obsequium, quo demeretur Deus amore æstuans dum infligit Cruces, id præterit naturæ vires. Ergo homo sibi malè conscius, & fretus solis naturæ viribus effœtis, nequit deperire Cruces, & esse supra sortem, quæ fuerit iniquior. Nimirum homo consideratus bifariam, videlicet in statu naturæ, & gratiæ, impar est omni Cruci, si se voluptatum stagnantibus aquis asperserit, quia natura mollibus assueta se subducit asperis, id est Crucibus. Rursus quia decumbit natura deliquiis, & vitiis infirmatur dum fit gratiæ expers; non suppetunt homini vires, quibus eat impauidus obuiam omnibus incursibus sensibus iniuriis: dum autem odit Crucem Crucifixo etiam fit ingratus, à quo cum effluat omne bonum, caret homo gratia omnigena, quia vult carere Cruce; & quò magis renitentibus, & inuitis Cruces accidunt, eò etiam crucifugæ grauius opprimuntur. Et reuera grauis ea oppressio, qua non modò corpora, sed & animæ dispereunt; pessum autem eunt animæ reprobæ, cùm exulant à Deo Patre, cuius animaduersionem cùm declinant, in malam crucem incidunt, scilicet in flagella lethalia, & pœnas interminas in inferis obeundas.

Homo duobus modis considerari potest.

Crucis Inimicus displicet crucifixo.

Ex Figuris.

Exemplum infelix rei huius est Absalon, perduellis, & iniquus Regi & patri suo Dauid quo inuito regni infulas induit, libidine etiam publica infamis. Vt eum Rex compesceret insurgentem in solium militem conscripsit, validoque exercitu comparato, occurrit filio iniurio, cuius acies conscia deliquij Absalon, primo conflictu nutans cessit, & terga vertens fuit Deo vindice profligata.

2. Reg 18.
Absalonis reprobus interitus.

profligata. Præceperat Dauid vt seruaretur puer Absalon, vt coram duceretur, asperè quidem corrigendus, sed non morte tenus. Filius ille nequam, & animo parricida, exercitus sui ruinam ægrè ferens, & se exutum regno minimè sustinens, noluit dare manus patri suo, licèt anxio de salute filij ingrati, & adeò incurij sui ipsius. Fugit itaque Absalon; quo apparatu & exitu, disce ex contextu sacræ historiæ, sic fatum impij Principis enarrantis. *Accidit vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo, cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus cui insederat pertransiuit.* Pertransiit quidem mulus, sed Absalon pependit ex arbore, luiturus pœnas sceleris exantlati, vt eodem tenore textus legere est. *Tulit Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon; cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Hæc sacer ille codex.

2. Reg. 18.

Absalonis mors eadem quæ impiorum.

Quomodo autem reprobis conueniat cum hoc Principe perduelle, collige ex serie hominum nequam. Hi veluti pertæsi regnum Dei, iugum eius excutiunt, nolunt Deum regnare in confiniis ipsorum, insurgunt in eum, filij tanto Patre degeneres, peccatorum omnium stipantur illecebris, & quasi acie explicata, dubium volunt facere regnum Dei; Deo namque à mentibus eorum longè abacto, apud eos tantùm sensibus indulgetur. Suę iniuriæ propulsator rerum opifex, omniumque parens, totus in misericordiam compositus, ex aduerso explicat flagella sua, scilicet Cruces, & ærumnas, quibus vlciscitur nefandos hominum ausus. Quæ autem sint Dei acies vindices scelerum nostrorum, accipe ex Deuteronomio, vbi Moyses ait, Deum sic vlturum crimina reproborum. *Nisi custodieritis, & feceritis omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueritis nomen eius gloriosum, hoc est Dominum Deum tuum; augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas, & perseuerantes, infirmitates pessimas, & perpetuas, & conuertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi. Insuper & vniuersos languores, & plagas, quæ non sunt scripta in volumine legis huius, inducet Dominus super te.*

Deuter 28.
Flagella quibus Deus corripit impios.

Inde colligere est, omnes corporis & animæ molestias, Cruces videlicet omnes, esse milites à Deo conscriptos, & emissos ad vindictam facinorum, quæ homines Deo Patri suo iniurij perpetrarunt. Sed vt Dauid sollicitè cauerat saluti filij sui licet ingratissimi, hoc sæpius ingeminans: *Seruate mihi puerum Absalon.* Simili planè modo Deus inhibet Crucibus, & flagellis, ne omnino exterminent perditos homines, quos quidem vult sibi sisti ad pœnitentiam, & non ad perniciem, etiamsi cùm flagella Dei inundant, videatur Deus vsque ad internecionem in vilia nebulonum capita desæuire. Nimirum Deus est ipso Dauide propensior ad miserandum, nec aliud quàm salutem exigens flagellis & Crucibus intentatis.

Cruces esto premát corpus, non animæ noxæ sunt.
Crux corpus dum premit multa bona parit.

Ex SS. PATRIBVS.
Saluianus lib. 1. de Prouidentia.
Crucis commoda multa.

In hoc est omnis Sanctorum chorus occinens, Deum non perdere velle, sed sanare Crucibus suis. Audiendus Saluianus. *Infirmandam nobis est carne vt optata faciamus; infirmitas enim carnis vigorem mentis exacuit, vt affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur, animarum non turpibus flammis medulla æstuent, non malè sanam mentem latentia incentiua succedant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiant; sed sola exultet anima, læta corpore affecto, quasi aduersario subiugato.* Hæc ille, à quo non aberrant alij Sancti. vt Damianus est locuples testis, sic fatus: *Magna electis Dei est consolatio ipsa diuina percussio, quia per momentanea flagella quæ perferunt, ad gloriam firma spei gressibus conualescunt.* Et hoc ipsum clamat tota Bibliotheca Patrum, ex qua aduoca S. Antiochum, qui sua sensa prodens ait: *Dominus animarum nostrarum procurator, tribulationes infligit, & acrimoniam asperitatemque vrentis cauterij aduersus coalescentem morbum admouet, integer vt sit homo, & incolumis.* Accedit Petrus ille Blesensis non mediocris nominis auctor. *Flagello Domini puluis excutitur, quem ad deformitatem animæ iniquitas assiduata congessit, & exteriori vulnere sanatur plaga interior.* Eò alludit Beatus Thomas à Villanoua. *Sicut vestes diu thecis inclusas, & à tinea corrosas, vel nimio puluere respersas, aliquando virga percutimus, & ab eis vermes & puluerem excutimus percutientes; sic Deus homines nimio luxu & abundantia corruptos, illecebrosis appetitibus veluti vermibus corrosos & puluere fœdatos, tribulationis virga, excusso puluere purificat.* Hactenus ille.

Damianus lib. 8. epist. 6.
S. Antiochus Homil. 117.
Petr. Blesensis epist. 31.
B. Thomas à Villanoua sermone de S. Quirino.

Vt Dauid aciem explicabat vt filium circumactum in suam potestatem reuocaret, & melioribus artibus redderet idoneum regno, quod præcoci ambitu nequiter vsurpabat; ita & Deus vndique circumsepto ærumnis vult reduces fieri, & solio suo sisti, vt redditi pristinæ indoli, compotes tandem efficiamur æternæ beatitudinis, quam voluimus in terris æmulari beatitudine ementita. Sed esto Deus propitius sit, etiamsi sæuire videatur, & flagellis suis homini prouideat, Absalon tamen plures habet suæ fugæ sectatores, quàm Christus sequaces suæ Crucis. Hæc autem fuga non cedit in commodum transfugarum, quos ea sors extulit semper, quæ Principi scelesto fuit ingloria. Is mulo insidens inscius futurorum patri insultabat; vbi verò sorte, vices alternante suas, sensit instare sibi discrimen, iam immemor regni, ad fugam se accinxit; ast mulus cuius obsequio gaudebat anteà, incautum egit infra quercum patulam & effusam in ramos deorsum inclinantes, quibus implexa cæsaries Absalonis, eum totum subduxit bestiæ subiectę, quæ sessore libera pertransiit. Voluptas non ineptè cum mulo componitur, vtpote rationis inops, & suo contagio homines dementans, & immutans in modum mulorum, sicut & Dauidem aliquando eo ludibrio habuit, qui & delirij sui memor, alios facturus suo periculo cautiores, ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Dum in illecebras ferimur, immemores Dei, impunè delinquimus. Ast vt nihil in rerum natura sibi constat, & omnia reciprocante vice, diuersos induunt habitus, & sic homo diffluens sensuum illecebris nequit diu degere in ea colluuie, quin eum prouocent ad meliorem frugem flagella Dei; prouidus ille parens, sollicitus de salute dyscolorum hominum, eos agone ingrato sensibus infirmat, prouocans ad reditum, morbis, iniuriis, inopia. Sed nefarij homines dum sibi consulunt fuga, detrectâtes Crucé Christi, mulus pertrâsit, id est, voluptas fugitiua volat, & iniqui veluti suspési patét hostiû insultibus. Verbi gratiâ homo libidine infamis, dum opes affluût, volutat se in cœno spurcitiæ,

Cruce Deus ad se vocat homines refugas.
Absalonis vita notat vitã impiorum.
Psal. 142.
Crucem fugientes malè pereunt.

spurcitiæ, Dei incurius; si verò Deus immunditiam hanc pertæsus, impurum hominem aliqua lue plectat, qua sanie dissolutum corpus nequeat vltra delinquere, nonne pertransit mulus? id est, nonne voluptas præterit? ita planè, & veluti suspensus homo vile Veneris mancipium, patet iam dæmonum opprobriis, qui sicuti Ioab Absalonem tribus confodit lanceis, ita & hominem pendulum inter cœlum, & terram, id est, dubium an sperare debeat, an verò desperare, trifariam impetunt, & vbique lethaliter.

Absalonis cæsaries fuit ei causa necis.

Coma, quam adeò anxiè nutriebat & excolebat Absalon, cessit ei in scalas, quibus ascendit in stipitem infelicem: capilli hominis sunt cogitationes eius, è capite emergentes sicut & capilli; homo vitiis assuetus nihil nisi inhonestum animo versat, quodque in effectu malum non parturit, illud idem perpetrat in affectu, suoque cogitatu peccat, quando scelus meditatum non sinitur exantlare. Ast illa nefanda cæsaries, iniqua illa coma, hæ cogitationes indecoræ, veluti pendulum diabolis obiiciunt tripliciter iuxta trinam differentiam temporis: etenim dum reuoluit impius præteritum tempus, ingemiscit æuum turpiter exactum; recolens statum, quo Deo iniurius est, erubescit; & extendens se ad annos æternos, & vltores suorum criminū, fremit, & riget horrore concepto de æquitate Dei, quam nulla impunè piacula prætereunt. Noxium illud pecus anxium & pendulum confodiunt hostes, idque iusto Dei iudicio, vt qui à Deo fugit reuocante ad Crucem pœnitentiæ, incidat in malam Crucem, eamque cui diaboli mancipantur Crucis enim Christi osores nequeunt aptius plecti, quàm mala Cruce; vt & periit vir alioquin clarus apud Equites Melitenses, cuius accipe historiam.

Ex Historia. Bodinus lib. 10 historiæ Melitensis cap. 9.

Inter præcipuos Melitæ proceres censebatur quondam Eques, cui nomen erat Sanctus Clemens: nimirum oriundus è familia, eo Gentilitio titulo nuncupata. Ille pluribus annis actis in ea professione militari, coaceruarat prædiuites gazas & opiparè victitabat. Vt in more positum est apud nobiles & strenuos illos viros, demandare præcipua Religionis munia illis, qui reliquos antecunt ætate, & annis in obsequio Ordinis impensis; viro huic iam prouecto credita est classis multo armato milite, & nauigio coalescens. Soluit à portu classis illa expedita tonantibus æneis machinis, & æstu secundo multos aquarum vortices superat. Tandem emenso longiore tractu, incidit in naues Turcas exosas nomen Melitense. Vtraque classis se accingit ad prælium: nostri explicant Labarum Crucis, vt resciret vnusquisque, Cruci & non homini militandum. Machinis explosis, & vtrimque apertis nauibus, cominus incalescit prælium: eo autem ingrauescente, præfectus Melitensis multo auro grauis, & assuetus illecebris magis quàm strenuo agoni, capescit fugam ingloriam derelicta Cruce, tessera suæ religionis, in potestate hostium insidorum. Cruce sic contempta, pessum iuit classis illa Christiana.

Sanctus Clemens eques Melitensis quare cruci appensus.

Crux abiecta suos refugas morti addicit.

Non impunè tulit ignauum hoc facinus ille vecors præpositus, iniurius sanctæ Cruci, à qua enim ille defecerat, ea priuatus est, vt alia infami Cruce plecteretur. Namque summa industria comprehensus, sistitur Melitæ, vbi in comitiis generalibus Cruce honoraria spoliatur, vt ea indignus, quam flocci fecerat, ne suam supellectilem argenteam, aliaque sæculi crepundia perderet. Nec Iudicibus satis fuit hominem ignominiâ Crucis ablatæ mulctasse; sed etiam seruilem pœnam damnati stipitis adiecerunt. Siquidem nulla ratione habita dignitatis quam gesserat, aut æui quod grande transegerat multo coeunte populo suspendio necatus est, ingloriæ Cruci appensus; & equidem æquo iudiciò, quia noluit Cruci Christi iugiter adhærere.

Crucē Christi qui odere, crucē dæmonis incurrunt.

Ea sorte reprobi omnes efferuntur: immemores enim se dedisse nomen Christo, & Cruce illius veluti symbolo consignatos; quando ingruunt aliquæ molestiæ, aut aliqua occurrit ansa profitendi Crucis obsequium, illi in desidiam fracti, & rudes in agone virtutis emeritæ, vt insolitæ voluptati consuleant, detrectant argumenta omnia pœnitendi. Verbi gratiâ, instante tempore ieiunij, indicti omnibus qui Christiana professione censentur; illi veluti vilia ventris mancipia, gulæ indulgent, & prætexunt causas ementitas noxiæ sibi abstinentiæ à carnibus. Sic crucem illam aliis commendant, & recedunt à generoso cœtu militantium contra carnis illecebras. Sed æuo recurrente, voluptatis asseclæ nefarij, pertæsi gloriosam Crucem, malæ Cruci addicentur, pœnæ perpetuæ mancipandi.

Cruce reprobi franguntur vt vitrū malleo.

Iure Canonico in hos crucifugas eâ sententiâ animaduertitur, vt quasi Cruce Christi exuantur, qui Cruci fuerint iniurij, id est, percussi anathemate eiiciantur foras illi omnes qui pœnitentiam exosi, voluerint obscœnis illecebris cuiusque vitij præpediri. Sicque impij ad malam veluti Crucem damnantur, positi extra communionem fidelium, quia noluerunt humeros submittere Cruci Domini pœnitendo. Et hoc luget in Iuda transfuga Canon iste, qui malæ Crucis illius causam assignat fugæ bonæ Crucis, id est, quia noluit perpetratô facinore pœnitere. Sic habet textus. *Sceleratior omnibus, ô Iuda, & infelicior extitisti; quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Expectasses consummationem criminis tui; & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses.*

Ex Iure Canonic. Canone. celeratior. de Pœnitentia distinct. 1.

Cruce frangi reprobos sicut vitrum, aiunt Sancti Patres, & in his Augustinus. *Malleo tunditur, & iustus, & peccator; ille vt probetur, ille vt puniatur; aut certè vt iustus augeatur in bonis, & peccator corrigatur à malis: sub isto enim malleo in manu, id est, in potestate Dei constituto, tunduntur non solum humiles, sed & superbi; sed humiles producuntur, superbi comminuuntur vt vitrum.* Eò alludit Damianus hominum increpans ignauiam, sic fatus: *Sit ergò mens nostra, non quasi vitrum, quod ad primum percussionis ictum impatiens frangitur, sed pretiosi potius vena metalli, quæ sub mallei contusione purgatur. Esset planè vitrum cunctis metallorum fulgoribus longè præstantius, si primis ictibus præsto non cederet.* Non ergo mallei iniuria frangitur subiecta materia, sed vitio suo: si enim vitrum suapte natura induraretur vt aurū, non abiret in frusta concussum malleo; sed hanc naturâ negante firmitatem vitro, illud sibi soli iniurium est. Ita & reprobi vitiis impliciti natura eò inclinatur, vt ea impos opprobrij, Crucis malleo quoque contusa minuatur.

Ex SS. Patribus. S. Aug. serm. 112. de temp. S. Damian. opusc. 40. cap. 7.

Crucē quare oderunt impij.

Ex Mathematica.

Eò spectat speculatio illa Mathematica sic lineans angulum obtusum scilicet vt exurgat ex linea

linea perpendiculari incidente in subiectam lineam obliquè sitam. Eo quippe symbolo deducto à Matheli graphicè depingitur indoles hominum impiorum; illis enim à recto iustitiæ tramite deuiantibus appositè quadrat linea obliquè transuersa, in quam decidens alia linea desuper creat obtusos angulos. Etenim Crux omnis, vt cœlitus immissa, linea est perpendicularis, quæ si incurrat in hominem à rectitudine deuium, nihil nisi obtusum, & effœtum parturit; citra tamen dispendium aliquod lineæ exortæ desuper, cui semper sua rectitudo constat; sed rei obtusæ & deformis tota ratio petenda est ex obliquitate hominis, à calle pietatis ei inuiæ deflectentis.

Euclid. lib. 1. Element. definit.

Quomodo Cruces cedant in meritum eorum, quos multiplex molestia deco quit.

PVNCTVM V.

Ex Theologia. *S. Thom. 1 pa qu. 23. ar. 4. a 2. Osee 13.* Prædestinationis & reprobationis causæ sunt diuersæ.

Discreta esse Principia reprobationis, & prædestinationis, Theologia eloquitur. Namque homo seipsum reprobat, iuxta illud præcitum à Propheta. *Perditio tua Israel.* Sed prædestinare se homo nequaquam potest. Rursus vtriusque causæ, scilicet reprobationis, atque prædestinationis, effectus suam sapiunt originem: verbi gratiâ, ad blasphemias, quas eructant in Crucem impia capita, Deus non infundit malitiam insitam nefariis actibus. In aliis verò egregiè exantlatis, vt in Crucis amplexibus vltroneis, qui sunt effectus præordinationis diuinæ, secus se habet Deus, vtpote illabens mentibus simul & cum Crucibus quas immittit. Ex hac speculatione Theologica pendet enodatio tituli istius puncti, quærentis apparatum, quem deposcunt Cruces, vt sortiantur effectum, nostræ animæ salutarem.

Cruces se disparitèr habent cum iustis & reprobis.

Huic quæsito Sphinge non opus est; quippe solutio petitur ex Theologiæ rudimentis, & hæc esto. Gratiâ Dei singulari, Cruces reprobis infœcundæ, fiunt iustis feraces meritorum, eo potissimum nomine quòd retroacta piacula recolentes, sciunt Cruce patienter accepta, suas reparari ruinas, & etiam Cruces arcere ansas omnes amplius delinquendi. Est hæc conclusio biceps, ac proinde dissita exigit argumenta. Primum quod sonat præfata assertio est, à gratia Dei esse, quòd res naturæ ingrata fiat accepta. Alterum est, Cruces, id est, omnem pœnitentiæ supellectilem, occurrere deliquiis omnibus, quibus est natura hominum imbellis obnoxia; & etiam diluere crimina perpetrata. Gratiæ necessitas astrui potest ex ipsis Philosophiæ adminiculis.

Ex Philosophia. *Auerroes in Arist. lib. 1. Metaph. text 10.*

Sic arguit Philosophia, Omne agens intendit finem, vtique consonum naturæ suæ: ergo cùm Cruces sint naturæ hominum iniuriæ, eas non intendet homo; imò insito sibi odio insurget in obuias quasque Cruces, nam appetitus in id tantùm fertur, quod conueniens est, & non id anhelat quod dissoluit. Cruces autem dissoluere bonum hominis liquet, ex dolore atque cruciatu, quippe dolet homo, imposita sibi Cruce: omnis autem dolor oritur ex dissolutione continui Igitur cùm natura sui compositi sospitatem desideret, res est homini vernacula sese subducere Cruci.

Atque ita superest: vt si quis æquo animo ferat Crucem, imò & ærumnas præeuntes morti, vt sunt acuta tormina, & dolores acerbi; inde inquam inferre est, assensum illum esse supra hominem, & superioris ordinis, id est, gratiæ Dei singularis, quæ hominem accingit ad effectus, quorum est natura nescia. Non est igitur quòd superbiat homo, & inani gloria tumeat, si concussus multis insultibus, animo tamen sit infracto; de proprio namque penu eius non emergit amor Crucis, sed donum est, & influxus Dei miserantis, qui notatur à Psalte, eamobrem iubilante. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Quasi diceret, ea lætitia, qua gestio, vrgentibus me ærumnis, fluit à gratia tua, cuius lumine bonum Crucis irradiat, & eo cognito anima non refugit Crucem.

Cruces æquo pati animo lignũ est gratiæ singularis.

Lumẽ Dei in homine signatum quale sit. *Psal. 4.*

Ex SS. Patribus. *S. August. in Psal. 4. Hugo Cardinal. in Psal. 4.* Vultus Dei quid sit Ratio quid sit.

Eo lumine notari gratiam, crede Sancto Augustino, sic commentanti locum illum: *Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur; signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur imagine.* Hæc ille; cui adiice Hugonem Cardinalem, liquidius locum istum enarrantem. Sic fatur vir, vt eminentiæ, ita & doctrinæ singularis: *Vultus Dei dicitur ratio, lumen huius vultus est gratia; quia sicut moneta est informis donec imago Regis ei per cuneum imprimatur; ita ratio nostra deformis est, donec per gratiam Dei illustretur. Ratio enim est imago creationis; sed gratia Dei est imago recreationis. Ratio Deum imitatur ex natura, sed quod imitatur habet ex gratia; istud lumen signatum est super nos.* Hactenus ille sacer Psalmorum Scholiastes.

Ex Theologia. *S. Thom. lib. 3 contr. Gent. c. 70. Idem 1. p. q. 105. ar. 5. ad 2.*

Cruces, quas emeriti homines inuitâ naturâ, hilariter tamen atque suauiter accipiunt, arguere gratiam singularem, faciendum est palam ex abditis Theologiæ recessibus. Sic sua pangit oracula, sacra hæc disciplina, S. Thoma interprete. Deus non solùm influit immediatè in effectum creaturæ; sed etiam talem effectum vna & eadem actione à Deo; & creatura velut à causa prima prodire, in confesso est apud primores scientiæ illius sanctioris. Sic sentiendum est de actu voluntatis nostræ: nam si ille actus principis huius potentiæ sit tantùm actio, sicuti quibusdam placet, vnica actio est fluens immediate ac per se, non tantùm à nobis seu à voluntate nostra, sed etiam à Deo, si autem dispescuntur terminus, & actio, non solùm terminus est immediatè à Deo & à voluntate, sed etiam per eamdẽ omnino actionem est à Deo, & à voluntate, vt fusius Angelico ingenio insignis Doctor in eo themate spatiatur. Esse eamdem Dei & hominis actionem videre est ex eo quòd Deus non est causa actionis per aliquam aliam actionem in creaturã præambulam; nam rediret dubium, an ad istam actionem daretur etiã alia præuia actio, & sic esset processus interminus, qui diluitur hoc effato, asserẽte ad actioné non dari actionem. Igitur Deus nõ solùm est causa per se omnium effectuum causę secundæ, sed & etiam actionũ eius; omne enim ens reale habet esse participatum & dependens à primo ente, à quo immediatè effluit. At actio humana habet esse reale; ergo à Deo immediatè emanat non per aliam actionem; ergo per vnam Deo causæque communem. Quòd si sit orthodoxa conclusio in rebus Physicis, quibus ab ortu est ingenita vis ad agendum modo eis congruo. Si inquam Deo inscio & non cooperante nequit aliqua causa parturire aliquid congruum; à potiori homo

Dei influxus in hominem quis sit.

Causa nulla sine Deo influit.

homo est iners ad amorem Crucis, cùm excedat omnem naturæ impetum, quæ nisi gratiæ illapsu vegetior fiat, nunquam ruet in amplexus Crucis. Igitur Dei est, quòd quis patienter se præstet in iniqua sorte, ac proinde Deo iniurius est ille, qui de ieiuniis, & alia supellectile pœnitentum, inanem gloriolam aucupatur. Quasi de proprio penu, Deo inconsulto, & negante operam suam, homo queat Cruci exhibere aliquem famulatum.

Ex re Medica. *Fernel. lib. 6. Physiol. c. 13.* Manus structura mirabilis est.

Res medica non modicum lumen aspergit, isti veritati propitium, & quo fit palam omnibus, hominis impotentia ad submittendum humeros Cruci instanti. Hæc disciplina corporis humani custos, & inspectrix, ait manus instructas esse iis omnibus organis requisitis ad agendum, nimirum venæ eas alluunt sanguine idoneo, quo aluntur; venis subsunt arteriæ, è quibus per anastomoses, & quandoque iure viciniæ purior sanguis transcolatur in venas abditis meatibus: articulos habent manus, quorum obsequio ad arbitrium hominis inflectuntur; osse numeroso sunt compactæ, vt tenacius apprehendant, neruis in plures ramos & in fibras excurrentibus, quasi suta & vincta compages artuum nequit diffluere, etiamsi quandoque pernicibus equis alligati homines facinorosi, quadripartito corpore puniantur. Denique isto polleant manus congruo apparatu ad agendum, sintque viuaces, & aspersæ laudabili succo. Si tamen caput non infundat spiritus animales, præpeditos humore aliquo noxio, quem inferæ partes æstu immodico febrientes sursum euexerunt, manus sunt effœtæ; & licet lenia attrectare queant ægrè admodum quia languent, impotes prorsus sunt ad grandia pondera subleuanda.

Homo suis organis à Deo instructus.

In hunc modum, homines à prima sua constitutione sunt à Deo comparati. Eos rerum opifex ita composuit, vt nullius rei ad actionem præuiæ sint indigi; quippe intellectu præditi sunt, quo illucente nihil illis inuium est. Eos idem peritus artifex sensibus ornauit, quibus obuia quæque discernuntur, vt iuxta rerum omnium indolem, homo eas fugiat, aut sequatur; pollet enim appetitu, penes quem est, aliquid sequi aut insequi. Eo apparatu homo se componit ad agendum. Sed si Deus rerum omnium caput non præbeat gratiam congruam facinori egregio exantlando, homo quasi compage animæ dissoluta frangitur, & nequit Crucis onus subire. Præpeditur autem gratiæ spiritus viuax humore malefico, quem decoxit calor inferus, & in caput

Peccatum est afflatus dæmonis.

refudit, pessimo hominis discrimine. Scilicet homo non peccat, nisi afflatus halitu ignito Dæmonis, cuius susurro dum attendit homo incautus, subitò aliqua peccandi libidine incandescit. Illud autem crimen perpetratum vbi à Deo attenditur, exsiccat fontem gratiarum, quarum discursu euanescente, nequit æquo animo saucius homo ferre Crucem, etsi aliunde vegetus sit, videlicet doctus & omni dote naturali conspicuus, & possit aliquas actiones inferioris ordinis exercere, vt sunt disputare, eloqui, consulere, quæ omnia concursum Dei alium non requirunt præter vernaculum. Sicut ergo manus capiti debent suos actus præcipuos, & impetus; ita & homo à Deo habet illa conamina, quibus Crucem in humeros imponit, tale onus minimè detrectantes. Nimirum egregium hoc facinus non supponit tantùm generale Dei suffragium, quod præsto est vnicuique rei; sed etiam postulat operam superioris ordinis, id est, gratiam singularem, cuius deliquio, reprobos exasperant Cruces, & agunt in rabiem. Itaque si quem supra modum angit Crux, & quasi impotem sui facit; is demereatur gratiam Dei, & asperitatem Crucis illico mitigabit.

Manuum infirmitas vnde colligatur ab astrologis.

Ex Mathematica. *Iulius Firm. lib. 2. c. 27.*

Cælica Mathesis, hæc inquam disciplina loquax, & rerum instantium argumenta petens è cælis, manuum & brachiorum impotentiam colligit futuram puero edito, Geminis malè affectis, & Mercurio impedito: ait enim Firmicus, Geminos & Mercurium influere in humeros, & totam illam corporis plagam ita pendere ex illis sideribus; vt si iniquo aspectu irradient, & suum influxum subducant, confestim succumbant humeri, & imbelles manus emarcescant: si verò secus Mercurius & Gemini fuerint propitij, coniectores pronuntiant fore validum fœtum, quem mater enixa est secundo cælo. Non absurda est relatio Mercurij & Geminorum cum Christo: namque vt nullum sidus Solem stipat sicuti Mercurius; qui à Sole longius abesse nequit; ita Christus vt homo, sidus fuit in coniunctione Solis, vtpote Verbo vnitus, ac proinde duæ naturæ coëuntes in vnam hypostasim, bellè affingunt ei symbolum Geminorum. Hoc sidere vegetatur omne quod validum est, & præpotens; eius influxu brachia nostra & manus ad grandia facinora fortiter aptantur, iuxta illud Psaltis. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Si eius impeditur influxus, imbelle est quod conamur. Impeditur autem ille influxus, colluuie criminum: vt enim siderum irradiatio beneuola cassa est, prauis aspectibus stellarum errantium; ita & gratiarum illapsus homini negatur, aspectu scelerum, siquidem Christus, sidus dominans omnibus quæ sunt infra Deum, suas locupletes charismatum gazas ægrè reserat, quando ei nostra piacula numerosa liquent, vt præfatus est Vates. *Cum sanare vellem Israel, reuelata est iniquitas Ephraïm, & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium, & fur ingressus est spolians, latrunculus foris.* Vides, querulum esse hoc beneuolum sidus; quia dotes eius, quas solebat influere, hominum multo crimine coërcentur. Ex his Astrologorum nugis colligere est, brachia, manus, & humeros debere Geminis atque Mercurio quidquid omne fortiter exantlarunt; nosque eodem iure debere Christo benefico vires eas, quas experimur, Cruci minimè succumbentes.

Gratiæ Dei influxus vnde impediatur.

Psalm. 143.

Osee 7.

Cruces erectæ alicubi notant esse nobile prædium.

Ex Ivre Civili. *Cuiacius in Proœm. l. de Feudis.*

Iure Ciuili etiam constat, Crucem si penes nos sit erecta, illud esse Deo nobis propitio: sicut enim eo Iure prædia, in quibus Cruces seu patibula eriguntur, arguunt nobile dominium loci illius pertinere ad eum, apud quem stant illæ Cruces; ea tamen lege vt resciat & testetur, se à Principe habere Ius illud, siue potestatem. Ita quando quis Crucem cordi infixam habet, & erectam, virtute constantiæ; Crux illa prodit, animam hanc esse nobilem, & regij stemmatis, eamque esse Christo Deo patre satam. Tamen nemo sibi Ius illud nobile debet arrogare, ni velit cadere dominio suo, ex lege Feudorum, quia ille *Feudum amittit, si Domino mortuo, hæredem Domini non adierit, vt ab eo eam, quam lex vocat inuestituram, accipiat, fidelitatem pollicendo:* sic enim sonant verba legis, iuxta cuius mentem

Lib. 1. de Feu. De Beneficio quid sit, & quot modis amittatur.

mentem Cuiacius in Proœmio libri primi de Feudis Feudum sic definit. *Feudum est Ius siue res, cuius acceptione, fidei dominis exhibendæ vinculo constringimur.* Quo tenore docet summus ille Iuris doctor, ius illud siue potestatem Feudi, fidelitatem inuoluere, quam qui detrectat, iure suo cadit. Simili etiam modo, illi omnes, quos Christus Dominus dignatur Cruce sua, & quibus impertit gratiam virtutis atque constantiæ, illi omnes vinculo fidelitatis Deo ita deuincti sunt, vt si huius sui obsequij immemores credant, habere à se vt æquo animo tolerent Cruces, statim exuantur infulis, Deo repetente ius suum, sicuti quotidiano vsu fit palam. Etenim videre est, multos post tolerantiam rerum iniquarum fieri impotes sui instante minima Cruce; & equidem æquo Dei iudicio, vt qui vsurparunt sibi potestatem prægrandes tolerare Cruces; molles, & effœti modicis Crucibus obruantur.

Feudū quomodo amittant nobiles.

Feudi ius quid inuoluat secum.

Luculentum exemplum adfert Hieronymus, quo prælibata liquent. Scilicet eos, qui magnæ Crucis sustinuere pondus immane, sæpe deficere ingruente leui molestia; quia virtuti suæ omnem dedere constantiam, & non gratiæ Dei, cuius est amor Crucis. Historia recensita à Sancto Hieronymo, est de Hilario Diacono celebri in prisca Ecclesia, & qui à Liberio Papa fuerat adiectus comes Lucifero Episcopo Calaritano, proficiscenti ad Imperatorem Constantium Arrianum. Ille Hilarius fortiter obstitit principi, Domino IESV iniurio, & qui virulento astu in suas eum inclinare partes satagebat. Imò Constantio à verbis ad verbera transeunte, non cessit ille plagis multifariam inflictis; sed corpus suum quasi exangue, & multo vulnere lacerum animo inuicto, & oculo nequaquam tremulo recensuit. Denique deportatus Hilarius in exilium, seipso in dies maior effectus, nulli oneri Crucis imposita impar fuit.

EX HISTORIA. *S. Hieron. lib. aduers. Luciferianos.*

Cruces leues horruere qui grauiores sustinuere.

Quis non veneraretur hominem eo sanctitatis euectum, vt esset supra omnes molestias? Quis Hilarium Christi crucifixi æmulum sagacem minimè suspiceret? Demum quis iret inficias, eum cælicolis esse adscribendum, qui tot Crucibus & coronis, virtutis emeritæ specimen ediderat? Sed heu, vir ille laudandus, si Domino suo stetisset; quia sibi credidit, miserè lapsus est, & Ecclesiæ se subduxit factus hæreticus. Ruinæ eius, superbia ansa fuit. Etenim Christianos, qui tormina non tulerant, & horruerant plagas, fidei Christianæ tesseras indubias, Hilarius aspernatus, nolebat eorum pœnitentiam approbare, insimulans eos vecordiæ, & animi effœti qui succubuerant Cruci, suaque vulnera & cicatrices ventilans, & ostentans aiebat tumens inani gloria, sic esse Deo Domino famulandum.

Luciferi Calaritani Episcopi lapsus. Hilarij Diaconi defectio à fide quare fuerit.

Deus non tulit hominis insaniam, vendicantem sibi ius erigendi Cruces. Eamobrem vesanum Hilarium detestatus, infulis concessis exuit, id est, gratia eum priuauit, cuius suffragio Cruces insignes infractus tulerat. Illâ verò deperditâ gratiâ non modicam postea Crucem tolerare potuit. Namque in synodo habita Alexandriæ, debacchatus in Christianos refugas tormentorum, affirmauit eos nequaquam recipiendos, vt sacris initiarentur etsi pœniterent. Diuino flamine synodus afflata, explosit turgidi hominis impium delirium, & secus sanxit; scilicet eos, qui formidine Crucis à fide defecerant, peractâ pœnitentiâ iniunctâ esse fidelium albo recensendos. Credidit Hilarius se peti, & contemni eo Canone; impos autem illius iniuriæ, quam nequaquam valuit decoquere, huic modicæ Cruci succubuit homo transfuga, & desertor fidei, qui par olim fuerat Crucibus infinitis. Defectionis eius non est inuestiganda alia causa præter auram popularem, quam ille gloriæ inanis cupidus captauit, ex perpessis ærumnis Christianæ fidei ergo.

Itaque non Cruces primam gratiam merentur ex condigno, sed gratia facit vt Crux meritorum cumulos homini coacerust. Idipsum insinuant Canones sancti dum ingerunt, non loca sacra, aut aliud quidpiam secretum à gratia, posse nos facere conscios æternæ gloriæ, quæ peruia est solis existentibus in gratia. Sic se habet Canon. *Qualibet occulta loca sine gratia Dei animam saluare non possunt, quod aliquando conspicimus in erratibus electorum. Nam Loth in ipsa peruersa ciuitate fuit iustus, in monte peccauit. Quid paradiso iucundius, quid cælo securius? & tamen homo ex paradiso, & Angelus de cælo peccando cecidit.* Si paradiso minimè concessum fuit, suos beare ciues, & incolas, minus hoc dabitur Cruci, gratiæ Dei indigæ; nullius enim momenti sunt Cruces, quas Dei gratia non exornat: si autem Deo placitæ sunt Cruces nostræ, illud habent à gratia, sine qua nec res sanctiores conducunt ad gloriam; vt fert proximus Canon, qui est Gregorij Magni, sicut & sequens Ambrosij, qui præierat Gregorio, sic fatus: *Illud autem animaduerte, quia extra paradisum vir factus est, & mulier intra paradisum, vt aduertas quòd non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradisum factus, hoc est in inferiore loco, vir melior inuenitur; & illa quæ in meliore loco, hoc est in paradiso, facta est, inferior reperitur.* Videtur iste Canon notare superbiam, & hypocrisim hominum pœnitentum, vt puta religiosorum plus æquo professioni suæ asperæ tribuentium. Hos pungit aculeus iste Pontificius; quasi diceret, claustra Crucibus horrida, & pœnitentiæ senticetis hispida, non ideo immunes à peccatis reddere eos, qui professi sunt austerum illum ritum Crucibus assuetum; sed à gratia habere nos vt sint Cruces animæ salutares, quæ alioquin cedunt in discrimen atque perniciem hominum afflictorum, ex penuria gratiæ quæ sola homines facit adamantinos, ita vt Cruces nequeant eos lædere, quos fecit vberior gratia cataphractos.

Gratia prima non cadit sub meritum.

EX IVRE CANONICO.

Canone Qualibet dist. 40. S. Greg. l. 6. reg. epist. 5.

Loca sancta non faciunt impeccabiles.

Canone. Illud autem dist. 40 S. Ambr. lib. de paradiso cap. 4.

Cruces habent à gratia vt sint salutares.

Aduocandus Chrysostomus in eam sententiam. Sic ille. *Adamante solidiores Dei gratia nos efficit, & si volumus omnino inuictos. Itaque sicut qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet, sed seipsum fatigat, & robur suum imminuit; & qui contra stimulos calcitrat suos pedes cruentat: in hunc modum res se habent nostræ, cum salutis nostræ aduersario, si armis, quæ nobis Spiritus sancti gratia exhibet, continuò nos muniamus.*

Gratia Dei facit nos adamantes.

EX SS. PATRIBVS. *S. Chrys. ho. 4. in Genes.*

Qui hunc gratiæ adamantem Deo illum prodigente nactus est, Cruce vtetur vt solio, & symbolo regni securius obtinendi, quàm Adrianus aliàs coniecerit se rerum potiturum. De eo sic scribit Spartianus. *Adamante gemma, quam Traianus à Nerua acceperat donatus, ad spem successionis erectus est.* Adrianus in bonum omen adipiscendi

EX HISTORIA. *Spartian. in Adriano.*

Traiani adamas Adriano datus portendit ei imperium.

adipiscendi Imperij adamantem accepit præuium sceptro; ita & gratia, quæ homines adamantis instar infractos efficit, debet præire Cruci vt sceptro quo inauguramur, quippe nequit concipi spes æterni imperij nisi ex tessera illa, scilicet gratia Cruci præambula. Igitur omnes sequaces Christi crucifixi salutem suam ne reponant penes nudam Crucem, sed penes gratiam, qua mediante Cruces fiunt homini salutares; imò & suaues adeò, vt instar Luciniæ in sentibus, edant suaue melos iusti in aculeis Crucis positi. Quibus lubet affingere ingeniosum Symbolum, quod prostat in libro Bargaglij. Pingit ille fistulam alligatam arbori, vnde animata seu afflata reflante vento sonum edit, cuius ex se est impos; adiicit auctor illi fistulæ resonanti hunc titulum. INSENSATA MELOS. Id est fistula sensus expers duplici causa sonum edit. Primò, quia alligata est arbori, & sursum euecta vt aptior sit ad auram concipiendam. Secundò quia ritè & congruè vento afflatur. Itaque arbore & vento coëuntibus, edit hæc fistula modulos musicos.

EX SYMBOLIS. *Scipio Bargaglius lib. symbol.*

Cruces sine gratia sunt inutiles. Crux quare fuit vtilis Iob. *Iob. 1.* Iob quare patiens in afflictione.

Si quæris causas melodiæ, quæ olim insonuit ex sterquilinio Iob, vbi caro eius sanie dissoluta sensum amiserat? si inquam inuestiges rationem quare caro illa quasi dissoluta & INSENSATA MELOS istud ediderit: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Duplicem accipe causam. Prima est crux cui reuinctus erat Iob; circumseptus ærumnis, eum enim omnimodæ molestiæ faciebant idoneum diuino flamini, quo abundè afflantur omnes adhærentes cruci. Altera concentus eius ratio est, ipsa aura diuinæ gratiæ, quam concipiens caro nostra insensata; æmulatur Psaltem qui in ærumnis positus occinebat. Eius enim est vox illa: *Cantabiles mihi erant iustificationes tua in loco peregrinationis mea.* Cùm ergo spiritum hunc copiosè hausisset Iob ex sterquilinio suo velut ex Cruce posita in edito loco, caro eius reddidit INSENSATA MELOS. Eodem actus spiritu pœnitens latro sonoras edidit voces, quibus Christum demeruit eidem stipiti Crucis alligatus, reprobus verò latro etsi Cruci affixus, raucum, & strepens ingratum insonuit, quia spiritu nequam percitus est, ac proinde est in Christum Dominum impiè debacchatus.

Psalm. 118.

Crux quare fuit salutaris latroni.

Cruce Saul quare fuit deterior.

Si figuras ex Codice sacro desideras, quibus fiat palàm, non quascunque Cruces esse salutares; sed eas tantùm, quas aura sanctior afflat; consule Regum historiam, & deprehendes ex serie illius Regem Saul affixum prægrandi Cruci, cùm mente captus agebatur in rabiem. Etenim nihil molestius homini ingruere potest, quàm deperditio illius rei, à qua habet vt sit homo. Huic autem iacturæ fit obnoxius quisquis insanit. Asperæ illi Cruci addictus est Rex diuino probatus oraculo testante de Saul non fuisse virum eo meliorem. Ea tamen Cruce deterior effectus est, & vrgente eum molestia, voluit & ipse molestus esse aliis; siquidem emisso pilo propè non confixit Dauidem, virum Deo perquàm acceptum. Quare autem Rex succubuerit Cruci, & nihil suaue in ærumnis suis ediderit? petenda est ratio ex contextu, aperiente labis tantæ argumentum hoc tenore. *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Non potuit infelicis hominis animæ INSENSATA MELOS aliquod resonare, acta spiritu nefario, qui subiit recessum spiritus Domini.

1. Reg. 16.

Itaque hæc vna esto causa blasphemiarum, quas eructant impij homines, aliqua Cruce coërciti: Spiritus Domini recessit ab eis; gratia Dei euanuit, & in locum eius successit spiritus iniquior, quo percitus homo nequam iniquè habet, quòd asperiùs excipiatur.

Non est insuauis Crux ei, qui recenset, Cruce minui pœnas, & noua merita comparari.

PVNCTVM VI.

Prouidentia Dei omnibus consulit.

EAm prouidentiam, quâ rerum omnium æquus moderator Deus consulit vnicuique, hanc eius curam prouidam fecere dubiam Epicurei omnes Philosophi, & hodie adhuc impugnant eam omnes Epicuri de grege porci, quò melius saginæ indulgeant. Eorum personam induit Iob, dum sic eloquitur. *Nubes latibulum eius, & circa cardines cæli perambulat, neque nostra considerat.* Nimirum fingunt, esse quid Deo iniurium, asserere eum prouidere singulis rebus iuxta indolem eis ab ipsomet Deo Domino præstitutam. Has nebulas animam opacantes detersit Theologia, dum ostendit esse in Deo prouidentiam, & ea decernente, accidere ærumnas, & multimodas Cruces vt media idonea ad salutem, vtpote quibus diluuntur pœnæ debitæ piaculis retroactis, & simul exurgit cumulus meritorum. Sic rem probat sacra illa disciplina. In Deo plenè & citra defectum est omne bonum, quod elucet in creatis, vtpote à quo deriuantur omnia bona. Ast in rebus editis à Deo repertis est bonum non solùm quoad substantiam, sed etiam quantùm ad ordinem earum in finem, & præsertim in finem vltimum, qui est bonitas diuina, quam omnia pro modulo suo appetunt. Etenim nisi singula quæque ordinem haberent ad congruum sibi finem, non essent bona nuncupanda, cùm res catenus bonæ sint, quatenus ordinantur; sicuti mala sunt ea quæ deuiant: ergo in Deo est ille ordo rerum, quem indidit rebus. Cùm autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, necesse est præexistere in mente diuina rationem ordinis rerum in finem. Et hæc ratio ordinis rerum in finem est prouidentia, iuxta illud Boëtij. *Prouidentia est ipsa diuina ratio, in summo omnium principe constituta quæ cuncta disponit.* Igitur media præstituta ab illa prouidentia valde consona sunt, nec alia fas est indagare.


Iob. 22.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. p. q. 22. art. 1.* Prouidentia Dei quibus rationibus probetur.

Boet. lib. 4. de consolat. prosa 6. Prouidentia Dei quid sit.

Huius generis sunt Cruces, id est, omne quod cruciat; etenim Crucibus inest omne quod deposcit salus hominum pœnitentum. Siquidem homo præpeditus olim voluptatum illecebris, quibus contraxit culpam, & odium Dei, atque insuper præstitit se obnoxium pœnis, nequit esse redux ad gloriam, nisi mediis, quæ dolore inflicto diluant pœnas, quas voluptas meruit. Et rursus operæpretium est, vt eadem media hominem euehant in Deum, à quo ille defecerat cupediis sensuum irretitus. Huiusmodi media sunt Cruces: namque Cruces sensibus iniuriæ, delectationis præteritæ rubiginem eradunt omnem; item & suauitet acceptæ, Deum demerentur, qui adiicit patienti animæ, gratiæ suæ multiplex incrementum

Cruces effectus sunt prouidentiæ Dei.



tum. Hæc duo qui recolit, asperitatem Crucis indubiè decoquit, animo versans dilui æs alienum quod contraxit, id est, aboleri pœnas, quibus se deuinxit, dummodo non detrectet Crucis amplexus. Nimirum repedamus ad Deum retrogrado gressu, id est, via dispari ei, quam iniuimus à Deo deflectendo; sed à Deo defecimus illicito gaudio, & culpa deliquio contracta: ergo redeundum est, opposito calle, id est, via mœrore plena, Deoque grata. Igitur cùm vtrumque præstet Crux; quis sanæ mentis excutiet illud salutare iugum? recolens commoda, quæ emergunt ex Crucis obsequio, quo omnia debita dissoluuntur, eo fere modo quo Rex Carolus VIII. Galliæ Rex expunxit chirographum fidelium, qui se Iudæis obstrinxerant Massiliæ. Accipe historiam congruam sanè mysterio Crucis institutæ ad animas, ab ære alieno, id est, à pœna debita penitus absoluendas.

Carol. VIII. Rex Galliæ castigauit vsuras Iudæorum.

EX HISTORIA. Cæsar Nostradam. in hist. Prouinciæ sub ann. 484.

Cruce diluuntur peccata nostra.

Iudæi æuo superiore, bona propè omnia vendicauerant sibi Massiliensium, quos iniquo fœnore sibi deuinxerant. Ciuibus obstrictis non erat fas inficiandi, eorum nempe chirographo erat obsignata vis ingens auri recensita libris, quos apud se Iudæi concludebant. Massilienses impares tanto æri, Regem appellant vt creditorum iugum iniquum leuet, affirmantes se leuiore summa accepta, obstringi tamen ingenti ponderi, fœnore auri minuti bona omnia depascente. Rex miseratus iniquam sortem obæratorum ciuium, & detestatus austeritatem creditorum, iussit palàm afferri libros recensentes creditum æs omne libris apertis; stupuere Iudices Iudæorum astutam indolem, qui eo quo pollent astu, in suum censum redegerant penè omnes facultates incolarum illius plagæ. In mulctam fœnoris nimij Rex Gallus sanxit, vt omnibus paginis libri recolentis opes mutuò datas, calamo tincto, Crux magna induceretur, vt ea Cruce visa, fœnerantes homines rescirent, Christianos crucicolas esse redemptos & solutos à vinculis, quibus obærati tenebantur. Melius nobis consultum est Crucibus, quas inducit Deus; illis enim absoluimur ab institis, quæ nos diabolo mancipabant. Quippe esto, libido, gula, ira, acedia, & demum pleraque crimina, multis pœnis atque reatibus obstrinxerint: Deo chartis, quæ recensent nostra piacula, adiiciente Cruces, debita nostra omnia illico dissoluuntur, imò comparamus nouas meritorum gazas.

Crucis virtus in diabolos.

EX SS. PATRIBVS. S. Damian. serm. 48.

Cruce nos eripi vinculis Dæmonum bellè ait Damianus: *Ad superandum diabolum, Crucis insigne nobis noster Imperator exhibuit; & ne nobis graue videretur, prius ipse gestauit. Hoc denique salutis nostræ signaculum, non solùm sacris siue sacrandis rebus imprimitur, sed etiam alimentis, siue quibuslibet etiam rebus domesticis adhibemus, vt euidenter appareat, quòd, & homo, & quæque humano sunt vsui necessaria, huius virtute signi, à iure sunt dæmonum absoluta.* Hæc ille; & Augustinus ait, lætandum esse de Crucibus vtpote diluentibus crimina perpetrata. Sic ille. *Vides etiam isti quàm humiliter, & veraciter sapiant, qui pro peccatis suis se flagellari à Domino confitentur. De quo scriptum est: Quem enim diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Hæc Augustinus, non parùm solatij adiiciens omnibus afflictis, cùm eorum Cruce Deus ita prouiderit, vt ipsi sibi melius aliunde nequeant prou-

S. Aug. epist. 31. ad Vict.

uidere; quicquid Democritus & reliqui eius farinæ Philosophi secus obganniant, dicentes Deum quidem gerere curam incorruptibilium, sed non corruptibilium, ac proinde curam habere hominis in specie, sed non in indiuiduo, quia species est corruptionis inscia, & quotidie indiuidua corrumpuntur, & eamobrem sunt extra prouidentiam Dei. Doctrina est Deo iniuria & homini noxia, cum inducens ad nauseam eorum omnium quæ feriunt sensum; quare enim homo Crucibus & ærumnis vltro occurreret, si Deo inscio in eas impingeret? Quorsum, inopia, inedia, confessio, aliique ritus ingrati corpori frequentarentur à plerisque, si hæc omnia non fuissent aptata à Deo vsibus hominum volentium ad meliorem frugem seriò conuolare? Nimirum si non ordinatæ essent illæ Cruces ad obsequium animarum; essent expungendæ vt homini maleficæ.

Cruces quomodo conferant ad salutem.

Hos Philosophos operæpretium est confodere telis petitis ex pharetra Philosophiæ. Sic igitur arguo Philosophicè, & explico, prouidentiam Dei non ad vniuersalia tantùm porrigi, sed etiam ad singula quæque, atque adeò Cruces vnicuique ingruentes, non fortuitò accidere, sed Deo Domino moderante. Cùm omne agens agat propter finem, tantùm se effundit ordinatio effectuum in finem, quantùm se extendit causalitas primi agentis. Hinc enim plerunque accidit, in operibus alicuius agentis aliquid exurgere vltra finem ordinatum, quia effectus ille consequitur ex alia causa præter intentum agentis. Causalitas autem Dei, qui est primum agens, se extendit ad omnia entia non solùm quantùm ad principia speciei, sed etiam quantùm ad principia indiuidualia, corruptibilia, & incorruptibilia. Cùm ergo nihil sit inordinatum, & singula ad vnum veluti scopum efferant sese; illa inclinatio ad vnum finem, quæ est insita rebus, non est à rebus ipsis, sed ab eo, à quo habent esse suum: eiusdem est enim dare esse & consequentia ad esse. Igitur cùm omnia habeant esse suum à prima causa, ab eadem etiam defluet rerum in finem congruum indita propensio, quæ in Deo fuit ab æterno, vt rerum omnium exemplari. Esse autem in Deo rationem ordinis eorum, quæ edidit in lucem, illud est asserere, prouidentiam Dei se etiam extendere ad singula, etsi corruptelæ obnoxia. Nec ea cura rerum inferarum officit Dei maiestati, quinimò magis eam prodit; sicuti homo lynceis oculis deprehendens atomos, & festucas aliis oculis inaspectas, non læditur hoc aspectu rerum minutarum; sed illæ explicant oculorum eius aciem perspicacem.

EX PHILOSOPHIA. Auerroes l. 1. Metaphysic. text. 10. Arist. de caus. prop. 24.

Causa non excedit virtutem causalitatis suæ.

Rursus, Cruces, vt bonorum iactura, morbi, penuria, aliquod esse habent, cui ex se non competit præstituere sibi finem: ergo habebit aliunde iuxta illud axioma, opus naturæ, opus intelligentiæ, id est, cùm causæ inanimæ aliquos exerunt effectus, diriguntur à Deo ad aliquem finem incognitum illi causæ. Verbi gratiâ, morbi diutini, quos Medici Chronicos nuncupant, vt sunt paralyses, & podagræ, eo plerumque fine à Deo immittuntur, vt fiat anima vegetior, sicuti insinuat Apostolus. *Virtus in infirmitate perficitur.* Item percutitur corpus, vt plagis in hoc æuo acceptis luat pœnas, quas pendisset in æternum.

Crucibus immissis quid intendat Deus.

2. Cor. 12.

Et hæc sanè potens & valida speculatio ad coërcendas querulas hominum mentes, pensantes

faunes tenellam Cruces suas ad trutinam sensuum, quibus cùm futura sint inuia vt & incognita, Cruces volunt subitò deponere, veluti remorantes eas delicias, quibus obsequuntur. Ita planè consultò eueniunt morbi, inopia, & numerosum agmen ærumnarum, quibus quandoque stipantur homines. Deus prouidè cauet nobis, etiam insciis, & inuitis; & vtinam altas radices ageret ille cogitatus versans intentum Dei in Crucibus infligendis. Cùm enim ille rerum omnium opifex nihil oderit eorum quæ fecit, sed velit vnicuique bonum conueniens; necesse etiam est, ea media esse bona, quæ Deus instituit, vt homo dirigatur ad suum finem: ergo Cruces institutæ à Deo sunt bonæ & vt sic diligendæ, quia conducunt ad salutem.

Cruces quomodo esse queant salutares.

Quomodo autem Crucis asperitas queat esse salutaris, & proinde hominis amorem inflectere ad amplexus, disce ex re Medica, quæ dum consulitur pro reduce sanitate, sæpè decernit ingrata remedia, qualia sunt ea, quæ sudorem proliciunt ægro posito quasi in clibano, vbi colliquato corpore æger plerumque animo delinquens luit pœnas obsequij præstiti illicitæ voluptati. Audi principem medicum Fernelium enarrantem quas vltrò pœnas subierint homines suæ libidinis pensum inglorium toto corpore referentes. Ait ille æuo suo, illos vagæ Veneris asseclas, fœda colluuie sordidos, nullum immane remedium horruisse, spe concepta salutis adeundæ illis torminibus. Medici illius sæculi reuera tortores, quos Fernelius crudelitatis insimulat, carnificinam ita auspicabantur eodem medico recensente. *Hydrargyro cum aliis quibusdam oleis & pulueribus in vnguenti formam concinnato, inungebant brachiorum, & crurum iuncturas, alij & spinam, & ceruicem, nonnulli etiam tempora, item & ventrem, atque iterum alij vniuersum corpus. Claudebatur æger in æstuario, quod calebat assiduè atque intensissimè; alij viginti, alij triginta totos dies, nonnulli plures, perunctum lecto qui intra æstuarium sternebatur apponebant, ac multa supertecta veste sudare cogebant. Empiriacam hanc curandi rationem hactenus secuti sunt, Medici, Chirurgi ferè omnes, non sine magno Reipublicæ detrimento. Tanta siquidem huius vnguenti crudelitas est atque ferocia, vt secundo statim aut tertio die languescere incipiat æger. Quippe quod in summo corpore est, & in toto corporis ambitu, summa sua tenuitate colliquat ac dissoluit, ac tandem extrema refrigerandi, qua pollet facultate ad interna repellit, inde in ventriculum, & thoracem, è quibus deinde sursum, partium continuatione ad gulam, & os compellit, tanta, tamque violenta iniuria, vt dentes, quibus vt & cerebro peculiariter inimicum est hydrargyrum, statim omnibus vacillent, ac nonnullis liuidi decidant omnes. Atque vt paucis complectar, omnibus certè qui sic curantur, exulcerantur fauces, lingua, & palatum intumescunt, dentes vacillant, sputum per ora sine intermissione profluit, omni prorsus fœtore olentius, tanto contagio, vt labia eius contactu, vlcus contrahant, & intus bucca vlcerentur.* Hactenus ille miseratus ærumnas, quas sponte sua obeunt homines, qui litant reduci sanitati.

Ex re Medica. *Fernel. lib. de curatione luis Venereæ c. 6.* Luxuria quomodo puniatur in hoc sæculo.

O miseram indolem gentis miserandæ! ò insaniam hominum reproborum qui vt careant pœnis, quibus eos Venus iniquior addixit, grauiora supplicia conquirunt, suis tortoribus pretio comparato. Vt autem diluant pœnas æternas, quibus eos deuinxere innumera facinora, sese subducunt Cruci, quam Deus ita congruam concinnauit, vt omnes vsquequaque reliquias criminum abstergat, & integram sanitatem impertiat. Et esto ærumnæ & Cruces proliciant lacrymas; illæ sunt præambulæ saluti instanti, & sudoris instar foras pellunt omne abditum virus. Obuiæ ergo Cruci ne simus iniurij, quidquid sensibus ingratum occurrerit; illud vt pharmacum innoxium vno velut haustu sorbeamus, & id incunctanter.

Crux est animæ medicina.

Ne autem peregrina videatur illa relatio Crucis, pœnitentiæ, atque ærumnarum cum supellectile ingrata rei medicæ, sunt aduocandi Patres Sancti, vt suo calculo, & explicato prouentu, qui fluit ex Cruce, eam seduli posthac iugiter obseruemus. Augustinus ait, saniem peccatorum abire in confessione, si molestiæ alicuius pharmacum anteeat. Sic ille. *Tristis esto antequam confitearis; confessus exulta, iam sanaberis: non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, defluat sanies.* Fauet & Bernardus, sic expendens rei medicæ cum Cruce viciniam: *Sicut medicus non solùm vnguento, sed igne vtitur, & ferro, quo omne quod in vulnere sanando superfluum excreuerit, secet, vrat; sic medicus animorum Deus, huiusmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes, cui afflicta, & humiliata, gaudium vertat in luctum.*

Ex SS. Patribus. *S. August. in Psalm. 66.*

S. Bern. tract. de gradib. humilit.

Nota, medicum oleum & vnguentum præmittere saucio membro, vt vlceri serpenti cautè obuiam eat: vbi autem viderit, vlcus respuere lenia remedia, & sua sanie alluere circum positas partes; aduerte prouidum sospitatorem ferro & igne homini consulere decumbenti, cui renuntiando mortem instare si tormentis aliquibus aspernatur redimere sanitatem, æger non succumbit igni neque ferro, quia est de salute sua sollicitus. Eo prope ritu Deus non illico reprobos Cruce quatit, sed præmittit oleum & vnguentum, id est, animam excitat synderesi, & piorum hominum crebris admonitionibus, atque superiorum censuris asperioribus. Tandem anima reluctante, adiicit Deus Cruces, quæ instar nouaculæ resecant putidas carnes noxias vniuerso corpori. Verbi gratiâ, aliquis de gloria & splendidis Reipublicæ muniis insolescit, alios flocci pendit, & in pompatici ferculi modum grauis & tumidus incedit: corripitur primò ab aliquo fortè necessario, qui suadere sataget vt deponat fastum, sequaces suos facientem inglorios; ille contra, sicuti fluctus irascens rupem eminentem obstare quin turgeat, despumans frangitur, & suas circum spargit aquas: ita superbus aduertens quempiam ponere obicem suo typho ne exurgat, excandescit, & totum se effundit in probra & in iniurias, quas veluti spumas euomit in eos, qui inani eius gloriæ reluctantur. Quid operæ pretium est? Sane ne tumor ille ingrauescat & sanie cumulata exedat reliquas partes suum effundendo virus, ferro opus est, cuius acie

acie aperto vlcere, imò & resecata carne corrupta, reliquo corpori consulatur, sicuti adagio veteri circunfertur:

———immedicabile vulnus

Ense rescindendum, ne catera membra trahantur.

Ex Historia. *Claudian. in Ruffinum.*

Itaque Deus superbientem hominem insulis exuit, & in ordinem redigit. Si modum inquiris, quo vtitur Deus, accipe. Homo vaniloquus, & non ferens rutilum suum statum, multifariam peccat, cùm supra, tùm infra se; supra quando superiores adæquare satagit, vt fecere Ruffinus & Stilicho Consules Romani, qui nimiæ suæ fortunæ impares, de imperio vsurpando etiam cogitarunt. Deus alienus à superbis eos sinit indulgere typho, quo Regibus exosi, illi eos exauctorant, aut iubent abdicare principatum. Si verò inferiores offenderint, illi eos deferunt ad Principem, quem etiam adducunt in inuidiam hominum, qui de gloriola turpiter insolescunt. Et licet plerumque Reges hac mulcta abdicationis animaduertant in superbos; hoc non genio suo tantùm præstant, sed eo ipso suasore, cuius vt ministri decreta perficiunt. Quid homini depresso opus est facto? an desperabit cadens honoribus? an mœrore marcesset se speculans ingloriũ? minimè verò; sed animo humili perpendet sibi à Deo cautè admodum prouisum esse eo infortunio, cui & assensum suũ accommodabit, vt rei institutæ ad salutem suam, quæ dubia erat, & nutabat, afflante aura secunda.

Ruffini superbia castigata

Stilichonis superbia castigata.

Ioan. Herbut in inst. Polona sub an. 1376.

Polona historia exemplum suppeditat appositum, quo præfata liquent. Regina Elizabeth regio Hungarorum sanguine sata, Rege Poloniæ extincto diu primas tenuit. Sed vt infideles res secundæ, cautiores quosque dementant, mulier impos sui totam se effudit in choreas, ludos, epulas, aliaque sæculi ludibria. Ea sic incuria regni, irruperunt hostes in Poloniam, & magna edita strage Polonorum, populati sunt extimas huius orbis oras, Regina semper segnius agente, neque conscribente militem, quo armato compesceret impetum furentium gentium. Poloni tandem pertæsi fœminæ socordiam, quæ querulis populi vocibus assueta obsurduerat, intenta tantùm suis illecebris; hanc solio pellunt sicut & publico ærario. Mulier imbelle genus ire in lacrymas, & suam inopiam lugere exorsa, serò sapere incœpit: namque cogitans se indecoram hactenus & egenam, in comet regno vbi tandiu & adeò antea coruscarat, reditum suum in Hungariam patriam suam cogitauit. Itaque humili apparatu secessit è Polonia, exosa solum, quod hactenus tam impensè coluerat. Versus Hungariam gradiens, eò tandem appulit; & licet malè stipata redoleret inopiam, sicut & ignominiam, splendidè tamen excepta est, reliquumque egit æuum in patria sua nemine reclamante.

Elizabeth Regina Hũgariæ cruce seu afflictione gloriosior.

En ideam animæ rerum omnium affluxu sibi Deoque iniuriæ: patriam suam, scilicet cælum oblita, totam se aperit terræ, epulis, & libidini intenta; & quamuis plerique eam moneant de irruptione hostium id est vitiorum, quæ potentias animæ reprobæ miserè depascuntur, anima quasi in delirium acta, pergit, & dum suam expleat libidinem, parum curat de virtutum praxi, qua sola potest coërcere vitiorum pessimum incrementum. Longo æuo in eum modum ducto, Deus anxius de salute illius animæ parum de seipsa sollicitæ, illam purpura exuit & ærarium eius exhaurit, casu aliquo iniquo, pessum eunte fortuna eius. Et vt sunt aspera rudimenta aduersæ fortunæ, anima vix decoquit hocce genus vitæ, cui sensim se accommodans, & meditans statum dubium sæculi huius minimè constantis sibi, capitur desiderio patriæ cælestis, & se accingit ad expeditionem in cælum, modico quidem rerum inferarum apparatu, eam premente inopiâ; sed quo nudior est, eò etiam securior, non metuens remoras in via, quas suppeditant opes, & honores. Animam sic gradientem Deus expectat in patria, vt in æuum perpetuum lacrymas eius tergat, & puluerem excutiat collectum in agone. Quàm tunc erit læta, & beata commemoratio ærumnarum! Quàm suauis recensio Crucis, inopiæ, & perpessæ iniuriæ! nimirum anima agnoscet se illis scalis fuisse euectam ad cælos. Vide iam an in Cruces, querimoniarum sit locuples argumentum? an potius sit ansa venandi materiam virtutis exercendæ, æquo animo aduersis occurrendo, quibus minuitur pœna, cui nos olim parta crimina deninxerunt.

Ex SS. Patribvs.

Sanctorum Patrum concors auctoritas præfata clamat, scilicet Cruces seu aduersa nos ad Deum compellere. Sic Augustinus rem expertus ait: *Punctus tribulatione, capi quarere refugium, quod in illa felicitate saculari desieram quarere. Quis enim facilè recordatur Deum qui semper felix est, & spe prasenti gaudet? Secedat spes saculi, & accedat spes Dei.* Regina illa Poloniæ lasciuiens oblita erat patriam suam, & in cælo alieno ita solo affixa erat, vt Regina nomine tenus, reuera voluptatum esset vile mancipium: sed vbi Cruce veluti virga percussa est, diceres ei admota fuisse calcaria; pernice enim gressu ad propria repedauit.

S. August in Psalm. 93. Cruces nos ad Deum ire compellunt.

Et hanc esse Crucis energiam vt nos in cælum vrgeat, fuit apophthegma Beati Thomæ Archiepiscopi Valentini. *Tribulationes* (inquit) *calcaria sunt, qua faciunt nos currere ad Deum, sicuti Gregorius ait, mala qua hic nos premunt, nos ad Deum ire compellunt.* Alia similitudine vtitur Chrysostomus insinuans, nos ad Deum Cruce reuocari. Sic ille. *Matrum plurima cum nihil obsecrando proficere se viderint, laruas quasdam horrorisque figmenta parant, atque illos suos infantes, demum ad reditum impellunt. persuadéntque ad se iterum recurrere. Hoc autem non in solis pueris contingit, sed etiam in nobis; quando enim malignus ille perterret nos, atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nos ipsi agnoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus.* Eò respexit Psaltes, quando ait: *In die tribulationis mea Deum exquisiui.*

S. Thomas Archiepisc. Valentinus serm. de S. Cosma.

S. Chrys. l. 1. de Prouidentia Dei.

Psalm. 76.

Quasi diceret, blandiente mihi fortuna, & lenocinante voluptate, à Deo defeci, res secundæ ab eo me longius asportarunt; sed ego, qui placido pelago erraui, redij tandem ingruente tempestate, & reducente super me aquas salsugine sua ingratas. S. Ambrosius ait appositè in hunc locum, literam Iod apud Hebræos desolationem sonare & confessionem, sicuti colligere est ex radice ידה iadah, & ex collusione duarum rerum, quas eadem vox effert, arguit ille Sanctus, afflictiones esse veluti præambula quædam ad confessionem. Sic ille: *Decima litera apud Hebraos Iod, qua Latina significatione confessio dicitur, vel certè desolatio, nec certè dissonans est vel discors interpretatio; siquidem quia desolati sunt, citius confitentur. Magis enim secundis rebus animus extolli solet,* cum

S. Ambr. in Psalm. 118. Crucis consortium & confessionis.

cùm autem vrgetur, aduersis tunc demum implorat auxilium.

Ex Ivre Civili. *Lege 1. Cod. ex quibus causis irrogetur infamia. Leg. 2. de bonis damnat.*

Commoda ærumnarum, & cuiusque Crucis dæmon eripit iudicio hominum, suggerens inglorium esse affligi, & quasi præiudicium pœnæ æternæ, quam Cruces temporariæ anteeunt in hoc sæculo, Deo sic notante capita damnanda. Hinc sanè plerisque oblata est ansa eundi pessum, dum Cruces rati esse symbola iræ Dei, omnem spem protinus abiecerunt. Error ille Iure Ciuili conuincitur, quo explicite sancitum est vincula & carcerem non irrogare infamiam, & ante damnationem bona minimè publicari. Quas leges Cuiacius Iuris peritissimus explicat de hominibus liberis; nam si serui, reatus alicuius causâ coniicerentur in vincula, nusquā eis patebat aditus ad libertatē. In liberis verò secus; nam rescissis vinculis sæpe maioribus gratiis, & splēdidioribus infulis fuerunt à Regibus insigniti, vt testis est Iosephus, qui abruptis vinculis, citra ignominiam charus fuit Imperatori Vespasiano, à quo vinculis fuerat antea præpeditus.

Cuiac. l. 15. obseruationum. c. 7.

Cruces inglorias esse dæmon falsò suggerit.

Simili modo Cruces, videlicet iactura bonorum, morbi, aliæque clades, non minuunt bonū nomen, imò maximè conueniunt nomini Christiano, quo fit illustrius Cruce. Si tamen Crux, & molestiæ inciderint in animam liberam, id est, alienam à peccatis; nam ipso assertore Christo, qui facit peccatum, seruus est peccati: si inquam anima libera tribulationum vinculis adstricta fuerit, inde liberior, Deoque gratior egreditur; sin verò secus, vilia voluptatum mancipia affligantur, & damnentur ad vincula, pessimè cum eis agitur: eis enim occluditur via ad libertatem; quia hæc est voluptatis natura iniqua, vt dementet asseclas suos, & faciat impotes ærumnarum, non vitio Crucis impositæ, sed animæ malè dispositæ: sicut probare est ex figuris clamantibus, in vinculis seruos cadere spe omnimoda libertatis; liberos verò afflictos à Deo amplius honorari.

Cruces multis concesserunt ad gloriam.

2. Reg. 15.

Auspicemur ab his, quibus Cruces cesserunt ad gloriam. Si quis vnquam in vincula coniectus est, & afflictione decoctus, is fuit Dauid, Deo castigante palam scelus occultum. Rex filium suum Absalon adeò iniquum sensit, vt ab eo præcoci ambitu regni, solio pulsus, pedes extra Ierusalem secesserit in desertum. Quis hominem durius acceptum, non putasset Deo inuisum, cui adeò immanes incumberent Cruces, immissæ ad vindictam, atque exterminium potius quàm ad purgandum? De prægrandi illa Cruce Dauidis, Semeï tulerat iudicium inglorium, asserens Regem esse à Domino reprobatum, ideo lapidibus atque conuiciis lacessebat Regem, vt legere est in historia recensente facinus hoc impium. Sic codex sanctus: *Semei filius Gera procedebat egrediens, & maledicebat, mittebátque lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos Regis Dauid. Ita autem loquebatur Semei cùm malediceret Regi: Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial: Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül; quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalon filij tui, & ecce premunt te mala, quoniam vir sanguinum es.*

2. Reg. 16.

Tamen licet illa tribulatio tanta esset, quantâ maxima esse poterat, Dauid postliminio redux in Ierusalem, regnauit illustrior.

Cruce Dauid sanctior effectus.

Sed vnde prosperæ fortunæ recursantis facies hilarior? vnde ille gratior status rei antea desperatæ? id est, quo ritu aspera illa vincula viam parauerunt ad gloriam? Eiusdem historiæ contextus it obuiam huic dubio, explicans quàm patienter Rex ille humeros submiserit Cruci, qua humili habitu amplexa demeruit & gratiam & gloriam, sicuti liquet ex textu, quem nescio an quis alto scrutinio perpenderit. Sic fatur sacer auctor. *Dauid ascendebat cliuum oliuarum, scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* In hoc tenore verborum nihil est citra mysterium, singula quæque sonant aliquid eruditum. Eamobrem ad trutinam scholij exquisiti verba omnia reuocamus, vt discamus fieri cautiores.

2. Reg. 15.

Cruces quonam apparatu sunt excipiendæ.

Dauid vrgente Cruce ascendebat. Benè. Ascendit ille, qui peccatorum iugo non premitur; totus erigitur, quem vitiorum sarcina grauis deorsum non inclinat. Rursus ascendit, quia ea est natura Crucis vt euehat sursum eos, quos videtur vrgere. *Ascendebat cliuum oliuarum.* Optima combinatio oliuarum, & ascensus: quippe oliuæ symbola sunt gratiæ Dei, & vnctionis Spiritus Sancti, cuius charismata manent eos qui ascendunt, vnum duntaxat Deum totis æstibus anhelantes. Scandebat operto capite: opertum caput in Scriptura notat altam attentionem, cui cùm vacare volumus, caput obducimus. Et Christus volens suos intentos esse verbo Dei euangelizando, nolebat illos in via aperire caput. *Neminem* (inquit) *in via salutaueritis.* Id est, ita animo versate ea quæ prædicanda sunt, vt obuij homines animum vestrum non auertant ab eo cogitatu. Notandus planè ille habitus Regis, vt maximè conducens ad Crucis amplexus, quos nemo horret nisi is qui non recolit commoda Crucis. Quid autem conferant, ascensus, oliuæ, & opertum caput, infert ex eodem textu. *Et flens, nudis pedibus incedens.* Reuera lacrymarum profluuia pedes animæ tergunt. Nimirum attenta meditatio Crucis, quam ferimus, nos ad Deum effert, cuius opem seu gratiam mendicamus, vt inundante fletu iniquos affectus illico diluamus. Pedes sic detersi & nullo vitiorum cœno lubricantes idonei sunt ad ascensum, quem exantlare non possent, eos aliquo vitio remorante.

Luc. 10.

Ex Theologia. Crucis & gratiæ affinitas.

Non perperam bis ascensum Dauid historia commemorat præfato loco. *Dauid ascendebat cliuum oliuarum, scandens:* si quidem Theologica est animaduersio & moralis, aperiens naturam Crucis, quæ in præsenti gratiam parturit, si congruè feratur iuxta augmentum gratiæ, quæ emersit ex Cruce, id est, Deo influente, quia æquo animo toleratur. In eo sēsu homo dici potest scandens de præsenti, quia gratia & Crux hominem efferunt supra omne solum; siquidem anima afflictione purgata, & infima pertæsa, fit ascendens, ratione gratiæ, quæ est ordinis superioris excedentis omne quod eminet in toto rerum omnium ambitu, ac proinde præpotentis ad eos euehendos, quos Deus dignatus est hoc illapsu.

S. Tho. 1. 2. q. 24. ar. 3. ad 1.

Quod autem præmisit codex facer tempus imperfectum sic aduertens: *David ascendebat.* Vox, ascendebat, gloriam insinuat, ad quam nos dirigit Crux: quamuis enim gratia omnis habitualis gratum faciens hominem sit gloria inchoata, seu imperfecta, & hominem accingat ad gloriam æternam, ad quam natura sola suis conatibus nequit eum erigere; tamen hoc est peculiare Crucibus & ærumnis, vt sublato obice, omnes afflictos idoneos faciant ad gloriam, iuxta illud Apostoli. *Si compatimur & glorificabimur.* Adde, gratiam, qua prædiues anima rutilat, facere quidem habitualiter animam ascendentem ex nunc, quia in vitiorum cœno minime volutatur, & est affectu, & effectu supra ea quæ sunt infra Deum; sed augmentum illud gratiæ, quam Cruces adiiciunt, actualiter animam in cælos veluti vehiculo reponere.

Rom. 8.

EX SS. PATRIBVS.

S. Hieron. in Psal. 24.

Cruces homines sursũ attollunt Crucis mirabiles effectus.

Desiderabis fortè placita Sanctorum Patrum, mea sensa firmantium, & dicentium Crucem nos in altum tollere, & facere Deo gratiores. Nihil moror; accipe pensum meum ex S. Hieronymo mutuo acceptum. Sanctus ille vbi nos legimus in Psalmis. *Tribulationes cordis mei multiplicata sunt.* Ex Hebræo fonte legit. *Tribulationes cor meum sursum ferre fecerunt.* Eumdem iniit callem Hugo Cardinalis explicans Psalmi locum illum. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.* Ait enim, *Tribulationes dicuntur excelsa, quia in cælum eleuant.* Accedit Chrysostomus. *Sic pluuia in terram descendens eleuat semina; sic & tribulatio animam intrans erigit desiderium.* Huc etiam Gregorius aduocandus. *Athleta Dei vnde premitur, inde subleuatur.*

Hugo Cardinalis in Psal. 4.

S. Chrysost. homil. 8. in Mat.

S. Gregor. l. 3. Moral. cap. 6.

Idiota lib. 2. de vera patientia.

Habes Crucis impetus hominem euehentes sursum, quia à terrenis eum expediunt; vt ait Idiota: *Tribulatio inducit odium præsentis vitæ: nam sicut cibus adhæret vasi, in quo coquitur, nisi moueatur, & perdit saporem debitum; sic cor hominis adhæret isti mundo, nisi moueatur per tribulationes, iuxta quod scribitur: Conglutinatus est in terra venter noster.* Hæc ille. Superest vt aliquos recenseamus, qui Cruces vngere nos gratia singulari edoceant. Occurrit Chrysostomus, vnctionem commemorans. Sic ille: *Fastum contrahit, & omnem exscindit torporem tribulatio, & ad patientiam vngit, humanarum rerum vilitatem reuelat, & multam introducit sapientiam.* S. Bernardus, multus est in ea speculatione gratiæ, quæ ex Cruce deriuatur in nos; ita Christum crucifixum compellat sanctus ille Crucis amasius: *Ad tua Passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum inclino me, tua victoriosa Crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguineos clauos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, tuam gloriosam & victoriosam Resurrectionem, & glorificationem, Christe, supplex adoro, & glorifico. Odor enim vitæ spirat mihi in omnibus his. Horum virtute ab astutiis satanæ me custodi, ac me conforta, vt iugum mandatorum tuorum suaue mihi fiat, & onus Crucis, quod post te baiulare me iubes, humeris animæ meæ sit leue.* Hactenus ille, fusè enarrans, copiosos latices gratiæ ex Cruce velut ex fonte effluere in animas Cruci addictas.

Chrysost. homil. 66.

S. Bernardus sermone de Passione Domini.

Cruces odorem vitæ afflant.

Demum Crucem facere nos idoneos regno, sicut & fecit Dauidem, audi ex Chrysostomo. *Si commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus. Quid est si sustinebimus? si tribulationes ferimus, & persecutiones, si viam ambulemus angustã. Ergo in vita corruptibili nos ipsos affligamus, vt in immortali requiem assequamur. Sustine tribulationem, & dolorem, spe futurorum te pascens, si vis ad cælestem peruenire ciuitatem. Ingredere viam illuc ferentem, non illuc perducit remissionis via, sed tribulationis; illa lata, hæc angusta; hanc perambulemus, vt vitam assequamur æternam.*

S. Chrysost. homil. 63. ad popul. Antiochen.

Cruces faciunt nos idoneos regno Dei.

EX IVRE CANONICO.

Præfata satis superque probant vtramque facultatem Crucis, eleuantis ad gratiam, item & ad gloriam. Eludenda ergo diaboli tentatio, suggerentis, vincula & Cruces esse Dei irati & damnantis indubium argumentum. Quod etiamsi Iure Ciuili refellatur, vt ostendi; Iure etiam Canonico liquet, Cruces & ærumnas nos in gratiam Dei reuocare, à qua deliciis excidimus, neque pristino honori inferre iniuriam Sic habet Canon. *Porro sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lacrymas fudit, quando Dominum negasse pœnituit; sed tamen Apostolus permansit. Errauit enim qui putauit, Domini sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint.* Et infra idem Papa Calixtus primus huius Canonis conditor, sic concludit *Nos verò indubitanter, tam Domini sacerdotes, quàm reliquos fideles, post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per Prophetam: Numquid qui dormit non adiiciet vt resurgat? Et Propheta Dauid pœnitentiam agens dixit: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Demum hoc inculcat Canon. *Sententiam, fratres, quæ misericordiam vetat, non solùm tenere, sed audire refugite; quia potior est misericordia omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis.* Hactenus Papa ille.

Canone Ponderet. §. Porro.

Item §. Nos vero.

Et §. Sententiam dist. 50.

Igitur vtroque Iure liquidò est, Cruces & vincula conducere ad meliorem frugem, & hominem fieri illustriorem, Deo comitante afflictos, sicut & fecit Ioseph Patriarcha, de quo ait facer textus: *Descendit cum eo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Non fuit indecorum adolescenti contraxisse pedorem carceris, & habuisse manus nexibus implexas; inde enim donatus est torque aurea, & purpura redimitus, hæc commoda præstante eius patientia. Rursus non fuit occlusa via ad Regnum, quo ceciderat Manasses, carceri addictus & vinculis: & quamuis homo nequam & idololatra iram Dei multo crimine perpetrato prouocasset; patientiâ suâ & virtute contritionis, vincula eius ei cesserunt ad gloriam. Etenim est factus sui compos, sicque Deum demeruit, & reditum ad regnum suum impetrauit. Audi ex Codice sancto, hominem flocci, & hominem frugi. *Manasses seduxit Iudam, & habitatores Ierusalem, vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israël. Locutusque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt: Idcirco superinduxit eis*

Pœnitentia reparat gratiam deperditam.

Sapient. 10.

2 Paral. c. 33.

Manassis pœnitentia.

Principes

Principes exercitus Regis Assyriorum, ceperúntque Manassem, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. Deprecatúsque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum. Hactenus sancta historia. Dauid & Manasses turpiter eiecti vrbe regia, crudas sanè decoxere Cruces igne patientiæ, ideo eas aptauerunt sibi ad salutem, reduces in Ierusalem. In hunc modum illi omnes, quos sors iniquior deprimit, non longè sunt à regno cælorum, & à beata Ierusalem, si suum sciant Cruci pendere famulatum.

Ex Symbolis. *Typotius lib. symbol.* Rex Angliæ Edoardus ex afflictione fuit cautior. Edoardi symbolum egregium.

Non erit abs re in solamen afflictorum referre symbolum Regis Angli; is fuit Edoardus I. Hunc proceres regni, infulis exutum non carceri tantùm sed & caueæ ferreæ indecorè addixerunt malè meritum de Anglia. Rex efferi animi recolens suos impetus incautos, quibus factus fuerat iniurius dynastis Regni insularis, factus illa sua molestia cicurior & mitior, animos eosdem inflexit infortunio suo, quos secunda vsus fortuna sibi fecerat iniurios. Itaque educitur è cauea Rex mutatus in alium, solio redditur, immemor iniuriæ acceptæ. Ne autem animo exciderent vota concepta de meliore frugi, accepit pro symbolo caueam, ex qua erumpit auis pernice volatu, hoc titulo adiecto. HINC FORTIVS IBO. Quasi insinuas, se maiores ausus ebibisse ad virtutem in carcere suo. Et hæc sua vota cepere incrementum ex aspectu læsæ libertatis. Vtinam vnumquemque nostrum ad æmulationem prouocaret regius ille animus, ita vt instante aliqua Cruce & angente nos, non cadamus animis, sed vsurpemus singuli voces illas, vt tesseras animi infracti. HINC FORTIVS IBO. Bonorum iactura induxit inopiam, esto egestas sit veluti carcer. HINC FORTIVS IBO: quippe diuitiæ erant mihi remoræ ad virtutem. Principis iniquus animus me Magistratu abdicatum redegit in ordinem, fecitque nullius nominis. Laus Deo. HINC FORTIVS IBO. Humilis incessus aptior est ad currendum, & ad obeundos calles, qui ducunt ad gloriam.

Ex Iure Civili. *Lege Ælia Sentia.* Cruces in bonis & malis varios effectus sortiuntur.

Virtute fiunt beneficæ Cruces, sed vitio nebulonum cedunt in exterminium æternum, vt ex Iure Ciuili præfatus sum, seruos in vincula damnatos, non potuisse amplius respirare ad liberiorem auram, non vitio vinculorum, sed miseræ seruitutis, in quam dum incidebant vincula, eam penitus obruebant. Si quos igitur accipimus deficere in ærumnis, & spe in Deum omnino cadere, tota mali labes petenda est, ex peccatis abditis, quibus irretiti homines infelices succumbunt Cruci, & pœnis perpetuis fiunt obnoxij. Rem explicat Augustinus: *In eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant, boni precantur & laudant. Tantum interest non qualia, sed qualis quisque patiatur: nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.* Latrones adiecti comites Christo probant effatum Augustini: vnus eorum velut vnguento gratiæ delibutus, suaui odore astantes recreauit, dum Christum Regem confessus est; alter verò, quasi luteo & cœnoso animo tetrum spirauit odorem, Christum Dominum conuiciis impetendo.

Ex SS. Patribus. *S. August. lib. 1 de ciuitate Dei cap. 8.*

Ex Mathematica. *Columella lib. 11. cap. 2.* Calicis & libræ societas in constellationibus quid moralè sonet.

Disparis exitus ratio non est petenda à Cruce diuersa; siquidem Crux similis vtrumque sustulit, eodémque fato ambo periere. Sed vnus alio iustior, Cruce sua veluti rate traiecit mare infidum istius sæculi, & ad gloriæ portum salutis mercibus appulit; alius verò Cruce sua deterior periit, quia erat expers gratiæ Dei. Ea enim est natura Crucis, vt si absit obex, homines afflictos Deo conciliet, & iustitiæ restituat vnde exciderant. Consonat animaduersio cæliçæ Matheseos, qua compertum est, in Autumno, id est, circiter Kalendas Octobris, ante ortum Solis oriri constellationem illam, quam Calicem seu Craterem nuncupant. Vbi autem Calix emerserit supra horizontem, statim se prodit Libra, Sole eam inhabitante rutila. Sol namque peragrat signum illud Libræ, quando Calix antelucanus oritur. Tunc maturi fructus ex arbore penduli decerpuntur, & gratus ille prouentus reconditur. Ante autē Calicis exortū, immaturi arborum fœtus acerbi sunt, & dentes exasperant, naturâ ipsâ insinuante, vberiores animæ fructus, patientiam, & humilitatem, aliásque virtutes, Calice comparari, id est Cruce, quam Christus Calicem etiam dixit, sic orans: Transeat à me Calix iste.

Ex SS. Patribus. *S. Gregor.*

Rursus, hoc Calice illucente homini afflicto, non tantùm colligit homo mœrens virtutis inane simulachrum, aut fructus opimos cortice tantùm tenus; sed illico succedit Libra symbolum iustitiæ. Nimirum ex Gregorio. *Mala quæ nos hic premunt, nos ad Deum ire compellunt.* Et nota, Libram illam, quæ Calicem sequitur, esse Libram cælestem stellis plurimis desuper illucentem, ad differentiam alterius Libræ seu stateræ dolosæ, quæ ex terrâ oritur impiis, quibus calix non oritur, quia ducunt in bonis dies suos. Nimirum reprobi, pondere seu lance infida & profana librant omnia, & sic decepti decipiunt: iusti verò, quos Calix afflictionis siue pœnitentiæ eripuit terris, vt sursum eueheret, omnia pensant pondere sanctuarij veluti Librâ cælitus exortâ, id est, omnia eis cedunt ad iustitiam, & gratiam.

S. Augustin. lib. 1. contra Donatistas. Cruces non grauant eos, qui eas cogitant à Deo immissas.

Ne autem putes hoc esse vanæ Mathematicæ delirium, recensebo Patres Sanctos aliquos, qui vtramque stateram commemorant. Accipe Augustinum sic monentem: *Non afferamus stateras dolosas vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus; arbitrio nostro, dicentes hoc graue, & illud leue; sed afferamus diuinam stateram de scripturis sanctis, & in illa quid sit grauius appendamus; imò non appendamus, sed à Domino appensa cognoscamus.* Cæli Librâ, seu pondere sanctuarij, Calix non est grauis: nam vt corpora cælestia non grauitant; ita ærumnæ à Deo immissæ, illum non grauant, qui eas appendit pondere Scripturæ sacræ, quæ est illa Libra cælestis; ad quam se componunt patientiæ candidati. Ad hanc trutinam reuocatæ Cruces omnes, nullæ adeò graues sunt, vt quispiam sanctus earum impar oneri deficiat; imò leues & momentaneæ recensentur à Paulo, stipato Crucibus & ærumnis. Sic ille: *Non deficimus; sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is* qui

2. Cor. 4.

qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Hæc ille. Nota, æterna & inuisibilia videri ab afflictis, atque bibentibus calicem Christi; quia affulget eis Libra sideribus aspersa rutilis, quorum lumine suffusa mens aspicit ea quæ sunt carnalibus oculis inaspecta. Huius stateræ naturam scitè explicat Hugo Cardinalis. *Statera est rerum æstimatio, in qua si spiritualia præponderant temporalibus, iusta est statera: si autem temporalia spiritualibus, tunc est dolosa, & falsa; de hac Dauid: Mendaces filij hominum in stateris.*

Statera spiritualis quænam sit.
Hugo Cardinalis in caput 11. Prouerb.

Idem scholiastes fusius spatiatur in eodem argumento, sic enarrans: *Statera est hora hominis, in qua ex vna parte appenditur præsens felicitas, & pœna æterna; ex altera parte præsens tribulatio, & æterna felicitas. Ante hominem bonum, & malum, mors & vita, ad quod voluerit extendet manum suam. Si extendit ad dexteram, id est, ad præsentem felicitatem, dolosa est statera, quia in ea plus ponderat nihil quam aliquid, temporale quam æternum; si ad sinistram, iusta & æqua statera est. Talis fuit statera Dauid, qui ait: Elegi abiectus esse in domo Dei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Talis fuit & statera Moysis Hebræorum 11. Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum Dei populo, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Talis etiam fuit statera ipsius Domini, qui cùm vellent eum turba rapere & facere Regem, fugit ab eis, & abscondit se. Hanc stateram habent omnes pœnitentes, qui malunt se hic affligere, quàm in futuro æternaliter cruciari.* Hactenus Hugo, ingeniosè explicans sanctos Dauid & Moysem, imò Sanctum Sanctorum Dominum IESVM prætulisse Cruces deliciis; quia in statera iusta appendentes huius vitæ molestias, eas agnouere leues, vtpote hominem euehentes sursum. Voluptas verò secus librata hac statera cœli, & sanctuarij adeò grauis apparet, vt suis illecebris hominem totum deorsum inclinet. Nec alia causa venanda est eorum omnium reatuum, quibus reprobi homines obstringuntur, Vna hæc est quòd iniqui sunt rerum æstimatores, dum Crucem exosi vt grauem, illam abiiciunt, vt voluptates veluti leues & animæ consonas insectentur.

Ex SS. Patribvs.
Hugo Cardinalis in caput 11. Prouerb.

Cruces benè ponderatæ præferuntur deliciis.

Adstipulatur Psaltes; nam vbi Latina habent. *In terra iniustitias manus vestræ concinnant:* Hebræi legunt. *In terra iniquitates manuum vestrarum appendite.* Et hanc lectionem probat Hieronymus, vox enim תפלסון *Tephallesu* significat ponderate. à radice פלס *Palas.* Licet Septuaginta verterint, ἀδικίαν αἱ χεῖρες ὑμῶν συμπλέκουσι iniustitiam manus vestræ connectunt. A Sancto Hieronymo id accepit Agellius in Psalmum illum scribens: *Mirum (inquit) videtur quomodo Septuaginta תפלסון verterint συμπλέκουσι, quod verbum Hebræi ponderandi significationem habere dicant, vt sit, iniustitias manus vestræ ponderant, hoc est, ita iniquitatem facitis, vt ad iustitiæ libram ponderata videatur: nam verbis ac rationibus adeò in speciem iustis, & rationalibus vestram iniustitiam defenditis, & confirmatis, vt quod per summam iniuriam facitis, ritè ac iure facere videamini.* Hæc ille. Et equidem benè; nam reprobi fucis obumbrant sua piacula, & prætexunt argumenta, quibus iniquum vitæ suæ genus probent innoxium, & sic eludant Cruces, quas iusti omnes impensè colunt, vt iustitiæ præambulas, quemadmodum Calicis sidus anteit signum Libræ.

S. Hieron. in Psalm. 57.
Agellius in Psalm. 57.

De Cruce composita in modum Crucis Christi.

PVNCTVM VII.

Rebus, quæ aliquo incremento pubescunt, genius ille insitus est, vt cùm fuerint nactæ suam perfectionem, subinde satagant edere aliquid sibi simile; idque probat inductio facta per omnia siue inanima, siue viuentia: vbique enim causa efficiens sortita suum complementum, idonea est se prodere, edito effectu composito in similitudinem ipsius causæ. Exemplo sunt plantæ omnes, quæ quidem virent ab exortu; sed seminis expertes; quia necesse est primò vt adolescant in caulem, & exurgant in stipitem firmum, deposita lanugine si qua fuit in tenero gramine: demum humore decocto, & in coagulum verso exoritur semen, secum vehens totum fruticis ingenium; quicquid enim virtutis insitum est radici, & foliis, illud omne semine concluditur, sic natura redigente suas dotes in epitomen, vtique breuissimam.

Ex Philosophia.
Alexander Alensis Lg. Metaph. textu 16.

Eo argumento ducti aurifices illi, quos Chymistas vocant, asserunt auro obrizo repurgato, arte ementiente naturæ ritum, posse aliud aurum edi, quia vt inquiunt, omnimoda cuiusque rei perfectio postulat ius producendi simile sibi at aurum in genere metallorum est perfectissimum: ergo poterit adhuc eò euehi, vt subiectam materiam in aliud aurum vertat, suntque qui affirment, illum puluerem, cuius aspergine tinguntur in modum auri liquata metalla, esse semen auri, quod nanciscens idoneam materiam ex ea proiicit aurum recens, vt fœtum suum, alio auro veluti parente satum. Nonne & Iure Ciuili, coniugium inire nequeunt impuberes, imò nec testamentum condere; quia homines ante pubertatem etsi sint essentialiter homines, non tamen sunt perfecti, cum nequeant producere aliud indiuiduum in similitudinem speciei. Licet enim essentiæ omnes perfectæ sint, & completæ ea perfectione, quam emendicant à genere, & differentia, & à materia & forma; tamen adiicitur eis processu temporis alia perfectio, in ordine ad effectus exerendos, & hæc dicitur complementum, siue cuiusque rei integra consummatio.

Ex Philosophia.
Comes Treuisanus lib. de modo efficiendi aurum.
Aurum quare dicatur posse producere aliud aurum.

Testamentum qua ætate queat condi.

Hinc, vt præfatus sum, hæredem nequit ille instituere, cui per ætatem impuberem non est fas sibi similem producere; sic enim cautum est Iure Cæsareo, vt respondet Vlpianus. Legem accipe. *Qua ætate, testamentum masculi vel fœminæ facere possint, videamus.*

Ex Ivre Civili.
Lege Qua ætate, Lege Testamenti ff. De Testament.

Et

Et verius est in masculis quidem quartum decimum annum spectandum, in fœminis verò duodecimum completum. Ratio petitur à defectu naturæ completæ, cuius deliquio non præsumuntur impuberes posse ritè de suo penu disponere, & citra dispendium Iuris publici; nam vt lex habet. *Testamenti factio, non priuati, sed publici Iuris est: ideoque forma eius priuatorum pactis non læditur.* Cuiacius ideo ait, parentes filio impuberi hæredem substituere, quia ipse impos est condere testamentum; ita vt qui similem sibi gignere non potest, habere nequeat & hæredem, lege sic mulctante statum naturæ imperfectæ.

Cuiacius lib. 21. obseruationũ ca. 27.

Sed inquies: Quorsum ista recensio rerum eatenus perfectarum, quatenus exerere queunt aliquid, quod eas similitudine referat? Ideo sic prælusi, vt probarem, esse Cruces & ærumnas inflictas non ad pœnam delictorum, sed ad gloriam Dei, & meritum patientis, necnon ad ædificationem eorum, qui mirantur edita specimina patientiæ; quæ tria affinia sunt triplici argumento Passionis Christi, qui subiit Crucem: Primo vt voluntatem suam componeret ad normam voluntatis Dei Patris: Secundò vt inde clarificaretur: denique vt Cruce veluti complemento passionum eius Adami extincta prosapia, redux fieret ad vitam. Esse autem huiusmodi Cruces ex præmissis, sic in animum induci potest. Christus enutritus in laboribus à iuuentute sua, eò ærumnarum deuenit, vt crucifixus affirmaret, iniuriarum cumulum esse consummatum. In Cruce enim coïerunt omnia, quæ molesta & ingrata queunt esse sensibus, & eamobrem Crux nuncupari potest laborum seu agonum Christi vltimum complementum. Igitur illa Crux omnibus ærumnarum numeris absoluta, ac proinde perfecta debuit alias producere similes sibi, alioquin defuisset ei illa perfectio, quæ deest in impubere ætate. Sed cùm nulli imperfectioni sit ea Crux obnoxia, debuit & alias veluti parturire Cruces, quæ homines innoxios Christo suo Domino sociarent.

Cruces quomodo ad gloriam Dei immittātur.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 102. ar. 3. Crux Christi exemplū est aliarum.

Dices, virum Sanctum Iob Christo præiuisse, & sic Crucem Christi non esse typum & exemplar omnium ærumnarum, quas subiere Sancti, cùm Iob æquo animo tulerit incumbentes varias Cruces, pluribus sæculis ante natum Christum, ac proinde malè constitutas esse tres classes, ad quarum singulas reuocari possunt omnes Cruces. Respondeo, merita Crucis Christi extitisse in ideis Dei ante exortum Iob, qui in fide venturi & nasciturì Domini Dei sui, suos agones exantlauit, & hausit ex hoc fonte, vnde dilueret affluenter suas molestias: & idcirco Crux sancti illius viri fuit veluti quædam figura delineans Crucem rudi penicillo. Imò Crux Christi fecit vt patienter se haberet Iob multifariam vexatus; causæ enim meritoriæ non æmulantur indolem causarum Physicarum, quæ non agunt nisi præexistant, sed ex præuisione suos sortiuntur effectus: vt fecit Crux Christi, quæ alias quasi fœta Cruces enixa est, ad gloriam Dei, imò & hominum afflictorum, & demum ad salutem aliorum.

Ex Theologia.

Prima igitur ratio cur vexentur Sancti, est gloria Dei, hominum insontium Crucibus ampliata. Ne autem hallucineris in illo incremento gloriæ Dei: Nota, gloriam Dei in se nescire incrementum, cùm Deus ipse sit gloria sua, cuiusuis adiectionis impatiens. Si verò attendatur gloria illa Dei in ordine ad ea, quæ sunt conscia rationis, vt sunt Angeli & homines, dici potest ampliari hæc gloria cum dominio Dei, quod etsi longè lateque pateat in omnia; exigit tamen creaturæ nutum, vt suaue sit imperium, quod sola potest voluntas detrectare vel subire: & hoc Bernardus insinuat. *Totius humanitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra diuinæ, vt dignum est, subiecta sit voluntati, sicut ait Propheta: Nonne Deo subiecta erit anima mea? Scio quidem, creaturam omnem velit, nolit, subiectam esse Creatori; sed à creatura rationali voluntaria subiectio quæritur, vt voluntariè sacrificet Domino, & confiteatur nomini eius: non quia terribile & sanctum, non quia omnipotens; sed quia bonum est. At verò subiectionem istam triplicem esse necesse est, vt quod certum est Deum velle, id omnino velimus; & quod certum est eum nolle, similiter execremur & nos.* Hæc ille.

Cruces quomodo esse queant ad gloriam Dei.

Ex SS. Patribus. S. Bernard. serm. de subiectione voluntatis nostræ.

Voluntatis nostræ cum diuina subiectio est summa perfectionis.

Ab hoc voluntatis obsequio, Crucis amplexum auspicatus est Christus, cùm pridie Passionis ait Deo: *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Et hoc seriò expendit Rupertus. *Illud non prætereas Christi vicarium sacerdotem, quia cum adipe duos quoque renunculos & reticulos secoris, id est omnem voluntatem propriam, secundum spiritualem hanc legem, magnus ille sacerdos Deo Patri suo in holocaustum obtulit; non enim increpantibus se renibus suis acquieuit, sed antequam prædicto modo carnes eius, pellis quoque extra portam cremanda offerrentur, renes suos adoleuerat; dicebat enim non mea voluntas sed tua fiat.*

Luc. 23. Rupert. lib. 1. cap. 16. in Leuiticum.

In huius potentiæ humili obsequio liquent gloria & dominium Dei: ea enim est facultas præcipua & princeps animæ, quæ Deo addicta prodit dominium eius, & quasi postliminio reditum nostrum ad statum, qui nos effinxerat ad similitudinem Dei, vt enarrat Bernardus. *Primum, & principale bonum bona voluntas esse cognoscitur, per quam imago similitudinis Dei in nobis reparatur. Primum est, quia à bona voluntate bonum omne inchoatur. Principale est, quoniam bona voluntate nihil hominibus vtilius datur; voluntas hominis est potestas Dei.* Hæc Bernardus; sed cautè intelligendus, & respectiuè, non autem absolutè, quasi potestas Dei in se dependeat à voluntate hominis, at quia via insolita Deo, Deus non faciat vim illi potentiæ sua natura liberæ. Vnde si Deo subditur hæc facultas, Dei potestas diffusior est in homine, ac proinde Deo gloriosum est non exigere ab homine, sed vltro recipere famulatum. Quò autem maius accessit negotium res acerba, ad quam se porrigit arbitrium nostrum Dei gratia; eò etiam est maius nostræ voluntatis obsequium, & amplior gloria Dei, cui rependitur hæc actio; sed nihil acerbius Cruce: ergo voluntas nullis obnoxia deliquiis, sotóque Dei amore petens Cruces amans, maximè Dei in seipsam propagat imperium. Etenim potissimum gloriæ principia

S. Bern. libro de interiori domo cap. 8. Voluntatis bonæ laus.

principis specimen est, habere subditos ita compositos ad nutum suum, vt non inuiti se effundant in omnia pericula, nulla indagine præuia, sed duntaxat satagentes facere placitura.

Dauidis mortificatio. Eâ refulsit gloriâ Rex inclytus Dauid, qui æstuans siti & anhelus ad aquas Cisternæ Bethlehem, quam hostiles acies obsidebant, vbi desiderium suum aperuit, habuit præstò tres militiæ Principes, sanguine suo mercantes aquas concupiti fontis; quippe acti amoris œstro, impunè hostium agmina penetrarunt. Hanc historiam disce ex codice sacro, sic narrante: 2. Reg. 23. *Statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem. Desiderauit ergo Dauid aquam, & ait: ô si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam? Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam & attulerunt ad Dauid.* Rursus nobilitas seu gloria domini Dei in homines sic probatur. Quò nobiliores sunt subditi alicuius, eò etiam illustrius est dominiũ eius; sed nihil est nobilius voluntate humana, cui ipsi etiã Angeli nequeunt vim inferre, est enim sui iuris: ergo cùm Deo subdatur hæc Regina facultatum animæ, hinc apud homines Dei gloria maximè propagatur.

Ex Historia. *Alexander ab Alexand. Genialium dierum lib. 6. cap. 6.* In hunc ferè modum prisci Reges, quos nimia ventilauit aura gloriæ inanis, dum voluere decus suum & gloriam ampliare, adsciuere sibi Reges in obsequium, etiam indecorum; vt fecere olim odioso fastu Tigranes & Sesostris, quorum primus Reges & dynastas adigebat ad seruilia, & inaspecto antea typho ab eis exigebat humilem famulatum. Tigranis fastus. Adiecit ad tumorem illum aliam superbiam Sesostris Rex Ægypti, qui quotannis Reges sorte ductos, ad currum suum iungebat, vt triumphantis specie veheretur. Sesostris Rex quo fastu triumphauit. *Daniel. 1.* Non longè ab eo ingenio Rex ille Chaldæus, qui alios Ephebos non admisit, quam pueros de semine Regio Hebræorum, egregios aspectu, nescios maculæ, & eruditos omni disciplina. Sed esto fuerit illustris pompa hæc omnis; est tamen inferior illâ gloriâ, quæ emergit ex obsequio voluntatis, quò enim liberius obsequium, eò insignius. Igitur Dei gloria illustrior ea Regum, qui cute tenus alios subdidere Reges; vehentes quidem corpora sed inuita, voluntate eorum alienâ prorsus ab affectu horum tyrannorum. Vbi autem agitur de gloria Dei propalanda, vltrò ambiunt Sancti quæque acerba, euntes quasi anheli obuiam Crucibus, nullo alio ære aut stipendio allecti, sed acti tantùm œstro gloriæ Dei amplianđæ.

Ex Symbolis. *Typotius lib. 1. symbol.* Nescio an eo alluserit Calixtus Papa III. quando pro symbolo assumpsit Crucem eminentem tiaræ Pontificiæ, hoc titulo adiecto. Omnes Reges servient ei. Cruci Reges obediunt. Ita sanè tiaræ & coronæ seruiêre Cruci, quando Sancti Pontifices, imò & Reges obiêre martyrium. Stephanus Rex martyr. De Pontificibus suo sanguine rubentibus, vide libros fastorum & festorum Ecclesiæ; raræ enim sunt paginæ, quæ non alicuius Pontificis martyrio purpurascant. Regum Thessalonicæ superbia. In Regibus elucet martyrium Stephani Regis Hungariæ, & huc reuocari possunt Imperatores & Reges, qui suum dedere nomen claustris abdicato Principatu: quippe exuerunt infulas vt Crucem induerent, & id ad maiorem Dei gloriam, cui cùm Reges obsequantur, lubet Deo affingere stemma gentilitium Regis Thessalonicensium, qui vt ostenderet habere infra se alios Reges, præferebat symbolum Τετραγράμματον, id est quatuor literarum; D. Ambros. lib. symbol. nam in parmæ suæ regiæ area quater inscribebat literam B, quæ est capitalis eius vocis, quæ significat, Regem, aut regnare. Hæ autem quatuor figuræ referebant istas dictiones Βασιλεὺς Βασιλέων, Βασιλεύων Βασιλεῦσι. Rex Regum, Regens Reges.

Apage superbiam, quæ vsurpauit gloriam vni Deo debitam, & concessam; nam vt quis plenè regnet, debet habere ius in corpus simul & animam: hoc autem nulli vnquam Regi datum, vt alij Reges ex animo ei sese subdiderint. Priuilegium est Christi crucifixi, qui deuinciens corpora simul & animas, omnia secum traxit sicuti prædixerat. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan. 12. Eam obrem titulus ille ambitiosus Regum Thessalonicensium est veridicus Christo attributus vt testatur Ioannes Apostolus, cui Christus eo apparatu ostensus est, quem describit in Apocalypsi sua, mysteriorum matre. Sic ille scribens pompam, qua Christus ei obiectus est: Christi maiestas benè descripta. *Apoc. 19.* *Vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* In hac pompâ à Ioanne lineata, duas personas agit Christus. Vnam victoris, Christus vt vltor scelerũ. quam notat illa virga ferrea recensita, vt internecione deleat gentes Crucis inimicas, & cõlcias sanguinis eius defluentis in vestes eo cruore rubescentes. Ita regio apparatu rutilus ostenditur, & hoc clamant voces inscriptæ, Rex Regum, Dominus Dominantium. Sed aduerte, triumphalem eius habitum sanguinis aspergine esse cruentatum, & purpuræ illius sequaces esse indutos byssino albo, & nitelam illorum maximè commendari. Pango mysterium reuera altum, & cuius vtinam praxis impigra non nescium effecisset me interpretem oraculi.

Christus quare ferat stigmata. Cùm audis Christum veste suo rubente sanguine, stipatum exercitu equestri, vbi & equi, & vestes albicant; cogita Passionem Christi ad imitationem sui sollicitare animos quosque generosos, sessores equorum niueo candore nitentium; quia corpora quæ communia habemus cum belluis, corpora inquam Sanctorum nulla peccatorum spurcitie deturpantur. Et quia plerumque corporum nimia nitela & exquisitus cultus arguunt animum imbecillum; tota illa sequela Christi referentis stigmata suæ Passionis heroïco nomine recensetur. Quippe pompa illa sequentium Christum in albis, nuncupatur exercitus: sed omnis mysterij huius cardo in eo vertitur, quòd omnia munda & candida sanguine Christi veluti peccita sequuntur

eumdem

eumdem Dominum, idque pernice gressu, vt insinuat acies illa equestris. Et hoc notat primò illud quod ait Apostolus, scilicet omnes, qui volunt piè viuere in Christo, fore persequutioni obnoxios: vt enim dilectus noster candidus est, & rubicundus; ita & sectatores eius vtraque debent esse tessera conspicui, referentes candorem moribus illibatis; & ruborem, persequutiones Christi causâ fortiter obeundo. Secundò, candoris illa connexio cum sanguine, ostendit in hoc esse dissitas Cruces Sanctorum, atque pœnitentum, quod qui pœnitere incipiunt, non sunt in equis albis, & byssino mundo: nam etsi gratiæ illapsus deterserit maculas lectas ex terreno contagio; supersunt tamen sordidæ reliquiæ in corpore pœnitente, vt motus illiciti cùm ad libidinem, tùm ad vindictam, aliæque iniquæ propensiones, quas nequit Christianus lugens sua facinora citò diluere. Eamobrem cùm iniqui habitus validè pelliciant hominem ad reditum eò vnde recessit, fit vt vestium aspectus non sit vsquequaque insignis. Secus est in Cruce, quæ composita est in similitudinem Crucis Christi, & quæ dicitur Crux, Sanctorum: illa enim non infligitur ad mulctam criminis perpetrati, atque adeò nihil indecorum, neque obsoletum reperit in vestibus; sed omnia ad æmulationem niuis insignia. Cum enim Crux illa detur ad gloriam, & triumphum; omnia, quæ faciunt ad gloriam Dei, debent esse gloriosa: nihil autem infra cœlos illustrius est homine in gratia constituto.

Crux sanctorumque quænam sit.

O beatas illas mentes! quibus est concessum esse sequaces huius pompæ, & palmas habere præ manibus, id est Cruces, quarum praxis, id est obsequium, eas sociat Christo, qui sua Cruce neminem dignatur, nisi animas nobilitate meritorum insignes: nam pœnitentes cruciantur cum latrone exoso suos ritus nefarios; Sancti verò innoxij Cruce sua Christo Domino copulantur.

Ex Historia. *Ioan. Herbut in hist. Polona sub an.* 1370. Lithuanij olim Polonis infensi. Crux à latronibus non potuit asportari.

Fauet historia Polonorum, enarrans eas strages, quas edidere Lithuanij mortuo Casimiro magno. Ait irrupisse in Poloniam Lithuanios feroces homines, æquè Deo iniquos ac Polonis: siquidem populantes agros & oppida incendentes, sacrilegas manus suas iniecere in sacra, spoliantes Ecclesias, & præsertim asportantes aureas illas thecas, quibus de more maiorum & procerum Ecclesiæ orthodoxæ, Sanctorum reliquiæ reconditæ religiosè asseruantur ab Ecclesiæ quæstoribus, & debito cultu à fidelibus obseruantur. In vasis illis inuenta est Crux aurea, & prædiues multiplici gemma, huic Cruci aureæ erat insita particula Crucis Domini Iesv. Ea locuplete præda læti homines sacrilegi, ad reditum in patriam suam sese quantocyùs accinxerunt. Sed currus, cui sancta vasa imposuerant, stetit immobilis. Rem nouam demirati homines illi nefarij, adiunxerunt equos alios viribus integris, rati priores equos labore exantlato effœtos esse; imò & equis adiecere boues hominesque validos, vt currum impellerent: cassa tamen fuere auxilia hæc, & illorum conamina non impunè intentata; quicquid enim illis quadrigis adiectum est concidit exanime, & confestim. Stupuere Lithuanij Deum vltorem sacrilegij commissi in raptu Crucis suæ sanctæ, nouumque capientes consilium decreuere remittere Crucem illuc vbi miraculis antea coruscabat. Ne autem baiulus rei venerandæ periret ea sorte, qua alij, qui tentarant promouere currum; demandant illam prouinciam vni ex Polonis, quos numerosos deducebant captos iure belli. Vt autem illam Crucem Christi facerent sibi propitiam, è captiuis nobilissimum elegerunt, cui libertate donato commendant pignus adorandum, vt reportet illud in sacrarium eius: rebusque sic quasi cum Deo compositis, læti in patriam suam spoliis graues appulerunt. Nota fuisse electum hominem sanguine satum minimè vernaculo: nimirum Crux Christi gemmis irradians, & auro rutila non committitur vili plebeculæ, aut vulgo compedibus irretito; deposcit sibi nobiles animos, & sine noxa, hoc ferculum Christi. Rursus vt vir ille nobilis baiulans Crucem illam vindicem suæ libertatis, directè in Ecclesiam perrexit, missis aliis omnibus negotiis; ita viri Sancti, penes quos est Crux Christi, id est, qui vexantur ad maiorem Dei gloriam, nihil nisi Deum animo versant, suas omnes passiones ad templum gloriæ dirigentes.

Crux vt piæ fertur nobiles exigit animos.

Ex SS. Patribvs. *S. August. ser. de Parasceu.* Crucis influxus in animas.

Istius tropologiæ vades habeo Sanctos Patres, qui vt Crux illa Poloniæ, nobilem liberauit hominem à contumelia seruitutis, & deduxit in ædes sacras, eo plane modo asserunt, Cruce seu passionibus Christi beari homines. In his accipe Augustinum sic sua sensa referentem. *Crux Christi nobis totius causa beatitudinis est, hæc nos a cæcitate liberauit erroris: hæc à tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti: hæc Deo alienos coniunxit; longe constitutos proximos præsentauit: hæc peregrinantes ciues ostendit: hæc discordiæ amputatio est: hæc pacis firmamentum: hæc donorum omnium abundans largitio.* Benè Sanctus iste veluti catalogum texit eorum charismatum, quæ Crux secum vehit, & præsertim illa, quam subeunt Sancti, quæ in eo dispescitur à Cruce hominum pœnitentium, quòd spinea sit Crux hominum, qui luunt pœnas actuum nefandorum; etenim Crux illa stipatur aculeis & flagellis, vt dolore inflicto repurget, quod voluptatis illecebris infectum est. At secus in Cruce piorum hominum, omnia sunt gemmis auroque rutila, nullæ inibi punctiones; quia Sancti nihil carnale vehunt flagris obnoxium.

Patientiæ elegans descriptio.

Cùm vexantur sancti, eorum æquanimitas emicat & resplendet, nihilque ab eis excidit sapiens quid inuitum. Sic eos pingit Tertullianus sub typo patientiæ. *Age iam si & effigiem habitumque eius comprehendamus: vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infelicitate deiectis: os taciturnitatis honore signatum: color qualis securis, & innoxiis: motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterum amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet in throno Spiritus eius mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo lucet, sed est reuera serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit Elias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna* eius,

Tertullianus lib. de Patientia c.16.

eius, patientia scilicet. Cùm ergo Spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum. Nos amemus patientiam Dei, patientiam Christi, rependamus illi quam pro nobis ipse dependit. Offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis, qui in resurrectionem carnis, & spiritus credimus. Hæc Tertullianus de homine Sancto, patientiâ sibi insitâ dura omnia & aspera decoquente.

Ex Mathematica. *Euclides l. 1. de Elementis Geometriæ definit. 8. 10.* Crux est egregia figura mathematica.

Eam esse Crucis Christi indolem vt incumbat hominibus innoxiis satis superque liquet ex ea figura Crucis, cui Christus affixus est: non enim decussata est Crux illa, vtroque stipite obliquo situ disposito, & efficiente angulos obtusos, sed componitur ex linea recta perpendiculari cadente in lineam rectam, vt videre est in hac figura: + vnde ex Euclide sic arguo. Ea figura, quæ effingit Crucem, eo etiam momento, quo Crucem rectam delineat, facit & angulos rectos, ita vt priùs existant tempore quatuor anguli recti quàm crux tota planè videatur: ergo anguli recti requiruntur ad compositionem Crucis rectæ. Ita se res habet in moralibus: illic enim Crux Christi supponit angulos rectos, id est, rectitudinem in intellectu & voluntate, seu, in cognitione, & amore, fide, & charitate; inde enim petitur sanctitas præuia Cruci, de qua discurrimus. Ne quis autem hæreat in indagine naturæ anguli, dicam quid sit angulus. Angulus in Mathematicis est area illa seu spatium resultans ex duabus lineis in idem punctum desinentibus; idcirco in ædificiis anguli dicuntur vbi duo parietes coëunt. Cùm ergo duæ lineæ Crucem efficiant, & quatuor spatia relinquant capientia exordium suum ex puncto vbi se secant lineæ propositæ; Crux dicitur facere, aut supponere quatuor angulos, qui recti sunt, si Crux sit recta; obtusi verò, si aliqua pars Crucis in alterutram partem inclinat.

Angulus quid sit in geometria.

Ex re Medica. *Fernelius Physiologia l. 5 cap. 9. de Cerebro & c. 8. de Corde.* Cerebrum habet suas cellulas.

In hunc propè modum Crux est recta & sancta si fuerit nacta quatuor angulos rectos, seu quatuor illas areas, & spatia, quibus in quatuor veluti fornices concameratum est hominis cerebrum. Nam principes medici ex anatome obseruarunt, esse in cerebro quatuor spatia, quæ sinus, ventriculos, seu cellulas vocant, ego dixerim officinas, vbi species rerum sensibilium defæcantur vt repurgatæ, animæ inseruiant ad notitiam. Duos alios ventriculos constituit ars medica in corde ad sanguinem denuo decoquendum, vt de naturali, qui fuit in hepate, transeat in vitalem, ex quo natura, facultate insita cordi eos spiritus efficit, qui sursum vecti fiunt animales in cerebro. Dum benè valent anguli cordis & cerebri, vegetum est corpus, ac proinde potest magna sustinere pondera sine periculo succumbendi.

Moralis applicatio seipsam prodit ex præfatis; nam cùm recti sunt anguli cordis & cerebri, id est, cùm amor atque notitia non demant à summo bono, & prima veritate, Cruces omnes, quæ ingruunt & incumbunt, nullum facessunt animæ negotium, quia valida est, vtpote Dei gratia insignis, & quia voluntas eius coit cum Dei nutu; volenti autem nihil est difficile. Hæc igitur est idea Crucis Christi, & Sanctorum, vt sit volita, non inuita, idque ad gloriam Dei, cuius, vt præmisi, regnum eò illustrius est, quò magis liberum est obsequium, nullo obstante reluctamine voluntatis.

Crucis & regni cœlestis societas.

Illud idem videtur insinuasse ipse Dominus IESVS in ea orandi formula, quam præscripsit rudi adhuc Ecclesiæ. Nam post eum versum, quo oramus accelerari regnum Dei, dicentes. *Adueniat regnum tuum*; statim ex eodem schemate orandi, subiicimus ista alia vota consona regno Dei, videlicet: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*; quasi diceremus: Vt amplior sit gloria tua in ordine ad homines, nostras inflecte voluntates ad normam tuæ voluntatis; vt quod in cœlo decretum est, illud subeat nostra voluntas vltrò lubensque: in eo enim obsequio voluntatis nostræ reposita est illa gloria, cuius augmentum deposcimus illa petitione, *Adueniat regnum tuum*. Namque homines sui iuris effecti, possunt vsurpare illud in Euangelio recensitum, cùm agitur de Christo suffragia exigente à liberis hominibus, vt inaugurarent ipsum; illi detrectantes imperium Dei, dixere: *Nolumus hunc regnare super nos.* Si ergo sint anguli recti cerebri & cordis, si ratio Deum attendat, & voluntas moueatur ad arbitrium eius; emerget ex ea rectitudine Crux Christi, non dumtaxat idonea augmento gloriæ Dei, sed & concilians gloriam summam eis, qui nullo præuio crimine cruciantur.

Luc. 19.

Crucem homines innoxios decorare non est qui ambigat, nisi forsan inimici Crucis Christi. Non aliunde Paulus solidæ gloriæ argumentum sumpsit, dicens: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini* IESV; & alibi. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Nempe Apostolus, Christum referre volens crucifixum, omnia credidit ingloria, quæ non essent Crucibus insignita. Habet aliquid appositè ad hoc institutum, historia Imperialis enarrans funus Lotharij II. Imperatoris, quo elato Henricus Saxonum Dux penes se reposuit abdita insignia imperij, gladium scilicet, & Crucem. Cùm autem alius esset renuntiatus Imperator, nomine Conradus, ille annuit quidem, sed enixè petiit Crucem, inficians se esse rerum potientem sine Cruce. Ideoque moras nectente Henrico Duce, Conradus ad bellum se accinxit, vt repeteret Crucem, in cuius possessione situm erat imperium, nec inquies eius animus destitit, quin Crux referretur. Eo ingenio fuere plerique Sanctorum, quos perculit tantus amor Crucis, vt sibi temperare non possent à desiderio illo Crucis, inducentes in animum suum, cœlos vni duntaxat prostare Cruci. Missos facio Sanctos priscæ Ecclesiæ, qui calente adhuc sanguine Christi, ipsi etiam accensi suum sanguinem effuderunt. Exemplum vnum afferam superioris æui, quod nostram sugillet ignauiam. Est Dux fœmina facti, & hæc virgo & fax virago Theresia, ea scilicet, quæ fuit congregationi Carmelitarum, causa ad institutum obeundum, quo sancti proceres ordinis illius demeruerant Mariæ clientelam. Sancta illa Theresia adeò fuit auida passionum, vt nulla alia charismata deposceret, præter Cruces, corde anhelo repetens istas voces indices animi sui Cruces sitientis, DOMINE, AVT MORI, AVT PATI.

Galat. 6. 2. Cor. 12.

Ex Historia. *S. Lazarus in hist. Imp. sub an. 1140.* Conradi imper. affectus erga crucem.

Crucis affectu sauciata est S. Virgo Theresia. *Ex vita S. Theresia.*

PATI. Nempe à Deo didicerat, Sanctos demetere manipulos gloriæ, non agendo, sed patiendo, vt & assertor est Psaltes. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Psalm. 125.

Ex SS. PATRIBVS.

S. Ignatius in epist. ad Romanos.

Crucis amore flagrans S. Ignat. martyr.

Quam sit vberrima seges quæ exurgit ex ærumnis, S. Ignatius Martyr edocuit, sic scribens ad Romanos. *Vtinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi, filioli; quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam.* Annon credidit ille Sanctus, pati Dei causâ, idem prorsus esse ac Deo fœnerari? In ea fuit sententia Gregorius ille Magnus, sic fatus. *Si mens in Deum forti intentione dirigitur, quicquid sibi in hac vita amarum fit, dulce æstimat; omne quod affligit, requiem putat; transire & per mortem appetit, vt obtinere plenius vitam possit.* Ea spe pleni fideles enascentis Ecclesiæ, habebant in deliciis, cruciari, & vexari: & hinc eos laudat Apostolus. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Idem de se hoc affirmat. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

S. Gregor. l. 7. moral. cap. 7.

Crucis amaror quomodo diluatur.

Heb. 10.

2. Cor. 7.

Ex HISTORIA.

Palladius in hist. Lausiaca cap. 1.

Potamienæ virginis facinus heroicũ.

Non demiror adeò patientiam Apostoli huius, athletæ strenui atque generosi, sicuti stupeo heroicum facinus Sanctæ Potamienæ virginis Alexandrinæ. Hæc in imbelli sexu, & corpore imbecillo specimen edidit inauditum amoris eius, quo flagrabat in Crucem Domini IESV, cuius passionum æmula pro modulo suo, fortiter, vtique supra hominem, martyrium obiit, nouo proposito schemate; attendi. Etenim cùm præfectus infidelis eam vrgeret ad cultum idolorum, si vellet sese subducere pœnis, quas erat luitura immersa cacabo pice liquata & ebulliente pleno. Stetit virgo impauida, & minas Iudicis aspernata, ait: Nænias aniles occinis, ô Præfecte, dum me tentas auertere à Christo, multiplici cruciatu. Tantum abest vt Crux & tormina faciant discipulos dissitos à magistro; quinimò potius Christus, & Martyres reciproco nexu suo sanguine glutinantur. Itaque oro, ô Præses, vt non præcipiti morte fidem meam probes, sed lenta vexatione crucies me, feruidæ picei immersam sensim sed non sine sensu exquisito, vt valeam Deo Domino meo sponso charius hoc tormine sociari. Annuit Iudex & per horam paulatim demittens virginem in subiectam materiam, vbi deuentum est ad collum, illa expirauit, agone nequaquam antea exantlato.

Nonne habet nostra socordia, quo nouos spiritus induat, exemplo virginis huius, quam patientia armarat? Illa nullis criminibus obnoxia, omnia experitur acerba, placitura Christo, & nos vilia mancipia peccatorum, Crucis refugæ, ad minima etiam tormina trepidamus, nescij nos fidelium symbola exuere quando Cruces excutimus. Etenim ille fuit semper genius Ecclesiæ, vt citra vllam scripturam explicitam crediderit, non Crucem tantùm beneficam; sed etiam signum Crucis esse salutare, & insigne fidelium, sicuti legere est in Canone hoc Iuris Pontificij. *Quæ enim scriptura salutifera Crucis signaculo fideles docuit insigniri?* Aduerte Canonem vti verbo referente decus, & gloriam; nam, insigniri, sonat aliquod signum, quo res aliqua conspicua & illustris redditur. Si ergo aliquis innoxius cruciatur, aut iactura opum, aut orbitate filiorum, aut dispendio sanitatis, ne obiiciat innocentiam suam; satius enim est ferre Crucem Christi insontis, quàm latronis sua crimina Cruce diluentis. Tantúmque est pati sine noxa præuia, vt Iob cui reddita sunt omnia duplicia, noluerit sibi reddi filios extinctos, vt in prospera sorte sua haberet in hoc desiderio filiorum suorum, quo patientiam exerceret, vt ante me aduertit Tertullianus sic. *Operarius ille victoria Dei, retusis omnibus iaculis tentationum, lorica clypeoque patientiæ, & integritatem mox corporis à Deo recuperauit, & quæ amiserat reduplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij. securus de Domino sic distulit: sustinuit tam voluntariam orbitatem ne sine aliqua patientia viueret.* Hæc ille.

Crucis signũ salutare.

Ex IVRE CANONICO

Canon. Ecclesiastica-ū. § Quæ enim. distinct. 11.

Tertullian. l. de Patientia cap. 14.

Iob quare noluit sibi reddi filios mortuos.

Ex prælibatis claret, sanctorum hominum Cruces referre Crucem Christi, quia patiuntur ad maiorem Dei gloriam, eius nutui subiicientes arbitrium suum. Et vt Christus Cruce fuit clarificatus; ita & nemo inficiatur, Sanctos ex ærumnis magnum habituros gloriæ incrementum. Imò & Christus eos aliquali modo vocat in partem salutis aliorum hominum procuratæ. Nam vt mortuo Christo, multa corpora emortua surrexerunt; ita plerique in deliciis extincti, admirantes patientiam hominum sanctiorum, surgunt à volutabro suo: & vt conscij mortis Christi visâ illius in Cruce constantiâ tundebant pectora sua pugno, eum affirmantes filium Dei, in hunc etiam modum Epicuri de grege sues, ad aspectum Crucis, quam baiulant Sancti, dant quandoque suum nomen Christo. Hinc Seraphicus Pater Franciscus, discipulos suos in speciem Christi crucifixi compositos mittebat in vicos, & plateas, vt illis transeuntibus reprobi fierent homines frugi; fiebatque vir sanctus vtplurimum voti compos.

Crux à iustis patienter habita multos allicit ad pœnitentiã.

Ex chronicis FF. Minorum in vita S. Francisci.

Mundus parat Cruces innoxiis, sed iniquitas eius non minuit commoda è Cruce deriuanda.

PVNCTVM VIII.

IVdæorum virulenta rabies accensa in Christum, cum extinxit, præuiis ærumnis pluribus impetitum. Tamen noxius ille liuor Gentis infidæ atque perduellis non obfuit efficaciæ Crucis. Eadem naue qua & Christus, scilicet Cruce, vehuntur omnes viri pij, iuxta illud Apostoli. *Qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur.* Sed esto reprobi insurgant in homines innoxios; nullum est adeò lethale virus hominum nequam, cuius vim

Cruci obnoxij sunt omnes iusti.

2. Tim. 3.

vim non infirmet lignum Crucis: id est, patientia in aduersis. Et hoc clamat titulus biceps huius puncti, quo duo nobis enodanda prostant. Primum est, homines frugi, & virtutis emeritæ, esse nebulonum hominum aculeis obnoxios. Alterum est maleficos homines suâ nequitiâ non posse minuere gratiæ latices vberrimos, quibus Crucis amatij iugiter asperguntur.

Deum quomodo odere reprobi.

Non coïre virtutes & vitia, res est in confesso apud omnes: cùm ergo Christus omnigenæ virtutis integrum specimen ediderit, suas egit partes mundus quando eum vnguibus & rostris aggressus est. Quomodo autem mundus odisse queat Deum, res est altioris indaginis, & Theologici instituti, sic probantis Deum & Dei sequaces esse odio reprobis. Deus duobus modis cognosci potest, scilicet in se, aut in suis effectibus: primo modo nemo Deum odisse potest; odium enim fertur tantùm in aliquod malum, sicut & amor in bonum. At Deus secundum suam essentiam se explicat vt summum bonum, & à quo habent omnia quæ bona sunt, vt benè sint. Ergo vt sic non cadit sub odium. Si verò consideretur Deus secundùm effectus suos, verbi gratiâ vt puniens, & damnans; tunc dæmones & damnati implacabili odio in Deum exardescent. Eo etiam modo reprobi nequeunt odisse vitam innoxiam hominum sanctorum, quia bona est. Sed quia vita illibata damnat vitam nefariam, sub hac ratione nebulones in virtutes impiè debacchantur. Vitam autem tersiorem atque defæcatam ferre sententiam in probrosos hominum nequam ritus, disce ex Scriptura sacra sic rem propalante. *Condemnat iustus mortuus viuos impios & iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti.*

Ex Theologia.
S. Thomas 1. p. qu. 60. art. 5. ad 5.

Sapient. 4.

Amor est appetitus boni.

Ne autem facessat negotium istud theorema, sonans scelestos odisse insontes, consulenda est Philosophia, cuius symmistæ aiunt, odium, & fugam causari ab amore; nihil enim odimus, & fugimus, nisi id quod contrariũ est ei quod amatur: ita Alexander Alensis. Aduerte hic amorem supponere pro appetitu, quem Albertus definit intentionem, seu tendentiam in bonum aliquod acquirendum; adeò autem tenetur appetitus illo bono, vt ægrè ab eo resi iat. Rursus ex S. Thoma appetitus in homine diuiditur in sensitiuum, & in intellectualem, & vterque ex Simplicio præsupponit aliquam notitiam consonam indoli suæ. Appetitus sensitiuus dicitur inferior, & habet duas facultates, concupiscibilem scilicet, & irascibilem: appetitus intellectualis dicitur superior & est voluntas, lumen suum emendicans ab intellectu, qui fertur in vniuersale; apprehendit enim bonum secundùm vniuersalem rationem boni. Sensus verò apprehendit bonum sub determinata ratione boni: eamobrem appetitus, qui sequitur apprehensionem intellectus, est vnius tantùm; appetitus verò qui sequitur apprehensionem sensus, est duplicis: apprehendit enim bonum vt delectabile, & sic est concupiscentia: secundò apprehendit bonum, vt adeptum, sed amissioni obnoxium, & hinc exurgit ira seu odium in ea omnia, quæ inimica sunt possessioni boni adepti, aut adipiscendi, & hæc motio appetitus dicitur irascibilis. Appetitus iste inferior, vt scitè aduertit Doctor Angelicus, sequitur phantasiam, cui à sensibus species insitæ sunt, & mouetur ratione vt plurimum inconsulta; ideo citra rationem sæpius irascimur, odimus, & concupiscimus: imò, vt luget Alexander Alensis, appetitus ille sensitiuus subuertit iudicium rationis, vt rem malam apprehendat sub ratione boni.

Ex Philosophia.
Alex. Alens. in lib. 1. Metaphysic.
Albert. Mag. in l. 1. Ethic. tr. 3. cap. 3.
S. Thom. in l. 2. de Anim. lect. 5.
Simpl. in l. 3. de Anima.
S. Tho. in l. 5. de ani. lec. 16.
Appetitus est duplex in homine.
Alex. Alen. 12. Metaph.

Huius peruersionis vades inglorij sunt omnes Epicuri de grege sues, videlicet luxuriosi, epulones, & alia sensuum mancipia. Etenim dum sensuales homines solos consulunt sensus, caligine obumbrant rationem, & eam inducunt in suas partes, vt in consensum trahat voluntatem, quæ obducto fuco amat epulas interdictas, sicut & vetitum torum, quia sensus illecti cupediis illis, & nescij altioris boni, rationem præuenere caligantem. Cùm enim, vt doctè inculcat Alensis, appetitus feratur indistinctè in bonum, sola eum cognitio determinat. Cognitio intellectualis seu discursiua bonum futurum obiicit; sed cognitio sensitiua semper bonum præsens offert, & suggerit, omne quod delectat conuenire: & vt præsentia premunt validius quàm futura; ratio suffragans sensui totum hominem immergit carnis illecebris, quas quisquis dissuadere tentat, ille aculeis patet impiorum, qui satellitio sensuum armati, ita & odio percelluntur. Et hinc ratio Philosophica liquet, quare reprobi persequantur innoxios. Scilicet impij omnes sensuum asseclæ ferre nequeunt eos, qui vitam agunt congruam rectæ rationi, & omnino alienam à sensibus, quia vident se notari hoc cultioris vitæ ritu: idcirco excandescunt in homines sanctos, vt in maleficos, quia exemplo suo suadent aliud vitæ schema sensibus inimicum. Est autem insolitum appetitui sensitiuo, vt insurgat in omne quod satagit illum exuere bono sensitiuo. Eamobrem cùm omnes carnis illecebræ sensui conueniant, & sibi ideo vendicent rationem boni sensitiui; suas vices obit facultas irascibilis, persequens ea, quæ suggerunt rationi, incundum esse litigium cum sensibus.

Alex. Alens. 1. Metaph.
Reprobi non æquo animo iustos ferunt.

Dissonantia illa morum, quæ emergit à virtutibus, & vitiis, inuoluit etiam discordiam indubiam: nam vt simia animal indecorum obuia quæque specula frangit, ne turpitudinem suam inde deprehendat: ita & innocentes lacessunt iniuriis dyscoli homines, ne aliorum nitela prodat infamiam vitæ ingloriæ. Multiplex historia dispathiam istam asserit: prætereo sacras historias, quarum prima de Cain & Abel satis superque clamat, bonos, & malos non eodem cothurno incedere. Cassianus rem enarrat consonam meo instituto. Ait ille, hominem Christianum moribus ingenuis & virtutis emeritæ appulisse Alexandriam, vrbem perditam & infamem vitiis. Sed vbi sese explicuere mores illius tersi, & casti; ait ille, totam illam obscœnorum hominum sordidam colluuiem commotam, hominem sanctum conuiciis aspersisse. Expertus est & illam nequitiam S. Benedictus Abbas, qui discipulorum suorum effrænem licentiam carpens moribus illibatis; illi non ferentes illud nitidum iubar aperiens iniquam eorum vitam, virus sancto Patri è poculo propinarunt.

Ex Historia.
Alexandria vitiosa non potuit ferre virum sanctum.
Cassian. col. lat. 12. c. 13.
Sur. in vita S. Bened.
S. Benedictus Abbas quare odio fuit suis cœnobitis.
Plutarch. in Aristide.

Quæ

Quæ alia fuit summa argumenti quo iussus est exulare Aristides, nisi ea iustitia, qua & dicebatur iustus?

Ex Mathematica.

Quamuis cœli videantur immunes ab ea nequitia, vtpote inanimes; tamen suo modo fouent istud litigium. Si enim credere fas est principibus cœlicæ Mathesis, Planetarum chorus insita quadam sibi discordia dispescitur: siquidem Saturnus, & Mars, Planetæ reprobi, aliorum siderum errantium vires infirmant, quasi inuidentes eorum beneficam indolem; rarumque est illud schema cœli, in quo Planetæ benefici Iupiter, & Venus aliqua infausta irradiatione non decumbant, eaque est pernicies horum Planetarum, vt subeuntes signa dicata prosperis sideribus, illa inficiant, aspergentes virus suum. Verbi gratiâ, Taurus est signum Veneri sacrum; si tamen Saturnus peragrat illam regionem, quæ est infra Taurum, signum illud eo veluti contagio malè afficitur. Nec in stellis errantibus tantùm claret discrepantis genij habitus discors; sed & in sideribus fixis emicat ad summam hominum perniciem, si vera nugantur astrologi, quorum accipe delirium. Si edito fœtu, eum hæc cœli constitutio excipiat, quæ Solem & Lunam aliosque Planetas benè collocatos explicet, natum sors manet illustris; figura enim felix cœlos dispescens in congruas domos, est prænuntia fortunæ natum ad gloriæ apicem euecturæ. Sed esto Planetæ fuerint puerulo propitij, pollicentes gazas, & infulas; tota hæc pompa dissoluitur inhonesto funere, si oculus Tauri, aut caput Medusæ Soli socientur. Sunt autem hæ stellæ in suprema sphæra multiplici sidere coruscante.

Iulius Firm. lib. 3. c. 3. Planetæ suas habent discordias.

Ex Historia.

Et vt quæque nugæ adsciscunt sibi ex historia patrocinium; Mathematica obseruatio hæc suum sortita est effectum in Heroë infelici Bironio, qui ab inspectore suæ geneseos audiit, rerum summam ad se pertinere, si non obstaret caput Algot; sic enim nuncupant astrologi caput Medusæ: habebat enim nobilis ille præpositus, caput Medusæ coniunctum vni luminari, & hinc necis ingloriæ indubium venatus est Astrologus argumentum.

Petr. Matth. in hist. Gallica sub anno 1602. Bironio fuit ominosa quædam constellatio.

Maiorem fidem meretur in moralibus illa Astrologiæ annotatio, quæ cauenda monet sidera capitis Medusæ, & oculi Tauri, vt quæ luminaria malè afficiant. Nomine Tauri, Psaltes intelligit homines iniquos & lasciuientes, qui luminaria obsident & lacessunt, dum Sanctos gratiâ Dei rutilos & insignes iniuriis afficiunt, vt expertus est idem Psalmographus, cuius est lamentum. *Tribulatio proxima est, quoniam non est, qui adiuuet. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Audis obsessum luminare; quid autem mali portenderit infortuna obsessio, collige ex versu infra posito, qui mortem explicat subsequutam. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.* Reuera proteruorum hominum aspectus, peiores sunt oculis tauri, qui etsi scintillent aliquando ad perniciem corporum, animam saltem sinunt sartam tectam: sed impij suis lenociniis satagentes iustos ad sua facinora pellicere, iniurij sunt & animæ, & corpori. Nonne & capita vilia, ritè dixeris capita esse Medusæ, stipata serpentibus compositis in figuram comæ? Etenim ad instar serpentium linguis micant ore trisulcis, & nihil nisi virus spirant, quod augetur in eis, dum magis intenditur lumen Solis; minus enim nocent serpentes noctu quam calente Sole. Eo ferè modo scelesti, viperini fœtus statim vt virtus illuxerit, illico tabe virent, & homini coruscо perniciem ingerere meditantur.

Psal. 21. Taurus moraliter quid significet. *Ibidem.*

Inuidiæ indoles virulenta.

Ex SS. Patribus.

Alludit ad hoc Gregorius sic fatus. *Inuidi dum bonum quod vident, accusare nequeunt, excæcati malitia, malum quod non vident ad accusationem quærunt.* Diceres eos velle offundere tenebras, quibus opacare queant lumen Solis. Et quia nulla caligine tenebrascunt sancti Dei homines, ex seipsis reprobi nubes vitiorum proferunt, quas offundant iustis: rem hanc Gregorius attigit quando ait: *Sæpe praui dum suæ vitium obliquitatis ignorant, audenter aliorum rectitudinem lacerant: cumque contra bonos sibi auctoritatem increpationis arripiunt, aut ea bona proferunt quæ non videndo, sed audiendo, didicerunt, aut ea mala ab aliis mentientes ingerunt, quæ ipsi committunt.* Hos asperos improbarum mentium ritus carpit Hieronymus, dum liuorem sic sugillat. *Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant mali, satagunt, ambiunt, vt de aliis omnibus hoc credatur.*

S. Greg. lib. 2. Moral. c. 13. Id. in lib. 8. Moral. c. 23. S. Hieron. lib. epist.

Ex re Medica.

Rei Medicæ principes illam discordiam obseruant in corpore humano, in quo si quispiam humor noxius enascitur, confestim aggreditur alios humores integros, atque laudabiles, vnde vtplurimum tota compages putredine dissoluitur, sicut fusius explicat Fernelius, cuius accipe exegesim. *Putredo, quæ in venas omnes pariter inuadit, licet earum sanguinem, non tamen eius omnes æquè partes occupat. Quum enim non omnino simplex sit sanguis: sed ex multorum humorum permistione compositus, & sero multo perfusus, primum quidem illius portionem putredini magis obnoxiam prehendit, ab hac deinde aliam ipsi permistam atque confusam, quæ minus quàm illa sit vitiosa: hocque modo sensim obrepens, simul cum calore præter naturam augetur, & inualescit, nec antè desinit, quin partes omnes sanguinis putredini obnexias absumpserit. Altera putredinis est ratio, quæ non in omnes pariter venas, sed ab vna quapiam continuatione, in cæteras in earumque sanguinem, & in humores irrumpit. Obtingit hæc cùm putrefaciens causa vni fit quàm alteri vena propinquior, aut cùm sanguis non in omnibus æquè venis sui similis habetur. Nam in qua magis ad putredinis conditionem accedit, in ea primum labe tentatur; dein verò in iis quæ ordine succedunt: nec antè serpere ea putredo desinet, quam omnes venas sensim peruagata, quicquid in his putrere aptum erat absorbuerit.* Hæc Fernelius de corpore humano, labem patiente bifariam ab humore prauo; scilicet cùm in omnes humores indiscretè sæuit, & cùm incipit à parte propiori, serpens in remotas.

Fernel. Path. lib. 4. cap. 6. Putredo quomodo corpus inuadat.

Ea pernicie dissoluitur etiam concordia corporis humani politici: politicum corpus voco vniuersum hominum genus, in quo plerumque vitiosus humor suboritur, infensus aliis omnibus sanis humoribus. Id verò accidit cùm nefarij

Discordia quomodo irrepat.

nefarij homines à virtutis instituto degeneres, in cacopragiam defecerunt: tunc enim omnes in genere viros probos lacessunt iniuriis, si eadem qua & ipsi corruptelà minime teneantur. Alias noxius humor aliorum non aggreditur omnino perniciem, sed earum tantum partium quæ adiacent, & sunt corruptionis neciæ. Ita nonnunquam impij cautè bonos oppugnant, videlicet quando non aperto Marte, sed callidè, & quasi per cuniculos quosdam, incipientes ab his, quorum vita magis est dissona ab eorum pessimo schemate delirandi. Verbi gratiâ, ille, quem obscœnus amor suo contagio infecit, & in Veneris cœno volutauit, non in omnes virtutis candidatos illico desæuiet vt faciat hos conscios suæ libidinis; sed nexus suos ordietur à ruina eius, qui non longè est ab eo. Nimirum deprehendens aliquem suæ libidinis consortem, velle fieri exortem, & meditari vitam puriorem, immundus ille sus, importunè grunniens, honestos eius cogitatus polluit suggerens inhonesta: & vt abyssus abyssum vocat; ab vno sodalium corrupto transit ad alios; malumque adeò lethaliter serpit, vt sæpe vnius contagio ciuitas vna tota pessum abierit.

Lycurgi lex cauens ne Lacones peregrinarentur.

Ex Historia. Plutarch. in Lycurgo

Vt huic periculo occurreret Lycurgus, cauit ne Lacones in alias orbis oras diuerterent; dicebat enim, exoticas gentes, geniis ad virtutem compositis, prauos inurere ritus suos, quos illi incauti referentes in patriam, hæc inibi adulterina semina germinabant, magno Reipublicæ detrimento. Annon & hodie Italia, & Hispania Catholicæ reuera Prouinciæ, Christianam fidem illibatam enutriunt exquisita cautione adhibita, ne peregrina dogmata prædicentur. Non est ergo quòd doleant iusti, malè habiti à reprobis; hæc enim discordia cedit in argumentum indubiæ probitatis, & ostendit, disparem esse vitam eius, qui iniquè agit, & illius, qui patitur æquo animo. In meam iuit sententiam Gregorius, dum hæc ait. *Peruersorum derogatio, vita nostræ approbatio est quia iam ostenditur aliquid iustitiæ nos habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo.*

Ex SS. Patribus. S. Greg. hom. 9 in Ezech. Reproborum odia sunt iustorum approbationes.

Ex Ivre Civili. Lege prima Codice, Vnde vi. Lege Scientiam § Qui cum aliter ff Ad leg. Aquil. Cuiac. l. 4. obseruat. c. 18. Iniuriæ quanâ sint cautelâ refellendæ.

Instabit fortasse quispiam; esse pusillorum, ferre calumniam iniquorum; & virtutis, retundere iniquos impetus, quibus si succumbit vita sanctior, suis sequacibus tædium ingeret potius quàm amorem. Laudo animum generosum, & quasi librantem tela in reprobos, quorum ausus irriti sunt, si prudenter occurratur eorum iniuriis à viris innoxiis qui sua virtute in commodos vsus suos vertunt Cruces & opprobria, quibus ab impiis impetuntur: & hoc est secundum theorema probandum, vt me obstrinxi hoc titulo bipartito puncti quod expendo. Auspicabor à Iure Ciuili, quo licet vim vi repellere: cùm ergo reprobi multifariam iniurij sint alumnis inclytæ virtutis, licebit oppressis se tutari contra impios oppugnantes. Ita planè fas est repugnare, & armis arma retundere: obseruanda tamen verba legis, quæ dum facit licitam vim, aliam vim pulsaturam, adiicit has voces, *Cum moderatione inculpatæ tutelæ*, id est vt explicat Cuiacius, possum repellere & frangere conamina hominis insurgentis, cum defensione æquabili, & remota ab omni culpa, eo seruato modo, vt quis repellat vim, sed eam non vlciscatur: quod fit plenè quando quis eludit ausus hostis sui, tuêdo se, & noninfligendo vulnera, & hæc est inculpata tutela, quia læsionê quis impedit, se tuêdo sine culpa.

Hanc tutelam non suadet tantùm Ecclesia sed imperat, iubens fideles omnes ita à vitio esse alienos, vt nouacula detractorum nihil deprehendat in vnoquoque resecandum. Deprehendet autem susurro quod mordeat, si viderit hominem Christianum iniquo animo Cruces subeuntem. In hoc agone Ecclesia suos Olympionicas amat Laconico modo: vt enim gens illa æquè assueta vincere vt pugnare, salutis suæ potiorem partem reponebat in clypeo; ita & agmina Christiana in reprobos antagonistas suos agunt clypeo, non gladio sic repellentes vim vi, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Audiendus Paulus Apostolus Agonotheta sic accingens symmistam suum Titum ad infirmanda conamina susurronum. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ex præfatis sic probo intentum meum, scilicet iniquos persecutorum animos non minuere commoda, quæ ex Cruce deriuantur. Aduersus aspera quæ imminent debemus obiicere clypeum patientiæ; sed patientia condit & dulcorat amarorem ærumnarum, eas aptando ad salutem nostram: ergo improbitas hostium, nostram excitans & acuens patientiam, non est iustis deliquij argumentum, sed est potius gratiæ & meriti consonum incrementum.

Vindictæ genus quodnã sit valde laudabile.

Tit. 2.

Crucis commoda non minuunt inimici nostri.

Vt in ore plurium stet istud paradoxum de vtilitate rerum sensibus ingratarum, adscisco Sanctos Patrés, meam sententiam suo suffragio fulcientes. Primus occurrit Augustinus, persecutionum damna refundens in auctores & non in vexatos. Sic ille: *Bonos & iustos viros semper persecutionem malorum sustinuisse cognoscimus. Si diligenter consideramus, inuenie mus illos maiora tormenta sustinuisse qui faciunt, quam qui sustinere videntur. Omnis enim homo, qui alium in corpore persequitur, prius in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nam si etiam ille, qui persequitur, aliquid de substantia eius tulerit, maius ipse dispendium sibi facit; quia nemo iniustum lucrum habet sine iusto damno: vbi est lucrum, ibi & damnum; lucrum in arca, damnum in conscientia; tulit vestem, perdidit fidem; acquirit pecuniam, & perdit iustitiam.* Fauet & Gregorius, probans bonitatem iustorum ex nequitia reproborum æquo animo tolerata. *Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat. Abel quippe rennit esse, quem Cain malitia non exercet. Sicut in tritura palea grana premuntur, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa, quæ redolet, cum spina crescit quæ pungit.* Idem sui memor eloquij, sic alibi fatur: *Non est perfectè bonus, nisi qui fuerit & cum malis bonus. Bonus enim non fuit qui malos tolerare recusauit.*

Ex SS. Patribus. S. Aug. ser. de SS. Innoc. Iniuriam qui aliis infert maiora patitur dispendia.

Patientia virtus est perfectorũ. S. Greg. lib. 20. Moral. Idem hom. 38. in Euang.

Idipsum etiam Canones sancti clamant, & in his iste præcipuus. *Paratus debet esse homo iustus & pius, patienter eorum malitiam sustinere,*

quos

Ex Ivre Canonic. Canone. Paratus 23. quæst. 1. Canone. Hæc autẽ 23. q. 4. Vita nostra est multis miseriis obnoxia.

quos fieri bonos quærit, vt potius numerus crescat bonorum, vt non pari malitia se quis numero addat malorum. Alius autem Canon sic habet. *Hæc autem vita, quæ inter cœlum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita vtrarumque partium ciues communiter recipit, quos sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernet. Si ergo boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerare malos debetis.* Et tantùm abest, vt malorum improbitas malefica sit bonis; quinimò proficua est eis. Nimirum totos se colligunt, vt patienter excipiant tela sæuientis hostis, qui vt viderit iustos animo infracto, venerari incipit & timere eos, quos antea lacessebat. Ad hoc hortatur afflictos omnes Tertulianus. *Frangatur malorum improbitas patientia tua*, id est, Penes te est irritos facere omnes insultus tuorum æmulorum, & colligere vuas ex spinis, si debacchantes in te æquo animo sustineas, & eorum iniquitatem in tuam aptes æquitatem.

Tertul. l. de Patient.

Crucem qui ferunt patiẽter omnibus sunt honori.

Ea repugnandi ratione in malos, iusti sibi conciliant reuerentiam improborum, qui reuerenter habent eos, quos fuerant antea persequuti. Namque suspicantes aliquid supra hominem in eo, qui baiulat Crucem non inuitus; eum metuunt, cui se formidabiles exhibebant; eius suffragia emendicant, quem spreuerant vt mendicum. Scriptura sacra locuples est testis huiusce veritatis, quæ inibi prostat à prima ferè ætate mundi, vt consulenti librum Genesis est palam. *Dixit Abimelech ad Abraham, Deus tecum est in vniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum ne noceas mihi.* Nota, Regem hunc primò iniquum extitisse Abrahæ, cuius patientiam expertus, cœpit metuere ne Deus vindex expeteret pœnas ab eo violati iuris hospitalitatis. Malo semper omini est viro iniquo probati viri patientia, & ab ea detrimẽtum continuo reformidat: eamobrem Abimelech Abraham sic compellat: *Iura ergo per Deum ne noceas mihi.* Liquidius exemplum suggerit sacra Regum historia, recensens eam animi constantiam, qua Dauid iniurias pertulit illatas sibi à Rege ingrato. *Videns Saül quod Deus esset cum Dauid, cœpit eum timere.* Hæc series historiæ. Quæro vnde irrepsit timor ille, quo pauere incepit Rex ille Dauidi iniurius? Non aliunde sanè quàm ab eius æquanimitate, qua patiens ille gener soceri furentis hos meritorum cumulos fecit, ex nequitia sæuientis, vt ei non modicum terrorem incusserit. Nulla enim validiore plaga quatitur homo iniurius, quàm cum se deprehendit flocci pendi ab eo, quem feriunt incassum quæuis molestiæ. Et hęc fuit semper palæstra Christiana, in qua omnis victoria sita est patiendo magis quàm agendo.

Genes. 21. Abimelech quàm suspexit Abrahã.

1. Reg 14. Saul admiratus patientiã Dauid, præcauit eum ore Regen.

Ex SS. Patribvs. S. Greg. l. 30. Moral. Iniurias ferre patienter quàm sit generosum.

Sed quia hæc disciplina militaris superat omnem fidem humanam, vtpote edocta à superiore fide; probanda est auctoritate procerum Ecclesiæ. In his dandæ primæ partes summo Pontifici Gregorio Magno, sic rem decernenti: *Gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare; & si seruus conuitium dicat, iustus taceat; & si infirmus iniuriam faciat, iustus sufferat; & si pauper criminetur, iustus non respondeat.* Nec patientia tantùm gloriosa suo candidato, sed & molesta est hosti lacessenti, vt asserit sanctus Chrysostomus, sic consulens: *Si vindicare vis, sile, & funestam ei dedisti plagam.* Alibi idem discutiens argumentum, ait: *Nihil ita confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo, neque in opere reddere vindictam.* Ratio petitur ex intentione persequentis: nam vt frustrata assequutio finis est ingrata & mœstitiæ proxima; eo planè modo patientia tua lædet inimicum, qui dum credidit nocere tibi, videt profecisse, parando tibi prædiuites meritorum gazas.

S. Chrys. in Matthæum.

Idem in Epist. ad Hebræos.

Huius doctrinæ non nescius extitit Iulianus Imperator ille refuga, qui Christianis inuidens palmam martyrij, noluit cum eis aperto Marte contendere inferendo Cruces, & ærumnas, ne fideles dum flocci tormenta penderent, coronas sibi texerent immortales. Eamobrem si quos cruciatibus extingueret, mentiebatur eos fuisse in Crucem actos non Christi causâ, sed criminis infandi ergô; ne eorum mors patientiâ Christo exhibitâ fieret illustrior, & persequentis indoles indignior. Hoc astu fidelium palmas immarcessibiles voluit exscindere perfida Gentilitas, quando Nerone in Christianos debacchante, finxit exterminij causam fuisse incendium vrbis ab Ecclesia procuratum. Quippe Gens callida resciebat, pœnas iniquè irrogatas, & animo non nutante elusas parere vexatis gloriam immortalem; sicut & vexantibus dedecus interminum. Macte igitur, ô fidelis, quem hostis apertus impetit, audi hortantem Tertullianum. *Plus improbum illum cædis sustinendo. Nam omnis iniuria seu lingua, seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissima duritiæ obtusum; concidet enim ibidem irrita opera, & infructuosa, & nonnunquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu sæuiet. Nempe idcirco quis te lædit, vt doleas; quia fructus lædentis, in dolore læsi est. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui: tunc tu non modò illæsus ibis, quod etiã solum tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui, & frustratione oblectatus, & dolore defensus. Hæc est patientia vtilitas, & voluntas.* Sic fatur Doctus ille Afer.

Ex Historia. Baro. in Annalib. Eccl. sub an. 361. Tert. in Apologet. Iuliani Apostatæ industria ne crux esset Christianis honorai l. 18.

Idem lib. de Patient. c. 8. Iniuriæ patienter habitæ retorquẽtur in auctores.

Boëtius, quem multiplex ærumna tentauit, ad agones illos se accinxit meditando commoda inde nascitura. Sic ille. *Cogitanda sunt omnia, & animus aduersus ea quæ possunt euenire firmandus, exilia, tormenta, morbos, bella, naufragia, meditare; consurgamus itaque aduersus fortuita, & quicquid inciderit, sciamus non tam esse magnum, quam tumore iactetur.* Elimatè etiam locutus est Valerius ille Maximus. *Æqualiter se in aduersis gerere, quid aliud est, quàm sæuientem fortunam in sui adiutorium pudore victam conuertere?* Sed his adhuc præstat Epictetus, & Christianum redolet, dum sic erudit homines ad virtutem. *Ab exiguis incipe: effunditur oleum, furto vinum aufertur. Cogita tanti redimi patientiam, tanti emi imperturbationem: nihil gratis fit. Cùm seruum accersiueris, præmeditare: fortè non pariturus tibi, fortè nihil eorum quæ cupio facturus est. At non tanti est tamen, vt eius causâ perturbari debeam aut possim.* Pudet sanè nos homines Christianos sanctioris instituti succumbere ærumnis & Crucibus, ad quas se virtutis exercendæ gratiâ Philosophi Gentiles iugiter accingebant.

Pax animæ quomodo conciliãda.

Senec. ep. 92.

Valer. Maxim. l. 3.

Epict. in Enchiridio. Patiẽtia obstat ne perturbetur animus.

Ex præfatis, satis superque liquet fides paradoxi à me propositi, scilicet Cruces nihil de sua bonitate deperdere, etsi eas virulenta rabies hominum iniquorum exasperare velit. Imò multiplici ratione patet, animas innoxias in suos

sanctiores vsus conuertere iniquitatem hostium, quantumuis duriorum. Etenim beatæ mentes cœlo natæ, crocum imitantur, herbam quæ florem parturit coloris aurei, & in re medica virtutis exquisitæ. Ea est indoles herbæ vt magis adolescat, quando calcata & velut attrita fuit. Eamobrem qui consulunt eius fœcunditati, sæpius interdiu calcant glebas delitente croco fœtas, vt numerosiore partu postmodum efflorescant. Inde arripuit ansam nobilis Ambosius effingendi symbolum referens animum infractum. Pinxit ille crocum foliis inclinatis, & calcatis, hoc titulo prodente mysterium abditum : CALCATA VIRESCVNT ; id est, quò durius animæ gratiâ Dei deauratæ opprimuntur, eò etiam gratiores fiunt ; id enim proprium est ingeniorum excelsorum vt CALCATA VIRESCANT. Ne igitur in posterum, anima fidelis, querula causeris, iniquos inimicorum animos facere iniustas tibi Cruces ; sed hoc memento, CALCATA VIRESCES. Namque si ex Seneca, Marcet sine aduersario virtus ; ex aduerso, virtus, quam plures æmuli petunt suis aculeis, & sugillant, CALCATA VIRESCET, vires non amittet. Et hoc esto meum pensum.

Crocus dum calcatur fit vegetior.

EX SYMBOLIS. *Amb. in Symbol.* Iniuriis fit anima vegetior.

SCELESTI COELESTES VEXANT, SED NON VERSANT.

Quomodo Cruces oriundæ ex nequitia reproborum, cedant in augmentum iustitiæ hominum, qui eas æquo animo suscipiunt.

PVNCTVM IX.

OMnis patientiæ cardo vertitur in speculatione rei, quæ Cruces qualuis, vndeuis oriundæ sint, alleuiat. Tanti est momenti argumentum istud, vt præterito omni præludio debeat edoceri. Quemadmodum enim ille, qui vult pereunti inediâ subuenire, non moras trahit in laudibus cibi quem porrigit, sed liberali manu cum in pauperis sinum effundit. Ita non est quòd præambula oratione aucuper beneuolum ingenium lectoris harum paginarum, vt ebibat doctrinam meam, & hanc præsertim, circa quam titulus iste occupatur: nihil enim incultum de meo penu promam, sed coëunte choro omnium scientiarum hoc esto meum dogma, & faxit Deus vt sit & mea praxis. Quicquid aduersum hominibus ingruit, sic eis expedit accidere, vt nihil magis consonum eorum saluti euenire queat. Qui ergo Crucis immane pondus voluerit excutere, cogitet illam Crucem esse adeò sibi aptatam, vt nihil humana dispositione melius illa Cruce possit reperire: nam Deo moderante, illa homini incubuit. Huius paradoxi discussio est trimembris, & ad tria probanda me adstringit. Primum est, Deum velle nobis aduersa illa accidere : Alterum est, nihil posse nobis melius occurrere : Tertium demum est, inimicorum nostrorum, imò nec Dæmonum rabiem posse suum virus aspergere Crucibus nostris, & facere vt cedant in perniciem nostram, si velimus eas æquo animo excipere vt par est. De voluntate nostra componenda ad arbitrium Dei fusè ago vbi de Martyribus : eamobrem hic parcè de ea disputandum ne in repetita impingam.

Patientiam quid conciliare queat.

In Deo esse prouidentiam rerum omnium, non Theologia tantùm, sed & Scriptura sacra, & prisci Philosophi clamant. Sic habet Codex sanctus. *Tu autem Pater gubernas omnia prouidentia.* In Philosophia primas tenens Plato Dei prouidentiam fortiter propugnauit : sed eum carpunt Sancti Gregorius Nicænus & Augustinus, arguentes eum erroris, & meritò ; quia triplicem inuexit prouidentiam inauditam antea. Prima est summi Dei, qua prouidet primò & præcipuè rebus omnibus spiritualibus, & consequenter vniuerso orbi secundùm genera & species, id est, secundùm ideas rerum, quas Plato refudit in classem rerum spiritualium. Altera prouidetur singulis rebus corruptioni obnoxiis : hanc Plato attribuit substantiis separatis, quæ in gyros agunt cœlos, & discurrunt circum eos. Tertia prouidentia pertinet ad res hominum: hanc ille ait esse Dæmonum, quos mediare dixit inter Deum, & homines. Hoc delirium Theologia explodit, & vni Deo rerum omnium curam atque prouidentiam conuenire probat, non in communi tantùm, sed & in particulari. Audienda illa disciplina sua pangens oracula, & explicans aduersa omnia esse à Deo volita.

EX THEOLOGIA.

Sapient. 14. *S. Greg. Nic. l. 8. de Prou. cap. 3.* *S. Aug. l. 4. de ciu. Dei cap. 1. & 2.*

Prouidentiã Dei quomodo hallucinans Plato descripserit.

Quicquid in Deo est Deus est, & nihil nisi infinitum Deo astingi potest : ergo Dei intellectus infinitæ virtutis est, Deum ipsum adæquatè intelligens. Rursus si Deum intelligit adæquatè, nouit omnia, ad quæ causalitas eius porrigitur; sed Deus infinita entia educere potest è nihilo : ergo infinita entia Deus nouit possibilia ; ea tamen differentiâ, vt quæ nunquam producenda sint noscat scientiâ simplicis intelligentiæ; alia verò edenda tempore eis præstituto, Deus agnoscat scientiâ approbationis, quæ voluntatem habet comitem. Nempe etiamsi scientia Dei sit effectiua rerum; adsciscit tamen voluntatem, vt res illæ agnitæ sortiantur illud esse præiacens in ideis, alioquin mundus, & res omnes fuissent ab æterno, quia Deus hæc omnia præsciit ab æterno: sed quia noluit hæc ab æterno producere, illa etiam suam editionem minimè nacta sunt, nisi quando Deus voluit fieri in tempore quod sciuit ab æterno. Ergo quicquid editum est in hoc rerum omnium vniuerso, illud Deo volente prodiit ; impotes enim sunt causæ inferiores aliquid ex se depromere, inscia & inuitâ superiore causâ.

S. Thom. 1. p. q. 14. art. 2. 5. 6. 8.

Prouidentiæ Dei docta descriptio.

Non est ergo quod refundamus in dæmones, aut in reprobos homines iniquas sortes, & Cruces, quibus affligimur : cùm enim esse sibi speciale vendicent res aduersæ, à Deo etiam approbantur vt volitæ. Si approbantur, quis audeat improbare ea, quæ Deus ab æterno voluit euenire ? Ea Dei voluntas vbi viris probis innotuit, nullum aliud quæsierunt argumentum inflectendi sui arbitrij, vt supra ostendi in Heli sacerdote, qui vt audiit à puero Samuele plagas, quas Deus erat inflicturus, ne mussitauit quidem aduersus hoc decretum Dei, sed totum se componens ad nutum eius, ait: *Dominus est, quod bonũ est in oculis suis faciat.* Instabis fortè, modicum facessere negotium resignationem ad mala futura, quæ non adhuc sentiebat Heli; titulum verò, quem expendo, pertinere ad Cruces incumbentes in homines, iam aliqua molestia decumbentes. Nec huiusce generis desunt exempla heroïca : prætereo recensitum Iob, & obiicio Regis Dauid facinus egregium, qui petitus opprobriis ab homine insipiente nomine Semei, in illis iniuriis meditans voluntatem Dei vlciscentis crimina perpetrata, obmutuit, vt ipsemet ait in Psalmis. *Opprobrium insipienti*

Patientiæ exẽpla sacra.

1. Reg. 3.

Psal.38. *insipienti dedisti me. Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.*

O quam potens agnita & inspecta voluntas Dei in ærumnis, vt illæ amore Dei accensæ quasi decoquantur! Ad hanc omnium actionum normam se totum composuit Iudas ille Machabæus, qui domi forisque nihil aliud à voluntate Dei inquirebat, vt & videre est in illo facinore egregio, quod vir hic strenuus exantlauit. Sic habet sacra eius historia. 1.Mach.3. *Ait Iudas: Accingimini, & estote filij potentes, & estote parati in manè, vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt aduersus nos, disperdere nos, & sancta nostra; quoniam melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Quid putas actum de homine pendente obsequium suum Dei voluntati? Victor extitit, parua manu fundens numerosas acies: expertusque est, id omne viuax esse & vegetum, quod animat voluntas diuina, iuxta illud Psaltis. *Vita in voluntate eius.* Et hinc validum exurgit argumentum suadens, esse subeunda omnia à Deo volita: nam si vita in voluntate eius, morti erit obnoxius ille, qui recedet ab hac Dei voluntate, nec anima extincta poterit vnquam esse redux ad vitam, nisi faciat eam rediuiuam voluntas Dei expleta à nostra voluntate, aliàs aliena à beneplacito Dei. Obsequia nostra exhibita voluntati Dei, esse rudimenta vitæ Christianæ, suo exemplo edocuit Paulus, cui vt primum Christus illuxit, in has erupit voces præambulas virtutis emeritæ, qua refulsit: *Domine quid me vis facere?* Si ergo ea sunt prima elementa fidei, vt voluntas nostra non peregrè abeat à voluntate Dei; debet ei vltrò subdi homo cùm Crux occurrerit: alioquin à Deo volita detrectans, quasi extorris à fide reputabitur sicut Ethnicus, & Publicanus.

Iudas Machabæus quare nominatus inter Heroes.
Psal.29.
Resignatio ad Dei volútate quid sit.
Actor.9.

Rursus vt æquiore animo subeamus illud iugum voluntatis Dei explicitæ in ærumnis, & Crucibus vnicuique obuiis; pensemus, æterna esse, quæ decernit Deus, & vt clamat scriptura sanctior, cùm prisca, tùm recens. Ex vetusta ait Psaltes. *Deus noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit.* Hoc Rege satus Salomon occinit patri suo. *Voluntas Domini in æternum permanebit.* Eo spiritu actus Isaias, Deum referens ait: *Consilium meum stabit, & omnis mea voluntas fiet.* Daniel ait frustra reniti eos, qui inuiti faciunt, quod à Deo volitum est; sic enim monet: *Iuxta voluntatem suam facit Deus, tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei: quare fecisti?* Consonat & Paulus, ostendens eumdem esse genium nouæ legis, qui fuit & veteris, dum sic fatur: *Voluntati eius quis resistit?* Quid ergo moras nectit homuncio, volens eludere & dubiam facere voluntatem Dei? Ea sola ratione Ioseph fratres suos mœrentes solatus est, quos pœnitebat iniuriæ illatæ ipsimet Ioseph: ille enim sic eos affatus est: *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* Vtinam sancti huius Patriarchæ æmulemur ingenium, quando sors iniqua nos vrgebit. Si sensus refugæ Crucis nos aliò auertant; animo versemus, perperam nos contra stimulum calcitrare, & declinando vnam molestiam, incursuros in alias, easque grauiores. Itaque sensibus importunis obiiciamus Ioseph dignam sententiam. *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* Id est, quid concutimini horrore, ô sensus, carnis vilia mancipia, quid Crucis aspectu tigeris, nolite pauere; sed vltro occurrite huic ærumnæ, quam propulsare nefas, vnd & res operosa; quia quod à Deo volitum est, nullo consilio poterit impediri.

Volútas Dei nequit suo cadere præstituto.
Psal.113.
Prouerb.19.
Isai.46.
Daniel.4.
Rom.9.
Gen.50.
Volútati Dei quatorum Ioseph Patriarcha detulit.

Instabis, non liquere de voluntate Dei in omnibus iniuriis, quibus cruciamur, sed potius quasi Deo inuito nos cruciari à malis? Respondeo; Deum non velle peccatum, quo delinquunt impij dum diuexant malos; sed velle pœnam, quam irrogant bonis, qui ex ea; commoda proliciunt dicenda postea: Deum autem velle illa mala physica sita in re ingrata sensibus, disce ex discursu Aristotelis. Vbi causæ ad inuicem eo sociantur nexu, vt aliæ inferiores sint, hæ nihil omnino efficiunt, feriante prima causa, à qua causæ subalternæ habent, vt aliquos effectus exerant: ergo cùm Deus sit prima causa, volet eas res quas causæ inferæ procreabunt. Sed esto Deus velit eas pœnas quibus afficimur; earum tamen bonitas & malitia non attenditur ex illa Dei voluntate, sed etiam ex nostra, quam Aristoteles ait facere res laude aut vituperio dignas. Nempe cùm in bonum finem voluntas dirigit ea quæ accidunt; bona fiunt moralia. Verbi gratiâ, quis iniuriis afficitur, æquanimiter eas tolerat, quia Dei placitum est, non rependere malum malo. Æquanimitas illa facit iniurias illas proficuas. At si secus homo excandescat, bile accensa illis iniuriis, eas in suam perniciem vertit. Suffragatur Ambrosius, explicans, voluntatem Dei adsciscere nostram, vt quæ à Deo volita sunt, cedant in salutem. Sic ille: *Vult Deus omnes saluos fieri, sed si accedant ad Deum. Non enim sic vult, vt nolentes saluentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint. Nunquid non medicus? Idcirco proponit in publico, vt omnes se ostendat velle saluare, si tamen ab ægris requiratur. Non est enim vera salus, si nolenti tribuatur; nec gaudere potest in percepta salute qui inuitus accepit medicinam, quia medicinæ effectum habere non potest, nisi ad illam æger animum commodauerit.*

Ex Philosophia.
Arist lib.8. Physic.c.5.
Causa prima præualet aliis.
Aristot.l.3. Ethic.
Voluntas Dei nostram exigit vt saluemur.
Ex SS.Patribus.
S.Ambr.in 1. ad Timoth. cap.2.

Dicam rem nouam, & quæ fidem habet penes eos tantùm, quos abnegata voluntas effinxit totos ad arbitrium Dei. Nihil asperum aut miserum habent Cruces, nisi quod eis virus aspersit auersa voluntas: siquidem amanti seu volenti nihil difficile; inuito verò omnia grauia & onerosa reputantur. Si hoc theorema sapit paradoxum, habet tamen S.Augustinum assertorem. *Sola voluntate miser quisque efficitur; sed miserior cùm desiderium malæ voluntatis impletur.* Quæ sit autem mala voluntas, inducens asperitatem Cruci, audi ab eodem. *Cùm se voluntas relicto superiore ad inferiora se conuertit, efficitur mala; non quia malum est quò se conuertit, sed quia peruersa est ipsa conuersio.* Exemplo sit infirmitas: si decumbens auersatus illum suum statum, ægrè ferat, & anxiè ad sanitatem anhelat; peruersa est hæc voluntas, non quòd sanitas iniqua sit, sed quia Deo inuito appetit corporis sui magis quàm animæ sospitatem. Et tantùm abest, vt eo animo inquieto redux sit sanitas; quinimò potiùs voluntas auersa grauat morbum, & facit immane pondus huius Crucis. Esse autem malum omne in illa fuga, probat idem Sanctus. *Nemo quærat causam efficientem voluntatis malæ: non est efficiens, sed deficiens; quia nec effectio, sed defectio est.* Rem astruit

Crucis asperitas vnde petatur.
S. August. de verb. Apost.
Idem lib. de libero arbitrio.
Volútas quando fiat bona, & mala.
Idem lib.12. de ciu. Dei.

astruis proposita praxi. *Iustitia Dei est, vt aliquando sanus sis, aliquando vt aegrotes. Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei; & quando aegrotas, amara est voluntas Dei: non recto corde es, quare? quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei, sed Dei vis curuare ad tuam: illa recta est, sed tu curuus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curuanda est ad te, & rectum habebis cor.* Haec piè & doctè Augustinus.

Idem in psal. 35. Voluntas Dei quare nobis acerba. Cor rectum, quale sit.

Ex Ivre Canonic. *Canone. Non est 15 q.1.* Voluntati peccata adscribuntur. *S. Ambr. lib. de vit. Beata.* Iniurias qui aliis iniuriis vindicat malè sibi consulunt.

Idipsum inculcant Canones sancti, inde satagentes facere canonicas id est regulares & rectas voluntates nostras, quas indicant esse fontes, seu exordia malorum, quae in alia capita refundimus; congruus est iste Canon. *Non est, quod cuiquam nostram ascribamus aerumnam, nisi nostrae voluntati. Nemo vestrum tenetur ad culpam nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen quae inferuntur relucti antibus; voluntaria tantum commissa sequitur delictorum inuidia, quam in alios deriuamus. Voluntarium sibi militem eligit Christus: voluntarium sibi seruum diabolus auctionatur, & acquirit suo iuri. Neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi se ei prius peccatorum aere vendiderit.* Hunc Canonem Gratianus mutuo accepit ab Ambrosio, cuius est etiam auctoritate illustrior. Haec praefata mihi cient lacrymas, meditanti dispendium quod subeunt homines iniurij iniuriis: quia iuris est omnium hominum afflictorum, vertere iniurias in pharmaca, vel toxicum; quippe tota res pendet ex voluntatis ad Deum conuersione, vel auersione ab eo. Hoc igitur argumentum altè mentibus adhaerascat: Aduersa omnia, quae lancinant inuitos appetitus, à Deo volita sunt; cooperatur enim volens physicis omnibus aerumnis nobis irrogatis: sed quod à Deo volitum est, nequit aliò diuerti; vt ergo leuius fiat, est applicanda voluntas, vt de necessario fiat voluntarium, iuxta consilium Senecae, suum Lucilium sic hortantis: *Non est aliud refugium aduersus necessitatem, quam velle quod ipsa velit.* Sed quid inde? Inde fiet primò vt Crux facta voluntaria non animam grauet. Secundò vt lacrymae, quas exsugunt aerumnae, abeant in gemmas adiiciendas aliquando diademati beatarum illarum mentium, quas Deus illi duriusculo subiicit examini.

Senec. l. ep. ad Lucilium.

Bonae mulieris sanctae patientia stupenda. Ex Historia. *Ex Chron. RR. PP. Praed. part. 1. lib. 1. c. 49.*

Non deest historia propitia huic dogmati; ea est deducta ex chronicis inclyti ordinis Sancti Dominici. Liber ille commemorat facinus heroïcum in aduersis laeto animo subeundis. Est dux foemina facti. Ea nomine, Bona, & reuera fuit ei bonum nomen, bonum omen; ea inquam pertaesa saeculi ritum, quo fit dubia hominum salus, secessit in eam vrbis Romae partem remotiorem ab omni frequentia, seque domi inclusam abdito condidit ergastulo, vno Sancto Dominico Patre spirituali conscio suorum agonum. Sanctus ille demirans in foemina animum cataphractum, aerumnarum eius voluit videre fontem, scilicet cancrum, id est vetus & putidum vlcus vbera tota depascens, & despumans in saniem, ex cuius foetida colluuie scaturiebant vermes numerosi. Renuit diu mulier sancta suas meritorum gazas reserare sancto homini pulsanti iamdudum ad ostium, victa tamen emerita viri virtute, pectus exe um aperuit, ebulliens multa vermium congerie: stupuit Sanctus, demirans masculum animum in corpore foeminino. Orat vt vermiculum vnum madentem sanie effluxa de pectore porrigat; negat illas suas gemmas educi posse de pixide, cui Deus eas incluserat; instat Sanctus, sua geminans vota. Mulier heroïna nequiens diutius ferre importunum, fidem eius obstringit de restituendo verme, quem erat ei breui tempore concessura. Extemplò animalculum profert; Sanctus è regione accipit patientiae indubiae mirabile pignus. Sed ò prodigium! dum credidit versare vermem in vola repentem, aduertit rutilam in manu sua gemmam, cuius splendore didicit quo fulgore irradient Cruces, in quas coëunt voluntas Dei, & humana.

Patientia vertit mala in gemmas.

Quis hanc mulierem aegram, & infelicem dixerit, quae opes credidit esse vermes emergentes è sinu saniè diffluente? Non ego miserabor eius sortem, sed potius inuidebo, & voluntatis eius ad Diuinam obsequium mihi assumam in specimen imitandum, securus de corona radiante si sim socius in agone. Eodem quo & illa mulier sancta Deo volente & spectante militamus, & patimur; eodem etiam praemiante passiones nostrae & certamina cedant ad gloriam. Non est ergo quòd causemur, ingratas & iniquas esse Cruces, & aerumnas, quibus affligimur, cùm omne quod à Deo volitum est debeat esse nobis aequum, & gratum. Memorare oculis carnalibus visos fuisse ebullire vermes, & effluere saniem ex thorace mulieris aegrae, & patientissimae; sed oculis viri sancti fuisse veram & diuitem gemmam illud idem, quod pus & vermem caro nuncupabat. Mentitur sensus in nomenclatura gratiarum, quibus Deus coërcet petulantiam carnis; vocat enim Cruces, aerumnas, molestias, atque passiones, omne quod arcet carnis illecebras. At viri sancti congruo nomine talia gloriam suam & gaudium appellarunt. In his Paulus ait: *Gloriabor in infirmitatibus meis.* Et Iacobus Apostolus sic hortatur: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.*

1. Cor. 12. *Iacobi 1.*

Si omne quod vocauit Adam est nomen eius, ob acumen ingenij quo pollebat; à potiori Spiritus Sanctus ore Iacobi sua pangens oracula, affinxit vnicuique rei consona nomina, quibus homo aliàs incredulus, iam indubius fidem suam credat. Quare igitur lugebit afflictus, si omne gaudium censeri debeat incidisse in varias tentationes? Quis suam deflebit inopiam, si patientes in vlla re deficiant? Quid denique imperfectum subolebit in Cruce, quae est patientiae alma parens? quae, vt praefatus est Apostolus, operatur omne opus perfectum. Etenim qui voluntatem suam omnem penes Deum reposuit, iam operatur ex voluntate Dei, vnde nihil nisi perfectum emergit. Hoc igitur altas radices agat in mentibus nostris, Deum in coelis tot nobis aptare gemmas, & coronas, quot sustinemus aequo animo molestias: non enim patitur Deus se vinci ab homine in rependendis donis. Cùm igitur ex Gregorio, *Nihil offeratur Deo ditius bona voluntate*, vt & ex dono liquet; Deus vicissim animam ditat, quae subit vltro Cruces, voluntate sua minimè reluctante.

Cruces quàm aestimarint Sancti.

Ex SS. Patribvs. *S. Greg. hom. 5. in Euang.*

Nonne hoc est cum foenore suam in coelis recipere voluntatem, tot rutilam gemmis, quia in terris ad arbitrium Dei Cruces amplexa est? In meam praeiuit sententiam patientiae praeco Tertullianus,

Tertul. l. de Patien. c. 15. Patientiæ sequester est Deus.

lianus, dum sic fatur: *Satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si iniuriam deposueris penes eum, vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem resuscitator est. Quantùm patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem? Nec immerito; omnia enim eius placita tuetur; omnibus mandatis eius interuenit.* Esto voluntas Deo subdita magnos congerat cumulos gratiarum, & patientia operetur magnum pondus gloriæ in nobis; nihil tamen æquè me afficit, ac beneplacitum Dei, neque aliam rationem volo obsequij mei, quàm eius voluntatem. Qui aliter sentit, nescit quid sit placuisse Deo & vnius esse cum eo voluntatis, ad quam qui attendet, ille suas ærumnas omnes delicias æstimabit. Hanc edocuit praxim Christus Dominus, qui in liuore Iudæorum non horruit virus, quo eum perdere destinabant parando Crucem, sed attendit voluntatē Dei, qua sola delectatus vltro subiit Crucem, & oblatus est quia voluit. Audi quibus argumentis ille persuasus dederit manus Cruci.

Matth. 11.

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Consule dicta puncto septimo, idonea valde ad formandum animum titubantem.

Ex re Medica. *Dioscor. l. plant. 4. c. 15. Fern. l. 7. de meth. med.*

Itaque voluntas Dei meditata in ærumnis illatis ab hostibus, erit veluti correctiuum, quo medici perniciem alicuius pharmaci diluunt ne noceat. Verbi gratia, ex Dioscoride, propinandū erit scammonium potens remedium ad euacuandam bilem, imò omnem noxiorum humorum colluuiem; cautus medicus ex consilio Fernelij adijciet aliqua aromata vt anisi, zinziberis, & caryophyllorum, ne præceps scammonij actio fiat ægro iniuria; habent enim aromata quid affine stomacho imbecillo, qui validior efficitur eorum vsu. In hunc modum vsurpanda est meditatio voluntatis Diuinæ in iniuria irrogata ab aliquo iniquiore nobis. Et hæc iniuria erit idoneum pharmacum ad purgandam bilem, id est, iram, quæ exurgit ad vindictam. Item ad deprimendum fastum, quo superbia nos extollit, nihil aptius contemptu illo, quo habemur ab hostibus: sed quia plerumque vires non suppetunt ad valida illa & nuda cathartica glutienda, & postea dirigenda; adiicienda est Dei voluntas, aromatizans illa remedia.

Quomodo autem voluntas Dei nobis illuceat, & vnde eam possimus colligere ex ærumnis, quas ingerunt nefarij homines, dixi alibi, distinguendo esse physicum à morali: sed quia non est omnium captui accommodata illa discussio philosophica, accipe aliam magis idoneam atque vernaculam.

Iniuriæ quomodo conducant ad salutem.

Cùm malè & duriusculè exceperis ab aliquo debacchante in famam tuam, & fortè sæuiente in personam tuam, cogita patientiam esse à Deo imperatam, sicut & vetitum odium; atque adeò te fortiter acturum, & rem à Deo volitam præstiturum, si æquo animo decoquas hanc ærumnam. Hinc fiet, vt quicquid intendat inimicus de te lacessito, & qualecunque virus voluerit aspergere, sospes & integer emergas ex procella deforis excitata. Rursus meditare, hàc Crucem esse tibi porrectam ad salutem, & Dei esse voluntatem, vt ea proficias, sicut & diaboli, vt deficias, cadendo animis, & ignauiter agonem hunc declinando.

Ex Mathematica. *Clau. lib. in Sphær.* Calicis qui est constellatio pulchra positio in cœlis.

Hac meditatione cautior, æquanimiter aduersa irrogata feres, vt Deo consentias, & a dæmone diuellaris, qui sciens quantùm valeant ad salutem Cruces, totus est in homine auertendo à Cruce, & Calice passionis, suggerendo, alia posse via nos saluari, & non vno tantùm calle iri ad superos. Serpentis technas, quibus Calici salutari obesse tentat, Cœlica Mathesis genuinè refert in globo illo suo cœlesti, vbi Hydra serpens multiceps positus est sub Calice; illæ enim duæ figuræ stelliferæ ita collocantur, vt basis Calicis sit communis Hydræ, & ambo coëant in gradu centesimo trigesimonono longitudinis, eo tamen situ, vt Calix semper erectus sit, Hydra ei succumbente. Id quod cœli imagine tenus tantùm referunt, Ecclesia cœlum animatum probat, & patitur: vbi enim afflictionis Calix exoritur, eò statim festinat Hydra infernalis, & infra Calicem serpit eiaculando suum virus in Calicem illum: sed vt frustra in cœlo suos gyros torquet Hydra, quibus Calicem illum runlum fundat; ita & sunt irrita conamina, quæ explicat dæmon in homines afflictos; quippe eorum Calix desuper est, ideoque labare nescit nec nutare, Deo suum influxum impertiente desuper quo vegetiores fiunt illius olympionicæ, iisdem quibus & Christus armis, scilicet Cruce cataphracti.

Ex Historia. *Eusev. in vita Const. l. 2.*

Si ergo Deus adest eis, quos exercent perpetui agones Crucis, quis nisi ignauus metuet abditi serpentis insidias, negotium minimè facessentes, vtpote Dei gratia dissoluendas? Hanc suam gratiam veluti militiæ stipendium distribuit Deus athletis suis vt alacrius obeant pericula, & aptiores sint ad Cruces tolerandas. Ita Constantinus ille Magnus in Tyrannum suas acturus acies, & erecturus labarum Crucis, elegit quinquaginta milites, vtique validos, qui suis quique viribus hoc labarum efferrent lethale hostibus impius. Melius suis emeritis militibus consulit Christus, non eligit, sed facit, vt sequaces sui sint infracti, infundendo gratiam congruam oneri imponendo; Huius veritatis est assertor Paulus, dum sic fatur: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.*

Constantinus Crucem ferendā dedit selectis viris. *1. Cor. 10.*

Ex Iure Ciuili. *Lege Annon. Cod. de Annonis Cuiac. in lib. 11. Cod. tit. 16.* Panis Cæsareus quibus olim datus.

Neque enim Deus minorem gerit curam suorum militum, quam fecerint Imperatores Theodosius, Arcadius, & Honorius, quorum meminit Codex Iustinianus, commemorans legem, qua sanxerunt, emeritos milites alendos de penu Cæsareo, hæc est lex. *Annonas publicas non tam titulis dignitatum, quam singulorum virium meritis attributas Diui Constantini liberalitate sanè claruit. Ideoque nihil ex his scholarum nomine vindicetur, sed pro vniuscuiusque merito, quæ sunt concessa seruentur.* Cuiacius hanc legem ait latam in gratiam scutatiorum, sagittariorum, & eorum, quos grauior armatura insignes fecerat esse Cæsaribus. Reuera laudandi Cæsares ob suam sollicitudinem de milite quotidiana alimonia sustentando. Sed ex Euangelio vide Christum adhuc magis anxium, dum monet, vt panem nostrum quotidianum diebus singulis cœlitus exoremus, quo anima saginata non succumbat armis, à Christo olim indutis, id est, Cruci, inopiæ, iniuriis, & demum ærumnis omnimodis.

Ex Symbolis. *Typotius l. symbol.*

Homini sic accincto gratiâ Dei, lubet affingere symbolum Ducis Veneti, de quo Typotius. Dux ille infractum suum testatutus animum, pinxit hominem, cui incumbebat globus cælestis hoc titulo. SVSTINET NON FATISCIT. Anima gratia Dei conspicua Cruces omnes SVSTINET NEC FATISCIT. Æternum enim erit hoc meum effatum.

CRVX PROBAT PROBOS; NON INVITOS, SED INVICTOS.

Argumenta, quæ suadent, Cruces vndeuis accidant, esse à Deo, procurante his Crucibus salutem nostram perquàm opportunè.

PVNCTVM X.

EX RE MEDICA. *Fernel. l. de Meth. Med. cap. 7.*

PEritiæ medicorum est peculiare institutum, non vti valido pharmaco ad proliciendum humores noxios, quando tenaces sunt, sed adhibere potiones mitiores, quæ glutinum illud diluant adhærescens præuiis his cautelis, vt postmodum omnis illa cacochymia cedat medicamini præpotenti. Hinc celebris distinctio pharmacorum, in minoratiua, & in vniuersalia, seu in cathartica per epicrasim, aut catholicè purgantium magno humorum profluuio. Eo ritu proposui curare incredulas hominum mentes, quibus altè & tenaciter insedit, Cruces esse maleficas, ac ideo nisu quàm maximo declinandas. In eo argumento hactenus multus fui, vt captarem animos infideles Cruci: præmisi, voluntatem Dei, quæ elucet in aduersis, debere inclinare nostras ad Crucis amplexus. Hæc argumenta tamen non feriunt sensus, vnde emergit tota mali labes: Dei arbitrium propositum, vt nobis aduersa sapiant, hominem non conuincit, qui consulit sensus, etsi aliqualem fidem faciat ille Dei nutus in Crucibus explicatus. De hac speculatione fusè antea, nunc edenda sunt argumenta, quæ vrgeant eos, quos voluntas diuina non demulsit. Hæc igitur esto ratio Achillæa deuinciens intellectum, & postmodum inclinans voluntatem ad subeunda aduersa, quæ occurrent. Tota vis argumenti in eo sita est; scilicet Crucem illam, quæ incumbit, adeò expedire homini afflicto, vt nihil aliud æquè salutare queat prouideri. Si hoc theorema fecero palam, habebo Crucis amasios, & detergam omne virus, quod deliri sensus Crucibus affixerunt.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. p. qu. 22. art. 2.*

Theologiæ negotium est istud. Asserit illa disciplina cœlitus edocta, Dei causalitatem porrigi ad omnia, quæ peruia sunt diuinæ scientiæ; Deus enim nihil extra se nouit physicum, & reale existens, cuius non sit ille causa; & cùm omne agens intendat aliquem finem, omnia edita diriguntur ad aliquem scopum; & quò nobilius est agens, eò etiam magis eminet eius finis: ergo omnia à Deo effecta, in nobilissimum omnium finem diriguntur, scilicet Deum ipsum. Quibus autem mediis omnia consequantur finem suum, id arbitrij est causæ, quæ veluti parens grauida enixa est agentia. Nam quædam ordinantur ad bonum vniuersum, vt elementa; & hæc collaborant illi fini, statas sibi vices obeundo, quibus enarrant gloriam Dei. Huiusmodi agentia nescia rationis, mediis necessariis deducuntur ad finem suum, scilicet ad perfectionem orbis, qua liquet eminentia conditoris, meditanda in rerum omnium congerie ritè ordinata. Alia sunt agentia non solùm edita ad prodendam gloriam Dei, sed & vt etiam illam participent, eam demerendo consono sibi obsequio, scilicet libero & voluntario. In his sunt Angeli, & homines præditi facultate, qua potuerunt ab ortu suo in Deum sese effundere, aut ab eo auerti. Vtrisque Deus medium idoneum prouiderat, quo pergerent ad gloriam; scilicet gratiam, qua cautè vsus Angelus, incommutabili bono scilicet Deo iugiter adhærescit. At homo incautè deuians à gratia, præstitit se ingratum, auscultans diabolo illudenti de arbore, qui specioso & sapido fructu hominem pelliciens, ea dulcedine adeò dementauit, vt tota ferè insana prosapia eius postea crediderit, dulcia quæque & sensibus congrua beare homines in hoc æuo, quod eamobrem satagit agere in deliciis atque illecebris sensuum, inhians voluptati, vt suo summo bono.

Causalitas Dei vsquequo se extendat.

EX RE MEDICA. *Galen. l. 6. Simplic. Dioscor. l. 4. c. 171.*

Deus miseratus hominum vesaniam, prouidum medicum egit, qui aduertens ægrum laborare nimia cruditate, quam ingessit eius intempestiui fructus, decreuit cataporia ex aliis pomis, quę colocynthides vocant; his inest quidem amaror, sed salubris ad noxios humores egerendos; virtusque colocynthidis salubrior efficitur, adiectâ myrrhâ, ex Dioscoride. In hunc prope modum Deus homini extitit medicus opportunus: vbi enim hominem suæ salutis incurium libido edendi pomum vetitum superauit, abiit in cachexiam, seu habitum prauum animæ & corporis: & quemadmodum dissoluta temperie integræ sospitatis, æger plerumque anhelat ad iniqua edulia; ita infirma Adami soboles, virulenti pomi contagio sauciata, appetiit lethalia omnia, & prorsus inimica saluti æternæ, vt sunt deliciæ, & omnigenæ voluptates. Deus lethifero pomo opposuit salutare pomum colocynthidis, amarum quidem, sed quàm maximè idoneum ad expurgandas illas prauas pomi prohibiti reliquias, scilicet desiderium voluptatum, & insitum appetitum ad omnia carnalia. Illa poma colocynthidis insipida sensibus, sunt fructus Crucis, scilicet, iniuriæ, nuditas, flagellà, vepres, & interitus carnis, siue id omne quod carnem exasperat. Et esto pharmaca hæc ingrata sint sensui; his tamen tantùm potest fieri redux sanitas animæ temerata; vt liquet experimento Christi, qui etsi iustissimus, peccatorem induens & referens, luiturus pœnas illicitæ voluptatis, qua deliquit Adam, subiit Crucem, deglutiens multas colocynthides.

Amaror est quandoque salutaris.

Sed nota ex Dioscoride, adiiciendam myrrham colocynthidi, ne noceat ventriculo, iecori, & inferiori regioni, proliciendo etiam sanguinem sua acrimonia. Myrrha in moralibus voluntariam mortificationem notat, & hæc est admouenda Cruci, quam Deus decreuit vnicuique nostrûm; aliàs enim afflictio ingruens læderet non inferiorem regionem tantùm hominis, sed & superiori etiam fieret noxia: id est, cùm homo inuitus in aduersa aliqua incurreret, vt inopiam, morbos, infamiam, amara illa non nocerent tantùm appetitui sensitiuo, sed & etiam rationali, anima Deum reputante iniquum sibi, atque adeò debacchante, & despumante blasphemias.

Myrrha quid mortaliter significet.

EX PHILOSOPHIA. *Arist. lib 6. Ethic. cap. 6.*

Ne ergo decumbens anima fiat pharmaco iniuria, sed myrrham suam prodat qua attemperet poma colocynthidis, debeo depromere rationes quæ inflectere queant ad consensum voluntatem à Crucibus abhorrentem. Hæc probatio erit Philosophici instituti, sic arguentis: Prouidentia est ratio in intellectu præexistens, rerum ordinandarum ad suos fines includens prudentiam, cuius est eligere media magis idonea consequendo fini: hæc autem prudentia includit notitiam rerumque peritiam, cùm earum quas eligit, tùm earum quibus aptat res electas. Ergo quo maior erit notitia, & peritia rerum,

Prouidentia quid sit.

rerum, maior erit prudentia eius qui prouidet, atque adeò media aptiora ad assequendum finem. Cùm igitur Deus omnium entium calleat indolem, & vltra omnium hominum & Angelorum indaginem; media illa, quæ decreuit ad salutem nostram, maximè conueniunt ad adipiscendum illum finem gloriæ æternæ; qui cùm sit supra naturæ vires, non est consulenda caro de mediis illis, an congrua sint, aut dissona. Rursus si media illa maximè conueniant homini, eis etiam affingi potest exquisita bonitas; nam ratio boni est penes conuenientiam, quicquid enim alicui conuenit, illud vendicat sibi rationem boni: atque ita illa media, quæ hominibus conducunt ad salutem, bona sunt, & sibi deuinciunt voluntatis obsequium. Ergo Cruces sunt amandæ, & colendæ vtpote à Deo prouisæ ad salutem nostram, quæ nutaret, si Deus ærumnis, morbis, inopia, aliisque aduersis non occurreret homini sese effundenti in illecebras sensuum, qui sunt animæ reprobæ pessimi consultores.

Animalia bruta sibi ipsis medentur.

Ex re Medica. *Andr. Mathiol. in Præf. in l. Dioscor. hæc & alia innumera exempla affert.*

Instabis, cuique rei esse insitam propensionem ad media congrua, vt videre est in rebus inanimis, vt in igne exurgente, & in lapide vergente deorsum: item constat, bruta non latere media, quibus aduersus noxia se tuentur, aliàs esset quasi inutilis ille apparatus rerum salutarium, quas Deus edidit in commune bonum hominum, & brutorum. Eamobrem cum nihil à Deo temerè, & citra finem aliquem conditum sit, indidit etiam notitiam sensitiuam animantibus eorum pharmacorum, quæ conducunt ad reducem sospitatem. Verbi gratiâ, canis æger mandit herbam, cui nomen est dens caninus. Mustella initura certamen cum serpente, comedit rutam, quæ est præsens remedium contra virus. Ceruus ictus lethali ferro recurrit ad dictamnum. Hirundo admota chelydonia curat suos pullos excæcatos. Ergo cùm homo non sit deterioris conditionis, quasi editus infra bruta, callebit etiam media idonea ad finem ei præstitutum, & appetitu naturali feretur in ea, velut in bonum vtile ad perfectionem suam assequendam. Sed homo naturali quodam horrore concutitur ad memoriam Crucis seu aduersorum: & tantùm abest vt appetat hæc ingrata sensibus, quinimò ea qua fas est sagacitate fugit. Non igitur Cruces censendæ sunt media idonea ad salutem hominum, alioquin natura defecisset in necessariis, expungendo in homine appetitum ad res adeò salutares vt sunt Cruces.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 82. art. 1.* Homo potest bifariã considerari.

Optima sanè instantia, patrocinium agens sensuum. Theologia sic diluit allegata. Homo velut Ianus & quasi biceps, duplicis est aspectus, ita vt considerari queat bifariam, iuxta duos status suos, scilicet naturæ integræ, & corruptæ. In statu naturæ integræ, nihil vtilium homini erat inuium illi, sed omnia prostabant ei vt subdita, ita & agnita. Quippe ex codice sacro: *Omne quod vocauit Adam, est nomen eius.* Voluntas in Deum benè affecta agebat imperium in alias inferas potentias, appetitu sensitiuo minimè reluctante, & hoc in præmium obsequij, quod voluntas non inuita Deo suo & Domino rependebat.

Ex Iure Canonico.

Homine sic stante non fuit operæ pretium Cruces illi obiicere, vt media ad salutem; qui enim non peccarat, non egebat pœnitentia, & pœnis, quæ infliguntur tantùm reis, nam pœnitere ex Iure Canonico dicit planctum ob crimina perpetrata. Sic explicat Canon. *Pœnitentia est, & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Homo itaque sospes & integer non studuit indagini Crucis, quia tunc non erat imponenda vt medium; siquidem ad quid ea secunda post naufragium tabula ei, qui non naufragus extiterat? Vbi autem homo defecit ab hoc statu, magna incurrit dispendia, vtrobique læsus, videlicet in intellectu, quem error opacauit, & in voluntate, quam motus iniqui appetitus sensitiui deorsum inflexerunt. Ægra hæc natura ab Adamo parente decumbente transiit in posteros, hac tabe postea marcescentes, factumque est vt infirmis principibus potentiis animæ, videlicet intellectu, atque voluntate, erraret homo cæcutiens, & ignorans genuinam rerum indolem, ac proinde refugeret bonum incognitum. Et vt abyssus abyssum inuocat, omnia in homine præpostera effecta sunt, quia appetitus sensitiuus rationi illusit, & ea hallucinans voluntati proposuit illecebras carnis vt bona congrua, Cruces verò sicuti mala, quæ dissoluunt debitam temperiem; & sic appetitus sensitiuus, qui minister est tantùm, vt suggerens rationi species deforis acceptas, præuenit decreta rationis, eius iudicium anteuertens: ac proinde Cruces quia ingratæ erant sensibus, rationi caliganti visæ sunt incongruæ, quibus suum voluntas penderet obsequium, & hinc hominum auersio in ea omnia sensibus iniuria, vt sunt Cruces, etsi Deo decernente saluti nostræ conueniant, & aliunde nequeant homines euehi ad superos.

Canon. pœnitentia. de pœnitentia. Dist. 3.

Crux non decreta fuit homini antè peccatum.

His suppositis, non facessit negotium recens instantia, inferre volens, Cruces non esse media idonea ad salutem, quia naturaliter odit homo Cruces, quas amaret si quid ritè inesset homini conueniens in Crucibus, natura suggerente etiam brutis appetitum ad omnia quæ congruunt. Sic diluitur obiectio: Odium Crucis arguit corruptelam naturæ, quæ obducta caligine peccati, vt est indiga rerum, ita & nescia est mediorum, quæ faciunt ad habendum finem; & vt in Philosophia dato vno absurdo sequuntur multa absurda, ita in moralibus, homo factus est crebris iacturis obnoxius, vno crimine perpetrato. In dispendiis istud est præcipuè recensendum, vt oderit amanda, & amet odio prosequenda, fugiendo Cruces, & illecebris sensuum inhiando. Ne autem Deus quid hiulcum in homine videretur effecisse, ea mulcta totam Adami propaginem condemnando, vt homines vsquequaque essent incurij Crucibus, & ærumnis, quæ plerumque procurant dubiam hominum salutem; Deus lumen accendit in anima, cuius suffragio potest deprehendere quæ conducunt ad vitam æternam, sicut & ea, quæ cunctantem præpediunt & morantur. Lumen illud est ratio, quæ etsi tantùm scintillet in reprobis, si proposita velit attendere argumenta, luminis incrementum tale accipiet, quale oportet ad rimandum naturam boni, & mali, & inuestiganda commoda Crucis, & incommoda voluptatis: ac proinde homo satis superque eruditus, ratione suas prætendente faces, dato repudio voluptati, Crucibus obsequetur.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 82. art. 1.*

Crucis horror vnde proueniat.

Hoc igitur esto argumentum, suadens Crucis obsequium, & illustrans intellectum: Bonum totius est præferendum bono vnius tantùm partis, sed

Ex Philosophia.

Aristot. lib. 6. Ethic. c. 5. Bonum totius præstat bono partis. *Eustratius in lib. 6. Ethic. cap. 12.*

sed in Crucis amplexu, & tolerantia passionum situm est remedium totius hominis, cuius tantùm appetitus sensitiuus grauatur in Cruce, & hanc respuit vt dissonam: ergo sicut homo totus præstat appetitui sensitiuo; ita & Cruces procurantes bonum totius, debent præire voluptati, quæ est volita à sensibus. Rursus totam hominum indaginem non posse reperire media æque consona, vt sunt singulæ quæque Cruces singulis hominibus à Deo præparatæ, hæc ratio credere sollicitat. Prouidentia non duntaxat attendit ad præsentia momenta quæ decurrunt, sed & etiam ad futura quæ recurrent; & quò magis prouidentia est præscia futuri, eò etiam media aptiora parat, quibus fiat res sarta tecta. Idcirco prouidentia senum præstat ei, qua iuuenes inuestigant media idonea intento suo: etenim multo rerum vsu, senes mente præsaga præsentiunt quid imminens æuum vehet. Ergo Deo soli competit media disponere congrua singulis, quia tota æternitas ei se præsentem explicat, atque adeò securè potest decernere media, quæ indubiè occurrent instantibus malis, homini nequaquam præcognitis. Et cùm homo sit pars vniuersi, Deus prouidendo parti, meminit etiam vniuersi, cuius & procurat bonum, singularium commoda procurando. Et licet media à Deo electa ad tempus videantur anomala, & propè inepta ad bonum, & totius, & partium, tamen reseratis veluti claustris futuri temporis, adoratur Dei cura ab eisdem, qui Deum sibi maleficum impiè quærebantur.

Prouidentia Dei media congrua decernit.

Nonne petulans vxor patientissimi hominum Iob insultabat ei, eum de blasphemia sollicitans ob iacturam bonorum suorum, quam vesana mulier crediderat Deo iniquo euenisse? Postea tamen comet Domino ingratas alternante vices, maiore affluxu omnium facultatum subeunte inopiam, habuit mulier vecors vnde resipisceret, quando vidit ruinas coniugis sui fuisse fundamina gloriosæ sortis, & facturæ tantam inuidiam quantùm miserandi antea fecerat argumentum. Deus gloriam Iob astruendo, voluit & erudire posteros, quos præsciit credituros aduersa esse præludia damnationis æternæ, & nullas accidere homini molestias, quas præuia aliqua crimina non fecissent, atque adeò solos reprobos, vt vilia mancipia vapulare. Sic delirabant ipsi etiam amici Iob, in quibus Eliu arguebat, Iob esse flagitiosissimum omnium hominum, quia duriusculè eum exceperat Deus. Audi delirum hominem debacchantem in Iob. *Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis. Pater mi, probetur Iob vsque ad finem, ne desinas ab homine iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam: inter nos interim constringatur, & tunc ad iudicium prouocet sermonibus suis Deum.* Hanc insipientiam Deus inibi damnauit, sic carpens Elipham Themanitem: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum sicut seruus meus Iob.* Et vt probaret Deus sanctitatem Iob, ait censoribus illis: *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis; faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Vides necessarios Iob ab errore suo repurgatos, & cum eis posteram ætatem, si quæ foret obnoxia illi sententiæ. Quantùm vero fuerit proficua calamitas illa viro sancto explicat idem textus. *Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius.*

Iob 1. Amicorum Iob pessima fuit argumentatio.

Iob. 34.

Iob. 42.

Ibidem.

Ibidem.

Non inficior, Iob citra durum illud examen potuisse decurrere æuum suum sanctè vt antea, & iisdem moribus illibatis. Equidem sic se res habet; sed sibi soli Iob ita prouidus extitisset, & non orbi toti, quem Deus ad patientiam voluit erudire exemplo tanti viri. Rursus quando homo satis esset sibi ad scrutinium mediorum, quæ conducunt ad salutem eius; non tamen sibi sufficeret ad agendas vices partis eius quam gerit, vt pars orbis vniuersi; eius enim oculorum acies nequit attingere ea omnia, quorum homo pars est, & quibus cauet Deus aliquali dispendio temporali vnius hominis, vt aliorum hominum bono æterno optimè consulatur.

Ex Historia. *Acta Martyrij S. Clementis. Item Surius in vita S. Clementis die 23 Nouemb.* S. Clementis afflictiones fuere salutares multis.

Prædiues historiæ penu facit palam illud Dei intentum. Sit exemplo celebris ille Romanus Clemens Antistes Ecclesiæ, & alumnus Petri Apostoli. Is omnigena virtute conspicuus, ad apicem Pontificatus euectus est. Ex eminenti solio velut ex edito candelabro illuxit enascenti Ecclesiæ. Deus prouisurus genti positæ trans mare Ponticum versus Chersonesum non fregit iram Traiani rerum potientis, qui sæuiens in fideles, Clementem in extimas illas orbis oras voluit exulare. Præstò fuit Clemens variè tentatus, & superstes multis agonibus: deportatur in loca inuia, & inaquosa. Quis non argueret incuriæ prouidentiam Dei, relinquentis Romanam Ecclesiam veluti viduam, Clemente suo Pontifice deportato in Eremum? Tamen hinc maximè enituit illa Dei cura, disponens omnia suauiter: Clemens enim illic repent duo millia fidelium eadem Imperatoris censura damnatorum ad fodinas, quorum constantiam, ne nutaret, Deus Summi Pontificis præsentia & exemplo confirmauit. Item occurrit ille aquæ penuriæ quæ summa erat illic, aperiendo suis precibus fontem, qui copiosè scaturiens non sedauit modò sitim fidelium, sed & excitauit desiderium Gentium Ethnicarum, vt se aliis sanctioribus aquis baptismi alluerent. Nimirum ad exortum fontis inaspecti, cum concurrerent Gentes, & stuperent vim cælitus insitam fidei Christianæ, ad cuius arbitrium admiranda prostant; Clemens inde sumens argumentum annuntiandi Christum, profluuium aquæ vsualis vertit in latices aquæ animam aspergentis: quippe eo miraculo adsciuit in causas Ecclesiæ numerosum populum infidelem.

Hæc enarratio non modicum lumen affundit abditis prouidentiæ Dei recessibus; & vt inde fiamus cautiores, expendamus ordinem, quo consuluit Deus & saluti fidelium illorum exulum, & conuersioni Ethnicorum. Forsan plerique fidelium illius ordinis fuissent impares ignibus, & Crucibus, quibus variè tentabatur recens Ecclesia; eamobrem Deus subdidit eos examini mitioris martyrij, scilicet exilij, & ne deesset occasio pœnæ corporeæ, breues aquas illic scaturire voluit, & impotes plenè leuare sitim, vt iugis æstus adiiceret nouos cumulos meritorum, ad gloriam exilij, quod æquo animo subierant. Longam suorum athletarum patientiam Deus recreare volens, Clementem eò mandat, qui miseratus agones olympionicarum Christi, se accinxit ad proliciendas aquas solo fidei suffragio; & ne vallium ima depressio faceret suspicionem abditæ

&

& stagnantis aquæ, homines Christianos promiscuè & Gentiles, vtrosque arentes siti duxit in verticem montis, quem oratione præuia liquauit eo affluxu aquarum salubrium, vt inde recrearint corpora sua Christiani, Gentiles verò & corpus & animam eo prodigio congruè sospitarint. An fortuitò putas eò deuenisse Clementem, & casu aruisse siti incolas huius plagæ? Minimè verò; omnia hæc Deo moderante sunt sortita salutem Gentis alioquin alienæ à Christo: nonne ergo adorandæ Cruces, quæ instar arcæ locupletis recondunt gazas gratiæ Dei, atque meritorum? Ita planè excolendæ Cruces sagaciùs quàm thesaurus, & ingens ærarium, quia illæ parant opes inuias furibus, & fisco.

Roblez in vita Cardinal. Ximenis.

In conclusionis huius tesseram est, ærumna illa, quam passus est Ximenez, fortuna eius adhuc impubere. Is genio eius incognito, truditur in carcerem à Præsule Toletano, qui cum addixit turri fortissimæ. Ximenez inclusus, turrim illam oculis vsquequaque lustrat si quæ spes euadendi: sed incassum illa sagacitas; quippe deprehendit nec foras posse erumpere, nec deforis posse quempiam irrumpere in turrim: mœrentem solatus est sacerdos quidam eadem naue vectus; vtpote concaptiuus, & ait: Macte, ô Ximenez, quidam olim æquanimiter ferens hunc carcerem, vt primum vsus est postea liberiore cælo, factus est Antistes Toletanus, & possessor eiusdem turris, cuius carcere fuerat antea mulctatus, forsan te sors eadem manet. Non fuit vana præsumptio; nam Ximenez redditus sibi, præfuit Ecclesiæ Toletanæ, & animo versans quàm valida turris esset, cuius etsi inuitus fuerat inquilinus, eam in alios aptauit vsus; videlicet eò suas omnes transtulit opes, & munera fortunæ pubescentis, vt inde sibi & amicis consuleret, factaque est turris ærarium, quæ antea carcer erat obsoletus. Ita propè agitur cum afflictis omnibus: eos molestiæ veluti carceres eripiunt vulgo, & damnant ad recessum, & repudium noxiæ libertatis; si querula mens nauseat ad ærumnas, Angelus comes indiuiduus suggerit, multos ærumnis sæculi huius ereptos, fuisse adscriptos cœlestibus, & didicisse, Cruces, seu quæuis aduersa, gazas esse, quibus consulitur inopiæ plurimorum; vt videre est in enarratione martyrij Clementis, & fidelium, quos antea recensui: eorum enim pœnis consultum est illis atque aliis Gentibus, quæ Christo dedere manus, cùm ob patientiam martyrum, tùm ob miraculum aquæ, cuius scaturigo diluit sordes contractas cultibus idolorum.

Ximenis carcer quàm gloriosus.

Cauteria ad quid instituta.

EX RE MEDICA.

Fernelius lib. 6. de Methodo medendi.

Præfata consideratio hominis, vt est pars totius, cum faciens obnoxium Crucibus, vt & alij inde proficiant, habet valida in re medica fundamina. Nempe vt totum corpus humore noxio repurgetur incunctanter, & iugi repurgio, inuruntur pedes & brachia pyroticis, & licet caustica omnia ingrata sint, & mente refuga membra exhorreant ad sensum ferri incandentis; tamen illo remedio curantur & partes afflictæ, & fit vegetior tota compago corporis. Item & os alluitur amaro sapore absynthij, vt inde nausea detergatur, Dioscoride auctore, qui idcirco absynthij encomiasten agit, asserens gramen illud erigere languidum appetitum, multaque alia ingerere commoda quæ recenset.

Dioscorides lib. 3. cap. 23.

EX SS. PATRIBVS.

In eam eunt sententiam Sancti Patres, dum aduersa discutiunt, & explicant vim ærumnarum, illis eadem prorsus affingunt moralia elogia, quæ Dioscorides absynthio in Physicis. In his primus occurrit S. Marcus Eremita, notus ex Bibliotheca Patrum. Sic ille: *Quemadmodum iis, qui crudo & indigesto sunt stomacho, amarum prodest absynthium; sic malè moratis mala tolerare vtile est. Illos enim ad bonam valetudinem consequendam; hos verò ad resipiscentiam amplectendam subeunt pharmaca.* Consonat Hesychius. *Quemadmodum amarum absynthium iuuat eos, qui cibum fastidiunt; ita malè moratis hominibus vtile est vt patiantur aduersa.* Dicerés eodem ore edita hæc duo oracula, tam benè conueniunt.

S. Marcus Eremita lib. de lege spirituali.

Hesychius Centuria 1. numer. 55.

Amaror crucis quid conferat animæ.

Paracelsus, & sequaces eius Medici non infimæ notæ, nouum dogma in rem medicam inuexerunt, contrarium prati Hippocratis, & Galeni, quibus in more positum est contrariis curare contraria, iuxta illud.

Frigida pugnabunt calidis, & humentia siccis.

EX RE MEDICA.

At Paracelsi principium est, corrigere similia similibus, cui inuitus etiam Galenus suum calculum adiecit, immemor sui. Etenim asserens, ea simplicia, quibus amaror insitus est, egerere bilem, vt videre est in agarico, rheo electo, colocynthide, quæ & calida sunt sicut bilis; nonne Paracelso præiuit in ea sententia, quam explodit vt insanam alia medicorum schola, dicens se iurare in verba Hippocratis, & Galeni?

EX SS. PATRIBVS.

Suum quemque maneat arbitrium de dubio dogmate in re corporea; sed Theologia in re spirituali Paracelso assentitur in hoc vt opponat similia similibus; videlicet, delicias innoxias animæ, illecebris obscœnis impuræ carnis, & amarorem Crucis, felli virulento peccatorum, quorum acerbitas diluitur ingrato pharmaco ærumnarum. Aduocandi Patres Sancti, proceres Medicinæ sacræ. Beatus Thomas à Villa noua sic sua sensa prodit: *Nihil sic omnia hominis vitia, & vana desideria, noxias cupiditates, & flagrantes carnis concupiscentias extinguit, & mortificat, sicut tribulationis acrimonia, quæ veluti absynthij poculo, omnes animæ vermes intus viscera eius corrodentes, sua amaritudine inficit, & interficit.* Inesse amaritudinem peccato clamat Ieremias, increpans animam reprobam. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te.* Etiam Vate silente sonat ille amaror angens conscientiam malè sibi consciam, quæ carthartico potiore nequit egerere bilem hanc importunã quàm pœnis vltro assumptis in mulctam gratiæ Dei temeratæ & expunctæ. Sic consulit Idiota: *Scito quòd sicut in medicamentis illa communiter sunt vtiliora, quæ amariora sunt; sic mundi attritio, correptio, & tribulatio, quantùs sensualitati, & carni sit medicina amara, samẽ animæ, & spiritui est vtilis, & proficua, medicinalis, & fructuosa.*

Tribulationis vtilitas.

B. Thomas à Villa noua serm. de S. Quirite.

Ierem. 2.

Idiota lib. 2. de Patientia.

Æqua lance Augustinus pensans hæc commoda, ait: *Quis nõ bibat tribulationis temporalis poculum metuens Deum, & ignem Gehennæ?* Optima sanè gehennæ commemoratio vbi recensetur poculum importunum: nam sicut amara potio, repurgium est bilis effusæ, quæ subeundo venas febrilla spargit incendia, quibus æstuat & incandescit totũ corpus ægri; ita & peccandi libido accensa, nisi restinguatur indictâ

S. August. in Psal. 68.

ei aliquâ pœnâ, corpus & animam faciet pabulum ignis inferi, qui impia capita depascetur. Eò spectauit rerum omnium peritia illustris Clemens Alexandrinus, cùm sic ait: *Multæ animi affectiones curantur supplicio, & præceptorum acerbiorum iussu, atque etiam per doctrinam nonnullarum speculationum. Est autem reprehensio veluti quædam Chirurgia affectionum animæ. Abscessus autem veritatis affectiones, quas sectione diuidentem oportet coarguere. Medicamentorum autem potioni aut applicationi est similis probi insimulatio, quæ resoluit affectiones, quæ iam occalluerunt; impudicaque & libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusque ac superbiæ carnes, quæ excreuerunt, exæquat, sanum ac verum hominem reparans ac restituens. Iam verò admonitio est veluti quædam diæta ægrotantis animæ; quæ sunt sumenda consulit, & quæ non sunt prohibet. Hæc autem omnia tendunt ad salutem, & sanitatem æternam.*

S. Clemens Alexandrinus li. 1. Padag. cap. 8.

Tribulatio est medicamentum.

Hæc Clemens, appositè ad præfata de Cruce & pharmacis: nec temerè Sanctus ille sigillatim expendit vim medicam ærumnarum; est enim animæ maximè salutaris, vt & obseruat alter Sanctus, scilicet Laurentius Iustinianus, vrbis inclytæ Venetiarum decus insigne. Sic fatur ille Sanctus: *Tribulatio conseruat: Electum enim suum tunc magis Diuina gratia erudiendo custodit, cùm quasi percutiendo deserit, & quò durius flagellat ex dispensatione, eò amplius ex pietate conseruat! (si tamen ea sponte suscipiat.) Altissimus enim ipsam contulit pro medicina, & vir sapiens non abhorret eam, quia cessare facit peccata multa. Et quis nesciat, quòd melius est affligi dolore tribulationum, quam ardore vitiorum? Et tamen cùm corripimur à Domino, donum ipsius considerare negligimus, & de tribulatione murmuramus. Hoc est signum diuini amoris.* Hactenus ille Sanctus. Tertullianus inuestigans commoda aduersorum, quæ nos premunt, non æquo animo tantùm vult ea suscipi, sed adiicit, esse eamobrem gratias Deo vt benefico rependendas. *Quin insuper gratulari, & gaudere nos decet dignatione diuina castigationis.*

S. Laurent. Iustinianus l. de patientia cap. 3.

Tertullian. l. de Patientia cap. 11.

Ex Remedica.

Fernelius in præfatione Physiologia.

Ex prælibatis sic arguo: Eò magis medicamina salutaria sunt, quò à doctiore medico propinantur. Peritia autem medici attenditur in diagnosi, quæ sita est in notitia partis malè affectæ, & in indagine morbi, vt natura eius aperta queat extirpare mali perniciem. Rursus ad medicum spectat prognosis, id est, futurorum euentuum quædam præscia cognitio, vt verbi gratiâ crisi instante non pascat, aut repurget ægrum, vel vt vomitum proliciat in die critico si viderit eò vergere naturam vtroque madente labro, & ebulliente stomacho. Sed Deus maximè callet diagnosim, & prognosim; quippe nihil eum latet eorum morborum, quibus anima imbellis iacet, & decumbit. Multa imbecilla Deo patent, quæ ipsis ægris inuia sunt. Item præscius futurorum solus potest venturo postmodum æuo prouidere. Ergo securè debent accipi potiones Deo diluente propinatæ.

Andreas Laurentius l. de Crisibus.

Vnum est quod sanctiores etiam animas angit, videlicet, esse importunum quoddam Crucis genus, immane facessens negotium, & validè arietans in constantissima quæque corda, quibus & vim facit vt plurimum. Dixi hoc genus Crucis importunum, quia reuera sollicitat ad mœroré, & aliàs ad vindictam. Cùm scilicet liuidi homines, perciti œstro inuidiæ debacchantur in innoxios vitiis ementitis, quæ affingunt, vt mores illibatos aspergant liuore suo: tunc enim insurgunt motus, non esse à Deo Cruces illas, quæ odij virulenta aspergine conspurcantur. Fitque altior impressio quando ab ingratis, quos aliàs deuinximus, impetimur: in hos beneficij immemores, querulas eructare voces in more est positum, ipsis etiam Sanctis, & quandoque citra patientiæ dispendium, vt videre est in Christo, qui sine iactura constantiæ, sic Iudam compellauit: *Amice, ad quid venisti?* seu vt præsciebat Psaltes, de discipulo refuga, quem cibauerat epulo corporis sui, amantissimus ille parens & præceptor sic querelam texuit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

Crucis quædam quare infuaues sint.

Matth. 26.

Psal. 54.

Esto hic sensus sit sine noxa; si tamen animum ab homine distrahat inimico, & ingerat odium Crucis, euacuatur omnis virtus Crucis. Itaque acuenda est omnis animæ virtus ne succumbat incumbenti illi Cruci, & ne auscultet Dæmoni talia suggerenti: Quid tandiu fers hominem hunc iniquum, quem patientia tua magis exasperat; vim vi repellere licet, retundenda est illa petulantia, ne hostis tui nequitia obducat callum, & postmodum curari nequeat. Potes consulendo famæ tuæ, cui fit iniurius, coërcere sæuientem, & impedire ne peccet. Est traducendus æmulus tuus, suisque depingendus genuinis coloribus, ne credatur amplius insultanti. Prouidebis & aliorum famæ, quam rodere poterit sicut & tuam, si eum dixeris impostorem. Hæc tua patientia est intempestiua, quæ & hostem tuum lædit, quia non corripit, & te pellicit ad ruinam. Igitur sunt hæ diluendæ calumniæ, & homo liuidus deferendus eò vnde queat fieri censuræ obnoxius. Ista omnis disceptatio hominis læsi, non pensantis, iniurias & alia detrimenta illata ab hostibus esse Deo moderante, multos perdidit vt incautos, & nimiùm hominem attendentes, quasi posset hostis inscio Deo debacchari, & sæuire.

Occurrendum est his querulis congrua & efficaci ratione, quæ suadere possit, tragœdias illas, quas aduersarij nostri excitant in perniciem nostram, à Deo dirigi in salutem nostram. Sic ex Philosophia probo intentum: Causæ inferæ quantumuis deficiant in prodendo effectu suo; non tamen impedire queunt effectum & intentum primæ causæ. Verbi gratiâ, causa singularis aliquid corrumpens, non deuiat ab intento primæ causæ, quæ in corruptione vnius intendit generationem alterius, & in ea vicissitudine rerum procurat bonum vniuersi, situm in natura suas alternante vices, dum occasum alicuius formæ subit exortus alterius. Eo planè ritu agit Deus in moralibus; nam cùm nefarij homines intendunt occasum nostrum, aut famæ iacturam, vel opum dispendium, Deus eorum iniurias aptat in vsus nostros, ac proinde reprobi credentes incumbere corruptioni nostræ, si æquo animo rixas illas excipimus, nostræ etiam inuiti cõsulunt æquitati. Verbi gratiâ, audit quispiã se conuitiis peti ab homine nequam: is memor se peccasse olim, ait mitius secũ agi quàm exigat philo-

Ex Philosophia.

Aristoteles lib. de causis prop. 1.

Causæ inferiores impedire nequeũt intentum causæ primæ.

Iniuriæ qua ratione queant sustineri patienter.

prisca ætas acta iniquè; agnoscit in homine Deum vindicem, & adorat manum flagello armatam; is reuera acerbitatem inimici sui fœnus suum facit. Etenim nullum tempus est aptius ad opimos gratiæ manipulos colligendos, quàm proteruia hominum iniquorum, è quorum nequitia Deus piorum explicat æquitatem, aliaque eruit bona, quæ se produnt tempore à Deo præstituto.

Ex Figvris.

Rem hanc totam aperit historia Patriarchæ Ioseph, qui visus fratribus suis maleficis, vtpote à quibus vænijt, & deportatus in Ægyptum trusus est in carcerem, vbi biennium egit tandem erutus hinc & ornatus regiis infulis, vt Pro-Rex, fratres suos pœnitentes & pedibus suis aduolutos solatus est eo argumento, quòd Deo omnia moderante, hostium nostrorum acerbitas cedat in gratiæ incrementum; sic enim ait: *Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus; pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum: biennium est enim quod cœpit esse fames in terra, & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti, præmisitque me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Vide quam benè ominatus sit Ioseph de ærumnis suis, quas non refudit in odium fraternum, sed in prouidentiam Dei, quæ bonum solita est educere de malo. Iidem fratricidæ, mortuo patre suo Iacob, metuentes ne Ioseph memor adhuc esset iniuriæ, rursus eum conuenere, miserationem eius deprecantes. Ille eodem quo antea spiritu lenitatis actus, eadem prope repetiit: *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos.*

Genes. 45.

Iosephi Patriarchæ industria vt ferret patienter iniurias.

Genes. 50.

Vt hæc liquidò sit veritas de venditione Ioseph volita à Deo, duo sunt attendenda. Primum est odium seu iniquitas, actionem illam lethalem & reprobam denominans. Deus hinc abfuit vtpote alienus à peccato. Alterum meditandum, est ipsa venditio, & hæc à Deo volita est, vt & à fratribus Ioseph. Sed à Deo directa ad gloriam Ioseph & salutem plurium; ab aliis autem procurata ad iniuriam. Hoc probè callens Sanctus ille, missam fecit iniquitatem suorum fratrum, & Deo se deuinctum confessus est, qui dispendia cogitata vertit in commodi.

Iosephi Patriarchæ charitas magna.

Ex SS. Patribvs. S. Ambr. lib. de Ioseph Patriarcha, c. 11.

Hoc demiratur Ambrosius expendens hoc facinus egregium. *Quam pia fraternitas, quàm dulcis germanitas, vt etiam parricidale excusetur commissum, dicens Diuinæ illud prouidentiæ fuisse, non impietatis humanæ: quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed à Domino missus sit ad vitam; hæc enim merces, & vita Sanctorum, quod etiam alios redemerunt.* Esto Ambrosius fraternitati videatur tribuere huius Sancti iniuriam æquanimiter acceptam; ego rem credo altioris ingenij, vtpote operosam; Dei negotium arbitror totam historiam, & præsertim virtutem emeritam hominis afflicti, cuius & vsurpare possumus voces, quando dæmon suggesserit iniurias, & iacturas, quas inferre voluerunt olim homines nobis parum æqui; huic itaquam Angelo technarum artifici, obiiciendæ voces istæ si mussitet, aut quidpiam dissonum insusurret: Non eorum consilio, sed Dei voluntate totum gestum est istud, cogitauerunt de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Quare ergo rependam malum eis, quos mihi Deus aptauit ad gloriam, & quorum iniquitate vt pretio congruo voluit idem Dominus me gratiam demereri, sicut & eamdem mercatus est Dauid eodem patientiæ numismate? Huic Regi cùm Semei acerbiùs insultaret, euomendo probra, cogitauit Princeps ille mansuetus, esse penes nos coërcere virus contumeliarum, & eas nobis facere beneficas, in eis meditando voluntatem Dei, virtutem nostram ad trutinam patientiæ reuocantis. Audiendus est Dauid ex Codice sacro, prohibens compesci Semei proteruiam: *Dimitte eum vt maledicat iuxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.*

Ex Figvris. 2. Reg. 16.

Ex SS. Patribvs. S. Ambr. in 1. Apolog. Dauid c. 6. Afflictiones sunt tempora opportuna saluti.

Multa habeo obseruanda in hoc textu, sed cedo Ambrosio, qui è ditiore penu rei gestæ seriem exornabit. Sic ille. *Quàm moraliter Dauid docuit, quod iniuriarum, vel periculorum nostrorum tempora, tentationum certamina, & examina probationum sint, & ideo non sine diuino ea irrogari solere iudicio. Exercetur bonus athleta conuiciis; exercetur laboribus; & periculis, vt dignus sit, cui deferatur corona iustitiæ, & ideo ferenda patienter sunt, quæ putantur aduersa. Denique & alibi te docet Scriptura diuina dicente iusto: si bona accepimus de manu Domini; quæ mala sunt cur non sustineamus?* Hæc Ambrosius.

Sed quia non cognitione tantùm, sed & præmiis homo cietur ad virtutem, pergit Ambrosius enarrare commoda, quæ emergunt ex iniuriis ab hostibus irrogatis, vt suo probauit experimento Rex præfatus, quem sic ex Codice loquentem attendit Ambrosius. *Ecce filius meus, qui exiuit de ventre meo, quærit animam meam. Si autem Semei maledicit mihi, dimitte illum vt maledicat; quoniam dixit illi Dominus: vt videat humilitatem meam, & retribuat mihi Dominus pro maledicto hoc.* Exclamat Ambrosius: *O altitudo prudentiæ! ô insigne patientiæ! ô deneranda contumeliæ grande inuentum! Moueris quod mihi maledicat extraneus, quem parricidio petit filius? Dominus dixit ei, vt maledicat mihi. Sed non est maledicus Dominus, nec delectatur contumeliis. Vide quàm singula diligenter custodiat. Non accusat Dominum quasi auctorem iniuriæ, sed magis laudat, quòd patiatur nos minora perpeti, vt maiorem veniam peccatorum adipiscamur. Ecce verborum contumelia parricidij leuauit ærumnam, absoluit precacem, cuius maledicta plus prosint, quæ diuina remuneratione donantur. Quis secum talem non compenset iniuriam, vt quem homo læsit, eum Deus factum meliorem retributione soletur.* Hæc ille.

2. Reg. 16.

S. Ambrof. vbi suprà.

Iniurias quare Dauid æquo tulit animo.

Ex nequitia æmulorum nostrorum Deum prolicere etiam commoda hominum afflictorum, multâ historiâ comprobatur: duas referre erit satis. Laborabat quidam abscessu purulento medicis incognito, vitámque agebat miseram, & remedij expertem, quia abdita erat mali labes. Occurrit fortè inimico suo homo ille malè affectus; hostis atrox hominem nactus, inferiorem sibi viribus, & extra hominum censorios nutus, educto pugione confodit & fecit victimam opportunam iræ suæ. Hoc cruento facinore edito capessit fugam, relicto homine, pure & sanguine conspurcato:

Ex Historia.

conspurcato: non tamen ad mortem vt voluit trux animus sæuientis inimici, sed ad salutem vt intendit Deus dirigens & moderans ictum brachij ferientis. Etenim exertus mucro hominis homicidæ, corpore sauciato aperuit abscessum medicis inuium, & sanie repurgata cum fecit incolumem, quem voluit tollere de medio. Non inficior iniquum fuisse intentum eius qui percussit, & hunc hominem alteri iniurium lethali se crimine obstrinxisse; sed eius iniquitas non obstitit, quin Deus plagam inflictam fecerit esse salutarem. In hunc modum consulit hominibus iustis prouidus ille parens: vbi enim deprehendit aliquos abdito typho superbiæ exurgere, eos permittit iræ proteruorum hominum, quorum lingua acutior mucrone ancipiti famam scindit iniuriis; sed illa dissectio ingrata appetitui sensitiuo, aperiens vlcus altum, repurgat saniem, quando superbiens anima agnoscit se adhuc conuiciis obnoxiam, ac proinde longè abesse ab eo virtutis apice, ad quem se animo porrigebat.

Ex Figvris. *Genes 32.*

Nemo tamen Deum sanè dixerit esse maledicum, aut peccati causam licet linguam moueat ad loquelam, aut brachia exerat ad vulnera infligenda. Nam vt Iacob ab Angelo ictus in femore claudicabat, ex neruo imbecillo Angeli attritu, habebat quidem à motrice facultate animæ vt ambularet, siquidem facultas illa motrix erat causa motus: sed eadem potentia non erat causa deformis incessus, at Angelus, & imbecillitas nerui, quibus suam debet originem illa deformitas. Ita cùm quis alium lædit conuiciando, aut feriendo, habet à Deo vt manus & linguam moueat; eo enim influente cientur membra, quæ eo inuito non nutarent, sed ille idem Deus causa motus linguæ, & membrorum non est causa deformitatis, quę inest homicidio, atque conuiciis; sed suggestio Angeli nequam, & animæ imbecillitas, actiones efficiunt claudicantes & deuias. Nam homicidium, quod sequitur ad Dei impulsum, bonum est si fiat Deo decernente, vt ex iustitia; sed quia vltore animo procuratur, ibi claudicat actio, quia vsurpat homo Ius Dei, cuius solius est vindicare, & non hominum priuatorum. Igitur cùm Deus nequeat velle deliquium, & attendat semper bonum; debet vnusquisque in iniuriis attendere etiam quid velit Deus, & non ad quid sæuiat inimicus.

Iniuriæ nobis illatæ quomodo dicantur à Deo decerni nobis.

Ex Historia. *Ex historia Gueiph. & Gibellinorum.*

Vidit & Italia superiore sæculo rem isti conclusioni propitiam. Eo æuo æstuabant ira & odio implacabili dissitæ factiones, quas panoplia inferorum armauerat ad suam vtriusque perniciem. Has partes æmulas nuncupabant Guelphorum, & Gibellinorum. Puerulis ab vbere matres distillabant odium, quod simul cùm ætate pubescens nullis artibus eradi poterat. Nobilis quidam incidens in virum aduersæ partis suo stipatum satellitio, ab eo durè excipitur, & vapulat, & demum truditur in speluncam, cui præalta moles castri eminens, spem omnem ademerat euadendi. Illic hominem humi decumbentem statuit ferus hostis lenta morte perimere, & quæ protraheret pœnas. Eamobrem breui aqua, & arcto pane pastum biennium totum in hac specu importuna agere compulit. Sed Deo versante vices humanæ sortis, direptum est castrum illud, & erutus inde nobilis ille carceri mancipatus, idque magno cum fœnore virtutis suæ. Nimirum illuc intrauerat obeso corpore, & quasi trunco inutili, ob chiragram, & podagram, manus ac pedes iugiter obsidentes; frustra tentauerat peritiam medicæ artis, magnam idcirco vim auri effuderat, refluente tamen semper humore illo noxio, quo pessum ibant ægra membra. Alia via inuito consuluit Deus; etenim in hominem tetrum incurrens, qui eum voluit longa torquere inedia, subiit quidem austerum illud genus vitæ, quo arentes superflui humores, corpus totum compostuerunt in debitam temperiem, & hominem reddidere integræ sanitati, in cuius gratiam nouit se deuinctum inimico suo, qui citra vllum pharmacum plenè curauerat ipsum.

Iniuriæ cedunt in bonum eius qui patitur.

S. Ambros. in Apologia 2. Dauid.

Iniuriæ Deus est compensator.

Nostri est arbitrij in vsus nostros parare etiam omne virus æmulorum nostrorum, quorum feritas tota nequit esse molesta patienti, & meditanti Deum pro maledicto redditurum meliora charismata, ita vt sapienter supra monuerit Ambrosius. *Quis secum talem non compenset iniuriam, vt quem homo læsit, Deus meliorem factum, retributione soletur.* Vtinam ista non excidant. Ille quem ista meditatio tenuerit, nullis hostium prauis incursibus erit obnoxius, quia non poterit accipere iniuriam: nihil enim iniurium est ei, qui obuia quæque, bona sibi facit, nec vllus Iure Cæsareo queri potest de eo quod dissimulando præteriit. Sic habet lex. *Iniuriarum actio dissimulatione aboletur. Si quis enim iniuriam dereliquerit, hoc est statim passus, ad animum suum non reuocauerit; postea ex pœnitentia iniuriam remissam non poterit recolere.*

Iniuriarum actio quomodo deperditur.

Ex Ivre Civili. *Leg. non solum §. iniuriarum ff. de iniuriosis & famosis libel.*

Itaque dæmoni suggerenti conuicia accepta, obiiciendus ille textus olim ipsis etiam Ethnicis venerandus, vtpote editus ab Vlpiano homine infideli. Sic retundenda tentatio: Quid mussitas, ô fera infernalis? quid ingeris illatas iniurias quasi maleficas? Deo propitio non aduerti irrogata probra, ac proinde nequeo impunè præterita recolere ad vindictam, ni velim fieri deterior ipsis Gentilibus, à quibus lex memorata fluxit.

Ex Mathematica. *Iul. Firmic. lib. 3. c. 5.*

Paratas ab æmulis nostris Cruces non posse inferre dispendium aliquod ei, qui desuper omnia euenire sibi credit, & animo suo versat, pro modulo suo probat cælica Mathesis: aduertit enim, Saturnum, & Martem esse quidem Planetas maleficos, si obliquè irradient ex duodecima aut octaua domo; sed si radij eorum fuerint recti atque perpendiculares, prudentes, & strenuos eos efficiunt, qui rectum eorum influxum exceperint. Fidem inuenerit apud multos illa Mathematica obseruatio, non stat per me quin eatur inficias. Sed nemo inficiari potest moralem meam obseruationem istam, scilicet osores nostros, sine quibus non versatur hoc æuum, esse reuera sidera errantia infortuna, & mali ominis, si eorum aspectus toruos & malignos quispiam animo obliquo & anhelo ad vindictam subierit. Quippe hi Planetæ maleuoli inducunt ad peccandum, quando sollicitant vltionem. Sed si iniuriæ & conuicia, quæ sunt influxus maleficorum hominum, ab anima recta excipiantur quasi desuper illapsa à Deo, anima fiet inde cautior atque vegetior ad facienda irrita conamina hominum proteruorum. Etenim dato & concesso, nullas Cruces siue molestias hominibus incumbere, nisi Deo eas volente atque moderante, quis non sedabit motus insurgentes in aduersa, & sibi aptabit symbolum Dauidis Maximi Regis Abyssinorum, qui pingebat leonem obuia Cruce mansuetum hoc titulo. Veritas persvadet. Quasi diceret, nullos esse

Dauidis Regis Abyssinorum symbolum.

Ex Symbolis. *Typotius l. Symbolor.*

esse adeò feros animos, qui non mitescant, si attendant Crucem obiectam, meditando eam esse à Deo procurante bonum nostrum, iis medijs adeò congruis, vt dubia indubiè foret salus nostra sine his ærumnis. Non igitur stemus à partibus sensuum, quos armarunt in Crucem illecebræ voluptatum. VERITAS PERSVADEAT.

Quare hostium acerbitas meritum Crucis decurtare nequeat.

PVNCTVM XI.

Degentibus in opaco si tenuis desuper radius affulserit, sensim se explicant ea quæ latebant, quantumuis minima; ita & mihi sese produnt plurima lumina, rimanti recessus altos prouidentiæ Dei: horum beneficio radiorum, multa occurrunt explicanda eis, quos fugit bonitas recondita inuolucris ærumnarum, quas patimur ab æmulis nostris. Quippe facessit negotium illa conclusio asseuerans, acerbitatem hostium nostrorum non obstare, quin ex eorum nequitia atque contumeliis sanctiores euadamus. Itaque sunt dissoluendæ nubes difficultatum, quæ offundunt caliginem, & dubiam faciunt fidem. Hæc igitur esto ratio faciẽs satis titulo prælibato: Inimicorũ acerbitas nequit nocere piis atque constantibus viris, quia Deo moderante molestias, maleuoli homines non sunt iniurij tantùm quantùm volunt, sed ad arbitrium Dei, & iuxta vires afflictorum mala quæque pœnæ se porrigunt, idque ad salutem eorum, quibus illæ Cruces eriguntur.

Iniuriosi homines non nocent nisi quantum vult Deus.

Consulenda est de his Theologia. Ea sacra disciplina duo attendit in prouidentia Dei. Primum est ratio ordinis rerum prouisarum in finem, & in eo sensu Deus immediatè omnibus prouidet, quia in suo intellectu habet rationem omnium rerum, etiam exilium & qualcunque causas aliquibus effectibus præfecit, virtutem eis impertiuit ad illos effectus producendos. Ideóque necesse est Deum illorum effectuum ordinem in sua ratione præhabuisse; nihil enim inscius elargitur, sed præuiâ maturâ & æternâ notitiâ dat vnicuique quod competit. Alterum quod speculatur sancta scientia in themate proposito de prouidentia Dei, est executio ordinis, cuius rationem habet in suo intellectu, & illa executio dicitur gubernatio, ad quam Deus aliqua media assumpsit, suæ prouidentiæ ita aptata, vt nihil eam præterire queat: Deus enim inferiora gubernat per superiora, non ex defectu potentiæ, sed ex copia bonitatis, quæ etiam dignitatem causalitatis creaturis communicat: Ergo illa media à Deo præstituta, vt vnaquæque res finem sibi præstitutum sortiatur, nequeunt esse mala. Sed contumeliæ, & Cruces quæ parantur nobis ab inuidis atque maleficis hominibus, sunt media à Deo præuisa, futura nobis ingrata: Ergo virus omne ab eis tergit Deus, & bonitatem finis aspergit, ea dirigendo in salutem nostram, quæ est finis, ad quem omnia ratione hominis edita diriguntur. Eamobrem ad libitum suum sæuiant in nos nefarij homines, imò fremant inferæ legiones spirituũ iniquorum; eorum ferox atrocitas nequit trãsilire carceres positos à Domino rerum omnium prouisore.

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 22. art. 3.

Prouidentia Dei media ad finem congrua decernit.

Philosophia Theologiæ assecla suam etiam lucem affert huic dogmati. Ex Aristotele, causa prima superior est causans animam, & naturam, & reliquas res mediante intelligentia. Id est, Deus omnia edit entia iuxta rationem, quam præhabuit; hæc autem ratio media quædam intellexit, & assignauit, quorum obsequio res editæ pergerent ad finem suum, & compotes eius essent: Ideoque necesse est omnia media illa esse bona, quia hominem dirigunt in summum bonum. Igitur nequitia hominum, quos liuor perculit in nos, nequit obesse saluti nostræ, quam Deus procurare intendit eorum conuiciis. Rursus ex eodem Philosopho: Cùm causa vniuersalis secunda denegat virtutem suam alicui rei, causa vniuersalis prima non deficit, sed infundit energiam suam; & cùm separatur causa secunda à causato quod sequitur ipsam, non excluditur causa prima; plus enim influit in causatum quàm causa secunda. Philosophus falcem suam mittit in messem alienam, & Theologum agit: nos verò ex hoc discursu inferamus nostrum sic. Deus non ad perniciem nostram, sed ad salutem nostram obiicit Cruces, & dirigit hostes, imo & dæmonum ferociam in vsus nostros accommodat, vt cautiores simus, & incũbamus sensuum custodiæ, vel vt iniuriæ deprimant inanem gloriam, aut inde luamus pœnas quibus retro acta crimina nos fecerunt obnoxios. Et esto hæ causæ deficiant ab intento, id est, licet hostes nostri & dæmones suis insultibus non intendant bonum nostrum; causa tamen prima, scilicet Deus non negat influxum suum, imò copiosiorem gratiam impertit, vt anima afflicta sortiatur effectum à Deo volitum mediis illis præstitutis ad gloriam consequendam.

Ex Philosophia. Aristot. l. de caus. prop. 6. Idem eodem lib. prop. 1.

Causæ primæ influxus qualis.

Item ex Aristotele. *Causa agens respicit finem, & finis respicit esse.* Ergo quò magis agens habebit rationem causæ, eò etiam magis intendet finem, & hic finis nobilius esse sibi vendicabit; sed Deus est maxima causa: ergo maximè intendet finem, vtique nobilissimum, scilicet gloriam suam; ergo non poterunt deflectere ab hoc intento quæuis aduersa hominem vexantia, si homo velit eis suum aptare arbitrium, penes quod est vti vel abuti mediis, quibus Deus vult hominem beare; ita tamen vt & ipse velit. Media enim necessaria Deus aptauit rebus nesciis intellectus, & libera ratione vtẽtibus; hæc autem media positis omnibus idoneis ad agendum frustrari nequeunt intento suo. Nam vt benè aduertit Simplicius, causa efficiens in æternis absolutè agit; in corruptibilibus autem, vt plerunque, quia Deus vnicuique rei prouidet pro dignitate, ac proinde cum anima dignior sit omnibus, quæ edita sunt infra Angelos, & in æternum sit mansura: prouidus ille parens Deus media disposuit, nusquam recessura à fine & bono animarum, dummodo pro viribus conferant idonea mediorum bonitati. Verbi gratiâ ne gratiarum amplior illapsus in Paulum Apostolum, eum aura populari ventilaret, Satanæ importunè susurro tentatus est. Dæmonis intentum erat vt peccaret Paulus, ratio verò Dei ordinabat illam molestiam ad bonum Pauli,

Aristot. l. 7. Metaphysic. cap. 10.

Causa efficiens in æternis quomodo agat.

Simplic. in lib. 2. Phys.

Paulus Apostolus quare tentatus à stimulo carnis.

Pauli, vt scilicet, ex ea tentatione pensaret infirmitatem suam, quæ impos erat victoriæ, citra opem Dei. Humiliatus est Paulus, & irrita fuit hæc machina directa in Paulum, qui si hosti dedisset manus, vitio suo periisset, & non Dei, cuius prouidentia assumpserat hoc medium in commodum eius, & non in dispendium.

2. Cor 12. Audiendus ille Pancratiastes. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet a me, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Cùm audis Angelum colaphis impetentem, cogita nequitiam diaboli satagentis abripere in præceps hominem multiplici gratia insignem. Cùm autem auribus tuis insonat commemoratio gratiæ Dei, familiaris Paulo, nota Dei prouidum ordinem, ex dæmonis indole iniqui colligentem firmitatem Pauli. Male ergo querelas de Deo texuisset Paulus, si eum sibi iniurium conclamasset, quia diabolo ius fecisset insultandi. Non enim animo nocendi, sed iuuandi, Deus Paulum Diabolo exercendum prouidè concessit. Eamobrem nec Paulo, nec cuiquam hominum tentato egregiè ab Angelo nequam competit actio in Deum, ipsomet etiam Iure Cæsareo conscio æquitatis Dei: sic enim habet lex. *Non solùm autem is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, hoc est qui percussit; verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit, vel qui curauit, vt cui mala pugno percuteretur.* Hæc Vlpianus. Ergo iniquè querulus est in Deum homo molestiis hominum & dæmonum obnoxius; nam Deus doli est expers, & omnes iniurias ita dispensat, vt nobis in fœnus, & commoda maxima componantur.

EX IVRE CIVILI. *Lege non solùm ff. de iniuriis & famosis libellis.* Iniuriam fieri qui procurat lege damnatur.

Instabis, Deum quidem compescere nequitiam dæmonum, quæ ad malum consummata est; sed homines maleuolos relinquere arbitrio suo, ne fiat iniuria libertati, qua præpollet homo, ac proinde non esse bonis effugium à rabie iniquorum, & necessariò opprimi iustos à reprobis, darique eis ansam abhorrendi ærumnas atque conuicia, vtpote edita à malo principio, scilicet à praua voluntate, quæ cùm Deo displiceat, nequaquam ei placere queunt surculi ex hoc adulterino stipite prodeuntes. Id est, Deus est exosus & reprobos, & eorum omnes nefarios actus; ergo & nos odisse possumus hostes nostros, & refugere qualscunque ab eis iniurias irrogatas, vt & fecit Dauid, cuius hæc est professio odij. *Iniquos odio habui.*

Odio habenda sunt peccata non homines.

Psal. 118.

EX IVRE CANONICO. *Canone. Odio habeantur. Canone. Facientis dist. 86.* Zelus iustorum peccatis aliorum it obuiam ne fiant.

Respondeo ex Iure Canonico, odio habenda peccata, non homines peccatores. Ecce Canon. *Odio habeantur peccata, non homines.* Rursus is, cui competit ex officio tutela bonorum & malorum correptio, debet arcere molestias, vt alio Canone sancitum est. *Facientis culpam proculdubio habet, qui quod potest corrigere negligit emendare; scriptum quippe est: Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes iudicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit aduersa. Et negligere cùm possis deturbare peruersa, nihil aliud est quàm fouere.* Hæc ille Canon, hortans Prælatos ad censuram, vt glossa marginalis aduertit, & non priuatos homines sollicitans ad vindictam.

EX IVRE CANONICO. *Canone. Facientis §. & libat vers. Nec caret, dist. 86. Cano. Falsas de Pœnit. dist. 5.*

Nec est quòd afferat aliquis læsus ab hoste reliquam seriem huiusce Canonis, vt repugnando coërceat inimicum; sic obiiciens ex sacro Iure: *Nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Et probat odisse se vitia qui condemnat errantes. Nec relinquit sibi locum dubitandi, qui non perceperit excellentis. Et primus innocentiæ gradus est odisse nefanda, & latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate consensum. Et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.* Tantùm abest, vt hic textus insinuet vltionem iniuriæ singularis, quinimò alio Canone est irrita pœnitentia illius, qui penes se habuerit aliquas acceptæ iniuriæ reliquias. Sic à Papa Gregorio decretum in Synodo Romana. *Qui odium in corde gerit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat peruenire.* Itaque homo inique vexatus odisse potest crimen, sed amare debet molestias, quæ facessunt ei negotium; nam à Deo prouisæ sunt, ad aliquod abditum commodum animæ cruciatæ, etsi in aperto non sit prouentus inde emergens.

EX FIGVRIS.

Lucem afferet figura illa locuples, quam recenset sacra historia enarrans, Deum noluisse vno anno delere Iebusæos, & Amorrhæos, populos inimicos Hebræorum, quos ad exercitium dereliquit, & non ad dispendium. Audiendus est Moyses præscius mysterij huius, Deum referens sic loquentem de hostibus Hebrææ gentis: *Non eiiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo donec augearis, & possideas terram.* En synopsim Diuini intenti, quando nos lacessunt homines iniurij. Deus eorum iniurias non compescit, sed dirigit ad examen emeritæ virtutis; & sæpe foret anima inculta, si non inuigilarent hostes actibus nostris, qui ne fiant æmulorum censuræ obnoxij, ad trutinam æquitatis ideo reuocantur. Nimirum ille refugiet omne indecorum, quem non fugit esse homines, qui explorant quali vitæ instituto æuum suum agat: acriores stimulos ad virtutem inde accipiet, ne si vitiis indulgeat, omnibus innotescant. Ne insurgerent bestiæ contra Hebræos redacta terrâ in solitudinem, noluit Deus illico delere Iebusæos; ita ne vitia irrepant in incautos, Deus æquum sanxit nos vexari ab æmulis, vt augeamur gratiis: fitque Deo prouidè nostras versante vices, vt illud exterminium, quod moliebatur hostis, cedat in virtutis exercitæ maximum incrementum, & vt gladius hostilis exertus in cædem, vertatur in falcem, quæ amputat malos surculos enascentes.

Exod. 23. Inimicos quare Deus permittit in nos insurgere.

Putatione quotidiana indigemus.

EX SS. PATRIBVS. S. Bernard. serm. 58. in Cantica. Iebusæus in nobis habitans, quid sit.

Fauet Bernardus, sic enarrans: *Quis ita ad vnguem omnia à se superflua resecauit, vt nihil se habere putet putatione dignum? Crede mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est, imò si fieri possit semper, quia semper quod putari oporteat si non dissimulas, inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manes proficiens, erras si vitia putas*

putas emortua, & non magis suppressa. Velis nolis intra fines tuos habitat Iebusaeus; subiugari potest, sed non exterminari. Hæc ille, vocans Iebusæos omnes illicitos motus, qui insurgunt ex appetitu sensitiuo in superiores animæ potentias; vnde arguo: Si ea, quæ in abditis animæ recessibus vexant, debent esse nobis argumenta vigiliæ & virtutis, quare non & ea, quæ deforis sunt molesta? Si Deus è peccati fomite scit prolicere egregia facinora, dummodo nostram conferamus industriam; quidni inimicorum virus ritè diluet, & inde antidotum componet salutare, contra latens aliud omne toxicum?

Theriacæ facultates.

EX RE MEDICA.

Andromac. in compesit. Theriaca. Fernel. lib. 7. de method. medendi.

Fuit hoc inuentum Andromachi rei medicæ non ignari; is inuenit atque composuit miro syntagmate pharmacorum confectionem illam, quam Theriacam vocant, cuius ex Fernelio sunt hæc elogia. *Virulentarum bestiarum ictibus, & exitialibus venenis aduersatur; comitiales, attonitos, resolutos, cephalalgicos, asthmaticos, hæmaptoicos, stomachicos, ictericos, hydropicos, nephriticos, colicos, arthriticos, melancholicos, lymphaticos, atque etiam elephanticos iuuat.* Andromachus ille vt consuleret cordi periclitanti aliquo contagio, pharmaca idonea cordi vno veluti coagulo contexuit. In his sunt crocus, cynamomum, scordium, nardus, iris: vt autem languida virtus acueretur horum medicaminum, adiecit trochiscos è vipera compactos; & vt medicè loquar, Theriacæ basis, & citra quam esset irrita confectio, est caro viperina.

Venenum vnde sic dictum.

Sed quid veneno viperæ, vt agat in alterum virus? Respondeo, modicum virus subitò irrepere in venas, ideóque dici venenum à venis, quas facilè subintrat, & poni parcè cum aliis remediis, vt & ea secum vehat in cor, in cuius arcem arietat. Rursus venenum adiicitur aliis pharmacis vt natura se colligens ad virus infirmandum excitet virtutem imbecillem aliorum pharmacorum, quæ eo acumine irritata, in toxicum omne fortius inualescunt. Ne autem incautè Theriaca fiat, solis duntaxat peritis eius dispensatio conceditur; & vt viperæ caro minus virulenta fit, vtrimque resecatur, præuia flagellatione, qua virus ad vtraque extrema refluit. Ita & Deus non sinit homines maleuolos suam effundere rabiem omnem, sed parcè tantùm virus suum distillare, modicè vexando bonos, qui eâ molestiâ suos resumunt spiritus, cùm vt qui sunt ex aduerso nihil habeant obiicere, tùm vt Dei emendicent opem: quò enim maior est sensus ærumnarum, eò etiam magis feruet oratio, vtpote emergens è corde sauciato iniuriis.

Et hæc oratio feruida Deo litat, vt videre est in Hebræis, quos Deus beneficiorum immemores, Genti subdidit infideli, vt luerent serui pœnas criminum, quibus libertas ingrata eos fecerat obnoxios: Deus parca manu malum hoc disseminans, fiebat propitius inuocatus; vt & canit Psaltes, ore canoro resonans miserantem Deum. *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Quia satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis. Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro. Quia exacerbauerunt eloquia Dei, & consilium Altissimi irritauerunt. Et humiliatum est in* (*Psal. 106.*) *laboribus cor eorum, infirmati sunt nec fuit qui adiuuaret. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit.* Obserua Dei industriam parem ei, quam retuli ex peritia medicorum, qui modico veneno sparso eliminant magnam vim veneni propinati. In hunc enim modum Deus vincula & tenebras peccati curat compedibus, & caligine carceris, quibus nos acerbitas hostium fortè præpediuit, afflixit, & inclusit. Et hoc insonuit ex Dauide, notante Hebræos sedisse in tenebris vinctos, quia exacerbauerunt eloquia Dei; sed vbi Deum demeruere, ait Psaltes tersas fuisse tenebras, & vincula disrupta.

Tribulatio Deum homini conciliat.

Vincula disrupta sed nõ soluta leuant infamiam.

EX IVRE CIVILI.

Lege Ælia sentia. Cuiacius lib. obseruat. 15. c. 7.

EX HISTORIA.

Flau. Ioseph. lib. 4. de bello Iudaico.

Aduerte, Dauidem non dixisse vincula soluta, sed disrupta; nam si vinctorum vincula rumperentur, nulla erat ignominia aspersa ei, quia coniectus fuerat in vincula; si verò soluebantur nexus, hoc erat inglorium, vt ex Iure Ciuili probat Cuiacius, cui fauet oratio facta Vespasiano à filio eius in gratiam Iosephi historici, quam ille sic recenset: *Æquum est, pater, Iosepho simul cum ferro omnem ignominiam adimi, vt perinde sit, ac si ab initio vinctus non fuisset; quod assequemur, si vincula, quibus tenetur, incidamus, non soluamus.* Adiicit ille, sibi fuisse securi incisa vincula, quæ sic non fuerunt iniuria. Si filio Imperatoris infidelis datum est tollere iniuriam vinculorum, quis ambigit filium Dei, cuius amore perciti ferimus æquo animo iniurias, nos non relicturum inglorios, etiamsi ad tempus in compedes incurramus: vt parca manu virus diluit; ita liberali manu porrigit antidotum, scilicet gratiam, & virtutes, quæ emergunt ex ærumnis atque conuiciis ab hostibus irrogatis: Deo ita moderante momenta vitæ nostræ, nobis insciis in ordine ad gloriam.

EX SS. PATRIBVS.

S. Damian. opusc. 53. c. 2.

Sanguisugæ mordendo vtiles.

Inimi i nobis sunt vtiles.

Hactenus prælibata egregiè illustrat Damianus, insinuans, virulentiam hominum nos iniquè vexantium, non obstare quin Deus eorum nequitiâ expunctâ salutem nostram inde paret. Sic ille: *Medicus planè sanguisugas tumentibus ægroti membris apponit, virúsque simul cum sanguine ab intimis visceribus sorbere permittit; diuersæ tamen intentionis est Medicus, & hirudo: illa siquidem nihil aliud gestit, nisi vt sanguinem bibat; ille ad hoc tendit, vt languidus conualescat: illa satiatur, & moritur, ægrotus autem dum vulneratur, ad salutem erigitur. Quid igitur mirum, si Deus omnipotens, qui est Medicus animarum, sic nos occulta sui moderaminis arte disponit, vt ex alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat: quatenus dum nobis hostile vulnus infligetur, ex eo potissimum salutis antidotum procuretur?* Optima sanè relatio liuidi hominis, qui detractione atque susurris tentat exsugere bonam famam alterius; sed ad libitum suum famam non dispescet hæc hirudo: nam cùm hominem vexatum Deus ad arbitrium suum probauerit, sanguisugam auferet, & fortasse elidet sanguine epoto ad perniciem eius.

Idem vbi suprà.

Tyri serpentis indoles qualis.

Ille idem Sanctus Damianus assentitur ei sententiæ, quam discussi de Theriaca, dum sic fatur: *Tyrus planè genus serpentis est, ex cuius cruore Theriaca fit, qua videlicet grassantem pestem in his qui venenantur extinguit. Si ergo*

Canes imitátur illi qui sæuiunt in suos inimicos.

venenum veneno nouit homo depellere, quantò magis mirabilius praualet Deus,ex alienis contritionibus nobis vtilia promidere. Hæc ille. Ne ergo inimicorum virus attendamus, sed Dei intentum, quo virulentiam peccati aggreditur, alioquin ad nos pertinebit lamentum illud sancti Dorothei, sic carpentis homines inquietos. *Nos cum verbum vllum in nos dictum audimus, canes imitamur; hi enim si quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimisso, lapidem remordent: ita nos Deo relicto, qui nobis tribulationes huiusmodi ad peccatum nostrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc est ad proximum currimus.*

S. Dorotheus doctr. 7.

Ex Historia. S. Lazarus in Historia Imperiali sub an. 1355. Cantacuzenus Imperator pulsus imperio fit religiosus.

Melius sibi consuluit Imperator Græcus nomine Cantacuzenus: ille obsessâ principe vrbe imperij sui, & direpta, pellitur solio, & in ordinem redigitur. Minime succubuit Princeps oneri tanto, nec seipsum deseruit, videns æmulum suum Ioannem Paleologum rerum potientem, erepto sibiipsi diademate rutilum & insignem; non querulus inuectus est in nouercantis fortunæ vices improuidas, non cogitauit de milite numeroso conscribendo, vt quasi postliminio ad propria repedaret: denique non dehiscente animo deiectus ad inferiora aliqua prolapsus est; sed in argumentum ingenij sui superioris omnibus iniuriis, perrexit in præaltum montem, cui nomen Athos, ibi dedit nomen suum Christo, & claustro professus vitam monasticam, & quasi præscius gratiarum, quas impertit Deus iis, qui beneuolè excipiunt Cruces, voluit appellari Ioseph, id est, accrescens. O egregium specimen patientiæ exhibendæ! O symbolum exquisitum eorum effectuum, qui emergunt ex ærumnis atque molestiis ab hostibus irrogatis! Imperator non attendit hominem persequentem, hoc enim est oculos deorsum inflectere; sed Deum aspexit ad se ex imperio infero reuocantem, ideo pertæsus infima, & grandia versans animo, scandit montem; nam anima Deum meditans in Crucibus serpere nescit humi, id est, nequit dolere de iactura soli, imò nec solij: siquidem generoso magis ambitu altius regnum petit, suos omnes dirigens cogitatus ad adipiscendum regnum Dei. In ea meditatione pubescens anima, verè Ioseph, id est, accrescens, exurgit in cumulum magnum meritorum, ita vt acerba omnia, quæ hostes intulere ad dispendium, cedant homini vexato in gratiæ maximum incrementum. Hoc insinuat Iacobi Apostoli effatum. *Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.*

Tribulatione homo meritis augetur.

Iacobi 1.

Prudentia omnia attendit.

Quicquid ergo moliantur hostes in nostram perniciem, & quantumuis magna euomant conuicia; horum omnium Deus minimè nescius, nostri curam gerens tantùm finet nos premi, quantùm saluti nostræ expediet, iuxta normam prouidentiæ suæ, quæ in ritu suo singula quæque dirigendi congruè in fines suos, non est inferior prouidentiâ humanâ, quæ vt cautè scit declinare mala, ita & nemini solet esse importuna. Ergo nec Dei prouidentia, nec ignara, nec noxia, alioquin eam anteiret humana solertia, quam sic Patres commemorant. *In omni quod dicitur, necesse est, vt causa, tempus, & persona pensetur; si verba sententiæ veritas roborat, si hanc tempus congruum postulat, si veritatem sententiæ, & congruentiam temporis, persona qualitas non impugnat.* Gregorij est ea sententia qui alibi hoc adijcit. *Actio Sanctorum ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter prouidens, mala solerter cauens.* Sanctus Isidorus compendiosè totam prouidentiæ historiam sic absoluit. *Perspice, quod, cui aptum sit tempori, quid, vbi, quantum, quandiu facere debeas.* Idem. *Cùm diu cogitaueris, tunc fac quod probaueris.* Vnde sic arguo: Nihil est perfectum in prouidentia nostra, quod non nobiliore modo præexistat in prouidentia Dei, quæ est regula cæterarum: Ergo si prouidus homo ex Isidoro perspiciat quod, cui aptum sit tempori, quid, vbi, quantùm, quamdiu facere debeat; Deum etiam minimè præteribit illa ratio rerum ordinandarum; ac proinde ineptè quispiam inculat ærumnas atque iniurias, quibus impetitur ab hostibus. Vtilius vnicuique esset perpendere illud Gregorij. *Quod valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione prouida, & remuneratione leuigatur.*

Ex SS. Patribus.

S. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 8. Idem Homil. 7. in Ezech.

S. Isid. libro Synonim. c. 17. Ibidem c. 13.

S. Gregor. lib. Moral. cap. 5. Tribulatio alta consideratione minuitur.

Ita sane illa consideratio superioris ordinis, id est, prouidentiæ Dei coërcere debet impetus appetitus sensitiui insurgentis quando Cruces ei proponuntur: nam etsi Deus velit has Cruces citra peccatum; tamen illæ adeò prouidè dispensantur, vt gratia eius illabente, acerbitas cuiusque molestiæ temperetur. Adstipulatur egregia obseruatio cælicæ Matheseos asserentis, siderum errantium nequitiam corrigi à stellis superioris cœli, id est, firmamenti; fieri enim nequit, vt Planeta gyret, quin subsit alicui signo Zodiaci. Singulis autem signis tres decanos attribuunt Astrologi, id est, triginta gradus cuiuslibet signi diuidunt in tres numeros denarios, & vnicuique numero denario vnum Planetam assignant, quem vocant Dominum illius denarij, seu decanum, id est dominantem decem gradibus; ita vt si Saturnus sit Dominus primi denarij signi Aquarij, Iupiter alteri denario præerit, & Mars subsequenti, quia hunc tenorem seruant in serie Planetarum. Hinc fit, vt nequeat Planeta maleficus totam explicare suam nequitiam, quia aliqui gradus triplicitatis superioris cœli compescunt malignum eius influxum, etsi alij faueant, & foueant.

Ex Mathematica. Iulius Firmicus lib. 2. c. 4. Stellæ superiores malignum influxum inferiorum corrigunt.

Simili ferè modo Theologi Dei attributa dispescunt; alia assignant mala pœnæ ingerentia, alia quæ moderantur hunc influxum, & id ad amussim prouidentiæ Dei. Ad hoc allusit alma illa parens Samuelis, dum Deo plena, melos hoc edidit ex cantico suo: *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Eodem spiritu actus Psaltes hoc cecinit. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Inde Theologia hanc deduxit conclusionem, in omni opere Dei coire misericordiam, atque iustitiam; & hoc liquet in aduersis, quæ vnumquemque excipiunt.

Ex Theologia.

1. Reg. 2.

Psal. 100. S. Thom. 1. p. q. 21. art. 4.

In his iustitia suas obit partes, quia pro viribus & sicuti expedit singulis molestiæ dispensantur: misericordia verò suas gerit vices, Deo cruciante minus quàm merentur hominum deliquia, & largiente gratiam, cuius ope mitescit acerbitas omnis ærumnarum. Non est ergo quòd nefarij spiritus obiiciant odium

Iustitia Dei in flagellis se explicat.

odium, & liuorem eorum, qui nos vexant, vt sic impediant ne carpamus suaues illos fructus Crucis, quibus in æternum erit anima saginanda. Qui sint autem fructus speciosæ illius arboris, disce infra ex homilia festi Exaltationis Sanctæ Crucis, quæ docebit exterminium vitiorum, & virtutes omnes esse effectus Crucis, quos vellem assumi in Symbolum simile ei quod affinxit sibi Cardinalis Ferrariensis, qui in tesseram suæ peritiæ, & laboris, vsurpabat ramum virentem & instructum pomis horti Hesperidum, quem draco insomnis obseruabat, ne quis eius opima & viuida poma decerperet. Præsul ille volens insinuare se illusisse Dæmoni, & non modicum congessisse cumulum gratiarum, depictis illis pomis adiecit hunc titulum. AB INSOMNI NON CVSTODITA DRACONE.

Ex SYMBOLIS. Paradin. lib. symbol.

Pulchriora sanè & vtiliora poma Crucis, ideóque solertiam nostram sollicitant, vt strenua audacique manu decerpantur, quia in æuum interminum duratura non marcescent, & assumpta in edulium verè eum sortientur effectum, quem mentitus est Dæmon inesse ferali pomo, cuius vsu & esu periit Adam, cum sua tota prosapia. Aiebat vafer ille & nequam spiritus, parentes nostros incautos fore Deos, si ederent illa poma, quæ creduli decerpentes, totius naturæ humanæ dispendio, non dij, sed pecudes effecti sunt. Infra ostendam fuse Crucé fuisse erectam in antidotū arboris infaustæ, & fructus sanctos omne virus diluere, quo fuit hominū indoles miserè sauciata. Consule Homiliam de Cruce, versatur enim hæc in eo argumento. Iam sufficiat acuisse appetitum ad poma Crucis, quæ quis collegerit, Dæmoni tandem poterit insultare, cum increpans, & obiiciens illa mala Hesperidum, iactans illum semiuersum, AB INSOMNI NON CVSTODITA DRACONE; id est, frustra ô Satan, tentasti me pellicere ad aliquid indecorum, cùm vrgerent me ærūnæ, cassi fuere omnes impetus tui, carpsique Charismata veluti poma sacra, AB INSOMNI NON CVSTODITA DRACONE, sæuierunt hostes mei, verum; sed Deo versante virus eorum, erupit virtus vegetior. Ea obiurgatione feriendus hostis: præstabimus si non exciderit animo, iniuriarum nequitiam esse penes homines iniuriosos; virtutem verò sitam in æquanimitate.

Crux est arbor vnde emergunt fructus opimi.

Cruciantur hi, qui alios vexant, vt mundus Cruci addictus est, vtique iustè, quando iniquo iudicio Christum crucifixit.

PVNCTVM XII.

EA est omnium rerum iniquarum labes atque pernicies, vt animo tenus tantùm conceptæ, suum virus aspergant. Vt enim dolor enascitur ex læsione, & intemperie, seu ex debita constitutione dissoluta; ita animæ status inquies efficitur, quando à Deo secreta seorsum ponitur: & hæc animæ molestia dicitur synderesis, quæ est vindex sceleris animo iam versati. Quòd si criminis incunabula adeò sunt virulenta, quid fore putas de adulto piaculo, conscio corpore perpetrato? Experietur sanè sæuas erynnes, quas à feritate, furias prisca sæcula nuncuparunt. Iam pro nomenclatura tituli sic arguo: Omnis iniquitas affert suo auctori molestiam: ergo quò iniquior erit actio, eò etiam animam acerbiore stimulo punget, & vexabit. Sed nihil iniquius est quàm cruciare bonos iniuriis, direptione bonorum, atque calumniis; nam quò magis actio recedit ab æquitate, magis de iniquitate sibi vendicat: aliena autem est ab æquitate iustorum vexatio, quia in eorum sorte impetitur æquitas; eos igitur manet dira vltio, ob tantùm nefas impiè perpetratum.

Ex THEOLOGIA. S. Thom. 1. p. q. 79.

Erynnes furiæ.

Nec hoc Philosophum latuit, qui ait, *Iram esse apparentem iniustitiam*; & alibi asserit, eam non vti ratione; est enim impetus appetitus sensitiui irascibilis, & hinc iræ seu vindictæ, & maleuoli animi liquet iniquitas. Nam quò magis à ratione aberrat aliquod facinus, eò etiam est iniquius; sed bonorum persecutio ira feruescente nescia est rationis: ergo ei inest summa nequitia, ac proinde furiis est maximis obnoxia.

Ira quid sit. Ex PHILOSOPHIA. Arist. lib. 5. Ethic. c. 82. Idem l. 5. Politic. cap. 11. Simpl. c. l. 1. de ani. t. 89. Albert. Mag. lib. 3. de mori. anim. tr. 2. cap. 6. & 7.

Ipsa etiam res Medica probat, eos qui succensent in alios, & volunt suum euomere virus, primum subire contagium mali quod irrogare volunt. Supponendum enim ex Simplicio, iram aliásque passiones non esse in anima tantùm, sed in toto composito: quod & Albertus Magnus vult esse ratum & fixum, tria distinguens in irato. Primum est quidem motus, qui est ab anima, quam pars appetitiua quatit. Alterum est systole cordis sese mœrore contrahens. Tertium est diastole seu explicatio cordis sese effundentis ad vindictam. Rursus ex eodem, ira fit ex veloci accensione sanguinis circa cor: & hinc facilè ex medicis probare est, hominem, qui in alios fæuit, & desæuit, primò à seipso lædi, quàm fiat aliis iniurius. Etenim ex Fernelio, *Febris est calor præter naturam a corde in omne corpus effusus*; & ideo ille ait, homines iracundos febri diariæ esse obnoxios, quia facilè incandescunt, vt & excandescunt: quò autem erit æstus iræ intensior, eò etiam malignior inde oriunda febris, iuxta tres caloris gradus, quos scribit regius ille medicus. *Vnus est calor plus nimio exuperans, & qui naturalis fuerat, sensim non naturalis euasit, vitiosius proinde, & naturæ iam infensus.* Ego moraliter dixerim esse leuem iram, quæ etsi non lethalis sit, tamen animam lædit, & vitium ei affingit. *Alter est calor ex putrescente materia prognatus, qui etiamsi non sit admodum ardens; quoniam tamen eius de qua prodit materiæ conditionem redolet, præter naturam est, & insito calori grauis.* Ita Fernelius. Ego censeo iram dum in corde stabulatur, quasi putrescere & transire in odium, graue illi charitati, quæ infusa est primitus in baptismo. Denique *Tertius est calor malignus, & perniciosus, quem pestilens venenatáque materia fundit, non qualitatis exuperantia, non putredine, sed totius substantiæ dissidio, vitali insitoque calori aduersus.*

Passiones in homine vbi resideant. Ex RE MEDICA.

Fern. Pathol. lib. 4. c. 1. Febris quid sit.

Calor duplex est in homine.

Calor quisnam sit vitiosus.

Ille virulentus calor speciem refert eius iræ, qua reprobi in optimos quosque insaniunt; arguit enim ille calor venenum insidens cordi, scilicet odium virtutis, atque iustitiæ, & id magno animæ dispendio, vel vt loquitur

Ira quos sortiatur effectus in homine.

Femelius totius substantiæ dissidio; vitali insitoque calori aduersum est illud iræ incendium, depascens omne quod viuidum est in homine. Hinc oculi scintillant diris aspectibus, despumant ora iniurias calente lingua, totúmque caput angitur æstu iræ euehentis sursum vapores suos. Nimirum homo animo versans mala aliis irroganda, lancinatur & vexatur iisdem malis quæ in æmulos suos refundere meditatur. Nec hic malorum finis; sed ex Hippocrate tormina illa capitis aliáque symptomata illinc enata insaniam indubiè præsagiunt; sic ille: τὰ ἐν κεφαλαλγίῃσιν ἰώδεα ἐμέσματα, κωφώσιες ἀγρυπνώδεα, ταχὺ ἐκμαίνει. id est: *Dolente capite, vomitiones æruginosæ, cum vigiliis, & surditate, citò venturam insaniam portendunt.* Vide quàm sibi male consulant illi, qui credunt, iniurias euomere, & effutire quicquid in buccam venerit, hoc alleuiare caput, & restringere iræ incendium, quod fieri maiùs existimant, si odium silentio compescitur. Etenim hæc illa loquelæ acerbitas arguit imminentem insaniam, cui præire solet surditas illa, quæ afficit vindictæ cupidos animos, subsannantes eos, qui salutaribus monitis student mederi eorum vesaniæ. Sed irrisores impij dum in vltione lætitiam aucupantur, mortem sibi consciscunt animæ, & plerumque corporis, vt & multiplici historia comprobatum est.

Insaniam quænam signa prænuntient.

Hippoc. prorrhetic. 10. section. 1.

Iniurias euomere perniciosum.

Primus occurrit Guillelmus Anglorum Rex, qui audito ioco, quo eum notarat Rex Philippus Gallus; ille impos iniuriæ, numeroso milite conscripto irrupit in Gallias, omnia igne ferróque populans: quia odium diu animo conceptum Deum nescit; homo ille sacrilegus admouit etiam faces celebri Ecclesiæ, quæ erat in tutela Virginis Deiparæ: serpente flamma & suos sursum conglomerante globos, Rex impius bile effusa, & vltione lætior, nimia lætitia gestiens, subito morbo correptus est, natura non ferente vices adeò dissonas, vt sunt dolor, & gaudium. Qui ergo doluerat cruciatus odio, vbi cor suum plus nimio explicuit lætitiâ reserante sinus, quos dolor occluserat, illico decubuit morbo, quo miserè extinctus est, Deo vltore iniuriæ illatæ templo suo. Eodem fato defunguntur omnes, qui lætantur in rebus pessimis; videlicet conuiciis atque molestiis, quibus afficiunt probos homines, templa animata Spiritus Sancti. Deo sic decernente pij plerumque reprobis subsunt malè excepti, & opprobriis saturati; at lethali victoria dispereunt biliosi, & vltores. Nec est quòd queruli sint homines innoxij de acceptis iniuriis: quippe iracundus homo seipso vindice plectitur, antequam alij eius iniquo animo crucientur.

EX HISTORIA.

Histor. Gallic. in Phil. I.

Guillelmi Regis Angli mors iniqua.

Rem hanc velut acu Petrarcha tetigit, dum sic scribit: *Vindictâ nihil dulcius, ita nihil amarius; quam cur quidam dulcem dixerit mirari soleo, sin dulce aliquid inesse consenseris, dulcedo effera viro indigna, ac propria belluarum, earúmque non omnium, sed præmordacium atque ferocium. Nihil humanum minus quàm sæuitia, & feritas.* Optimè sanè: homo namque iracundus degener est, & in feram transit. Idem Petrarcha inde sumit argumentum consolandi eos, qui graues patiuntur hostes, asserens omnes, qui alios satagunt opprimere, aliunde premi. Sic ergo consolatur hominem conquerentem de pluribus inimicis. *Illi quoque sunt premuntur affectibus, estque apud illos victor tuus, isque non vnus: pro te partes faciunt ira, metus, odium, inquietudo, necdum peracti criminis pœnam exigunt; sic interdum vltio præit offensam, & fortasse non sequuturam. Armabuntur, laborabunt, sudabunt, æstuabunt, anhelabunt, trepidabunt, & fortassis horum nihil ad te. Multi sæpè grauibus odiis sibi non aliis nocuere.* Hactenus ille. Cui ego adiicio, agi cum iracundis alios vexantibus sicuti cum insanis atque furentibus, qui volentes arripere gladium, quo alios cædant, ipsi incautè aciem capientes se cruentant, imò & sæpè confodiunt lethali vsu gladij temerè exerti. Ita vltrices animæ arripientes gladium, id est, vindictam sitientes, quæ ad eos non pertinet, sed ad Deum tantùm, gladio illo vsurpato dispereunt, quia in ius alienum incurrerunt. Possunt quidem aliquando cute tenus bonos affligere, mutilando seu necando corpus; sed in animas sæuire nequeunt, quæ sunt altioris dominij.

Petrarcha de Remedio vtriusque fortunæ lib. I. dial. 101.

Vindicta quomodo torqueat vindicantes.

Idem lib. 2. de remediis vtriusque fortunæ dial. 32.

Iure Ciuili potest & probari, quàm immunes sint animæ nostræ à rabie hostium nostrorum, etsi multifariam moliantur exterminium nostrum; sic enim ex Iure Cæsareo loquitur Vlpianus: *Imperium, aut merum, aut mistum est. Merum imperium est habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit.* Bartolus in hanc legem sic commentatur. Imperium maximum est condere legem. Imperium maius est, adimere vitam corporalem, & habere ius gladij. Imperium paruum est, relegare. Imperium minus est, aliqua leui pœna coërcere. Imperium minimum est, imponere mulctam pecuniariam. Ex prælibatis nota, quàm sit iniquorum hominum potentia decurtata: habent reuera aliquod Ius in viros innoxios, sed minimum, cùm bona piorum diripiunt deprædando, detrahendo, & quandoque verberando. Habere autem Ius maximum situm in necando, non est hominum arbitrij, sed Dei concedentis. Denique Ius maximum, quod legislatorem sapit, nequit esse penes vilia capita, quæ Deus non adsciscit in vindictam bonorum hominum. Eamobrem Christus aiebat discipulis suis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.*

EX IVRE CIVILI.

Lege Imperium ff. de Iurisdictione omnium Iudicum.

Bartolus in leg. imp. ff. vbi sup.

Imperium merum & mistũ, quid.

Matth. 10.

Cùm ergo æmuli nostri, odio Vatiniano perculsi sæuiant vltra potestatem, non est quod reformidemus inanes impetus, ipso etiam Vlpiano sic monente: *Quid enim obfuit conatus, cum iniuria nullum habuerit effectum.* Eodem Iure cautum vt ille ea patiatur quæ voluit iniquè in alium committere; sic enim habet lex. *Si quis apud eum, qui magistratum potestatémve habebit, aliquid in aliquem noui iuris obtinuerit, quandoque postea aduersario eius postulante, eodem iure aduersus eum decernetur; scilicet vt quod ipse in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur.* Benè igitur mundus crucifixus est, quia à Præsule Pontio Pilato extorquens sententiam in Christum

Lege Hoc edictum. §. Si quis.

Mundus quomodo fuit crucifixus.

Christum innoxium, debuit ea etiam pati quibus insontem morte tenus diuexauit. Eâdem & pœnâ talionis cruciantur omnes, qui animo iam exegere pœnas ab eis, quos sunt exosi: quippe legislator summus eadem eos censura ferit, qua in alios ferere voluerunt.

Ex Mathematica. Miseram eorum sortem ipsa etiam supera Mathesis sua qua fas est ei dialecto clamat: nam cœlo dissecto in duodecim classes, quas Astrologi domos dicunt, illa domus, quæ ab inimicis nomenclaturam suam capit, & vocatur domus inimicorum, est vltima omnium, & veluti cloaca, in quam coëunt omnia malorum omnium argumenta. Nimirum appellatur domus postrema, domus cadens, domus miseriarum, infortunij, & hostium, quam domum cum subit aliquis Planeta, fit illico deterior, & quasi ipse peior patitur malum influxum illum, quem vult deorsum deponere. Idem esto iudicium de omnibus his, qui odio concepto suas simultates enutriunt bile acerba; nanciscuntur illi domum illam casus, atque miseriæ, & ab ea domo dicuntur cadentes, & miseri: siquidem illas notas & maculas inurit illa domus inimicorum, vt non cadentes tantùm, sed & præcipites agat biliosos omnes, id est eos, qui bilem coaceruant vt euomant in inimicos suos. Maximo suo damno Mundus illas expertus est clades, Christum affligendo Cruci: nam vt præteream, omnes ferè Iudæos conscios mortis Christi male periisse, & filios eorum fuisse Vespasiano pœnas parricidij à parentibus perpetrati; idem hodie Mundus, quia denuo Christum crucifigit crebrò facinore repetito, luit pœnas easque acerbas actus nefarij.

Ptolem. lib. 3. de Iudiciis cap. 12. & 19.

Christi homicidæ male perierunt.

Mūdus quomodo deseuiat in pios homines. Quæres fortè quomodo deſæuiat Mundus in Christum nostris subductum oculis? Respondeo, Christum peti in membris, scilicet in fidelibus quibusque sanctioribus; hos enim præcipuè Mundus insequitur, iuxta præfatum illud Christi. *Si Mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de Mundo fuissetis, Mundus quod suum erat diligeret; quia vero de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus.* Ipse idem Christus Dominus præscius agonum, quos subire debebant strenui sequaces ipsius, personam illorum induit, cum premuntur, seque vexari querulus ingeminat, vt legere est in fastis Ecclesiæ, recensentis quotannis Pauli Apostoli vtrumque facinus, videlicet sæuitiam in fideles, & inaugurationem eius ad Apostolatum. Illic Christus imputat sibi ærumnas, & iniurias omnes illatas Ecclesiæ, dum sic compellat Saulum præcipuum Synagogæ Satellitem, in Ecclesiam debacchantem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sed heu, hæ querelæ non compescunt iniquos ausus Mundi, optimos quosque durius insectantis, iuxta priscum suum morem feriendi probos, quia ei minime conueniunt.

Ioan. 15.

Actor. 9.

Genius ille iniquus Mundi, persequentis homines innoxios, traduci potest, vindice etiam Codice sacro, cuius scriba actus cœlico flamine, sic describit nefandos ausus hominum reproborum, quos rabies acuerat in Dauidem virum vtique sanctum. *Dixit ergo Achitophel ad Absalon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte.* Quæso animaduerte Mundi ingenium. Improbus homo Achitophel, perduellis, & refuga, numeroso satellitio vult stipari, vt vnum tantùm hominem vexet. Duodecim millia virorum conscribit impiorum, vt hominem sanctum, scilicet Dauid tollat è medio. Nec frustra notat sacra illa historia, hominem desertorem fidei suæ dixisse: *Persequar Dauid hac nocte*; siquidem nocte tantum se produnt impij, & illis semper quæque agunt omnia tenebrescunt. Etenim turpia arbitros non venantur, & præsertim quando insurgunt in insontes, quorum eo nomine est sors miseranda, quod in hoc æuo, hominum nequam pateat incursibus.

2. Reg. 17. Mundi figura eximia persequentis bonos.

Mūdus odit innocētiam.

Ex SS. Patribus. Chrys. hom. de Absalom. Hoc deflet S. Chrysostomus: *O innocentia, quantum apud reos periculi suscipis, quantum malitia per flagitiosos incurris! David sanctissimus tot dementes exercitus, quia non deliquit, ostendit: tot populorum rabies, quia non læsit, incurrit. Absalon vnus est reus; & vniuersus contra patrem conspirat exercitus. Armantur in cædem funesta manus multorum, prouocantur in innocentem.* Hæc ille. Idem verò Dauid quasi alludens ad intentum Achitophel, allegantis noctem vt tempus opportunum impio suo facinori, sic ait. *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Et alibi, quam sit acerba mens hominum impiorum sic explicat: *Qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, vt cibum panis* S. Augustinus reuoluens illam sententiam ait: *Tanquam panem manducant populum Dei: cætera enim quæ manducamus, possumus modo hæc, modo illa, nō semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma; semper autem panem.* Quasi diceret; rerum omnium discolor est & varia propensio, sed in eum scopum reprobi omnes intendunt, vt sint iniurij viris bonis: & hoc argumentum tædij, quod inflexit animum Salomonis, ritum sæculi detestantis. *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub Sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.*

Psal. 10.

Psal. 52. Augu. in Psal. 10.

Ecclesiast 4.

Consilium malum consultori noxium. Non impunè sanè furunt noxia capita; quippe in auctorem suum semper scelus reuoluitur: & quemadmodum viperini fœtus sunt lethales viperæ malè fœtæ; ita & mala enixa ab impiis eos cruciant, antequam insontes vel minimum quatiant. Huiusce veritatis se luculentum vadem præstitit Achitophel, cuius consilium explosum de persequendo Dauide, eum adeò perculit, vt mortem ipse obierit, quam moliebatur inferre Regi optimo. Illius funus infelix obiicit nobis sacra Regum historia, cuius hic est contextus. *Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam, & disposita domo sua, suspendio interiit.* Digno equidem fato elatus, quo & efferuntur ij omnes; quos iniqua acerbitas sollicitat in iustorum hominum perniciem: siquidem iniquitas eos inscios exagitat meditantes impetum in insontes; potestque eis affingi symbolum, cuius meminit Ferras, dum recenset vitulum marinum dormientem mediis in fluctibus, vnde emersit pictura symbolica, hoc titulo insi-

2. Reg. 17.

Mundus cui cōparandus.

gnis. FLVCTVAT, ET QVIESCIT. Eo plane modo Mundus prætendens laqueos probis hominibus. FLVCTVAT ET QVIESCIT, reuera vitulum marinum æmulatus; est enim Mundus mare noxium, & infelix, cuius incolæ atque municipes sunt vituli, seu pecora, quibus quiescere & fluctuare perinde est; quia dum quietem aucupantur in crimine, variis æstibus iactantur, quos conscius criminis animus excitat vt procellas.

Ex SYMBOLIS. Ioan. Ferras p. 2. Theatri.

Nimirum etsi homines nefarij ementita pace luxurient, & subsannent probos; animus eorum inquies luit pœnas ærumnarum, quas aliis hominibus vitæ cultioris irrogarunt. Non enim sarta tectaque quies est nebulonum, quos licet mala extera non percellant, mens tamen reproba lancinat; sicuti Iure Canonico proditum est. Sic habet textus. *In cunctis, quæ in hac vita aduersa proueniunt, sola est, sicut nostis, omnipotentis Dei districtio pensanda, ad cor semper proprium recurrendum, vt nullius nos ibi lingua implicet, vbi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit; & inter accusationes liber est: Et liber vel sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius addicit conscientia accuset.* Hactenus ille Canon, explicans fucos huius adulterinæ pacis, quam prætexit mundus, factus sibimet tortor, torturæ volens alios subiicere.

Conscientia in tribulatione consulenda. Ex IVRE CANONICO. Canone. In cunctis 11. quæst. 3.

Quo pacto mundus fuerit crucifixus quando Christum crucifixit.

PVNCTVM XIII.

Ex HISTORIA. Daniel. 6.

PRiscis etiam sæculis inoleuit ista parœmia: Malum consilium consultori suo pessimum est: etenim illi effato fidem fecit iniquus exitus eorum omnium, qui suo consilio fuere conscij necis hominum insontium. Testes accipe satrapas illos, qui suaserant Regi, vt Danielem mitteret in lacum leonum; vnde cùm sospes & integer exiisset, mansuetis vsus leonibus, statim vrgente Rege, in eamdem specum iniecti sunt pessimi consultores, sed exitu dispari; quippe luerunt pœnas impij sui consilij, præstito pabulo leonibus, qui lacera eorum corpora deuorarunt. Malè etiam perierunt Anitus, & Melitus suasores mortis, quam Græci intulerunt Socrati viro virtutis emeritæ. Cæsaris homicidæ omnes, etsi numerosi, infœlici fato sublati sunt, consiliique sui virus atque perniciem experti sunt, eodem fere gladio pereuntes, quo Cæsarem confoderant.

Aniti & Meliti mors qualis. Plutarch. in Iul. Cæs. Cæsaris homicidæ malè perierunt.

Fortasse credideris, beatius actum esse cum dæmone, & Mundo, osoribus Christi, cui procurauere Crucem? Nequaquam sanè; nam in sui perniciem dæmon, & Mundus fuere iniurij Christo Domino: nimirum incubuerunt exterminio suo diabolus & asseclæ eius, quando suasere Pilato necem Christi, qui etsi mortem obierit, non ideo tamen à Mundo & dæmone prostratus est, sed vtriusque extitit victor inclytus; sicuti olim Samson, qui plures moriens extinxit, quàm prius integer absumpserat. Nemo dixerit Codrum Regem Athenarum victum ab hostibus, qui moriens hostiles fudit acies, & victoriam peperit suis.

Codri Regis mors gloriosa.

Simili modo euictos fuisse dæmonem, & Mundum asseruit Christus instante Passione sua; ait enim *Princeps huius Mundi eiicietur foras.* Et alibi. *Confidite, ego vici Mundum.* Quomodo Satanas fuerit in fugam actus, dicam proxima sectione: inpræsentiarum nobis esto res cum Mundo, quem Ioannes Apostolus definit à contentis, cùm ait: *Omne quod est in Mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Quasi diceret: Ego nuncupo Mundum, eos, in quorum anima stabulantur concupiscentiæ & fastus, sicuti hydrias ego dixi ea vasa, quæ in nuptiis Galilææ erant reposita ad hauriendas aquas: vasa igitur iniquitatis omnigenæ, sibi vendicaunt nomenclaturam Mundi, vtique ironicè; ita vt Mundus dicatur Mundus, quia minimè mundus est. Et vt & sylua opaca inuia luci, per antiphrasim dicitur lucus, quia Sol illic minimè lucet; sic omnis immunditia designatur nomine Mundi. Cùm igitur audis, Mundum Christum Dominum Cruci addixisse, perinde est ac si audires, hominum noxas, siue piacula infanda filiorum dyscolorum, affixisse lethali stipiti parentem suum optimum, qui lubens hanc subiit mortem inglorium, vt fato suo supremo faceret finem vitiorum. Et huc sibi indixit probandum titulus huius puncti, qui dum enuntiat, Mundum fuisse crucifixum, crucifigendo Christum, insinuat in nece Christi fuisse exterminium omnium peccatorum.

Ioan. 12. Ioan. 16. Ioan. 1. 2. Mundi nomine quid intelligamus.

Agnosco lineamenta quædam interitus vitiorum omnium in morte Goliath; & licet passim vsurpetur hæc figura de diabolo prostrato à Christo, altius quidpiam subodoror, dum expendo singula recensita in Dauidis cum Gigante certamine singulari. Figuram ego explico de Mundo extincto virtute Christi. Dixi, Mundum nihil aliud esse quàm vitiorum omnium colluuiem, & præsertim concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Hoc quasi satellitio stipatus Goliath, inferre voluit necem Dauidi, fuste tantùm & quinque lapidibus accincto ad pugnam. Quo verò habitu Goliath processerit, accipe ex contextu sacro. *Egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath de Geth, altitudinis sex cubitorum, & palmi.* Nota, hominem fuisse spurium, atque adeò rite designare Venerem noxiam, seu concupiscentiam carnis. Procera moles corporis eius superbiam clamat, sicut & concupiscentia oculorum seipsam prodit in eo quod ait: *Si præualuero, vos seruietis nobis.* Auarus ille animus quicquid oculis erat obuiũ ambiebat. Sed aliis vitiis eminet ille fastus, quo improperans homo nequam ait: *Ego exprobraui agminibus Israël hodie: Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.* Inde inferri potest quàm longè latéque patuerit dominium vitiorum, quibus Mundus insultabat hominum genti: nam ante Christum singulari certamine rarus extitit, qui non fuerit aliquo peccati contagio sauciatus. Vni athletæ debebatur victoria de immani hoste, & tessera triumphantis debebat esse baculus; & quæso aduerte mysterium. Dauid, referente Codice sacro, sic armatus est. *Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque*

Mundi fors benè lineata in Goliath. 1. Reg. 17. Mundus à Christo prostratus.

que limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisthæum.

In hoc apparatu gigas infidelis nihil exhorruit præter baculum; sic enim in Dauidem succensuit: *Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?* Et tamen debebat esse baculus innoxius; penes enim lapides erat victoria de hoc homine iniurio Hebræis. Ita & dæmon cum Christo Domino congressus, magna pompa emicuit, longéque intonuit fragor armorum eius: quippe armigeros habuit Iudæos, Scribas, & Pharisæos, Gentiles Romanos, qui erant in præsidio; imo ex Apostolis transfugam vnum, videlicet Iudam sacræ militiæ desertorem. Christus humili habitu iuit obuiam hosti, sola Cruce armatus & quinque plagis: & licet dæmon, & Mundus occubuerint icti quinque plagis; Mundus tamen præcipuè occidit & periit, baculo Crucis eum quatiente. Etenim tota peccatorum cohors, ex qua coalescit Mundus, in Cruce affixa est, id est, Cruce Domini diluta sunt crimina omnia, quibus antea tenebamur, vt insinuat Paulus. *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Crux mundum profligauit.

Gloss. 2.

Nonne chirographi affixi ligno, intelligo opera manuum nostrarum, videlicet crimina, quorum nexus inextricabiles Crux vna resoluit, atque ita Mundus Cruci affixus est, quando Christum crucifixit, qui velut ære alieno obstrictus, luit pro omnibus debita, quæ non contraxerat, subiens tormina solis instituta reprobis. Et esto, quælibet Christi ærumna satis superque fuerit ad expiationem omnium delictorum; tamen Mundi occasus; & vitiorum omnium exterminium, Crucis stipiti tribuuntur, quia illic peccata omnia destructa sunt. Superbia inclinata est, Christo depresso infra id omne quod vltimum esse potest. Nimirum obstrepente in eum tota ciuitate, populus pluris fecit homicidam vnum nomine Barrabam, anteponens eum Domino Redemptori. Caro suas tersit illecebras punctione clauorum, & importuno diademate spinis hirsuto. Inuidia aliorum bono inimica, vidit Christum eximentem se sibi, vt totum omnibus impertiret. Ita non habuit sanguinem circa cor accensum; nam corpus vsquequaque patulum plagis illud affatim effundebat. Et ne qua vindictæ suspicio perduelles aliquando lacesseret: sic orauit qua potuit contentione vocis: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Nullus fuit auaritiæ locus vbi moriens Dominus prædiuites gazas suas aperuit, & effudit. Gratiam & gloriam latroni pœnitenti largitus est; Matrem suam Ioanni discipulo tradidit, corpus suum Iosepho ab Arimathia dereliquit, animam vero suam Patriarchis in limbo degentibus videndam obtulit, eos inde redimendo. Gula cupedias omnes didicit aspernari sitiente Christo, & potato felle & aceto. Demum Acedia feruorem habet, quem æmuletur, animo versans Christum vltro obuiam factum eis, qui mortem ipsius anhelant; illis enim clamantibus se quærere IESVM Nazarenum, ait: Ego sum. Itaque cùm Crux sit virtutum omnium schola, & vitiorum eliminatio, benè Mundus in Crucem actus, quando vitia omnia illic extincta sunt.

Chirographum cruci affixum quale fuerit.

Ex Theologia.

Luc. 23.

Christus moriendo suas gazas aperuit.

Rursus ex Theologia, duo in peccato virulenta sunt, scilicet culpa & pœna, vtrumque exigebat Crucis obsequium ob hypostasim pretij infiniti, quæ emicat in vtraque natura Christi. Passa est natura humana, pœnas pendens meritas ab homine; natura Diuina gratiam edidit, quæ expunxit culpam; quam tergere non poterat alia natura, quàm Diuina: vt enim ait S. Thomas: Humanitas Christi non est causa primaria gratiæ, sed duntaxat causa instrumentalis; siquidem gratia, eodem Thoma assertore, est quid aliquomodo infinitum, cùm sufficiat ad merendum præmium infinitum, & eius beneficio satisfactio proportionatur culpæ infinitæ, pro vt est offensa Dei. At nulla natura finita, vt est humanitas Christi seorsim sumpta, potest edere aliquid infinitum: ergo Dei est primario; humanitatis autem Christi instrumentaliter, quòd perdum ierint peccata omnia. Crux autem fuit alea, quam ingressus est Christus, editurus hoc specimen virtutis suæ infinitæ.

Crux culpam, & pœnam peccati diluit.

Thom. 1. 2. q. 112. art. 1.

Idem. 1. 2. q. 114. art. 3.

Gratia an sit quid infinitum.

Eamobrem lubet describere triumphum Crucis eo symbolo, quod effinxit Ioannes Ferrus, pingens arborem fraxinum, cuius ea est vis in serpentes, vt vel vmbram eius refugiant: vnde ille titulū hunc arbori inscripsit STANT QVOQVE PROCVL AB VMBRA. Optima sane Crucis cum fraxino relatio, & serpētis cū peccato; vbi enim purgata est virulentia hominum, homine Christo crucifixo, euanuere illico peccata omnia ad intuitum Crucis, sicuti exanimantur viperini fœtus iuxta fraxinum. Si igitur, amantissime lector, spirat adhuc in te tetra colluuies peccatorum, securus adhæresce Cruci: peccata, Crucis STANT QVOQVE PROCVL AB VMBRA. Quisquis enim Crucis est sectator impiger, ille procul est ab obscœna colluuie vitiorum; scaturigo quippe serpentium procul est à Cruce.

Ex Symbolis.

Ioann. Ferrus p. 1. Theatri.

Serpentes odere fraxinum.

Extirpari omnimodam luem vitiorum solo Crucis intuitu, fit palam ex erectione serpentis ænei, Deo sic sanciente: *Fac serpentem æneum & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent sanabantur.* Audiendus Ambrosius. *Non verus sed æreus suspensus est serpens: quia in veritate quidem corporis, sed sine veritate peccati suscepit Dominus speciem peccatoris, vt per lubricum infirmitatis humanæ, simulando serpentem; depositis carnis exuuiis, veri destrueret serpentis astutiam.* Idem alibi. *In figura æreus serpens tanquam confixus Cruci, quia verus crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret. In figura maledictus, in veritate autem qui totius mundi maledicta deleret.* Aptius meo proposito Augustinus, totam peccati labem abactam Cruce edisserens. *A serpente mors venit, quæ mori merentur homines; homini persuasit. Dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit, tanquam venenum serpentis; sed tamen*

Serpentis ænei figura crucem indicauit.

Num. 21.

Ex SS. Patribus.

Ambr. l. 3. de Spir. S. c. 9.

Idem. Apol. Dauid. c. 3.

Aug. de pec. merit. lib. 1. c. 32.

men transtulit mortem, vt esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, vnde in carne peccati, & culpa solueretur, & pœna.

Si ego anser inter olores occino, dicam Mundum pependisse in ligno sub typo serpentis, quo lineatur peccatum omnigenum, ex quo coalescit mundus; habeo luculentum vadem mei cogitatus, scilicet Theophanem Ceraмеum Archiepiscopum Tauromeniæ in Sicilia, qui ita mihi præit. *Ne turbetur quispiam Christi amantium, cùm audit, rationem tanti mysterij in tam inuisum animal conuenire. Si enim in sacris literis pater peccati serpens nominatus est; etiam id quod ex hoc serpente progenitum est, peccatum inquam, serpens vocabitur, eiusdem cum suo genitore nominis. At Dominum pro nobis factum esse peccatum testatur Apostolus, cum nostram naturam peccatis obnoxiam assumpserit, eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Concinit Tertullianus. *Moses post interdictam omnis rei similitudinem, cur æreum serpentem, ligno impositum pendentis habitu, in spectaculum salutare proposuit? An & hic Dominicæ Crucis vim intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuique à spiritualibus colubris, intuenti tamen, & credenti in eum sanitas morsuum peccatorum, & salus exinde prædicabatur?* Hactenus ille.

Theoph. in Domin. ante exalt. S. Cru. Mundus figuratus in serpente æneo.

Tertul. l. 5. cont. Marcio.

Ex Ivre Civili. *Pan. l. b. 5. titul. 22.*

Malè ergo Mundus sibi consuluit, dum volens stabilire dominium peccati, in Crucem egit Dominum; nam pius ille hominum parens, eorum carnem induerat in similitudinem carnis peccati, etsi esset is citra peccatum, vt carne affixa figeretur & peccatum cuius iniqua semina carni insita sunt. Rursus Mundus, Hebræos, & Gentiles acuens in Christum insontem, offendit in legem Cæsaream, de qua sic Paulus Iurisperitus. *Legibus Romanorum auctores seditionis, aut tumultus pro qualitate dignitatis, aut in Crucem tolluntur, aut bestiis obiiciuntur.*

Ex Philosophia. Mūdus quare occubuit Christo moriente.

Quid mirum si Mundus occubuerit, cum Christo Domino singulari certamine congressus? cùm ex Philosophia omnis actio fiat ex proportione maioris inæqualitatis, qua sublata nequit aliquis effectus exurgere. Verbi gratiâ, ferrum calidum vt quatuor, id est, habens quatuor gradus caloris, nequit accendere subiectum aliquod, cui frigus insedit in eadem intensione graduum. Igitur cùm sanctitas Christi fuerit infinita, debuit necessario succumbere iniquitas Mundi, quando voluit coire in Cruce cum Christo, qui illic cum iniquis reputatus est quasi peccator omnium peccatorum vincula dissoluens, etsi affixus ipse stipiti salutari.

Ex Mathematica. *Schonnerus in isagoge ad Astrolog.*

Fauet & Mathesis siderum amans. Ait illa disciplina cœlis intenta, Planetas in exaltatione sua exercere totam vim suam, ac ideo esse validissimos, & eorum influxum infra cœlos multa efficere; vnde sic arguo: Etsi Christus adeò fuerit eminens supra hominum genus, vt vita eius vna semper fuerit exaltatio; tamen eas moras, quas fecit in Cruce, dixit esse exaltationem suam. *Oportet,* inquit, *exaltari filium hominis.* Ergo debuit esse aliquis peculiaris influxus Cruci, & is potens ad infirmanda mundi conamina, sita in satellitio peccatorum. Quæ virtus vt efficax enituit in venia, quam latro demeruit ex vicinia Crucis, cui suum exhibuit obsequium, confitendo potentiā Christi Domini crucifixi.

Ioan. 12.

Ex re Medica. *Fernel de meth. med.*

Et esto facessens negotium Christo, Crux ærumnas ei pepererit vsque ad animæ deliquium; non tamen defecit ille Deus nisi cute tenus, sed mundum lacessiuit ea ratione, qua medici impugnant morbum importunum, qui cùm venas peragrarit, effusione sanguinis euincitur adeò larga, vt plerumque decumbentem ægrum animus deficiat ad horam, licet eo cruoris profluuio foras eruperit tota morbi pernicies. Sanguis Adami iniquior factus esu pomi, quod in eius viscere incruduit; sanguis inquam ille impurior, veluti in posteros transfusus dira peperit symptomata, quibus prosapia omnis elanguebat: Mundus nescius quid ageret, aperuit latices omnes sanguinis Christi in Cruce penduli; eo sanguinis effluxu, repurgium Mundi effectum est, in cuius rei fidem monumenta aperta sunt, & mortui rediuiui testati sunt de Christi deliquio reuixisse: & sic dum credidit præualere Mundus crucifigendo Christum, seipsum morti addixit.

Ex Historia. *Dupleix in Henric. IV.* Brissonij Præsidis mors vindicata.

Habet historia, & prisca, & recens calculum suum, quem adiiciat proposito themati, de Mundo pereunte quando exterminium Christi cogitauit. Res in Gallia gestæ, cùm omnia susque deque versa sunt, bello ciuili populante cunctas regni plagas, luculentam faciunt fidem conclusioni prælibatæ. Eo sæculo, cuius adhuc extant ruinæ, ciues aliqui Parisienses tumultuarium regimē occupantes, virum emeritum Præsidem Brissonium scientiæ singularis indicta causa condemnantes, pendulum de inglorio stipite suffocarunt. Credidere viri nequam, mortem viri spectabilis fore vitam suam, & illius ruinam facturam ipsos conspicuos. Sed calente adhuc sanguine perempti huiusce Senatoris, vrbem contendit Dux inclytus, qui tunc rerum potiebatur, quosque comprehendere potuit conscios præfatæ mortis, omnes eodem genere mortis extulit præcipiti suspendio. In hunc etiam modum Heluetij sæuierunt in Burgundos, qui aliquos illius Gentis homines captos iure belli suspenderant: nam belli alea alternante suas vices, Burgundi missi sub iugum ab Heluetiis, iisdem patibulis & funibus appensi sunt, quibus nuper occiderant æmulos suos. Ita & Mundus eidem Cruci addictus est, qua & Christum extulit.

Caroli Ducis Burgundiæ mors.

Paradin. in hist. Burgund. sub Carolo Duce.

Præterire nequeo facinus Iustiniani Imperatoris, quem Leontius purpura exutum non in ordinem redegit tantùm, sed & nouacula naso deformato, in exilium deportauit. At fortuna nequeūte constare sibi, rediit Iustinianus solio suo restitutus, captum Leontium & miserè diuexatum extinxit, & quoties mucus è naribus plagam eius refricabat, ille fluore admonitus iniuriæ, toties aliquem enecabat ex consciis illius molestiæ. In hæc discrimina incidit Mundus quando lacerum flagris corpus Domini egit in Crucem; cruor enim inde emanans extinguit omne contagium peccati, cuius inundatione dominium Mundi perstat. Quisquis ergo gemis sub iniquo Mundi iugo, esto intentus plagis Christi, eius liuore sanaberis; hinc enim elluit venia, atque redemptio criminis quantumuis infandi antea perpetrati.

Leōtij mors. *Baronius in Iustin. II.* Iustiniani II. Imperatoris vindicta.

Hanc

Catechumeni quare baptizati in paschate.

Hanc vim crucifixi infirmantis omne robur mundi belle admodum explicat Ius Canonicum, dicens tempore Paschatis præcipuè catechumenos allui fonte sacro, vt inde rescirent, Passionem Christi, quæ pridiè Paschatis recolitur, esse fontem, ex cuius scaturigine emanat copiosa redemptio. Eò respexit Dauid hæc resonans. *Speret Israel in Domino.* Psal. 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Hanc autem redemptionem à duro mundi, & peccati obsequio deberi crucifixo, iste Canon insinuat.

Ex Ivre Canonico. Canon Proprie de consecr. dist. 3.

Propriè in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismi nouam creaturam condidit ex veteri: vt in renascentibus, & mors Christi operetur, & vita, dicente Beato Apostolo Paulo: An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus, & cetera, quæ latius magister Gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputauit, vt appareret ex huius doctrina spiritu regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis illum diem esse & illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterij ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipso sunt capite gesta congruerent, dum in baptismatis regula, & mors interuenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis eleuatio resurgentis instar est de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse diem legitimum, in quo orta est, & virtus muneris, & species actionis. Hactenus Canon.

Baptismi cæremoniæ referunt Christi sepulturā.

Si igitur optamus immori mundo, satagamus commori Christo, vtique crucifixo; si noxius serpens virus instillauit aspersum cibis, attendamus amarorem fellis, quo maduere labia Christi, hac ingrata potione delibuta. Si insurgat typhus gloriolæ inanis, efferentis animum in cothurnos, quos assumpsit tumidus Angelus; illico dehiscet ille tumor viso Domino morte indecora ad ludibrium vsque cedente fatis. Denique Crucis sedula & iugis meditatio occurrit insultibus iis, quibus impetitur anima incauta: quippe de Cruce vt è tribunali fertur sententia capitalis in Mundum, & in omnia eius mancipia, peccata videlicet, quibus vt agmine circumseptus est Mundus, totus ideo in maligno positus. Itaque Mundus dum credidit in Cruce decernenda erigere patibulum Christo iudicato, iecit fundamina tribunalis, è quo iudex ille tonat, & emittit fulmina in proterua capita.

Ex SS. Patribvs. S. Leo serm. de pass. Do. Crucis encomia & virtutes.

Sed inquies, quid Cruci ad tribunal? Disce à Sanctis, in quibus sic ait Leo Papa: *O admirabilis potentia Crucis, ò ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi! Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm extendisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit.* Concordi suffragio subscribit Hieronymus. *Christus quidem erat crucifixus in corpore; sed verè ibi crucifigebat dæmones. Non fuit Crux, sed triumphus.* In eamdem iit sententiam Germanus. *Sedit in throno Crucis, qui induitur iustitiam, & iniustam condemnauit mortem, ex humana natura, & societate eam proscribens: non enim dedecus aliquod erat Crux, sed triumphus, trophei, & victoriæ vniuersalis ostensio.*

Hieronym. — Germ. Patr. or. in magn. die Sabbath.

Mundo crucifixo, dæmon mundi Dominus actus est in fugam.

In hæc verba:

Princeps huius Mundi eiicietur foras.

Sectio Secvnda.

QVando æmulæ concurrunt acies, si blandientis fortunæ lenocinio victoriam sibi conciliat agmen validius, prostrato milite numeroso, insolitum est ducibus consulere sibi fuga, vt fecit Assyrius Rex Sennacherib, de quo hæc habe ex Codice sacro. *In nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit.* Eo ferè modo dæmon turpiter abactus est: nam præmissis cohortibus suis, scilicet ira, inuidia, auaritia, sensualitate, fastu, & hypocrisi Iudæorum, toto etiam Mundo armato, processit in Christum Princeps ille Mundi. Sed vbi vidit fæcem peccatorum exhaustam virtute Crucis, e qua pendulum vidit Mundum exanimum: trux ille tyrannus cessit inglorius, iuxta præfatum illud à Domino. *Princeps huius Mundi eiicietur foras.*

4. Reg. 19. Sennacherib morte sua dæmonis sit figura. — Ioan. 12.

Ex Figvris. 1. Reg. 17. Mundo deuicto à Christo peccata diluta sunt.

Recensita prius historia Goliæ, præiuit Christo in figuram eius egregij facinoris exantlati in Cruce, qua vt gladio ancipiti confodit Mundum, & Principem eius turpiter egit in fugam. Sic ait auctor historiæ sacræ: *Dauid cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præciditque caput eius. Videntes autem Philisthæi, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. Et consurgentes viri Israel, & Iuda, vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos.* Ita & dæmones omnes vbi vidêre fusas acies suas præualidas, scilicet occubuisse Mundum, & peccata omnia expuncta, retrocedentes præcipiti fuga, exularunt, nequeuntes ferre etiam ipsum aspectum Crucis, in qua vt trophæo appensæ sunt exuuiæ carnis, Mundi & Angelorum nequam.

Ex SS. Patribvs. S. August. in serm. 107. de Temp.

Ipsa figura Crucis Christi osoribus ominosa fuit, nam litera Taf, T, quæ Crucem delineat, apud Græcos ter centum significat: hic autē numerus, victoriæ sacer est, à tempore Gedeonis, qui trecentos tantùm assūpsit milites expeditos, vt in castra Madiā irrumperet. Non fugit Augustinum illa animaduersio; sic enim fatur: *Notandum est quòd trecenti secundum Græcum computum Crucem faciunt* Abraham etiam exiguo agmine instructo, numerum illum fecit victoriæ præambulum, vt legere est in Genesi. *Cùm audisset Abraham captum videlicet Lot fratrem*

Genes. 14.

fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt eos vſque Dan. Hunc locum ſic expendit ſanctus Paulinus. *Non multitudine, nec virtute legionum, ſed iam tunc in ſacramento Crucis, cuius figura per litteram Græcam Taf numero trecentorum exprimitur, aduerſarios principes debellauit, cuius myſterij virtute trecentis in longum texta cubitis ſuperauit arca diluuium.* Hinc gloſſa, ordinaria nuncupata, anſam capit ſollicitandi homines ad obſequium Crucis. *Quiſque pro anima ſua contra ſpirituales nequitias bellum gerat cum trecentis decem & octo vernaculis, id eſt, cum auxilio ſanctæ Crucis; Taf enim littera, quæ habet figuram Crucis, per centum exprimit.* Ita ille commentarius.

Paulinus in epiſt. . Crux ominoſa hoſtibus Chriſti. Taf litera crucem refert, & quid inde? *Gloſſ. in Geneſ. 14.*

Ne autem ſubreperet nobis, qualibet Cruce profligari hoſtes noſtros, decem & octo milites adiecit Abraham aliis trecentis numerus enim ille decimus octauus denotatur duobus primis elementis, quæ componunt nomen IESV Græco charactere, videlicet Ἰησοῦς. prima litera ἰῶτα facit decem, & ἦτα notat octo. Deus eo myſterio voluit inſinuare, vna tantùm Cruce Domini IESV proſternendum eſſe dæmonem, & ſequaces eius. Eò reſpexit Eucherius ſic recenſens expeditionem illam Abrahæ. *Quod verò ille tantum in trecentis decem & octo comitantibus, aduerſarios principes debellauit, iam tunc in ſacra Crucis, quæ per Taf litteram Græcam, & IESV nomen quod per ἰῶτα, & ἦτα Græcis literis ſcribitur, qui ſaluator interpretatur, in numero tercentum & octo exprimitur.* Ambroſius idem aduertit, expendens illud audax facinus Abrahæ. *Eos aſciſcit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini noſtri* IESV *Chriſti nomen crederent, Trecentos enim Taf littera Græca ſignificat: decem & octo autem ſummam, ἰῶτα ἦτα nomen fidei exprimit.* Hæc ille.

Ieſus litteræ quem numerum referant. *Geneſ 14.* Ex SS. PATRIBVS. *Eucherius in Gen. l. 2. c. 22* *Ambr. lib. de Abr. cap. 3.*

Theologia vt Deo propior, amplius lumen diffundit, cuius obſequio videre eſt Diabolum profligatum virtute Crucis; nam vt ait Ioannes Apoſtolus: *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* At Cruce Dominus IESVS omnia opera diſſoluit, quæ nexibus iniquis præſedierat Dæmon. Nimirum trux ille & dirus hominum vſurpator, eos trifariam tenuit irretitos: ſcilicet captiuando, obligando pœnæ, & ſuaſione impia inducendo eos ad peccatum, vnde næuus culpæ emergit. Hominum nemo poterat eos aperire nexus faceſſentes negotium maius eo, quod intulit nodus ille Gordius, cuius ſolutio regimen mũdi promittebat homini diſſoluenti. Vnus Alexander exerto gladio, abdita nodi exordia ingenioſè eduxit, quibus indagãdis plerique antea tempus abſumpſerant. Simili modo Chriſtus Cruce ſua vt valido gladio præſcidit omnia ligamina, quibus homo implexus reſurgere non poterat: eamobrem redemptio hominum reponitur penes Crucem.

Ieſus & littera Taf eumdem numerum reddũt. Crux diſſoluit omnia opera diaboli.

Animo ancipiti forte diſtraheris circa alias omnes actiones Chriſti: an ſcilicet fuerint meritoriæ; aut ſi meritoriæ, quorſum Crucis illa adeò ſenſibilis erectio? Facio ſatis dubio propoſito, aſſerens minimam paſſionem Chriſti ſatis ſuperque fuiſſe ad ſoſpitandum omne hominum genus; ſed Crucem aliquid habere quod non elucet in aliis operibus Chriſti: nam vt benè aduertit Sanctus Thomas, Paſſio Chriſti habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita, propter genus operis, non autem propter maiorem charitatem; ea enim eadem fuit ſemper in hoc amantiſſimo reparatore noſtro: modus verò operis longè diuerſus ab alio omni modo, quem prius inierat ille Dominus. Quippe Paſſio Chriſti ita fuit compoſita ad redemptionem noſtram, vt expunxerit tria hæc quæ ſupra recenſui, ſcilicet captiuitatem, pœnam, & culpam. Captiuitati noſtræ occurrit ſubiens ipſe iniqua vincula; pœnis quibus eramus obnoxij, eas ſubſtituit pœnas, quas vtique graues perpeſſus eſt: denique omnem terſit culpam meritum illud infinitum, quo meruit vt eſſent opera etiam noſtra meritoria. Hæc Paſſio Chriſti Domini, ratione diuinitatis eius, agit per modum efficientiæ, ratione voluntatis animæ eius per modum meriti: in carne illius per modum ſatisfactionis operata eſt hæc Paſſio, inquantum liberamur à reatu pœnæ, vt à ſeruitute culpæ per modum redemptionis, & vt reconcilians nos Deo per modum ſacrificij, ſicut fuſè ait Angelicus Doctor, qui alibi ſcitè admodum notat ita redemptionem noſtram attribui potiſſimùm Paſſioni Chriſti, vt nunquam ſine fide Paſſionis Chriſti potuerit eſſe ſalus: & hinc ait orta eſſe ſigna figurantia agones Chriſti, in omni lege, cùm naturæ, tùm Moſaïca; vtrobique enim viguere ſacrificia, veluti præambula quædam Paſſionis Chriſti.

Ex THEOLOGIA. *S. Thom. 3. qu. 48. art. 1. Idem 3. qu. 48 art. 6.* Paſſio Chriſti quem peculiarem effectum habuit. *D. Thom 3. q. p. 3. art. 5.*

Hinc collige, quomodo Dæmon eiectus ſit foras. Dæmon dicebatur intus, quando tota gens noſtra erat ei quaſi mancipata, & obligata ære peccatorum. Ergo vbi homines ſubducti ſunt illi ſeruituri, ille tyrannus, qui erat intimus, extimus effectus eſt, & Crux, quæ libertatem noſtram aſſeruit, dicitur fugaſſe inferas poteſtates, iuxta phraſim ipſius Domini crucifixi, qui de ſua Cruce ſermonem texens ait: *Princeps huius mundi eiicietur foras.* Eamobrem appoſitè aptari poteſt Cruci ſymbolum illud, quod attribuit Ferro, ſcribenti depictum fuiſſe gladium vincula diſſecantem, hoc titulo. NODOS VIRTVTE RESOLVO. Nemini planè affingi plenè poteſt hoc ſymbolum, niſi Chriſto: etſi enim omnes chori Angelorum aduoluti throno Dei, tentaſſent redimere hominem implexum funibus peccatorum; fuiſſent eorum irrita conamina: vni enim Cruci conceſſum eſt, præferre hunc titulum. NODOS VIRTVTE RESOLVO.

Diabolus quomodo eiectus ſit foras. *Ioan. 12.* Ex SYMBOLIS. *Ioan. Fer. p. 2. Theat.*

Vni tantùm Chriſto datum eſt, eſſe vindicem libertatis qua cecideramus, primo parente noſtro Dæmoni mancipato: ſiquidem vt Iure Cæſareo, filij ſequuntur conditionem matris, ita vt nemo liber naſci queat ex ancilla, ſeu matre ſerua; ſic omnes Eua captiua ſuos liberos ſeruos enixa eſt. In ea ſeruitute deterioris fuere conditionis quàm fuerint olim vilia capita inter Gentes, apud quas viguit hoc decretum Imperatoris Ælij Martiani. *Dominorum quidem poteſtatem in ſeruos ſuos, illibatam eſſe oportet, nec cuiquam hominum ius ſuum detrahi.* Ibidem ait Vlpianus, Imperatorem Adrianum Vmbriciam matronam relegaſſe, quia ex leuiſſima cauſa ancillas ſuas atrociſſimè diuexaſſet. Sanxit item Imperator Ælius, ſeruos Iulij Sabini fore in poſterum liberos, ſi conſtaret de iniquo dominio ſæuientis.

Chriſtus vindex libertatis noſtræ. Ex IVRE CIVILI. *Leg. Lex naturæ ff. De ſtatu homin. Eod. titulo. L Si Dominus Ibidem.*

Cùm

Cùm igitur homines seruierint Diis alienis, qui negabant requiem, æquum fuit prouidere tantis iniuriis: Et hoc nemo ante Christum venturum præstare potuit, diabolo homini prævalente; citra enim fidem in Christum venturum prisca ætas nihil valuit edere gloriosum. Eo autem edito diabolus imbellis extitit, & eo patiente omnino profligatus, tanquam à Domino potiore, & virtute præpollente, quemadmodum prędixerat Christus ante agones suos. *Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.*

Luc. 11.

Ex Philosophia.

Scot. in lib. 4. sent. dist. 1. q. 2.

Iam vide, vnde Crucis terror ingeratur Dæmoni. Ex Philosophia, signum est id omne, quo deuenimus in notitiam alicuius rei, & de ratione signi est, vt æmuletur indolem rei, cui præire assolet. Id est, si res grata sit, quæ proxima enunciatur, signum præcurrens nequaquam erit ingratum, sed eius aspectu gestiet animus; si verò secus aliquid iniurium quopiam signo insinuetur nobis, illico fremit animus, obiecto præludio molestæ rei instantis. Ideo capite damnatis gladius abditur, quo cadere debent, ne animus abstrahatur à Deo, eo signo necis imminentis. Quid ergo mirum, si Angelus nequam ferre nequeat aspectum Crucis, cuius vim expertus causâ cecidit, & pulsus est dominio, quod durius exercebat. Plagas adeò truces sensit inflictas sibi Satan virtute Crucis, vt ad occursum illius non ingemere nequeat, insinuans se torqueri, & esse erasos titulos suæ potestatis: eoque signo fideles maximè prævalent in spiritum illum nequam; sicut & Scythæ olim compescuere ferociam suorum seruorum, qui deficientes à Dominis suis, coïerant in ingentem exercitum, quo acceptas iniurias vlcisci decreuerant. Non tulere diu Domini ausus insanos hominum, quos sors viles effuderat: conueniunt, & consilio inito de genere armorum, quo exterminarent illa mancipia; censuere, vulgus illud inglorium esse indignum gladij percussione, atque adeò retundendos esse seruos flagris, ne viderentur Magistri seu heri pugnare in seruos, sed potius flagellando coërcere vesaniam. Vtrimque acies sese prodeunt, explicant, & concurrunt: intendunt arcus suos serui, & exerunt gladios, Domini verò inermes irruunt præostensis flagris, quorum aspectu serui reuocantes memoriam plagarum antea acceptarum, eo horrore perculsi sunt, vt maluerint cauere sibi fuga, quam ancipiti prælio dimicare. Hæc genuina est imago Dæmonis, qui cum desæuit in nos, confestim arcetur si Crux præferatur, aut signaculum eius effingatur.

Crucẽ quare horreat dæmon.

Ex Historia. *Herodot. lib. histor.*

Euseb. lib. de vita Const. Licinius à Constantino victus virtute Crucis.

Licinius tyrannus Dæmonis effigiem præ se tulit; homo enim ille infidelis Constantino Magno Imperatori, à quo defecerat, expertus vim Crucis, quam pius Imperator erexerat in labarum, præmonuit suos milites, ne in eas phalanges incurrerent, quibus Crux præiret; illic enim adesse Numen propitium. Eadem cautela vtitur Angelus ille vafer: vbi enim deprehendit aliquos Crucis amasios, ægrè eos aggreditur, sciens non abesse ab eis Christum Dominum, vt Paulus asseruit. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Quasi diceret, crucifixionem carnis esse tesseram, eamque fidelem obsequij quod egit Christus. Vnde sic arguit tentator astutus. Christianus ille, qui est supra concupiscentias suas, & infra quem caro est, verè est crucifixus; si crucifixus, non longè est à Christo: Ergo in illum arietare, est ludibrio exponere ausus meos, qui fuere terrori etiam sancto Iob, de me asserenti, *Non est potestas, quæ comparetur ei super terram.*

Galat. 5.

Iob. 41.

Crucem & Dæmones coire liquet ex Patribus Sanctis, qui affirmant, Dæmones sæpius aufugisse signo Crucis. Prior occurrit Sanctus Gregorius Nazianzenus, enarrans Iuliani Apostatæ facinus impium: dum enim Magicis artibus intenderet, diaboli specie horrida consternatus, ad signaculum Crucis, vt ad munimen confugiens, sese expediuit ab aspectu tetro. Sic Gregorius: *Ad Crucem confugit, eaque se aduersus terrores consignat, eumque, quem persequebatur; in auxilium adsciscit. Valuit signaculum, cedunt dæmones pelluntur timores. Quid deinde? reuiuiscit malum, rursus ad audaciam redit, rursus aggreditur, rursus ijdem terrores vrgent, rursus obiecto signaculo dæmones conquiescunt.* Theodoretus eamdem recensens historiam, aduertit illud idem quod præfatus sum, scilicet spiritus hos iniquos horrere Crucem, quia ea aspecta meminere cladis acceptæ ministerio Crucis. Sic ille Iulianum traducit: *Dæmones innocui, quibus specie qua solent apparentibus, metus coegit Iulianum signo Crucis frontem signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figuram; & sua ipsorum cladis recordati, confestim euanuerunt.* Sanctus Hieronymus vim Crucis explicat exemplo S. Hilarionis: sic scribens: *Quadam nocte, cœpit infantium audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctusque mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, vt antè sonitu quàm aspectu territus cederet. Intellexit Dæmonum ludibria, & prouolutus genibus, Christi Crucem signauit in fronte, talique armatus casside, & lorica fidei circundatus, iacens fortius præliabatur; cùm iterum ex improuiso splendente luna, cernit rhedam feruentibus equis super se irruere; cumque inclamasset Iesum repentino terræ hiatu pompa absorpta est.* Hęc Hieronymus, Crucis acerrimus propugnator.

Iulianus Apostata Crucis ligno dæmones fugat. Ex SS. Patribus. *S. Greg. Naz. or. 1. cont. Iul.*

Theod. lib. 5. histor. cap. 3. Crucis signo pulsi dæmones.

Hieron. in vit. S. Hil. S. Hilarion crucis signo fugat dæmones.

Solum intuitum Crucis credo sortiri effectum eumdem, quem pharmaca aliquando aspecta ab eis, quos aliquando durius expurgarunt. Plerumque accidit vt pharmaco obuio, memoria recolens tormina ventris perpessa, & humorum repurgium, turbetur pars appetitiua, & sympaticè spiritus animales excitentur eo planè modo, quo à pharmaco percelluntur, ita vt fiat idem profluuium, quod ciere solet remedium catharticum. Diceres, noxios humores ferre non posse præsentiam medicinæ, cuius experti sunt virtutem expulsiuam. Peior adhuc est conditio diaboli; nam semel expulsus Crucis energia, solo postea signaculo expellitur, imagine Crucis eum compellente ad fugam capessendam.

Rursus è re Medica constat, lignũ vitis vstum redigi in cineres, qui calci immisti, & lixiuio aspersi donec fermententur, exurgunt in massam, quæ carni admota eam causticè exedit. Christus dicitur vitis & petra: mors & vitam, & lapidem hunc decoxit in busto Crucis, quæ est veluti conspersa cinere Christi, quando ille animam egit. Solo hoc cinere vritur Angelus refuga; id est, sola memoria mortis Domini, quam refricat aspectus Crucis, æstuat, & conflagrat.

Vitis lignum quas virtutes habet. Ex Re Medica. *Ambr. Para. cap. de caut.*

Ex Mathematica.

Ara vt est constellatio quid significet.

Ex Astronomia potest deduci idea quædam summæ potentiæ vsurpatæ ab antiquo serpente, quem elisit Crux Domini. Nempe in globo videre est, Serpentem magnum, cui nomen Hydra, porrigi ad longitudinem nonaginta prope graduum, quasi occupare velit magnam cœli portionem; sed tota illa procera moles quasi extincta iacet, & decumbit sub ea constellatione, cui nomen Ara, & cuius basis ita Hydram premit, vt hoc pondere oppressa, occubuisse videatur. Quid aptius titulo sectionis expensæ, de Principe huius mundi eiecto foras Cruce erecta, quæ est Ara illa, in qua, iuxta ritum Aaron, Christus occubuit. Antequam staret illa Ara Crucis, serpentis virulenti multa erat pernicies, longè latèque excurrens, & suis gyris inuoluens immodicas mundi plagas.

Hydra vt est constellatio.

Ex Iure Canonic.

Canone Ecclesiast. d. st. 11.

Sed Crucis Arà inundatà sanguine Christi, sola crepido Aræ Hydram adeò contriuit, vt vltra in gyros contrahere sese minimè valuerit. Nec duntaxat Crux ea, quæ tincta fuit cruore Domini, Angelum reprobum adegit ad recessum; sed & prædicatio illius, aperiens astû versuti inimici, homines abstrahit ab impio cultu, quo se prisca ætate Dæmoni manciparant: fuitque sanctitas veluti comes indiuidua Crucis, ac proinde exterminium vitiorum & Dæmonum sequebatur Crucem alicubi stabilitam. Eamobrem enascentis Ecclesiæ fuit institutum, vt Gentiles adsciti in album Ecclesiæ, à signaculo Crucis auspicarentur prima suæ fidei rudimenta, vt & eo signo notarent sese recepisse in castra Dei, dato repudio Angelis apostatis: fuitque in more positum maioribus nostris, ea loca censere sacra, vbi eminebat Crucis effigies; & Sanctus Ambrosius eò intendens, sic expressit fœminæ cuiusdam sanctitatem. *Tam deuota fuisse videtur, vt omnis domus eius signo titulata esset Crucis.*

Cruce erecta loca sancta fiunt.

Amb. in epi. ad Cel. c. 4.

Crucis in multis est inane simulachrum.

Hinc desumendum est vberrimum argumentum fletuum, eò quòd infirmetur in nobis virtus Crucis. Quotidie repetimus sacra signacula; neque tamen inde resoluuntur vincula præpedientia gressus nostros ad virtutem: vnde inane simulachrum Crucis? nonne eadem est nunc, quæ olim, fidei nostræ tessera? Ita planè, sed non animus idem. Primitus initiati sacris, dum signo Crucis adsciscebantur in Ecclesiæ caulas, bellum indicebant diabolo, Mundo, & pompis: quippe Crux non est quid emortuum, aut elingue, sed signum loquax, & sonorum, pugnam clamans, vt & nomenclatura sonat; dicitur enim Crux, à cruciando. Alij eam nuncupant, signum, vexillum, & labarum: hæ autem voces nihil inerme sonant, aut vecordiam sapiens; sed excitant ad certamen, iuxta illud Christi. *Non veni mittere pacem sed gladium.*

Crux est portanda sicut eã tulit Edoard.

Matth 10.

Ex Historia.

A. du Chesne in hist. Angl. sub an. 1289.

Edoard. Rex cruce assũpta quid fecerit.

Crucem sugillare desidiam nostram, & animos acuere in aduersarios Christi, præostendit olim Edoardus primus, Rex Angliæ; coëunte enim orbe toto Christiano ad expeditionem in Syriam, Rex ille inclytus, & religionis auitæ cultor impiger, etiam se accinxit ad hoc opus arduum & momenti non modici: quippe instruxit prævalidam classem, quæ animo iam concipiebat omnes Palæstinæ oras, vt cessuras in ius Christianum. Vt autem animum suum proderet Rex, sibi constans in eo proposito de bello sancto ineundo, & repurganda Iudæa ab omni colluuie Mahumeticæ Gentis: vestibus suis assuit Crucem coccineam, sicut erat in more positum iis omnibus, qui nomen suum dabant illi militiæ, cum tempus in gratiam recuperandæ Ierosolymæ. Et ne Crux illa assumpta, & assuta vestibus, esse videretur ad pompam tantum; pius ille Princeps eadem die sanxit, vt suo regno cederent Iudæi omnes velut in exilium acti. Rogantibus causam noui edicti ait, non se ad fastum, & veste tenus tantùm assumpsisse Crucem, sed vt indiceret bellum hostibus Crucis, quos cùm haberet apud se, vellc auspicari bellum extrinsecum à victoria belli intestini, quo callidè Iudæi lacessebant nomen Christi.

Vtinam eo œstro raperemur, quotiescunque munimur signo Crucis: vtinam inquam subtili indagine rimaremur, quinam delitescant hostes Crucis in penitiore recessu animæ nostræ, vt inde facesserent. Heu! quot affectus iniqui, in penetrale cordis irrupere, depascentes omnia semina virtutis; eliminandi sunt hostes illi, vtpote germina vitiorum. Pudeat hominem Christianum præferre Crucem fronte, & coiti hostibus signi illius viuifici. Nonne hoc est æmulari insaniam Imperatoris Alexandri Seueri, qui apud se habebat repositas imagines aureas Domini IESV, promiscuè cum idolis Saturni, Martis, & Bacchi? Eo ferè modo plerique Christiani animam suam, in impium Pantheon vertunt; nempe crebrò repetunt signum Crucis, animoque suo recolunt Christum, & mox genio indulgent, epulis vacant, luxuriant, æstuant irâ, simultates easque acerbas exercent: & hoc est in eodem fano colere Christum, & idola, quæ tamen non concordant. Miles Christiane, si te delectat labarum Crucis, & castra Dei placent, declina ab hostibus Crucis, repete nomen tuum, & concipe bellum implacabile aduersus ea omnia, quæ sunt inimica Christo.

Ex vit. Alex. Seueri.

Alexand. Seuerus coluit Christum, & idola simul.

Fortasse voluptates, & rerum placentium illecebræ omnes, vbi præsentient imminens illud dissidium tuum, vestem tuam carneam importunè succutient, sicut & olim molestæ extiterunt Augustino, ingerentes ei fore durum illud diuortium cum tot deliciis insolitis, & veluti concretis carni, quæ ab assuetis ægrè diuellitur. Si te vexat reprobum illud agmen vitiorum, rogans inducias, aut mitius secum agi, memor esto egregij, & pij facinoris exantlati à præfecto generali Equitum Rhodiorum. Vir ille strenuus nomine d'Aubusson multiplici clade affecit Turcas, quibus incautis, ille fortissimus imminebat animo nescio pacis, & quietis. Turca pertæsus inge illud bellum, celebri legatione rogat ea quæ pacis sunt, monens esse varios belli euentus. Horruit Christianus Princeps, inire fœdus cum Gente inimica nomini Christiano, & manu admota pectori suo, quod prægrandi Cruce erat exornatum, ait legato infideli: Quantocyus repeda ad tuos, & dic Domino tuo, me Crucem gestare, quæ nullas patitur inducias cum Gente infensa crucifixo, imò Crucem auribus meis insonare bellum acerbum cum alienis à Cruce.

Chalcond. in Mahm. 2.

Aubussonij Magistri equitũ Rhodiorum facinus egregiũ.

O Responsum audax, & æquè spirans pietatem! ô virum maiori imperio dignum, qui pacisci renuit cum impio populo, quia Crux illum aliò reuocabat! Induamus, & nos hunc spiritum, vt si habitus reprobi collactanei nostri, præcauentes exterminium suum, aliquas orent sibi dari moras, aut suauius agi secum postulent, non hæreamus in ferendo decreto, sed mactè insurgamus, asserentes Crucem nos vrgere in osores Christi,

Crucigeri odere dæmones.

&

& inglorium esse homini Christiano, qui se quotidie pluries obsignat Cruce, habere se pacificè cum vitiis, toto cœlo dissitis à Christo. Dæmonem subsannemus, & dicamus: Quasi verò, Angele nequam, pacificar tecum, Cruce Domini insignitus: ea classicum insonat, meque totum accendit ad ruinam tuam, Sancto Ambrosio me sic præmonente. *Hac est fidei gloria, si verè intelligas Crucem Christi. Aliæ Cruces nihil possunt, sola Crux Christi mihi vtilis est, verè vtilis, per quam mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Si mihi crucifixus est Mundus, scio quia mortuus est, non diligo eum; scio quia præterit, non concupisco eum; Scio quia corruptela consumet hunc Mundum, quasi fœtidum vito, quasi luem caueo, quasi nociturum relinquo.* Hæc ille.

Ex SS. Patribus. *Amb. lib. 6. in Luc.* Crucis Christi & aliarum differentia.

Cruce Domini Asmodæus spiritus flagrans igne luxuriæ, penitus extinguitur.

In hæc verba:

Princeps huius Mundi eÿcietur foras.

Sectio Tertia.

Eloquium istud diuinitùs insonuit: *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Illi oraculo fecere fidem nexus, quibus fuere impliciti homines ante Christi exordia in humanis. Tribus funiculis erant intertexti funes, quos circumferebat homo nescius libertatis, quam deperditam sic lugebat Dauid: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Superbia, auaritia, luxuria, tria erant vincula, quibus coëuntibus exurgebat ille funis validus, à quo se expedire nequibat Dauid. Vidimus proximè Christum, suâ Cruce veluti gladio dissoluentem omnes nodos hos Gordios, & fugantem Diabolum artificem nexuum: sed quia callidus ille serpens rursus inualuit hominum vitio, nouaque cudit vincula, quibus irretiuit obscœna Veneris mancipia; operæ pretium est expendere, quâ ratione Asmodæus luxuriæ fomes impurus, Crucis obsequio protinus extinguatur, vt hinc homines eius flagrante ar helitu æstuantes, salutare remedium accipiant, ad castitatem amplexandam.

Eccles. 4. Libertas hominis quibus vinculis irretita. Psal. 118.

Fuit olim Romanis in more positum, quibusdam vti præludiis antequam bello lacesserent vllas Gentes; scilicet bello indicto per Feciales, in fines hostium immittebant lignum sanguine tinctum, & adustum, insinuantes eo ritu se sæuituros igne, & sanguine in populum iniurium Romano Imperio. Illud ferum institutum ab incunabulis Mundi Diabolus anteuertit: vbi enim hominem à Deo abstraxit Spiritus ille nequam, arbori noxiæ insidens, misit Asmodæum, qui ligno decerpto ex arbore infausta, & conflagrante igne, quem spirabat Dæmon, bellum indixit hominibus. Lignum illud fuit & cruentum, & adustum; cruentum quia morti homo fuit obnoxius, quandò degluttiit fructum arboris infelicis; adustum verò fuit illud lignum eo incendio, quo Dæmon homines est depastus, excitando flammas luxuriæ, quibus postea conflagrarunt. Agnosco ego duas causas huiusce turpis incendii, physicam scilicet, & moralem, quæ totidem possunt etiam causis contrariis impugnari.

Ex Historia. *Alexand. ab Alex. lib. 5. dier. genia. cap. 3.* Feciales quomodo denũtiabant bellum.

Nemo nescit indecoros Cupidinis ignes suis gaudere fomitibus, quibus enutrita flamma acriùs inualescat. In his sunt escæ pabula ignis Venerei, qui humore nimio, velut oleo incandescit: at nimia ciborum congerie ingrauescit humor ille facessens negotium puritati, sicuti colligere est ex medicis, quorum vnus sic meum intentum prodit. *Dum igitur purior ac planè confectus sanguis in membra distribuitur, accedensque illis assimilatur, postrema concoctionis, atque etiam nutricationis redundans, & superfluens vtile alimentum, excrementum etiam appellamus.* Nota illud excrementum esse totum libidinis incrementum, quod maximum est, vbi est nimietas cibi & potus; cùm enim multis eduliis affluat sanguis, & ex residuo necessarij sanguinis exurgat hoc fermentum, in quo residet luxuria, non incongruè dixeris gulam Adami fuisse causam vtique physicam tantæ labis, quæ hominum genus maximè dehonestat.

Ex Re Medica. *Fern. lib. 6. Physiol. c. 1.* Luxuriæ & gulæ consortium.

Ipso rerum vsu quotidiano liquidior fit res ista; nam videmus eos qui opiparè viuunt, indulgere simul & Veneri, & ventri, vt & Sancti hactenus aduerterunt. In his accipe Ambrosium. *Mala domina seruitur gula, quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? hodie suscipit, cras exigit; cùm impletus fuerit, disputatur de continentia; cùm digesserit, tale virtutibus dicitur; saturitas castitatem prodigit, nutrit illecebram.* Ab hoc Sancto non dissentit alter, & ipse Sanctus, scilicet Hieronymus. *Vicina sunt venter, & genitalia, pro ordine membrorum, ordo vitiorum.* Accedit ad hos dignitate superior Gregorius Papa. *Sæpe edendi ratio seruit gula; & seruire se simulat indigentiæ naturæ, cumque venter ingluuie se extendit, membra in luxuriam erigit.* Adam ergo gulâ captus, igne luxuriæ illico conflagrauit.

Ex SS. Patribus. *Ambr. serm. de ieiunio.* Gula veneris amica. *S. Greg. l. 3. Moral.*

Alia causa inualescentis incendij est moralis, scilicet inobedientia; siquidem homo qualis in Deum insurrexit, talem etiam expertus est appetitum sensitiuum, vt qui noluit Deo supra inclinari, carni succumberet, quam Deus spiritui subiecerat. Luculentâ figurâ totam aperit tragœdiam codex sacer; vbi enim ait Holofernem fecisse cœnam seruis suis, in quâ mero incaluit, adiicit eum veluti prostratum, visâ Iudith fœminâ valde speciosâ. *Cor autem Holofernis concussum est; erat enim ardens in concupiscentia eius.* Quid inde? Mulier infirma hominem præpotentem obtruncat, & proinde palantes eius acies fudit. Eadem sorte dispereunt omnes qui multo se alluunt vino, & escis infarciunt; nolunt obedire rationi suadenti mediocrem vsum, ideò malè habet eos caro insurgens in incautos, quos exuit & spoliat omnimodâ armaturâ gratiarum, & virtutum.

Luxuriæ quæ sit causa moralis. *Iudith. 12.*

Hanc rebellionis pœnam bellè explicuit Iob. *Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus est, operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina pendet, habitabit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ, non recedet de tenebris, ramos eius arefaciet flamma.* Aduerte flammam luxuriæ accensam in ramis, id est in progenie Adami, quia erecto collo cucurrit aduersus Deum, id est, eò quòd rebellauit, & propter crassitudinem faciei, in qua nimietas escæ, seu gula denotatur. Et sic eo versu habes geminam causam luxuriæ, physicam, & moralem. Diceres, hasce duas causas esse bipartitas fores, quibus apertis irrupit Asmodæus in gulosos, & incestos

Iob. 15. Luxuria tota reddit hominem impotentem.

præceptorum Dei. Obscœnus ille dæmon, ligno adusto nobis bellum indixerat, eodem quoque titu Christus impuras omnes abegit legiones: nimirum igne amoris sancti accenso in Cruce, extinxit impura incendia, quæ spiritus hic libidinis longè latèque sparserat.

Ex THEOLOGIA. S.Tho. 2. 2 q. 153 ar. 1. Isidorus lib. Etymol. Gen. 49.

Vt autem Philosophicè probem, Crucis amasios esse procul à Venere, seu Asmodæum esse fugatum virtute Crucis, attendenda est ipsa formalitas luxuriæ, vt eam liquidius subijciamus Cruci. Theologia non ignara mali sic definit illud fœdum piaculum: *Luxuria est appetitus inordinatus venereorum.* Isidorus ait, esse solutionem corporis & animæ, effundentium sese in voluptates, ita vt luxus dicatur luxus, quasi laxus, vtpote habenas omnes laxans ad omnia indecora. Etenim nullum est peccatum, quo magis homo fiat impos sui, libidine eum effundente sicut aquâ, iuxta effatum Patriarchæ Iacob carpentis libidinem filij sui primogeniti. *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Ea autem est vicissitudo corporis, & animæ, vt vnâ partium præualente, altera sit infirma, atque adeò imbelles exerat actus suos. Hinc Theologi probant effœtam fieri animam asseclam Veneris, quia eo œstro rapitur corpus incensum libidine, vt totam vim animæ ebibat, voluptate iniquâ facultates animæ miserè depascente.

Luxuria quid sit. Luxuria excæcat.

Luxuria ignis infernalis

Duo ergo sunt spectanda in illâ colluuie. Primum est inordinatio amoris à Deo auersi, & vergentis ad corpora speciosa: alterum est illecebra pelliciens corpus eâ suauitate, vt omnia animæ charismata deprædetur. His duobus adijce fomites, quibus ille ignis accenditur, scilicet epulas, vtriusque sexus incauta commercia, choreas & alia præludia vestigij lubricantis. Amorē hunc æstuantem iniquè, & commemoratum Cupidinis satellitium, bellè commemorat ille austerus castitatis Encomiastes Hieronymus. *O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna!*

Ex SS. PATRIBVS. Hier. lib. ep.

Luxuria cruce tollitur. Ex PHILOSOPHIA. Arist. lib. 6. Phys. tex. 59.

Iuxta normam Philosophiæ, vt aliqua forma corrumpatur, adsciscenda sunt accidentia contraria, vt turmæ auxiliares, quibus concussa & impetita forma cedat alteri sensim irrepenti. Verbi gratiâ, vt forma ligni transeat in formam ignis, præire debent calor, & siccitas, vt expugnent frigus, & humidum, accidentia stipantia compositum, in quod ignis tentat irrumpere. Rursus exigitur vt forma trudens aliam sit vegetior eâ quam expellit; aliàs enim nulla fieret mutatio in subiecto, cùm omnis actio fiat à vincente. His prælibatis, liquidò est, omnem immunditiam tergi virtute Crucis, & sopiri omnes Cupidinis ignes, gratiâ emergente ex hoc stipite salutari, simillimo illi palmę Indicę, quæ non tantùm edit baccas, seu dactylos in escâ, sed & etiam gratâ stillat aquâ cōgruâ potioni. Eo planè modo, Crux non solùm pascit animas multiplici fructu suo, sed & refrigerat, & alluit eo quo rore madet, ita vt homo libidine æstuans, tepere incipiat aspersus eâ aquâ, quâ desudat arbor illa inimica Veneri. Ardor autem ille luxuriæ qui tepescit Crucis aspectu, statim friget si Crucem meditetur homo salax. Ideò fortè Christo in Cruce emortuo, erupere latices aquæ de latere illius aperto, vt vel hinc resciret homo, omne carnale extingui Cruce, & ab eâ defluere auxilium singulare restinguens ingentes ignium globos, quos luxuria secum voluit, & iugiter versat. Hunc libetalem & genuinum effectum Crucis, Paulus inculcat. *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Si viuimus spiritu, spiritu ambulemus.*

Crux est Veneris inimica.

Galat. 5. Crux & vitia non coeunt.

Nota ex Philosophiâ, pereunte subiecto, perire & accidentia eius, vt aquâ euanescente, necesse est perire fugus, & humidam accidentia insita aquæ: hinc benè arguit Paulus, Christi sequaces crucifixisse carnem suam, cum vitiis, & concupiscentiis; est enim caro veluti subiectum primitiuum vitiorum, & concupiscentiæ, quam vt Angelicus doctor ait, peccatum originale radix cuiusque deliquij, est ordine generationis & temporis in carne priùs quàm in anima, etsi naturâ prius sit in animâ: ergo carne crucifixa vt subiecto, cui voluptates suas affingunt illecebras, statim pessum ibit sequela hæc iniqua omnium peccatorum. Et vt corpore Christi inanimo, anima eius expers ærumnarum, Verbo vnita, gloriæ Dei puros latices ebibebat; ita consuetudine Crucis anima infirmior minimè efficitur, sed caro, quâ imbelli, extinguitur omnis luxuriæ sensus, & fit anima validior, Deo gaudens, quantùm patitur humana conditio.

S. Thom. 1. 2. q. 83. art. 1.

Præfatus sum, auersionem à Deo esse comitem luxuriæ, quæ sita est in appetitu immodico venereorum; hęc auersio corrigitur ad amplexum Crucis: dum enim cogitat homo fœdus, suas dilui sordes hoc lauacro, totus effunditur in amorem, qui subiit Crucem, vt nos à maculis omnibus emundaret. Adieci, epulas, & vtriusque sexus promiscuos cœtus suggerere pabulum igni libidinis: illis incommodis itur obuiam Cruce; vbi Dominus IESVS felle & aceto potatus suadet inediam, aut saltem lautioris edulij parcitatem, vt medium congruum honestati, ipsis etiam Ethnicis suasoribus, quorum est hoc effatum: *Sine Baccho, & Cerere friget Venus.*

Abstinentia est amica castitatis.

Ex SS. PATRIBVS. Ambr. serm. 4 lib. epist.

Habemus & nos consultores sanctiores, nimirum Patres Sanctos nobis in hac aleâ præeuntes exemplo suo; vtpote qui iugi rerum omniū parcimonia vitam egēre ieiunam, & à quibusque cupediis penitus alienam. Sese offert Ambrosius. *Fames amica virginitatis est, inimica lasciuiæ.* Hieronymus accedit. *Hippocrates in Aphorismis, docet, crassa & obesa corpora, quæ crescendi modum impleuerunt, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, in paralysim, & pessima morborum genera erumpere, & idcirco necessariam esse sanguinis demptionem. Vnde Galenus ait, quorum vita sagina est, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animasque ita nimio sanguine, & adipibus quasi inuolucro inuolutas, nihil tenue, nil cœleste, sed semper de carnalibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare.* Esse coërcendam gulam fusè edocet Gregorius, non ad castitatem tantùm comparandam, sed & agones quosuis obeundos; quippe in modico ciborum vsu posita sunt rudimenta omnium virtutum. Sic fatur ille: *Non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur; quia si non ea quæ nobis sunt viciniora prosternimus, inaniter ad ea, quæ longius sunt, impugnanda transimus. In cassum namque contra exteriores inimicos, in campo bellum geritur, si intra vrbis mœnia ciuis insidians habetur.*

Greg. lib. 30. Moral. Gula prius edomanda Christiano.

Adam arboris vetitæ deglutiens pomū, hianti ore suo, quod gula reserarat, vitiis ostiū aperuit, fomitemque ministrauit luxuriæ, quâ flagramus.

Cruce diluit Christus quod arbor prima nobis intulerat.

Christus ligno infelici opponens sanctius lignum, vt eliminaret Asmodæum, libidinis Antesignanum, qui vitio gulæ irrepserat, felle & aceto potatus est; edocens nos, auspicandum esse à gula coërcita, si illibatæ castitati volumus dare nomen nostrum. Fauet Ius Ciuile cuius est lex, hac verborum serie recensita. *Ferè quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur, cùm quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus; vt igitur nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in quâ vtrumque in contrarium actum est.* Ea lege tenemur ad obsequium Crucis, si rescindere volumus pactum, quo diabolis obligamur: illis nos gula deuinxit; ergo possumus tantùm ieiunio liberari, vtpote re contraria noxæ, quæ nos dæmoni mancipauit. Rursus animo & corpore coëuntibus in peccatum, cecideramus iure nostro, gula deuorante pomum, & animo rebellante, vtrumque piaculum diluitur Cruce diluente gulæ illecebras, & deprimente animos superbia tumescentes.

Ex Ivre Civili. Leg. Fer. ff. de Reg. iuris. Obligatio omnis quomodo dissoluatur.

Ex Historia. S. Lazarus hist. Imper. sub an. 1144.

Quàm efficax sit in Venerem impigra sequela Crucis, exemplo suo clamant animæ pœnitentes: quibus idea sola Crucis satis superque est ad sopiendos ignes, quibus hactenus æstuarunt. Non est dissonum ab hoc instituto illud prodigium, quo castra Christiana, virtute Crucis erepta sunt flammis, quibus erant peritura, non opitulante Cruce. In Oriente olim rerum præclare gestarum gloria insignes Christiani, castra metati sunt in loco idoneo; sed eis incautè sese gerentibus, hostes eorum infideles occasionem nacti, qua nostri genio & epulis indulgebant, eos obsederunt in arcto positos, & in aditu castrorum magna strue lignorum erecta supposuerunt ignem qui ventorum flabro accensus, se inclinans in castra, erat ea illicò depasturus. Christiani supplices orant Robertum Episcopum Nazaræum, vt eat obuiam ingruentibus flammis, obiiciendo eis Crucem; morem gerit ille Antistes, Cruce armatus occurrit flammis: illæ quasi venerantes salutare signum, stetere tantisper; sed Cruce propiùs accedente, reflauit ventus, qui ignium globos inflectens in hostes, plerosque eorum absumpsit, & sic ligno Crucis erepti sunt Christiani ab incendio, cui ligna infidelium pabulum ministrarant, accedente vento vrgente flammas in castra fidelium.

Crux flāmis obiecta compescuit illas

Ecce genuinam effigiem sortis humanæ enascente mundo. Reuera erat in Oriente Adam, quando factus est incola paradisi positi ad Orientalem plagam: ipse & consors eius Eua in edito loco castra posuerant; sed incauti gulæ gerentes morem, vacantes epulis illicitis, victitantes pomo inconcesso, in seipsos ius fecere diabolis versantibus hominum ruinam. Callidi hostes multam materiam congessere in vnam molem, quæ accensa est igne luxuriæ, excitato etiam spirantibus flabris superbiæ, in quam surrexerat homo, animo concipiens altos spiritus, & ambiens Deitatem ad quam vsurpandam dæmon egerat præcipitem eum dementando, dicens: *Eritis sicut Dij.* Multiplici pabulo Satan has enutriuit flammas à mundi exordio; vt enim prælibaui multa sunt, quæ fomitis vices agunt, & latentem ignem luxuriæ aperiunt, vt ingluuies ventris, praua colloquia, & promiscua consortia; his veluti cremiis adeò inualuere flammę, vt illis grassantibus populatæ sint orbem penè totum æuo Noë, & rursus scintillæ

Luxurię quomodo sit factus obnoxius Adam.

Genes. 3.

superstites, suscitantes alia incendia, Sodomitas atque Gomorrhæos penitus absumpserunt.

Quid facto opus, eo incendio minitante ruinam hominum? omnia castra incalebant, vniuscuiusque caro clibanum referebat, Samson robore præpotenti insignis, Salomon sapientiâ aliis superior, Dauid nemini atauorum suorum sanctitate inferior, perpessi fuerant lethales luxuriæ flammas, atque adeò erat difficile sese expedire à grassantibus flammis. Summa naturæ humanæ capita, scilicet Patriarchæ, & Prophetæ, conuenerunt Episcopum animarum nostrarum Dominum Iesvm, eum veluti præsentem compellantes, etsi nondum natum, & orantes vt Crucem suam obiiceret flammis sæuientibus in totam Adami prosapiam: fuit æquus hominibus ille Antistes, Crucem amplexatus dæmoni occurrit, qui tot & tanta sparserat incendia. Hoc apparatu Crucis Asmodæus exterritus, vim eius minimè sustinuit, sed vt imbellis, fugâ censuit sibi esse consulendum. Testes victoriæ Crucis, quæ prostrauit libidinis spiritum impurum; testes, inquam, sunt virginum iuniorum greges, obeuntes mortem potiùs quàm subire aliquid indecorum. Calente adhuc sanguine Christi, ipso Ecclesiæ exordio, & Cruce vim suam explicante, adeò imbellis erat Asmodæus, vt castitate integrâ, omnia coruscarent: vtriusque sexus varij cœtus dissiti in suos quosque choros, litabant puritati corpore illibato.

Luxuriæ obnoxij viri Magni.

Non emarcuit illa virtus Crucis explicata in gratiam primorum fidelium; viget adhuc, & si fuerit nacta viros amantes puritatis, statim fundet impuras acies Asmodæi. Quid ergo in argumentum luxuriæ triumphantis, queruli causamur imbecillam indolem nostram, libidine satam, propensam ad illas illecebras, quibus debet exordium suum? Penes nos est, Deo comite, frangere conamina hostis inhonesti, & antea præpotentis; accipienda Crux confidenter, ea tessera consignandum pectus, recolenda memoria Crucifixi, & versandus animo sanguis effusus in hoc stipite salutari, & continuò euanescent Cupidinis acies importunæ. Itaque si quando vexaberis ideis impuris, quas prætendere assolet Asmodæus ipsis etiam Sanctis, ad vexillum Crucis euola, & sanè ebibes animos validos ad vitium illud impugnādum. Inuoca Crucis opem, & præstò erit; nec equidem scio, neque posse reor proferri salubrius remediū in libidinem, ipso etiam S. Ambrosio conscio, sic monente: *In hac requiescamus vmbrâ, peccatorum nostrorum æstibus fatigati: scilicet vt quos adurit libido, hos Domini Crux refrigeret, in qua se reclinauit, vt nostra delicta susciperet.*

Crucis in Venerem quata sit vis.

Ex SS. Patribvs. Ambr. in ps. 118.

Vnum est hoc argumentum Achillæum, probans potentiam Crucis aduersus omne impurū, scilicet eos, qui iugiter exercentur in meditatione Crucis, nescire pruriginem hanc molestam; eos verò, qui nesciunt Crucem, esse voluptatis sordida mancipia: in cuius rei fidem, vbi Crux Domini altè defossa est, multâ mole superimpositâ; Gentiles Veneris obscœnæ simulachrum ibidem erexerunt. En rationem eius cultus, quo plerique hominum Venerem hodie prosequuntur; videlicet, his lubricis Crux est inaspecta, eorum fugit mentem, ideoque eos luxuria dementauit.

Crux vbi fossa Venus erecta.

Non est abs re historia Andronici Comneni Imperatoris. Is vsurparat Imperium Orientis, & vt Tyrannis in more positum est, non potuit diu constare sibi; populus enim duri dominij impatiens insurrexit. Princeps iniquus malè conscius

Ex Historia.

S. Lazar. in hist. Imper. sub an. 1185. Andronici Comneni lubricitas.

conscius sibi, de fuga cogitat, vt se eripiat populo debacchanti; abiicit à se Crucem auream de collo pendulam hactenus, in signum Imperij, & Cruce deposita conscendit nauem: sed quo putas apparatu, & qua suppellectile instructum fuisse nauigium, à quo longè erat crux? Consule rei huius nefariæ veridica monumenta, & inibi leges, Andronicum deposita Cruce, pellicem assumpsisse in nauim, vt puritati simul & Cruci, Veneris obsequio parentaret. Non demiror huius scortatoris ingenium; quò enim demigraret homo Crucem exosus, nisi ad cupedias carnis? Hinc elicio specimen egregium examinis conscientiæ eius, quam supra modum exagitant impuri cogitatus. Verbi gratiâ, si me lancinant obrentiæ species impudicæ, statim meipsum inuestigans sciscitabor, an fuerim iniurius Cruci, aut mihi aliquid exciderit de pœnitentiis solitis à me frequentari, vel demum sedula indagine quæram, an incautus genio meo indulserim? non enim aliunde solet irrumpere Asmodæus, quam ex incuria Crucis excolendæ: nimirum multo experimento illud factum est ratum, inermem esse Cupidinem in eos, quos inuenit Crucis armatura cataphractos. Dicam lucidiùs; excidunt Cupidini tela, quando incurrit in animas sequaces Christi crucifixi; omne impudicum procul est ab eo, qui duriùs agit cum carne sua, & austerum vitæ genus obit. Eamobrem si animum quatit aliqua idea impura, colligam me totum, vt explorem quo cremio ille ignis in anima mea scintillarit, & vbi me repereró minus sollicitum in Cruce sectanda, memet vrgebo ad sequelam Christi nouosque induam animos ampliùs atque acriùs pœnitendi. Rursus ne mens assueta fœdis luxuriæ simulacris, laboret in eorum repudio meditabor passionem Christi, libidine meme lacessente: est enim illa recensio Crucis præsens remedium contra luem illam, animas & corpora depascentem.

Cruce abiecta Venus succedit.

Ex SS. Patribus. *August. in Mar. c. 22.* Crucis meditatio pellit cogitationes immundas.

Habeo S. Augustinum in hoc castitatis discrimine consultorem; sic ille suos agones explicat ad exemplum: *Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordia Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tam efficax remedium, quam vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco intrepidus.*

Ex Symbolis. *Ægid. Sadeler. lib. 1. Symbol.*

Fortè eò respexit Nicolaus Sextus Papa, qui Symboli ergô habebat Crucem palmis intertextam, corona desuper imminente, hoc titulo affixo. VICTRIX CASTA FIDES. Nam etsi insurgant in nos omnes voluptates, & caro suas quasque obiiciat illecebras, insidians puritatis virtus hæc non nutabit, si Crux consulatur, siquidem VICTRIX CASTA FIDES. Quis Cruci negabit esse insitam eam vim, quam Medici asserunt inesse plantæ illi, nuncupatæ ab effectu suo. Hæc est Agnus castus, herba adeò inuisa Veneri, vt quisquis illi incubuerit plantæ, supplantet inde libidinem, & amore castitatis illicò teneatur. Si inquam natura suas dotes parcè distribuens, liberali manu effusa est in agnum castum, & in tantùm, vt stipes ille suos attrectantes efficiat castos; quare dubiam faciemus virtutem Crucis inuocatæ, vt compescat ausus impudicos Cupidinis insurgentis. Asmodæo suggerenti nos esse impares conamini luxuriæ, obiiciamus esse satiùs nobis adhærendum Pontifici, quàm diabolo; esse autem effatum Summi Antistitis, Crucem esse solium castitatis, cui Christus Agnus insedit, & eam suæ puritatis vim aspersit, vt Cruce influente in animas ancipites eas statim firmet & fulciat.

Crux palmis intertexta fuit symbolum Nicolai VI.

Ex Historia. *Marc. Diaconus in actis S. Porphyrij.* Crucis obiectu cadit Veneris idolum Gazæ.

Est igitur VICTRIX CASTA FIDES: facessat Asmodæus, & Venus imbecilla cadat ante Crucem, vt & olim accidit Gazæ; ea est vrbs versus Orientem magni nominis, & famosa, vbi Christiana fides impigros habuit sectatores. Sed vt liuor semper insurgit in virtutem, fideles degentes illic, multos nacti sunt æmulos atque obtrectatores, videlicet omnes asseclas idolorum, & in his præcipuè cultores Veneris, cuius simulachrum obscœnum prostabat in platea ciuitatis. Christiani castitate sua explicabant, quàm fœda esset vita Gentilium, litantium luxuriæ: sed esto niteret virtus illa fidelium; Venus tamen stabat semper impudica, illudens oculis, eius nuditate captis. Redeunte Sancto Porphyrio in vrbem illam, cuius erat Episcopus, processit ei obuiam clerus Cruce explicata: vt autem ventum est ad plateam Veneris præfatæ, ô prodigium! Asmodæus, qui ex hoc simulachro faces libidinis inexhaustæ prætenderat, & quem eliminare non potuerat sanctitas Porphyrij Præsulis, multiplici gratia conspicui; ille inquam spiritus nequam ad Crucis aspectum euanuit, & capessendo fugam comminuit fœdum illud luxuriæ idolum, cuius dissitæ partes duos Gentiles oppresserunt iuxta positos, qui Cruci atque fidelibus insultabant.

Porphyrij Episcopi industria contra idolum Veneris.

Ex Theologia. *S. Thom. 2. 2. q. 169. ar. 1.*

Hac historia abditum est aliquale compendium Theologiæ, item & nobis insinuatur egregium specimen Venerem expugnandi. Audi oracula altissimæ disciplinæ. Etsi Christiani vrbis Gazæ vacassent bonis operibus, iisque multis; nequiuere tamen prosternere simulacrum, donec Crux astaret. Nam licet egregia nostra facinora videantur esse speciosa; imbecilla tamen sunt, citra Crucem: quidquid enim validum est in nobis, illud influente in nos virtute Crucis, totum est ab hoc stipite salutari. Quippe non tantùm Christi passiones meruerunt nobis gratiam, & gloriam; sed & præstiterunt, vt agones nostri essent & vegeti & potentes ad Venerem extirpandam.

Cruces assiduæ præ bonis aliis operibus præstant.

Rursus Crux illa, ad cuius accessum pessum iuit species illa impudica, non fuit tenuis & modica, vt Cruces capiti impositæ, aut collo appensæ; sed fuit magna & procera, indiga duorum brachiorum, quæ eam baiularent. Multi minutas præferunt Cruces, aut capiti impositas, aut de collo pendulas, sine vllo præsidio; id est de Cruce Christi cogitant aliquando, sed perfunctoriè & obiter: fugax illa meditatio Crucis, non sortitur effectum, quem Dominus indidit Cruci. Etenim Crux, vt vim suam prodat in gratiam alicuius, non capite tantû tenus ferri debet, sed & vtroque brachio contineri: nempe inermis est ea Crucis meditatio, quæ ad imitationem non percellit. Si ergo cassos vis facere impetus Asmodæi, Crucem amplectere ambabus manibus, seriò induc in animû facere fructus dignos pœnitentiæ; hoc enim est verè baiulare Crucê; eo apparatu eris Venere superior. At secus si detrectas hoc vexillum erigere,

Perseuerantiæ necessitas.
Ex Ivre Canonic.
Canone. In cassum de pœnitent. dist. 3.

si tædet te pœnitere; stabit inhonesta effigies, multasque ingeret animo tuo species impudicas, vtique facessentes negotium importunum, sicuti magno animæ suæ dispendio patiuntur illi, quorum pœnitentiæ feruor desiit in teporem, in quos inuehitur iste Canon. *In cassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur: quia & frustra velociter currit, qui prius quam ad metas veniat deficit.*

Crucis iuge obsequium eo potissimùm nomine nobis suadetur, quod Cruce sola cadit Venus, vt & erigitur amotâ Cruce, vt prælibaui. Hinc arguo, nusquam esse subducendos humeros Cruci instanti, quia iuges sunt insidiæ carnis, & rarus est, qui euadit eruditos ad perniciem nostram Cupidinis arcus, resque est operosa valde, declinare Veneris illecebras, Cruce inconsultâ. Liceat pro more nostro, intentum meum stabilire ex Mathematica licet garriente. Concordant omnes, Planetam Veneris inclinare ad luxuriam eos omnes, qui nati sunt eo sidere dominante, id est, rutilante in prima domo figuræ cæli. Aiunt omnes siderum coniectores, astrum illud defæcare sanguinem, quem multum generat, ac proinde secernere multiplex excrementum, in quo libido latet. Sed iidem nugarum assertores adiiciunt, corrigi eos omnes Veneris influxus, si fuerit in coniunctione Solis; scilicet credunt, radios Solis retundere illapsum Veneris, qui ideò radiante Sole rutilo feriatur: ille enim illapsus veluti suspenditur aspectu Solis. Apage nugas & nænias has aniles, quibus ego nunquam meum calculum adiiciam: quasi verò sidera inanima, libidinis aspergine maculent hominum exordia, & sidus vnum altero sidere nobis editis recens fuerit iniquus, cùm maximè omnia astra eodem parente Deo, vnàque materiâ cælesti sata sint, neque differant specificè.

Ex Mathematica.
Ptolom. Firmicus. Schonerus vbi de Planetis.

Venus planeta sollicitat ad obscœna.

Ex eo delirio cogito miserandam hominum sortem, quos natura enixa est Venere dominante; quæ enim præambula libidinis præierint conceptui nostro, nefas est versare animo. Eamobrem Dauid agnoscens Veneris dominium, ait: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Libidinis ardor, quo incaluere parentes, adurit & sobolem ex his æstibus emergentem: & licet puerilia corpora non ardeant, quia multo humore suffusa sopiunt ignes abditos luxuriæ; pubescente tamen carne, & calore natiuo depascente superfluum humidum, scintilla latens Venerem prodit, & sua longè latéque spargit incendia, quibus pessum abit castitas hactenus illibata. Non sine multo discrimine corporis & animæ deflet adolescens, natale suum Veneris incendio conflagrâsse. Sed esto nos omnes vrgeant iidem influxus, esto sollicitent sequi impura natalitia nostra; si ad Crucem accedamus, Sol ex ea irradians irritos faciet omnes iniquos aspectus Veneris. Aiunt Astrologi, radios Solis comburere influxus Veneris, si ad orbitam Solis accesserit: sed reuera amor Christi in Cruce exhibitus hominibus, alium omnem amorem potis est extinguere, si pensetur animo de sua salute sollicito.

Psalm. 50.

Augustinus ille Sanctus, qui aliàs amore noxio percitus ardebat; vbi factus est Christi compos, meditans Crucem amore Dei accensam, alios omnes pertæsus amores exclamauit: *Absorbeat, quæso Domine, mentem mellisflua & ignita vis amoris tui, vt amore amoris tui moriar, quia amore amoris mei dignatus es in ligno Crucis mori.* Itaque ne cauteris homo, flammiuomi Cupidinis ignes esse inextinguibiles, & tela illius ignea posse accendere corda chalybea; Cruces maiora spirant incendia: intensior enim fuit amor Christi in Cruce anhelantis sospitatem gentis nostræ; is inquam amor extitit intensior eo omni amore, quo speciosa quæque corpora deperimus: potéstque affingi Cruci symbolum illud, quod Paradinus habet. Pingit ille arboris truncum, cuius interiora depascit ignis, eiaculans foras aliquales scintillulas, indices magni incendij, quo conflagrat arbor, eius humore crudo nequaquam remorante flammas, imò eò magis eas acuente, quò amplius madebat arbor. Etenim est igni insitum, vt enitatur contra omne id quod obstare solet, hinc modica aqua aspergitur fornax accensa, vt altiùs incandescat. Illi trunco adiicit auctor hunc titulum. Vis est ardentior intus: quasi diceret, ignem deforis emicantem non esse totum incendium, sed signum tantùm eius incendij, quo absumitur truncus, cui vis inest ardentior in medulla, quàm sit ea, qua calet & scintillat cortex.

Crucem recolere proficuum contra libidinis æstus.

Ex Symbolis.
Paradin. lib. Symbol.

Ecce typum ingenuum Crucis, & amoris Dei, in hoc stipite coruscantis: etsi enim iniuriæ, & probra, quibus fuit impetitus Christus, non fuerint idonei fomites ad amorem excitandum, & quasi Crucem aspexerint aqua remorante charismata amoris Dei; tamen Charitas, quæ est ipsemet Deus, iuxta illud Ioannis: *Deus charitas est:* Charitas inquam seu Deus amans, inter ærumnas atque molestias Crucis illuxit ipsis etiam osoribus Christi, vt liquet ea oratione, qua Deum Patrem voluit facere propitium suis homicidis, quorum acerbitas extinguere non potuit maximam illam charitatem. Esto foras emiserit Christus indubia amoris argumenta, quando in Cruce pendulus animam agebat; ea tamen signa non explicant adæquatè totum amorem eius.

Crucis & amoris Dei societas egregio symbolo declaratur.
1 Ioan. 4.

Si fas esset rimari abdita penetralia Crucis, nemo adeò frigidus est, qui non statim conciperet flammas; summa enim redemptionis nostræ reposita est in Cruce, vbi tantùm insonuit vox hæc: *Consummatum est:* atque ita congruit Cruci lemma prælibatum arboris accensæ, adiectis his literis: Vis est ardentior intus. Ideóque confidenter accerso homines omnes libidine æstuantes, & exhortor ad obsequium Crucis, si aliquale refrigerium optant: sit enim intensa eorum flamma alliciens ad amorem illicitum; inest Cruci vis ardentior ad corda percellendum in Dominum Iesum, cuius amor castus amorem trudit inhonestum iuxta illud Augustini. *Amor amore repurgatur; secedat amor noxius, & succedat amor innoxius.* Non est ergo metuendus Asmodæus, vtpote profligatus. Esto hoc illius epitaphium.

Ex SS. Patribus.

August.

Crvce ictvs, victvs est Asmodævs, non amodo Devs.

Lucifero & Asmodæo fugatis, omnes alij dæmones in fugam acti sunt virtute Crucis, cùm peccata omnia Christi sanguine diluta sunt.

In hæc verba:

Princeps huius mundi eiicietur foras.

SECTIO QVARTA.

MAhometes Secundus Græciæ imminens, vt eam suo adiiceret imperio, præteriit infirmas ciuitates, vt impetu primo expugnaret principem vrbem Constantinopolim, ratus ea oppugnata, Græciam cessuram in ius Turcarum. Eo astu dæmon genus humanum aggressus est: moras exosus non expectauit numerosam Adami prolem, vt eam incautam suis nexibus irretiret; sed primo conamine in Adamum desæuiit, vt in caput nostræ Gentis, coniiciens eo infirmato, fore totum genus imbecillum. Ne autem irrito insultu irrueret in hominem callidus ille hostis, stipauit se satellitio præpotenti, quo duplicem hominis portionem validè concuteret. Constabat homo spiritu & corpore; vtrimque Satan hominem tentat, sed arte magis quàm Marte aperto: præmittit gloriam vt congruum animæ pabulum, quo eam efferat extra se, & eo nisu elidat excidentem. Cùm audis promittentem homini Deitatis infulas post esum vetiti pomi: *Eritis sicut Dij;* cogita impostorem, qui iussit homini suum characterem superbiæ, & fecit obnoxium simili pœnæ, ei in quam incurrit Angelus ille refuga, & sui nimius æstimator. Vt autem ruinæ propior esset anima Adami, carnem eius vt consortem impetiuit, & hoc lenocinante Eua, cuius illecebris erat impar homo. Dæmoni ex voto cessit geminus ille insultus; quippe ruit superbiens homo, mulieri magis quàm Deo intentus.

Ex HISTORIA. *Chalcond. in Maho 2.* Mahometis II. industria.

Genes 3.

Christus Adami ruinas congruè refecturus, noluit suam explicare Deitatem, vt Diabolum validè contereret, sed hominem induit, specie infirma, & conscia ærumnarum, quibus obuij sunt omnes primo parente sati. Hac leui armatura Dæmoni occurrit in eodem campo, vbi homo ceciderat, inimici dolo potiùs quàm virtute. Alea illa fuit arbor, ibi natura humana excidit donis & gratiâ, scilicet sub arbore Malo, cuius Mala non aurea, sed virulenta fuere lethalia & parenti, & proli. Ad aliam arborem Christus Diabolum prouocauit, id est ad Crucem, in qua pendens Dominus ille, veluti pomum præmaturum, serpenti insidianti, sui cupidinem fecit, sed dum momordit illud pomum, eadem viâ cecidit dominio suo qua & illud callidè vsurpatat. Factúmque est ea monomachia, vt homo vnius arboris ope resurgeret, sicut alterius arboris vsu malefico perierat. Sponsus Canticorum illud suę amasiæ insinuat. *Sub arbore Malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Crux arbori malo comparata.

Cant. 8.

In eo agone Christus, non inferioris ordinis Angelos malos petiit, sed Principes, scilicet Luciferum, & Asmodæum, iisdem artibus Satanam impugnans, quibus & homini primitùs insultauit. Vitiorum omnium capita, superbiam, & carnis illecebras prudens ille hominum sospitator contriuit insidens Cruci. Illic factus omnium perpsema, inclinauit superbiam, in quam surrexerat Adam: corpore suo lacero, & hiante plagis, extinxit sensum omnis illecebræ. Eo trophæo Crucis infirmati sunt pessimi Dæmonum, & subinde cohors omnis vitiorum diluta est; & hoc sonat hæc sectio, cui incumbit probare, Crucem omnia vitia emendasse.

Crux præcipue Luciferum, & Asmodæum impugnat.

Ex prælibatis sic arguit Philosophia. Qui plus potest, ille ad minus non est impos: ergo Crux quæ abegit potissimas inferi potestates, videlicet superbiam atque luxuriam, infimas vitiorum fæces poterit expurgare. Rursus: Sublatâ causâ tollitur & effectus; sed superbia, & lenocinia carnis sunt veluti primordia omnium peccatorum; igitur Crux, quæ illa capita elisit, totam etiam sequelam mali amputauit. Elimatiùs dicam: Virtutes omnes, vitiorum omnium agmen fundunt; sed virtutum omnium latices à Cruce vt à suo fonte deriuantur: ergo Cruci adscribenda victoria omnium peccatorum.

EX PHILOSOPHIA.

Crux quomodo omnia vitia eliminat.

Quomodo autem Crux influat, non est Philosophici scrutinij: ideóque altior est consulenda disciplina, nempe Theologia: hoc præstabo si antea ex mente summorum Philosophiæ procerum, Cruci aptauero rationem causæ efficientis omnium charismatum, quorum obsequio fimus immunes à peccatis. Albertus ille Magnus æui sui Philosophus nemini secundus, sic seriem causarum enumerat. Aliæ sunt causæ singulares, aliæ vniuersales. Causa singularis illa est, quæ effectum edit vnum, eiusdem sortis cum sua causa, quam adæquatè refert in latitudine entis. Verbi gratiâ, ignis alium ignem proliciens, dicitur vniuocè causa efficiens singularis illius ignis editi. Causa efficiens vniuersalis ea est, quæ exerit effectus multiplices, & diuersæ rationis ab indole sua, & cuius vis in operando potior est omnibus effectibus, quos illa exeruit. In eo genere est Crux; nam ea etsi influxerit in eos omnes Sanctos, qui superiores extitere vitiis: nemo tamen assecutus est totam virtutem Crucis, id est, nemo Sanctorum sibi vendicare potuit eam efficaciam, quæ ex Cruce deriuatur. Cùm ergo Crux sit causa generalis, quid mirum si tot eliminet vitia? quandoquidem est de ratione causæ efficientis vniuersalis, multimodè sese extrinsecus explicare.

Alber. Magn. in 2. Phys. tract. 2. c. 8. Causa singularis quæ sit.

Causa vniuersalis quæ sit.

Angelicus Doctor auditor Alberti & ei suppar adiicit, causam efficientem esse quadruplicem. Alia est perficiens, quæ dat complementum motui. Alia est præparans, quæ aptat materiam vt subiectum, ad vltimum complementum. Alia est adiuuans, quæ non operatur ad proprium finem, sed ad finem alterius. Demum alia est causa dicta consilians, & ea est in his quæ agunt à proposito, & quæ dat agenti formam per quam agit. Hoc quadruplex genus operandi cadit in Crucem; est enim causa perficiens dans complementum meritoriæ actioni, cuius est impos homo citra Crucem, à qua habet homo, vt operi suo merces habeatur. Vt enim vitis non innixa palo, repit humi; ita & opera nostra longe à Cruce nequeunt assurgere ad meritum vitæ æternæ. Ac proinde placet inscribere Cruci Symbolum illud, quo Theodorus Triuultius Regis Galli opem sibi iugi influxu esse necessariam ingenue prædicabat. Pingebat ille vitem arbori incumbentem, cuius adminiculum nacta enitebatur, lemmate hoc inscripto:

S. Thom. in lib 2. Phys. l. 5. text. 16. Causa efficiens quotuplex.

Triuulsius Regis opem quo symbolo expressit.

FAC

Ex Symbolis. *Ægid. Sadel. l. 3 symb.* Crucis auxilium nobis necessarium. Crucis signũ SS. Patres commendant.

Fac me tuis adhærere ramis. Et reuera irrita essent omnia conamina nostra, si ea Crux minimè sustentaret. Itaque est nobis sedulò laborandum Crucis adhærere ramis: quippe est & causa præparans, influens in nos præuiis gratiis & motibus ad vltimam gratiam, scilicet gloriam, quæ est gratia consummata. Latronis deuotio in Crucem Christi fecit vt ea ipsum aspergeret gratiis præambulis ad salutem. Item & Cruci competit ratio causæ adiuuantis; non enim Christus est Cruci affixus pro salute sua, siquidem anima eius ab ortu tota in Deum effusa est: ergo salutis nostræ gratiâ Crucem subiit Christus, ideoque Crux illius est verè causa adiuuans, vtique præsens auxilium semper impertiens inuocata.

Ex SS. Patribus. *S. Hier. ep. 22.* *Epist. 28.*

Eò respexere Sancti Patres quando consuluere nobis affectum Crucis, vt inde gratia vberior effluens, nos arentes & indigos opis Dei, iugiter allueret. Sic Hieronymus affatur virginem Eustochium: *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Crucem.* Idem aliam virginem, scilicet Demetriadem instituens ad cultum Crucis, sic monet: *Claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti te in locum reperiat; sed primogenita quæ apud Ægyptum pereunt, in tua mente saluentur.* Tertullianus ipso Hieronymo antiquior, & propior æuo Apostolorum, insinuat non modicum iuuamen deduci ab hoc salubri signaculo. Audi oraculum. *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Denique Crux est causa consilians, ea scilicet, quam præfatus sum influere in ea quæ agunt liberè, & dare agenti formam, virtute cuius agit, sicut explicat Albertus Magnus. Namque gratia omnis, à quâ vim omnem suam emendicat anima nostra, nobis infusa est mediante Cruce.

Tert. lib. de coron. milit.

Sed inquies: Quorsum ista recensio tot causarum, quisque inferri potest ex concessis, scilicet Crucem esse causam perficientem, præparantem, adiuuantem, & consiliantem? Inde resultat, debere nos Cruci exterminium omnium peccatorum, & hoc est intentum sectionis huius titulo prælibatum. Non inconsultâ Theologiâ res ista liquere potest. Diuina hæc disciplina, sua sic pangit oracula: Eliminantur ab anima, quæuis piacula, illapsu gratiæ iustificantis; non enim coeunt gratia & peccata, quippe est de ratione gratiæ illius habitualis, efficere animam Deo gratam. Nequit autem esse anima Deo grata, si sit peccato obnoxia; quia peccatum omne lethale (de quo hîc est quæstio) animam à Deo abstrahit, & auertit. At præter illam generalem rationem gratiæ, quæ est insita cuilibet gratiæ iustificanti, eget anima quibusdam adhuc auxiliis determinatis ad aliqua vitia extirpanda; hæc autem auxilia specialia Deus multifariam impertit.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 2.* Gratia & peccata non coeunt.

Gratia sacramentalis quid sit.

Primò sacramentorum vsu; habent enim singula peculiarem influendi modum, eumque idoneum ad aliquod vitium extirpandum. Verbi gratiâ, Baptismus in adultis expungit quidem omnia retroacta scelera; sed maximè institutum est ad diluendam noxam, quam originalem vocant, & ad aliqualiter minuendum fomitem derelictum ex incendio illo, quo in Adamo tota prosapia conflagrauit; hinc debemus illi sacramento fomitis huiusce decrementum. Eamobrem Theologi distinguunt gratiam sacramentalem ab ea, quæ alia ratione influit in animam. Ex hac animaduersione Theologica, collige energiam Crucis peccata omnia detergentis: nam esto peculiaris cuique sacramento gratia insita sit, ad exterminandam aliquam noxam; omnia tamen sacramenta Crucem seu Passionem Christi, causam suam esse confitentur. Ideoque debetur Cruci ea gloria, quæ consequitur victoriam reportatam de vitiis ope sacramentorum. Idipsum nobis insinuat Ecclesia, administrans sacramenta comite signaculo viuificæ Crucis; eo ritu monens, sacramenta esse veluti tubos & canales, quibus efficacia Crucis influit in animas.

Ex SS. Patribus. Crucis signũ apponitur sacramentis, & quare. *Cypr. serm. de pass. Christi.*

Sunt audiendi Patres in hac alea discurrentes; primus occurrit Cyprianus. *Quicunque sint sacramentorum ministri, qualescunque sint manus, quæ vel mergunt ac edentes ad baptismum, vel vngunt qualecunque pectus, de quo sacra exeunt verba: operationis auctoritas in figura Crucis omnibus sacramentis largitur effectum.* Idem alibi idem reassumens argumentum, sui memor ait. *In Cruce Domini gloriamur, vnius virtus omnia peragit sacramenta; sine quâ nil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas, & profundum, & longè lateque plenitudo diffunditur gratiarum.* Accedit Chrysostomus: *Omnia, quæ ad salutem nostram conducunt, per Crucem consummantur.* Augustinus in eadem est confessione. *Per Crucem Christi in celebratione sacramentorum, eius bonum nobis omne signatur.* Vt diplomata regio signaculo debent suam potestatem; ita & sacramenta Cruci seu Passioni Christi: cùm enim Crucem loquor, intelligo sanguinem Christi, cuius fluore absoluti sumus à peccatis. Et hoc monet Augustinus. *Si Crucem vides, attende & cruorem. Si vides quod pendet, attende quod fudit. Lancea perforatum est latus Christi, & emanauit pretium nostrum.* Alcuinus liquidius reponit penes Crucem omnia sanctitatis exordia. *Omnia quæcunque sanctificantur; hoc signo Dominicæ Crucis cum inuocatione Christi nominis consecrantur.*

Ser. de bapt. Christi. *Chrys. ho. 55. in Matth.* *S. Aug. tract. 118. in Ioan.* Crux vnde suam virtutem accepit. *Serm. 19. de temp.* *Alcu. lib. de diu. offic. c. 18.*

Etsi Christus toto tractu vitæ suæ meruerit redemptionem hominum; vult tamen, suos sectatores refundere in Crucem salutis suæ originem, ac proinde sacramentis adiicit Crucem, vt ex eo signaculo liqueat vnde effluxerit gratia, vt ferè aduertit Chrysostomus. *Signaculum Crux appellata est, quod testamenta, & statuta diuina omnia quæ accepimus, hoc quasi signo quodam regio, & annulo obsignamus, nec quicquam mali iam audet accedere.*

Cruce omnia sanctificantur. *Chrys. de venerat. Crucis.*

Iactet India suam Palmam, adeò feracem rerum omnium conducentium humanis vsibus, vt ea sola sufficiat ad victum & vestitum. Ex ea namque prodit lanugo quædam, idonea ad filamina, quibus texi queunt vestes. Parturit & hæc arbor fructus congruo alimento, succo madet apto ad sitim extinguendam: ex ligno eius fiunt nauigia, quibus toto discurritur mari: balistis, arcubus, hastis, & clypeis conuenit & hoc lignum, ita vt pace, & bello rerum omnium vberrimum penu sit hæc arbor. Sed quid hæc omnia ad Crucem? Ea est pacatis omnibus suauis pancarpium seu cornu copiæ, annonæ genus omnimodum

Palma Indica vtilis ad omnia.

dum fundens. Quippe in ea arbore pependit illo botrus Cypri, cuius muſto rubent adhuc altaria noſtra; huic trabi appenſus eſt manipulus ille frumenti, ex quo coaleſcit panis in Euchariſtia conſecratus; illic contritum eſt linum, è quo ducta ſunt fila, quæ componunt ſtolas noſtras albicantes. Si claſſicum inſonat,& indictum eſt bellum, Crucis tegmine non inermes erimus; etenim illa eſt veluti turris Dauid, ex qua pendent mille clypei,& omnis armatura fortium, & cui bellè aſſingitur illud audax ſymbolum, quo ſtrenuus olim Dux à Guiſia, Martialem ſuum animum teſtatus eſt. Pingebat ille clypeum cui gladius incumbebat,hoc inſcripto. PERIMIT ET TVETVR. Voluit Magnanimus Heros, ſuam ſic indolem aperire, veluti Marte ſatam; inſinuando ſe idoneum ad vtrumque munus belli, ſcilicet oppugnando, vel propugnando. Compendioſum hoc eſt Crucis elogium: PERIMIT ET TVETVR. Vitiorum capita, quæ emergunt, perimit,& amputat: ſemina verò virtutis fouet & tuetur. Imò quidquid India commenta eſt de vſibus ſuæ Palmæ, adeò eſt infra veritatem Crucis, vt ea Palma vix queat eſſe Crucis vmbra tenus, cuius tot & tantæ virtutes extant, vt earum chorus fortè anſam dederit Sanctis Patribus aſſerendi, Crucem fuiſſe ex multiplici ligno, vnde & elici poteſt idea quædam chariſmatum, quæ defluunt ex hoc trunco.

Crux eſt armatura contra omnia vitia.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus par. 2. Theat.*

Crux ex quibus lignis compoſita.

EX SS. PATRIBVS. *Orat. de vener. Crucis. In Collectaneis.*

Primus ſe offert Chryſoſtomus. *Iſaias etiam vnde eſſent, & qualia Crucis ligna, exponit his verbis: In cupreſſo, pino, & cedro ſimul locum ſanctum celebrate.* Se huic Sancto adiungit alter & hic omniſcius, ſcilicet Beda recenſens ſubiectam materiam Crucis. *Crux Domini de quatuor lignis facta eſt, quæ vocantur, cypreſſus, cedrus, pinus, & buxus: ſed buxus non fuit in Cruce, niſi tabula de illo ſuper frontem Chriſti fuit, in qua conſcripſerunt Iudæi titulum. Cypreſſus fuit in terra vſque ad tabulam; Cedrus in tranſuerſum; pinus ſurſum.* In ſcholiis Iuris Canonici reperitur & hic verſus.

Gloſ in Clem. 1. de ſum. Trinit.

Ligna crucis palma, cedrus, cupreſſus, oliua.

In palma meditor Crucis victoriam multimodè partam de vitiis, & omnibus Dæmonum turmis, nequeuntibus ferre vmbram Crucis; vt ſæpiùs inculcant Sancti Patres, in quibus Auguſtinus, ſiue alius recenſitus Tomo decimo operum eius, ſic fatur pangens encomia ſigni viuificantis. *Hoc ſignum ad agonem nos inſtruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc veneficia deſtruit, & omnia Dæmonum machinamenta ad nihilum redigit, & quod faciebat in terris corporis Chriſti præſentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Chriſti victorioſæ Crucis inſignita memoria.* Sanctus Ephrem expertus quàm polleat ad omnia ſignum Crucis, ſic hortatur: *Armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armatura.* Chryſoſtomus ſic fuſiùs Crucem inſinuat: *Hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis; Crucem in fronte imprime: ſic enim non tantùm homo occurrens, verùm nec ipſe Diabolus, te quidquam lædere poterit. Et hac teipſum doce, vt cùm ſignum ceperis, ſis miles paratus, & contra Diabolum trophæum erigens, iuſtitiæ coronam accipias. Ignoras quanta Crux perfecit? Mortem diſſoluit, peccatum extinxit, orcum inanem reddidit, Diaboli ſoluit potentiam, totum orbem exſuſcitauit, & tu in ipſa non confidis?*

Aug ſer. 19. de Sanctis. Crux omnes prouocat ad vitia debellanda.

Ephrem de Panoplia.

Chryſ. ho. 21. ad pop. Ant. Crucis mira encomia.

Paucis Ambroſius edixerit multa. *In vno ſigno Chriſti, omnium rerum eſt tuta proſperitas: qui in hoc ſigno ſeminare cœperit, vitæ fructum conſequetur æternæ: qui in hoc ſigno iter facere aggreditur, ad cælum vſque perueniet.* Hæc ille, qui repetita mentione ſigni propitij, meam refricat memoriam aliàs ſuperplenam ideis eius Matheſeos, à qua me abſtraxit ſanctiùs inſtitutum. Hinc fas ſit elicere aliquid congruum laudibus Crucis.

Amb. ſer. 43.

Principes huius artis, quæ ſe præſciam eſſe ementitur, profitentur eſſe ſigna quædam propitia ineuntibus bellum, & infauſta eorum hoſtibus. Verbi gratiâ, Aries eſt ſignum Martis: Si quis editus ſit Marte decurrente ſignum illud Martiale, præſtigiatores illi fabulas occinunt, & enuntiant, hominem illum eo ſigno influente fore terribilem inimicis ſuis, quia Mars illi vim ſuam bellicam aſperſit, quando tale ſubiit ſignum, quod ſuam virtutem emendicat à Planeta Martis. Si Virgilio licuit legere gemmas de ſtercore Ennij; quidni & fas erit nobis ſecernere verum ex falſo? Habet Eccleſia ſuum Arietem ſignum Martiale, quo in cælos & in inferos arietauit, & vtrobique ſibi aditum fecit. Aries ille eſt Crux, ſignum in quo non Mars inanis bellorum Deus ſtetit, ſed in quo IESVS Deus exercituum, non gyrando cucurrit, aſt fixus apparuit, tantam impertiens virtutem illi ſigno, vt hi omnes, quibus beneuolum extiterit illud ſignum, impunè queant conſerere manus cum tota Dæmonum claſſe. Fauſtè autem irradiat ſignum Crucis omnibus Chriſticolis: nam licet Chriſtus corpore receſſerit à Cruce; virtus tamen inſita Cruci non exceſſit, atque adeò habent Chriſtiani, quo retundant impetus inferorum.

EX MATHEMATICA. *Halys. Schonner. cap. de vi Planetarum.*

Crux in arietis ſigno erecta quid denotet.

Ob efficaciam Crucis, qua vt armatura fida fit homo cataphractus, ſuæ lætitiæ locuples argumentum dedit Auguſtinus, diem Paſſionis Domini commemorans. Sic ille. *Hodie Crux fixa eſt, & ſæculum ſanctificatum eſt; hodie Crux fixa eſt, & Dæmones diſperſi ſunt, hodie Crux fixa eſt, & mors ſubuerſa eſt; hodie Crux vicit, & mors victa eſt; hodie Diabolus vinctus eſt, & homo ſolutus eſt, & Deus glorificatus eſt.* Cùm audis Diabolum victum virtute Crucis, cogita Arietis ſignum potenter influere, noſtræ ſalutis gratiâ, & non inanè Chriſtum fuiſſe figuratum eo ariete, qui cornibus erat implicitus ſenticeto, & ſuffectus eſt in locum Iſaac perituri gladio patris ſui Abrahæ. Nomenclatura agni eò etiam ſpectat, Ioanne aſſertore, & aſſingente nomen Agni Dei Chriſto, cui hoc teſtimonium perhibuit, factus obuiam ei. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Chriſtus adhuc infans & tenellus velut agnus, eadem virtute præpolluit, qua adultus, & ſanguis in circumciſione fuſus, fuit eiuſdem meriti infiniti, ac ille quo imbuit lignum Crucis; tamen Crucis voluit eſſe myſterium, generis noſtri ſoſpitatem. Ideoque dum fit commemoratio ſanguinis Chriſti, diluentis omnia piacula, illicò ſubit mentem memoria paſſionis & agonum eius in ara Crucis, vnde arietatum eſt in leonem, validè proſtratum, vt iubilat Auguſtinus. *Magnum eſt hoc ſpectare per totum orbem terrarum victum leonem ſanguine Agni, educta de dentibus leonum membra Chriſti, & adiuncta corpori Chriſti.* Hunc arietem Crucis adeò horruit Dæmon, vt eum Iudæis ſuaſerit occultari, ne vigeret memoria victoriæ reportatæ; ſed

EX SS. PATRIBVS. *Aug. ſerm. de Paraſceue.* Crucis mira efficacia.

Ioan. 1.

Sanguinis Chriſti virtus admiranda.

Aug. tract. 7. in Ioan.

ſed vt nequit cariem pati cedrus, ita nec Crux abdita potuit eſſe corruptioni obnoxia, nec vnquam deficiet cultus eius; cuius perennitas in cedro lineata eſt, vt & in palma fuit eius victoria figurata.

Eo colliquauit Ambroſius quando inſultauit Diabolo, recenſens Crucis ſanctę adinuentionem.

Ambr. tract. de obitu Theodoſii.
S. Helena quare crucem quæſierit.

Acceſſit Helena ad Golgotha, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi eſt victoria? Quæro vel vexillum ſalutis, & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in puluere. Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo redemptam me arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Video quid egeris, Diabole, vt gladius quo peremptus es obſtrueretur. Sed Iſaac obſtructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latere aquam paſſus eſt. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput eſt amputatum. Aperiatur humus vt ſalus fulgeat. Quid egiſti, Diabole, vt abſconderes lignum, niſi vt iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ ſine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus ſubiugaret. Vinceris & hodie, vt mulier tuas inſidias deprehendat. Illa quaſi Sancta Dominum geſtauit; ego Crucem eius inueſtigabo. Iſta fecit, vt Deus inter homines videretur; ego ad noſtrum remedium peccatorum, Diuinum de ruinis eleuabo vexillum. Aperit itaque humum, decutit puluerem, tria patibula confuſa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat; ſed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Hactenus Ambroſius.

Crux inuenta ab Helena.

Tertium genus ligni recenſitum in Cruce eſt cupreſſus, eo ligno Thucydides ait arcas fieri ſolitas, vt Heroum corpora efferrentur. Magnus ſanè Heros Chriſtus, & in cupreſſo appoſitè ſignatum eius trophæum, vt qui moriendo vicerat hoſtes ſuos; ligno referente mortem, ſcilicet cupreſſo inferis ſacra, congruè notaretur. Odorem gratum ſpirat illud lignum, vt vel inde reſcirent omnes, in morte Domini nil olidum extitiſſe, ſed hoc vitale fuiſſe funus, quo exanima Adami proſapia facta fuit rediuiua, ac proinde Chriſto extincto Crucem gratum ſparſiſſe odorem inſtar cupreſſi. Hoc intendit fortè Apoſtolus prædicator indefeſſus Paſſionis Chriſti, quando ait: *Chriſti bonus odor ſumus.* Quaſi diceret, cum annuntiamus Chriſtum Crucifixum, & eum ipſi etiam nos commortui referimus, gratum ſpiramus odorem. Huic item viuifico ligno Crucis ineſt virtus cupreſſo indita, cuius odore necantur tineæ & vermes; nam odore Crucis, & eraduntur peccata, & eorum vermis corrodens conſcientiam occiditur, necnon & Dæmones omnes abiguntur. Fuit huiuſce ſecreti maximè conſcius Bernardus, Crucis amatius ſi quis alius; ille Chriſtum ſic affatur: *Adhereat anima mea poſt te, quia tota virtus eius pendet ex te, ad tua Paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino, diuina imperfectum meum, odor enim vitæ ſpirat mihi in omnibus his; horum virtute ab aſtutiis Satanæ me cuſtodi.*

Thucid. lib. 1. hiſtor.
Cupreſſus olim dicata ſcriniis mortuorum.
2 Cor 2.
Ex SS. Patribus.
Bern. ſer. de Paſſ. Chriſti.
Crucis amaſius fuit Bernardus.

Ex Historia.
Alexand. ab Alex. genia dier. l. 5 c. 5.

Demum oliua ingreſſa fabricam Crucis, compendioſè multa ſignificat. Primò oliua coit cum palma in ſignificatione victoriæ; ea enim texebantur coronæ ſuperantium athletarum. Itaque Chriſtus in omni agone ſuperior, atque adeò Pentathlus, & Pancratiaſtes, non frondem tantùm oliuæ demeruit, ſed & arborem totam, quæ fuit ei morienti in teſſeram victoriæ conſecrata. Aliud nobis etiam oliua inſinuat, nempe gratiam in oleo figuratam: vt enim præfatus ſum, gratiæ latices influentes in nos, Crucem habent vt alueum & canalem. Vtque in ludis Panathenaicis olim olei vaſculum victori dabatur in ſymbolum virtutis emeritæ; ita & noſtri omnes agones feliciter exantlati præmium habent, gratiam Dei, vt oleum ex Crucis olea deriuatum. Et hoc fortè præſciit ſponſa Canticorum dicens, ſui dilecti nomen eſſe oleo delibutum. *Oleum effuſum nomen tuum.* Nomen enim Domini Chriſti Meſſiæ Hebræis & Græcis vnctionem ſonat à radice משח *Maſchah*, *vngere*, quod & conſonat voci Græcæ χρίζω. Ideo & nos dicimur vncti ab eo, cui Pſaltes ait: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis.*

Oliua coronis texendis apta.
Cant. 1.
Chriſti nomen vnde deductum.
Pſalm. 44.

Copioſè vncti ſumus, quando cum ſanguine Chriſti, in nos effuſum eſt nomen eius, vt ſcitè quidam in Cantica clamat. *Non vnguentum ſimpliciter, ſed effuſum dixit ſponſa: quemadmodum enim vnguentum in vaſe concluſum incluſam continet & ipſam odoris fragrantiam; ſi autem effundatur, ipſum quoque aerem replet: ſic Dominus Chriſtus ante Paſſionem paucis notus erat; at poſteaquam Crucem mortémque ſuſtinuit, ac veluti corporis vas aperuit, continuò odoris ſuauitate mundus vniuerſus completus eſt. Ob id ſponſa ait; effuſum vnguentum nomen tuum. Quaſi dicat: effuſiones, & fontes multiplices, qui totum orbem terrarum odoris ſuauitate repleuerunt, vnicam habens venam, & originem vnguentum tuum: in eo namque inhabitat omnis plenitudo diuinitatis; & ipſe cuncta ſimul ſpiritus dona vt homo ſuſcepit.* Hæc ille, cui Bernardus ſe adiungit. *Pater* (inquit) *oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis eum vnxit, vt vngeret. Omnes ab eo vncti ſunt, qui de plenitudine eius meruerunt accipere. Veniebat vngere, ideoque venit pleniſſimè vnctus.* Adiice & Richardum Eremit. lib. de elogio nominis Iesv, vbi ait, in Cruce hoc oleum effuſum. Sed præterire nequeo laudatum iam Bernardum. *Chriſtus venit cum ſalute, venit cum vnguentis: neque ſine ſalute* Iesvs, *neque ſine vnctione Chriſtus.* Et alibi vtriuſque nominis ſignificata recenſens, ſic ſcribit. *Oleum effuſum nomen tuum. Currite gentes, ad manum eſt ſalus, effuſum eſt nomen, quod quicunque inuocauerit ſaluus erit, quatenus ab vno nomine, quod eſt Chriſtus, millia millium credentium Chriſtiani dicuntur, & dicunt: Oleum effuſum nomen tuum. Effuſum planè, quod non ſolùm cælos terraſque perfudit, ſed aſperſit & inferos; adeò vt in nomine* Iesv *flectatur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, & dicat: Oleum effuſum nomen tuum. Ecce Chriſtus, ecce* Iesvs, *vtrumque nomen effuſum in homines.* Ambroſius ait, nomen illud eſſe oleum lætitiæ. *Eò quod triſtitia mundum exuerit, & mœſtæ fœtorem mortis aboleuerit.*

Theodor. in cap. 1. Cant.
Chriſti nomen quare oleo comparatum.
Ex SS. Patribus.
Bern. ſer. 16. in Cant.
Serm. 1. in vigil. Natiuit. Dom.
Serm. 16. in Cant.
Ambr. lib. 1. de ſpi. S. c. 8.

Rurſus oliua Cruci adiecta, gratiam Dei copioſam inſinuans; etiam ſignificat gratiam curationum, quæ plerumque fuerunt corpora vegetata, vti legere eſt in hiſtoria Eccleſiaſtica. Ne autem auctores inglorij fidem adimant miraculis, recenſebo magni nominis Sanctos, vtique Doctores Eccleſiæ, & vades ſanitatis partæ Crucis ſuffragio.

Ex Historia.

Aug. lib. 10. de ciu. Dei.

suffragio. Credes forsitan Augustino. *Carthagine orta Innocentia religiosissima fœmina, de primariis ipsius ciuitatis, in mamilla cancrum habebat, rem sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem: aut ergo præscindi solet, & à corpore separari membrum, vbi nascitur, aut vt aliquanto homo quietius viuat, fomentis est pestis mitiganda frequentibus. Nam vt inde mortem, quantumuis tardius affuturam confidamus secundùm Hippocratis, vt fertur, sententiam; omnis est omittenda curatio. Hoc illa à perito medico, & suæ domui familiarissimo acceperat, & ad solum Dominum se orando conuerterat. Admonetur in somnis, appropinquante Pascha, vt in parte fœminarum obseruans ad baptisterium, quæcunque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo Crucis Christi. Fecit, & confestim sanata est. Medicus sanè, qui ei dixerat vt nihil curationis adhiberet, si paulò diutius vellet viuere, cum inspexisset eam postea, & sanissimam reperisset, quam prius habere illud malum inspectione cognouerat, quæsiuit ab ea vehementer, quid adhibuisset curationis, cupiens quantum intelligi datur, nosse medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur.* Fusè Augustinus enarrat, quomodo increpauerit hanc mulierem, quia tacita præterierat miraculum illud adeò solenne, vt ipsi morbo inglorio laboranti, & veluti natura nouercante, sanitas fuerit cœlitus impertita. Vnde bellè adiicit Augustinus, Signum Crucis fuisse medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur.

Crucis ligno sanata fuit Innocentia fœmina.

Crucis signo sanata Vestiana.

Non est Augustino inferior Sanctus Gregorius ille Nyssenus, qui æuo suo toti Græciæ illuxit, pietate rutilus, & doctrina insignis. Is narrat Vestianam fœminam claris ortam natalibus, tumore in faucibus assurgente incurrisse in discrimen vitæ, cumque morbus faucium etiam viciniam occuparet, & per sinus pudicæ mulieris oras discurreret, ea malens consulere castitati, quàm vitæ in summo agone, medici præsentiam hactenus declinarat, ne sinum aperiret homini. Rem sic Gregorius edisserit. *Cùm acerbè intumuisset hæc pars, & periculum esset ne tumor secandus esset, aut ne latius serpens malum fieret immedicabile, si ad loca cordis appropinquasset, rogauit sæpius, & obsecrauit mater, vt medici manum admitteret: eam namque artem à Deo etiam pro salute hominum ostensam esse. Illa verò cùm aliquam corporis partem alienis oculis aperire, morbo ipso grauius indicaret. Matri autem exanimatæ hortantique, vt medico vteretur; sibi ad depellendum morbum satis esse respondit, si manu sua mater ipsa locum signo sancto muniret. Cùm igitur mater in sinum eius manum intulisset, vt eam partem signaret, signum quidem egit, morbus autem abiit.*

Nyss. in vit. S. Macrinæ.
Castitas quanta fuit Vestianæ mulieris.

Theodoretus vir famosissimus atque veridicus Crucis encomia texit ex domestico exemplo: matri enim suæ fuisse sanitatem concessam illo signo ait. *Morbus, qui ei in alterum ex oculis incubuerat, visus est medicinæ superare scientiam. Nihil enim erat, aut scriptum à veteribus, aut inuentum ab eis, qui fuere posterius, quod morbo non fuerit adhibitum; postquam autem omnia probauit, & ostendit nullam adferre vtilitatem, venit quadam ei familiaris, quæ virum diuinum Petrum ostendebat. & ab eo factum miraculum signaculo Crucis. Audiuit mater, & ad diuinum statim accurrit hominem, vociferans obsecrauit, vt curaret oculum. Is autem dicebat, se quidem esse hominem, & eam habere quam ipsa naturam; se autem gestare magnam peccatorum sarcinam, & ideo priuatum esse eâ quæ ad Deum habetur fiduciâ. Cùm autem mater fleret, & oraret, & diceret se non eum relicturam, nisi sanitatem assequeretur, dixit Deum esse horum curatorem: petitiones autem semper dare iis qui credunt. Dabit ergo, inquit, nunc quoque, non mihi donans gratiam, sed tuam fidem contemplans. Si eam ergo habes sinceram & veram puramque & ab omni dubitatione liberam, iubens & medicos valere, & medicamenta, à Deo datum sume hoc medicamentum. Hæc cùm dixisset, manum oculo imposuit, & salutaris Crucis signo facto morbum expulit.* Hæc ille.

Theodor. in hist. SS. Pat. in vit. Petri Pergameni.

Crucis signo sanata mater Theodoreti.

Ad hanc corporis ægri curam Crux alio miraculo homines ad se allexit. Quippe oleum sæpe effluxit ex hoc ligno, eoque liquore salutari itum est obuiam multis morbis, teste venerabili Beda, qui ait, in templo sanctæ Sophiæ triduo ante Pascha exponi sanctam Crucem omnibus adorandam. Sic ille. *Quandiu super altare manet aperta capsa, totam Ecclesiam mirus odor perfundit. De nodis enim ligni sancti liquor odorifer, oleo similis profluit, cuius si etiam modica particula contingat, ægritudinem omnem sanat.* Nec è Cruce tantùm effluxit oleum; sed Gregorius Turonensis Episcopus ait, sanctam Radegundim Reginam, quæ Pictauium sese contulerat facto inibi celebri Monasterio, ostendisse omnibus prodigium quotidianum. Sic ille. *Causa deuotionis extitit, vt sepulchrum sancti Hilarij visitans, huius Reginæ adirem colloquia, ingressusque monasterium consalutata Reginâ, coram adoranda Cruce, & sacris Beatorum prosternor pignoribus. Denique oratione facta surrexi. Erat ad dexteram lychnus accensus, quem cùm stillis frequentibus defluere conspexissem, testor Deum, quia putaui quasi vas esset effractum, quia erat ei concha supposita, in quam oleum defluens decidebat. Tunc conuersus ad Abbatissam aio: Tantáne te retinet mentis ignauia vt integrum excindile laborare non possis in quo oleum accendatur, nisi effractum, quo defluat, ponas? Et illa: Nec est ita, Domine mi; sed est virtus sanctæ Crucis, quam cernis. Tunc ego ad me reuersus, & ad memoriam reuocans, quæ priùs audieram, conuersus ad lychnum, video in modum ollæ feruentis, magnis fluctibus exundare, ac per oram ipsam, vndis intumescentibus superfluere, ita vt in vnius horæ spatio, plus quàm vnum sextarium redderet vasculum, quod quartarium non tenebat, admiratúsque silui, & virtutem adorandæ Crucis, deinceps prædicaui.* Hæc S. Gregorius rei miræ enarrator & testis.

Crux olim afflans odorem suauem & distillans oleum.

De locis Sanctis. cap. 20.
Cruci obiecta lampas oleo redundauit.

Lib. de gloria Martyr. c. 5.

Crucis oleū quæ mirabilia patrauit.

Sanctus Ioannes Episcopus dæmones in fugam agebat oleo sanctæ Crucis; & S. Sabas dæmonum turmas debacchantes in vno colle, coëgit aliò secedere, asperso oleo illo sancto. Sed instabis: Ad quid iste contextus efficaciæ Crucis in morbos, & diabolos sæuientes in corpora, & populantes varias mundi plagas? Respondeo, hæc esse congrua titulo sectionis, vbi me obstrinxi probare, Crucem agere in iniquos spiritus, & in vitia quæque. Non fit ergo iniuria titulo, si post ostensam gratiam omnium sacramentorum emergentem ex Cruce, ostendo etiam, morbos, qui sunt vitia corporis, curari beneficio Crucis, quæ cùm

Cyril. in vit. S. Ioan. Silentiary, & in vit. S. Sabæ.

Iesus vnde sit dictus.

corpori

corpori & animæ medeatur, Christi peritiam prodit in arte medica, quæ maximè fuit ei cordi, sicuti liquet ex eius nomine, IESVS, quod alibi dixi significare sanitatem, ex Græco verbo ἰάομαι; & salutem ex Hebræo ישע iaschang. saluare.

EX RE MEDICA. *Bauderon.in Pharm.lib. de elect.* Catholicon Nicolai ad quid institutum. *Fern.l.7.de morb med.*

Medicorum institutum salutare est, vno medicamine varios oppugnare morbos, licet naturæ dispares: eamobrem suo Marte effinxit vnum remedium Nicolaus Myrepsus, quo tantam humorum colluuiem benignè expurgat; vnde ab hoc effectu & ab auctore, pharmacum illud nuncupatur, Catholicon Nicolai, id est, remedium in vniuersum idoneum cuiuis repurgio humorum. Ad eius imitationem, alter & is regius medicus, aliud vniuersale remedium excogitauit, quod appellat, Catholicon simplex, coalescens ex succo rosarum, agarico, & foliis sennæ, remediis specificis, & congruis ad purgationem bilis, pituitæ, & melancholiæ, adiectis herbis hepaticis, vt sunt eupatorium, atque asplenium.

Placet ea descriptio, vtpote ad trutinam reuocata. Sed omnino mihi est cordi medicamen Crucis, cui soli nomenclatura illa quadrat, illius remedij iamiam recensiti. Ita planè vna Crux dici potest sine suspicione mendacij, Catholicon Nicolai. Nicolaus idem est ac victor populi, ex Græco νικάω vinco, & λαὸς populus. Christus ita sibi obstrinxit populos omnes, diabolo mancipatos, vt inde Saluatoris nomen ei inditum sit, quod idem ferè est ac denominatio Nicolai; Cruce suâ radicitùs expurgauit quæ noxia, nec est aliud generale magis remedium, quo animæ corporaque queant integrè vegetari.

Crucem qui gestant quibus gaudeant priuilegiis.

Nescit ars Medica pharmacum, quo eatur obuiam iniuriis, quæ ab extrinseco ingruunt; & hoc tamen præstat vsus Crucis: quasi enim esset ei parum detergere luem peccatorum; hominem totum armat, in acies inferorum, ita vt nihil iniurium esse queat ei, cui præstò est Crucis influxus. Ea ratione prisci Imperatores voluere sibi conciliare reuerentiam populorum: scilicet sanctione speciali nefas erat, inferre iniuriam ei, qui Imperatoris imaginem præferebat; ita & hi, qui Crucem vt par est baiulant, sunt immunes ab omnibus iniuriis, quas diabolus infert osoribus Crucis. Imò Cruci licet illud quod dedecet Cæsaris imaginem. Nimirum erat lege cautum, eos esse coercendos vinculis, & carcere, qui eo intento figuram Cæsaris assuebant vestibus suis, vt impunè suos æmulos impeterent. Tutius nobiscum agitur in obsequio Crucis, quando suadet Christus, vt quisque suam tollat Crucem; nempe ideò quemque sollicitat, ad hoc subeundum onus, ne præualeant in nos spiritus nequam, sed potiùs ipsi nos facti diabolo terribiles, eum funditùs euertamus.

Cæsaris imago lata fuit benefica.

EX IVRE CIVILI *Lege 5. Cod. de iniur. l. Capital.§. ad statu.de pan.*

Ferre autem Crucem est referre imaginem Christi, quem noluit Paulus alio lineare penicillo, quam Cruce; aiebat enim se prædicare Christum, non satorem rerum omnium, sed hunc crucifixum. Et quasi alluderet ad eum morem, qui tutos faciebat eos, quibus affulgebat imago Imperatoris, ait: *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini mei IESV, in corpore meo porto.* Quasi diceret: Flocci pendo ausus omnes infero-

Galat.6.

rum, mundi, & carnis; quia non imaginem Christi duntaxat circumfero, sed & stigmata eius mihi inusta in Cruce, cui me deuoui totum obsequio indefesso. Et ne in animum inducas, me imponere Paulo; audi eum Magnanimum, atque insultantem iis omnibus rebus, quæ assolent viros quosque validos concutere. Sic ille in cothurnos assurgit: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in omnibus his superamus, propter eum qui dilexit nos.*

Rom.8.

Aduerte, Apostolum prouocare ad certamen omne id, infra quod sunt etiam præpotentes; & statim aperire vnde ei tanta fiducia: vbi enim quibusque duris insultauit, hæc adiecit: *Quia propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oues occisionis.* Hæc vox, quia, causalitatem vehit; & indicat, Paulum profiteri, mortificationem seu Crucem generosos animos adiecisse. Ne autem videretur ille Crucis amasius aucupari speciem inanis gloriolæ, assignando Cruci suæ victoriam; omne decus suum & gloriam subiicit Cruci Christi, hac humili confessione. *Sed in omnibus his superamus, propter eum qui dilexit nos.* Item liquidiùs alibi. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Mortificatio quã sit vtilis.

Galat.6.

Rursus ille idem strenuus Olympionica explicans, quo Marte superior extiterit omni lege aliena à Christo, siue sit lex mundi, & carnis, siue hodierna lex Iudæorum, quæ iniuria est Christo, vtpote Redemptorem alium expectans, ait: *Legi mortuus sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum Cruci. Viuo autem, iam non ego: viuit verè in me Christus.* Demum generosus ille Pancratiastes ostendit, non tantùm Principem huius mundi eiici foras Cruce, sed & reproba omnia extingui hoc stipite salutari. Macte igitur, ô anima imbecilla, cui incumbit opportuna moles peccatorum, submitte humeros Cruci, & ea tuum alleuabit onus. Si peccata tua effusa sunt velut mare, cuius nequeas transuadare diuortia; memor esto Crucem esse tabulam, quæ naufragos omnes ei adhærentes in portum adduxit integros, & sospites, sicuti insinuat iste Canon. *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem; imitamini & correctum. Errauimus iuuenes, emendemur senes, iungamus gemitus, lacrymas copulemus.* Scholiastes Iuris Pontificij sic elucidat hunc Canonem. *Procellarum huius mundi: quia nauigamus tendentes ad patriam, & incurrimus naufragium ex peccato primi hominis, quo sumus morti addicti. Prima tabula est Baptismus, vbi purgatur vetus homo, & induitur nouus. Secunda tabula est pœnitentia, quâ post Baptismum resurgimus; post Baptismum enim lapsi, per pœnitentiam reuocari valent.*

Galat.2.

Pœnitentia est tabula post naufragium.

EX IVRE CANONICO. *Can.Secunda de pœn dist.1. gloss.Procellarum.*

Esto venenatis morsibus, iisque repetitis, animas nostras dæmon infecerit, mortique æternæ fecerit obnoxias, neque sit opis humanæ resurgere; præsto tamen est Crux, vbi pendulus Christus confidenter aspectus sanat eos omnes, qui se accingunt ad sequelam eius. Audi ex Augustino inde dilui

Mors vnde venit.

Ex SS. Patribus.

De pec. merit. l. 1. c. 32. serm. 101. de temp.

peccata omnia. *A serpente mors venit, qui peccatum, quo mori merentur homines, homini persuasit. Dominus autem in carnem suam, non peccatum transtulit tanquam venenum serpentis, sed tamen transtulit mortem, vt esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, vnde in carne peccati, & culpa solueretur, & pœna.* Labantes hominum peccantium animos erigit S. Prosper, eamdem figuram commemorans. Sic ille: *Cum in huius vitæ eremo, diuersis ex vitiis, iam consecratis in baptismo, tanquam in mari rubro pestiferos morsus infixerit diabolus; statim exaltatum in ligno Crucis Dominum Iesum respiciat, id est, à cælesti medico non recedat, vt omnis qui viderit, & crediderit in eum, non pereat.* Accedit Theophanes, asserens vigere adhuc illius figuræ veritatem. Audiendus ille. *Necdum omnino desierunt morsus, insita enim carni aduersus spiritum concupiscentia, necdum perfectè conquieuit: nam & in illis, qui virtutis perquàm studiosi sunt, sæpè cupiditatis morsus existunt. At qui oculos leuat ad illum, qui in Crucem sublatus est, is affectionem istam, & motum immoderatum depellit, & timore Dei, velut pharmaco quodam, venenum perfundit.*

Similia refert Prosper lib. de præd. p. 1. c. 11.

Theoph. hom. in Dom. ante exalt. S. Cru.

Concupiscentia vnde venit.

Ex Historia.

Paul. Iouius in elog. Scand.

Scanderbergi ossa credita facere animos.

Crucis signo facti Martyres generosi.

Quis eat inficias Cruci inesse vim maiorem, quàm ossibus Principis Albaniæ, nomine Scanderberg, cuius egregiè factorum Turcæ recolentes memoriam, aperuere monumentum eius, vnde eruentes ossa, condiderunt ea penes se, inserentes amuletis; rati eo ossium beneficio se nacturos animum heroïs generosi. Ita planè Crux est præstantius amuletum, quo Martyres olim Sancti, & dæmones, & vitia, & mundi principes oppugnarunt. Etenim omnis fida recensio agonum, quos obiere Martyres Sancti, fidem facit, eos auspicari solitos Martyrium suum à signo Crucis. Accipe quædam huiusce argumenti vera monumenta, testantia virtutem Crucis. Sic fratris sui Cæsarij discrimen cum Iuliano Imperatore describit Sanctus Gregorius Nazianzenus. *Ingrediebatur vir generosus, Christi signo communitus, clypeique vice magnum verbum obtendens, ad hominem rei militaris peritissimum, ac dicendi facultate præstantem.* S. Ephrem recolens passionem SS. Quadraginta Martyrum, sic fatur: *Isti autem in vno Crucifixi signaculo, Christum in se, quasi legis loco, omnibus præscripserunt. Crucem signiferà figurà in mente gestabant.* Ado ex antiquis relationibus hæc recenset de S. Thecla. *Capta ab apparitoribus, vt in focum iactaretur, sponte pyram ascendit, & signo Crucis facto, virili animo inter flammas stetit, subitóque facta inundatione pluuiarum ignis extinctus est, & beata virgo illæsa, virtute supernâ erigitur.* En Crucis efficax & salutare signum. Sanctus Gregorius Turonensis in eam refundit egregia omnia facinora Martyrum. *Martyres ea quæ vicerunt, non suis viribus, sed Dei hæc auxiliis per signaculum Crucis gloriosissimè peregerunt, in quibus ipse Dominus & dimicat, & triumphat.* In eà est sententià Sanctus Ephrem. *Cruce thoracis loco amicti milites Christi SS. Martyres, quascunque artes, & adinuentiones, audaciámque tyrannorum superarunt, ac destruxerunt.* S. Cyprianus eo signo, quasi propugnaculo circumactus ait: *Nec timetur mortis periculum, vbi tanta reuerentia conspicitur signum.*

Greg. Naz. or. in laud. Cæsarij.

Ephrem. in encomio SS. 40. Mart.

Ado in Martyr. 23. Sept.

Greg. Tur. l. 1. mirac. c. 107.

Ephrem. serm. de S. Cruce.

Cyprian. de pass. Christi.

Ne igitur, ô homo ignaue, hostium tuorum causare ferociam; pro voto tartara sæuiant, & dæmones obiiciant crimina immania, vt spe cadas omni potior est virtus Crucis omnibus vitiis, inde effluit oleum salutare medendis omnibus etiam cancris idoneum. Insidet Cruci Medicus, Æsculapij peritiam longe superans; ille scilicet, cuius funere fuere rediuiua corpora, quæ antea cesserant in ius mortis. Si vim times, Crux est gladius anceps, atque versatilis, ad omnes vsus compositus. Experto crede, si quando me diuexant retroacta piacula; si animum deiicit vitæ segnitiis frequens memoria; si quis irrepserit tepor acediæ, quo pietas algeat; sola idea Crucis dispescit hæc omnia, animumque recreat hæc oratio Augustini, Crucem Deo Patri offerentis in pretium, quo dilutum est omne illud æs, cui nos obstrinxerant nostra impia facinora. Sic orat Sanctus: *Merito mihi spes valida in illo est, quia sanabis omnes languores meos per eum, qui sedes ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Languores quippe mei, Domine, magni sunt, & multi: habet enim multa in me princeps huius mundi, scio, & fateor; sed rogo te, libera me per sedentem ad dexteram tuam Redemptorem nostrum.* Hæc Augustinus, qui eamdem animo versans Passionem Christi spe plenus Deum Patrem sic feruidè compellabat: *Desperare vtique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare non audeo iam; quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filij tui, quantò magis reconciliati salui sumus per eum? Omnis namque spes, & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos, & propter salutem nostram. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te peruenire desidero; non habens meam iustitiam, sed eam, quæ est ex filio tuo Domino nostro Iesu Christo.* Igitur hoc meum recole effatum.

Crux est spei nostræ summa.

August. lib. Medit. c. 13.

Spes nostra debet esse Christus.

Aug. l. Med. c. 14.

QVÆ HOSTIS TRVX INGERIT PECCATA, CRVX EGERIT, ET FACIT PACATA OMNIA.

Qua cautione debeamus subire Cruces, vt sortiantur effectus suos præpotentes.

In hæc verba:

Princeps huius mundi eiicietur foras.

SECTIO QVINTA.

Ex Figvris.

1. Reg. 17.

Homine giganteâ mole insultante Hebræis, eorum castra timore magno ideò perculsa sunt, nemine occurrente qui iniret singulare certamen cum viro illo præualido. Dauid animo suo versans, esse Deo omnia possibilia, & de illius agi gloria, quam Goliath reuocarat in discrimen, apud se statuit, cum hoste fortissimo congredi: quod vt resciuit Rex Saül, demiratus animum tantum in homine pubescente, voluit conferre opem suam omnem, ne deesset in aliqua re Dauidi obiicienti caput suum fortiter pro salute dubia Hebræorum. Rex sollicitus, suis

armis

Crux est armatura Christi.

armis Dauidem induit, vt legere est in Codice sacro. *Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam aream super caput eius, & vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia non vsum habeo. Et deposuit ea.* Tantum beneficium Regis irritum fuit, eò quòd Dauid non habebat vsum huius generis armorum; & licet instaret ferus hostis cataphractus; tamen arma regia deposuit Dauid, futurus victima incuriæ suæ, si Deus non aliundè adfuisset ei. Ecce ingenuam ideam omnium hominum sortis. Res est nobis cum dæmone & vitiis, vndique impetimur, nescit inducias bellum nobis indictum à sæculo, agitur de summa rerum, scilicet gloria æterna. An deerit Deus positis in tanto discrimine? Minimè verò. Armis iisdem nos accingit, quibus inferas potestates fudit & extinxit. Nimirum Crucem nostris humeris imposuit, veluti panopliam; Martyres Sancti omnes, ea armatura instructi, omnia dæmonum fecere irrita conamina. Sed plerique hominum hæc arma deposuere; dicentes se non habere vsum, & hinc malorum omnium radix, quæ & hodie pullulat, & iniquos edit surculos.

Crucis vsus legitimus vnde petatur.

Instabis: Vnde petitur ille legitimus vsus Crucis? Respondeo, inde peti, vnde & sumitur omnium armorum vsus idoneus bello; scilicet à frequenti attrectatione, iuxta regulas artis moderantes habitum corporis, in accessu, & recessu, inclinando se opportunè, & alias assurgendo. ita & Crux, vt quis assuefiat ei, debet illi insistere legibus institutis, ad hoc vt ea cedat in iuuamen, & non in discrimen. Rara sunt arma, quæ vtriusque manus opem non exigunt: etenim ambæ manus plus influunt quam singulæ. Hæc igitur esto prima causa ad congruum vsum Crucis. Miles Christianus debet brachiis apertis Crucem excipere, & quasi in eius ruere amplexus, vt in eum influat virtus Crucis: id est, ne Crux inutilis incumbat nobis, operæpretium est occurrere et obuiis vlnis explicatis, annuendo decreto Dei de hac Cruce toleranda. Etenim Crux inuita non influit, sed effluit potiùs; quia anima refuga satagit excutere Cruces incumbentes, vt quid immunè cum bono naturæ tantùm addictæ sensibus.

Crux à nobis consensum petit.

Rem ita se habere expertus est pœnitens ille latro, Cruce sua sanctior effectus, quia se totum effinxit ad arbitrium Dei, quo annuente infligi sibi Crucem credidit, & consensit. Ille consensus est veluti crepusculum gratiæ emergentis. Nam etsi homo lethali peccato saucius nequeat se de condigno disponere ad gratiam, in eo statu auersionis à Deo: tamen in confesso est apud Theologos, animam, quam tædet deliquisse, & quam afficit amor Crucis, itaut punire incipiat noxas suas; hanc, inquam, animam constat sese aliquali modo disponere ad gratiam. Quemadmodum enim ligno ignis accenditur; sic etiam Cruce Christi amor Dei vt pabulo maximè idoneo enutritur: & ille est quotidianus progressus ad gratiam animæ pœnitentis, vt & in præfato latrone liquet, & attende vias Dei miserantis.

Ex Theologia. S. Thom. 1.2. q. 111. art. 2. q. 113. art. 3.

Ex re Medica.

Deus de omnium salute sollicitus, animaduertens reprobos sui incurios genio indulgere, & impunè volutari in omni vitiorum volutabro, nihili facere consilia, quibus ad meliorem frugem reuocantur; medicæ artis peritiam æmulatur, quæ vbi deprehendit, leuia medicamina non trudere homines noxios, adsciscit scammonium, vt citò vi sua potenter egerat ea, quæ fuere fermentum morbi. In hunc ferè modum Deus quatit capita reproba ærumnis & Crucibus variis, vt tandem aliquando vexatione sapiant homines, qui fuerunt in voluptatis illecebra degeneres. Igitur afflicti, fiunt compotes sui, recolunt crimina perpetrata, pudore suffusi dolent hæc commissa, & fatentur, iustè infligi pœnas, quibus tunc vrgentur, agnoscunt medicam Dei manum, ferienti annuunt, & eò magis Deum amant, quò plus eos pressit; quippe sciunt pœnas inflictas esse argumentum amoris illius sacri, cui etiam incipientes vicem rependere ad Deum conuertuntur, à quo antea exleges aberrabant.

Fern. l. 7. de Meth. med. Cruces quare Deus infligat.

Crux quando incipiat esse meritoria.

Tunc Crux incipit esse meritoria quæ antea erat tantum excitans ad gratiam; ad hoc enim vt aliquid sit meritorium vitæ æternæ, supponit in anima adulta præuiam gratiam iustificantem. Verbi gratiâ, latro in Cruce excitatus est ad recolendam memoriam suorum peccatorum, nec fuit hæc minima gratia, etsi vt talis non fecerit hunc hominem Deo gratum; incepit enim tantùm pœnitere. Pœnitentia pubescente, æquo animo accepit Crucem, vt congruè impositam sibi: dum autem aperiret cor suum ad nutum Dei, irrepsit amor etiam eiusdem Domini, cuius arbitrium subibat vltrò; amore hoc concepto, statim Crux Christum vehens influxit in animam pœnitentis Crucem, qua patienter habita, factus est compos paradisi. Totam hanc seriem accipe ex textu veridico. *Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè; nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad IESVM: Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi; hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 23.

Crux vt sit vtilis duo prærequirit.

Totus hic contextus fidem facit prælibatis à me; videlicet, Crucem non influere nisi præuiis cautionibus, quas ad geminum caput reduxi. Nempe debet esse Crux omnis voluntaria, vt sit salutaris. Secundò, vt potiores suos effectus prodat in ordine ad vitam æternam, & ad vitia extirpanda, & Dæmones abigendos; animas exigit gratia habituali insignes: etenim non coëunt Crux & peccata, sicuti animæ suæ dispendio sensit ille nequam Cruci addictus, & impetens conuiciis Christum: nihilo fuit Cruce sua securior; sed potiùs infelix illud lignum cessit in pabulum, quo malè habetur hic nebulo, in rabiem actus Cruce sua, qua debuerat emundari, si congruè Cruci se aptasset. Quisquis ergo anhelat ad efficaciam Crucis, ille se accingat ad gratiam, citra quam Crux omnis in anima feriatur. In huiusce rei argumentum sponsa ait: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Si quæris, vnde hæc anima beata habitura sit fructus palmæ? Respondeo; Ab ascensu: nam degentes

Cantic.

gentes humi nequeunt decerpere baccas, quas sursum euehit palma. Ita & Crux licet sit arbor fœta multiplici fructu; non tamen suos spargit fructus, sed expectat vt carpantur à scandentibus & non repentibus. Fortè eò respexit Isaias sic vaticinans. *Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Nemo nescit, oleum esse symbolum gratiæ Dei, qua stante nihil potest esse homini iniurium: omnia enim noxia, tota vi sua cadunt, cum incurrunt in hominem, sacro hoc gratiæ oleo delibutum.

Isaia 10. Gratiæ symbolum est oleum.

Fauet Olympionicarum vetus institutum, quo præuia olei vnctione pugiles coibant in arenam, & quò maior erat olei influxus, minor erat metus cedendi æmulo; quia lubricante manu nequibat apprehendi corpus oleo aspersum. Apposite ad hunc ritum, homo gratia Dei inunctus, inuius est hosti, quem facili negotio obtruncare potest, si vtatur armis idoneis, scilicet Cruce, alioquin infirma si homo habeat vnde teneatur. Namque homo lethali noxa præpeditus, & quem inde diabolus fecit sui iuris, planè ineptus est ad vsum Crucis, saltem vt ea armatura eliminet hostes suos. Nimirum etsi Crux præpotens sit & valida panoplia; vis eius tamen non influit in eos, qui sunt à Christo crucifixo moribus alieni.

Olympionicæ olim vncti oleo.

Philosophia lucem non modicam adfert isti argumento. Ait hæc disciplina sedula rerum Physicarum indagatrix; Ait inquam, res omnes esse ea serie intertextas, vt natura prorsus abhorreat à vacuo, ne cælorum vis tota alluens terras intercipiatur aliquando. Indigent enim cæli medio aliquo reali, quo tanquam vehiculo feratur eorum influxus ad omnes orbis oras. Et esto quidquid est animale, cælo viuat; si tamen diuinitus daretur vacuum in aliquo antro, & illic esset aliquod animal, illud omnino esset expers eius influxus, cui vitam suam debet omne quod vegetat. Nec ideo dici potest, esse cælum impotens, quia ille homo in vacuo degens nescius est virtutis, quam cæli affatim omnibus impertiunt; sed hæc inopia est refundenda in statum illius, qui in inani positus est contra præstitutas à natura leges, quibus cautum est, nullas dari actiones, quin termini sint reales, mediis interiectis etiam realibus.

Vacuum quare non detur in natura. Ex Philosophia. *Aristot. l. 4. Phys. c. 2.* *Ioan. Gram. in l. 1. Phys.*

Physica ista disceptatio bellè explicat vnde infirmetur efficacia Crucis, etsi maior ea sit in moralibus, quàm queat esse vis tota omnium simul & cælorum & astrorum, in physicis. Non exerit vim suam Crux in homines si sint in vacuo. Vacuum & inane dico omne peccatum, quod à nihilo dicitur etiam deliquium; quasi anima peccans fuerit passa deliquium, & redacta ad nihilum. Illis non est propitia Crux, qui sunt in vacuo, non ex inopia virtutis insitæ Cruci, sed ex statu minus idoneo homini deposcenti Crucis suffragium. Potest quidem Deus virtute Crucis redimere mille hominum species; sed ea potestate non vtitur, nisi ea cautione præambula, videlicet vt homines absint à vacuo, & liberiorem auram gratiæ spirent, citra quam degimus in inani, & sumus obnoxij ruinæ multiplici.

Crux quibus sit inutilis.

Philosophiæ huic morali consonant ea, quæ Iob recenset de iniquis constitutis in vacuo, & quorum funus indubium sic describit: *Vt incaluerint soluentur de loco suo. Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum & peribunt.* Nota, virum Sanctum subiicere ruinam vacuo: vt enim ille, qui præceps agitur in abyssum, quasi inane decurrens, nullum habet terminum sui casus, præter excidium; ita & is, quem vacuum peccatorum excipit, deliquij sui finem accipit, æternum animæ dispendium.

Iob. 6. Gratiæ Dei expertes frustra laborāt.

Iob vt sibi constans ait: *Ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Labor enim omni vacuo subiicitur. Nemo ergo arroget sibi suffragium Crucis, degere volens in vacuo; ea illuc non influit, sed in animas tantùm, quæ sunt alicubi, & quas proprius ambit locus. Vt fiat res ista liquidior, consulenda est Philosophia, qua dictante discemus, hominem existentem in loco, duo acquirere ratione loci. Primum est intrinsecum: alterum verò est externum. Intrinsecum illud quod acquirit homo nuncupatur, Vbi; & est modus quidam internus, quo homo ita isti addicitur loco, vt sit extra alium omnem locum: hinc aiunt Philosophi; Vbi, dicere relationem substantiæ ad locum. Aliud autem extrinsecum, quod homini accidit, est superficies corporis ambientis, in qua est sita ratio loci, omne locatum continentis. Quòd autem homo siderum influxus excipiat, illud non habet ab illo modo, quem nominamus Vbi, & qui est quid internum, quod etiam conuenire potest homini existenti in vacuo: non enim præcisa ratio illius modi est, vt hominem in loco constituat, sed vt eum determinet ad aliquod vbi externum saltem in potentia, vnde sublato externo vbi, non deperditur ratio vbi interni. Ergo habet homo vim cælorum à superficie corporis ambientis; ea enim mediante superficie, fit contactus physicus corporum, quæ sic nulla interiecta intercapedine dispescuntur. Fitque vt omnia corpora contigua componant vnum quidpiam vniuersum, iugi cœlorum influxu gaudens, cuius expers esset mundus, si aliquali parte sui vacuum pateretur.

Iob. 7. Ex Philosophia. *Porphyr. in prædic.* Vbi, quid notet in Philosophia. *Aureol. apud Logicam.*

Theologia bifariā hominē considerat, & hoc apposite ad præfata ex Philosophia. Si homo est gratiæ indigus, dicitur esse in nihilo; peccatum enim nihil est, vt confitetur Psaltes memor sui deliquij. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Si verò homo sit in gratia, Theologus in eo considerat modum aliquem internum, & aliquid velut animam ambiens: modus internus est, quidam mœror conceptus ob Deum offensum; ratione illius modi, anima non est in ea constitutione reproba, quam passa est exosa Deum, nec etiam præcisè est in loco, id est, in gratia ambiente: nam dolor de peccato formaliter & citra alium influxum animam minimè iustificat, etsi potenter immutet in melius: nemo enim sanæ mentis dixerit, attritionem solam, & secluso sacramento, hominem peccato extinctum posse facere rediuiuum.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. p. qu. 75-78. & 84.* Homo in gratia consideratus.

Aliud quod speculatur Theologus in homine iusto, est aliquid velut ambiens animam, & quasi in loco securo statuens. Illud est gratia, in eo dissita à virtutibus, quòd illæ sint in potentiis animæ, quas perficiunt, vt sapientia in intellectu, iustitia in voluntate: gratia verò in

animam influit, vt in idoneum subiectum suum, eductum ex vacuo, & dignatum loco congruo & insigni. Vt ratione vbi interni homo non coniungitur cælis, sed ratione realis superficiei ambientis corporis, contigui aliis corporibus, quæ continuo attactu, cælo tenus exurgunt, vnde illabitur quidquid viuidum est; eo ferè modo anima iusta non vnitur Cruci, quia pertæsa est vitam suam reprobam, sed quia Dei gratia circumagitur & ambitur, & mediante hac gratia fit compos efficaciæ Crucis, à qua viuidum est omne quod vegetat in ordine ad vitam æternam.

Crucis influxus ad quos pertineat.

Si quis ergo cupidus est efficaciæ Crucis, ille se accingat ad gratiam comparandam, alioquin vt longè à Cruce, semper erit indigus influxus illius: nec Dæmones Crucem illam verebuntur quæ præfertur à reprobis, cùm enim Crux totam suam vim hauriat à Christo Domino, peccator iniurius Christo nequit habere Crucem beneficam, sicut ille arborem non virentem diu habere potest, cuius radices securi inflicta præscidit. Hinc est inanis pœnitentia eorum, quos sequens culpa coinquinat. Si ieiuno corpore, media arente, tumet animus superbia; Dæmon abstinentiæ illius Crucem aspernatur. Si caro hirsutæ vestis patiens aculeos, in libidine volutatur; illud cilicium diabolum non fugabit, sed erit tantùm virtutis ementitæ nudum prorsus, & inane simulachrum.

Peccati recidiua facit pœnitentiam inutilem.

EX IVRE CANONICO.

Eamobrem Iure Canonico cautum est, ne censeantur inter pœnitentes, illi hypocritæ crucigeri, vtpote facientes iniuriam Cruci, quam vilipendit Satan, eam videns à reprobo homine circumferri. Sic habet Canon. *De his, qui suscepta pœnitentia, religionem suæ professionis obliti, ad sæcularia relabuntur, placuit eos & à communione suspendi, & ab omnium catholicorum conuiuiis separari. Quòd si post interdictum, cum eis quisquam præsumpserit manducare; & ipse communione priuetur.* Alio item Canone obligantur illi, qui Cruci dare volunt nomen suum, vt promittant se non repetituros crimina perpetrata. En Canonis textum. *Tota mentis intentione spondentes, talia se vlterius non facturos, corpus & sanguinem Domini suscipere mereantur.* Consonat & hic textus. *Continuè dolendum est de peccato; quod declarat ipsa dictionis virtus: Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Pœna enim propriè dicitur læsio, quæ punit, & vindicat quod quisque commisit. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet.*

Can. De his. De pœnit. distinct. 5.

Can. De viro 12 q. 2. Can. Pœnit. §. Continuè de Pœn. d. 3.

Gladius coronatus cum lemmate egregio.

Ex præfatis collige, Crucem non illis militare, quos culpa coinquinat, sed potius eã in ipsos insurgere, vt in perduelles atque Christicidas: vt enim idem gladius Angeli exterminatoris erat Hebræis propitius, & vindex eorum libertatis, populo autem infideli noxius & lethalis; ita & eadem Crux asserit libertatem filiorum Dei, & desæuit in reprobos exosos Christum, & hunc crucifixum. Eamobrem singulis licet aptare sibi Symbolum Regis Iacobi sexti Scotorum Regis, qui gladio coronato adiiciebat istas voces. PRO ME. SI MEREOR IN ME. Quasi diceret: Hic gladius in meos vsus aptatus est, si me dignum præstitero illius obsequio: at verò in me erit exertus hic gladius, si eius præsidio indignus, impiè me gessero. Cruci hunc titulum inscribamus. PRO ME. SI MEREOR IN ME. Dei gratia comite, vtar Cruce vt gladio versatili, & idoneo ad debellandos quoscunque inimicos; nam ex Chrysostomo Crux est ὅπλον τοῦ κυρίου ἀκαταμάχητον, id est, *Armatura Domini insuperabilis.* Sed si iugiter adhæsero pristinis ritibus noxiis, & Deo iniuriis, Crux quæ piis auream coronam imponit, mihi scelesto affinget aliam sentibus intertextam. Etenim Crux misericordiæ, & iustitiæ Dei congruum est specimen; misericordiæ, quia mediante Cruce de refugis facti sumus reduces ad gratiam; iustitiæ, quia Christus luit pœnas, quibus nos crebra facinora obstrinxerant: prout ergo vnusquisque affectus fuerit, eo etiam modo Crucis influxum percipiet: iustus deprehendet, Crucis obsequio adiici sibi gratiæ incrementum; ast impius intuitu Crucis, memor iniuriarum quas intulit Christo, de pœnitentia parum sollicitus, ideoque cadens omni spe, miserè disrumpetur. Si magis arridet dicere, Crucem esse Symbolum iustitiæ; non abnuo: namque vt iustitia suum cuique ius tribuit; ita & Crux gratiam iustis, & pœnam impiis impertitur.

EX SYMBOLIS. Ægid. Sadeler. Symb.

Chrys. orat. ad ador. S. Crucis.

Crux conciliat gratiæ augmentum.

Crux est symbolum iustitiæ.

EX MATHEMATICA. Ptol. Firm. ibi de Planet.

Congruit egregia obseruatio Matheseos circa signum illud Zodiaci, cui nomen Libra; in eo signo Saturnus dicitur esse in exaltatione sua, & quia hic Planeta est maleficus, signum Libræ nuncupatur violentum, & mali ominis. Rursus illud idem signum est domus Veneris, & ideo beneficum illis, quibus hic Planeta beneficus illuxit. Si quis ergo velit nosse qualitatem influxus Libræ, necesse est vt calleat indolem hominis, in quem ab ortu illius influxit Libra, futura beneuola illi, quem Planeta æquior aspexerit, maleuola verò illi, quem Planeta iniquior exceperit. Sic ferè fas est arguere Crucis effectum, siquidem æmulatur ingenium Libræ: namque nacta animas, quibus sanctior aura gratiæ afflauerit, Crux benefica influit, vt secus vim suam propitiam negat noxiis hominibus, vtpote deuiantibus à gratia. Quàm bene conueniat Cruci adaptio Libræ, liquet ex eo quòd sicut Saturnus falce sua quid sinistrum portendens dicitur exaltatus in Libra; ita & iustitia Dei suo gladio sumpsit pœnas facientes satis superque omnibus hominum deliquiis. Item vt Libra domicilium est sideris fausti; ita & Crux cessit in misericordiæ Dei sacrarium, cui subsunt omnes animæ sanctiores, sicut & animæ reprobæ demetuntur falce iustitiæ sæuientis.

Libra vt est constellatio quid significet.

EX IVRE CIVILI.

Vt fiamus conscij gratiarum Crucis, debemus eas demereri congruis obsequiis, quorum potiora sunt virtutum impigra praxis, atque repurgium peccatorum; alioquin Crucem corde iniquo gerere, est se nouo crimini mancipare. Quippe lege etiam Cæsareâ cautum est, ne Crux humili & inglorio loco reponatur: adiectaque est pœna mortis in eos, qui secus faxint, vt in sacrilegos & indignos in quos influat vna è Cruce deriuata. Hæc habetur constitutio Imperatorum. *Cùm sit nobis cura diligens per omnia superni Numinis religionem tueri: signum Saluatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi*

Crucem in terra sculpere prohibitum.

Lege Cùm sit nobis. Cod. Nemini licere.

humi positis insculpere, vel pingere: & vbicunque reperitur tolli (grauissima pœna multtando, qui contrarium statutis nostris tentauerit) specialiter imperamus. Hæc Cæsares. Hinc collige, quibus se pœnis obstringant illi, qui Crucem Domini IESV fœdant sordida sua peccatorum colluuie, id est, aliquas subeunt pœnas, vtputa ieiunij, & orationis; insolita tamen vitia non deferunt.

Nonne grauior infertur iniuria Cruci, eam reponendo penes animam immundam, quam si mitteretur in cloacam? Annon peius est inserere Crucem cordi obstinato, quàm eam marmori abiecto insculpere? Demum nonne magis deprimitur Crux in anima iniqua, quam si pedibus abiecta tereretur? Ita planè: nam rerum æstimatio petitur ab anima eas pensante, & non à corpore plerumque inscio meritorum vniuscuiusque rei. Si ergo anima malè sibi conscia tollit Crucem; id est, aliquod obit pœnitentiæ genus, peccata detrahent Cruci gratiam, quæ aliàs influeret in animam illibatam. Et hoc insinuans hominibus præcepit Ius Pontificium, ne inani spe delusi, moras trahant in peccatis creduli se mundandos, quia aliquales ineunt pœnas. & quasi vno humero portant Crucem. Sic monet Canon. *Fratres nostros Episcopos, & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus peccatis, de vno solo pœnitentia agitur, aut cùm sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio. Vnde scriptum est: Qui totam legem obseruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus; scilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim si peccatis esset omnibus inuolutus; ita si in vno tantùm maneat, æterna vita ianuam non intrabit.*

EX IVRE CANONICO. *Canon Fratres. De Pœnit. dist. 5.* Pœnitentia falsa quænam sit.

Crux quibus fit perniciosa.

Cæsares ea qua queunt morte animaduertunt in incurios honoris deferendi Cruci: Deus verò morte æterna agit in eos, qui aspernantur iura Crucis, dum indiscriminatim Cruci & vitiis obsequuntur. Nec eamobrem Crux malefica debet reputari, cùm nihil nisi viuidum spiret, sed tota pernicies, cui subsunt cruccigeri, petenda est ab iniquo eorum statu: sicut & Medici Rheubarbarum non improbant, ex eo quòd noxium fuerit aliquibus ægris; aiunt enim ægros non esse adductos in vitæ dubiæ discrimen vitio pharmacorum, sed ex hepatis imbecilli habitu prauo, quo remedij cuiusque virtus efficitur deterior. Accedit & aliud rei medicæ theorema asseuerans, optima quæque, & congrua expellendo morbo, si nanciscantur ægrum morbo composito decumbentem, fore lethalia ratione multiplicis mali, ex quo complicata ægritudo exurgit, atque coalescit. Verbi gratiâ, largum aliquando pituitæ profluuium, decidens è cerebro, ventriculum alluit; stabulante illic eo humore expertè caloris, membranæ algent frigore indiuiduo comite phlegmatis, tepentem ventriculum excipit indigesta moles alimenti ingesti, vnde & lienteria, & totius corporis atrophia. Fernelius his occurrit malis decernendo calida & corroborantia pharmaca, in quibus hæc sunt ab eo recensita, Agallochum, Macer, Nux moschata, Zinziber, Caryophyllum, Ambarum, quibus & adiicit syrupum myrthinum, mentæ, & absynthij, remedia verè idonea morbo prælibato. Sed si incanduerint hepar, & renes, vt plerumque accidit in his affectibus, omnia illa aromata, licet salubria sint ex naturæ instituto, adhibentur tamen ad perniciem ægri, ob connexionem partium malè affectarum. Sic enim inanis & falsa est pœnitentia de vno peccato, aliis tamen vigentibus in affectu: licet enim Crux cuiuis peccato occurrat; si reprobus penes se aliquem retineat habitum noxium, Crucis effectus nequaquam erit propitius; & id non ex virtutis inopia, quæ in Crucem cadere nequit, sed vitio hominis assuefacti deliquio, à quo sese expedire non satagit.

EX RE MEDICA.

Fernel. lib. 1. Pathol. c. 10.

Lib. 5 Meth. med. cap. 12. Pharmaci boni malus est influxus ob ægrum malè affectum.

Crucis ea est indoles quæ gemmarum, quibus aliquid virtutis & decoris adiicitur, si auro recondantur; secus verò si inserantur plumbo, multum illis detrahitur. Eo penè modo Crux plus rutilat & influit comite gratia, quàm obstante peccato, & suauiores ex ea effectus eliciunt iusti, quàm reprobi, imperiumque Crucis in auro viget, abiecta autem præterit. Habeo Summum Pontificem vadem huiusce meæ obseruationis; is fuit Papa Benedictus, qui infulas Imperij tradens Henrico Secundo, voluit præcipuum insigne Imperij esse Crucem auream, insitam globo aureo, multiplici gemma coruscanti: fortè alludens ad præfata, & insinuans non pompaticè & gloriosè insidere Crucem, nisi apud animas charitatis auro insignes, & multo virtutum lapillo pretioso rutilantes. Qui secus faxit, id est, qui Crucem alio apparatu gestat, nihil ex ea honoris capit. Etenim Crux in anima reproba ingloria est, vtpote habita iniuriè ab anima multis criminibus indecora. Vtque homo globum plumbeum, cui emineret Crux lignea, manu portans, non diceretur habere notas imperij, sed ille tantùm, qui præferret Crucem auream impositam globo exculto gemmis; ita & homo multo crimine impurus, etsi Crucem subeat, nolens inire diuortium cum prauis habitibus, non inde erit illustrior, facit enim vitio suo Crucem ingloriam. Illustri exemplo fit res ista palam, scilicet paruipendi Crucem eam, quam circumfert homo nequam. Rem accipe luculentam.

Crux comparata gemmis quæ in auro nitent magis.

EX HISTORIA. *S. Lazar. in hist. Imper. sub an. 1015.*

Henricus III. Imperator sui immemor, in Ecclesiam insurrexit, factus Pontifici Paschali II. iniquior: impium facinus Henrici, filius eius exhorruit, adeóque auersatus est, vt à patre suo defecerit, parui pendens eius Crucem, tesseram Imperij, qua se indignum præstiterat Henricus, factus iniurius Ecclesiæ: & ne quis offenderetur dissensione filij, dissiti à patre suo, ille in Concilio Northusensi testatus est, se patri suo facturum satis, dummodo & ille morem gereret Ecclesiæ, seque reuerriturum ait Crucem, Imperij notam, si vt par est, eam gestaret pater. Ea sors manet omnes, malè habentes Crucem: vbi enim à Deo deficiunt, & stabulatur apud eos vetustum aliquod scelus; ingloriè Crucem iactant, & irrita est omnis pœnitentia quam simulant. Dæmones iis insultabunt, spreta eorum Cruce; imò & propriæ passiones insurgent in hypocritas illos, vt filij in parentem Deo Domino iniurium. Sed si Dæmones deprehenderint

Henric⁹ III. Imper à filio desertus. *Ab Vrsperg. in Chron. sub an. 1105.* Ecclesiæ inobediens quomodo punitur.

prehenderint aliquando, hominem conteri atque seriò pœnitere, & toto affectu ruere in amplexus Crucis, facto prius Deo propitio; illicò agentur in fugam, non ferentes Crucem eius, qui Christi Domini iugum subiit animo defæcato.

Petrus de Bruis Crucis inimicus.

Esto tota series peccatorum sit inimica Cruci; libido tamen magis eam offendit, vt quam maximè Christus oppugnauit, crucifigendo carnem cum concupiscentiis. Si ergo quispiam eo contagio Veneris impurus; humeros Cruci supposuerit, nolens vacare à libidine sua; ille eodem se crimine obstringit, quo olim Petrus de Bruis, homo sacrilegus, qui in Diœcesi Arelatensi sua impia dogmata disseminans, multas Cruces congessit in aceruos, quos accendit, vt eo igne sacrilego coquerentur carnes: sed Deo non ferente scelus in suā Crucem effusum, homo ille apprehensus igni traditus est, carne eius decocta ligno candente, quia ligno Crucis accenso ebullierant carnes eo suasore. Hominum, quos libido sui iuris fecit, vita impia æmulatur præfatum facinus; nam dum libidini vacant, & Crucis aliquam speciem præferunt, vt pœnitentia ementita occultent obscœnos ritus suos; nonne supponunt ignem libidinis ligno Crucis, & hypocrisi faciente fucos, suæ carnis propagant incendia? Etenim illudunt oculis, dum ficta pœnitentia simulant se castos, fœdo tamen libidinis igne conflagrantes. Non impunè ferent Crucis iniuriam sordida Veneris illa mancipia; namque igne inferi depascente spurcas illas carnes, luent illi pœnas, quibus se aliàs obstrinxerunt.

Petr. Cluniac. lib. 1. ep. 2.

Crucis inimicus igne crematus.

Crucis inimici luxuriæ subiecti.

Baro. in Annal. tom. 8. sub an. 628.

Qua cautione velit Deus Crucem suam ferri, indicauit Imperatori Heraclio, qui purpura insignis, & multiplici gemma irradians, Crucem suis humeris impositam baiulare non potuit. Eum frustra enitentem Zacharias Ierosolymæ Antistes sic affatus est: Vide Imperator, ne isto triumphali habitu parum imiteris Christi humilitatem; Crux quidem amat habitum cultiorem, sed qui niteat oculis Dei, & non hominum amantium luxum: Crux sibi vendicat chlamydem prædiuitem gemmis, sed iis quæ desuper emicant, vt sunt omnia Spiritus Sancti charismata. Placuit Imperatori consilium Præsulis optimè præmonentis; nam depositis insulis, & abdicato omni sæculari fastu, humili veste amictus, submittens se Cruci, ea vltrò incubuit, fuitque tam suaue onus illud, vt minimè fatiscens Imperator, eam tulerit in montem Caluariæ. Eo sanè ritu gaudent omnes illæ Cruces, quas vel sponte, vel inuiti quotidie obimus. Deposcunt animos humiles, & alienos ab omni pompa: quæ enim conuentio Cruci ad pompam? Nulla planè: non coëunt pœnitentia, & fastus: virtutis idea non coalescit ex tripudio & ærumnis. Sed si Crux nanciscatur animas nescias huius mundi, in eas influet, & adeò copiosè, vt eo illapsu Crucis amasij non in montem tantùm Caluariæ, sed ad cœli apices efferantur. Toto autem viæ tractu baiulos suos Crux eripiet insultibus hostium, & faciet multiplici victoria insignes.

Heraclius quo habitu Crucem tulerit.

Crux humiles & pœnitentes deposcit.

Ex SS. Patribus.

Aug. Serm. 215. de temp.

Cruce signari quinam mereantur.

Multi sunt & prolixi in eo argumento Sancti Patres, effusi in encomia sanctæ Crucis; aliquos ego recensebo, ne desint isti sectioni suffragia testium sine exceptione maiorum, qui suum calculum adiiciant meæ sententiæ, asserenti Crucem exigere animas mundas, ne sit irritus illius influxus. Occurrit Augustinus. *Si te militem Christianum dicas, & iugiter Cruce Christi te signes, & eleemosynam secundùm vires tuas non feceris, charitatem, & iustitiam, vel castitatem habere nolueris; nihil tibi prodesse poterit Christianum nomen. Magna res est signum Christi, & Crux Christi: & ideo de isto tam pretioso signaculo res magna & pretiosa signari debet. Quid enim prodest si de annulo aureo sigillum facias, & putridas paleas intus recondas? Quid prodest si signum Christi in fronte & in ore gestamus, & intus in anima crimina & peccata recondimus? Qui enim malè cogitat, malè loquitur, malè operatur, si se emendare noluerit; quando se signat, peccatum illius non minuitur sed augetur. Multi enim dum ad furtum, aut ad adulterium vadunt, si pedem impegerint, signant se, & tamen de malo opere non reuocant se; & nesciunt miseri, quia includunt in se magis Dæmones, quam excludunt.* Vides quàm eleganter sugillet Augustinus eorum insaniam, qui sibi astutè putant esse cautum, si Crucis vsurpauerint signum, quando multigeno crimine polluuntur. Inde ait ille Sanctus fieri accessionem sceleri, quòd quasi Crucis signaculo confirmetur, & impures reprobi haberi velint eo charactere recentiti. It obuiam huic errori Cyrillus sic fatus: *Crucem facimus in memoriam omnis boni, & omnis virtutis.* Quippe Crux est veluti signaculum omnium gratiarum, vt & insinuat Augustinus. *Qui a se cum Dei adiutorio vitia & peccata repellit, & quod bonum est, cogitare simul & implere contenderit, iustè signum Crucis labiis suis apponit, quia talia opera conatur agere, quæ signum Christi mereantur accipere.* Fuitque olim vice Prouerbij, ista acclamatio, Beda auctore. *Habere Christum in cordibus, & signum eius in frontibus.* Cui consilio subscribens Beda, hoc de suo penu subiicit. *Armate vos semper signaculo Crucis Christi, quia hoc est quod timent ac fugiunt Dæmones, signo territi Saluatoris.*

Crux bonorum operum consortium exigit.

Lib. 6 contra Iul.

Serm. 215. de temp.

Crucem fronte ferre olim familiare.

Tomo 3 in Collectan.

Sensit Dæmon hanc vim Crucis, quando Saracenorum Princeps nomine Haumar erexit templum deuotum obsequio Mahometis celebris impostoris. Infidelis hic Dynasta, ad æmulationem fidelium, qui Ierosolymis sacras ædes insignes habebant, voluit & Mesquitam erigere suo Mohameti; Mesquitas enim nuncupant sua templa, legis illius impiæ sectatores. Lineauit itaque speciem fabricæ in substrato solo vir ille sui ritus æmulator acerrimus: conducti operarij accinxerunt se ad hoc opus quàm citò consummandum; sed vbi fundamina assurgebant, tota ruebat moles ædificij. Prodigium demiratus Haumar adhibet Iudæos consultores: illi re diligenter inspecta, aduerterunt è regione loci illius profani stare proceram Crucem; eamobrem spreta omni aliâ indagine, conuenere Principem infidelem, eum sic affati: Ne diutius hære ô Princeps, in remorâ tui templi; scrutinio nostro sese aperuit obex, quo pessum iit illa prædiues fabrica, quam molitis. Crux præalta eminet ex aduerso Mesquitæ, quam solennem tuo animo concepisti: integrâ illâ Cruce ruet semper opus illud, quod labore improbo

Crux est panoplia. Haumar Saracenus inimicus Crucis.

Theophan. in gestis Const. Imper. sub an. 643.

Cruce stante nequit stare Mesquita.

improbo eniteris frustra ducere ad extremum. Igitur hoc tuæ insideat menti; vel supersedere intento tuo de fabricâ templi tui, aut euertere Crucem: etenim ea est virtus insita Cruci, vt sectas omnes alienas à ritu sectatorum Christi crucifixi durius insequatur. Saraceno arrisit impium consilium: Crucem stantem euertit, & in frusta comminuit. Eâ ruinâ demum stetit opus quod antea corruerat.

Ex præfatâ illa historiâ collige, irrita esse omnia conamina Dæmonum, stante in animâ nostrâ Cruce; flocci fiunt omnes ausus hostium nostrorum, Cruce superstite in loco sancto, id est, in animâ Deo gratâ: alibi enim, id est, in solo profano, seu in homine reprobo, & incurio salutis suæ, aut rari, aut nulli sunt effectus Crucis, cuius potentiam impij homines quantum fas est eis faciunt imbecillam. Namque obstant, & veluti à se arcent beneficos Crucis influxus, qui eos præcipuè manet, quos facit gratia Dei conspicuos, sicut explicitè ait Augustinus. *Signum Christi à nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Saluatorem.* Idem alibi ait, Crucem quærere non pictores, sed sequaces. Sic ille: *Factorem quærit Deus signorum suorum, non pictorem. Si portas in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi.* Reuera mœroris non modici locuples est argumentum, videre homines Christiano sibi nomine blandientes, & præferentes signaculum Crucis, cute tenus; & tamen immemores signi, cui dedere nomen suum, volutari quasi sues in spurcitiæ cœno; & hoc plangit Augustinus. *Videmus etiam in fronte portantes signum Crucis, simul in ipsa fronte portare impudentiam luxuriarum.*

Ex SS. Patribus. *Tract. 50. in Ioan. Ser. 10. de diuersis.* Crux factores quærit nô pictores. *In Psal. 69.*

Vitam nefariam obstare quin Crux suos salutares sortiatur effectus egregiè edocuit S. Theodoretus, vir miraculorum gloriâ inclytus. Hunc aliquando conuenit præpotens homo, cui nomen Bonosus, & is Proconsul, sed eâ vitiorum colluuie infamis, vt omnibus odio esset ille impius. Hûc Deus, vt memor sui esset, admonebat, lentâ ægritudine depascente quidquid in eo integrum erat & vegetum. Medicis inscijs ille ad sanctû hominem Theodorum conuolat, petiturus opem diuini signaculi, ratus Crucis signo edito ab hoc viro illustri prodigiis, se illico sospitandum. Sistitur igitur Sancto vir ille nequam, si quis alius eo sæculo nefarius: hominem horruit impium Theodorus, & quasi fœtore eo perculsus, quem exhalabat homo ille putidus, baculo suo, quo innixus ambulabat, leuiculè feriens pectus Bonosi, ait voce tantisper asperâ: *Sanetur prius homo interior, & deinde sanabitur homo exterior.* Quasi diceret: O Bonose, me consulis de sanitate corporis tui reduce, & nihili facis animæ tuæ salutem, multo pluris faciendam. Hoc tibi insideat, signum quidem Crucis esse præsens remedium contra omnes infirmitates, & omne id, quo decumbit homo, curari signo Crucis. Sed si ægra vitiis anima extincta est, ægre etiam Crux influit; ideoque operæ pretium est, vt auspiceris ab interiori cura, si vis corpori tuo consulere. Etenim parum est inurere Crucis speciem deforis, si absit à corde amor eiusdem figuræ salutaris.

Ex Historia. *S. Lazar in hist. Imper. suo an. 608.* Bonosus homo nequam. Crux non influit in homines nequam.

Eadem ferè scripserat Augustinus. *Cuius signum à nobis in fronte portatur, & in corde habetur. Interest enim plurimum, vbi habeat homo signum Christi, vtrum in fronte, an & in fronte, & in corde. Audistis, quid Ezechiel sanctus Propheta loquebatur, quemadmodum antequam mitteret Deus exterminatorem populi iniqui, misit primitus signatorem, & ait illi: Vade, & da signum in frontibus eorum, qui gemunt & mœrent de peccatis populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Non dixit, quæ fiunt extra ipsos, sed in medio eorum. Gemunt tamen, & mœrent: & ideo signati sunt in fronte. In fronte interioris hominis, non exterioris. Est enim frons in facie, est frons in conscientia. Denique aliquando, quando interior frons pulsatur, exterior erubescit. Aut pudore erubescit, aut timore pallescit. Est ergo frons hominis interioris: ibi signati sunt illi, ne vastarentur.*

Ex SS. Patribus. *Aug. ser. 21. de diuersis.* Crucis signû quomodo portandum.

Hoc igitur nusquam excidat, scilicet Crucem esse tantùm vnicuique beneficam, quantum pro modulo suo contulerit. Vt enim gladius licet eximius erit iners, exertus ab homine imbecillo ita & Crux reposita apud impios & reprobos, non agit in fugam Dæmones, & id vitio renitente. Nec aliunde est petenda differentia effectuum, quos multiplices & varios edit signum Crucis vsurpatum à diuersis: esto enim sit vna eademque idea Crucis, cui intendunt omnes; alia tamen est ratio vitæ sectatorum Crucis. Iacet in eo argumentum iocus, quo lusit in Turcarum Principem Georgius ille Castriotus, qui & Scanderberg nuncupatur. Heros ille inclytus tantæ erat virtutis in feriendo, vt eius robori esset impar omne id quod valebat eo æuo: præter lacertos quàm validos, & brachia nerueâ compagine fortissima, gladio vtebatur chalybeo adeò egregio, vt eo Dux ille diuideret vno conamine homines etiam cataphractos, nulla galea remorante aciem gladij ferientis. Vidit Turca suorum cadauera hic dissecta, & desiderio captus videndi acinacem, quo mira hæc strages edebatur, misit caduceatorem qui rogaret Ducem Christianum, faceret copiam sui gladij, vt fas esset Turcis admirari ensem, qui tot egregia facinora perpetrarat. Annuit Heros ille fortissimus, præbuit gladium suum, quo educto e vagina coram Turcis, nemo eorum potuit galeam aut loricam aperire, etsi quàm validè vibrato illo acinace. Rem autem mirantibus Turcis, & quasi dubiis an alio vteretur gladio Castriotus, quo armatos peruaderet homines, ille ait nuntiis ad se delegatis: Verè equidem misi gladium patratorem effectuum, quos suspensi admiramini; sed non misi brachium, quo ciente vibro ictus hos potentes. Etsi eximia acie compactus sit ille ensis; agit tamen iuxta vires hominis exerentis.

Ex Historia. Georgius Castriot quantæ virtutis in feriendo. *Paul Iouius in elog. Scanderberg.*

Ex hac historia collige, quid respondeas eis, quos patimur importunos & quærentes vnde Dæmones hodie parui faciant Crucem, quam tot encomiis illustrem extulerunt Sancti Patres. Quare Antonius & Hilarion Abbates famosissimi & illustres pietate, vno Crucis signo fugauerunt omnes inferas acies; & nos eodem signo sæpe repetito nequimus excutere cogitatus iniquos irrepentes Dæmone procurante? Fortè aliquis crediderit alio schemate Crucis vsos fuisse eos Sanctos, &

S. Hieron. in vita Anton. & Hilar. Crucis signo Antonius & Hilariô mira fecerunt.

planè

planè dissito ab eo charactere, quem nos vsurpamus. Minimè verò; idem est ille gladius, quo Dæmones abegerunt Sancti; eodem & nos armamur acinace: eadem Cruce accingimur ad prælium. Sed alia est militum facies, robur impar, dispares animi, vita discors, & merita nostra toto cœlo discreta à meritis fortiū athletarum. Quasi per manus ad nos deuolutæ sunt Cruces hominū sanctorū:iisdem ferè ritibus occupamur,ieiuniis incumbimus, precibus instamus,solo prosternimur, duro accubitu fessum corpus frangimus; nec eæ tamen Cruces, quas obiere Sancti, euehunt nos ad eorum Pæana & triumphos: nam Crux in nobis non nacta sectatores impigros, quos prisca ætate sortita est,& ideo veluti nescia triumphorum.

Ex Symbolis. Villana lib. Symbol.

Quia meminimus gladij, commemorantes Crucem, non erit abs re recensere egregium illum gladium, cuius meminit vir symbolorum amantissimus. Gladius ille exertus erat ramo oliuæ cinctus, hac epigraphe insignis. LENIMINE ACVTIVS. Ita & fas sit dicere de Cruce, esse linimine acutiorem. Quemadmodū enim gladius illitus oleo, penitiùs intrat & peruadit; ea etiam ratione Crux, quam gratia Dei vngit, potiores sortitur effectus: sicut ea Crux quasi rubiginem contrahit, quam tepor non inungit, id est, quam anima in desidiam fracta non satagit excolere virtutibus & meritis, quibus copiosior gratia comparatur.

Cruces gratia vnctæ cuius sint virtutis.

Mira vis inest Cruci, alliciendi animas, aliquando beandas.

In hæc verba:

Si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum.

SECTIO SEXTA.

Characteres duo in Scriptura.

SCripturâ sanctiore duo nobis characteres innotescunt, vnus anonymus, alter referens ideam Crucis, figurâ & nomine Thau. Character ille anonymus Bestiæ ascribitur, & multiplices ærumnas adiicit ei, quem signauerit aliquando. Horum omnium malorum præscius Ioannes Apostolus sic hunc indigitat characterem. *Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius,& acceperit characterem in fronte sua, aut in manu suâ, & hic bibet de vino iræ Dei.* Ioannes ait hæc fuisse Angeli minacis eloquia, quibus homines voluit auertere ab obsequio diaboli, vocabulo bestiæ recensiti. Ne autem quis putaret,has Angeli voces præambulas mali imminentis, esse editas ad specimen inane horroris & terroris, subiicit horum arcanorum conscius Apostolus. *Factum est vulnus sæuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ.*

Apoc. 14.

Apoc. 16.

Ex Philosophia. Arist. l. de interp. c. 2.

Quare autem hic character nullo nomine censeatur, consulenda est Philosophia, ex cuius penu ediscemus nomina esse signa rerum; at character bestiæ non est res, ergo non par est vt aliqua nomenclatura referatur illud, quod nihili rationem sibi vendicat. Illud bestiæ signum infame est peccatum, quod nihil inuoluit in sua formalitate positiuum, sed defectum tantùm, ac proinde nequit censeri inter res;res enim & bonū conuertuntur:at peccatum non est bonum,sed malorum summum, quia à Deo nos omnino abstrahit. Quòd si dubius instes, esse peccato vim, eamque maximam, pelliciendi homines, cuius illecebræ arguunt, peccatum esse aliquid: Respondeo, similia gaudere similibus, atque adeò homines impios ad nihilum redactos, gestire ad nihilum, vt ad aliquid consonum indoli suæ noxiæ & corruptæ. Nihilo autem trahi, ingenium clamat spurium, & alio quàm Deo Domino patre satum: de eo quippe ait Moyses. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Dæmone ergo ingerente virus suum, saucius homo afficitur, & pessum it dato nomine suo, suasori pessimo. Itaque frustra quæritur reprobi nomen; expunctum est de libro viuentium ab eo temporis articulo, quo homo nequam dedit diabolo nomen suum, componendo mores suos ad trucis & acerbi huius Domini arbitrium.

Character bestiæ.

Genes. 1.

Eorum, qui se totos Angelo refugæ deuouerunt, Deum prorsus abnegantes, salus planè dubia est, si desperatam nolis asserere. Nemo enim repedare potest ad gratiam, à qua excidit, nisi Deo vocante: quomodo autem vocabit anonymos, quorum quasi oblitus est, nomine eorum eraso atque indigno nominari ore Dei, vt ipse rerum omnium opifex est assertor. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Eamobrem impios,regressus ad Deum impotes, æterna manet confusio, quia maluere terris dare nomen suum quam cœlo: & hoc luget Ieremias, miseratus sortem reprobam hominum iniquorum. *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terrâ scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.*

Psalm. 15.

Ierem. 17.

Alius omnino est habitus eorum, quos signaculo Crucis Deus insigniuit: reprobi suo iniquo charactere inglorij luxuriant; sed hæc breuia tripudia ærumnæ iuges excipient, sicut enuntiat sanctus Iob. *Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? & quid nobis prodest si orauerimus eum?* Dissita planè sunt præambula Crucis, tesseræ beatorum. Crucigeri omnes sese suis lacrymis alluunt, pectora tundunt pugnis, & æthera replent gemitibus, dum animo versant sua piacula: sed his tristibus exordiis subiicitur exitus adeò lætus, vt satis superque potis sit detergere eos omnes fletus, quibus pœnitentes antea maduerunt. Etenim Dei iustitia sæuiente in reprobos, Beati erunt qui lugent; & Crux, quæ mœroris comes extitit, gaudiorum erit locuples argumentum. Hanc catastrophen expressit Ezechiel. *Dixit Dominus: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus; quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit, audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum,& percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini senem, adolescentulum, & virginem, paruulos & mulieres interficite*

Iob 21. Reproborū vita qualis.

Crucigeri quales esse debent.

Ezech. 9. Crux suos amatios saluat.

fecite vsque ad internecionem: omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis.

Præfata tuum subeant animum, vt venari queas sensum abditum altis inuolucris, quæ obiicit Vates. Homines nequam internecioni deuouet Angelus, vt & vitâ donat crucigeros, iustitiâ sic vbiquequaque sartâ tectâ. Nimirum triobolares homines, nihili vtique mancipia indecora, charactere inglorio bestiæ neci addicuntur, quæ est peccati stipendium cœlitus assignatum. Ast sequaces cultioris instituti, scilicet virtutis asseclæ, quibus aspirauit æquior aura: hi inquam beatæ Crucis amasij, eo stigmate sacro veluti cataphracti, inuij sunt vnicuique lethali telo; quippe non coëunt vita & mors. Quo etenim pacto deficerent illi, penes quos repositum est vitale lignum, præstantius eo baculo Elisæi, quo homines inanimes instructi fecere mortem imbellem, eius imperium citius abdicantes. Ne ergo in stuporem homo defixus abeas, inscius vitæ, quam ingerunt Cruces; adeunda tibi sunt mecum penitiora quæque fana sanctioris disciplinæ, vt illinc ebibito spiritu vitæ, qui vegetat Cruces, non eas inficias, inesse Cruci vim pelliciendi animas quandoque beandas, vt titulus clamat sectionis quam decurro.

Ex Theologia. *Thom. 1. p. qu. 18. art 3.* Viuere quæ dicantur.

Indubium est Theologiæ effatum, Deum esse vitam, à qua omnia viuentia emendicant viuendi normam sibi à Deo præstitutam, cui viuere, & esse res sunt nequaquam distitæ. Cælestis ea disciplina suum dogma sic astruit: Viuere dicuntur aliqua secundum quod operantur ex seipsis, & non quasi percita alieno motu: quantò autem perfectiùs hoc competit alicui, tantò etiam perfectius ad eum vita pertinet. In mouentibus verò & motis tria occurrunt. Primò finis mouet agens. Agens autem principale est id quod per suam formam agit: & hoc quandoque agit ope alicuius instrumenti non operantis ex se, sed in virtute potioris agentis. Sic illi instrumento competit sola executio actionis. Itaque inueniuntur quædam, quæ cientur non habito respectu ad formam, vel finem, sed tantùm mouentur quantùm ad executionem motus; at forma, qua media agunt, & finis propter quem agunt, determinantur eis à natura. In eo genere sunt plantæ, quæ iuxta formam eis insitam à natura mouent seipsas, vt videre est in stipitis incremento.

Rursus alia sunt, quæ mouentur non habito tantùm respectu ad executionem motus, sed motum accipiunt à forma, quam ingerunt sensus, & non ab ea, quam natura inseruit: & quò vegetior est sensus animalis, eò etiam perniciore motu sese quatit. Verbi gratiâ, ea quæ non habent nisi sensum tactus, mouent solùm seipsa motu dilatationis & constrictionis, vt ostrea. Quibus verò inest sensitiua virtus alacrior, eisdem indita est nobilior sese mouendi norma, scilicet vrgent se processiuo motu cùm expedit, vt & recedunt quando noxia occurrunt. Tamen esto illa animalia accipiant à sensibus formam qua mouentur; non tamen præstituunt sibi finem sui motus, sed est eis insitus à natura; cuius œstro ad aliquid exerendum mouentur forma sensu apprehensa. Illis animantibus inscijs sui vltimi finis, alia animalia nobilitate præeunt, ea nempe quæ decernunt sibi finem, vt homines quibus naturâ propitiâ ratio suffragatur. Ideo potior est vita eorum, qui pollent intellectu, quia altiore ritu mouentur eis rebus, quæ rationis sunt expertes. Hoc nobile agendi schema liquet in homine, cuius virtus intellectiua mouet potentias sensitiuas, & potentiæ sensitiuæ per suum imperium organa percellunt, quæ exequuntur motum.

Vita nobilis quænam sit.

Prostat & in artibus series illa rerum aliis subditarum. Exempli gratiâ, in his quæ ad nauticam spectant, nauclerus cuius est dirigere nauem, imperat fabro, qui delineat figuram nauis, & hic alus infra se præcipit, & facienda decernit; illis videlicet, qui ligna dolant, & componunt in structuram nauis. Sed licet eo agendi acumine hominum polleat intellectus, vt aliis potentiis illuceat; habet tamen aliqua sibi præstituta à natura, vt sunt prima principia, circa quæ nequit se aliter habere: vni etiam fini ita addictus est, vt non possit eum odisse. Vnde licet intellectus moueat se ad aliqua; ab alio tamen mouetur ad illa etiam, ad quæ se existimat ferri alio inconsulto. Est igitur aliquod viuens homine nobilius, si detur vllum, cuius natura sit ipsum eius intelligere, nesciens aliud, à quo determinari possit: tale autem viuens est Deus, in quo maximè est vita, quia à nullo alio agente, seu principio percellitur.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 3. Meta. tex. 51.* Crux vitæ comes.

Accedit & Philosophia, cui intelligere & viuere non discrepant: vnde Aristoteles infert, Deum esse nobilissimum viuentium, quia intellectus eius perfectissimus est, & semper in actu. Ad illud vitæ omnimodæ principium, quo quis propiùs accesserit, nobilius etiam viuendi schema accipiet. Cùm ergo Deus Crucem ascenderit, hoc vnum superest compendiosum iter ad vitam, scilicet vt Cruci iugiter insistamus, vt penes quam sunt gazæ omnigenæ vitæ. Si enim res aliquæ sensibiles, vt sunt sacramenta, ex instituto Dei gratiam impertiunt, quæ est animæ vita; quidni & Crux, in qua pependit salus mundi, baiulos suos illico vegetabit? Hoc probato, scilicet Cruces inspirare vitam, habebo intentum, videlicet inesse Cruci vnde alliciat homines, non ad cultum dumtaxat, sed & ad amorem; est etenim vita scopus, in quem collimant vniuersa.

Sapit paradoxum illa sententia, quæ affirmat, rebus ingratis esse quid inditum afficiens ad saporem; quasi verò Cruces cùm crucient, possint eos allicere, qui rei alicuius placitæ iacturam iniquè ferunt. Ita planè redolet quidpiam peregrinum istud theorema; sed hoc tantùm homini animali non sapienti ea quæ sunt spiritus. Ordiamur. Cuiuslibet rei vitam auguramur à motu, qui si inest alicui à forma intrinseca mouente rem in suo centro positam, dicimus hanc vitalem. Adieci, formam illam intrinsecam debere rem mouere in centro congruo positam, vt competat ei aliqualis gradus vitæ, alioquin lapis deorsum cadens viueret motus à forma intrinseca repetente suum locum. Dato igitur & concesso, motum esse argumentum indubium vitæ; quò nobilior erit animæ motus, potiori etiam gaudebit gradu vitæ. At nullus est motus præstantior eo, quo anima in Deum fertur. Ergo anima addicta Cruci, cui adhæret Deus, ad Deum etiam

etiam fertur; atque adeo agitur perfectissimo viuendi ritu, qui competit eis tantum, quos vtique ratos æquus amauit rerum omnium opifex Deus.

Nec credas, abesse mysterium ab ea phrasi, quam vsurpat Christus, præsaga mente pangens encomia Crucis. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ea voce (omnia) intellige homines teretes, & rotundos, æqui obseruantissimos, vt ingerit Ecclesiastes. *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo.* Igitur si quem offendis à Cruce alienum, & eructantem conuicia in ærumnas quandoque ingruentes, ne inferas aliquid iniurium dicto Christi Domini affirmantis, se omnia Crucis ope attracturum. Quando illa præfatus est, solos duntaxat attendit homines sancti re vita conspicuo: vt enim operari sequitur esse, ita & nobilissimum vitæ genus se explicat, heroicis actibus, quales sunt affectus in Crucem, erga quam bene affecti sunt tersioris instituti optimi sectatores.

Ioan. 12.

Eccles. 12.

Crux quos ad se attrahat.

Ex SS. PATRIBVS.

Damian. l. 5. epist. 13.

In ea sententia præiere mihi magni nominis interpretes, & equidem sancti, in quibus accipe Damianum assertorem meæ sententiæ versantis illum textum, quo Christus ait attracturum se omnia. Sic ille: *Non ad se Iudam proditorem traxit, non sibi Latronem impium sociauit; sed omnia, id est, omnes dumtaxat electos, ad proprij contubernij culmen erexit.* Hæc ille. Quasi diceret, Iudam & Latronem fuisse homines nihili, nesciós attractus Christi; quia ille tantùm attrahit omnia, id est, illa quæ sunt non aliquid modò, sed omnia, seu vsquequaque perfecta. Huic Sancto præfulserat aureo suo eloquio Chrysostomus, quando asseruit, solos athletas emeritos rebus fortibus occupari, ac vicissim fortes viros Crucibus adhærere; sui sensus adfert Codicem sacrum quasi auctorem, dum inducit filiam Iephte morti deuotam, & patrem suo hoc lugubri eloquio compellantem: *Dimitte me, vt duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Locum illum commentatur sacer ille Scholiastes de Ecclesia, sic scribens: *Quid potest inueniri fortius integritate, & virginitate Ecclesiæ, quæ concipit in incorruptione, creat in integritate? Virgo est ista, quæ virum non nouit. Plangit autem sexaginta diebus virginitatem suam, id est, omnibus diebus suis. Nec enim mittit ad Dominum homines, qui in ipsa proficiunt nisi ex magna tribulatione, nisi ex planctu, & fletu, & lacrymis.*

Iudic. 11.

Virginitas Ecclesiæ quid.

Chrys. in locum Iudic. 11.

Audi homines prouectæ virtutis mitti ad Dominum, qui quia Cruci affixus est, conueniri nequit, nisi mediis in ærumnis, quas Dei amatores flocci pendunt, vt Christo suo iugiter adhærescant. Mulier parturiens etiamsi lugeat viscera sua veluti discerpi enitente fœtu; non meminit tamen pressuræ illius, edito partu, quia natus est homo in mundum. Ita & homo crebris actus angustiis, etsi illæ eum lancinant eo momento quo ingruunt; tamen dum intimè amplexatur Crucem, non meminit eius molestiæ, quæ eum aliquando decoxit, quia non hominem tantùm nactus est, sed Deum ipsum, cuius amplexu gaudet in præmium obsequij, quo se aliàs deuinxit Cruci. Habes Angelum vadem huiusce disciplinæ, cum videlicet, qui Ioanni

Cruces iter sunt ad Deū.

demiranti beatas mentes, quas sibi Agnus Dei socias effecerat, ait: *Hi sunt qui venerunt de magna tribulatione.* Id est, ô Ioannes, disce ex his callem, quo ad Christum deuenitur. Tribulationes & equidem magnæ, sunt iter illud, sentibus hispidum, atque adeò peruium tantùm illis qui sunt asperis assueti. Optimus sanè ille Angeli discursus, nec extra illam aleam, in qua versabam vocem illam, Omnia, quam dixi referre viros sanctos, quales accipis ab Angelo esse sequaces Agni, quem Crux eripuit terris, & cœlis inseruit, vnde suos ad gloriam euehens, pellicit antea ad amorem Crucis.

Apoc. 7.

Hinc aucupare argumentum ingenuum reprobationis hominum nequam sæuientium in Cruces, & aspera quæque; & infer, eos esse nihil, quia si essent de genere omnium, eo etiam quo & omnia stigmate notarentur; scilicet Cruce, à qua quia abhorrent, suo vtique nihilo relinquuntur. Petrus refuga Crucis Christi præcipitem sese egit in hanc nihili abyssum, vt colligere est ex dialogo illius cum homine sciscitante ab eo, an esset discipulus Christi Cruci affigendi. Ita eum inducit scriba sacer: *Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: ô homo, non sum.* Iam iam exuerat discipulum Christi, nihil ei erat, & Cruci Domini sui, cuius aspernatus iniurias, reuera defecerat, ideoque ait: *ô homo non sum.* Ita planè, ô Petre, non es; quia eius à quo sunt omnia quæ bene sunt, consortium penitus abdicasti. Hoc supremum esse negasti, cùm te illius dominio subduxisti; hoc vnum superest, vt & tuum esse abiures, enuntians te non esse, quia quod potissimum eras perdidisti, quando iugum suaue Domini tui perditus abdicasti. Quid etenim ei relinquitur qui ab esse recessit, quàm vt dehiscat in nihilum, præuia confessione sui entis, aliò deportati. Idipsum præsensit antea Ambrosius, sic fatus: *Quia videbatur negare Christi societatem, vtique se negauit.*

Luc. 22.

Crucē Christi quinam oderunt.

Ambr. l. 10. in Luc.

Impigri sectatores Christi, & Crucis, vt quid reale superis adscribuntur; alij verò exosi Crucem, eliminari vt extorres damnantur æterno nihilo cruciandi. Huius tragœdiæ ideam obiicit Isaias, quando voluptatis omnigenæ finem ait esse vitæ deliquium: vt & vnanimes reprobi confitentur, eo ipso detestandi, quòd respuerint Deum prouocantem illos ad Crucem, vt eos faceret saluos, & manus dederint cupediis atque deliciis, quarum finis est interitus. Audiendus est Vates. *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, ad cingulum sacci: & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus; cras enim moriemur.* Ex eo contextu collige diuortium Crucis, & animæ reprobæ, quæ vt vbi tantisper genio indulsit, cedit in ius mortis, reuera imminentis ei, qui carnis obsequio intendit. Et hoc innuit vox illa, *Cras enim moriemur*, vox equidem præscia finis, quo singula quæque carnis mancipia protinus efferuntur: Nemo namque est hominum perditorum; qui non probè calleat odium crucis, & sequelam voluptatum morte præcipiti compensari.

Isai. 22.

Hanc vocem, *Cras moriemur*, sugillat doctissimus ille Alexandrinus Clemens, inuehens in

reprobos

reprobos eò quòd sibi aliqualis vitæ ideam attribuant victuri in crastinum, cùm reuera inanimes sint eo solo quòd à Cruce abhorreant. Sic ille: *Hi autem non cras verè, sed iam Deo mortui sunt sepelientes mortuos suos, id est, seipsos in mortem effodientes.* Ecce quò insanas hominum mentes & incautas rapit Crucis incuria. At secus amor Crucis, cultores eius sursum vehit, vti hæredes Dei, cohæredes autem Christi: siquidem Cruci vis quædam inest beandi homines quos excepit. Suggessit textum huic intento idoneum Arias ille Montanus, qui dum lustraret idioma Græcum Actuum Apostolorum, animaduertit Latina discrepare à Græcis, in ea historia, quam memorat Lucas, dum recenset vincula Petri educti è carcere ministerio Angeli cœlitus illapsi. Sic habet vsitatus nobis Codex sanctus: *Tunc non parua turbatio inter milites, quidnam esset factum de Petro.* Variant verò Græca, sicque efferunt. Ἦν τάραχος ἐκ ὀλίγος ἐν τοῖς στρατιώταις, τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο. *Erat turbatio non parua in militibus, quid Petrus factus esset.* Vide in voluptate omnia non esse non facta solùm, sed infecta, vtpote morti obnoxia; ast in Cruce esse quid factum.

Clem. Alex. l. 3. Pæd. cap. 11.

Arias Mont. in Act. 12.

Actor. 12

Crux conducit ad perfect.

Vox illa, *Quid*, aliquid egregium sonat, & diuinum, vt subodoratur Caietanus, arbitrans præfectum custodiæ tradidisse Petrum Diuorum albo adscriptum: inducit enim ille milites dubios, *An conuersus fuisset Petrus in aliquod numen.* Non insulsa planè dubitatio; nam Crucis est suos efferre ad cœlos, vt & voluptatis sua mancipia ad inferna deponere. Quamobrem non ingrata erit adaptatio symboli illius, qui alas explicatas pinxit, ista epigraphe conspicuas PORTANTEM PORTANT. Vt enim frustra eniteretur ales implumis; ita & irrita sunt eius conamina, qui anhelat ad superna Crucibus inconsultis. Esto aliàs Crucis onus fuerit importunum, tamen, vt alæ quæ in plumas luxuriant, etsi aues premant, eas etiam eripiunt terris atque insidiis: simili planè modo Crux, quãdoque grauis existit, sed demum PORTANTEM PORTAT. Quali enim vehiculo credis, cantum illum latronem appositum Christo patienti, cœlos ascendisse? Nullo equidem alio, quàm adminiculo Crucis, quæ reuera PORTANTEM PORTAT, vt fusè Ambrosius explicat in suo Crucis encomio, cuius hic meminisse cordi est. Sic ille.

EX SYMBOLIS.

Paul. Aresius lib. Symb.

Crux vt alæ portantes se portat.

EX SS. PATRIBVS.

Amb. ser. 55. de Cruce.

Crux figurata in arbore nauis Vlyssis.

Sæculi ferunt fabulæ, Vlyssem illum, qui decennio marinis iactatus erroribus, ad patriam peruenire non poterat, cum in locum quendam cursus illum nauigij pertulisset, in quo sirenarum dulci cantus crudelis varietate resonabat, & aduenientes sic blanda modulatione mulcebat, vt non tam spectaculum voluptatis caperent, quam naufragium salutis incurrerent. Talis erat illis oblectatio cantilena, vt quisquis audisset vocis sonitum, quasi quadam captus illecebra, non iam tenderet ad eum quem volebat portum, sed pergeret ad exitium quod nolebat. Igitur cum Vlysses incidisset in hoc dulce naufragium, & suauitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inserta cera auribus sociorum, seipsum ad arborem nauigij religasse, quo & illi carerent perniciosa auditus illecebra, & se de periculo nauigij cursus auferret. Si ergo de Vlysse illo refert fabula quod eum arboris religatio de periculo liberarit, quantò magis prædicandum est quod verè factum est, hoc est quòd hodie omne genus hominum de mortis periculo Crucis arbor eripuit? Ex quo enim Christus Dominus religatus in Cruce est, ex eo nos mundi illecebrosa discrimina velut clausa aure transimus. Nec pernicioso enim sæculi detinemur auditu, nec cursum melioris vitæ deflectimus in scopulos voluptatis; Crucis enim arbor, non solùm religatum sibi hominem patriæ repræsentat, sed etiam sociès circa se positos, virtutis suæ vmbrà custodit. Quòd autem Crux ad patriam post multos errores redire nos faciat, Dominus declarat dicens Latroni in Cruce posito: Hodie mecum eris in paradiso. Qui vtique latro diu oberrans, ac naufragus, aliter ad patriam paradisi, de qua primus homo exierat, redire non poterat, nisi fuisset arbori religatus. Hactenus Ambrosius.

EX HISTORIA.

In confesso sanè est, latronem illum horruisse Crucem sibi impositam, tanquam supplicium corpori iniurium, & inuitos supposuisse humeros huic oneri vt lethali; tamen auersus ille animus vbi ad se rediit, & eum reddidit Cruci, arbor illa credita infelix, hominem hunc beauit, & portauit hanc portantem. Sensit pœnitens homo ille gratiæ illapsum, sed dederat antea Cruci manus, cuius ope ad se eum attraxerat Christus, iuxta suum præsagium. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* De nihilo, cui peccata fecerãt obnoxium hunc latronem, transiit ad Christi partes, subinde aliquid factus, atque ita conscius effectus est illius influxus, quo sese insinuat Deus in animas, Crucibus adaptatis. Quis igitur abnuet Cruces, nisi mentis inops? Quis non vltro iis occurret, cùm sint indubiæ tesseræ salutis, alioquin ancipitis? Proculdubio habent Cruces, quo vnicuique prosint, cùm vna duntaxat Crux Domini omne hominum genus illico sospitarit.

Crux benefica latroni.

Ioan. 12.

Reuocandus est Ambrosius, vt pergat aperire panegyrim Crucis. *Arbor quædam in naui, est Crux in Ecclesia, quæ inter totius sæculi blanda & perniciosa naufragia incolumis sola seruatur. In hac ergo naui quisquis arbori Crucis se religauerit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. Sirenarum enim quædam suauis figura est, mollis concupiscentia voluptatum, quæ noxiis blandimentis constantiam captæ mentis effœminat. Ergo Dominus Christus pependit in Cruce, vt omne genus hominum de mundi naufragio liberaret.* Vnius tantùm Crucis ea fuit efficacia, vt etiam mortua corpora suscitaret: qualis ergo putas fore ponderis & virtutis, eandem illam Christi Crucem, si alias etiam fuerit nacta Cruces, non inuitis hominum humeris incumbentes.

Ambr. vbi supra.

Crux contra syrenarum cãtus armat.

Aiebat Paulus, se adimplere ea quæ desunt passioni Christi: quid putas defuisse illi Cruci, à qua se in orbem vniuersum effudit omne bonum? Hoc vnum defuit, scilicet assensus omnium hominum, quorum saluti illa Crux erecta est, omnes euectura ad cœlos, qui eam fuerint amplexati. Quippe cœlum filiorum Dei hæreditas patet tantùm animæ crucifixæ, vt innuit Apostolus. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Nota, qua cautela cohæredes Christi efficiamur. Nimirum si compatimur, id est si in Crucis eius ruamus amplexus: & hoc

Cohæredes Christi qui sint.

Rom. 8.

præstat

præstat omnis, qui expetit pœnas à corpore suo impiæ vitæ retroactæ, aut saltem æquo animo excipit eas angustias, quas caro auersatur, etiamsi ingruant Deo dispensante. Paulus egregius sectator Crucis, in ea reperit locuples argumentum, vtique deuinciens affectum suum ad cultum arboris huiusce salutaris, cuius amore captus, nos etiam vocauit in partem eius boni, quod effusione sua amplius suscipit incrementum.

Itaque Sanctus ille in ærumnis frequens expertus vim viuificam Crucis, anhelus ad vitam illam, carnis omnes pertæsus illecebras vt lethales, totus fuit in Crucis encomio, eamque vocauit legem vitæ, eò quòd ex stipite illo sancto vita fuerit homini propagata. Sic fatur ille eximius Crucis Encomiastes. *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis; nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita & pax.* Totus hic contextus Euangelium opponit legi antiquatæ, quæ non potuit dici lex vitæ, eo sensu, quo nuncupamus Euangelium legem vitæ, quam enixus est Christus in Cruce parturiens, & quem ideo Paulus noluit prædicare nisi crucifixum, vtpote à quo Cruce accincto, virtus omnis effluxit in vocatos ad obsequium fidei. Sic fatur ille; *Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.*

Rom. 8.

Lex vitæ quæ sit.

Euangelium differt à lege veteri.

1. Cor. 1.

Procul dubio Christus citra beneficium Crucis potuit ruinas hominum reparare, atque adeò etiam fuit virtus Dei sine Cruce; noluit tamẽ suas vires exerere in gratiam hominum abdicata Cruce, cui erat Chirographum mortis firmiter affixurus. Ideoque Euangelium insinuans vnicuique sequelam Christi crucifixi, nomenclaturam accepit legis vitæ, quasi innueret, Apostolus eosdem esse & Crucis & Euangelij sectatores, quod & alibi explicuit ita fatus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*; & inde vita corpori & animæ largiter impertita, quod nequiuit lex illa prisca, cui incognita Crux non illuxit. Alludit Ambrosius ad hanc meam sententiam. *Lex ergo spiritus vitæ, ipsa est lex fidei. Nam & Moysis lex spiritualis est, quia prohibet peccare; non tamen vitæ, quia reis mortis peccata remittere non potest, vt viuificet mortuos. Hæc verò quia & peccare non vult, & à morte reuocat, lex spiritus vitæ appellatur.* Benè ergo affectus est erga Crucem Apostolus, quia Christi erat, cuius qui sunt, eo sacro stigmate denotantur. Vtque olim Imperatores suos habuere characteres, quos suis sequacibus inurebant; ita & Christus Cruce explicata beatos omnes athletas ad sua signa bellica conuocauit.

Crux discernit discipulos Christi.

Galat. 5.

Amb. in c. 8 ep. ad Rom.

Lex antiqua non dicitur lex vitæ.

Quæ autem vis sit insita Cruci ad inclinandos hominum animos in aspera quæque, non fas est hominj recensere; quia virtus illa ineffabilis est, & quæ etiam Deum ipsum perculit, quando Christus in apice montis Thabor memorans excessum suum, quem completurus erat in Ierusalem, Pater ille æternus ad memoriam Crucis amplexandæ ait, hunc hominum amantissimum Crucis esse sibi arcta affinitate deuinctum. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Mirum quòd Crux etiam voce tenus enunciata efflarit odorem adeò suauem, vt Deum ipsum perculerit ad filij sui Cruci affigendi elogia propalanda. Itaque non incongruè Christo inscribes illud Cantici eloquium. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Id est, etsi Pater ille, vnde effluxit omnimoda paternitas; licet Rex ille æternus, per quem Reges regnant, & Principes imperant, nullius rei sit indigus in acubitu suo, vbi summa suauitas; Crucis meæ tamen odore afflatus, edidit voces indices eius grandis affectus, quo deperit Crucem.

Crucigeri sunt filij Dei.

Matth. 17.

Cant. 1.

Medici forsan suggerent quidpiam idoneum isti argumento, explicantes virtutem nardi. Dioscorides ait, fruticem esse nardum montibus assuetum, etsi species vna nardi singularis nuncupetur, nardus montana; odorem afflat nardus perquàm gratum; iecori æstuanti occurrit, eius longe latéque serpentia sopiens incendia, nauseam pellit, profluuio vteri nimio modum ponit. Demum nardus, omne virus auersata, est singulare antidotum. Consulente Dioscoride medici feliciter nardum propinant cum decocto absynthij: & licet multæ Orientis plagæ feraces sint huius suaueolentis fruticis; singulariter tamen meminit Dioscorides illius nardi, quam Syriacam vocant à Syria, vnde ad nos multa aduehitur. Vsus eius adeò salutaris creditus est, vt catharticis potionibus semper medici cautiores adiiciant aliquantulum nardi, vt nauseam leuent, quam ingerunt ingrata illa remedia. Luculentæ omnino sunt dotes illæ memorati fruticis, & satis superque idoneæ, quæ homines alliciant vt sibi vitale remedium comparent, quo tepent æstus hepatis, vrgetur appetitus languens & remissus, inhonesti fluxus cessant, & virus omne innoxium & hebes existit. Quia autem plerumque pharmaca spirant aliquid insuaue, quo fastidium sui ingerunt, natura nardo propitia impertiuit ei suaueolentiam, qua cuiusuis hominis ægri beneuolentiam captat.

Ex Re Medica.

Diosc. lib. 1. Simp. c 6.7.8. Galen. lib. 1. medic. simp.

Nardi qualitates.

Esto hæc sint insignia naturæ charismata infusa nardo; nihil tamen hæc omnia ad Crucem, quæ reuera est nardus Syriaca & montana, cuius ope lethalia Veneris incendia tepent, vt ex professo supra recensui, dum probaui, Crucem esse præsens remedium contra libidinem, quæ etiam ritè innuitur indecoro fluxu, quem compescit propinata nardus. Nec aliunde Magdalena hausit latices illos puritatis eius, quæ eam septies in die Angelis sociabat, quàm ex stipite Crucis, cui assidebat quando morienti Christo ingemuit. Nauseam, quæ latenter irrepit in animas etiam Deo addictas, Crux validè eliminat, vt quæ est hispida clauis atque spinis, vnde emergentes aculei ignauiam pellunt. Denique neci, quam intulit arbor illa virulenta & infamis, Adami & Euæ deliquio, medicamen adfert potentissimum ad vitam reducem istud signum posterius, vitale ideo nuncupatum, & eamobrem à Sanctis hianti animo concupitum.

Crux est nardus Syriaca.

Magni faciũt rei medicę antistites nardũ ex de-

Crucis amorem Christus suo exemplo conciliat.

cocto absynthij dispẽsatã, quasi amaror illius caulis conducat ad virtutem nardi. Christus in Cruce felle potatus, si quid acidũ quandoque ingruit nobis, suo exẽplo excitans illico attẽperat, quasi dulcedine cœlitus aduocata. Quomodo enim fieret ventris sui vile mancipium, & gulæ minister inglorius ille, qui recolit absynthium, quo maduere ora Christi in agone positi, & exprobrantis incuriam nostram, dum sic improperat: *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthij, & fellis.* Quasi diceret. Dum in delicias dissolueris ô anima mei nescia, mente reuolue iniurias, quibus ego innoxius, memet in gratiam tui feci obnoxium; ærumnæ omnes illæ, quas obij in Syria, erunt tibi instar Syriacæ nardi, quam propino tibi in diluto absynthij, ne tibi quidpiam lethale affingant obuiæ voluptates.

Thren. 3.

Vrias quare noluit genio indulgere.

Hac cautela Vrias respuit obiectas sibi à Rege Dauide delicias. Vrgebat eum Princeps sibi malè conscius ad epulas largumque potum, vt subinde æstuans mero in Venerem frangeretur: sed Vrias cautior suasore suo, cupediarum omnium incurius, animo versans, Ducem suum Ioab, & castra duris assueta iacere sub dio, respuit obiectas sibi à Dauide delicias, vt religiosè commemorat textus sacer. *Dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egressus est Vrias de domo Regis, secutusque est eum cibus regius. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ, cum aliis seruis Domini sui, & non descendit ad domum suam. Nuntiatumque est Dauid à dicentibus: Non iuit Vrias in domum suam. Et ait Dauid ad Vriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? Et ait Vrias ad Dauid: Arca Dei, & Israël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Virum hunc vtique magnanimum imitare, ô homo irretite deliciis! quando iniqua voluptate diffluis in accubitu tuo, quæso Crux veluti Syriaca nardus afflet odorem suum; memorare aspera quæque illata Deo tuo, & eo astu, ab instanti pernicie animam tuam Crucis seu nardi Syriacæ, salutari obsequio vindicabis.

2. Reg. 11.

Ex SS. Patribvs.

Ante euntes habeo ego Sanctos in hac alea: multi enim sunt omnes in ascribendis virtutibus Crucis, quas esse potiores Syriaca nardo nemo est qui ambigat. Compendiosè explicuit Ambrosius vim totam Crucis, affirmans, illam occurrere omnibus incommodis arboris infandæ, cuius virulenta poma omne hominum genus miserè sauciarunt. Sic ille: *Diabolus in ligno crucifigitur; rationabiliter factum, vt quia homo in paradiso per arborem concupiscentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem saluaretur, atque eadem materia, quæ causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. Deinde post serpentem in saluatore homo ipse crucifigitur, scilicet vt post auctorem puniatur & facinus. Per primam enim Crucem vindicatum est in serpentem, per secundam in venena serpentis: hoc est, primum auctor ipse punitur, deinde eius malignitas condemnatur. Virus enim quod persuasione sua in hominem transfuderat; nunc reiicitur, nunc curatur. Nam cùm homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem, quem suscepit, vt dum innocens patitur, præuaricationis illius diabolicæ in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber esset à morte.*

Ambr. serm. 55. de Cruce. Cruci quando diabolus addictus est.

Adiice & Bernardum adeò Cruce captum, vt ea etiam illi picto adiecta sit instar fasciculi inter eius vbera commorantis. Accipe illius feruidos æstus. *Diligendus es, mi Domine, toto corde, tota anima, & tua mihi sequenda vestigia, qui pro me mori dignatus es, & quomodo fiet istud in me nisi per te. Adhæreat anima mea post te, quia tota virtus eius pendet ex te: ad tua Passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino; adiuua imperfectum meum: odor enim vitæ spirat mihi in omnibus his, horum virtute ab astutiis Satanæ me custodi, ac me conforta, vt iugum mandatorum tuorum suaue mihi fiat, & onus Crucis, quod post te baiulare me iubes, humeris animæ meæ sit leue.* Non ergo gratis affirmaui, desiderabilem esse Crucem, quia illa afflat odorem vitę, quo capiuntur omnes præstituti à Deo, vt gaudeant ea vitâ interminâ.

Bern. medit. de Passione. Crux nos ad amorẽ Christi prouocat.

In eo argumento tantus fuit Ambrosius, vt eum vltra præterire nequeam, etsi ei hactenus fuerim importunus: aduocatus aderit, & quàm antea diffusior in pangenda virtute Crucis, & præsertim ea viuifica qualitate, qua factus est homo rediuiuus. Sic ille. *Passio illius nostra redemptio est. Ideo autem mala hac cuncta sustinuit, vt nos bona omnia sentiremus. Ideo crudelitatem in se exerceri maluit, vt nobis misericordiam largiretur. Bonus ideo in nos ita esse voluit, vt ante in se esset immitis: auferens enim per Crucem humani generis iniurias, omnes eas in sua Passione consumpsit, vt vlterius non esset homini quod noceret. Grande ergo est Crucis sacramentum: & si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse saluatur. Nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, vt Cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in Cruce, atque ideo confidentia de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine Cruce stare non potest; ita & sine arbore nauis infirma est. Statim enim Diabolus inquietat, & illam ventus allidit: at vbi signum Crucis erigitur, statim & Diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur. Sed & bonus agricola cùm parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non nisi per signum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subiicit, affigit aures, stiuam inserit, figuram Crucis imitatur. Compactio enim ipsa similitudo quædam est Dominicæ Passionis. Cælum quoque ipsum, huius signi figura dispositum est. Nam cùm quatuor partibus, hoc est Oriente & Occidente, ac Meridiano & Septentrione distinguitur, quatuor quasi Crucis angulis continetur. Ipsius etiam incessus hominis, cùm manus leuauerit, Crucem pingit, atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu Passionem Domini fateamur. Tunc enim citiùs nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo*

Crucis eximius panegyricus.

Amb. ser. 56. de Cruce.

Passio Christi vita nostra est.

Crucẽ Christi multa in mari & terra figurant.

Crucẽ Christi multa commendant.

Moyses

Moyses sanctus, cùm contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, sed eleuatis ad Deum manibus eum superauit; sic enim habes scriptum: Cùm eleuasset manus suas Moyses, vincebat Israel: cum autem deposuisset manus suas, conualescebat Amalech. Hoc igitur dominico signo scinditur mare, terra colitur, cœlum regitur, homines conseruantur. Hoc inquam dominico signo, etiam reserantur inferna. Nam ex quo homo Dominus IESVS, *qui ipsam Crucem gestabat, sepultus in terra est, veluti dirupta ab eo exarata terra omnes quos retinebat mortuos germinauit.* Hæc ille. Tota ista panegyri vides Ambrosium singula quæque subiicere Crucis obsequio, nihilque esse toto orbe terrarum vegetum, quod vitam suam precariò à Cruce non habeat, vt à vitali scaturigine, quæ alluit omne quod cietur. Hoc probè callens versipellis hominum hostis, Crucis amorem expunxit ex cordibus, prætendens sensui ingratam supellectilem Crucis, videlicet spinas, clauos, & flagella, vt horrore homini concusso, excuteret iugum illud suaue, quod vltro subiit Christus ad exemplum, & ad vitam omnibus erogandam.

EX HISTORIA. *Ruffin. l. 2. cap. 28.* Crux Ægyptiis est character vitam æternam referens.

Mirum sanè quòd & veritas rei huius Ægyptiis illuxerit, apud quos ante hominum Christianorum memoriam ipsa Crucis effictio erat hieroglyphicum vitæ. Quippe aliàs vsi charactere symbolico & loquaci, cuius singuli quique typi aliquid abditum vulgo resonabant, familiarem habuere Crucem inter illas notas, quas nuncupabant ἱερατικὰς, id est, sacerdotales; & vt auctor est Ruffinus famosus homo sæculo Hieronymi, Crux apud Ægyptios symmistas, & conscios arcanorum, idem sonat ac, VITA VENTVRA, remque narrat dignissimam scitu. Ait ille, Theodosio seniore rerum potiente, fuisse cultum Crucis longè latéque propagatum, & præcipuè Alexandriæ euerso Serapidis fano, toti olim genti maximè venerando. Dirutæ sunt illic statuæ omnes Serapidis, quæ vbique prostabant è fornice; & Cruces in earum locum fuere substitutæ. Rem attentius meditantes sacrificuli illius idoli cultui mancipati, illico dedere manus Christo, abiurantes impium suum illum ritum, affirmantes à maioribus acceptum illud oraculum, tandiu fore superstes & celebre fanum Serapidis, quandiu non appareret signum illud referens vitam venturam, quo tunc affulgente & videntes templum solo adæquatum, nullum supererat argumentum, ad infirmanda religionis nostræ arcana; atque adeò dixere, vrgeri se desuper ad signaculum Crucis.

Cruces erectæ in Serapidis téplo.

Cruces abditæ vbi repertæ. *Socr. lib. 5. cap. 17.*

Adiicit Socrates, effosso pauimento repertas inibi Cruces abditas. Quasi eas occultasset Dæmon, subodorans aliquid salutare in stipite Crucis. Quia Angelo illi nequam cessit illa astutia recondendi Cruces, eo adhuc ritu homines vsque adeò dementauit, vt multa sibi vilia capita adsciuerit. Et vt sit meo dicto fides, effodere libet singula quæque vitiorum templa, & quærere à reprobis, an vigeat apud eos memoria Crucis. Quasi verò, inquient, versemus animo Crucem; nihil nobis, & asperis; prata rident, & nullum est quod non pertranseat luxuria nostra: habeant sibi Cruces illi omnes, qui assueuere rigidis: sua quosque fata manent; nostra fata addixere nos voluptati: deliciæ & Cruces non coëunt, sed potius vti res dissitæ maximè dispescuntur.

Cruce abdita diabolus triumphat.

Stant & hæ Diaboli technæ, abdere Cruces infimo pauimento, vt calcari queant, & non honorari, & sic euacuetur vsus eius, qui in vita situs est ex Crucibus effluente, sicut & Deus ostendit Ægyptiis eomet anno, quo eliminatus est Serapis. In eius templo asseruabatur mensura illa, qua venabantur incrementum & decrementum aquarum Nili fœcundantis oras illas: penes Serapidem erat hæc mensura, quasi ille Deus esset moderator aquarum, quarum, quæ alluunt & alunt illas plagas, Gentiles aliqui exosi fidem, & tenaces propositi sui insultabant fidelibus, his scilicet qui resilierant ab infideli suo schemate venerandi Deos, & quasi præscia mente affirmabant extinctum Serapidis cultum fore lethalem Ægyptiis, quia (inquiebant) eos aqua parcior inundabit. Expectare omnes fidem præsagij, & animo ancipiti metuere, ne Nilus staret à partibus Serapidis inglorij, vlturus ruinas magnifici templi. Rei euentus fefellit homines hos deliros; fluuius enim ille viuificus quasi gestiens atque congratulans Genti abdicanti cultum idolorum, adeò se effudit, vt videretur nouas reperire gazas quas illis Gentibus impertiret. Hinc certior effecta est Ægyptus, & credula magis, Gentium ritus esse præstigia, & figmenta; fidei verò nostræ mysteria esse vitæ & præsentis & instantis maxima sacramenta.

Nilus exundans fœcundat Ægyptũ.

Sozom. l. 7. cap. 20.

Quid ergo luges, ô reprobe, & inquies clamas te rerum summam inopiam pati? à te ipso sciscitare, vnde omnium malorum lues te incautũ aggressa sit, & quare Deus veluti parca manu influat in te? Deprehendes equidem te omnium gratiarum pati summum dispẽdium, quia manet tibi Serapidis templum sartum tectum, & procul à te est Crux, quæ vbi euersa est, arent gratiæ nec queunt animas inundare. Non eo inficias, stante Serapidis delubro impio, influxisse Nilum, terrasque fuisse impinguatas limo omnibus expetito; vberiore tamẽ gleba luxuriauit illa Prouincia eiecto Serapide, & Cruce erecta, vt rescirent omnes, potiorem esse virtutem Crucis, delirio idolorum. Ita & vita impiorum hominum, non est adeò miseranda, quin suos habeat amasios & sequaces; pleraque læta affluunt impiis, & quasi illis tantùm illucerent sidera, eos deliciarum ingens cumulus spectat. Sed esto arrideant eis omnigenæ voluptates, quid omnino sunt illæ voluptates nisi limus instar eius, quem vehit ille fluuius Nili, qui etsi alluat terras & imprægnet, parturit etiam virulenta animalia, vt bufones, & serpentes. Ita & copia bonorum quibus reprobi insolescunt obnoxia est multis criminibus, quæ generant vermem illum immortalem cuius meminit Christus. Illorũ anima diluta deliciis, eo fœtido luto non tam impinguatur, quàm oculis Dei & hominum cultiorũ sordidè deturpatur; vnde querulus Propheta reuocare volens perditos homines, sic exclamat agẽs Dei vices, increpantis populum suum, aqua illa putida conspurcatum, & multis actibus noxiis irretitum: *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito, & vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* Salubrior aqua affluit eis, qui prostrato Serapide erexere Crucem, vt sua omnia illo salutari stigmate consignarent. Cùm enim Christus huic arbori insideat; certum est, eos omnes, qui ad hoc lignum accesserint, fructus vberes excerpturos.

Crux erecta parit bonorũ omnium copiam.

Voluptas est vt aqua cœnosa.

Ierem. 2.

Vtinam omnes sectatores Crucis, eo essẽt animo quo

Theodosij Imp. sapiens responsum.

quo & Imperator Theodosius ille senior, quem cum monuisset Præfectus Ægypti, Gentiles meditari defectionem, quia negata eis erat copia immolandi Dæmonibus vt assolebant antea in gratiam Nili, cuius aquas crediderant educi ritibus suis atque hostiis Dæmoni consecratis; Respondit Princeps verè Christianus: *Satius est erga Deum permanere fidelem, quam fluenta Nili, & ex eis expectatam anni fertilitatem præposuisse pietati.* O effatum tanto fastigio dignum! Si quando igitur, ô homo in Crucem benè affecte, quispiam insusurrans, obsequium voluptatis obiiciat, te in posterum vitam acturum asperam, & rigidam, alienam à communi hominum vsu, teque fore hominem incultum atque insuauem, vtpote longè à fluentis deliciarum, quæ alios irrigant homines comitare insignes. Vtere eo Principis eloquio, & dic audacter, satius esse date Christo manus, & fidelem esse in Crucis obsequio; quàm illecebrarum carnis largo profluuio recreari. Insta, Crucem suas habere cupedias, quibus alliciat animas Deo sacras, & sæculo subducendas, vt tandem aliquando ad superos efferantur.

Sozom. vbi suprà.

Fides illibata debet cōseruari à Regibus.

Ne sim prolixior in multiplici historia recensenda, qua stabilire queam intentum meum eò spectans, vt ingeram vnicuique, inesse quid vitale Crucibus, supersedeo, alterâ duntaxat breuiter explicatâ re gesta propitiâ isti argumento. Quia grauis est & magni ponderis historia, summis etiam innititur auctoribus, Gregorio scilicet Nazianzeno, Ruffino, Theodoreto, & Socrate, quorum prior, scilicet Gregorius, eo æuo vixit, quo prodigium accidit. Scribit vir ille emeritus, Iulianum Imperatorem fidei desertorem odio plusquam Vatiniano exarsisse in Christum, quem vt mendacij argueret, ait sollicitasse Iudæos ad reparandas ruinas templi Ierosolymitani, quod Christus affirmarat solo adæquandum, ita vt non esset remansurus lapis super lapidem. Credidit impius ille refuga, facturum se magnam iniuriam Christo, si templum illud denuo assurgeret in eam molem & congeriem lapidum, vnde defecerat. Conuocati vndique Iudæi eò confluxere seduli & alacres, opes & operam suam vltro impensuri, vt pristina templi facies redux esset. Imò animū suum testaturi alacrem ad hoc opus exequendum, ligones argenteos fecere sibi, & nobiles ipsæ mulieres huius instituti Hebræorum, sui incuriæ & vestium suarum, accinxerunt se labori, etsi malis auibus, & iniquis auspiciis: turbine enim excitato, subita tempestas exorta dispescuit ligna, lapides, & cætera præparata ad structuram templi. Pertinaci animo tamen Iudæi instantes operi Deum sensere vltorem flagitij, quod vergebat in dedecus Christi. Quippe è fundamine aperto erupit igneus globus vindex impij facinoris, & depastus est omnes conscios criminis intentati: alios verò procul positos concussâ humus suo fragore terruit mortetenus, & eorum vestes cyaneis Crucibus aspersit, ad quarum aspectum Gens Hebræa velut impos sui pertæsa ritus suos obsoletos cessit in ius Christi, factaque est Iudæa Christiana tincta lymphis sancti Baptismatis, quo vetera renouantur.

S. Greg. Naz. orat. 1. in Iul. Ruffin. li. 1. cap. 38. 39. Theodor. l. 3. cap. 17. Socrat lib. 3. cap. 17.

Templum Iudæorum volentes ædificare quomodo puniti sunt.

Quæso meditare præludia dubiæ salutis infidæ illius Gentis. Turbines, terra labans, flammæ, quas gurges imus euomuit, fuere præambula fidei, quæ cum Crucibus cæruleis cœlitus illapsa est. Nec gens sui prisci instituti tenax cessisset Christo, nisi Crucibus impetita. Ideoque eis vita comes Crucis concessa est, iuxta gratiam insolitam Cruci, quæ vbi incumbit, vitam vehit vtique copiosam. Hinc vnicuique fas est, de suis ærumnis argumentum colligere propitium; & vt obstetricem agam, & eruditè educam animæ fœtum, id est, patientiam, quæ dum ingruunt Cruces, incurrit sæpius in discrimen, sic libet hortari hominem, quem multiplex iniuria decoquit: Dic mihi, homo, quonam angore tua mœrens anima distrahitur; forsan arietatum est in famam tuam, de qua supra modum fuisti sollicitus hactenus, aut certè rei familiaris pateris angustias, vel morbi longioris tædium ægrè trahis? Reuera sunt hæc iniqua sensibus, adeòque peregrina, vt rarus sit qui velit illa donari ciuitate sua. Non hoc omnino diffiteor, probè callens Cruces omnes esse carni exoticum genus. Sed macte, ô vir genite cœlo, vnde effluxerunt sinistra ea omnia recensita? Ista, quæ nuncupas ingrata tormina, Cruces sunt & equidem cæruleæ: quippe in cœlis cyaneo colore tinctæ sunt antequam nos attingant. Cruces cuiuscuis extiterint generis, symbola sunt cœlitum omnium: noli igitur referre pedem si obuiant Cruces; sed eis viro occurre, vti prænuntiis vitæ & salutis. Ne causare illatas iniurias aliunde quàm desuper. Erras si Deo inscio arbitraris te quacunque ærumna quati: Deus prouidè vnicuique occurrit, & iustis & iniquis. Crux quemcumque fuerit nacta, inurit ei tesseram certam vitæ nesciæ ærumnarum.

Cruces cærulex cœlitus elapsæ.

Cruces quomodo mitescant, & leuiores fiant.

Habeo Sanctum Augustinum consortem meæ sententiæ, dum sic fatur: *Gaudeat Christianus in aduersis, qui aut probatur si iustus est, aut si peccator est, emendatur. Contristetur sanè, quem flagella diuina corrigere non possunt; timeat futurum supplicium, qui præsens iudicis contempsit remedium.* Quare hortatur ad gaudium Sanctus ille eos, quos aduersa premunt? Nonne debuit potius suadere planctum, ne anima tripudio diffluens, & se continere non valens, impar esset Cruci? Minimè verò; sed prudenter insinuat, esse gestiendum illi, quem Crux cyanea certiorem facit vitæ sempiternæ.

EX SS. PATRIBVS. S. Aug. lib. 50. homil. 27.

Crux est genus probationis.

Venit in mentem vetus institutum Iuris Cæsarei, quo liquet non fuisse conscriptos hæredes à testatore, nisi præuia Cruce adnotata in apice tabulæ. Vbi Imperatores dedere nomen suum Christo, inoleuit ille ritus, vt colligere est ex Iustiniano, texente querimonias de spurio testamento, quod mancum editum est & mutilum: cui tamen vt non deesset omnimoda fides, extincti corporis manus ducta est ab homine sospite, & virgula ei inserta, Crux in summo chartæ depicta est, vt vel inde hæres conscriptus in tabula crederetur esse legitimus, dum se testes accingunt iureiurando dicturi, tabulas propria manu testatricis fœminæ mortuæ fuisse consignatas. Animo testium illud insederat, abesse periurium, quia saltem Crux edita fuerat manu propria fœminæ illius inanimæ, quam alia manus integra perculerat. Audi textum nouellæ Cōstitutionis. *Existimauimus oportere & nos adiicere aliquid causæ subtilitati, & falsa testimonia quātum est possibile minorare. Tale enim quiddam etiam tunc apud clarissimum Bithyniæ Prouinciæ iudicem gestum inuenimus in testamēto, ostensa testium falsitate pessima apertè conuictorum, & nouissimè confessorum: quia cū testamētum fieret, & fuisset defuncta testatrix, testium quidam tenentes iam mortuæ manum, ita per chartam virgam factam, & ex latere ductam traxerunt, & signum venerabile Crucis videri*

EX IVRE CIVILI. Nouel. 90. in præf. de Test.

Cruce notata testamenta vt valida essent.

scripsisse

scripsisse defunctam putauerunt. Hactenus Imperator, insinuans testes credidisse Crucem desuper appositam tabulæ, facturam fidem dubio illi instrumento.

Cruce notatur Dei testamentum.

Eo pacto cœlites omnes iniere hæreditatem Dei, præuia scilicet Cruce, quam Deus eis affinxit: nulla namque beatarum illarum mentium sorte vnquam initiata est inscia Cruce, cùm filius ipse Altissimi, cuius erat regnum Dei multiplici titulo, noluerit adire hæreditatem illam Cruce inconsultà, hancque voluit iniri à nobis formam capessendæ sortis nostræ, vt pridie Passionis suos discipulos edocuit, eos sic affatus: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos.* Crucis obsequio adiit regnum Christus, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam: quis iam alio calle inire viam cœli audeat, quàm eo, quem obiit Christus accinctus Cruce? Tramites alij omnes inuij sunt; quippe gloria tantùm passione prostat, & æterna illa hæreditas patientia in aduersis ritè comparatur, vt supra edocuit nos Paulus, huiusce conscius instituti. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Luc. 22.

Rom. 8.

Cruce signati adeunt hæreditaté Dei.

Ex præfatis, hoc solamen esto mœrentibus, scilicet Deum nos conscribere hæredes suos quando initiamur aliqua Cruce, nullo enim alio titulo Sancti omnes consortes Dei effecti sunt, cœlique viæ omnes beatorum molestiis & sudore madent. Si ergo sensus refuga ærumnarum detrectat obuias iniurias, occurre audacter & vrge eum ad assensum, eo maximè argumento, quòd Crux sit tessera indubia hæredum Dei, vt videre est in illis Iudæis supra recensitis, quos vltrici flammæ ereptos, quæ socios eorum absumpserat, Deus Crucibus aspersit futuros quandoque beatos.

EX IVRE CANONICO.

Can. Crucis d. 3. de Cõsec.

Crucis inuétæ festum institutum.

Et reuera inde Cruci inest potissima vis alliciendi animas ad sequelam suam: scientibus enim Crucem esse salutis exordium mitescunt asperiora quæque, vt quibus indita sunt semina gaudiorum. Eò crediderim spectasse Ecclesiam, quando Canone singulari instituit festum Inuentionis Sanctæ Crucis. Ecce textum. *Crucis Domini nostri Iesu Christi, quæ nuper nobis gubernacula Sancta Romana Ecclesia tenentibus quinto nonas Maij inuenta est, in prædicto Kalendarum die Inuentionis festum vobis solenniter celebrare mandamus.* Hac sanctione Papa Eusebius subodorans aliquid vegetum in eo ligno viuifico, festiuam voluit esse inuentionem eius. Vide igitur quàm lepidè supra monuit Augustinus, dum sic hortatus est: *Gaudeat Christianus in aduersis.* Non eum fugit illa festiuitas Crucis inuentæ.

Archimedis lætitia inuéta vna figura.

EX MATHEMATICA.

Euclid. l. 1. Elem. Geom.

Dicitur Archimedes exclamasse εὕρηκα, εὕρηκα, id est, inueni, inueni. Anxius erat ille Matheseos amantissimus de figura quapiam quomodo se haberet; multa tandem contentione spiritus propositæ figuræ habitudines inuestigans, intento suo potitus est, exclamans se reperisse solutionem nodi, quo antea arctè tenebatur. Gestiat ad arbitrium suum Archimedes inuenta hac figura, cui sedulus insistebat: nihil habuit illa in quo præire queat Cruci, vt liquet ex ipsis elementis Matheseos, quæ in vnaquaque figura spectat centrum, extrema, & linearum situm. Si centrum Crucis rimaris alto scrutinio, Deum esse reperies assidentem Cruci: vt enim centrum se æqualiter habet ad gyrum orbis seu sphæræ, eodem intuitu lustrans lineam in orbem ductam; ita & Deus insidens Cruci, omnes eius vbiquequaque partes amplectitur. Eminentem Crucis oram capite suo occupat inibi recubante, fixæ manus vtrãque cornu premunt. Denique inferiorem stipitem pes vterque commensurat. Si extrema meditaris figuræ illius sacræ, porriguntur ad omnes terræ plagas ad Orientem scilicet, & Occidentem, Septentrionem, atque Meridiem; videre est in tabula Geographica, vbi lineæ, quæ describunt latitudines & longitudines, intersecant sese in modum Crucis, quæ eo lineata modo clamat orbem vniuersum stare tantùm beneficio Crucis, quam Nonus vocat δόρυ τετράπλευρον lignum quadrilaterum: huius autem figuræ dotes atque elogia prætereo, vt aduocem Sanctos vades meæ sententiæ, referentis encomia Crucis petita ab extremis, quæ pertingunt ad omnes mundi partes.

Crucis figurà ad omnes partes mũdi porrigitur.

EX SS. PATRIBVS.

Aug. lib. de doct. Chr. c. 4.

Audiendus est in eo themate Augustinus. Sic ille: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, altitudo, & profundum, id est, Crucem Domini, cuius latitudo dicitur in transuerso ligno, quo extenduntur manus; longitudo a terra vsque ad ipsam latitudinem, quo a manibus, & infra totum corpus affigitur; altitudo a latitudine sursum, vsque ad summum, quo caput adhæret; profundum verò, quod terra infixum absconditur.* Diceres, Augustinum asserere Crucem esse veluti compendiũ potentiæ Dei, cuius dimensiones propè omnes huiusce figuræ mysticæ terminis adumbrantur. In ea mente fuerat Hieronymus eumdem Pauli locum versans. Ita fatur vir grandæuus & multæ literaturæ: *Quoniam cœlum affirmatur rotundum, & in Sphæra modum voluj, nulla autẽ rotunditas latitudinem, aut longitudinem habet, altitudinem quoque, ac profundũ, sed ex vniuersis partibus coæqualis est; necessitate compellimur, altitudinem Angelos intelligere, superasque virtutes, profundum verò inferos, & quæ infra eos sunt; longitudinem autem, & latitudinem media quæ inter superos inferosque consistunt. Hæc vniuersa, & in Cruce Domini nostri Iesu Christi intelligi queunt.*

Hier. in cap. 3. ad Ephes.

Crux est figura potentiæ Dei.

Greg. Nyss. orat. de resurr. Christ.

Hactenus ille, qui etsi meo intento affulgeat, liquidius tamen illucet Gregorius ille Nyssenus, quẽ accipe. *Cœlum suspice, & partes infimas animo complectere, extremosque ac summos orbis terminos cogitatione comprehende, atque considera quænam potentia, tanquam vniuersitatis vinculum, hæc omnia deuinciat, atque contineat, Videbisque, sponte sua Crucis figuram exprimi, à superis ad infima, ab extremis ad extrema protẽsam atque descriptam. Hanc figuram magnus etiam Dauid de se loquens expressit: Quo ibo, inquit, à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiã? Si ascendero in cœlum (hoc est sublimitas Crucis) tu illic es: si descendero in infernum (hoc est profundum) ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, id est ad ortũ Solis, (hæc est latitudo) & habitauero in extremis maris, sic enim occasũ appellat, (hæc est lõgitudo.) Cernis quomodo Crucem describat. Tu es, inquit, qui per omnia commeas, qui cuncta deuincis, qui in te ipso comprehendis vniuersa. Tu supra es, tu es infra: in hac parte manus est dextera tua, in hac sinistra. Ob id magnus item Apostolus, cùm omnia fide & cognitione repleta fuerint, fore dicit, vt is, qui super omnia est, in nomine Iesu Christi adoretur à cœlestibus, & à terrestribus, & ab inferis*

Crucis figura quid significet.

inferis. Quibus verbis per Crucis figuram diuidit Christi crucifixi adorationem: cœlestis enim regio partem sublimiorem, terrestris ambas medias, inferna profundam continet. Nihil aptius in hac alea posset quispiam depromere, quo meæ figuræ dignitatem locupletiore stylo reliquiis lineis anteferret. Fauet & Damascenus, hæc etiam adiiciens: *Quemadmodum quatuor extrema Crucis partes per medium centrum inter se cohærent, & constringuntur; ita per Dei potentiam, sublimitas, & profunditas, ac longitudo, & latitudo, hoc est omnis tam visibilis quam inuisibilis creatura continetur.*

Damascen. lib. 4. de fide Orthod. cap. 12.

Cùm igitur ea nobilitate polleat hæc figura, vt cæteris aliis emineat; quisquis in eam incurrerit, habet sanè quòd gestiat, & exclamet, εὕρηκα, εὕρηκα, proculdubio inueni figuram, cuius obsequio lustrare queo supera, media, & ea quæ dehiscunt. Est mihi afflicto non modicum festiuitatis argumentum, quandoquidem hæc Crux est positura modum aliis ærumnis, iisque perpetuis, quibus me obnoxium fecerant mea quondam crimina perpetrata. Crucis inuentæ festum diu coluere impensè Apostoli, quando vndequaque iniuriis impetiti, omni mœrore abiecto hilares extiterunt. Quàm festiuè occurrerint Cruci testis est locuples Lucas, qui suas etiam egit partes in baiulanda Cruce. Pictor ille egregius sic depingit Crucis sectatores: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Festum hunc diem, Crucis inuentæ suis indixisse discipulis Iacobum Apostolum collige ex effatis. *Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur; Patientia autem opus perfectum habeat, vt sitis perfecti, & integri.* Quis detrectet hunc prouentum, bonorum scilicet omnium agmen è Cruce deriuatum: hoc etenim sonat illa perfectio, quam Iacobus deducit ex Cruce patienter habita, & cui Paulus gloriam assignat. *Si compatimur, vt & conglorificemur.*

Crux afflictis est solaminis argumentum.

Actor. 5.

Iacobi 1. Crux piis est gratiosa.

Rom. 8.

Faxit Deus vt ista non excidant in tempore angustiæ, sed altâ maneant mente reposita, & maximè illud; testatorem auspicari à Cruce quando in tabulis accingit se conscribere hæredem. Et hinc fortes ebibendi animi, qui decoquunt omnia aspera & austera obiecta sensibus: fiet namque mitior Crux, quam quisque recolet esse præludium hæreditatis adeundæ. Eò intendit Anselmus. *Videmus aliquando homines desperatos filios suos dimittere, quos ad hæreditatem suam admittere nolunt, nec vt filios habere eos: quem autem flagellat filium, huic & hæreditatem seruat. Tanquam filiis ergo offert se vobis Deus: dat disciplinam, dum non auferat hæreditatem.* Esse autem patientiam indicem filiorum Dei, liquidò satis ait Apostolus: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Hunc locum sic recolit Ioannes ille ab aureo eloquio Chrysostomus: *Cooperantur in bonum diligentibus Deum omnia potissimum, quæ molesta esse videntur, vt afflictio, inopia, carcer, fames, mors. Non ait quod diligentibus Deum nulla accidat res aduersa, sed quod cedat in bonum. Hoc est Deus aduersis rebus vtitur, ad eorum splendorem. Quod multo maius est, quàm si prohibeat aduersa ne accedant, aut vbi accesserint tollat. Atque hoc immensæ eius potentiæ est, aduersa ad auxilium nostri conuertere, & omnia in contrarium commutare.*

Cruces immissæ notant amorem Dei in nos.

Anselm. ad cap. 12. ep. ad Heb.

Rom. 8.

Chrysost. homil. 15. in ep. ad Rom.

Cruces Dei bonis cooperantur in bonum.

Cæterum bonorum omnium vbertas consequens Crucem, à Christo Domino sumit exordium: non enim tantùm effudit virtutem suam in Crucem illam, cui pendulus affixus est; sed & nostris etiam vim inuissit viuificam: sicut & magnes ferro affrictus, virtutem impertit alliciendi aliud ferrum. Ne igitur in animum surrepat alicuius, posse quemquam Marte suo, & non influente Deo Domino Crucifixo, baiulare Crucem vllam virtutis alicuius emeritæ. Omnes hominum Cruces, & ærumnæ sunt veluti surculi inserti Cruci Christi tanquam stipiti salutari, vnde habent vt floreant, atque parturiant fructus dignos pœnitentiæ, idque omne, quod inclinat animos hominum sanctiorum ad cultum Crucis, est ipse Dominus Iesus, quem citra Crucem reperire nefas est.

Instabis: Quare rari sint quos Crux percellit ad amorem suum, cùm ipse Deus amoris adhæreat Cruci, & indiderit ei vim abditam sollicitandi corda non inuia amori? Eadem ratio, qua infirmatur magnes ne ferrum alliciat, pro Cruce militat. Vernaculo experimento liquet, lapidem magnetis cæpis aut alliis inunctum, imbellè esse ad ferrum vel minimum attrahendú: adeò magnetis indoles est exosa cæpas & allia, vt iis admota, virtus attractiua lapidis obstupescat. Idem fere Crucis ingenium, cui deliciæ, & carnis illecebræ sunt idipsum quod allia & cæpe lapidi magneti. Crucis tota vis alliciens est infirma erga eos, quos voluptatum cupediæ turpiter inunxerunt. Frustra quispiam ingeret obsequium Crucis homini Veneri obstricto. Perperam ille suadebit arcta ieiunia ei, qui distento abdomine, adipe, meroque desudat. Nænias occinet is, qui loquetur Crucem vili mancipio carnis suæ, Dei incurio, & salutem animæ penitus auersanti. Voluptas & Crux non coëunt; & vt res sunt omnino discretę, non iisdem insident hominibus. Vbi in eremo Hebræi fuere memores alliorum, cæparum, peponum & carnium. Vbi animo suo versarunt illecebras, quibus Ægyptus ingloria suos præpedit incolas; statim vt refugæ & pertæsi asperos eremi calles, à Deo suo impiè defecerunt. Defunctionis suæ conscios habet & plerosque illa gens spuria; eos videlicet, quos malè suada illecebra, laxior vita à Crucis affectu fecit turpiter alienos.

Crux quare non omnes homines alliciat.

Crucis odium ingerunt voluptates.

Adeò discolor est habitus Crucis, atque voluptatum, vt fidei desertores ad hæreticorum castra transeuntes, vt illic gulæ, & Veneri indulgerent, euerterint Cruces tanquam omnigenæ impietatis specimen edituri. Diceres æmulatos antiquum illum ritum, quo sale aspersæ dirutæ vrbes, cadebant omni spe in posterum exurgendi. Ita & reprobi inuncti illecebris, omnem supellectilé Crucis protinus abdicarunt. Ingurgitarunt sese cæpis & alliis, vt ab omni Christiano Crucis cultu postmodum abhorrerent. Si ergo tepes, ô anima, & nausea languet appetitus tuus ad occursum Crucis, te ipsam lustra, & vide an allia & cæpe tibi adfricta sint. Tibi causam fastidij sedulò meditandi occurrent abditi affectus ad turpia, & latens animi propensio ad quasque cupedias, quibus inuncta caro fremit ad intuitum Crucis. Itaque animam tuam seriò expurga ab alliis, & alio omni adulterino germine, vt tandem aliquando Crucibus assuescas.

Voluptatis causa reprobi multa acerba ferunt.

Greg. lib. 10. Moral. c. 16.

Gregorij est illa voluptatis atque alliorum affinitas inimica rerum arduarum. Sic ille. *Prauorum mentes plus per aspera elationis quàm per blanda humilitatis ac mansuetudinis delectantur: esse sub sentibus delicias putant. Dura enim præ amore sæculi quasi quadam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus à mundi laboribus imperat: sanctæ quietis dulcedinem persuadet; & tamen vesana iniquorum mens plus se assequi, aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet, plus acerbitate fatigationis, quàm quietis dulcedine pascitur. Quod apertè in semetipso nobis Israeliticus populus ostendit, qui dum refectionem mannæ desuper perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, cæpasque concupiuit. Quid enim signatur in manna, nisi esca gratiæ, suaue sapiens ad refectionem interioris vitæ, benè vacantibus desuper data? Et quid per ollas carnium nisi carnalia opera vitæ, in tribulationum laboribus, quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros ac cæpas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis, & non sine luctu agitur, & tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus porros cæpasque quæsierunt: quia videlicet peruersæ mentes, dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus, laboriosa huius vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt; contemnunt habere, vbi spiritualiter gaudeant; desideranter appetunt, vbi & carnaliter gemant.* Hæc ille.

Manna cur horruere Hebræi in deserto.

Prælibata clamant quantùm cauendum sit ab hac iniqua satione alliorum, & cæparum, id est, ab omni illecebrarum obsequio; si tamen ad sequelam Christi Crucifixi toto pectore anhelamus: hominum enim prouectiorum in alea virtutis, Crucis studium est, vt & tyronum est fastidire Cruces.

Non est periculum hallucinandi sequacibus Crucis, quæ est veluti cathedra Christi docentis.

In hæc verba:

Dum lucem habetis, credite in lucem.

Sectio Septima.

PErspicacis ingenij specimen edidere Iudæi illi omnes, qui adstitere Christo sermonem de instante Cruce sua contexenti. Vbi enim audierunt exaltandum filium hominis, instar eius serpentis, quem legifer Hebræorum in stipitem altum euexit; illico concepere ideam Crucis, in hoc vno, eorum nutante ingenio, Christum, & Crucem non posse conuenire, eò quòd Crux sit prænuntia mortis, & Christus tamen sit assertor vitæ. Animi sui in his angustijs anxij, Iudæi has deprompsere voces indices, Christum sic affati: *Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum* Ioan. 12.
lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris ne cit quo vadat. Dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. Hactenus scriba sacer.

Crux & Christus coeunt.

Quæso inuestiga abditum mysterium. Christus homines suscitarat inanimes, cæcis lumen infuderat, mutorum reserarat ora, aures occlusas auditui patulas effecerat, præbuerat claudis incessum, & eliminarat pleraque dæmonia iniuria corpori humano. Multiplici tamen prodigio non cesserat Gens Hebræa infida Christo, dubium faciens numen eius: ast vbi ille idem mirabilium patrator operum exorsus est sermonem Crucis, imperitum vulgùs quasi nouo lumine aspersum agnouit Christum, subodorans in eo quid diuinum, longè à morte, quam inuehunt Cruces. Propagandæ huius lucis gratia Christus eos admonuit ambulare in luce, vt eadem fidei illustratio eis largior affulgeret, facta propitia animæ scintillanti, Cruce innotuit Christus dyscolæ Genti, quam infinita propè signa, & prodigia minimè cicurarant.

Cruce Christus innotuit.

Audacter dicam, potiores esse indices sanctitatis eos qui petuntur à Cruce, quàm qui emergunt ex mirandis operibus: quia plerumque prodigia æquiuocas nacta causas, ancipites animos non confirmant; sed Crucis æquanima professio nullas patitur instantias, vtporè certo beans sectatores suos. Eamobrem Iudæi audientes Christum Crucis amore captum, & prædicantem ascensum suum in arborem illam vitæ, Diuinum quidpiam in eo subolentes, nouum illum Crucis enconiasten supra hominem esse crediderunt. Non ergo peregrinus est titulus, quem affingo vltimæ isti sectioni, cuius est probare Crucibus inesse vim aliquam singularem animas illustrandi, vt quæ sint veluti edita subsellia, è quibus Christus penitiora quæque fidei nostræ pangit eloquia. Quales igitur sint radij è Cruce distluentes indagemus.

Rerum omnium editarum à Deo series eo ordine coaluit, vt suum etiam vti fas est referret opificem, qui cùm sit optimus, nihil nisi bonum vsquequaque parturire potest, & reuera vnicuique rei inussit suæ stigmata bonitatis, vt & asserit Moyses. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Bonitas hæc ipsis etiam rebus physicis insita fecit, vt scriptura sanctior homines edoctura bonitatem motum, ab ea bonitate quæ emicat in creatis, vernaculum duxerit argumentum. Vt quando Christus Dominus anxios hominum animos carpens, de futuro supra modum sollicitos, vt instanti inopiæ occurreret, quasi de prouidentia Dei malè ominantes: homines illos Deo iniurios misit ad aspectum liliorum, & auium cæli, quibus prouidus rerum parens, illis insciis ita consulit, vt nullius rei patiantur inopiam. Audiendus est ille. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon*

Gen. c. 1.

Prouidentia Dei consulit omnibus.

Matth. 6.

in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei. Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, hæc enim omnia Gentes inquirunt. Optima sanè eruditio, & petita ab ordine præstituto vnicuique rei, congruè ad naturam eius.

Lux prima rerum omnium edita.

Idem Deus optimus sibi semper constans, & à quo longè est vicissitudinis vmbra, volens orbi perdito succurrere, & noxios hominum mores componere in meliorem frugem, non recessit ab eo schemate, quo mundi incunabula fecit. Quæ autem prisca rerum facies extiterit, disce ex Codice eam graphicè recensente. *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris* En genuinum naturæ humanæ statum post lapsum. Prisca illa hominum indoles ad imaginem Dei efformata, vbi à gratia excidit, oblita cælum, terra effecta est, vtique inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi. Quippe homo reus procul à Deo in tenebras incurrit, lapsus in abyssum: vt hanc Deus caliginem abstergeret, auspicatus est à nouo lumine, quo recreatus homo nouum indueret ingenium. Posterior hæc lux fuit disciplina Crucis, quæ vt orbi affulsit, homo eductus ex opaco vitiorum vbi caligabat, quasi postliminiò rediit ad pristinum illum gratiæ habitum, vnde incautus exciderat. Sed vt lux meridiana non immediatè tenebras excipit, sed habet præeuntem sibi lucem crepusculi, & auroræ; ita & Crucis fulgor emicans non se statim explicuit post hominum ruinam, sed tenues sui radios sparsit, quibus illustrata Gens Hebræa posset aliquando Crucis obsequium piè profiteri.

Genes. 1.

Crucis disciplina fuit lumen Ecclesiæ.

Celebris Sanctorum interpretum chorus multus est in figuris assignandis, quæ Crucem delineant: ego vni maximè idoneæ meo themati de lumine Cruci insito sedulus immorabor. Deus indicens homini ritum, quo sibi malè conscius faceret cælos propitios: de candelabro componendo singularem fecit mentionem. *Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius, & calamos, scyphos, & sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia.* Et ne inane lucis simulachrum arbitreris esse illud candelabrum, audi quanto lumine rutilet. *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso. Emunctoria quoque, & vbi quæ emuncta sunt extinguantur fiant ex auro purissimo. Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissimi. Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

Exod. 25. Crucis figura fuit candelabrum à Mose factum.

Accurata hæc candelabri descriptio ad Crucem spectat, quam Sancti etiam Patres candelabri nomine nuncuparunt. In his vnum accipe magni nominis Augustinum, Petri moras in monte Thabor sugillantem. *Bonum est nos hic esse. Quid dicis, Petre, vides tenebras mundi, & tu lumen abscondis? nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Ista domus totus est mundus; lucerna accensio, Verbi est incarnatio: candelabrum autem est Crucis lignum, lucerna in candelabro lucens, Christus in Cruce pendens. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Vides tu, videamus & nos, luceat nobis lucerna: doceat nos Verbum in carne* Deinde ille idem Sanctus commemorans vocem cælitus illapsam, qua Deus Pater applaudebat filio suo, sic pergit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Deo gratias, intonuit vox Dei, & remotum est consilium Petri. Gratias tibi Deus, qui & Filium tuum ostendisti, & mihi Doctorem dedisti.* Rursus illa candelabri & Crucis conuenientia maximè arrisit Hugoni Scholiastæ totius Codicis sacri. Sic ille. *Splendor eius vt lux erit. Erit splendor eius vt lux, quando ipse velut lucerna super candelabrum Crucis eleuatus, mundum illuminabit.*

Ex SS. PATRIBVS. August. de quinque hæresibus c. 7. tom. 6.

Crux lucernam mundi portauit. Trãsfiguratio Christi quid notet.

Hugo Card. in cap. 3. Habac.

In eam etiam ierat sententiam Hieronymus, quando candelabrum illud ait referre Ecclesiam, quæ ipsa cœtus est fidelium ferentium Crucem. Ita fatur sacer ille interpres: *Hebræi candelabrum aureum solidum, legem, id est, νόμον interpretantur: lampadem autem, id est, flammam in vertice candelabri lucentem atque fulgentem, Christum, qui caput legis sit, & omnem mundum illuminet: septem lucernas super candelabrum, septem gratias Spiritus sancti: duas autem oliuas super candelabrum, à parte dextera, & sinistra, inter quas media lampas luceat, legem, & Prophetas interpretantur. Nunc quid ab Ecclesiasticis viris in commentariis scriptum sit, disseramus. Candelabrum Ecclesiam; lampadem & ipsi Christum exponunt: lucernas septem, & effusoria earum & ipsi gratias Spiritus sancti intelligunt, per quas oleum misericordiæ, Dei Ecclesia suscipit: duas oliuas stantes à dextris, & à sinistris; legem, & Euangelium interpretantur, vt in dextra Euangelium sit, in sinistra lex, de qua dextera, & sinistra dicitur in Cantico Canticorum: Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, vel duas oliuas super candelabrum, Moysem, & Eliam intelligunt, qui cum Domino loquebantur in monte, & significabant quid in Ierusalem passurus esset: omnis enim lex & Prophetia de Christi prædicant passione.* Hactenus ille.

Hier. in c. 4. Zachariæ.

Candelabrum Mosis mysticè explicatum.

Quomodo autem ex illo candelabro lux sese diffundat in adstantes, & cuiusnam speciei sit illa lux, id petendum est ex variis disciplinis. Philosophia sese prior offert & inducit Albertum Magnum, symmystam nobilem in rerum naturalium peritia. Summus ille Philosophus ait, differre hæc quatuor, luminare, lucem, lumen, & splendorem; quia luminare est corpus quod in se, vt formam, habet lucem, vt videre est in Sole, Luna, & Stellis. Lux est forma luminis in luminari. Lumen est, quod receptum est in alio corpore illuminato. Splendor est diuaricatio luminis super corpus politum, & tersum. Iuxta huius Philosophi mentem Christus est luminare magnum, cui lux veluti forma insita est, quæ in Crucem effusa, eam illustrauit lumine quo coruscat, vnde & mirus splendor emergit.

EX PHILOSOPHIA. Alber. Magn. in 2. de anima tract. 3. cap. 11.

Sed instabis, illud gratis dici, nec probare Crucem vllam alicuius luminis rationem sibi vendicare,

Lumen quid sit.

Aristoteles lib. 2. de anima cap. 7. text. 69.

Crux quale lumen diffundat.

vendicare, ideóque opus esse demonstratione Philosophica, quæ idipsum astruat. Benè: huic operi me accingo. Ex Aristotele: Lumen est actus perspicui vt perspicuum est, id est, lumen est id cuius suffragio oculis peruia sunt multa, quæ eis inuia essent omnimoda luce extincta. Hinc arguo: vt se habet visio in rebus corporeis, ita & se habet intellectio in rebus spiritualibus; sed id cuius ope obiiciuntur oculis res omnes visibiles dicitur lumen corporale: ergo & id, cuius obsequio anima intelliget, & deueniet in notitiam rerum abditarum, erit lumen spirituale. At mediante Cruce hominum caligo detersa est; quippe intuitu Crucis aspernatus homo illecebras carnis, omnigenę virtutis didicit obsequium. Etenim Christus ex eo stipite radiante dictauit omnium virtutum praxim, præclaris quibusque inibi actibus exantlatis. Ideóque Crucis obiectu cautior effectus est homo, ineundo tramitem illum passionum, quas obiit Christus, & declinauit voluptates, à quibus longè fuit idem pædagogus noster; eamobrem reor, & non abs re, Crucem non modico lumine præfulgere.

Nec aliunde venatus est Paulus argumenta, quibus vrgebat homines ad agonem, & aleam virtutum omnium. Contempsit ille benesuadam Rhetoricam, nullos fecit omnes tersioris eloquij flores & lepôres. Veneris Atticæ incuriosus, de vna tantùm Cruce Christi sollicitus, inde accepit sua elegantiora quæque dicendi aucupia, etsi Iudæi & Græci aliud dicendi genus maximè sectarentur. Quodque omnem admirationem superat, Crucis ærumnæ atque ludibria mundi asseclas propè omnes Deo Domino manciparunt; ipso etiam teste Paulo. *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare: non in sapientia verbi, vt non euacuetur Crux Christi. verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salui fiunt, id est, nobis, Dei virtus est; scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quoniam, & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum.*

1. Cor. 1.

Crux aspera licet omnes attrahit.

Priscæ Philosophiæ professores, quos multos admirata est cæca Gentilitas, ore grandiloquo & tumenti animo sua dogmata ventilabant: virtutis ementitæ speciem aliqualem suis sequacibus ingerebant: habitu in grauitatem composito captabant auram confluentium populorum: floccipendio opum atque dignitatum faciebant sibi nomen grande, quod & ære perennius ætas postera commendauit. Sed quàm opaca omnis illa Philosophia, quæ Cruce inconsultâ cæcutiit, & in tam densas tenebras impegit, vt Dei veluti nescia, ab eo toto pectore deuiarit. Vbi autem Gentibus Crux illuxit, illico dedere manus, pluráque breui compendio temporis didicere, à Cruce, quàm prior ætas ab Academia & Lycæo.

Crucis intuitu Centurio Christo dedit manus.

Audi celebrem altæ sapientiæ professorem, ille est Centurio armis assuetus, cingulo clarior quàm vllius literaturæ peritiâ. Increbrescente fama prodigiorum, quæ exantlarat Christus, non dedit tamen nomen suum Christo, vt ei militaret. Ast vbi adstitit Christo morienti, illi ingemuit, & Diuinitatis eius sese præbuit assertorem: habuitque suæ egregiæ confessionis conscios & consortes eos, qui se ei adiunxerant ad custodiam Christi Crucifixi, vt recenset Scriba sacer. *Centurio autē, & qui cum eo erant custodientes* IESVM, *viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: verè filius Dei erat iste.* Ne vero des timori exorto ex terræ motu confessionem illam; Lucas cōsulto præterit illum fragorem editū ex terræ imis cōcussis visceribus, & meminit tantùm Passionis Christi, quam excepit impigra confessio plurium Gentilium, & Iudæorum, quibus Crucis radius affulserat. Ita rem explicat ille. *Clamans voce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit. Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

Matth. 28.

Luc. 23.

Vndenam orta illa potens & valida contritio, quæ adegit hos homines ad tundendum pectus? An fortè ex suauiloquio Christi morientis, aut longiore contextu fundente nouum schema vitæ? Minimè sanè; sed ex Cruce & ærumnis æquo animo acceptis, quibus vt lumine inde explicato accensi homines impij, dedere manus Christo morienti, quem conuiciis antea fuerant insecuti. Præscius Isaïas horum omnium bonorum, quæ ex Cruce emergunt, aiebat veluti erectus in spem reparandæ hominū Gentis: *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Credo, Vatem húc zelo animarum captū, suas ingeminasse preces, vt Crux illuceret hominibus, quos caligo vetus obumbrarat. Diceres, Isaïam voluisse vrgere Deum, vt hominum habitum indueret, & baiularet Crucem, veluti candelabrum, cui amoris fax splendidior eminebat, & hoc clamant illæ voces: *Egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Quem putas egressūm loqui Isaïam? illum sanè quo à Ierusalem perrexit in montem illum, vbi Saluator amoris igne accensus, non Caluariæ tantùm monti, sed & toti etiam mundo illuxit de candelabro Crucis.

Isa 62.

Crucis potentia qualis.

Ex SS. PATRIBVS. *Augustin. tract. 117. in Ioan.*

Non à meo sensu abhorret Augustinus, sic præfatus: *Baiulans sibi Crucem exiit in eum qui dicitur Caluariæ locum; ipsam Crucem suam suo gestans humero commendabat, & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.* Hæc ille. In eo candelabro reuera emicuit Christus, omnem pellens caliginem, qua cæcutiens natura prius in varios errorum anfractus abierat. Irradians Crux errabundæ hominum sorti occurrit, & sua veluti face hominem reducem Deo reddidit, à quo arboris infaustæ esu prohibito miserè deuiarat.

Ex HISTORIA: *Socrates lib. 1. cap. 24. Sozom. lib. 4. cap. 4. Gelasius l. 1. de actu Syno. Nicen. cap. 6. Theophan. in Chronic.*

Vt opaca est, & lenta ad assensum rerum cœlestium infida hominum indoles, Deus quasi obstetricem agens, homini enitenti propriam porrigit manum adaugendo fidem, signo etiam sensibili admoto, cuius ope assentiatur animus rei sensibus inaspectæ. Verbi gratiâ, vt liqueret homini hoc effatum, scilicet, Cruci insitam esse vim illustrandi hominum mentes, aliquando obiecit omniū oculis Crucem corusco lumine conspicuam desuper effulgentem, vt vel hoc lumine

corporeo

Glycas in 4 part. ann. Cedren. in comp. hist.

corporeo eruditi homines, ad lumen aliud potius benè suada fide deuenirent. Vt missam faciam celebrem illam Constantini Imperatoris Crucem, aliam recensebo obiectam filio illius, Constantio scilicet, homini impio, quem Arrij sacrilegum virus infecerat. Rei gestæ seriem enarrant Socrates, Sozomenus, Gelasius, Theophanes, Glycas & Cedrenus, quos multos laudo, vt prodigium hoc insigne, dubij alicuius animi nullas patiatur instantias.

Cyrill. Epist. Ierosol. in ep. ad Constant. Imp.

Ne verò ex recensione mea fiat aliqua adiectio historiæ, textum referam epistolæ S. Cyrilli Ierosolymorum Episcopi. Sic ille. *Cælestia etiam miracula sunt edita, ipsius inquam Domini & Saluatoris Iesu Christi vnigeniti filij Dei trophæum contra mortis victoriam erectum; beata scilicet illa Crux, lucis multa splendoribus effulgens Ierosolymis apparuit. His enim sanctis diebus sanctæ Pentecostes nonis May, circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis Crux, quæ tota ex luce constabat, supra sanctissimum Golgotha locum, vsque ad sanctum montem Oliuarum extensa, in cælo apparuit, non vni aut duobus hominibus, sed ab vniuersa vrbis illius multitudine manifestissime visa, neque vt aliquis putaret repente apparens statim euanuit, sed pluribus horis supra terram spectantium oculis visa est, splendoris fulgore Solis radios vincens: nisi enim splendorem suum his, qui Crucem illam aspiciebant, Solis ipsius radiis efficaciorem præbuisset; Solis splendore superata, & contecta fuisset. Quamobrem vniuersa Ierosolymorum multitudo, præ diuina illius visionis terrore ac lætitia repentè ad sanctam Ecclesiam cucurrit. Itaque senes, mulieres, ipsa etiam puellæ, quæ in thalamis antea seruabantur, & cuiusuis ætatis homines, tam indigenæ quàm peregrini, tam Christiani quam qui ex diuersis nationibus illic erant, concordi animo, & tanquam vno ore, cuncti Christum Iesum nostrum Dominum, Dei filium vnigenitum, miraculorum effectorem collaudabant, cùm reipsa, & experientia edocti essent, Christianorum dogma omni pietate refertum, non probabilibus humanæ sapientiæ verbis, sed Spiritus sancti demonstratione ac potentia constare, neque ab hominibus solùm prædicari, sed è cælo ipso diuinis testimoniis confirmari.* Hactenus ille Sanctus.

Crucis mira apparitio & rutilans.

Huius epistolæ seu historiæ insignis summam ad tria capita refero valde idonea morali meæ Encyclopædiæ, quæ mores præcipuè inspicit informandos. Primum quod Cyrillus ille stupet in eo prodigio, est eximius ille Crucis splendor, quasi extinguens lumen Solis: optimè enim probat, Crucem illam præfulsisse Soli, quia alioquin Sol ipse rutilior deleuisset illam lucem, si fuisset infra Solem. Alterum quod occurrit meditandum, est vtriusque sexus & omnis ætatis homines, terrore lætitia temperato, eo signo aspecto in Ecclesiam confluxisse. Tertium demum quod propè est supra hominum fidem, emeritus, ille auctor affirmat, exoticas Gentes, quæ ante à ritu Christiano abhorrebant, illico dedisse manus Christo; profitentes, dogmata Christiana aliis præire omnibus sectis, vt quæ haberent suæ sanctitatis cælites assertores.

Crucis apparitione conuersi Gentiles.

Sagaci indagine rimare mecum, quomodo ista cohæreant in ordine ad mores & titulum istius sectionis, quæ est de lumine insito Cruci. Dicitur Crux Sole etiam ipso splendidior. Ista recensio lucis adeò coruscantis, vt rutilum lumen Solis anteiret, ancipites animos in Physica nancisceretur, in sanctiore tamen disciplina stabit, fulgorem Crucis præire Soli totâ Theologiâ conclamante. Nimirum in confesso est, res omnes, quæ reducuntur ad idem genus prædicamenti, ita se habere ad inuicem, vt hæ, quæ sunt superioris ordinis, alias antecellant in inferiori ordine constitutas. Ergo cum lux è Cruce diffusa sit superioris ordinis, vtpote transcendentis naturæ fines, erit superior ea, quam Sol spargit ad solius naturæ arbitrium. Licet autem vtraque lux pertineat ad prædicamentum qualitatis; nullum inde tamen dispendium patitur fulgor Crucis; nec obstat axioma, primum in vnoquoque genere esse mensuram cæterorum: nam illud Philosophiæ proloquium viget tantum in rebus eiusdem ordinis, at verò in rebus dissitis, & ordine discretis nutat: sunt autem varij ordinis, gratia, & natura, ideoque discolor ordo non subijcit lucem Crucis ei, quam Sol rebus cæteris impertit.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 5. q. 111. art. 1.

Crucis splendor aliis omnibus eminet.

Quæ autem sit lux Crucis, & qualiter illuminet supra Solem, consulenda est Theologia, qua præeunte, res ita liquidior erit. Sic se explicat illa scientia. Etsi gratiæ effectus potior, à quo gratia suam nomenclaturam accipit, sit reddere animam Deo gratam; non aliunde tamen anima Deo gratior efficitur, nisi quia perfectior aut melior est: nequit autem anima fieri melior secundùm essentiam, cùm illa non suscipiat magis & minus, atque adeò nesciat incrementum. Etenim in his, quæ ad essentiam animæ spectant, omnes animæ coëunt; nequit namque vna essentia esse magis essentia, altera verò minus. Vnde igitur animæ sanctior status? Proculdubio à potentiis benè affectis circa obiecta. Verbi gratia, vt perspicax sit intellectus, ne hallucinetur aliquando. Voluntas amore æstuet, ne tepore languens anima deficiat. Et hic equidem status est, quem gratia secum vehit, non vt simpliciter gratia est, sed vt comes est indiuidua donorum Spiritus sancti, qui statim adest animæ illi, quam desuper illapsa gratia condecorat. Ergo cùm inter charismata potiora Spiritus sancti numerentur dona scientiæ, sapientiæ, intellectus, & consilij, quæ omnia lucida sunt, & gratiam Dei comitantur, quæ Crucis suffragio concessa est; Crux causa instrumentalis gratiæ, nonne & ipsa lucida erit, cùm causa causæ sit causa causati? Si enim gratia animæ insidens acuat eius intellectum beneficio sapientiæ; lumen illud nonne à Cruce diffluet, quæ toti mundo gratiæ latices aperuit? Non quòd inficier, alia omnia opera Christi fuisse meritoria, sed quia redemptio in Cruce completa est inibi exhausto omni sanguine Christi. Crux vti complementum, atque consummatio salutis omnium nostrum, vendicat sibi titulum causæ instrumentalis gratiæ, vnde & dicitur maximè luminosa, lumine quod à Christo Domino emendicat.

S. Thom. 1. 2. q. 68 art. 5.

Gratia & dona S. Spiritus simul.

Huic meo intento fauet commemoratio facta illius candelabri insignis septemplici lampade præfulgentis: numerus enim ille lampadum congruit numero charismatum Spiritus sancti, quæ à gratia Dei minimè dispescuntur. Vbi enim gratia irradiat, statim confluunt & septem dona Spiritus sancti, quæ ita hominem ad virtutem componunt, vt eo lumine illustratus homo cautior fiat contra ingruentes insultus omnium vitiorum, vt mysticè insinuat textus, qui induxit lampades illas septem aptandas mystico candelabro.

Exod. 25. candelabro. Sic Deus ipse eloquitur: *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso, emunctoria quoque.* Crucis candelabro imminent septem hæ lucernæ, septem videlicet dona Spiritus sancti ex aduerso lucentia: quidquid enim nobis aduersatur, illud suo splendore detegunt, vt patet in septem illis capitalibus noxis, quæ sunt reuerà nobis ex aduerso, cùm anima illis obnoxia Deum auersetur.

Crucis lux qualis sit. Nec vacua est mentio emunctorij, quia lux Crucis non ea est quę Philosophiæ, cuius antistites incauti non ideo fuere sanctiores, quia doctiores, in quos iactatur illud scomma Spartanorum. Athenienses sciunt quæ recta sunt; sed facere nolunt, id est, habent quidem lucernas, sed non emunctoria: vigent quidem acumine intellectus; sed inscia praxi, agnoscunt fœdam vitiorum colluuiem, & in ea tamen impiè volutantur. Non adiiciunt scientiæ operam suam, quæ emungat omne illud quod beneficio scientiæ agnoscunt esse extirpandum. Vni hoc conceditur luci Crucis, vt emunctoriis sit accincta: non ad pompam tantùm lucernæ illæ septem irradiant, sed & ad virtutum omnium incrementum; & hoc emunctoria illa sonant, quia Crux suos sequaces ad praxim erudit, & non vt inflentur ad instar eorum, qui sæculari scientiæ inflati, & inani gloriola turgidi, desides intumescunt.

Elinguis est Philosophia humana, licèt in modum Solis affulgeat; suos quippe professores non vrget ad noxia quæque audacter emungenda: sed secus, est Crucis disciplina loquax, sollicitans sectatores suos ad sequelam Christi, & virtutum eius, vt præsciit Isaïas, quē accipe pollicentem hominibus singularem illā scientiam, & doctorem maximè vocalem atque eloquentem. *Non faciet* Isai. 30. *auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum: & aures tua audient verbum post tergum monentis. Hæc est via ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Nihil aptius à præscio Isaïa dici potuit: quippe Christo crucifixo, doctor noster auolare nequit, vtpote ingrato obsequio clauorum adhærens Cruci, vt cathedræ suæ de qua sua pandit oracula, etiam ipso Augustino teste. *Lignum illud vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit magistri docentis.*

Ex SS. Patribus. *tract. 119. in Ioan.*

Increbruit quondam istud commentum, eique fidem fecit credula Gentilitas: scilicet lapidem hunc vocalem extitisse, cui incubuit lyra Apollinis; quasiverò lapis suopte ingenio inanimis mutuos accepisset ab ea lyra sonos, veluti pro stipendio moræ, quam fecerat illic lyra reposita, impertiuisset ei modulos musicos contactu suo. Apage hoc delirium, & indue Crucem in locum eius; ea etenim est vocalis, quia ei verbum insedit, non humanum, at Diuinum illud Verbum, à quo habent omnia vt sibi constent, & canora resonent. Cùm ergo ait Vates: *Non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, & aures tua audient verbum post tergum monentis.* Sic præfatum illum textum intellige. Crux doctorem aget, eritque adeò obuia tibi, vtpote vbique erecta, domi forisque, vt doctor ille quasi auolans, vnquam te præterire queat. Et quia Christus ligno illi incubuit, Verbum hoc sonorum fecit & Crucem eloquentem. Vbi namque obiicitur nobis lignum hoc vocale, illico insonat auribus nostris verbum aliquod in-

Apollinis lyra quid mirabile dicitur effecisse.

susurrans, & ingerens animos ad sequelam Christi, qui in hominum gratiam, detersurus eorum crimina, tot agones in Cruce feruidus exantlauit.

Scipio vnde fuit a. centus ad ardua.

Scipio ex trophæis heroum ingentes induebat animos; sed maiores inspirat æstus Crux meditata suis sequacibus; nihil nisi practicum eloquitur hoc trophæum; quidquid enim Christus ore prius induxerat arduum, illud idem in Cruce pendulus opere consignauit. Et vt auspicer ab ea operosa & excellente negotium sanctione diligendi inimicos; nonne ille animam agens oratione fusa propitius fuit hominibus ipsi morte tenus iniuriis, Deum Patrem suum vrgens, vt immemor esset earum ærumnarum, quas sacrilegus ille populus inferebat? Bernardus stupet in eo egregio facinore, & affirmat esse hoc doctoris eximij argumentum potens ad stabilienda asserta sua, opera dictis adiicere, Christi exemplo. Sic ille: *Facit bonus doctor quod iusserat: orat non solùm pro persequentibus, & calumniantibus; sed etiam pro occidentibus se.* Si quem igitur vrit bilis effusa sollicitans ad vindictam, Crucem aspiciat, & statim suis auribus excipiet verbum Christi monentis à tergo, memoriam acceptæ iniuriæ esse protinus expungendam.

Plutar. h. in Scipion.

Christus plus fecit quā docuit.

Bernard. tract. de passione Domini, c. p.x.

Crucis aspectu bilis accensa tepet.

Sic intuitus Crucis, non solùm lampades easque rutilas obiicit nobis, sed & emunctoria subministrat, id est, non desidem suggerit scientiam, sed & praxim impigram insinuat, sicuti ea ratione liquet, qua Christus veniam suis meruit homicidis, qui eo mortuo gratiæ vixerunt, cui potierant Christo superstite. Locupletes supra recensui testes efficaciæ Crucis, Centurionem & subiectos ei milites, quorum Lucas sic describit animum pœnitentem. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, &* Luc. 23. *videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

Eò etiam intendit Isaïas, pios sollicitans homines ad obsequium Christi, suam disciplinam multiplici opere confirmantis. Audiendus ille Vates. *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui eius? Qui ambulauit in tenebris, &* Isa. 50. *non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Quasi diceret: Quando insonuerit oratio Christi Deum deprecantis pro suis æmulis, vtique perduellibus, rarus erit qui eo exemplo ad veniam erogandam hostibus suis minimè percellatur. Si memoria iniuriarum tenax homini læso caliginem offuderat, innitatur ille Domino suo crucifixo, & ei lumen inde rutilum affulgebit. Hieronymus versans locum illum, sic inducit loquentem Christum. *Vos me flagellastis, vos meam faciem conspuistis; ego tamen vos ad pœnitentiam prouoco persecutores meos: quis est inter vos, qui timeat Dominum, & audiat vocem serui, vel pueri, id est, filij tium loquitur enim sermo diuinus sub persona magistri discipulum erudientis. Qui igitur sic timet Dominum, audiat vocem Filij eius, qui ambulauit in tenebris, & non erat ei lumen, qui non habuit speciem, nec gloriam, sed in similitudine carnis peccatricis suscepit formam serui, vt peccatum in carne superaret. Dicitur autem quòd speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum, vt quidquid humanæ fragilitatis est, diuina maiestate corroboret, atque sustentet.*

Iniuriarum memoria quomodo excidat.

Hieronym. in cap. 50. Isaiæ.

Hæc

Hæc ille, affirmans illud quod profitetur hæc sectio, scilicet Crucem suis irradiare sequacibus, lumine non inani, aut vacuo, sed simili ei, quo Sol coruscat, emicat, & accendit. Nimirum Crux vbi homini illuxit, statim ad amorem ille velut æstuans incandescit, acceptarum ab aliis immemor ærumnarum: nec obstat ingenita homini fragilitas eum inclinans ad vindictam: quippe homo robur à Cruce præpotens emendicat, vbi doctrina compescens iras, eo inglorio patibulo confirmatur. Et hoc est Hieronymi effatum, hunc textum Lucæ dum euoluit. *Ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem.* Sic ille: *Obfirmata facie festinabat Dominus pergere Ierusalem, vt complerentur dies assumptionis eius, & pascha celebraret, omnemque doctrinam suam patibulo roboraret: iuxta illud quod scriptum est. Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Obfirmauit faciem suam, vt iret Ierusalem: obfirmatione enim, & fortitudine opus est, ad passionem sponte properanti. Vnde & Ezechieli, cui dixerat Deus: In medio scorpionum habitas, ne timeas verba eorum, obfirma inquit faciem tuam: & dedi faciem tuam aneam, vt si forsitan surrexisset contra eum malleus vniuersæ terræ, quasi mens durissima resisteret, malleumque contereret, de quo scriptum est, quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ.* Benè ergo ait Isaïas, infirmos homines, Christo innitentes hausuros inde robur ad imitandum illum, qui ita aduersus iniurias obfirmauit faciem suam, vt sectatorum Crucis corda nutantia, etiam validè confirmaret, lucernis emunctoria consocians.

Hieronym. ad Algasiam quæst. 5.

Luc. 9.

Crucis amore quomodo Christus exarserit.

Vt enitens Sol in Oriente aliquales præmittit radios veluti prænuntios exortus sui, quibus illuminat remotissimas quasque plagas; ita & Crux nondum erecta in monte Caluariæ, totam illam regionem præsago nomine decorarat. Dicebatur enim plaga illa, *Terra visionis.* Et mons Moria, vbi Abraham obedientiæ suæ specimen edidit, in figuram obedientiæ Christi, vsque ad mortem Crucis, nonne est mons Caluariæ, qui in ea regione visionis eminet? Et nota vocem Hebræam מוריה *Moriah* idem sonare ac *docens Dominus*: nam מורה *Moreh* doctorem significat: & vbi Isaïas ait: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Hebræa vsurpant vocem illam מורך *Morecha, doctorem tuum.* Si quis ergo in opaco degit, importuna caligine cæcutiens, properet ad montem hunc Moriah, situm in terra visionis, & illic lumine illustratus desuper illabente videbit præceptorem suum, nempe Crucem, quam Theologum eximium vocauit Theophanes Cerameus auctor Græcus, dicens Christum è pulpito Crucis reconditam aperuisse Theologiam, ἵνα τοῖς διορατικωτέροις θεολόγος γένηται ὁ σταυρὸς, ὡς ἐμφαίνων πᾶσαν τὴν κτίσιν τῷ σχήματι. *Vt perspicacioribus Crux Theologa fieret, tanquam omnem creaturam specie sua repræsentans.*

Caluariæ mons lucis est fons.

Isa 30.

Crux Theologa olim dicta.

Theophanes Ceram. orat. de exaltat. S. Crucis.

Crucem esse præceptorem, qui referat potiora opera Christi, asseruit quondam Macarius Philadelphiensis Archiepiscopus, sic fatus: *Quæ per Apostolos gesta, per Martyres, per Patres, per Doctores; quæ in Cœlo, quæ in terra, quæ in omni tempore, & loco, & in omnibus hominum ætatibus; & vt rem in pauca conferam, nihil est ex omnibus rebus creatis, quod nobis modo tam admirandò, & tam perspicuè beneuolentiam & humanitatem Christi proponat, oculisque subijciat, quàm Crux. Crux est eius quam circa nos Filius gerit paternæ solicitudinis repræsentatio.*

Macarius Philadelph. orat. de exalt. S. Crucis.

Sed quid laboro in recensendis auctoribus qui meo intento faueant, & affirment, Cruci esse ingenitum lumen, cuius suffragio quisque inire queat calles, qui conducunt ad salutem? Vnus Christus præpollet aliis omnibus, quos referre & laudare queas. Legifer ille Sanctus huic præcepto obstrinxit omnes homines ad beatitudinem anhelantes. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Hoc præceptum Domini est, qui vt Hebræis leges indixit è monte lucido, cui ingentes ignium globi iugiter incubabant; ita & Christianas condidit leges in monte sito in terra visionis, scilicet in Caluaria, vbi Legislator amore æstuans, eoque igne rutilans, toti mundo illuxit è candelabro Crucis: dicique potest de eo mandato Crucis illud Dauidicum: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Ea scilicet ratione, quam antea prælibaui, videlicet explicando nodos, quibus mundus fallax suos asseclas præpedire solet.

Crux compendium est rerũ omniũ egregie gestarum. *Matth. 16.*

Psal 18.

Nota, Cyrillum Episcopum, qui adfuit apparitioni Crucis eminentis vrbi Ierusalem, asserere vtriusque sexus homines, & omnis penè ætatis confluxisse vt spectarent illud prodigium Crucis, cui lux multa & circumfusa suum pendebat obsequium. Insignis reuera ille est effectus Crucis, vt vbi innotuit, illico rapiat hominum animos, quibus emicuit. Non est qui se abscondat à calore eius; vtriusque sexus homines, impuberes, adolescentes, maturæ ætatis, & senij extremi homines alacres ad Crucem sæpius aduolarunt. Eulalia, & Agnes impuberes, omnes Crucis aculeos expertæ, martyrium fortiter obierunt. Pancratius præcoci ætate puer, nonne & mortem obiit generosè tutatus iura Crucis? Symeon vir grandæuus & centenario maior, grauis annis non subduxit humeros Cruci; sed in eam euectus, eo curru triũphali terris ereptus, superis adiectus est.

Cyrillus in Epist. ad Constant. Imp.

Crucis illecebræ ad omnes capiendos.

Nullum sanè lumen adeò fulgidum illuxit Gentibus, vt vni sectæ omnes darent manus, nulla Philosophiæ vllius ratio, ita sibi animos deuinxit suorum sectatorum, vt virtutis omnigenæ amorẽ ingereret. Sed Crux Sole ipso, id est, omni Philosophia lucidior, sequaces suos omni virtutis schemati mancipauit. Est etenim Crux schola omniũ virtutum, quæ compendiosa veluti via ab aspectantibus Crucem sine negotio comparantur. Illud intendit Origenes, hoc eructans oraculum: *Tanta est virtus Crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla inuidia superare possit.*

Crucis in omnia vitia virtus. *Origen. l. 6. in ep. ad Rom.*

Christi industria, quâ inclinauit hominum animos ad virtutem, longè est ab eo Græcorum inuento, qui vt hominibus ingererent studium virtutis, appenderunt tabulas templo Apollinis sacras, & referentes varias ideas tormentorum, quibus impij ad inferos luunt pœnas debitas noxiis quibusque actibus. Vt genuina erat species hæc torturæ, plerique eo aspectu vitia pertæsi, virtuti nomen suum dabant, aut saltem statuebant apud se virtutis alicuius habitum induere. Virtutis integræ alia habet argumenta Christus, quibus animos alliciat ad sanctiorum operum impigram

EX HISTORIA. *Pausan. in Phocic.*

Apollinis tẽplo appensæ imagines tormentorũ inferni.

Crucis intuitum consulit Bernardus.

impigratam praxim. Crucifixum ædibus quibusque sacris appendit, & fidelium oculis obiicit, vt eo veluti libro, discant egregia facinora perpetrare. Quippe ea tabula suos spectatores prouocat ad agones in vitia quæque, & ostendit, illa virtute Crucis esse primitus infirmata.

Ex SS. Patribus. Bernard. in tract. de form. honesta vita cap. 1. & 2.

Bernardus mihi applaudit, ita fatus: *Sit tibi Iesus semper in oculis, semper in corde, & nunquã imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua, oratio tua & contemplatio tua; vita, mors, & resurrectio tua.* Idem sequenti capite prolixior in eodem themate recolens totius vitæ Christi compendium, inculcat præcipuè memoriam ærumnarum eius, sic præmonens: *Cogita factum in agonia prolixius orantem, & omnia omnibus sufficienter administrantem. Ab Angelo etiam ipsum, qui est dulcedo & consolatio Angelorum & hominum, consolationem nihilominus recipientem. Aut ad columnam illum, qui totius est orbis sustentamentum ligatum, & flagellatum. Ipsum, qui est Angelorum splendor, sputis illitum, palmis in facie percussum, spinea corona coronatum, opprobriis saturatum. Ad vltimum cum iniquis deputatum, & pro te in Cruce pendentem, & morientem, atque spiritum suum in manus patris commendantem. Sic nimirum erit fasciculus myrrha dilectus tuus, sic inter vbera tua commorabitur. Sic de omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini Dei tui colliga quasi fasciculum, vt amarum poculum lacrymarum tibi conficias.* Hæc ille saucius amore Christi crucifixi, cuius intuitu credidit posse homines informari.

Lactant. in carm. de Passione.

Placet & Bernardo adiicere carmen illud egregium Lactantij, quo inducit Christum de Cruce cum homine colloquentem.

Quisquis ades, mediíque subis in limina Templi,
Siste parum, insontémque tuo pro crimine passum
Respice me, me conde animo, me in pectore serua.

Crucis intuitum Christus suadet.

Paucis interiectis pergit.

Hic data lux terris, hic alma salutis imago;
Hic tibi sum requies, via recta, redemptio vera,
Vexillúmque Dei, signum, & memorabile fari.

Facta item interiectione versuum aliquorum, sic ait Christus in ea paræneſi.

Vertice ad vsque pedes me lustra. En aspice crines
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis; spinisque caput crudelibus haustum,
Vndique diua pluens viuum super ora cruorem,
Compressos speculare oculos, & luce carentes;
Afflictásque genas; arentem suspice linguam,
Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clauis fixas, tractósque lacertos:
Atque ingens lateri vulnus. Cerne inde fluorem

Crucis meditatione fit anima sanctior.

Sanguineum: fossósque pedes, artúsque cruentos.
Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora
Flebilis; innocuo terrámque cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis:
Et me nonnunquam deuoto in corde, meísque
Fer monitus; sectare mea vestigia vitæ:
Ipsáque supplicia inspiciens, mortémque seueram,
Corporis innumeros memorans, animique dolores,
Disce aduersa pati, & propria inuigilare saluti.
Hæc monimenta tibi, si quando in mente iuuabit
Voluere, si qua fides animo tibi ferre meorum,
Debita si pietas, & gratia digna laborum
Surget; erunt vera stimuli virtutis, eruntque
Hostis in insidias clypei, quibus acer in omni
Tutus eris, victórque feres certamine palmam.

Calebat adhuc sanguis Martyrum impuberum, quando stylum suum aptauit ille auctor effusus in Crucis encomia. Eius æuo vrbi Ierusalem illuxit Crux illa irradians, quam meminit supra Cyrillus Episcopus, scribens innumeras Gentes eo hactenus inaspecto fulgore percitas, fidei nostræ initiatas fuisse sacris; ita vt splendor ille corporeus influens in oculos, ipsam etiam animam suo lumine penetrarit. Ea nimirum luce sensibili homines infideles collegêre, Cruci inesse aliud lumen, quo tenebræ offusæ mentibus absterguntur.

Ex re Medica. Fernel. lib. 9. Physiol. c. 9. Crucis figuram imitantur nerui optici.

Diceres & naturam fuisse æmulam huiusce mysterij, quando ita composuit illos neruos, quibus traiicitur lumen, vt in modum Crucis sint effícti. Eo etenim modo coëunt nerui hi optici, vt Crucis imaginem graphicè referant, suntque veluti tubi & canales, quibus influit idea lucis, quam concipit anima futura nescia luminis, quando nerui illi nimio humore madentes, idoneis spirituum obsequiis carent. Sunt autem spiritus animales pellucidi & quasi ignes, quorum principale penu est in his neruis, qui Crucem delineant. Adeò verum est, Crucem esse veluti facem, cuius lumine omnia illustrata irradiant. Audi Fernelium describentem illos neruos, in sua figura æmulari Crucem.

Neruorum opticorum descriptio.

Sic ille: *Duo quidem sunt vt oculi diuersis enati locis, sed qui à media cursus via, quasi decussati coitionem faciant, moxque diducti in suum quisque è regione oculum fertur.* Cùm audis decussatos esse illos neruos, intellige descriptos in modum Crucis, quæ non tam lumen deforis accipit, quàm animæ intus impertit. Si igitur ô caligans anima, & impatiens tenebrarum, tenêris aliquo desiderio lucis, teipsam compone in Crucem; vbi enim adest Crux, statim & illic emicat fulgor, non tantùm corpora recreans, sed & animas confirmans ad sequelam Christi, & patientiam ærumnarum.

Experta est hãc vim Crucis nutãs Ecclesia &

petita ad ruinam, insidiis Iuliani Principis, impij desertoris: quippe Crux desuper irradians, eo lumine influens in animas, illas armauit in impetus instantes à refuga Iuliano. Rem sic enarrat Theophanes: *Apparuit diuina Crux in cælo, lucida à corona lucis circundata, à Golgotha vsque ad sanctum montem Oliuarum extensa, splendidior quam illa sub Constantio.* Sed quare splendidior ea quæ orta est sub Constantio? Quia forte Iulianus eliminare volebat nomen Christi, & reuocare Deos Gentilium, quorum Constantinus euerterat impia simulachra. Vt ergo Ecclesia cautior existeret, & callidi Iuliani declinaret astutias, Crux desuper emicuit, insinuans vnicuique fidelium, disciplinam Crucis esse omnino cælicam, non humanam, ideoque perperam arietare Principes apostatas in vexillum illud etiam à superis adoratum; imò eos omnes, qui moliebantur ruinam Crucis, accelerare suam: quod summo sui dispendio didicit Apostata ille iniurius Cruci, qui ideo fato periit immaturo. Imminentes ei plagas anteiuit istud prodigium à Sozomeno recensitum. Sic ille.

Ex Historia. Crux luce coronata. Theophanes in Chron.

Fertur cum primum fines Illyrici ingrederetur, vites post vindemiam circiter Vergiliarum occasum, vuis acerbis, miniméque maturis onustas visas esse, roréme que tum in eius, tum in comitum suorum vestes ex aere delapsum, singulis guttis signum Crucis in eis impressisse. Quæ res cum fuissent visæ, non ipse solum, verumetiam alij, qui eum comitabantur, vuas haud maturas intempestiuè apparentes, aliquid boni portendere, rorem autem demissum, vestem eius, in quam fortè cadebat, tali nota, casu ac fortuitò signasse existimarunt. At verò ab aliis dicebatur, ostentorum alterum significare; Imperatorem immaturo ætatis suæ tempore, non aliter atque vuas immaturas periturum, & imperium ad exiguum tempus duraturum: alterum indicare, religionem Christianam cælestem, & omnes figurâ Crucis signari oportere: quæ coniectura fuerunt eorum, qui doctrinâ & religione ab Imperatore dissentiebant; neque certè, vt videtur, à veritate aberrantes: nam temporis progressio vtrumque demonstrauit verè dictum esse. Hæc ille: quasi ostensio Crucis inueheret fidem & obsequium signi illius salutaris, cuius aspectus suos spectatores hortatur ad imitationem eius, qui Crucem suo sanguine consecrauit, & hanc dedit vt tesseram quæ discernit discipulos Dei inclytos, ab ingloriis mundi mancipiis.

Sozomen l. 5. c. 1. Cruces impressæ vestibus Iuliani Apostatæ.

Ita sensit Sanctus ille Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, cuius accipe sententiam, singulis quibusque hominum cordibus inscribendam. *Crux est compendiosa, & potissima via secundùm Christi disciplinam. Crux scriptus liber est, & qui non accipit hunc librum, & magistrum sequitur, is ex discipulorum cœtu, tanquam perditus, & desperatus expungitur.* Bernardus cuiusuis alterius disciplinæ tædio affectus, huic vni scientiæ intendebat. Et hæc sunt vota illius, Crucem toto pectore anhelantis. *Hæc mea sublimior Philosophia est, scire Iesum, & hunc Crucifixum.* Et vt liquidius amorem suum prodat erga Crucem, illam aptat sibi in modum fasciculi myrrhæ, quo Canticorum sponsa feruida gestiebat. Sic ille, totam suam scientiam concludens illo fasciculo: *Mihi hic salutaris fasciculus myrrha seruatus est. Nemo tollet eum à me, inter vbera mea commorabitur. Hæc meditari, dixi sapientiam, in his iustitiæ perfectionem mihi constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potum salutaris amaritudinis, ex his rursum suauis vnctio consolationis. Hæc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristiáque vitæ præsentis, via regia incedenti tutum præbent vbique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilémque figurant, dum non solum placabilem, sed & imitabilem repræsentant eum, qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud Reges terræ.*

Ex SS. Patribus. German. orat. de Cruce. Crux est liber omniscius.

Bernard. serm. 43. in Cant.

Ibidem.

Crux est omnia ei qui eam colit.

Nota, Sanctum hunc vocare Crucem plenitudinem scientiæ. Ea autem est scientiæ omnimoda integritas, vt non solùm intellectum scientis hominis perficiat, sed omnia quæ hominis sunt faciat sarta tecta; intellectum scilicet acuendo, voluntatem accendendo ad diuina, potentias omnes ritè informando, ne deuient ab obiectis. Denique in duplici eo cardine, scire & operari, tota vertitur scientiæ plenitudo. Nec mirum si eò sanctitatis deuenit amasius ille Crucis, non ingenij tantùm acumine singulari pollens, sed & virtutum omnium praxi insignis, quam ei Crucis codex mysticus inspirarat.

Crux est scientiæ plenitudo.

Vt bonum est sui diffusiuum, sectator ille impiger Crucis, bonis prædiues innumeris eo studio comparatis, omnes hortatur, vt impense vacent eidem Crucis obsequio. Sic ille: *Hunc & vos dulcissimi tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, vt & vobis inter vbera commoretur. Habete illum semper non retrò in humeris, sed antè præ oculis, ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote quia accepit eum Simeon in vlnis suis, Maria gestauit in vtero, fouit in gremio, sponsa sibi inter vbera collocauit. Et ne quid prætermittam, factum est verbum in manu Zachariæ Prophetæ, necnon, & quorumdam aliorum. Arbitror & Ioseph virum Mariæ super genua frequenter illi arrisisse. Hi omnes ante se eum habuerunt, & nullus retrò. Exemplo ergo sint vobis, vt & vos similiter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, leniùs vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiæ sponso, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Bernard. vbi suprà. Crucis amplexus quàm suauis sit.

Aduerte, non esse insipidam illam scientiam, quæ colligitur è schola Crucis, quæ cùm habeat brachia expansa, nostra etiam sollicitat brachia, vt se explicent ad virtutem. Fortè ideo Chaldæi Crucem appellauerre משכל *Maschal*, quæ vox, intellectum sonat, à radice שכל *Schachal* intellexit. Non quòd formaliter Crux sit intellectus, sed effectiuè; tribuit enim illa intellectum; dum acuit ingenium, ingerendo nouum lumen iis, qui adoranda illa mysteria meditantur. Non fugit hoc Isaiam vatem illum eximium Crucis encomiasten, qui non aliunde intellectum afferre hominibus affirmauit, quàm ab ærumnis & flagellis, quæ sunt apparatus & supellex Crucis. Audi prædicentem, Cruces imminentes populo reprobo detersuras caliginem offusam populo illi incurio Dei sui. *Flagellum inundans cùm transierit*

Crux Chaldaice quid significet.

Isaiæ 28. Crux intellectum acuit.

transierit, eritis ei in conculcationem. Quandocunque pertransierit tollet vos: quoniam manè diluculo pertransibit in die, & in nocte, tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.

Vides, Crucem efficere intellectum non quoad actum primum, seu id quo ponitur in rerum natura, sed quoad exercitium: nihil enim ita compendiose erudit homines sicuti vexatio, quæ instar collyrij inungens oculos, illos illuminat, & ostendit eis calles inuios hactenus ad virtutem, quos demum iniens nouus athleta, & baiulus Crucis, in hominem frugi illico commutatur. Hinc illa anonymi salutatio felix & fausta: *Salue Crux initium salutis, & imperij Christiani firmamentum: salue prauorum institutorum correctrix, & sanctioris viuendi generis promotrix: salue Crux reuertentium manuductio, & proficientium consummatio.*

Crucis encomia præclara. *Apud Gers. tom. 2. de Cruce.*

Bene ergo Christus de instante Cruce sermonem texens, ait: *Ambulate in luce, dum lucem habetis.* Id est, missas facite technas, quibus Hebræi illudunt incautis hominibus, abiurate eorum deliria, & constanter aptate vos meæ disciplinæ eruditæ, in schola Crucis addiscendæ. Paulus etsi Doctore Gamaliele fuerit tinctus omni scientia, vbi tandem initiatus est sacris, & fortiter excepit iniurias Christi ergò; vbi inquam multiplici agone didicit Crucem, veluti immemor alterius omnis disciplinæ, ait: *Non iudicaui me scire aliquid, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* Quæuis Philosophia citra Crucem homines sciolos facit; sed Doctores quique præcipui vt fuere Apostoli, è libro Crucis, magisterij sui summos titulos emendicant. Vbi enim maior notitia affulget, illic & scientia amplior irradiat; ast Crucis ope deuenimus in cognitionem rerum aliis scientiis abditarum: ergo potior est aliis ea peritia, quæ ad nos Crucis suffragio deriuatur. Non est in hoc argumento prætereunda res medica, quæ felle & rebus amaris inunctos oculos caligantes reuocat ad lucis vsuram, quasi insinuans, res sensui ingratas quandoque esse animæ beneficas.

Ioan. 12. Crucis scientia doctissima. *1. Cor. 2.*

Audiendi Patres Sancti in eo themate confirmantes illud quod intendo. Scilicet Cruces seu qualque angustias animam erudire & purgare ab insolita ei cæcitate. Sic fatur beatus Laurentius ille nobili Venetorum sanguine clarus Iustinianus: *Perniciosa sui nescientia est, & ad omne facinus procliua, qua dum se stare putat, iacet miserabiliter. In tenebris obuoluta est, videre se arbitrans; sed fellis collyrio inungenda est, vt rectè videat, manúque tentationis erigenda est ne pereat.* Meditare sedulò, non cruciari homines vt videant; hoc quippe vt plurimum oculis obest, vt videre est in Tobia, qui non ideo tentatus est vt videret; non coeunt enim Tobiæ cæcitas, & visio. Sed aduertere hominibus angustias ingruere; *Vt rectè videant.* Nimirum Deus non intendit corporis vegetum habitum ex Cruce, non curat oculorum integram aciem, sed procurat necessarium animæ lumen, quo declinet vitiorum anfractus, & sectetur pede inoffenso calles, qui conducunt ad virtutem.

EX RE MEDICA. Fellis amaror sæpe vtilis. Cognitio sui quomodo conciliatur. EX SS. PATRIBVS. *Lauren. Iustin. de cast. connubio. c. 6.*

Eò sanè collimauit Psaltes, quando reproborum saluti inuigilans, Deum orauit vt eos affligeret; fore enim vt acris vna correctio vice legislatoris esset, qui sanctioris vitæ ineundæ ritum indiceret. *Constitue Domine Legislatorem super eum.* Locum istum Chrysostomus sic expendit: *Sit eis supplicium pro admonitione. Erit supplicium loco legis, & nõ eis tantùm, sed etiã aliis.* Quia dum noxij homines sæuientes in crimina suas sentiunt angustias, & inde cautiores fiunt, & resiliunt ab insolito statu suo primo; alij omnes conscij noxæ, pœnitentibus se adiungũt, sicque supplicium vnius plerumque fit multis sanctio propitia moribus informandis.

Afflictio dat intellectum. *Psal. 9. Chrysost. in Psal. 9.*

Quòd autem palàm Deus reproborum capita quatiat, illud indubium est misericordiæ argumentum, quo vult vnius supplicio, plurium nutantes animos ad meliora reuocare. Ita Chrysostomus: *Dei prouidentia est, quod non facit hoc latenter, vt aliorum calamitatibus alij reddamur meliores.* Quia sapit hoc paradoxum; videlicet Deum curare cædendo, & erudire suppliciis, aduocabo vnum & alterum, vt duobus testibus adiectis Chrysostomo, stare queat istud verbum in ore trium. Accipe Clementem illum multiscium Alexandrinum. *Multa animi affectiones curantur supplicio, & præceptorum acerbiorum iussu, atque per doctrinam nonnullarum speculationum. Est autem reprehensio veluti quadam chirurgia affectionum animæ. Abscessus autem veritatis affectiones quas sectione diuidentem oportet coarguere. Medicamentorum autem potioni, aut applicationi est similis probri insimulatio, quæ resoluit affectiones, quæ iam occalluerunt; impudicæque & libidinosa vitæ sordes expurgat, fastúsque ac superbia carnes quæ excreuerunt exæquat, sanum ac verum hominem reparans ac restituens. Iam verò admonitio est veluti quadam diæta ægrotantis animæ quæ sunt sumenda consulit, & quæ non sunt prohibet. Hæc autem omnia tendunt ad salutem, & sanitatem æternam.* Hactenus ille, vno eodémque textu concludens, scilicet omne id, quod corpori iniurium est, esse doctrinam atque medicinam.

Afflictiones quare Deus vult aliis esse cognitas. *Vbi suprà.* *Clemen. Alexand. lib. 1. Pædag. ca. 8.* Correctio est salutaris.

Nolo huc reuocare effatum illud tritum lippis atque tonsoribus, & à me alibi recensitum, παθήματα μαθήματα, quo Græci ea collusione nominum innuerunt, afflictiones esse disciplinas, quibus eruditur homo, vt fusè explicat laudatus antea Iustinianus sic fatus: *Tribulatio conseruat. Electum enim suum tunc magis diuina gratia erudiendo custodit, cum quasi percutiendo deserit, & quò durius ex dispensatione flagellat, eò amplius ex pietate conseruat; si tamen ea spontè suscipiat. Altissimus enim ipsam contulit pro medicina: & vir sapiens non abhorret eam, quia facit cessare peccata multa. Et quis nesciat, quod melius est affligi dolore tribulationum quàm ardore vitiorum? Et tamen cum corripimur à Domino, donum ipsius considerare negligimus, & de tribulatione murmuramus. Hoc est signum diuini amoris.* Hæc omnia Crucis commoda versans animo suo Tertullianus, dixit eam facere nos gratiarum actioni obnoxios. Sic ille: *Quin insuper gratulari & gaudere nos decet dignatione diuinæ castigationis.* Eo ingenio fuit vir ille Sanctus, qui insigni ærumna decoctus ait: *Misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.*

Afflictiones Deus consulit nobis. *Lauren. Iustin. de patient. cap. 3.* *Tertull. de patient. c. 11.* *Thren. 1.*

Instabis: si tanta est eruditio Crucis, quare ad solamen afflictorum amici confluant, vt videre est in Iob, cuius vt increbuit afflictio, tres præcipui eius amici solaminis ergò conuenerunt? Sic habet textus ille sacer: *Igitur audientes*

Iob 2. Afflictos quare consolantur amici.

audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Ad quid frequens illa corona amicorum compatiens? Respondeo, morem illum inolitum arguere debiles hominum oculos, nequeuntes ferre rutilum lumen Crucis, cuius vt radios frangant necessarij nostri, minuere nostras tentant angustias. Vtque addiscentes prima rudimenta alicuius scientiæ consulunt omnes peritos illius disciplinæ, vt elementa concipiant; ita ingruentes angustiæ homines initiant ad mysteria recondita, quorum peritiam insinuant illi, qui multa ratione obstetricante, eorum molestias leuant.

Dixi, veterem illum ritum esse indicem imbellis hominum animi, solatium aliunde mendicantis, quo non egent virtutis emeritæ viri fortes. Quemadmodum enim peritiores, suo Marte decurrunt libros abditæ aliis scientiæ; ita & viri fortes suopte ingenio, aperto codice Crucis intelligunt Dei arbitrium, & illucente aliqua ærumna se componunt ad nutum Dei. Aliis verò, quibus hebes oculorum acies effecta est, noxio deliciarum vsu, magnâ amicorum cautela opus est, ne Crucis splendore exorto cæcutiant. Hinc est virtutis indubiæ genuina probatio, petita à lucis examine, cui etiam pullos suos aquila facit obnoxios, explorans an sint adulterini fœtus. Obiicit eos rutilo Soli, eósque vt ingenuos fouet, qui oculo non nutante coruscos radios exceperunt. Abiicit autem illos, qui auersa oculorum acie dedignantur lumen. Nullum planè aliud argumentum reprobi animi inuestiges. Si inuito obtutu caligèt animus Cruce obiecta; hunc condemna. Si verò secus vltro occurrit luci, quam diffundunt quæuis iniuriæ; audacter hunc hominem editum gloriæ prædicato.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus parte 2. Theatri. Aquila pullos suos quomodo probat.

Non erit abs re sequacibus Crucis affingere illud Symbolum, cuius meminit Ferrus, cùm depingit aquilæ pullos enitentes ad Solem constantibus oculis, hac epigraphe adiecta, SVSTINVERE DIEM: voluit lemmatis huius institutor innuere, eos esse genitos ad ardua, quibus etsi ingens splendor affulgeat; tamen eorum oculi minimè perstringuntur. Christus dicitur aquila prouocans ad volandum pullos suos; nemo sanè est qui renuat consortium eius sidera transcendentis. Vnum est faciendum periculum lucis, vt eius obiectu, adulterini fœtus ab ingenuis illico dispescantur. Lucidum hoc examen subiere omnes Sancti variis excepti ærumnis, ideóque adscripti superis, quia SVSTINVERE DIEM, exemplo ipsius Christi, qui quæsitus ad Crucem, vltro occurrit impiis, dicens: *Ego sum.*

Paulus texens catalogum hominum sanctiorum, eos tantùm commemorat, qui SVSTINVERE DIEM. Sic ille. *Alij distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Ne autem infe- Hebr. 11.

cunda sint egregia facinora Sanctorum; Paulus optat nos eis adiici vt æmulos passionum, ad hoc Christi agone meditato. *Nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes.* Hoc contextu Apostolus remissos hominum oculos nititur erigere & Crucem versus eos dirigere, vt Christo aspecto, æquo animo patiente in gratiam nostri, illius lumine vegetentur. Quippe spontaneus Crucis aspectus arguit hominem Deo charum; vt & auersio Crucis animam clamat reprobam, à Domino deuiantem. Hebr. 12.

Ægi. Sadel. lib. Symb. Hæretici cæci.

Eo ferè symbolo vsus est Henricus III. Rex Gallus, qui vt perduellium animos notaret, numisma cudit, vbi Vespertiliones aduerso Sole volitabant, hoc titulo. NON COGNOVERVNT LVCEM PRÆSENTEM. Non extra aleam erit hoc numisma, seu potius scomma infixum reprobis exosis Crucem, & fulgorem eius, vt voluptate diffluant. Reuera NON COGNOVERVNT LVCEM PRÆSENTEM ideoque veluti spurios, & extorres, illos ad Crucis intuitum caligantes eorum oculi reprobarunt. Nimirum Deus dilectos sibi filios afflictione probat, alios verò reprobat eam auertantes. Hanc Dei indolem explicat Paulus erudiens suos ex Hebræis discipulos, ita monens: *Obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis.* Hæc ille. Hebr. 12.

Ex Historia. Alex ab Alex. l. 4. dier. Genial. c. 12. Memnonis statua qualis.

Huic etiam instituto fauet historia illa insignis eius statuæ, quæ priscis sæculis innotuit, Memnonem referens Regem. Eo artificio erat celebris hæc statua marmorea, vt Sole illucente modulos ederet vt canora, radiis percita exortæ lucis; erat enim hæc petra vocalis, ideóque nacta apud veteres suspicionem abditæ Deitatis. Simili ferè modo conciliant sibi nomen celebre sanctitatis illi omnes qui iubilant & Deo grates agunt, quando illis præfulgidus Crucis splendor irradiat, Regium aliquid spirant è corpore licet obnoxio ærumnis. Ipso etiam Iob teste, qui etsi suada angustia multiplici deportatus in sterquilinium, illic radiis ærumnarum illustratus eos edidit sonos, qui perculere Deum, vt eos quasi gestiens exaudiret. Audiuimus supra musicos hos concentus; non erit ingratum hoc repetitum melos. *Surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Iob 1.

Hoc suaue melos viri patiétis cõmemorás Chrysostomus,

EX SS. PATRIBVS.

Chryſ. hom. 5. de patien. Iob. Idem ſer. de Iob & Abra.

Patientia Iob diabolũ afflixit.

ſoſtomus, ſic & ipſe ſonat: *Vt diſcas quoniam maiorem diabolo plagam intulit, cùm ſublatis ſibi bonis gratias egit, quàm cum poſſidens miſerebatur pauperum, audi. Cùm poſſidebat, vel Diabolus ſuſpicionem habuit: quoniam non gratis te colit Iob. Vbi verò vniuerſa ſurripuit, omnibúſque nudauit eum; hic verò tandem ſeruauit mentem: tunc obſtructum eſt turpe illius os; nec tunc habuit dicere. Clarior namque quam in prioribus iuſtus erat: clarior quam in delicius viuens, eleemoſynáſque præbens. Surrepta enim bona generosè, & cum gratiarum actione tolerare, multo maius eſt. Nam ſecundis quidem rebus gratias referre Deo, non admodum mirabile: porrò cùm multi fuerint fluctus cymbáque circumacta periclitatur; tunc magna atque excellens patientia atque bona voluntatis oſtenſio.* Idem & hunc alibi textum Iob expendens, ſimilia ferè promit. *Aduerſa fert, & gratias agit. Magnitudo perquam grata mentis in triſtibus apparet. Vides, quod ſi in proſperitate gratias egeris, ſycophanta Diabolus factum tuum extenuat, & dicit; num fruſtra Iob colit Dominum?*

Afflictio magnos animos prodit.

Nota quam bene cohæreant Regia illa ſpecies Memnonis Sole percuſſa loquax, & Magnæ mentes ictæ ærumnis, & erumpentes in gratias Deo exhibitas, iuxta conſilium Sancti Antiochi. *Sine quis animi iucunditate perfruitur, ſiue tribulatione, ſiue nubilo tegitur triſtitiæ, affligatur anxius: debet nihilominus agere gratiarum actionem, qualis fuit eximius ille Iob. Is enim perditis ſemel omnibus, domo inſuper faſtigioſa adæquata ſolo, ſed & filiis interim dum geniali epulo inuitant ſe, & indulgent, ruina oppreſſis: quam Domino pro his rependit gratiarum actionem? Nimirum accepto hoc nuntio dicebat: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factũ eſt; ſit nomen Domini benedictũ.*

Antiochus hom. 117.

Principes Scripturæ ſanctioris interpretes Latini, virum hunc ſanctum inducunt vt ſpecimen eius habitus, quem referre debemus aliqua perculſi anguſtia. Sic S. Ambroſius: *Exemplum plane, quod non debemus animo deiici in aduerſis, habemus magnificum Iob inclinari in triſtibus penitus neſcientem; qui omnem Diaboli violentiam, velut torrentis cuiuſdam aduerſus ſe venientem, immobili corde, & inconcuſſa mentis viuacitate ſuſcipiens, tanto clarior ex tentationibus factus eſt, quanto difficiliora, & periculoſiora ei ſunt ab inimico intentata certamina.* Auguſtinus ſuppar Ambroſio, eodem quo & ille vſus exemplo, quo noſtram ſuggillaret ignauiam, ait Deum eſſe laudandum *In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ:* ſicuti præmonuit Pſaltes, ea verborum ſerie concludens abdita myſteria, quæ diluit ipſe Auguſtinus, ſic ſcholiaſten agens: *Quid ſibi volunt tubæ ductiles, & tuba cornea? Ductiles tubæ æreæ ſunt, tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando: Eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ, ſi cùm tribulamini proficiatis; tribulatio tunſio, profectus productio eſt. Tuba ductilis erat Iob, quando repente percuſſus tantis damnis & orbitate filiorum, tunſione illa tantæ tribulationis, factus tuba ductilis ſonuit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Quomodo ſonuit, quàm ſuauem ſonum dedit iſta ductilis tuba!*

Amb. ſer. 64.

Tubæ quare olim ductiles.

Pſal. 97.

Auguſt. in Pſal. 97.

Non ergo inepta eſt ſtatuæ Memnonis adæquatio, & hominis æquo animo patientis Cruces ſibi cælitus incumbentes; earum enim lumine perfuſus fit vocalis, & ſonorus homo ille, Deo grates reddens indices animi ſui benè affecti erga Cruces, quibus fuit hactenus impetitus. Iure etiam Canonico liquet illa lex, qua Crux irradiat; quippe Canones commemorant veterem ritum explorandi veritatem in re ancipiti. Proponebatur Crux iis quorum dubia erat fides, & expetito iuramento ab eis, eo ſacramento quæque abdita reſerabant. Tantáque fuit reuerentia Crucis in ea indagine veritatis, vt editus fuerit iſte Canon. *Qui peierat ſe in manu Epiſcopi, aut in Cruce conſecrata; tres annos pœniteat.* Periuros homines vſque ad iniuriam Crucis adeò exoſa eſt antiquitas, vt Michaël Calaphates expulſa Zoë fœmina rerum potiente, vſurpato ceciderit Imperio, quia iniquus fuerat Cruci, periurio perpetrato. Dum etenim coram populo oraret aucupaturus auram popularem; plebs deteſtata hominem impium in Crucem, exuit inſulis, deteſtata imperium eius, qui tam impiè peierarat.

EX IVRE CANONICO.

Cruce ſubiecta fiebat olim iuramentum.

Can. Qui peierat. 22. q. 5.

Ab inolito more iurandi ſupra Crucem, periuri omnes dicebantur ſtauropatæ, id eſt, Crucis conculcatores. Vox ea Græca σταυροπάτης deducitur à nomine σταυρὸς Crux, & πατέω conculco. Inde periurium Græcè σταυροπατεία, idem ac Crucis conculcatio. Stephanus Papa facturus inuiſum omni Eccleſiæ Photium, recenſet iniuriam factam Cruci, periurio perpetrato. Ecce textum epiſtolæ. *Mirandum non eſt, ſi meritò inuiſum ab Eccleſia Photium eiecistis, qui ipſam quoque ſacroſanctam ſalutiferámque Crucem, quo venerando ſigno omnia ſacra ſacerdotij miniſteria peraguntur, a quo ipſe ſalutis fons baptiſma ſanitatem accepit, ludificatus eſt. Qui humilitatem Chriſti, hoc eſt venerandam eius Crucem irriſerunt, non ſecus ac primogenita Ægypti percuſſi ſunt. Tunc quidquid Iſraelis ſignatum erat, ſaluum fuit. Quid enim ſanguis Agni in Iſraelitarum poſtibus erat aliud, quam Crux patientis Chriſti, qua credentium frontes inſigniuntur? Qui ergo ſalutarem Crucem contemnit, Euangelico gladio mactatur.* Hæc Pontifex ille, ægrè ferens malè habitam Crucem ab homine periuro, quem hoc epilogo pungit octaua Synodus. ἐντεῦθεν δείκνυται ποσάκις οἱ σταυροπάται τοὺς ἰδίους σταυροὺς ἠθέτησαν. *Hic oſtenditur, quoties conculcatores Crucis, contra ſuas ipſi Cruces periuri extiterunt.*

Periuri olim quomodo vocati.

Stepha. Papa ep. ad Epiſc.

Cruci iniurius Photius pulſus Eccleſia.

Ex act. 8. Synod.

Extant & Principum ſanctiones, quæ ſcrutinium veritatis in re opaca, propoſitis Crucibus inueſtigant. Caroli Magni Cæſaris in eo argumento teſtamentum proſtat, quo indicit ſchema componendi rixas emergentes ex themate controuerſo. Sic iubet Imperator. *Si cauſa vel intentio controuerſia talis inter partes propter terminos, aut confinia regnorum orta fuerit, quæ hominum teſtimonio declarari, vel definiri non poſſit, tunc volumus, vt ad declarationem rei dubiæ, iudicio Crucis, Dei voluntas, & rerum veritas inquiratur; nec vnquam pro tali cauſa cuiuſlibet generis pugna vel campus indicetur.* Patris ſui ingenium æmulatus alius Imperator, ſcilicet Ludouicus ille Pius, eadem ſanctione cauit rebus quibuſque dubiis explicandis. Accipe textum legis. *Ad declarationem rei dubiæ, vexillo Crucis Dei voluntas, & rerum veritas inquiratur.*

EX IVRE CIVILI

Teſtam. Car. Magn. ex edit. Pithæi.

Crucis indicio Dei voluntas exquiſita.

Teſtam. Lud. Pij Imp. c. 10.

Cruce obiecta fuit veritas exquiſita.

Priſcæ etiam Francorũ leges ſectatæ ſunt &

hanc normam explorandæ veritatis in re ancipiti, vt liquet ea lege. *Sicut ad Crucem, & si iurator vicerit, lege sua accusator emendetur.* Gens hæc austero assueta cælo, vt brumalibus orta plagis, controuersias exerto gladio solita dirimere, adiecit & Crucem ad arbitrium æmulorum. Audi saxea pectora. *Si aliquis Saxo hominem apprehenderit absque furto, aut absque sua propria aliqua re, dicens, quod illi sit damnum factum, & hoc contendere voluerit in iudicio, aut in campo, aut ad Crucem licentiam habeat. Si verò hoc noluerit cum suis iuratoribus, ipse liber homo se idoneum faciat.*

Libro 4. leg. Franc. c. 40. ex ed. Herol. Lib. 3. legum Franc. c. 46. ex edi. Pitho.

De ea probatione apud Crucem litigant magni nominis auctores, ingenuè confitentes se nescire quonam indicio sese proderet veritas, abdita antea pluribus inuolucris. Baronius, quem nihil propè latuit eorum, quæ ad historiam spectant, dum versat illam veritatis indaginem petitam à Cruce, hæret in hoc vado, & ait. *Quodnam istud fuerit examen, vel indicium Crucis, nobis hactenus est incompertum.* Etsi ego minor Baronio, non nutabo tamen, sed fidenter meam aperiam sententiam. Vbi Christus veritas ipsa incubuit Cruci, & luce sua inaccessibili eam perfudit, Crux consulta tenebras omnes tersit vt rutila; quippe opaca, & lucida non coëunt. Explicata Cruce coram, veluti quædam scintillæ erumpebant, quibus percitus animus sibi malè conscius, nolebat subire periculum Crucis capiti suo canens. At secus ille, cui benè omnia constabant, audacter Cruci adstabat, vt ea quasi face accensa veritas omnibus eluceret. Præuia namque multa oratione ad Deum fusa, sacerdotum obsequio, litigantes iureiurando Crucem consulebant, & sic veritas rei abditæ tentabatur. Fiebâtque Ecclesiæ suffragiis, res Cruce aperta, quæ alioquin hac cautione neglecta latuisset. Locuples Iuris interpres Cuiacius non modicum lumen adiicit meæ sententiæ, quando decurrens præfatas formulas explorandæ rei dubiæ, hæc decernit. *Res hac omnis gerebatur sacerdotum interuentu, qui priusquam periculum fieret, Deum certis conceptisque verbis obtestabantur, vt innocentes seruaret, nocentes malè perderet; quarum precum formulas prodidit Auentinus.*

Baron. tom. 9. anno 806.

Crucis iudicium quale.

Cuiac. in lib. 1. Feud. tit. 1. Auent. lib. 4 Annal. Boiorum.

Et ne quasi cæcutiens credar coniecisse veritatem prodi solitam diuino veluti modo, Cruce obiecta, & precibus mente feruida repetitis; accipe historiam, qua liquidior fiet hæc mea coniectura. Mulier quædam paupercula Veneri obnoxia, in monialium cœtum debacchata est Moguntij, affirmans, vnam earum edito fœtu eum suffocasse. Vbi res hæc vrbe tota increbruit, malè audierunt moniales illæ. Periclitante earum famâ, Lioba virgo earum Abbatissa Crucis oraculum consuluit, vt proderet ream. Sed ne pigmentis tersioris eloquij variet historia hæc, recensebo textum Rudolphi, ex quo petita est ista narratio stylo humili contexta Sic ille. *Lioba præcepit omnibus oratorium ingredi, & extensis in Crucis modum brachiis stare, quoadvsque singula Psalterium totum ex ordine psallendo complerent: & deinde per tres vices in die, hoc est tertia hora, & sexta, & nona, vexillo Crucis elato, cum Litaniis Monasterium circumire, & pro purgatione sua diuinam misericordiam inuocare. Quod cum fecissent, & in hoc ordine iam bis expleto, hora nona omnes Ecclesiam intrarent, cunctúsque populus pariter congregatus adesset; beata virgo Lioba perrexit ad altare, & stans ante Crucem, qua iam tunc tertiò portanda parabatur, extendit manus in cælum, & cum gemitu, ac lacrymis precabatur dicens: Domine Iesu Christe, Rex virginum, integritatis amator, inuictissime Deus, ostende virtutem tuam, & libera nos ab hac infamia, quia improperia improperantium tibi ceciderunt super nos. Hæc cùm dixisset, mox miserrima illa paupercula, antiqui hostis, & captiua pariter & ministra, Dæmonio repletur, & quasi flammis circundata, nomen inuocat Liobæ.* Hæc Rudolphus.

S. Lioba Cruce consulta veritatem inuestigans.

EX HISTORIA.

Rudolph. in vit. S. Lioba.

Crucis obsequio mendacium apertū.

Ex præfatis colligere est, Crucem abdita quæque reserasse, ea luce quam multa oratio præuia prouocabat. Et hoc firmat titulum sectionis huius, quæ affirmat esse insitum lumen Cruci, non quidem vernaculum illud, quod oculis quibusque irradiat, sed aliud longè nobilius quo penitiora quæuis homini propalantur. Tantaque fuit fides olim adhibita signo Crucis, vt character ille sacer adhibitus publico rescripto, fecerit illud indubium. Hinc edita lex illa, volens credi scripto hæredis, quo defuncti totam supellectilem conscripserat, dummodo hæres signum Crucis suo etiam scripto affingeret. Iuristæ scriptum illud, inuentarium vocant, cui quandoque hæres obstringitur, vt cautè occurrat æri alieno diluendo. Hæc est lex. *Subscriptionem supponere haredem necesse est, significantem, & quantitatem rerum, & quod nulla malignitate circa eas ab eo facta, vel facienda res apud eum remaneat: vel si ignarus sit literarum, vel scribere præpediatur, speciali tabulario ad hoc solùm adhibendo, vt pro eo literas supponat, venerabili signo Crucis antea hæredis manu præposito.* Hæc Imperator, cuius institutum expendens Iuris scholiastes insignis hæc ait. *Adeò fuit signum Christi sanctum, vt in instrumentis, pro fide, & subscriptione cederet.* Suffragatur etiam huic meo intento Balsamonis obseruatio hæc. *Septuagesima secunda Imperatoris Domini Leonis Sapientis Nouella statuit vt quodcunque scriptum, in quo veneranda & viuifica Crucis figura per manum eius, qui ipsum composuit, scripta est, firmum & immutabile maneat.* Censuere Principes Christiani, sufficere signum Crucis ad componenda dubia, quæ occurrunt ex Scripturis, vnde & crebra litigia ad plurium hominū perniciē emergunt. At nulla lux sensibilis è Cruce diffūditur, quę discordes percellat animos. Ergo diuina est lux illa, & sensibus inuia, quæ diffitis affulget hominibus, vt concordes coëant in vnam sententiam.

EX IVRE CIVILI.

Crucis signū quàm venerandum.

Lege Scimus Cod. de Iure deliberandi.

Crucis figura pro signo testatoris.

Cuiac. in paratit. in lib. 1. Cod. tit. 8. Bals. in can. 13. Syn. Cart.

Theophilus Imperator præsentiens inesse Cruci radios desuper illapsos, quorum suffragio penitiora quæque liquere queant, eo salutari signo reuocare voluit Emmanuelem virum clarissimum, qui metuens sibi ad hostilia castra transfugerat. Præmisit Imperator literas & Crucem, vt ea veluti amoris tessera certior effectus Emmanuel, crederet saltem Cruci, si epistolis securitatem sonantibus detraheret fidem. Hæc Cedrenus. Quodque magis stupeas, Crux adiecta Euangelio, Sanctis Patribus adunatis in concilio proponebatur ex edito loco, vt rescirent, quidquid luminis emicat Ecclesiæ id esse à Cruce, quæ est adæquatum sacri Codicis argumentum. In huiusce rei fidem acta Synodi octauæ ferunt, Patres auspicatos esse,

EX HISTORIA.

Cedren. in Theophilo.

Cruce missa Theophilus Imp. transfugam reuocat.

Acta Syn. 8. actione 1. Crux Patribus in Concilio quare proposita. Ignatij Patriarchæ fides erga crucem.

esse, *προτεθέντων τῶν τιμίων ξύλων καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, Propositis venerandis lignis, & sacris Euangelijs.* Et licet Euangeliorum liber sanctus seriem totam recenseat agonum Christi; Proceres tamen Ecclesiæ arbitrati sunt, magis esse viuacem eloquentiam Crucis, vt quæ factibile esse ostenderet illud omne, quod esse faciendum Euangelia prædicarunt. Ideoque censuere Patres, plus luminis affulgere illi, qui sequitur Crucem, quàm ei, qui totus est in sacro Codice perlegendo.

Nicet. in vit. S. Ignatij. Crucis contactus quare petitus ab hæreticis.

Eò fortasse Ignatius Patriarcha collimauit, qui noluit libellum supplicem accipere porrectum ab hæreticis, quin tetigisset Crucem; arbitratus eo contactu virus omne, si aliquale ei libello offusum esset, fore imbelle. Ea namque est antidotum potens contra omne iniquum saluti nostræ. Demum ne intactam videar præteriisse Mathematicam illam cœlestem totâ fulgidâ, in te lucida, ab ea mutuabor conceptum vnum & eumdem elegantem.

EX MATHEMATICA.

Clau. in cap. 1. Sphæræ. Crux stellatum vbi sit in cœlo.

Aduertit ea disciplina, esse iuxta polum antarcticum, seu meridianum, stellas in modum Crucis dispositas, ad quas attendunt nautæ velificantes in oras illi cœlo suppositas. Sed quare Crux illa stellifera sita est in polo meridiano, & non in arctico seu Boreali, cui duæ adiacent vrsæ, & non Cruces? Mysterium ego insigne suboderor in figura hac cœlesti; scilicet animas omnes, quæ vergunt ad Austrum, id est, quæ amore Dei æstuant, dirigi Crucis influxu, & ad eam attendere, vt ad normam vitæ; alias verò, quibus friget amor, ad vrsas suos referre gressus; nihil quippe nisi animale versant animo suo homines gratiæ Dei expertes.

Cant. 1. Cruci exosi sunt vitiis obnoxij.

Vergebat sanè ad Austrum, amore decocta sponsa illa Canticorum quæ eo charitatis igne accensa anhelabat ad Crucem, cui sponsus eius rerum omnium Dominus accubabat. Accipe suspirantis animæ vota. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges.* Quæso aduerte quàm benè quadrent hæc sponsæ eloquia eis, quæ antea recensui de vtroque polo. Ait sponsa nolle adhærere gregibus, ideoque meridiem versus aspicere; vbi Crux emicat. Vrsas aliasque pecudes aspernatur hæc anima declinans Aquilonem. Si ergo quempiam offenderis à Cruce abhorrentem; audacter affirma, virum hunc Cruces exosum declinare à meridie, & à gratiarum Dei plaga extorrem, contendere ad Boream, vbi multiplici noxa rigens eius anima congelascet.

Hoc itaque fixum esto, eos omnes, qui dubium faciunt lumen Crucis, non velificari polo australi, vnde tot propitij influxus ad nos vsque deriuantur. Sed potius vrsæ vtriusque aspectu gaudere, ideoque vitam agere pecorum ritu, nesciam vtique charitatis, & morti æternæ obnoxiam. Quod probè callens Apostolus neophytos præmonebat, vt ipsius inirent calles deducentes ad polum australem, vbi Crux irradiat; & cauerent ab aduerso polo, vbi furunt vrsæ, id est, gula, & libido, mactantes animas, quæ incauto gressu ad lethales illas oras suo summo dispendio peruenerunt. Vide quàm graphicè alludat Paulus ad hanc Matheseos obseruationem. Sic ille suos compellat discipulos: *Imitatores mei estote, fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cœlis est.* Vis igitur percipere animo lucem, qua rutilæ scintillant Cruces; conuertere ad amoris austrum, & ibi hoc effato dignaberis. PERFECTI BENE AFFECTI SVNT ERGA CRVCES, NEC DECVMBVNT, CVM INCVMBVNT.

Crucis inimici non procul à morte. *Philip. 3.*



HOMILIA
IN FESTO
EXALTATIONIS S. CRVCIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. POTENTIA, & Misericordia, duo insignia attributa Dei refulserunt in mundi exordio, & in reparatione rerum, vbi emicuit summa vis Christi, quæ Crucem aliàs iniuriam, fecit indubium gloriæ argumentum.

II. Inauguratio Crucis eadem fuit quæ rhamni, stipitis scilicet illius aculeis horridi, quem arbores aliæ vltro & non inuitæ in regni solium euexerunt. Et hoc est inuentum istius homiliæ, vbi primò comparo Crucem rhamno. Secundò multiplices virtutes rhamni affingo Cruci.

III. Explicatis infulis, quæ decorant Crucem, ostendo illam esse præcipuo cultu dignam, quia illa fuit modus maximè idoneus ad reparandas hominum ruinas; & hoc ego astruo suffragio omnium propè scientiarum, & singulis quibusque adiicio sensa Sanctorum Patrum, quæ cuiusque disciplinæ arbitrio suffragantur.

IV. Stabilitâ & probatâ nobilitate Crucis, eius influxum compendiosè recenseo, petita similitudine à rhamno, cuius proprietates inuro Cruci.

V. Demum tot & tantis commodis homines allectos prouoco ad Crucis amplexus, vt eam tollamus è terra, vbi à nobis exosa iacet. Etenim ea est indoles Crucis, vt euehat baiulos suos, & deorsum trudat suos contemptores. Optione data præmij aut vindictæ, hortor ad brauium, ne nostræ salutis incurij, salutarem illum stipitem auersemur.

PRÆFATIO.

Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Ioan. 12.

Crucis figura fuit virga Moysis *Exod. 4.*



ELEBRIS illa Codice sacro virga lignea, qua Moyses tanta edidit prodigia, & quæ fuit tessera principatus eius: antequam vlla egregia perpetrasset, versa est in serpentem, qui linguis micabat ore trisulcis. Sed serpens ille necem spirans, è terra elatus, vtpote à Mose acceptus induit statim figuram virgæ seu sceptri, quo legifer ille conspicuus populum antecessit. Crucis hæc est idea singularis. Antequam enim Christus homine assumpto, nostris sisteretur obtutibus, Crux velut humi iacens, trucem præ se ferebat habitum, & minacem; namque erat illa mortis indicium, quia noxios quosque homines lignum illud infelix & lethale dirè cruciabat. Ast vbi Christus humeros supposuit Cruci, ab ea expunxit omne virus, aliasque ei indidit vires, titulosque affinxit adeò insignes, vt plures habeat Crux sequaces hodie, quam refugas, vt Christus ipse præscius enarrauit. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. *Quæ verba expendens Leo sanctus Archipræsul exclamat:* O admirabilis potentia Crucis, ô ineffabilis gloria passionis, in quo & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, & cùm extendisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. *Mundo itaque toto abeunte post Christum crucifixum, non longiores ego nectlo moras. Trahit sua quemque voluptas: mea omnes deliciæ sunt penes Christum, & hunc crucifixum. Vos prouoco ad hunc scopum, ô fideles, conuolemus ad hunc montem, vbi Crucis obsequio Christus exaltatus vale dixit terris. Eò confluamus, illic nos Maria excipiet adstans Cruci: sed captemus beneuolam eius aurem præuiâ precatiunculâ.* Aue Maria.

Crux est Dei tribunal. *Leo ser. 8. de Pass. Dom.*

Crucis obsequio Deus omnia traxit ad se.

EMicuit sanè infinita propè congeries attributorum Dei, quando nullo præuio fermento, rerum omnium molem hanc compegit. In hoc autem egregio facinore editi orbis huius, etsi coëant omnia; duo tamen maximè aliis præeunt attributa; scilicet, potentia, & misericordia. Potentia quidem termini nescia; alia quippe omnis potentia suqs nacta fines, nescit vltra spatiari, suis veluti cóclusa carceribus. Vt namque aliquid exerat aliqua creata potentia, subiectum præsupponit, circa quod occupata ingerat formam, ad cuius productionem sese accingit agens: quippe ex Philosophia: *Ex nihilo nihil fit.* Ideoque conclamatum est in eos omnes Philosophos, qui dedignantes materiam primam quasi impotem entitatis, eam in abyssum nihili deportarunt. Quasi verò materia prima tantùm precario subsisteret, omni sua entitate emendicata a forma. Hoc concesso, quæuis causa efficiens esset conscia virtutis infinitæ: nam expunctâ priori forma, pessum iret materia illa, cui adstabat, & ita de nihilo in lucem emergeret alia succedens forma. Quàm autem sit absonum affirmare, deperire materiam, nemo est qui nesciat. Eamobrem concordes Philosophi omnes, commune assignant subiectum, in quo plurium formarum vices alternis ludunt. Cùm igitur nulla præiacens materia præextiterit mundo, quem effinxit Deus; inde arguitur eius infinita potentia, quæ illuxit educens de nihilo rerum omnium hanc compagem. Nimirum talis debet esse potentia, qualis distantia terminorum; ast hæc omnino infinita est, quia à nihilo ad terminum positiuum est intercapedo fines omnes egrediens.

Materia prima incorruptibilis.

Ex Philosophia.

Aristot. l. 9. Metaph. c. 1. text. 12.

Huius potentiæ inexhaustæ specimen edidit Deus prima mundi editione, in qua & Theologia deprehendit insigne argumentum misericordiæ; quia res in creatione propagatas eduxit è summa miseria, scilicet è nihilo. Etenim omnis miseria attenditur penes aliquod malum; & hoc eatenus tantum est malum, quatenus à bono deuiat; & quantum est bonum quod desinit esse, tantum etiam est malum, quo angitur homo exutus priori bono, cuius priuatio hominem qui eo excidit miserum facit. Si ergo alicuius esse defectus, miseriam aliqualem vehit, ea planè miseria summa erit, quæ res ad barathrum nihili condemnabit: vt & secus deducentis ex nihilo aliquid misericordia insignis elucebit. Ad hoc allusit Propheta querulus. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.*

Ex Theologia. *D. Thom. 1. p. q. 1. a. 2.*

Thren. 3.

Deus semper sibi constans, & nusquam sui immemor, vt vidit hominum deliquio pessum ire mundum, quem mira varietate discolorem atque polymitum ediderat sartum tectum, apud se constituit præteritas reparare ruinas. Itaque miseratus iniquam sortem infelicis prosapiæ Adami, erexit hominem lapsum,

Hominis reparatio opus est omnipotentiæ.

lapſum, illuſtri ſpecimine edito vtriuſque attributi antea memorati. Nimirum potentiæ infinitæ opus extitit, reſtitutio in integrum hominis in præceps acti, necnon & miſericordiæ ingentis ſingulare præconium eſt, reddidiſſe gratiæ nitori animas, quas fœdi colluuie vitia deturparant. Quo autem Dei conſilio ſit ſortitus homo inſulas, quas incauto Dæmon abſtulerat, illud eſt altioris ſcrutinij: Dei intentum paucis expedio. Vt hominem inglorium gloriæ compotem efficeret, ignominiam Crucis ei obtulit, quam ille æquo animo ſubiens ad gloriæ apicem euectus eſt. A contemptu verò deducere aliquem ad honores, ſeu ab infimo loco humilem ad culmen erigere, arguit ſummam in Deo poteſtatem, quæ potuit efficere Crucem gloria inſignem, etſi alias extiterit index miſeriæ extremæ. Rurſus, ſuas etiam agit vices miſericordia, in eo quòd reus homo, Deo miſerante, Crucis obſequio beatarum mentium conſors efficitur. Hinc vt in incunabulis rerum ipſo enaſcentis orbis exordio, emicuere duo illa attributa, eadem etiam hæc in gratiam hominum in Crucis ſtipite coaleſcunt.

Ideo Crux hodie exaltata recolitur, ne excidat memoria arboris adeò beneficæ, cuius encomiis homilia iſta ſacra hoc peculiari nititur inuento. Scilicet Crucem eſſe rhamnum illam, quam arbores in libro Iudicum inunxere in Regem. Accipe textum quem expendam. *Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe Regem, &c. Dixeruntque ad Rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si verè me regem vobis conſtituitis, venite, & requieſcite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani.* Hæc eſt ſynopſis homiliæ iſtius de Exaltatione S. Crucis. Nobiliora quæque ligna noluere principatum, quia pinguedine quadam delectabantur, vt oliua, ficus, vitis. Ita & regno Dei cadent ij omnes, quos procerus quidem habitus oris, inſignis facies, oculi mundi, eos illecebrarum carnis nimia pinguedine inunctos, ſupera beatarum mentium gloria dedignatur. Spinoſæ a bono defertur imperium, ita & Crux hiſpida ſentibus exaltatur, & aſſurgunt ei palmæ & cedri; quippe omne, quod exurgit, Cruci ſe inclinat, ei ſe aduoluunt Pontifices, & præalti quique Principes diadema ſuum ante Crucem deponere non detrectant. Nulla namque cuiès eſt potior ea, qua geſtiunt illi, qui recubant in vmbra arboris illius ſalutaris; quæ oſores ſuos vt acerrima vindex inſequitur, lethalia ſpirans incendia, quibus peſſum eunt Cedri, id eſt, elati omnes typho ſuperbiæ; Crucem humilem atque ingloriam arbitrantes.

II. Inuentio homiliæ.

Iudic. 9.

Cruci defertur imperiũ ſupra reliquas omnes arbores.

Dicam primò de hac exaltatione rhamni, ſeu Crucis hirſutæ aculeis. Secundò virtutes rhamni conferam cum multiplici effectu Crucis. Prima parte ſe prodet potentia Dei, quæ rem aliàs iniuriam & ingratam, vt eſt rhamnus ſeu Crux, eò euexit, vt ſe ei demittant palmæ, & Cedri, dum omne, quod eminet, & rutilat in ſæculo, humilem vltro pendit illi ſancto ſtipiti famulatum. Altera parte concionis huius, miſericordia ſuas aget partes, incubans Cruci, vnde toties influit in homines. Ordiamur.

Pars Prima Homiliæ.

Exaltatio S. Crucis comparata inaugurationi Rhamni, quæ imperauit aliis arboribus.

FAmoſum reuera facinus eſt quod Scriptura commemorat, animum extollens Banaiæ viri fortiſſimi, quem hoc potiſſimum nomine commendat. *Ipſe quoque interfecit virum Ægyptium virum dignum ſpectaculo, habentem in manu haſtam: itaque cum deſcendiſſet ad eum in virga, vi extorſit haſtam de manu Ægyptij, & interfecit eum haſta ſua. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ. Et ipſe nominatus inter tres robuſtos.* Hactenus ſacra hiſtoria. Et certe aptius inſtituto meo nihil ſuggerere potuit Codex ſanctus, aperturus potentiam Chriſti, quæ ſingularis enituit in ea victoria, quam de Dæmone retulit, & graphice lineata in Banaiæ figura proximè delineata. Apprimè nomina concordant. Banaïas nomen Hebræum idem eſt ac Filius Domini. Deducitur autem à radice בנה bana ædificauit. vnde בן ben filius & יה Iah Dominus. Chriſtus rem habuit illam, cuius tantum inſigni titulo vſus eſt Banaïas, filius Domini adoptione & creatione duntaxat: At Chriſtus verè filius Domini. Addit textus, Banaiam filium fuiſſe Ioïadæ; & benè adhuc quadrat Chriſti generationi nomenclatura illa Patris Banaiæ; quippe Ioïada ex Hebræo fonte ſonat idem quod nobis eſt Cognitio Domini. Et vt nominis peregrini anatomen habeas; hoc Ioïadæ nomen deriuatur à radice ידע iadang, cognouit: vnde דעה dengah cognitio. Radici Hebrææ adiecta eſt vox יה iah, ſic exurgit Ioïadæ nomen, quod liquidiùs adhuc coaleſcit ex nomine יהוה ie oua Dominum reſonante, & ידע iadang cognouit: ſic namque Biblia Hebræa ſcribunt Ioïadæ nomen יהוידע Ieoiadang, quod eſt, cognitio Domini.

Ex Figvris.

1. Reg. 23.

Banaïæ facinus magnanimum.

Ioïadas quid ſignificet.

2. Reg. 13.

Theologiæ intima penetralia adita edocent nos, Deum Patrem beatam operationum Diuinis iuxta noſtrum concipiendi ritum, qui vnò conceptu nequit attingere infinitas propè actiones, quas vna ſimplici entitate exerit Deus. Primò occurrit nobis Deus Pater, ſeipſum intelligens; & cùm omnis cognitio ſit alicuius, verbum exurgens ex hac intellectione, eſt ipſe Filius, cui ſuam eſſentiam communicat Deus Pater, qui ſe intuens in filio, amore captus ſui, ſuus ſpirat Spiritum illum, quem dicimus amorem & nexum vtriuſque perſonæ. Patris ſcilicet & Filij. Itaque Filius & Spiritus Sanctus a Patre procedunt; Filius quidem viâ cognitionis, & Spiritus viâ amoris. Banaïas filius Ioïadæ, id eſt, Filius Domini editus à cognitione Domini, genuinè refert Chriſtum, cui ideoque attribuuntur ſcientia & ſapientia, vti dotes quæ pertinent ad modum illum, quo prodiit ab æterno de ſinu Patris. Huius ſapientiæ argumentum locuples dedit ille Banaïas; quando Diabolum vicit ritè figuratum in illo viro Ægyptio digno ſpectaculo; cui occurrit in virga, demens è manibus haſtam; quam cruorē

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 34 ar. 2. Cognitio Dei qualis.

cruore hominum purpuream trux ille hostis diu ventilarat.

Dæmon hominem dementarat, cæsum ligno illo paradisi, cuius vsum ei negauerat Deus; eo ligno obiecto homini, Diabolus eum prostrauit, promissa Deitate si eo vesceretur; credulo homini verba dedit, eumque incautum, hac spe inani instantis gloriæ, perdidit inescatum. Et vt toti illuderet Genti, vbique terrarum erexit veluti trophæa ex ligno, volens adorari in lucis seu syluis, gaudens & triumphans in ligno, quo genus hominum callide debellauit. Diceres inde effusum virus in lucos omnes, vt pronæ vnicuique arbori aduolutæ Gentes earum sese cultui manciparent. Nam rara est arbor, cui non aliquid Diuinum Diabolus affinxerit. Quercus Dodonea pro Ioue habita cultores suos habuit, vt & laurus referens Apollinem. Myrtus vt credita Veneri sacra sequaces suos habuit, vt & Hedera symbolum Bacchi. Sic mundo intento arboribus, vt eas adoraret, Diabolus in arbore triumphauit. Nec eo delicio sola Gentilitas notata est, sed & Iudæa Dei notitia insignis, etiam eo deliquio impie laborauit. Eius vesaniam increpat Deus, Ieremiam sic compellans: *Nunquid vidisti quæ fecerit auersatrix Israel? abiit sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.* Fornicationem nuncupat cultum idolorum, quia anima Deo desponsata in fide, Dei cultum transferens ad idola, fit Deo infidelis, & ad alienum quasi torum transit, dum se totam vltro deuouet obsequio exoticæ Deitatis.

Arbores singulæ singulis Diis olim dicatæ.

Ierem. 3.

Attente considera superbam diaboli indolem, parum est ei, quòd homines eo impietatis adegerit, vt à Deo deficerent, ingratiam cuiusque arboris adorandæ. Hoc adiecit vt satæ in montibus arbores in lucos assurgerent, indices impij ritus, cui Dæmon pene orbem totũ addixerat, eo modo quasi ventilans lignum, cuius ope, hominis primi miseræ prolapiæ turpiter insultabat Satan vt vir ille Ægyptius supra recensitus, & spectaculo dignus hastam circumferēs, seipsum spectabilem vsque adeò effecerat, vt terrorem quibusque sibi obuiis incuteret, in ligno triumphans, ea pompa quę fastu suo omnibus illudebat. Perditum genus hominum obstrictum idolis, non erat potis assurgere: quippe hasta sua, seu ligno versatili terribilis ille spiritus Ægyptius omnes suo cultui deuouerat, raro homine mussitante. Patriarchæ & Prophetæ velut agmine facto irruerunt in tumentem illum hostem; sed vulnere irrito stetit Dæmon in excelsis, suo etiam cultu Vatibus & Regibus inuitis ab Hebræo populo propagato.

Luci olim dicati idolis.

Huiusce rei vadem inducit sacer textus Regem vnum probum nomine Iosaphat, qui etsi moribus esset innoxius, impos tamen fuit demere lignum illud oblongum de manibus Ægyptij: quamuis enim Rex ille pius, Deoque maxime addictus, toto pectore niteretur impios eliminare ritus; Dæmon tamen quasi affixus adeò lignis adhærebat, vt imbelles prope fuerint ausus omnes Regis, Dæmone in lignis iugiter adorato. Sacra Regum historia rem enarrat, eo præconio commemorans Iosaphat Regem. *Fecit quod rectum erat in conspectu Domini. Veruntamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.* Adeone ferus ille hostis, vt nulla virtutum praxi posset cedere hominibus? Ita equidem ligni ope cõualuit, vt nullus plane excutere potuerit hastam eius; ipso etiã Iob teste. *Non est super terram potestas quæ comparetur ei qui factus est vt nullum timeret.* Et esto sedula virtutum praxis vnicuique homini iusto profuerit in lege Mosaica; nulla tamen panoplia impetitus hostis Ægyptius hastam suam abiecit, iuxta Iob viri sancti præsagium *Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagittarius; in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.* Id est, infirma sunt omnium hominum conamina, vt ligno suo spolient Ægyptium hunc dignum spectaculo.

Lucos tollere non potuere Reges pij.

3. Reg. 22.

Diaboli potestas qualis.

Iob. 24.

Ibidem.

Quid ergo operæ pretium est? Vno indiget homo Banaïa filio Ioiadæ; penes filium Dei est ea victoria. Quantocyùs igitur aduolet ille Banaïas in virga de radice Iesse; Diabolũ exuat armis quibus antea gestiebat; ligno, quo Dæmon in hominem insurrexit, vtatur homo ad fabricam Crucis, vt qui in ligno vincebat, eodẽ & ligno penitus infirmetur. Præsciit Isaïas eo habitu venturum Christum, scilicet fore eum baiulum Crucis, & eam ostensurum vt symbolum victoriæ insignis, quam suffragio ligni illius de Dæmone reportauit. Sic Vates ille conscius agonum Christi, & modi quo Ægyptij hostis impetum fregit. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi.* Diceres, Isaïam texere seriẽ eius omnis apparatus, quo se accinxit Christus ad certamen nostri Banaïæ. Vocat eum paruulum, & filium, vt humilem eius habitum prodat; nuncupat eum consiliarium, vt insinuet non casu, aut fortuitò coiuisse Christum & Diabolum in certamen, sed id maturè gestum & cum delectu armorum. Totum hactenus diabolo constiterat de superbia, quam etiam veluti lethale virus in homines reprobos effuderat, quibus eo potissimum nomine tumidus illudebat.

Cruce diabolus superatus.

Isa. 9.

Hostis immanis ingenium aperit Iob *Omne sublime videt; ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* Demirare consilium Dei; factus est paruulus Magnus ille Dominus, & laudabilis nimis; passus est se affigi ligno inglorio, vt contusa inde Diaboli superbia cederet ligno Crucis, cuius efficacia tanta extitit, vt orbe repurgato, cultu idolorum extincto, nullus prostet hodie lucus, vbi cultus vigeat idolorum. Itaque noster Banaïas, Satanam sua exuit hasta, quando excidit lucos; & licet in ligno mortem oppetierit Christus, lignum hoc non lethale fuit, sed viuidum orbi toti; & si quid noxium è Cruce effluxit, illud totum cessit in Diaboli perniciem, nihilque deliquij Christus aut iniuriæ accepit nisi cute tenus; Cruci affixus, sed potius illius stipitis nomine salutari audito, in omnes orbis oras fuit fides Christiana maxime propagata.

Iob. 41.

Crucem subire Christo quomodo fuit necessarium.

Ea fuit relatio Crucis, & gloriæ Christi, vt fuerit necessarium Christum pati; quod

EX PHILOSOPHIA. *Aristot. l. 5. Metaph. c. 6.* Necessarium quid esse dicatur.

vt

vt intelligas, conſule Philoſophum. Ille ait, neceſſarium aliquid eſſe vel ab intrinſeco, vel deforis: intrinſecè aliquid eſt neceſſe, cùm alio modo ſe habere nequit. In eo ſenſu Paſſio Chriſti non fuit neceſſaria ex parte Dei, nec ex parte Chriſti, qui vltro paſſus eſt, & non coactè; potuitque Deus abſolutè citra Crucem homini lapſo ſuccurrere. Aliàs neceſſarium dicitur ab extrinſeco, quando præpotens aliquod agens præpedit actionem cauſæ efficientis; & hæc neceſſitas dicitur coactionis; & hæc etiam procul à Chriſto fuit, penes quem erat amplexari Crucem, aut eam penitus auerſari. Item neceſſarium illud quod deforis eſt, quandoque petitur à fine, & tunc neceſſarium aliquid eſt ex ſuppoſitione finis; & hæc eſt neceſſitas, quam attingimus Cruci: fuit enim illa neceſſaria neceſſitate finis, idque trifariam. Primò quidem ex parte noſtra; ſoſpites enim facti ſumus agone Crucis, vt ipſe præmonuit Chriſtus.

Ioan. 3.

Oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Vox illa *oportet*, neceſſitatem clamat, quæ autem ſit illa, diſce ex contextu. *Vt omnis qui credit in eum, non pereat.* Id eſt, eo fine erit Chriſtus obnoxius Crucis iniuriis, vt extinctus homo fiat eius ſanguine rediuiuus.

Secundò ex parte Chriſti, Crux ſortita eſt neceſſitatem ex ſuppoſitione finis, quia humilitate Crucis meruit exaltari, vt redux à mortuis affirmauit. *Nonne oportuit Chriſtum pati,*

Luc vltimo.

& ſic intrare in gloriam ſuam? Tertiò demum illa neceſſitas ex ſuppoſitione finis, colligitur ex parte Dei, cuius decretum circa Crucem prænuntiatam in Scripturis, & præfiguratam tot ritibus inolitis priſcæ legi impleri oportebat, ſicuti Chriſtus inſinuans ait: *Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ*

Ibidem.

ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Et alibi, cùm eſſet in procinctu baiulandæ Crucis, ſic ſuos affatus eſt: *Filius hominis,*

Luc. 22.

ſecundùm quod definitum eſt, vadit. Hæc omnia prælibata clamant, ſalutis noſtræ ſummam fuiſſe penes Banaïam, quem hoſtis Ægyptius mactare volens haſta ſua, eodem illo ligno transfixus eſt. Etenim Dæmon volens deprimere Chriſtum morte inglorià Crucis, præpotens ille Banaïas eliſit eo humili ligno ſuperbiam Satanæ debacchantis. Ideoque fuit neceſſaria Crucis abiectio, vt nimio typho tumens caput Dæmonis inclinaret.

Banaïas iſte, ſe etiam filium Ioïadæ eſſe liquidò profeſſus eſt, id eſt, filium cognitionis. Domini, quando iniit conſilium ſubeundæ Crucis, nullus ſiquidem aptior modus occurrere poterat homini reduci. Eamobrem Iſaïas

Iſa. 9.

ſpeculans Chriſtum Cruce accinctum, vocat eum admirabilem, conſiliariū. *Factus eſt principatus eius ſuper humerum eius? & vocabitur nomen eius admirabilis, cōſiliarius.* Quàm benè homini conſuluerit Chriſtus Crucis amplexu diſce ex Theologia.

Ex Theologia.

Thom. 3. p. q. 46. art. 2. 3. & 4.

Cruce magis opportunum remedium nullū fuit.

Nullum medium occurrere poterat idoneum magis ad ſalutem hominum, quàm illud idem, quod præſciit ab æterno Deus, eſſe aptius homini reparando. Vt enim ſe res habet ad eſſe, ita & ad operari. Ergo cùm Deus ſit perfectiſſimū eſſe; ita & perfectè cognoſcit, nec hallucinari poteſt: cognita igitur aptitudine Crucis, & ea approbata, nihil conuenientius homini potuit reperiri. Itaque Chriſtus à Cruce non abhorrens, ſectatus eſt medium congruum maximè homini reuocādo ad meliorem frugem, meruitque optimi nomen, admirabilis, & conſiliarij, vt apud Iſaïam præcium huiuſce myſterij congruè nuncupatur.

Quæ autem fuerit conuenientia Crucis audi. Tantò aliquis modus conuenientior eſt ad aſſequendum aliquem finem, quantò plura coëunt idonea fini. At plura cōſtuunt ad Crucem, quæ aptitudinem clamant medij illius, pluſquam modi alterius ad ſalutem hominum coaptati. Ergo conſilium de Cruce ſubeunda debuit alium omnem modum Chriſto propoſitum anteire. Nimirum præter diſſolutos criminum nexus virtute Crucis, multa inibi rutilant idonea gratiæ propagandæ. Primò occurrit amor Dei ſummus, quo deperiēs hominis, ſalutis eorū ergô, multiplices Crucis anguſtias obire minimè detrectauit. Tanti amoris intuitu, hominis incandeſcit amor, ne deſit amori, cuius incendio lignum Crucis fomitem miniſtrauit, ipſo etiā Apoſtolo teſte.

Crucis intuitu amor hominis in Deum excitatur.

Rom. 5.

Commendat ſuam charitatem Deus in nobis, quoniā cum inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Secundò Crux cruciatum ſonās, maius ingerit odium peccatorum, hominique hinc maior cautela indicitur, vt declinet à noxiis, quia dum meminit ærumnarum Crucis, quibus noſtra crimina diluit Deus, cautior efficitur ne fiat iniurius ſanguini Chriſti, cuius copioſo effluxu Crux purpurea delibuit. Eo argumēto vtitur Paulus vt procul nos faciat à peccato.

Crucis à Chriſto aſſumptæ varij effectus.

1. Cor. 6

Empti eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

Ex SS. Patribus.

Præſtat audire chorum Sanctorum Patrum, quorum ſuaue melos meis auribus inſonat, & ſuadet reuera noſtrum Banaïam ſe præſtitiſſe filium Ioïadæ eo inito conſilio Crucis amplexandæ. Præit Auguſtinus. *Contempſit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum: ſed quidquid Adam perdidit, Chriſtus in Cruce inuenit.*

Aug. ſer. de Paſſione.

Chryſoſtomus ei ſuppār hoc maximè probat genus redemptionis hominum. *In excelſo ligno, & non ſub tecto paſſus eſt, vt etiam ipſius aeris natura mundaretur: ſed & ipſa terra ſimile beneficium ſentiebat, decurrentis de latere ſanguinis ſtillatione mundata.*

Chryſ. ho. de Cruce & latrone tomo 3.

Idem. *In Cruce expanſis manibus moritur, vt altera manu veterem populum, alia eos qui in gentibus ſunt trahat.*

Ibidem.

Thomas ille Aquinas Theologiæ Anteſignanus, ait Chriſtum hoc oppetiiſſe genus agonis, vt res & figuræ concordarent.

Tho. 3. p. q. 46. art. 4.

Concinit Ambroſius:

Ambr. ſerm. 55. de Cruce.

Crux antidotum ad venenum ſerpentis.

Legimus, Moyſem diuino repletum ſpiritu, ſerpentem æreum affixum ligno inter medias morientium erexiſſe turbas & mandaſſe populo, vt de illo ſigno ſpem gererent ſanitatis, atque hac re tantā medicinam contra morſum aſpidum proueniſſe, vt quiſquis vulneratus, in illam ſerpentis Crucē, aut reſpiceret, aut ſperaret, ſtatim remedium ſalutis acciperet. Cuius Sancti etiam Dominus in Euangelio meminit dicens: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis. Vnde ſi affixus ſerpens ligno filiis Iſraël contulit ſanitatem; quantò magis ſalutem præſtat populis Dominus in patibulo Crucifixus? Et ſi figura tantùm profuit; quantùm prodeſſe credimus veritatem? Hæc ille.

Philoſophiā

Ex Philosophia. Auer. lib. 2. de ani. text. 108. Psal. 83. Arist. lib. 4. Ethic. c. 3.

Philosophia etiam suas sortita vices, conuenientiam Crucis astruit, dum affirmat: *Contrariorum contrariam esse disciplinam*; vnde sic arguo. Dæmon Deo oppositus iis omnibus, quæ à Deo edita sunt, iugiter aduersatur, diruens omne quod Deo moderante prostat. Ergo Deus contrario planè modo debuit erigere, quod Angelo refuga suasore perierat. Ast homo lethale deliquium passus est, percitus œstro superbiæ; ergo reuocari debuit actus alio spiritu, scilicet opprobrij, & infimi habitus, eius videlicet, quem prætulit Christus, quem sic eloquentem inducit Psaltes: *Elegi abiectus esse*. Audis electionem; at ex Philosophia; electio est mediorum aptiorum ad finẽ: at nihil Cruce aptius fini à Deo præstituto; finis verò ille à Deo volitus est hominum salus, cui maximè consona est via abiectionis, qua in pristinum statum honoris euectus est homo, vnde superbiẽs exciderat. Rursus ineũda fuit via à Christo, qua peccati auctorem Diabolum, & ipsum etiã peccatum vnico veluti spiculo configeret, ne mutila redemptio esse videretur, Dæmone integris viribus existente. Hæc omnia egregiè præstitit Christus, Cruce electa, ad hæc omnia præclara facinora fortiter obeunda.

Cruci serpẽs est addictus.

Dæmon inermis exutus est, & quasi concidit ictus fuste Crucis, cui & affixit Deus chirographum, quo tota Adami prosapia obnoxia fuit peccato. Hæc commendat commoda Ambrosius. *Serpens primus crucifigitur. Rectè planè, vt quia primus apud Deum Diabolus peccauerat, primus Crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum, vt quia homo in paradiso per arborem concupiscentia deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem saluaretur, atque eadẽ materia, qua causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. Deinde post serpentẽ in saluatore homo ipse crucifigitur, scilicet vt post auctorem puniatur & facinus. Per primã enim Crucem, vindicatum est in serpentem, per secundam in venena serpentis: hoc est, primum auctor ipse punitur, deinde eius malignitas condemnatur.*

Ex SS. Patribus. Amb. ser. 55. de Cruce.

Ex Symbolis. Paradin lib. Symbol.

Diaboli technas è ligno vetito compactas aperuit Christus alteri ligno affixus. Calidus hostis suo virulento stipite suadebat fastum, & pompam, vt hominem elideret, secus verò Christus humili ligno depressit fastigium eius, & sua humilitate luit nexus omnes, quibus perditus ille hostis omnes homines irretiuit. Itaque Cruci libet affingere titulum, quem Paradinus alteri figuræ inussit. HIC ARS DELVDITVR ARTE. Fuerat artis astutæ hominem Deo subripere, ligni feralis obsequio, animum eius erigendo ad spem instantis gloriæ excepturæ esum pomi prohibiti. Sed cautioris instituti fuit reuocare hominem ligno, cuius vsus morti ingloriæ suos baiulos addicebat. Cùm igitur Crux nacta sit hunc effectum homini beneficum; hoc eius symbolum esto. HIC ARS DELVDITVR ARTE; id est, Cruce illusum est callidæ indoli Dæmonis, cui Crucis opprobrium obiecit Christus, vt suo ipsius exemplo superbiã hominis inclinaret. Hac arte Deus Dæmoni imposuit, contemptus homo Deus, suis iniuriis inglorium Dæmonem fecit.

Crucis industria delusus est diabolus.

Ex SS. Patribus. August. in Psal. 37.

Audi Augustinum ex Christi humilitate robur insigne meditantem. *Effrem fortitudo capitis mei. Effrem fructificatio interpretatur. Mea inquit fructificatio, & hæc fructificatio fortitudo est capitis mei. Caput enim meum Christus est. Et vnde fructificatio fortitudo eius? Quia nisi granum caderet in terram, non multiplicaretur, solum remaneret. Cecidit ergo in terram Christus in passione, & secuta est fructificatio in resurrectione. Pendebat, & contemnebatur: granum erat intus, habebat vires trahendi post se omnia, in terra iactum nescio quid apparet oculis, sed vis conuertens in se materiam, & proferens fructum abscondita est; sic in Cruce Christi abscondita erat virtus, apparebat infirmitas. O magnum granũ? Certè infirmus est pendens, certè ante illum caput plebs agitauis, certè dixerunt: Si Filius Dei est, descendas de Cruce. Audi fortitudinem eius: Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Crucis Christi fœcunditas.

Artis huius ideam aliqua ẽ parte mi erat Deus in eo discrimine, quod iniit Dauid cum homine gigãtea mole conspicuo. Erat ille minimus inter fratres, hosti cataphracto inermẽ se obiecit: superbè eum excepit Goliath, & contemnsit iuuenem baculo accinctum: sed suo tandẽ dispendio sensit, quanta vis illi ligno esset insita. Periit enim hæc ingens & superba cõpages corporea, vbi cum iuuene congressa est, quem facili negotio prosternendum antea iactitarat. Superbiã vtplurimum cadere compositam cum infimis probat ea locuples historia Eleazari, quem meminit sacer codex cõmemorans præclarè gesta ab Hebræis. Sic ille: *Vidit Eleazar filius Saura, vnam de bestiis loricatã loricis Regis, & erat eminens super cæteras bestias & visum est ei quòd in ea esset Rex: & dedit se vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris, & à sinistris, & cadebant ab eo, huc atque illuc. Et iuit sub pedes Elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum.*

1. Reg. Ex Historia. Eleazari magnanimitas.

1. Machab. 6.

Consona sanè est hæc historia formæ certaminis, quod iniit Christus, imò & concordant nomina bellatorum. Eleazar nomen Hebræũ idem est ac auxilium Dei. Hæc dictio ex duplici voce coëunte coalescens, אל *el* Deum significat עזר *ngazar* auxiliatus est. Benè itaque cõgruit Christo vocabulum istud: quippe orbi toti propitius fuit iste Eleazar, vere auxilium Dei. De eo olim insonuit præclcius Psaltes. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlũ & terram.* Æmulus verò hostis Eleazari fuit bestia regiè & egregiè loricata. Angelus nequã antagonista Christi, in Apocalypsi sæpe visus Apostolo, ab eo sæpius eâdem nomenclaturâ bestiæ recensetur. Accipe locum vnum præcipuum, Diaboli superbiam eâdem specie bestię genuinè lineantem. *Vidi de mari bestiam ascẽdentem, habentem capita septem, & cornua decẽ, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ, &c. Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea?* Locum istum fusius expendam in tractatu de Angelis: sit iam satis aduertisse, Dæmonem hac famosâ bestiæ tesserâ nuncupari.

Psal. 123.

Apoc. 13. Diaboli superbia benè figurata.

Cum audis bestiam regiè loricatam, noli aliquid illustre sapere; sed animo tuo versa illum apparatum, qui congruit ei, quem Iob sic suo stylo pungit. *Omne sublime videt, ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* Eleazar noster miseratus homines inæquali Marte dimicantes cum bestia illa cataphracta, aggressus

Iob. 41.

gressus est hostem hunc superbum adeò hominibus iniurium, vt ferè flocci faceret hominum

Cruci reseruata fuit victoria de diabolo.

genus. *Cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiens a dextris, & a sinistris.* Plurima Dæmonia, quæ in corpora hominum irrepserant, aliò exportauit Christus, sed bestiam plenè non confodit, nisi quando sese illi supposuit, id est, quando Diaboli insidiis petitus ad Crucis opprobrium, non refugit supponere humeros illi ligno, sibi ab æmulo liuore lethali percito præparato. *Iuit sub pedes Elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum.* Non eo inficias, pedibus æmulorum suorum attritum fuisse Christum, Hebræos ad has iniurias inferendas Dæmone compellente. Sed quando pedibus hostium suorum se supposuit Christus, & probrosum genus mortis obiit, Cruci addictus; tunc reuera plenè de Diabolo triumphauit. Ita ipsa etiam historia clamat maxima quæque occidere humili conamine paruulorum, nec astu potiore potuisse Satanam sterni, quàm Crucis opprobrio.

Ex Historia. Du-Pleix in Pepino.

Huc & reuocandum est insigne facinus Regis Galli, quem maximè commendat digesta scriptis series illorum temporum. Rex ille Pepinus nomine, ingentes animos versans in pusillo corpore, statura sua breuiori suorũ oculos offendebat; quippe eo sæculo Gallorum procera moles generosos eorum animos arguebat. Ideoque diu contemptui

Pepini Regis Galliæ facinus magnanimum.

ductus Princeps humili corpore, quasi natura decurtasset animum eius, mole carnea circumcisa. Iniquo animo tulit eum despicatũ Rex ille seipso maior; itaque ansam nactus edendi specimen roboris, primores Regni illic adstantes prouocauit vt probarent qua compage eorum brachia præpollerent. Fortitudinis præcipuum insigne exhibendum erat singulare certamen, ineundum cum leone, qui carcere aperto prodierat in arenam. Leo ille ferus ore armato, & vnguibus exertis, excidium spirans obuij cuiusque hominis, toti illi coronæ terrorem offuderat. Quod vbi aduertit Rex inclytus, suos sic nobiles affatus est. Quid renitente vestigio declinatis occursum feræ, o egregia Regni columina. Iactastis hactenus insignem corporis habitum, & lacertos eminentes, fortitudinem omnem penes hanc compagem esse arbitrati, contempsistis vti ingloriam, meam hanc staturam. Virium vestrarum facite periculum cum leone, aut si tepet animus vester, insurgam ego in superbum animal istud, & vobis detrectantibus hoc discrimen illudam in posterum, certior factus corpora quæ eminent esse vt plurimum fortitudinis inania simulachra.

Leo occisus à Pepino Rege.

Obstupuere omnes veluti deliquium passi, nemoque exiliit qui leoni insultaret. Eamobrem Rex dedignatus obesa illa corpora, se accinxit ad certamen acinace accinctus, spectante populo, & procerum regni ignauiam despicante. Impauidus Rex leoni occurrit, qui & ipse despicatui duxit breuiusculum corpus, inscius illud animari robore præpotenti. Sed vbi illuxit acies gladij, leo sibi cauens voluit insurgere in Regem; sed ille cautior in læuam festino gressu declinans bestiæ impetum fregit, quæ delusa concidit; at illa repetito nisu sæuiens explicat vngues, & ore patulo irruit in Pepinum, qui eam gladio excipiens aciem tam validè torsit, vt occubuerit leo capite amputato. Vndique Regi applausum, & hinc quasi probro datum in Gallia, esse gigantea mole; quasi omne id quod corpori accedit, animæ deperiret.

Plutarch. in Agesila.

Simili omnino scommate petiit Persas Spartanorum Rex Agesilaus, eorum enim profligato exercitu, & penè internecione deleto, reliquos sub iugum misit, nudosque suis militibus Græcis obiecit, eos sic compellans: Commilitones, terruere vos hactenus ista Persarum oblonga & distenta corpora, longiora quidem vestris; sed ea iam lustrate, nihil lacertorum inest istis corporibus, quibus totum de pinguedine constat. Mihi credite, in procera mole corporum plus est adipis quàm roboris; estque statura breuior, vt contracta etiam validior: ideoque in posterum ne cadite animi, si quandoque vobis sit in hæc pinguia atque ita infirma corpora concurrendum.

Agesilai industria vt suos milites prouocaret in Persas.

Insurrexit Christus in Dæmonem simili fastu triumphantem. Pompatico gressu aspernatus hominum sortem Angelus hic nebulo, potiorem orbis partem addixerat sibi. Querulus homo non poterat immane illud detrectare iugum, cuius importunum pondus nec ipsi Angeli leuare omnino poterant, qui eamobrem homini malè sic habito perperam ingemebant. Scribæ & Pharisæi in arenam descenderant; facturi periculum suæ peritiæ in spiritum illum nequam; sed nisus eorum omnes infirmi, & irrita conamina; tumido namque animo distenti, & superbo corporis habitu fastum anhelantes, inglorij ab hoc Diaboli prælio recesserunt. Velificatus est leo ferus gloriæ Pepini Regis, pusilli quidem, sed robusti; ita & trux iste leo circumiens quærens quem deuoret, vt incidit in Verbum abbreuiatum super terram, Crucis humilitate fugatus est, qui Pharisæorum & Scribarum tumore & superbia impetitus antea triumphabat. Christus audacter arietauit in arcem illam, qua gaudebat Satan gestiens in montibus, vbi vt in typo suæ superbiæ, imperij sui solium erexerat, adoratus in excelsis sub omni ligno frondoso. Vt inde eum deturbaret Dominus, baiulans lignum Crucis contendit in montem Caluariæ, vt hostem detraheret è montibus, & ligno Crucis accenso igne amoris, ligna alia concremaret.

Christi industria vt homines excitaret in diabolum.

Successit res pro voto, fecitque sors extrema fidem præsagio Christi, suos discipulos præmonentis de Diaboli ruina instante, vt recenset is qui adfuit Christo, videlicet Ioannes, Dominum sic inducens cum populo colloquentem: *Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. (Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.) Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicũ lumen in vobis est.* Ex hoc Christi & populi colloquio prælibata liquent, scilicet Diabolum cessisse Cruci. Rursus ex contextu sermonis habiti à Christo, populus subodorans aliquod mysterium in Cruce reconditum, ait non benè quadrare Crucem Christo, vt ei iniuriam. Mortem enim & opprobrium clamat vocabulum Crucis, & nomenclatura Christi titulus est honoris. Colloquentes eos Christus sic compellat: *Adhuc modicum lumen in vobis est.* Quasi diceret: In Cruce coëunt duo; videlicet humilitas, & gloria: est quidem obuia vobis abiectio Crucis, lumine naturali: sed illa lux tenuis est & modica, quæ vna duntaxat vobis affulget, & cui gloria Crucis inuia est, vtpote inaspecta oculis corporeis. Præcipuo & singulari honore irradiat Crux, sed hunc fulgorem

Ioan. 12.

Crux gloriam & humilitatem sociauit.

Crucis lucē quare Iudæi non perceperunt.

suum rutilum non offundit nisi oculis supero lumine illustratis. Itaque modicum lumen Hebræis illuxit, qui despicati Crucem propter opprobrium, in eius gloria caligarunt. Christiani verò secus sequaces Christi non ambulant in tenebris; quippe gloria Crucis illis irradians, eos adeò affecit, vt indicta festiuitate exaltationis eius, totos se illius cultui consecrarint.

EX RE MEDICA. *Matthiol. in Diosc. lib. 6. cap. 1. Galen. lib. 2. de antidotis.* Peccati virus quo antidoto sanatum.

Ex præfatis maturè consuluit homini Deus, reponens penes Crucem, salutem omnium; nempe non poterat citra Crucem natura hominum saucia sospitari. Perierat homo esu ligni, in quod suum virus effuderat Dæmon: arte medica occurrit Christus morti imminenti. Arabum dogma est Galeno omnino contrarium; hominem, qui cantharidis veneno in discrimen vitæ incurrit, alia sanari cantharide, cuius alæ fuerint extirpatæ. Hoc theorema placuit Christo se accingenti ad hominis ægri curam: nam vbi deprehendit, Adami prosapiam decumbere veneno pastam, quo fuerat aspersum lignum hoc lethale decerptum ab homine; homini infirmo opportunus medicus adfuit, altero ligno assumpto, quod alis exuit, & sic idoneum fecit veneno omni quantocyùs abstergendo. Lethiferum illud lignum, quo ægrotarat homo, velut alas habebat explicatas, quia inde iniquior aura superbiæ homini afflauit, dum ex eo ligno vox hæc insonuit, quæ incautos, noxio appetitu gloriæ dementauit: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Inde altos concepit animos homo sauciatus hoc toxico, & quasi sibi assuens alas, quibus assurgeret, ambiens Deitatem grandia cogitabat. Eo percitum æstu ambitus curare aggressus est Christus ligno alio salutari, cui erat insita scientia boni, & mali, & à quo aberant alæ omnes, id est, à quo procul erat omnis idea fastus, & pompæ: lignum illud beneficum, fuit stipes Crucis ab omni superbia penitus abhorrentis.

Genes. 3.

EX SS. PATRIBVS. *Ambrosius serm. 55. de Cruce Christi.*

Audi Ambrosium assertorem huius medicæ artis, homini infirmo propitiæ. *Virus, quod persuasione sua in hominem trāsfuderat, nūc reiicitur; nunc curatur. Nā cum homo passioni addicitur, non mortali traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem, quem suscepit, vt dum innocens patitur, præuaricationis illius diabolica in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber esset à morte.* Itaque hoc institutum Christi de homine sospitando, Crucis ope, quam maximè probatur rei medicæ, alas cantharidum vti noxias auersantis. Simili modo Deus humili ligno, nescio alatum, medelam attulit ægris, quos alæ noxiæ arboris infecerant, & quibus assumptis, alta sapientes, à paradiso miserè deuiarunt.

EX IVRE CANONICO. *Canone In legibus 12. qu. 2.* Furtum quomodo restituatur.

Consilium Dei adhuc demiratur, & suspicit Ius omne Canonicum, quo homo reus debuit Deo restituere gloriam, quam superbiens ambierat carpendo lignū, quo ei illusit Dæmon, inuidēs gloriæ, quæ homini imminebat, si sibi cōstitisset.

Sic habet sanctio Canonica. *In legibus seculi cautum habetur; Qui rem surripit alienam, illi, cui res direpta est, in vndecuplum quæ sunt sublata, ... Et in lege diuina legitur: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus: Amen. Talia ergo non præsumantur absque vltione, nec exerceantur absque sua damnatione. Proinde si quis Ecclesiasticas oblationes, & quod Deo consecratum est rapuerit, vel consenserit facientibus vt sacrilegus diiudicetur, & damnum in quadruplum restituat, & canonicè pœniteat.* Hactenus ille Canon, iuxta cuius normam & amussim primò homo ablata restituit in vndecuplum. Nam obedientiam Deo negatam in esu pomi, postea reddidit vndecies: quippe decalogo obstrictus vbi prostant decem leges, pro vna abdicata vice, decies est obsecutus. Demum suscepto Euangelio, cui vltro se deuouit homo, hac vnitate adiecta denario priscæ legis fecit vndecuplum. Item reus ille fuit obnoxius maledicto, quo ferit Deus eos, qui transferunt terminos. Nimirum is, quem rerū opifex infra Angelos ediderat, quasi trāsiliēs fines sibi præstitutos, ad Deitatis infulas anhelauit, & ob præteritos hos terminos meritas luit pœnas. Canō positurus modum pœnis, sanxit pro vsurpatis reb. Deo cōsecratis, sacrilegū hominē illū esse in quadruplum illico cond... mnandū. Reuera eo piaculo infamis homo fuit, qui gloriam vni Deo debitam, ausus est vendicare sibi, quadruplo igitur diluendum est illud crimen; sed quis illi reo inopi pensū hoc congruū prouidus impertiet? Crux vadimonio satis superq; faciēs; quatuor namq; dimēsionib. illa coalescit. Diluit itaque Cruce sua facinus impium quo se superbiens homo deuinxerat, & eo modo sontē pristino statui reddidit, & decori.

Obedientia negata Deo ab Adamo quomodo restituta.

Crucis dimēsiones moraliter explicatæ.

EX SS. PATRIBVS. *Ephes. 3.*

Designari autem Crucem eo quadrupli penso colligere est ex quatuor quæ meditatur Augustinus, versans illum textum Pauli. *Vt possitis comprehendere quæ sit latitudo, lōgitudo, altitudo, & profundū.* Sic ille: *Fortassis Crucē Domini significat. Erat enim latitudo, in qua porrectæ sunt manus; longitudo à terra surgens, in qua erat corpus infixum; altitudo ab illo innexo ligno sursum quod eminet; profundum vbi erat infixa Crux, & ibi omnis spes vitæ nostræ. Latitudo enim est in bonis operibus, longitudo in perseuerando vsque in finem, altitudo propter sursum cor, vt omnia bona sint opera nostra, in quibus perseueramus vsque in finem, habentes latitudinem, quà benè operamur, & longitudinem, quà perseueramus vsque in finem; non faciamus aliquid nisi spe cœlestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum, ne dicatur nobis: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Profundum autem quod dixi, vbi fixa erat pars Crucis, & non videbatur, inde resurgebant quæ videbantur. Quid est quod occultum est, & non publicum in Ecclesia? Sacramentum baptismi, sacramentum Eucharistiæ. Opera autem nostra bona vidēt & Pagani; sacramēta verò occultātur illis; sed ab his quæ vidēt surgūt ad illa quæ non vidēt, sicut à profundo Crucis quod in terra figitur, surgit tota Crux quæ apparet, & cernitur.* Hactenus Augustinus, qui ea enumeratione partium, Crucem vti quadruplam commemorat, & potentem ad debita nostra omnia diluenda. Ita non est quod reclament Canones sancti, teneri adhuc hominem ea lege, quæ quadruplum indicit vnicuique sacrilego.

August. in Psal. 103.


EX MATHEMATICA.

Sapit mihi & aliud quidpiam, hoc quadruplum ritè lineatum in Cruce, quæ cum iustitię Dei litauerit in gratiam omnium hominū orbe toto diffusorum; Christus ideò addictus est Cruci in monte Caluariæ sito velut in cētro terræ, vt ex eo medio Crux diducta omnes quatuor orbis oras

æquales

æquales faceret, iuxta Euclidis mathematicum theorema. *Si intra circulum duæ rectæ lineæ sese inuicem secent quod sub dubus partibus vnius earum procedit, æquum est ei rectangulo quod sub duabus alterius lineæ partibus continetur.* Illa thesis indubia est si in centro circuli fiat dissectio linearum; tunc enim non discordes erunt in æqualitate portiones exurgentes, vti liquet hac figura, vbi quatuor anguli A. B. C. D. sunt æquales; quia lineæ se secantes in centro, suas simili modo porrigunt partes ad quatuor circuli extrema inuicem opposita.

Euclid. lib. 3. elem. Geomet. prop. 34.



Ex sancto Thoma Ierusalem est vmbilicus terræ, illic Crux erecta est, vt quasi ex centro orbis, ad quatuor plagas æqualiter Christus effunderet virtutem Crucis, vt antea præmonuit Psaltes. *Deus autem Rex noster, ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Hoc Mathematicæ effatum expensum moraliter à me, habet & Augustinum scholiasten, mea sensa moralia suo calculo confirmantem. Sic ille: *Ipsa Crux magnum in se mysterium continet: cuius positio talis est, vt superior pars cælos petat, inferior terræ inhæreat, fixa infernorum ima contingat; latitudo autem eius partes mundi appetat. Quia & Christus per Passionem Crucis, Angelis profuit in cælo; quorum numerus per Apostatam Angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium quotidie adimpletur: & nobis qui sumus in terra, & illis qui propter originale peccatum detinebantur apud inferos: sed & ipsis qui in diuersis mundi partibus habitabant. Iacens verò Crux quatuor mundi partes appetit; Orientem videlicet, & Occidentem, Aquilonem, & Meridiem, quia & Christus per Passionem suam omnes gentes ad se trahit, & omnia sibi subiugauit, iuxta quod ipse surgens à mortuis dicit: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Hactenus Augustinus; ille sit, an alius dubius auctor, recensitus tamen tomo decimo operum Præsulis Hypponensis.

Crucis extrema ad omnes oras porriguntur. *Psalm. 73.* *Thom. 3 pa. qu. 46. art. 10.*

Ex SS. Patribus. *August. serm. 59. de diuersis in Append. ad Tom. 10.*

Eo quadruplo reus homo abundè suum scelus expiauit, quo fuerat iniurius cœlis, & toti terrarum orbi. Cœlos Crux reserauit sua summitate, quos superbia hominis occluserat: sepulchra item ima pars Crucis aperuit, quia vbi defossa est Crux, mira vis eius illico peruasit penitiora terræ viscera, & ad vsuram lucis extincta pleraque corpora reuocauit. Eius autem apex adeò validè concussit cœlos, vt latro eos peruios habuerit beneficio Crucis. Cùm ergo constet de resurrectione mortuorum publico instrumento, scilicet sacro textu, cuius en tenorem. *Monumenta aperta sūt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Alius verò scriba sacer latronem commemorans, hæc digesta reliquit. *Dicebat ad Iesum, Domine memento mei quando veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.* Rursus reddidit Deus chirographum, argumentum debiti contracti primo Adami deliquio, chartamque illam indicem æris alieni reddidit Deus visa Cruce, cui affixit ingloriam illam tesseram, insinuans sibi esse Crucis obsequio satisfactum. Audiendus est Paulus. *Vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci.* Congrua igitur fuit electio modi illius, quo iniquę hominum sorti occurrit Deus, & idonea sanè extitit Crux, quæ Deo creditori faciens satis, hominem debitorem solueret aliquando.

Crucis effectus cœlum & terram implent.

Matth. 27.

Luc. 23.

Coloss. 2.

Crucis cum probata moneta comparatio.

Eo Pauli contextu authentico liquet quàm probatæ monetæ species sit Crux Christi, qua & Deus huius Apostoli oraculo relaxat debita, & chirographum reddit, vnde & ipso Iure Cæsareo solutio legitima perhibetur. Ecce legem. *Pecunia soluta professio collata instrumento, maiorem rei gestæ probationem cōtinet, quam si chirographum accepta pecunia mutuæ fuisset redditum.* Deus ex præfatis profitetur deletum chirographum, quo antea tenebamur. Ergo Crux, quæ eam Deo professionem demeruit, fuit modus maximè idoneus ad nutanti hominum saluti prouidè consulendū.

Ex Iure Civili. *Lege Pecunia, Codice de Solutionibus.*

Cruce autem esse dissolutum omne debitum audi locupletem Augustini locum. *Quia mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat, & mors nisi à morte superari poterat, ideo mortem Christus sustinuit, vt iniusta mors, iustā vinceret mortē, & liberaret reos iustè dum pro eis occideretur iniustè. Quicquid enim diabolus in Adam exercuerat, quasi iustè videbatur egisse in homine, qui se vnius arboris delectatione vēdiderat. In Adam ergo quasi in proprio seruo iure domino sibi dominiū vindicabat: in Passione autē Christi, in quo peccati maculā non inuenit, iniustè mala omnia perpetrauit. Sic & ipse Dominus in Euangelio dixit: Ecce venit Princeps huius mundi, & in me nihil inuenit. Quid est, Nihil inuenit? Nullum omnino peccatū. Et in Psalmis inquit. Quod non rapui tunc exoluebā. Quod ergò iustè debebat Adam, Christus iniustè mortem suscipiendo persoluit.* Hæc ille, alludens ad pensum importunum, cui se incautus homo obstrinxerat, & quia multiplici titulo variis etiam sese pœnis addixerat: Augustinus insinuat, Crucem fecisse satis vnicuique piaculo: ita intentum probat vir Sanctus: *Ille expandit manum ad pomorū dulcedinem; iste ad Crucis amaritudinem. Ille arborem mecis; iste salutis ostendit. Ille se contra Deum erexit, & cecidit; Christus se humiliauit, vt omnes erigeret. Adam mortē vniuersis intulit; & Christus vitam omnibus reparauit. Respiciebat vnusquisque ad serpentem aneum, & à venenatis serpentibus sanabatur. Serpens æneus in ligno positus, venena viuorum serpentium superauit; & Christus in Cruce suspensus, & mortuus antiqua diaboli venena restinxit, & omnes qui percussi ab eo fuerant, liberauit.*

Mors vndè sit dicta.

Ex SS. Patribus. *Augustin. serm. 1. seri 3. post 4. Dominicam in Quadrag.*

Mors morte superata.

Crucis antitheses cum arbore Adami. *Ibidem.*

Tot commodis è Crucis efficacia reportatis, Ecclesia eosdem ei rependit honores, quos exhiberi voluit Deus ligneæ illæ virgæ, qua Moyses populi Israël tersit angustias, multis editis eo ligno prodigiis, quib. perculsi Ægyptij cessere Hebræis, quos abeuntes dum insequi volunt mari aperto; offensum pelagus, vt sensit ligneam virgā Moysis, in sacrilegos illos Ægyptios aspernantes iussa Dei, vindices suos vortices inclinauit. Crux similes sortita effectus, imò longe potiores, debuit etiam altius honorari. Esse autem res affines;

Crucis cum virga Moisis comparatio.

August. serm. 1 feria 5 post Dom. 3. Quad.

Crucem & virgam illam tot miraculis & Codice sacro conspicuam, disce ex mente Augustini. *Iubetur Moyses virga percutere mare. In virga mysterium sanctæ Crucis agnoscite. Et verum est, fratres: attendite enim & videte, quod nisi virga supra mare eleuetur, populus Dei de Pharaonis potestate non tollitur. Sic est, fratres charissimi. Si sancta Crux eleuata non esset, Christianus populus in æternum periisset. Eleuatâ verò virgâ, id est, Cruce erectâ cedit mare, cedunt & fluctus eius, hoc est vincitur mundus, & mundi istius potestates. Cogitur ergo fluctus in cumulum, & vnda in semetipsa repressa curuatur. Soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in puluerem. Bonitatem Creatoris intellige.*

III. Quàm sit venerabile signum Crucis.

Esto, salutaris fuerit illa Moysis virga lignea; est tamen infra lignum Crucis, licet sit horridum spinis. Vt enim nobiliora quæque ligna detulere primas rhamno, stipiti hirsuto aculeis; ita & præalta quæque se inclinant Cruci, & eum deferunt cultum, quem cuilibet rei infra Deum negant; quasi illud venerabile lignum Dei partes agat, qui eo tantùm voluit stipite triumphare. Et hoc insigne decus Crucis hodie recolit Ecclesia, nomine Exaltationis Sanctæ Crucis, quæ eò honoris euecta est, vt Deum ipsum in Cruce veneremur.

Imago duos motus animæ petit vt attendatur.

Sed ne cæcutiat intellectus in re adeò conspicua, consulenda est Philosophia, cuius apex Aristoteles ait, duplicem esse motum animæ in imaginem; vnum quidem in imaginem vt est res aliqua, puta lignum, saxum, aurum: Alium animæ motum agnoscit, quo fertur in imaginem vt imago est. In eo autem dissiti sunt motus illi, quòd prior fertur in imaginem vt est quid absolutum; alter verò imaginem spectat vt quid relatiuum; in eo etenim sita est ratio imaginis vt referatur ad aliquid, cuius ideam insinuat, ad hoc vt res lineata mentibus inuratur. Verbi gratiâ, Crux considerari potest vt res absoluta, aut respectiua; vt res absoluta, erit aliqua materia inanima; vt respectiua, ingeret Christum corpore extê so, & brachiis expansis, eo habitu, quo in gratiam hominũ summos agones fortiter exantlauit. Primo modo Crux nullum sibi honorem vendicat, id est, aurũ illud, siue alia omnia, quæ subsunt figuræ Crucis absolutè considerata, nullo dignantur honore; reuerentia enim non defertur rebus inanimis, sed rationali creaturæ ex S. Thoma. Altero verò modo, id est respectiuè, bifariam ad Christum refertur, & ideo duplici titulo adoranda, si sit ea Crux, quæ fuit diuino sanguine consecrata. Nimirum vt homines venerantur imaginem Regis, quia Regem refert, & honorant vestem ob contactũ; ita & fideles Crucem illam adorant ob contactũ Christi, & ob repræsentationem Christi, qui in modum Crucis compositus expirauit. Vnde sicut honoramus Christum præcipuo cultu propter vnionem Verbi; ita etiam eumdem cultum deferimus Cruci, quia Christo vnita est in repræsentando. Duplici argumento honoramus Crucem illam in qua pependit Christus, scilicet ob repræsentationem, & contactum; alias verò Cruces repræsentationis tantùm titulo veneramur eodem latriæ cultu, quem debemus Christo, ad quem refertur illa adoratio Crucis.

Ex Philosophia. Aristotel. l. de memor. & reminisc. cap. 2. Crux quomodo consideranda vt honoretur.

Ex Theologia. Thom. 3. p. qu. 25. ar. 4.

Crucis cultus explicatur.

Compendiosè Angelicus doctor astruit illum cultum, sic arguendo: Illi exhibemus cultum latriæ, in quo ponimus spẽ salutis. Sed penes Crucem reponimus spẽ salutis, vt profitetur Ecclesia. *O Crux aue spes vnica, hoc Passionis tempore, auge piis iustitiam, reisque dona veniam.* Ergo Crux est dignanda latriæ cultu, quem remorari nequeunt instantiæ hominum impiorum. Sic insurgunt Crucis osores. Alienum est à pietate filij honorare res iniurias patri, vt flagellum quo cæsus est, & lignum quo periit. Sed Crux fuit ingloria Christo iuxta illud: *Morte turpissima condemnemus eum.* Ergo omnino impium est Cruces erigere; illud enim est in dedecus Christi, illius opprobria ventilare. Occurro instãtiæ & dico, quantùm ad mentem infidelium considerari in Cruce opprobrium Christi; sed vt in ea attenditur effectus salutis nostræ vigere in ea virtutem Dei, quæ fecit imbelle virus diaboli, & irritos omnes impetus eius, quibus homini hactenus insultarat. In eo autem differunt Crux, & claui, cæteraque omnia, quæ attigerunt corpus Christi, quòd ea tantùm veneranda sunt, quia attigêre Christum; sed imagines clauorum & lanceæ non sunt honorandæ, quia non referunt Christum; sed quælibet imago Crucis, quam graphicè delineat Crux, dicta lignum filij hominis. Eam sic nuncupat Christus: *Parebit signum filij hominis in cœlo.* Et Angelus, Christo rediuiuo, ait mulieribus: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum.* Non dixit, lancea ictum, sed crucifixum: eamobrem Crucem adoramus in quacunq; materia, quia refert Christum; imagines verò clauorum & lanceæ, non tanti facimus, quia typi non sunt idonei quibus Christus nostris mentibus inuratur. Hoc singulare dogma Theologicum est Sancti Damasceni.

Sapient. 2.

Matth. 24.

Marc. 16.

SECVNDA PARS HOMILIÆ.

Eos effectus exerit Crux, quos sortitur Rhamnus.

ESto Crux totum referat Christum, præcipuè tamen clamat eius potentiam; non etenim alia potior virtus occurrit eâ, qua Christus inferas acies humili fuste subiugauit. Gentes vti nesciæ virtutis huius, exosæ Crucem, in cultores eius dirè sæuierunt: at fideles conscij gratiæ, quam parturiit arbor illa viuax, sese ei supplices inclinarũt. Et hoc sonat ille contextus Pauli. *Verbum Crucis pereuntibus quidẽ stultitia est: his autem, qui salui fiunt, id est, nobis, virtus Dei est.* Cum ergo adeò gloriosa nobis extiterit Crux, iure à suis sequacibus honori habita, quàm fieri potest maximè exaltatur, & id in præmium gloriæ cuius compotes nos effecit; nimirum potissimus Crucis effectus est gloria illa, citra quam inanis est alia omnis gloria: vnde & Paulus fidelis amator eius, ait: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi; per quẽ mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo.* Gloriam autem esse præcipuum fructum arboris huius eo argumento liquet. Id est potissimus effectus alicuius, ad quod potissimum res illa instituta est; sed Crux præcipuè erecta est ad Dei maiorem gloriam, quæ sequuta est indulgentiam hominibus noxiis impertitam Crucis ope, vt videre est in latrone, cui primo dictum est: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Cruce Dei virtus commendatur.

1. Cor. 1.

Galat. 5.

Quia Crux aditum fecit ad gloriam, congruè ab Augustino clauis appellatur. *Crux Domini nostri clauis fuit, qua clausa aperiuntur.* Rursus ideò Christus Cruci affixus est, vt eò reduceret hominem,

Cruce cœli reserati.

Ex SS. Patribus. August. in Psal. 45.

hominem, vnde deuiarat deceptus altero lethali ligno. Sed infelix ille recesserat à gloria, ad quam repedare non erat iuris eius. Ergo recuperata hæc gloria potissimum intenta fuit à Deo Domino crucifixo. Item singularis Crucis effectus ille est, qui humilitatem consequitur. Sed gloria excipit opprobria æquo animo habita. Ergo Crux, qua Christus edidit insigne specimen humilitatis, summa fuit gloria optimè compensata. Augustinus apposite ad hoc mysterium speculatur Christi colloquium cum Iudæis, qui ei consulebant, vt sua egregia quæque facinora ventilaret, quibus insignem à populo gloriam poterat aucupari. Re puit ille consilium hoc omnino alienum à vera illa gloria, ad quam Crucis suffragio ipse humilis anhelabat.

Idem 7. Augustin. tract. 28. in Ioann.

Audiendus ille Sanctus etsi fusior, quia prolixa sua oratione liquidior. Proximos & notos Christi recenset sic cum Christo colloquentes. *Si hæc facis manifesta temetipsum mundo. Neque enim fratres eius credebat in eum.* Cur fuerint increduli hi Iudęi petit prefatus interpres, & nodum ingeniosè soluit, congruè planè referens ad propositum thema. Sic vir sanctus. *Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Nam & quod videntur eum monere fratres, gloria ipsius consulunt. Facis mirabilia, innotesce, id est appare omnibus, vt laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni: sed caro sine Deo; carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis Verbo quod caro factum est, & habitauit in nobis. Quid ad hoc Dominus? Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum. Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christus venerat, si tempus eius nondum venerat? Dabant ei consilium consequendæ gloriæ, veluti seculariter, & terreno affectu monentes, ne esset ignobilis, & latitaret. Quod ergo ait Dominus: Tempus meum nondum venit; illis respondit, qui ei consilium de gloria dabant. Tempus gloriæ meæ nondum venit. Videte quàm profundum sit. De gloria illi admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatē viam sternere. Nam & illi discipuli vtique gloriam requirebant, qui volebant sedere vnus ad dexteram eius, & alter ad sinistram. Attendebant quò, & non videbant qua: Dominus eos, vt ordinatè venirent ad patriam, reuocauit ad viam. Excelsa est enim patria humilis via. Patria est vita Christi, via est mors Christi. Patria est mansio Christi, via est Passio Christi. Qui recusat viam, quid quærit patriam? Denique & illis hoc respondit, quærentibus altitudinem: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Ecce quâ venitur ad celsitudinem quam desideratis. Calicem quippe commemorabat humilitatis atque passionis. Ergo & hîc, tempus meum nondum venit. Tempus autem vestrum, id est, mundi gloria, semper est paratum.* Hæc Augustinus.

Crucis mysteriū quare Iudæi capere non potuerunt.

Crucem superbi non capiunt.

Ex Symbolis. Paradin. l. symbol. Crux est clauis cœli.

Huc est reuocandum Paradini symbolum, quo duas claues obiicit decussatas, id est, compositas in modum Crucis, hoc titulo desuper eminente. HIC RATIO TENTANDI ADITVS. Non ille suam aperuit mentem abditam illius lemmatis inuolucris. Hæc tamen pictura, & eius epigraphe quadrant illi argumento, quod expendo de gloria, ad quam reduces euecti sumus beneficio Crucis, cui si vellem aliquas voces affingere indices virtutis eius, qua præpollet; istas adscriberem. HIC RATIO TENTANDI ADITVS, id est, Frustra consulis alia media, quibus transilias cœlos, penes vnam, est Crucem ratio tentandi aditus cœli. Ideo sub finem mundi Crux de cœlo irradians, quasi clauis in sera insinuabit, breui reserandos esse cœlos, vt recipiant reliquos homines qui supersunt, beatis adhuc mentibus inserendi. Vt namque scriniis clausis non adiicitur clauis, nisi ad aperiendum; ita & in supremo agone mundi Crux de cœlo rutilans innuet, futuros breui cœlos peruios illis qui Crucem fuerint amplexati.

Crucifixus Christus quare cœli aditū latroni promisit.

Ex SS. Patribus. Augustinus serm. 49. in Feria 6. Parasc.

Vide quàm bene cohæreant sensa Augustini, & explicatio istius symboli, de duplici claue referente Crucem, quam affirmo obiisse vices clauis reserando cœlos. Ita fatur peritus ille interpres: *Vis discere & aliud Crucis beneficium? Paradisum ante quinque millia vel amplius ferè annos clausum, hodie nobis aperuit. In hac enim die, & in hac hora latronem introducens Christus, duplex beneficium operatus est: vnum quidem quia paradisum aperuit; aliud verò quia latronem introduxit. Hodie reddidit nobis patriam principalem, hodie reduxit nos in ciuitatem paternam, & æternam domum redonauit communi hominum naturæ. Hodie mecum eris in paradiso. Quid dicis? Crucifixus es, & clauis affixus, & paradisum promittis? Ita inquit vt in ipsa Cruce meam virtutem agnoscas, quoniam res hæc tristitia videbatur, vt non in Crucis lignum attendas, sed virtutem eius, qui crucifixus est, discas.*

Ex Historia. Andreas du Chesne in Hist. Angliæ sub ann. 1525. Crux est nota libertatis. Crux Francisci Regis Gal. libertatē asseruit.

Crucem esse reparationis, & libertatis insigne præmium, etsi multiplici historiâ liquere queat; ne & huic ego desim parti, rem proferam à nemine moraliter expensam. Sub id tempus, quo Franciscus Rex Galliæ iure belli captus à Carolo V. Rege Hispano, rediit quasi postliminio in regnū suum, in locum illius suffecti sunt duo filij eius obsides, qui tandem ea pactione ad suos postea repedarunt, scilicet vt appensa vi propè immensa auri, Rex Gallus repeteret ab Henrico Angliæ Rege particulam Crucis Christi lilio insitā aureo plurimis irradiante gēmis, quam illi Regi ob mutuò pecunias acceptas Carolus oppignerauerat. Nec ante sui iuris obsides effecti sunt, quin memorata Crux illa fuisset promissa Regi Hispano tanti faciente particulam Crucis, vt in gratiam eius præcipuos orbis principes sibi inuisos redderet pristinæ libertati. Iam meditare mecum, quanta virtute præpolleat Crux illa tota ante Deum in gratiam captiuorum hominum, innoxio Christi humero baiulata.

Tanta sanè virtus eius emicuit, vt citra Crucem, multa merita Prophetarum fuerint imparia homini reparando. Vbi autem Crux à Rege seculorum Christo obiecta est Deo Patri; omne hominum genus captiuitati obnoxium illico relaxauit. Nec hic liberale ingenium Dei stetit in homine semel sospitando Crucis intuitu; quippe & singulis quibusque momentis temporum multi Deum Crucis alicuius obsequio, demerentur. Multos libido suis vinculis irretitos, prisca libertate filiorum Dei, exuerat, quos tandem Crux modica assumpta, id est, pœnitentia leuis absoluit. Quantalibet autem fuerit pœnitentia, nihil planè aliud est quàm frustulum seu particula Crucis; sufficiens tamen ad omnia vitiorum vincula dissoluenda. Ne mœreas igitur homo, cui Deus prætendit aliqualem partem Crucis; imò macte: ærumnæ omnes, molestiæ quæque, prælodia sunt

sunt gloriæ imminentis. Amodo Crux Christi cruore rubens nihil nisi purpuram sonat; quippe eum decorem induit, sine quo vilescunt ditiora quæque, vtpote indecora.

Ex SS. Patribvs.
Crucem quibus laudibus extulere Patres Sancti.
Chrysost. homil. de Cruce & latr. hom. 1. de Lazaro.

Ne fortè hæc insignia Crucis encomia dubiam faciant fidem, consulendi sunt Patres Sancti sectatores Crucis. Diceres eos ad æmulationem excogitasse titulos, quibus hoc venerabile signum ostenderent esse votis omnibus excolendum. Prior occurrit Chrysostomus, multus in euehenda Cruce, epitheta seligam pauca ex nimia congerie. Sic ille: *Crux est tutela orbis terræ, Ecclesiæ fundamentum, argumentum totius gratulationis spiritualis, destructio delubrorum, cornu Ecclesiæ, Diuini muneris significatio. Signum nobilitatis spiritualis. Bonorum omnium summa.* Patriarcha Sophronius vt Caluariæ assuetus (erat enim Præsul vrbis Ierusalem) paucis edidit multa, sic fatus: *Crux est vitale lignum. Scutum magni Regis. Christianorum tutelaris & fidissima custos. Vniuersorum ex aduerso occurrentium insultuum potentissima profligatrix.*

Sophron. hom. de Vener. Cruc.

Crucis tituli varij & magnifici.
Andreas Cretens. homil. De Exaltat. S. Cruc.
Crucis pœna prohibita à Constant.

Tota bibliotheca Patrum scaturit elogiis, in quæ effusi illi Crucis amasij suos animos prodidere benè affectos erga Crucem. In his ita exclamat Andreas Cretæ Antistes: *Crux expultrix vitiorum. Datrix sanitatis. Vita mortuorum. Pietatis præscriptio. Blasphemiæ obstructio. Sceptrum regni. Diadema pulchritudinis. Virga potentiæ. Fidei propugnaculum. Vitæ conciliatrix. Mortis solutio. In ærumnis refrigeratio. Creatæ naturæ coagmentatio. Finium descriptio. Cæli altitudo. Specula Prophetarum.* Iulius Firmicus Maternus hæc de suo penu pangit eloquia. *Crux est sanctæ virtutis immortale fastigium. Gloriosi operis diuina compago. Venerandum signum. Ingens titulus triumphorum.* Occinit ei alius priscis sæculis agnitus, scilicet Ephræm, cuius hoc est suaue melos. *Crux est insuperabilis Christianorum armatura. Victrix mortis. Lux orbis terræ. Paradisi reseratrix. Firmamentum fidei. Gloria perpetua Orthodoxorum.* Non luxuriat oratio Paulini Præsulis vtpote contractior; sed breuiloquus ille Antistes multa fatur paucis. *Crux est munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis.* Demum Cosmas Ierosolymitanus istud agmen claudens pangit effatum hoc canorum, & suspiciendum Principibus. *Crux est Regum Imperium atque soliditas.*

Iulius Firm. Maternus de myster prof. relig. cap. 21. 22.
Ephrem l. de vera pœnit. cap. 3.
Paulin Episc. Nol. epist. 11. ad Seuerum.
Cosmas. hymn. De Exaltat. S. Cruc.
Glycas 4. part. Annal.

Conscius reuerà fuit istius encomij Constantinus ille Magnus, qui sibi sciens constare Imperium, Crucis influxu; supplicium Crucis expunxit: de eo enim hæc ait Glycas: *Ad Crucem neminem amplius condemnabat, vt pretiosæ Cruci Christi religiosum hunc honorem deferret.* Et Trebonianus vir alioquin impius, qui Iustiniani Imperatoris intuitu digessit leges, probè callens quàm venerabile esset nomen Crucis Principum auribus, vbi nomen Crucis incidit, substituit vocem furcæ: vbi enim Callistratus ait damnandos ad Crucem, ille nomine alio subiecto scribit damnandos ad furcam, vt aduertit Cuiacius. Peculiari item constitutione cautum est ne Iudæi essent iniurij signo Crucis, cui quotannis illudebant, simulantes se recolere memoriam patibuli, cui affixus est Aman Persa, Iudæorum hostis acerrimus. Ecce textum legis. *Iudæos quodam festiuitatis suæ solenni, Aman ad pœnæ quondam recordationem, & Sanctæ Crucis assimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilegâ mente exurere, prouinciarum Rectores prohibeant, ne locis suis fidei nostræ signum immisceant, sed ritus suos infra contemptum Christianæ legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperauerint.* Credidit Imperator fieri iniuriam Cruci, si etiam sacris esset adhibita Iudæorum: potiori ergo ratione fuit sanciendum, ne loco supplicij Crux salutis omnium hominum tessera duceretur.

Ex Ivre Canonico.
Lege Capital. ff de pœnis.
Cuiacius in l. 5. sent. Iulij Pauli.
Lege Iudæos Cod. De Iud.
Cruci quotannis Iudæi soliti illudere.

Eò spectant verba illa Augustini. *Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine huius sæculi, prius honorauit Crucem in hoc sæculo, vt terrarum Principes credentes in eum, prohiberent aliquem nocentium crucifigi: & quod cum magna insultatione persecutores Iudæi Domino procurarunt, magna fiducia serui eius etiam Reges in fronte nunc portant.* Cautè ergo institutum est, ne rei addicerentur Cruci, quippe iniuriæ & gloria non coëunt. Ingeniosa est in eo argumento obseruatio Augustini. *Nihil erat tunc in carne intolerabilius; nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid seruat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Denique modo in pœnis reorum non est apud Romanos: vbi enim Crux Domini honorata est, putatum est quod & reus honoraretur, si crucifigeretur.* Hæc ille.

Ex SS. Patribvs.
Augustin. ser. 18 de verbis Domini.
Crux qualiter honorata.

Adijce rhamnum, quæ est figura Crucis, fuisse assumptam vt inde spineum diadema Christo texeretur: futurum enim erat vt Crux alias ingrata ob acutos vncinos, aliquando vsurpata à Christo summæ gloriæ duceretur. Hinc est quod hodie Italis Rhamnus appellatur spina sancta. Nihil verò amplius est in Cruce inglorium, cùm Rhamni illius acumina Christi diademate consecrentur. Is qui Iudæam lustrauit pedibus & oculis Bellonius, rhamnum asserit fuisse coronatam in Christo. Sic ille: *Diligenter examinatis spinarum generibus, quod certiores fieri cuperemus, è quanam spina cōtexta fuerit corona Christi capiti imposita, nulloque frutice spinoso frequentiore inuento, quàm rhamno, arbitramur coronam ex eo contextam fuisse: nam neque rubum, aliumue spinosum fruticem hic crescentem inuenimus, præter paucas capparas spinosas. Cum autem Itali rhamnum vulgò appellent spinam sanctam, præsertim circà Maceratum & Pisaurum, vbi sepes ea constant, quemadmodum Ierosolymis, hoc loco id subiicere voluimus.* Concordat & Cælius Rhodiginus, *Philetaris est spinosior, quam & rhamnum dicunt. Sunt qui ex hac impactam Christo coronam velint.*

Corona spinea Christi ex quo fenticeto texta.
Petrus Bellon. lib. 2. obseruat. cap. 88.
Rhamnus quid sit.
Cæl. Rhodig. lib. 5 lect. antiq. c. 9.

Non igitur casu accidit coronam Christi fuisse compositam ex eo frutice; sed Deo moderante vices rerum quæ occurrunt, electa est rhamnus cinctura caput Christi, & factura fidem præsagio illi, quo rhamnus in Codice sacro, regno assumpto aliis arboribus præitura perhibetur. Ideoque non incongruè attribui potest Cruci ille obeliscus, quem erexit Ægidius in suis iconibus, vbi insignis pyramidis apici Crucem inseruit, hoc titulo. Consilio firmata Dei. Quasi diceret: Ne ancipitem inuestiga causam Crucis exaltatæ, non vno tantùm sæculo, sed pluribus elapsis à Christo passo. Non hominum arbitrio Crux est, at Consilio firmata Dei. Parum esset Cruci reserasse cœlos, & gloriam fecisse peruiam, nisi & ad id brauium animos addidisset. Hoc præstitit illa Rhamnus, & id luculenter; siquidem ille stipes hispidus aculeis, multiplici punctione nostram sollicitat ignauiam: quis namque ingruentes detrectare

Ex Symbolis.
Ægid. Sadeler lib. 1. iconum symbolic.
Corona gladio su. erposita quid significet.

detrectare audeat angustias, si recolat Christum æquo animo, hominum gratiâ, quæque iniuria corpori pertulisse?

Plutarc. in Scipione. Statuæ erectæ viris illustribus Scipionem acuebant.

Egregia maiorum nostrorum facinora, Scipio ille Magnus appellabat aculeos vellicantes animos ad sequelam. Statuas virtuti hominum nobilium editas, affirmabat eum sortiri apud se effectum, quem apud alios egregia eloquia nanciscuntur. Etenim quæ suadebant aliis longæ parænesés, illud idem Scipioni ingerebant simulachra illa insignia, viris illustribus sacra, quibus eorum recens memoria perennabat. Apage has veteres imagines effictas ad pompam, & spirantes speciem virtutis ementitæ; faciunt enim fucos dum nihil perpetuum animis insinuant: animum meum subit imago potior, scilicet Crucis, cuius in rhamno agnosco effectus mihi valde beneficos, ex ea descriptione quam edidit Hyeronymus vocans rhamnum, *Spinosum fruticem, & arbusculam sentibus, vncisque contextam, quæ teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret.*

Ex SS. PATRIBVS. *Hieronym. in cap. 2. Agg.*

Cùm multos audis vncinos, puta Crucem non hortari nos ad vnam duntaxat virtutem, sed ad omnes, vt ex professo dixi supra, & fusius iterum dicam in homilia Sancto Andreæ Apostolo dedicata. Rhãnus vẽdicat sibi quidquid attigerit, etsi laceret & cruentet. Ita & Crux licet ingrata sit quandoque; tamen sui iuris facit omne quod suis brachiis amplectitur; quibus immorari quàm suaue sit, & decorum, consule Andream, viuifico illi stipiti consecratum. Quietem illam in suauibus his Crucis amplexibus adumbrat genuinè illa figura rhamni, cui incumbit argumentum istius homiliæ. Cùm etenim de inaugurando Rege, ancipiti animo nutarent arbores; vbi in rhamnum conspirauere lignorum omnium suffragia; illa annuens votis arborum, hoc ab eis exegit obsequium. *Si verè me Regem constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite.*

Iud. 9.

Instabis, non concordare sentes & quietem? verum, carnalibus; quia luxurians caro, & refuga punctionum, pratis tantùm amœnis gaudet & floribus, vt liquet ex choreis hominum reproborum, quos sic inducit Sapientia colloquentes: *Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra; vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Audis insipientium hominum vota credita ab eis quieti idonea, quia ad prata ridentia flosculis anhelabant. Sed reuera aberrarunt à scopo suo; quippe eorum inquies animus distractus in varia, factus est multiplici tormini obnoxius, etsi ad modulam corpore quiescente. Meis auribus insonant querulæ eorum voces indices turbinis eius, quo caro quatit sua vilia mancipia. Sic serò & perperam gemunt illæ inferorum victimæ infelices: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus.*

Sap. 2. Reproborũ inquies est animus.

Sap. 5.

Vna est rhamnus, quæ securâ quiete donat eos, qui ei assuescũt. Dicto meo fidem facit Elias vates, qui in vmbra spinosi fruticis, suis curis indormiit, ibique postea suscitatus ab Angelo, eiusdem prouida & benefica manu pastus, expeditè longam viam emensus est. Rhamni aculei carni iniurij sonant castitatem, cuius indiuidua ferè comes est secura quies animæ: quodque meo fauet instituto, Methodius ille, quem recenset Photius, ait fruticem illum, quem quidam iuniperum vocant, cuius vmbræ Elias incubuit, fuisse rhamnum, & huic stipiti inesse nomen Græcum, castitatem resonans illibatam. Hæc ille: *Rhamnus virginitatem denotat; Rhamnus enim arbor casta est, & fortassè ex simili quadam cum virgine natura stirps hæc* ῥάμνος ϗ ἀγνὸς *appellatur: Rhamnus quidem propter robur, & fortitudinem contra voluptates:* ἀγνὸς *verò quod omni ex parte casta & pura sit. Vnde & Eliam ferunt à facie Iezabelis mulieris fugientem, ad rhamnum primum venisse, atque exauditum fuisse, cibumque accepisse, quia fugientibus stimulum carnis, & fœminam, & voluptatem; perfugium, & tegumentum castitatis lignum germinauit, quod ab auctore virginitatis Christo plantatum est iis, qui virginitatem complectuntur.*

Method. lib. de Casti. Photo. col. 237 Castitatis symbolũ est rhamnus.

Quàm autem securè dormiat anima, carne licet lacerâ punctione Crucis, disce ex eodem capite, à quo didicimus, reprobas animas delibatis olim suis flosculis ingementes. *Iusti in perpetuum viuent, & apud Dominũ est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.* Omnium bonorum agmen excipiet eos, qui Dei brachiis immorantur. Ast eius brachia inhærent rhamno. Ergo penes rhamnum est præcipua animæ quies, ad quam inuitabat Christus omnes homines hortans ad sequelam Crucis. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; Tollite iugum meum super vos.* Quietis huius vsquequaque plenæ conscius Apostolus ait: *Nos gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus.*

Sap. 5. Quies animæ penes Deum.

Matth. 11.

Galat. 6.

Hîc mihi cogitanti vesaniam hominum refugarum Crucis, calet animus, & fastidit hanc iniquam indolem, in eamque sæuire appetit meus stylus incandescens. Consulo tamen meis rebus, prætereiens huius sæculi animos alienos à Cruce: rara nempe auis, quæ incubat arbori huic viuaci. Eamobrem in varia raptati homines nescij pacis vario turbine disperguntur. Paucis verò est concessum tranquillo gestire animo, quia nulli propè sunt Crucis impigri sectatores. Rem acu tetigit Augustinus. *Hæc est hominis vita beata atque tranquilla, cùm omnes motus eius rationi veritatique consentiunt, & vocantur gaudia, & amores sancti, & casti, & boni. Si autem non consentiunt, nihilominus dum negligenter geruntur, conscindunt, & dissipant animum, & faciunt vitam miserrimam, & vocantur perturbationes, & libidines, & concupiscentia mala. De quibus iam nobis præcipitur, vt eas cum quanto possumus labore crucifigamus in nobis, donec absorbeatur mors in victoria. Dicit enim Apostolus: Qui Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum perturbationibus, & concupiscentiis.*

Pax animæ est vita beata.

Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manich.

Ad Crucis affectum animos etiam nostros sollicitat res medica, subodorans in rhamno vim abditam contra virus atque præstigia. Præstat

EX RE MEDICA.

Dioscorid. lib. 1.ca.102. recensere textum Dioscoridis in re medica peritissimi. En seriem eius. *Rhamnus fruticat in sepibus ramos ferens rectos, & aculeos in acuta spinæ modum, foliis paruis, oblongis, subpinguibus, teneris. Alterum est genus candidius. Tertium nigrioribus, latioribusque constat foliis, & quadantenus rubentibus: cuius rami quinam* (Rhamni descriptio.) *ferè cubitorum longitudinem implent, spinosiores quidem, sed infirmioribus, minusque rigentibus aculeis. Fructum edit latum, candidum, tenuem, folliculari specie, verticillo similem. Omnium folia igni sacro, & serpentibus vlceribus efficaciter illinuntur. Fama est, ramos huius, valuis fenestrisue impositos, veneficia depellere.* Hactenus ille physiologus, qui aduertit primò, rhamnum fruticare in sepibus: sepes autem sunt symbolum rei, quæ custodit & tutatur. Ideo (*Matth. 21. Eccles. 10.*) Christus insinuare volens, qua cura vineæ suæ incumberet, ait de Domino vineæ. *Sepem circumdedit ei.* Et alibi sacer textus erudiens nos ad cautelam ait. *Qui dissipat sepes, mordebit eum coluber.* Benè igitur assurgit rhamnus in sepibus, quia Crux est maximè potens ad tutamen nostrum. Ait medicus, rhamnum ramos (Latronis crucifixi commendatio.) ferre rectos. Reuera nihil nisi rectum Crux spirat æquo animo habita; vt videre est in latrone, quem Cruci affixum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, plusque vna potuit Crux ad salutem viri nequam, quàm alia omnia, quibus Christus animum Iudæ tentauit, vt reducem efficeret. Cassa fuit sancta (EX SS. PATRIBVS. *Ambros. serm. 4. de S. Latrone.*) communio, irrita verba Christi, inanes amplexus, & oscula infirma, vt Apostolum illum refugam redderent obsequio Christi; quod negatū est tot amoris argumentis, illud totum est datum Cruci, vtpote habenti ramos rectos atque adeò sequaces suos rectitudini consecranti. Aduocandus Ambrosius, vt idoneus arbiter. *Rectè planè & Dominus huic donat paradisum, quia quem Iudas in hortulo paradisi distraxerat, hic in Crucis patibulo confitetur. Mira res, confitetur latro, quem discipulus abnegauit. Mira inquam* (Crucis effectus miri in latrone.) *res, latro honorificat patientem, quem Iudas predidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo Crucis vulnera prædicantur. Ait enim: Memento mei Domine cùm veneris in regnum tuum. Hæc est fidei plena deuotio, vt cùm de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius venia postuletur: cùm videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas; cùm morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis latro non credidit moriturum, quem annuntiat regnaturum: non putat subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo: non arbitratur eum apud tartarum detineri, à quo se etiam postulat liberari. Cernat licet eius hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem; Deum tamen credit quem nescit reum: iustum fatetur quem non meminit peccatorem. Sciuit quòd illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera sed latronis, atque ideò plus amare cœpit, postquam in corpore eius sua vulnera recognouit. Mira res! plus in Cruce latro Christum diligit, quàm Iudas dilexit in cœna. Ille per cibum supplantauit magistrum, hic credidit Dominum per dolorem.* Hactenus ille probans ingenuè quàm sint recti rami illius rhamni, quæ sibi cœlis inserit adhærentes. Dioscorides adiicit rhamni fructum esse latum, & candidum. Supra ostendi ex figura Crucis, quàm longè lateque pateat fructus Crucis, cuius altitudo ruinas reparat Angelorum; profunditas inferos euacuat, & latitudo omne hominum genus suis brachiis amplexatur. Candidi reuera sunt fructus Crucis; nihil etenim nisi innoxium spirant.

Rem apprimè congruam Cruci suggerit ille (Crucis ad sanandum vulcera animæ virtus.) textus medicus, scilicet. *Omnium folia igni sacro, & serpentibus vlceribus efficaciter illinuntur.* In re medica ignis sacer pessimè sonat, vt & grammaticis vox illa (Sacer) quandoque malè olet, sicuti liquet eo versu qui declamat in sacram famam auri, id est in maledictam. Igitur nobis ignis ille sacer, quem meminit Dioscorides, erit ignis inferorum, quem extinguit copiosus imber, quo desudant Cruces. In figuram eius ignis extincti, quem Dæmon accendit, habentes sopita incendia vulnerum, quæ quondam inflixere Hebræis ignei serpentes, quorum ardor intepuit obiectâ figurâ Crucis, vt scitè expli- (*Augustin. serm. 2. feria 3. post 4. Dom. Quadrages.*) cat Augustinus. *Suspensus est ergo tunc serpens aneus in conto, quia Christus suspendendus erat in ligno. Tunc enim quicunque fuisset à serpente* (Crucifixi cū æneo serpēte comparatio.) *percussus, serpentem aneum respiciebat, & sanabatur: nunc verò humanum genus, quod à spiritali serpente diabolo percussum fuerat, Christum credendo respicit, & sanatur. Quicunque percussus serpentem illum aneum non vidisset, moriebatur. Ita est, fratres, nisi quisque in Christum crediderit crucifixum, diaboli veneno perimitur.* Efficaciam Crucis ad libidinis æstus compescendos aperui ex professo, dum expendi locum illum. *Princeps huius mundi eiicietur foras.* Consule sectionem illam, quæ enucleat illum textum, & aduertes frigere Venerem illitam frondibus Crucis.

Demum res medica concludit effectus rham- (*Dioscor. vbi supra.*) ni, epilogo magis idoneo Cruci, quàm illi frutici prælibato. *Fama est ramos huius, valuis fenestrisue impositos, veneficia depellere.* Ideo Græci (*Cœl. Rhodi. lib. 22. lect. antiq. cap. 31.*) rhamnum ἀλεξιάρην vocant, id est, euitantem diras imprecationes. Fauet Rhodiginus sic scribens. *Illud Rhamno libens adnotarim, ab Græcis præci-* (Rhamni virtutes contra præstigias.) *puè Poëtis ἀλεξιάρην dici, non modò, quia reptilium morsus alleuet; verùm quòd aduersus phantasmata sit amuletum præstantissimum: quo argumento in parentationibus ante fores appendebatur. Meminit eius vel Euphorion, ἀλεξίκακον φυτὸν ῥάμνον,* id est, plantam rhamnum malorum expultricem.

Titulos hos insignes placet magis affingere (EX SS. PATRIBVS. Verbi Dei salutares effectus) Cruci quàm rhamno; ea enim appensa valuis, & fenestris, id est inusta fronti & sensibus eliminat omnia præstigia, quibus homini fit diabolus importunus. Eamobrem Ecclesia semper ab eo (*August. lib. 3. de Symb. ad catechumen. Idem lib. 1. Conf. cap. 11.*) signo auspicata est inaugurationem neophytorum; quippe catechumeni dignabantur obsignatione Crucis, antequam eos allueret aqua baptismalis. Id innuit Augustinus, hos fidei candidatos sic compellans: *Accipite vos, qui fidem desideratis, verbum Dei, tanquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nondum enim adhuc per sacrum Baptisma renati estis, sed per Crucis signum in vtero sanctæ matris Ecclesiæ concepti estis.* Hæc ille, qui etiam volens significare vocationem suam ad Baptismum, alludit ad hunc morem ita fatus: *Signabar iam signo Crucis eius, & condiebar eius sale, iam inde ab vtero matris meæ.*

Quàm

Cyprian. de paſſ. Christi.

Quàm autem ſit hæc valida Rhamnus contra veneficia Diaboli, audi Cyprianum. *Sacramenti ſignum repellit Dæmonia.* Gregorius item Magnus aſſerit, ſignum hoc præpotens eſſe tutamen contra ſpiritum illum nequam. Sic ille. *Per hoc ſignum Sanctæ Crucis frontibus eorum, quod nos damus, tu maledicte Diabole nunquam audeas violare.* Non eſſe autem ſignum hoc vacuum, ſed multiplici fœtum gratia, diſce ex Ambroſio. *Spiritu ſignamur, vt ſplendorem, atque imaginem eius, & gratiam tenere poſſimus; quod eſt vtique ſpiritale ſignaculum. Nam etſi ſpecie ſignemur in corpore; veritate tamen in corde ſignamur, vt Spiritus ſanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem.* Ille idem rurſus. *Vnxit te Deus, ſignauit te Christus. Quomodo? Quia Crucis ipſius ſignatus es forma ad illius Paſſionem: accepiſti ſignaculum ad ipſius ſimilitudinem, vt ad ipſius formam reſurgas. Ipſius viuas figura, qui peccato crucifixus eſt, & viuit Deo.* Signaculum illud etſi cute tenus videatur affingi, peruadit tamen hominem totum, ſuaque virtute inſtructum obiicit diabolo cataphractum.

Greg. lib. Sacrament.

Ambr. lib. 1. de Spiritu S. cap 6.

Idem lib. 6. de Sacram. cap. 1.

Crucis in baptiſmo virtus eſt ſtupenda.

Ex Histo-ria.

Hier. in vita Hilar. S. Greg. lib. 3. Dial. cap. 7.

Crucis ſignũ cuidã Iudæo beneficum.

Me deficeret tempus, ſi vellem recenſere diluta præſtigia dæmonis ea teſſera Sanctæ Crucis. Conſule Hieronymum, qui recenſet Hilarionem multa ſpreuiſſe deliria Dæmonum, Crucis obiectu. Gregorius item Magnus narrat, Iudæum hominem etſi inimicum Crucis, ſe eo ſignaculo muniſſe, quia noctu diuerterat iuxta Apollinis templum, vnde ſibi ſiniſtri aliquid à diabolo metuebat. Audiit ille media nocte in illud templum confluere denſa Dæmonum agmina, quorum fragore excitatus, ſui velut impos effectus, virtute tamen Crucis ſoluit hunc impium cœtum. Sic item enarrat Gregorius: *Cum Iudæus qui aduenerat hoc vigilans cerneret, & magna formidinis anxietate palpitaret, ab eodem ſpiritu, qui cunctis illic obſequentibus præerat, iuſſum eſt vt requirerent, quiſnam eſſet ille, qui iacere eodem in templo præſumpſiſſet; ad quem maligni ſpiritus pergentes, & ſubtilius intuentes, Crucis myſterio ſignatum viderunt, mirantéſque dixerunt: Væ, væ, vas eſt ſignatum, & vacuum. Quibus hoc renuntiantibus, cuncta illa malignorum ſpirituum turba diſparuit.*

Crucis ſignũ à morte liberauit.

V.

Hortatio ad Exaltationẽ S. Crucis.

Valuis itaque noſtris & feneſtris appendatur Crux, & ſic probè à nobis eius Exaltatio recolatur. Parum eſt erigere Cruces, vt templis & altaribus emineant, ſi penes animos, & affectus noſtros Crux proſtrata iacet. Cordibus igitur noſtris inſideat illa benefica Rhamnus, vt baiulos ſuos faciat etiam morte ipſiſſima fortiores. Suadet hoc Cyprianus. *Nec timetur mortis periculum, vbi tantæ reuerentiæ conſpicitur ſignum.* Feneſtris noſtris adducitur ſymbolum hoc vitale, ſi oculis animæ noſtræ iugiter obuerſatur. Si me non audis vt forte infidelem Cruci; homini ſancto, Bernardo ſcilicet aures accommoda propitias. Hæc ſuggerit ille Crucis amantiſſimus. *Vbi eſt gloriatio tua, Christiane, niſi in nomine Crucifixi?* Id eſt, ſi vis exaltari, homo, Christus offert tibi Crucem, vt ſuppedaneum idoneum intento tuo: non aliis ſcalis euehi potes ad ſuperos. Et ſi Cruci tua detrectas pendere obſequia, incurres in eam cenſuram rhamni, quæ ſic in ſuos cauit oſores. *Si non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.*

Ex SS. Patribvs.

Cyprian. de Natiuit. Christi.

Bernard. Meditat. de Paſſione.

Crux eſt gloria Chriſtiani.

Iud 9.

Leonis Armeni mors.

Ex Historia.

Cedrenus in Leone Armeno.

Cruci iniurius Leo Imperator quomodo periit.

Eſto præcipuis clarus infulis emineas; hoc tuo tamen animo inſideat, Crucis inimicos quantouis Imperio præpolleant; aliquando inuitos Crucis opem tentaturos, ſed incaſſum; quippe perituris vindices tantum ignes afflat ille ſtipes, vlturus opprobria, quibus in Crucem ſinguli quique homines noxij debacchantur. Accipe locupletem huiuſce rei teſtem virum Imperio clarum, etſi infamem, quia fuit Iconoclaſta. Is fuit Leo Armenus Imperator, qui aliàs Cruci iniurius, coniuratione facta, vbi audiit ſibi impendere necem, & exertos vidit imminere ſibi gladios, quantocyùs ad Crucem ſe recepit, amplexatus eam; ſed ignis è Rhamno egreſſus deuorauit Cedrum, quia hoſtium furor magis incanduit, quando aduerterunt, hominem impium velle conſulere vitæ ſuæ dubiæ, ligno Crucis, quam voluerat nuper funditus extirpare. Ideoque plagis propè innumeris impetitus occubuit. Annon & reprobi ſub finem mundi videntes deſuper irradiare Crucem, tentabunt eam conciliare ſibi; ſed ignis egredietur ex illa Rhamno, qui delebit cedros, id eſt, ſuperbos omnes, qui crediderunt ingloriam eſſe Crucem. Alius verò ſcintillat ignis iuſtis, de Cruce erumpens; videlicet ignis amoris Dei, cuius eſt Crux maximum argumentum. Cùm ergo duo ignes proſtent, vnus iis, qui ſunt iniurij Cruci, vt eos depaſcatur ad pœnam; alius amoris, qui illuminet, & illuſtret ſectatores Crucis: caueamus ab igne reprobo; & vt accendamur alio igne ſanctiori, opere & verbo Crucem iugiter exaltemus, Amen.



TRACTATVS
DE ANGELIS.
IN QVO A BEATIS ILLIS APIBVS ſcientiarum omnium floſculi delibantur.

Idoneum ſanè argumentum ad conciones pro Aduentu, quas tot hîc habes abſolutas, quot ſunt ſectiones.

ANGELO CVSTODI
VOTVM.



ENEVOLVS animus Tobiæ iunioris erga Raphaëlem, gratitudinem meam ſollicitat, ô Angele Dei, qui mihi comes adiectus es, & adiutor agonum, quos experiri debeo te conſcio. Dum recolo grates, quas expendit adoleſcens ille, ob beneficia cute tenus accepta, pudore ſuffundor; nec occurrit vnde ruborem tergam, ob animum immemorem gratiarum, quas impertiit Deus mihi, te Cuſtode meo Angelo procurante. Vt præuia confeſſione veniam demerear, ingenuè explicabo diſpares gratias à Tobia acceptas, vno tantùm viæ tractu, & eas quas ſinguli quique homines à ſuis Cuſtodibus Angelis emendicant, vt beneficij amplitudo gratitudinem etiam ſibi vendicet ampliorem. Ne autem alios homines carpam ſuis Angelis iniurios, mihi ſatis erit meminiſſe ſummam officiorum, quæ tu, ô Beate ſpiritus, mei ergo ſæpiſſimè repetiſti, vt ea recenſione gratior mihi animus incaleſcat. Fortè meo exemplo fient cæteri cautiores.

Angeli Cuſtodis obſequia benè in Raphaele lineata.

Raphaël Angelus procul fuit à Tobiæ incunabulis, & rudioribus eius annis, vtpote ei tantùm adulto datus in conſortem. Tu verò ſecus obſtetricis munia præueniens in vtero lineatum & effictum ad imaginem Dei ſoſpitem conſeruaſti, vt liberiore cœlo vſus non fierem abortiuus, atque ita exul à paradiſo. Præfatus ille adoleſcens incurrit in diſcrimen vitæ ſuæ, ipſo peregrinationis exordio; videlicet piſcis immanis ore patulo in illum inſiliit pedes abluentem in ora fluminis, quo ſe recreationis gratia tinxerat ille peregrinus. Eſto fuerit hic incolumis ope Raphaëlis: debuit illi ſanè vitam, ſed corporis aliquando perituri. Ego in procinctu & quaſi in margine fontis ſacri, quo alluitur anima conſcia ſordium Adami, nonne à Dæmone petitus fui ad ruinam, ne tergeretur hæc macula, quæ animas eliminat & deportat in plagas infideles? Et hinc graue mihi æs impoſitum, quo tibi deuincior, ô Angele ſoſpitator! Exenterato illo piſce ſuggerit Angelus, vt reponat cor & fel illius carniuori animalis: namque inſtare tempus, quo illa duo ſortirentur effectus propitios; ſiquidem cor impoſitum prunis afflabat odorem idoneum diabolis effugandis. Fel autem appoſitum oculis lumine orbis, poterat reducem reuocare lucem. Non defuit fides illi præſagio, quia cordis aſſi nidorem non tulit Aſmodæus, & oculi Tobiæ grandæui illiti felle, lucis vſuram receperunt.

Fuere inſignes illæ gratiæ; ſed reuera infra eas quas tu mihi, comes beneuole, contuliſti. Nimirum Raphaël pupillo ſuo dedit cor, ſed alienum, videlicet piſcis. Tu verò, Amantiſſime, corculum tuum deuouiſti, quando affectum tuum multis obſequiis præſtitis hactenus mihi mancipaſti. Non conſuluiſti vt repo-

nerem

nerem fel acerbum, & ideo ori ingratum, sed mel quàm dulce mihi ab annis teneris instillasti. Eâ quippe innoxiâ ætate, qua peccare nescit infans, addiscens prima rudimenta pietatis, inclinasti affectum in Iesum & Mariam, vnde exuberans fauus cordi meo adhuc dulce sapit. Pecuniam patri suo debitam recepit iuuenis ille ingenuus reddito chirographo debitori, qui diluerat æs mutuò acceptum. Potior sanè gratia est, quâ tibi deuincior, indefesse comes. Nimirum me totum absoluisti à debitis, quibus Deo piaculis pluribus obstringebar. Etenim te iugiter inspirante vt sisterer sacerdoti, & titulos exponerem, quibus arctè Deo vinciebar; morem tandem aliquando gessi, deposuíque sarcinam, quæ mihi iugiter incumbebat.

Demum Raphaël castos hymenæos Tobiæ & Saræ consuluit, & sic pupillum suum reducem fecit coniuge egregia adiecta. O mihi perquàm grate spiritus, hic me deficit omnis animus impar gratiis, quas deposcit istud beneficium insigne, quo me dignatus es adhuc in ephebis. Etenim annos circiter septemdecim agens, te suasore sponsam duxi vtique sine macula; videlicet Religionem Seraphici Patris Francisci, Capucinorum nuncupatam. Hosce hymenæos voluit impedire Satan; sed te paranympho anhela mea vota finem sortita sunt antea peroptatum.

Vnum est quod superest. Raphaël Tobiam sanum duxit, & reduxit: sollicitudo tua, ô amantissime custos, hanc mihi spem ingerit de instante reditu ad Patrem illum, qui me errabundum per hæc inuia & deuia expectat. Ne huius beneficij indubij ingratum vlla ætas pungat; ego eadem te oratione compello, qua Tobias Raphaëlem affatus est. *Si me tradam tibi in seruum non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Hoc vnum feruidâ mente testor nunquam fore me gratum vti par est, ratione gratiarum, quas in me imparem eis iugi serie contulisti. In tesseram tamen animi mei, ô mihi colende spiritus: illud idem offero quod Tobias, scilicet dimidiam partem bonorum meorum omnium. Cor meum media pars est mei. Deo annuente, te voco in partem huiusce illius partis, méque totum facio tibi sacrum, vt curam mei geras tanquam rei omnino tibi consecratæ.

Angelo Custodi quid sit rependendum pro tot beneficiis.

ARGVMENTVM.

Misérante Deo hodie incalescit pietas in Angelos, gestiúntque homines si quando audiunt in concione pracones verbi Dei explicare eam quam Angeli hominum curam gerunt. Hoc ego argumentum fusè expendo hoc tractatu, ita vt habeas tot conciones absolutissimas, quot tibi tituli proponuntur.



IN DIE FESTO
S. MICHAELIS ARCHANGELI.

EVANGELIVM. Matth. 18.

I. ACcesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.

II. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.

III. IV. V. VI. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

MORALI

MORALIS EXPOSITIO digesta in sectiones.

I. EA est gratia Dei dignitas, vt illius suffragio homines assurgant ad infulas filiorum Dei; potiori itaq; ratione poterunt & Angelis adaptari.

II. Via compendiosa ad hunc Angelorum statum est humilitas, quæ & beatos Angelos effecit tales.

III. Non etenim Angelus homine maior esset iam in cælis, nisi à momento editionis suæ statuisset adorare hominem Deum. In eo autem quòd maior est, & homo minor, competit Angelo tutela hominis, ex qua emergit bonorum omnium seges. Beneficia corporalia innumera sunt, vtpote tot, quot momenta sunt, quibus hac fruimur vsura lucis.

IV. Sed quia corpore potior est anima; tutor ille hominum pius & impiger, multus est in illuminandis hominibus, & eorum affectibus excitandis.

V. Tametsi Angelus adeò se sedulum præstet, ad hæc pietatis officia exhibenda hominibus, quibus Deo decernente gratis addicitur. Non debet homo tamen deesse officio suo, animum gerens immemorem gratiarum, quas impertit ei Angelus. Quo namque vegetior erit memoria beneficiorum Dei, quibus homo deuincitur ab Angelo, beatus etiam ille spiritus erit propensior ad sua obsequia repetenda. Præcipuum autem argumentum quod inflectit Angelos ad custodiam nostram, est vita innoxia, & nescia vitiorum.

VI. Impij verò ritus, & repetita crimina Angelos fugant, & quasi à nostris ædibus eliminant. Vbi autem scelera ad alios homines exemplo & suasione porriguntur; Angeli custodes eorum, qui nostra instigatione deuiant à virtute, expetunt pœnas ab his, qui pupillos ipsorum in vitia turpiter induxerunt.

ESSE ANGELOS IN Moralibus, sicut & in Physicis, & qua ratione homo queat æmulari statum Angelorum.

In hæc verba:

Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Matth. 18.

SECTIO PRIMA.

INolitum est priscæ ætati, ædificia quantumuis assurgerent, appellare imperfecta, nisi affingeretur auis colophon; & hinc adagium increbruit, quo rei alicui colophonem imponere, idem est ac eam perficere. Deducta sanè inde parœmia est; quòd si non emineret ædibus auis illa, non crederentur illæ sartæ tectæ, licet multo marmore incrustatæ. Mihi animo versanti originem ritus, qui adiecit colophonem magno cuique operi consummato, ista occurrit sententia; videlicet tum demum esse integras ædes quando silent omnia, & cessat operariorum fragor, nullúsque perambulat tectum, illi suam impensurus opem. Argumentum autem quietis illius altæ petitur ab auibus; quippe audacter pronuntia, esse pacatas ædes, quibus auiculas longiore mora videris incubare. Vt ergo innuerent opifices, nihil amplius esse adiiciendum operi, rem suam totam colophonis auis tesserâ concluserunt.

Erasm. Chiliad. 1. centu 3. adagio 45.

Colophon atis, olim ædibus apposita.

Edito mundo non defuere colophones, qui indices essent totum hoc vniuersum esse perfectum. Aues illæ imminentes orbi sunt Angeli, qui quasi volucres cæli toti incubant mundo, qui ea Angelorum editione accepit suum à Deo opifice colophonem. Et reuerà hiulcus deficeret orbis, si deesset natura Angelorum, quæ abesse nequit à rerum omnium hac compage, nisi Philosophia reclamante. Sic autem illa astruit ortum Angelorum. Vt operari sequitur esse; ita & causa vsquequaque perfecta effectum debet exerere sibi consonum, quique pro modulo referat indolem typi sui. Ergo hoc rerum omnium vniuersum editum à causa summè perfecta, scilicet Deo, debet quantum fas est ei æmulari ingenium causæ suæ, atque adeò perfectum esse, quia causa eius perfecta est. Summa autem perfectionis omnis effectus, in eo attenditur, vt assimuletur suæ causæ; at similis erit ei, si causa se explicare volens, & quasi depingere in effectu, obices minimè nanciscatur. Igitur cùm nihil occurrat quod remorari queat intentum Dei operantis, satis superque liquet, totum hoc quo constat orbis, ad Deum accedere, vt ad causam suam, quantùm tamen effectui creato conceditur. Ergo cùm Deus agat intellectu & voluntate, & sit causa dissita ab omni materia, nec repugnet dari talem effectum qui sic se accingat ad agendum, inscia omni materia; proculdubiò debuit produci Angelus, cuius natura materiæ expers, conscia est intellectus & voluntatis, quibus suas omnes obit vices, & propiùs Deo adiacet, eúmque adumbrat meliùs quàm homines in esse naturæ, alioquin omnis hæc rerum congeries esset deliquio obnoxia, si deesset creatura secreta à materia, & constans intellectu & voluntate, quæ præferre posset geminos characteres causæ suæ: ad quid enim creaturæ editæ merè corporeæ, & aliæ mistæ constantes corpore & anima, si desideraretur alia species à materia penitus aliena? Itaque ne quid mutilum natura pateretur, editus est Angelus, naturæ intellectualis & sui arbitrij. Et quia multa erat rerum omnium series qua coalescit mundus, Deus in argumentum perfectionis tantæ molis, edidit innumeros propè colophones, scilicet Angelos, quos in more positum est pingere aligeros, vt inde vnicuique pateat eorum natura velox, prædita summo acumine intellectus, nullóque insuper corpore præpedita.

Ex PHILOSOPHIA. Ficinus in Plat. Theol. lib. 1. c. 2.

Angelos esse vnde probetur.

Sed ne hæreamus in vado, quia vox corporis ancipitem sonum vehit; nota, creaturas omnes posse aliquali modo dici corporeas, respectiuè ad Deum, qui adeò simplex est, vt cætera quæque cum eo composita; quadam concretione videantur esse compacta. Hoc tamen non obstat, quin Angeli & anima hominis rationem spiritualis & incorporeæ substantiæ sortiantur. Opportunus adest Augustinus. *Ne verbi controuersiam, vel superfluè faciam, vel inuitus patiar. Si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quod aptius nũcupatur id, quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam places*

Ex SS. PATRIBUS. Aug. ep. 28.

places incorpoream appellare naturam, quæ summè incommutabilis, & vbique tota est. corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porrò si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel mouetur, vt maiori sui parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minúsque sit in parte, quàm in toto, non est corpus anima. Liquidius ille ait, Angelum esse spiritum, quando expendit locum Psaltis. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Mentem suam aperit ille Sanctus. *Spiritus Angeli sunt; & cum spiritus sunt, non sunt Angeli. Cum mittuntur fiunt Angeli. Angelus enim officij nomen est, non naturæ. Quæris nomen eius naturæ, spiritus est; quæris officium, Angelus est. Ex eo quod est, spiritus est. Ex eo quod agit, Angelus est.* Augustinus, qui Ambrosij spiritum ebiberat, illam sententiam fecit suam, Ambrosio præceptore, qui eam ediderat eisdem planè verbis, quæ transcripsit Præsul Hipponensis. Concordant & ea quæ Pontifex Summus Gregorius decernit de Angelis, enarrans quot classes Deus ediderit creaturarum intellectualium. Sic ille; *Duas ad intelligendum se creaturas fecerat, Angelicam videlicet, & humanam; vna tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gestauit. Angelus namque solummodo spiritus; homo verò & spiritus est & caro.*

Idem in Psal. 103.
Angelus quid sit.
Ambros. in Psal. 1 3.
Angelus est naturæ spiritualis.
Gregor l. 4. Moral. c. 9.

Ex Ivre Canonico.
Cap. Firmiter de sum. Trinitate.

Nefas crediderim affingere aliquid corporeum Angelis, Iure Canonico reclamante. En decretum Concilij Lateranensis ab Innocentio III. conuocati. *Simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Percepto eo oraculo propè hæresim esset, affirmare Angelos esse corporeos, etsi aliàs silente Ecclesia quidam Patres magni nominis in eo argumento ancipitis fuerint ingenij. In his fuit Hilarius, ita fatus: *Nihil est quod non in substantia, & creatione corporeum sit, siue in cælo, siue in terra, siue visibilium, siue inuisibilium elementa formata sunt. Nam & animarum species, siue obtinentium corpora, siue corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur, quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* In eámque iuit sententiam Gregorius ille Nazianzenus. *Solus Deus circumscriptionis expers est, quia solus propriè corpore vacat: circumscripti autem Angeli, quia nec incorporei propriè sunt, etiamsi nostri respectu incorporei dicantur.* Et hos etiam secutus est Cassianus, acerrimus huius sententiæ propugnator. Sic ille: *Licet pronuntiemus, nonnullas esse spirituales naturas, vt sunt Angeli, anima nostra, & aër subtilis; tamen incorporea nullatenus æstimanda sunt; habent enim secundum se corpus, quo subsistunt.* Estò innoxiè censuerint hoc præfati auctores; iam præeunte Concilio Orthodoxo nequit vigere illa sententia, cuius contraria ibi recensita est non obiter, sed quasi vt decretum. Nimirum caput illud memorans Angelos, sic se ab ortu suo prodit. *Firmiter credimus & simpliciter confitemur.* Hoc tenore quid arctius deuincire potest animum ad assensum thesis ancipitis, quæ præuia luce illa, quam offundit concilium, debet esse prorsus dubia.

Hilar. cap. 5. in Matth.
Gr. Naz. or. 1. vbi Elias inducitur.
Angelos esse corporeos quinam dicunt.
Cassia. col. 7. cap. 13.

Ex Theologia.

Accedit & ratio Theologica. Scilicet, aliquid eatenus esse verum, quatenus magis accedit ad primam veritatem, quæ est reuelatio; sed ex Scriptura sacra cælitus inspirata liquet Angelos esse incorporeos; siquidem spirituale omne incorporeum est. At ex eo textu sacrò Angeli appellantur spiritus. Ergo impotes sunt corporis; quippe corporis, & spiritus nomina non concordant. Vocari Angelos spiritus in Codice sacro, non est inficiandi locus. Sint tibi satis superque textus positi. Primus occurrit ille Psaltis. *Facis Angelos tuos spiritus.* Huic adijce locum illum Pauli. *Omnes sunt administratorij spiritus; in ministerium missi.* Accedit & Ioannes, Angelos septem sic describens. *Septem Spiritus, qui sunt in conspectu throni Dei.* Vocem autem, spiritus, incorporeum aliquid innuere, id probatur ex his, quibus hæc vox affingitur, scilicet Deo & anima nostra. Deus absolutè dicitur spiritus ipso etiam Christo assertore. *Spiritus est Deus, & in spiritu, & veritate debet adorari.* Sed Deus incorporeus est; ergo vox illa, spiritus, incorporeum sonat. Rursus anima nostra, quia incorporea est, vocatur etiam spiritus a Iacobo Apostolo. *Corpus sine spiritu mortuum est.* Eo textu corpus, & spiritus, veluti duæ res natura dissitæ comparantur. Item alio versu Pauli, anima dicitur spiritus. *Tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini.* Ergo cùm Dei & animæ exemplis, nomenclatura spiritus auribus nostris intonet aliquid corporis expers; Angeli dignati eo vocabulo nescient corpus, eruntque intellectuales substantiæ, secretæ ab ea omni fæce, quam materia secum vehit, sicut hos describit Dionysius ille Areopagita, naturæ conscius Angelorum, quam memorare volens sic orditur: *Ad simplices nullisque figuris vmbratas cælestium rerum intelligentias assimulationésque subuehamur.* Hoc tenore secernit ab Angelis omne corporeum, recensens eos vti alienos à figuris, quæ sunt primi characteres insiti materiæ, cui primò accedit quantitas, vt fiat idonea singulis quibusque formis. Ille idem alibi Angelorum sortem liquidiùs inuestigat, sic concludens. *Incorporales omnino, atque materia carentes intelliguntur, & tanquam spiritus supra mundanum intelligunt modum.*

S. Thom. 1. p. q. 16. art. 6.
Psal. 103.
Hebr. 1.
Apoc. 1.
Ioan. 4.
Iacobi 2.
1. Cor. 5.

Ex SS. Patribvs.
Diony. c. 1. cæl. Hierarc.
Cap. 4. de diuin. nom.

Gregorius adeò exoticam credidit esse eam sententiam, quæ corporeos Angelos facit, vt nonnihil vesaniæ in ea suspicetur. *Dic, quæso te, Apostatas spiritus à cælesti gloria deiectos esse corporeos, an incorporeos suspicaris? Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit?* Quare ergo, inquies, non ignobiles auctores asseruere Angelos esse corporeos, si tanta est absurditas, & deuiatio à veritate in ea sententia? Respondeo, fortè assertores eius sententiæ credidisse iniurium esse Deo, aliquid eiusdem cum eo substantiæ asserere, aut saltem arbitratos esse substantiam illam spiritualem Angelorum infra Deum positam comparatione illiùs posse dici corpus, quia Deus ea simplicitate gaudet, vt quidquid simplicissimum, cum eo compositum, à sua simplicitate veluti deuians concretionem nanciscatur.

Greg. dial. c. 29.
Angelos corporeos esse in quo sensu verum sit.

Nec equidem est mea vana fides in indagine argumenti, quo plerique abiere in eam sententiã vt crederent esse Angelos corporeos; siquidem Magnus ille Gregor. qui inspicientiæ arguit eos;

Greg. lib. 13 Moral. c. 5.

eos, qui Angelis astruunt corpus, eos tamen dixit corpus comparatione ad Deum facta, quasi diceret in eodem genere entis, nihil de Deo & creatis posse vniuocè prædicari. Sic ille Angelorum inuestigans ingenium: *Eorum scientia comparatione nostræ scientiæ valde dilatata est; sed tamen comparatione diuinæ scientiæ angusta: sicut & ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum spiritus sunt; sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, sunt corpus.* In eo item sensu ait Bernardus: *Demus ergo securi veram soli Deo sicut immortalitatem, ita & incorporeitatem, quòd solus spirituum corpoream naturam eò vsque transcendat, vt quocunque corpore, in quocunq; opere non indigeat.* Hæc ille Gregorij mentem assecutus.

Bern ser. 6. in Cant.

Itaque hoc statum esto, Angelos esse secretos à corpore, ex suæ indolis instituto, vt longiore tractu rationum asseuerare queo; his tamen supersedeo vt alienis à titulo libri mei, eo fine compositi, vt moribus inseruiat, & non ad discutiendas alto scrutinio materias in schola criticè controuersas. Satis est meo morali intento posuisse fundamina petita ab omnibus scientiis, vt iis apertis sensa mea moralia stabilire queam. Hoc igitur esto præludium primum tropologiæ istius tractatus, scilicet Angelos esse citra corpus. Alia tamen est cauenda opinio eorum, qui negant Angelos corpora aliquando assumere, arbitrantes ea quæ Scriptura sacra commemorat, fuisse penes imaginationem tantùm. In hos inuehitur Thomas, quia illud quod solo phantasiæ intuitu ab aliquo cernitur, totum est duntaxat in imaginatione intuentis. Sed omnes Sodomitæ viderunt Angelos, qui diuerterunt ad domum Loth, sicut & alij plerique viderunt Archangelum, cuius felicibus auspiciis Tobias Iunior ad propria repedauit. Ergo sensibus externis fuere obuij Angeli, atque adeò tunc induerunt corpus, quod vt probè omnia callent, sibi aëris suffragio compegerunt.

Angeli aliquando corpora assumunt.

Thom. 1. p. q. 51. art. 2.

Nota tamen, Angelos corpore assumpto non posse obire omnes actus adæquatè, quos exerunt viuentia; sed eas tantùm agere partes, quæ & aliis rebus inanimis conueniunt. Verbi gratiâ locutio, quæ est opus viuentis, conuenit cum aliis sonis rerum vita carentium: progressio item communis est & aliis motibus, vt motus est. Quantum ergo ad id quod res etiam inanimas spectat, Angeli corpore assumpto possunt edere actiones viuentium, non vt proprias viuentium, sed vt communes aliis rebus. Vt in manducatione Angeli Raphaëlis duo attendi possunt. Primò dentium motus, & oris apertio. Secundò cibi accepti digestio, & in substantiam aliti conuersio. Potuit indubiè Angelus corporis vsurpati os reserare, & ciere dentes, quia illæ actiones ex natura sua non requirunt principium vitæ insitum rebus sic commotis, vt videre est in cadauere, cuius ab agente extrinseco potest aperiri os, & commoueri dentes aliunde possunt. Sed digestio nequit perfici ab Angelo; quippe ex Philosopho. *Cuius est potentia, eius est actio.* At digestio est actio viuentis, quatenus est viuens; ergo illius est impos Angelus, in quo non est illa aptitudo induendi corpus, vt vegetet illud quasi ei adhæreret ad modum animarum, quæ informant corpus, & ei impertiunt principium vitæ. Igitur corpori assumpto ab Angelis nulla vitalis actio competit earum, quæ supponunt principium vitæ. Sed totum, quod molitur Angelus circa ea corpora vsurpata, attenditur penes motum, quem imprimit illis, iuxta vim singulis quibusque illis spiritibus insitam.

Angeli in corpore assumpto quomodo agant.

Angelis in corpore assumpto vitalis actio competat necne.

Ex Philosophia. Arist. lib. de somno & vigil.

Ex his tamen corporibus mutuò acceptis non est inferendum, Angelos esse incorporeos, id enim esset velificari delirio eorum, quos stylo suo pungit Philosophus, quorum animus adeò concretus erat, vt nihil nisi corporeum esse assereret, eo effato fretus, nihil esse in intellectu quod non præfuerit in sensu: vnde cùm res omnes esse queant obiectum intellectus, debent ideo esse peruiæ sensibus, vt in eis intelligens animus occupetur. Ita imperitè arguebat insipiens & insulsa illa Philosophorum classis, eliminans omnes spiritus ex rerum hoc vniuerso, à quo sanè abesset potior sui pars, si inde beati illi spiritus exularent.

Lib. 4. Phys. textu 52.

Horum necessitas ad complementum vniuersi colligi etiam potest ex re Medica, quæ speculatur, analogiam insignem intercedere inter hominem, & mundum, & inde deducta vox microcosmi. Hinc arguo: Vt se habent hominis partes integrantes ad hominem totum, ita & se habent mundi partes ad ipsum mundum; sed deficiente spiritu à corpore statim patitur homo deliquium: ergo & mundus, si deessent Angeli, eâ absentiâ beatorum spirituum mutilus esset, & reuerà sui parte principe decurtatus. Quemadmodum igitur spiritus sunt toto diffusi corpore; ita & Angeli orbe toto dispersi. Quàm autem affines sint Angelis hi spiritus, qui potiorem corporis partem constituunt, audi ex nobili Medico Fernelio sic expendente naturam spirituum, quibus stat vegetum corpus. *Est igitur spiritus corpus æthereum, caloris facultatumque sedes & vinculum, primúmque obeundæ functionis instrumentum.* Vbi validi sunt spiritus illi, homines sunt viuaces, totáque compages corporis benè sibi constat; si verò secus parciores sint spiritus, corpus quasi exangue remissius se habet. Ea ferè infirmitate lãgueret mundus, si Angeli non adessent. Tota rerum moles longè esset seipsa inferior. Potissima sedes spirituum in homine est caput, etsi valuulas occupent cordis. Ita Fernelius: *Quisquis spiritus substantiam & statum nondum plenè sit assecutus, corporis nostri structuram contemplatus, arterias adeat, in cordis sinuum, & in cerebri ventriculos introspiciat, quos dum inanes ac nullius propè humoris participes videbit, neque tamen frustra ac temerè tantos à natura conditos, hac quidem mente contrectans, mox opinor cogitatione comprehendet prætenuem auram eos tum impleuisse, dum in viuis fuit animal, quæ tamen eo animam agente leuissima cum esset, sine sensu euanuerit.*

Angelorum necessitas probatur. Ex re Medica. Laurent. in proœm. ad anatom. Spiritus quid sit in corpore.

Fernel. l. 4. Physiol. c. 2.

Prima etiam sedes Angelorum fuit rerum omnium inanimarum caput, scilicet cælum supremum, vt affirmat Angelicus Doctor. Etenim creaturæ spirituales, & aliæ corporales, vnum hoc vniuersum constituunt; ergo ordinem aliqualem habent adinuicem, cúmque vniuscuiusque naturæ consonũ. Cumque ordinata sint maximè ea quæ Deus edidit, & ab ortu suo tenorem suum seruauerint, vt videre est in terra, quæ aquis substrata est, & in igne transiliente fines superos aëris; etiam ipsi Angeli à prima

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 61. art. 4.

Angeli vbi sint creati.

suæ editionis mora creati sunt in loco idoneo maiestati, quæ eos euehit vltra alia entia procreata. Sicque liquet esse editos Angelos in capite rerum, id est, in cælis, vbi præcipua adhuc est eorum sedes, etsi quandoque aduolent in has inferiores oras, sicut & spiritus animales, licet adsint extimis quibusque partibus; idoneum tamen nacti locum in capite, ea principali sede gaudent, vtpote quæ sit locuples gaza spirituum. Vacuo autem illo penu, corpus exanime prodit quàm sit necessarius affluxus & influxus spirituum. Forte deterior esset mundi conditio, si eum non ornarent harum mentium beatarum chori.

Ex SS. Patribus. *August. de cognitione veræ vit. c. 6* Angelorum ministeria circa creaturas.

Beatus Augustinus assuetus Angelis, schemate Angelico vitæ quam agebat, sic eorum necessitatem astruit, & naturam explicat: *Angelus spiritus est, substantia incorporea, inuisibilis, insensibilis, rationalis, immortalis, &c. Angelos esse ipsa insensibilia probant, quæ tam certam sui motus legem obseruant. Omne quippe quod mouetur, aut motum a se habet, aut aliunde. Sed omne quod motum a se habet, est sensibile, vt anima; quod verò aliunde, est insensibile, vt corpus. Quod si Sol, Luna & sidera per se mouentur, sensu vel ratione vigere videntur, quæ tam certa tempora, tam certa cæli spatia custodiunt, & quodammodo suum intellectum huic mundo lumine vel signis innuunt. Sed qui ea rationabilia, aut saltem sensibilia corpora arbitrantur, iure sensu carentes, inter irrationabilia computantur. Cum autem verè sint corpora visibilia, sed motu carentia, vtpute insensibilia, & tamen moueantur, constat profectò quod aliunde moueantur. Restat igitur ea per Angelica ministeria moueri, similiter ventos, pluuias, grandines, fulgura, tonitrua, tempestates, auras iussu Dei per illos regi. Qui dubitat, & ea sensibilia putat, hunc ratio stultum cum insensibilibus probat.* Hæc ille, compendiosè enarrans Angelorum ingenium & munia.

Ex Theologia. *Thom. 1. p. q. 62. a. 3. & 4.*

Rursus ad morale meum institutum pertinet aperire, in quas abiere partes Angeli statim ab ortu suo, vt si quid in eis occurrat imitandum, illi incumbamus; si quid verò secus noxium prostet, illud quàm fieri potest maximè fugiamus. Fuisse Angelos omnes editos in gratia, suadet ratio Theologica. Scilicet. Vt se habet ratio seminalis in natura ad effectum naturalem; ita se habet gratia gratum faciens comparata ad beatitudinem. Sed omnia naturalia ab incunabulis suis à Deo producta sunt secundùm rationes quasdam seminales, quarum beneficio apta sunt agere quidquid singulis quibusque conuenit. Ergo cùm Angeli capaces sint gloriæ æternæ, proculdubio creati sunt instructi eo semine, quo sato gloria germinat: alioquin Angeli in ordine ad gloriam deterioris essent sortis, quàm sint res quæque infimæ, quibus indita sunt quædam semina vnde ad effectus sibi consonos accinguntur. Esse autem gratiam semen gloriæ æternæ, Ioannes insinuit. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet.*

Angeli creati sunt in gratia.

1. Ioan. 3.

Item Angeli paulò post suam creationem fuere beati. Ergo gratia dignati sunt antea. Etenim beatitudo soli Deo naturalis est, quia Dei esse, & beatum esse non sunt res dissitæ. Creaturæ autem omnis esse beatum, nō est esse naturale, sed vltimus finis. Quælibet verò res

Angeli quare editi in gratia.

non attingit finem suum vltimum, nisi præuia operatione sua; & hæc operatio vel est effectiua finis, quando finis non excedit facultatem eius causæ, quæ operatur propter finem, sicuti exhibitio pharmaci est factiua sanitatis. At si finis adeò emineat vt transcendat omnem virtutem eius causæ quæ operatur propter finem, tunc operatio directa in finem non dicetur effectiua finis, sed meritoria, atque ita expectabitur ille finis ex dono alterius. Ergo cùm beatitudo vltima excedat omnem virtutem Angelicam, non potuit ad finem illum attingere operatione effectiua finis, sed actione meritoria, meritum autem supponit gratiam, citra quam nemo beatitudinis Dei potest esse compos.

Angeli liberè creati sunt.

Ea gratia Angelis impertita non inuitos egit in Deum: siquidem penes vnumquemque fuit, vtpote sui iuris, gratiâ Dei vti ad arbitrium suum: & hinc duæ classes Angelorum, quorum alij Deo addicti, sunt beati; alij verò acti in præceps, vt alieni à Deo, igne vindice castigantur. Rem acu attigit Augustin. *Tales creati sunt Angeli, vt si vellent, in beatitudinis luce persisterent, si autem vellent, etiam labi potuissent. Vnde, & Satan cum sequentibus legionibus cecidit; sed post eius lapsum ita confirmati sunt Angeli, qui persliterunt, vt cadere omnino non possint, quia ne omnino iam caderent, virtutem incommutabilitatis acceperunt.* Quæ autem vtriusque Angeli sors & vnde distracti, ille idem Augustinus liquidò explicat. Ita ille fatur: *Angelorum bonorum, & malorum inter se cōtrarios appetitus, non naturis principijsq; diuersis (cùm Deus omnium substantiarum bonus auctor, & conditor, vtrosque creauerit) sed voluntatibus, & cupiditatibus extitisse, dubitare fas non est: dum alij constanter in communi bono omnibus, quod ipsis illis Deus est, atque in eius æternitate, veritate, charitate persistunt. Alij sua potestate potius delectati, velut bonum suum sibiipsi essent, à superiore communi omnium bono beatifico, ad propria defluxerunt: & habentes elationis fastum, pro excelsissima æternitate; vanitatis astutiam, pro certissima veritate; studia partium, pro indiuidua charitate; superbi, fallaces, inuidi effecti sunt. Beatitudinis igitur illorum causa est adhærere Deo. Quocirca istorum miseriæ causa ex contrario est intelligenda, quod est non adhærere Deo.*

Ex SS. Patribus. *Aug. de Eccles. dogm.* Angeli in gratia confirmati.

Idem lib. 12. de ciu. Dei. cap. 1.

Angeli mali quomodo ceciderunt.

Hactenus ille, qui ait Angelos id consecutos electione sua, vt cadere omnino non possint: & hoc intellige non tam eis datum in præmium electionis suæ quàm ex natura beatitudinis, cuius ille est status beatis etiam hominibus, sicut & Angelis vnicolor, vt beatitudo sit criminis impatiens; etenim beati Deū vident: essentia autem Dei est ipsa scientia bonitatis. Vnde hoc modo se habet Angelus videns Deū ad ipsum, sicut se habet quicunque non videns Deum ad communem rationem boni. At nemo potest quidpiā velle aut operari nisi in ordine ad bonum intentū, siue reale sit, aut apparens. Ergo nec beati aliquid velle possunt vel agere Deo inconsulto. Sicque liquet, beatos non posse deuiare à Deo, atque ita Angelos non passuros aliquando deliquium eius status, quo dignati sunt, ad Deum ipsum totis viribus anhelantes.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. p. q. 62. art. 8.*

Statum illum beatorum horum spirituum commemorat Ius Ciuile, recensens eos vt dignos, qui templis Deo consecratis nomina sua

Ex Iure Ciuili

vt titulos affingant, & quibus fato cessuri homines consecrent bona sua, eos hæredes suos de tabula conscribentes. Ecce textum legis. *Quoniam in plerisque nuper testamentis inuenimus eiusmodi institutiones, quibus ex asse quis scripserat Dominum nostrum Iesum Christum hæredem, &c. Si verò vnius ex Archangelis meminerit, nulla facta ædis mentione: (quod quidem etiam nouimus à quodam factum, qui ex illustribus erat, & in omni verborum & legum doctrina spectatissimus) siquidem aliquis sit in illa ciuitate, vel vicinia eius venerabilis locus in honorem illius reuerendissimi Archangeli constructus, videri ipsum constitutum esse hæredem.* Hactenus Imperator Iustinianus.

Leg. Quoniā. Cod. de sacr. S. Eccles. Angeli possunt hæredes institui.

Ex Mathematica. Eucl. l. 9. arith. Elem. proposit. 4.

Non inepta erit etiam consideratio essentiæ Angelorum, quam dicimus esse materiæ expertem, si attendamus Mathematicæ obiectum, quod est adeò simplex vt nullam omnino curet materiam. Verbi gratiâ, occupetur illa disciplina circa quantitatem discretam, id est numeros, suas propositiones demonstrabit prorsus incuria materiæ. Vt quando Euclides ait: *Si cubus numerus, cubum numerum multiplicans aliquem fecerit, factus cubus erit.* Animus meus numero intentus ex quo exurget cubus, nullam prorsus attendet materiam, & probè tamen concipiet illud Mathematicum theorema, erudiens hominem cupidum scire naturam cubi arithmetici. Si verò versatur Mathesis in quantitate continua, lineas attendet & abstractas ab omni fæce materiæ. Ita Euclides: *Omnis trianguli maior angulus, longiori lateri oppositus est.* Si conceditur intellectui cōcipere figuras certæ quantitatis citra materiam: quare idem intellectus negabit assensum suum illi thesi, quæ Angelos affirmat esse incorporeos, etsi definitiuè in loco esse censeantur?

Lib. 1. elem. geom. prop. 19.

Ex SS. Patribus. August. in Psal. 8.

Hactenus prælibata pertinent ad literalem sensum, quem moralis exigit vti præiacentem, & cuius inscius animus, ex quouis themate proposito nequit elicere aliquid idoneum ad vitam ritè cōponendam. Vt partes igitur meas obeam, incumbit mihi probare, esse in moralibus Angelos; quod vt assequar, moneo, Scripturam sacram consciam indolis hominum, ita se aptare eorum captui, vt rebus sensibus obuiis plerumque vtatur ad explicandum res ordinis altioris: quippe res sensibiles obiicit nobis veluti rudimenta rerum superarum. Hoc innuit Augustin. *Intelliguntur Scripturæ perducta vsque ad infantium tarditatem; & eos per humilitatem historiæ fidei, quæ temporaliter gesta est, ad sublimitatem intelligentiæ rerū æternarum benè nutritos, & roboratos, erigunt in ea quæ confirmant.* Vt ergo Spiritus S. cuius aura afflauit sacris scriptoribus, Ecclesiæ indolem aperiret nobis, quæ cōcludit disparis ingenij homines, iustos scilicet, & noxios: eius meminit sub symbolo Lunæ, Psalte sic canente: *Quoniam videbo cælos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas.*

Lunâ quare Ecclesiam significat. Psal. 8.

August. in Psal. 10.

Fauet Augustin. hunc locum versans; & alibi liquidus. *Luna in allegoria significat Ecclesiam: quòd ex parte spirituali lucet Ecclesia; ex parte autem carnali obscura est.* Vt namque Luna quandoque rutilat, & aliàs velut offusa caligine nigricat; ita & Ecclesia emicat in sanctitate conspicuis hominibus, subobscura verò mœret in reprobis. Hi quos gratia Dei fulgida splendidos facit sunt Angeli; vt & alij Diaboli sunt, quos fœdæ & spissæ tenebræ criminum opacarūt. Præiuit Augustino Ambrosius in eo typo Lunæ. *Ecclesia videtur sicut Luna deficere, & non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.* Confluere in Ecclesiam malos vnà cum innoxiis luget Augustin. *Nunc autem & hi quando replent Ecclesias, quas tanquam in area ventilatio separabit, non apparet tanta gloria domus huius, quanta tunc apparebit, quando quisquis ibi erit, semper erit, &c. Multi reprobi miscentur bonis, & vtrinque tanquā in sagenam Euangelicam colliguntur; & in hoc mundo tanquā in mari vtrique inclusi retibus, indiscretè natat donec perueniatur ad littus, vbi mali segregentur à bonis, & in bonis tanquā in templo suo sit Deus omnia in omnibus.*

Ambr. lib. 4. Hexam.

Aug. lib. 18. de ciuit. Dei. c. 48. 49. Ecclesia in hoc sæculo mista bonis, & malis.

Itaque si fas est nuncupare Ecclesiam Lunam, eámque præfulgidam ratione lucis quæ rutilat in anima gratiæ Dei conscia; quidni fas sit Angeli nomen affingere homini iusto, cùm in eadem qualitate spirituali coëant Angeli & homines per quam accepti Deo: quippe gratia collata Angelis ab initio non fuit alterius ordinis ab ea, qua & dignantur homines eo charismate Deo grati. Eamobrem potior est ratio appellandi homines refulgentes nomine Angelorū, quàm affingere Ecclesiæ nomen Lunæ, cuius lumen est sensibus obuium, at animæ fulgor est inuius oculis, & concolor Angelis. Ideoq; Christus, qui singula quæque recensuit nomine congruo, beandas animas cum Angelis composuit ita fatus: *Cùm à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cælis.* Inde sic arguo: Si quid obstat, quin homo sit sicut Angelus, illud maximè erit corpus, quo omnino vacat Angelus, vtpote spiritualis substantiæ. Sed hoc nihil officit homini anhelanti ad nomenclaturam Angeli; siquidem Christus asserit homines rediuiuos fore Angelorum instar. Ergo sicut corpus reassumptum, hominem non exuit beatâ Angelorum sorte; ita nec debet eum facere impotem nominis eius. Nimirum cùm sint nomina signa rerum, si homo habere queat ea quæ sunt in Angelo potiora, nonne & iure eiusdem etiam vocabulo gestiet? At nobiliora Angeli sunt ea, quæ in eo prostant superioris ordinis, scilicet gratia, & gloria: quæ duo cadere possunt in homines luculentiori modo, quàm in omnes Angelorum choros, vti liquet in Christo, & Maria. Igitur probi quique homines Angelico titulo congruè recensentur: non vt inde sonet natura Angelorum illis adiecta; sed vt denotentur dotes, quibus eminent cæteris, vt benè monet Hieronymus. *Quando dicit: Erunt sicut Angeli in cælis; non natura & substantia corporis tollitur, sed gloria magnitudo monstratur.*

Angeli homines etiam dici possunt.

Matt. 22.

Ex Philosophia. Aug. lib. de Interp. c. 2.

Ex SS. Patribus. Hier. in epitaph. Ln. iiij.

Nec reuera est homini locus inuidendi Angelis eorum statum, cùm inde non sint beati, vnde Angeli seu spiritus à corpore immunes: quia alioquin diaboli eiusdem essent gloriæ consortes, sicut & sunt substantiæ, quæ non illis deperiit, etsi passis gratiæ deliquium. Penes hominem est, Dei gratiâ instructum, ea edere egregia facinora, quæ etiam eum supra praealtas qualque Angelorum sedes euchent. Aduocandus Ambrosius equidem meo intento propitius. Sic ille: *Intelligendum est quòd creatura quidem superior Angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritalis: eiusdem tamen, & erga nos & illos*

Angelis superiores esse queunt homines.

Ambr. lib. de Spir. S. c. 9.

illos munus auctoris sit. Quanta autem gratia, quæ premiis Angelorum etiam inferiorem creaturam humanæ conditionis exæquet? Sicut Dominus promisit dicens: Eritis sicut Angeli in cælo. Nec difficile. Qui enim illos Angelos fecit in spiritu, homines quoque per eandem gratiam similes faciet Angelorum. Hæc Ambrosius, qui & ab Angelorum ministerio, quod est Diuina annunciare, probat homines dici Angelos, si quandoque ea quæ pertinent ad Dei cultum annuntiant: ideoque sacerdotes Angelos dicit. *Vidisti sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam. Præsentibus Angelis loquutus est, sicut scriptum est: Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quoniam Angelus Domini est omnipotentis. Angelus est qui regnum Christi, & vitam æternam, annunciat. Non specie tibi æstimandus est, sed munere. Quid tradiderit considera, vsum eius expende, & statum eius agnosce.* Vtque vsum nominis huius Angelo sacri astruat posse citra inuidiam homini affingi, exemplo vtitur petito à sacris, & sic intentum suum probat. *Homines dicuntur Angeli, quia quicunque annuntiant Christum, in Angelorum ascisci numero videntur. Quomodo? Accipe Baptistæ rationem. Ioannes natus ex viro & muliere. Attamen audi, quia Angelus est & ipse. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam ante te. Accipe aliud. Malachias ait Propheta. Labia sacerdotis custodiunt scientiam; & legem exquirunt ex ore ipsius. Angelus est enim Dei omnipotentis. Hæc ideo dicuntur, vt sacerdotij gratiam, & gloriam prædicemus, non vt aliquid personalibus meritis arrogetur.*

Idem lib. De his qui mysteriis init.

Sacerdotes dicuntur Angeli.

Idem serm. 1. de Sacram.

Angeli quare dicantur homines.

Alia animum meum subit ratio, quare & in genere morum, quique optimi homines vendicare queant sibi Angeli nomen. Illa hæc est: Bonitas Dei propensior est ad fauendum, quàm iustitia ad plectendum. Ergo illa eadem bonitas non cunctabitur homines vocare Angelos, si non excidant gratiâ. Cùm ex sacra Scriptura constet, reprobos Angelos vocari bestias, vt passim in Apocalypsi, peccatum dicitur character bestiæ. Vnde sic arguo; Maior est affinitas hominis cum Angelo, quàm Dæmonis cum bestia, quia Angelus & homo coeant in communione gratiæ; Dæmon verò nec in natura, neque in peccato conuenit cum bestia; nec desinit tamen bestia nuncupari, quia à Deo defecit. Igitur homo sibi constans, & Deo addictus appositè potest eo gaudere titulo Angelorum.

Rursus, incongruè Ecclesia diceretur esse Paradisus, seu regnum cælorum, si non esset suis stipata choris Angelorum, qui essent eiusdem cum ea ordinis, id est recensiti ex cœtu fidelium, vnde hi Angeli honorarij assumpti sunt, & Christo Regi adstant, & ei ex hoc etiam sæculo corregnantes. Aduoco suffragium Augustini. *Ecclesia & nunc est regnum Christi, regnúmque cælorum. Regnant itaque cum illo etiam nunc Sancti eius; aliter quidem quam tunc regnabunt: nec tamen cum illo regnant zizania, quamuis in Ecclesia cum tritico crescant. Regnant enim cum illo qui faciunt quod Apostolus ait: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. De qualibus item dicit, quod eorum conuersatio sit in cælis. Postremò regnant cum illo, qui eo modo sunt in regno eius, vt sint etiam ipsi regnum eius.* Hæc ille luculenter. Egenum sanè esset illud regnũ Regis Regum Christi si deessent Angeli, qui vel saltẽ adumbrarẽt illud regnum, ad quod Ecclesia dirigitur, & suspirat.

Ecclesia quare dicatur regnum cælorum.

Aug. l. de ciuit. Dei c. 9.

Locuples hic nobis se aperit locus, homines adhortandi ad gratiam Dei totis viribus aucupandam; sed aptius parænesis illa sese prodet, altera parte sectionis huius, vbi enarrabo modos, quorum suffragio sortem Angelorum possumus æmulari. Sit iam satis tutò hominibus iustis concedi Angeli nomen in hoc sæculo, & gloriam in futuro: ita quippe comparatum est ab ipso hominis exordio, vt sufficeretur ille in locum Angeli perfugæ, & inauguraretur infulis, quibus te superbiens Angelus abdicarat. Qui ergo editus est ad gloriam capessendam beatorum illorum spirituum, nonne & impune poterit sortiri nomen? Si ipse rerum Dominus homines nequam diabolos appellauit; quare vetitum erit insignire viros probos nomenclaturâ Angeli, cùm vti præfatus sum, id sit ingenium Dei magis beneficum, quàm maleficum. Audi quo nomine animaduertat in hominem perduellem. *Ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est. Dicebat autem Iudam Simonis Iscarioten; hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.* Item & carpens Iudæorum iniquos animos, sic ille idem Christus eorum nequitiam prodit. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere ille homicida erat ab initio, & in veritate nõ stetit.*

Diaboli nomen homini nequam affingitur.

Ioan. 6.

Ioan. 8.

Sed inquies: Quare Deus vtrobique diabolos fecit, reprobos scilicet Angelos, & homines nebulones; hos ratione morum iniquorum nuncupatiuè diabolos; illos verò sua sponte realiter tales? Respondeo primò, Deum nullum fecisse Angelum, aut hominem malum siue diabolum; sed vtramque naturam edidisse viribus integris, & stipatam gratia idonea ad gloriam capessendam: ideoque non esse in Deum refundendam malitiam reproborum. Fuisse Angelos gratia instructos audi ab Augustino faciente palam bonitatem operum Dei. *Ipse est, qui in principio condidit mundum, plenum bonis omnibus visibilibus, atque intelligibilibus rebus in quo nihil melius instituit quam spiritus, quibus intelligentiam dedit, & suæ contemplationis habiles capacésque sui fecit, atque vna societate deuinxit, quam sanctam, & supernam dicimus ciuitatem: in qua res qua sustententur beatique sint, Deus ipse illis est, tanquam vita victúsque communis. Qui liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit tale, vt si vellet deserere Deum, beatitudinem scilicet suam, continuò miseria esset secutura.* Hæc ille, & alibi affirmans hominem eiusdem fuisse iuris, scilicet conditum in gratia, à qua cùm defecit, Deus illi deliquio nequaquam eum fecit obnoxium. Ita Augustinus. *Fecit Deus sicut scriptum est, hominem rectum: ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei; cum ea quippe ab eo factus est homo. Mala verò voluntas prima, quoniam omnia mala opera præcessit in homine, defectus potius fuit quidam ab opere Dei, ad sua opera, quàm opus vllum. Et ideò mala opera quia secundùm se, non secundùm*

Aug. lib. 11. de ciu. cap. 11.

Homo editus in gratia.

Idem lib. 14. de ciu. Dei. cap. 11.

Deum : vt eorum operum tanquam fructuum malorum voluntas ipsa esset velut arbor mala: aut ipse homo in quantum mala voluntatis. Porrò mala voluntas, quamuis non sit secundum naturam, sed contra naturam, quia vitium est; tamen eius natura est, cuius est vitium, quod nisi in natura non potest esse: sed in ea, quam creauit ex nihilo, non quam genuit creator de semetipso.

Voluntas bona & mala vnde sit.

Secundò Deus in hoc rerum moralium statu sinit esse diabolos homines, vt Ecclesia hæc militans adæquatè referat seriem editionis primæ Angelorum, qui etsi conditi sint eo apparatu quem gloria postulabat; suasore tamen vno spiritu turgido, plerique alij perculsi eâ aurâ virulentâ, turgidi crepuerunt. Ecclesiæ quæ ab Adamo incœpit, hæc est sanè genuina facies. Erat homo Deo perquàm acceptus, sed allicienteeum diabolo, incautè à Deo deuians à paradiso excidit, vt & Dæmon. Angelos verò omnes cecidisse alio superiore suadente casum, summi Theologi est effatum, affirmans peccatum primi Angeli fuisse causam aliis peccandi. Distinguit autem ille Angelicus Doctor, causam vnam esse quæ cogit, aliam verò quæ inducit, & concludit, primum Angelum non coëgisse alios ad defectionem à Deo, erant quippe omnes Angeli sui iuris, atque adeò nullius alterius Angeli arbitrio addicti: fuisse tamen ait causam inducentem; quippe suo exemplo cacodæmon alios proculdubio perculit ad superbos ausus excutiendi iugum Dei. In huius rei argumentum, noxij omnes spiritus, vni alteri mancipantur, sicut insinuat Christus ea sententia, qua feriendi sunt reprobi in supremo illo mundi agone. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Ita quippe Deus vnicuique cauet, vt cuius suggestioni aliquis morem gerit in culpa, eius imperio subdatur in pœna, iuxta illud Petri. *A quo quis superatus est, huic seruus addictus est.*

Ex Theologia. S.Thom. 1.p. q.63.art.8. Angelus vnus alios induxit ad peccandum.

Matth.25.

2.Pet.2.

Mulieris lapsus, offensionis petram homini obiecit. Ab eo infirmo sexu ruinam hominis auspicatus est diabolus, dubius an daret manus Adam, corporis & animi compage magis valida coalescens. Vtque Diabolus inferiores Angelos dementauit multos; ita & inuidens homini gloriam, à qua ipse Angelus exciderat, astutè hominem inuasit induto serpentis habitu, idoneo suis spiris referre indolem spiritus eius, qui animal illud volubile percellebat ad loquelam hominis ementitam. Totam hanc historiam eruditè recenset Augustinus. *Viuebat homo secundùm Deum in paradiso corporali, & spirituali; neque enim erat paradisus corporalis propter corporis bona, & propter mentis non erat spiritalis. Aut verò erat spiritalis, quo per interiores, & non erat corporalis, quo per exteriores sensus homo frueretur? Erat planè vtrumque propter vtrumque. Postea vero quam superbus ille Angelus; ac per hoc inuidus, per eamdem superbiam à Deo ad semetipsum conuersus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quam esse subditus eligens, de spiritali paradiso cecidit: malè suada versutia in hominis sensum serpere affectans: cui vtique stanti, quoniam ipse ceciderat, inuidebat: colubrum, animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum per quem loqueretur elegit: eoque per Angelicam præsentiam præstantioremque naturam spiritali nequitia sibi subiecto, & tanquam instrumento abutens, fallaciâ sermocinatus est fœminæ: a parte scilicet inferiore incipiens, vt gradatim perueniret ad totum: non existimans virum facile credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori.*

Ex SS.Patribus. Aug. lib.14 de ciuit.c.11.

Angelus nequam quomodo hominem seduxit.

Tantam fuisse perniciē Angelici lapsus arbitratur Thomas, vt omnibus choris Angelorum suum virus offuderit; magis etenim inde liquet liberum arbitrium Angelorum. Rursus in omnibus Ordinibus emicuit illa naturæ excellentia, quæ fuit peccandi singulis quibusque Angelis præcipuum argumentum. Ideo diaboli in Codice sacro nominantur Principes & potestates. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores.* Item Ezechiel eum Cherub nominat. *Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, &c. Eieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub.* Etsi tres hi recenseantur ordines, prætteritis Seraphim, & Thronis; arbitratur tamen Thomas, omnes ordines Angelorum passos fuisse dispendium, ex ruina aliquorum spirituum: sed diabolos non vocari Seraphim aut Thronos, quia sunt nomina quæ denotant gratiam, cuius expertes sunt spiritus illi nequam. Seraphim nomen est referens suppositum æstuans amore Dei. Throni autem sic dicuntur, ob Dei inhabitationem. Cùm igitur Dæmon amoris Dei impos algeat, incongruè diceretur Seraphim, sicut & Throni nomen non competit ei, qui se Deum inhabitantem repulit.

Angeli quidam ex choris omnibus ceciderunt.

Ephes.6.

Ezech.28.

S. Thom. 1.p. q.63. art.9.

Quod autem diaboli dicantur Angeli, Principes, Potestates, & Cherubini, hoc nihil absurdum vehit, quia illæ voces petuntur ab officio, aut à potentia, vel à scientia, quæ omnia possunt esse communia bonis & malis Angelis. Adiicit ille Doctor, ex quouis hominum ordine assumi plures, vt resarciant ruinas Angelorum. Nimirum Ecclesia memoriam recolit plurium Sanctorum dispatis omnino sortis, quales sunt Apostoli, Martyres, Pontifices, Doctores, Confessores alij cælibes, alij coniugati, Virgines, Viduæ. Discolor illa plurium Sanctorum professio, peculiarem situm in cœlis vendicat sibi, sedium autem diuersitas, varios etiam ordines arguit, ad quos Sancti meritis & gratia dispares assumpti sunt.

Angelorum ruinas homines reparant.

Illa sententia non est superis Angelorum choris iniuria; imò illorum magis commendat obsequium, & gratiam Dei singularem, ne aliorum scandalo concussi caderent. Rursus nulli illibati à lapsu Angelorum ordines, homines monent, nulli esse professioni confidendum, quantauis polleat eminentis gratiâ sanctitatis. Sed iuxta Petri oraculum esse satagendum cum tremore, vt vocatio nostra finem sortiatur consonum instituto Dei. Huic morali consilio fidem facit historia, enarrans Principes Ecclesiæ ordines fuisse ruinæ obnoxios, licet antea cuiusque ordinis personæ illæ lapsæ edidissent insignia specimina pietatis. In his ad stuporem accipe vnum Summum Pontificem inchoato Martyrio insignem, scilicet Liberium. Item, Osium virum illustrem, Summi Pontificis obeuntē vices vti Legatum à latere in

Ex Historia. Baro. Annal. tom.3. & 4.

Casus virorū qui sanctitate conspicui fuerunt.

in duobus Conciliis Occumenicis. Alterum Episcopum, videlicet Luciferum Calaritanum, qui sanguine effuso fidem suam subscripserat. Quartum demum Hilarium Diaconum, qui virgis ad lamenam dirè exceptus, illi præfato Episcopo Calaritano deportato in exilium adiectus est. O iudicia Dei lynceis etiam oculis inuia! Summa illa sanctaque capita, non potuere sustinere pondus gloriæ, quæ incumbebat eis, sed nimia mole pressa iugum diaboli subierunt.

Liberij Papæ casus.

Quia Liberij lapsum dubium plerique faciunt, nobiles testes inducere operæ pretium est. Prior occurrit Hieronymus declamans in Fortunatianum Aquileiæ Episcopum Arrianum, qui Liberium fidei causâ exulantem Berœæ compulit vt hæresi Arrianæ applauderet. Sic ille, inquam, Hieronymus, in suasorem impium debacchatur: *In hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ vrbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus solicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Rursus alibi commemorans idem Liberij pessimum facinus, ita fatur: *Liberius tædio victus exilij, in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauit.* Accipe & alterum testem ruinæ tanti Pontificis, scilicet Hilarium, qui Constantij Imperatoris detestatus ingenium, stylum suum in illum acuit vt in auctorem casus Liberij. Sic ille affatur Constantium: *Vertisti deinde vsque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum: & ô te miserum, qui nescio vtrum maiore impietate relegaueris, quàm remiseris.*

Hier. lib. de script. Eccl. in Fortun.

Idem in Chronica.

Hilarius ad Constant.

Impij autem facinoris rem totam, qui callere volet, cupidus lector consulat Sozomenum; ille etenim seriem tanti desertoris quasi oculis subiicit. Audies quomodo è supremo ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ ceciderit Angelus ille Sūmus, cui & in ruina suppar fuit alius supremi ordinis Ecclesiastici spiritus, videlicet ille Osius cuius meminit Hieronymus, & iniquam miseratur sortem, quam deteriorem aliis omnibus ruinis fuisse luget Baronius. Sic ille Cardinalis de historia benè meritus: *Superauit mea sententia lapsus Osij, lapsus præteritorum omnium casuum, siue Origenis, siue Tertulliani, vel quorumuis aliorum dixeris: nullus enim æque ac ipse, neque tanta temporis diuturnitate, tot tantisque publicis actionibus, iisdemque summis, ad statum totius Reipublicæ Christianæ spectantibus, tum in Occidente tum in Oriente perfunctis; nullus inquam æquè vt Osius spectatus est. Cui non Concilio hic interfuit, atque magna pars fuit, vt Eliberino, Arelatensi, Naocæsariensi, Alexandrino, Gangrensi, duobus magnis, atque Oecumenicis Conciliis Nicano ac Sardicensi? Quem tot tantique ponderis legationes Apostolicæ decorarunt? quem in suo ipsius Christianæ fidei tyrocinio Constantinus Imperator inhærescentem suo lateri habere voluit monitorem; quem parentem nomine diceret, atque filiali affectu coleret: hunc illum ipsum Osium quem & Ariani Synodorum principem dicerent, & Niceni Symboli formulam concepisse: hunc inquam in Conciliabulo Sirmiensi ignominiosè prostratum, turpissimè factum esse eiusdem Nicænæ fidei proditorem?* Reuera fuit ille Angelus quondam inter Principes & Potestates,

Sozom. lib. 4. cap. 14.

Hier. lib. de script. Eccl. in Osio.

Bar. in Ann. tom. 3. sub ann. 357

Osij lapsus miserandus.

vtpote non à Principibus tantùm, sed & ab Imperatore in honore habitus, & qui ea potestate præiuit aliis Præsulibus, vt præfuerit multis Conciliis. Tamen ei viro transfugæ ad castra Arianorum affingi potest scomma illud, quo diabolum pupugit Christus: Scilicet. *In veritate non stetit.* Parumque profuit Osio ille editus honorum apex, cuius altitudo ruinam potiorem fecit.

Ioan. 8.

Ex Archangelis vnum accipe insignem illum prælibatum, Luciferum Calaritanum Episcopum suo ab Ecclesia schismate diffamatum. Dicimus Archangelos eos spiritus, qui maiora annuntiant. Eo titulo Archangelus fuit iste Antistes, à summo Pontifice Liberio legatus ad Imperatorem Constantium missus, ad componendas graues controuersias, quibus variè iactabatur Ecclesia, in quam validè arietabat impius Imperator. Archangeli sanè munus arduum obiit ille Antistes, & pectore aperto plagas excepit decreto Principis intentatas; quibus & adiecit Imperator exilium, vt extorrem faceret eum, qui circumferebat animum cœlis ampliorem. Ille tamen tot titulis clarus, fœdè est lapsus etsi aliàs sancti Athanasij elogio prædicatus.

Bar. Annal. tom. 3. sub ann. 354

Luciferi Calaritani lapsus.

Sic ille Sanctus hominem hunc compellat, dum sibi constaret: *Quàm bona & iucunda hortamenta tua ad martyrium! quàm desideratissimam ostendisti mortem esse pro Christo filio Dei! quàm futuri sæculi, & vitæ cœlestis amorem manifestas! Videris esse verum templum Saluatoris, qui in te habitans, hæc ipse per te loquitur, ipse qui tantam gratiam præbuit sermonibus tuis: quippe qui antè eras apud omnes amabilis; nunc autem tantus est amor affectionis tuæ in animis omnium collocatus, vt Eliam nostris temporibus nominent. Et non mirum: Si enim qui Deo placere videntur, filij Dei nominantur; tantò magis participes Prophetarum, Confessores & maximè te, appellare dignum est. Crede mihi, Lucifer, non tu solus hæc locutus es, sed Spiritus Sanctus tecum. Gaude igitur in eo te esse, iam perui dens in quo etiam prædecessores tui tunc sunt martyres, hoc est in choro Angelorum. Gaudemus etiam nos, habentes & exemplum virtutis, & patientiæ, & libertatis. Quia ergo talis es, precatorem te esse pro nobis, per orationes Dominum petimus, vt iam inspicere dignetur (vt est misericors) Ecclesiam Catholicam, & eripiat omnes famulos suos de manibus persecutorum, quo etiam homines hi, qui propter metum temporalem exciderunt, leuare se tandem possint, & reuerti ad viam iustitiæ, à qua seducti, vagantur nescientes in qua fouea sint miseri.* Hactenus ille Sanctus occupatus in panegyri hominis, qui postea immemor sui & gratiarum Dei ab Ecclesia defecit, suo testatus exemplo, quandoque nutare Archangelos, & ad ruinam culmina omnium ordinum inclinari.

Athan. ep. ad Lucif. Calar.

Luciferi Calaritani sanctitas ante casum.

Tanti viri defectionem ab Ecclesia recensere horret Hieronymus sic scribens. *Ventum est ad asperrimum locum, in quo aduersus voluntatem meam, & propositum cogor de Lucifero secus quicquam, quàm & illius meritum, & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? Veritas os reserat, & inuitam linguam conscium ad loquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta rabie luporum, segregatis*

Hier. aduer. Lucif. tom. 2.

Luciferi Calaritani lapsum deplorat Hieronymus.

 paucis

paucis ouibus, reliquum gregem deseruit: bonus quidem ipse pastor, sed multam prædam bestiis relinquens. Quis iam hominum virtutis emeritæ audeat firmum & tenacem sibi statum promittere, cùm ipsi etiam Archangeli deliquio fuerint obnoxij.

Inferioris ordinis Angelorum Hierarchiæ Ecclesiasticæ superest ille Diaconus infelix, nomine Hilarius, qui sanguine suo adscriptus in numerum confessorum aliquando fuit miraculo, & tandem incurius tantæ sibi ascitæ gloriæ, Lucifero adhæsit, Ecclesiam aspernatus. Accipe epitaphium eius apud Baronium. *Cunctis procacior habitus est Hilarius, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, qui non tantum cum Lucifero schismate se ob eam causam ab Ecclesia Catholica segregauit; & addidit etiam hæresim, cùm diceret nullatenus baptismum hæreticorum recipiendum esse: ad quam adstruendam sententiam commentarios scripsit. Hic fuit Lucifero iunctus collega in Legatione ad Constantium Imperatorem, à Liberio Romano Pontifice: ipse enim tunc & verbera expertus, & vincula, & carceres, eadem tandem sententia qua Lucifer, ab eodem Imperatore damnatus atque proscriptus, in exilium missus est. Sed infelix, gloria nobilis confessionis elatus, spernens eos qui ceciderant, non solum vnà cum Lucifero schismate se ab Ecclesia separauit, sed plus quàm ille præsumens, hæresim ad schisma superaddidit.* Hactenus ille religiosus historiarū indagator.

Baron. Ann. tom. 4. sub ann. 362.

Hilarij Diaconi lapsus horribilis.

In iniqua hac hominum sorte qua cum Angelis conueniunt, in quorum omnium ordines irrepsit mendum, homo Angelo præstat, vt Deo miserante redux fieri possit à deliquio suo, & ita assurgere ad deperditas infulas, vt videre est in Liberio, Osio, & Lucifero, quorum casus excepit melior inde status, vt probare nititur Cardinalis Baronius. Ast Angelus vbi semel à via aberrauit, repedare nequit. Ratio petenda à Theologis, qui affirmant, mortem homini, & casum Angelo, res esse concolores, quia eodem modo se habent ad gratiam repetendam Angelus lapsus, & homo mortuus. Sed homo defunctus in peccato lethali, in æternum erit expers gratiæ; ergo & Angelus Deum auersatus, gratiâ illius vnquam poterit insigniri.

Ex Theologia.

Thom. 1. p. q. 64. art. 2.

Obstinati Dæmonum ingenij causam istam accipe; scilicet vim appetitiuam in omnibus proportionari apprehensiuæ, à qua mouetur sicut mobile à mouente: appetitus enim sensitiuus est boni particularis, voluntas verò vniuersalis, sicut & sensus apprehensiuus est singularium, intellectus verò vniuersalium. Differt autem apprehensio Angeli ab apprehensione hominis in hoc, quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus: homo verò ratione duce apprehendit mobiliter discurrendo de vno ad aliud, suapte natura accinctus ad vtrumque oppositorum. Hinc & voluntas hominis nulli obiecto adeò addicta est, quin & alteri opposito queat adhærere. Angelus verò secùs, quando in aliquid fertur, totum se explicat, & quidquid virium habet illud exerit, impos resilire ab eo scopo, ad quem voluntas eius Angelica collimauit. Itaque si voluntas Angeli attenditur ante adhæsionem, potest liberè adhærere, & huic, & opposito eius, in his scilicet quæ non naturaliter vult. Sed vbi adhæsit alicui obiecto, se ab eo expedire nequit, vtpote tenax. Et hinc Theologiæ effatum, videlicet liberum hominis arbitrium flexibile esse ad oppositum & ante, & post electionem; Angeli verò nequaquam, quia quidem liberè eligit, sed obiecto electo nequit dare repudium, fitque ex natura Angeli, vt vtrique, boni & mali tenaces sint, in ea sorte quæ contigit eis; ita vt beati gestiant, reprobi verò mœreant in æternum, vt scitè meditatur Augustinus hoc contextu. *Angeli natura optimam se institutam docet, etiam ipso suo vitio, quo ideo miser est, quia non fruitur Deo, qui casum Angelorum voluntarium iustissima pœna sempiterna infelicitatis obstrinxit, atque in eo summo bono permanentibus cæteris, vt de sua sine fine permansione certi essent, tanquam ipsius permansionis præmium dedit.* Qua autem cautela homo deterior factus Dæmonis astutia, queat repetere priscum animæ suæ decus; & nitorem, hoc est pensum partis alterius huius sectionis, cui antequam ego faciam satis, velim vt morem geras mihi optimo consultori.

Angeli quare sint inconuertibiles.

Angelos non posse peccare præmium est eorum erga Deum affectus.

Ex SS. Patribus. *Aug. lib. 22. de ciu. Dei cap. 1.*

Ne diaboli paveas astum, caveas fastum.

Pars altera Sectionis.

Qua ratione queat homo æmulari statum Angelorum.

Ingenita nobilitate homò eminet aliis creaturis editis infra cælos; quippe in homine coëunt omnes illæ dotes, quas natura alibi parca manu distribuit. Suntque qui crediderint, omnium rerum semina hominibus insita, quasi penes eos esset sese componere in figuram illam, quæ magis eorum congrueret arbitrio. Simile quidpiam edidit Augustinus. *Deus bonis & malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit.* Quasi diceret ille Sanctus, posse hominem assurgere ad Angeli statum, aut pecudum inire consortium, quia penes illum est excolere semina vitij, aut virtutis, à quibus petitur nomenclatura Angeli, siue boni, siue nequam.

Homo in se habet aliquid de omnibus.

Aug. lib. 5. de ciuit. c. 11.

Qua verò ratione fieri possit homo Angelorum consors, illud est scrutinij secundæ partis huius, quam ordior ab hoc oraculo: Quantùm se homo à corpore expediet, tantùm accedet ad Angelos. Assertionis huius veritas petenda est ex Philosophiæ fontibus, quibus liquidò est, medium aliquod conueniens cum duobus extremis inuicem oppositis, induere naturam illius termini, cuius oppositum omnino respuit. Vernaculum exemplum prostat in aëre, qui medius est inter ignem & aquam: si calore omni abdicato aër alget, condensatur & quasi æmulans naturam aquæ, primò madet, deinde desudat & fit aqua: & hinc Aristoteles petit prima omnium fontium incunabula, affirmans ideo perennes esse fontes, quia in abditis terræ recessibus concamerata distenduntur antra, aëre multo fœta, vbi extincto calore frigens aër stillat,

Ex Philosophia. *Arist. l. 3. de cælo c. 5.*

Fontium origo qualis sit.

Angelus esse potest homo moraliter.

stillat, iugique suo stillicidio parturit fontes. Ita & dixerim homines medios inter Angelos & pecudes, conuenire cum Angelis animâ tenus, cum bestiis verò secundum corpus; qua parte sui Angelum spectat, homo igneus est, vt ea portione, quæ illi & pecori communis est, multo rigore concretus. Si instar Angeli amore Dei flagrat homo, eo igne liquata caro pessum ibit, & homo eo impedimento liber, & planè alienus à bestiis, Angelis adscribetur. Eò collimat Apostolus, quando distinguit & explicat viuere secundùm carnem, & secundùm spiritum, esse equidem dispares prorsus viuendi ritus. Quippe homines Angeli fiunt, sectantes ea quæ sunt spiritus; pecudes verò, si ad corporis arbitrium carni indulgent, & ei penitus adhærescunt.

Ex SS. Patribus. *August. l. 14. de ciuit. Dei. c. 4.* Homines carnales quinam sint.

Augustinus inde dispescit beatorum spirituum choros à colluuie reproborum. *Diximus hinc extitisse ciuitates duas diuersas inter se, atque contrarias: quod alij secundum carnem, alij secundum spiritum viuerent: potest etiam isto modo dici, quòd alij secundum hominem, alij secundum Deum viuant. Apertissimè quippe Paulus ad Corinthios dicit: Cum enim inter vos sint æmulatio, & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Quod ergo est ambulare secundum hominem, hoc est esse carnalem: quod à carne, id est, à parte hominis, intelligitur homo. Eosdem ipsos quippe dixit superius animales, quos postea carnales ita loquens: Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sic & quæ Dei sunt, nemo scit nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur: non in sapientia humana doctis verbis, sed docti spiritu, spiritualibus spiritalia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia est enim illi.* Talibus igitur, id est, animalibus, paulò post dicit. *Et ego fratres, non potui loqui vobis quasi spiritualibus.*

Ex Philosophia. *Colligitur hoc axioma ex Arist. l. 7. metaph. text. 54.*

Augustinus hoc tenore approbat Philosophiæ effatum, quo singulæ quæque res debent à potiori parte nominari; siquidem, vt se res habet ad essentiam, ita & ad nomen; nomina quippe tantùm sunt symbola quædam idonea rerum indagini. Verbi gratiâ, in composito coëunt materia & forma; res autem ex parte vtraque coalescens non denominatur ab ignobiliori parte, sed ab ea, quæ principem obtinet locum, scilicet forma, à qua compositum vt emendicat esse præcipuum; ita & etiam nomen accipit. Sic se omnino res habet in moralibus: nam quidquid dominatur homini, illud idem ei affingit nomen suum, diceturque homo spiritalis à dominio spiritus, vt & carnalis, si humili carnis obsequio mancipetur. Etenim spiritus, & caro, prout eminent in homine, moralem ei ingerunt habitum, vnde homini tituli inglorij, aut nobiles inuruntur. Vt ergo queat homo dici Angelus, debet quàm maximè à corpore recedere & ab eis, quæ ad carnem spectant, vt abdicatis omnibus illecebris, spiritui vacet, & eius suffragio possit spiritualem Angeli titulum vsurpare.

Thom. 3. Physic. lib. 5. text. 22.

Ex SS. Patribus. *Augustin vbi supra.* Angelos quomodo queat homo imitari.

Fuit ea mens Augustini, esse penes hominem titulum spiritualem aut carnalem: quippe spiritu, & corpore concretus homo, in vnam inclinans partem, ab ea nomen capit, vt ait Augustinus. *Et ab anima, & à carne, quæ sunt partes hominis, potest totum significari, quod est homo: atque ita non est aliud animalis homo, aliud carnalis: sed idem ipsum est vtrumque, id est, secundum hominem viuens homo.* Theologia liquidiùs meum intentum prodet, vtpote disciplina rerum arduarum, & probè callens indolem Angelorum. Ita monet illa scientia: Si quis vult referre moribus Angelos, ille debet æmulari typum, cuius speciem animis ingerunt Angeli. Sed ea species est Deus ipse, quam si non graphicè linearet Angelus, à seipso plane deficeret. Illud autem, in quo præcipuè Angelus Deum refert, est gratia, quæ ex Theologia est participatio diuinæ bonitatis. Ergo totis viribus anhelare debet ad gratiam omnis qui Angeli ritu vult viuere, cùm potiora lineamenta, quibus Angeli sunt ad similitudinem Dei, petantur à gratia, cuius deliquium passi plerique Angeli, cacodæmones effecti sunt. Rursus: gratia tales aliquali modo homines efficit, qualis est ipsa: at ea transcendit omnia carnalia, & est exosa illecebras omnes, quibus caro spiritum illaqueat: ergo libellum repudij debet dare carni quisquis cogitat de adipiscenda gratia, & forte beatorum spirituum æmulanda. Demum quæ sunt eadem in vno tertio, erunt eadem inter sese: ergo quisquis eo modo feretur in Deum, quo & Angeli, ille eorum consors erit. At Angelis nullas moras corpora efficiunt, nec eos vnquam carnis cupediæ præpediunt. Igitur animus exuat ea quæ carnem sapiunt, si ad Angelorum choros nititur euolare. Et vt terminis omnibus insolitis ista liqueat assertio: Secundùm Deum viuat, & non secundùm hominem, quisquis optat dare nomen suum ordini Angelorum.

Ex Theologia. *Thom. 1 p. qu. 43. art. 3. & 3 p. qu. 2. a. 10. ad. 1.*

Homo quando fit diabolo similis. Ex SS. Patribus. *August. lib. 14. de ciuit. Dei. c. 4.*

Denuò audiendus Augustinus ita fatus: *Cùm viuit homo secundum hominem, non secundùm Deum, similis est diabolo: quia nec Angelo, secundum Angelum, sed secundùm Deum viuendum fuit vt staret in veritate.* Vide vim argumenti illius Sancti Patris. Angelus & homo facti ad imaginem Dei, tantùm sibi constant, quantùm stat illa veritas, scilicet eos esse ad imaginem & similitudinem Dei; at Deus veritas est, atque adeò omne illud quod eum prototypum exprimit, debet esse procul à falso. Est autem falsum si sit carnale, aut deuians à summo bono; siquidem Deus spiritus est, & summum bonum. Ideoque duntaxat in eo veritas elucebit, qui spiritualis erit, & adhærens summo bono: & hoc Augustino secundùm Deum & veritatem viuere nuncupatur. Sic ille: *Cum itaque viuit homo secundùm veritatem, non viuit secundùm seipsum, sed secundùm Deum. Deus est enim qui dixit: Ego sum veritas. Cum vero viuit secundum seipsum, hoc est, secundùm hominem, non secundùm Deum, profectò secundum mendacium viuit: non quia homo ipse mendacium est, cum sit eius auctor, & creator Deus, qui non est vtique auctor creatorque mendacij; sed quia homo ita factus est rectus, vt non secundùm seipsum, sed secundùm eum, à quo factus est, viueret, id est, potius illius quam suam faceret voluntatem: non*

Idem vbi supra.

Vita secundùm veritatem, quæ sit?

autem

autem ita viuere, quemadmodum est factus vt viueret, hoc est mendacium. Beatus quippe vult esse, etiam non sic viuendo vt possit esse. Quasi diceret, reuera esse portentum, vitam agere pecoris, & ambire tamen Angelorum sortem, quam vt quisque assequatur, debet Angelorum ritu viuere: alioquin valde hallucinatur, arbitratus se Angelis adscribendum, si nolit ea, quæ Angelos efficiunt, & velit ea, quibus pecudes assuescunt. Pergit Augustinus. *Quid est hac voluntate mendacius? Vnde non frustra dici potest, omne peccatum esse mendacium. Non enim fit peccatum, nisi ea voluntate, qua volumus vt benè sit nobis, vel nolumus vt malè sit nobis. Ergo mendacium est, quod cum fiat vt benè sit nobis, hinc potius peius est nobis: vel cum fiat, vt melius sit nobis, hinc potius malè est nobis. Vnde hoc, nisi quia de Deo potest benè esse homini, quem delinquendo deserit: non de seipso, secundum quem viuendo delinquit?*

Ibidem.

Peccatum quare dicatur mendacium.

Homo spiritualis quisnam sit.

Compendiosa sanè via hæc est ad Angelorum statum, abiurare omnia quæ carnis sunt, & à quibus quisque reprobus dicitur homo, sicut & à virtute, boni spirituales dicuntur, sicuti Paulus insinuat. *Fratres si præoccupatus fueris homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Chrysostomus locum illum versans sic expendit. *Is qui peccat, homo; qui verò benè operantur, spirituales dicuntur. Hic virtutis vocabulum posuit, illic naturæ nomen dixit. Multum autem differt homo, & spiritualis.* Et Apostolus ipse suo viuendi ritu referens Angelicum schema ait, se procul esse à carne, vt vel hinc innueret, esse carnalia omnia abdicanda eis qui nobiliorem sortem ambiunt. Ita ille monet: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Sed arma militiæ nostræ non carnalia sunt.* Anselmus conscius arcanorum Pauli, mentem illius prodit sic enucleans hunc contextum. *Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed spiritualia, & potentia Deo regi nostro, cui militamus: Ideo arma, quia repugnant vitiis, & debellant regnum diaboli. Potentia Deo, vt per hæc valenter expugnemus inimicos eius, & subiciamus ei orbem vniuersum.*

Galat.6.

Chrysost. hom. De Abraham.

2.Cor. 10.

Anselm. in eum locum.

Ex Historia.

Lares & lemures olim quid.

Profanâ etiam historiâ liquet, homines non mereri Angeli nomen, quandiu importuna patiuntur corporis inuolucra. Homines enim illi, qui vixere in opaco instituti Gentium, aliqualem Angelorum notitiam adepti sunt, dum plures distinxere Deorum classes, quosdam arbitrantes vti potiores, aliis eminere. Huius sententiæ, si non auctor, saltem propugnator fuit Plato, quem sic meminit Alexander ab Alexandro: *Fuit Platonis opinio homines qui summa integritate vixissent, post fata effici lares: si verò improbi detestabilesque fuissent, lemures. Ipse enim trinas Deorum fecit species: ex quibus vnus est summus, primus & solus Deus, alteri medij, quos cælicolas vocat: tertij qui Diis sunt minores, cælicolis maiores.* Ex eo delirio Platonis colligere est, innotuisse ei Angelos, quos cœlicolas vocat, ea tamen lege vt corporis exuuias posuissent, antequam eo dignarentur honore, homines adsciti in illorum Deorum numerum, quos Gellius, & Liuius Indigetes vocant, quasi diuites, & non indigentes, seu potius Indigetes quasi in Diis agentes. In his censetur Æneas à Principe Poëtarum.

Alex. ab Alex. lib.6 dierum. genial c 4.

Deorum tres species fecit plato.

Gellius lib. 2. c 16.

Liuius lib. 8. ab vrbe condita.

Indigetem Æneam, scis ipsa, & scire fateris.
Deberi cœlo fatisque ad sydera tolli,

Virgil. Æneid. 12.

Cæterum etsi cæcutiens Gentilitas, vidit tamen non coïre res diuinas & corpora, atque adeò noluit referre in Deorum album homines superstites, sed defunctos, ne crederet imperitum vulgus corpora consecrari. Cui errori obuiam iuit solenni illo ritu, quo dictura Deos Cæsares, sanxerat eorum corpora concremari. Apotheosim, id est, Deificationem illam religiose recenset Alexander ille antea prælibatus. Sic ille Apotheosim commemorans: *Hanc quidem sic fieri nouimus, vt Imperatore, qui referendus in Deos & consecrandus erat, vita functo, pyram in tabernaculi formam construerent, quod auro, & ebore, signisque & tabulis pictis exornatum mirifice, alio desuper breuiori vsque ad tertiam contignationem erigebant, aquila cum omnium odorum aggestu in summo culmine locata: lectoque constrato purpura, & auro, in quo defuncti effigies iacebat. Senatus, equester ordo, ac viri triumphales, quique amplissimos honores gesserant, procedentes lectum deferebant in pyram, cum carmine & hymnis, omnibusque humanis diuinisque aggestis honoribus. Demum incensa pyra, cum vapore, & fumo aquila agitata, è summo culmine tabernaculi aera petisset, religio incussa fuit, ipsius animam per inane cœlum petisse, ipsumque defæcato quod mortale erat & caducum, in numero cælestium, & concilio Deorum recipi, & haberi.* Hactenus ille eximius rituum veterum indagator, qui appositè ad conclusionem meam de corporeis omnibus abdicandis, ait Cæsares non fuisse Deos creditos, nisi defæcato quod mortale erat & caducum, & hoc isto etiam argumento constare potest, quo & transitus hominis in Angelum stabiliri potest. Qualis autem sit discursus, accipe.

Macrob. lib. 1. de somn. Scip. c. 9.

Alex. ab Al. vbi supra.

Apotheosis quid sit.

Quisquis Dei aut Angeli nomen ambit, ille à se eliminare debet id omne quod præcipuè Deo, aut Angelis aduersatur. At nihil magis a Deo & Angelis alienum est quam corpus, quia Deus & Angeli spiritus sunt. Corporis ergo omne commercium abdicet is, qui cogitat transitum ad castra Angelorum; siquidem ex Philosophia, spiritus, & corpus sunt termini disparati, id est, naturæ disparis. Rursus vna eademque res nequit esse simul corruptioni obnoxia & incorruptibilis. Sed spiritus est incorruptibilis, corpus verò secus, ideoq; homo corpori addictus nequit esse Angelus; quippe potest malè suada carne, in aliquam incurrere corruptelam. Adijce, corpus omne esse quantum, atque adeò diuisibile; partitio enim est passio quantitatis. Sed spiritus omnis est diuisionis impatiens; est namque vbique totus. Et eamobrem homo conscius adhuc corporis sui nequit dignari nomine Angeli, quia Angelus totus vbique est, aut in Deo, vt beati spiritus, aut in se, veluti diaboli atque ita homo sui adhuc corporis amans, aliquali parte sui Deo adhærens, alia verò parte illecebris captus, omnino recedit à natura Angeli, qui vt spiritus, est diuisionis expers, sicuti liquidò est Damasceni definitionem indaganti, ex quo, *Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera,*

Ex Philosophia.

Simplicius in prædicam. qu. 106.

Albert. Mag. in lib. 3. Physic. tract. 1. cap. 4.

Ex SS. Patribus.

Damasc. l. 2. de fide orthod. cap. 3.

libera, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem suscipiens, secundùm gratiam non naturam.

Angelus & anima quare distinguantur. Hac descriptione, anima physicè dispescitur ab Angelo, qui dicitur substantia intellectualis, quod tamen de homine prædicare, nefas: quippe licet sit homo rationalis, eius ille gradus est infra Angelos, quia ratio est virtus collatiua causæ & causati, & ideo composita, vt; Omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal. Syllogismus enim nihil aliud est, quàm discursus à causa in causatum. Intellectus autem de ratione sui longè est à compositione, & collatione, sed est sine scrutinio, & compositione, ideoque magis congruit naturæ simplici pro differentia eius. Item quadrafariam anima distinguitur ab Angelo. Primò, penes esse naturale est inter Angelum & animam intercapedo magna, quia anima etiam discreta à corpore, ei tamen vnibilis est; Angelus verò secus. Secundò, quoad esse logicum, id est, definitionem. Nam Angelus est persona, quod de anima nequaquam dici potest, siquidem ea est substantia incompleta. Tertiò quoad esse metaphysicum, id est, separatum à materia, & à motu, quia Angelus non habet passibilitatem nisi respectu superiorum, anima verò respectu inferiorum; quippe immutatur à sensibilibus. Demum Angelus & anima differunt penes esse Theologicum, nimirum anima vertibilis est de bono in malum, quod & Angelo minimè conceditur, vtpotè nunquam resiliente ab obiecto, in quod assueuit se totum effundere.

Sed esto dissiti sint homines & Angeli physicè spectati; nihil tamen obstat, quin in genere morum homines referre queant Angelos, si pro modulo suo deponunt obices, qui naturæ indolem omnino dedignantur. In ea classe est nimia animi propensio in corpus, hominem inclinans ad carnis vilia obsequia: nam

Angelorum aspectum quis possit mereri. si sola Angeli visio Danielem propè exuit corpore suo; ipse hominis in Angelum transitus quomodo animum omnino addictum corpori sustinebit? Audi Danielem qui visionis huiusce memor repetit suum cum Angelo colloquium.

Daniel 10. *Dixi ad eum qui stabat contra me: Domine mi in visione tua dissoluta sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.* Maiorem ego posci apparatum crediderim, ad moralem repræsentationem Angeli, quàm ad simplicem intuitum eius, qui si dissoluit luteas has compages, eas sanè moralis effictio colliquabit.

Chrysost. hom. 22 in cap. 5. Genes. Angeli luxuriosos horrent. In ea fuit sententia Chrysostomus ita fatus: *Si Sancti, & qui Spiritum Sanctum assecuti sunt, neque visionem Angelorum videre potuerunt: enimverò vir desideriorum conspectâ Angeli præsentiâ, non tamen substantiâ; quo pacto enim videri possit incorporalis substantia? sed transformatione solùm quadam visa, parum aberat, quin & animam relinqueret defectis viribus: tantus ac talis vir penè absque spiritu iacebat; quis etiam valdè insanus comprobaret talia verba dementia plena, quòd incorporea & spiritalis natura corporis complexum ferret?* Hæc ille, cui conclamo, vt declamem in villa capita deuota ditis, quibus se abdominis ingluuie, & fœda Venere manciparunt. O hypocritæ, frustra compositi in ementitæ virtutis imaginem, perperam aspiratis ad superos Angelorum choros, quandiu patiemini iniquum corporeæ illecebræ famulatum? Etenim ex Sancto illo iam laudato, vt Angelus est naturæ defæcatæ, ita & quosque refugit corporis implexus; atque ita non arduum tantùm, sed impossibile negotium tentat ille, qui Angelorum ambit infulas, & spurcissimam tamen corporis illuuiem iugiter insectatur.

Sed inquies, parum est dixisse, sarcinam carnis esse deponendam his qui aspirant ad beatarum illarum mentium sortem, si non adiicias modum, quo arctiores quique nodi diluantur, quibus anima corpori deuincitur. Præstò sum & indico modum illum, quo felices Angeli demeruere Deum, gloriam interminam postea consecuti. Liquidò est pugnasse Angelos, & suasori impio restitisse fortiter, cùm eos sollicitauit ad ausus illos nefarios, quibus ille esse Deo concolor appetebat. Reuerà in discrimen venit tota natura Angelica, & quò quisque Angelus natura nobiliore refulsit, eò etiã ruinæ suæ propior fuit. Quod vt pateat præmonet Thomas esse duo attendenda in peccato, propensionem scilicet, & motiuum illius peccati, de quo controuertitur. Si inclinatio ad peccatum spectetur, minor sanè fuit in superis Angelis, quàm in inferioribus, quia quò quis Deo similior est, eò etiam ad bonum procliuior est, & malum omne refugit. Ast Angelus quò aliis eminet, eò etiam magis ad Deum accedit; ergo & à peccato procul est. Ideoque Damascenus eo argumento ductus, eos Angelos qui peccarunt fuisse infimos arbitratur. Si verò motiuum illud mediteris, quo superbiit Angelus propriâ suâ excellentiâ dementatus, illud fuit quàm maximè vegetum in perfectissimis quibusque Angelis, præeuntibus aliis gloriâ singulari. Eamobrem Gregorius autumat, summum omnium Angelorum cecidisse, quia suæ rutilæ indolis impos fuit. Sed esto sit sub iudice lis hæc: Hoc vnum & fixum & ratum est, Angelos fortiter se gessisse repugnando, & denique humiliando se diluisse technas, quas eis superbiens Angelus intentarat. Hinc duo exurgunt media idonea ad æmulandum statum beatorum spirituum. Primum est constantia, cùm in tentationibus eneruandis, tum in aduersis quibusque superandis. Alterum est humilitas, cuius obsequio beatis Angelis sua omnia integra constiterunt.

Ex Theologia. Thom. 1. p. qu. 63. art. 7. Angelis ad peccandum qualis fuit occasio. Damasc. lib. 2. de fide orthod. cap. 4. Greg. hom. 34. in Euang.

Ex Philosophia. Albert. Mag. in lib. 4. metaph. tract. 1. cap. 8. Auspicemur ab aduersis, & scrutemur quàm apta sunt ad nos inscribendum Angelorum albo. Sic arguo: Vt se habent naturalia adinuicem, ita & moralia; sed in Physicis vnum contrarium imbelle cedit fortiori; ergo & in moralibus vnum contrarium debile, obiectu potentis alterius contrarij pessum ibit. Verbi gratiâ, carnis illecebræ, quibus anima inflectitur ad malum, si ingruat aliqua acuta molestia, illico compescuntur. Ratio rationis hæc est, petita ex Philosophiæ fontibus, scilicet facultatem sensitiuam præire appetitiuæ potentiæ rationali, cuius bonum omnino aliud est à bono sensitiuo, vnde fit vt sensus nescij alterius boni, animæ illudant, & imponant nullum esse aliud bonum magis idoneum homini quàm bonum sensitiuum, vtpote corpori applaudens. Eo pacto anima hallucinans, & quæ suffragio sensuum eruditur, si eis credula attendat, pessimè habebit. Ea quippe est corporis & animæ

Aduersitates nos à carnalibus separat.

animæ affinitas, vt alternas inuicem sibi vices pendant. Ita vt quandoque caro se quatur animæ ductum, aliàs verò anima sit illecebris carnalibus irretita. Vt ergo anima distrahatur ab ea voluptate, qua pruriunt sensus, quibus incautè assentiens, fit illa sensualis pecudum instar; operæ pretium est suggerere consilium, quo cautior anima declinet iniquum corporis irritamen; à quo si se prudenter expediat, proculdubio sui iuris erit, & superius inuestigare bonum poterit consonum spiritui, videlicet Deum, cui adhærere, est ab importuna carnis sarcina defæcari.

Lethargis quare ignis admouetur.

Opportunum illi malo remedium est ingruens aduersitas, quia hæc efficiens carnem veluti inuiam voluptati, eo pacto animam integram seruat. Etenim quando vritur caro acri molestia, dolor emergens facit vt sit sensus obtusior: sensu autem infirmo, fit anima validior ad indaginem boni sui, à quo hallucinans antea deuiabat. Cùm ergo molestiæ imbelle faciant corpus inimicum spiritui, vegetior inde animus factus, & à carne abstractus fiet æmulus Angelorum. Validum in eo themate petitur argumentum à re medica, quæ lethargos pungit & vellicat, ne decumbens æger totus indormiat, illectus suaui sopore, qui delinit sensus, quos affluens humor nimius alluit. Stimulata caro spiritus immersos humoribus excitat, vt incalentibus illis natura recreata faciliore negotio sospitetur. Concutitur plerumque caro angustiis, vt sopitus animus alacrior fiat, & assurgat ad speciem Angeli pro modulo referendam. Fauet Dureti effatum. *Vnaquaque pars dum benè vales, spiritu abundat, sed dum malè, ichoribus acribus & sæpe venenosis, qui adurunt epiderma, & pruritus generant.*

Ex re medica. *Duret. in coac. l. 2. c. 19. pren.*

Assertore Paulo Apostolo, vigent animæ vires, corpore infirmo. Sic ille: *Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Si ergo infirmitas carnis animam firmat, benè inde valet, atque adeò spiritu abũdat; abundare autem spiritu, & corpore infirmari illud est, Angelum esse moraliter, sicut & innuit ille Apostoli textus, monens inhabitare virtutem Christi, si vrgent angustiæ. Itaque hæc esto via regia ad assequendos Angeli mores; Gloriari in infirmitatibus; siquidem eis fit caro inermis, & anima robustior. Homo in aduersis Angelorum ritu totus in Deum fertur corpore profligato. Imò & potiorem Angelis censuere Patres eum, qui æquo animo patitur aduersa, & Deo adhæret tenaci animo, frustra corpore reluctante.

1. Cor. 12.

Angeli ministrant afflictis. Patientia nos facit superiores Angelis.

In argumentum fidei suæ Sancti aiunt, etiam Angelos ministrasse hominibus sorte iniqua oppressis; & hoc ministerium Angelorum arguere aliquid sublimius in homine. Chrysostomus in ea fuit sententia, quam astruit ex agone Petri, quem meminit Lucas. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri excitauit eum.* Cui dabis primas, Angelo, an Petro? Par hoc reuera beatum, sed in

Actor. 12.

Ex SS. Patribus.

Petro aliquid eminere ait Chrysostomus, cuius accipe sententiam, controuersiam totam dirimentem. *Hic si quispiam mihi dixisset, elige vtrum velis, vis esse Angelus Petrum stimulans, ac soluens, an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem esse, propter quem Angelus descendit. Vinculis istis potiri libuisset.* Hæc ille, cui & Augustinus assentitur, commemorans Tobiæ agones eximios, quorum & spectatorem vtique & ministrum habuit Angelum Raphaëlem, qui vt securius obsequi posset vtrique Tobiæ, Azariæ nomen induit: *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Viri illius grandæui æquanimitatem admirans Augustinus hæc eruditè fatur. *Ad hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, vt Angelum susciperet medicum. Quid meruistis Tobias pater, filiusque Tobias? Mercenarium habere cælestem, & tanquam operarium locare terrestrem? Celauit vobis Angelus nomen: Azarias sum, inquit, & non dixit: Ego sum Raphael Angelus. Si enim diceret: Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.*

Chrysost. hom. 8. in cap. 4. ad Eph. Tribulationis quanta sit dignitas.

Tob. 5.

August. serm. 118. de temp.

Vide ergo quàm delirent homines in arcto positi, causantes, angustias hominem deprimere & obstare, quin assurgat ad præclara facinora: cùm etiam eruditi quique, vt sunt duo hi prælibati auctores, nihil probent deperire homini afflicto, sed ei potius affirment addici gratiæ & honoris incrementum. Et hoc etiam Iure Cæsareo liquet, quo ipse Imperator sanxit, multas esse irrogatas quandoque pœnas, quibus nihil honori detrahitur. Accipe legem. *Nullum ab initio benè natorum, ex supplicio permittimus fieri seruum. Neque enim mutamus nos formam liberam in seruilem statum: qui etiam dudum seruientium manumissores esse festinauimus.* Nemo sanè hominum benè natorum, id est, eorum quos Dei gratia ingenuos facit, vllà vrgente molestiâ deterior effectus est, imò stimulante angustia, plerique recolentes Deum, Deo inde notiores, in filiorum eius numerum fuere coaptati. Et esto grauaremur ab infimis causis, nonne superest effugium, quod Iure etiam Canonico conceditur querulis quibusque hominibus iniuriam passis: Ecce Canon. *Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam, & Apostolicam Sedem appellet, & ad eam quasi ad caput, suffugium habeat, ne ipse innocens damnetur.* Hanc sanctionem Sixti Pontificis, Marcellus item Papa simili firmauit decreto, isto videlicet. *Ad Romanam Ecclesiam omnes Episcopi qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suffugere, eamque appellare debent, vt inde accipiant tuitionem, atque consecrationem.*

Tribulatio non est obex ad salutem.

Ex Ivre Civili. *Nouell. 22. c. 8. De Nuptiis* Tribulatio compellit appellare Deum. Ex Ivre Canonico.

Can. Si quis 2. qu. 6.

Can. ad Romanam 2. qu. 6. Romanam sedem quisque potest appellare.

O aduersitatum singulare beneficium, consecrationem præstans & tutamen! Cùm audis consecrationem duo intellige; nam consecrari idem est ac sacrari simul. Hoc præstat aduersitas; ad Deum Summum Pontificem nostrum nos adigit, non ad tutelam tantùm, sed vt ab eo consecremur. Duo namque fiunt sacra, beneficio cuiusque angustiæ, anima scilicet & corpus: quippe afflictio illecebrarum sensum tollit; caro autem sic subducta cupediis huiusce sæculi, Deo facilius addicitur; at Deo se totum deuouere, illud est Domino consecrari. Anima namque duce caro Dei iugum subit, & anima nullis illaqueata nexibus corporeæ voluptatis effundit

effundit sese in Deum liberius. Et hæc effusio nihil omnino finit vsibus humanis, Deo solo moderante ea quæ sunt corporis & spiritus hominum afflictorum. Et ne recedam à titulo sectionis, Angelorum chori, hierarchiæ id est sacri ordines appellantur. Idémque etiam commune nomen sortiuntur illi, quos afflictio decoxit; quia dum cedunt in ius Dei, & abdicant profanos omnes ritus vtpote consecrati Deo, reuera ordinem priscum mutant, & inaugurati titulo nouo, beatarum mentium sacro ordini coaptantur; cui nomen suum dare maluit olim Chrysostomus, quàm choris Angelorum, dum supra professus est, se magis inuidere statum Petri patientis.

Multi acceptâ iniuriâ appellantes summum Pontificem, hoc debuere ærumnis suis, quòd earum obsequio cogniti fuere Pontifici, à quo benè accepti, hanc habuere gratiam molestiæ, quòd fuerit eis benefica magis quàm malefica. In hoc Deus non est summo Pontifice inferior, quòd agens in humanis, & nostris assuetus iniuriis, vult & valet eis occurrere. A Deo est, quo mœrentes etiam cum Paulo gestiant in vinculis. *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Si quidpiam aduersum arietat in te, id ex composito geritur totum ad arbitrium Dei volentis te segregare ex infima hominum fæce, vt te tersiorem choris inserat Angelorum. Nec est quòd æmuleris sortem Eudoxiæ, cùm tua tantùm præstet ei, quantùm cælestia terrestribus.

Hebr. 4.

EX HISTORIA.

Nobilem eius accipe historiã. Fuit Eudoxia filia Leontij Philosophi perquàm celebris æuo suo; ille filiam suam liberalibus instructam disciplinis, moriens noluit conscribere hæredem, dicens veluti præscius, manere eam fata insignia. Vnde mens ei hæc præsaga, nescio; nam Gentilis erat, cui astrorum peritia plerumque dubia non potuit certam fidem efficere gloriæ instantis, cui litauit Athenaïs; sic enim nuncupabant virginem illam, eius indigenæ. Elato Leontio, Athenaïs agit de testamento inofficioso, & Cæsarem appellat. Vbi verò Constantinopolim appulit, statim omnibus innotuit puella egregia, multâ corporis & animæ dote conspicua. Patriarcha nomine Atticus miseratus iniquam illius sortem, à Christo alienam, vtpote Gentium ritibus implicitam, eam initiauit sacris mysteriis, quæ vt pollebat acumine ingenij, ebibit statim, & demum sancto tincta Baptismate facta est Christiana. En præludia gratiarum, quas enixa est aduersitas Eudoxiæ; eo enim nomine dignata est in Baptismo, vtpote congruo egregio facinori quod patrabat. Vox hæc εὐδοξία, significat claritatem nominis, bonam famam. Dictio affinis est verbo εὐδοξέω, sermone hominum celebror. Itaque virgo, cui pater fuerat iniurius, transfundens suos census in alias ædes, tantùm abest, vt subobscura fuerit hanc passa molestiam, quinimò clarior inde toti orbi illuxit. Nam aditura tribunal Cæsaris, illi ideo cognita, perculit animum eius eo amore, qui fuit pronubus nuptiarum, quas cum Eudoxia iniit Imperator Theodosius iunior, coniugium illud toto etiam Imperio comprobante.

Socrates lib. 7. cap. 21. Eudoxiæ fortuna cœpit ab aduersitate.

Marcellin. in Chronic.

Nonne angustiæ virginis huius ethnicæ, in ordinem fidelium eam euexerunt? & initiatam sacris Ecclesiæ, summis infulis Imperij postmodum ornauerunt? Dixi potiorem esse gratiam, quam parturiunt omnia quæ hominem lædunt; vrgent enim nos ad tribunal Dei, vbi anima Deum sollicitans iugi oratione, vt tuetur orphanam, demeretur Dei amplexus, quibus terris erepta, adsciscitur in numerum beatarum mentium. Et hoc est quod intendo, pronuntians suprà, afflictiones seu controuersias, animæque discrimina aduersus omne quod homini ingratum est, esse vias idoneas ad æmulandum statum Angelorum, quorum vt beatitudo tenax in eo sita est vt Deo adhæreant iugiter; ita & transitus hominis in Angelum morali tropo fit, quando anima multis acta molestiis pertæsa sæculum istud, & illecebras eius, totam se deuouet Deo, ei quodammodo glutinata.

Penes hanc adhæsionem esse momentum omne beatitudinis nostræ, disces consulens Augustinum de Angelis hæc scribentem: *Beatitudinis illorum causa est, adhærere Deo. Quocirca istorum miseria causa ex contrario est intelligenda, quod est non adhærere Deo. Quamobrem si cùm quæritur, quare illi non beati sint; rectè respondetur, quia non adhærent Deo: non est creatura rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. Itaque quamuis non omnis beata possit esse creatura (neque enim hoc munus adipiscuntur, aut capiunt feræ, ligna, saxa) ea tamen quæ potest, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo à quo creata est. Hoc enim adepto beata est, quo amisso misera est.*

EX SS. PATRIBVS. *Aug. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 1.* Deo adhærere quantum sit bonum.

Quomodo autem ad beatum nos statum efferant aduersa, disce ex Iob, quem Deus vbi prædicauit alios homines sanctitate antecedere, atque adeò Angeli vitam agere in humanis; Angelicum eius statum acri tentatione certiorem omnibus hominibus fecit, adducens hominem illum in discrimen rerum omnium. Et quia magni momenti thesis erat, valido etiam vtitur argumento, quo constaret, hominem illum Angelico ritu vitam transegisse. Totius historiæ seriem speculatus Gregorius scholiastes eius ita fatur: *Beatus Iob prafertur primo voce Iudicis, post manui committitur tentatoris, quem post flagella Deus dum remunerans familiarius alloquitur, quantùm de verbere creuerit indicatur.* Magnum reuera fuit illud incrementum, videlicet transitus hominis in Angelum.

Greg. cap. 5. præfat. in lib. Iob. Plantę cuiusdam mira proprietas.

Alius item Gregorius, scilicet Nazianzenus affirmat, homines crescere aduersis impetitos. Si assurgunt, procul dubiò hoc est in ordinem Angelorum. Audi Sanctum. *Est quadam in fabulis planta, quæ excisa flores, & aduersus ferrum certat; & si de re noua fidémque excedente more loquendum est, morte viuit, & sectione pullulat, & cùm absumitur crescit. Habetis fabulam iure suo quiduis liberè confingentem. Mihi verò huiusmodi quiddam videtur esse vir Philosophica mente præditus; afflictionibus enim inclarescit, ac vita molestias virtutis segetem existimat, contrariisque rebus ornatur.* Consonat & Chrysostomus, ipse clarior discrimine quàm quiete. Sic ille. *Tantam fortitudinem habet virtus, vt clarior fiat, cùm infestatur.* Quasi diceret, virtutem quò magis à mundo abstrahit, eò etiam alacrius hominem ab hoc sæculo expeditum euehere ad superos, quibus affulget lux amplior. Ideóque esse penes aduersa affingere virtuti magnum luminis incrementum, quia diluunt nexus,

Greg. Naz. orat. in Maximum. Virtus clarior in aduersis.

Chrysost. homil. 61. in Genesim. Tribulatio vitæ tædium inducit.

nexus, quibus homo corpori deuincitur. Ita vir sanctus Idiota. *Tribulatio mauct odium præsentis vitæ. Nam sicut cibus adhæret vasi, in quo coquitur, nisi moueatur, & perdit saporem debitum, debitúmque colorem; sic cor hominis adhæret isti mundo nisi moueatur per tribulationes, iuxta quod scribitur: Conglutinatus est in terra venter noster.* Hæc ille.

Idiota lib. 2. de vera patient.

Hoc igitur statum esto, homines eodem curru ferri ad Angelorum choros, quo & ipsi ad suam gloriam euecti sunt; scilicet repugnando. Diabolis enim illos vrgentibus vt à Deo deficerent, beatæ illæ mentes his suasoribus impiis fortiter obstiterunt. Ita & ingruentibus angustiis eundum est obuiam æquo animo, & si sollicitant defectionem nostram à Deo vt sæculo nomen demus, in hæc impia perfidiæ consilia est totis viribus insurgendum. Fortitudo nostra æmula constantiæ Angelorum, eodem quo & illos vehiculo feret, & triumphorum participes efficiet.

Illa commemoratio vehiculi communis Angelo, & homini, reuocat in animum priscum illum Romanorum morem, qui homini triumphanti de superbo curru, adiiciebant seruum qui à tergo victori domino astaret. Ad hoc institutum allusit aliquando Iouius rogatus effingere symbolo; serui quandoque & domini sortes æquales esse: pinxit currum triumphalem cui pomparicè seruus & dominus insidebant, hoc titulo. SERVVS CVRRV PORTATVR EODEM. Liceat & vsurpare hanc picturam, vt signemus Angelos & homines eodem vehiculo sortes similes assecutos, id est constantia, & fortitudine, vtrosque fuisse compotes eius gloriæ quâ gestiunt. Etenim homo licet naturæ disparis, ratione tamen gloriæ fit Angelo concolor, si ad eam iisdem omnino gradibus euehatur. Esto comparatione Angeli homo sit seruus, tamen si se strenuum præstet contra ea, quæ defectionem à Deo sollicitant: hoc audacter pronuntia. SERVVS CVRRV PORTATVR EODEM; id est, & Angelus & homo eodem virtutis œstro perciti sidera transcenderunt.

EX SYMBOLIS. *Paul. Iouius lib. Symbolor.*

Habes hîc, ô verbi Dei præco, locuples argumentum debacchandi in reprobos, qui vt deliciis indulgeant, aduersa quæque refugiunt, nescij se veluti degeneres, abire in porcos, ad instar prodigi illius, qui relicto obsequio patris amantissimi, vt Veneri & Baccho litaret, exuto homine, induit porcum. Fusius aliàs spatiabor. Iam sit satis superque innuisse, homines fieri Angelos si spirituales fiant in modum Angelorum, qui spiritus sunt: viam autem ad spiritualem illum statum esse illam, quæ hominem distrahit à corpore contrario spiritui, quem aggrauat mole sua importuna; atque ita discrimina, tentationes, agonésque omnes corpori ingratos, esse media luculenta, quorum suffragio homo potest gaudere Angelorum consortio, & moribus aliqualem referre speciem beatorum spirituum, quos à carne expeditos æmulari nequit, corporis sui obsequio mancipatus. Hoc meum dogma stabit isto effato, quod vtinam facto mihimetipsi constet.

SOLI ÆRVMNÆ, SVNT CÆLI ALVMNÆ.

Humilitas est compendiosa via, ad statum Angelorum assequendum.

In hæc verba:

Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.

SECTIO SECVNDA.

SVperuacaneum est hîc repetere, me hoc tractatu nequaquam sollicitare homines vt aspirent ad essentiam Angelorum; irrita quippe vota hæc sunt, quæ de impossibili fiunt argumento. At homini fieri Angelum essentialiter est absurdum: non est ergo quod ambiat homo hanc naturam. Etenim licet res quæque corporeæ sublunares alternis ludant, & priori forma deposita alias induant, hoc certum imperfectionem arguit petitam à materia, quæ illudit omnibus formis, dum nulli à Deo tenaciter adhæret; quin & obuias vltro excipiat. Ergo cum Angeli & anima separata, sint materiæ expertes; transitus vnius in alterum non fit deficiente subiecto communi, in quo coëuntes duo illi spiritus facerent vnum quid ex vtroque coalescens. Forte cupidus essentiæ Angelorum dices, corpus habiturum se ad modum materiæ, quam anima mutata in Angelum informabit, & tunc reuera homo erit Angelus. Aduerso flumine niteris, & Ixionis instar tuis in amplexus nubium inanium. Nam etsi humanum corpus Angeli astantis ope moueretur, non ideo esset quid concretum ex forma, & materia; quia Angeli substantia non est vnibilis materiæ, imò ab ea abhorret vt à re iniuria spiritui. Rursus ex ente completo, & alio incompleto nequit exurgere vnum ens per se, sed Angelus est quid completum, & corpus humanum seorsim sumptum est hiulcum seu imperfectum: ergo frustra tentaretur vnio Angeli & corporis. Eamobrem tota ista parænesis inducens homines ad aucupandam indolem illorum spirituum, spectat tantum mores, atque adeò tropica est, & hoc vnum sonat titulus huiusce sectionis, homines humiles fieri Angelos titulo tenus, id est, eam agere vitam, qua Angeli meruere suam beatam illam sortem, quam & nos inuidentes, eodem etiam calle humili gradiamur ad eorum choros.

EX PHILOSOPHIA. *A. ex. Alensis in lib. 6. Metaph. textu 8.* Angeli essentiam homo nequit adipisci.

Prima sese offert Mathematica benè suada humilitatis, cui multa inest affinitas cum puncto Mathematico. Sic procedit illa omniũ disciplinarum naturalium certissima; sic inquam arguit consulta etiam Theologia: Angelus est spiritus habens se per modum puncti: est enim indiuisibilis & nullas habens partes; inuisibilis, nullúmque sibi vendicans locum sensibilem. Ergo illud quod affinget homini omnes illas dotes, faciet & eundem Angelum. Sed humilitas homini inurit qualitates omnes puncti. Igitur humilitas homini asciscet omnia Angeli charismata, illum ita extenuando vt nullas omnino sibi partes attribuat, sed Deo reddat omne quod ab eo precariò accepit. Reuera instar puncti est humilis homo, vtpote sui nihili conscius, quasi inuisibilis refugit aspici, nihil in se dignum luce existimans atque adeò refuga laudum. Nullum sensibilem locum ambit, sed infima quæque sectans primos discubitus horret. Itaque eo puncto, vt sua sorte contentus homo

Angelis homines associat humilitas. EX MATHEMATICA. *Euclides lib. 1. de elem. Geomet.*

Humilitas est instar puncti.

Angelorum

Angelorum statum genuinè refert, quibus gloria in præmium humilitatis donata est à Deo remuneratore humilium. Vnde & sic probo intentum altero medio petito ex Philosophia.

Ex Philosophia.

Causæ contrariæ contrarios etiam effectus debent exerere; sed superbia reprobos Angelos perdidit & in præceps egit: ergo & humilitas alios tunc beauit, & bonos bonitate morali ostendit. Hoc autem vt liqueat, suppono, bonum & verum idem prorsus esse realiter, ideoque esse necesse, vt res vera sit si bona censeatur. At verum illud est quod suo principio consonum est: principium autem cuiusque rei, est idea eius quam prima causa concepit. Verbi gratia, Deus ab æterno Angelum editurus, in mente habuit ideam spiritus referentis ad Deum excellentiam suam, & non assurgentis ad gloriam indebitam. Referre verò ad Deum excellentiam suam, & non assurgere ad gloriam indebitam est humilitatis summa. Ergo Angeli qui has obiere vices, à primo momento editionis suæ, humiles extitere, & veri fuerunt Angeli, vtpote nequaquam degeneres ab illa idea, quam fouit ab æterno Deus opifex Angelorum. Angeli autem nequam quia deuiarunt ab illo principio arrogantes sibi insignia sua charismata, & intumescentes typho emergente ex nobili suo stemmate, dicuntur falsi & mendaces Angeli, id est, spurij & alij plane ab eis, quos Deus ab æterno scientia approbationis gratanter aspexit. Eamobrem Christus iniquam diaboli indolem delineans, dixit potissimum eum à veritate aberrasse, & vt memorem prisci erroris sui, semper esse suasorem mendacij. Ita fatur Christus: *In veritate non stetit: quia veritas non est in eo; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est.* Quasi diceret: Superbiens ille Angelus non retulit ideam, quam de Angelo habuit Deus ab æterno, ac proinde mendax fuit & falsus, ementitus speciem Angeli, licet ab eo genuina imago boni spiritus procul esset. A mendaci autem spiritu quid nisi spurium & falsum emanare potest, cùm causa defectiua prodat etiam sua deliquia in effectu mutilo? Audi Dæmonis eloquium primum, quo homini diabolus innotuit. *Dixit serpens ad mulierem: Nequaquam moriemini. Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri; & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.*

Angeli boni humilitate steterunt.

Diabolus quare dicatur mendax.

Ioan. 8.

Superbia fuit peccatum diaboli.

Genes. 3.

O insignem sycophantam, & artificem peritum mendacij! Adulterinus ille & spurius Angelus, defectionis suæ à Deo tentat hominem efficere conscium: & heu technas eius homo incautus non diluet, sed credulus illico fidem faciet pessimo consultori. Sed quale fuit mendacium diaboli? Duplex sanè, vnum physicum, morale alterum. Physicum mendacium est illud, quod loquela & animus discordes efficiunt; quando enim non concordant verba & animus, sermo ille hominem arguit falsitatis, iuxta commune effatum; mentiri, esse contra mentem ire. Eo modo mentitus est Angelus ille nebulo affirmans non moriturum hominem, si carperet fructum, cuius esse vsum vetitum mulier obiecerat. Longè iniquius fuit morale mendacium, quod homini affinxit. Namque homo dementatus eo colloquio ambiit Deitatem, pertæsus quasi, humanum illum suum statum, à quo inspiratâ à diabolo superbiâ deficiens, fuit falsus homo & non ille verus, quem Deus ab ortu creauerat rectum; sicque fuit homo factus mendacium seu falsitas, transiens ab homine in pecus, iuxta illud Psaltis. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Notanda est vox illa. *Non intellexit*, id est non benè vsus est intellectu suo: quippe intellectus vsus ingenuus in verum fertur, & non in falsum: Ideoque hallucinans homo à sophista deceptus, nequiens se expedire à præmissis erroneis pessimâ inde illatione erutâ, non tam conclusit esse Deitatem assequendam, quàm ipsemet est exclusus ab ea dignitate, quam primâ suâ editione sortitus est. Quia ergo & diaboli, & homines typho elati cecidere; sola superest humilitas, qua fas est homini ad charismata deperdita reuocari.

Diaboli duplex fuit mendacium.

Psalm. 48.

Audiendus Augustinus prodiens è Sanctorum choro, virtutis eius amantissimus, quæ exertis alis suis, beatos Angelos ad sidera euexit, & efferet homines illius impigros sectatores. Sic ille. *Si ergo Dominus Altissimus, cuius excellentiæ non est finis, in omni creatura sua, & ea quæ in supernis, & ea quæ in infimis est constituta, in Angelis videlicet, & in hominibus humilitatem considerat, & probat: quantum necesse est nobis humilitati semper studere, ipsamque in omnibus conseruare, vt sic placeamus conditori nostro? Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Alta posuit pro superbis; humilia vero respicit vt attollat: alta, id est, superba cognoscit, vt deiiciat. Discamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus; sicut ipse in Euangelio ait: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Per superbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cælo; per humilitatem Dei, fragilitas humanæ naturæ ascendit in cælum.*

Humilitatem Deus attendit in Angelis & hominibus.

Ex SS. Patribus.

Aug. ser. 233. de tempore.

Theologia summa omnium disciplina velificans, sic astruit titulum istius sectionis, qua probare intendo, hominem humilibus obsequiis posse repetere Angelorum choros, ad quorum ruinam reparandam fuerat à sæculo conditus. Sic inquam eloquitur sanctissima illa scientia: Non induit hominem Christus eo fine, vt moreretur tantùm, & suo sanguine dilueret peccata nostra; sed vt specimen ederet earum maximè virtutum quæ conducunt ad reditum nostrum eò vnde superbia nos abstraxit. Quippe Passio Christi suos nō sortitur effectus in adultis hominibus, ipsis insciis; sed cooperatores petit, qui sectentur vestigia Christi. Etenim gloriam duplici titulo beatis mentibus Deus impertitur. Infantibus datur nomine hæreditatis, ad quam adeundam satis est conditio filiorum; fiunt autem infantes filij adoptiui Dei, quando sacris initiantur in Baptismo. Adultis verò non conceditur aditus ad gloriam eo pacto, sed per modum brauij & coronæ seu mercedis. Hi autem tituli meritum sonant præuium. Brauium cursum clamat, atque adeò meritum insinuatum dictione cursus. Hoc innuit Paulus. *Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Sic currite vt comprehendatis.* Corona agones vult præire sibi, ipso adhuc Apostolo teste. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum.*

Ex Historia.

S. Thomas 3. p. q. 35. art. 7. ad 1. q. 46. art. 10.

Humilitatis doctrina fuit Passio Christi.

1. Cor. 9.

Ibidem.

Merces laborem veluti præambulum clamat. Eamobrem Christus commemorans beata cæli gaudia,

Tribulationis præmium quale.

gaudia, & ea nuncupans mercedem fidelium, continuo adiecit ærumnas, & labores, quibus merces illa optima comparatur. Accipe Christi sententiam. *Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines. & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo.* Nonne insonuere tibi præludia tantæ mercedis? & si aduertis ea omnia quæ recensuit Christus, vt opportuna mercedi expectandæ, sunt indubiæ humilitatis certiora argumenta: scilicet inopia, esuries, lacrymæ, hominum simultates, despicatus, & nominis expunctio, atque capitis proscriptio. Cuncta hæc vt vilia sequuntur capita, quorum sortem humiles æmulantur, apposite recensentur à Christo, vt homines erudiat, humilitate tantùm eos repedituros Angelorum choros, vnde superbientes exciderunt.

Luc. 6.

Humilitas est via ad cælum.

Hoc igitur esto argumentum propitium titulo sectionis: Ea est via idonea ad choros Angelorum, quam triuit Christus, vt transcenderet omnes beatorum illorum spirituum ordines. Sed ille humilitatis calles obiit infimos, natus in stabulo, & mortuus in patibulo. Igitur humilitas, quæ Christum prætulit Angelis, poterit & homines saltem Angelis adiicere. Etenim illa virtus, quæ plus potuit, valebit & præstare minus. Christum humilitate sua meruisse eminentem illam gloriam, qua eminet Angelis, & Codices sacri canunt, & Sancti omnes clamant.

EX SS. PATRIBVS.

Aug. lib. 50. homil. hom. 2

In his occurrit Augustinus, ita monens: *Serpens scit nos non posse redire nisi per humilitatem, qui per superbiam lapsi sumus. Dux nobis ipse fuit ad superbiam: modo ad humilitatem ducem Christum sequamur.* Illum vtique qui humilitate sua fuit exaltatus, vt cantat Psaltes: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum.* Diminutio, id est, humilitas gloriam antecessit eam, quæ eò Christum humilem extulit, vt infra illum sit quidquid creatum est, vt pergit affirmare Dauid vbi meminit abiectionis Christi. *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Locum illum Ambrosius sic expendit: *Dicendo super opera manuum tuarum, omnis illi creatura subiecta monstratur: quia sicut à Domini opere nihil est exceptum, ita nec à potestate Christi aliquid probatur esse diuisum. In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Dicendo enim omnia, nec terrena videtur excepisse, nec cælestia. Quem prius propter humilitatem carnis, paulò minus ab Angelis dixerat esse minoratum, post ascensionem dicit, sub pedibus eius omnia fuisse subiecta, vt ista distinctio, & dubietatem titubantibus auferat, & gloriam suæ incarnationis ostendat. Sub pedibus, ait, vt omnis creatura merito ipsum colat, atque adorare videatur.*

Psal. 8.

Ibidem.

Ambros. in cap. 2. epist. ad Hebræos.

Si fas sit & mihi meum calculum adiicere, annuente coronâ Sanctorum Patrum, dicam subolere mihi mysterium istas voces: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Ibi enim pedes humilitatem sonant, quæ infimas semper obit partes, humi iacens. Præscius ergo Psaltes, Christum debere aliquando humilitate sua cælos transcendere, dixit omnia fore infra pedes eius, id est, infra humilitatem illius, quæ erat eum etiam supra Angelos euectura. Fauet Apostolus. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cælos, vt impleret omnia.* Sed quare ascendit vt impleret omnia, nisi quia se inclinauit & quasi exinaniuit inter omnia? Descensus ascensum meruit, vt exinanitio plenitudinem. Item & pedes, rerum omnium sub Deo, summa capita præcesserunt. Non igitur aliquod decrementum sui passus est Christus humiliando se, sed inde potius adiecta est ei gloriæ plenitudo.

Ephes. 4.

Præstat audire Ambrosium. *Factus est minister omnium Dominus, & auctor omnium vapulauit, pedes lauit, crucifixus est, mortuus est. Sed in his omnibus detrimentum nullum video Diuinitatis eius; profectum operationis agnosco. Qui nihil habebat quod ad suam potestatem adderet, habuit quod ad cultum suæ maiestatis adiungeret. Audeo dicere. Operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset. Itaque nos quidem redemit, sed etiam sibi acquisiuit. Nihil ergo humilitas affert dispendij. Ille qui se exinaniuit, plenus est. Ille qui non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, formam serui accipiens, in gloria est Dei Patris.* Non est ergo alia homini via ineunda ad Angelorum choros, ab ea quam triuit Christus.

Ambros. in Psalm. 118.

Humilitate Deus hominem saluum fecit.

Rursus Ecclesiæ caput est Christus, cuius & nos omnes membra sumus; si igitur membra volunt subiici capiti, & esse consicia gloriæ illius, debent & humilitatem eius insectari. Audi Augustinum. *Inde iectasti diabolus, vnde stantem deiecit hominem. Deiecit stantem: sed Christus descendens erexit iacentem. Vnde te tamen erexit Dominus tuus. Attende. Humilitate erexit, factus obediens vsque ad mortem, humiliauit semetipsum. Princeps tuus humilis, & tu superbus? Caput humile, & membrum superbum? Absit. Non vult esse de corpore capitis humilis, qui amat superbiam. Si autem non fuerit, videat vbi erit.* Etsi Achillæum sit argumentum petitum ab operibus Christi; tamen quispiam vecors instare posset, Christi opera fuisse edita in gratiam hominum saluandorum, & vt excedunt captum nostrum, ea minimè deuincire nos ad similia perpetranda. In ea ignauiæ classe tota est illa sentina hæreticorum huius ce sæculi. Flocci homines illi, & desides, ferias ab omni opere arduo indicunt, & affirmant frustra tentari aditum cæli opere nostro, quantumuis egregio, quia Christi tantùm est omne facinus eximium, cuius merito prostat immarcescens gloria, atque adeò irrita esse conamina, quibus ad ascensum hunc homines accinguntur. Grunniant illi de suo volutabro, Epicuri de grege sues, quibus vna duntaxat saginæ cura est. Sua eos maneat insania incurios prorsus imitationis Christi, ad quam nos ille Pædagogus noster seriò prouocauit. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Missis hominibus hæreticis diaboli asseclis, nos imitatione quantùm fas est sequamur Christum præeuntem, vt tandem eum etsi non æquis passibus assequamur.

Aug. ser. 54. de verbis Domini.

Matth. 11.

Nota, Dominum vrgentem nos ad imitationem sui, adiecisse inuenturos requiem animabus nostris, si discamus humilitatem, quod perinde est ac dicere, neminem nisi humiles Angelis assidere.

Humilitas est virtus Christi.

assidere. Etenim requies cuiusque rei ibi est tantùm, vbi à Deo destinata est, vt videre est in singulis elementis, quæ non grauitant in centro suo. Ast homo editus est, vt hiulcas impleret Angelorum sedes, extra quas inquies semper erit animus eius. Vt ergo animo pacato anima considat beatis illis spiritibus, humiles Christi obeat calles, isto potissimum conuicta argumento. Qui viam nescit eius loci, quo à superiore missus est, debet eam discere ex perito viatore, qui eò etiam & ipse tendit. Sed homo à Deo moderatore suo in cœlum destinatus, viam prorsus ignorat, quam Christus tamen eò etiam directus probè callet. Igitur à Christo viatore petendi sunt tramites recti, quos inire queat homo, de gloria sollicitus.

Ambros. in Psalm. 118. Hoc effatum est Ambrosij ita consulentis. *Discamus ergo ab eo, qui docere nos voluit quod proficeret ad salutem, & nobis dicit: Discite a me. Non est mediocre quod dicit: Discite; & addit: A me discite. Non facilè potest quispiam humilitatem docere inflatus, quamuis sit humana præditus sapientia. Mens tamen inflatur, quam superbia carnis extollit. Et qui paupertate contentus est, non est contentus iniuria: & qui potest ferre verberum pœnas, exagitatur verborum contumeliis: & qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Grande est in omnibus tenere humilitatis mensuram. Superbia hominem prima deiecit. Quapropter dum plus volumus, etiam quod minus est solemus amittere. Bona humilitas, quæ nihil appetendo, totum quod contemnit adipiscitur. Ipse Dominus Iesus se humiliauit, vt nos eleuaret, & humiliauit se vsque ad crucem. Propter quod exaltauit illum Deus, vt in nomine eius omne genu flectatur.*

Humilitatis encomia.

Quanta autem fuerit humilitatis aptitudo ad gloriam consequendam colligit idem Sanctus, ex eo quòd Christo patranti prodigia, & edenti pleraque specimina aliarum virtutum insultarit mundus, qui humiliato Domino se aduoluit, vt supra annotaui commemorans ipsos etiam eius homicidas, qui ei illuserant sospiti, non ingemuisse tantùm morienti, sed etiam extitisse præcones eius Deitatis, quam speciali modo adesse huic humiliato homini fatebantur, dicentes: *Verè filius Dei erat iste.* Appositè etiam ad hæc ait Ambrosius. *Quanta fecit Dominus, audeo dicere, & non flexi ei genu? Sed flexi ei postquam se humiliauit. Sic enim, hoc est, per humilitatem, per crucem sibi Ecclesiam congregauit.*

Humilitate Christus honoratur.

Matth. 17.

Ambros. vbi supra.

Christus Mathematicorum est secutus ingenium; vt enim illi de pulpito explicantes quomodo aliqua figura lineanda sit, dum aduertunt auditores non capere verba, ipsi de cathedra se demittunt, & virgâ acceptâ coram in puluere describunt figuram, cuius speciem ingenuam voces non animo ingerere potuerunt. Deus Prophetarum omnium oraculo, hortatus fuerat homines ad humilem viuendi ritum, vt videre est apud Psaltem. *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Lectio illa erat scrutinij altioris, quàm vt verbo capi posset. Deus assumpta virga de radice Iesse, id est, homine induto in puluere explicuit illud dogma. Etenim cùm Deus humiliari non posset, vt exemplis erudiret, hominem induit, vt in eo puluere exprimeret ideam virtutis eius, qua adepta choris inserimur Angelorum.

Psalm. 4.

Accipe textum valde opportunum illi sententiæ, & vt magis arrideat, cogita Bernardum sic hortantem. *Christus cùm per naturam diuinitatis non haberet quo cresceret, vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est; per descēsum quomodo cresceret, inuenit, veniens incarnari, mori, ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltauit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Vnde & tu fac similiter, per humilitatē ad sublimitatem ascende, quia hæc est via, & non est alia præter ipsam, qui aliter vadit, cadit potius quàm ascendit, quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam.* Quasi ad hoc tantùm venisset Christus vt insinuaret humilitatem hominibus, singularem se magistrum virtutis huius professus est, vtique locupletem.

Bern. ser. 2. de Ascension.

Humilitate Deus inuenit quomodo cresceret.

Si delectant argumenta petita à Medicis; tumorem omnem præter naturam periti omnes damnant, & noxium, imò & plerumque lethalem esse clamant, vt videre est in hydrope, quem distendit salsa aquarum illuuies mista vento, quo turgidus venter ictus fit sonorus, & tympanum refert, vnde & hydrops dicitur Græcis ὁ τυμπανίας. Sic malum hunc habitum pingit eloquens Fernelius. *Hydrops tympanias, abdominis est distentio, ex multo flatu in illius capacitate concluso. Moles quàm in ascite minor, & minus grauis, parum fluctuans, sed rugitu obmurmuras: summus venter vngue percussus vt tympanum tinnit, multáque flatus indicia existunt. Huius ergo materia flatus est, ex imbecilla concoctione, & cruditate genitus, qui cùm multus in ventriculo, aut intestinis, velut in colico dolore coërcetur, nec exitum naturalem reperit, impetu viam sibi muniens, sed per cæcos tenuésque ductus inter abdominis membranas magnis cruciatibus sese infert, ac demum variè impulsus in ipsum abdominis spatium penetrat aut deuoluitur. De hoc inquit Hippocrates: Quibus tormina circa vmbilicum fatigant, & labor atque lumborum dolor, qui nec medicamento, aut vllo alio modo solui potest, in hydropem siccum formatur. Rarus certè hic hydrops, vixque syncerus flatus sub abdomine citra humoris permistionem vnquam est animaduersus.* Hæc ille, de tumore illo qui plerumque prænuntius est mortis, cui vt occurrat Hippocrates, turgidam illam molem ventris sectione deprimit, ita consulens. Ὑδρωπιῶντας αὐτίκα τάμνειν. *Hydropicos statim secare oportet.* Sectionem illam medici vocant παρακέντησιν. Expendamus nunc an benè titulo sectionis conueniat ista medica obseruatio; & si inde reditum hominis ad beatorum spirituum cœtum, depressione animi possimus inferre.

Ex Remedica.

Fernel. l. 6. pathologia c. 6.

Hydropisis quid sit.

Hippocrat. l. 6 epidem. par. 7.

Præfatus medicus ait hydropem esse distensionem abdominis, quam peperit flatus nimius in illius capacitate conclusus. Talem ego affirmo esse superbiam, quæ reuerà afflatu diaboli turgida tumorem suum affingit homini, cuius animum lues illa subiit. In modum tympani tinnit venter ictus, arguens hoc tinnitu abditum illic flatum. Ita & mens superba est sonora, si vel leuiter attingitur: quippe insurgens in eos qui iniurij occurrunt, eructat indecora verba. Si verò laudibus appetitur, est & canora mens eo distenta flatu, sua pangens egregia facinora. Flatum illū Fernelius ait emergere ex imbecilla concoctione, & cruditate; & reuerà superbia hominum ortum cœpit ab ea cruditate pomi, cuius esus à Deo vetitus, qualitate suâ concoqui nesciâ totam infecit Adami prosapiam.

Hydropisis & superbiæ comparatio.

Pergit ille enarrare symptomata iniqua, quibus vrgetur hydrops, tormina patiens gliscente flatu, qui cæcos meatus aperiens dirè torquet ægrum. Eo ingenio est diaboli ille afflatus: occultè serpit, animúmque cruciat multifariam, quippe homo virulento hoc distentus æstu, iugiter inquies crebris est deliquiis obnoxius. Namque illa ægritudo multis fœta malis, hominem multimodè vexat. Et hoc sonant illæ Fernelij voces: *Vix sincerus flatus sub abdomine, citra humoris permistionem vnquam est animaduersus.* Nimirum cruditas, indefessa comes excrementitij humoris, hominem eo iniquo sero alluit totum, & ideo obnoxium facit aliis morbis, vt sunt vlcera, in quæ putrido humore madens caro dissoluitur.

Superbiæ lethales sunt effectus.

Peiora sunt mala, in quæ superbiens anima deuoluitur. Etenim vbi Adam præcoci epulo momordit pomum, & deglutiit vetitam escam, & soboles quasi eius eodem cibo pasta, sensit effectus vtique noxios, fructus illius immaturi. Nimirum in multa variáque crimina diffluentes homines, multáque offusa sanie peccatorum, fecere fidem huic placito medicorum, hydropis flatum semper inuehere acerbos casus, quibus omnibus occurrit Hippocrates, depressionem abdominis consulens. Scilicet humilis venter arguit abesse flatum, & humorem illum, quo affluente assurgebat venter. Superbiæ etiam itur obuiam demissione animi, à qua procul est diaboli ille afflatus, quo Adam percitus in Deum insurrexit, vnde origo tot malorum, quibus humana propago concutitur.

Itaque hoc esto argumentũ debitũ titulo sectionis, cui & res medica suum calculum adiicit. Vt se habet homo in Physicis ad spiritus, qui corpori inseruiunt, aut nocent; ita & in moralibus se habet ad beatos Angelos, qui adiuuant partes eius, & ad malos, qui sunt illi iniurij. Sed homo assurgens in nimiam molem iniquis impletur flatibus, seu spiritibus omnino noxiis, vtpote vexantibus miserum hominem. Et humiliato hoc tumore vegetior homo, sanis spiritibus illico recreatur. Ergo & in moralibus homo molem seu statum debitum excedens, pessimo spiritu inflatur, id est, diabolico, cui tamdiu subiicitur, quamdiu præfata moles illa ingrauescit. Ideoque diaboli consors est superbus omnis; qui si tamen aliquando suum fastum pertæsus, se accingit ad demissionem animi, statim ea depressione sui eliminabit hos spiritus nequam, & asciscet alios, quorum obsequio vegetior anima fiet. Illi spiritus meliori animæ statui consoni, sunt beati illi spiritus, ad quos non nisi humilitate præuiâ transitus esse potest. Sicque liquet tumorem animi, diaboli incolatum arguere: siquidem ille virulentus flatus typho gaudet, vt secus Angeli gestiunt, si quando humiles animos in homine nanciscuntur.

Instabis, fore congruum magis argumentum, haustum è fontibus Hippocratis, si auctoritate alicuius sancti emeriti Patris ostenderem, superbiam esse tumorem, qui humilitate dehiscit, & & sanatur? Præstò sum, mecum Augustinum habens luculentum vadem. Sic ille. *Clamat ille, qui factus est via: Intrate per angustam portam. Conatur ingredi, impedit tumor, & tanto magis perniciosè conatur, quantò magis impedit tumor. Tumidum autem vexat angustia: vexatus autem amplius tumebit. Amplius tumens quando intrabit? Ergo detumescat. Vnde detumescat? Accipiat humilitatis medicamentum, bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre, bibat poculum humilitatis. Quid se arctat? Non sinet moles, non magna, sed tumida. Magnitudo enim soliditatem habet, tumor inflationem. Non sibi magnus tumidus videatur, detumescat vt magnus sit; vt certus sit, vt solidus. Non ita desideret, non de ista pompa rerum labentium, corruptibiliúmque gloriatur: audiat enim ipsum qui dixit: Intrate per angustam portam, dicentem; Ego sum via. Quasi enim quæreret tumidus, quà intrabo? Ego sum via, inquit, per me intra: non nisi per me ambula vt intres per ianuam. Nam sicut dicit: Ego sum via; ita etiam: Ego sum ianua. Quid quæris quà redeas, quò redeas, quà intres? Ne alicubi erres, ipse tibi omnia factus est. Breuiter ergo dicit: Humilis esto, mitis esto.* Hæc illic admodum opportunè, ad tumorem illum, qui distendit adeò inflatos homines, vt intrare nequeant per angustam illam portam, qua sola patet hominibus aditus ad ordines Angelorum.

Aug. hom 34. lib. 50. homiliarum.

Superbi tumor quomodo sanetur.

Humilitas est antidotum superbiæ.

Longior hic textuum & rationum tenor fortè acerbus est, condiamus eum aliqua historiâ, qua constare queant prælibata à nobis: scilicet humilitatem eò nos euehere, vnde vsurpata gloria deturbauit. Accipe facinus congruum huic intento. Gerbertus quidam literis apprimè instructus, & ad res arduas benè compositus, Regis Roberti Galli olim præceptor inclytus, tantis quasi dotibus excæcatus, ambiens dignitates, nefariè assumpsit Præsulis infulas, sede primariâ Rhemensis Ecclesiæ perperam vsurpatâ. Viri arrogantis animum Gallia exhorruit. Indicuntur comitia Antistitum Regni Christianissimi; conueniunt Patres, discussuri facinus viri pessimè de Ecclesia meriti, cuius irruptio in sedem illam, vbi Concilio innotuit, turpiter inde eiectus est homo inglorius. Sed vt ærumnis crudum coquitur ingenium; homo ille, qui vt impos sui hactenus intumuerat, postea repulsam passus, adeò se deiecit, vt septennium totum egerit alta humilitate conspicuus, cuius etiam fama pernix transuolauit Alpes, & Romæ increbruit, quæ humilem hunc hominem inuidens Gallis, summo Pontifice sublato de medio, Gerbertum illum, qui deposito fastu degebat humi, euexit in apicem Ecclesiæ: quippe coëuntibus suffragiis, & Othone III. Imperatore annuente, homo ille abiectus, & honorum refuga, Papa conclamatur. Ecclesiæ fasti nuncupant eum Syluestrum II. In eo vno eodem subiecto demirare vices omnino dissitas, humilitatis atque superbiæ. Gerbertus anhelans ad honores deprimitur à Concilio Præsulum regni vnius. Abdicatis infulis, humilitatis studiosus, & pertæsus omnem sæculi pompam, præficitur illi sedi, qua consulta solent Concilia Oecumenica conuocari.

Ex Historia. Gerberti Episcopi superbia.

Aymoinus l. 5. c. 45.

Gerbertus humilitate factus est summus.

Humilitas attollit suos cultores.

In eam ferè sortem incurrit homo: nempe voluit præire Angelis, & quasi in sedem Dei irrumpere, intempestiua captus cupidine Deitatis; sed crepuit turgidum hoc animal, pestilenti distentum aura, superbisque suis excidit votis. Vt humiliatio hebetes quandoque acuit animos, homo suum ipse miseratus statum iniquum, & longè ab eo, quo vigente sospes erat & integer, mali labem sentiens, de remedio quantocyùs & sedulò

Ex SS. Patribus. Luc. 19. August. in Psalm. 37.

ſedulò cogitauit. Nimirum ille, qui diabolo adhærens, de prima ſua ſede deturbatus exciderat; poſtea Chriſti ſequax primas in cælo obtinuit, factus humilitate ſua ſuperior Angelis, qui ſuo typho fuerat infra pecudes ablegatus. Facta eſt inde fides huic oraculo. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Ad quod alludens Auguſtinus ita fatur: *Vnde curuatus es? Quia elatus eras. Si fueris humilis, erigêris; ſi fueris elatus, curuaberis: non enim deerit Deo pondus, vnde te curuet. Illud erit pondus, faſcis peccatorum tuorum, hoc replicabitur in caput tuum, & curuaberis. Quid eſt autem curuari? Non ſe poſſe erigere.*

Ex Iure Ciuili. Leg. Cum & poſtliminij. Cod. de poſtliminio.

Adeò planus eſt titulus ſectionis, monens vnumquemque hominem vt humilitatis calle petat Angelorum choros, & ſic fiat redux in patriam ſuam, à qua ſuperbiens exulauit; vt & Iure etiam Cæſareo veritas hæc liquere queat. Etenim iure poſtliminij, homo ab hoſtibus aliò deportatus, ſi quando redimatur ab alio, fit poſtea ſui iuris perſoluto eodem pretio ſuo redemptori, vt eſt prouidè cautum Conſtitutione Imperatorum Diocletiani, & Maximiani, quam accipe. *Cum & poſtliminij ius, & communis vtilitatis ratio exigat, vt ſi qui captos ab hoſtibus redemerint, accepto pretio redemptos ſuæ ingenuitati reſtituant, proponáſque redemptorem tuum, noluiſſe oblatum pretium à te vel alio recipere. Præſes prouinciæ efficaci inſtantia compellet eum legibus obtemperare, & percepto eo quod pretij nomine dependitur, ſtatus ſecuritatem non inquietare.* Hæc reſcripſere Imperatores cuidam Iuſto, cui redemptor erat iniurius, nolens eum priſcæ reddere libertati: Hoc grauiter tulere Cæſares confirmantes inolitum ius poſtliminij, quo homines iure belli abſtracti à ſuis ſedibus, ſi quando redirent, ius eis erat ad primas ſedes, dum facerent ſatis æri expenſo in eorum gratiam.

Ius poſtliminij quid ſit.

Ex præfatis feci palàm, nos aſtutia diaboli fuiſſe abductos à ſedibus Angelorum, quibus occupandis homines ediderat rerum opifex Deus. Nos per deuia & abrupta raptatos Dæmon diu & dirè vexauit. Deus ærumnas miſerans noſtras, homini ſe affinxit, & redemptionis noſtræ penſum ſoluit, ſcilicet ſpecimen altæ humilitatis, quæ diluit auſus illos nimios, quibus prior homo ſurrexerat ad vota inconceſſa. Eo ære perſoluto Deo Patri, homo diaboli nexibus ereptus eſt, & iure poſtliminij Angelorum caſtra repetiit, vnde abactus fuerat ſuperbiâ ſuâ. Sed eo iure geſtire nequit homo, niſi Chriſto redemptori ſuo pretium effuſum pro modulo ſuo reddiderit, humiliando ſe ad inſtar ſoſpitatoris ſui, qui ab incunabulis cœpit hoc appendere pretium, quo libertas hominum aſſerta eſt. Et quia ignotum fuit Philoſophis hoc pretium, cui ideoque non fecere ſatis; non rediere poſtliminio ad Angelorum choros, incognita humilitate Chriſti, cuius intuitu typhus omnis illico deprimitur.

Humilitas Chriſti fuit exemplum efficax.

Ex SS. Patribus. Aug. q. 56. ad Dioſc. De curioſ. quæſt.

Audi Auguſtinum carpentem Philoſophos. *Omnibus defuit diuinæ humilitatis exemplum, quod opportuniſſimo tempore per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum illuſtratum eſt: cui vni exemplo in cuiuſuis animo ferociter arrogantis omnis ſuperbia cedit, & frangitur, & emoritur.* Hæc ille, qui & alibi liquidius ait, nos reuerà reduces in propria humilitate Chriſti, quam & debemus æmulari, ſi nos aliqua cupido tenet reditus noſtri, intentumque ſuum ſic aſtruit Auguſtinus. *Dominus creauit me in principio viarum ſuarum: viarum enim eius principium, & caput Eccleſiæ eſt Chriſtus homine indutus, per quem viuendi exemplum daretur nobis. Hæc eſt via certa, qua perueniremus ad Deum. Non enim redire poſſumus, niſi humilitate, qui ſuperbia lapſi ſumus; ſicut dictum eſt primæ noſtræ creaturæ: Guſtate, & eritis tanquam dij. Huius igitur humilitatis exemplum, id eſt viæ quâ redeundum fuit, ipſe reparator noſter in ſeipſo demonſtrare dignatus eſt, qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.*

Idem lib. de fide & ſymb. cap. 4.

Humilitas eſt via ad Deum.

Ex Iure Canonico. Can. Si autem 94. 3.

Iure Canonico, ſuperbia hominem infulis exuit & in ordinem redigit; humilitas verò reducit eò, vnde turgidus exciderat. Ex decreto Aniceti Papæ exauguratur Antiſtes humilitatis expers. Ecce Canon *Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit; & ſine omnium comprouincialium præſentia, vel conſilio Epiſcoporum, aut eorum, aut aliorum cauſas (niſi eas tantùm quæ ad propriam ſuam parochiam pertinent) agere, aut eos grauare voluerit; ab omnibus diſtrictè corrigatur, ne talia deinceps præſumere audeat. Si verò incorrigibilis, eiſque inobediens apparuerit, ad hanc Apoſtolicam ſedem, cui omnia Epiſcoporum iudicia referri præcepta ſunt, eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant.* Hoc textu animaduertit Papa in inflatum & contumacem, vt ineptum ei dignitati, ad quam duntaxat humiles idonei ſunt. Quantùm enim reliquis hominibus eminent Antiſtites, tantùm & eis humilitate præire debent: ideoque conſuluit Concilium Africanum, abſtineant à titulis ſonantibus faſtum. Hæc eſt ſanctio. *Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps ſacerdotum, vel ſummus ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi: ſed tantùm, primæ ſedis Epiſcopus.* Credidere Patres, non abeſſe virus à titulis ampullatis, quos eamobrem expunxerunt, ne animus humilis nomine grandiſono grauaretur. Idem etiam canit Pelagius II. *Nullus Patriarcharum vniuerſalitatis vocabulo vnquam vtatur: quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc; abſit à fidelis cuiuſquam mente, hoc ſibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum ſuorum imminuere, ex quantulâcunque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquam ſuis in epiſtolis vniuerſalem nominet; ne ſibi debitum ſubtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.*

Humilitas etiam requiritur in primis dignitatibus.

Conc. Afric. can. 6.

Can. Nullus diſt. 99.

Ex SS. Patribus. Greg. l. 7. ep. 30. indic. 1.

Accepiſti Canones, cape & praxim, cuius inſigne exemplum præbuit Gregorius ille Magnus, meritis & dignitate ſummus, quem cùm vt par erat veneraretur Eulogius Patriarcha Alexandrinus, data epiſtola Papam nuncupauit vniuerſalem. Gregorius ſubodorans in ea voce typhum, à quo procul erat, querulus Eulogio reſcripſit vt ſuperſederet in poſterum cauens à vocabulo grandiloquò, vtpote minus idoneò Pontifici; qui humilitate magis quàm gloria debet omnibus eminere. Aduocandus ille vt homilia ſua ſenſa prodat. Sic ille. *Ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad me ipſum qui prohibui direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſalem me Papam dicentes imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſima mihi ſanctitas veſtra vltra non faciat: quia vobis ſubtrahitur,*

S. Gregorij Papæ humilitas.

quod alteri plus quàm ratio exigit prebetur. Ego enim non verbis quaro prosperari, sed moribus: nec honorem esse depute, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor vniuersalis Ecclesiæ: meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant. Hæc Pontifex Iuris Canonici obseruantissimus, & omnibus suo exemplo testatum faciens, summa & humilia coïre in Prælatis, qui eò magis rutilant, quò plus refugiunt radios gloriæ coruscantis.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part. 1. Theatri symb.* Humilitatis splendor vnde petatur.

Opportunè occurrit symbolū Andreæ Chioccei, qui Lunam pinxit à Sole procul hoc titulo, Clarivs elvcet longè. Nimirum quò longius à Sole secedit Luna, eò clarior est. Sideris huius indolem æmulatur animus humilis, & refuga lucis: esto videatur degere in opaco procul à gloria; inde tamen splendidior est, & refulget magis, quia quò quis est gloriolæ incurius, eò magis accedit ad veram gloriam; illam, inquam, qua rutilant Angeli, quia noluerunt aucupari inanis auræ afflatum, quo perculsi alij spiritus reprobi perierunt. Maneat igitur alta mente repositum hoc symbolum Lunæ, erudiens animas ad recessum, ne dum cupidine lucis, ad Solem nimis accedunt, nigrorem eis Sol offundat potius quàm fulgorem, & sic suo intento fraudet. Luminis appetitor quo refulgent Angeli lucis, quærat illud ab humilitate, penes quam est, lumen illud affingere sequacibus suis. Etenim cuiusque hominis humilis est hoc veridicum lemma. Clarivs elvcet longè. Et vt argumentum petam à titulo sectionis, beatiores sunt, & ampliori luce perfusi illi spiritus, qui sibi constantes noluere Diuini luminis radios vsurpare.

Ex SS. Patribus. *Bern serm. 54 in Cant.*

Quamobrem libet illud vsurpare Bernardi effatum insigne, faciens ad morale institutum, & vtinam meipsum percellat. Audi sanctum. *Obseruemus sponsi discretos & circumspectos saltus, quemadmodum videlicet tam apud Angelos, quàm apud nos, & in humiles saliat, & superbos transiliat. Siquidem excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Hæc inquam attendamus, quò cauti simus sponsi nos salutiferis saltibus praparare, ne veluti à montibus Gelboë fortè transeat & à nobis, si indignos nos sua visitatione conspexerit. Quid superbis terra & cinis? Et de Angelis transilit Dominus execrans eorum superbiam. Ergo repudiatio Angelorum fiat emendatio hominum: scripta est enim ad eorum correctionem. Cooperetur mihi in bonum etiam diaboli malum, & lauem manus meas in sanguine peccatoris. Qualiter? inquis. Andi: Superbo certe diabolo horrenda, & formidolosa maledictio interquetur. Propheta Dauid dicente in spiritu de illo sub typo Gelboë. Montes qui in circuitu sunt, visitet Dominus, à Gelboë autem transeat.* Hæc ille, ea meditatione adeò percitus vt timuerit lapsum, cui vt occurreret humili cōfessione reum se Sanctus ille profitetur, ne incidat in reatum criminis huius, in quod toto etiam pectore debacchatur.

Humilitas Deum aduocat.

Superbos odit Deus.

Ibidem.

Sic pergit: *Sanè ego hoc legens, referensque oculos in me, & intuens diligenter, inuenio me peste infectum, quam in Angelo Dominus in tantum exhorruit, quatenus propterea declinaret ab eo, cum omnes in circuitu eius montes, siue de Angelis, siue de hominibus, visitationis sua gratiâ dignaretur: & pauens tremensque aio ad memetipsum. Si sic actum est cum Angelo, quid de me fiet terra & cinere? Ille in cœlo intumuit, ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite superbiam, quàm in paupere dicat? va mihi; si tam durè in potente illo animaduersum est, pro eo quòd eleuatum est cor illius, nec ei profuit quòd cognata potentibus superbia ista cognoscitur; quid de me exigendum & misero & superbo?* Hi sunt humiles æstus Sancti huius, cui aliquid adiicere, esset frondibus addere frondes. Vnū hoc dumtaxat de meo penu subiiciam, scilicet me totum stupore dissolui, eò quòd conscios discriminum, in quæ superbia, sua adigit mancipia, nos diabolus secum per inane raptet; & non potius Christum & Angelos duces, humiles assequamur. Poscis aliquod oraculum: Hoc habeto. Si hvmiles Angeli calles probas, probe calles: faxit Devs vt hæc virtvs effvsa a me, tibi sit infvsa.

Ad Angelos pertinere hominum custodiam multis titulis, præsertim eminentiæ.

In hæc verba.

Hic est maior in Regno cœlorum.

Sectio Tertia.

Indubia ferè res est, fidemque reperit istud dogma orbe toto: scilicet Angelos esse indiuiduos hominum & comites & custodes. Tota eius certitudo petitur ab hac voce, Maior; in eaque vertitur omnis cardo tituli prælibati. Nimirum dato & concesso, Angelos & homines se habere in ordine ad Deum vt maiores & minores; nemo ibit inficias, pertinere ad maiores minorum regimen & tutelam. Itaque bipartita erit hæc sectio. Priore sui parte litabit eminentiæ Angelorum, & ostendet quantùm assurgāt hi spiritus supra omne hominum genus. Altera parte inferet, multimodè Angelos debuisse gerere curā nostri. Ordiamur.

De Excellentia Angelorum.

Prima Pars Sectionis.

Emeritæ virtutis vir insignis & grandæuus Tobias, cessurus filium suum in ducatum Angeli Raphēlis, cum sic compellat: *Rogo te indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? cui Raphael Angelus dixit: Genus quaris mercenarij an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne fortè solicitum te reddam: Ego sum Azarias Anania magni filius. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris, quòd voluerim cognoscere genus tuum. Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum.* Ex eo dialogo videre est, non esse tutum satis velle curiosa indagine rimari genus, seu indolem Angelorum; sed satius esse demereri eorum custodiam & ducatū, vt sonat hæc Angeli responsio. *Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat.* Quasi diceret: Nihil ad te pertinet status meus: Vnum hoc satage, vt me deuincias ad tutelā. Nescio quo argumento ductus ille senex Angeli ortum adeò curiosè sciscitatus est, cùm veritū sit altiora nostro ingenio, Tob. 5.

ingenio perscrutari. Dices, eum credidisse affari hominem, non Angelum, ideoque fuisse venia dignum, si ductoris genus exquireret, ideoque Angelum non ægre tulisse hoc quæsitum, sed redarguisse potius anxietatem animi, qua Tobias ille senior angebatur, filium suum tradens fidei hominis inaspecti, cui mœrori occurrês Raphaël, dissimulauit audire ista verba senis: *Peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuum.* Sed continuò hoc responsum dedit: *Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum.* Eo contextu Angelus insinuauit, vtrumque esse censuræ obnoxium, scilicet nimium affectum in filium, & sedulum scrutinium indolis Angelorum. Quia tamen non abnuit ille aperire genus suum, non cunctabor ego è Theologiæ fontibus inquirere ortum & naturam spirituum, non eo ingenio tantum vt recreetur animus, sciens quid sit Angelus, sed vt explicata Angelorum essentiâ vnuiquisq; queat Angelo suo custodi dicere: *Ex magno genere es tu*; atque ita cultum ei debitũ exhibere, vt ei, qui vsquequaque maior est homine, iuxta sonũ tituli lectionis. *Hic est maior in regno cælorum.*

Angelorum excellentia quanta.

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 65. ar. 8. ad. 2.

Theologia sic astruit eminentiam illam, qua Angelus omnes homines antecellit. Quò quis Deo natura propior est, eò etiam nobiliorem essendi modum participat. Ast Angelus est Deo natura propior homine. Ergo etiam nobiliorem essendi modũ participat. Etenim creatura simplex propior est Deo, creaturâ compositâ: Angelus autem est creatura simplex, & homo creatura composita: quippe homo coalescit ex corpore & anima: Angelus verò est spiritus physicæ compositionis expers; igitur magis æmulatur naturã Dei, atque adeò homine maior est. Naturæ etiam dignitas insignis colligi potest ex virtute potiori; quò etenim amplior est vis agendi, eò etiam nobilior essentia. Sed Angeli vis actiua potior est quàm sit in homine, vt videre est ex demonstratione Mathematica. Scilicet datis duobus circulis, tantò vnus alterum amplitudine superabit, quantò diameter eius diametrum alterius longitudine excedet; siquidem capacitas orbis diametro concluditur. Sed diameter sphæræ actiuitatis Angeli longius excurrit diametro sphæræ actiuitatis hominum, quæ non porrigitur extra circulum, quem describunt brachia extensa hominis: in eo nimirũ orbe homo tantùm agit immediatione suppositi: ast Angelus tam angustis cancellis minimè coarctatur, vtpote qui quandoque vno impulsu quatiat ciuitates integras. Eamobrem cùm duo termini describentes lineam, quæ mensurat spatium vnicuique Angelo assignatum, faciant diametrũ longiorem eo, qui exurgit ex extensione brachiorum, liquet Angelum multo præstare homini in eo operandi ritu. Non hinc tamen appositè inferenda est nobilitas Angeli præ homine, cui alioquin procera præirét animalia, eò quòd diametro suo delineent actiuitatis suæ circulum ampliorẽ. Ne qua tamen vlla probatio deesset astruens nobilitatem Angeli, nolui eam præterire, quæ petitur à modo agendi in hæc exteriora.

Ex Mathematica.

Eucl. l. 3 de geomet.

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 55. ar. 2.

Liquidior erit ratio petita à modo consono Angelis, & homini, scilicet ab ea operatione, qua discernuntur Angeli & homines à brutis, id est, à peculiari intelligendi ritu, ex quo Angeli supra homines præstantia colligitur. Sic arguo: Intellectus, qui hallucinari nequit, nobilior est eo, qui errare potest. Sed Angeli intellectus hallucinari nequit, hominis verò intellectus errare potest. Ergo potiori longè modo Angelus intelligit quàm homines. Nimirum ille intellectus citra errorem agit, qui cognoscit res per proprias species sibi concreatas: est autem errori obnoxius ille, qui lumen suum emendicat à sensibus, vt peculiare est humano intellectui, cùm tamen Angelus habeat ab ortu suo infusas à Deo species rerum, quas anima tantũ precariò habet à sensibus.

Hoc vt liquidius constet, Angelicus Doctor ait, distinctionem & ordinem substantiarum spiritualium colligi eo modo, quo distinctionem & ordinem colligimus rerum corporalium. Vnde sicut corpora suprema à sua forma totam habent perfectionem, quam eorum materia desiderare potest: inferiora verò corpora secus, non ita perfecta sunt, sed eorum materia semper hians ad diuersa, varias subit formas. Ita inferiores substantiæ intellectiuæ, vt animæ hominum, habent potentiam intellectiuam naturaliter incompletam: ideoque successiuè perficitur, mutuas accipiendo species intelligibiles à rebus, in quibus occupantur. Potentia verò intellectiua in superioribus substantiis spiritualibus, id est, Angelis naturaliter completa est per species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda, quæ naturaliter nosse possunt.

Angelorum modus operandi nobilissimus.

Naturalis etiam essendi modus amborum; Angeli videlicet, & hominis hoc confirmat. Quippe substantiæ spirituales inferioris ordinis vt sunt animæ, habent esse affine corpori, in quantùm sunt corporum formæ, ideoque ex ipso statu suo competit eis, vt à corporibus & per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur, alioquin frustra corporibus vnirentur. Substantiæ verò superæ, id est Angeli, materiæ expertes sunt, & in esse intelligibili subsistunt; eamobrem suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem influxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura. Cùm igitur species à Deo infusæ potiores sint illis, quas anima sibi vendicat sensuum obsequio, Angelorum notitia altior erit ea, quam homines à sensibus emendicant.

Philosophia suas etiam partes agens, primas dat Angelo, quia ens completum perfectius est incompleto. At Angelus est spiritus completus, anima verò spiritus incompletus: non enim per se aliquod totum facit nisi corpore aduocato. Rursus si instes, animam quidem seorsim sumptam esse quid hiulcum atque adeò infra Angelum, sed vnitam corpori facere quid completum Angelo nobilius; contra sic contendo: Ens incorruptibile nobilius est eo, quod dissolui potest; sed Angelus nequit pessum ire, vtpote formâ constans abstractâ ab omni fæce illa, qua coagulatus homo patitur sui dispendium, quando anima secernitur à corpore. Ergo homo illi deliquio mortis obnoxius inferior est Angelo, qui venire nequit in discrimen suæ substantiæ defæcatæ ab omni materia, penes quam est radix omnigenæ corruptelæ. Item rei nobilitas attenditur ex sufficientia illius; vnde ex inopia inferimus rei cuiusque sortem miserandam. Ergo cùm Angelus non indigeat corpore ad sua obsequia, longè perfectior erit homine, cui corpus adiectum est animæ, ob indigum eius statum.

Ex Philosophia. Lib. Categoriar. cap. 1.

Præterea licet ad eminentiam cuiusque rei parum conferat editionis prioritas, vt videre est in homine creato post alia animalia inferioris ordinis; tamen quia non modicũ confert illa prioritas inter

Angeli creati ante mundum.

Ex SS. Patribus. Amb. lib. 1. Hexam. Gregor. lib. moral. 28. cap. 14.

inter fratres, quorum primogenitus aliis eminet, Deus Angelorum esse nobilius eo etiam argumento fecit palam, creando Angelos ante hoc rerum omnium vniuersum, ne quid esset Angelo prius in hac contextura. Ita Ambrosius: *Factus est mundus: & cœpit esse qui non erat. Verbum autem Dei in principio erat, & erat semper. Sed etiam Angeli, Dominationes, & Potestates, etsi aliquando cœperunt; erant tamen iam quando hic mundus est factus.* Adiice & Gregorium sic scribentem: *Quia prima in tempore condita natura rationabilium spirituum creditur, non immeritò matutina astra Angeli vocantur. Quod si ita est, dũ terra esset inuisibilis, & incõposita, dum tenebræ essẽt super abyssũ, vẽturũ diẽ subsequẽtis sæculi, per lucem sapientiæ exsistendo præuenerũt.*

Aug. lib. 11. de ciu. Dei. cap. 15.

Addit Augustinus, fuisse Angelos editos ante omnia tempora, sic fatus: *Vsque adeò autem isti omni tempore fuerunt, vt etiam ante omnia tempora facti sint; si tamen à cœlo cœpta sunt tempora, & illi iam erant ante cœlum. At si tempus non a cælo, verum & ante cælum fuit, non quidem in horis, & diebus, & mensibus, & annis, sed in aliquo mutabili motu, cuius aliud anterius præterierit, aliud posterius successerit, eò quòd simul esse non possint. Si ergo ante cælum, in angelicis motibus tale aliquid fuit, & ideo tẽpus iam fuit, atque Angelis; ex quo facti sunt temporaliter mouebantur, etiam sic omni tempore fuerunt, quandoquidem cum illis facta sunt tempora.* Species intelligibiles rerum omnium conditarum inustas esse Angelis ab eo momento quo conditi sunt insinuat idem Sanctus dicẽs, eos ab ortu suo fuisse lumine circumfusos.

Idem lib. 11. de ciuit. c. 11.

Simul vt facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantũ creati vt quoquo modo essent, & quoquo modo viuerẽt, sed etiã illuminati vt sapienter beatéque viuerent. Hæc ille.

Præeminentia dignitatũ vnde petẽda. Ex Ivre Civili. Leg. Omnes Cod. Vt dignitatum ordo seruetur.

A Iure etiam ciuili petitur insignis probatio eminentiæ Angelorum. Sic enim habet constitutio Imperatorum Theodosij, & Valẽtiniani. *Omnes priuilegia dignitatum hoc ordine seruanda cognoscãt, vt primo loco habeantur hi, qui in actu positi illustres peregerint administrationes.* Ea lege Angeli potiori dignitate omnes homines antecedunt: siquidem obiere vices nobiliores eis omnibus, quas quis hominum vnquã gessit. Etenim Angeli Deum induentes, egere olim omnia, quæ in Codice sacro gesta Dei nomine perhibẽtur. Ait enim Thomas Theologorũ apex, Dei apparitiones recensitas in Scriptura antiqua, factas fuisse omnes Angelo mediãte.

Ex SS. Patribus. Thom. 1. 2. q. 98. art. 3. Aug. l. 2. de Trin. c. 13.

Hoc accepit eximius ille Doctor ab Augustino, sic rem illam astruente. *Moyses quando ad populum Israël ex Ægypto educendum missus est, sic ei Dominum apparuisse scriptum est. Pascebat oues Ietro soceri sui sacerdotis Madian, & egit oues in desertum, & venit in montem Dei Horeb. Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo. Et vidit quia in rubo ignis arderet, rubus verò non comburebatur, & ait Moyses: Ibo, & videbo visũ istud, quod tam magnũ vidi, quoniam non comburitur rubus. Cum ergo vidit Dominus quia venit videre, clamauit ad eum Dominus de rubo dicẽs: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: Et hic primò Angelus Domini dictus est, deinde Deus. Nunquid ergo Angelus est Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Potest ergo rectè intelligi ipse Saluator, de quo dicit Apostolus: Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Sed cur prius Angelus Domini dictus est, cùm de rubo in flamma ignis apparuit, vtrũ quia vnus ex multis Angelis erat, sed per dispensationẽ personã Domini sui gerebat?*

Angeli Dei vices gesserunt in apparitionibus.

Hæc ille, affirmans Angelum personã egisse Domini, quam nemo hominũ gessit ante Christum.

Ex Ivre Civili. Lege Qui præpos. Cod. De præpositis.

Est ergo status Angelorum dignior, eo argumento Iuris Cæsarei, assignãris primas ei, qui nobiliora munia gesserit perquàm dignè. Præterea eorum Iure tituli insignes comparantur, ex relatione vniuscuiusque hominis ad Principem, aut ad palatium; vnde in gratiam illorum hominũ multę leges conditæ sunt, quas recensuit etiam suo Codice Iustinianus Imperator, in quibus hæc est Imperatorum Honorij, & Theodosij. *Immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat.* Igitur Angeli ad hoc conditi, vt Deo astent, nonne nobiliores erunt homine, qui conditus erat vt operaretur & custodiret Paradisum, licet aliquando Deo fruiturus?

Imperatorib. qui adstant, immunes sunt. Thom. 1. p. q. 108. ar. 6.

Adeò verum est Angelos proximos esse Deo, vt eorum Hierarchias & ordines, Angelicus Doctor distinxerit relatione facta nobilium hominũ ad Principes. Sic ille acutè suo more: *Quia Deus est finis non solum Angelicorum ministeriorum, sed etiam totius creaturæ, ad primã Hierarchiam pertinet consideratio finis: ad mediam verò dispositio vniuersalis de agendis: ad vltimam autem applicatio dispositionis ad effectum, quæ est operis executio. Hæc enim tria manifestum est in qualibet operatione inueniri. Et ideo Dionysius ex nominibus ordinũ, proprietates illorum considerãs, illos ordines in prima hierarchia posuit, quorum nomina imponuntur per respectum ad Deum, scilicet, Seraphim, Cherubim, & Thronos. Illos verò posuit in media hierarchia, quorum nomina designant communem quandam gubernationem, siue dispositionem, id est, Dominationes, Virtutes, & Potestates. Illos verò ordines posuit in tertia Hierarchia, quorũ nomina designant operis executionem, scilicet Principatus, Angelos, & Archangelos. In respectu autem ad finẽ, tria considerari possunt. Nam primò aliquis considerat finẽ. Secundò verò perfectã finis cognitionẽ accipit. Tertiò verò intentionem suam in ipso defigit. Quorum secundũ ex additione se habet ad primũ, & tertium ad vtrumque. Et quia Deus est finis creaturarũ, sicut dux est finis exercitus, potest aliquid simile huius ordinis considerari in rebus humanis. Nam quidã sunt, qui hoc habent dignitatis, vt per seipsos familiariter accedere possint ad Regem vel ad Ducem. Quidam verò super hoc habẽt, vt etiã secreta eius cognoscant. Alij verò insuper circa ipsum semper inhærent, quasi ei coniuncti. Et secundùm hanc similitudinẽ accipere possumus dispositionẽ in ordinibus primæ hierarchiæ. Nã Throni eleuantur ad hoc, quòd Deum familiariter in se ipsis recipiant, secundùm quod rationes rerũ in ipso immediatè cognoscere possũt: quod est propriũ totius primæ hierarchiæ. Cherubim verò supereminenter diuina secreta cognoscunt. Seraphim verò in hoc excellunt quod est omnium supremũ, scilicet Deo vniri. Vt sic ab eo quod est cõmune toti hierarchiæ denominetur ordo thronorum, sicut ab eo quod est cõmune omnibus cœlestib. spiritibus denominatur ordo Angelorũ. Ad gubernationis autẽ rationem tria pertinẽt: quorum primũ est distinctio eorum, quæ agenda sunt; quod est propriũ Dominationũ. Secundum est præbere facultatẽ ad implendum, quod pertinet ad virtutes. Tertium est ordinare qualiter*

Angelorum ordines distinguuntur ab officiis.

qualiter ea, quæ præcepta vel diffinita sunt, impleri possunt, vt aliqui exequatur; & hoc pertinet ad Potestates. Executio autem Angelicorum ministeriorum consistit in annunciando diuina. In executione autem cuiuslibet actus sunt quidam quasi incipientes actionẽ, & alios ducentes, sicut in cantu præcentores, & in bello illi qui alios ducũt, & dirigũt; & hoc pertinet ad Principatus. Alij vero sunt, qui simpliciter exequuntur; & hoc pertinet ad Angelos. Alij verò medio modo se habent: quod ad Archangelos pertinet. Hæc eruditè Doctor ille, qui vt Angelis assuetus, ab eis etiam Angelicus appellatur.

Ex Historia. *Hist. Gallica in Lud. XI.*

Superbia cuiusdam aulici punita.

Ex prælibatis, Imperatores præcipuo honore censuerunt dignos homines illos, qui Principi frequenter adessent, quo cultu arbitrari oportet esse dignandos beatos illos spiritus, qui semper vident faciem Patris, & quos eo fine edidit Deus, vt cãtica concinerent sacra iuxta illud Iob. *Vbi eras quando me laudabant astra matutina?* Purpura Principũ tantũ venerationis affingit hominibus illis, qui eã contingũt, vt licet aliquãdo sint infimæ sortis, ex purpuræ contactu tamẽ fiant illustres, & aliis emineãt. Fauet Gallica historia, fidẽ faciens, hominẽ flocci, cui ars Chirurgica fecerat copiam Regis Ludouici XI. adscitũ fuisse in numerum domesticorũ eius, & ratione viciniæ, quam cũ purpura contraxerat, eò honoris euectum fuisse, vt & despicatui etiã haberet Principes, immemor suorum natalium. Ea affinitate regia insolescẽs, grauiora negotia Regni gerebat homo nequam, nemine reclamante. Sed vbi Rex ille de medio sublatus est, miserando fine periit is, quem sola Principis aura beneuola conspicuum effecerat.

Ex SS. Patribus. *Aug. lib. 11. de ciuit. Dei. c. 29.*

Angelorum qualis sit cognitio.

Nonne & Dei iugis aspectus Angelos, qui assuescũt ei, hominibus præferet, etiã aliunde potioris omnino indolis? Ita planè. Si homines orationi instãtes magni facimus, quia Deo adstant, & sacris eius obtutibus illustrantur; quanti sunt faciendi Angeli, quibus semper rutilus illis affulget splẽdor, cuius obsequio omnia illis innotescunt, vt benè ait Augustinus. *Illi Angeli sancti, non per verba sonantia Deum discunt, sed per ipsam præsentiã immutabilis veritatis, hoc est, Verbum eius vnigenitum, & ipsum Verbum, & Patrem, & eorũ Spiritum Sanctum: eámque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse vnã substantiã; & tamen omnes non tres Deos esse, sed vnũ Deum ita nouerũt, vt eis magis ista quã nos ipsi nobis cogniti sumus. Ipsam quoque creaturã melius ibi, hoc est, in sapientia Dei, tanquam in arte qua facta est, quam in ea ipsa sciunt: ac per hoc & seipsos ibi melius quàm in seipsis, veruntamen & in seipsis. Facti sunt enim, & aliud sunt quàm ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna; in seipsis autem tanquam in vespertina.* Hæc ille.

Ex Theologia. *Thom. 1. p. q. 58. ar. 6.*

Angelorum duplex est cognitio.

Inde Theologia accepit ansam speculandi in Angelis duplicem notitiam; matutinam illam, qua in Verbo res cognoscunt; vespertinam aliam, qua res concipiunt secundum proprium earum esse. Prima dicitur matutina, quia vt lucis exordium petitur à matutino tempore; ita & rerum omnium primordia sunt in Verbo, in quo sunt rationes rerũ omnium factibiliũ. Igitur cũ noticia sit lux, ea benè nuncupatur matutina, quando habetur à primo diluculo rerum omniũ editarũ. Rursus vt lux matutina terminatur ad vesperum; ita & rationes rerũ in Verbo, à quo effluunt, ipsũ esse rerũ habẽt pro termino sui effluxus: & cognitio earũ in hoc statu dicitur vespertina. Itaq; Angeli norunt omnia duplici medio, videlicet per rationes existentes rerum in Verbo, & hęc est cognitio matutinæ, vel per species innatas, quæ ingerunt scientiam rerum prout sunt, & hæc est cognitio vespertina, cui subesse nequit falsum, quia Angelus, sicuti præfatus sum, intelligendo nec diuidit, nec cõponit, sed statim intelligit quod quid est. Intellectus autẽ circa quod quid est, sẽper verus est, sicut & sensus circa propriũ obiectũ, vt loquitur Aristoteles.

Arist. l. 3. de anim. tex. 26.

Angelus nequeat errare in cognoscendo.

Intelligendo res simplices, vt sunt essentiæ, non est intellectus errori obnoxius, quia vel totaliter non intelliguntur, & sic nihil de eis cognoscitur, vel intelliguntur vt sunt. Eam ob rem Angelus cognoscẽs quidditates rerum, vt schola loquitur, nequit in eis decipi, quia tota latitudo talis essentiæ liquida est ei, nec hallucinari potest in eis, quæ naturaliter tali essentiæ conueniunt. Verbi gratia, cognita ratione animalis, nouit omnia quæ ad animalitatem pertinent, nec eum fugit vlla species animalis; quidquid vtile, aut noxium est in vnoquoque animali, probè callet: passiones namque cuiuslibet rei spectant ad integrã eius notitiam, vt enim se res habet ad esse, ita & ad cognosci. Sed nulla essentia rerum vacat, quasi impos actionis. Vt ergo plana notitia sit ea, se porrigit ad essentiam & effectus.

Beati sua sorte sunt contenti.

Hinc est quod Angelus refuga (qui etsi reprobus, Angelicæ tamen naturæ conscius est), maiorem habet rerum naturalium peritiam, quàm quiuis homo suo Marte queat acquirere: siquidem homo diuidendo & componendo rimatur indolem rerum, & sic adiectione alicuius differentiæ, ad genus incongruum exurgere potest error; Angelus vero citra complexum terminorum res vt sunt intelligit, & inoffenso pede in tota cuiuslibet entis naturalis latitudine spatiatur. Ergo etiam in hoc homini præstat: nã decipi nequit Dæmon in eis, quæ pertinent ad rerũ naturalium seriem & contextum. In his verò, quæ sunt superioris ordinis, id est, quæ dependent à supernaturali ordinatione Dei, ferè semper errat præuaricator Angelus. Vt videns Christum, iudicauit eũ nõ esse Deũ & errauit, quia etsi sciret omnia, quæ erãt in Christo via naturali; cæcutiit tamẽ in his, quę trãsiliere naturæ fines. Beati verò Angeli errare nequeũt in his, quæ pertinent ad ordinationẽ Dei: quippe ita ad arbitrium Dei se componũt, vt de his, quæ penes Deũ tantũ sunt, nõ iudicẽt, nisi Deo reuelãte, nec aliud omnino velint ab eo quod benè placitũ est Deo.

Ex SS. Patribus. *Aug. l. 22. de ciu. Dei c. 30.*

Bern. ser. 5. de verbis Isa. Prophet.

Statum illum insinuat Augustinus. *Beata ciuitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori vllus inferior inuidebit, sicut nunc non inuident Archangelis Angeli cæteri: tanquam nollet esse vnusquisque quod non accepit, quamuis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei qui accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus, cum membrũ vtrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, vt hoc quoque donũ habeat, ne velit amplius.* Hæc ille, vim eruditè faciens in eo, quod est insigne illud Angelorum donum, vt sua sorte faciant ita sibi satis, ne velint amplius. Vide iam, congruè necne dixerim, Angelos esse homine potiores, & adiice præfatis Bernardi effatum locuples in Angelorum gratiam. Sic ille: *Gloriosus Deus in Sanctis suis, & mirabilis in maiestate sua. Vidi, inquit Isaias, Dominum sedentẽ super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat omnis terra maiestate eius; & ea, quæ sub ipso erant, replebãt templũ. Quæ enim sub ipso erãt? Nunquid ipsũ quod dixerat soliũ quãlibet excelsũ, & eleuatũ: sub ipso tamen nihilominus erat? Si enim ipse super soliũ sedẽs, solium planè sub ipso. Et quomodo illud replebat templum? Deinde quando & ipsa iã terra omnis plena est maiestate eius, quomodo tẽpliũ adhuc, vel vnde repletur? Enimuerò disce ex his quæ audis, solium nõ imaginari corporeũ ma-*

Angeli dicuntur esse Dei solium.

chinam; sed *Angelicā intelligere creaturam. Si enim sedes est sapientiæ anima iusti; quā dignior sedes Angeli sancti: Hic planè solium gloriæ eius excelsū per naturā, sed multo magis per gratiam eleuatum. Excelsos enim fecit eos natura conditionis, eleuatos gratia confirmationis.* Et in eo longè eminēt hominibus in hac vita degentibus, qui quantumuis gratia rutilent; eorū tamen charismata nutant, vtpote minimè confirmata. Angelorū verò secus natura Deo ita addicta est, vt ab eo diuelli nequeat: quippe summū bonū semel apprehēsum, & in aperto positum, adeò arctè deuincit appetitū, vt illud nusquā deserat. Iterū aduocandus est Bernardus admirans ingenium Angelorū. Ita fatur ille Sanctus: *Angelica creatura irrepercussa mentis acie intuetur diuinorū iudiciorum abyssum multam, quorum summa æquitatis ineffabili delectatione beata gloriatur insuper effeciui ea mancipari per suum ministerium ac palam fieri.*

Angeli glorificantur seruire Deo.

Idem ser. 19. in Cantica.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus par. 2. Thea.* Angelorum sunt petēda suffragia.

Tot eminentiæ Angelorū tituli, egregium mihi symbolum suggerunt, quo liquidior eorū spirituū celsitudo patere potest. Symbolum illud petitur ex Theatro Ferri, qui maiusculam literam, A, pingit, eo illi sēmate adiecto vocali, ORDINE POTIOR. Idonea sanè est hæc pictura quæ referat gradum, quo præit Angelus hominibus, eòque aptior est hæc litera, quò magis Angelum delineat, cuius nomen Græcè & Latinè ab ea litera capit exordium. Signata igitur hac vocali, A, & adiectis his vocibus ORDINE POTIOR; ne intellige tātùm literam illā aliis anteponi literis alphabeti. Sed memento Angeli, qui respectu hominum natura potiore gaudet, ideoque reuerentiam nostram sollicitat, vt eum cultu debito prosequamur.

EX SS. PATRIBVS. *Bern. ser. De triplici genere bonorum.*

Sublimis dignitas illorū spirituum debet vrgere nos ad opem eorum exorandam, vt Bernardus hortatur. *A sanctis Angelis auxilium quærendum est, & occultis suspiriis, & frequentia lacrymarum, vt illi supereminēti Maiestati preces nostras offerant, referant gratiam: quia administratorij spiritus sunt missi propter nos, vt hæreditatem capiamus salutis.*

EX IVRE CANONIC. *Can. Pronūtiandum De consec. dist. 3.*

Vt non excideret è memoria ille cultus, quo sunt deuinciendi Angeli, Iure Canonico cautū est vt singulis quibusque annis solennis & festiua dies habeatur illa, qua Ecclesia Sancti Michaelis Archangeli cōsecrata fuit. Ecclesiæ intētum fuit vnum diem singularem seponere sacrum obsequio Angelorū, vt eo saltem die vacent homines cultui Angelorum. Ecce Canon. *Pronuntiandum est laicis vt sciant tempora feriandi per annum, &c. Feriandi vero per annum isti sunt dies. Natalis Domini, &c. Dedicatio Ecclesiæ S. Michaelis Arch. &c.* Cultus potior est ille, de quo infra peculiarem instituam sectionem, cùm hortabor ad æmulandum ingenium Angelorum. Iam facturus satis præfato Canoni, dicam nos testaturos animum nostrum benè affectum erga beatas illas mentes, si exemplo Augustini nostra eis vota feruida commendemus.

EX SS. PATRIBVS. *August. lib. Medit. c. 24.* Angelos orat S. Aug.

Ita Augustinus hos cōpellat: *Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis. Securi estis de vestra immarcessibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsū vos rogo qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iā satiamini, de cuius immortalitate iamiam immortales facti estis, de cuius beata visione sēper gaudetis. Estote igitur memores nostri, subuenite nobis miseris, quia adhuc in salo huius vitæ circumstantibus agitamur procellis. Vos porta pulcherrima, quæ in magnam surrexistis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum, longè inferius iacentes. Date manum, & erigite iacentes super pedes, vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello, intercedite, & orate constanter atque indesinenter pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus; vt per vestras orationes, vestro sancto consortio coniungamur, quia aliter salui esse non possumus. Sumus namque valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigiū apparet. Orate Dominum, orate piissimi, orate omnia agmina Sanctorum; & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisque adiuti, salua naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, & quietis.*

EX RE MEDICA. *Fern. lib. 4. Physiol. c. 11.*

Vtinam eum naturæ ductum sequeremur in colēdis illis spiritibus, quē sequūtur principes corporis humani partes in obsequio spirituū vitaliū & animalium. Nimirum cor potissima hominis pars, eo tantū nomine defæcat sanguinem vt spirituali substantiæ veluti persoluat pensum suū. Sunt sic hi spiritus persoluti à corde debentē cerebro censū illū; caput hoc tributum suo concludit penu, vt eodem ære suum pendat & tributum. Quasi enim caput ad hoc editū esset tantùm, laborat semper ad condendos spiritus animales. Quod cor & caput vltro efficiūt nullo alio ducatu quàm lumine naturali, agamus & nos in Angelos cœlitus eruditi. Toti deuoueamur Angelis, vti spiritib. citra quos tota hæc rerum cōpages non nutaret modò, sed pessum iret, à Dæmonibus impetita; sicut mox faciam palam eo titulo, quem ego isti subjiciam. Esto ergo vice parænesis ad cultum Angelorum istud meum eloquium.

CRIMINE DEMENTES SE ONERANT, QVI IN SVO DISCRIMINE BEATAS MENTES NON HONORANT.

Quibus titulis custodia hominum commendata fuit Angelis.

PARS ALTERA SECTIONIS.

INsigniora quæque fidei nostræ mysteria Hebræis explicata, vtpote à Deo electis, è quibus nasceretur rerum omnium reparator Christus, ab eis tādem incuriis sacrorum aperta fuere Gentibus, à quibus ebibentes ritus impios, suos etiam eis offuderunt, & fecere copiam librorū sanctiorū quos vigente integro cultu Dei nefas erat facere vernaculos. Etenim codex sacer sanctissimā arcā reconditus non omnium manibus terebatur, sed legis peritis duntaxat erat hoc fas abdita codicis huius mysteria referare. Vbi verò susq; deq; versa sunt à Gentib. Hebræorū sacra; doctiores Gentiliū curiosa indagine perscrutātes dogmata Iudæorum, multa inde hauserunt, quæ in suas gazas asportarūt. In his fuere Pythagoras, & Plato, Principes Theologiæ Gentiliū. Multa de Deo & Angelis tradidere, quæ vt nō Deo Doctore didicerant, sed pro suo captu effinxerāt, ita etiā multis respersa erroribus posteræ ætati cōmendarunt. Vtque animus hominū pronus est ad penitiora quæque rimanda, plerique alij symmistę Platonis, eius ęmulātes ingeniū astruere conati sunt Angelorū statū à materia abstractū, quodque magis demirere, custodiā hominū singulis quibusque indictā esse Angelis affirmarunt. Ad hoc Deos inuexere Genios, omnibus hominib. addictos ab incunabulis, ad moderamē vitæ. Dixere hos spiritus Genios, quasi Deos Geneseos, de quib. hęc accipe ab Alexādro. *Genius Deorū filius & parēs habetur hominū. Tametsi binos Genios ab ipso natali die cuique mortali Deorū munere datos, bonum scilicet, & malū, Empedocles reputarit, Menāder vnū. Alij Iunonē, & Genium suū singulis dederūt, quasi præsides, & oppugnatores. Lares quoque inter Deos receptos fuisse*

Angelos esse custodes probatur.

EX PROFANIS. *Alex. ab Alexan. lib. 6. dier. gen. c. 4.* Genius quid sit in opinione Gentilium.

fuisse, multorũ testimonio probatur. quos antiqui inferiores dixere Deos, qui priuatarũ ædiũ, triuiorũ, viarũque, atq; vrbis curã agant, ideo Prastites nuncupati. Hos Ægyptij quatuor fuisse putant, quos simul atque in lucem editus fuisset homo, illius peruigilem curam agere opinantur.

In omni genere disciplinæ eruditus Clemens Alexandrinus, multa commemorat deliria priscæ ætatis Ethnicorum hominum, quibus liquidò est, innotuisse eis custodiam Angelorũ. Audiendus ille. *Dicunt Attici quadam fuisse significata Socrati, Dæmone eum consequente. Dicit etiam Aristoteles, omnes homines vti Dæmonibus, qui eos sequuntur eo tempore, quo migrant in corpus, quam cùm à Prophetis accepisset doctrinam, & in suos retulisset libros, non tamen vnde accepisset eam confitetur.* Hæc ille fauens meæ sententiæ affirmanti, infideles Angelorum custodum notitiam non habuisse nisi beneficio Scripturę sanctioris, quam non ritè intelligentes, multas ei nænias adiecerunt, & præsertim in hoc argumento de Angelis vti ostendit idem Clemens, vir multæ eruditionis, peritissimos quosque Gentium Ethnicarum arguens inscitiæ & corruptelæ, quam in sacros Codices inuexerunt. Platonem eo nomine sic sugillat. *Quid non nouit Plato, & flumios ignis, & altitudinem eam terræ, quæ a barbaris gehenna vocatur, tartarum nominans prophetice, Cocytumque, & Acherontem, & Pyriphlegetontem, & quædam huiusmodi, quæ ad castigationem disciplinámque inducunt, loca suppliciorum? Paruorum autem, conuenienter scripturæ, & minimorum Angelos Deum videntes, quin etiam nostri curationem, & visitationem, quæ ad nos venit per Angelos, qui nobis præsunt indicans non veretur scribere, postquam omnes animæ vitam elegissent, ita vt sortitæ erant, accedere ad Lachesim: illam autẽ eum quem vnusquisque elegit Dæmonem, cum eo mittere vitæ custodem, & vt adimpleat ea quæ elegerit.*

Socratis dæmon. Clem. Alex. lib. 6 Strom. Esse Angelos custodes Gentiles suspicati sunt

Idem lib. 5. Stromat.

Hæc sunt humanæ sapientiæ ludibria, quæ ego miserans vsurpo illud Petri. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris, hoc primum intelligentes quòd omnis prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit.* Cùm ergo sanctior aura spiritus Dei non afflarit Gentibus, nihil mirũ si in aucupanda Angelorũ indole caligarint. Quippe laruas & inania quędã spirituũ simulachra vnicuiq; hominũ ad tutelã, Philosophiæ proceres assignarunt.

2. Pet. 1.

Præstat audire Sanctos in eo argumento. Etenim illi conscij Spiritus Sancti, sacros Scripturæ latices ebiberunt. Præibunt in hanc aleam aduocati Sancti Patres Græci, in quibus Dionysius primas tenet, vbi de Angelis texitur sermo. Sic ille: *Angeli præsunt humanis ordinibus, vt ferantur ad Deum, & conuertantur.* Illi cócinit Clemens Alexandrinus ita fatus: *Diuina virtus præbet bona per Angelos, siue videantur, siue non videantur.* Huic Sancto suppar Chrysostomus suum in hoc sacro symposio symbolum affert, hæc affirmans: *Ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum.* Alius eiusdem sortis, cuius est ille Antistes, scilicet Basilius, fama super æthera notus, suum præbens suffragium ista pangit: *Angelis tanquam prouidis tutoribus humani generis curam demandauit Deus, ad custodiam, & salutem hominum,*

EX SS. PATRIBUS. Dion. lib. de cœl. hier c. 9. Clem. Alex. lib. 6. Strom.

Chrys. ser. de Ascen. Dom.

Basil. in cap. 8. Isai.

Ne catenam videar instituisse Patrum, satis superque se explicat Græcorum fides, de Angelorum custodia in Scripturis graphicè lineata. Prior occurrit qui dignitate potior, scilicet Regius Psaltes. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Paulus in cælum raptus, ex ea vicinia Angelorum didicit eorum sortes, quas sic suã quadam epistolã consignauit posteræ ætati. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Sed quid Sanctos laudo in subiecta materia custodiæ Angelorum; cùm præstò sit Sanctus Sanctorum Christus, veritatem istam astruens vnico hoc contextu. *Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris.* Vox illa, *Eorum*, respectum sonat Angelorum ad homines, quorũ non sunt nisi in ordine ad custodiã.

Psal. 90.

Hebr. 1.

Matth. 18.

Huius & dogmatis assertores fuere Patres Latini, vtpote integri professores eius disciplinæ, quam tradidit Christus. Rem totam egregiè enarrat Ambrosius, cùm describit Angelos adfuisse Helisæo Vati, cui insidias Dæmonum agmina prætendebant. Sic ille hunc heroëm impauidum obiicit nobis. *Non timet aduersarios, quos prospicit; quoniam scit Angelos secum esse quos credit. Non metuit terrenas insidias, quia cælestia adesse sibi nouit auxilia. Plures, inquit, nobiscum sunt quàm cum illis. Mira res, plures è cælo defensores meretur sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas. Plures nobiscũ sunt, quàm cum illis. Vide beatitudinis meritum. Propheta nuntiat etiam de multitudine, cùm puer adhuc incertus sit de salute.* Non impar Ambrosio Augustinus hoc Dei beneficium commemorans, Deum sic compellat: *Facis Angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti, vt custodiant me in omnibus viis meis: ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis tuæ nouæ Ierusalem, & montes in circuitu eius, vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem tuum: nequando rapiat vt leo animas nostras, dum non esset qui eriperet, ille antiquus serpens aduersarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens semper circuit quærens quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Ierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus suis viis: confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in cõspectu gloriæ maiestatis tuæ.* Hæc ille.

Angelorum custodia quã potens sit & fidelis.

Ambr. ser. de iumnl. bell.

August. lib. Solil. c. 19.

Suffragatur & ratio multiplex auctoritati. Prior petitur à natura rerum, quæ ex Philosophia eo contextu adhærent sibi, vt inferiora quæque subeant regimen superiorum: ideóque causarum connexio multa inuehitur, quibus ea est indoles insita vt causæ inferiores, aliis superis obsecundent. Series illa videri potest in omni tenore rerum à sæculo conditarum: quippe corpora omnia mutationi obnoxia reguntur ab aliis immutabilibus, scilicet à cælis, quæ in corpora quæque inferiora iugiter influunt, quia citra eorum influxum non sibi constaret sensibilis hæc compages. Cælis autem præsunt aliæ substantiæ naturæ potioris, scilicet Angeli, quorum virtute gyrant cæli. Homo mundi breuis epitome, hunc & tenorem

EX PHILOSOPHIA. Arist. l. 2. de gener. t. 58.

seruat in suo schemate agendi. Etenim corpus regitur ab anima,& animæ cognitio ne variet hallucinans, primis principiis innititur, quorum obsequio anima regulatur in cuiusque rei notitia singulari. Ergo cùm sit potior etiam ipsis cælis,debuit saltem eosdem & habere rectores viarum suarum , scilicet Angelos , ad quorum arbitrium cæli diriguntur.

Psal.120. Aristot.l.10. Ethic.c.8.& 16.c.12.

Nec obstat ipsa Dei custodia,quæ suis operibus omnibus inuigilat , iuxta illud Psaltis. *Non dormitabit,neque dormiet qui custodit Israel.* Nam ad bene operandum homo duobus indiget. Primo quidem vt inclinetur ad bonum, & hoc fit in nobis per habitum virtutis moralis,cuius est affingere bonitatem ei quem informat. Alterum quod operæ pretium est ad actionis perfectionem , est quòd ratio vias ineat idoneas ad bonum opus exequendum.Et hoc ex Philosopho pertinet ad prudentiam. Quantum ad primum,Deus immediate custodit hominem, infundendo ei gratiam , & virtutes. Quantum autem ad secundum , Deus custodit hominem , sicut vniuersalis rerum omnium opifex atque conseruator : conseruat autem singula modo præfato , scilicet inferiora superiorum obsequio, atque adeò homines Angelorum ministerio,sicut & in Philosophia causæ inferiores superiorum influxu prostant.

Angelis vtitur Deus vt agat in hæc interiora.

Ex SS.Patribus.
Aug.l.3.de Trinit.c.4.

Eo argumento innixi Patres Sancti , congruè astrui Angelorum custodiam credidere, ex ipsis etiam Philosophiæ fontibus. Ita Augustinus. *Sicut corpora crassiora,& inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ ; & spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalis ; & spiritus desertor per spiritum pium & iustum ; & illa per ipsum Deum, &c. Nihil enim fit visibiliter, & sensibiliter , quod non de interiori , inuisibili , & intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur , aut permittatur.* Hæc ille, qui eidem rationi insistens alibi ait : *Vnaquæque res visibilis,in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi propositam.* Gregorius in eamdem iuit sententiam quando sic ait : *Quæ in visibilis seruiũt,esse inuisibilia non dubitetur. Hæc autem quæ esse credimus,nisi sanctos Angelos ?*

Idem lib.83. quæst.79
Greg.lib.4. Dialog.c.5.

Angeli assignati etiam rebus irrationabilibus.

Ea ratio tantùm potuit vt induxerit sanctos homines ad credendum vnicuique perfectæ speciei animalium esse assignatos Angelos, quod etsi quandoque dubium fecerim ; iam tamen lubens assentior , auctoritate ductus Doctorum sanctiorum ferè omnium. Deinde etiam isto argumento : videlicet perfectum regimen hominis multis indigere , quibus ipse homo indigus est.Etenim animalium eget obsequio & ad ministerium,& ad victum ; ne ergo deesset species vlla animalium perfectorum, assignatus est vnicuique Angelus,qui eas & tuetur. Nec obstat esse maleficas quasdam species , siquidem illæ etiam pertinent ad bonum hominis physicum & morale : namque res medica vtilia conficit pharmaca ex virulentis insectis , vt liquet de cantharide , vipera,& scorpione. Moribus etiam componendis quandoque inseruiunt bestiæ assumptæ a Deo ad correptionem hominum,vt cinifes in Ægypto , vrsi & leones in Samaria. Imò etiam ne sæuiant semper noxia animalia , opus Angelo fuit , qui rabiem eorum ad nutum Dei compesceret.

Hoc ita arbitratus est certum Angelicus Doctor , vt inde probauerit vnicuique hominum datum esse peculiarem Angelum, qui eas obiret vices quas alij circa speciem totam obeunt aliorum animalium. Sic ille : *Angelorum custodia est quædam executio diuinæ prouidentiæ circa homines. Prouidentia autem Dei alio longè modo se habet ad creaturas corruptioni obnoxias, & ad alias incorruptibiles ? atque ita aliter se habent Angeli ad homines,& ad species animalium. Etenim cum prouidentia Dei præcipuè attendatur circa res perpetuas,ad alia vero vt ordinantur ad res perpetuas ; æquum est singulos quosque homines habere peculiarem sibi Angelum custodem, cùm qualibet species animalium habeat suum, & tamen sint illæ omnes species aliquando perituræ, hominis autem anima nusquam* , cui ideo suus à Hieronymo Angelus assignatur,dum hæc ait : *Magna est dignitas animarum , vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.*

S.Thom. 1.p. q.103.art.2.

Hieron. in Matth.c.18.

Theologia aliunde venatur rationem huius custodiæ hominum , ad quam Angeli deputantur : scilicet à bonitate Dei , quæ noluit hominem tali destituere obsequio , cùm præsertim diabolo permiserit animas & corpora sæpius impetere. Distinguit illa disciplina duos hominum status , vnum viæ , alterum vitæ seu termini. Status viæ est ille , quo tendimus ad patriam : alius verò vitæ est is , quo beati gaudent in cælis , qui illic nullis patent insidiis, ideoque nulla indigent Angelorum custodia, citra quam homines in via nequeunt salutis mercibus appellere ad portum , ratione insultuum , quos diaboli intentant , sicut insinuat Psaltes. *In via hac qua ambulabam , absconderunt laqueum mihi.* Cum igitur ille status viæ hominem multiplici discrimini obiiciat, æquum fuit & diuinæ misericordiæ valde consentaneum, ire obuiam tot & tantis hostibus, qui in hominum capita coniurarunt. Audi Apostolum recensentem agmina Dæmonum, quos rabies armauit in hominum perniciem. Sic ille hortatur : *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli;quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem , & sanguinem ; sed aduersus principes & potestates, aduersus rectores tenebrarum harum , contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Exercitatissimis his hostibus , æmulos Angelos opposuit, qui retundant impetus acerbos spirituum illorum nequam. Et sic misericordia Dei non fuit immemor nostri, quos aliunde exposuit nisibus hostium acerborum. Benè ergo inferunt Sancti necessitatem custodiæ Angelorum, ex parte Dei , cuius est occurrere obici , qui remorari potest assecutionem finis vltimi , quem præstituit hominibus. Itaque datis homini Dæmonibus ad examen , debuere & Angeli assignari, quorum ope diaboli impetus eludantur.

Ex Theologia.
Thom.1.p.q. 113.art.4.

Psal.141.

Ephes.6.

Dei hoc beneficium Ambrosius insinuat, & commendat. Sic ille : *Hostium tumultus bellicos timere minimè debemus,nec quamlibet copiosam hostium multitudinem formidare : quoniam sicut ait Dominus : Maior est qui in vobis est , quàm qui in hoc mundo : hoc est,potentior est ad protegendos famulos suos Christus, quam diabolus ad instigandos inimicos.Quamuis enim diabolus idẽ colligat sibi turbas , & crudelis eas armet insania ;*

Ex SS.Patribus.
Ambr.ser.de tumult. belli.
Angeli nos defendunt à diabolis.

tamen

tamen facilè destruitur, quia melioribus populū suum Saluator circumdat auxiliis. Et infra pendens insigne illud pondus misericordiæ Dei, præcauētis insidias callidi inimici, hæc ge-rēs animo subiicit. *Quanta est diuina misericordia: defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium: periclitantes consequuntur, & nesciunt. Hac est enim pietas Saluatoris, vt interueniat saluti, nec se prodat aspectus: sentiatur beneficiis, & non cernatur obtutibus.* Hactenus Ambrosius.

Ipsa etiam Angelorum res agitur quando inuigilant nobis: quippe reparantur Angelorum ruinæ, quando homines inseruntur cœlis: & vt adiectione numeri beatorum, aliorum gaudia dilatantur; suum negotium gerunt Angeli, dum procurant homini bonum hoc supernum. Vnde hæc effatus est Augustinus: *Diligunt concines suos, per quos sua ruina scissuras restaurari expectant. Ideoque magnâ curâ, & vigilanti studio adsunt nobis: omnibus horis, & locis succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te, Domine: gemitus nostros, atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tua benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tua gratia benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris.* Et infra luculenter ait redundare in Angelos gaudium de salute hominum. *Quoties benè agimus, gaudent Angeli, & tristantur Dæmones. Quoties à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente: sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. Da igitur, da Pater eis semper gaudere de bonis, & tu semper per eos lauderis in nobis, & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, vt confiteamur simul nomini sancto tuo, creator hominum & Angelorum.* Præterea ex parte Angelorum adhuc colligitur illa eorum sollicitudo de homine, quia beati sunt. Nimirum ille status adeò suos possessores addicit Dei voluntati, vt omne arbitrium beatorum sit compositum omnino ad nutum Dei, qui vbi innotescit Angelis, totos se effundunt in intentum illud à Deo. Eamobrem cùm sit hæc prouidentia Dei, vt homines tutamine Angeli gaudeant; non est quòd laborem in quærendo alio argumento custodiæ Angelorum. Idipsum sonant hæc verba Augustini. *Grandis est eis cura de nobis: magnus est affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tua inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos.* Hactenus Augustinus. Hinc est quòd Angeli alacres occurrant ad tutamen eorum, quibus gratior Dei aura aspirat.

August. lib. solil. c. 27. Angelorum amor in homines.

Ibidem. Angelorum gaudiū cum benè agunt homines.

Ibidem.

Locuples exemplum produnt tutelæ Angelorum prisci annales Ecclesiæ, vbi Marcelli grandæui hominis Archimandritæ facinus egregium exponitur. Audiit aliquando emeritus ille senex, Leonem Imperatorem statuisse apud se creare in Cæsarem, virum nomine Asparem infectum hæresi Ariana. Rei momentum vt par erat pensans ille Archimandrita, audacter Imperatorem conuenit, magna stipatus frequentia clericorum, eumque bene suada oratione deterruit ab inceptis. Timere omnes capiti cano, eò quòd conciliaret sibi iniquos procerum Imperij animos, & quasi aduerso flumine niteretur. Qui animo tersiore & Deo accepto astitere illi colloquio, testati sunt, se vidisse iuuenem elegantem, cui senex incumbebat agens intrepidè causam Christi, cuius deitatem Arius suo impio dogmate fecerat ancipitem. Iuuenis ille antea inaspectus inuisus fuit oculis hominum impiorum, reliquorum verò fidelium patuit obtutibus. Re feliciter absoluta, ille Angelus euanuit, sua hac ope præstita testatus adesse Angelos eis, qui Dei partes agunt, & sedulos sese præstant in arduis: quò namque maius est discrimen, quod incurrunt Dei athletæ, eò etiam validiùs est Angelorum obsequium; vt sæpe sæpius experti sunt Martyres sancti, & in his Apostolorum apex Petrus, quem deuotum iræ Iudæorum, Herodes impius carceri mancipârat, vnde Angeli beneficio sospes eductus est.

EX HISTORIA. *Bar. Annal. Eccl. sub an. 469. tom. 6.*

Marcelli Abbatis correctio facta Leoni Imp.

Angelus astat Marcello.

Actor. 12.

Rursus illius custodiæ ratio non incongruè peti potest ex demonstratione mathematica, qua liquet non posse dari duos circulos concentricos quin maior vndique concludat minorem, alioquin non erunt concentrici, sed seorsum quisque suum vendicabit centrum distinctum ab alio. Cùm ergo idem sit Deus Angelorum & hominum centrū, & homo cōditus sit totus teres atque rotundus, id est, in gratia sicut & Angeli, qui sunt orbes reuerà maiores homine, vt probaui alibi: proculdubiò debet hominem suâ custodia concludere Angelus, eo ferè modo quo cœli ambiunt terram, cui sunt concentrici, & curam eius agunt, citra quam tellus ista foret penitus infœcunda. Vnde licet multum collaboret terra germine fœta multiplici; abortiret tamen non obstetricante cœlo. Ita etsi homines de suo penū non modicum adiiciant ad egregia facinora; tamen imbelles essent eorum ausus ad virtutem, Angelis inconsultis.

EX MATHEMATICA. *Ioan. Sacrob. lib. de sphær.*

Diceres, ad locum illum Mathematicæ disciplinæ alludere Codices sacros, dum meminere Angelorum custodiæ: quippe eam commemorant veluti circulum maiorem, qui concludit aliquid abditum interius. Consulendus est Psaltes, & sic occinet: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Audis circuitum sphæræ maioris, quæ ideo quā maior est, debuit in gyrum hominem totum sedulò conseruare. Eadem etiam metaphora vsus est Angelus refuga, inde causatus suos esse imbelles ausus aduersus virum sanctum Iob; scilicet quòd Angeli in modum sphæræ amplioris eum obserarent. Deo etenim sanctitatem Iob memoranti obiecit Satan: *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* Eo sanè vallo indiguit homo etsi meritus, ne in eum irrumperet hostis adeò versipellis.

Angeli vallant homines.

Psal. 33.

Iob. 1.

Ea circuli figura reuocauit in animū meum symbolum idoneum ad meam mentem confirmandam. Symbolū illud est id quod assumpsit Emmanuel Rex inclytus Lusitanus. Is pelagō ferè omni transfretato, pinxit globum terræ aquis cinctū hoc titulo. PRIMVS CIRCVNDEDISTI ME. Plerique de ponto lemma illud explicantes, credidere terram alloqui eum, quasi aquę essent primæ, quę circuiere solum. Sed reuerà aliò collimabat hic titulus Regi addictus; quem compellans breuiloquio suo illi applaudebat; eò quòd totum peragrasset orbem:

EX SYMBOLIS. *Ægidius Sādel. lib. somn. symb.*

Et eſto gyrum terræ fecerit ille Princeps; non illi ideo deuincta eſt terra nihilo vberior. In Angelo verò diſcolor omnino eſt ratio: nam reuerà antequam puero afflaret aura, quæ cum recens editum circumuallaret, iam Angelus in vtero circumdederat, vtpote factus ſui iuris; ſiquidem homo in via committitur Angelo: at infans in ergaſtulo matris eſt viator; ergo committitur Angelo ab eo temporis articulo, quo anima in corpus influxit. Itaque quiuis hominum poteſt vſurpare ſymbolum illud præfati Regis, & terræ mari immerſæ adiicere has voces PRIMVS CIRCVMDEDISTI ME. Quaſi ſupplex alloquens Angelum: O Beate, ego quaſi tellus inops & egena, ſpinis duntaxat idonea, fui à te aptatus ad aliquid producendum conſonum meæ indoli. Tu mare gratiarum me iugiter alluiſti obſequiis tuis, vnde ferax extiti; ſi quid tamen vnquam à me floridum editum eſt, in teſſeram animi mei hoc tibi appendo ſymbolum, cui voces adiectæ, meum tibi addictum ingenium produnt. PRIMVS CIRCVMDEDISTI ME Primus, inquam, infra Deum, mei curam vltro & beneficus acceptaſti, vnde & debitas tibi pendo grates, & rependo Deo, quo decernente PRIMVS CIRCVMDEDISTI ME.

EX HISTORIA.
Angelus Euſebij caſtitatem tutatur.
Antonin. par. 2. hiſt. tit. 10. cap. 1. § 1.

Circuitus ille Angelorum factus in gratiam hominum, tutatur eos vndequaque, vt ſuo emolumento expertus eſt Euſebius Vercellenſis, quem cum amore inſano deperiret mulier libidine æſtuans, ſtatuit illa noctu adire caſti adoleſcentis ædes, vt ei ſuum virus effunderet. Eo fine egreſſa, & probè callens domum Euſebij, ad eam pergit, ſed impunè; nam velut in gyrum acta, tota illa nocte circuiuit ciuitatem impos adire domum viri, quem vallabat Angelus eius per circuitum. Et benè Angelus componitur cum circulo circumdante nos ad tutamen; ſiquidem diabolus eiuſdem & naturæ cuius eſt Angelus, ſuos habet gyros, quibus homines incautos circumueniat. Audi circuitus ſpiritus impij gloriantis ſe perambulaſſe orbem totum. *Cum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan; cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui reſpondens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.* Et ſummus Apoſtolorum hortans fideles, eos monet vt ſollicite caueant à circulis huius hoſtis armati ad hominum perniciem. Ita inſonat auribus noſtris Petrus: *Sobrij eſtote, & vigilate; quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Ne igitur inermes homines, ſuis ille ſerpens includat ſpiris & voluulis, obiicitur ei Angelus alter Dæmone validior, quo irriti fiant hoſtis impetus inſurgentis.

Iob. 1.

1. Pet. 5.

Non deſunt argumenta alia petita ex parte hominum, quibus aſtruitur illa neceſſitas cuſtodiæ Angelorum. Potiſſima ratio eſt ſtatus imbellis noſter, à quo etiam minores Angelis homines ſacro Codice nuncupantur. Quippe hominem hoc contextu meminit Pſaltes. *Quid eſt homo, quòd memor es eius? Minuiſti eum paulominus ab Angelis.* Si minor eſt homo, Angelus erit maior, vt clamat textus ille Euangelij, vnde accepimus anſam diſſerendi de cuſtodia Angelorum, in hæc verba: *Hic erit maior in regno cælorum.* Christus volens ingerere animis ſtudium humilitatis, & explicare humiles fore quãdoque ſimiles Angelis, dixit de ſtudioſo virtutis huius: *Hic erit maior in regno cælorum.* Id eſt, ille qui ſua ſorte minor eſt, vtpote homo, & ideo infra Angelum, fiet ſimilis Angelo, quia cùm ſit ſuopte ingenio maior homine, & homo ille erit etiam maior, quia euectus in ſolium Angelorum.

Pſal 8.

Angelo Cuſtode indigent homines.

Tutoris officium quale ſit.
EX IVRE CIVILI
Lege Impuberes, Inſtit. De Attiliano tutore.

Ea autem eſt relatio maioris & minoris in Iure Cæſareo, vt minores ſint in tutela maiorum, vnde & maiores quia grandiores ſunt, impuberum hominum curam gerere legibus obligantur. Audi textum legis. *Impuberes autem in tutela eſſe naturali iure conueniens eſt; vt is, qui perfectæ ætatis non eſt, alterius tutelâ regatur.* Annon ætas hominum imperfecta, toto etiam longioris vitæ tractu, obnoxia deliquiis innumeris? Ideo vt tutoris ætas ſupplet annos impuberis; ita & Angelorum peritia imbellem hominum ſtatum iuuat. Dictique ſunt tutores, quaſi tuitores, & defenſores; vt lex etiam illa innuat. *Tutores ſunt, qui vim ac poteſtatem habent in capita libera, quæ per ætatem ſe defendere non poſſunt.*

Lege 1. ff. de Tutelis.

Nulla ſanè hominum ætas apta compeſcere conamina diaboli, ipſo etiam Deo aſſertore, cuius hoc eſt effatum indubium de diabolo, vt adhuc naturæ Angelicæ eſt compos. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret.* Is ergo rerum omnium opifex Deus, qui omnia voluit eſſe hominis, hominem verò ſui, noluit peritiſſimo rei militaris hoſti hominem obiicere inermem, ſed Angelorum cuſtodiâ cataphractum. Alioquin perperam & incaſſum condidiſſet hoc inſigne ſimulachrum, ſi ceſſiſſet in ius Angeli deſertoris. Nec fuit minor Deo hominis cura, quàm ſit Principi pupillorum, qui cùm pars ſint non minima Regni, ad eos etiam pertinet ſollicitudo Regum, vt præclarè habetur in iure, vbi Cæſaris eſt reſcriptum. *Diuus Seuerus Vlpio Ruffino. Omnem me rationem adhibere ſubueniendis pupillis cùm ad curam publicam pertineat, liquere omnibus volo.* Eo igitur etiam nomine nobis prouiſum eſt, ne cauſaremur aliquando Deum fuiſſe iniurium genti noſtræ, tot & tantis obnoxiæ periculis, è quibus homo nequit ſoſpes emergere, citra potentis alicuius opem, qui diluat obices occurrentes.

Iob 41.

Lege Diuus ff. Qui petant tutor.

EX IVRE CANONICO.
Capite 1. De officio Iudicis.

Fauet & homini Ius Canonicum, quo etiam Iudex à Summo Pontifice delegatus, tenetur alteri ex litigantibus dare aduocatum non habenti; imò etiam aſſignare de domo ſua ſi aliunde non ſuppetat, qui eas partes obire queat. Satius enim iudicauit Honorius Papa legatum Apoſtolicum, vnum ex ſuis domeſticis creare patronum, quàm relinquere aliquem indefenſum. Ne deſideres Apoſtolicum hoc decretum, illud accipe, *Ex literis veſtris accepimus, quod cùm cauſam, quæ inter Abbatem & conuentum Foſſæ Nouæ ex parte vna; & Abbatem, & conuentum monaſterij Canenſis ex altera, ſuper quibuſdam poſſeſſionibus monaſterij S. Petri de Almaphia vertebatur. Quia pars prædicti monaſterij propoſuit, quòd habere non poterat aduocatum, veſtrum ſuper hoc implorando officium: tu frater Archiepiſcope eidem de magiſtro. R. clerico tuo, ad exhibendum in cauſa ipſa patrocinium prouidiſti. Verùm frater Stephanus Canenſis monachus propoſuit, in præiudicium eius monaſterij factum eſſe,*

esse, eò quòd dictus R. clericus domesticus tuus erat. Mandamus quatenus hoc non obstante, in negotio ipso ratione praeuia procedatis. Hæc Honorius III. scribens Archiepiscopo Sancti Leonardi, & Abbati Salernitano.

Hinc arguo, quam maximè fuisse consentaneum curæ Dei, vt vnum ex domesticis suis vnicuique hominum daret in patronum, qui nostras ageret partes contra diabolum, multa habentem quæ obiiciat nobis ante thronum Dei, vt vidit Ioannes in Apocalypsi, vbi diaboli ruinam commemorans ait: *Proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem; & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius; quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Vbi non desinit accusator, proculdubio fuit opus aduocato. Cùm autem homo impar esset alteri suffragari; dedit vnum ex domesticis suis singulis quibusque hominibus, scilicet Angelum, cuius ea nostri anxietas non obstat tamen, quin Deo semper adstet, beatis eius fruens aspectibus.

Apoc 12.

Ex SS. Patribus.
August. in Psal. 62.
Angeli sunt à Deo nobis assignati.

Hæc omnia insinuat Augustinus. *Sitienda est sapientia, sitienda est iustitia. Non ea satiabimur, non ea implebimur, nisi cùm fuerit finita vita ista, & venerimus ad illud quod promisit Deus. Promisit enim Deus æqualitatem Angelorum: & modo Angeli non sitiunt quomodo nos, non esuriunt quomodo nos; sed habent saginam veritatem lucis immortalis sapientiæ. Ideo beati sunt, & de tanta beatitudine (quia in illa sunt Ciuitate Ierusalem cælesti, vnde nos modo peregrinamur) attendunt nos peregrinos, & miserantur nos, & iussu Domini auxiliantur nobis: vt ad illam patriam communem aliquando redeamus, & illic cum illis fonte Dominico veritatis & æternitatis aliquando saturemur.* Hæc ille, vnicò eo textu referens ea omnia quæ supra recensui; scilicet Angelos esse Dei domesticos, gerere curam nostri, nec tamen momento vacare ab intuitu gloriæ Dei.

Ex re Medica
Fernel. lib. 4. Physiol. c. 2.

Desiderabis vt opinor aliquod placitum rei Medicæ quo firmari queat illa necessitas Angelorum, qui incubant nobis. Adsum, consultis prius oraculis huiusce disciplinæ, ex qua compertum est, adeò necessarios esse animales spiritus homini, vt illis hiantibus aliquando poris euolantibus, flaccescat illico corpus, quod vegetis his spiritibus non fatiscit. Præsentia horum spirituum absolute operæ pretium est, vt homo anima & corpore coalescat. Cùm enim corpus & anima sint extrema maximè dissita, vtpote disparis omnino naturæ; non potuere coire in vnum suppositum, nisi mediante aliquo vinculo, quod aliquali modo cum corpore & anima conueniret. Nexus ille vniens animam corpori appellatur spiritus, habens hoc commune cum corpore, quòd est sanguis defæcatus; animam verò refert in eo quòd sanguis ille est aërius, ideo dictus ab Hippocrate spiritus, eò quòd viribus eximiis cùm præditus sit, oculorum tamen effugit obtutum: etenim & aerem, & ventum, & auram, & vnamquamque substantiam, quæ sub aspectum non cadit, sic dicere consueuerunt.

Spiritus animales vnde fiant.

Ad instar Hippocratis, Stoicæ disciplinæ sectatores, spiritum ex splendida, perspicua, nec aspectabili substantia constare rectè quidem prodiderunt; eo tamen falsi, quòd hunc cùm naturæ, tum animæ substantiam esse pronuntiant, nihil eo præstantius, nihil diuinius inuestigantes. Hunc ego vt animæ & corpori affinem dico esse congruum vtriusque nexum, cuius solutione stare nequit homo. Et ne gratis à me arbitreris esse confictum hoc placitum medicorum, quia benè quadrat necessitati custodiæ Angelorum, qui veluti medij sunt inter Deum & hominem, æmulantes quantùm fas est eis naturam Dei, corporis expertem, & cum homine conuenientes, quòd sint creaturæ sicut & nos, gratiæ Dei compotes & gloriæ, atque ideo congrui mediatores, quibus homo Deo vniretur pro modulo suo. Aduocandus est pro eo argumento Fernelius, qui explicabit necessitatem horum spirituum.

Fernelius vbi supra.

Sic ille: *Quo autem spiritus necessitas atque substantia plenius demonstretur, repetenda sunt & replicanda veterum Philosophorum decreta: quorum primi Academici cùm perspicerent fieri non posse, vt natura quam maximè dispares, nullius idonei medij interiectu societatem inirent coirentque, animum nostrum à summo rerum opifice conditum, priusquam emanaret immigraretque denso huic & concreto corpori, censuerunt corpore quodam illustri, puro & astro simili, tanquam simplici veste indui; quod immortale & sempiternum nunquam ab animo absolui diuellique posset, & sine quo non fieret huius mundi incola. Ab hoc deinde alterum corpus animo circumiecerunt; tenue illud quidem ac simplex, sed tamen impurius, minus illustre, & splendidum superiore. Duobus hisce corporibus iam stipatus animus, in tertium hoc mortale caducùmque corpus, sed potius in tetrum & tenebricosum carcerem tanquam exul deiectus, terrarum fit hospes, donec effracto corpore alacer & liber in patriam reuersus, municeps fiat & ciuis Deorum. Hanc corporis atque animi communionem confirmans Alexander Aphrodisæus, spiritum quem proposuimus ait, perquàm idoneum vinculum illis interponi, qui aduersas naturas interiectu suo conciliet atque contineat. Is enim extremo vtrique familiaris, & accommodatus, cùm non sit prorsus sine corpore, crasso quidem corpori inseri potest; cùm verò tenuior splendidiorque sit, potest cum animo connecti. Sicque vtriusque quodammodo particeps, naturam corporis expertem, cum natura corporea copulat, immortalem cum mortali, puram cum impura, diuinam cum terrena.*

Spiritus animales corpori necessarij.

Spiritus animales sunt vinculum corporis & animæ.

Hæc ille appositè ad intentum meum, quod sic ex re hac medica liquere potest: vt se habent spiritus animales ad animam & corpus; ita se habent Angelici spiritus ad Deum & homines. Ergo quemadmodum anima & corpus citra spiritus animales illico dispescuntur; eo etiam planè modo non concordant Deus & homines absque Angelorum interiectu, quo concesso, ad Deum liber aditus hominibus patet, qui alioquin inuius foret. Nota tamen istam necessitatem non attendi ex parte Dei, ita vt coactè nobis illud beneficium impertiat; est enim Deus ad extra sui iuris absolutè, nec vim patitur eius arbitrium. Ideóque necessitas illa custodiæ Angelorum petenda est ex imbelli hominum sorte, quæ vt est opis indiga,

congruum planè in Angelis reperit obsequium, cui etsi impares sint omnes hominum grates, velim tamen omnes memores esse iugis illius gratiæ. Ne autem desimus huic parti, sit nobis vernacula hæc Augustini oratio.

Beneficia tua magna sunt hec, quibus nos honorificasti, dans nobis Angelos tuos spiritus, in ministerium nostrum. Dederas enim quidquid cæli ambitu continetur, & quasi parua reputas hec quæ sub cælo sunt, nisi dares etiam ea, quæ sunt super cælos. Laudent te Domine de hoc omnes Angeli tui: confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipsi Sancti tui benedicant. O honorificentia nostra, nos nimis honorificans, ditans, multis muneribus decorasti! admirabile est nomen tuum Domine in vniuersa terra. Quid est enim homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Dixisti enim veritas antiqua: Delicia mea sunt cum filiis hominum. Nonne homo putredo, & filius hominis vermis? Nonne vniuersa vanitas omnis homo viuens? Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium. Hæc Augustinus in stuporem actus quomodo se inclinent Angeli, vt ingratis homunculis obsequantur. Vis breuiloquio Angelorum officium? Hoc memento. HOMINIBVS ANGELI INCVBANT, NE DECVMBANT.

Quæ beneficia homini præstet custodia Angelorum.

In hæc verba:

Hic erit maior in regno cælorum.

SECTIO QVARTA.

EX HISTORIA. *Sueton. in Nerone* Neronis liberalitas.

BEneficos Principum animos ita natura composuit, vt ipsa etiam beneficentia sit tessera principatus. Hinc eo potissimum nomine recensent prisci auctores quinquénium Neronis in ideam genuini Principis, quia eo æuo adeò pronus fuit ad effusionem auri, vt cum Agripina parens eius molestè ferens dona illa insignia, quibus & ipse tamen Nero fiebat insignior, magnam vim auri iussisset Neroni obiici, vt aspectu ponderis magni, quod tunc indixerat cuidam suorum intimorum, saltem in posterum sibi temperaret. Rogauit Princeps, ad quid ille auri aceruus? Præstò adfuit Agripina mulier, testata cupidinem auri: Fili (inquit) ego pertæsa effluxum opum, quas præcoci beneficio tu dispeścis, benè suada congessi in cumulum nummos, quos hodie decreuisti dare vni aulicorum, vt viso aceruo in quem assurgit summa, postea resipiscas, parciore manu spolians ærarium Reipublicæ, quæ nutabit sua destituta fulcris, id est, opibus. Cæsar ægrè ferens sordidum animum matris, ait: Optimè præfata es, Agripina, & id pro voto tuo; sed longè es ab instituto meo, quo statui beneficiis vnumquemque mihi deuincire. Et ne vis illa auri obiecti ad stimulandam auaritiam, animum meum beneficum præpediat, hoc decerno, vt tantùm adhuc auri adiiciatur illi, & detur homini, cui dedicata est hæc vis auri.

Eo etiam ingenio fuit conspicuus Vespasianus Imperator, cui erat perdidisse diem, si quis ab eo abiisset indonatus. Nec Roma fuit benefica tantùm, sed & exoticæ Gentes, in quibus Dionysius Rex Siculus inuisens aliquando filium suum, eiusdem cum eo nominis, aduertens ædes eius multa supellectile argentea coruscare; in eum hac censura animaduertit: Fili, appetitus auri pessimus est consultor; eo suasore ditior fies, sed non gratior. Regna non stant auro tantùm, sed beneuolentia maximè subditorum, ideoque damno asseruata diu hæc vasa argentea, potuisti his comparare tibi vasa viuentia, scilicet amicos, quos multos impertita munera nanciscuntur. *Sueton in Vespas.* Vespasiani animus beneficus.

Quid profana recenseo, habens ad manum luculenta exempla petita è sacris, quibus animus in obsequia effusus, regiam liquidò indolem prodit, & præsertim si in quosuis etiam hominum ordines erogata beneficia disperguntur. Sanctior historia præbet in eo argumento vadem locupletem, videlicet Salomonem, cuius sapientiam demirata Regina Saba, demum beneficentiam Regis contemplata, quæ se & in seruos porrigebat, stupore eam perurgente animi deliquium passa est, vti constat ex Codice sacro, cuius en contextum. *Videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium vestesque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra spiritum.* 3. Reg. 10.

Ad quid hæc, inquies? Annon extra cantionem, vt fert adagium? Minimè sanè sed meo astipulantur intento de rimandis auxiliis Angelorum. Nam si Principum est, etiam seruorum habere curam, & inde sese præcipuè explicet animus regius; qualem arbitrari fas est esse eam quam Angeli gerunt curam hominum, cùm penes eos sit præcipuus principatus rerum editarum, scilicet hominis, ad quem referuntur omnia quæ sunt infra Deum. Si ipsa etiam Scriptura vocat Angelos Principes, & Potestates; quis audeat inficiari, eos gaudere dotibus, quas sibi vindicant tituli illi insignes! Hæc igitur esto mea prior sententia. Angeli sollicitudo non animam tantùm spectat, sed & corpus. Et eamobrem diuidenda sunt beneficia Angelorum in corporea & spiritualia.

Quæ beneficia corporalia conferat homini Angelus custos.

PARS PRIOR SECTIONIS.

INiurius fortè Angelis titulus iste alicui videbitur, quasi addicens corpori humano Angelos vt ministros, quod si nō impium est censere, saltem importat aliquid indecorum. Non eo inficias, quidpiam dissonum subolere titulum hunc, si corpus humanum seorsim sumptum sonet, quasi insinuaret cadauera habere Angelos, qui illis inuigilent. Vt nauseam tergam, me explico, & rem hanc indubiam pono; humanum corpus animatum innumera ferè cōmoda demetere ex Angelorum custodia: corpus verò inanimū non pertinere ad Angelos,

vt curent illud nisi per accidens. Prior pars infra probabitur fuse vt par est, quia in ea totus tituli vertitur cardo. Posteriorem conclusionis partem aggredior, scilicet nihil esse Angelo, & cadaueri, nisi forte aliunde cura ad Angelum pertingat.

Ex Theologia.
S. Thom. 1. p. qu. 113. ar. 3.
Angelos custodes non habet homo post mortẽ.

Theologiæ effatum vnum, quantocyùs expediet nos ab his tricis: scilicet Angelorum custodiam esse opus prouidentiæ Dei, quæ singula quæque ad præstitutum eis finem dirigit mediis idoneis. Vnde sic arguo: Non opus est indagine mediorum ei, qui suum finem adæquatum adeptus est. Ergo homo extinctus non indiget Angelorum custodia, quia nactus est suum finem, vtpote redux in patriam suam; si quidem feriante causâ tollitur & effectus. At causa custodiæ Angelorum est status viatoris, in quo ducatus Angeli est ei maximè opportunus, ne quandoque deuiet à tramite congruo fini, ad quem debet totis nitibus anhelare. Ergo homo non viator sed comprehensor expers erit illius custodiæ, vtpote conciuis Angelorum. Nec etiam damnato homini incumbit Angelus, quia ideo tantùm homini adiectus est comes & adiutor, vt ministret in eis potissimùm quæ pertinent ad salutem. Ergo cùm reprobi præcipites acti in abyssum, omni spe beatitudinis exciderint, beati illi spiritus eorum omnem curam penitus abdicarunt.

Angeli custodiunt reliquias sanctorum.

Hinc liquet conclusionis meæ certitudo, videlicet cadauera non esse sollicitudinis Angelorum: potior enim est eis cura animæ quàm corporis; igitur si omnem exuere curam animæ euectæ ad cœlos, aut addictæ inferis; non est quòd curent animæ exuuias, scilicet corpus inanime, quod est duntaxat vermium sordida scatugo. Aliunde tamen fieri potest corpora emortua, vel eorum partes vt ossa pertinere ad custodiam Angelorum. Vt quando recondita sunt in Ecclesiis, vbi recolitur eorum memoria ob agones eorum Christi causa fortiter exantlatos. Tunc reuera vigiles adsunt Angeli illis reliquiis, quia spectant ad sacras ædes, quibus præficiuntur Angeli, & tunc illa corpora derelicta à proprio Angelo custode, statim atque delata sunt in Ecclesiam, cedunt in ius Angeli, quem Deus illi præfecit Ecclesiæ.

Genes. 28.

Ista assertio patronum habet Codicem sacrum, vbi loca sancta visa sunt ab Angelis asseruari. Locuples est iste Geneseos textus, commemorans visum Patriarchæ Iacob. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam; & Dominum innixum scalæ, &c. Cumque euigilasset Iacob de somno ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam; pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.*

Angeli custodiunt Ecclesias.

Rursus Angelos præfici ædibus Domino consecratis, vide ex iisdem fontibus Scripturæ sanctioris, vbi consummato Salomonis templo, astante populo ad inaugurationem templi, Angeli etiam adfuere in specie ignis referentis maiestatem Dei, cuius personam semper egerunt Angeli, quando hominibus apparuit. Liquidior erit assertio ex contextu.

2. Paral. 7.

Cum complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta, & victimas: & maiestas Domini impleuit domum: nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eò quòd implesset maiestas Domini templum Domini. Sed & omnes filij Israël videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum: & corruentes proni in terram, super pauimentum stratum lapide, adorauerunt, & laudauerunt Dominum.

Illa Angelorum præsentia in sacris ædibus, propitia est etiam rebus inanimis inibi contentis, & aliquo modo pertinentibus ad loca illa sancta, vt suo discrimine expertus est Heliodorus sacrarum ædium expilator. Is Regis sui impij iussionem expleturus, Ierosolymam venit visurus ærarium templi, vt inde omnes Deo sacras opes aliò transportaret. Iudæi animo consternati obstitere pro modulo cupidini hominis aurum sitientis: sed eo præualente patuit aditus templi homini sacrilego, qui vt pernice gressu contendit ad ærarium, incurrit in Angelos custodes ædium Dei, à quibus dirè exceptus virgis, semianimis foras eiectus est, ab iisdem vltoribus iniuriarum templi. Accipe ex sacro Codice seriem historiæ. *Heliodorus quod decreuerat perficiebat in eodem loco, ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem, & formidinem conuerterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit, qui autem ei sedebat videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt. Et is qui cum multis cursoribus, & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifestà cognitâ Dei virtute.* Et vt omnis abesset suspicio insidiarum ex parte Iudæorum, Deus voluit eumdem hominem nefarium esse præconem tutelæ ædium sacrarum, quibus Angelos sentiebat incubare. Sic enim pergit eadem historia, enarrans reditum Heliodori ad Regem. *Cùm Rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait: Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit, eò quòd in loco sit verè Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator, & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.*

2. Marc. 3.
Angelus præfectus templo Salomonis.
Ibidem.

Inde colligo tutores Angelos esse etiam custodes corporum extinctorum, quæ in Ecclesia iacent, si tamen fuerint fidelium hominum; & præcipuè Sanctorum. Sic arguo: Corpora extincta Sanctorum sunt magis affinia templo, quàm queat esse ærarium: Sed Angeli præsto fuere ærario templi, ne rapaces manus suas in illud iniiceret homo cupidus auri. Igitur & sedulò asseruabunt ossa fidelium

Angeli præsides Ecclesiæ, vbi iacent illæ reliquiæ. Esse autem corpora illa magis affinia templo quam sit ærarium stat ex eo quòd illæ reliquiæ habeant ordinem ad decorem templi, ad quod confluunt populi, vt recolant memoriam hominum beatorum, quorum etiam reliquiæ transferendæ sunt aliquando in templum gloriæ, anima veluti postliminio repetente domicilium suum: ærarium verò longè infra reliquias pertinet ad rationem templi, vtpote tantùm vernaculis vsibus idoneum. Ad hoc enim est, vel vt ex eo penu viuant ministri, vel vt impensis illius sarta tectaque domus sancta sibi constet, nescitura ruinas æui, ferrum & alia quæque duriora depascentis.

Dixi ea corpora pertinere ad rationem templi, non quòd templa nequeant esse absolutè talia sine corporibus sanctis; sed quia venerationis amplioris adiiciant sacris ædibus incrementum. Ideoque Iure Canonico cautum, non frequentari ædes illas, quarum altaribus nullæ subsunt reliquiæ corporis hominum beatorum. Ecce Canon. *Placuit vt altaria, quæ passim per agros, & per villas tanquam memoria martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi vbi corpus, aut reliquiæ certæ sunt.* Si ergo à corpore sancto sanctitatem accipiunt templa; nonne & eorum curam gerent corporum Angeli præfecti illis ædibus sacris? non quòd beati illi spiritus anxij sint de corpore emortuo, sed quia hæc corpora faciunt præcipuam ferè partem loci Domino consecrati.

Ex Iure Canonico. *Can. Placuit. De consecratione Dist. 1.*

Iam quænam sit cura Angelorum circa hominum corpora viuentia, sagaci indagine perscrutemur. Ex præfatis satis superque compertum est, Angelos esse custodes hominum: Ergo erunt & corporum; quia qui custos est totius, erit & partium: partes autem hominis sunt, anima, & corpus. Imò Angelus nequit esse animæ tantùm custos seorsim sumptæ à corpore; nam anima sic considerata erit in via, vel non; si in via, nequit operari corpore inconsulto, atque ita Angelus debet & inuigilare corpori humano, vt suum præbeat obsequium animæ, quæ est actus corporis organici, a quo emendicat opem, vt suas exerat functiones, quarum omnino est impos, corpore vitiato. Ita namque se habent corpus & anima in supposito humano, quod Scotus ait nihil esse reale distinctum à natura singulari, vt se habent materia & forma in composito quoque physico: Sed forma citra materiam est omnino infœcunda & actionis expers: Ergo & anima corpore minimè concurrente. Eamobrem debet & corpus subiici Angelorum custodiæ, vt pars essentialis homini, qua deposita, altera pars non est homo, & sic est extra curam Angeli, qui adiectus est comes personæ, & non formæ separatæ. Ast ex Philosophia: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia:* id est, prima substantia talis naturæ, vt explicat Thomas, versans illum locum Boëtij. At primæ substantiæ sunt completæ. Rursus nequit Angelus custos esse animæ extra viam, quia nec mereri potest, aut eniti ad gloriam. Itaque hoc indubium esto, hominem innumera propè beneficia percipere ab Angelo, non spiritualia modò, sed & corporalia, quæ omnia placet ad duo genera reuocare. Vnum est quasi negatiuum. Alterum verò positiuum.

Ex Philosophia. Angelus custos habet curam corporum. *Scotus in 3. sent. Dist. 13. quodlib. 19. art. 3.* *Boët. lib. de duab. naturis. S. Thomas 1. p. qu. 29. a. 1.* Persona quid sit.

Beneficium negatiuum nihil reale adiicit ei, in quem ea gratia confertur, vtpote in eo situm quod noxia remouet. Sed plerumque præstat aliis omnibus, quibus accedit aliquid insigne homini dignato eo commodo positiuo. Nimirum ille qui ab instanti discrimine vitæ aliquem liberat, occurrendo malo ingruenti, licet nihil conferat de nouo homini; magis tamen hunc deuincit, quàm ille; qui nouos coaceruat cumulos gratiarum. In eo genere sunt infinita ferè nobis incognita beneficia, quibus nostro Angelo custode conscio sospitamur. Etenim nobis insciis sæpe beati hi spiritus instantes ad perniciem nostram obices auerruncant. In his fuit ille, qui castra Sennacherib multo milite fœta, vbi Ierusalem imminentia, ingenti edita strage deleuit. Is licet nihil populo Hebræo adiecerit, non potuit tantùm prodesse addendo, quantùm profuit auferendo.

Beneficium negatiuum quid sit. 4. Reg. 19. Angeli multis benefici, & quibus.

Raphaël inscio Tobia iuniore, diabolum Asmodæum homicidam cópescuit, & obstitit ne eodem fato decederet, quo septem iuuenes incauti, quorum fauces eliserat acerbitas diaboli truculenti. Quid alia beneficia profuissent huic ingenuo adolescenti, si non fregisset Angelus lethales impetus, ad quos se in Tobiam diabolus accingebat. Audi ex Scriptura Raphaelis Angeli facinus egregium, in arcendo obice reuera noxio septem viris, quos libido prius adusserat, quàm eos Angelus refuga præfocasset. *Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Tob. 8.

Aliàs Angelus homines nobis iniquiores, facit æquiores, animos eorum inflectens ad amorem, quos diabolus discordiarum amans accenderat. Accipe insigne exemplum in Laban, qui ira percitus in generum suum Iacob, insalutato hospite fugientem, numerosa manu stipatus cogitabat vltionem, à qua abstinuit tamen Angeli monitu, qui eo modo consuluit Patriarchæ Iacob Angelis assueto. Accipe seriem historiæ ex libro Geneseos. *Noluit Iacob confiteri socero suo quòd fugeret. Cùmque abiisset tam ipse, quam omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad: nuntiatum est Laban die tertio quòd fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem: & comprehendit eum in monte Galaad; viditque in somnis dicentem sibi Dominum: Caue ne quicquam asperè loquaris contra Iacob.* Genes. 31.

Me deficeret tempus, si hoc mihi imponerem pensum, describere quot & quantis incómodis eat obuiam Angelus custos, consulens homini, quem habet in sua cliétela. Quia non agnita sunt hæc munera, vix est qui recolat, nec est ignoti vlla cupido: ideo diuertamus ad ea charismata, quæ, vt feriunt sensum, species sui ingerunt, quibus explicare queant illa

illa homines tantis digni habiti bonis.

Angeli beneficium est sanitas corporis.

Ex Re Medica.

Vt iuuetur animus in enumeratione gratiarum, quas corporales accipit homo ab Angelo, has positiuas adiicientes aliquid homini carne tenus, reponemus in duas classes, scilicet bona corporis, & fortunæ, ad eâ prout expedit animæ nostræ conducunt obsequia Angelorum. Bona corporis sunt integra valetudo, victus, & vestitus. Valetudinem esse beneficium Angeli secernentis aliquando humores noxios à commodis, probari potest à simili ex fontibus medicorum, qui ingrauescente morbo, & timentes ægro sanitatis summam omnem reponunt penes naturam, quam vegetam, aut imbellem colligunt periti huius artis ex qualitate spirituum, quibus ea vis insita est, vt eliminent omne exoticum à corpore, foueant verò quidquid idoneum est corpori conseruando. Eo planè modo firmam valetudinem Antonij, Pauli, Hilarionis aliorumque athletarum, quos eremus grandæuos habuit diu incolumes ego refundo in beatos illos spiritus, qui sanctis viris iam præfatis iugiter incubabant.

Nec incongruum est in isto argumento effatum Hippocratis, arbitrantis semina morborum peti & à victu, & à spiritu quem ducimus. Sic ille. Αἱ νοῦσοι γίνονται αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος ὃ εἰσαγόμενοι ζῶμεν. *Morbi omnes partim à dieta nascuntur, partim à spiritu quem viuendo ducimus.* Ergo si bono spiritu afflamur, erit integra valetudo; si ea tamen consona est saluti animarum. Nec ambigo in generali lue, quæ depascit orbem, eos qui eripiuntur grassanti illo periculo, subduci singulari Angeli custodia.

Hippocrat. lib. 2. De natura. Morborum origo à prauo spiritu quem ducimus.

Beneficij huius locuples exemplum Roma mirata est, in ea lue, quæ populata est vrbem illam caput mundi, internecione tenus. Spectante tota ciuitate Angelus perambulabat vicos omnes, stipatus spectro horribili, & præferente venabulum; illi simulachro horroris, & ad terrorem composito indigitabat ædes Angelus, ad quarum fores percuteret. Ille spiritus nequam sitiens humanum sanguinem, venabulo suo quatiebat ædes præostensas, & quasi singulis quibusque ictibus tot homines terebrasset, postridie efferebantur inde mortui totidem, reliquis saluis, quos in sua clientela Angelus acceperat. Hi sanè omnes elapsi, & illi discrimini superstites, optimum spiritum duxerant, quia eos optimus ille spiritus in ius suum acceperat.

Regino in Chronico sub an. 680.

Paul. Diacon. lib. 6 cap. 5. Angelus olim Romæ indicas ædes vbi mors erat sæuitura.

Rursus sanitatem esse gratiam iuris Angelorum, audi ex Raphaële, qui vt vidit cunctantem patrem Tobiæ iunioris, an dimitteret vnigenitum suum in ciuitatem Medorum: ait patri anxio ne fatisceret adolescens, & longioris viæ labor esset iniurius sanitati eius: *Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum.* Quasi diceret: Quare ancipiti animo distraheris, ô Pater? Quid metuis integro statui filij tui, quem in meas ego partes accipio; penes me habeo claues, quibus ad Dei arbitrium aperio seu morbos seu sanitatem. Macte igitur, & committe filium tuum ductori, qui meliorem sortem illi impertiet.

Tob. 5. Angeli propitios se ostendere Iacob.

Esto sanitas sit optabile omnibus bonum; ea tamen sola est rerum omnium indiga, atque adeò parum sibi constans, si in summa versetur inopia, patiens inediam, & explicans membra aperta iniuriis sæuientis & iniquæ corpori tempestatis. Vtrique incommodo occurrit Angelus, vt & experti sunt gentis hominum proceres infelices, quibus nudis affinxit Angelus tunicas pelliceas, vt his æstum retunderent: & in escam dedit omnia quæ faciunt ad saginam. Alius item Angelus cibauit Danielem inedia afflictum in lacu leonis, in quem intromisit Prophetam alium cibis instructum, quos coxerat messoribus suis. Vtramque gratiam, victus scilicet, & vestitus, genuinè expressit Iacob & accepit, cui adfuere Angeli semper propitij, quorum clientelam voto præuio demeruit, vt perhibet auctor sacræ Geneseos. *Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* Viderat illic Angelos Iacob, quos sciens esse homini beneuolos, etiam in his quæ pertinent ad corporis meliorem statum, oratione ad Deum fusa, meminit victus, & vestitus, vt obsequio Angeli custodis, vtrumque ei Deus impertiret. *Genes. 28.*

Angeli fortunæ bonis inuigilans.

In fortunæ bonis, quæ etiam spectant sortem hominum temporalem, principem locum tenent opes, & honores. His etiam censibus Angelus dignatur homines, vt videre est in Iacob, Iob, Samuële, Dauide, & Salomone. Iacob pedes & indigus exierat domo sua, dum perrexit in exteras oras, versus auunculum suum Laban; tamen redux in patriam suam auctus opibus, & magno comitatu ait: *In baculo meo transiui Iordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior.* Vt resciret autem vnde tantam rerum copiam accepisset, occurrêre ei Angeli, veluti eum stipantes; hac sua præsentia insinuantes, obsequio Angelorum hunc prouentum ei cœlitus affluxisse. Sic habet textus sacer: *Iacob abiit itinere quod cœperat; fueruntque ei obuiam Angeli Dei; quos cum vidisset ait: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanahim, id est, castra.* Magna erat hominum frequentia, qui stipabant Iacob & ingentem suppellectilem eius, ideoque vt circumuallerent eum, plerique Angeli sese illi comites adiunxerunt. *Genes. 32.* *Ibidem.*

In Iob liquidius exemplum elucet; cuius sanctitati vt illuderet Satan, ait Deo, virum illum sanctum secundis vti rebus, quia ei Angeli militabant. Audi diabolum stylo procaci in pium hominem insurgentem: *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum? operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra.* Quia vero ad examen virtutis emeritæ, Angeli fecere copiam diabolo pessum dandi facultates omnes veterani illius militis, qui se in agone illo fortiter gessit; iidem Angeli, vbi de hac alea cum diabolo sese in domum suam recepit Iob, reparauere ruinas opum eius, insigni adiecto rerum omnium incremento, vt habes in textu. *Addidit Dominus omnia quæcunque fuerunt Iob duplicia.* Et infra. *Dominus autem benedixit nouissimis Iob, magis quam principio eius.* Liquet inde benefica Angelorum cura se porrigens *Iob. 1.* *Iob. 42.*

gens ad omnia quæcumque commoda corpori humano.

Angeli solliciti de honore suorum clientum.

Vide etiam beatas illas mentes esse sollicitas de honore suorum pupillorum. Quantum laborauit Angelus personam Dei agens, ne Samuelem exueret infulis populus Israël, regimen noui Principis experturus. Primò Angelus vt mærorem illius tergeret, ait illi: *Non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos.* Ægrè enim ferebat ille se grandæuum exauctorari à populo, cuius hæc fuit oratio: *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Displicuitque sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent: Da nobis Regem, vt iudicet nos.* Non defuit Samuëli Angelus, partes eius tutans & inspirans ei rationes, quibus explicatis, populus Regis imperium meliore inito consilio detrectaret. Ita affatus est eum Angelus ille, qui vt præfatus sum, Dei personam induerat. *Contestare eos, & prædic eis ius Regis qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem, & ait: Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet vnguentarias sibi, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Et clamabitis in die illa, à facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.*

1. Reg. 8.

Ibidem.

Regum iura in subditos.

Hæc sunt argumenta, quibus ex dictamine Angeli sollicitauit Samuël animos Hebræorum, vt eos inflecteret ab subeundum iugum inolitum suæ præfecturæ, longè gratioris eo iure Regis, quo futuri erant infelices in posterum. Dauid nonne ea prouidentia auctus in Regem ait: *Angelis suis mandauit de te vt custodiant te?* Et ne sanctioris Scripturæ videar ego texere epitomen, vide in vno Salomone opes & honores confluere in homines, Angelorum ministerio, quos Deus in hæc etiam hominum obsequia composuit. Vtque hoc liqueat, memor esto illius obseruationis à me recensitæ: Scilicet ex concordi suffragio omnium Sanctorum Patrum, Angelos semper egisse personam Dei in prisca Hebræorum lege, nec Deum vnquam immediatè olim apparuisse hominibus, sed misisse Angelos agentes Dei vices.

Psal. 90.

His præmissis audi Angelum cum Salomone colloquentem, & ei bonorum omnium eam congeriem pollicentem, cui prædiuites fuere impares omnium hominum gazæ. Et præterea facientem illum certiorem de gloria infra quam futuri erant omnes aliarum tituli dignitatum. Audi Salomonis colloquium cum Angelo, quem series historiæ Dominum vocat, iuxta phrasim superius obseruatam. *Apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: Postula quod vis vt dem tibi. Et ait Salomō: Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam magnam, &c. Et seruus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis enim poterit iudicare populum istum, populum hunc tuum multum? Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiusmodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tibi in Regibus cunctis retro diebus.* Hæc Angelus, concludens hoc sermone bonorum omnium cumulum, præcipuè eorum, quæ conducunt ad secundam huius æui sortem, cuius æquior status attenditur penes opes & gloriam: in eo quippe duplici cardine vertitur prospera hominum vita, quam commisit Deus regimini Angelorum.

3. Reg. 3.

Oratio diuina petens obtinet & humana.

Desiderabis fortè ad complementum tituli istius, rescire an Deo irato & meditante exterminium hominum obstare queant Angeli. Ratio dubitandi petitur ex officio Angelorum, qui vt sunt Deo maximè addicti, quandoque etiam mittuntur ad vindictam hominum, & sæpe sæuiente flagello Dei, exterminatores Angeli lethali falce sua demetunt promiscuè bonos & malos. Etenim æuo nostro videmus grassante lue occumbere homines probos, æque ac sontes & flocci viros, cum tamen indicta sint vitiis bella illa, quibus concutitur orbis. Non facessit negotium hoc quæsitum, quod diluo bifariam. Primò dico aliquando Deum vti Dæmone ad vindictam malorum hominum, vt supra memini quando recensui diabolum illum Romæ, qui pestiferas ædes suo virulento venabulo depascebat. In his etiam fuit Asmodæus, qui septem coniuges Saræ dirè occidit, quia Venere conflagrabant. Eorum quandoque malitia vtitur Deus ad examen piorum hominum, vt præostendit Iob: aliàs ad vltionem hominum impiorum, quorum castigatione fiunt cæteri cautiores.

Angelis malis vtitur Deus ad puniendos homines.

Paul. Diac. lib. 6. c. 5.

Audi Augustinum, diaboli vexationes esse vtiles affirmantem, vt castigando malos, boni ab amore huius sæculi compescantur. Sic ille: *Hoc totum est voluptatis regnum, & ima pulchritudo, subiacet enim corruptioni, quod si non esset, summa putaretur. Sed adest diuina prouidentia, quæ hæc ostendat: miscens ei dolores, & morbos & distortiones membrorum, & animorum simultates ac dissensiones, vt ex his admoneamur incommutabile aliquid esse quærendum. Et hoc facit per infima ministeria eorum, quibus id agere voluptatis est, quos exterminatores & Angelos iracundiæ, diuina Scriptura nominant, quamuis ipsi nesciant quid de se agatur boni. His similes sunt homines, qui gaudent miseriis alienis, & risui sibi & ludicra specta-*

Prouidentia Dei quomodo elucet.

Ex SS. PATRIBVS.

August. lib. De vera religione. cap. 40.

Angeli qui sint exterminatores.

cula exhibent, vel exhiberi volunt euersionibus, & erroribus aliorum. Atque ita in his hominibus boni admonentur, & exercentur, & vincunt, & triumphant, & regnant. Mali verò decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur, & seruiunt, non vni omnium summo Domino, sed vltimis seruis, illis videlicet Angelis, qui doloribus & miseriis damnatorum hominum pascuntur, & pro ista maleuolentia, bonorum liberatione torquentur. Ita ordinantur omnes officiis & finibus suis, in pulchritudinem vniuersitatis, vt quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat. Hactenus Augustinus.

Dices, hoc non soluere nodum quæstionis, an Deo irato obstare queant Angeli diuertentes exterminiū intentatum. Respondeo absolutè, Angelos bonos posse coërcere nisus omnes hominibus iniurios, vt fusè dicam infra, Homiliâ de S. Michaële, atque ita homines si humili obsequio demereantur Anglos, posse euadere mala, quæ inuehit spiritus ille nequam. Quemadmodum enim dum coëunt venti versantes vndas pelagi despumantis, aura validior impetum frangit alterius. Eo ferè modo dum spiritus illi noxij orbem turbant, & omnia susque deque inuertunt; viri insontes Angelorum opem exorantes, eripiuntur his procellis, præualente spiritu fortiore.

Ex Historia. *Historia Imperialis sub an. 157.* Si quod vnquam in eo argumento exemplum rem totam ipsam aperuit, explicans Angelos ire obuiam ruinæ, quam homini Dæmones intentabant, illud est petendum ex nauali pugna vbi coïere Christiani & Turcæ in suam vtriusque perniciem, classe præualida concurrentes. Proculdubio Turca suasore diabolo nauales illas instruxit copias, exosus nomen Christi qui fortè ad castigationem fidelium Angelo homicidæ eam demandarat prouinciam, scilicet Turcico gladio delere populum incurium salutis suæ. Christiani Principes consultore Angelo custode suo, vbi fama increbruit de infideli classe, conscripsere & ipsi militem idoneum classi armandæ. Vndique confluunt homines experturi dubiam belli sortem. Instructæ acies mari se committunt non ignaræ quàm infidum æquor dehiscentibus vndis sæpe absorbeat agmina numerosa. (Naualis victoria ad Naupactum.)

Vbi coram conuenere classes, Turcæ insultantes Christianis, animo concipientes victoriam conclamabant, & quasi ipsa aura staret ab eorum partibus in pœnam fidelium, ventorum flabra intendebant vela inimica Christianis, qui malè ominantes de vento propitio barbaris, pœnitentes Dei opem toto pectore reclamarunt, & hoc non in cassum. Etenim Dæmon qui cōduxerat ventos in discrimen Gentis nostræ, imò qui & ipse induerat speciem æstus, quo turgida vela ciebant naues cultui suo addictas, expertus est quantùm possint Angelorum obsequia in gratiam hominum; siquidem Deo placato votis Præfecti generalis, illustrissimi Ioannis ab Austria, condixit Angelis ad Naupactum vbi æmulæ acies sese ad prælium accingebant.

O Dei auxilium semper opportunum, etsi quandoque serum videatur! Ventus qui hactenus fauerat Turcis, & certiores effecerat de victoria instante, quasi erubescens stetisse aliquantisper à partibus hominum impiorum, illico euanuit, & cessit alteri vento exurgenti ex aduerso, & adiuuāti partes quibus Angeli astabant. Eo vento Christiani alacres recepere animos, qui antea conciderant, & inualescente spiritu, qui classem eorū vehebat in castra hostilia, classicum insonuit. Explosæ vtrimque fistulæ æneæ, & maximè in perniciem Barbarorum, quia vehementior aura fumum, quē euomuere fauces tormentorum belli, in Turcas refundens, totam eorum classem fumo & caligine conclusit, sereno tamen existente exercitu Christiano, qui arripiens oblatā illam ansam, incurrens in naues nescias quid intentaret hostis, multas igne absumpserunt, & alias hianti aquarum gurgiti deuouerunt.

Fuit res propè miraculum initio prælij videre concurrere ventos, quasi quatuor elementa sibi indixissent bellū. Etenim vndæ contrariis æstibus impetitæ in se incurrentes, æmulo impetu concrepabant & frangebantur in spumas. Inuicem allisæ naues, & homines consertis manibus inferentes sibi necem, terram sibi ipsi iniuriam referebant. Vtrimque ignes accensi puluere sulphureo, & hoc elementū in vtramque inclinare partem ostendebant. Demum aër seipsum in duas dispescens partes, duos excitauit ventos inuicē dissidentes. Inualuit primò spiritus, qui à Turcis erat, & hoc diabolo astruente, cui copiam fecerat Deus Christianorum vlturus eorum piacula. Sed classe nostra redeunte in gratiam cum Deo, quem votis anhelis inflexit, alius statim spiritus emersit, qui priori præualens, reuerà ostēdit bonos & malos spiritus adfuisse huic prælio, sed iniquos Angelos à beatis fuisse in fugam actos, quemadmodum ventus militans antea barbaris, euanuit quando in gratiā sancti exercitus aura validior insurrexit.

Iam verò si exterminium aliquod intentat homini Deus ministerio Angelorum beatorum, Angeli custodes nostri, si eos speciali cultu deuincimus, possunt nos eripere his flagellis, etsi indictis à Deo toti generi mortalium & hoc bifariam. Primò demulcendo Angelos, quibus exterminij cura est, vti videre est in Apocalypsi, vbi sic Ioannes: *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorū.* Si vnus ille Angeli clamor, remoratus est excidium ad quod multi Angeli erant accincti, quid spei concipiendum putas, vbi Angelus custos alteri Angelo sui clientis sortem commendabit. (Angeli custodes flagella Dei arcent.) (*Apoc. 7.*)

Alio item modo liberare potest pupillum suum, vel consulendo fugam, vt patet in Lot, cui adfuere duo Angeli consultores, ne vindices flammæ eum obuoluerent, sic eum affantes: *Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos vt perdamus illos.* Quod duo illi spiritus egere sensibus obuij, illud idem quotidie præstant Angeli, suadentes opportunè loco secedere, vbi debent edi cruentæ tragœdiæ. (*Gen. 19.*)

Vltimus

Vltimus modus, quo Angeli nos immunes seruant, est, inflectendo animos ad pœnitentiam. Sed ille ritus hominis adiuuandi pertinet ad titulum proximè instantem, qui est de officiis animam spectantibus. Obiter dicam, præualere Angelum custodem omnibus ingruentibus pupillo malis, si eo ipso suasore, homo perpetratis piaculis ingemiscat. Nimirum imbelles sunt potentissimi omnium Dæmonum aulis in hominem pœnitêtem, nec est vlla fax adeò accensa in perituri orbis incêdia, quam non extinguant lachrymæ pœnitentum.

Ex Mathematica. *Eratosthenes lib. ad Arati Phænomena.* Lacrymæ nos liberant ab insidiis diaboli.

Eò spectat congrua sanè obseruatio cœlicæ Matheseos, quæ emensa cœlos aduertit, quasi ex diametro opponi Aquarium Centauro & Hydro; ita enim nuncupant astronomi asterismos seu constellationes illas quas in globo cœlesti delineant specie Hydri & Centauri. Quocumque verteris globum variando situm cœli, nusquam simul totæ hæ figuræ se explicant, sed Eratosthene speculatore fido, oriente Aquario occidunt Hydrus & Centaurus. Aquarius est figura referens hominem lacrymis assuetum, qui iuges fundit aquas, vt eis diluat noxas, quarum sibi malè conscius est. Centaurus anticò homo, posticò verò equus, noxios quosque homines præfigurat, qui simulantes humanitatem, nihil nisi ferinum præstant; teterriorque est eorum noxa, quia incautis suspicionem mali tollit, humanitatis species ementita. Hydrus multiceps anguis, diabolum signat, cui sunt mille nocendi artes, variaque capita, quibus instillet homini suum lethale virus, quod vbi serpit prouocat statim flagella Dei, quæ quis satagit effugere, morem gerat ille Angelo suo custodi, qui clientes sibi per diuam acceptos sollicitat ad signum Aquarij, id est, ad planctum & lacrymas, affirmans longè esse Centaurum & Hydrum, aliaque omnia noxia ab eis, quos Aquarius exceperit.

Huius veritatis habes vadem luculentum Prophetam Ezechielem, cui obiectus est Angelus beneficus, saluandos homines statuens in signo Aquarij ne incurrerent in signa malefica quæ ex aduerso aquarum populantur orbem bello, lue, & inedia. Audiendus ille vt liquidius quadret illa animaduersio petita ex Mathematicis dimensionibus astrorum. Vbi ille ait se vidisse Angelum præferentem atramentarium scriptoris, medium inter alios Angelos vindices impiæ tum vrbis, ait se audisse Deum ita compellantem spiritum illum beneficum *Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini: Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* Et hoc apposite quadrat prælibatis de signo Aquarij, à quo maximè recedunt Hydrus & Centaurus. Quid enim vasis mortis, & fletibus? quid flagellis, & animæ, lacrymis sua piacula recolenti?

Ezech. 9. Thau signũ salutis.

Instabis, multos quandoque periisse inundante flagello Dei, licet pietate insignes essent, imò & affines Angelis, teste Ludouico IX. Rege Gallo, quem lue mortuum tamen Ecclesia recolit vt Sanctum; atque ita non stare illud effatum, affirmans Angelos custodes gerere etiam curam corporis, præcipuè eorum, quos illustres efficit aliqua tessera sanctitatis. Respondeo, his, quos Angelus ad pœnitendum induxit, optimè consultum ab eodem vigili comite, si ingrauescente Dei manu occumbant, quia eò vergit tota sollicitudo Angeli, vt salua sint omnia homini. Vt autem aliquando benè valeant anima & corpus, patitur Angelus hominem aliqua sui parte exui, vt totus in cœlis integer esse possit ille, qui euadens hoc flagellum, & genio postea indulgens, vitiorum omnium sordido volutabro immersus misere damnaretur. Scio ego quosdam professores religiosi instituti, qui se deuouerant obsequio ægrorum, quos lues affecerat, vbi sospites ab hoc agone redierunt, dyscolam postea egisse vitam; & vt religio austera nequit laxos ferre ritus, sæuiens in effrænes, fuerunt tandem homines illi nequam, professionis inolitæ impij desertores. Nonne melius actum esset cum eis, si flagrante amore in proximum opportuna saluti eorum lues seruitios extinxisset? Alios verò secus noui, quorum vita tepidior & non longè à ruina, quos depasta lues absumpsit, sacris Ecclesiæ ritibus expiatos.

O beatos homines, qui procurante Angelo comite, flagris excepti ad eruditionem animæ & corporis, conuasatis sarcinulis idoneis ad gloriam piè defunguntur! Moriatur anima mea morte horum iustorum, & hoc oro enixè, ô Angele Dei, vt quæque flagella ad purum excoquant omnem rubiginem, dummodo Christo fruar. Non est ergo causanda vlla Angeli incuria humani corporis, si quæ ingruunt mala: sicut enim alicui membro inurit cauterium medicus, vt toti corpori ægro occurrat; ita & Angelus si castigat, reuera intendit corporis & animæ sospitatem.

Huiusce rei testis est citra suspicionem Hieronymus ille fama super æthera notus. Is vbi dedit nomen suum Christo, sectaturus arduum vitæ genus, feruidè auspicatus est; sed dum in arctiori vitæ instituto tereret pluſquam par erat libros Ciceronis, vt Tullianam phrasim ebiberet, qua condiret libros illos animo iam conceptos, quos multos postea parturiit. Eo studio Angelum custodem offendit, cui arrisisset magis alia lectio Christiana, ad quam compulsurus suum hunc clientem, dirè eum virgis excepit dormientem, flagellatum sic compellans: Ciceronianus es, Ciceronianus es. Et ne phantasmate tenus tantùm crederetur illa correptio; Hieronymus excitatus inflictas non sensit modò plagas ab Angelo, sed reliquias earum cuti impressas diu circumtulit, vt indices affectus, quo Angelus custos, pupilli huius saluti peruigil instabat. Quis beatum hunc tutorẽ Hieronymi audeat incusare, vti minus anxiũ de salute illius, quia corpori excepto flagris facessit negotium? Nemo planè, nisi is, qui dixerit medicum inhumanum, qui decernit cauterium carni altè infigendum, vt malè, affecto corpori succurratur.

Ex Historia. *Rabanus lib. de pressuris Eccl. statu. Item Can. legimus. dist. 37* Hieronymus ab Angelo castigatus ob lectionẽ Ciceronis.

Tribulationes corporis animæ salutares.

Ex SS. Patribus. *Paschasius lib. de corpore Domini c. 3.*

Audiendi Patres quasi agentes causam Angeli lacessentis corpora ærumnis, vt curentur eadem ipsa corpora & animæ. Sic B. Paschasius: *Variis languoribus ideo cruciabantur quidam,*

quidam, vt corrigerentur; quidam verò vt iam inciperent torqueri, & metu eorum cæteri sanarētur. Alioquin plagæ, & infirmitates nunquā in populo Christi tantum crebrescerent. Præsertim cum de his, qui ex Ægypto in figura sanctæ Dei Ecclesiæ egrediebantur, lectum sit, nullum fuisse infirmum. Hæc ille, cui fidem facit illud Augustini effatū suo experimento docētis, quàm sint proficuæ corporis plagæ. Sic ille. *Punctus tribulatione, cœpi quærere refugium, quod in illa felicitate sæculari desieram quærere. Quis enim facilè recordatur Deum, qui semper felix est, & spe præsentis gaudet.* Proculdubiò eò spectauit Iob, quando lacera carne, & corpore hiante plagis ait: *Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* Quem locum expendens Didacus Stunica hæc scitè eloquitur: *Curasti iniquitatem meam, id est, iniquitati meæ medicinam adhibuisti, supplicium irrogasti; nulla enim est peccatorum morbis aptior & præsentior medicina quàm pœna, atque supplicium.* Ergo Angelus custos opportunè crucians corpus, salutariter corpori humano prouidet; & hæc correptio reponenda est inter beneficia corporalia.

August. in Psalm. 93. — *Iob. 14.* — *Didacus Stunica in Iob. 14.* — Tribulatio est medicina.

Vnum est, quod scrupulum mouere potest in his quæ diximus, Angelos curare etiam ea quæ pertinent ad corpus, cùm æterna tantùm cordi Angelis sint. Diluo nodum, dicens corpus ordinari ad animam, quæ est æterna, & in gratiam eius beatos illos spiritus corpori prouidere: neque hanc rerum etiam minimarum prouidentiam derogare eorum dignitati, imò eam explicare potius vt sese ad ampliora spatia porrigentem. Quemadmodum enim non iniurium oculis discernere vel inuisibilia ferè corpora illa tenuia, quæ atomos vocant, sed potius id arguit vegetos oculos, & acutam eorum aciem, quam nihil obuium effugere potest. Ita & ingloria non est sollicitudo Angeli prouidens homini non æterna tantùm, sed & quæ cute tenus facere aliquem prouentum possunt.

Hoc iure Cæsareo genuinè liquet. Quò quis aliis eminet, debet & cæteris sua prouidentiâ præpollere. Prouidentia autem maxima, minima non præterit. Hinc Iustinianus Imperator obire volens partes omnes Principis optimi, non tulit leges tantùm de rebus summis, sed minutiora quæq; pensans ad trutinam æquitatis, instituit quosdam magistratus, quos vocat ille Defensores ciuitatis, qui minima quæque curent. Sic ille. *Nisi velociter renouemus curā defensorū, per competens officiū: nec ipsam vlcerum antiquorum nomin[u]m habebimus veritatem.* Quæ autem fuerit eorum cura, audi ex lege ita sanciente. *Ipsos defensores, quos iudicū officiū cōplere in ciuitatibus volumus; ipsos quoque in omnibus diligētiam adhibere.* Qui omnia dicit, nihil excipit: lege sequenti ipsas etiam rerum humanarū minutias recēset Imperator. *Et agi apud defensores, testamentorum insinuationes, & donationum, & quidquid aliud est monumētorum proprium.* Et quasi ea rerū tenuiū cura argueret maximè animum Imperio dignum, sic Cæsar illam Authenticam cōcludit, ea epistola, quam inscripsit Ioanni Exconsuli Præfecto prætoriorum. *Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram insinuata sunt legem, tua sublimitas in prouinciis, quibus præest, facere manifesta per programmata propria studeat, quatenus cognoscant omnes, quia & maximorum, & mediocrium, & paruulorum nobis cura est, & nihil est tale quod à nostra sollicitudine remoueamus.* O vocem Cæsare dignam! qua etiam affirmat, sibi esse cordi infima quæque pertinentia ad Imperium.

Defensores ciuitatis quinam fuerint. — EX IVRE CIVILI. — *Auth. 1. collat. 3. De defensoribus ciuitatum.* — *Auth. Nulla.* — *Auth. Et agi eodem titulo.* — *Auth. Quia verò eodem.* — Regum cura ad omnes porrigitur.

Eo etiā fine creauit Deus Angelos defensores hominum, vt nihil sit eis in homines intactum, sed lustrēt omnia, & procurent idonea corpori & animæ, suū Deo testaturi obsequiū, eas obeundo vices, quas deposcunt præfata munia defensorū, quę superiori iure est detrectare nefas. Habes legē hoc contextu. *Interim illud sciendum est prius, vt nulli hominum sit licentia defensoris ordinationem declinare, sed inuicem vniuersi nobiliores ciuitatum habitatores hoc ministerium eis adimpleant.* Nullus planè Angelorum dedignatus est vnquam defensoris hominum indictas subire partes, & rimari penitiora omnia, quæ conducunt ad corporis & animæ sospitatem, deducendo hominem à meandris, & implexis quibusque anfractibus, in quos sors humana incurrit, ita vt quadrare Angelo possit hoc symbolum prostans apud Ferrum.

Auth. Interim eodem.

Pingit vir ille industrius globum illum fili, quo Theseus labyrinthi sinus obliquos, & meatus perquàm difficiles euasit incolumis. Picturæ affingit titulum hunc. DVCIT IDEM, DEDVCITQVE. Apage hoc filum mendax, & transfer illius lemma affingendum Angelo custodi, de quo equidem fas est illas vsurpare voces. DVCIT IDEM, DEDVCITQVE. Ducatu illius superstat diu viuidum corpus aliunde labans, vt corruptioni obnoxium, ei adstat semper indiuiduus ille comes vbique beneficus, vt sonant verba ista Augustini memoris Angelorum. *Ambulant nobiscum in omnibus viis nostris; intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quàm honestè in medio prauæ nationis conuersemur; quantoque studio & desiderio quæramus regnum tuum, iustitiam eius; quantoque timore & tremore seruiamus tibi, & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te inquam gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te inquam patientibus.* Hæc ille sua auctoritate stabiliens ea quæ digessi, scilicet corporis etiam bono Angelos insudare.

EX SYMBOLIS. — *Ioan. Ferrus par. 2 Theat. symbol.* — EX SS. PATRIBVS. — *Aug. Solil. cap. 17.* — Angelorum cura de nobis quanta sit.

Sciscitaberis fortè pro tuo morali ingenio, quid ex ea corporum custodia præstita ab Angelis erui possit ad ritè componendos hominum mores? Placet sanè hoc quæsitum de meliori fruge sollicitum; dicamque pro modulo quid sentiam. Illa Angeli cura corporis nostri debet nos præstare sedulos ad munditiem moralem omnium membrorum, quibus inuigilant Angeli. Dixi munditiem moralem, vt eam secernam, quæ est tota in nitore cutis, quæ vtpote superflua & proxima libidini Angelos plerumque offendit. Nitela hæc moralis sita est in obsequio præstito ab omnibus membris iussioni Dei, ita vt nullum omnino membrum sit Deo iniurium: aures non pateant maledicis, oculi non scintillent ira, os non epulis vacet, lingua non garriat aut blasphemet, manus abstineat à malè partis, pedes recedant à locis vetitis, & præsertim corpus totum Venerem detestetur.

Hoc est quod inculcat Apostolus, Romanos sic affatus. *Non ergo regnet peccatū in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentiis eius: sed neque exhibeatis mēbra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquā ex mortuis viuentes,*

Rom. 6.

viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Et infra repetens idem argumentum, meminit luxuriæ, quam procul omnino esse vult à corpore fidelium, quos sic hortatur ad vitam illibatam: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.* Cùm ergo curet corpora hominum Angelus, quomodo audeat impunè aliquis versari impudicè cum aliis, quibus puri illi spiritus astant? Multos sanè Angeli castigarunt, insidias molientes pudori suorum pupillorum.

Ibidem.

Hieronymus luculentum obiicit nobis exemplum, stabiliens zelum illum, quem dixi inesse Angelis, ad seruāda impolluta corpora fidelium. Sic ille: *Prætexta nobilis mulier Eustochij virginis habitum cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens virginis votum. Adfuit Angelus: Tune inquit, ausa es viri tui Mymetij imperium præferre Christo? Ausa es caput virginis sacræ attrectare manibus sacrilegis; ecce iliæ arescēt, & post quintum mensem deduceris ad inferos; & si non pœniteat, marito & filijs orbaberis, hæc ordine dicto acciderunt.* Eò pertinent minæ Apostoli, in corruptores corporum ita declamantis: *Spiritus Dei habitet in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Teplum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Cautiores itaque efficiat nos cura, quam agit Angelus co porum, vt emundemus nostra, & nulla prorsus illuuie alia corpora inquinemus. Ad solamen verò nostrum petitum ex assiduitate beati illius spiritus hoc sit effatum.

Ex Historia. *Hier. ep. 7 ad Lae.* Angelus castigat Prætextam ob Eustochium.

1. Cor. 3.

AMAT ANGELVS CVSTOS CASTOS; SI VIGET VIRTVS, VIGIL ASTAT.

Quam sit animæ beneficus Angelus custos.

PARS ALTERA SECTIONIS.

INgeniosa sanè fuit illa species edita à pictore, qui referre volens proceram molem Cyclopis vnius, adiecit illi pygmæum qui arundine longa metiebatur vnguem. Eâ industriâ petitus ille artifex altè insinuauit, quantùm se porrigeret habitus hominis, ad cuius metiendum vnguem operæ pretium erat vti mēsura oblonga. Non longè absum ab eo instituto. Quorsum enim ea exquisita anatome bonorum corporis, quæ influunt in nos beneficio Angelorum, nisi vt inde inferamus obsequia potiora, quibus ditatur anima, quam Angelus suam accepit in tutelam. Nimirum in gratiam animæ duntaxat curatur corpus, ideoq; hæc esto prima conclusio: Quantumuis insignia sint beneficia collata corpori humano ab Angelis; multùm tamen debent eis, quæ anima accipit à Deo, horum beatorum spirituum interuentu, si quidem ex Philosophia finis nobilior est mediis, quæ conducunt ad finem; ita enim se habent media ad finem vt motus ad quietem: at quies est præferenda motui, vtpote æmulans statum beatorum, qui quiescunt: ergo cùm beneficia corporalia homini præstita ab Angelis eò vergant, vt homo aptior sit diuino cultui, & gratiis desuper illapsuris; cultus ille Dei & gratiæ subsequentes, potiores erunt aliis dotibus corpori procuratis. Rursus forma nobilior est materiâ quam actuat: Ergo etiam bona, quæ perficiunt formam, præstabunt eis, quæ materiam tantùm spectant, ideoque beneficia, quæ afficiunt animam, quæ est corporis humani forma, præire debent eis, quæ corpori conferuntur; ista enim bestiis quandoq; cōmunia sunt, vt valetudo, esca, cæteraque huiusmodi, alia verò nos asciscunt in ordinem Angelorum.

Angelorum cura de anima qualis.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 2. Phys. c. 9.*

Consulta Theologia eminentia boni spiritualis præ aliis sic astruit: Bonum est eatenus bonū, quatenus alicui conueniens est, vt caro non est bona ouibus ad vescendū, quia gramine tātùm viuunt, nec herbæ hirundini bonæ, quia pascitur tantùm muscis: Ergo illud homini verè bonum erit, quod est ei maximè conueniens. Illud autem præcipuè homini conuenit, ad quod conditus est; scilicet Deus. Igitur ea, quæ conducunt ad finem illum assequendum, præferenda sunt eis quæ non adeò faciūt ad accelerandā adeptionē boni tanti: Sed beneficia spiritualia præstita ab Angelis congrua sunt, vt potiamur eo fine; nam disponunt hominē ad gratiam quæ ex Theologis est gloria inchoata.

Ex Theologia. *T. om. 1. 2. 2. qu. 112. ar. 2.*

Nec instes, beneficia etiam corporalia dispo nere ad gratiam, & hoc insuper habere quod afficiunt corpus; alia vero spiritualia quādoque malè afficiunt corpus. Verbi gratia, peccatorum attritio, ad quam nos sollicitat Angelus, etsi Deum inclinet ad veram contritionem infundendam, plerisque fuit iniuria corporibus, vel eo etiam Monacho teste, quem meminit Climachus, qui eo dolore percitus est, pertæsus aliquod piaculum, cui se incautè obstrinxerat, vt corpore exhausto effluxu lacrymarum perierit. Ergo cùm beneficia corporalia vrgeant ad amorē Dei, & ita propitia sint toti homini, erunt anteponenda reliquis. Respondeo, ens quod tale est per se, esse nobilius eo ente, quod tale est tantùm per accidens; quia omne de suo penu aliquid præstans, diutius est eo, quod aliunde & precariò tantùm habet: Sed bona corporis non sunt animæ benefica per se, & formaliter, imò vtplurimum salutem animæ præpediunt, vt opes, integra valetudo, victus opimus, quæ omnia si per se essent salutaria, ditiores quique homines, & distento abdomine saginati, essent sanctiores. Quod si conducunt ad salutem corporis illæ dotes, id fit ex aduentitio, videlicet ex legitimo earum vsu: vsus verò non est in rebus his, sed suam bonitatem moralem petit à recta vtentium voluntate. Alia verò bona, quæ pertinent ad animam, sunt bona per se & formaliter, ita vt his positis fiat anima sanctior, Deoque gratior.

Clim. in scal. cap. de Pœnit.

Contritione quidā mortuus est.

Vnum tamen aduerte, ne offenso pede decurras hunc tractatum, me non dare Angelis gratiæ illapsum, quasi Angelus adiicere queat animæ nostræ vllum gradum gratiæ, eam efficiendo: absit à me hoc portentum, & hæreticum dogma. Gratia non est opificium Angeli. Solius Dei est donum adeò insigne; vt infra illud sint omnia quæ eminent in ordine naturali. Quid ergo animæ nostræ Angelus confert, si ei gratiam nequit affingere? Multum sanè. Nimirum animam mouet & excitat ad ea facienda, citra quæ Deus nunquam gratiam impertiret, atque ita Angelus dispositiuè concurrit ad gratiam, idque multimodè; & in hoc explicando vertitur cardo istius partis, quam nunc verso. Hæc igitur esto conclusio: Omnia beneficia, quibus dignatur animam Angelus custos, attenduntur penes illuminationem

Angeli disponunt peccatores ad contritionē.

tionem intellectus,& motionem volũtatis. Quomodo autem se habeat Angelus ad illas duas potentias dicam ex professo proxima sectione.

Iam verò ne aliò diffluat oratio, & deuiet à titulo præfixo, indagemus quæ sint illa charismata, quibus comiti suo sancto anima deuincitur. Et ne multitudo gratiarum sua congerie ordinem turbet, dispescamus classes hominum municipum. Tres reperio hominum status debitores Angelo, quo initio reuera pessũ iuissét homines illi. Prima series est hominũ eorum, quos incunabula versãt impotes sui, & peio is in eo sortis quã pulli gallinacei, qui mox editi cõsu ũt sibi, victũ quæritãdo. Hos puerulos si non obstaret Angelus, proculdubio Dæmon elideret accedentes ad oram fontis baptismalis, sicut piscis ille immanis voluit deglutire Tobiam iuniorem, quem sospitem fecit Raphaël Angelus infirmando piscem, quem imbellem virtute Angelica factum iuuenis homo interfecit. Ne ergo puer tingeretur aquis sacris, atque ita exul esset à gloria, diabolus omnes occideret, si maleficam illius vim non irritam faceret Angelus, sospitem seruans infantulum, vt initiari queat eo sacramento. Nota, illuminationem intellectus, & motionem affectuum non pertinere ad hunc statum, quia impar est illi modo, qui in adultos tantùm cadit. Quòd si qui sint infantuli præcoci fato defuncti, non est id dandum incuriæ Angeli, sed occulto Dei iudicio, cuius abyssum inscrutabilem tentare nefas. Quo igitur censu diluemus æs illud acceptum in Baptismo, quo obærati sumus Angelo, quando compescuit lethales ausus in nos Dæmonis insurgentis?

Angeli tres hominũ species adiuuãt.

Alterum hominum genus, est eorum, qui exciderunt à gratia Dei, & quos implexos Satan duobus vinculis irretiuit, cæcitate scilicet, atque malitia. Vnus horum nexuum impedit intellectum, alter verò voluntatem adeò arctè stringit, vt prona in malum ægrè queat velle aliquid saluti hominis idoneum. Animæ patienti iniquam illam sortem, non deest Angelus opportunus, eadem moraliter obiens munia, quæ præstitit physicè Angelus custos Petri, qui etsi sanctissimus, ideam tamen peccatoris obiicit nobis positus in carcere. Etenim carcer & vincula, corporis pedor, locique fœtor, & omnia illic squalore horrida & ingrata, germanam speciem referunt, peccatoris, Satanæ carceri mancipati. Namque anima diabolo addicta tenetur ergastulo, vnde humanis opibus exire nequit, vinculis adstringitur quæ præ nodo gordio facessũnt negotium, patitur angustias peiores eis molestiis, quas importat sordida carcerum colluuies. Quomodo homini malè affecto queat opitulari Angelus, audi ex præfata Petri historia, quam hîc recensere par est, vt moralem suggerat illa sensum. *Cùm producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et eccè Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic.*

Ex Figuris.

Act. 12.

Angelus Petro beneficus.

Meditare quæso ad quid homines reos carcere suo concludat durior Herode diabolus; ad hoc sanè vt producat coram orbe toto astante Iudici in die extremo. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens.* Noctem meminit textus ille, quia reo obstricto peccatis, nulla gratiæ affulget dies, eo repellente faces, & extinguente lucem omnem si quam suspicatur; ideoque quia gratia & peccata non coëunt, homo reus perpetuam patitur noctem, densa caligine iugiter opacatus. Vnde & Christus carpens Pharisæorum reprobum ingenium nescium lucis, ait: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Eodem ferè momento Satan homines impios excæcat & trudit in foueam. *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus.* Habitus ille hominum peccatorum, qui somno indulgent, me compellit ad planctum istum vsurpatum à Poëta mordaci carmine Satyrico.

Peccatoris status qualis sit.

Matth. 15.

O cæcas hominum mentes! ô pectora cæca!

O hominum incuriam! mors imminet eis, & peccatis tamen indormiunt, quibus obnoxios, si extrema dies inuenerit, somnum illum pœna immani eaque intermina castigabit. Hoc vnum demiror ego, grauem iacturam rei familiaris, aut propinqui mortem, eò deducere homines, vt impastos, & insomnes plerumque conficiant; animæ verò periculum flocci pendi, etsi reuera hoc discrimen præferendum sit, & gazis omnibus, & amicis, quibus integris si perierit homo, dementiæ suæ pœnas luet, & has sempiternas. Hanc lethargorum hominum vecordiam pungit Christus isto aculeo. *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Vt inferæ hominis partes fumos mittunt sursum, quibus cerebrum mulcent, & vigilias pellunt, ad soporem oculos inflectentes; ita & deliciæ omnes hominem frangunt, incurium prorsus inuigilare sibi, vt disrumpat has catenas iniurias pristinæ libertati.

Peccatoris somnus qualis.

Matth. 16.

Duæ illæ catenæ, quas memorat Lucas, insinuant duas principes potentias animæ nexibus implicitas; videlicet intellectum delirio affectum, & voluntatem à summi boni recto tramite deuiantem. *Custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Heu quot custodes conducit Dæmon, ne anima euadat illudens Adiicit alios spiritus nequiores se, qui nouis reatibus hominem implicent. Vide quales custodes adhibeat. Si quando deprehendit reprobum quempiam velle pœnitere; illico pellicem obiicit, quæ lachrymis obortis deliniens animum eius, instar ceræ igni admotæ liquat, & dissoluit. Si auarus malè parta cogitat reddere dominis, spiritus ille refuga recenset liberos passuros inde inopiam, & dubios esse rerum euentus, quibus vt eatur obuiam, suggerit esse congerendas opes, etiam iniquis artibus. Demum colligit noxios quosque homines, quos affingit ei quem tædet vitæ impiæ, vt suasores ritus inoliti suis susurris impediant animum pœnitentem, ita vt de meliori fruge conceptus abortiat. In his angustiis nequit homo in spem suæ salutis assurgere, quia malo illi nodo non valet opponere cuneum validum. Quis ergo aderit consultor idoneus homini distracto in varia? Perge in serie ærumnarum, quibus Herodes dirus addixit Petrum, æmulans ingenium diaboli, animam suo carcere concludentis. Deprehendes hoc tenore beneficam Angeli indolem.

Peccator à diabolo caute custoditur.

Peccatoris conuersio vnde incipiat.

dolem. *Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.*

Lux primò in pœnitentem influit.

Benè auspicatur à lumine Angelus, contrarias obeundo vices eis, quas iniit Dæmon intellectui hominis tenebras offundendo. Explicato lumine se prodit Angelus, sicut & diabolus effusa caligine. Totum hominem radio luminis initiat, quem crudelis inimicus cæcitate immissa antea deformarat. Spiritus ille rutilans menti affulgens, aperit ei quàm sit terra colluuies peccatorum, cui se immersit: ea sorte in gloria cognita ab homine, immutatur affectus stimulis actus in alteram partem; & hoc sonant illæ voces: *Percussoque latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter.*

Conuersionis à peccato series tota describitur.

Ictum latus synderesim clamat, quæ vbi animæ discrimen innotuit, hominem vrget ad meliorem frugem. Ille aculeis excitatus surgit, iacebat enim in fæce squalida peccatorum: se inquã erigit animus ad sanctius institutum. *Et ceciderunt catenæ de manibus eius.* Liberæ manus se explicant ad heroicum quodq; facinus, quæ antea inertes erãt, acedia dissolutæ. *Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas.* Nota, diffluere omnes affectus hominis carceri Herodis addicti; quippe anima serpit impos eniti ad superna. Quod si quando erigitur mens illucente ei Diuina gratia, Angeli monitu exurgit; quippe hortatur vt anima præcingatur. Collectis affectibus anima diabolo subducitur, & tota in Deum effunditur, à quo recipit priscam stolam gratiæ, quæ est tessera libertatis. Id ipsum innuit textus. *Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum.* Benè ait circumda tibi vestimentum tuum; nam etsi gratia Dei, qua anima tota circumdatur & armatur, sit donum desuper illapsũ; nunquam tamen influit in adultos homines nisi ipsi suam opem contulerint, similem vtique illi, quam adhibet homo induens vestẽ: hanc vt aptet sibi, inclinat caput, brachia leuat, & inserit manus hianti manicæ, & denique in omne vertitur latus, vt si quæ rugæ indecoræ contrahant vestem, has distendat. Eamdem sollicitudinem poscit Angelus: namque hominem vult demittere caput, gerendo morem Deo, & ne consensus iners aut vacuus sit, hortatur vt exerat brachia ad cooperandum Deo; vtque integra conuersio sit, animum quasi in gyrum versat vt exploret, si quid in penitiore recessu lateat inuisum superis, quodque offendere queat oculos Dei. Stipata sic anima Angelum sequitur, nesciens plerumque verũ esse quod fit per Angelum. Ita planè comparatum est, vt etiam pij valde homines immemores sint Angeli custodis, cuius iugem operam sibi beneficam sentiunt; nec vllo tamen obsequio dignantur hunc custodem, tot & tantis gratiis eos demerentem, vt citra dotes collatas ab Angelis; Deus nequaquam suas gratias impertiret.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 111. ar. 2.

Theologia erudiente didicimus, gratias, quæ ordinem dicunt ad gloriam, esse in duplici differentia. Aliæ sunt præuenientes, & excitantes; aliæ iustificantes; ad duo priora genera Deus creaturis vtitur, aliquando Angelis quando animum illustrant, vt & hominibus quando fidei dogmata enuntiant. Motio verò animæ, quæ sequitur Angelorum & hominum ministerium, à Deo est; vnde in eo sensu nefas est dicere, gratias Dei excitantes, & præuenientes nos, esse ordinis naturalis. Præueniuntur homines hoc splendore, vt Deo assuescant, qui eis tamen gratia inhærente non insidit. Rursus Angeli flagellis, aut beneficiis homines excitãt ad Dei amplexus, pœnas instantes obiiciunt voluntati, si tenaci adhæsione malo affixa est. Nec tamen adhuc anima Deo grata efficitur, etsi illis auxiliis Deum adeò demulceat, vt momento apto & congruo Deus ipse comite gratia postmodum illabatur. Ille influxus Dei à Deo immediate fit, qui solus gratiam animæ affingit, quæ est ordinis supernaturalis, ad quem Angelica virtus minimè porrigitur.

Gratiæ Dei multiplex diuisio.

Beneficia, quibus Angeli dignantur animas, non eo ipso eas iustificant; gratiæ namque opifex est Deus tantùm, qui etsi se solo queat hominem iustificare, voluit tamẽ ministros Angelos adhibere vt suo modulo homines erudirent & disponerẽt, licet, vt præfatus sum, motio interna penes quam est ratio præcipua gratiæ præuenientis seu excitantis, tota à Deo sit, qui cùm seipso posset nos tutari & custodire; tamen Angelos adhibuit, qui curam nostri gererent, & nos vrgerent ad obsequium Dei, viis congruis indoli suæ, illuminando, purgãdo, & perficiendo, prout Deus illis imperat, & concedit. Nimirum ne Angeli vacarẽt in iustificatione hominis adulti, eis Deus vtitur vt ministris; nec vnquam homo impius redit in gratiam cum Deo, insciis Angelis, quos Deus instituit gratiæ suæ præcursores. Et eo exemplo ostendi, quo Angelus illucens Petro, pulsans eius latus, & reliqua peragens ibi recensita, delineat imaginem curæ, quam gerit animarum Angelus ille custos, cui debemus exordia inaugurationis nostræ.

Angelis vtitur Deus ad cõuersionem hominum.

Ex SS. Patribus. Aug. lib. 11. de ciuit. Dei. cap. 31.

Audi Augustinum de hac Angelorum custodia gestiẽtem. *Sancti Angeli ad quorum societatem, & congregationem in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem, ita cognoscendi facilitatem, & requiescendi felicitatem. Sine difficultate quippe nos adiuuant, quoniam spiritualibus motibus puris, & liberis non laborant.* Nota duo in illis spiritibus: scilicet esse beatum, & potens ad homini suffragandum. Sed ille idem Sanctus elimatius illud Angelorum obsequium insinuat ita fatus: *Sic itaque Diuina prouidentia placuit ordinare temporum cursum, vt lex in edictis Angelorum daretur de vnius veri Dei cultu, in quibus & persona ipsius Dei, non quidem per suam substantiam, quæ semper corruptibilibus oculis inuisibilis permanet, sed certis indiciis per subiectam creatori creaturam visibiliter appareret, & syllabatim per transitorias temporum morulas humana lingua vocibus loqueretur, qui in sua natura non corporaliter, sed spiritualiter, non sensibiliter, sed intelligibiliter, non temporaliter, sed vt ita dicam æternaliter; nec incipit loqui, nec desinit. Quod apud illum audiunt sincerius, non corporis aure, sed mente ministri eius, & nuntij, qui eius veritate incommutabili perfruuntur, immortaliter beati: & quod faciendum modis ineffabilibus audiunt, & vsque in ista visibilia, atque sensibilia perducendum incunctanter, atq; indifficulter efficiunt.* Magna sanè indoles Angelorum, quos assumpsit Deus, quasi vt comites iustificationis hominum impiorum; nam illi hominem minimè præueniunt aut excitant Deo inconsulto, qui etsi ministris vtatur; illis tamen intimè adest & quasi consortes adiungit operis, cui solus sufficit exantlando.

Idem lib. 10. de ciu. c. 15. Angeli quomodo Deo obediant.

Ex Figuris.

Tertia sors hominum, quos Angeli adiuuant, est

est eorum, qui Deo grati fugiunt ea quæ carnis sunt & sæculi:his athletis Angelus custos suã impendit opem; eo ferè modo, quo alius Angelus adfuit Eliæ declinanti insidias Iezabel fœminæ industriæ ad facinora quæuis impia perpetranda. Audiit Elias se peti ad mortem, suasione mulieris exosæ virum Dei: quomodo cauerit sibi suggerente Angelo, Codice sacro liquet, cuius en tenorem.

3. Reg. 19.

Perrexit in desertũ viam vnius diei. Cumque venisset, & sederet subter vnã iuniperum petiuit animæ suæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: neq; enim melior sum quam patres mei. Proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eũ: & dixit illi: Surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusque est Angelus Domini secundo, & tetigit eum dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.

Angelus adiuuat eos qui mundo renũtiant.

Eo contextu patet quàm sit anxius spiritus ille præambulo nostro, & quantum inuigilet homini, si quem nanciscitur abhorrentẽ à sæculo, cuius Iezabel est figura; quippe ex Beda viro doctissimo, *Iezabel est fluxus vanus, vel fluens sanguine, siue cohabitatrix, aut sterquilinium.* Nescio vnde Beda acceperit vocẽ Iezabel significare fluxũ vanum; nã ex Hebræo fonte זבל *Zabal* perinde est ac *habitauit*. Ne tamẽ flocci facere videar opinionem Bedæ, dicã Iezabel delineare sæculi vanitatẽ, & carnem, quæ est cohabitatrix animæ nostræ, cui iuges insidiæ nectũtur à mũdo, vanitatis impio simulachro. Technas eius explicat Angelus homini gratiâ Dei conspicuo. Ille pertæsus omnia quæ à Deo dissentiunt, cõsulit sibi fugâ, petẽs loca inuia sæculo & carni, nec quiescit quin iuniperũ inueniat arborẽ spinis hirsutam, figurã Crucis, qua sola anima sancta gestit. In crucis amplexu homo animam sollicitat ad mortẽ obeundã, eam vtiq; quæ carnis est & sæculi, seipsũ sic cõpellãs: Caue ne sęculo viuas aut carni, anima Deo deuincta tot dotibus & titulis. Morere vanitati, & cęteris mũdi illecebris, quas vt lethales tibi & noxias, Deus tuus auersatur. In eo soliloquio obdormit anima, vtpote quantũ fas est Domino Deo fruẽs. Ab ea suaui occupatione Angelus ad ardua vocat, scilicet ad virtutum apicẽ, quẽ figurat præaltus mõs Horeb. Aquã propinat & subcinericiũ panẽ, insinuãs sudoribus victuq; tenui agones maximos exantlari. Largiore aqua suos potat cliẽtes Angelus, quãdo alluit imbre lacrymarũ, quas effundunt liquefacti igne amoris sacri. Panẽ offert insinuãdo frequentiam panis Angelorũ. Et si quando irrepit vel minimus tepor, animam stimulis agit, quib. integros quadraginta dies pernice decursu cõtẽdit ad gloriã, quæ præostensa est Eliæ super montẽ Horeb. Demũ, nulla est ætas neq; cõditio humana, cui nõ opituletur Angelus, aut tutans infantulũ, aut præueniens impium, vel pios homines excitans ad egregia facinora fortiter amplexanda.

Beda lib. de interp. nom. Hebr.

Angeli cura pro pœnitentibus.

Meminit hæc beneficia Bernardus animo equidem grato in Angelos: Sic ille: *Nunc filij Dei sumus, etsi nondũ appareat quid erimus, eò quod adhuc paruuli sub tutoribus & actoribus simus, tanquam nihil interim differentes à seruis. Caeterũ etsi tam paruuli sumus, & tã magna nobis, nec modò tam magna, sed & tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis custodib. timeamus. Nec superari, nec seduci, minus autẽ seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli cõmoremur.*

Ex SS. Patribus. Bern. ser. 11. in Psal. 90.

Angelorum custodia securos debet nos facere.

Hæc Bernardus, qui dum tutores cõmemorat reuocat in mentẽ legẽ à me annotatã ex Digestis, qua colligo, Angelis summam esse animæ curã. Ecce legem *Tutoris præcipuũ officiũ est, ne indefensum pupillum relinquat.* Huius sãctionis antiquæ tam vegeta est adhuc praxis, vt maiorẽ nauet operam tutor circa bona pupilli sui, quã circa propria. Cùm ergo propẽsior sit Angelus ad morem gerendum omnibus quæ Deus sanxit, quàm homines ad Principis sui nutum; proculdubio summa erit cura, qua inuigilant animæ præsertim hi tutores, Deo ita explicitè decernente, Dauide ipso teste. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.*

Ex Ivre Civili. l eg. Tutoris ff. De admin. & peri. tutor.

Psalm. 90.

Eo præcepto Angelis dato, & custodiâ hominum eis indicta, Bernardus ingẽtes ebibit animos, & securos ea tutelã singulos facit, hæc fatus: *Vide quam necessaria sit ista protectio. ista custodia in vijs tuis. In manib.* inquit *portabũt te, ne forte offedas ad lapidẽ pedẽ tuũ. Parũ tibi videtur, quòd nõ sit lapis offensionis in via? Cõsidera quæ sequũtur, Super aspidẽ, & basiliscũ ambulabis, & cõculcabis leonẽ, & draconẽ. Quã necessarius pædagogus, imò etiã baiulus, præsertim paruulo inter hæc gradiẽti. In manib. portabũt te. In tuis quidẽ viis custodient te, & deducẽt paruulũ quà potest paruulus ambulare. Cæterum non te patientur tẽtari supra quam sustinere potes, sed in manibus tollẽt, vt pertranseas offendiculũ. Quã facile transit, qui illis portatur manibus? Quã suauiter natat (iuxta vulgare prouerbiũ) cuius alter sustinet mentum? Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemẽs imminere, inuoca custodem tuum, doctorem tuũ, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eũ, & dic: Domine perimus. Non dormit neq; dormitat, etsi ad tempus quandoq; dissimulet: ne fortè periculosius ab illius te manibus ipse præcipites, si te eis ignoraueris sustentatũ.* Hæc ille. Et ne homo totã Angelorũ curã refunderet in bona corporis; Sanctus hic vim facit in spirituali bono, quod maximè etiã decet Angeli sortẽ, quæ tota est corporis expers. Itaq; spiritus huiusce beati præcipua sollicitudo est circa animã, vt futurã aliquãdo in cœlis. Sic ille: *Spirituales sũt manus istæ, & auxilia vtiq; spiritualia, quæ singulis electorum, pro cuiusq; discriminis modo, & obiectæ difficultatis, tãquã lapideæ molis quãtitate, ab his qui sibi deputati sũt Angelis spiritualiter & multipliciter exhibẽtur.*

Ex SS. Patribus. Bern. ser. 11. in Ps. 90.

Angelorum custodia nobis necessaria.

Ibidem

Iure etiam Canonico probare possum, potissima cõmoda, quæ emergunt ex protectione sacræ militiæ cæli, esse spiritualia, cũ agmina illa castra Dei à corpore sint penitus aliena. Cùm ergo spiritualis sit hæc cura Angelorũ, præcipuè in animam cadet. Consonat iste Canon. *Non pila quærunt ferrea, non arma Christi milites, &c. Seruum Christi non custodia corporalis, sed Domini prouidẽtia sepire consueuit.* Quasi diceret: Si quando malè afficitur corpus ærumnis, ne causeris incuriam Angeli dedignantis hominum curam. Custodia eius non est corporalis, id est, non corporis bono tantùm studet, quantùm animæ inuigilat, cuius bonum sæpe adaugent corporis angustiæ.

Ex Ivre Canonic.

Can. Non pila 23. q. 8.

Si historiarum te cupido tenet, quibus præfata

Ex Historia.

Steph. Pigh. in Hercule Prodicio.

Angelus adiuuat Maxim. I Imp.

commoda homini præstita ab Angelis innotescant; multus ero si patetis. Auspicabor ab eis, quæ pertinent ad homines periclitantes de salute, quibus fuere prestò Angeli. Occurrit Maximilianus I. Imperator, qui cùm adolescens esset venationi maximè addictus, & præcipuè ibicum, seu caprarum sylvestrium, quæ prealtis rupibus assuescunt, incurrit in discrimen vitæ suæ; feruidè etenim insequens ibicem contendentem ad apicem editæ rupis, ipse etiam enitens beneficio rimarum rupis salebrosæ quæ hiabat vndequaque, tandem eo appulit vnde negatum est ei facilè repedare. Clamat ille quàm validè potest, & implorat sedulam operam suorum, qui audita Principis flebili voce quantocyùs aduolarant. Mirari omnes, & mœrore simul iuuenem credulum nimis animo suo imprudenti, eò deuenisse quò sequendi nemini fas fuit, etsi industrij quique homines hoc tentarent. Pendulus è caute illa lethali Princeps, vbi intellexit esse impotes homines opem ferre, cautior ad descensum quàm fuerat in ascensu, vota sua aliò direxit, scilicet cælum versus, vt inde aliquod influeret obsequium. Duos illic egit dies insomnis, & impastus, homo aliis planè viuendi ritibus assuetus. Illo & omnibus Deo intentis, adfuit homo aliàs inaspectus qui manu lacerans rupem, magnúmque cogens aceruum eorum lapidum, quos è procera mole illa saxea deiecerat, sibi viam fecit ad Principem, cui in gratiam beneficij accepti iniunxit vt eidem loco affigeret crucifixum. Via hac aperta ope hominis incogniti, securus eam iniit adolescens, qui vbi se colligit interrogans quid actum homini illi benefico, cui se totum debebat, & vitam; nemo eorum qui adstabant rescire potuit in quas oras sese ille homo recepisset. Inde arguit Imperator, opportunum hunc ministrum fuisse Angelú custodem, qui diruto saxo immani, modum dederat euadendi. Nec vana fuit Maximiani fides de Angelo; quis enim hominum declinasset aspectum Principis, quem obstrinxerat recens vita tenus.

Angelus obstinatos hominum animos frangit.

Simili planè modo quotidie deuincit Angelus homines, qui cum Deo redeunt in gratiá. Quippe plerique imprudentes pecorum ritu, per abrupta incedunt præcipiti gressu, eoque tandem appellunt, vnde remeare facessit negotium, & equidem ingens; siquidem reprobi adhærent saxis adeò tenaciter, vt & ipsi in saxa abeant toti: sacræ Eucharistiæ famem patiuntur iugem, & sic impasti diu insomnes languent, stimulante eos synderesi; namque non coëunt requies, & conscientia sibi malè conscia. Salutis eorum hominum cardo omnis vertitur in saxo fortiter elidendo. Operosum sanè negotium versare molem magnam lapideam, quæ incubat cordibus impiorum. Ad hoc opus multi conducuntur homines, qui consilio, suasi one, minis, imò & quandoque suppliciis emolliant corda, quæ sua duritie silices æmulantur. Cassa est omnium hominum industria, quæ etiam consultore Hannibale potuit inuias aperire Alpium cautes, effuso aceto rupi incandenti. Prædicator intonat frustra, sacerdos à confessionibus oleum & operam perdit; denique omnes irrito conamine insudant, in hoc lapide decoquendo, vt vel sic emollitus abeat in frusta vel leuiter ictus. Itaque consulédi superi in re deplorata. Nequaquam Angelus abnuet, aut refuga deseret indigos opis suæ; siquidem deliniens induratum illud cor, homini viam euadendi aperit, etsi in reprobam animam illam esset antea conclamatum. Nec aliud monumentum gratiæ suæ Angelus quærit, quàm gloriam Dei animas & corpora sospitantis. Vt qui altum antea sapuerat; vbi demisit fastum, Deo soli omnem gloriam deuoueat ex animo.

Plutarch. in vit. Hannib

Paul. Diac. lib. 5. c. 13. Sabell. lib. 8. cap. 6.

Alia etiá historia animú meú subit meditantem nexus gratiarum, quibus implexos Angeli deuinciunt animos memores. Res gesta aliú etiam Principem spectat nomine Berthariú Lógobardorum Regem: is regno pulsus à Grimoaldo, iniit consilium de capessenda fuga, ne orbaretur vita, sicut & ditione sua. Eo fine naué côscendit vt velificatione in Angliam sese reciperet. Vix à portu soluerat nauis in altum educta mare, cùm vox limpida validaq; audita est e littore emissa, hæc intonans: Reuertatur Bertharius in patriam suá, quia tertius est dies quo Grimoaldus mortuus est. Perculsus ea voce Bertharius mutauit sententiam de tentanda maris fide, an maior esset eâ Longobardorum, qui ab ipso Rege suo defecerant. Iubet reduci naué, vt incognito consultori morem gerat. Repedat in patriam, vbi redux lautè excipitur redditus solio & regno. Nemo hominum in ea plaga remota rescire poterat Grimoaldú supremo occubuisse fato, nec vlla vox humana potuisset auribus sese inserere hominum, quos aquarum æstuantium fragor obtusioris auditus effecerat. Ideoque creditus est Angelus, monitor ille propitius, qui non extera tantùm voce Berthariam admonuit, sed & interius animum inflexit ad credendum, alioquin frustra hominem incredulum vox hæc irrita perculisset?

Angelus in regnum reuocat Bertharium.

O quàm suauis est animæ meæ memoria gratiæ illius. Quoties enim regno Dei pulsus diaboli insidiis, iactatus in mari vndoso sæculi infidelis, quærens aliquod refugium & solamen animæ meæ exuli, audiui vocem Angeli consulentis, vt me me reciperem in claustrum; ea quippe via me securè rediturum in patriam inaugurandum Regno, à quo procul erant sulcando naue putri pelagus infidum mundi homicidæ. Ne inficieris, ô amantissime lector, nóne habeo te comitem tanti beneficij accepti? Annon aliquádo Satanæ technis cælo excidisti (rara namque est gratia semper sibi constans.) Te extorrem, & vile sæculi mancipium sæpe sæpissime monuit Angelus de reditu in cælum: non esse metuendum Grimoaldum Tyrannum illum, scilicet diabolum tibi iniurium; siquidem pro mortuo haberi illis, quos Angeli in suam recepere custodiam. Si necdum, ô homo, gessisti morem monitori tuo reuocanti in patriam, ne longiores necte moras, recede ab æquore mundi fluctiuagi, recipe te in portum sanctioris instituti, spemque concipe indubiam fausti tui reditus in patriam, Angelo consultore.

Angelus nos in cælum reuocat.

Si ea est Angelorum cura de homine noxio & refuga, vt non pertæsi longum temporis tractum, sequaces semper deuiantis animæ reditum insusurrent. Ego sanè crediderim eos anxios effundi totos, & armari ad tutelam fidelium, qui victoriâ multiplici reportatâ de vitiis, in patriam suam cœlestem illam Ierusalem, prælongo & inaquoso vitæ huius itinere gradiuntur.

Guillel. Tyr. lib. 18. c. 12.

Egregium planè custodiæ huius sollicitæ specimen edidit Angelus ille, qui se comitem adiunxit Christianorum castris æuo Guillelmi Tyrij, qui ea gesta recensuit. Scribit ille agmina fidelium sese in Oriente deuouisse libertati illius oræ, quam Barbari Mahometis asseclæ incursionibus infestabant. Fugatis inde hostibus, concipientes animo Imperium Orientis, obsedere Bostrim arcem caput Arabiæ. Illic gloriosè dimicatum est, &

Angelus castris olim Christianis se comitem adiecit.

& sæpe consertæ manus cum hoste fero, & semper victoria fidelibus aspirante. Tandem aliquando de reditu cogitatum est Ierosolymam versus. Res fuit operosa valdè, exhausta multis præliis agmina reddere integra patriæ; siquidem Arabes à tergo instabant, eorúmque velites, equis freti velocibus, Christianorum castris iugiter imminebant. Consilio inito decretum est canere receptui, & indictum militi suas conuasare sarcinulas. Etenim Deo optimo Maximo consulto, omnium vota conspirabant in Ierusalem, quò vt sospites appellerent cælis importuni litarunt. Etenim illis apparuit homo egregia specie insignis, albo insidens equo, prægrande labarum coccineum manu gestans. Hortatus est æquo animo essent, & securi præeuntem sequerentur. Non cunctantes Christiani adhibuere fidem dictis, castra metantes ad imperium eius Ducis cælitus dati, & cuius aspectu Arabes fuere adeò consternati, vt veluti imbelles aufugerint, relinquentes castra illa fidelium illibata. Demum omnis ille exercitus ad arbitrium Angeli se componens, Ierosolymam venit, vbi penso suo expleto Angelus euanuit.

Cùm audis Angelos armatos ad tutelam alicuius, intellige maiorem esse sollicitudinem, qua beatus ille spiritus agitur in gratiam illius, quàm sit illa quotidiana singulis quibusque momentis exhibita clientibus suis. Inde infer, eos, qui militant Christo, & nihil nisi superam Ierusalem spirant, magis pertinere ad Angelos, quorum sollicitudo minor est de impiis, vtpote incuriis, gratiam illorum spirituum peculiari obsequio demereri. Quasi enim via lactea incederent viri sancti, hilari animo cælum versus tendunt.

Ex Mathematica. *Claud. de imaginib. cælest.*

Nec inepta est opinio cælestis Matheseos, quæ describens in globo cælesti mensuras figurarum cæli, quas asterismos, constellationésque nuncupat, pingit viam quandam multiplici stella satam, quam vulgus imperitum viam lacteam vocat, eò quòd albicantis viæ lacte effuso referat imaginem. Candorem circuli lactei periti quique credunt inde emergere, quòd infinitæ propè stellæ illic consitæ, adeò tenues sint, vt effugiant oculorum aciem: vnde cùm singulæ nequeant aspici, conglobatæ obiiciunt oculis debile quoddam lumen, albedinem ementiens effusi lactis. Eo ferè modo dixerim, sanctas animas cælicam etiam agere vitam, quia gradiuntur viâ lacteâ Angelis obsitâ, vnde & albicant eis omnia, licet adhuc in hoc sæculo degentibus, nihil planè eis nigricat; quippe omnibus vtuntur innoxiè, ideoque suum nigrorem nequit eis mundus offundere, quia effuso desuper lumine dealbantur. Nec est aliquid huius æui, quod remorari queat pias animas instructas eo præsidio, pergentes in patriam.

Angelis obsita est via cæli.

Opportunum omnino esset hîc symbolum à me alibi vsurpatum, cuius prima editio fuit Regis Galli Ioannis, qui torquatos nobiles instituit adiecta eorum vesti stella argentea, hoc titulo. MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM. Quadraret sanè hoc lemma, insinuans Angelos astra matutina potissimum illucere hominibus, quos regij animi exornant, id est, qui accepti sunt Deo Regi Regum, cuius gratia homines efficit Reges. His reuera præsertim Angeli collaborant. Sed ne denuò versare videar idem symbolum, meam sic testatus inopiam, accipe aliud lemma idoneũ meo instituto de præualida protectione Angelorum. Vbaldinus Malauolta singulare quoddam sibi præsidium adesse gestiens, pinxit virgulam ferri mediam inter Adamantem & magnetem hac voce desuper adiecta. VIS ALTERA VETAT. Vt vim calleas symboli istius, operæ pretium est scire, lapidi magneti esse insitam virtutem pelliciendi ad se ferrum: experimẽto tamen compertum est, languere omnem illam efficaciam magnetis, præsente adamante, cuius obiectu nequidem nutat acus, magnete totam suam vim perperam effundente. Vt ergo constantem tibi semper animam sanctam delinees congruo symbolo, hoc appono, quo adamas Angelum refert, magnes verò deliciarũ omnes illecebras sonat; virgula ferri media animam quasi ancipitẽ clamat, & illectam cupediis, quibus vt se expediat, magnetẽ monet de præsentia adamantis, id est, vale dicit voluptati, hoc titulo cataphracta. VIS ALTERA VETAT. Etsi in me consurgant agmina Dæmonum, licet alliciat omnis illecebra, nunquam dabo manus, Angeli curâ fretus, ideoque facessite voluptates mihi iniquæ; siquidem ne coitar vobis, obstat indiuiduus comes, sicque VIS ALTERA VETAT, qua fit obtusior illectus illecebræ.

Ex Symbolis. *Luckius lib. numism.*

Ioan. Pierius par. 2. Theol. Symb.

Angelus custos it obuiã malis omnibus.

In hoc omnium disciplinarum choro, Angelorum curam explicante, nequit tacita silere medicina, dicens habere se quo probet ingentia bona collata corpori & animæ à beatis illis spiritibus. Ait illa spiritus animales duo præstare homini, sentire scilicet & moueri. Primum præcipuè ad animam pertinet, alterum verò ad corpus. Etenim licet corporis organa suos habeant sensus, illis tamen vtitur anima, vt ministris qui species rerum vehunt quæ occurrunt. Cùm ergo vtrumque homini conferant spiritus animales, sentire & moueri, ritè dixeris eos spiritus esse beneficos corpori & animæ. Eos ideo Fernelius vocat primum instrumentum animæ sentientis quam sic describit ille. *Sentiens anima quemcumque illa substantiæ modum est adepta, cerebri corpus tanquam propriam arcem ingeniúmque domicilium elegit, omnium facultatũ vires in se suoque quasi sinu complexa. Has quidem propriis quibusdam functionibus & muniis exponit, ad quas varia instrumenta confert, & accommodat. Omnium primum est spiritus animalis, qui ex vitali per ceruicis arterias in cõtextum admirabilem sublato primum elaboratur, deinde in anteriori altero cerebri contextu qui à secundis nomen habet, vi cerebri ingenita in animalem conuertitur. Illic noua specie, & dignitate præfulgens, sentientis animæ vires consequitur, & ad illius cuncta munia illo se splendore aptat, & comparat. Hoc plurimo conferti sunt ventriculi, interioresque cerebri sinus, vnde tanquam è iugi fonte per neruorum ductus & canaliculos, tum in sensuum instrumenta, tum in musculos motores profluit. Hic autem quum iam insidet, aliam fortassis speciem ex partis natura suscipit, qua particulatim illi addicta est, eiusque seruitio prorsus mancipatur.* Hæc ille quasi delineans hominem effictum ad imaginem Dei, qui vt in cælo magis eminet, licet sit vbique.

Ex Remedica. *Fern. lib. 6. Physio. c. 10.*

Spiritus animales quid corpori præstent.

In cælo vt in capite mundi dicitur esse Deus, inde emittit spiritus, in ministerium partium inferarum, quas etsi multimodè regat, interiectu aliarum rerum; potissima tamen instrumenta prouidentiæ Dei sunt Angeli, qui animæ sensum acuũt, quando illam illuminant, affectúmque eius mouent, ad virtutis amplexus eam iugiter excitando. Descripsit & tenorem illum in corpore humano Fernelius, dicens animam sentientem capiti insi-

dere, vt principi loco corporis, vnde ſcorſum influit in ſubiectas quaſque partes immittendo ſpiritus ſenſorios & motores, quorum beneficio homo ſentit & mouetur. Quod autem adiicit ille; ſpiritus in ſingulis corporis humani plagis nouam induere ſpeciem vt poſcit natura partium quibus addicuntur, hoc etſi ancipiti ſtylo reliquerit vt dubium, graphicè delineat Angelorum ingenium, cui non eſt ſatis illuminare, & excitare animas gerendo vices ſpirituum illorum quibus & ſentit, & cietur homo; ſed quaſi nouos induunt animos, ex natura partis, ad quam Deo moderatore decernuntur. Etenim ille Angelus, qui hodie à Deo comes adiectus eſt homini recens edito, extunc in animum induxit ſuum, ſe præſtare induſtrium in cuſtodia pupilli ſibi demandati.

Ea analogia Angelorum, & ſpirituum corporis humani, res Medica ſuum exoluit penſum vtique glorioſum Angelis, quibus in ordine ad gratiam tantùm debet homo quantùm ſpiritui animali corpus in ordine ad munia phyſica. Sed feriante ſpiritu animali corpus velut emortuum iacet immobile & ſine ſenſu; ita & homo deſiſtente Angelo influere, & ſuum negante ſuffragium ægrè poteſt meditari cæleſtia, & ad ea pariter excitari. Deſcenſum illum beatorum ſpirituum, curam hominum, & affectum paucis affirmat Chryſoſtomus, magnifaciens hoc Dei beneficium. Sic ille homines hortans ne ſint immemores: *Intellige quantus honor nobis exiſtit, vt ad nos ſicut ad amicos, miniſtros Angelos ſuos deſtinet Deus. Quamuis enim multum interſit inter Angelos & homines, propinquos tamen nobis eos fecit Deus, quia noſtræ ſaluti ſtudent, propter nos diſcurrunt, & ſuo funguntur officio.* Hæc ille, cui ego concinens hoc affirmo. PERPERAM HIC TENTATVR, QVEM ANGELVS HIC TVTATVR.

Angelos Deus facit eſſe propinquos noſtros

EX SS. PATRIBVS.

Chryſ. hom. 3. in epiſt. ad Hebr.

Quomodo Angeli hominis intellectum illuminent, & affectum excitent.

In hæc verba:

Hic maior eſt in Regno cælorum.

SECTIO QVINTA.

Angeli quo modo in homines agant.

EX PHILOSOPHIA.

Alber. Magn. in 6. princ. cap. 1.

Idem 5. Metaph. tract. 5. cap. 3.

INdubium hoc ſuppono, Angelos agere in intellectum, & in voluntatem hominum. Namque ex Philoſophia ea eſt habitudo inter omne agens, & patiens, vt quidquid minus eſt, ſemper maiori cedat: cùm ergo ex præfatis, Angelus ſit homine maior, proculdubio in hominem aget: nimirum ex Alberto illo Magno, *Actio ſemper eſt perfecti, & eſt in agente, vt in cauſa & ſubiecto: paſſio ſemper eſt imperfecti, & eſt in patiente, vt in ſubiecto & mobili.* Rurſus ex eodem ſummo Philoſopho, *Actio licet ab agente ſit, tamen eſt in patiente vt in ſubiecto, & eſt eius paſſio, vt motus eſt à mouente in motum, ſiue id quod mouetur, & eſt actus mouentis, & tamen eſt in eo quod mouetur.* Vnde ſic arguo: Angelus in agendo præpollet homini; ergo agens in hominem, actio illius erit in homine; ſed homo præcipuè à forma eſt homo; igitur anima, quæ eſt hominis forma, præcipuas Angeli functiones excipiet. Hæ autem circa duo verſantur potiſſimum ex S. Bonauentura; ſcilicet circa bonum, vt illud augeatur, & circa malum vt vitetur. Duo autem hi reſpectus, ad bonum ſcilicet, & ad malum, dant Angelo aliquod ius in animæ potentias, ſtante tamen & prorſus in nihilo nutante arbitrio eius. Ea Angelica vis alliciendi voluntatem, & illuminandi intellectum, anſam dedit Theologis diſpeſcere actiones Angeli in tres claſſes. Etenim aiunt, Angelorum principes actiones, tum in inferiores ſpiritus, tum in homines eſſe, purgare, illuminare, perficere: quæ omnia intellectum formaliter aſpiciunt, & voluntatem per accidens, in eo quod bonum explicatum voluntati eam inclinat.

Bonau. Cent. 3. p. ſect. 18.

EX THEOLOGIA.

Angelorum actio triplex eſt.

Ne ergo hallucinemur in terminis, audiendus eſt Thomas inducens Dionyſium ſic loquentem: *In cæleſti hierarchia purgatio eſt in ſubſtantia, & eſſentia tanquam ignotorum illuminatio, in perfectiorem ſcientiam inducens. Sicut ſi dicamus viſum corporalem purgari in quantum remouentur tenebræ: illuminari verò in quantum perfunditur lumine: perfici verò ſecundùm quod perducitur ad cognitionem colorati.* In eo ſenſu vna eadémque realitas ſortitur tres denominationes petitas à diuerſis aſpectibus, vt & inſinuat idem Doctor ita fatus: *Secundum modum illuminationis eſt accipienda purgatio, & perfectio.* Quomodo autem illuminetur homo ab Angelo, eſt indaginis huiuſce ſectionis, quæ præcipua parte ſui Theologica eſt. Auſpicemur à voce quæ illuminationem ſonat. Lumen vt ad intellectum ſpectat, nihil aliud planè eſt quàm quædam manifeſtatio veritatis, ipſo etiam Apoſtolo teſte. *Omne quod manifeſtatur lumen eſt.* Vnde illuminare eſt alij tradere manifeſtationem agnitæ veritatis, ſicuti Paulus inſinuat. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo.* Sic Angelus illuminare hominem poteſt explicando ei veritatem quam ipſe cognoſcit. Cùm autem ad intelligendum duo concurrant, virtus intellectiua, & ſimilitudo rei intellectæ; ſecundùm hæc duo, Angelus rei agnitæ ingerere notitiam poteſt homini. Primò quidem roborando virtutem intellectiuam eius: quemadmodum namque virtus imbellis corporis imperfecti augetur vicinià corporis vegetioris, vt materia tepens incaleſcit iuxta corpus magis calidum; ita virtus intellectiua hominis augetur ex conuerſione Angeli ad eam. Hoc etenim præſtat in ſpiritualibus ordo conuerſionis, quod facit in corporalibus ordo propinquitatis localis. Secundò, Angelus inſinuare homini poteſt veritatem rei agnitæ, ingerendo ſimilitudinem eius, quam quia homo nudam excipere nequit, alio modo homini explicat quàm ſuperior Angelus alium illuminans inferioris ordinis. Quippe homini inſitum eſt, intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, ideoque Angelus veritatem intelligibilem homini proponit ſub ſpecie ſenſibili: nam vt ait Dionyſius, *Impoſſibile eſt aliter nobis lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum.*

S. Thom. 1. p. q. 106 art. 2. Dionyſ. cap. 3. cal. hierar.

Angelorum purgatio, illuminatio, perfectio quid ſit.

Epheſ. 3.

Epheſ. 5.

EX SS. PATRIBVS.

Dionyſ. cap. 1. cal. hier.

Concors SS. Patrum chorus ait, nos illuminari ab Angelis. Ita Auguſtinus: *Poteſt quidem Angelus aliquid agere in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat.* Et Cyrillus cõmemorans locum illum Ioannis: *Qui illuminat omnem hominem,* ait Angelos quandoque illuminare homines. *Et traditione à mente ſua in mentem alterius doctrinam transfundendo.* Adiicit Anaſtaſius Sinaita, eo beneficio gaudere homines illos potiſſimum, qui in virtute prouecti ſunt. *Iis maximè, qui in virtutibus effecti ſunt volucres, à Deo dantur ſancti Angeli, qui eorum curam*

Aug. conc. 18. in Pſal. 118.

Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 9.

Angeli quos adiuuent præcipuè.

Anaſt. Sinaita l. 5. Anagog. cont. in hexam.

gerant,

gerant, & prouideat ad illuminationem. Sed quid memini Sanctos Patres in re qua in Codices sacri clamant, & quam nemo dubiam facere potest, citra infidelis animi notam. Aliqua tantùm dicta texam, quibus liquidior emicet fides nostra. Occurrit ille Angelus qui frequens astitit Danieli, cum sic compellans: *Intellige fili hominis, &c. Ego ostendam tibi quæ futura sunt.* Quis autem prouentus exceperit ostensionem illam Danieli promissam ab Angelo, disce ab illo sic loquente: *Et docuit me, & locutus est mihi: Ego veni vt iudicarem tibi.* Similia propè habes in Zacharia Propheta: *Dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi, quid sint hæc.* Verba autem illa, intelligere, ostendere, & docere, illuminationem significant, quam præfatus sum nihil aliud esse à manifestatione agnitæ veritatis.

Dan. cap. 8. & 9.

Zachar. 1.

Angelus quot modis illuminet.

Bifariam potest hominem illuminare Angelus, scilicet visibiliter, & inuisibiliter. Prior ille modus fit mediante corpore, quod sibi aptat Angelus, loquendo, & erudiendo hominum ritu; & sic B.V. Mariam illuminauit Gabriel, prius proponendo mysterium, dicens: *Ecce concipies, &c.* Deinde aperiendo modum conceptus illius ineffabilis. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Denique confortando Mariæ intellectum, exemplo fœminæ sterilis, quæ Deo eam fœcundante conceperat. *Et ecce Elizabet cognata tua.* Modus ille homini congruus est, atque vernaculus, vtpote vsurpatus ab hominibus, qui alios illuminant, docendo illos verbis idoneis ad animas illustrandas.

Luc. 1.

Rursus sine corpore assumpto possunt Angeli edere voces auribus insonantes, & earum vocum ministerio ingerere notitiam rerum, quam volunt homini explicare. Eo se modo gessit Angelus ille, qui personam Dei agens docuit Samuelem, quem tertiò compellauit: *Samuel, Samuel.* Vbi illa insonuit vox vocantis inaspecti, illa Samuelem erudiuit. *Ecce ego faciam verbum in Israel.* Demum aliis vtitur signis sensibus obuiis Angelus illuminans, vt scriptis, quibus intellectis illuminatur homo. Ita edocuit Angelus Danielem scripta damnatione Regis Chaldæi, charactere aliis incognito. Aliàs adhibet imagines typicas, quæ sensum reconditum produt, sicuti videre est in Apocalypsi, quæ tota his veluti tapetibus ornata est. Ibi agnus occisus obiicitur Christum referens. Bestia immanis diabolum sonat Babylon ornata monilibus, & rutilans auro voluptatem significat: quæ dehiscente terra postmodum absorbetur.

1. Reg. 3.

Dan. 5.

In eo illuminandi schemate sensibus obiecto, nihil est facessens negotium, quia non deuiat ille modus homini insolitus, quo deuenire solet in notitiam rei cuiusque abditæ prius. Præcipuus nodus est in illuminatione interna, quæ fit insciis sensibus externis, quam etiam commemorat textus sacer enarrans Iosephum B. V. Mariæ sponsum edoctum ab Angelo in somniis, & ancipitem eius animum confirmatum, explicato mysterio Incarnationis, ad quod erat Maria assumpta, vtpote parens Christi, quo concepto fuerat cælitus impregnata. Tota hæc illuminatio facta est ab Angelo sensibus inconsultis. Sed quomodo moueat intellectum hominis beatus ille spiritus, non benè compertum est ob discordes doctiorum hominum sententias.

Matth. 1. & 2.

Ex Theologia. Alex. Alens. 2. p. q. 40. art. 4.

Alexander ille Alensis magni nominis vir, totam hanc rem inuoluit maximis inuolucris. Ait enim Angelum citra vllum phantasiæ obsequium illuminare nostrum intellectum. *Per immediatam irradiationem, siue communicationem suarum visionum.* Textus ille eruditissimi hominis omnes torquet, quia videtur Alensis affirmare, Angelum qui hominem illuminat per suum illum actum efficere vt homo formaliter intelligat, vel saltem homini inurere actionem illam, qua homo intelligit. Vtrumque autem impossibile est. Primum quidem transilit omnes naturæ leges; quippe eo solo quod aliquis rem vnam intelligat, nemo alius eam intellexit; nam vel tunc erit vna tantùm intellectio vel duæ. Non vna, quia alia est intellectio Angeli, alia hominis, & rursus idem numero accidens non potest transire de subiecto in subiectum, ast intellectio est accidens: ergo nequit eadem numero Angeli intellectio esse eadem quæ & hominis. Iam verò si duæ sunt intellectiones, illa quæ fuit Angeli non poterit facere hominem formaliter intelligentem: siquidem omnis vitalis actio formaliter editur à principio intrinseco. Sed Angelus habet se extrinsecè quando illuminat; ergo non potest facere hominem formaliter intelligentem.

Angelus quomodo moueat intellectum.

Quoad secundum modum illuminandi, qui elicitur ex verbis Alexandri antea prælibatis, ille etiam graues patitur tricas. Nam dicere Angelum quando illuminat, tunc efficere aliquid in homine, quo formaliter intelligit veritatem, de qua est quæstio, id repugnat: enim id per quod homo fit formaliter intelligẽs, est intellectio quæ nequit in homine fieri ab Angelo, quia effectus formalis & præcipuus alicuius formæ, ab ea sola edi potest, vtpote ab ea tantùm fluens: Ast intellectio est formalis actio & effectus animæ intelligentis: ergo nulla alia res ab extrinseco homini adiecta facere eum potest intelligentem.

Dices, intellectionem Angeli posse per modum obiecti intelligibilis vniri intellectui humano, qui assecutus hoc obiectum eliciet actum illum intelligendi; & sic fieri posse, vt eo solo quod Angelus intelligens sit, homo etiam intelligat conuersus ad illam intellectionem sibi inustam per modum obiecti. Hæc instantia duo absurda inuoluit. Primum à me antea explicatum, scilicet accidens idem transire de subiecto in subiectum. Aliud est contra rationem actionis immanentis, quæ in eodem tantùm est subiecto, à quo emanat. Ergo cùm intellectio Angeli sit actio immanens, apage hoc dogma, quod mentitur transitum eius in hominis intellectum, vt vniatur illi per modum obiecti. Adiice etiam incongruum illum esse modum illuminandi hominem, cuius intellectus in hoc æuo nequit concipere res adeò defæcatas, vt est intellectio Angeli; nihil namque homo acumine sui intellectus attingit, quod non antea ebiberit à specie aliqua sensibili, cuius idea reconditur in phantasia, sicut in proprio penu omnium imaginum, quarum beneficio vtitur intellectus.

Explosâ illâ Alexandri Alensis sententiâ occurrit alia S. Thomæ, arbitrantis Angelos illuminare homines excitando phantasiam ad congrua phantasmata proponenda intellectui, quibus inspectis deueniat in notitiam, quam Angelus illuminans intendebat. Suas patitur instantias illa opinio, etsi veridica: & quia interest scire quomodo beati illi spiritus se beneficos præstent animæ nostræ; volo demptis veluti senticetis & vepribus expurgare quidquid inuios facit calles ad plenam istius controuersiæ solutionem. Insciis sensibus ait Angelicus Doctor Angelos vti phantasmate:

S. Thom. 1. p. q. 111. art. 3.

sed

sed hoc assertum habet in se rationem dubitandi, istam scilicet; ita se habere phantasiam ad sensus externos, sicut sensus externi habent se ad obiecta sua, quibus excitantur: Sed non possunt Angeli mouere sensus externos nisi applicando eis obiecta mediante specie sensibili: ergo & non poterunt mouere phantasiam applicando ei species, nisi sensibus interiectis: ideoque inuisibilis illa motio phantasiæ ab Angelo gratis affingitur; quippe applicatio & motio, quæ fit per sensus externos, oculis patet.

Alex. Alens. 2. p. q. 40. membr. 4. Albert. de quat. coaq. 1. p. q. 6 art. 11. Suar. lib. 6. de Ang. c. 16.

Alexander Alensis, & Albertus Magnus Theologi insignes credidere, Angelos virtute sibi insita posse imprimere sensibus internis phantasmata seu species sensibiles, similes eis quas facerent sensibilia obiecta si essent sensibus admota, & eo modo hominem illuminare. Suarez vir de Theologia benè meritus hoc effatum improbat; quia hoc est extra naturam Angelicam, quæ quidem, inquit, potest applicare actiua passiuis, sed non efficere has species. Pace tamen tanti viri dixerim, leuioris est armaturæ telum quod intorquet in Albertum & Alensem Theologiæ scholasticæ proceres. Primò quis hominum sciuit, quò spatietur sphæra actiuitatis Angelorum, vt certò audeat denegare Angelo aliquid eorum, quæ ab alio agente inferiori possunt effici. Præterea in frequenti hominum corona quibusdam tantùm Angeli apparent, & non omnibus, vt supra ostendi enarrans quomodo Marcellus Archimandrita Angelum habebat comitem à paucis duntaxat aspectum. Ergo tunc corpus non sibi reale effinxit ille Angelus. Sicut duo illi Angeli qui appulere Sodomam, vbi fuere visi ab omnibus Sodomitis. Eamobrem ille Marcelli Angelus, quem pauci videre in modum iuuenis egregij, solas species sensibiles affinxit quibusdam oculis, & non singulis, atque ita beneficio illarum specierum res credita est præsens, cuius nescij omnino fuerunt illi, quibus non inusta fuit talis species referens imaginem iuuenis. Rursus hominum hostis acerbus ille diabolus, (vt venefici homines extremo damnati supplicio prodidere) sic deceptis illudit, arborum folia explicat in mensa, enumerat, obiicit oculis, manibus inserit, tinnire auribus creditur aurum, vt & videri, & palpari. Vnde hic error, nisi ex specie ementita, quam affinxit? Hinc fascinatio oculorum, quia Dæmon eis adiicit species, quas ipse peritus technarum artifex callidè composuit. Itaque eruditorum hominum Alberti, & Alensis non aspernor sententiam; tametsi arrideat magis illa S. Thomæ, vt congrua intelligendi modo, cui homines assuescunt.

Angeli nequam fascinant oculos.

Hæc igitur esto conclusio: Angeli homines illuminant excitando phantasiam ad proponenda intellectui phantasmata idonea notitiæ, quam volunt ingerere homini. Vt pateat assertio ista, suppono primò, phantasmata accepta sensuum obsequio conseruari in organo aliquo sensus interni, & hoc nemo inficiatur nisi dormitet, imò dormiendo liquet hæc veritas; nam tunc phantasia multa est in versandis sensibilibus rerum simulachris. Rursus hoc suppono, phantasmata ita consecuta posse ab extrinseco ita moueri, vt & phantasiam vrgeant atque sollicitent ad plura figuranda, quæ reuerà non apparent, nec apparuere aliàs. Hoc item quotidiano experimento liquet. Etenim multa obuersantur animo nostro, quæ nusquam erunt nec fuere; vt quando imaginamur homines aut dracones adeò proceros, vt attingant cælos, aut emetiantur magnas terrarum intercapedines, idque vtplurimùm fit per voluntarium vsum, & applicationem illarum imaginum, quas homo ad arbitrium suum componit ex partibus rerum, quas vidit aut audiuit, vt quando homo Chymæras effingit. Aliàs citra voluntatem hominis, illa simulachra, phantasia excitata, ita concurrunt, vt ex eis nouæ etiam species exurgant, quarum res nusquam præsensimus, vt euenit in somniis. Vnde oportet illud procedere ab extrinseco motore.

S. Thom. 1. p. q. 111 art. 3.

Angelus quomodo illuminet homines.

Ex Philosophia. Arist. lib. de som. c. 3.

Tertiò suppono, species illas posse intendi & perfici à proprio obiecto efficaciori meliùs applicato, vel mutato organi temperamento. Eamobrem Aristoteles ait, ea quæ in somniis accidunt, scilicet visa quandoque admiranda, quibus coniectores futura prænuntiant, & illuminatur intellectus dormientium, fieri per immutationem organi, in quo phantasmata reconduntur; immutatur autem illa sedes specierum, fluxu & refluxu aliquorum corporum tenuium illic existentium; siue illa corpora sint spiritus, siue humores, aut cerebri portio suapte natura mobilis, & fluidæ substantiæ. Quodcunque autem sit corpus illud, quod substernitur interno phantasmati, certum est motione locali talis subiecti, & humorum, & spirituum, excitari phantasiam ad varias apprehensiones & delineationes rerum faciendas.

Angelus mouet phantasiam.

Ex re medica. Fernel. lib. 2. Pathol. c. 18.

Moueri posse phantasiam ab extrinseco etiam Medicina probat, asserens ex qualitate aut affluxu humorum varia occurrere spectra dormientibus, quibus periti huius artis inferunt ægri statum, vt benè arguit Fernelius ita fatus: *Cum per somnum sopitis colligatisque sensibus, externarum rerum occursu animus haudquaquam pulsetur, & occupetur, tum sanè multo maiorem vim quàm per vigilias, humores animum exercent. Lacessitur autem animus per somnum, cùm reconditis reseruatisque spectris eorum, quæ frequentibus actibus eorum per sensus altius irrepserunt, tum aliena corporis constitutione. Nam insomniorum causa sunt, quæ attentiùs videntur, & audiuntur, & quæ curæ sunt, & tacita corporis constitutio. Quæcunque igitur insomnia nequeunt ad præcedentem meditationem referri, ex corporis ea statu originem habent, eiusque sunt indices. Quidquid enim corpus vehementer in somno premit quamdam de se imaginem animo exhibet, & insomnium facit. Famelicis epularum, sitientibus potionum species sese dormientibus offerunt. In somnis graue aliquod pondus gestare, aut arctiùs premi videtur, cui corpus humorum sarcina onustum est. Ex altissimo loco in profundum præcipitari, cui caput humore multo confertur epilepsiam, vertiginem, aut apoplexiam minatur. At volare aut celeriter currere, cui corpus leue ac purum est, aut caput tenui vapore perfusum. Somnium ictus, aut vulneris quadam parte accepti, in ea doloris morbive causam inesse portendit: quemadmodum graue olens odor humorum putredinem, iucundus puritatem. Itaque vt deliriis ita, & insomniis constitutioni nostræ consentaneis animus concutitur.* Hæc ille optimè ad institutum nostrum, de modo quo illuminat Angelus hominem excitatâ phantasiâ.

Somniorum quæ sint causæ.

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 111. art. 3.

Sic arguit Thomas: Ea est habitudo Angeli ad corpora, vt hæc illi obediant ad motum localem: Igitur illa, quæ ex motu locali corporum aliquorum

Angelis obediunt corpora.

rum causari possunt, subsunt virtuti naturali Angelorum: Sed ex Philosophia, & Medicina apparitiones imaginariæ causantur interdum in nobis, ex locali mutatione humorum atque spirituum: Ergo & easdem excitare potest species Angelus, mouendo vt par est spiritus & humores idoneos, vt phantasia se accingat ad secernendas illas species, quas habet penes se reconditas, & quibus eget Angelus vt eas obiiciat intellectui, quem vult tali imagine erudire. Nota, non esse necesse motum illum humorum seu spirituum esse vitalem, quia tunc non posset fieri ab Angelo, sed satis esse vt eo motu, quatenus antecedit operationem phantasiæ, noua fiat applicatio phantasmatis ad internum sensum. Cùm motus ille fit in morbis à causis noxiis, phantasia inordinatè mouetur, ideoque æstuante febre decumbentes vtplurimum variant, & delirant; quia excitata phantasia, sua susque déque simulachra versat, ad quæ animus attendens multa videt consona humori, qui alluit organum quod est veluti penu specierum, quas traiecere sensus. Cùm verò Angelus hos spiritus, & humores mouet, ita eos ad arbitrium suum attemperat, vt phantasia statim appositè agat ad nutum Angeli accingentis se ad illuminationem hominis.

Capreol. dist. 9. q. 2.

Nota obiter, quosdam imposuisse S. Thomæ, arbitrantes eum dixisse, Angelum agere in phantasma illuminando illud, à quo commento vindicat Thomam propugnator eius acerrimus Capreolus; nihil enim tale effinxit Doctor ille Angelicus, tametsi non negarem, Angelum posse & de facto facere phantasma subtilius & efficacius absque eo tamen quod agat in illud nisi per accidens, applicando actiua passiuis, & ita afficiendo organum, vt simulachra rerum, putiorem nacta recessum, sint & ipsa clariora. Itaque hoc constans est, Angelum hominem illuminando, non elicere intellectionem ab homine, nec aliquid efficere, quo formaliter intelligat; sed tantùm obiectiuè ex parte phantasiæ homini proponere, vnde doceatur, & ei quod libuit innotescat.

Angelus non elicit intellectionem ab homine.

EX HISTORIA.

Greg. Cedren. in epitome Hist. in vita Const.

Constantini Imperatoris visio insignis.

Celebris est Constantini Imperatoris illuminatio apud Cedrenum, qui ait dormienti adstitisse duos spectabiles viros, qui consulentes corpori & animæ illius, hortati sunt ad lauacrum baptismatis ineundum, suadentes reuocare Syluestrum Pontificem, in Soracte monte latitantem; fore enim vt lepra sua mundaretur, & indueret hominem nouum. Non laborauit Angelus in concinnando phantasmate, quandoquidem omnis sollicitudo Constantini erat de reduce sanitate, & vt medicorum habitus aliquid venerabile præfert, Angelus cõmoto organo vt par erat, facili negotio eliciuit species idoneas ad suum institutum, quod erat, pellicere hunc Principem ad Baptismum.

Euseb. lib. 5. histor. c. 28. Niceph. lib. 7 cap. 12.

Angelus Natalij eum monet in somnis.

Hæretici fugiendi.

Alius Angelus custos Natalij viri probi, ægrè ferens hunc clientem suum crebra miscere colloquia cum Asclepiodoro & Theodoro Hæreticis, eum in somnis admonuit de secessu à viris illis improbis. Ille segnior factus ad obsequium Angeli, æquior semper fuit illis hominibus quorum virus longiore temporis tractu poterat ebibere, licet eo tempore optimè sentiret de fide. Cunctantem animum Natalij non tulit Angelus ille, qui antea monuerat de dissuenda amicitia cum reprobis hisce viris. A verbis venit ad verbera, quæ adeò validè incussit, vt dormiens dolorem acutum persenserit, quo actus ad pœnitentiam in eodem visu cinere & cilicio veniam meruerit. Si totum hunc contextum expendas ad trutinam præfatæ doctrinæ, videbis Angelum aptasse phantasmata, quibus vigil ille homo probus assueuerat; scilicet cinerem & cilicium. Quippe ea tantùm supellectile erant prædiuites prisci Christiani: vtque altè insederat Natalio Dei timor ille filialis, qui est omnino criminis impatiens; vbi deprehendit periculum, cui se hæreticorum infideli consortio deuouerat, affectus eius zelo percitus ita incanduit vt expetierit pœnas ab ipso reo, inde cruciato, vnde peccauerat.

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 1. p. q. 111. art. 2.

Audisti immutari affectum seu voluntatem ab Angelo. Et hoc equidem verum, sed cautela opus est, vt illa Angeli actio in voluntatem non sit iniuria libertati hominis, cuius sunt Patres sancti sacrique etiam Codices assertores. Aduerte igitur, voluntatem posse immutari dupliciter, scilicet ab intrinseco, & ab extrinseco. Ab intrinseco mutatur ipso volitionis actu, qui ita est in arbitrio volentis, vt nulla planè creatura queat inuitam flectere voluntatem, quia volitio, actio est vitalis, atque adeò debet procedere à principio intrinseco volentis, videlicet ab anima. Vnde eius tantùm est immutare voluntatem, cuius est creare naturam voluntatis; quippe vt sese res habet ad esse, ita & ad operari: sed Deus solus creare potest voluntatem: ergo & ille tantùm potest eam immutare ab intrinseco. Hoc nunquam fecit Deus, quia non destruit essentias rerum: Est autem de ratione voluntatis, vt seipsam moueat acta à principio interno, cui essentialiter affixa est. Cùm igitur Deus haudquaquam transiliat ordinem singulis quibusque rebus præstitutum, alio modo voluntas mouetur ab extrinseco bifariam.

Angeli in voluntatem actio qualis sit.

Appetitus rationalis & sensitiuus proximi.

Primò à bono apprehenso per intellectum. Vnde prout aliquis ingerit intellectui notitiam alicuius boni, ita secundùm hoc mouere potest voluntatem, & hoc per modum suadentis, & hortantis. Rursus ea est connexio in homine appetitus sensitiui, & appetitus rationalis, id est, voluntatis, vt ferè eodem tenore vterque appetitus feratur in bonum apprehensum. Eamobrem passiones insidentes appetitui sensitiuo, adeò validè quatiunt voluntatem, vt etiam in viris emeritæ virtutis quandoque nutet, vt moralis Theologia aduertit, distinguendo in voluntate motus primò primos, & primò secundos. Verbi gratiâ, quispiam alteri alapam infliget imparato ad excipiendam illam iniuriam æquo animo: appetitus sensitiuus statim ad hoc malum apprehensum ira exardescet, vlturus eam molestiam, & ratione inconsulta homo læsus insurget in suum percussorem, repetitis ictibus iniuriam retorquendo.

Quæro vnde tanta iactatio membrorum in homine hactenus sui iuris, & benè composito? Quare homo equidem probus & quasi ad arbitrium Dei tantùm effictus, animum inflexit ad malum aliquod irrogandum? Peto an inuitus hominem sibi iniquum ictu inflicto repercussit? Minimè sanè, sed vltro & liberè conscia volũtate, vir alioquin pius totum se effudit ad ærumnam illam propulsandam. Illud autem quod voluntatem aliàs tenaciter adhærentem bono dissoluit, est ira quatiens appetitum, qui ratione affinitatis, quam cum voluntate contraxit, eam veluti raptatam effudit ad vindictam. Totus verò ille motus arietans in voluntatem est ab extrinseco; siquidem ea semper est sui iuris sibique constare potest semper ex natura sua: quòd si aliò deuiat eam vrgente aliqua

passione;

passione; hoc est per accidens, ea semper hoc volente, ad quod se componit.

Ex prælibatis Angelus potest ab extrinseco mouere voluntatem, suadendo, & hortando, quo & modo consultores animos hominum mutant in melius. Item excitare possunt passiones, motione locali humorum qui alluunt organa appetitus sensitiui, vnde exurgunt æstus, qui voluntatem ab extrinseco afficiunt. Sed omnis ille ritus excitandi aut alliciendi voluntatem, nihil officit libertati, qua ab incunabulis gaudet illa potentia, penes quam est integrum imperium in cæteras animæ facultates.

Planetæ influunt in homines.
Ex Mathematica.
Schonerus lib. de virtute Planetarum.

Intellectum illuminari ab Angelis, & moueri voluntatem indirectè ab eis, immutato organo appetitus sensitiui, liquere etiam potest ex Mathematica illa occupata circa cælos, quæ affirmat homines edi iracundos, quibus affulserit Mars oriens primo momento ortus sui, sicut & technarum artifices, & atra bile offusos homines illos in quos Saturnus influxerit. De his verò, quibus vim suam Venus affinxerit, malè ominantur, in his quæ ad honestatem pertinent. Quasi enim illud sidus prætenderet faces ad libidinem, Astrologi hominem Venere dominante natum pronuntiant fore impudicum. Ptolomæus tamen astra indirectè tantùm influere in voluntatem ait, ideoque esse penes hominem corrigere iniquiorem siderum influxum. In argumentum fidei suæ hanc libris suis de Astrologia præfixit sententiam. *Sapiens dominabitur astris.* Cùm ergo Angeli dicantur in Scriptura. *Astra matutina.* Ille etiam influxus eis conuenire potest in intellectum, & voluntatem, qui & cælis conceditur ex Philosophia.

Iob. 38.

Aristoteles exosus processum illum, quo causæ in infinitum excurrunt, ait omnia ab vno procedere principio mobili actiuo, quod nobilitate aliis præstet. Cùm autem in rerum natura nihil emineat cælis, tum amplitudine, tum virtute agendi, & astra sint principes partes cæli; proculdubio regimini siderum omnia subiacebunt. Et hinc summi illius Philosophi effatum. *Sol & homo generant hominem.* Posito igitur eo illapsu siderum in corpora nostra, quæ variant ad discordes siderum gyros, potest mutari intellectus lumine ei adiecto, ex meliore dispositione organi, cui phantasia insidet. Quippe multi ingruente morbo hebetes effecti sunt, madente nimis organo phantasiæ ex nimio humorum affluxu, quos plenilunium inuexerat. Dehiscente verò Luna, decrescens humor organum attemperans reddidit hominem primo contextui suo, quo in deliquio Lunæ subtiliora phantasmata illuxere intellectui, qui inde accepit amplius luminis incrementum. Ita & moueri potest voluntas ad motum appetitus sensitiui, qui est potentia corporea, qua bestiis communi vtuntur homines. Namque præpotente aliquo sidere percellente illam potentiam, potest & voluntas ex vicinia & habitudine ad appetitum sensitiuum rapi ab extrinseco, vt in iratis quotidiano experimento liquet. Nihil tamen voluntati deperit, quia semper illa sui iuris est, cùm volitio à nemine elici queat nisi ab ea potentia, cuius est actus intrinsecus.

Ex Philosophia.
Arist. lib. 2. de Generat. textu 56. lib. 2. Physic. textu 26.

Procurare quot modis dicitur.

Ex Ivre Canonic.
Glos. Procurans. in cap. Generali de electione in Sexto.

Iam vt ad moralia refluat oratio, operæ pretium est commendare Angelo vtramque potentiam, vt optimi procuratoris obeat partes, quas sic Glossa enumerat. *Procurare quis dicitur quadrupliciter, scilicet consilio, ope, persuasione, operatione.* Procuratoris autem officium ad Angelos pertinere audi ex eodem Iure. *Procuratoris nomine intelligit Ius Canonicum, omnes administratores.* Sed Angeli, ex Paulo Apostolo, *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi.* Ergo eorum est circa nos eas obire vices, quas gereret procurator, suam præstans operam consilio, & persuasione. Sed consulere pertinet ad illuminationem intellectus, persuadere verò respicit voluntatem. Ergo vtraque potentia insignia commoda potest Angelorum obsequio reportare. Quòd si hebes est hominum intellectus, & caligat in indagine boni, & si voluntas propensior est ad iniqua; illud omne refundendum est in incuriam nostram, quæ omnem Angeli curam irritam facit, tametsi omnes numeros impleant tutorum fidelium, quorum est satagere, vt singula quæque bona pupillorum augeantur, iuxta hanc constitutionem Imperatorum Arcadij, & Honorij. *Tutores, vel curatores, mox quàm fuerint ordinati sub præsentia publicarum personarum, inuentarium rerum omnium, & instrumentorum solenniter facere curabunt. Aurum, argentumque, & quidquid vetustate temporis non mutatur, si in pupilli substantia reperiatur, in tutissima custodia collocent: ita tamen vt ex mobilibus aut prædia idonea comparentur, aut fortè si vt adsolet, non potuerint idonea inueniri, iuxta antiqui iuris formam, vsurarum crescat accessio; quarum exactio ad periculum tutorum pertinet.* Ea lege tutorum agitur res, si quid eorum incuriâ pupillo depereat, ideo titulus ille inscribitur. *De periculo tutorum, & curatorum.*

Glos. Actores in Cap. Peritio de procurat.

Ex Ivre Civili.
Lege Tutores Cod. de periculo tutorum.
Tutores ad quid obligantur.

Hinc arguo petito argumento à Iure Ciuili: Maior est sollicitudo Angeli de hominum custodia, quàm tutoris de tutela pupilli sui; nam perfectiori modo Angelus obedit Deo quàm homo motem gerat legi: Sed tutor ex statuto Principis debet studere incremento rerum omnium quæ pupilli sunt: Ergo & Angelus inuigilabit bono seu perfectioni intellectus, atque voluntatis, cùm sint principes animæ facultates, quibus consulit prouidus ille custos, illuminando intellectum, & voluntatem excitando ad meliora quæuis insectanda; alioquin in præcipuis deficeret Angelus, quod vel cogitare nefas est. Ideoque placet obiicere homini symbolum illud à Ludouico Ferro vsurpatum. Pinxit ille duas alas complicatas, hoc titulo adiuncto. Expansæ svblimem. id est, quamdiu auis alas suas plicat sistit, sed si eas explicat ad volatum, tunc in sublime fertur. Ita & si intellectus & voluntas, duæ hominis alæ, quæ eum discernunt à pecude; si inquam duæ illæ facultates expansæ fuerint ad arbitrium Angeli, illæ explicatæ summos efficient, irradiante beato hoc spiritu ad illuminationem, & ciente voluntatem ad affectum.

Angeli quibusnam sint vtiles.

Ex Symbolis.
Ioan. Ferrus par. 2. Theatri symbol.

Ne ergo querulus incusa, ô homo, segnem Angeli tui custodiam, si decumbis: penes te est tota mali tui labes; nimirum intellectum & voluntatem tuam, tui Angeli subtrahis prouido regimini: offusam tibi ab illecebra caliginem amas, quæ respuit Angelicum lumen: sensualibus item præpeditus affectibus, qui voluntatē ita deliniunt, vt suasori Angelo nequeat obedire. Has ergo duas animæ tuæ alas vitio contractas pange ad Angeli nutum. Expansæ svblimem: eo moderante tandem eueheris ad superna. His namque alis anima effertur sursum, videlicet intellectu bono cogitatui assueto, & voluntate summo bono tenaciter adhærente. Eo pacto Lazarus portatus est

est ab Angelis in sinum Abrahæ, quia habebat vnde teneretur ab Angelis, qui dum potentias animæ implexas inueniunt, aliò transuolant suam operam impensuri. Igitur in sublime volens ferri, alas has expande illis animarum baiulis, scilicet Angelis, qui accurrent, si has facultates animæ tuæ viderint explicatas. Memento Lazarum non ab vno tantùm sed à pluribus Angelis in cælos euectum.

Ex SS. Patribus. Chrysost. homil. de diuite in c. 16. Luc. Angeli quare Lazarum portauerunt in sinum Abrahæ.

Audi Chrysostomum in hac meditatione defixum. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Tanta pœna pauperis sic repentè deliciis commutantur, vt portaretur ab Angelis, & induceretur in paradisum, ne saltem ambulans pauper Lazarus laboraret. Portatur post tantos labores, quia prius defecerat: & portatur ab Angelis. Non enim suffecerat ad portandum pauperi vnus Angelus, & propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant.* Hæc ille, cui & concinit alter Sanctus; is est Bernardus, affirmans pœnitentes tandem efferri in cælos ab Angelis, quia suas alas eis quondam explicarunt. Sic ille: *Non ambigo, quin Angeli gratanter in palatio colligant, quem tam gratanter in sterquilinio visitant. Denique lætati sunt in conuersione peccatorum, & in assumptione præmiorum non agnoscent.*

Bernard. epist 78 ad Sugerum Abbat.

Ad complementum istius sectionis de illuminatione Angelorum operæpretium est insinuare ea quæ hominem aptant ad illa charismata; non enim incuriis æquè inuigilat Angelus atque sagacibus, qui beatas illas mentes deuinciunt, eo modo quo sectio sequens aperiet.

Quibus obsequiis homo se aptare debet ad Angelorum custodiam.

Sectio Sexta.

Ex Historia. Ex vita Caligulæ. Caligulæ crudelitas influxit in filiam eius.

Dubiam fecit aliquando fidem coniugis suæ Caligula Imperator, qui ideo Drusillam filiam suam vt par erat non curabat, suspicatus eam aliunde satam. Trux ille homo, & sanguisuga natus in excidium orbis & hominum perniciem, aduertens filiam illam suam iocantem cum aliis concordis æui, compares puellas vngue exerto cruentasse, ita vt facie lacera deturpasset. Homo ferus & sanguini assuetus, accurrens ad Drusillam, & ruens in amplexus ait: O Drusilla ancipiti meo animo occurristi! te adulterino toro progenitam nimium suspicioni credulus arbitrabar: nunc depono omnia nutantis animi argumenta: meam in te indolem probo & agnosco, in cruento illo à te facinore perpetrato. Quippe mirificè ego capior sanguine, & hanc cruoris effundendi cupidinem vnguibus tuis inserui, nec aliam volo tesseram legitimi ortus tui. Ingeniosa sanè arguendi ratio, in re cuius controuersia ingens facessit negotium. Etenim nihil magis parentem prodit quàm lineæ in filio referente patrem.

Commentaria Rabinica in lib. 1. Reg.

Ad hoc facit historia quædam deducta è fontibus interpretum Hebræorum. Aiunt illi, Dauidem suscepisse filium ex Abigaïl vxore quondam Nabal, & tunc sibi legitimis hymenæis adiuncta. Filius ille pubescens facie erat adeò discordi à patre suo Dauid, vt ille ægrè ferens illam dissonantiam, Deum enixè orauerit, vt si puer ille reuera pertineret ad se, immutaret lineamenta illa disparia faciei suæ, quæ dubium ortum illius faciebant. Deprecatus est Dauid, & litauit: subitò namque dissona pueri facies, induit similitudinem patris, qui vt se vidit in puero lineatum, amplexatus illum ait: Fili, illa te species satis superque meum clamat: Supersedeo dubiis; nec editionis tuæ ingenuæ rationes alias inuestigo.

Angeli quomodo concilientur.

Duæ illæ prælibatæ historiæ probant conclusionem, quæ diluet tituli quæstionem sollicitam, quibus obsequiis homo Angelum deuincire queat ad hoc vt curam ipsius gerat, eamque fidelem. Hæc igitur esto sententia illi quæsito consona: Nihil æquè Angelorum beneuolentiam captat, ac similitudo ipsa indolis Angelicæ, id est; Si quis desiderio Angelorum capitur, ille seriò satagat viuere Angelicè, vt beatæ illæ mentes aduertentes in homine lineamenta Angelica, illis adsint propitiæ. Non hic loquor similitudinem illam, quam expendi initio tractatus, vbi de humilitate pleraque insinuaui idonea themati quod versabam. Sed intendo ingerere puritatem, quæ adeò Angelis insita est, vt si quis purum æuum transegerit, ille ideo dicatur viuere Angelicè. Et quia puritas præcipuè abhorret ab omni spurcitie, vtpote exosa illuuiem carnis, hanc maximè Angeli amant, vt probare enitar ista sectione, cui incumbit explicare quid Angelos alliciat ad nostram custodiam. Sic Philosophia auspicatur.

Ex Philosophia. Arist. lib. 2. Rhet.

Qui cupidus est custodiæ Angelorum, ille amari desiderat ab Angelis; nam ex Philosopho, *Amare est velle bonum.* Custodiri ab Angelo est bonum volitum ab eo, ideóque est amari. Sed vt ignoti nulla est cupido, Angelus ea tantùm amat quæ amorem conciliare possunt; nihil autem æquè amorem pellicit ac similitudo: quia cùm amor vnionem sonet, & disparia nequeant vniri; vnitas prorsus necessaria est, vt vnum aliquod exurgat, scilicet amor qui dicitur, vnum. Etenim illud vnum est adeò diuisionis impatiens; vt nihil queat esse in amore dissitum, vt Scholiastes Aristotelis Thomas eloquitur, cuius ecce sententiam. *Amicitia est quædam vnio vel societas amicorum, quæ non potest esse inter multos distantes, sed oportet vt ad æqualitatem accedat.*

Thomas Ethic. 8. l. 7.

Amicitia quid sit.

Nota ex Philosophia, sufficere similitudinem ad amorem, & non requiri identitatem. Identitas enim attenditur penes vnitatem in natura seu substantia, & hæc tantùm est in indiuiduis eiusdem speciei. Ast similitudo petitur ab vnitate in qualitate, vt duo corpora alba dicuntur similia, etsi sint naturæ disparis. Verbi gratiâ, duę statuæ albæ similes sunt, licet vna sit lignea, alia verò lapidea. Ita Angelus, & homo quamuis sint discoloris omnino naturæ, si tamen concordent in aliqua qualitate maximè congrua vni eorum, exurget vnitas illa vnde emergit amor. Sed qualitas, quæ præcipuè

quo delectatur Angelus, est puritas seu amor castitatis; vt diaboli secus impuritate gaudent, & Venereis gestiunt. Ergo caueat à turpibus qui Angelorum consortium desiderat: quippe apiculæ non adeò auersantur cadauera, vt Angeli odere libidinis sordida mancipia.

Rursus amicitia Angelorum ea est quæ bonorum: at ex Aristotele bonorum amicitia est tantùm in virtute, rationem ille non ingerit, meam accipe. Res vna in tantum est bona in quantum conueniens est; nam bonitatis ratio est in conuenientia, secundùm quam tale bonum appetitum mouet: Sed nihil bonis conuenit æquè ac virtus, cuius proprium est perficere eum quem informat: Ergo eorum, quos probitas ornat, amor erit in virtute, vt & amor, quo Angeli depereunt homines, petitur à virtute illa, quæ excellit in Angelis, & cuius suffragio etiam homines Angelis sunt stupori. Ea est castitas quæ æmulatur Angelorum statum; quia vt sunt formæ discretæ ab omni materia; ita & homines casti dedignantes omne impurum commercium carnis, moraliter animas suas à carne abstrahunt, & triumphando faciunt quod Angeli sine laude præstant. Hinc sicuti flores apiculas attrahunt; ita & homines puritate insignes pelliciunt Angelos, vt eis iugiter adhærescant quasi æqualibus.

Angelorum quænam amicitia sit. *Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 3.*

Hæc æqualitas astrui potest ex Mathematica, & sic ea disciplina potest probare intentum nostrum, de necessaria castitate ad amicitiam Angelorum comparandam. Euclidis hoc est effatum, quod non patitur instantias. *Si ab æqualibus æqualia auferantur, quæ relinquuntur erunt æqualia.* Hinc arguo: Angelus, & animus noster in eo conueniunt, quòd vterque est spiritus: vt autem sint spiritus hi æquales, ab eis æqualia sunt demenda; scilicet carnalia, quæ sicut natura abstraxit ab Angelo, ita & castitas potest ab anima detrahere, & quæ relinquentur efficere æqualia Angelis, atque adeò amicitiæ inconcussæ perpetuæque æterna ponere fundamina. Quippe, amor æqualitatem partium nactus, & virtutem, futurus est interminus, ipso etiam Aristotele assertore sic locuto: *Amicitia quæ inest probis est constantissima, stabilissima, & honestissima, quia quod propter virtutem hoc per se bonum.* Christus eo argumento petito à Mathematica vsus est, quando probare voluit, Angelos, & homines, eiusdem fore aliquando classis, scilicet in die iudicij, quia ab eis dementur æqualia, videlicet carnalia coniugia. Sic ille: *cùm à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cælis.* Qui ergo anhelat ad earum mentium beatarum amicitiam, æmuletur ille æqualis esse eis; id autem nanciscetur demendo æqualia, scilicet carnalia, obsequio castitatis.

EX MATHEMATICA. *Euclides lib. 1. de elem. geometri.*

Amicitia proborum constans est. *Aristot. lib. 2. magn. moral. cap. 12.*

Marc. 12.

Theologia conscia indolis Angelorum, conclusioni meæ appositè suffragatur, eam sic confirmans: Amicitia Angelorum tota est in ordine ad Deum vt in finem supernaturalem: Ergo qui eo amore Angelico affici volunt, concordes esse Angelis debent, accingendo se ad assequendum finem illum, à quo non deuiat homo nisi allectus illecebris, quarum potiores sunt carnales; & his continentia occurrens, illibatum hominem seruat, atque adeò idoneum optimo fini consequendo, cuius indagini plurimum lucis adfert illa virtus, quæ ex Sancto Thoma refrænationem quandam importat; quippe ea modum ponit passionibus illis, quæ maximè hominem concutiunt, vt sunt illæ, quibus quasi in præceps agitur animus, naturæ prurientis ductu: quò autem vegetior est naturæ impetus excitans passionem, eò etiam generosior virtus, quæ compescit ausus arietantis naturæ, in rectum rationis vsum. Sed continentia frangit eos insultus, & animum sartum tectumque Deo seruat. Igitur ea virtus maximè consona est amori Angelorum, qui eos tantùm fertur qui aspirant ad eumdem finem, quem Angeli sortiti sunt. Quam autem valida sit virtus illa, collige ex potentia passionum quas coërcet. Nulla sanè ferocior est passio eâ, quæ naturam sollicitat ad conseruationem sui, vel secundum indiuiduum, vel secundùm speciem. Ad statum indiuidui conseruandum instituti sunt cibi, quorum appetitus aut nimius, aut intempestiuus gulam facit. Hæc instar gurgitis pelagi inexhausti, hominem totum & prædia absorbet. Continentia concludit illam voraginem, vtpote assueta ieiuniis, quia castitatem præstat inedia cataphractam.

EX THEOLOGIA. *Thom. 2. 2. q. 155. a. 2.*

Angelis maximè placet castitas.

Fortior est æstus, qui hominem raptat ad conseruationem speciei: quippe vt species indiuiduo potior; ita & natura de specie magis sollicita, grauiores addidit stimulos ad Venerem, qua propagatur humana species, quam ad cibos, qui indiuiduo consulunt. Etenim multos libido fregit, quos gula antea non inflexit. Castitas vt retundit omnes aculeos vrgentes ad impudica consortia, hominem aptat ad amicitiam Angelorum, qui castis hominibus adsunt vt gryphi, quos Clemens Alexandrinus ait custodire thesauros. Sunt hæc animalia alata instar Aquilæ, adeo cupida auri, vt si quod nacta sint, illi sedulo inuigilent & incubent. De his Plinius ista prodit. *Iuxta eos qui sunt ad Septentrionem versi produntur Arimaspi, quos diximus vno oculo in fronte media insignes, quibus assiduè bellum est circa metalla cum gryphis, ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate & feris custodientibus, Arimaspis rapientibus.* Hæc ille, cui consonat historia sacra, referens Angelos assidere castis vt thesauro abscondito; sic enim castitatem Scriptura insinuat isto versu. *Non est digna ponderatio continentis animæ.* Et Ecclesia eodem spiritu acta quo & Codices sacri, in festo castarum mulierum prælegit Euangelium thesaurum commemorans. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito.* Quasi insinuat Ecclesia castitatem esse thesaurum, quo etiam nomine nuncupatur à Paulo Apostolo. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.*

EX HISTORIA. *Clem. Alexand. lib. 2. pedag. c. 12.*

Plin. lib. 7. hist. c. 2. Gryphes aurum custodiunt.

Eccl. 26.

Matth. 13.

2. Cor. 4.

Penes Angelos esse hos thesauros, ne quis deprædetur eos, Cæcilia sancta clamat, sic compellans Valerianum coniugem suum: *Valeriane, ego in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur.* Et Basilius ait, furente persecutione acerba, quã excitauit Christianorũ osor acerrimus Diocletianus, virgines lenonibus

Ex vita S. Cæciliæ. Angelus virgines custodit.

lenonibus expositas perstitisse integras, non sine prodigio Angelis adscribendo. Sic ille: *Cùm ferueret persecutionis immanitas, electa virgines propter sponsi fidem, ad illudendum impiis hominibus tradita, corporibus inuiolata perdurarunt, eo scilicet, cuius gratia id perferebant, impiorum conatus ab earum carne irritos arguente, & integra earum corpora, non sine prodigio, & virtute custodiente.* Hæc Basilius, qui etsi non meminerit Angelos; satis tamen probat eorum ministerio non fuisse illusum castitati earum, quando ait permansisse *eorum integra corpora, non sine prodigio, & virtute custodiente.*

Basil lib. de vera virgin.

Virgines Christi Martyres nunquã constupratæ.

Præterire nequeo historiam, quæ etiam sola meam conclusionem firmat, de Angelorum iugi opera præstita castis hominibus. Totam rei referendæ seriem Baronius eruit ex veterum monumentis, ex quibus ad verbum fideliter hæc transcripsi, de Theophilæ virginis agone exantlato contra homines impudicos. [Cùm illa esset vultu adeò formosa, traheretur autem à lictoribus, & iam ad probri & contumeliæ officinam violenter introduceretur, manus simul, & oculos in cœlum attollens, & miserabiliter aspiciens: Mi Iesu, dixit, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vitæ, vide eam quæ tibi est desponsa. Vide, ô sponse, in quem nulla cadit reprehensio, & festina: quoniam non est quidem tempus precandi, ne pactum conuentum fallam, ne prodas me bestiis, ne lupi tuam pecudem lanient. Serua sponse sponsam, meam conserua castitatem, fons castitatis, vt tuum quoque nomen nunc maximè glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis. Hæc illa quidem orauit cum lacrymis: effectum autem Deus reddidit. Introducitur virgo ad prostibulum. Illa verò etiam in tali loco & tempore non est oblita eorum quæ oportuit; sed protinus eiiciens id quod habebat in sinu (id autem erat sacrosanctum Euangelium) aperuit, & dat operam lectioni. Vnus verò ex intemperantibus œstro insano percitus, ad eam ingreditur; qui aliquantisper quidem eam audiuit legentem. Cùm autem iam prope esset, à maximo metu inuaditur, & tremore valdè agitatur, humi procumbit mortuus, & sic iacebat ad pedes Theophilæ non spirans. Multæ horæ præterierant: & cùm aliis visum esset, quoniam non exibat, eum non posse satiari virgine: vbi alius quoque ingreditur, ipse quoque iam propè stans, lucis quidem, quæ verbis exprimi non potest, fulgore illustratur: deinde eum à luce tenebræ excipiunt, & obtutu orbatus, quærebat obiens, non ampliùs virginem, sed quemadmodum citra offensionem exiret extra fores. Cùm autem multi quidem talia passi essent, & nonnulli etiam magis horribilia, nulli fuit amplius cordi ingredi. Sed etsi quis ingrediebatur, non ingrediebatur captus amore, sed solùm volens scire ea quæ facta fuerant. Postquam autem ingressi sunt complures, vident ea quæ ad videndum erant terribilia, & ad dicendum aliis maximè admirabilia: puellam quidem honestè sedentem, & libro incũbentem: adolescentem autem quemdam prope eam stantem, luce quidem ineffabili, pulchritudine verò incredibili, veluti quædam tela fulguris emittentem ex oculis. Hæc postquam

Baronius in actis S. Theophil. sub an. 3 1. Tom. 2. annal.

Theophila virgo ab Angelis liberata.

Luxuria oculos excæcat.

viderunt, & metu obriguerunt, & vix tandem: Quis est sicut Christianorum Deus? exclamauerunt: & simul non ferentes spectaculum, recte secum agi putabant, si fugerent: & celeritate maxima domo exibant, omnes quidem obliti libidinis, nonnulli autem etiam ipsa impietate abiurata.] Hæc Baronius, cui nihil ex meo volui stylo adiicere.

Ex prælibatis itaque ratum est, castitatem esse validum argumentum ad custodiam Angelorum demerendam. Fauet & ille textus Iuris Canonici. *Vbicumque Dei virgo est, templum Dei est.* Cùm autem Deus stipetur Angelis, ipsi etiam illic erunt, vbi Deus adest vt in templo suo, eorúmque tutela facit fidem isti Canoni. *Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corporis aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiæ suæ.* Adiicio ego huic Canoni, Angelos nunquam permittere inhonestæ aliorum cupidini carnem, à qua animus perfectè omnino abstractus est voto præuio castitatis, vt supra probatum est ex Basilio recensente omnes virgines Deo sacratas fuisse seruatas, non sine prodigio & Dei virtute.

Virgo templũ est Dei.

EX IVRE CANONIC.

Can. Tolerabiles 32. q. 5

Can. Proposito 32. q. 5.

Nec equidem reor minorem esse in Angelis curam, quàm fuerit in Imperatoribus, quorum extant multæ leges in gratiam virtutis huius, quæ etiam præaltos Principum animos deuincire potest, imò & Deum ipsum Angelorum, vt & ait ipse legifer Imperator Iustinianus, ea lege quam tulit contra mercantes castitatem puellarum, in quos seuerè animaduertit, arbitratus non Angelos tantùm sed & Deum non abesse à loco vbi viget castitas. Ecce textum legis. *Sancimus igitur, omnes quidem secundum quod possunt castitatem agere: quæ etiam sola Deo cum fiducia potis est hominum animas præsentare.* Et infra eodem titulo & paragrapho. *Mulieres itaque castè quidem viuere volumus, & oramus, non autem inuitas ad luxuriosam vitam deduci: nec impiè agere cogi. Omnino enim lenocinium, & prohibemus, & factum punimus, præcipuè quidem in hac felicissima ciuitate, & in eius circuitu: nihilominus autem, & in locis foris positis omnibus, & quæ ab initio nostra sunt Reipublicæ: & quæ nunc à Domino Deo donata sunt nobis, & maximè in illis: eo quod Dei dona quæ circa nostram fecit rempublicam, volumus conseruari pura ab omni tali necessitate, & Domini Dei circa nos munera esse permanere digna. Credimus enim in Domino Deo etiam ex hoc nostro circa castitatem studio, magnum fieri nostræ Reipublicæ incrementum: Deo nobis omnia prospera per talia opera conferente.* Hæc Iustinianus Imperator. Vnde si Principi Christiano adeò cordi fuit castitas, vt ei consuluerit speciali lege; quis inficiari audeat eamdem virtutem posse Angelorum inclinare affectum, vt curam gerant eorum hominum quos castitas illustrabit?

Luxuria prohibit a Iustiniano.

EX IVRE CIVILI.

Authent. Sancimus. De lenonib. col. 3.

Hunc egregiè dissoluit nodum Ambrosius, affirmans Angelos singulariter anxiari vt inuigilent castis. Hæc ait: *Vobis virgines sanctæ spiritale præsidium est, quæ pudore intemerato sacrum Domini seruatis cubile. Neque mirum si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam meretur. Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas enim*

EX SS. PATRIBVS.

Ambros. l. 1. de virg. parte 4.

Virgines sunt in singulari præsidio Dei.

enim Angelos facit. Qui eam seruauit Angelus est: qui perdidit, diabolus est. Hinc religio etiam nomen accepit. Virgo est quæ Deo nubit, meretrix quæ Deos facit. Nam de resurrectione quid dicam, cuius præmia iam tenetis? In resurrectione autem neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli in cælo. Quod nobis promittitur, vobis præsto est, votorumque nostrorum vsus apud vos est. De hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo. Sæculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quàm præclarum autem Angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cælo, virgines propter castimoniam in cælum transiisse de sæculo. Beatæ virgines, quas non illecebra sollicitat corporum, non colluuio præcipitat voluptatum.

Hæc sunt encomia castitatis, quæ Angelos prouocat ad amorem nostrum, quia beneficio puritatis homines personam induunt Angelorum, & Dei sequaces sunt indiuidui. Audiendus in eo themathe Seraphicus Doctor. *Castitas conscientiam lætificat: quia gratum Deo præstat obsequium, qui carnis dulcedinem respuit, quam mundus pro magno concupiscit. Lætificat autem, quia Deo placet, & Deo proximare facit, & Dei offensam cauet in delectatione carnali, & præmium cæleste meretur, & Deum auctorem munditiæ per castitatem imitando sequitur: cùm sit gloria magna sequi Dominum, qui nos præcessit in munditia castitatis; virgo Virginis filius virginum sponsus. Item tam hominibus, quam Angelis amabilem facit, & spectabilem. Hominibus, quia tam boni quàm mali venerantur eam; Angelis, quia cùm naturaliter animal diligat simile sibi, etiam Angeli casti homines castos familiarius diligunt.* Si diligunt, sanè id non amore inani: vt enim amor inertiam odit, ideóque se congruis operibus explicat; ita & Angelorum propensior animus in castos homines se prodet, peculiari cura quam gerent, huiusmodi castis iugiter insudantes.

Bonauent. l. 2. de prof. Religios. c.

Virginitas omnium affectum conciliat.

Ex Symbolis.

Præcipuum effectum custodiæ Angelorum bellè insinuat pictura vsurpata ab Academicis Parthenicis Neapoli notis. Hi stipitem agni casti pro symbolo sibi affingebant, hoc titulo comite. Nocentia fugat. Picturæ huius sensus est petendus à scrutatoribus rerum naturalium abditarum. Aiunt illum esse graminis genus adeò inimicum serpentibus, vt consistere nequeant herba illa & serpentes. Eamobrem mature adiectæ sunt illæ voces figuræ illi referenti agnum castum. Non ambigo esse vim noxiam serpenti, quæ emergit ab eo frutice symbolo castitatis. Sed vt res ipsa multimodè præit figuræ suæ, ita & castitas eminenter gaudet ea virtute, quam afflat ille agnus castus: quippe in fugam agit Dæmones, serpentes vtique virulentos; & id præsidio Angelorum. Hoc igitur est symbolum castitatis, scilicet agnus castus hoc lemmate insignis. Nocentia fugat. Nimirum Angeli stipantes homines castos, eos veluti inuios faciunt prauis quibusque incursibus. Suam ergo i[..]cuset impuritatem ille, in quem virulentus influit serpens, & lethale virus suum spargit, quia si castitas illi inesset, adessent & Angeli, noxia quæque dæmonia compescentes, vtpote amantes & sequaces castitatis, quæ Nocentia fugat, & peculiari hac virtuto sua proinde animos inclinare debet ad obsequium suum, vt eius ope homines Angelis assuescant. Etenim de ea virtute hæc mea est sententia. Anima casta placet Angelis, et cauta placat.

Ioan. Ferrus part. 2. Theatri.

Castitatis egregium Symbolum.

Quid præcipuè distrahat Angelos à custodia hominum impiorum, & quomodo sauiant in scandala perpetrantes.

In hæc verba:

Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, &c.

Sectio Septima.

Innoxium alitum genus est columba, aliis auibus assuescens si rapaces & maleficæ non fuerint. Eo fere ingenio sunt Angeli, omne rationale aligerum genus amant, dummodo fuerit beneficum. Homines dico alis instructos; eos qui quasi expediti à carne, castè & Angelicè viuunt, his reuera conuiuunt Angeli alites cæ[l]i, vtpote demirantes castitatem affinxisse alas hominibus, q[u]arũ nisu ad sidera volucres enituntur. Non conuertuntur tamen noxiis alitibus, vt diabolis, neque iis quos libidinis ardor implumes fecit, in quadrupedes eos transformando. Et hoc est pensum istius sectionis, quæ inuestigat causas diuortij hominum cum Angelis. Facio satis huic quæsito ista conclusione: Angeli exosi omne iniquum facinus, reprobos quosque horrent, sed præcipuè Venerem auersantur. Prior pars astruitur de Angelorum auersione à reprobis. Ea est beatitudinis æternæ ratio, vt beati induant aliquali modo voluntatem Dei, ita componendo arbitrium suum ad nutum Dei, vt nihil omnino velint dissonum à voluntate Dei. Etenim Deo clarè viso & apprehenso, sic in eum omnis affectus effunditur, vt totus amore ebulliat: amare autem est, idem velle, & idem nolle. Ergo beati Angeli suam componentes voluntatem ad nutum Dei, ea etiam odio habebunt quę Deus est exosus. At Deus iniquos odit; iuxta illud Psaltis. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Ergo & Angeli eodem etiam modo se habebunt in reprobos.

Angeli quos præcipue oderunt.

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 62. art. 8.

Psal. 5.

Rursus ex Philosophia, eodem omnino modo se habet affectus ad media & ad finem; illis enim affingit suam bonitatem aut malitiam. Igitur reprobi deuiantes à fine Angelorum, qui est Deus, cui ex diametro opponuntur, odio habebuntur ab Angelis. Item sicut amor attenditur penes inclinationem voluntatis illectæ à conuenientia obiecti; sic odium colligitur ex auersione voluntatis, cui intellectus manifestam fecit rem ab ea dissonam in obiecto: Sed vitia, quæ reprobum infestant, sunt maximè dissona ab Angelis, ideoque beatę illæ mentes oderunt omne impiorum hominum genus. In his quàm maximè auersantur spurcissimos Veneris asseclas, imò diras ab eis quandoque pœnas expetunt, eò quòd turpiter in ea libidinis i[l]luuie volutentur.

Ex Philosophia. Arist. l. 2. Physic. t. 89.

Thom. 1. 2. q. 1. art. 3.

Consulenda est in ea re Theologia. Sacra illa disciplina duo attendit in peccato, grauitatem scilicet, & turpitudinem. Grauitas peccati

Ex Theologia. Thom. 1. 2. q. 73. a. 8. ad 2.

catis attenditur ex contemptu Dei. Vnde grauiora sunt peccata, in quibus contemnitur Deus in seipso, vt idololatria, blasphemia: turpiora verò sunt, quæ hominem à recto rationis vsu abstrahunt, & demergunt in turpitudinis omnimodæ cœnum: nulla autem est turpitudo fœdior ea, qua luxuria hominem coinquinat, quia non rationis vsum expungit tantùm, sed & hominem totum pecus facit, anima libidine effusa & veluti colliquata. Eamobrem Thomas non cunctatur asserere, omnibus aliis noxis peccata carnalia esse turpiora. Hinc arguo: Quò plures in aliquo subiecto reperiuntur rationes odij, eò etiam magis intendent odium eius, qui à tali subiecto abhorrebit. Sed in homine turpitudini addicto plura coëunt argumenta, quæ stimulare queunt odium Angelorum. Eamobrem sordida illa mancipia Veneris lōgè erunt ab Angelis, inter quos & homines duplex potest assignari odij causa sicut & amoris; secundùm id in quo conueniunt aut discordant. Quippe ambo conuenire possunt, aut dissentire in esse supernaturali & naturali. Concordant Angeli & homines in superiori ordine, mediante gratia; non enim sunt diuersæ speciei gratiæ Angelorum & hominum, quibus formaliter fiunt Deo grati, sed penes intensionem aut remissionem dispescuntur. Dissentiunt à reprobis, quia exciderunt à gratia, quæ illos euexerat ad statum illum supernaturalem. Eo intuitu Angeli omnes sine discrimine reprobos auersantur.

Ibidem art. 5. Peccati malignitas duo dicit.

Præterea Angeli & homines in esse naturali concordare queunt, citra gratiam, quæ vtrosque aliò euehit. Etenim Angelus est spiritus recta ratione vtens, cuius indolem æmulatur homo, à legitimo rationis vsu non deuians, fierique potest vt semota gratia Dei iustificante, homo vegeto intellectus acumine præpolleat, videatque meliora probetque, deteriora sequens, & sic quantùm homini fas intra naturæ fines, concordet cum Angelo, qui etsi eum oderit, vt alienum à gratia, miseratur tamen iniquā illius sortem, benè affectus in spiritum hominis compotem rationis, cui multimodè opitulatur illuminando intellectum illum, cuius naturale lumen non est penitus extinctum. Si verò homo totus exciderit ab eo intelligendi ritu, velut impos rationis, animamque suam adeò deiecerit, vt Angelus nihil omnino in eo aduertat, quò referat intellectuales illas substantias, sanè ab eo animali abhorrebit, vt quàm maximè dissito ab Angelis, atque ita luxuria omnem ferè rationis vsum expungens ab homine, cum procul facit ab Angelis, quia vtramque conuenientiam tollit, quæ intercedit inter Angelos, & homines, cùm in esse gratiæ, tum naturæ, quemadmodum ait ipse Gregorius. *De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.* Malorum ilias, qua stipatur homo libidine diffluens, elongat ab eo Angelos, omnem turpitudinem auersantes, quia totum hominem demergit in barathrum vitiorum, & desperationem inducit, adempto ferè omni rationis vsu: quia quo inferiores potentiæ magis afficiuntur ad sua obiecta, eò etiam validiùs superiores animæ facultates impediuntur, & de-

Angeli & homines in quo conueniunt.

Luxuriæ qui sint effectus.

Ex SS. PATRIBVS. *Greg. lib. 31. Moral. cap. 31.*

ordinantur in suis actibus. At luxuria potenter mouet inferiorem appetitum, validè eum suo obiecto delectabili obstringens, ob vehementiam passionis & delectationis, quæ hominem abstrahit, ideóque superæ animæ vires, scilicet ratio & voluntas, æstuante libidine perturbantur. Sunt autem quatuor rationis actus in agendis, quorum libido deliquium importat.

Luxuria quare mentem excæcat.

Primò, ratio auspicatur à simplici intelligentia, vt à præludio notitiæ comparandæ: simplicis autem intelligentiæ est apprehendere bonum vt finem; sed illa apprehensio boni congrui à luxuria impeditur, iuxta illud Danielis carpentis impudicos æstus luxuriosi senis. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Hinc oritur prima mali labes, scilicet cæcitas mentis. Alter rationis actus, est concilium de his quæ sunt agenda ad assecutionem finis apprehensi. Illa animæ consultatio de mediis idoneis ad intentum suum, Venere æstuante vitiatur, ipso etiam Terentio infideli scriba teste, Venerem sic pungente: *Quæ res in se neque consilium, neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes:* atque ita cæcitatem excipit præcipitatio nescia consilij. Tertius rationis actus est iudicium, consilio quippe inito de agendis mens iudicat de consonis ad agendum: præpeditur autem iudicium eo etiam turpi affectu, vt Scriptura insinuat commemorans fatuos illos senes, quos improbus amor accenderat. *Auerterunt sensum suum, vt non recordarentur iudiciorum iustorum.* Inde emergit inconsideratio. Denique vltimus rationis actus est, præceptum de agendo, alij nimirum actus præuij sunt ad istud imperium. Iste autem actus nullum sortitur effectum, frustra vrgente ratione, quam libido infirmat. Etenim esto in homine lubrico vigeat adhuc scintillula rationis, adeò debile est imperium eius, vt flocci fiat à Venere, quæ prohibet morem geri rationi. Eamobrem Terentius ridet hominem meditantem recessum à pellice, sic eum sugillando. *Hæc verba vna falsa lacrymula restinguet.* Hinc enascitur miserandi hominis extrema pernicies, scilicet impotentia quædam ad implenda ea quæ sanxere Deus, Ecclesia, & ratio, vt in eius figura liquet, qui vocatus ad cœnam ait: *Non possum, vxorem duxi, habe me excusatum.* Reuerà non potest qui non est sui iuris; & hic non est sui iuris, qui se totum turpi Veneris obsequio mancipauit.

Daniel. 13.

Terentius in Eunucho.

Daniel. 13.

Luc. 14.

Exuberantis luxuriæ dispendia non intellectum solum afficiunt, sed sunt etiam iniuria voluntati, in qua exurgit duplex actus inordinatus, secundùm duo illa, quæ voluntas appetit; appetit autem, aut finem, vel ea quæ sunt ad finem. Dum ergo voluntas libidine flagrans, delectationem solam attendit, & veluti scopum præfigit sibi, nonne appetitus ille iniquus est transiliens ordinem à Deo homini præstitutum? Etenim voluntas sibi constans in verum bonum fertur. Ex ea verò deuia voluntate appetente placentia carni, nascitur amor sui, præualens amori Dei, atque adeò inducens odium Dei in quantum vetat vsum illecebræ, quæ hominem luxuriosum miserè dementauit. Alius appetitus noxius consequens luxuriam, est eorum quæ ad finem conducunt. Istius appetitus indecori, est soboles planè ingloria.

Luxuria ligat voluntatem.

Luxuria amorem inspirat huius sæculi.

inglorià, vtique referens dedecus parentis ignobilis. Hinc erumpit affectus præsentis sæculi, & incuria beatitudinis æternæ, ad quam peruenire desperat luxuria. Adulterinæ prolis illa sunt incunabula. Appetitus delectationis Venereæ expleri nequit, nisi in hoc sæculo quod eamobrem est medium idoneum ad consequendum illum finem, ad quem cùm feruidè anhelet appetitus, inuestigabit modos aptiores ad fruendum eo fine. & odio habebit omne quod distrahit ab eo fine concupito. Ideóque cùm beatitudo æterna suadeat fugam illecebræ, eam odit voluntas deuota Veneri; sæculum autem amat, quia copiam facit explendæ voluptatis.

Deploratus ille hominum status adeò est inuisus Angelis, vt non deferant modò luxuriosos, sed seuere plectant, quia sunt scandalo bonis, quos Christus pusillos vocat ob humilitatem, vt aduertit Beda sic monens: *Pusillum gregem electorum, vel ob comparationem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis deuotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen vsque ad finem mundi humilitate vult crescere, & ad promissum regnum humilitate peruenire.*

Beda lib. 4. cap. 54. in Luc. 12.

Nonne duo Angeli perdidere Sodomitas, igne cælitus aduocato, qui deleret vrbem irrationali libidine infamem, ideoque scandalo orbi toti? Nunquid Angelo vindici luere pœnas duo illi senes inhonesti, qui tot puellarum decus depasti fuerant, quorumque technas impudicas & Veneris infandæ tricas fecit palam Daniel monens adesse Angelum vltorem, qui gladio expiaret crimina turpia perpetrata? Ecce ex Scriptura rem gestam, & Danielis ipsissima verba, quibus pupugit turpissimum animal. *Semen Chanaan, & non Iuda species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis; sed non filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait, sub prino. Dixit autem ei Daniel. Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.* Audi Angelum non libidinis inimicum tantùm, sed flagellum.

Gen. 19. Angeli seuere plectunt luxuriosos.

Dan. 13.

Alius item Angelus lasciuiam Regis Chaldæi castigauit vt pareat. Cùm etenim Princeps ille impius vasa sacra præbuisset concubinis suis ad bibendum, & ipse totus delicijs immersus hominem exuisset; vltrix Angeli manus apparuit describens lethalem sententiam in impium lasciuumque caput; quod mortis proximæ ærumnas præsentire cœpit viso eo vindice charactere. Historiæ huius seriem accipe ex ipso Daniele interprete sententiæ capitalis. Sic ille inducit Regem luxuriantem: *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo quod fuerat in Ierusalem, vt biberent in eis Rex & Optimates eius, vxoresque eius, & concubinæ, &c. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad inuicem collidebantur.*

Daniel. 5.

Nemo sanè præter Angelum concussit animum & membra luxuriantis huius porci de grege Epicuri, qui si totum vidisset Angelum, cuius tantùm digitos aspexit, illico periisset, vt erudite Theodoretus ait. *Si digitorum scribentium species ita perterruit eum, qui maximum administrabat regnum; vt etiam articulorum compages præ metu dissoluerentur, & artus tremore occupati concuterentur: quid non sustinuisset Deo infestus, si fulminis genus, aut fulmina conspexisset, aut Angelos toruè intuentes, quorum conspectum nec magnus quidem Daniel absque metu ferre potuit?* In noxios quoque homines desæuire Angelos, concors auctoritas Patrum clamat, in quibus Dionysius ille Carthusianus ait, etiam in die iudicij futuros terribiles Angelos, eis quos sors iniquior exceperit. Hæc ille: *Tunc quoque omnes Angelici spiritus aderunt, & visibiliter apparebunt, in forma vtique reprobis valde terrifica. Cum ergo vnius Angeli apparitio sit fragilitati humanæ tam intolerabilis, quam intolerandum erit, & horrendum iniquis, videre tam innumerabilia Angelorum millia in sensibili forma, instar iudicis reprobis metuenda?* Non enim alienum ab Angelis expetere à reis pœnas insinuat Augustinus docens, *Angelos sanctos sine ira punire, quos accipiunt æterna lege puniendos, & miseris sine compassione subuenire.*

Ex SS. Patribus.

Theodoret. exponens Daniel. 5. locum. Angeli irati est aspectus terribilis.

Dionys. Carthus. serm. de iudic. final. Angeli quo modo puniant.

Aug. l. 9. de Ciuit. Dei, c. 5.

Si quibusque peccatis Angeli infensi sint, quia hominem a Deo dispeicunt; quales eos arbitraris fore in libidinem, quæ hominem totum corrumpit, sepeliendo animam extinctam in corpore iniqua Venere dissoluto? Vtriusque effati accipe historias testes, scilicet Angelos odisse reprobos omnes, sed præcipuè eos, qui homine exuto, & ebibita indole suis, in volutabro luxuriæ decũbentis, naturã pecudis induerũt. Auspicemur à reprobis in genere.

Tametsi affixere Cruci rerum omnium opificem Christum Iudæi perduelles; eorum vrbem Ierusalem cruore rubentem tanti Principis noluit illico delere Deus: sed concesso quadraginta propè annorum spatio, vt pœniterent, dissimulauit iram, ad quam cum tollic tacuerat tantum nefas: Sed quasi parum esset amputasse caput Ecclesiæ, tentarunt & Iudæi Christicidæ lacerare etiam membra potiora, carceri addicendo Petrum & Paulum, lapidando Stephanum, & elidendo Iacobi caput. Contumaciam Gentis infidæ pertæsus oculus ille inuigilans mundo; Titum & Vespasianum vindices aduocauit. Principum istorum aduentum lethalem vrbi præsensere Angeli custodes ciuitatis, quorum crebro exauditæ sunt voces ingeminantes consilium de ineunda fuga, quam capessentes, tandem reliquere Hebræos, vt victimas ad lanienam reseruatas. Quippe recedentibus Angelis ingruunt vndique ærumnæ. Nec reor fore incongruam historiam Aquileiæ vrbis famosæ obsessæ ab Attila toto triennio. Barbarus ille ægre ferens moras, quas imperio suo intericerat Aquileia, reditum cogitabat in patriam, quem vbi apud se animo statuit & iam fecit, animaduertit ciconias quasi præscias ruinæ vrbis obsidione cinctæ, illinc quantocyus auolare, Malè ominatus vrbi fatiscenti & exhaustæ, suis hoc prodigium patefecit, dicens ciconias inuehere secum bonum omen,

Ex Historia.

Ioseph. l. 7. c. 12. de bel. Iudaic. ait audita esse voces, Migremus hinc.

Historia Imperialis sub an. 452.

Attila monitus à ciconiis cepit Aquileiam.

vt

vt tesseras pietatis; earum verò fugam aliquid noxium importare: ideoque esse tentandum aditum vrbis, cuius custodiam alites abdicarunt. Non defuit dicto fides, nam eo vltimo conamine ciuitas venit in ius Attilæ, qui internecione ciues deleuit, & vrbem solo æquauit.

Angeli fugiunt reprobos.

Idea sanè hæc est genuina ruinæ animarum, quas pessum dant Dæmones. Vbi aduertunt Angelos auolare, vtpote pertæsos impiorum consortium, irruptione facta in has animas, suo illas subdunt imperio, populantes omnes eius fines, & charismata omnia deprædantes. Audi Psaltem deflentem miserandum illum hominis impij statum, diabolis expositum ob secessum Angelorum. *Et qui iuxta me erant de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Reuera dolos & vanitates meditatur hostis ille animarum acerbus Dæmon, deprehendens Angelos despicatui habere scelestos, quibus adhærere non est Angelis insolitum. Etenim illæ aquilæ imperialia tantùm signa notant.

Psalm. 37.

Fauet meo intento prodigium illud, quod meminit Dio commemorans Camilli Scriboniani Præfecti Dalmatiæ defectionem à Claudio Cæsare: cùm enim signa bellica, aquila Romana notata vellet hic Præfectus explicare, vt militem suæ perfidiæ conscium deduceret in apertum campum; nunquam potuit eruere fixa tenaciter signa, quasi dedignarentur aquilæ perfida hæc capita comitari. Eo prodigio milites detestati ducis sui infidelis ausus nefarios steterunt in fide Cæsaris. Eo se modo gerunt Angeli erga nebulones & sycophantas homines, suum detrectantes obsequium Christo: eorum horrent consortium, ne suo comitatu impietati subscribere videantur.

Dio. lib. 60. Aquilæ Romanæ noluerunt sequi transfugas.

Quia illæ prælibatæ historiæ clamant, Angelos odisse omnia crimina; instabis, operæ pretium esse aliquas depromere, quibus explicitè liqueat, non odisse tantùm luxuriam, sed & etiam in reos huiusce spurcitiæ desæuire, vt titulus huiusce sectionis pollicetur, monens satius esse hominem demergi in profundum maris appensâ molâ, quàm scandalo esse pusillis, id est, simplicibus, qui casta Christi dogmata profitentur. Quid eo iam ære persoluto me compellis ad diluendum hoc debitum, lector? Nonne supra tibi ostendi ex Hieronymo Prætextam clarissimam fœminam ariditate manuum fuisse mulctatam ab Angelo Eustochij, quia teneræ huius virginis crines castos torserat in laqueos, quibus fœminæ incuriæ honestatis, hominum iuniorum oculis illudunt. Imò illic adieci ex eodem Sancto, in pœnam pertinacis fœminæ illius animi iniurij castrati Eustochij, eam in præceps inferorum actam, ita vt melius actum foret, si corpore tantùm tenus fuisset demersa in profundum maris. Habes primo huius moralis Encyclopediæ tomo, insignem historiam de Vdone Præsule impudico, quem frustra diu monitum ipsimet Angeli in Ecclesia spectante vno Canonico decollarunt. Literales sunt atque adeò formales illæ duæ res gestæ, & consonæ titulo sectionis.

Hieronym. epist. 7. ad Latam.

Vide tom. 1. Moral. Encycl. Tract. de B. V. Maria

Algarum luxuria excæcat.

Sed ne meam fortè causeris inopiam circa historiam, quia alibi recensita hanc renoco, aliam accipe insignem. Princeps quidam nomine Algarus, calente ætate deperibat amore insano Virginem speciosam Frisdeuidam, qua nihil castius in Anglia. Agnita eâ puritate Algarus omni spe excidit explendæ libidinis: vtque hæc passio effrænis disrumpit obuia repagula, tentauit Marte aperto oppugnare Frisdeuidam, quam votis anhelis, & crebris instantiis nec mouerat quidem. Suæ libidini inuigilans Algarus, casu obuiam factus huic puellæ, ea declinante occursum iuuenis amore depasti, ille accurrit. Sed virgo alis instructa puritatis, quæ potiores sunt pennis quas Cupido luxuriosis aptat; puella inquam velocior Algaro primo impetu eum anteuertit. Ast Venere stimulante Algarum, eoque ipso se vrgente, vt imbelle est puellarum genus, petulcus ille adolescens virginem insecutus tantùm non apprehendit: vbi autem inhonestas voluit in eam iniicere manus, ab Angelo cæcitate percussus est; vt oculi, qui fuerant in amore duces, negarent in posterum hunc ducatum. Dignus planè fuit Algarus orbari lumine corporali ab Angelo, quia caro eruerat oculos mentis affines Angelis.

Histor. Anglica Andr. du Chesne sub an. 740.

Non aliunde sanè orbis penè vniuersus excidium passus est æuo Noe, nisi quia omnis caro corruperat viam suam, impuri amoris æstu homine conflagrante. Et vt Angeli sunt vindices expetentes pœnas impudicorum actuum, homines omnes conscios huiusce flagitij perdidere aquis cœlitus aduocatis: vt quos libidinis æstus accenderat, lethales aquæ vortices extinguerent. Audi sententiam. *Dixit Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Quid autem vox illa *Caro* sonet accipe ex contextu. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum.* Ex præmissis collige corruptelam. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorũ, & ego disperdam eos cum terra.* Tria meminit iste textus; videlicet, spiritum Dei à carne alienum, corruptelam carnis, & aquarum gurgites, homines reprobos absorbentes.

Luxuria olim mundum perdidit.

Genes. 6.

Luxuria mortem accelerat.

Nota vocem illam spiritus non remansuri in homine, significare vitam, ita vt sensus literalis sit, perituros homines libidine diffluentes, non præcisè ob libidinem, sed & propter vitiorum omnium illuuiem, quæ Cupidinem consequitur. Et hoc sonat ille locus. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum.* Sed ad meum institutum maximè facit Chrysostomus, qui expendens versum hunc præfatum. *Non permanebit spiritus meus in homine.* Sic versat illam vocem spiritus. τὸ πνεῦμα ἐν ταῦτα, τὴν προνοητικὴν αὐτοῦ δύναμιν ἐκάλεσε, *id est, Spiritum hic vocat vim suam, qua curam nostri agit.* Nonne Angeli sunt virtutes Dei; quibus hominum curam agit. Spiritus ille Dei adest hominibus castis, illos veluti abstrahens ab omni illecebrarum cœno; vt inserat cœlis participes

Ex SS. Patribus. Chrysostom. homil. 22. in Genes. Spiritus Dei quid sit.

 gratiæ

gratiæ eiusdem, qua beati illi spiritus dignati sunt Ezechielem Prophetam, qui memor est eius ita fatus: *Eleuauit me spiritus inter cœlum & terram.* Quemadmodum autem Angeli sunt propitij castis, eos euehentes in cœlum; ita & infensi obscœnis hominibus, eos dirè excipiũt, congruis pœnis eorum crimina castigantes.

Ezech 8.

Angelus auersatur carnales homines. Chrysostom.

Hoc igitur esto ratum, non remanere Dei spiritum, id est, Angelum in homine si caro est, seu quod perinde est, si vitam agit spiritus immemorem, quasi esset tantùm ad carnalia progenitus, vt ait Chrysostomus. Sic ille: *Eò quòd ipsi caro sint; hoc est, eo quod carnalibus operibus seipsos totos dedunt, & anima substantia abutuntur, & quasi sola carne circumdati anima carerent, sic vitam suam absumunt. Perpetuus enim scripturæ mos est, carnem vocare carnales; sicut & virtute præstantes, carnis expertes nominat: quemadmodum Paulus dicit: vos autem non estis in carne, non quòd non carne circumdati essent; sed quia carne circumdati essent superiores carnalibus affectionibus, & sensibus.*

Spiritus animalis perditio est lethalis

Ex re Medica. Fernelius lib. de curat. luis Duret. lib. 2. in coac. cap. 19. prænot. 1. Hippocrat. lib. 2. præsa. cap 7. Spiratio frigida est lethalis.

Vox illa spiritus insinuans recessum Angelorum à lubricis hominibus rei medicæ placitum suggerit consonum isti argumento. Aiunt Antistites illius disciplinæ, spiritus illos animales, qui vegetum corpus efficiunt, ingruentibus quibusque morbis aliquale deliquium pati, sed omnino dispetire, eo libidinis æstu homine colliquato; fit namque insignis deperditio spirituum, eorum gazas Venere nimia reserante. A deperditione autem spirituum nihil nisi lethale consequitur; ex eorum quippe inopia ægris pessimè Hippocrates ominatur, vt scholiastes eius Duretus ait, ita fatus: *Vnaquæque pars dum benè valet, spiritu abundat.* Et summus ille Medicorum Hippocrates, viuidorum spirituum effluxum inferens ex frigida respiratione, affirmat ægri res esse omnino deploratas. ψυχρὸν δὲ ἐκ πνεόμενον ἐκ τῶν ῥινῶν καὶ τοῦ στόματος ὀλέθριον κάρτα ἤδη γίνεται. *Frigida vero respiratio ex ore, & naso admodum lethalis est.* Quid ergo queas conijcere de homine obscœno, nisi eum abegisse bonos spiritus & adsciuisse alios frigidos, scilicet reprobos Angelos, qui extincto amore Dei, lethale gelu cordibus ingerunt, quo anima veluti frigore illo noxio concreta silice durior obrigescit. Itaque etiam Medicinâ teste, libido bonos eliminat spiritus à corpore obscœno & cupidine nimia diffluente. Eorum autem spirituum egestas est præuia mortis imminentis.

Aquilæ cœlestis mira proprietas. Ex Mathematica. Colum. lib. 11. cap. 11. Hipparc. lib. enarrat. ad phanomen. Eudoxi.

Non erit incongrua obseruatio illa à Mathematicis facta de Aquila; quam Astronomi in figuris cœli delineant. Constellatio hæc quidpiam habet affine indoli Angelorum: quippe ex Columella, oriente Aquila, irrorat; ea verò occidente, omnia congelascunt. Rursus ex Hipparcho, Aquila oritur cum Ara & Cygno, duabus aliis figuris cœlestibus, nec illi vilum est commercium cum stellis, è quibus emergunt hœdi. Ea etiam dignatione animas hominum afficiunt Angeli, quos Aquilas nuncupare non vereor, cùm Aquilarum instar nubibus emineant. Quando nobis affulgent, anima nostra veluti rore perfusa viret, florumque coloribus almus ludit ager: gestit homo, cui incubat hæc Aquila, quæ occasu suo horrida omnia portendit illi cui occumbit. Cui autem occidat dulce ex cœlica illa Mathesi, quæ recensens oriri cum Ara & Cygno, insinuat Angelos adesse tantùm piis hominibus, & castis. Horum pietatem Ara refert, sicut & Cygnus candore suo designat castitatem. Felix ille Aquilarũm ortus homini, in sæculi huius ærumnis castitatem excolenti, vt & ominosus earum occasus ei, qui illuuione fœda spurcissima quæque luridus insectatur.

Ex Symbolis. Camerar. lib. Centur.

Itaque indubia pernicies exceptura obscœnos homines, vocat eos in communionem symboli à Camerario effícti. Pingit ille papilionem ad candelæ lumen aduolantem, vbi instante incendio cremandus ait. Fugienda peto. Sed longe est iniquior sors hominis impudici, quia non corpore tantùm tenus patitur incendia, vt papiliones, sed est aliquando flammis inferi mancipandus. Ideoque melius illi consultum esset alligatâ collo molâ asini demergi in profundum maris, quàm perpetuo damnatorũ supplicio deuoueri. O si daretur intimæ cordis auri vniuscuiusque Cupidinis asseclæ loqui; quàm crebro ingeminarem istud! Fugienda petis, ô homo dementate pellucet equidem Veneris illecebra, sed incendit hominem impudicum igne tartareo, & Angelos ira, quæ acuit illos ad vindictam reatus, cuius impunitas noxia est pusillis, quos inducere potest in eosdem luxuriæ sinuosos anfractus.

Luxuriæ symbolum egregium.

Eò allusisse reor Christum quando illo Euangelij quod decurro textu ait: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius,* &c. Quasi diceret, adeò lubricat hominum gressus, vt concussus afferat indubiam homini ruinam. Si ergo quispiam luxuriæ addictus impudicè gerat se coram castis, eis offendiculum ponit, sollicitans illos ad lapsum. Eamobrem vt occurram discrimini instanti, seuerè plectam eos omnes suasores ad turpia; eaque erit vindicta insignis, vt satius esset impios illos refugas honestatis demergi in profundum, eis incumbente mola, quàm pœnas addictas turpibus experiri. Non adeò seuerè in hoc sæculo plectit Deus alia crimina, quia vt plurimum noxia sunt tantùm suis parentibus, à quibus edita sunt, vt superbia, tumidum hominem infatuans ridiculum facit, miserandum potius quàm sectandum. Inuidia mordax sui, alios ad imitandum se non inflectit. Sed luxuria vbi suas explicat illecebras, adamantina etiam corda quatit, rarusque est qui stare queat mediis in laqueis, quos propè innumeros libido contexit præpediens imperitos. Cùm ergo hominum omnium cura sit penes Angelos, vt lubricantia pusillorum vestigia firment; exterminant omnia Veneris sordida simulachra. Alioquin potissima hominum pars foret ruinæ obnoxia.

Matth. 18.

Luxuriam suadentes Deus seuerè plectit.

Meæ interpretationis, tametsi noua videatur, habeo testes principes Sanctorum Patrum, qui meditantes causam ruinæ præcipitis mundi, æuo Noë, eam refundunt in libidinem hominum eo tempore bacchantium. Nam turpitudinẽ hominũ Deus detestatus ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.* Nescio quomodo viri illustres Rupertus, & Tostatus errauerint expendentes istum locum, arbitrantes Deum hominum

Luxuria abbreuiat tempus pœnitẽdi. Genes. 6. Ex SS. Patribus.

hominum longiorem vitam antea decurtasse hoc decreto, ita vt in posterum homo illas non transiliret vitæ metas, essetque centum & viginti annorum terminus homini præstitutus. Hallucinati antea Philo & Ios. phus ii scripserunt. Sed altera planè Dei mens fuit; scilicet monere Noë de instante mundi excidio, si non consulerent sibi homines pœnitendo; concedi autem eis centum & viginti annorum tempus vt conciliarent sibi Deum. Fauet mihi Augustinus ita fatus: *Quod autem dixit Deus: Erunt dies eorum centum viginti anni; non sic accipiendum est, quasi prænuntiatum sit, post hæc homines centum viginti annos viuendo non transgredi, cùm & post diluuium etiam quingentos excessisse inuenimus. Sed intelligendum est, Deum hoc dixisse, cùm circa finem quingentorum annorum esset Noe, id est, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerunque significans: sexcentesimo quippe anno vitæ Noe, secundo mense factum est diluuium.* Non ergo eo textu abbreuiata est hominum ætas, sed assignatum spatium pœnitendi, prædicante Noe, qui multos sibi etiã socios adiunxerat hortantes reprobos ad meliorem frugem, vt scribit Berosus. *Tum multi prædicabant, & vaticinabantur, & lapidibus excidebant de ea quæ ventura erat orbis perditione. Sed illi assueti corridebant omnia, cælestium illos ira atque vltione perurgente, pro impietate atque sceleribus*

Aug. lib. 15. de ciuit. Dei. cap. 24.

Luxuriosi irrident prædicatores.

Beros. Chald. lib. 1.

Calculo Augustini inesse mendum probat supputatio annorum facta ab Hieronymo peritissimo rerum omnium Hebræarum, de quarum penitiore sensu sæpe eum consuluit Augustinus. Ait Hieronymus minas mundo intentatas fuisse à Deo anno quingentesimo Noë & deletum fuisse aquis orbem anno sexcentesimo. Et reuera sanior est Hieronymi supputatio, quam sequitur etiam Chrysostomus. Vnde aduerte grande mysterium, idoneum ad probandum hanc meam conclusionem de Angelis vltoribus scandalorum, quæ libido parit. Deus centum & viginti annos promiserat ad meliorem frugem obeundam; & tamen expletis annis centum, exuberantes aquæ sæuierunt in obscœnum hominum genus incurium pœnitentiæ, ne si alij adderentur anni viginti reliqui de numero prælibato, corriperentur fortè etiam iusti ab his, quos iudicia Dei non fecere cautiores. Audi Chrysostomum. *Hunc centum viginti annorum numerum aliqui putant terminum vitæ esse. Non hoc autem significat, sed nunc longanimitatem declarare vult, quam & post hæc peccata in ipsos ostendit. Igitur vt discamus, quod illi post indignationem, & minas, & tanti temporis longanimitatem, quam ipsis in pœnitentia dederat, non solùm nihil profecerunt, sed in iisdem moribus perseuerauerunt: propterea dicit, postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum.*

Luxuria ad impœnitentiam adducit.

Chrys. ho. 22. in Genes.

Vna ergo luxuria fons extitit, ex quo deriuarunt aquæ, illuuione sua impios absorbentes. Ita Chrysostomus. *Ex hoc malo opere quasi è fonte quodam multa etiam alia suboriebantur peccata. Nam vbi scortatio, & luxuria, & tanta intemperantia; verisimile est, ibi & ebrietatem, & crapulam, & magnam iniustitiam, & auaritiam, & innumera alia nasci mala.* Ne ergo vitiorum illud diluuium inuolueret innoxiam & integram Noëmi prosapiam, euolutis centum annis, reliquos qui supererant concessos ad pœnitendum Angeli resciderunt, vtpote quorum est tollere de medio lapides offensionis, ad quos allidentes verecundi homines, nequeuntes consistere in lubrico miserando lapsu pereunt inhoneste.

Luxuria ad alia peccata inducit.

Idem vbi supra.

Totum hunc sensum moralem à me excogitatum, reperi in Chrysostomo postea, quem ne defraudem laude sua, hic describam. Sic ille: *Didicimus quod quando indignatio & prædictio Domini facta est, Noe fuit annorum quingentorum: quando autem inductum est diluuium, sexcentorum: ita intercesserunt anni inter prædictionem, & diluuium centum: & iis annis ne tantillum quidem profecerunt, licet tantopere docerentur a Noe arcam fabricante. Sed fortasse quæret aliquis: Quare cùm dixit Dominus, centum viginti anni erunt dies eorum: promiseritque se tanto tempore longanimitate vsurum, antequam implerentur anni promissi, vniuersale introduxit excidium? Etiam hoc ipsum clementiæ maximum est argumentum, & indicium. Nam quoniam vidit quotidie incurabiliter eos peccare, & non solum nihil ex ineffabili longanimitate sua proficere, sed & incrudescere vlcera, propterea succidit tempus, vt ne maiori scilicet pœna se obnoxios facerent. Et quæ, inquit aliquis, hac maior esset pœna? est planè, est delicti pœna & maior, & terribilior, & durans: nempe quæ in futuro sæculo.* Arbitror ego plerosque eorum, quos aqua inundans absorbuit contritos obiisse, qui si viginti annis qui supererãt centenario vixissent deliniti voluptatis illecebris fuissent fortasse aliis scandalo, atque ita aliquando obnoxij igni sempiterno. In hos cadit effatum Christi affirmantis satius esse demergi in profundum maris, quàm præbere aliis ansam deliquij; quia submersio illa, etsi corpori noxia, est tamen animæ salutaris, scandalum verò exhibitum igne inferi vindicatur.

Chrys. ho. 24. in Genes.

Diluuium acceleratum fuit opus clementiæ.

Quomodo Angeli ferrent luxuriæ volutabrum, cùm & sæculi Principes, suis etiam subditi næuis, sæuierint in lenones, specialique in eos lege animaduertit Imperator ille, qui Codici nouo nomen suum inscripsit. Sic ille: *Et antiquis legibus, & dudum imperantibus satis odibile visum est esse lenonum nomen, & causam, in tantùm, vt etiam plurima contra talia delinquentes scriberentur leges. Nos autem, & dudum posita contra eos, qui sic impiè agunt, supplicia auximus: & si quid relictum est à nostris prædecessoribus, etiam hoc per alias correximus leges.* Et eodem titulo ille Imperator rationem pangens, quare velit nundinatores hos nefandos castitatis atque pudicitiæ puellarum subire extrema omnia supplicia, insinuat quàm debeat esse cordi illa virtus Principibus, qui sunt veluti custodes Angeli Reipublicæ. *Præconizamus itaque, quia si quis de cætero præsumpserit inuitam puellam assumere, & fornicationis deferentem sibi quæstum, hunc necesse esse à spectabilibus Prætoribus populi huius felicissimæ ciuitatis comprehensum, omnia nouissima sustinere supplicia. Si enim pecuniarum eos, furtorum & latrociniorum emendatores eligimus; quomodo non multo magis castitatis furtum, & latrocinium eos coercere permittimus?* Si Angeli quibus est animarum cura demandata

Ex Ivan Civili. Prof. nou. 14. de Lenonib. § Sancimus eodem titul.

Luxuriosis decreta supplicia.

Castitati consulunt leges ciuiles.

Ecclesia cō busta perdit consecrationem.

demandata desæuiunt in quosque reprobos, nonne fas est vltra succensere eis, qui reatu suo non sibi tantùm sunt iniurij, sed & aliorum etiam animas sua libidine deprædantur.

EX IVRE CANONICO. *Can. Concedimus de cōsecr. distin. 1.* Luxuria fugat Angelos.

Ex Iure Canonico potest & erui aliquod argumentum faciens ad hoc propositum thema, de Angelis exosis impudica. Eo Iure nefas est celebrare in Ecclesia, quam flamma depasta est; amisit enim ius quod in consecratione acceperat; nec in loco populato à flamma vult Canon fieri sacra, sed speciali indulto concedit in capellis rem sacram fieri, adhibita cautela tabulæ consecratæ. Vnde arguo: Angeli abeunt à pollutis Ecclesiis igne deuorante: Sed anima impudica conflagrat igne luxuriæ: Ergo ab ea procul sunt Angeli, vtpote quibus horrori est anima eo turpitudinis æstu defœdata. Vt suo damno expertus est Dauid perpetrato adulterio, in cuius pœnam non odium tantùm, sed & flagella Angelorum sensit, vt luget iam pœnitens factus. *Psal. 87.* *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.* Audis non esse hominem impudicum abominationi modò, verùm obiici & furori Dei, in cuius manus incurrere est res formidanda.

Dan. 13.

Vtinam insonaret auribus omnium assectarum Veneris hæc sectio, vt hinc edifcerent, Angelum illum adesse vindicem, qui perdidit turpes hos senes, qui depereuntes filias Israël, eas in libidinem suis illecebris inducebant. Præterea vellem memores essent eius Angeli, qui exerto gladio necem ferè intulit iniquo illi Prophetæ, quem Balac Rex Moabitarum conduxerat in perniciem Hebræorum. Accipe seriem historiæ. *Numer. 22.* *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram. Cui Angelus: cur tertiò verberas asinam tuam? Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria, & nisi asina declinasset de via dans locum resistenti, te occidissem.*

Angeli peccatores monent.

O si peruij essent obscœnis hominibus minaces Angeli, explicantes gladios vltores criminum, quibus insana cupido eos obstrinxit, fortè asina, scilicet caro declinaret iram Angelorum, alias ineundo vias! Sic itaque libet compellare hominem incautum, & sequacem illecebræ, aliqua corporis aut animi molestia prægrauatum: Quid ærumnas tuas loqueris, ô homo infelix? Quid aliòs incusas vt auctores angustiæ, quæ te premit? resera oculos, quos Venus occlusit, & videbis Angelum aduersum tibi, quia peruersa est via tua: Caue tibi, miserande puer: Asina caro tua ni declinet ab impudico ritu suo dans locum Angelo resistenti, proculdubio imminenti illo tibi gladio discerpêris. Me igitur opportunum suasorem audi. Declina à via quam hactenus iniisti illecebris obsita; ea quippe deducit in præceps. Et reuera multos arbitror occubuisse vegeta adhuc ætate, quia nihil nisi amorem noxium animo versantes, summo suæ vitæ discrimine in Angelum vindicem incurrerunt.

Luxuria elacit Angelorum monita.


Angelis debetur reuerentia magna.

EX SS. PATRIBVS.

Ibis obuiam illi discrimini si morem geras optimo consultori, scilicet Bernardo hortanti ad reuerentiam & obsequium Angelorum. Sic ille: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus viis tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. An præsentem esse dubitas quem non vides? Quid si audires, quid si tangeres, quid si olfaceres? Vide quia non solo visu rerum præsentia comprobatur.* Hæc ille, cui ego meum pensum subiicio hocce breuiloquio.

Bern. ser. 12. in Psal. 90.

ANGELVS OBSEQVITVR ILLI, ANGELVM QVI SEQVITVR, ALIOS NON CVSTODIT, AST ODIT.



HOMILIA IN DIE FESTO

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

SVMMA HOMILIÆ.

I. MILITANS Ecclesia, & triumphans affines sunt, vtpote futuræ aliquando vna ciuitas: easdem passæ sunt angustias ab initio; nam Draco, qui in cœlis perdidit Angelos apostatas, perdidit & Iudam, & hodie tentat fideles; sed idem Michaël, qui pugnauit cum dracone, hodie etiam tutatur Ecclesiam, quæ est ciuitas Ierusalem sancta sponsa Dei.

II. Hoc est inuentum istius Homiliæ. Dico, super muros mysticæ Ierusalem Deum constituisse custodes Angelos, qui in singulis quibusque portis excubant. Primò explico multiplices insidias, quibus diabolus saluti hominum inuidens, clanculum oppetit nos.

III. Apertis hisce technis ostendo, Michaëlem præualere: quomodo autem

rem Angelos nequam supplantet ille Archangelus explico, sicut & opem frequentem, quam hominibus confert.

IV. Demum multiplici historia insinuo, quem cultum debeamus rependere Angelis, in tesseram animi nostri memoris gratiarum, quas à beatis illis mentibus accipimus. Qui secus faxit, incurret in discrimen notæ illius, quam inurit ingratis hominibus obliuio ingloria beneficij accepti.

PRÆFATIO.

Factum est prælium magnum in cœlo, Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone. Apoc. 12.



MANLIVS vir rerum præclarè gestarum bello conspicuus, sæpius aurea torque donatus, inde Torquati nomen accepit: ea quippe adiectione torquis, Manlius ille Torquatus ab aliis Manliis dispescitur. Esto in cœlis strenuè admodum se gesserint Angeli omnes in draconem Deo iniurium; tamen Michael Archangelus altè ingeminans illud, QVIS VT DEVS, maximam beatorum Angelorum partem in humile Dei obsequium inclinauit. Et quia draconis ausus perduellès ea voce compescuit, inditum est victori illi Archangelo nomen hoc Michaël, quod perinde est ac, QVIS VT DEVS. Eo nomine beatus hic spiritus, veluti torque donatus, tesseram animi sui benè affecti in Deum, omnibus notam facit. Vtinam Christiani omnes æmularentur ingenium Regum Galliæ, qui instituentes Ordinem equestrem, proceres regni aurea torque donabant, quam induentes pranobiles viri, bulla aurea de collo pendula eorum cordi incubans, à reliqua nobilium classe eos dispescebat. Ex ea bulla eminebat effigies S. Michaëlis, à cuius imagine præcipui Galliæ viri prapotentes dicti sunt, Equites Sancti Michaëlis, in quorum ordinem aduocari a Rege, argumentum erat gratiæ insignis. Hodie Ecclesia Deo afflata suos conuocat fideles omnes, factura eos Equites Michaëlis Archangeli. Torques aurea appendenda collo, est obedientia præstanda Deo, cuius iugum ceruici impositum instar torquis, pios homines efficit vt torquatos. Angeli effigies defluens in cor, affectum nostrum sollicitat erga beatum hunc spiritum, cuius obsequiis euehemur aliquando in ordinem eius. Vt illius animum inflectamus; Reginam illius, scilicet Mariam, veneremur. Aue Maria.

Mâlius torque donatus.

Michaël vnde dictus.

Michaëlis Angeli equites à quo instituti.

MIlitantis Ecclesiæ, & cœlestis adeò arcta est affinitas, vt ambæ eadem ferè nomina sortiantur. Beati quippe Angeli, & homines in hoc ancipiti sæculo diuersantes, charitate inuicem colligati accepere nomenclaturam ciuitatis Dei, vt ait Augustinus. *Mihi adhærere Deo bonum est. Hoc bonum quibus commune est, habent & cum illo cui adhærent, & inter se societatem sanctam, & sunt vna ciuitas Dei, eademque viuum sacrificium eius, viuumque templum eius. Cuius pars quæ coniungenda immortalibus Angelis, ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinamur in terris.* Nec obstat quod variant nationes in ritibus suis, & linguis, dummodo bitumine amoris Dei adunati, coëant in compagem, ex qua exurgit ciuitas illa sancta, vt alibi probat Augustinus. *Hæc cœlestis ciuitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus Gentibus ciues euocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem: non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diuersum; quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur, nihil eorum rescindens, vel destruens, imò etiam seruans, ac sequens: quod licet diuersum sit in diuersis nationibus, ad vnum tamen eundemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, qua vnus summus & verus Deus colendus docetur, non impedit.* Hactenus Augustinus.

Ecclesiæ cœlestis & militantis affinitas.

I. Exordium de similitudine Ecclesiæ cum ciuitate.

EX SS. PATRIBVS. *Aug. l. 12. de ciu. Dei c. 9. Idem l. 19. de ciu. Dei c. 17.*

Ecclesiæ est mira concordia.

Itaque Ecclesia est ciuitas illa vtique Ierusalem celebris orbe toto, vt ait Tichonius rimans abdita mysteria Apocalypsis. *Ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem, descendentem de cœlo à Deo. Hæc est Ecclesia, ciuitas in monte constituta, sponsa agni. Ipsa enim ciuitas in monte constituta, quando in humeris pastoris, tanquam ouis ad proprium ouile reuocata est. Si enim alia est Ecclesia, alia ciuitas descēdens de cœlo, erunt duæ sponsæ, quod omnino fieri non potest. Et hanc enim ciuitatem dixit sponsam agni. Vnde manifestum est ipsam esse Ecclesiam, quam sic describit dicens: Habentem claritatem Dei: luminare eius simile lapidi pretiosissimo. Lapis pretiosissimus Christus est. Habentem murum magnum & altum; habentem portas duodecim, & super portas Angelos duodecim.* Congruè in monte sita est illa nostra Ierusalem ciuitas sancta, Dei Ecclesia sonans vnitatem, iuxta vocabulum Hebræum, quod visionem pacis significat: deducitur autem quippe vox illa Ierusalem à radice ראה *raha vidit*, & nomine שלום *schalom* quod pacem clamat.

Ticho. hc. 18. in Apoc. ap. August. to. 9.

Ecclesia quare in monte posita.

Accurata autem illa descriptio Angelorum, qui excubant, quasi incubantes portis, grande mysterium, Deique insigne beneficium notat, videlicet Angelorum custodiam, ad munimen Ecclesiæ, quæ easdem patitur angustias, quas olim tulit supera illa ciuitas, eo momento quo surrexit in eam altitudinem, qua eminet & triumphat. Quale discrimen incurrerit illa Ecclesia, seu Ierusalem cælestis ostensum est Ioanni Apostolo conscio secretorum Dei. Sic ille abdita reserat. *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: & non praualuerunt, neque locus eorum inuentus est amplius in cœlo. Et proiectus est ille draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri.*

Ecclesiæ portis inuigilant Angeli.

Apoc. 12.

Angeli beati fuerunt expulso diabolo.

Quemadmodum æmulus Angelorum Satanas, ausus concutere fundamina cœlicæ ciuitatis illius emergentis; simili planè medio in nostram arietat ciuitatem, Ierusalem videlicet

videlicet hanc terrestrem, in qua peregrinamur à Domino. Sed idem est belli euentus qui fuit in cælo; namque esto fiat quotidiana incursio à diabolis, Michaël tamen & Angeli eius præliantur cum dracone, qui longe Angelis inferior, superatur à militia hac cœlesti, cui hodie in gratiam Michaëlis Archangeli versum istum loco epinicij decantamus. *Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri.* Etenim indefesso Michaëlis & comitum eius studio, diabolus in nos perperam insultauit. Inde etiam Augustinus gestiens, lætitiæ magnum accepit argumentum, sic iubilans. *Facis Angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti vt custodiant me in omnibus viis meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis tuæ nouæ Ierusalem, & montes in circuitu eius, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat vt leo animas nostras, dum non esset qui eriperet, ille antiquus serpens aduersarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens semper circumit quærens quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Ierusalem.*

Angeli custodes Ierusalem.

Aug. l. Sol.

Hic ergo erit contextus Homiliæ istius. Dicam primò, omnes homines efficere vnam ciuitatem, in quam diaboli omnes arietant; atque ita hæc prior pars erit de satanæ technis. Secundò ostendam, Angelos inuigilare illi ciuitati, & præcipuè Michaëlem præpositum ciuium supernorum; ideoque Principem illum Angelorum esse à nobis multimodè excolendum.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quàm cautè oppugnet Dæmon ciuitatem Ecclesiæ.

Ecclesiastes Gentium Paulus Apostolus, non laborans inopiâ verborum, sic compellat fideles enascentis Ecclesiæ surculos: *Iam non estis hospites, & aduenæ; sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Ea verborum serie insinuat ille Ecclesiam esse ciuitatem pertinentem ad aliam, quæ est in cœlis, vt ait Augustinus. *Pars quædam terrenæ ciuitatis imago cœlestis ciuitatis effecta est, non se significando, sed alteram. Inuenimus ergo in terrena ciuitate duas formas, vnam suam præsentiam demonstrantem, alteram cælesti ciuitati significandæ sua præsentia seruientem. Parit autem ciues terrenæ ciuitatis peccato vitiata natura; cælestis verò ciuitatis ciues parit à peccato naturam liberans gratia, vnde illa vocantur vasa iræ, ista vasa misericordiæ.* Hæc ille.

Ecclesia militans duas formas habet.

Ephes. 2.

Ex SS. PATRIBVS.

Aug. l. 13. de ciu. Dei c. 2.

Ecclesiæ militantis egregia descriptio.

Tota sanè hominum compago duas facit ciuitates decurrentes hoc æuum, sed iugi discordia; vna ciuitas est bonorum, alia reproborum. Sic eas delineat Augustinus. *Omnes qui terrena sapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi, ad vnam illam ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mysticè, & habet regem diabolum. Omnes autem qui ea quæ sursum sunt sapiunt, qui cælestia meditantur, qui cum sollicitudine in sæculo viuunt, ne Deum offendant, qui cauent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, iusti, pij, boni, omnes ad vnam ciuitatem pertinent, quæ Regem habet Christum. Illa enim in terra quasi maior est tempore; non sublimitate, non honore. Ciuitas illa prior nata, ciuitas ista posterior nata. Illa enim incipit à Cain, hæc ab Abel. Hæc duo corpora sub duobus regibus agentia ad singulas ciuitates pertinentia, aduersantur sibi vsque in finem sæculi.*

Idē in Ps. 61.

Babylon ciuitas reproborum.

Quis autem insurgat in eam ciuitatem, quis sit ille hostis oppugnans animas, è quibus reparari debent ruinæ Ierusalem cælestis, quæ insigne excidium passa est in lapsu perduellium Angelorum? Audi acerbos hostes recensitos à Paulo monente nos, graue bellum esse indictum fidelibus, à quorum tamen partibus stat Deus. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Hostes illi spirituales, sunt diaboli, qui infirmitatis hominum conscij, multifariam illudunt nobis.

Ciuitas Christi quænam sit.

Ephes. 6.

Meminere prisci auctores, Lybiæ deserta producere maleficum quoddam genus serpentis, cui duo capita insita sunt. Præsens imminet periculum ei qui incurrerit in serpentem illum virulentum, cui si vnum excideris caput, statim acceptam iniuriam altero capite vindicabit. De eo sic Lucanus.

Amphisbæna serpens biceps.

Et grauis in geminum surgens caput amphisbæna.

Lucan. lib. 9.

Quia vtrinque caput ei serpenti insertum est, circulatis tractibus creditur incedere, ita vt obuiam factus homo, ægrè queat euadere amplexus illius anguis, qui se in gyrum versat corpore bicipiti. Sed esto sit lethalis ille occursus amphisbænæ; est tamen innoxius animæ, imò eam compellit ad deposcendam opem Dei, qua eludere queat perniciem quæ imminet à serpente. Peior est diaboli incursus; quasi namque biceps serpens ille antiquus, animæ simul & corpori noxius est, si quando ferit, rarusque est qui indemnis redeat à congressu cum virulento illo angue, cuius tot sunt spiræ, & voluuli, quot sunt conamina quibus ab eo homines impetuntur. Vno quippe iaculo sæpe traiicit corpora & animas.

Audiendus in eo argumento Cyprianus. *Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam Zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet; compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cùm magis concupiscendum sit & optandum, ad Christum subueniente velocius morte properare.*

Cyprian. l. de mortalit.

Tentatio multiplex homines infestat.

Vitia vitiis sunt implexa.

Parum

Parum esset oppugnari, si non contingeret & prosterni. Sed heu vtplurimum diabolo aggredi animas, & ingredi perinde est; adeoque pompaticè eum vidit Ioannes exornatum habitu, qui eius egregia in homines facinora propalabat. En mysticum omnino diaboli simulachrum. *Ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Draconis nomine diabolum intelligi, omnes probè norunt. Septem eius capita sunt septem peccata lethalia, quæ & capitalia à capite nuncupantur: caput autem propriè & citra omnem loquendi tropum, est membrum animalis, cuius moderamine totum corpus dirigitur; vnde metaphoricè omne principium directiuum, caput vocatur, & etiam homines qui alios dirigunt, & gubernant, capita aliorum esse dicuntur. In eo sensu illa peccata, quæ sunt veluti directiua aliorum, dicuntur capitalia; & quia septenario ea concluduntur numero, draco ille immanis septem habere capita perhibetur, quibus suum lethale virus instillat.

Apoc. 12.

Diabolus quare dicatur habere septem capita.

Vnde autem draco ille habeat septem hæc capita, audi ex ratione colligendi numerum septenarium peccatorum. Illa vitia capitalia dicuntur, quorum fines habent quasdam primarias rationes mouendi appetitum, iuxta illarum rationum distinctionem capitalia etiam vitia dispescuntur. Bifariam autem cieri potest appetitus. Vno modo directè & per se, & hoc modo bonum mouet appetitum ad prosequendum, malum verò secundùm eandem rationem ad fugiendum. Alio etiam ritu mouetur appetitus indirectè, & quasi per aliud; sicut aliquis aliquod malum prosequitur propter aliquod bonum adiunctum, vel aliquod bonum refugit ratione adhærentis ei mali. Verùm triplex est hominis bonum. Aliud est animæ bonum, quod scilicet ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet, vt aura popularis, elogia & præconia hominum: hoc bonum inordinatè prosequitur inanis gloria. Alterum bonum corpus spectat & pertinet ad conseruationem indiuidui vel speciei: si ad indiuiduum attinet, illud est cibus cuius nimius appetitus gulam facit. Si verò bonum respicit propagationem speciei, & medium ad hoc ordinatum intemperanter inquiritur, emergit inde luxuria. Tertium bonum est merè extrinsecum, scilicet diuitiæ, ad quas qui anhelat, in auaritiam incidit. Eo modo, scilicet ex apprehensione boni inordinatè appetiti, quatuor enascuntur vitia capitalia.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 1. 2. q 74. art. 4.*

Peccata capitalia vnde dicta. Bonum hominis est triplex.

Boni speciẽ peccata prætexunt.

Quod autem aliquis declinet, & fugiat bonum propter aliquod malum coniunctum, duobus id euenit modis: nimirum quia bonum vel est proprium, vel est alienum. Si bonum est proprium quod fugitur ratione mali adiacentis, inde editur acedia, quæ refugit bonum spirituale ob laborem corporalem, qui virtutum omnium praxim consequitur. At si secus bonum illud quod quis odit est in alio, aliquis potest horrere bonum alterius, sine vlla vi ei illata. Et hoc pertinet ad inuidiam, quæ mente refugit bonum emicans in alio, quasi esset ei aliquid mali adiunctum, videlicet propriæ gloriolæ decrementum. Bonum autem alienum, quod quispiam odit cum exteriori aliquo insultu, iram parit. Et ecce tibi capita septem virulenti illius draconis, cuius spectrum insinuat Apostolus loco antea prælibato.

Bonũ quando detestatur.

Sed quid illa diademata sonant imposita capitibus teterrimi animalis? Ego sanè crediderim esse veluti trophæa reportata de Regibus huius sæculi. Non quòd velim carpere Reges Christianos; absit hoc à me, cùm plerique adhuc isto æuo pietate refulgeant. Verùm hoc nomine quod principatum insinuat, intelligo omnes qui ita genio indulgent, vt Regnum eorum videatur esse de hoc mundo. Audi diaboli pompam, cui laborant ista vilia voluptatum mancipia, quorum ecce parænеses, quibus se ad peccandum inuicem adhortantur. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ: vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Congruè meminere coronarum reprobi, quorum ea tantùm est sors, vt hîc regnent, futuri longè à regno cælorum.

Peccata quare coronata pingantur.

Sap. 2. Peccata sunt sors reproborum.

Hæc beatitudinis ementita species, diabolo ansam insignem suppeditat ad dementandos homines, qui veluti Reguli in hoc sæculo luxuriant, & quos sub iugum missos infulis exuit, vt diademate eorum sibi imposito, ostendat se regnare in eis, qui à recto Dei tramite deuiarunt. Quomodo autem homini imponat callidus ille draco, speculare mecum ex fontibus Philosophiæ. Beatitudo cuiusque rei in eo sita est, quod eam perfectissimam facit, vt scitè ait Aphrodisæus, ideoque obiectâ aliquâ ideâ beatitudinis, votis anhelis homo ad eam fertur. Et hinc illud Aristotelis effatum. *Beatus nemo inuitus euadit.* Quæ autem sit illa hominum beatitudo explicat Aristoteles hoc textu. *Beati dicendi sunt illi, quibus felicitas, & bona externa adsunt.* Angelus ille refuga qui draconem induit, sciens validè moueri appetitum à bono, cui aliqua affingitur ratio beatitudinis, quam naturali impetu omnes homines inuestigant; vt homini illudat, obiicit ei felicitatis aliquod inane simulachrum. Primò beatitudo perfectionem dicit: ad hunc statum diabolus hominem vrget, inspirando ei altos animos, quibus aliis emineat veluti perfectior, & gloriam consequatur ab aliis, quæ est veluti tributum perfectis quibusque exhibitum. Sicque insulsus homo credens assurgere in culmen, dehiscat in abyssum, superbia eum agente in præceps. Rursus de ratione beatitudinis est, vt ad sufficientiam affluant omnia, alioquin hiulca esset felicitas, vtpote deliquium passa. Hanc rerum omnium congeriem dum auidè appetit homo, fit auarus; & ita inducit hominem incautum in laqueos suos draco ille astutus. Demum ex Aristotele, felicitas nulla est sine delectatione, ad quam diabolus multifariam homines inflectit, & præcipuè cupediis gulæ, dum homo abdomini suo litat; item aliis machinis hominem oppugnat, vt in Venerem frangat, insusurrans omnes delicias esse infra luxuriæ illecebras, eoque pacto draco simulans hominem beatum efficere, miserrimum facit.

Beatitudo hominis in quo sit sita.

EX PHILOSOPHIA. *A. ex. Aphr. 2 de anima. cap. 40. Arist. lib. 3. Ethic. c. 5. & l. 1. Eth. c. 10.*

Bonum mouet appetitum.

Beatitudinis conditiones, quæ sint.

Arist. Eth.

Æmulator extitit serpens industriæ illius, quam Theophilus Imperator Græcus adhibuit, vt fideles distraheret à cultu & obsequio Sanctorum. Ille imagines abstulit Sanctorum, & fornicibus adiecit figuras bestiarum, quarum obiectu dediscerent homines venerari Sanctos, & eorũ præclarè gesta meditari. Ita & draco ille veneficus, animos hominum

Theophili Imp. astutia contra sacras imagines.

EX HISTORIA. *Hist. Imper. sub ann. 851.*

Beatitudo falsa decipit homines.

hominum distrahit à beatitudine æterna, vt bestiarum fœlicitatem, gulam, Venerem, decepti homines insectentur.

Ex SS. PATRIBVS. Aug. serm. 4. de cômunib.

Diabolus omnia corrupit.

Decem cornua adiecta sunt huic draconi, quibus oppugnat Decalogum; siquidem impedit asseclа diaboli omne quod statuit Deus esse inconcussum, nihil est illibatum effræni libidini eius, cui draco suum virus affinxit, quo omnia etiam sanctiora infecit, vt luget Augustinus. *Quid prauius? quid malignius? quid nostro aduersario nequius? qui posuit in cælo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni nostro opere zizania seminauit. Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignauiam, in conuersatione inuidiam, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, in præsulatu sine dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas: in vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos mouet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem.*

Tentationes vndique emergunt.

EX RE MEDICA. Diosc. lib. 4. cap. 74.

Vt in rerum physicarum indagine peritissimus est Satan, scit venenum Cicutæ esse præsentissimum, si diluatur in vino generoso; aiunt quippe medici virus illud mediante vino serpere in venas, quia merum natura sua sese insinuat in venas, & ideo vehiculi vice trahit noxiam vim cicutæ fruticis abhorrendi. Ea peritia cautissimus hostis suum venenum aptat vniuscuiusque indoli, vt quò natura vitiata vergit, eò etiam impellat hominem suis voluulis implexum. Fitque ea cautela draconis virus insanabile. Hoc animaduertit Gregorius ille summus Antistes ita fatus: *Prius complexionem vniuscuiusque aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quò ergo aduersarius occultus facilè capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat: quia lætitia voluptas iuncta est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit: quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcunque voluerit blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus insidiatur.*

Diaboli astutia in tentando.

Ex SS. PATRIBVS. Greg. lib. 29. Moral.

Dæmonis bellû graue.

Cassiodor. in Psalm. 51.

Gyros se intorquentis anguis considerans Cassiodorus ait, graue esse bellum, vbi hostis declinans aspectum æmuli sui, potest & omnes impetus eludere. Sic ille. *Bellum graue, quia occultum, quia cum fortiore. Hostis insidiæ non videntur: aduersarius nec labore deficit, nec victus aliquando discedit; sed tantò atrocior redditur, quantò eum per diuinam gratiam debellari posse contigerit.*

Diaboli nomina tria quid sonent.

Greg. lib. 33. Moral.

Tentationes ad tres referuntur.

In confesso est apud omnes, innumeras propè esse diaboli spiras, quibus irretire tentat homines incautos; tamen concors Patrum auctoritas omnes dæmonis ausus refundit in tria tentamina, quæ hominem sollicitant ad tria illa peccata toties decantata, & sic à Gregorio recensita, iuxta tria nomina diabolo imposita. Sic ille. *Diabolus dicitur iumentum, draco, auis. Humanum genus tribus vitiis valde tentat, luxuriâ, malitiâ, superbiâ. In eis igitur quos excitat ad luxuriam iumentum est: ad nocendi malitiam draco est: ad superbiam auis est.* Igitur in quascunque formas se composuerit homo, semper obuium habebit Angelum hunc refugam, qui aliàs hominis caput ferit superbiæ afflatu; solet quippe hoc vitium parere vertiginem. Si irrito conamine tentat caput; oppugnat ventrem cupediis gulæ, & Veneris illecebris, ægréque admodum potest homo incolumis euadere, obuiam factus diabolo sæuienti.

Ex THEOLOGIA. S. Thom. 2. 2. q. 165. art. 1.

Nec est quòd causeris, in hoc esse incuriam prouidentiam Dei, quæ nobilissimum animal in eas permisit venire angustias, vt sit veluti pabulum huiusce feræ immanis. Nequaquam sanè est incusanda prouidentia Dei, siquidem eius est consulere singulis iuxta naturam vnicuique insitam: est autem ille hominum status, à quibusdam lædi queat, vt & ab aliis adiuuari; lædi à dracone, & defendi ab Angelis. Quodque præcipuum est, ea fuit indole præditus homo, vt eo inuito nequeant vllum reatum affingere Angeli desertores. Etenim vim inferre voluntati hominum nihil potest; Deusque ita attemperat ausus inimici, vt etiam cedant in hominis bonum, iuxta sententiam procerum Ecclesiæ.

Tentationes in hac vita necessariæ.

Ex SS. PATRIBVS. August. in Psalm. 60.

In his audiendus est Augustinus. *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.* Molestia vrgentis inimici non obstat quin Sancti gestierint impetiti à dracone, scientes quantùm ad virtutis incrementum tentatio adiiciat. In ea mente fuit Gregorius, satius esse tentari, quàm torpere ignauia. Sic ille. *Multos sua peius felicitas strauit, multos diuturna pax victos reddidit, eóque illos inopinatos hostis grauius perculit, quò longo quietis vsu negligentes inuenit. Vnde sancti viri, cùm multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam superna dispensatione moderamine, exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tantò robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quantò tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius agnoscunt.* Hæc ille. Magnum etiam fiduciæ argumentum est, nunquam vrgeri hominem supra vires, sed duntaxat vt probetur. Hoc supra insinuauit Augustinus, cuius & hoc est effatum. *Tantum admittitur diabolus tentare, quantùm tibi prodest vt exercearis, vt proberis, vt qui te nesciebas, à te ipso inueniaris.*

Prosperitas est timenda. Gregor. lib. Moral.

Diabolus non agit quod nititur.

August. in Psalm. 61.

Tentatio non cogit. Chrysost. in Matth. c. 4.

Impotentiæ diaboli exemplum profert Chrysostomus, petitum ex Euangelio, vbi draco ille virulentus non in Christum irruit, vt illico prosterneret; sed suasione tantum vsus, pellicere ad consensum conatus est. Sic ille. *Non impulit, non tetigit, sed tantum dixit: Mitte te deorsum, vt intelligamus, quòd qui obedit diabolo, ipse se deponit: diabolus enim suggerere potest, cogere non potest.* Ideoque penes hominem semper est stare, Deo dante; quia potior vis inimici sita est in rebus extrinsecis, quibus vt armis vtitur ad homines expugnandum, vti prudenter admodum monet Hugo ille Victorinus. *Quatuor sunt causæ tentationum. Prima est loci amœnitas, vt ciuitates & oppida, quæ non tantùm ex situ loci amœnitatem recipiunt, sed ex inhabitantium gratia. Secunda verò causa est locus diuitiarum: Vbi enim diuitiæ, ibi periculum. Tertia verò causa est pretiosus ornatus, vt est*

Tentationũ causæ quot sint.

Hugo Victor. lib. 2. de claustr. animæ.

est equorum cura pinguium, & vestimentorum exquisita varietates. Quarta autem mulierum species, quarum vox blanditur auribus, & facies oculis.

Cùm igitur homo sit sui iuris, etsi circumdatus hoc dracone multiplicante gyros suos vt deturbet; non est refundendus in Deum hominum lapsus, quasi fuerit eorum incutius, faciendo eos pabulum anguis huius, qui sibilare potest, sed non vulnerare nisi incautos. Hæc Iure Canonico veritas liquet, quo peccati ratio tota est in arbitrio voluntatis, & non in diaboli impulsu. Sic Canon. *Sed pensandum est, ipsa cogitatio virum in suggestione, an delectatione, vel (quod maius est) peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu: suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, quia primo culpam serpens suggessit, Eua velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, vt inter suggestionem, delectationem, & consensum, iudex sui animus præsideat. Cùm enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente; si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est: cùm verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci: si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio.*

Ex Ivre Canonic. *Can. Sed pensandū dist. 6.* Tentationis initia & progressus.

Itaque tota diaboli virtus viget in industria & calliditate, qua illudit nobis, animum à Deo auertendo, & occupando simulachris rerum inanium, quæ fuit astutia Theophili, quem memini antea, pecora substituentis loco sacrarum imaginum. Quippe ex Theologia, peccatum nihil aliud est, quàm auersio à Deo, & conuersio ad creaturas, quod perinde est, ac si quis à Rege diuerteret, vt bestiis intenderet. Et hoc est infelix diaboli cum homine pactum, vt licet egregia quæque promittat, vt felicitatem omnimodam, lætos dies, diuturnum æuum, corporis sospitatem; hæc omnia nullo probato ære soluat, sed duntaxat pecore substituto. Quid namque ille vafer nundinator animarum præstat, nisi pecudum ritum? Verbi gratiâ, homo soluens indicta ieiunia, vt abdomini indulgeat, credit à diabolo nundinari aliquam beatitudinem, cuius loco Angelus ille nequam hominem in lupum mutat, eum faciens helluonem. Aliis dum prætendit Veneris illecebras, libidine expleta, summa corporum gaudia pollicetur. Crimine autem eo perpetrato, nihil residui inde homo refert præter hircorum indolem inhonestam. Gloriam se obstringit daturum ei, quem ad superbiam enutrit: sed euanescente eo apparatu gloriæ, homo in auem illic commutatur. Quasi enim ales homo instructus pennis, dum vanus est, ad leuioris auræ popularis impulsum abit in aëra. Tota denique illa nundinatio animarum facta sub spe probatæ monetæ, concluditur tamen pecore accepto ab homine, qui eo pretio relato in suas animæ gazas, pecorum naturam induit & ritum æmulatur.

Peccati initium & progressus.

Diabolus falsa bona dat.

Nec est ab eo pacto resiliendi locus homini sic decepto, quia consensit beatitudinem sibi adimi, vt pecore frueretur; agere que potest Satan hac constitutione Imperatorum Diocletiaui, & Maximiani. *Pretij causa non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus.* Eò alludunt periti omnes Iuris Canonici, quando facinorum seu reatuum omnium summam reponunt penes consensum animæ, quem etsi non imperat, diabolus tamen suasione & illecebris impetrat ab incauto, qui etsi aduertat se pecudis agere vitam, illectus tamen sensualiter pergit genio suo instar pecudum indulgere. Vnde & peccatum dicitur quasi pecoris actum.

Ex Ivre Civili. *Lege pretij causa. Cod. De rescindenda vendi tione.*

De peccati hoc iniquo progressu editus est iste Canon. *In suggestione peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum; in consensu perfectio. Et sæpe contingit, vt hoc, quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectionem trahat: nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cùm caro sine anima delectari nequeat; ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit: sed ligatum se vehementer ingemiscat.* Ex præfatis totus rei cardo vertitur in consensu, quem si diabolus extorquet, in animam irrumpit, omniaque illius susque deque versat; ita vt reprobus abiens in pecudem, sit homo tantùm cute tenus. Homini in tanto discrimine posito opitulatur Deus, mediis reuerà congruis necessitati quam patitur homo imbellis, atque adeò impar insultibus dæmonis insurgentis. Ecce Dei castra.

Peccati origo & incrementum. Ex Ivre Canonico. *Can. Sed pensandū dist. 6.*

Pars Secvnda Homiliæ.

De protectione S. Michaëlis.

INualuit quondam orbe toto generositas Colophoniorum, fecitque sibi nomen adeò grande, vt in quamcunque partem vergeret populus ille, victor indubiè staret à partibus eius. Prisca ætas in assentationem composita, Colophonios blandiendo euexit eò quò vnus tantùm Michaël Archangelus appulit. Dissitis quippe Angelis in duas factiones, præualuerunt illi, quos Michaël auxit suo præsidio: ideoque beati illi spiritus hunc Principem præpositum sibi impensè colunt, vt meminit Ecclesia hoc ei occinens elogium. *Michaël præpositus paradisi, quem honorificant Angelorum ciues.* Ciuitas Dei sancta Ierusalem terrestris, easdem etiam patiens angustias, quas cælestis illa Ierusalem olim experta est, eodem præfecto gaudet quo moderatore Ecclesiæ acies & dimicant & triumphant. Huius opem sic hodie efflagitat Ecclesia. *Michaël Archangele, veni in adiutorium populi Dei.*

Colophonij generosi.

Ex Officio S. Michaëlis.

Rerum ab eo Archangelo præclarè gestarum contra apostatas Angelos, & quam inde retulerit gloriam operæ pretium esset hîc retexere. Sed quia hoc pensum superat omnium hominum vires, mea deflectet oratio ad iugem illam opem, quam præstat & tribuit Ecclesiæ ille beatorum spirituum Antesignanus. Itaque ego æmulatus Bernardi ingenium, illius hæc vsurpo eloquia. *Quid de Angelicis spiritibus viles loquantur vermiculi? Attamen si multum est ad nos loqui de ea claritate, & gloria, qua in semetipsis, imò in Deo suo Angeli sancti, nostris omnino supereminent cordibus; de ea loquamur, quam nobis exhibent,*

Michaëlis auxilium salutare. Ex SS. Patribvs.

Bern. serm. 1. de S. Mich. Angeli nostram capacitatem excedunt.

exhibent, gratia, & charitate. In supernis enim spiritibus, non solum admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis inuenitur. Dignum est proinde, fratres, vt gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, qua nimirum constat nihilominus abundare domesticos Dei, cæli ciues, Principes paradisi.

Ex Ivre Civili. Instabis fortè, nihil ad nos pertinere Michaëlem Archangelum, quandoquidem non est custos noster. Angeli namque superioris ordinis non deputantur ad custodiam hominum, & præcipuè popularium, vt ait Angelicus Doctor, & Iure etiam Cæsareo confirmari potest, vbi sic sancit Imperator. *Viros clarissimos sacri nostri palatij, silentiarios circa latus nostrum militantes, dè tutelis & curationibus excusari sancimus.* (Leg. 15. Cod. De excusationibus.) Sed Michaël Archangelus est vnus è Principibus primis vel etiam primus Angelorum. Ergo nihil illi & nobis.

Angeli quidam custodes prouinciarum. Respondeo, Angelos esse in duplici differentia quoad custodiam hominum, aliosque esse occupatos in cura singulorum, alios verò ad custodiam plurimorum simul, eaque munia distribui iuxta statum illorum spirituum beatorum; ita vt inferiores Angeli, homines singulares curent, nobiliores verò prouincias & regna, vt ait Theologorum apex Dionysius, (Ex Theologia. Dionys. c. 9. cal. hierar.) cui & subscribit Clemens ille multiscius Alexandrinus, ita fatus: (Clem. Alex. lib. 6. Strom.) *Per gentes & ciuitates diuisa sunt Angelorum præfecturæ.* In eam iuit sententiam Epiphanius. (Epiph. hær. 51.) *Regna & Gentes sub Angelis posita sunt.* Ea conclusio ex Scriptura liquet, vbi septuaginta interpretes ita reddidere locum Deuteronomij. (Deuter. c. 32.) *Constituit terminos Gentium iuxta numerum Angelorum Dei.*

Ex SS. Patribvs. Hieron. in Dan. c. 12. Michael custos & patronus Ecclesię. Michael an mittatur vt alij Angeli. Hinc collige, veram esse opinionem eorum, qui censuere, Michaëlem Principem Angelorum fuisse patronum Synagogæ, & esse item Ecclesiæ, vt sensit Hieronymus, cui libenter adhæreo, frustra reclamante Suario Theologo, cuius infirmam censeo rationem, vt auctoritati Doctoris Ecclesiæ præualeat. Ait ille ex mente S. Thomæ, supremos Angelos non mitti; sed Michaël aliquando missus est à Deo ad præsidium Synagogæ, item & apparuit in monte Gargano, suam promittens operam fidelibus. Igitur ille supremus Angelorum, qui & nuncupatur Michaël, clarus victoria Luciferi, non est custos Ecclesiæ, nec fuit etiam Synagogæ. Pace dixerim tanti viri quantus est Suarius. Esto aliquis Angelorum missus vsurpauerit nomen Michaëlis, id præstitit, vt agens personam supremi Angeli, à quo mittebatur. Vt Angeli personam Dei agentes induerunt etiam nomen Dei, vt videre est in eo, qui sic affatus est Moysem. (Exod. 3.) *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Imò ex principatu nobilissimi Angeli, colligo illi curam Ecclesiæ demandatam. Nam ex Paulo Apostolo recensente Angelos. (Hebr. 1.) *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Si omnes mittuntur, ergo nemo excipitur.

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 112. art. 2. ad 1. Angelorum est duplex missio. Ne tamen mea sit assertio iniuria Michaëli, consulenda ex Theologia, cuius oraculo sciemus esse duos mittendi ritus, qui personis etiam diuinis conueniunt, vt & Angelis aliquali saltem modo. Alia est missio sensibilis, quæ in Angelis dicitur exterior, quæ scilicet est ad aliquod ministerium circa corporalia exhibendum. Secundùm hanc missionem non mittuntur omnes Angeli. Alia est missio inuisibilis, quæ attenditur secundùm peculiarem aliquem effectum, prout scilicet vnus Angelus alium illuminat. In eo sensu Michaël toti mittitur Ecclesiæ, quia Angeli eius inuigilant gregi Christi. Ita explicat Thomas missum fuisse Seraphinum ad purgandum labia Isaiæ Prophetæ; quia, inquit, *Angeli superiores communicant propria dona, à quibus denominantur mediantibus inferioribus Angelis. Sic igitur vnus de Seraphim dictus est purgasse incendio labia Prophetæ; non quia hoc ipse immediatè fecerit, sed quia inferior Angelus virtute eius hoc fecit. Sicut Papa dicitur absoluere aliquem, etiamsi per alium officium absolutionis impendat.* Hæc ille diluens ita incommodum, quod Suarez reperit, si quis Michaëlem primum Angelorum constituat patronum Ecclesiæ, quæ est sponsa Dei. (Michaël quomodo nobis prouideat. Suar. tract. de Angelis.)

Ex re Medica. Fern. lib. 1. Physiol. c. 8. Stante igitur sententia Hieronymi, Michaël singulis quibusque hominibus prouidet, vt sunt membra Ecclesiæ. Sicut enim spiritus animales etsi præcipuè vigeant in capite, vbi est potissimum & principale penu spirituum; tamen irradiatione quadam remotissimo cuique membro adsunt quando necesse est. Cùm nihil insciis illis spiritibus queant efficere membra illa procul à capite constituta. Ita licet Michaël sit veluti caput seu Princeps Angelorum, & Ecclesiæ inuigilet in genere; nulli tamen fidelium deest, si precibus vrgeatur. Eum quippe ea sollicitudo tenet, quæ & reliquos Angelos, qui ruinas ciuitatis suæ reparare satagunt, animas hominum ad sidera transferendo.

Ex SS. Patribvs. Bern. ser. de S. Mich. Angelos pia oratione cōpellat Bernardus. In eum collimat scopum Bernardus, sic compellans Angelos. *Nec decet vos, ô beati spiritus, contra legis præceptum dedignari, quam visitare debetis speciem vestram, licet in multam (vt ipsi cernitis) deiecta sit vilitatem. Sed neque arbitramur vos superni ciues ciuitatis vestræ excidio delectari, & ruina murorum, quos semirutos ipsi videtis. Cuius instaurationem si desideratis, vt dignum est; frequenter quæso ante thronum gloriæ verbum pacis iterate dicentes: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. Si diligitis decorem domus Dei (imo quia diligitis) experiantur zelum vestrum viui, & rationabiles lapides, qui soli instaurationem eius vobis possunt consummare.*

Ibidem. Satis superque Angelos sollicitat hominum amor, sed alia etiam subiicit argumenta curæ illius, quam exercent circa nos vigiles hi beati. Sic pergit ille Sanctus. *Hic est funiculus triplex, quo de excelso cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adiuuandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum. propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque vt dignum est imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim paruulorum, qui lacte modo vescuntur, & nondum solido cibo, perficienda est laus illa maiestatis diuinæ, cuius habentes primitias Angelici spiritus, beata nimirum delectatione fruuntur: sed tantò auidius nos expectant, quanto consummationis eius expectatione, & expetitione sollicitantur.* Hæc ille, qui commemorans causas quæ Angelos inclinat ad custodiam nostram, etsi sollicitudinis nomine (Angeli quare lubenter curam nostri agunt.)

vtatur,

Vbi ſuprà.

vtatur; quod anxietatem clamat, ait, *Reddi Angelos pro noſtra infirmitate ſolicitos; abſque ſua ſanè anxietate, ſed non abſque vtilitate noſtra, nec ad detrimentum fœlicitatis ſuæ, ſed ad noſtræ ſalutis argumentum.*

Cum Satanæ acies omnes explicatæ ſint ad perniciem Eccleſiæ, & Eccleſia ſit vnum quidpiam aggregatum ex multis partibus adunatis; proculdubio Angelis incumbit cura illarum partium: Angelis quidem cuſtodibus, vt illæ partes ſunt homines ſingulares. Sed hi homines ſi ſpectentur vt conſpirant ad Eccleſiæ vnitatem, cui præeſt Michaël Archangelus, tunc ſpecialem etiam eorum curam habebit ille Angelorum apex, cuius ſollicitudo omnia Eccleſiæ membra complectitur. In eo ſenſu dixere Patres, quoſdam homines habere duos Angelos, qui intenderent eis: vnum quidem quatenus homines ſunt; alium verò ratione partis, quam agunt in Eccleſia, ſi aliquas inſignes obeunt vices, vt Præſules, & maximè Archipræſul Pontifex ſummus. Vt colligit Origenes ex loco Actorum, vbi Petrus liber à carcere apparens creditus eſt Angelus. Quippe audientes diſcipuli ſtare ad ianuam Petrum, quem ſciebant arcto carceri mancipatum, dicebant ad inuicem: *Angelus eius eſt.* Origenes inquam inde arbitratur potiſſima membra Eccleſiæ, ſpeciales eſſe ſortita Angelos, vt obeant vices ſuas, idque probat exemplo Apoſtolorum, quos peculiares ait habuiſſe ſpiritus comites ad prædicationis munia perpetranda. Sic ille: *Ipſi Apoſtoli Angelis vtuntur, ad explicandum ſuæ prædicationis munus, & opus Euangelij conſummandum, intelligitur alius & Pauli Angelus, ſicut & Petri, & alius alterius Apoſtoli, & ſingulorum per ordinem.*

Michaël quare curam gerit Eccleſiæ.

Actor. 12.

Orig. hom. 11. in Numer.

Angeli ſpeciales Apoſtolis aſſignati.

Credo ex præfatis, liquere ſatis omnes homines etiam ſigillatim pertinere ad curam Michaëlis Archangeli Principis Angelorum: nec quæſo faceſſat negotium quòd Michaël dicatur Archangelus, atque adeò deſignetur ab ordine, qui eſt multo inferior eo, qui pertinet ad Principem Angelorum; ibi enim vox Archangeli non deſignat ordinem, ſed principatum, vt ipſa vox Græca ſonat. Et hoc præfatus eſt Dionyſius in indagine Angelorum peritiſſimus. Quomodo autem Principatus Michaëlis melius inſinuari poſſet, quàm ea nomenclatura, quæ ſi vnum indiuiduum notat, affingi tantùm poteſt ei, cui conuenit habere primas: ſiquidem vt inter Præſules vnus eſt tantùm Archipræſul, Papa videlicet; ita inter Angelos vnum credo eſſe tantùm Archangelum, qui Michaël appellatur, à quo innumera propè beneficia percipimus, mediantibus aliis Angelis. Principatus item eius aſtruitur ex prælio quod iniit cum dracone; illic namque ait textus: *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone.* Præponitur Michaël & adiiciuntur ei Angeli vt ſequaces. Draconi oppoſitur, vt vtriuſque exercitus capita conſererent manus æmulo certamine. Quod audis: *Michaël & Angeli eius,* id teſtatur non eminere modò aliis Angelis, ſed aliquid poſſidere, ratione cuius Angeli dicuntur eius, quaſi habitudine quadam illi Archangelo colligati.

Michaël aliis Angelis præpoſitus.

Apoc. 12.

EX THEOLOGIA.

Quali autem vinculo ſibi deuinciat alios ſpiritus ille Archangelus, illud ex Theologia proſtat, qua reſerante ſcimus, inferiores Angelos ingens luminis incrementum accipere quando eis affulget ſuperior, qui ſi irradiet, & aliquam ingerat notitiam rei abditæ prius aliis, dicitur purgare, illuminare, & perficere intellectum illius, cui rem aliquam manifeſtam fecit. Cùm ergo ſuperior Angelus vt natura ſua & gratia Deo propior ſit, plura nouit, ad quorum notitiam alij non vocantur à Deo niſi beneficio illius Angeli, qui quod nouit per ſpecies vniuerſales notum facit aliis per ſpecies magis contractas magiſtrorum more, qui concluſiones, quas ſciunt in præmiſſis, manifeſtas faciunt diſcipulis rudioribus, definiendo, diuidendo, diſtinguendo, vt vel ſic explicent eis illa quæ antea neſciebant. Quoties ergo Michaël periculum aliquod imminens homini, notum facit Angelo Cuſtodi, eum illuminat, & ſic peculiarem gratiam ſeu beneficium præſtat pupillo. Cùm dico Angelum præſtare peculiarem gratiam; ne tibi ſubrepat fieri mentionem de gratia illa habituali, quæ à Deo infunditur. Ea namque eſt ordinis, qui ſuperat naturam Angelorum. Itaque ſi quando Patres Sancti increpant homines vtpote immemores gratiarum, quas Angeli præſtant, hîc gratiam intellige quoduis beneficium, quod Angeli hominibus impertiunt.

S. Thom. 1. p. q. 106. art. 1.

Michael Angelos cuſtodes illuminat.

Ab Angelo collata gratia ſumitur pro beneficio.

Non eo tamen inficias, Angelos ſuis obſequiis multum conferre ad gratiæ illapſum in animas, illuminando, & hortando; diſpoſito namque homine gratia Dei non procul eſt: has autem diſpoſitiones præuias ad gratiam, Deus concedit fieri ab Angelis, quorum tota ſollicitudo hæc eſt vt homines ad gratiam Dei congruè præparentur. Imò ex peritorum ſenſu, etſi homo gratia Dei inſignis, non indigeat alia gratia habituali, vt aliquod bonum opus edat; indiget tamen gratia excitante, & hæc vtplurimum eſt beneficium Angeli, viros probos quandoque excitantis ſi torpent, & hortantis ſi ſeniores ſint in arduis exantlandis. Et equidem reor; præcipuos animæ æſtus anhelantis ad ſuperna eſſe irradiationes Angeli.

Angeli quid conferant ad illapſū gratiæ Dei.

Credo eò collimaſſe Apoſtolum illum, cui peruia fuere pleraque myſteria aliis abdita, quando ciuitatem illam, quæ eſt animæ typus, ita accuratè deſcripſit: *Vnus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis, locutus eſt mecum dicens: Veni & oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni. Et ſuſtulit me in ſpiritu, in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem.* Illa ciuitas proculdubio eſt anima Deo deſponſata in fide, quæ eſt lumen deſuper irradians, vnde & pergit Ioannes deſcribere ciuitatem illam: *Deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.* Præter fidem, qua refulget anima Deo deſponſata, multa etiam ei claritas affulget ex parte Angelorum, qui obſtant ne caliget anima in his quæ pertinent ad ſalutem. Nec dum hic gratiarum finis: *Habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim.*

Anima eſt ciuitas Dei.

Apoc. 21.

Ieruſalem cœleſtis eſt typus animæ.

Angeli circumdant animas pias.

In altitudine murorum cogita protectionem Angelorum, qui animam circumeunt inſtar muri. In portis vbi excubant Angeli, cogita ſenſus præcipuè externos, quibus inuigilant Angeli, ne quidpiam noxium irrepat in animam. Angelos inſtar valli circumdare animas, liquido fuit in exercitu Regis Vambæ, qui genuinam ideam refert victoriæ Michaëlis in draconem. Ille Vamba, Hiſpaniæ rutilum iubar, dimicaturus in Tyrannum vſurpatorem Regni, luſtrans exercitum ſuum, quem copioſum conſcripſerat, reſciens eò conflu

EX HISTORIA.

Trudenſis in Chronico ſub ann. 674.

Vambæ Regis ad bellum cunctis pia præcautio.

confluxisse plurimos adulteros, eos omnes deprehensos dirè excepit, eorúmque castigatione repurgauit agmen suum, sic effatus: *Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum.* Eo ritu mundatus exercitus copias explicauit in Tyrannum, vbi autem castra metatus est Vamba Rex Angelis assuetus, visi sunt Angeli vallare exercitum, à quo Princeps eliminarat omne impurum, iuxta illud Psalmi. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Psalm. 33.

Ex SS. Patribus.

Vide quàm benè cohæreant castra hæc, & ciuitas sancta sponsa Dei, cuius portis incubabant Angeli. Reuera sanctitas præpotens est argumentum, ad deuinciendam Angelorum curam, quæ tanta est vt plures Angeli sancti inuigilent vni animæ Deo gratæ, quàm sint diaboli in eam insurgentes, vt plures habuit Vamba Rex Angelos circumdantes exercitum suum, quàm milites armatos obiecerit Vambæ regni vsurpator. Rem egregiè describit Ambrosius, commemorans plures Angelos defensores astitisse Elisæo, quàm diabolos impulsores. Sic ille. *Quamuis diabolus idem colligat sibi turbas, & crudeli eas armet infamia; tamen facilè destruitur, quia melioribus populum suum Saluator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quod si Angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere barbarum, qui timuerit Saluatorem.* Ne suspicio irrepat timoris alicuius indecori, memento agi de anima sponsa Christi in qua non coeunt timor seruilis, & amor anhelus ad Deum, qui cælestem illam sanctam Ierusalem inhabitat.

Ambr. ser. de tumult. belli. Angeli custodia præualet insidiis diaboli.

Quæ sint autem arma, quibus accingitur anima Christiana custodita ab Angelis, disce ex eodem Ambrosio. *Non potest timere hostis impetum, qui Christi præcepta seruauerit. Præcepta enim Christi, arma sunt Christianis: & diuinus timor, terrorem à nobis expellit hostilium. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Saluator instruxit. Oratio, misericordia, & ieiunium. Ieiunium enim melius, quam murus tuetur. Misericordia faciliùs liberat quàm rapina. Oratio longius vulnerat quàm sagitta. Sagitta enim non nisi proximè conspectum percutit aduersarium: oratio autem longè etiam positum vulnerat aduersarium. Sic namque Elisæus Propheta, cùm vellet eum Rex Syriæ captiuare, ac suæ subdere ditioni, multisque eum armatorum cinxisset agminibus, non est turbatus, non est territus, sed annuntianti puero ait: Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. O fides sancti Prophetæ! Non timet aduersarios quos prospicit, quoniam scit Angelos secum esse quos credit. Non metuit terrenas insidias, quia cælestia adesse sibi nouit auxilia. Plures inquit nobiscum sunt quàm cum illis. Videte beatitudinis meritum, Propheta etiam nuntiat de multitudine, cùm puer adhuc incertus sit de salute. Spirituales oculi, carnalibus quanto plus cernunt? Hic prospicit armatorum numerum, & ille non cernit defensionis indicium. Quanta est diuina misericordia? defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium: periclitantes consequuntur & nesciunt. Hæc est enim pietas Saluatoris, vt interueniat saluti, nec se prodat aspectui: sentiatur beneficus, & non cernatur obtutibus.*

Ibidem. Præcepta Dei arma sunt.

Oratio sagitta est.

Opera bona sunt murus firmus.

Angeli plures sunt quàm diaboli.

Benè Ambrosius commemorat Saluatorem, dum meminit custodiæ Angelorum, qui si vigiles adstant portis sanctæ Ierusalem ciuitatis sponsæ Dei, totum illud animæ præsidium præstitum ab Angelis, est Deo decernente, qui Angelos præfixit nobis, vt media idonea ad beatitudinem assequendam: atque ita gratia hæc omnis, qua gaudemus, in nos à Deo Domino deriuatur. Imò nec ipse Michaël Archangelus initio Saluatore retulit victoriam de dracone. Vnde & Christus dicitur Saluator Angelorum, etsi non Redemptor. Saluator quia Deo decernente beatitudinem dare meritis Christi, eo etiam influente Angeli triumpharunt.

Saluatoris in nos pietas quanta.

Fauet nomenclatura Michaëlis: vox etenim illa Hebræa מיכאל *Michael* idem sonat ac, quis vt Deus, vtpote composita ex interrogatione מי *mi.* Quis. Et ex nota similitudinis כף *caph*, *sicut.* Demum ex nomine sacro Dei אל *el.* Vt ergo Angelis inuruntur nomina ab actibus; Michael illud nomen habet ab ea victoria, quam de diabolo reportauit propugnando gloriam Dei, ad quam vsurpandam sollicitabat Angelos draco ille immanis, cuius fregit nisus ille Archangelus, alios hortando ad obsequium Dei, cui erat impar omne quod eminet. Ingeminans ille has voces: *Quis vt Deus*, Angelos à partibus suis stantes præmonuit, ne ab eo bono deficerent à quo habebant vt boni essent, & fruerentur aliquando eo summo bono, si ab eo minimè declinarent. Tantùm valuit illa parænesis, vt beati omnes Angeli intuitu Dei, quem sibi proposuere in scopum, quantùm fas erat eis in statu viæ, fecerint irrita conamina draconis, & aliorum eius perduellium Angelorum.

Michael vox Hebræa.

Michael alios Angelos hortatus est contra diabolum.

Ecclesia Deo afflata Michaëlem pingit Cruce apposita fronti; quasi diceret in eo tantùm signo vinci, omnemque victoriam aspirante Crucifixo fuisse reportatam: vtque omnis Angelorum virtus effluxisse à Cruce demonstretur, Michaël depingitur oblonga cruce armatus, qua subiectum sibi diabolum configit, veluti insultans, & exprobrans eum voluisse adipisci gloriam arroganti nisu, quam Christus est Crucis opprobrio consecutus. Vnde in ignominiæ argumentum eadem transfigitur cruce, quam credidit ingloriam fore Saluatori. Ea armatura tanquam panoplia gestit Archangelus, ne sibi prosperum belli cum dracone euentum attribuere videatur.

Michaël quare pingitur cruce fronti apposita.

Simile quidpiam Vamba ille præfatus Rex Hispaniæ fecit, profligato exercitu Pauli tyranni impij, qui assumpserat regni infulas. Is Dei & hominum osor sacrilegas manus ingessit in templum Sancti Fœlicis Martyris Gerundensis, expilato ærario tulit inde coronam, quam sacrarat illi Sancto Rex Recaredus. Scelestus ille eo diademate vsurpato tumens conscripsit militem, instruxitque copias in Regem suum Vambam, qui & ipse sibi multo milite armato consuluit, spem totam suam refundens in Deum, & in Sanctos eius. Concurrerunt aduersæ acies, validè vtrimque pugnatum; sed ingrauescente prælio, & fatiscente acie infideli suo Regi, victoria cessit Vambæ, qui deleto exercitu perduelli, tyrannum sacrilegum hominem vinxit, Toletum duxit,

Ex Historia. Tudensis in Chron. sub an. 674. Paulus Tyrannus sacrilegus.

Vamba Rex quales egerit gratias sanctis tutoribus.

duxit, vbi regalibus exutum, pro tessera regni vsurpati imposita est ei corona è corio, ad dedecus insularum, quas prius assumpserat, & demum capite luit superbiam. Vt rescirent autem omnes, quo auxiliante victoria de tyranno cessisset in ius Vambæ, ille Toletum cinxit muro prævalido, multis Sanctorum imaginibus affixis in gyro ciuitatis, hoc titulo apposito.

Vos Domini Sancti, quorum hic præsentia fulget.

Hanc vrbem, & plebem solito seruate fauore.

Ita & Michaël Christi crucifixi virtute auctus, tessera illius, id est Cruce armatus gestit, nihil omnino sibi arrogans de victoria reportata.

Ex re Medica. Fern. lib. 1. Physiol. c. 8.

Vtinam Christiani omnes æmulos se præstarent egregij Regis, & tot saltem Angelis fornices erigerent, quot natura valuulas struxit spiritibus, quos vt beneficos asseruaret; duos in corde ventriculos affabrè effinxit, & quatuor alios in meditullio capitis concamerato opificio elaborauit eruditè, vt spiritus animales illic conclusi homini assuescerent, qui citra eorum operam in imis esset. Vellem & nos omnes corde & capite recolere Angelorum obsequia, quibus eludimus nefarios omnes diabolorum ausus. Id est, operæ pretium esset meditari iugem opem, quam Angeli præstant nobis, & eam affectu reciproco compensare. Meditatio ventriculos cerebri refert, sicut & affectus valuulas cordis congruè delineat. Hoc item commodum exurgeret, vt memores opis Angelorum, non insolescerent homines in prosperis; sed semper Angelorum deposcentes iuge præsidium, & honorem eis debitum expenderent, nec sibi aliquando honorem vindicarent qui exurgit de Dæmone profligato; sed gloriam omnem refunderent in Dominum Angelorum, vt prudenter monet Ambrosius. *Errat qui putat cùm prosperè aliquid gesserit, propria se fortitudine superasse. Scire enim debet quòd aduersarij meritis magis quàm virtute vincuntur, & non tam virtute quàm sanctitate superantur. Sicut sanctus Elisæus hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat. Nam cum idem ministro suo ad depellendum eius timorem plures adesse diceret defensores, nec metus ab illo posset auferri; tunc orauit ad Dominum dicens: Domine aperi oculos eius vt videat: & aperti sunt oculi eius, & vidit: & ecce mons totus plenus equitatu. Oratio autem Prophetæ aperuit oculos pueri. Non mirum, inquam, si nouos inserit oculos, qui noua promeretur auxilia. At cur non aciei producat obtutum, qui acies instruxerat Angelorum?*

Victoria de diabolo quomodo reportetur.

Ex SS. Patribus. Amb. serm. de tumult. belli. Angeli oratione conciliantur.

Vides hoc contextu, Elisæum demeruisse præsidium Angelorum, præuiis precibus ad Deum Angelorum anhelo pectore emissis, atque ita illud omne auxilium præstari nobis precariò, nec esse vnde eo veluti debito sibi quispiam insolescat. Imò iugis opera beatorum spirituum animos nostros sollicitat ad humile Angelorum obsequium, & ad pietatis incrementum; ne si beatæ illæ mentes aduertentes aliquale deliquium in nobis, magno animarum nostrarum discrimine retrocedant. Etenim bonis tantùm congaudent, sicut & reprobos auersantur.

Apis ex capite Vambæ Regis prodiit.

Locuples in Vamba Rege prostat nobis historia huius argumenti. Cùm Antistes inauguraret eum in Regem in publico consessu regni, videre omnes apem exilire à capite eius, & auolare in cælum. Crediderim ego fuisse Angelum custodem, qui alium Angelum superioris ordinis inuitabat vt curaret hominem hunc sanctum, & Regem; quo enim quis sanctior futurus est, & ad altiorem gloriam euehendus, eò etiam nanciscitur Angelos nobiliores, vt & Reges, quorum cor dicitur esse in manu Dei, ob singularem curam quam gerit Deus, eis intendens vt sunt capita populorum.

Ex Historia. Trudens. in Vamba sub an. 672.

Gaudere potissimum Angelos bonorum consortio, & satagere sedulò vt eorum virtus sarta tectáque perennet, audi ex Ambrosio. *Quò sanctior quisque, eò communitior. Sic Elisæus Propheta exercitus Angelorum præsidia sibi adesse monstrauit. Sic Iesu Naue ducem militiæ cælestis agnouit. Possunt igitur fructum in nobis custodire, qui etiam possunt militare pro nobis.* Et esto neminem omnino deserant Angeli custodes; tamen conglobatim aduolant vt stipent homines sanctitate insignes, quibus non tot nectit insidias Dæmon, quot præstant auxilia beatæ mentes; sicut Elisæus ait ad solamen pueri admonentis, instare globos & cateruas hostium acerborum: Plures inquit nobiscum sunt quàm cum illis. Vnde Ambrosius hæc exclamat: *Mira res, plures è cælo defensores meretur sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas.*

Angeli sanctos adiuuant. Ex SS. Patribus. Ambr. lib. de 8. virg. pag. vltima.

Idem serm. de tumult. belli.

Sed inquies, quale est auxilium speciale, quo Michaël Archangelus in homines influit? & vnde discerni potest ab aliis Angelis? Dicam, sed reseratis Theologiæ claustris. Omne Angelorum ministerium in missione potissimùm inuisibili situm est: attenditur illa missio in illuminatione intellectus: peculiare autem est vnicuique è supremis Angelis illuminare intellectum, secundùm facultatem, quæ naturam illius Angeli consequitur, & tales denominat Angelos. Verbi gratiâ, si quis interiori afflatu Angeli, pharmaco vteretur ad curam alicuius, diceretur ille edoctus à Raphaële Archangelo, cuius nomen perinde sonat, ac medicina Dei. Rursus si quis suasore diabolo dubium faceret mysterium conceptionis Christi, ancipitémque suum animum fortiter inclinaret ad assensum omnium quæ credenda prostant; nemo est qui non affirmaret præstò huic fuisse Gabrielem Archangelum, cui cura demandata est illius mysterij, de quo Iosephum edocuit. Par ratio est in Michaële Archangelo, cuius tessera illius nomine designata hæc est. *Quis vt Deus.* Quoties ergo quis benè affectus in coryphæum illum Angelorum, pertæsus hæc infima assurgit in Deum, vt in bonum infra quod sunt alia omnia bona ementita, ille sanè Michaëlis opem sentit, nec præsidij eius aliud roperas argumentum.

Ex Theologia. Michaelis quale sit auxilium. S. Thom. 1. p. q. 111. art. 2.

Sed vt liquidò magis fiat recensio gratiarum, quas Michaël præstat singulis quibusque fidelibus, reuocanda est series verborum Apocalypsis, vbi ciuitas illa sancta typus animæ Deo desponsatæ, describitur habere portas custoditas ab Angelis. Dixi, portas referre omnes hominis sensus; numero quippe duodenario Scriptura vniuersalia quæque commemorat, vt videre est in Apostolis, qui duodecim esse dicuntur; & tamen adiectis Paulo, Matthia, & Barnaba, quatuordecim sunt. Item duodecim tribus Israël tantùm numerantur, cùm plures tamen sint.

Angeli obseruant omnes aditus animæ.

 Cùm

Cùm igitur audis, duodecim portas ciuitatis sanctæ habere singulos Angelos, intellige omnes aditus animæ obseruari ab Angelis, ne quidpiam furtim irrepat in cor hominis, vnde incurrat in discrimen. Verbi gratiâ; homo obuiam factus mulieri speciosæ aperto sinu, spiranti libidinem, illico concutitur animus, oculo incauto ingerente species inhonestas. Sed si compos sui animus ille qui nutauit, eosdem oculos in cælum dirigat, vt speculentur pulchriorum rerum ideas omnes esse leuia rudimenta tantùm immensæ illius pulchritudinis, in quam desiderant Angeli prospicere; reuera Michaëlis Archangeli facinus est monentis, *Quis vt Deus*. Id est, Apage speciosa illa oculorum ludibria, & memento, omnia Deo comparata, esse vilia puerorum crepundia.

Michael quid suggerat nobis.

Denique quoties vrgetur animus aliqua illecebra, peruadente hominem sensu illecto, & velut inclinante in voluptatis partem: si tunc auribus intimis insonet, *Quis vt Deus?* Caue homo ne deuies à summo bono, vt magno tui dispendio, minimis adhærescas. Anhela ad Deum fontem omnigeni boni, ne deceptus vilibus occuperis. Eo maximè instinctu se prodit Archangelus Michaël, siue immediatè hoc faciat, siue alio Angelo misso, qui præsentia sua locali phantasiam moueat, vt suggerat species idoneas conceptui, quem vult ille Angelus efformare. Ille ritus animas adiuuandi potissimùm decet Michaëlem, qui cùm sit omnium beatorum spirituum facilè Princeps, nobilissimo etiam operandi schemate suas gratias impertitur. Nulla namque ratio sanctior est, neque nobilior eludendi noxia diaboli consilia, quàm si solo Dei intuitu terrena omnia nauseam concilient, quibus tamen vsus erat hostis ad animas oppugnandas.

Tametsi videtur ea norma repugnandi, esse idonea tantùm emeritæ virtuti, vtpote animum defæcatum poscens, qui sapiat cælestia; nemo tamen ab ea secernitur, nec reperire est hominem adeò deploratum multiplici flagitio, cuius animo non quandoque insideat ista cogitatio, *Quis vt Deus*. Quid vexaris, ô anima mea errabunda in indagine boni, quære vnum bonum, quo tantùm bona sunt omnia, quæ habent vt bona sint, satis superque tibi erit illud bonum quod est ipse Deus. Si se quisque conueniat & sciscitetur an aliàs suis insonuerit auribus hic discursus; proculdubio non abnuet, & sic Michaëlem Archangelum adfuisse sibi comprobabit.

Orig. hom. 11. in Num.

Dices, quomodo possit vnus ille Angelus Michaël toti consulere Ecclesiæ, cùm etiam duos dixerim Angelos assignari hominibus insigni dignitate conspicuis, vt credidit Origenes ductus exemplo Petri, cuius Angelus dicebatur adstare ianuæ domus vbi erant discipuli congregati?

Michaëli quare alij subditi sint Angeli.

Respondeo, Deum, aliquem inaugurando, dare vnde queat obire vices, quas exigit titulus ille insignis, vt videre est in Moyse, cui recturo populum Israël, dederat vbertatem spiritus eam, quam nemo nactus antea fuerat. Cùm ergo curam Ecclesiæ demandarit Michaëli Archangelo, alios ei etiam omnes subdidit Angelos, qui custodes sunt hominum, quibus multa nota facit ad salutem pertinentia animarum, quibus præfecti sunt. Et demiror, Suarem credidisse Ecclesiæ curam demandatam esse aliis ordinibus infra primam Hierarchiam, quasi esset sollicitudo inglorià Michaëli Principi Angelorum. Quæro ab eo insigni Theologo, an sit indecorum assignare nobiliores Angelos nobilibus etiam Sanctis, dicet nequaquam esse incongruum pro dignitate animarum, & eminentia futuræ beatitudinis decerni Angelos. Ergo cum B. V. Maria & Ioannes fuerint membra Ecclesiæ potiora etiam omnibus Angelis consideratis in ordine ad gratiam, non erit ille iniurius Michaëli, qui dixerit gerere curam Ecclesiæ, cuius aliqui fideles ei præeunt in gloria.

Suar. in tr. de Angelis.

Tutela Principum est gloriosa.

Ex Historia. *Hist. Gallic. in Lud. XII.*

Reuerà etiam in humanis esse onerosum munus tutelæ, leges Cæsareæ clamant; tamen eius eminentiæ posse esse hæc tutela, vt & ambirent eam ipsi Reges, vt superiori sæculo accidit. Mortuo namque Philippo Austriaco patre Caroli quinti, pueruli tutelam inuidit Regi Ludouico Gallo Maximilianus Imperator auus Caroli, qui aliquando futurus Cæsar, vt natus Imperio, nihil indecorum affinxit Regi Gallo. Simili modo nihil inhonestum inurit Archangelo Michaëli præfectura Ecclesiæ, quæ concludit animas supra omnes Angelos euehendas. Nulla tamen æmulatio sollicitat beatos hos spiritus, dum aduertunt superiores se natura hominibus, esse infra aliquos in gloria. Etenim beatæ illæ mentes totæ effectæ ad nutum Dei, in eos se affectus componunt quos exigit Deus.

Ex SS. Patribus. *Ambros. in Psalm 37.*

Angeli quare sinant nos tentari.

Hoc igitur esto ratum, neminem esse fidelium, ad quem non se porrigat cura Michaëlis, aut immediatè illum illuminando, aut mediante aliquo alio Angelo, quem emittit veluti in subsidium Angelo custodi, si ingruit grauis tentatio, qua vrgente etiamsi credantur abesse Angeli, præsto tamen sunt, se prodentes ad arbitrium Dei, vt scitè ait Ambrosius. *Quomodo longè stant qui ad adiumentum sunt attributi? sed non illi separant, sed qui vrgetur tentationibus, putat eos abesse, quos propius sibi adesse desiderat, & arbitratur dissimulare, cùm illi inuandi tempus nutu sui Imperatoris expectent, qui athletam suum què gloriosius vinceret, diutius certare præcepit. Et videtur hoc magis sequentibus conuenire, quia Angelis protectionis excubias relaxantibus, insidiantur inimici quærentes in anima eius inuenire quod noceat. Tunc enim potestas illis grauioris tentationis permittitur, cum culpa anima grauior reperitur.* Hactenus Ambrosius.

Totius Ecclesiæ cura pertinens ad Michaëlem colligi etiam potest à contrario sensu, videlicet à diaboli æmulatione, qua molitur perniciem Gentis nostræ, ad cuius excidium alios Angelos Apostatas armat, stante adhuc in Dæmonum ruina ordine naturali, quo inferiores superiori morem gerunt, ratione naturæ præstantioris, & hoc etiam ita Deo Domino decernente. Prouidentia Dei non minore cura cauit hominibus, assignando Angelum, cui & alij imperanti obedirent, cùm ratione naturæ eminentioris, tum ad præscriptum Dei obseruandum.

Ex Theologia. *S. Thom. 1 p. q. 111. art. 3.*

Quomodo autem Michaël adiuuet nos, & occurrat diaboli technis, accipe. Res est in confesso apud omnes, totum inferorum agmen non posse directè agere in voluntatem hominis, eam inducendo in peccatum, quod cum in volitione libera situm sit, vtpote in voluntario radicatum, hoc superest solum, vt ille hominum osor acerrimus suasione noceat: suasio autem duo importat, scilicet notitiam Dei, ad quam quis sollicitatur,

Diabolus tantum suasione nocet.

citatur, & voluntaris propensionem. Notitia, quam ingerit Dæmon, vt homo peccet, fucata est semper: namque omnis peccans est ignorans; hominem verò incautum sic dementat. Scit eum indigere specie sensibili vt cognoscat, iuxta illud Philosophi, Oportet intelligentem phantasmata speculari: astutus ille organa phantasiæ ita attemperat, vt simulachra obiiciant intellectui earum rerum, quas intendit Satan. Animus speculans verbi gratiâ mulieris speciosæ ideam, quam ingessit Dæmon, componendo organa phantasmatum ad intentum suum. In ea speculatione defixus homo dum considerat mulieris speciem vt bonum sibi consonum, voluntas statim vltro inflectitur ad consensum, & inde mali labes. Adiice, corruptelam indolis nostræ inclinare hominem ad peccatum, carne vtplurimum in animam præualente. Et hoc astruit textus sacer. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Homine sic affecto & proximo ruinæ, Satan draco virulentus cauda sua maximam hominum partem trahit.

Gen. c. 6.

Diabolus vtitur vitiis vt ministris.

Totam hanc peccati historiam euincit Michaël Archangelus, curans Ecclesiam: nisi enim ipse aut Angeli eius præsto essent, non dubia tantùm esset sed deplorata hominum salus, homine imbelli nequeunte stare diabolo debacchante, & habente nostras passiones ipsi famulantes ad discrimen nostrum, vt luget Ambrosius. *Diabolus multos suos ministros dirigit, qui non foris tantummodo, sed etiam intus faciant persecutiones in animis singulorum. Persequitur auaritia, persequitur ambitio, persequitur superbiæ, persequitur fornicatio. Vnde Apostolus ait: Fugite fornicationem. Nam qua de causa fugeres, nisi illa persequeretur? Est enim malus spiritus auaritiæ, malus spiritus superbiæ. Isti sunt persequutores graues, qui sine gladij terrore, mentem hominis frequenter elidunt: qui illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fidelium. Hi tibi hostes cauendi: hi grauiores tyranni, per quos Adam captus est. Multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt. Aduertis quam graue certamen sit quod est infra hominem, vt secum ipse confligat, cum suis cupiditatibus prælietur. Ipse Apostolus fluctuat, hæret, astringitur, captiuari se asserit in lege peccati, & mortis corpore debellari, nec potuisse euadere, ni esset Domini Iesu gratiâ liberatus.*

Ex SS. Patribus.
Ambros. in Psalm. 118.
Vitia sunt persequutores animæ.

Ita planè omnis gratia in ordine ad gloriam, est Christi; sed eo ordine vt ipse Deus immediatè influat in animam, quando efficitur ei grata formaliter: cùm autem anima illuminatur, aut excitatur ad meliorem frugem, tunc Deus vtitur ministerio Angelorum, qui primò compescunt vim Dæmonis volentis agere in organa phantasmatum, & sic homini illudere, ei fucatas species inurendo. Secundò occurrunt Angeli abigendo Dæmonem, vti fecit Raphaël Asmodæum alligando procul à domo Raguelis, vbi antea sæuierat. Demum irradiatione sua homini affulgent Angeli, notas faciendo veritates, quarum intuitu eò fertur affectus, quò intendit spiritus hic beatus, eoque pacto homo efficitur diabolo superior. Et quia omnis ferè tentatio eluditur speculando Dei magnalia, Michaëli tribuitur principale decus atque præsidium Angelorum, quia pertinet ille modus adiuuandi ad denominantem tesseram eius. Quippe, vt præfatus sum, Michaël perindè est ac, *Quis vt Deus.*

Angeli quomodo homines illuminent.

Hunc repugnandi ritum, speculando Dei obsequium, commemorat Ambrosius, vocando eum genus martyrij, quo quis testatur excellentiam Dei, vt & Michaël in suis incunabulis fecit, propugnando iura Dei, in quæ refuga Angelus insurrexit. Sic ille. *Vt multa persecutiones, ita multa martyria. Quotidiè testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis; sed veritus Christi, venturum iudicium, temerandam mentis & corporis castimoniam non putasti, martyr es Christi. Tentatus spiritu auaritiæ, vt possessionem minoris inuaderes, indefensæ viduæ iura temerares; & tamen contemplatione cælestium præceptorum, opem magis ferendam, quam inferendam iniuriam vindicasti: testis es Christi. Tentatus es spiritu superbiæ; sed videns inopem atque egenum pia mente compassus es, humilitatem magis quam arrogantiam dilexisti; testis es Christi, & quod amplius est, non sermonis tantummodo, sed etiam operis testimonium præbuisti.* Benè Ambrosius adiicit testimonium operis; siquidem haudquaquam frangitur Satan hac voce, *Quis vt Deus*, nisi & hanc bona opera consequantur.

Ambros. in Psalm. 118. l. c. 20.
Tentationes faciunt nos Martyres Christi.

Quia naturalia etiam Dæmoni constant, & eo robore præstat, quod inferiores Angeli fortassis elidere nequeunt, eum Ecclesiæ suæ custodem dedit, qui sæuientem hunc draconem initio compescuit, & cuius ausus fuere Deo iniurij. Vnde reuerà indiguit homo valido præsidio, ne succumberet perduelli Angelo tam potenti, vt meditatur Ambrosius. *Qualis aduersus seruulum Dei potest esse superbus, qui aduersus Deum se exaltat, & dicit: In cælum ascendam, super sidera cæli ponam sedem meam, sedebo in monte excelso super montes altos, qui sunt ab Aquilone: ascendam super nubes, & similis ero Altissimo? Quid mirum itaque si grauare homines possit, qui pertinaci spiritu nec Deo cedit? Quomodo mensuram veritatis, & fidei in homine reseruabit, qui sacrilegio impudentique mendacio omnipotenti se Domino adæquandum esse promittit? Quomodo non calumniatur singulos, qui totam irritauit terram, concussit Reges, posuit vniuersum orbem desertum, & ciuitates destruxit: eos qui in abductione erant non soluit? Caueamus ergo ne muros animæ nostræ destruat, ne propugnacula nostræ mentis diruat, ne super sidera thronum suum ponat. Ponit thronum super sidera, quando electum decipit, quando iustum circumuenit, cuius opera lucebant sicut stellæ in cælo. Nonne & Iudas proditor inter cæteros audiebat; vos estis lux mundi? Nonne diabolus lumen eius extinxit? Qui etiam quos non potuerit circumuenire calumniatur, inuidens regni cælestis gloriam; vt quos illecebris suis à Christo non potuit separare, eos calumniis suis debito honoris fructu fraudare conetur.* Hactenus ille Sanctus.

Diaboli magna est potentia.

Ambros. in Psalm. 118.

Diabolus quando ponit super sidera thronum suum.

Esto sit ferus & immanis ille draco, sua spargens incendia, quibus conflagrare solet orbis; Archangelus Michaël & Angeli eius restinguere possunt eos ignium globos, vt & colligere est ex fideli recensione priscorum temporum, qua referente scimus, hominem Scytham genere, cui nomen Gainas, voluisse inuadere Imperium. Erat ille Arianus præfectus, militum numeroso exercitu potens, quo stipatus Constantinopolim appulit,

Gainæ astutia vt inuaderet Imperium.
Ex Historia.
Hist. tripartita l. 10. c. 6.
Socrat. lib. 6. cap. 6.

Angeli obstant ne palatium Imp. vreretur.

appulit, & noctu Barbaros intromisit, qui faces palatio submitterent, vt Imperatore & populo igni intentis vrbem diriperet, irrumpens in homines imparatos. Sed vbi incendiarij accellere ad palatium, habuere Angelos obuiam validè obstantes, suaque sic ope imperium & palatium protegentes. Et reuera clades Imperio imminebat, si Angeli non extinxissent faces, quas regiis ædibus Barbari supponebant. Simile excidium homini parat flammiuomus ille draco, vt vsurpet imperium animarum, mittit incendiarios, qui submittant libidinis faces, aut iracundiæ, qua etiam animus incandescit. Sed Angelorum curâ statim hæc sopiuntur incendia, quorum æstum ferre nequit homo citra salutis suæ deliquium.

Angeli iustis inuigilant.
Ex SS Patribus.
Ambros. in Psalm. 118. litt. 3.

Audi Ambrosium describentem horum inuisibilium hostium crebras insidias. *Isti sedent, & explorant qui iustus sit in hoc sæculo, qui Christianus intentè Deo seruiat, studiosus boni operis & facti.* Pergit ille declarare incendia iræ atque libidinis, quæ excitat draco. *Quis Regem Saul in Dauidem excitauit, nisi spiritus malus, sicut legimus, qui se dolebat excludi, quotiescunque Dauid, vel citharæ sono, vel bonorum consiliorum atque operum fidibus ac numeris mentem Regis animumque mulcebat? Quis excitauit Doeg Syri nequitiam, vt sanctum virum proderet, & hospitalem humanitatem deduceret in periculum sacerdotis? Quis inflammauit ardorem Ammon, vt domum incestaret propheticam, & contristaret animum patris alterius incesti libidine, alterius iniuria, vt qui aliis prophetabat, domus suæ mala prauidere non potuerit? Quis armauit furorem Absalon, vt patrem domo excluderet & parricidali prosequeretur prælio? Sed cùm propè viribus regni iam esset sanctus inferior; hoc vno incensa aduersum se diaboli restinxit spicula, quod cùm filius necem peteret patris, ille tamen salutem filij, pietatis mandabat affectu.* Audis incendia, cogita diabolum incentorem. Audis pios affectus, cogita Michaëlem, quia mediatè aut immediatè suam præstat opem, cuius commoda adeò insignia sunt, vt citra ingratitudinis notam ignobilem homo incultum Michaëlem nequeat præterire.

Diabolus ad malũ semper homines excitat.

Epilogus Homiliæ.

Quàm impensè excolendus sit S. Michaël.

Nemo nisi iniurius Angelo custodi immemor esse potest gratiarum, quas accipit mediante illius cura; & vt memoria beneficij gratitudinem sollicitat, nequit homo gratiam non referre Angelo, quem accepit in comitem ærumnarum, non vt compatiendo eas leuet, nihil enim patitur ille spiritus, qui idcirco comes adiectus est, vt suo præsidio occurrat incursibus prauis pupillo iniuriis, qui propterea suo custodi Angelo deuincitur. Ergo quantò gratia potior, tantò esse nobilior debet gratitudo; ideoque etiam cultus impensior. Quonam igitur cultu prosequemur illum Archangelum, ad cuius nutum omnes Angeli compositi congruè hominibus obsequuntur? Peculiari sanè dignandus honore, ille primas in Angelis tenens, idque etiam Iure Canonico sancitum, vbi Christianis indicitur dies sacer Archangelo Michaëli. Ecce Canon. *Pronuntiandum est laicis, vt sciant tempora feriandi per annum, id est, omnem Dominicam, &c. Feriandi vero per annum isti sunt dies Natalis Domini, &c. Dedicatio Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli.*

Michaelis festum à iure institutum.

Ex Ivre Canonic.
Can. Pronuntiandum. De consec. dist. 3.

Sanctio illa de peculiari ritu colendi Michaëlem fundamentum habet in eo textu glossæ sic monentis. *Aduocatis debet constitui salarium, vel beneficium, secundùm dignitatem, & scientiam suam.* Vnde conclusio emergit in gratiam illius Archangeli, qui cùm dignitate reliquis præstet, & plus homines aduocatione sua & præsidio deuinciat, præcipuo etiam est honore prosequendus: non eo tantùm, quem statuit Ecclesia, assignans diem vnum singularem ad beneficia eius animo recolenda; sed iugi affectu in beatum hunc spiritum, tam sedulò saluti hominum insudantem.

Gloss. 3. cap. 1. de Magistris.
Michaeli quales debemus gratias.

Hominum obsequio equidem capitur ille Angelus, vt ipse olim aperuit Episcopo Abricatensi, cui apparens ait velle Ecclesiam titulo Michaëlis dedicari ad oram maris; vt eodem ritu illic coleretur, quo in monte Gargano. Nimirum illius Archangeli cura se porrigens ad omnes homines terra & mari transigentes hoc æuum, meritò deposcit sibi consonum vtrobique cultum à fidelibus omnibus exhiberi. Hunc qui pendit honorem, congruè compensat Michaël, vt insigni suo commodo expertus est Iustinianus Imperator, qui vt audiit rebellasse Vandalos & finitimas oras populari, festiuè erexit Ecclesiam in honorem Michaëlis, vt ille qui perduelles Angelos strenuè prostrauerat, Vandalos etiam perduelles defectione sua, vindex iniuriæ, virtute sibi insita profligaret. Res è voto accidit; siquidem ille Imperator, qui pluris credidit esse operam Angelorum, quàm numerosas acies, superno fretus auxilio compescuit ausus Gentis illius infidelis.

Ex Historia.
Sigebert. in Chro. an. 709.
Michaëli quare Ecclesiam erexit Iustinianus Imp.
Proco. l. 1. de bello Vand.

Esto ille Sanctus beatorum spirituum Antesignanus magnopere gaudeat templis Deo sacris suo vocabulo, vt symbolis quæ beatum eius statum produnt. Non cunctor affirmare eum magis delectari pietate nostra, quàm templis marmore incrustatis. Quippe eo tantùm fine voluit sibi loca quædam fieri sacra, vt vel eorum intuitu homines memores essent gratiarum, quas suis ille clientibus impertitur, & inde eorum pietas in Angelos aliquod carperet incrementum. Alioquin lapides inanimes haudquaquam pertinent ad Angelos.

Ex SS. Patribus.
Bernard. in Ps. 90. ser. 11.

Eò collimant omnes paræneses, quæ hominem sollicitant ad obsequium Angelorum. Non vt templa erigamus Angelis; propriè enim Deo soli templa dedicantur, Sancti verò in patronos aduocantur. Ita etiam Angelorum cultus præcipuè Deum spectat, à quo habent vt sint quibus benè sit, & præstare queant aliis operam, quâ benè sint, & quæ vtentes eorum ope gratitudini obstringit, redditis Deo debitis gratiarum actionibus. Sic Bernardus. *Angeli adsunt tibi, non modò tecum, sed etiam pro te vt protegant, adsunt vt prosint. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Siquidem soli ei honor & gloria. Quare ei soli? quia ipse mandauit, & omne datum optimum nisi ab illo non est. Veruntamen etsi ille mandauit, ipsis quoque qui & ei ex tanta charitate obediunt, & nobis subueniunt in tanta necessitate, ingratos esse*

Angelis multis obstringimur titulis.

esse non licet. Simus ergo deuoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus. Totus tamen ei redaatur & amor, & honor noster, a quo tam ipsis, quam nobis est totum, vnde honorare possumus, vel amare, vnde amari honorariue meremur. Neque enim Apostolus vbi ait: Soli Deo honor & gloria, prophetico credendus est obuiare sermoni, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur. Puto autem simile esse illud verbum Apostoli ei quod idem ait: Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Siquidem non hoc voluit, vt alia quaelibet debita negarentur, praesertim cùm idem ipse dicat: Cui honorem, honorem.

Angelos amare tenemur.

Prisca ætas etsi infidelis, adeò tamen grata extitit erga omnia sibi benefica, vt inde emerserit illa frequens statuarum erectio, quam tantopere Heroës ambiebant. Hæc profana omnia simulachra euertit Ecclesia, eis substituens imagines Sanctorum. In eo argumento celebratur vetusta imago victoriæ, cuius accipe historiam. Argonautæ infestantes regnum Amyci, Rex ille armata manu eis occurrens, fudit lectissimum illud agmen Argonautarum, qui sese recipientes in syluas obuiam habuere iuuenem aligerum, qui eos certiores fecit de victoria instante, si in Amycum Regem iterato discrimine concertarent. Nihilo segniores facti, resumunt animos, prouocant hostem, concurrunt acies, occumbit Rex, & cæteri profligantur. Locum illum appellauere Sosthenium, id est, salutiferum, & illic speciosam erexere statuam, quam posuere victoriæ figuratæ in modum iuuenis illius aligeri, quem credidere adiunctum sibi in prælio. Illud victoriæ simulachrum æuo etiam Constantini stetit, qui eam peragrans prouinciam admiratus est insigne illud opificium statuæ alatæ, eadem statua alis instructa apparuit ei in somnis dicens: Ego sum Michaël Archangelus, qui tibi adfui contra rebelles. Vigil Imperator celebre templum illic erexit in honorem illius Principis Angelorum, ad quod confluentes ægri omnes, sospites ad propria redierunt.

Ex Historia. *Niceph. Cal. bibl. Eccles. lib. 7 c. 50.* Argonautæ ob victoriã erexere statuam victoriæ.

Sosthenium quid fuerit olim. Michaëlis statua alata. Michaëli templum erexit Const. Imp.

Diceres hunc Angelum odisse potissimum rebelles, & eos qui iniquo prælio lacessunt innoxios, vti suo damno experti sunt Lithuanij. Ea gens fera & contermina Poloniæ, ingentes retulit de eo regno prædas. Sed Deo miserante Poloniam, Lescus Rex magnam Lithuaniorum edidit stragem, celeberrimâ de eis victoriâ reportatâ. Ei fatigato & reduci de prælio apparuit Michaël, quasi insinuans esse opus suum hoc trophæum. Vnde & Rex in argumentum animi sui memoris beneficij accepti, insignem Ecclesiam fecit, Michaëlis nomine nuncupatam.

Michael propitius Lesco Regi Polon.

In eo Archangelo veneramur omnes Angelorum choros, velut in gyrum actos ad nostram custodiam, ne & ipse draco in voluulos spirasque compositus, quandoque arcuato suo incessu concludat. Continuus ille Angelorum circuitus in gratiam hominum, nonne etiam iuges meretur gratiarum actiones, cum illis excubiis, nisus omnes circumdantis nos Dæmonis eludantur. Singulare hoc beneficium pensat Bernardus, vt ad gratitudinem inducat homines. Sic ille: *Legimus de eorum Principe, quoniam circuit quærens quem deuoret. Quod & ipse fateri cogitur in præsentia maiestatis, vt inter filios Dei astans, vnde veniat requisitus: Circuiui, ait, terram, & perambulaui eam. Dicamus itaque vias eius circuitionem, & circumuentionem. Istâ enim ad nos, illâ vtitur in ipso. Semper ille extollitur, sed deiicitur semper: superbia eius ascendit semper, semper humiliatur. Nunquid non iste circuitus est? Qui enim in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed non proficit. Væ homini qui sequitur hunc circuitum. Verumtamen si mala est circuitio propria, longè equidem peior circumuentio aliena. Ea siquidem vel maximè diabolum facit. Sed quomodo fratres, vt miserum hominem circumueniat, superbissimus ille descendit? Vide circuitum impij etiam in hoc ipso. Oculi eius omne sublime vident: attamen ima quoque ipsa curiosè vestigat, sed vt magis ascendat, vt vehementius intumescat, & dum conculcauerit humilem, sibi videatur esse sublimior. Quàm peruersè ascendentes, & descendentes Angelos bonos, Angelus malus æmulatur? Ascendit studio vanitatis, descendit liuore malignitatis. Cuius mendax ascensio, eius crudelis descensio.*

Ex SS. Patribus. *Bern. ser. 12. in Ps. 90.*

Diaboli quales sint circuitus in perniciem hominum.

Cùm audit homo gyros & circuitus diaboli, habet sanè quod metuat, cùm insidiantis inimici nexus ægrè valeat euadere, quibus si quandoque fuerit implicitus, res est operosa valde dissoluere. Si præsens imminet à diabolo periculum, reuerà insigne erit beneficium eius qui opportunè consulet. Angelus est ille beneficus comes & adiutor, habens & ipse suos circuitus, quibus omnes præstigiæ & circuli Satanæ dispescuntur. Huius opis Angelorum maximè conscius Sanctus ille qui supra Bernardus sic iubilat: *Cæterùm si descendunt maligni Angeli, vt circumueniant, gratias ei cuius mandato descendunt, & benigni Angeli, vt subueniant nobis, vt custodiant nos in omnibus viis nostris.* In eo iubilô quasi impos sui Deum sic compellat: *Mittis vnigenitum tuum, immittis spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cælestibus vacet ab opere sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ deputas, nostros iubes fieri pædagogos. Illos vtique tam felices, & tuos ad nos, & nostros ad te Angelos facis. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandauit? Studiosè consideremus, fratres, diligenter commendemus memoria hoc tam grande mandatum.* Hæc ille.

Ibidem.

Vbi supra. Angelorum custodia prodit amorem Dei in nos.

Duo emergunt ex eâ Angelorum cura meditata: Vnum est fiducia animæ quandiu Angelo suo adhæret: Alterum est magna deuotio in Angelos, quos cùm templa delectent, suadeo nosmetipsos in templa componere, vt nos inhabitent illæ beatæ mentes. Sed audi ritum, quem deposcit Archangelus Michaël in structura templi sui. Monuit ille Episcopum Abricatensem, vt delinearet Ecclesiam in eo loco vbi taurus esset religatus; morem gerit ille Antistes, sed obicem reperit, scilicet duas rupes. Monet Angelus quemdam vt manu moueat illas rupes, dicto audiens vir ille minimè malus apprehendit illas rupes, & nullo facessente negotium inde amouit. Patientibus incolis aquæ penuriam, suasit Angelus foderent silicem, eo aperto ligone valido eruperunt aquæ copiosæ, quæ inuoluentes mulierem prægnantem eam compulere ad partum. Ea autem fœtu saluo mediis in aquis enixa est, & Angeli tutamine liberata.

Ex Historia. *Sigeb. in Chr. an. 709.* Michaël suo ritu vult sibi ërigi templum.

Aptare

Aptare in templum, ô homo, quem Angeli multimodè deuinxerunt: ne causare cor tuum saxeum, Angelus illud emolliet si tuam & tu operam nauas. Ne effrænes instar tauri passiones à proposito auertant: præpotens namque hic spiritus eas virtute sibi insita religabit. Demum animum tuum ab eo sano instituto non abstrahat inopia lacrymarum, quæ indubiæ indices sunt animæ pœnitentis. Angelo deprecante Deus, & hos latices aperiet, quibus anima fœta parit fructus pœnitentiæ, quæ Angelos lætificat, vt ipse assertor est Christus. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Luc 15.

Michael quid à nobis exigat.

Ex actione 4. Conc. 2. Niceni.

Michaelis imago miraculosam in Cruce Procopij.

Quid cunctaris, homo, dignari Angelos debito obsequio, quod expectant dummodo te pœniteat. Pœnitentia tua templum est quod deposcunt. Vt enim templorum structuræ præit Crucis erectio; ita Archangelus ille Michaël templorum amantissimus præstolatur in te Crucem, id est, pœnitentiæ præambula, Quæ sunt tædium vitæ retroactæ, & morum compositio sanctior in posterum, quæ duo Crucis affectum clamant. Ea namque dicitur Crux à cruciando: cruciat autem dolor vitæ noxiæ, nec etiam leues parit angustias, incundus arctior viuendi ritus. Sed ea Crux vbi affixa fuerit menti, statim ad eam Michaël Archangelus aduolabit: quippe eum deperire Crucem liquet ex insigni historia Procopij Ducis. Is conducto aurifice, qui Crucem auream effingeret, stupuit in ea Cruce aureâ apparere hinc & indè duos Angelos affabrè factos, adiectis nominibus vtriusque Angeli, Michaëlis, scilicet, & Gabrielis. Cõsulto opifice audiit ab eo se inscio illuxisse cœlitus illas Angelorum effigies, quibus ille edoctus est, beatos spiritus amare Crucem & baiulos eius.

Niceph. lib. 2. cap. 32.

Angeli cultores Crucis.

Fauent ea quæ Nicephorus ait de insigni Cruce erecta in medio foro vrbis Constantini. Quotannis tertiò descendebat Angelus media nocte, circumiens illam Crucem magno lumine rutilus, adiiciens suaue melos & suffitum, quibus ritè peractis, speciem stellæ præfulgidæ referens propria repetens auolabat. Nemini autem nisi innoxio & probato concessum est, illum Angelum intueri, neque audire melos. Ex præfatis collige quanta debeat esse fiducia hominum sanctiorum, & quantùm eorum partes adiuuant Angeli, singulari eos amore prosequentes, vtpote sequaces Crucis. Adeò illis benè consultum credo, vt ferè inconcussus eorum status esse videatur: quis etenim labi queat fulcro Crucis, & inde Angelorum custodia sustentatus?

EX SYMBOLIS.

Villaua lib. Symbol.

Ea securitas animæ innixæ Cruci, & commissæ sollicitudini Angelorum, eam vocat in partem Symboli, quod assumpsit Villaua homo industrius, qui depinxit hederam Cruci implexam hoc titulo adiecto. ALIENO INNIXA FAVORE. Vtinam hoc omnes altè saperent vtriusque generis homines; reprobi ne desperarent se posse aliquando redire in gratiam cum Deo, aut saltem post reditum stare diu, nec nutare furente & feriente diabolo. Quippe animos resumerent, meditantes quàm sit secura anima ALIENO INNIXA FAVORE. Quàm firma mens illa, cui Crux & Angeli fulcrum suppeditant. Prouectæ etiam virtutis homines habent hoc symbolo, vnde resipiscant, si inanis gloriolæ aurâ afflari blandiuntur sibi. Nimirum speculantes illud quod stant esse à Cruce, & custodia Angelorum, deprehendent leue admodum esse argumentum superbiendi animæ illi, quæ est ALIENO INNIXA FAVORE. Quare enim vt ait Apostolus, gloriatur homo si id vnde gloriatur habet precariò. Inniti autem fulcro Crucis, & fulciri assidua sollicitudine Angelorum, nonne hoc est gloriari meritis alienis?

Angelis innixa secura est anima.

EX SS. PATRIBVS.

Bern. ser. 12. in Ps. 90.

Bernardus est audiendus in hoc themate. *Pretiosum depositum nobis commiseras, fructum Crucis suæ, pretium sanguinis sui. Non est contentus custodia hac. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes. Nempe etiam ipsi qui videntur muri, aut in muro ipso columna his custodibus egent, & maximè. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Hæc ille, cuius etiam consilium hoc vsurpo. *Habetote familiares Angelos, fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione, & deuota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem.* Pace viri sancti dixerim, parum est meminisse Angelos, omnis rei cardo in hoc vertitur, vt Angelos imitemur. Idipsum clamat Ambrosius. *Esto Angelus, hoc est diuini minister imperij. Obsequere mandatis Domini. Cum fueris Angelus, videbis faciem Dei.* FAXIT DEVS.

Ambros. in Psalm. 118.



HOMILIÆ IN EVANGELIA

DE SANCTIS

SPECIALI RATIOCINANDI MODO CONTEXTÆ.

Adiectis scientiarum ferè omnium ornamentis.

HOMILIA IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

SVMMA HOMILIÆ.

I. DEus daturus homini ideam aliqualem paradisi cælestis, constituit eum in alio paradiso terrestri, vbi multa erant, quibus beatorum status colligitur, vt dico prima parte istius Homiliæ, vbi comparo vtrumque paradisum.

II. Secunda verò parte dico, Angelum gladio versatili & igneo impedientem introitum paradisi, denotare quomodo redux illuc homo fieri possit.

PRÆFATIO.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Matth. 5.

MAGNI nominis vir aliquando Romam contemplatus populo incedente pompaticè in publica processione, vbi etiam aderat clerus rutilans auro, quo vestes sacræ opere plumario prædites radiabant. Ille inquam Sanctus eremo assuetus, vbi cerulcum hunc apparatum diu inspexit, eo visus vt gradibus, praterit calos pernice animo dicens: Si talis est Roma terrestris, qualis erit Ierusalem illa cælestis: *Si huic Sancto adfuissem, fecissem satis ei hoc prælibato versu:* Gloria hæc est omnibus Sanctis eius. *Id est: Tota hæc pompa species inanis est gloria vtique fugacis, quidquid hic refulget, ementitur lumen instanti etiam deliquio obnoxium. Demum gloria huius sæculi nihil perenne & perpetuum est. Si enim aliqua est pompa suis omnibus numeris absoluta.* Gloria hæc est omnibus Sanctis eius. *Ibi namque nihil deest, vbi adest omne bonum; scilicet Iesus & Maria, qua insalutata nefas est concionem auspicari.* Aue Maria.

Ex Theologia. *Thom. 1. p. q. 45. art. 1.* CReaturæ omnes sunt indices, & præcones gloriæ Dei, quia earum editio creatorem prodit: creare autem dicit infinitam potentiam; & hæc infinita potentia, nullius rei sibi congruæ deliquium patitur, atque adeò est summè gloriosa, quia ille vsquequaque beatus est, cui omnia affluunt consona enti suo: sicque liquet res quasque obuias, nobis esse gloriæ Dei euidens argumentum. Hunc beatum Dei statum creaturæ omnes pro suo modulo participant, dum non esse tantùm, sed & benè esse quærunt. Res inanimæ suum centrum petunt: frutices non modò virent, sed & humorem congruum vitæ suæ postulant, & exugunt: animalia appetitu sensitiuo gaudent, & pro indita sibi notitia inuestigant ea quæ pertinent ad bonum suum, vt & refugiunt ea quæ inimica sunt: quò enim nobilior est creatura, pluribus indiget ad sui complementum. Hinc homo nobilior omnibus his quæ infra cælos eminent, non beari potest in hoc sæculo, etiamsi impertiret ei Deus omnia quæ hoc prope immenso cælorum ambitu continentur.

Iuxta autem duplicem hominis statum, viatoris scilicet, & comprehensoris, beatitudo hominis bifariam attenditur. Vna est viæ, altera verò vitæ. Beatitudo viæ ea est, qua gaudere homo potest in hoc æuo: alia autem ... quibus hic angimur, in instanti sæculo recreatur. Illibatæ huius gloriæ ideam aliqualem expressit Deus condens paradisum voluptatis, in quem Adamum recens editum induxerat, vt dicam prima parte istius Homiliæ. Vbi autem defecit homo pulsus paradiso, Deus Angelum gladio flammiuomo instructum ibidem statuit, vt regressu hominis interdicto, spiritus ille armatus pro foribus excubaret. O Dei misericordiam!

cordiam, immemorem sui hominem erudiit, repeti posse gloriam suffragio beatorum, & mediante igne amoris adiecto gladio mortificationis, vt dicam secunda parte.

PRIMA PARS HOMILIÆ.

Paradisum terrestrem fuisse ideam Paradisi cælestis.

EX THEOLOGIA. *Thom. 1. p. q. 65. art. 1.*

ETsi de ratione boni sit inclinare appetitum ad amorem sui; debet tamen esse præcognitum, vt voluntatem inflectat, ideoque quia bonum hominis supremum est supernaturale, videlicet Deus in gloria explicatus, congruam etiam notitiam eius boni nostris animis inseruit, fidei lumine desuper affulgenge. Homo extra paradisum editus, Deo miserante illuc introductus factus est incola eius, vt resciret esse donum opificis primum hunc ingressum. Cæteras in paradiso moras voluit cadere sub meritum eius, id insinuante textu sacro. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* (Genes. 2.) Primus gratiæ influxus, quo fit homo paradisus, Dei dignatio est, & non meritum aut dignitas hominis; ampliare autem illum statum & in eo commorari, hominis est, illi propitia Dei aura iugiter aspirante.

Gratia hominem similem efficit paradiso terrestri.

Dixi hominem in gratia esse paradisum, quia anima mediante gratia delibare incipit quasi primis labiorum initiis gaudia beatorum; siquidem beari perfici est; perficimur autem adeptione boni, quod hiatus & lacunas animæ nostræ replet: cùm ergo anima in gratia vniatur Deo, qui est summum bonum, ex tunc habet quædam licet exigua illius gloriæ rudimenta. Et id sonat tritum hoc effatum: Gratia est gloria inchoata. Quemadmodum Adam à Deo accepit vbi esset paradisus, & eo dirigente in eum introiuit, ita homo ex se gratiæ Dei impos, à Deo eruditus illucente fide nouit gratiam, & ea induitur eodem Deo Domino miserante. Hac præuia dignatione Dei, penes hominem est stare semper in hoc paradiso, si tamen operetur, & custodiat illum.

EX PHILOSOPHIA. *Aristot. l. 1. Ethic. cap. 7. & l. 7. c. 7.*

Nota ex Philosophia, operationes alias dici humanas, alias verò hominis, seu quod perinde est, alias actiones ab homine effluere prout animal est, vt edere, moueri localiter, viuere: Alias autem emanare ab eo, vt forma nobiliore præstat, & ex ea distinguitur à cæteris, vt sunt intelligere & amare cum delectu sine errore: duo namque illa, scilicet intellectus, & voluntas efficiunt vt homo distitus, à cæteris congruè dispescatur. Itaque benè intelligendo, & amando ampliatur gratia, & seruatur, fitque ita perpetuus paradisi incolatus, & animæ Deo gratæ satis superque est gratia, vt gestiat & lætetur, spretis omnibus sæculi illecebris, vt egenis, & ineptis ad beandum. Non etenim possunt replere intellectum, & terminare appetitum voluntatis; hiantibus autem illis potentiis, & ore patulo sitientibus alia bona, homo infelix semper anhelat.

Esse autem hominis beatitudinem sitam in operatione intellectus & voluntatis accipe. Homo in tantùm beatus est, in quantùm perfectus est; at perfectio non attenditur in composito penes materiam, sed penes formam, forma verò hominis est anima quæ perfici nequit secundum substantiam quia substantia illa non variat, sed tantùm secundum potentias; cuiuslibet autem potentiæ perfectio est in recto eius vsu, qui si deuiat ab obiecto debito, corrupta est illa potentia, vt econtrà perficitur occupata circa suum obiectum adæquatum; ergo anima Deum intelligens & amans, nequit vltra beari, quia perficitur in ea totum id vnde constat homo, qui ideo vsquequaque beatus est, quia nihil in eo vacat aut est à debito bono tantisper alienum. Rursus beatitudo aliquam actionem vitalem dicit animæ rationalis: at potiores actiones animæ sunt intelligere, & amare, quæ vt sunt immanentes bene æmulantur naturam beatitudinis, quæ non erronea est.

Beatitudo sita in operatione intellectus & voluntatis.

Consonat & loquendi modus Scripturarum, vbi ille ineffabilis beatorum status semper aliqua actione animæ recensetur. Vnde camit Psaltes. *In lumine tuo videbimus lumen.* Item, *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* (Psal. 35. Psal. 149.) Videre autem, & lætari pertinent ad principes animæ facultates, intellectum, & voluntatem. Si ergo Adam in paradiso iugiter animo recoluisset Deum, illo Dei aspectu assiduo beatior factus, haudquaquam gratia Dei insita sibi turpiter excidisset.

EX THEOLOGIA. *Thom. 1. 2. q. 3. art. 2. ad 4. m.*

Dices, hominem non esse capacem beatitudinis infinitæ; ergo male assignari Deum pro obiecto. Respondeo, hominem quidem esse tantùm compotem boni creati intrinsecus subiectiuè inhærentis, sed capacem esse boni infiniti extrinsecè obiectiui per contemplationem & amorem apprehensi. Vnde beatitudo distinguitur in obiectiuam, & formalem: obiectiua est quid increatum, nempe Deus; at formalis est ipsa Dei fruitio in operatione vitali sita, vt sunt visio & amor, quibus anima tota in Deum effusa beatur. Hinc explosa opinio illa, quæ sualit beatitudinem formalem esse quid increatum, vtpote visionem illam, qua Deus se videt ab æterno, fruiturque seipso, hanc quidam affirmant communicari beatis sicuti persona Verbi humanitati affingitur. Refellitur ex eo quòd beati indigent lumine gloriæ ad eliciendum hanc visionem; non produceretur autem ab anima ille Dei intuitus, si esset increatus Iure Canonico damnata est illa opinio eliminans lumen gloriæ, & recensita inter hæreses Beguardorum, hoc textu. *Quod anima non indiget lumine gloriæ, ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.*

Hanc opin. refert Greg. Arim. 1. sent. dist. 7. q. 1.

EX IVRE CANONICO. *Clem. Ad nostrum. De Hæreticis in conc. Vienn.*

EX SS. PATRIBVS. *August. in Psal. 83.*

Vtriusque facultatis actionem requiri in beatitudine audi ex Augustino. *Si roges quid agant beati, amant, & laudant Deum, nec timendum aliquod in ea laude fastidium, quia si amor Dei est sempiternus, ob insatiabilem pulchritudinem, poterunt quoque semper laudare, quem poterunt semper amare.* Habes hic voluntatis æstum, accipe intellectus aciem in Deo defixam. *Nunquid Domine Deus veritatis quisquis nouit ista, iam placet tibi? Infelix enim homo, qui scit illa omnia, te autem nescit. Beatus autem qui te scit etiamsi illa nesciat. Qui verò te & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est.* In paradiso inferiori omnium

Idem l. 5. conf. c. 4.

Beati quid in cælo faciant.

omnium rerum callebat indolem, iuxta illud. *Omne quod vocauit Adam est nomen eius.* Beatis in cælo omnia peruia sunt: quippe ex Gregorio. *Quid non videt, qui omnia videntem videt.* Homo sibi constans in paradiso, non sensisset agonem mortis, nec alias subiisset angustias, quibus à defectione Adami facta est obnoxia eius prosapia infelix. Beatitudo citra molestiam æterna est, cuius statum hoc breuiloquio Beda complectitur. *Quid hac vita beatius, vbi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, irascitur nemo, nemo inuidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi neque corporis, neque animæ erit, sed immortalitatis munere vita iucunda.*

Gen. 2. Greg. Beda ser. 18. de Sanctis. Beatitudinis gaudia quanta sint.

Vnico nomine Hebræi explicant illam beatorum sortem: illis vox, אשרי ascre, quæ beatum significat, est pluralis numeri, & indeclinabilis, quæ duo beatitudinem ritè delineant: ea namque bonorum omnium cumulus est, & nescia terminari. Eius intuitu tenebatur fastidio regni Ludouicus IX. Galliæ Rex Sanctissimus, qui eo symbolo vtebatur: pingebat coronam in cælo hoc titulo adiecto, VOLO SOLIDVM PERENNE. Esto quidpiam rutilet in sæculo; eius tamen cupidine non tenentur præaltæ mentes cælo natæ, VOLVNT SOLIDVM PERENNE, nihil faciũt omne quod Deus nõ est.

EX SYMBOLIS. Ioan. Ferrus part. 2. Theatri Symb.

Habeo huius nauseæ vadem luculentum Thomam Morum qui maluit mortem oppetere quàm subscribere edicto sacrilego, & Ecclesiæ iniurio. Hunc in carcere adiit vxor malè suada sollicitans eum vt à partibus Regis Henrici VIII. staret, & eum fore beatum reliquo decursu æui sui. Cui ille: O mulier quantulum credis esse hoc æuum quod superest fruituro bonis à te recensitis? Arbitror ego, inquit illa, te posse adhuc ad viginti annos producere dies tuos. Ad hæc Thomas: O insana mulier, quid numerus ille annorum ad æternitatem, quid me incauta vrges, vt subeam aliquando æternas angustias, pro viginti annorum gloria decurtata? Apage sis. Mihi in hoc popularis auræ fastidio viuere mors est, & mori lucrum. Dixit, impióque Regi Anglo audacter obsistens, fortiter occubuit perenni solido potiturus.

EX HISTORIA. Thom. Stapl. in vita Thom. Mori. Beatitudinis intuitu Thomas Morus fortiter occubuit.

Coæuus eius Ignatius à Loyola cælo iugiter intentus hæc frequens verba vsurpabat: *Quàm mihi sordet terra quando recolo ea quæ cæli sunt.* Regina Saba non habebat vltra spiritum, passa deliquium præ stupore, quem illa conceperat ex gloria Salomonis. Sed potiori longè argumento vsus Augustinus, quasi impos sui sic beatorum æterna gaudia meditatur: *O fons vitæ vena aquarum viuentium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deserta, inuia, & inaquosa,* &c. *Putasne videbo diem illam, diem inquam iucunditatis & lætitiæ, diem quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in ea. O dies præclara, & pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, in qua audiam: Intra in gaudium Domini tui: Intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, vbi sunt magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus: Intra in gaudium sine tristitia, quod continet omnem lætitiam: vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum: vbi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles: vbi erit vita vitalis, dulcis, & amabilis, semperque memorialis: vbi non erit hostis impugnans, nec vlla illecebra, sed summa & certa securitas: secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas: iucunda felicitas, felix æternitas: æterna beatitudo, & beata æternitas, & Trinitatis vnitas, & vnitatis Deitas, & Deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini Dei tui.*

Ribad. in Ignat. EX SS. PATRIBVS. Augustinus sol. 35. Beatitudinis desiderium ex Augustino.

Si quando igitur caro prætendit tibi sæculi illecebras, vt olim Thomæ Moro vxor; æmulare robur & constantiam Herois huius: vtere exemplo eius, & murmur importunum carnis compesce hoc effato: Susurro Dæmonum decepta es, ô vesana caro delinita deliciis: memorare fugaces esse voluptates, quibus suppliciis interminis anima mancipatur. Et secus memor esto, breui laborum compendio æterna beatorum præmia comparari. Bernardus simile quidpiam consulit ita fatus: *Quamplurimi indignantur aduersus Adam quòd obedierit voci vxoris suæ plus quàm Deo; & ipsi quotidie Euam, suam carnem videlicet audiunt plus quàm Deum. Fratres, si modo præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor eius, coarctari inter precem vxoris, & præceptum creatoris, nonne clamaremus aduersus illum dicentes: Caue tibi miser, vide ne feceris, seducta est mulier, non acquiescas ei? Vt quid ergo quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis.*

Voluptas carnem decepit, & hæc animam. Bernardus in festo omnium Sanctorum. serm. 1. Tentationis eludendæ modus. Gratia paradiso aptat omnimodè animam.

Ea industria staremus semper in paradiso, id est, in gratia. Audi Damianum. *Anima rationalis dicitur paradisus, quæ & cælestium charismatum est finentis irrigua, & tanquam fertilium arborum, vel herbarum, sic virentibus virtutum vernat germinibus adornata.* Consonat & Bernardus hoc tenore: *Bona conscientia titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum.* Ab hoc paradiso abstractus est Adam, à muliere illectus. Heu quot homines infida caro reuocat à gratia, vt inducat in terram hispidam spinis, vbi gemunt sub censura, qua Tobias feriit hostes Ierusalem. *Maledicti erunt qui contempserint te, & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te, benedictique erunt, qui ædificauerint te: beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua.*

Damian. opusc. 60. c. 5. Bernard. lib. de inter. domo ca. 22. Tob. 13.

Fons ille qui irrigabat paradisum notat vbertatem gratiarum, quibus alluitur anima Deo deuincta, conscio etiam Psalte. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Nota, fluminis impetum non lætificare ciuitatem Dei, nisi sanctificato tabernaculo: quippe anima vitiis obnoxia, est inquies, & longè à beatorum pace, vtpote importuno synderesis turbini mancipata.

Psal. 45.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Qua ratione fiat homo compos paradisi.

Etsi ingens fuerit hominum ruina subsecuta casum Adami incauti, & longè

positi fuerint exules à paradiso, Deus miserans iniquam eorum fortem, non ita obserauit aditum paradisi, quin homini reliquerit repedandi modum. Angelum statuit ianitorem, qui igneo & versatili gladio præpediret aditum loci peramœni, vt resciret homo, altioris paradisi fores reserari consultis Angelis, aliisque cælorum incolis, assumpto pœnitentiæ gladio, & accenso igne amoris Dei. Hodierna festiuitas eo fine instituta est, vt omnium Sanctorum suffragio peruij sint cæli fidelibus Ecclesiæ alumnis: quamuis enim Christus satis superque meruerit nobis gratiam, & gloriam; voluit etiam Sanctos pro modulo suo cooperari saluti omnium nostrum, non infundendo gratiam, sed impetrando auxilia quibus homo se accingat ad gratiæ influxum. Est namque de ratione gloriæ vt beando Sanctos, scintillæ aliquales exiliant quæ vtiles sunt Ecclesiæ militanti. Et licet prædestinatio ad gloriam attendatur ex mera Dei bonitate; illa tamen bonitas diffusiua sui, quæ gloriam communicauit Sanctis, eisdem etiam dedit facultatem, qua supplicibus suis adsunt, Deum demerendo suffragiis. Atque ita qui voluit homini gloriam, voluit & media ad gloriam, in quibus valde idonea sunt auxilia beatorum. Citra hæc nemo adultorum inseritur cælis, quia qui vult finem, ille vult & media consona illi fini. Ergo Deus qui vult omnes saluos fieri, vult vt adeamus Sanctos, vt media congrua ad finem hunc vltimum assequendum.

Thom 2.2. q.83. Sancti quomodo præ destinationē adiuuent.

Rursus vt in Physicis, inferiora emendicant influxum superiorum corporum, quæ ideo semper gyrant & mouentur, suo motu & lumine influendo in inferiora corpora; ita & in rebus spectantibus ad gratiam, Sancti influunt, precibus suis Deum inflectentes, vt in hæc inferiora pluat. Vtque sidera vapores attrahunt sursum, vbi deposita terrena colluuie nubes fiunt lucidæ; ita Sancti suis suffragiis mentes nostras erigunt, & aptant ad cælestia, eas contractis è terra sordibus expurgantes.

EX PHILOSOPHIA. *Albertus Magnus 11. Metaphys. tract.3.c.2.*

Fauet Scriptura, vbi Deus Hebræis beneficum se præstitit, à Moyse & aliis vatibus exoratus. Id Canones sancti clamant hoc contextu: *Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus & oblationibus ea delent, atque consumunt: qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.* Cum ergo Sancti sint in gratia, & gloria absque metu vllius deliquij, ad eos maxime pertinet orare pro nobis. Ad hoc institutæ publicæ supplicationes, & litaniæ, quæ recensent omnes omnium Sanctorum choros.

Sacerdotum preces quando prosint. EX IVRE CANONIC. *Canon Ipsi sacerdotes 1. qu.1.* Sacerdotum sanctitas commendat eorum preces.

Illis turbis auxiliaribus, id est, precibus Sanctorum Ecclesia Antiochena propugnauit sua iura contra Porphyrium hominem nequam, qui sedem inualerat, & conscripto milite facinora sua impia tutabatur. Palladius ait, clerum exiisse in campum decantatis litaniis, vt Ecclesia triumphans succurreret militanti. Ariani vt incautos allicerent ad ritum suum, crebri erant in litaniis publicè decantandis, quasi aliquando adscribendi numero Beatorum. Sed ne hac pietatis specie ementita rudibus imponerent, Imperatores Arcadius, & Honorius hanc tulere legem. *Interdicatur his omnibus ad Litaniam faciendam intra ciuitatem, noctu vel interdiu profanis coire conuenticulis.*

EX HISTORIA. *Pallad. in Dialog. L. 5. 30. De her. tit. Cod. Theodos.*

Iugi memoria Sanctorum armata Ecclesia, securior pugnat contra hostes suos, quam Edoardus II. Rex Angliæ in Scotos. Ille a patre suo Edoardo I. accepit hoc mandatum; Fili, hoc ego moriens præcipio tibi, scilicet ne diadema meum impon as capiti tuo, quin pe- ... tiam tibi inimicam plenè domueris; vt autem victoria citius stet a partibus tuis, habe in castris corporis mei extincti reliquias: fortuna namque mihi hactenus secunda reuereb... esse mea. Hodie Ecclesia circumducit Sanctorum omnium reliquias, recolens eorum memoriam, vt & pietatis vestigia consequamur. His armis superiores erimus hostibus nostris. Nec antea coronabimur quam fuerint vitia profligata.

Andr. Chesnau in hist. Ang ia sub anno 1308.

Præcipuus Sanctorum gladius fuit mortificatio, qua rescinduntur omnia noxia, iuxta hoc consilium Christi. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te, &c. Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te.* Vbi enim anima à Deo deuiauit, caro in eam præualente prona fuit in vitium tota ... dami protapia, impar insultibus; quibus fuit obiectis obuiis impetita. Ægro enim spiritu inualuere omnes potentiæ sensitiuæ nulla alia notitia prædítæ quam brutorum, factumque est in eo discrimine, vt præter intentum Dei homo vteretur rebus humanis vsibus apparatis. In eo excessu vitium emersit; peccat enim omnis qui præterit regulas à Domino præstitutas. Ideoque peccatum dicitur transgressio; & hæc fit quando homo non distinguit inter legem indictam rationi, & inter eam, quæ bestias facit obnoxias regimini sensuum. Vnde Psaltes omnium malorum labem refundit in ferias intellectus. *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quia principes actiones sunt intellectus, discernere vnum & ab alio dispescere, & ex præmissis inferre sequelam; homo dicitur non intellexisse, quia non distinxit inter legem Dei, & suasionem carnis, quæ ad fœminam inclinabat.

Matth. 5.

EX THEOLOGIA. *Thom 2.2. q.64. art.1.*

Psal. 48.

Feriante intellectu, homo sese permisit ducatui appetitus sensitiui, atque ita induit ritum iumentorum. Ab Adamo accepimus, quasi ex traduce, illud in nos carnis imperium, si concessa ratio non reclamat, vt videre est in infinitis prope hominibus, quos luxuriæ & gulæ tyrannis inglorià occupat. Et quia intestinum est illud bellum, quo caro insurgit aduersus spiritum, dum quatitur illecebris; Christus nos gladio accinxit, vt ait ipse: *Non veni mittere pacem sed gladium.* Has carnis & animæ rixas expertus Apostolus sentiens aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, hortatur nos ad vsum gladij illius desuper allati: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Gladius ille, qui & armatura Dei dicitur, est iugis mortificatio carnis, quam suasit Christus, monens vt rescinderentur oculi, manus, & pedes scandala meditantes. Id est voluit ita nos componere membra nostra, vt duntaxat ad animæ nutum & non sensuum arbitrio regerentur.

Matth.10.

Ephes.6.

Hoc

Hoc præstant vigiliæ, ieiunia, egestas, aliaque corpori ingrata, quibus fit anima vegetior corpore ægrotante.

1. Cor. 9.

Hac armatura cataphractus Apostolus coronam gloriæ demeruit. Sic ille: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo.* Castigatio illa corporis attenditur penes inediam, noctes insomnes, aliaque opera importuna carni, quibus Deo miserante Beatorum præmia nundinamur. Non etenim coëunt humana, & diuina tripudia, ex Bernardo sic monente: *Pretiosa diuina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.* Fusius hoc argumentum versat Cassianus ita fatus: *Agricola flagrantes Solis radios, pruinas quoque & glaciem non declinans, terram infatigatus exercet, & indomitas agri glebas frequenti vomere subigit, dum finem spectat, id est, perceptionem copiosarum frugum. Referta etiam frugibus horrea libenter exhaurit, easque putribus sulcis instanti labore commendat, præsentem diminutionem futurarum messium contemplatione non sentiens. Illi etiam qui negotiationum solent exercere commercia, non incertos pelagi timent casus: non vlla discrimina perhorrescunt, dum ad finem quæstus spe proposita prouocantur. Habet & nostra professio scopum proprium, ac finem suum, pro quo labores cunctos, non solum infatigabiliter, verùm etiam gratanter impendimus: ob quem nos ieiuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat. Via nostra finis est regnum Dei; qui finis si nobis non fuerit, frustra nitendo fatigabimur, quia sine fine tendentibus, labor est itineris, non profectus.*

Ex SS. Patribus. Bernard. in declamat. Cassian. collat. 1. c. 2. Spes boni futuri labores attemperat.

Ex Historia. Ex supplem. Chalcondylæ sub an. 1617. Beatitudinis causa mortis acerbæ pœnas alacriter sustinuit Catharina Regina.

Nostra ætate masculinum animum versans in muliebri corpore, Catharina regens populos conterminos oris Persarum, ostendit quàm valida sit meditatio gloriæ Sanctorum. Mulier illa Heroina comprehensa à Chaaba Rege Persa, tentata est diris suppliciis, vt à Christo deficeret: sed illa sui sanguinis effusione in Deum effusa vegetior, omni tormine superior extitit. Rex immanis veritus ne à fœmina superatus haberetur despicatui, Martyris huius virtute ferocior, iussit vtroque vbere execto, cætera membra lentis ignibus eliquari. Horruit tortor lacerare tenerum corpus, & experiri in sexu imbelli asperiora quæque. Vrgente tamen furente Rege, victima illa sacra dissecta comburitur sensim corpore diffluente. Igne liquante corpus, & depascente membra, sarta tamen tectáque fide fuit anima Martyris illibata. In eo namque discrimine posita recolens Sanctorum agones aiebat: O Deus bone, quàm tenui pretio vendis prædiuites paradisi merces: momentaneum est quod cruciat, æternum quod delectat: exiguæ sanè sunt omnes sarcinulæ nostræ, quibus æterna præmia comparantur. Hac meditatione tersit acutissimos quosque dolores.

Beatitudinis memoriam suis S. Franciscus refricabat, & quare. S. Bonauent. in vita S. Franc.

Eo etiam argumento Beatus Pater Franciscus suorum fratrum iuges leuabat angustias. *Magna promisimus, maiora promissa sunt nobis. Struemus hæc, suspiremus ad illa. Voluptas breuis, pœna perpetua. Modica passio, gloria infinita.* Nonne & Paulus clamat, non esse condignas passiones omnes quibus hic torquemur, si gloria recolatur? Sed nota illud Augustini effatum: *Non pœna sed causa Martyrem facit.* Pœnæ omnes assumptæ citra amorem Dei, nihil conferunt ad gloriam: quia non sanguine aut morte, sed potissimum igne victima consecratur. Eamobrem gladius ille igneus erat, quo Angelus erat accinctus excubans ad fores paradisi, insinuans corpore afflicto debere animam æstuare amore Dei; gloria enim æterna fructus amoris est, ex Bernardo. *Fructum talem expectamus nostri amoris, qualem ipse quem amamus promisit, mensuram (inquiens) plenam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

August. lib. contra Donatistas.

Bern. serm. 11. in Cantica.

Amoris Dei quam copiosus sit fructus. Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 20. a. 4. ad 5.

Sed quare amore prostat gloria æterna? Quare præcipuè amorem Dei exigit hæc gloria sempiterna? Ratio petenda est ab intimis Theologiæ penetralibus. Sic illa sua eructat oracula: Deus quàm maximè eos amat, quos prædestinat ad gloriam: Ergo illi debent esse optimi; nam summus amor Dei non fertur nisi in summum bonum: Sed homo ex se non est summè bonus, alioquin omnes homines essent prædestinati ad gloriam: igitur aliunde debet peti bonitas, quæ hominem perficit supra id quod habet à natura, & vnde à Deo summè amari queat. At nihil est quod Deum deuincire queat, nisi Diuinum sit & Deo vnitum, ideóque homo vt ametur ad gloriam debet Deo vniri, vt ex ea vnione contrahat bonum, ratione cuius à Deo amari queat. Fit autem hæc vnio mediante amore, qui rei amatæ bonitatem affingit cuilibet amatori. Ergo anima Deum amans, participans eius bonitatem, est obiectum summi illius amoris, quo Deus dignatur homines gloria æterna; & cum aliter homo nequeat esse obiectum illius amoris, necesse est vt si anhelat ad gloriam, eo amore totus incandescat.

Honor est præmium virtutis. Ex Philosophia. Aristot. l. 1. Ethic. cap. 5.

Rursus est Aristotelis dogma: *Honorem esse præmium virtutis:* virtus autem est quæ habentem bonum facit. At nemo potest esse bonus sine amore Dei, quia bonitas hominis petitur à statu rectæ rationi consentaneo; in eo statu inferiores potentiæ subsunt superioribus. Sed hoc requirit imperium voluntatis, quæ nequit velle illum optimum hominis statum, si non sit ipsamet vt imperet aliis animæ potentiis. Est autem voluntas optima, illa quæ Deum amat; nam potentiæ perficiuntur ab actionibus perfectissimis. Ergo cùm amor sit præcipuus actus voluntatis, & actiones specificentur à fine, amor qui tendit in Deum qui est summum bonum, erit perfectissima actio voluntatis, quæ inde fiet optima, & vt talis bonum efficiet hominem totum, qui sic virtute multa præditus merito honore dignabitur, vt præmio sibi præstituto. Vnde Augustinus sic ait: *Merito Magister bonus dilectionem sic sæpè commendat tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona; & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.* Ibi enim erit virtutum omnium chorus, vbi corporis & animæ facultates morem gerent optimæ voluntati. Fauet illud Angelicum melos, quo duntaxat hominibus bonæ voluntatis pax summa promittitur.

Amor solus quare præcipiatur seriò.

Ex SS. Patribus. Augustinus tract. 87. in Ioan.

Luc. 2.

Ex Ivre Civili. *Lege Ferè 169 ff de reg. Iuris* Obligatio contracta quomodo dissoluatur.

Itaque tria sunt quæ reducem hominem in paradisum agunt, quia tria eum inde prius abstraxerunt. Opportuna est hæc regula Iuris Cæsarei. *Ferè quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur, cùm quibus modis acquirimus iisdem in contrarium actis amittamus.* Quia homo collocutus est cum Angelo nequam, futurus exul; debet nunc consulere beatas mentes vt sit ciuis & incola paradisi. Mulieri dedit manus, & pastus est vetito cibo; indicitur ei gladij vsus, quo rescindat gulæ & libidinis impetus importunos. Demum homo Deum fugit, eum contemplatus vt vindicem, & sic eum auersando amor extinctus est, qui iam excitari debet, vt iuxta præfinitas leges iisdem in contrarium actis liberemur, quibus ferè modis nos à paradiso procul Dæmon tenuit obligatos.

Crisis carentia febrem diuturnam significat.

Res etiam medica reuocat sanitatem contrario ferè modo ei quo desiit, vt gulæ intemperantiam curat inediâ, & inualescente morbo ipsa natura sui sollicita quasi vtitur gladio, quando oriente crisi eliminat humores, quibus vt fomite febris incandescit. Quòd si non exerit hunc gladium, erit ægritudo diuturnior, vt placuit Hippocrati. Ἐν πυρετοῖσιν, ἀκρισίας χρόνους μὲν ἐμποιέουσιν. *In febribus, carentia crisis diuturnitatem morbi sonat.* Si ergo nos aliqua tenet rerum cælestium, par est, vt quæ contraria sunt superis auersemur; scilicet ea omnia, quæ corpus inflectunt ad amorem sui.

Ex re Medica. *Hippoc. lib. 1. coac. præn. 80.*

Ex SS. Patribvs. *Augustinus lib. de vera religione c. 46.* Amor Dei petit amoris alterius expulsionem.

Ita Augustinus: *Nemo potest perfectè diligere quò vocamur, nisi oderit vnde reuocamur; vocamur autem ad perfectam naturam, qualem ante peccatum nostrum Deus fecit; reuocamur autem ab eius delectione, quam peccando meruimus: quare oderimus oportet vnde vt liberemur optamus.* O homo, reuocaris à Dæmonum consortio, carnis illecebris, & auersione Dei. Sistere ergo Angelis, & beatis omnibus, vt faciant tibi peruios cælos, vnde te Dæmones abegerunt. Accingere gladio mortificationis, vt caro repurgata non sit animæ iniuria. Collige affectus tuos, refunde in Deum, vt nihil in te supersit, quod iure queat sibi diabolus arrogare.

Ex præfatis, gloria hæc est omnibus Sanctis: gloria κατ' ἐξοχὴν; illa inquam gloria, cui impar est omne hominũ decus, Sanctos illos manet, qui aliorum Sanctorum, & præcipuè Sancti Sanctorum Christi suffragio tales effecti sunt, gladio accepto, quem Dominus acuit ad prælium, & amore Dei accenso.

Ex Symbolis. *Fran. Villaua, li. Symb.*

Tribus his gradibus ad beatorum præmia deuenitur. Eamobrem diadema gloriæ æternæ optimè lineari potest eo symbolo, cuius meminit Villaua, pingens coronam tridenti incumbentem, hoc titulo. Trino rapta labore. Anxius anhelas ad coronam omnium Sanctorum: Hoc recole, omnia beatorum mentium præmia fuisse ab eis Trino rapta labore, quem designant Angelus, gladius, & ignis. Quæ tria etsi agones clament; tamen corona potior est, & eius intuitu nemo debet vlla prælia instantia nutante animo detrectare. O felices animas trino huic labori intentas! O infelices, quæ vno labore satisfaciunt sibi. Tria hæc indiuisibili nexu debent intimè sociari. Qui se imparem cælo acquirendo nouit, emendicat opem eorum, qui enitentis ad excelsa queunt adiuuare partes. Ne autem animam assurgentem deorsum acedia inclinet, pœnitentiæ gladius assumitur, quo omnia quæque noxia resecantur. Demum eo repurgio anima liberior est, vt feruentissimo amore Domino consecretur. Quippe cùm nullis teneatur illecebris ementiti boni, & nequeat feriari affectus, necesse anima Sanctorum precibus & propriis meritis pro modulo suo disposita concipiet flammas, quibus postmodum inardescet. Quid moramur, & quasi manibus implexis otiamur? Gloria non otium quærit, sed negotium, cui sanè insudarent omnes, si impensè reuoluerent has Beati Augustini voces, Beatorum gaudia meditantis.

Ex SS. Patribvs. *Augustinus fol. 35.*

O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium! Quando intrabo in te, vt videam Deum meum qui habitat in te? Ibo illuc & videbo visionem hanc grandem. Quid est quod me detinet? Heu me, quia incolatus meus prolongatus est! Heu me quamdiu dicetur mihi: Vbi est Deus tuus? quamdiu dicetur mihi expecta, re expecta? Felices igitur qui de naufraga vita præsenti, ad tanta gaudia iam peruenire meruerunt. Infelices heu nos miseri, qui per huius maris magni fluctus procellosasque voragines nauem trahimus, ignorantes, an ad portum salutis peruenire valeamus. Infelices inquam quorum vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio, nescientes finem nostrum: quia omnia reseruantur in futurum incerta. Adhuc in pelagi fluctibus versamur, suspirantes ad te portum maris. O patria nostra, patria secura, à longè te videmus, ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus, & nitimur cum lacrymis si quomodo ad te perueniamus. Faxit Devs.



HOMILIA IN FESTO NATIVITATIS B. IOANNIS BAPTISTÆ.

EVANGELIVM. Luc. 1.

I. ELIZABETH impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum, & postulans pugillarem scripsit dicens:

II. Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit?

III. Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu Sancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israël.

MORALIS EXPOSITIO,

QVÆ EST ET SVMMA HOMILIÆ.

I. INSITVM est vnicuique, agere insolito sibi ritu, qui formam consequitur; vnde debilia imbelles exerunt actiones, fortia verò vegetiora produnt virtutis suæ specimina. Benè ergo dicitur impletum tempus pariendi Elizabeth; quæ namque erat plena pietate & gratia, plenitudinem nacta est edendi fœtum, cui nemo hominum nomen imposuit. Nimirum ea quæ cœlitus tantùm innotescunt, nomenclaturam non capiunt ab homine. Admirationi quidem sunt, sed loquelæ modos omnes antecellunt.

II. Locuples in hoc themate argumentum prostat de Ioanne, cuius nomen gratiam sonat. Cœlitus innotuit illud nomen inditum puero, cuius editio eam habet affinitatem cum gratia, vt prima parte Homiliæ istius facturus sim relationes Ioannis & gratiæ.

III. Altera parte recensebo magnalia Ioannis Baptistæ, & ea comparabo effectibus gratiæ, qui reuera manum Dei probant adesse iis omnibus, qui refulgent gratia singulari.

PRÆFATIO.

Ioannes est nomen eius. Luc. 1.

Herodianus in Commodo Imperatore.

PRopagante Roma fines suos, Principes eius nobiliores etiam gloria sua tesseras vsurparunt. In his fuit ignis, quo praeunte fuit in more positum Imperatore pompaticè incedere. Ad lucem facis, quam pyrophorus præferebat, inferebant omnes adesse Imperatorem, cuius intuitum ne vel leuiter offenderent, eo se ritu componebant, qui esset index obsequij sui in Principem. Apage fastum hominum, qui quasi ambiant infulas Deitatis, Promethei instar volunt & ignem de cœlo deducere, vt assumant in symbolum eminentiæ ementitæ, verè digni qui conflagrent eo igne, qui alios vanitatis æstus, & libidinis ignes alunt. Vnus est Christus, cui ex Apocalypsi competit titulus iste, Rex Regum, Dominus dominantium. Summus ille rerum opifex, &

Ignis ferri solitus ante Impetatore.

Dominus, ante ortum suum in has orbis oras præmisit lucidam facem, scilicet Ioannem Baptistam, iuxta illud Psalmi. Paraui lucernam Christo meo. *Quæ verba expendens Augustinus ait:* Quæ sit lucerna iam nostis verba Domini de Ioanne: Ille erat lucerna ardens, & lucens. *Editione pueri istius, Zacharias Propheta auguratus est adesse Christum Regem, sic affatus tenellum hunc infantem:* Præibis ante faciem Domini parare vias eius. *Huic natiuitati, Maria Virgo adfuit. Si ergo Ioannem in cunis volumus intueri, Mariam adeamus, sed non insalutatam.* Aue Maria.

Psalm. 131.

Luc. 1.

PVerulus Nero editus sub ortum Solis, anxiam dedit Auguribus præfari fore magnum puerulum hunc, cui Sol illuxerat in auroræ modum, imò & assentatores eò venere dementiæ, vt dicerent rutilum illud sidus præcipiti cursu ortum suum aliquibus anteuertisse moris, vt adesset puerulo nascituro. O in mendacium pronum genus aulicorum! his næniis Nero Imperator factus indormiebat credulus vltra modum, quasi esset ipso Sole splendidior: vtpote cui præierat Sol veluti crepusculum noui illius sideris orituri. Priuilegium illud vnius est tantùm Christi, habere lumen rutilum sui ortus prænuntium. Ille ei honos à Deo promissus est, cuius est effatum: *Paraui lucernam Christo meo.*

Sueton. in Nerone. Nero editus in ortu Solis

Psalm. 131.

Non potuisset oculorum acies ferre coruscum lumen, quo rutilat Christus, nisi alio lumine veluti crepusculo interiecto. Christus in humanis erat educturus nos defæcatum vitæ institutum, debuit præcedere alius Doctor, qui rudimenta vitæ illius sanctioris homines edoceret. Ille fuit Ioannes Baptista præco pœnitentiæ, quæ est præludium dogmatum altiorum. Rursus, Christus erat Rex gloriæ, cui præire debet gratia; nemo namque ad gloriam euectus est, gratiâ inconsultâ. Ioannes nomine suo refert gratiam, congruè igitur annuntiauit gloriam quæ instabat. Quæ autem sit gratiæ & Ioannis affinitas indagemus.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Ioannis & gratiæ esse similia exordia.

ENascentis Ecclesiæ pacem turbauit iniquo suo dogmate Pelagius, affirmans posse hominem solius naturæ ductu gratiam comparare. Sententiam illam Deo iniuriam anathemate feriit Ecclesia, conscia indolis hominum, quæ sterilis est in ordine ad gloriam, nisi cœlitus adiuuetur. Et hæc est prima Ioannis, & gratiæ affinitas. Siquidem ille editus est patre & matre effœtis, vt probat hic contextus. *Non erat illis filius: eò quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Vox Hebræa, quæ Ioannem significat, יוחנן *Iochanam* deducitur à radice חנן *chanan* misertus est atque ita Ioannes & gratiam, & misericordiam sonat. Magna quippe Dei misericordia illuxit mundo Ioanne edito, vt iubilans pater eius ait: *Præibis ante faciem Domini, parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Ita Dei est illa dignatio, scilicet gratia, vt natura omnino illius impos sit, tota Theologia conclamante. Quippe nulla res potest agere vltra suam speciem; quia semper oportet esse causam potiorem effectu suo. Donum autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cùm nihil aliud sit quàm quædam participatio diuinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam, & ideo impossibile est, aliquam creaturam gratiam causare; sic enim transcenderet fines à Deo præstitutos.

Luc. 1.

Luc. 1.

Ex THEOLOGIA. Thom. 1. 2. q. 112. art. 1.

Coëunt Patres Sancti in eam sententiam, quos recensere omnes, tædium esset. In his Ambrosius ita fatur: *Si gratia iam non ex operibus. Manifestum est, quia gratia Dei donum est, non debita merces operibus, sed gratuita ratione, & misericordia interueniente concessa. Alioquin gratia iam non est gratia. Verum est, quia si merces, gratia non est. Sed quia merces non est, sine dubio gratia est, quia veniam peccatoribus dare non aliud est quàm gratia, & iis qui non requirunt, sed offertur illis vt credant. Duplex ergo gratia est, quia hoc competit Deo, qui abundat misericordia, vt requiras quos gratis cures.* Quantus ergo fuit ille puer qui natura effœta non est progenitus, sed natura Deo miserânte fœta.

Gratiæ Dei descriptio ex Ambrosio. Ex SS. PATRIBVS. Ambros. in epist. ad Rom. cap. 11.

Quæ autem extiterint puerull præludia, audi ex serie historiæ sacræ, quæ commemorans parentes Ioannis ita fatur: *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini.* Ita sane gratia aliqua præambula quærit, seu dispositiones, vt sunt mores ingenui, non deuij à tramite mandatorum Dei. Et hoc est Theologicum dogma, affirmans gratiam infallibiliter sequi præparationem hominis ad gratiam. Sed notandum, præparationem illam bifariam considerari posse. Primò vt est à libero arbitrio se mouente; in eo sensu gratia necessariò talem præparationem nequaquam consequitur, quia donum gratiæ excedit omne quod est ordinis naturalis; sed actio liberi arbitrij, vt talis est præcisè, est ordinis naturalis: ergo nequit pertingere ad gratiæ influxum. Secundò attendi potest illa præparatio vti facta à Deo mouente liberum arbitrium; tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non potest, iuxta illud Augustini affirmantis, per beneficia Dei certissimè liberari eos qui liberantur. Vnde si ex Dei nutu est, hominem, cuius pellicit animum, gratiam consequi, infallibiliter illam consequitur iuxta illud Ioannis. *Omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me.*

Gratia influit in animam benè dispositam. Luc. 1.

Ex THEOLOGIA. Thom. 1. 2. q. 112. a. 2. & 3.

August. lib. de prædest. Sanctorum.

Ioan. 6.

Ad hanc motionem Dei se aptant illi, quos pœnitet pessimæ vitæ, & qui ad Decalogum totum praxi impigra assequendum animum inclinant. Et hoc benè aduertendum ne deficiat præparatio ad gratiam congrua. Plerosque enim videre est inclinantes quidem ad meliorem frugem, sed vni volunt indulgere libidini, alij luxuriæ nexus dissoluunt, sed nolunt euomere malè parta, quæ hianti absorbuere gurgite. Memores sint hi cunctantes ingredi callem, ad quem ineundum Ioannes hortatus est dicendo: *Parate viam Domini, rectas*

Decalogi totius obseruatio necessaria.

Marc. 1.

rectas facite semitas eius. Meminerint inquam desides omnes, Ioannem editum esse parentibus, quorum hocce elogium est: *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.* Qui omnia dicit, nil excipit. Ita & gratia in neminem adultorum hominum influet, nisi Decalogo plenum deuouerit obsequium.

Luc. 1.

Frustra obseruantiam nouem præceptorum quis iactabit expectans à Deo gratiam; si hiulcum sit & defectiuum mandatum decimum, Deum audiet exprobrantem: *Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum.* Quasi diceret: Quid causaris austerum meum animum cunctantem reddere mercedem obsequio nouem mandatorum, ex denario conuenisti mecum, toti Decalogo te obstrinxi, præmiandum si gesseris morem, puniendum si incurius imperij mei fueris dyscole nepotatus. Eò etiam aspexit Deus ista Sanctione. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Non quòd rerum temporalium accessione Deus ditescat, sed vt insinuaret Decalogi plenum obsequium. Quisque ergo seipsum sedulò interroget, an decimas Deo pendat, & fortasse ei numero deesse videbit aliquod mandatum, cui præuaricatione sua se præstitit iniurium.

Matth. 20.

Exod. 22.

Deo fuisse cordi hunc numerum Decalogo sacrum, audi ex mensura Angelorum, quos ex oliua fecit Dei ductu Rex Salomon. *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis corum, decem cubitorum altitudinis.* Nota, oliuam, quæ est gratiæ Dei seu misericordiæ tessera, denario numero sociari, & rursus hunc numerum esse mensuram altitudinis Angelorum. Id est, homines, qui in Angelorum ordinem volunt assurgere, debere etiam eum explere numerum, Decalogum excolendo, cuius obseruantia potest esse adeò grata Deo, vt copiosa inde affluens gratia hominem illum supra Angelos euehat, aut saltem adæquet eis ratione eiusdem mensuræ recensitæ. *Intelligendum est quod creatura quidem superior Angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritalis: eius dem tamen & erga nos, & illos muneris auctoris sit. Quanta autem gratia, quæ præmiis Angelorum etiam inferiorem creaturam humanæ conditionis exæquet? Sicut Dominus ipse promisit dicens: Eritis sicut Angeli in cælo. Nec difficile. Qui enim illos Angelos fecit in Spiritu; homines quoque per eandem gratiam similes faciet Angelorum.* Hæc ille. Cùm ergo duo parentes Ioannis habeant hoc testimonium Euangelistæ, vt fuerint iusti ambo, nonne fuerunt ex oliua, id est, pleni gratia? Altitudine decem cubitorum fuere conspicui, quia cubitum, manus, & seipsos totos applicuerunt ad praxim decem mandatorum. *Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.*

EX FIGVRIS. 3. Reg. 6. Gratia Dei æquat homines Angelis.

Ambros. lib. de Spiritu Sanct. c. 7.

Hi duo Cherubini alterum progenuere Cherubinum, scilicet Ioannem; cui potes affingere illud Exodi. *Quidquid decimum venerit sanctificabitur.* Ille quasi numero satus denario vtpote editus à parentibus Decalogo addictis, fuit velut aliquod decimum insigne Deo sanctificatum. Nec aliunde colimus diem natalem puerull huius, nisi quia fuit in vtero matris sanctificatus, vti explicat Ambrosius. *Non est dubium, verum hoc Angeli esse promissum. Siquidem Sanctus Ioannes antequam nasceretur, matris adhuc in vtero positus, spiritus accepit gratiam designauit. Nondum erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ. Ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum: iste non temporibus, non ætatibus coercetur, non obitu extinguitur, non aluo matris excluditur.* Hi duo Cherubini alium verè protulerunt Angelum; quippe ita eum vocat præscius vates, quem meminit Ambrosius sic fatus: *Ioannes natus ex viro & muliere. Attamen audi, quia Angelus est & ipse. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam ante te.* Obseruationem Decalogi adiungere nos illi statui Angelico, audi ab eodem Sancto. *Esto Angelus, hoc est diuini minister imperij. Obsequere mandatis Domini. Cùm fueris Angelus videbis faciem Dei.* Gratia namque emergens ex obseruatione mandatorum Dei, præit gloriæ illi, quæ Dei aspectum præstat.

Exod. 27. Ioannis Baptistæ encomia

EX SS. PATRIBVS. Ambr. lib. 1 in Luc. c. 2.

Idem serm. de Sacramentis.

Idem in Psal. 118. Angeli sortem quomodo posset habere homo.

Si igitur, ô homo, anhelas ad Dei affectum & gratiam, memento gratiam æmulari ortum Ioannis Baptistæ, & requirere animum ad dictum obsequio mandatorum Dei atque adeò pœnitentem si antea deuiarat. Eo quippe ritu Deus paciscitur solet cum homine, quo & olim Vladislaus II. Rex Poloniæ, iniit fœdus cum Lithuaniis, quorum quosdam redegit in ordinem, quia adolebant incensum simulachris illis duntaxat receptis in gratiam, qui gentiles animos abdicarunt. Quod vbi ab aliis reicitum est, scilicet compendiosum iter ad gratiam Regis, esse abiurationem cultus idolorum plerique ea via sibi conciliauere animum Regis. Eo etiam schemate dyscoli homines nullo germine bono fœti, sed steriles ad genuinos fructus virtutis exerendos, redire debent in gratiam cum Deo, abiurando omnia simulachra impietatis, & concipiendo nouos affectus ad obseruantiam mandatorum Dei, quorum denarius, de quo conuentum est, sanctificat animas. Macte igitur, ô anima nutans, abiice simulachra; totam te deuoue decalogo & concipies gratiam. Pœniteat te, baiula crucem, & gratia desuper illabetur. Ne causare insolitum peccandi ritum, quo propendes in defectionem à mandatis Dei. Si namque tædio retroactæ vitæ agеris erga Crucem benè affectus, curaberis ab omni deliquio.

Vladislaus Rex Polon. quomodo Lithuanios ad fidem conuertit. EX HISTORIA. Ioan. Herbus in hist. Polon. in Vlad. II. Peccatum facit ignobiles.

Nota mysterium insigne in eo quòd numerus denarius symbolum Decalogi depingatur charactere isto X. qui Crucem decussatam refert. Quippe morem gerere Decalogo, est Crucem ferre. Quomodo autem ad præsentiam Crucis gratia influat, audi ex Beda referente, æuo suo è nodis adorandæ Crucis oleum desudasse, quod propitium erat ægris. Ita planè ex Decalogo, quem Crux decussata refert, gratia copiosa defluit inungens animas, easque curans ab infirmitatibus.

Beda de locis sanctis c. 10.

Decalogus signatus litera X, quæ Crucem designat.

Aliud etiam occurrit præludium natiuitatis Ioannis, scilicet Angeli flatus ille quo parentem præmonuit de puero nascituro. Ea sanè est nostri Angelorum cura, vt suasione iugi & adhortatione ad virtutem præeant semper gratiæ cælitus illapsuræ, vt fusè ostendi in tractatu de Angelis, vnde repetere potes hunc iubilum Augustini. *Hi sunt custodes super muros tuos tuæ noua Ierusalem, & montes* in

EX SS. PATRIBVS. August. Solil. c. 27. Angeli custodis cura indefessa.

in circuitu eius: vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem tuum; nequando rapiat vt leo animas nostras, &c. *Magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis: omnibus horis & locis succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te Domine*, &c. *Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes.* Sed esto Angeli nostris auribus insonent; nihil tamen Deo gratum anima nostra parturire potest, nisi astante Maria Virgine, quæ adfuit etiam Ioanni nascituro.

In his præludiis abditum quid sapit Ambrosius, & veluti aliquod insigne præuium iustis omnibus hominibus. Sic ille. *In ortu iusti futura vitæ insigne præmittitur, & gratia secutura virtutis, exultatione vicinorum præfigurante signatur. Pulchrè autem tempus, quo fuit in vtero Propheta describitur, ne Mariæ præsentia taceatur, sed tempus siletur infantiæ, eò quòd præsentiâ Domini, matris in vtero roboratur, qui infantiæ impedimenta nesciuit.* Vide nunquam præteriri Mariam in ortu gratiæ, & quàm multa requirantur præambula, vt gratia nostris mentibus adnascatur. Quàm benefica puerulo Maria extiterit, audi ex Bernardo. *Poteratne vacare à quocunque miraculo, cui præsens erat Regis præsentia, regnantis mater, mundi redemptor? Mansit Maria cum illa quasi tribus mensibus, ait Euangelista. Tanto tempore manet cum Elizabeth virginalis integritas, & nunc dulciori eloquio, nunc feliciori amplexu, Ioannem puerum consecrat, & insignit. Illud pro certo certum est, quia non parum contulit puero nascituro, tam felix, & morosum intemerata Virginis consortium.*

Ambr. l. 2. in Luc.

Apud Bern. serm. de priui. Ioan. Bapt.

Mariæ præsentia quāta bona parit.

Ex præfatis tria hæc præcedunt gratiam orituram. Primum est motio liberi arbitrij, Deo inclinante in ordine ad gratiam. Alterum iugis Angelorum inspiratio. Tertium Mariæ præsidium. Ad hoc facit consona sanè historia Arnulphi Episcopi Suessionis, quo suprema ægritudine decumbente, cella eius validè concussa est: omnibus autem ideo aufugientibus, ille ait: State intrepidi, signa hæc sunt diuinæ Maiestatis. Primo tremore B. Petrus apparuit asserens mihi concessam veniam omnium peccatorum. Secundo Michaël Archangelus adfuit, qui ducatu suo viam cæli sternet. Demum B. V. Maria accessit, sua dignatione leuans omnes meas ærumnas. Animæ tremor fit quando concutitur animus verecundus ob turpia perpetrata: Valida est prorsus illa concussio, renitente appetitu sensitiuo subire iugum Christi. Prima Petri apparitio fidem sonat, quæ est veluti ianua ad salutem. Angeli intuitus est curâ, quam gerunt nostri beatæ illæ mentes, quæ semper excubant ad aures nostras. Denique Mariæ aduentus insinuat, nihil nobis dari Mariâ inconsultâ, vt ait Mariæ obsequentissimus Abbas, cuius hoc est effatum: *Mariam veneremur, quia sic est eius voluntas, qui totum nos voluit habere per Mariam.*

Gratiæ influxum tria præcedunt.

Ex Historia.

Liziardus in vita Arnul. Baron. annal. tom. vndec. ann. 1087.

Bernard.

Ista prælibata præambula gratiæ intelligenda sunt de gratia illa prima, quæ adultos homines iustificat ritè dispositos. Sed si consideretur gratia in intensione sua & augmento, vt in Ioanne Baptista congruè designatur, id requirit quod Euangelista commemorat, dum texit elogia parentum Domini præcursoris, quos vocat, *Incedentes in omnibus mandatis, & processisse in diebus suis.* Gratia alia est prima, alia est superueniens primæ, ideoque dicenda potius augmentum gratiæ quàm gratia simpliciter. Primam quidem, vt præfatus sum, mereri nequit, vt impos tanti doni; Deo tamen annuente potest ad eam disponi. De augmento verò secus, quia vt motio se habet ad vltimum terminum motus, ita & gratia ad vitam æternam; sed motio non excludit incrementum, seu processum motus: ergo nec gratia, cuius processus attenditur in progressu & augmento. Nec obstat obiicere hominem esse principium naturale; & gratiam, quæ adiicitur, esse superioris ordinis. Nam illa adiectio gratiæ non fit in homine vt est simpliciter & præcisè homo, seu agens naturale; sed vt est homo gratia præexistente informatus. Ad eminentem illum gratiæ statum requiritur in anima feruor singularis, quo gratia adaucta homo perficitur, vt ait Augustinus. *Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.*

Ex Theologia.

Thom. 1. 2. q. 114. art. 5. & 8.

Ex SS. Patribus.

Aug. tract. 5. in Ioann.

Hominis ea instructi effigiem præbet Ezechiel, in illis animalibus, quæ nihil nisi mysticum redolent. Sic ille: *Facies eorum, & pennæ eorum extenta desuper, vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat, vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.* Hominum, quibus vegetior aura Spiritus Sancti afflauit, facies & pennæ, id est, omnia vota diriguntur sursum. Diuino velut œstro perciti hi homines, aguntur impetu quodam in apicem virtutis omnigenæ. Et ne suspiceris periculum teporis aliquando adfuturi, subiicit Vates: *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Nihil inde inferre licet, præter ardua omnino facinora, denotata in hominis illa manu, quæ abdita erat sub pennis, vt sonat hic contextus: *Et manus hominis sub pennis eorum.* Et ea egregia acta palam facere est secundæ partis istius homiliæ.

Ezech. 1.

Gratia Dei feruidos facit.

Pars Secunda Homiliæ.

Gratiæ effectus graphicè delineari in Beati Ioannis Baptistæ vita.

CODice sacro propalata encomia alicuius, ea seriò sunt expendenda; quippe nihil vacat in serie contextus illius sanctissimi. Consulamus ergo oraculum illud eructans elogia præcursoris Christi. Audi paucis omne quod multiloquio etiam dici nequit. *Manus Domini erat cum illo.* Manum esse typum actionis nemo est qui ambigat, iuxta illud Philosophi affirmantis, manum esse organum organorum. Si Dei manus fuit cum Ioanne, proculdubio illa manus nesciens inducias operata est magnalia, vti præscius Angelus præmonuerat Zachariam. *Erit magnus coram Domino.* Ita planè adeò magnus, vt inter natos mulierum non surrexerit maior. Magnus ab ortu suo, vt pote repletus Spiritu Sancto ex vtero. Magnus in progressu, quia aspernatus mundi illecebras secessit in eremum, cœlitum vitam

Manus est typus actionis.

tam agens, nescius cupediarum gulæ, aut amictus lautioris. Magnus præco Dei, non veritus Herodi imperium, aut adulteræ lasciuiam seuerius obiurgatam. Magnus denique quia etiam gloriam transcendit Angelorum, quorum æmulatus est indolem in hoc æuo quantum fas est homini imitari vt apud Bernardum legere est. *Sic nouem Angelorum ordinibus insertus est, vt etiam ad Seraphim apicem transferatur.*

Ex SS. Patribus. *Apud Bern. serm. de præmil. S. Ioan.*

Spiritu sancto repleri quid sit.

Auctor ille eximias huiusce Sancti dotes recensens, auspicatur ab vtero, cum præferens Ieremiæ qui sanctificatus est quidem sed Ioannes repletus est. *Multo quippe excellentius est Spiritu Sancto repleri, quam sanctificari. Illa enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem signat.* Ea exordia vita consona excepit, vt congrua omnino effatis Angeli. Vnde pergit encomiastes. *Verè magnus coram Domino, quem Angelus nuntiat, sanctificat Deus, spiritus replet, vita commendat.* Quale autem viuendi schema ingerit, audi. *Sic ab ortu vitæ suæ vsque ad occasum conuersatus est cum hominibus, vt forma vitæ, morum informatio habeatur.*

Ibidem. Sanctificatio quid significet.

Ne mirare laudes, sed speculare omnia hominum eloquia esse imparia gratiæ, quæ cum sit superioris ordinis attingi nequit humanis loquendi tropis. Hinc ille qui supra. *Licet huius sermonis aurea non rutilet pulchritudo: tentabimus tamen rerum veritatem qualicunque stylo perstringere.* Aio ergo ex Philosophia, Ioannem debuisse talem esse, qualem Scriptura commemorat. Etenim ex Auerroë, *Agens dans formam, dat etiam consequentia formam, mediante forma.* Ergo Deus primum agens, influens in Ioannem, impertiuit ei agendi modum congruum illi formæ sacræ, quam inussit ex vtero; at forma illa fuit cœlestis, scilicet gratia: ergo debuit ille Sanctus vitam agere omnino alienam à terrenis. Rursus ex eodem Auerroë: *Agentem causam qui concedit, & causam finalem concedere debet: quia agens non agit nisi propter finem.* Deus ergo, qui Ioanni formam illam concessit, quæ est principium actionum sanctarum, finem etiam adiecit, scilicet seipsum. Vnde vt quò finis potentior est ad mouendum, & causa vegetior ad agendum, est etiam motio validior. Ita Deus apprehensus a Ioanne vt finis vltimus gratiæ, qua percitus agebat ille, magnos reuera impetus ad virtutem adiecit, præsertim cùm remoto omni obice agens se totum effundat in propositum congruumque sibi scopum; nullos autem fuisse obices in Ioanne ineunte viam cæli, in confesso est apud omnes, cùm gratiæ illapsus ex vtero rubiginem illam deterserit, qua obstante ægrè ciemur ad virtutem.

Vbi supra.

Ex Philosophia. *Auerroës 3. de cælo, text. 28. Idem 9. Metaphys. tex. 10* Causæ efficientis & finalis consortium.

Quonam verò pede gigas ille vias cæli emensus sit, disce ex Theologia, quæ inde dispescit gratiam à peccato, quod peccatum à tergo Deum ponat, vt creaturis ex aduerso litet; gratia verò secus retro ponat ea quæ sæculi sunt vt tota Deo adhæreat, cuius quædam participatio est: illa autem positio non est mente tantùm tenus, sed & affectum trahit; habitus enim supernaturales, etiamsi quidam sint speculatiui, vtpote in intellectu siti, tamen etiam practici sunt, quia charitas eos concomitans non est otiosa. A potiori, gratia, quæ totum hominem induit, & ad Deum dirigit, non erit contenta intuitu solo, sed & affectum adiiciet æstuantem. Et ne illecebris capiatur, gratia est refuga mundi, imò homo sanctus seipsum cautè reformidat; sciens intestinos hostes gulam atque libidinem militare mundo. Hinc indicta ieiunia, & amictus austerior, quibus vtpote carni iniuriis luxuria coërcetur.

Ex Theologia. *Thom. 1. 2. q. 113. art. 2.* Gratiæ, & peccati oppositio.

Vide in Ioanne potentissimum hunc gratiæ effectum, apud Bernardum. *Reliquit Ioannes mundum, homines fugit, patriam nescit, parentes aspernatur, & in solius diuinitatis apicem defixit obtutus. Mira rerum conuersio, hominem vix mundum ingressum, mundum fugere, gloriam & sæculi cupiditates non solùm obliuisci, sed nescire, perpetuumque cum diuinitate habere consortium. Recessus montium, syluarum anfractus, & vallium subiacens vastitas puero Patriarchæ quando nox cogerat domicilia præbuerunt.* Non fuit coactus rerum inopiâ secessus ille in desertum: etenim nobili sacerdotum genere editus ille puer poterat paternos excolere lares, haudquaquam ingloriè, vt pergit panegyrista. *Ioannes ætatis supergressus infantiam, & nobilioris generis generositatem oblitus, soli vacat diuinitati, factus forma vitæ, monachorum propositum, anachoretarum principium, totius religionis assertio.*

Ex SS. Patribus. *Apud Bern. serm. de priu. S. Ioan. Bap.* fuga mundi in Ioanne paruulo.

Ioannis virtutes describuntur.

Si talia fuere rudimenta vitæ illius, quam auspicatus est à sæculi fuga; qualem fore credis, quando fuerit nactus magisterium? disce ex sequela. *Quanta sublimitas in conuersatione fuerit, non est currentis linguæ volubilitate disserendum, sed Euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio. Ioannes, inquit, habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos eius: esca autem eius erat locusta, & mel syluestre. Rigida vestis, & durissimis hispiditatibus contexta, rigore squalisero corpus afficit Patriarchæ, carnemque tenerrimam immatura districtio disciplina feritate coarctat, teneros artus, & sacratiori spiritu superfusos continuè quassat longitudo martyrij. Cæli rore pascitur, & animalis vilissimi satiatur edulio, nihilque cocium accepit ieiunantis austeritas. Castigato ventri, & diuturna maceratione distento ignota fuit varietas ferculorum, nec introiuit in os eius quod gulam alliceret, suffarciret ventrem, stomacho blandiretur.*

Ne alia quære specimina affectuum, qui produnt gratiam, imis animæ recessibus abditam. Quisquis ergo meditaris sæculi fugam, fastidium epularum, & illecebrarum omnium abstinentiam; hoc vnum cura, scilicet vt sis in gratia: ea nimirum totum hominem Deo ita deuouet, vt cæteris omnibus eripiat, & imbelles faciat impetus mundi, Veneris, & Bacchi. Nam si Iustiniano Imperatori licuit hæc rescribere Triboniano formidanti resistere quibusdam viris clarissimis incuriis legum. *Neque tibi sit cura cuiuslibet sint hæc agentes dominij: sufficit enim per omnia tibi ad perfectam fortitudinem, & lex, & imperij fauor.* Potior est ratio securitatem illam affingere iis, quos lex diuina corroborat, & supernæ Dei dotes ornant. Nulla namque est fortitudo sibi constans, quæ labefactare queat animam Deo gratam.

Ex Iure Civili. *Nouel. 17. c. 13. de mandatis Principum.*

Gratiæ Dei auxilium quàm potens sit.

Quid causaris Dauidem in libidinem fractum, Salomonem libidine dementatum, aliosque

quæ & multos blandiente sæculo delinitos. Hoc vnum esto tibi insigne solaminis argumentum; scilicet Deum hoc tuis auribus insonare: *Neque tibi sit cura, cuiuslibet sint, hæc agentes domini; sufficit enim per omnia tibi ad perfectam fortitudinem, & lex & imperij fauor.* Ea fuit panoplia, qua Ioannes cataphractus omnes inimicas acies fudit. Sola gratia saginatus tulit inediam, ea duntaxat stola redimitus non præsensit aculeos pili camelorum, quos pellis induta cuti illius iugiter affricabat. Gratia comite nunquam se credidit solum in vasta eremo, quippe qui a Deo non discretus, ei adhæret, alia omnia horret consortia. Ne ergo Ioanni inuideas, esto Deo gratus.

Ex re Medica.

Nonne etiam ars medica sanitatem colligit ex tenui victu, & moderato vestitu? Fames namque illa depascens lautas epulas, quidpiam caninum sapit, & arguit ventriculum frigore obsitum, rigor, ne vt plurimum comes est nimij edulij. Et frigidum inde corpus vt calorem paret, vestes sibi comparat idoneas, scilicet pelliceas, non quæ hirsutæ corpori ingratæ sint, sed fauentes, & fouentes. Omnia hæc collígio ex Hippocrate sic decernente:

Hippocrat. l. 7. Aphor. 7.

ἐκ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη κακόν. *Ex largiore potu rigor, & delirium malum.* Tenui victu itur obuiam illis rigoribus; suadet autem mediocrem viuendi seu pascendi ritum sanitas vegeta, à nimietate etiam vestium aliena.

Ex Mathematica.

Columella li. 11. cap. 11. Quercetan. in pharmacopea. Gulæ mala quanta sint

Non erit fortè ingrata ista obseruatio Columellæ: ait ille, septima die Septembris omnino occidere piscem aquilonium; est sidus rutilum in cælo, eodemque tempore oriri capram, quæ tempestatem præsignat; & reuera memini me legisse mensem illum esse minimum sanitati, ob sidera malefica quædam exortu suo. Huic animaduersioni adiicio meum calculum, facto experimento meo etiam vitæ discrimine. Et Quercetanus Medicus Regius vir apprimè notus vetat quid moueri eo tempore, & consulit ægro abstineat à catharticis, quia siderum iniurius est exortus. Heu quam lethalis est piscium occasus, id est abstinentiæ occubitus! Quam perniciosa capra exoriens, id est gula, siue luxuria! caro namque ingluuiem ventris, & libidinem refert. Quot tempestates excitat illa capra! quot tragœdias in orbem inducit! locuples est testis ille nebulo, qui epulis & Veneri indulgens, dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose. Gratia occurrit illis omnibus angustiis; reuocat enim pisces, carnemque eliminat: & sic sedat ea quæ capra exorta commouerat.

Ex Iure Canonico.

Canone Similem, de Pœnit. dist. 2.

Iam non miror illud præsagium Archangeli de Ioanne nasciture. *Multi in natiuitate eius gaudebunt.* Siquidem gratia affulgens, omnia lætificat, & instar sideris benefici serena facit, quæ antea turbulenta displicebant; imò & turpia condecorat, vtpote Deo similes efficiens possessores suos, quos stipant virtutes ferè omnes, cùm gratia seorsim nunquam influat. Iure Canonico liquet hoc effatum. *Similem Dei esse, est habere iustitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum.* Habet sanè quod lætetur anima tantis decora gratiis, & sanctiore penicillo delinita, quam Iezabel lætante populo, & congratulante Regi suo Iehu ingredienti Samariam. Depinxerat illa stibio oculos suos, & rubore genas ornauerat, quæsitura fucos, nihil effecturos ad gratiam Iehu comparandam. Melius sibi sane consulit anima, quam manus Dei ducto gratiæ penicillo perficit, vt fert iste Canon:

Can. Illa anima. de Pœnit. dist. 2. Gratia Dei est pictura animæ.

Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam, sententiam splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua lucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem quæ refulget, pictura pretiosa est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum depictus fuit: sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestris effigiem.

Thom. 3. p. q. 2. art. 10.

Angelicus Doctor gratiam vocat similitudinem Dei; quali ergo lætitia gestiet ille, qui intrat in gaudium Domini Dei sui. In natiuitate gratiæ congaudent omnes. Primò anima adhuc infans exultat in vtero Ecclesiæ, præsentiens vicinia n Christi. Lætatur mater Ecclesia, iubilant & fideles omnes, adiectione vnius animæ pœnitentis. Imò quasi orbis vniuersus angustior esset ad capiendum tantam lætitiam; est etiam in Angelis gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente. Huius gaudij ad gratiæ illapsum consequentis, impos est anima aliquo crimine præpedita. Sed vbi se expedit illa à sceleris implexibus, illud Dauidicum canit: *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Verè anima, cui gratia affulsit, ciuitas est Domini virtutum, nescia belli, aut terroris alicuius. Habes in pacifico Salomone ideam huius lætitiæ, quam ille sic expressit: *Nunc requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non est Satan, neque occursus malus.* Gratia quasi in gyrum acta, hominem totum induit, armat, & protegit, ita vt omnis animæ aditus inuius sit Satanæ, quo fugato, affluunt omnia bona, quia mala omnia penitus effluxerunt.

Psal. 47.

3. Reg. 5.

Baptizatis mel, & lac dabantur olim.

Ex Historia.

Baron. tom. 2. Annal. anno 294.

In symbolum huius lætitiæ, quam gratia secum vehit, priseis Ecclesiæ temporibus, adultis hominibus baptizatis statim os illinebatur lacte, & melle condiebatur, vt scirent inde nouella illa germina sanctitatis, in sentecetis & dumetis Ecclesiæ nasci rosas, & Crucis aculeos, instar apum, quæ etsi pungunt, melle sudant, animam illapsu gratiæ dulcorare. Eo alludit Tertullianus ita fatus: *Suscepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.* Huc etiam spectat illa insignis inundatio Nili tempore Constantini, qui vbi sustulit ex Alexandria turpia omnia simulachra, & legem tulit in cynædos aliosque nefariam libidinem exercentes. Quid inde acciderit disce ex Eusebio coæuo Constantini. *Cum superstitiosi existimarent, minime deinceps flumium pro consuetudine sua in agros suos effluxurum; Deus fauens Imperatoris legi, longè secus quam illi expectauerunt vberrimum flumen reddidit. Nam cum impura illa fax, qua suis sordibus ciuitatem turpificasset, prorsus esset sublata: flumen, quasi expurgata expiataque tota regione, maiore quam antè cursu ferebatur, & magnis ac abundantibus gurgitibus intumescens, omnes agros quaquauersum irrigabat, tanquam re ipsa demonstraret, homines impios, & sceleratos remouendos*

Tertull. de corona milit. c. 4.

Euseb. lib. 4. c. 25. de vita Constant. Nili inundatio propitia post conuersos Ægyptios.

remouendos esse, & ad Deum solum omnis salutis auctorem, omnium rerum præclararum causam esse referendam. Hactenus Eusebius, subindicans bonorum omnium affluxum sequi indubie ad gratiæ influxum.

Annon etiam inundauit Ioannes instar Nili, melius dixerim instar nihili: siquidem dum se nihil esse dixit, meruit humilitate sua præconem habere Christum, quo assertore nemo maior surrexit eo, qui vsque ad nihilum se depressit: quippe arbitratus est se indignum soluere corrigiam calceamenti Christi; infra autem calceamentum nihil est. Cùm autem nihilum inundat, id est, humilitas crescit, statim adest vbertas omnium bonorum. Et hoc nota, humilitatem esse maximum emeritæ gratiæ argumentum. Vnde cùm Ioannes maximâ fuerit gratiâ insignis, debuit etiam eius humilitas enitere. Inde Augustinus, Ioannis altitudinem emetitur. Sic ille: *Tam magnus visus est Ioannes, vt à nonnullis etiam Christus putaretur: nec in superbia sua alienum secutus est errorem, nec ausus est dicere; sum quod putatis: sed quod bonum erat ei, se agnouit, vt ad pedes Domini, & ad corrigiam calceamenti seruus humiliaretur, ne vento superbiæ lucerna extingueretur.*

Ex SS. Patribvs. *August. ho. 44 lib. 50. homil.*

Hæc ille, qui alibi versans idem thema pergit: *Erat Ioannes homo perfectus quidem, & cuius tanta gratia commendata est, vt ipse de illo Dominus diceret: In natis mulierum nemo exurrexit maior Ioanne Baptista. Quisquis Ioanne plus est, non tantum homo, sed & Deus est. Iste ergo tam magnus agnoscit in paruo Dominum magnum, agnoscit homo eum, qui venerat homo Deus. Debuit ergo tantus iste & discipulos proprios habere, & cum discipulis suis magistrum omnium Christum cognoscere. Quod enim est maius testimonium veritatis, quàm se humiliando eum cognoscere, cui æmulando potuit inuidere? Putari Christus potuit, & noluit. Dixerunt homines cùm fallerentur in eo: Num fortè hic est Christus? Respondit ille quod non erat, vt maneret quod erat. Inde quippe Adam lapsus perdidit quod erat; quia quod non erat vsurpauit. Recolebat hoc iste magnus, sed in paruo Christo minimus.* Hæc ille.

Idem ser. 25. de Sanctis.

Humilitas Ioannis Baptistæ quāta

Ea est humilitatis sors, vt quantò se deprimit, tantò etiam euehatur; imò & quandoque cælo tenus, si infra viliora homo se inclinet. Iuxta illam normam Christus Ioannem supra reliquorum hominum apicem extulit, quia professus fuerat se indignum soluere corrigiam calceamenti Domini Redemptoris: & putatus Christus, ait: *Non sum ego Christus.* Quæ verba sic versat Augustinus: *Tanquam diceret; certè in honorem meum ita fallimini, & certè mihi hoc putando magnam additis laudem, sed debeo cognoscere; vt vobis errantibus ille possit ignoscere. Si enim quod non erat fallaciter putaretur Christus, ab illo qui veraciter erat Christus amputaretur.* Huius Sancti insignem dignitatem speculatur Augustinus, ex eo quòd quasi æmulus Christi sequaces habuerit, & non se adiecerit Christo. Et hoc stupet Augustinus. *Hic Ioannes non inuenitur inter discipulos Domini, sed inuenitur potius discipulos habuisse cum Domino. Quid est hoc? Quid est iste homo? Homo tantùm. Quid est homo tantus? quantus tantus homo? Tamen non sequebatur inter discipulos Dominum, & sequebantur eum discipuli: absit vt dicam contra Dominum, sed tamen quasi extra Dominum.*

Ioan. 1. Augustinus vbi suprà. Humilitas custodit virtutes.

Ibidem.

Nota magnitudinem Ioannis non attendi penes mensuram hominum, sed penes pondus sanctuarij; quo sacra tantùm, & deputata cultui templi Dei Domini ponderantur. Plerique nomen hoc gloriosum sortiti sunt, vt Alexander Magnus, Pompeius Magnus, sed miserando fine pereuntes, ostenderunt inesse sibi tantùm magni nominis vmbram. Nonne & Rex ille Chaldæus inter epulas, magnitudinis suæ specimen editurus, audiit à Daniele Dei decretum. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens?* Quare autem ementita sit hominum magnitudo, disce à Propheta carpente mendaces hominum lances. *Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Altitudo hominum fugax est, & instar eius, qua eminent nubes, ideo assurgentes vt protinus euanescant, iuxta illud Psaltis. *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Quantùm autem emineat iste Sanctus, notum fecit Angelus, illius ortum prænuntians. *Erit magnus coram Domino.* Benè coram Domino, & ipso Domino dante, vnde assurgeret ante Dominum. Quippe orbis vniuersus hominem magnum nequit efficere, cùm ipse orbis sit veluti punctum, si cum globis cæli componatur.

Daniel. 5. *Psal. 61.* *Psal. 72.* *Luc. 1.*

Congruè huc reuocare queo symbolum, cuius meminit Aresius. Illud est charta geographica, vbi editi quique montes notantur punctis, hoc titulo desuper apposito. IN PVSILLO NEMO MAGNVS. Id est, terra ipsa adeò angusta est, vt augustum in angusto nequeat ampliari. Nequit ergo Ioannes esse magnus in pusillo; sed fuit coram Domino, qui illius etiam præconia contexuit, quorum præludia Angelus antea prædixerat. Collige etiam dignitatem eius ab alia nomenclatura, scilicet à nomine vocis. Fuit Ioannes vox Christi, qui est Verbum Patris. Vox canora qualis fuit Ioannes, non seipsa sonora est, sed spiritu valido eam iaculante foras. Vis rescire an huic voci defuerit halitus idoneus, vt vox ea resonaret; audi Gabrielem: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Voluit inde reserare sonos indices Christi nascituri, concutiens claustra, quæ obicem apponebant. Sic Chrysostomus: *Non fert Ioannes præsente Domino contineri, non fert naturæ expectare terminos; sed contendit rumpere carcerem ventris, & studet præsignificare Saluatorem. Accessit, inquit, qui soluit vincula; & quid ego sedeo vinctus? Venit Verbum vt omnia constituat; & ego adhuc maneo detentus, exibo.*

Ex Symbolis. *Paul. Aresi. lib. Symbol.*

Luc. 1.

Ex SS. Patribvs. *Chrysostom. apud Metaphras. de Ioan.*

Christi & Ioannis parentela similitudinem vtriusque aliqualem prodit, quam magis insinuat affinitas, quæ est inter vocem, & Verbum. Si enim vnicuique ait Christus vt sit perfectus sicut Pater cælestis est; quis inficiari audeat, Ioannem quantùm homini fas est, retulisse ideam virtutum Christi, quæ quia nimis erant rutilæ, præmisit Deus Ioannem vt lucernam, ne nimius splendor Christi oculos offenderet, vt ait Augustinus: *Quia vniuersum mundum peccatorum tenebræ, & nox infidelitatis oppresserant, & Solem iustitiæ aspicere non valebant, beatus Ioannes quasi lucerna præmittitur, vt cordis oculi lippitudine qui iniquitatis oppressi*

Ioannes Baptista fuit facula Solis præambula.

August. ser. 21. de S. Ioan.

oppressi fuerant, verum lumen videre non poterant, ad lumen lucernæ primum quasi tenuem splendorem videre consuescerent, vt paulatim peccatorum nubilo remoto, & infidelitatis humore digesto, adueniente Christo, ab illo celesti lumine letificari possent potius quàm retorqueri. Sicut enim lippientes oculos ad videndum prouocas, si exiguum splendorem lucernæ ostenderis; & amplius crucias, si lumen magnum ingesseris: ita Dominus & Saluator noster, qui est lumen verum, nisi prius Beatum Ioannem velut lucernam præmitteret, claritatem eius totus mundus sustinere non posset.

Liceat vos compellare, ô fideles, eo stylo, quo Christus olim sequaces suos: *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Ioan. 12. Hodie Ioannes vt lucerna candelabro apponitur vt luceat omnibus, qui in domo sunt, scilicet fidelibus. Si ergo de domo estis, auditores, vtimini ea luce, quæ rutilat hodie; eius obsequio sæculi technas deprehendetis, agnitas cautè fugientes à reprobo omni cœtu secedetis sequuturi Ioannem euntem in eremum. Candelabrum fuit olim lethalis ominis Balthasar Regi, qui mediis in epulis vidit contra candelabrum scribi sententiam necis imminentis. Ita & Ioannes est lucerna damnans lautiora edulia; quippe vilioribus esculentis suam ille leuabat inediam. Hæc demum lampas ardens, & amore Dei flagrans, exosa omne obscœnum, prodit libidinem molliore vestitu tegi, & castitatem gaudere amictu austero. Etenim sicuti rosa armatur spinis, ita & castitas asperis exornatur. Facite, ô fideles, vt vox ea non raucescat perperàm insonando pœnitentiam. Et satagite vt lucerna hæc, videlicet Ioannes, proficuo lumine vobis hodie accendatur.



HOMILIA IN FESTO

DECOLLATIONIS B. IOANNIS BAPTISTÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. PVLCHRIORA quæque suos æmulos nacta subiacent inuidiæ; ita & gratia, quæ in Ioanne figuratur, tot modis deliquium patitur, quot viis impetitus est Ioannes. Et hæc est dispositio Homiliæ istius.

II. Dicam Ioannem expetitum ad mortem mediis in epulis, à puella agente choros luxuriam anhelantes. Eo etiam modo extingui gratiam à gula, & Venere, quia duobus his veluti fontibus apertis mala omnia inundarunt.

III. Secundò, ostendam illa duo peccata potissimum petere caput, id est, hominem dementare.

IV. Demum concludam istam Homiliam, exponendo, Herodis tristitiam propter iusiurandum delineare synderesim, quam patitur anima gulæ & libidini obnoxia, vt cruciatu illo agnito à reprobis, ponant vtrique peccato modum.

PRÆFATIO.

Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Marci 6.



NABVCHODONOSOR Rex Babylonis editus in perniciem Hebræorum, vrbe Ierusalem capta inuasit templum, & impunè diripiens sacras Dei ædes, à candelabro aureo sacrilegum facinus auspicatus est. Credidit scelestus ille, sublato candelabro, & extinctis lucernis, quæ ex eo iugiter emicabant, fore Dei oculis inuisa crimina, quæ inibi perpetrauit. Eodem nefario spiritu acta mulier Herodias, templum Dei, scilicet animum suum volens polluere contagio luxuriæ, auspicata est à lucerna, quam extinguere multimodè tentauit. Ioannes Baptista fuit lucerna illa lucens, & ardens, quæ lumine suo notas fecit inhonestas actiones illius mulieris impudicæ. Vtque id hominum genus impatiens est opprobrij Herodias statim apud se statuit tollere de medio illud candelabrum, & hanc lucernam euertere indicem suæ luxuriæ. Ansam nacta est opportunam in die natali Herodis; siquidem coenuante Rege introduxit in triclinium regium filiam suam, puellam eleganti specie, quæ saltauit ea venustate, vt penè dementaret astantes præ stupore. Rex sui impos, dat ei optionem mercedis accipiendæ pro choreis. Illa nihil volens inscia matre referre pro præmio, consulit hoc Veneris oraculum. Exasperata mulier impudica Ioannis Baptistæ censurâ quotidianâ, de hac cogitauit lucerna protinus extinguenda. Etenim filiam suam interrogantem: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptistæ. *Filia matre nequior, consilium quod ea dederat ore tenus, ipsa nihil cunctata adimplevit.* Cumque introisset statim cum festinatione ad Regem, petiit dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis

nis Baptistæ. Et contristatus est Rex propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare; sed misso spiculatore præcepit afferri caput eius in disco. *Itaque hodie extincta est hæc lucerna, inimica luxuria. Non eatenus tamen extincta est, quin reposita fuerit super altius candelabrum, videlicet in edito calorum loco, vnde lucet omnibus qui in domo sunt, vt hodie recolit Ecclesia commemorans agonem huius Sancti consanguinei Christi & Mariæ quam saluto.* Aue Maria.

Nihil omnino est, cui vndique à natura applaudatur; imò quò quid perfectius est, fortiores etiam nanciscitur æmulos, ea nimirum omnia, quæ eminent, inuidia depascentur. In physicis quò magis corpora assurgunt, eò etiam magis patent ventorum flabris. Diceres omnia alterius inuidere sortem, vnde rara sanè sunt ea quæ sibi constant, contrario aliquo iugiter insurgente. Ea rerum discordia sita ferè est in quatuor primis qualitatibus, calido videlicet, & frigido, humido, & sicco, quibus insciis nihil prope in rerum natura coalescit. Fitque vt compages aliqua dissoluatur, incidens in agens vbi vegetiores sunt illæ qualitates. Longum esset ea recensere, quæ iuge dissidium patiuntur ab aliis. Rixa hæc validior est in moralibus; quia vt digniora sunt, ita etiam præbent inuidiæ fomitem ampliorem. Ideò vt in eo genere gratia Dei est rerum omnium caput influens in morales actus, innumeris obsita contrariis, perpetuas patitur angustias. Gratia autem, quia multifariam potest insignire animam, multimodè etiam à diabolis oppugnatur. Quippe peccatorum tanta est illuuies, vt vnicuique gratiæ queas singula quæque peccata opponere, petentia & impetentia gratiam, quæ est præcipuum animæ caput. Scriptura fauet hoc effato: *Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & vnum contra vnum.* Eccles. 33.

In Ioanne habemus locuples exemplum. Ille adeò inuisus diabolo fuit, quia iuxta nomen suum, quod gratiam significat, alios homines sollicitabat ad gratiam, eos hortando vt inirent callem pœnitentiæ, fugiendo ab ira Dei instante, vt non destiterit Dæmon quin Ioannem tulerit è medio. Quod Angelus ille refuga Ioanni iniurius fecit, id etiam quotidie præstat; siquidem ille callidus hostis, Herode incalente mero, puellam in Venerem fractam conduxit vt saltaret, choreas agendo, acta prius à diabolo, vt delinito Rege eo aspectu anhelo ad libidinem, peteret in præmium caput Ioannis Baptistæ. Hoc inquam vafer ille hominũ osor efficit semper. Potissimam namque hominum partem pessumdat conductis Baccho, & Venere, eoque ritu caput hominum petit, id est, gratiam expungit, vt istâ Homiliâ palam faciam.

Dicam primò, gulam atque libidinem esse vsitatam Dæmonum armaturam, qua prosternunt homines. Secundò illa duo peccata præcipuè petere caput, quia dementant homines.

Prima Pars Homiliæ.

Vt Herodes in epulis Ioannem damnat ad sollicitationem puellæ; ita gula & libido gratiam eliminant.

Meditanti naturam gratiæ, dubium insigne occurrit, an gratia queat excidere, quia cum sit superioris ordinis, hoc superat hominum fidem, dicere gratiam Dei à crapula & Venere expugnari. Quomodo enim omnia Satanæ conamina possunt pertingere ad rem, quæ excedit omnes naturæ vires? Nonne & cæli dicuntur incorruptibiles, quia non nacti sunt illas qualitates infimas, quibus sublunaria omnia corrumpuntur? Si ergo gratia tota est cælestis, quo pacto potest excidere? Respondeo, nihil obstante instantia, stare conclusionem meam de gratiæ deliquio, ingruente aliquo reatu lethali: & hoc liquet ex Theologia, quæ charitatem seu gratiam considerat ex parte subiecti, quod est vertibile secundùm arbitrij libertatem, eo modo gratia induit vniuersalem rationem formæ, de cuius natura est, vt non adeò tenaciter vniatur materiæ, quin ab ea diuelli possit, quia non totaliter replet materiæ appetitum. Est autem gratia Dei in homine, vt forma in materia. Gratia in gloria erit vt forma cælestis, totam potentiam materiæ adimplens. Vnde vt cæli sunt incorruptibiles, quia forma separari nequit à sua materia; ita & beati nequeunt à gratia excidere, quia eorum replet appetitum, nihilque est in eis quod actu in Deum non feratur. Sed gratia in via, ita hominem informat vt & alia possit à Deo appetere, Deo ipsi contraria: ergo amitti potest alio reprobo habitu succedente.

Gratia Dei excidere posse decoc.

Ex Theologia. Thom. 2.2. quæst. 24.

Rursus charitas in eo dispescitur ab habitu acquisito, quòd in his actus vnus non directè opponitur habitui, sed actui, & sic vnus actus contrarius, non habitum tollit acquisitum. Nec etiam continuatio habitus requirit continuationem actus, & inde petitur ratio, quare vnus actus contrarius non tollat habitum acquisitum. Charitas autem secus se habet: ea quippe est habitus infusus omnino dependens ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione, & propagatione charitatis, vt Sol in illuminatione aëris. Sicut autem in aëre deficeret lumen, si aliquid impediret illuminationem Solis, ita & desinente influxu Dei deficit & charitas: cessat autem Deus influere, si quando anima ab eo deuiat illecta illecebris, quæ vt præcipuæ sunt in gula, & libidine; duo hæc peccata potissimùm facessunt negotium gratiæ Dei, quam esse eandem rem cum charitate, concors est sententia plurimorum.

Sed ne stomachum moueat & nauseam ille occasus gratiæ, quasi dicerem hanc corrumpi instar earum formarum, quarum corruptela fœtorem vehit. Nota, gratiam esse accidens, & non substantiam, atque adeò propriè non corrumpi, quia eius tantùm est corrumpi, vel fieri cuius est esse; at propriè accidens non est, cùm vt ait Boëtius, accidenti non competat esse, sed inesse, & ex Aristotele: *Accidẽs est magis ens entis, quàm ens.* Ergo nec propriè fit neque corrumpitur. Dicitur autem accidens fieri,

Ex Philosophia. Aristot. lib. 7. Metaph. text. 2. lib. 2. text. 3.

Gratiæ Dei occasus facit cæcos. Peccatum est cæcitas

vel corrumpi, secundùm quod subiectum incipit, vel desinit esse secundùm illud accidens. Verbi gratiâ, cùm calere incipit subiectum, dicitur calor exoriri; cùm verò friget, dicitur calor interire. Itaque gratia cùm sit accidens non corrumpitur propriè, sed secundùm varium hominis essendi modum dicitur gratia abesse, aut adesse, iuxta illud Augustini: *Præuaricatorem legis diuina lux deserit veritatis, qua desertus vtique fit cæcus.*

Ex SS. PATRIBVS. *Augustinus lib. de nat. & grat. c. 22.*

Hominum caput Adamum gratia insignem diabolus adorsus est eo ferè modo, quo Ioannem, epulis & puella sollicitante Herodem vt ei caput amputaret. Etenim suasit Eua esum pomi, quo gustato, homo in gratiæ discrimen incurrit. Cui famulabantur Angeli, bestiæ iam denegant obsequium, quia incautè in Deum insurrexit. Eo ancipiti gladio, gula scilicet atque luxuria, populatur orbem acerbus ille hominum hostis, probè callens Adami prosapiam insigne deliquium passam in iis quæ naturam spectant, atque adeò vergere in peius, & appetitum sensitiuum, qui erat insitus vt rationalem appetitum excitaret, vsurpato dominio totum hominem trahere ad arbitrium suum, eum agendo in præceps. Verbi gratiâ, ad propagationem speciei erat indita appetitui quædam inclinatio ad procreationem liberorum, qua voluntas licitè eò propendebat positura frænum appetitui sensitiuo. Ita ad indiuidui statum integrum, inerat homini quædam propensio ad cibos, vt voluntas eo appetitu præmonita consuleret corpori laboranti inedia. Sed vbi vegetus ille spiritus imbellis effectus est, & rupta sunt repagula rationis antea dominantis, furere cœpit pars illa animalis, & ita debacchari vt præualuerit tandem, & raptatum hominem per epulas & reliquam ventris illuuiem gratiâ exuerit, feceritque Deo sic ingratum, & inuisum.

Hæc duo autem peccata grauius vrgere hominem cæteris aliis sic probo: Vbi plures illecebræ hominem alliciunt, ibi est maior propensio ad peccandum: Sed gula & libido magis corda sollicitant: Ergo grauior est ruina, quam inferunt hæc peccata, atque ita ab eis præcipuè cauere debet homo, tum quia natura deterior effecta eò inclinat, tum quia gulæ & luxuriæ multa sunt insita, quibus homines excitantur. Prima rudimenta virtutis emeritæ, quæ refulsit in Ioanne, petita sunt ab illius ieiunio, & à sæculi fuga, necnon ab hirsuta pelle camelorum pilis iniuria carni, vnde his cautelis gratiâ nactus est illâ, qua refulget. Quàm sit infidelis naturæ suasio compellens animum ad epulas, audi ex Patribus. Sic Augustinus: *Ventris ingluuies dicit ad esum: Dominus omnia munda creauit; & qui saturari cibo respuit, quid aliud quàm diuinæ ordinationi contradicit?* Si leuis est illa tentatio præuia gulæ, validior est hæc, quam ipsa refectio actualis infert, violans vtplurimum claustra, quibus necessitas legitima concluditur, vt scitè explicat Gregorius. *Sic voluptas plerumque sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisque discernat: nam dum solui debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium petit, & tantò gula securius in præceps ruit, quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit.*

Gulæ astutia etiam cautos seducit.

August. lib. de confess. vitior.

Gregor. lib. 30. Moral.

Ferenda fortè esset iactura, quam ventris ingluuies infert, si corpori tantùm esset indecora. Sed animæ iniuria est multis titulis. Primò animum penè totum obruit nimietas vini, & cibi. Secundò, libidini hominem mero incalentem deuouet totum, & obstringit ad grauia quæque facinora, vt Veneri indulgeat. Herodis epulæ indices sunt anfractuum, in quos deducit animas gula, quæ est veluti gurges omnium vitiorum. Audiendus Ambrosius tanta facinora detestatus: *Inter epulas atque conuiuia consummandæ crudelitatis profertur edictum, & à conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitij circumfertur obsequium. Quanta in vno facinore sunt crimina! Quis non, cùm è conuiuio ad carcerem cursari videret, putaret Prophetam iussum esse dimitti? Quis inquam, cùm audisset natalem esse Herodis, solemne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum deliciis? Quid cum funeribus voluptati. Rapitur ad pœnam Propheta conuiuali tempore, conuiuali præcepto, quo non cuperet vel absolui: perimitur gladio, caput eius affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.* Hactenus Ambrosius.

Ambros. lib. de Virginib.

Sunt qui credant, Regem propter iusiurandum tulisse sententiam mortis in Ioannem. Esto iuramentum aliquid contulerit, duo tamen potiora sunt argumenta, quibus adductus est Rex ille impius ad necem inferendam viro illi sancto, qui etiam gratiam suo nomine referebat. Epulæ & libido illud homicidium perpetrarunt. Epulæ Regem impotem reddiderunt ad obstandum petitioni iniquæ, quam libido contexuit. Quid namque queas arduum expectare ab eo, qui vino madens in Venerem dissoluitur? Quomodo luxuriæ restinguet incendia is qui pabulum igni subministrat? Optimè Isidorus: *Quibuslibet escis refectus venter seminaria luxuria parit, nec præualet mens discretionum gubernacula moderari, ciborum pondere præfocata.*

Isidor. de institution. Monach.

Quare autem duo hæc vitia maximè gratiam oppugnent, id petendum est ex natura gratiæ, & horum reatuum. Gratiæ effectus est hominem ad Deum conuertere, & distrahere à creatis: Sed nihil est quod æquè hominem adigat ad creata, vt illecebræ epularum atque Cupidinis: Ergo nihil æquè officit gratiæ, sicut hæc duo peccata, quibus inualentibus, tot & tanti homines pessum eunt. Series rerum gestarum in Anglia, celebre exemplum narrat, probâs intentum meum, scilicet quidquid regium est in homine, vino & luxuria deperire. Edoardus Anglorum Rex inclytus venationi assuetus, maxima diei parte feras insecutus; vertente die propria repetiit. Regi fatigato mulier occurrit, haustum vini porrigens. Stetit Rex & hæsit in egregia specie mulieris obuiam factæ: vna quidem manu accepit crystallum vino rubente purpureum; sed aliunde captus est, scilicet fœminæ forma non vulgari, quam dum amore delinitus admiratur, non aduertit sicarium, qui pugione confodit hominem manu tenentem vitrum vino rubens, & faciem fœminæ contemplantem. Satis ea morte fuit consultum Regi Edoardo, si periit tantùm carne tenus, sed si pugio etiam peruasit animam, est illius sors omnino miseranda.

Luxuriæ quanta sit pernicies.

Ex HISTORIA. *Andr. de Chesf. in hist. Ang. Lanno 977.*

Ecce

Ecce ideam fati, quo penè omnes reprobi defunguntur, dum mero indulgent, & anhelant ad egregias fœminarum formas, à Dæmone configuntur. Peritque eo vulnere quidquid regium est in homine, scilicet gratia. Quod est autem mali summa, duo hæc vitia petunt hominum caput; namque eos dementant, quos sibi suis illecebris obstrinxerunt.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Gulam & luxuriam petere caput.

TAmetsi videtur cæcitas mentis vnicuique vitio insita, quia tenebras offundit animæ peccatum quoduis; gulam tamen atque libidinem caligo consequitur, veluti comes indiuidua. Nam quò magis homo sensibus credit, eò etiam est minus idoneus ad rationis vium, tantúmque homini de ratione deperit, quantùm de pecoris ingenio adiicit sibi. Sed vile abdominis mancipium totam suam deuouit fidem sensibus, quos gula Venusque regunt, atque instar iumenti nihil nisi pastum, & libidinem sapit. Ergo nihil in illo residuum est, quod hominem probet. Quid ergo mirum si Herodes vino desudans, & æstuans libidine audit: *Da mihi protinus in disco caput Ioannis Baptistæ.* Gratia sanè baptizat seu alluit animas, eas faciens innoxias, sed inundâte mero, thesaurus ille immergitur, & homo illico dementatur.

Marc. 6.

EX RE MEDICA.

Non est in ea re dubium assertum medicorum, dicentium ebrietatem petere caput, vinumque nimium tot vapores efferre sursum, vt capitis omnia organa prægrauentur, quotidiano namque experimento liquet, deditos homines gulæ, esse sui impotes, vt & aduertere Sancti Patres in hoc vitium declamantes. Sic Augustinus: *Ebrietas est origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.* Eò etiam spectant illa Isidori verba: *Ebrietas est, per quam menti quædam subobliuio generatur.* Imò & nimia ciborum assumptio est iniuria capiti ex eodem. *Non sola crapula vini mentem inebriare consueuit: verum etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione despoliat.* Etenim cerebro oppleto vaporibus, quoddam frigus occupat caput ineptum discursui, vtpote eo frigore congelascens.

EX SS. PATRIBVS. *Aug. ad sacr. virgin.*

Isidor. l. 3. Etymol.

Idem lib. 2. de sum. bono. Ebrietas quanta secum mala vehat.

Non est in hoc themate incongrua obseruatio Ptolemæi Principis cœlicæ Matheseos. Ait ille, esse sidus, cui nomen vindemiator, eo oriente dicit ille omnia rigere gelu. Vindemiæ, nimietate vini, rigorem illum vehunt secum, quia vbi vinum incipit affluere, statim effluunt spiritus, cerebro quasi frigore concrescente.

Ptolemæus de significat. siderum non errant.

Medicorum est effatum, morbum quemuis ex alio præeunte morbo progenitum, deteriorem esse eo, cuius est miseranda proles. In eo sensu luxuria peior erit gula, à qua infelix exordium sumpsit. Quò namque validior est illecebra ad peccandum, eò etiam decipit amplius homo illectus: Sed maior est Veneris illecebra, quàm gulæ, quia natura magis sollicita de specie, quàm de indiuiduo, acriores stimulos adiecit ad propagandum genus humanum, quàm ad accipiendum pastum: ideoque cùm natura corrupta abutatur ea propensione, fortior erit illectus ad Venerem, quam is, quo ciemur ad epulas, ac proinde densiori caligine caput offundetur. Clamat enim libido validè: *Da mihi caput*, vt bellè expressit suo emblemate Academia Altorfina. Pinxit ea viperum, & viperam angues, quorum ea est indoles, vt fœmina maris amputet caput dum propagationis causâ sociantur. Præfata Academia speculata caput amputatum masculi huius anguis, picturæ illi adiecit hoc lemma morale. MENTIS VENVS IMPROBA CLADES. Quippe nihil est quod æquè homines dementare soleat, ac libido, directè petens caput. Et reuerà adeò improba est illa mentis clades à Venere importata, vt eludat vim omnium pharmacorum.

Luxuriæ vis ad perdendũ hominem.

EX SYMBOLIS. *Acad. Altorf. lib. Symbol.*

Ars medica meo intento suffragatur, affirmans dolores, qui emergunt è lumbis, vbi est luxuriæ fomes, quandoque oculorum omne lumen extinguere, & illud deliquium visus arguere mortem imminentem. Sic Hippocrates, Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομῆς πόνου ὀφθαλμῶν ἰλλώσεις κακόν. *Ex dolorifici lumborum mali ascensu, oculorum peruersio, malum.* Nota, neminem esse, aut rarum, cui non malè aliquando affecti sint lumbi, sed prauum hunc affectum esse citra dispendium ægri, dummodo dolor non ascendat sursum; si enim superas capitis oras permeet ille dolor, etiam oculorum tenus, vsque ad eclypsim luminis, sanè est decumbentis deplorata salus. Eo ferè modo se res habent in moralibus. Quisque suas patitur angustias, nemóque est qui petulantiam carnis inuitus non sentiat. Sed esto caleant lumbi, & turgeant humore noxio; nihil planè inde imminet discriminis. Sed si illa impetigo lumborum aliquando est importuna capiti, ita vt homo impura cogitet, & eis afficiatur; offusa tandem caligine incurret in cæcitatem mentis, & hinc in irreparabilem animæ suæ perniciem.

EX RE MEDICA. *Hippoc. l. 2. coac. c. 12. pra. 10.*

Luxuria animam excæcat.

Vide ex Patribus, hoc vitium impetere caput. Sic Gregorius: *Carnalis delectatio mentem, quam infecit obscurat, vt videre vera lucis claritatem non valeat: sed vnde inferius delectatur, inde caliginem ad superna patiatur.* Diceres hunc locum ex composito aptatum ad explicandum moraliter textum Hippocratis, quo lumborum temperies iniquior dicitur esse lethalis, si occupet superas partes offundendo cæcitatem. Adiice Hieronymum ita fatum: *Sicut vinum, & ebrietas eum, qui biberit, mentis suæ impotem facit; ita fornicatio, & voluptas peruertit sensum, animúmque debilitat, & de rationali homine brutum efficit animal.* Non est itaque ambigendi locus, vbi Ecclesiæ columina protestantur, gulam atque libidinem petere caput hominis, earum illecebris oppugnati.

EX SS. PATRIBVS. *Greg. l. 4. Dial. cap. 16.*

Hieron. in Ose. l. 2. c. 4.

De libidine impetente caput insignis est annotatio Fernelij Principis medicorum æui sui. Ille detestatus Veneris incommoda, opusculum edidit insigne, quo luxuriæ contagium prodit, & deterret homines à vitio hoc nefando, cui sunt tot tributa cum corporis & animæ dispendio pendenda ab homine. Quodque facit

EX RE MEDICA. *Fern. lib. de cura luis Vener. c. 1.*

Luxuria corpus male afficit lue detestanda.

facit ad meum institutum, ille animaduertit, virus hoc primum inhonesta scabie caput infestare, & sic etiam homine inuito, illius inglorium scelus omnibus explicare. Sic ille luem hanc recensens: *Hæ rubræ aut flauæ pustulæ primum quidem circa frontem ac tempora, ponéque aures, dein capite atque etiam in reliquo corpore erumpunt, & extuberant rotundo schemate, siccæ sine pure, quæ dein sicca crusta obducuntur: atque si negliguntur, serpunt in ambitum, excauántque cutem, dum ex pustula verum vlcus fiat, quod ferè virulentum est ac sordidum; partes, quæ ad nares atque fauces sunt, quia tenellæ, omnium primæ exulcerari solent.*

Nota quæso, quibus se indicibus libido prodat, homini reo penitus indecoris. Pustulæ serpunt in ambitum, inficiunt frontem, obsident aures, reliquum etiam totum incrustant corpus. Hæccine illa prisca hominis effigies, efficta ad similitudinem Dei? O quam mutatus ab illo homine, quem Deus edidit procul à Venere! Quid frontem commemoras ô Ferneli, in homine impudico? An nescis esse perfrictæ frontis eos omnes, quibus se affricat hoc vitium? Benè, inquit ille, memini frontem excisam, vt omnibus facerem palam, hircos illos, seu obscœnæ luxuriæ mancipia esse minus integræ frontis, & corrosas aures circumferre, idéoque non esse satis tutum commonere hominem impudicum, vtpote cui sit auris impatiens ad censuram.

Ex Ivre Civili. Nouel.74.c.4. Quibus modis natur. eff. Donationes quare nullæ sint inter cõiugatos.

Annon & leges sæculares aliquod edictum habent, quo liquere queat ista conclusio? Ita sanè est eis vnde intentum meum prostet. Audi Imperatorem in nouellis suis constitutionibus ita fantem: *Legislatores tales sciuerunt animorum affectus, vt etiam donationes constante matrimonio prohiberent, vt non concupiscentia magnitudine victi, latenter paulatim coniuges semetipsos priuarent substantia sua.* Iure eo Cæsareo inferre potes, quam potens sit libido ad arietandum in caput hominum sapientum, cùm nemine excepto cassæ sint donationes factæ stante coniugio ratione periculi, cui obnoxios facit omnes nimia in Venerem propensio. Caue igitur, ô homo, caue ab his noxis, quæ caput hominum petunt. Quis amabò, caput Holofernis amputauit? Fœmina, cui hominis temulenti crapula ius fecerat in virum vino somnóque sepultum. Quis alij Principis videlicet Sisaræ caput, clauo infixo valde terebrauit? Iahel fœmina. Quis Sansonis oculos effodit, qui robore lacertorum præstabat aliis omnibus hominibus? Dalila. Nonne & caput Dauidis mulieris obtutu grauatum est? Nonne & infatuata est hominum omnis sapientia, à mulieribus Salomone dementato?

Ex Ivre Canonic. Canone Neophyti. de Consecrat. Dist.5.

Canones sancti conscij nutantis hominum ingenij, si vino & libidini indulgeat, monuere fideles omnes ab initio, vt consulerent sibi fugâ horum vitiorum, quæ impetunt caput, ne sacris initiati mysteriis minus idonei fierent ad sacra capessenda. Inde editus ille Canon. *Neophyti aliquandiu a lautioribus epulis, & spectaculis, & coniugibus abstineant.* Quare hoc: Quia nuper baptizati vacare debebant auditioni verbi Dei, vt addiscerent necessaria ad salutem, & ideo arcentur ab eis epulæ & libido, quasi impedimenta animi ad ardua anhalantis. Eò etiam vergit alter Canon, quo mentis acies dicitur acui ieiunio. *Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio: sufficientia quippe cum nutrimento, & sospitatem simul procreat, & voluptatem; abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat.* Quàm ergo fugienda est gulæ & luxuriæ pernicies?

Can. Nihil eodem. Ieiunij commendatio.

Demum si tantopere exosus est Dauid montes Gelboë, quia ibi occubuere Saül, & Ionathas; quali putas odio prosequendas hasce animæ labes, crapulam & Venerem, quæ Ioanni Baptistæ necem crudeliter intentarunt. Ioannes ille fuit Saule & Ionatha potior; & tamen occubuit petitus a fœmina, & vino. O si daretur videre gratiam extinctam, conamine sacrilego horum vitiorum! proculdubio animus insurgeret in auctores tanti facinoris execrandi; & ne excideret memoria tanti casus, cuderemus nobis illud idem Symbolum, quod assumpsit superiori sæculo Comes Mauritius, Batauorum agminum præpositus generalis. Ille patre læsus vindice libertatis suæ Gentis, iustè necne viderit Hispania: vbi resciit patrem suum à sicario occisum, in tesseram animi sui lugentis fatum, quo iniquo occiderat Heros tantus, depinxit facem extinctam hoc titulo. Extinxisse nefas. Exinde ira exarsit implacabili in Hispanos, quorum insidiis patrem suum credidit impetitum; visa quippe ea face extincta, accendebat ille animum suum, vt desæuiret in sceleris huiusce conscios. Si ea nos teneret anxietas salutis nostræ, quæ tenuit Comitem Mauritium vindictæ paternæ necis; indubiè caueremus à gula, & libidine, memores vtramque hanc pestem tot Heroës perdidisse, & innumeras penè gratias expunxisse, quarum excidium, hunc luctum expostulat. Extinxisse nefas.

Ægid. Sadel. lib. iconum. Symbol.

Aliud est præterea argumentum, idque Achilleum, quo suaderi potest fuga cupidinis, & crapulæ; ea nimirum tristitia, quæ Herodem inuasit statim vt concepit hoc immane facinus exantlandum. Grauiores sanè erynnes patitur ille, qui de gratia cogitat extinguenda. E crystallo rutilans vini species non leuat hunc mœrorem, quem adauget memoria expletæ libidinis. Huius angustiæ ideam cape ex tristitia Nehemiæ. Sic ille: *Anno vicesimo Artaxerxis Regis vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi Regi: & eram quasi languidus ante faciem eius. Dixitque mihi Rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valdè, ac nimis, & dixi Regi: Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni?*

Ex Figvris. 2. Esd. 2.

Animi anxietatem, quæ vexabat Nehemiam, epulæ regiæ detergere nequiuerunt. Legebatur in facie illius mœror edax cordis, cuius argumentum erat desolatio vrbis sanctæ, cui flamma depascens etiam portas eius, adeò fuerat iniuria, vt desertus esset omnino locus ille sacer. Vbi libido exarsit & depasta est animam olim Deo sacram, vtpote ciuitatem Sancti, temperare nequit sibi homo impudicus à mœrore, quem inducit illud incendium. Esto sit in epulis regio apparatu dispositis; mœret tamen vultus hominis impudici. Dic quæso, ô assecla Veneris, quare mœret facies hæc decora?

Luxuria animam excæcat, & spoliat. Ex SS. PATRIBUS. Ambr. l. de Cain & Abel.

cur subpallidum sapit habitus oris tui, omnia læta tibi applaudunt, & tu totus hæc explodis? Audi effatum alte inculcandum. *Quare non mœreas vultus meus? ciuitas deserta est, & portæ eius conbustæ sunt igni.* Anima mea libidine æstuat, portæ illius, id est, oculi luxuriantes scintillant, pruriunt aures turpiloquio; omnia denique mea eo igne infesto depasta sunt: nonne est locuples argumentum luctus? Ita sanè cùm sit Venus improba quietis impatiens, vt ait Ambrosius: *Seuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, diu anhelat.*

Greg. lib. Mora.

Quomodo hæc importuna lues exagitet ægrum, qui mente decumbit, disce ex Gregorio. *Ex quo luxuria semel mentem alicuius occupauerit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria vt cosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio; ex gloriatione damnatio.* Ecce quibus gradibus animus inquies obscœni hominis raptatur in præceps. Vitium hoc acutè ad prælibata pungit Petrarcha, ita fatus: *Libidinem torpor gignit, gula autem istam parit. Quid miri igitur, filiam post parentes sequi? gulam certè, & luxuriam, communes vobis esse cum belluis, maximéque bestialem vestram vitam facere, sapientibus visum est. Itaque cum sint alia grauiora mala, nullum vilius.*

Petrarc. de remed. aduers. fort. Dial. 90.

Ex HISTORIA. Ex supplemento Calcendy. sub ann. 1614. Gratiâ deperditâ moritur anima.

Hoc igitur ratum esto, gulam & luxuriam, quibus actus est Herodes in Ioannem, animas etiam pessumdare. Vbi namque gratiam Dei signaculum exponxerunt, illico petunt caput; execto autem capite, homo rationis impos efficitur. Eo fere modo Turcarum Tyrannus perdidit Præfectum Prætorio, quem illi suo idiomate vocant *Vizir*. Is fortunæ impar, quæ prosperè nimis ei afflatat, vitiis fere omnibus obnoxius eò insolentiæ deuenit vt suo etiam Principi esset iniurius. Non tulit Turca hominis fastum, sed misso speculatore qui à Nasuf, (ita eum nuncupabant) peteret sigillum Principis, egit postea de capite. Vigente ergo Principe it satelles, ingreditur palatium Nasuf, mandata refert; quæ habet à Dynasta suo præpotente, iubet dari sibi statim sigillum regium. Stupet ille quasi inscius quid peccasse. Cunctantem sollicitat miles: is tandem morem gerit, dat sigillum quod est veluti tessera præfecturæ. Tunc satelles sic compellat hominem destitutum infulis O Nasuf quamdiu penes te fuit hoc sigillum, fuisti immunis, eo deposito iam peto caput tuum: Tolle moras. Ad hæc Nasuf se componit, & ei caput amputatur. Simili tragœdia diabolus orbem populatur, hoc vnum intendit vt signaculum Dei tollat, scilicet gratiam. Mittit satellites idoneos ad hoc lethale facinus, scilicet gulam atque libidinem. Primò hoc nituntur, vt homo gratiâ excidat: amisso hoc sigillo subinde petitur caput hominis; quo sublato; infelix homo ad lanienam ducitur, vt pecus. Hæc edoctus in posterum caue. FAXIT DEVS.

TRACTATVS
DE SS. APOSTOLIS.
ARGVMENTVM.

Ordine præpostero auspicor hunc tractatum de SS. Apostolis, præmittendo Homilias Euangelio contra morem meum hactenus obseruatum. Consultò id facio, quia cum Euangelij textus sit de contemptu mundi, vtpote sic ordiens. Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Et in explicatione morali agam de variis institutis religionum, & inseram encomia & Homilias Patriarcharum aliquorum ordinum: Debui seponere Apostolos & eos præponere vt omnium ordinum Patriarchas à quibus effluxit vera religionum omnium norma. Si secus fecissem, exposito moraliter Euangelio memorando alios sanctos institutores, & postea texendo Homilias de SS. Apostolis, Momus qui multus est oblatrasset, obiciens me iniurium Apostolis vti ingloriè collocatis.* Matth. 19.

HOMILIA IN DIE FESTO
SS. PETRI ET PAVLI.
SVMMA HOMILIÆ.

I. ETsi ex Philosophia, nomina non sint effectiua rerum, sed signa tantùm; ea tamen quæ imponit Christus efficiunt, si opus est, id quod sonant. Verbi gratiâ cùm Simonem vocauit Cepham, dedit illi rem nominis: Cephas autem & petram, & caput significat. Ecce argumentum

istius Homiliæ. Ego comparo Petrum cum capite corporis humani.

II. Quia corpus & caput conueniunt; Petrus, vt & cæteri fideles, non semper adhæsit Christo, sed iactatus est seculi vndis; & hæc est prima pars Homiliæ, vbi inutiles verso hominum curas, quas mundus indonatas non compensat.

III. Vberior est merces, quam Christus impertit suis sequacibus, & hoc probo secunda parte Homiliæ, ostendendo Petrum de piscatore in sæculo, euectum fuisse in caput Ecclesiæ; hic habes elogia Petri, & parænesim ad Charismata illius æmulanda.

PRÆFATIO.

Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.
Matth. 16.

Proreges prouinciarum creandi mos egregius.



NESCIO an commentum sit id quod iactatur de vetusto ritu inaugurandi Proreges. Aiunt quidam, Reges, cùm emitterent Præfectos prouinciarum, habuisse in more positum, vt darent eis quatuor res dissitas, quæ suo symbolo referrent naturã & effectum præfecturæ. Dabãt primò globũ, qui notabat orbem, in quem decreta erat eorum legatio. Secundò porrigebant claues, indices potentiæ, quæ futuri erant illic conspicui: vt namque claues claudunt, & reserant; ita & summa potestas ad arbitrium suum laxat aut compescit. Tertiò Præfecti manibus imponebant lapidem, in signum fidei, & constantiæ in obsequio Regis. Tandem varias species auri & argenti dabant huic proregi, præsignantes omnia fore opima eo rerum potiente. Diceres, ex composito effictum eum initiandi tropum; quippe hoc omnino schemate Christus inaugurauit Petrum in vicarium suum. Dedit ei orbem & claues, quasi faciendo iuris Petri, cœlum & terram: Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. (Matth. 16.) *Adiecit lapidem quando imposuit nomen Petri dicens:* Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. *Demum thesauri, quos Petro impertiuit, sunt varia charismata, & dona Spiritus Sancti, quibus apprime Ecclesiam rexit. Ille apparatus obseruatus à Christo instituente Petrum vicarium suum, prodit eminentiam Summi illius Pontificis, atque summam reuerentiam exigit à fidelibus recolentibus hodie memoriam Petri, cui etiam inest virtus insita lapidi, quem Sylenitem vocant. Is vtpote lunæ affinis, sideris huius augmenta, & decrementa sequitur, lumine Lunæ gaudens. Et Petrus Mariæ addictissimus, non vult à nobis texi elogia sua, nisi præuia nostra conuersione ad eam lunam, vt eam toto pectore salutemus.* Aue Maria.

Ex Philosophia.

INdagini rerum intenta Philosophia non est aspernata voces, seu nomina, sciens esse signacula rerum. Ne quid ergo hominum notitiæ inuium esset, Philosophi etiam nominum anatomen effecerunt; inquirentes, an impositione nominis fieret aliqua realis adiectio ei, cui nomen imponitur, siue quod perinde est, an nomina & voces aliquid efficiant. Ansa dubitandi petitur à veneficis hominibus, qui quandoque mira præstant carmine decantato. Negatiua est dubij solutio: quippe in humanis nulla nomina practica sunt, aut effectiua rerum sed tantùm signa, quibus innotescit intentum proferentis, cuius mentem in nomine prolato agnoscimus. Quòd si homines sortilegi balbutientes, & truncantes incondita nomina, aliquid efficiunt, id totum præstant ope Dæmonum, qui præuio pacto adsunt, condicto nomine prouocati. Vni Deo conceditur vti nominibus effectiuis dicere namque Deo, facere est, iuxta illud. *Dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt.* (Psal. 32.) Verbi gratiâ quando Principis Apostolorum, id est, Simonis filij Ionæ nomen mutauit, conuertendo in Cepham, reuera adiecit rem, quam designat illud nomen. Cephas autem significat petram, item & caput כפא *Cepha*, vnde vox κεφαλὴ caput. Itaque Christus ea nomenclatura Cephæ, Petrum fecit & petram fundamenta, & caput Ecclesiæ. Audi inaugurationem. *Intuitus eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* (Ioan. 1.) Quomodo autem eo nomine initiatus acceperit veritatem nominis symbolo lineatam, ipse idem Dominus insinuat ita fatus: *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam.* (Matth. 16.)

S. Petrus in quo conuenit cum Christo.

Ex SS. Patribus.

Ecclesiæ caput est Christus: sed quia corpus sensibile, caput eiusdem rationis vindicat sibi, & Christus inuius sit oculis hominum; aliud sub se &, quasi vicarium caput Ecclesiæ Petrum constituit, vocans eum in communionem eiusdem nominis; siquidem & Christus vocatur Petra. *Petra autem erat Christus.* Gaudet & eodem titulo Petrus, & opere titulum consequente, vtpote etiam factus caput Ecclesiæ. Vnde Augustinus. *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis.* (Aug. ser. de cath. S. Pet.) Adiice & Hilarium ita exclamantem: *O in nuncupatione nominis noui felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret.* (Hilar. can. 16.) Non deuiat ab intento meo Chrysostomus. *Petrus appellatus, quia saxea fide præditus.* (Chrys. in Psalm. 50.) Id est, ille idem Christus, qui Petri iussit nomen, adiecit & saxeam fidem.

S. Petrus Prælatus alijs Apostolis.

Ex Iure Canonico.

Non solum petram, sed & caput esse Petrum audi ex Canone. *Inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis; & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est (& ipsi inter se idipsum voluerunt) vt reliquis omnibus præsset Apostolis: & Cephas, id est, caput, & principium teneret apostolatus; qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Hæc vero Apostolica sedes cardo & caput omnium Ecclesiarum à Domino & non ab alio est constituta: & sicut cardine ostium regitur; sic huius sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.* (Canone Sacrosancta. §. Inter beatos Dist. 22.) At quemadmodum caput est eiusdem naturæ, ac reliqua compages membrorum;

membrorum; ita & Petrus caput Ecclesiæ sub Christo, sortitus est statum cæterorum fidelium, qui fluctuantis sæculi discrimen passi sunt, antequam optata quiete fruerentur, nacti salutarem portum, scilicet Christi disciplinam. Vtramque sortem Petri explicabo ista Homilia. Primò dicam quis fuerit Petrus in sæculo. Secundò quis in Apostolatu, & illic Petri cum capite relationes multiplices aperiam.

Pars Prima Homiliæ.

De statu Petri ante Apostolatum.

Ex SS. Patribus.

Hieron. ep. ad Helied.

August. in Psal. 39. Mundus est mare.

INfidelis huiusce sæculi habitus, instar fluctiuagi maris homines versans, ansam dedit sanctis scriptoribus vocandi mundum mare infidum, multiplici hominum naufragio infestum. Inde illa Hieronymi parænesis ad Heliodorum. *Licet in modum stagni fusum æquor arrideat, & vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur; magnos hic montes campus habet; tranquillitas ista tempestas est.* Monet ne sæculi placido deliniatur aspectu, quia procellosum pelagus est. In eam etiam iuit sententiam Augustinus, quem accipe. *Hoc sæculum mare est; habet amaritudinem noxiam: calca mare ne mergaris in mari; non sinit perire qui te iussit ambulare.* Denique in ea similitudine maris & mundi concolor est opinio omnium Sanctorum Patrum.

Gen. 14.

Luc. 5.

Realis Petri status, quo piscatione victum quæritabat, omnium hominum sortem genuinè refert. Quippe omnes sæculo addicti, sunt piscatores hamo aureo pisciculos expiscantes, quia summo animæ suæ discrimine vilia rerum crepundia à sæculo nundinantur. Etenim mundus paciscitur cum homine eâdem industria, qua Rex Sodomorum voluit circumuenire Abraham. Ita rem explicat sacer textus. *Dixit Rex Sodomorum ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Hoc vnum satagit mundus, vt rerum exterarum pretio conductos homines absorbeat, illud idem serò flentes quod querulus Petrus ait Christo: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Nota, Petrum qui alias vocabat Dominum, jam vocare præceptorem, vt vel sic insinuaret, ignorantiam esse noctem, quæ opacat tenebrosum pelagus mundi, & obstat quin captura fiat congrua labori, quo desudant homines, irrito conamine semper enitentes.

Ex Philosophia.

Auerroës l. 2. metaphy. com. 10.

Mūdi sequaces quare nihil proficiūt.

Quare autem sequaces fugacis sæculi nihil capiant, disce ex Philosophia ita discurrente. Illud omne, quod aliud constituit in statu causæ efficientis, suggerit ei etiam finem actionis quam exerit; nihil namque agit nisi propter finem: Sed mundus homines sæculo affixos, aura malè suada inspirans, in eo actionis habitu constituit, quo anhelant: Ergo & eis præstituit finem, quo mouentur ad agendum, atque ita nullum alium sibi scopum præfigere queunt homines illi, ab eo quem mundus eis destinauit. Ast mundus agit tantùm lumine sibi naturali, id est tenui, & quo terra tantùm discernitur. Igitur asseclæ mundi nequeunt aliud sapere quàm terrena, omnino dissona ab eo intento, cui hominem Deus affinxit. Eamobrem cùm ille nihil planè profecerit, qui comparauit sibi inutilia, multis tamen vigiliis, & ærumnis; ita hi omnes, quos mundus honore dignatur, & opibus, nihil omnino capiunt: quia illud tantùm est vtile, quod deducit in finem vnicuique præstitutum: Ast honores & diuitiæ hominem distrahunt à Deo fine suo: Ergo non sunt res vtiles, ac proinde nihil capiunt miseri piscatores, etiamsi opibus & fastu luxurient. Benè adiicit Petrus noctem, quia nox est filia terræ, & oritur extincto lumine Solis; quantumuis enim ardeant faces, illo tamen lumine nox non cessat. Esto acumine ingenij præpolleant multi potentes in sæculo, & insigni animi peritia suis rebus studeant adaugendis; pessimè tamen eis hoc duntaxat vno lumine consulitur, quia eius obsequio collimare nequeūt ad superna, ideoque omnis eorum labor cassus, eò quòd longè absunt à lumine, quo solùm mediante vtiliter iaciuntur retia in capturam.

Gratia est lux cœlestis.

Ex Theologia.

Thom. 1. 2. q. 112. art. 1.

Lumen cœli in moralibus est gratia, lumen verò facis aut candelæ est naturale lumen; priori lumine mens se aptat ad indaginem boni veri, cui cætera bona composita nihil sunt; qui hoc bonum cepit, aliquid cepit: quippe bonum, verum, aliquid, conuertuntur. Deus est illud aliquid quod inquiri, & minus inueniri potest, nisi præuia luce cœlica coruscante. Dicitur ea lux desuper illabi, quia quidquid naturale est, naturam omnino consequitur; at gratia non omni homini affulget; ergo non est inferioris ordinis, vt est rationis vius, qui competit omnibus hominibus. Eo superno lumine quicumque orbus est, non caligat modò, sed cæcutit, & noctem paritur densam omni sidere nigricante. Et cùm ignoti sit nulla cupido, nemo est sæcularium in ea nocte sudantium, qui aliquid suo labore proficiat; quia Deum haudquam apprehendit, vt vltimum suum finem, penes quem est beatitudo tota.

Ex Historia.

Flor. Raym. l. de orig. hær. sub. an. 1547.

Peccatū omnia populatur, & vastat.

Locuples est exemplum Henrici VIII. Regis Angli. Ille ab Ecclesia defecit, & vsurpatione sacrilega vendicauit sibi omnia, quæ ditionis & iuris erant Ecclesiæ: proceres Angliæ orthodoxos proscripserat, adiectis sibi eorum gazis. Se caput Ecclesiæ Anglicanæ fecit. Nihil sanè vltra peti potest ab homine sacrilego, eaque captura adeò opima fuit, vt huius reprobi piscantis in sæculi mari retia frangerentur. Sed audi catastrophen Principis huiusce luxuriantis, & sacra quæque singula deprædantis. Postquam is diu libidini indulsit, & se ingurgitauit opibus Ecclesiæ, decubuit: inualescente morbo, reuoluere animo incœpit ille refuga & desertor Ecclesiæ, in quam ignorantiæ noctem deuenisset, & quàm inutilia essent ad salutem illa omnia, quæ in proprium penu nefariè congesserat. In ea meditatione occupatum, fati instantis eum dirus apprehendit horror, quo omnis spes salutis excidit, ideoque eum vrgente iudicio Dei exclamauit: *Omnia perdidimus.* In eaque suæ miseriæ confessione furens expirauit.

Quæso expende suprema illa defungentis hominis verba: *Omnia perdidimus*; & videbis esse veluti synonyma istis: *Per totam noctem*

Pi...

noctem laborantes nihil cepimus. Namque qui deficit à vero lumine, nihil vtile potest referre de labore suo. Et hæc meditatio multis argumentum fuit abiurandi ea quæ sæculi sunt, vt darent nomen suum Christo. In his fuere insignes duo nobiles illi viri, quos commemorat Augustinus, qui prælecta magni Antonij vita, cogitantes quàm opima fuisset merces laborum, quos strenuus ille miles exantlarat, & quàm inane præmium, quo mundus suos dignatur asseclas, transfugæ sese receperunt in castra Christi. Sic Augustinus inducit vnum eorum socium suum alloquentem. *Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maiorne esse poterit spes nostra in palatio, quam vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque, periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione noua vitæ, reddit oculos paginis; & legebat & mutabatur intus, vbi tu videbas; & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit, & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, & discreuit decreuitque meliora: iamque tuus, ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior: te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim sumptu idoneo, relinquendi omnia sua, & sequendi te.*

Aug. lib. 8. confess. c. 7. Mundi cultores operã perdunt.

Agnouerant hi nobiles se per totam noctem laborasse, & laboraturos adhuc si diutius in aula starent. Æterna verò præmia eos tantùm manere, qui superiori lumine perfusi Deo militant. Vnde vno eorum nobilium monente socium suum de concepto instituto adhærendi Deo, alter *Respondit, adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ.* Et reuera benè electis suis prouidit Deus aspergendo ærumnis mundum, qui sic ingratè consulit suis sequacibus vt post noctes integras assumptas, vacuos dimittat asseclas. Vt omnia Deus disponit suauiter, crediderim ego eum consulto vocasse Petrum eo matutino tempore, quo fessus labore inani præteritæ noctis, tædium piscationis suæ conceperat.

Mundus est fugax.

Inde Sancti Patres arripuerunt ansam homines adhortandi, vt à mundo deficerent, quia ipse deficit in promissis. Ita Gregorius: *Ecce iam in seipso mundus aruit, & adhuc in cordibus nostris floret; vbique mors, vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur; & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus; & quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus.*

Ex SS. Patribus. Greg. ho. 12. in Euang.

Hoc antea suggesserat Augustinus, sic declamans in præstigias mundi: *O amatores mundi, cuius rei gratiâ militatis? Pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana, & inania: conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent; vita hæc miseria est; mors incerta subitò obrepit.* Vis rescire quàm locuples sit merces obsequij præstiti Christo? Disce ex Petro; is pertæsus pristinum suum maris incolatum, vbi perperam insudarat, vbi adhæsit Christo, factus est caput collegij Christi, & ab eo accepit claues regni cœlorum.

Aug. l. Conf. Mũdus quarẽ fugiẽdus.

Insignis sanè fuit illa vocatio hominis, qui venerat in discrimen maris: quò enim periculum maius, eò etiam gratia insignior. Audi Augustinum meditantem inanes Petri curas in sæculo, vnde eum Dominus euocauit. [Cùm Petrus linea castra laxaret in freto, Christus retia misit in verbo. Cepit Christus, cepit & Petrus. Christus discipulum, Petrus pisciculum: & dum circumdat gentem squameam, ipse venit in retia. Stabat Petrus mobilitate & gurgite pendulus, & inter obscuras aquas inquieti maris, victũ quem nõ habebat, artificio requirebat: nutabat super ambiguam vndam, vt posset inuenire capturam. Vario fertur referturque vestigio, stat mobilis, & mouebatur stabilis. Rimatur inter cæteros marini germinis fluctus, sub obscura vmbra fugitiuam insequitur prædam: maculosus paries fit cæca piscibus in mari custodia. Et dum insidiatur Petrus gregibus æquoreis piscium in mari, ipse incidit in rete Saluatoris. Fit de prædone prædatio, de piscatore piscatio, de pirata captiuitas. Venite (inquit) post me, & faciam vos piscatores hominum. At illi relictis retibus secuti sunt eum. Dum vellet Petrus inani muro quærens concludere piscem, hamo verbi Christus tenuit & piscatorem. Distendebat Petrus sinum lini, voluit in se vacuam cortinam, & dum insequitur grauidi semper æquoris prolem, captorem suum, emptorem Saluatorem trahebat, & trahebatur. Exercebat in æquore violentiam, & patiebatur in mente capturam. O aquæ genus, pirata reptilium deseruit artificium hoc, quem mutasti de pisce ad piscem! Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus: cuius iecore per passionem assato, fugatus est diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus. De pisce ad piscem, de rete ad Ecclesiam, de mari ad fontem, de captura factus est factura. Reliquit salum, & cœpit ambulare post piscem. Similitudo artis inflammabat desiderium audientis, vt qui ante capturam latebat in salo, verbi nunc retia spargat in mundo. Tunc enim pisces induxit, nunc autem homines sagenis spiritalibus irretiuit.] Hæc ille.

Tom. 10. ser. 3. de SS. Pet. & Paulo.

Mũdi sæ quaces egregiè descripti sub typo Petri piscantis.

Captus est Simon, & factus est Petrus. Simon idem est ac obediens seu flexibilis in vtrãque partem: est nãque ea vox Hebræa à radice שמע *schamang audiuit*; priore suo statu erat mobilitate & gurgite pendulus, sicut ait Augustinus: sed vbi sæculi pelagus infidele reliquit, inquies ille animus induit soliditatẽ Petræ. Eamobrem ego illi affingo symbolum illud cuius meminit Ferrus, dicens Pyrrhum Columnam habuisse pro tessera suæ cõstantiæ corallium, hoc titulo adiũcto. POSTHAC MINIME FLECTAR. Est ea natura corallij, vt in aquis fruticis mollitiẽ reddat, vtpote suo ingenio mollis herba, quæ assurgens extra aquas instar lapidis obduratur. Ita Cephas in sæculo aspersus aquis mundi fluctuantis, fuit in vtramuis partem facilis flecti at vbi cessit in ius Christi, factus est Petrus præditus saxea firmitate, cuius hoc est elogium, POSTHAC MINIME FLECTAR.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus par. 2. Theat.

PARS

Pars Secunda Homiliæ.

Relationes Petri cum capite humano.

EA est maris inquieti indoles, vt nauigantium caput turbet eo turbine, qui non cessat nisi appellente naui ad portum; diceresque sæpe homines capite execto in mari, recipere caput suum vale dicto mari. Eâ gratiâ sequaces suos dignatur Christus, quia dementatis olim à sæculi præstigiis caput reddit, faciens eos sanæ mentis. Petro non reddidit caput tantùm, sed & eum effecit caput cæterorum fidelium. Vt enim spirituum penu est in capite, vnde influunt in totam compagem corporis; ita Spiritus Dei copiosior insidet Petro seu Pontifici Maximo, vt eo mediante fiat Ecclesia vegetior: nec melius Petri dotes addiscere possumus quàm ex relatione eius cum capite, cuius descriptionem succinctam accipe à Fernelio. *Cerebrum humanæ mentis arx, & domicilium, cogitationum rationisque sedes, motus omnisque sensus fons, & origo; corporis summam partem tenet, sursum spectans, cælo proximum. Vt enim huius vniuersitatis parens, mensque illa rectrix in cœlo excelsissimo loco consedit; ita decebat cerebrum, nostræ mentis arcem, summo corpore collocari. Quoniam verò id viscerum præstantissimum futurum erat irruentibus extrinsecus iniuriis obnoxium, naturæ prouidentia vndique circumseptum est osseo tegumento.*

Ex re Medica. Fernel. l. 1. Physiol. c. 9. Cerebri humani descriptio, & influxus.

Quæso expende omnia hæc præfata de capite; nomine enim capitis intelligo continens & contentum. *Humanæ mentis arx, & domicilium.* Hominis spectati in ordine supernaturali mens est fides, seu cognitio rerum diuinarum fide comparata. Hæc mens sana & integra fuit in Petro; nam interrogante Christo: *Vos quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Et ne arbitreris Petrum à se hoc dixisse, ait illi Christus: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Quasi diceret: Quia caput es, ideò vberiore Spiritu Dei polles, vnde peruia sunt tibi mysteria aliis incognita. Arx eris firmissima, in quam arietabunt omnes inferorum acies infideles, sed minimè præualebunt. Insurget robur omne Imperij Romanorum, irrito tamen conamine. Quippe oraui pro te Petre vt non deficiat fides tua.

Matth. 16.

Pergit Fernelius. *Cogitationum rationisque sedes.* Ita sanè cathedra Petri est antonomasticè sedes; nomine quippe sedis Apostolicæ, Petri locus subauditur: ea sedes est cogitationum, inde enim emanant Canones, Decreta, & decretales epistolæ; nulla concilia conuocantur ea sede inconsulta; nihil denique benè cogitatur si quid contrarium excogitat illa sedes. Adiicit Fernelius insigne istud capitis elogium. *Motus omnisque sensus fons, & origo.* Nihil mouetur orbe toto, in ordine ad salutem animarum, quod non mittatur à Petro: siquidem sine missione haudquaquam prædicatur. Rursus ait ille: *Corporis summam partem tenet, sursum spectans, cælo proximum.* Ea est eminentia Petri, & successorum eius, vt eis rerum humanarum apices inclinentur. Nemo namque Regum dedignatur oscula pedum Petri in Summo Pontifice coruscantis.

S. Petrum Reges quibus obsequiis colant.

Hanc Principum reuerentiam in Petrum recolunt Sancti Patres. In his Augustinus ita fatur: *Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua Imperatoris, ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piscatoris.* Denuo ille alibi: *Videtis & Imperij nobilissimi culmen eminentissimum ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Concinit Chrysostomus: *Reges nostri magnam gratiam putant, si non propè Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarij Reges.* Petrum esse cœlo proximum, claues eius clamant, quæ essent ei inutiles, nisi posset eas inserere cœlorum seris, & eas ita reserare.

Ex SS. Patribus. Aug. ser. 26. de Sanctis. Idem epist. ad Madaur. Chrys. hom. Quod Christus sit Deus.

Quatuordecim neruos numerat ars medica oriundos è capite, eosque binos & binos recensens, ait esse septem paria seu coniugationes neruorum, quibus mediis spiritus animales influunt in inferiores oras corporis. Ita & à Christo capite Ecclesiæ, cuius vices postea egit Petrus, factus & ipse caput abeunte Christo, à supremo inquam illo capite deriuantur quatuordecim Apostoli, vndecim illi scilicet superstites suspendio Iudæ qui crepuit medius, quibus si adiicias Mathiam, Paulum, & Barnabam, habebis quatuordecim Apostolos, quorum obsequio, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Diceres, neruos esse delegatos à capite, vt ad nutum illius moueatur corpus; ita & Apostoli ab Ecclesiæ capite missi in omnes orbis plagas, vt homines torpentes ignauia cierentur ad superna. De his coniugationibus neruorum hæc habet Fernelius: *Neruorum, qui ex ventriculis in sensuum instrumenta contendunt, propagationes hæ sunt. Omnium prima in oculos traiicitur atque infigitur, cuius nerui insignes sunt, & inter cæteros maximè concaui.* Prima equidem coniugatio neruorũ Ecclesiæ est insignis. Illustre omnino est par illud Apostolorum, quos cæterorum Principes appellamus. Hi sunt Petrus & Paulus, omnium coniugationum prima est sola, in qua coëant nerui, vt benè aduertit ars medica, vnde præfatus ille medicus hæc ait: *Duo quidem sunt vt oculi diuersis enati locis, sed qui a medio cursus via quasi decussati coitionem faciant, moxque diducti in suum quisque è regione oculum fertur.*

Ex re Medica. Fernel. vbi suprà.

Septem sunt paria Apostolorum; sed vnum tantùm est par, quod perfectè coniungitur. Primò, Paulus à conuersione sua neminem Apostolorum conuenit nisi Petrum, apud quem diuertens aliquandiu mansit, vt ipse ait: *Veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.* Secundò in eo conueniunt, quòd vnus Gentium Apostolus, alter Hebræorũ. Tertiò, quòd vterque eadẽ die, in eadem vrbe occubuit. Vnde Ecclesia indiuiduo nexu colit vtrumque Apostolum hodie; quodque demiror, Iure Cæsareo ista festiuitas instituta in honorem Petri & Pauli veluti sanctissima adiicitur natiuitati Christi & Epiphaniæ, quasi dies maximè veneranda ex constitutione Imperatorum Valentiniani, Theodosij, & Arcadij, qui seriem attexentes festiuitatum, quibus nefas est dicere ius, ita sanciunt:

Galat. 1. Ex Iure Ciuili. Leg. Omnes dies Cod. De feriis.

sanciunt: *Dies Natalis atque Epiphania Christi, & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis magistra, à cunctis iure celebratur.* Primum itaque par illud dignitate & morte coniunctum est.

Ex SS. Patribus. Ambr. in ep. ad Gal. c. 2.

Hanc Petri & Pauli paritatem Ambrosius fusè enarrat, sic Paulum commemorans: *Nihil se dicit ab Apostolis consequutum, sed à Deo: quia qui imperitis tribuit sensum disciplinæ Christianæ; ipse & mihi, inquit, cùm essem legisperitus, dignatus est impartiri sensum rationis huiusmodi. Quomodo ergo fieri poterat vt hic ab his disceret, quem peritum inueniens, peritiorem fecit gratia Christi? Sed econtrà cum vidissent quia creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis: Qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est in me ad Gentes. Petrum solum nominat, & sibi comparat: quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam; se quoque pari modo electum vt primatum habeat in fundandis Ecclesiis gentium.*

S. Petri primatus ostenditur.

Idem ser. de SS. Pet. & Paulo.

Rursus ille idem Ambrosius, concolores eos esse Apostolos insinuat hoc contextu. *Beatus Petrus, & beatus Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipsos quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione; & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deesset: sub vno persequutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persequutor decretus est pro virtute. In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, scilicet vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis; & vbi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum Principes morerentur. Cuius autem sint meriti beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, quod cùm Dominus, Orientis regiones propria illustrauerit passione, Occidentis plagam, ne quid minus esset, vice sui, Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum.*

S. Petri encomia luculenta.

Sed repetamus inuestigationem capitis, quatenus Petrum refert. In capite vigent omnes sensus, quod de nullo alio membrorum dici potest; ita & Petro collata sunt omnia charismata apta regimini Ecclesiæ, notitia linguarum, interpretationes scripturarũ, & gratia curationum. Zelus eius maximè enituit, quãdo aduocatus in conciliũ Iudæorũ audiit à Principibus hoc decretum iniuriũ Christo, relatum à Luca: *Et vocantes eos, denuntiauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu.* Quid ad hæc Petrus? Audi. *Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quàm Deum, iudicate.* Quàm rigidus debeat esse superior in plectendis reatibus, edocuit ille exemplo Ananiæ, & Saphiræ, quos durè obiurgauit.

Actor. 3.

Ne incurium esset caput aliorum membrorum, si quando ægrotarent, natura etiam non obstitit quin pars ea corporis princeps, suis etiam esset morbis obnoxia; imò grauiores insultus patitur caput, vnde & totum concutitur corpus, vt videre est in epilepsia, quæ vapore ex inferiori parte assurgente quatit caput, adeò validè arietante in cerebrum humore noxio, vt casus illico subsequatur. Eminentia Petri non occurrit humanis deliquiis. Etsi enim fuerit caput aliorum; tamen quia ausus est nimium assurgere, se præponens aliis Apostolis ita præsumens: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo.* Agnoscis vaporem ex inferiori parte enitentem sursum, quando Petrus sibi innixus audet Christo præscio respondere contrarium præsagio recens edito de trina negatione instante. Eamobrem ille vertiginem passus, miserando corruit lapsu, sua ruina edocturus, quàm sit Deo exosa præsumptio quam in Petro sic pungit Augustinus; *Fuit prius audax præsumptor, & postea factus est timidus negator.*

Matth. 26.

S. Petrus quare Christum negauit.

Ex SS. Patribus. Aug. ser. 24. de Sanctis.

In morbis, qui impetunt caput, præcipui recensentur venerei, pustulis caput infestantes; nescio enim quid virulentum capiti aspirat libido omnis afflatu suo. Caput Ecclesiæ Petrum mulier affatu suo eò adegit, vt immemor sui audacis eloquij peieraret, affirmando se esse nescium Christi: Deo Petri dispendio erudiente nos quàm noxia sit vnicuique fœminarum societas, quæ columnam etiam saxea firmitate insignem deiecit, vt stupet Augustinus. *Ecce columna firmissima, ad vnius auræ impulsum tota contremuit: hoccine est sequi magistrum se negare discipulum?* Ego in ea negatione subodoror plerumque superbos homines inflecti à fœminis, vt qui noluerunt se inclinare Deo, à muliere prosternantur. Imbelle ad ardua hoc hominum genus, præpotens est ad viros eneruandum. Aduoco Ambrosium ita fantem: *Vsitatus ad decipiendum sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit: fideles viros non nisi per mulierem oppugnare consueuit. Adam per Euam superat? hic Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim sicut legimus, in paradiso deliciarum diabolus: nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Iudæorum. Imminebat Satanas serpens, hic Iudas coluber perurgebat.*

Idem tract. 112. in Ioan.

Mulier idonea ad seducendum.

Amb. ser. 46.

Lapsus igitur Petri incauti, cautiores nos facit iuxta consilium Petrarchæ. *Nullum virus adeò pestiferum est vitam hanc sectantibus, vt muliebre consortium; fœmineus enim decor, eò formidolosior, funestiorque, quò blandior: quisquis requiem quæris, fœminam caue, perpetuam officinam litium ac laborum. Fœmina non aliter oculis quàm basiliscus interficit, & ante contactum inficit: carpit enim vires paulatim, vritque videndo, fœmina.* Discant inde omnes fugam sexus iniurij, & Prælati præcipuè misericordiam, hoc vnum recolentes, plerumque superiores cadere, vt discant suo discrimine lapsis subuenire, miserando iniquam eorum sortem. Idipsum insinuat iste Canon. *Considerandum nobis est, cur omnipotens Deus, eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ actũ esse pietatis dispensatione, cognoscimus,*

Petrarc. de vita solit. l. 2. tr. 3. c. 5.

Mulier, est vt venenum fugienda.

Ex Iure Canonico.

Can. Considerandum dist. 50.

Prælati debent aliis compati.

vt

vt is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, vt ex sua infirmitate cognosceret, quàm misericorditer aliena infirma toleraret.

Rursus ineffabilis Dei miseratio enituit, electorum suorum deliquiis subueniens, ita vt vberior gratia influat, quò noxa deterior extitit, iuxta illud Ambrosij. *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tanquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret.* Amantium iræ dicuntur esse amoris redintegratio, ita & hominum à Deo electorum amor, si quandoque tepet, postea tamen ardoris maius suscipit incrementum. Hoc in Petro liquet, cuius amor post defectionem vegetior fuit.

Ambr. ser. 47. de fide Petri.

EX HISTORIA.

Io. Herbut in hist. Polo. sub an. 1331.

Vincentij Samotuli transfugæ pœnitentia.

Habet historia Polona facinus astruens hoc effatum, videlicet amantium æstus reaccendi post rixas. Series rerum gestarum in Polonia fidem facit Vincentium Samotulum, hominem præpotentem, & insignem inter proceres regni, defecisse à Rege Vladislao, & transfugam sese recepisse in castra inimicorum Regis, qui ægrè ferens, principem illum factum fuisse desertorem, clam eum sollicitat, vt redux sistat se suo Regi. Ille pertæsus suam perfidiam, noctu conuenit Regem suum; veniam deprecatur, & in tesseram fidei suæ rediens in hostium castra, quasi amicè proximo congressu cum Polonis, stetit à partibus Regis, eaque reuersione sic animos hostium fregit vt facili negotio eos fuderit Rex Polonus. Petrus Apostolorum Princeps deficiens à Christo transit ad hostilia castra, se adiungens militibus illis, & ministris Iudæorum, qui mox sacrilegas manus in Christum coniecerant, adiecto periurio negat se discipulum Christi: sed amantissimus ille Rex Regum internuntios mittit, scilicet geminos cantus galli, qui Petrum præmoneant esse redeundum ad Christum, qui & intuitu suo ita emolliit illud cor saxeum, vt contritione liquatum abierit in lacrymas, ipso Euangelij scriba assertore. *Conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priùs quam gallus cantet ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amare.* Vtque indubiam faceret fidem suam, contendit Romam, impietatis arcem, quam Deo aspirante simulacris eripuit, vt initiatam sacris fidei nostræ mysteriis, Christi obsequio manciparet. Et ne illic enascentis Ecclesiæ fundamina nutarent, sanguine suo non respersit modò illa, sed & occumbens voluit ibi sepeliri.

Pœnitentiæ effectus mirabiles.

Luc. 22.

Dum Petri reducis ad Christum meditor animum, quo petiit Romam, mundi caput; recolo eum generosum Dauidis habitum, quo lapide armatus occurrit homini gigantea mole conspicuo, cuius capiti infigens petram, hominem vicit atque spoliauit. Petrus aggressus est Romam, rituum impiorum caput, annuntians Christum. Illi capiti orbis Petra infixa est, quando Petrus, terræ illic mandatus est: adhæsit capiti Petra, vt totum postea corpus imperij spoliaret, eliminando cultum idolorum. Eloquenter suo more Leo Papa describit illud operosum negotium. *Beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non essent, aut quæ vsquam Gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi Dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo vrbem tu beatissime Apostole Petre venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, syluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior quàm cùm supra mare gradereris ingrederis. Iam populos qui ex circumcisione crediderant, erudieras: iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras: iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec vt dubius de prouectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas; quò te diuinis præordinationibus anteibat, & honor potestatis, & gloria passionis.* Hæc ille.

Leo ser. 1. de SS. Apost. Pet. & Paul.

S. Petrus cur Romam venit.

Vt apes animam in vulnere ponunt, immorientes victoriæ suæ; ita & Petrus impietate Romanorum expugnata, illic victor occidit, effundens cum sanguine dogmata pietatis, vt ait Tertullianus: *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Habet sanè Romana Ecclesia quòd lætetur labi non metuens, licet vndique concussa. Quippe innixa Petro & summo Angulari lapidi Christo, nequeunt eius labare fundamina. Huius lætitiæ argumentum insinuat Paulus, congaudens Ecclesiæ, fideles eius sic affatus: *Non estis hospites & aduenæ; sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Gregorius Papa de ea firmitate gestit eam inconcussam probans etiam ex nomine Petri. Sic ille. *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur.* Ne tamen subrepat tibi, eam firmitatem ita esse Petri, vt non sit aliunde à Petro accepta. Sed hoc tibi insideat, Christum esse primitiuum Ecclesiæ caput, cuius vicarias tantùm partes obit Petrus, Deo influente, mediante Petro. Sic Leo Christum inducit Petrum alloquentem. *Cùm ego sim inuiolabilis Petra, tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint mihi tecum participatione communia.* Demum influxum Christi in Petrum sic concludit: *Omnes propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Tertull. lib. de præscript.

Ephes. 2.

Greg. lib. 6. regist. ep. 37.

S. Petrus petra virtute Dei solidata

Leo serm. 3. de anniuers. sui Pontif.

Malè ergo gentilis Roma consuluit suis simulacris, occidendo Petrum; nam vbi currus triumphalis Ecclesiæ aurigam interfecit, statim veluti fulminante cælo idola contrita sunt. Simile quidpiam ex Ptolemæo aduerto in cælica mathesi. Ait ille, tertio die Octobris occidere sidus illud, cui nomen Auriga, & tonare ab Aquilone. Penes Ptolemæum esto huius effati fides, quæ

EX MATHEMATICA.

Ptolem. de signif. sider. inerrant.

reuera certissima est in occasu Petri, qui est auriga Ecclesiæ potiori titulo quàm Elias fuerit Synagogæ; cuius dictus est currus & auriga ab Elisæo Vate, vt enarrat textus sacer. *Ascendit Elias per turbinem in cælum. Elisæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Vbi Petrus auriga sacer occubuit Romæ hodierna die, innotuit sanè. Et vt tonitrua duos sortiuntur effectus dispares, vnum scilicet beneficum, alterum maleficum; siquidem ex collisione nubium erumpit fulmen noxium & lethale. Item eædem iactatæ nubes liquantur in imbrem salutarem, atque ita occasus sideris Aurigæ, prouocando tonitru, duo importat, fulmen scilicet, & pluuiam. Hæc duo in orbem induxit Petri occubitus hodiernus. Quippe inania Deorum templa fulmine deturbauit, & Ecclesiam imbre lacrymarum alluit, mœrore confectam, ob interitum aurigæ tam periti. Alio etiam imbre irrigauit Ecclesiam, suo videlicet sanguine, in cuius gratiam Deus multa fidelibus beneficia contulit.

4. Reg. 2.

Esto beneficia sint pluuiæ salutares, inuideo ego magis Petro pluuiam illam lacrymarum, quæ consecuta est occasum Aurigæ: quia quando ille negauit Christum, Auriga Ecclesiæ occidit; vis videre fulgura. *Respexit Iesus Petrum.* O egregiam coruscationem eam, quæ emicat ex oculis Christi, & oculis Petri concurrentibus! *Egressus foras fleuit amarè.* Nacta est prophetia Psaltis effectum suum. *Fulgura in pluuiam fecit.* Vtinam alter occasus Petri hodie impetret nobis, eâdem madere pluuiâ, vt experiamur illud quod ait Ambrosius. *Nihil nobis Apostolus nocuit quod negauit, & profuit plurimum quod emendauit. Denique imitemur eum dicentem alibi: Domine tu scis quia amo te. Ait Dominus: Pasce oues meas. Et hoc tertiò: quod quidem dictum ad compensationem prioris proficit erroris. Qui enim Dominum tertiò negauerat, tertiò confitetur: & quoties culpam delinquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profuit Petro. Antè quàm fleret, lapsus est: postea quàm fleuit, electus est. Et qui ante lacrymas præuaricator extitit, post lacrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit.*

Psalm. 134.

Ex SS. Patribus. Ambr. ser. 46. Pœnitentia Petri quantum nobis conferat.

Intempestiua sunt tonitrua mense Octobris in occasu Aurigæ, sed quotannis reuera tonat circa festum Petri Aurigæ Ecclesiæ: faxit Deus vt cælo intonante fluant latices gratiarum, quarum inopiâ animæ mortalium penitus aruerunt. Sed vt nubes non liquantur nisi agitatæ crebris ventorum flabris; ita nec Sancti beneficos se præstant, nisi à nobis anhelis precibus excitentur. Illa iugis hodie orationum praxis efficiet vt diem recolamus iuxta mentem Imperatorum Valentiniani, Theodosij, & Arcadij, qui constitutione singulari facta in gratiam feriarum, recensentes diem hodiernum sacrum Beatis Petro & Paulo cum aliis diebus Natalis Christi & Epiphaniæ sic decernunt. *In quibus etiam sanctissimis diebus, neque spectaculorum copiam reseramus.* Spectacula illa, quæ vetuit lex, erant vel histrionum, aut bestiarum inter se pugnantium. Hoc vnum igitur satagite, ô fideles, vt hodiernam diem non teratis in scurrilibus, aut bestiarum ritu sectemini abdominis ingluuiem. Doluit hodie Ecclesiæ caput erectum: res omnino dissona est videre membra vacare tripudiis, capite patiente. Vt aptemini isti petræ, estote ad amussim illius compositi. Vt digni hoc capite videamini, eodem spiritu viuite, quo & Petrus. Qui secus faxit, ille spectaculorum copiam reserat, mimum agens & pecoris acta, atque adeò censuræ obnoxius. Quòd si tanta nos cupido tenet spectaculorum. Id concedit Apostolus vt fiamus spectaculum virtutis emeritæ mundo & Angelis, domando ferociam passionum, quæ leonum ritu incautos diripiunt. In eo discrimine propitij aderunt nobis Beati Petrus & Paulus, si eos supplices exoramus. FAXIT DEVS.

Ex Ivre Civili, Lg. Omnes dies. Cod. De feriis.



HOMILIA DE S. PAVLO APOSTOLO.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VBI homo deuiauit à recto virtutum calle, in multa incurrit discrimina, ita vt vita eius fuerit continua pugna, à qua vt se benè expediret, habuit Deo dante duces Apostolos, & in his illum, qui pingitur gladio innixus. Ille est Paulus, qui ait se bonum certamen certasse.

II. Dico prima parte agones Pauli contra Dæmones, carnem, & mundum, totámque vitiorum colluuiem, quam prostrauit.

III. Explico subinde coronas, quæ excepere triumphos Pauli, qui nos accingit suismet eisdem armis, scilicet virtutibus, quibus meruit infulas, & titulos dignitatum.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. 2. Timoth. 4.

Plutarc. in apophth.



Estiebat olim Philippus Macedo, & iactitabat se humiliasse morte seruus hominem quàm maximè sibi iniurium. Regi hanc vltionem ventilanti asfla- bat Philosophus, qui lepidè subiecit: Desine, ô Rex, iactare vindictam; melius sanè consultum esset, & tibi & regno tuo, si beneficus in inimicum tuum, inclinasses animum eius in obsequium tuum, de hoste amicum faciens tibi gratiis obligatum. (Iniuriarum remissio facit ex inimicis amicos.) *Arduum reuera facinus consulebat homo sapientia sæculi insignis, & quod præstitit Christus in Paulo acerrimo persecutore fidelium, quem suauiter deliniens, de satellite diro & spirante cædes hominum Christo addictorum, de homine inquam composito ad lanienam Christianorum, Christus fecit Apostolum, quem præfecit Ecclesiæ gentilium, vt fidei Antesignanum. Audi eum recensentem agones suos.* Bonum certamen certaui, &c. *Cui autem militauerit palàm facit, dicens repositam esse sibi coronam, non hic, sed vbi regnat Pater futuri sæculi. Si volumus & conregnare, concertemus, iisdem & nos quibus Paulus vtimur auxiliis, scilicet gratia Christi, & precibus Mariæ, quam intimo affectu Angelicè compellabo.* Aue Maria.

NAtura hominum prona in malum, vtpote Adami deliquio vitiata, ægrè admodum animum adiecit ad virtutem. Ideoque operæ pretium fuit præbere ei exempla, quorum obiectu disceret virtutum praxim. Eo intento Deus fecit Apostolos, eosque composuit specimen virtutis omnimodæ, ita vt solo intuitu vnius Apostoli possent omnes concipere meliorem frugem. Hoc gestiens præsciit Psaltes. (*Psalm. 67.*) *In Ecclesiis benedicite Domino de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Iuda duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtali.* Optimus benedicendi Deo ritus, est benefacere, vt ait Augustinus. (*Incogn. in Psalm. 67.*) Benefac (inquit) & Deum laudasti. Ab Apostolis discitur ille tropus laudandi Deum. Quippe ex Incognito, illi sunt fontes Israël, à quibus deriuarunt copiosi bonorum omnium latices. Primus recensetur Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Ille est Apostolus de tribu Benjamin oriundus, vegeta ætate vocatus à Christo, & qui mentis ecstasim passus, raptus est ad tertium cœlum. Principes Iuda fuere, vterque Iacobus, Ioannes, Simon, & Thadæus, omnes de tribu Iuda, atque adeò consanguinei Christi; Cæteri Apostoli fuere de tribubus Zabulon & Nephtali, in Galilæa, vnde & Galilæi fuere nominati. (*Act. 2.*) *Nonne, omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt?*

Nota, Apostolos dici Duces, Ecclesia namque terribilis est, vt castrorum acies ordinata, in his prior recensetur Paulus de tribu Benjamin, quia reuera strenuus, & qui non temerè pingitur gladio exerto incubans, nihil etenim nisi conflictum cogitauit, strenuè aggressus omnes aduersas acies instructas in hominum perniciem, vt Dæmones omnes, mundum, & carnis illecebras. Dux ille impiger cum se gessit quem ait hoc contextu. *Bonum certamen certaui, &c.* Dicam priori parte agones eius. Secundò, quas coronas meruerit explicabo.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

De multiplici pugna Pauli contra vitia.

MVltimodè dispescitur militia cælestis à terrena, sed præcipuè in duobus. (Belli corporalis & spiritualis differentia.) Primum est ratio conscribendi militem. Alterum est vtriusque militiæ homines habere diuersa argumenta, quibus excitantur ad arma. Ordiamur. Bello indicto, Principes suæ ditioni homines subditos conuocant, eosque lustrant, seliguntque idoneos ad certamen, quos armis instructos describunt, vt resciant suorum numerum armatorum. Nota, duo præcedere descriptionem militum; scilicet vocationem Principis, & consensum militis dantis nomen suum Principi descripturo. Secus se res habet in diuinis; nam Deus ab æterno militem conscripsit, & postea conuocauit tempore præstituto, non dubius de consensu. (EX THEOLOGIA. *Bonau. lib. 4. sent. dist. 43.*) Etenim liber ille vitæ, qui seriem continet omnium Beatorum, ex S. Bonauentura est notitia illa, quam Deus habet ab æterno, eorum omnium, quos decreuit adsciscere in partem suam, nec potest irrepere mendum aliquod in eum librum, quia vt alij libri referunt gesta, iste liber refert quod facit. Ea quippe Dei notitia, quæ describit electos est practica, ita vt editi homines, suoque tempore vocati, indubiè Deo dent & manus, & nomen suum.

Rursus, huiusce sæculi Principes quantumuis strenui sint, non influunt in animos, vt eos generosos efficiant eatenus, vt spem possint concipere de victoria; sed hoc præstat Deus: siquidem vbi aliquem sui iuris fecit, illum adeò corroborat, vt flocci faciat omnes contrariorum hominum nisus, præmeditatâ iam victoriâ. Hos suis animos adiecturum se repromisit Christus, eos sic hortatus ad certamen: (*Luc. 21.*) *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis.*

Hæc duo aduerte in Paulo. Primò descriptionem ab æterno, eamque practicam, id est, efficientem quod descripsit. Hanc collige ex Dei colloquio cum Anania cunctante baptizare Paulum. (*Act. 9.*) *Vade quoniam vas electionis est mihi iste; vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Paulus reuera, tunc non erat vas plenum gratiis, ad quas electus est, eas enim Deus infudit tantum ad mensuram meritorum Pauli, sed ea vox, *Vas electionis est mihi*, vt denotat tempus præsens respectu Dei, æternitatem designat, quæ nullo tempore discernitur vtpote tota simul, & cui iugiter est præsens omne quod fuit & futurum est. Quàm potens autem fuerit vocatio hominis huius prælecti ad ardua, ex serie conuersionis eius videre est. *Subito circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: Saule Saule quid me persequeris?*

Ibidem.

Qui dixit : Quis es Domine ? Et ille : Ego sum Iesus , quem tu persequeris , durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit : Domine quid me vis facere ? Lux illa desuper affulgens insinuat inde vocationem esse, vbi est liber vitæ. Pauli euersio in terram clamat, veterem hominem euertendum , vt resurgat alter. Subitus ille consensus Pauli , gratiæ efficaciam prodit , quæ morarum impatiens animum eò inflectit , quò Deus hominem inducit.

Ex SS. Patribus. *Aug. ser. 35. de diversis.*

Meditare amabo Dei vias , quibus homines inserit cælis, aliàs errabundos. Superbierat Paulus, cum Deus humiliat , & deprimendo supercilium eius , illum excæcat. Benjamin ille lupus rapax mutatur in ouem , futurus ipse ouium pastor. Audiendus Augustinus. *Voce Christi de cælo prostratus , & accipiens desuper interdictum iam sæuiendi , cecidit in faciem suam: prius prosternendus , postea erigendus : prius percutiendus , postea sanandus. Non enim postea Christo viueret, nisi occideretur , in eo quod malè antea vixisset. Iam parat se ad obediendum, qui prius sæuiebat ad persequendum. Iam informatur ex persecutore prædicator , ex lupo ouis , ex hoste miles. Audit quid facere debebat. Cæcus sanè factus est, vt interiore luce fulgeret cor eius. Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, vt redderetur prædicatori. Et eo tamen tempore, quo cætera non videbat, Iesum videbat. Ita ex ipsa eius cæcitate informabatur mysterium credentium , quod qui credit in Christum , ipsum intueri debet. Cætera nec nata computare, vt creatura vilescat, & vt creator in corde dulcescat.*

Cæcitas corporalis, Paulo profuit.

Tribulationis salutares effectus. *Aug. ser. 36. de diversis.*

Diceres sæuire Christum cùm armatur in Saulum, quem prosternit, excæcat, & captiuum deducit ad Ananiam ; & tamen totum est illud misericordiæ negotium, vt ait Augustinus : *Vbi terror, ibi salus. Qui faciebat contra nomen, patietur pro nomine. O sæuitia misericors ! vides illum præparare ferrum, secturus est, non pertempturus: curaturus est, non occisurus.* Admiratus est orbis facilem animum fœminæ rerum potientis in Græcia Imperatore demortuo. Ea vt audiit, Diogenem Romanum virum prænobilem milite conscripto instruxisse acies, vt ius Imperij vocaret in discrimen, Heroïna illa sibi cauens & filiis suis, armata ei manu occurrit. Non cunctatur Diogenes conferre manum , sed vbi concurrerunt acies, victoria stetit à partibus Imperij, profligato exercitu Diogenis, quem prostratum & vinctum duxere victores ad Imperatricem , quæ contemplata ferocem iuuenem mitiorem effectum , miserata sortem eius, adeò delinita est, vt eum duxerit in sponsum , & sic præfecerit Imperio , faciendo Ducem suorum agminum, eum qui contra suamet agmina decertarat. Maiorem sanè sortitus est gratiam Paulus, qui stipatus milite armato, & acerbo animo in Christianos , validè oppugnans Ecclesiam Christi, prostratus à Christo, & quasi ligatus ad Ananiam ductus non luit pœnas, sed è lupo rapaci dispergente gregem , factus est ouis , & præfectus ouium Ecclesiæ caulis, de tyranno in Apostolum commutatus. Hoc stupet Augustinus. *Adductus est ad Ananiam , & Ananias interpretatur ouis. Ecce lupus rapax adducitur ad ouem sequendam , non rapiendam. Sed ne rapientem ouis expauesceret lupum , ipse pastor de cælo , qui omnia faciebat , nuntiauit lupum venturum oui , sed non sæuiturum , &c. Dum intrat lupus rapax stabula pecudis , subitò & ipse factus est ouis. Itaque quis iam desperet de magnitudine criminis ? immanem credentium persecutorem Paulum veneratur multitudo Gentium.* Hæc ille.

Ex Historia. *Cedren. in epit. hist. in vita Diogen.*

Pauli conuersio mirabilis.

Ex SS. Patribus. *Aug. ser. 35. de diuer.*

Ex Remedica. *Fernel. lib. 4. Physic. c. 1.*

Dixi , Principes sæculi non influere in animos militum , vt eis affingant spiritus vtique generosos. Id tamen efficit Christus , animæ illucens: quemadmodum enim medici aiunt calorem illum quo viuimus intendi oriente Sole, & effundi in omnes artus remotos à corde, vnde erumpente Sole emergit ille calor, qui nocte cor potissimum obsidet; ita & gratia, qua sibi constat anima amore Dei calens , incrementum accipit Deo desuper affulgente. Vtque corpus validissimum est vegeto calore naturali, ita & animæ robur augetur inualescente gratia. Ergo Christus suis sequacibus infundens gratiam, fortiores etiam facit. Quippe gratia non in corde abdita tantùm delitescit , vt amemus , sed & ad manus excurrit vt ardua perpetremus.

Ex Mathematica. *Ptolem. l. 3. de Iudic. c. 11.*

Quòd si cælica Mathesis Ptolemæi non fallit , homo natus in ea constitutione cæli , vt Sol , Mars , & Mercurius desuper irradient; homo inquam ille erit triplici dote conspicuus , videlicet , fama insignis , Dux impiger, & facundus. Pauli conuersio habuit initium in hoc cæli habitu , vt Christus Sol oriens ex alto , Dominus exercituum , & Verbum Patris illi affulserit. Eamobrem Paulus orbe toto notus , Dux Gentium , & ea eloquentia , vt creditus fuerit in Lycaonia Mercurius. Eius famam neque eloquentiam haudquaquam inuideo, æmulor meliora charismata , scilicet victorias de vitio reportatas.

Primo congressu elisit Dæmonum caput , scilicet superbiam , non duntaxat iussa capessens Dei , sed Ananiæ etiam morem gerens , qui homo erat in sæculo inglorius. Inde auspicatus est Christus agones Pauli , prostrauit superbum , vt humilitate tutius assurgeret. Benè Augustinus : *Prosternitur superbia , vt erigatur sanctitas.* Et vt Principes olim dicti sunt Africani , Asiatici , Germanici , à talibus prouinciis suo dominio adiectis ; ita Saulus ab humilitate comparata dictus est Paulus , id est , modicus ; dicimus enim modicum idem esse ac paulùm. Ita Augustinus meam elucidat sententiam : *Primò Saulus à Saule. Recordamini enim qui nostis literas Dei , quis erat Saül ? Rex pessimus , persecutor sancti serui Dei Dauid. Et ipse si meministis de tribu Benjamin. Inde iste Saulus ducto secum tramite sæuiendi , sed in sæuitia non permansurus. Postea si Saulus à Saule , Paulus vnde ? Saulus à Rege sano , cùm superbus , cùm sæuiens , cùm cædes anhelans. Paulus autem vnde ? Paulus, quia modicus. Paulus humilitatis nomen est. Paulus , posteaquam adductus est ad magistrum , qui ait : Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Inde Paulus. Vsum latinæ locutionis aduertite : quia paulùm , modicum dicitur. Audi ergo Paulum. Ego sum minimus Apostolorum.*

Ex SS. Patribus. *Aug. ser. 35. de diuersis. Idem ser. 36. de diu.*

Paulus quare dictus Saulus.

Non deerant illi argumenta idonea captandæ auræ popularis ; magna videlicet facundia, rerum omnium peritia singularis, miraculorum gratia, & ascensus vsque in tertium cælum. Demum plus cæteris Apostolis labori incumbens Paulus poterat Dæmonum afflatu aliquam gloriolam aucupari.

aucupari. Sed Deo aspirante virulentum hoc draconis caput amputauit. Audi in gratiam Dei refundentem illum omnia sua charismata: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Vt autem magis emineat eius humilitas, audi ex Patribus aliqua eius encomia, vt inde rescias altam fuisse humilitatem, quam non potuere tot tituli inflectere.

1. Cor. 15. Pauli laudes egregiæ.

Chrysostomus Paulo addictissimus ita fatur: *Paulus archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res orbis, mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem Deus concessit. Ipse cælum, Solem habens iustitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum, & profundissimum.* Hieronymus concinens ait; *Paulus vas electionis, tuba Euangelij, rugitus leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retro generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.* Quo verò contextu homo tantus se describat audi. *Tanquam abortiuo visus est mihi Christus. Mihi omnium Sanctorum minimo data est hæc gratia. Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.*

Chrys. hom. 4. de laud. Pau.
Hier. ep. 6. ad Pammach. Pauli epitheta luculenta.
1. Cor. 15. Ephes. 3. 1 Timoth. 1.

Qui luciferi virus euomuit, Asmodæi etiam ille restinxit incendia, id est, qui superbire nescit, nequit & libidine conflagrare. Quò enim quis nobilior & fortior, eò etiam in victore petit virtutem ampliorem. Sed spiritus est carne validior. Ergo qui superbiam, vitium spiritus intumentis, humilitate prostrauerit, ille facili negotio carnis stimulos edomabit. Importuna sanè fuit Paulo caro suis stimulis eum vexans, ne cumulo gratiarum assurgeret. Quomodo autem hos impetus eluserit ipse enarrat. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar.*

1. Cor. 9.

Profligatis Dæmone & carne, supererat mundus, qui bifariam homines aggreditur. Primò illecebris suis, scilicet honore & opibus. Eo nisu validè Paulum aggressus est mundus Lystris in Lycaonia, vbi cùm Paulus curasset claudum, voluit eum mundus adorare. Sic Lucas: *Turbæ autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos, &c. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros, & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod vbi audierunt Apostoli Barnabas, & Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes: Viri, quid facitis hæc? & nos mortales sumus, similes vobis homines.* Mundi honorum refuga fuit, & contemptor opum, solâ diues inopiâ, qua vigente labore manuum victum quæritabat, nuditatis & opprobrij incurius. Sic ille. *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.*

Actor. 14.
1. Cor. 4.

Noluere Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, eos, qui læta nuntiant populis, aliquam mercedem accipere, vt gaudium illud sit amplius. Ideoque hanc tulere legem. *Quidquid nostrorum vnquam nuntiari cœperit prosperorum, vt bella si desinunt, si oriuntur victoriæ fastus, si honor datus fuerit regalium, vel Consulum, vel trabearum, compositæve pacis erit offerenda tranquillitas. Si sacros vultus inhiantibus fortè populis inferimus, hoc sine immodico pretio, nuntiari, excipique sancimus.* Euangelizare, ex vi verbi significat, læta nuntiare, eaque omnia quæ lex illa enumerat. Nimirum hostes fugati sunt, & euersa eorum simulacra dicente Christo. *Confidite, ego vici mundum.* Item, *Princeps huius mundi eiicietur foras.* Homines regalibus dignati sunt in prædicatione Euangelij. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sacrum Dei vultum intulere populis Apostoli, quando initiauerunt eos sacris fidei mysteriis, eos pascentes Eucharistia, vbi oculis fidei videtur Christus. Læta hæc omnia enuntiauit Paulus, nec ideo tamen voluit modico pane refici; sic namque compellat Corinthios: *Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos, & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.*

Ex Iure Civili. Leg. Quidquid. Cod. Publica lætitia. Festa non esse debent oneri.
Ioan. 16. Ioan. 12. Ioan. 1.
2. Cor. 12.

Mundus qui præualere non potuit gloria & opibus, arietans in Paulum ignominia & opprobriis, etiã in eo certamine succubuit. Audi triumphãtem athletam: *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema.* Canones sancti eos Pauli agones obiiciunt nobis, veluti regulas, ad quas attendentes, erimus & nos eiusdem victoriæ compotes. Accipe textum Iuris sancti. *Si Paulus Apostolus vas electionis, & separatus in Euangelium Christi, ob carnis aculeos, & incentiua vitiorum reprimit corpus suum, & seruituti subiicit, ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur, & tamen videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se in legem duci peccati: si post nuditatem, ieiunia, famem, carceres, flagella, supplicia, in semetipsum reuersus exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? tu te putas securum esse debere.*

1. Cor. 4.
Ex Iure Canonic. Can. Si Paulus 32. q. 5. Mortificationis necessitas absoluta.

Virtutum omniũ praxis fuit gladius, quo strenuus ille miles Christi bonum certamen certauit, eoque ipsemet accingit nos, vt strenuè militemus Christo, imitatus priscum Romanorum morem, qui creaturi ducem exercitus, eum inaugurabant dato gladio. Et apud Polonos gladium à Rege accipere est insigne decus, & imminentis tessera dignitatis. Meminit Gallica historia, ducẽ eximium nomine Bayard, rerum bello egregiè gestarum fama super æthera notum, rogatum fuisse à Rege Gallo Francisco I. vt hanc ei præstaret gratiam. Scilicet voluit Rex institui honorarius eques, gladio accinctus manibus tanti Heroïs, arbitratus gladium illum, quem Bayardus attrectasset, fore propitium victoriæ comparandæ. Audi Paulum Heroëm à Christo inauguratum Ducem Gentilium, accingentem nos eodem gladio, quo vitiorum omnium agmina superauit. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris.*

Gladius symbolum dignitatis. Ex Historia. Sueton. in Traian. Ioan. Herb. in hist. Pol. Hist. Gall. in Franc. I.
2. Cor. 6.

O gladium, de quo licet vsurpare illud idem quod Dauid aliàs inermis, qui audiens Achimelech habere gladium, quo Goliath occubuit, ait: *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Sanè non aliis armis vtendum ei, qui anhelat ad coronam Pauli.

1. Reg. 21.

Pars Secunda Homiliæ.

Quas coronas Paulus reportarit.

EA est correlatorum ratio, vt posito vno adiiciatur & alterum. Cùm ergo certamen referatur ad coronam, & tota series vitæ Pauli à conuersione illius fuerit certamen impigrum, seu potius victoria continua nullo iniquo discrimine interpuncta; non est humanum opus recensere quot coronas ille Heros retulerit. Nihil moror in ciuica corona, ob ciues seruatos, vtpote initiatos sacris: sileo coronam rostralem seu naualem, ob socios naufragos, Pauli oratione restitutos. Commemoro opima spolia ob euersam à Paulo Synagogam, vt è ruinis eius emergeret Ecclesia. Audi Lucam, Act. 9. *Saulus multò magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci; affirmans quoniam hic est Christus.* Ducem etenim vnius partis æmulum sua manu peremisse credirum fuit olim facinus maximè coronandum. At Paulus Dei gratia armatus confudit Iudæos, astruendo fidem Christi, cui ex diametro erant Iudæi oppositi: Dæmones item, carnem & mundum abegit à se, ideoque eum censeo dignum cui corona omnigena deferatur.

Eam ego illi adapto coronam, quæ rutilat in cælo versus Aquilonem, vnde apud Mathematicos dicitur corona illa Borealis. In ea sunt octo stellæ, quarum splendidior dicitur, lucens corona Ariadne, & est secundæ magnitudinis. Vide quàm benè quadret Paulo hæc corona. Dicitur Borealis, à Borea seu Aquilone debellato; qui namque expunxit à se omne malum, quod ab Aquilone venit, superior est omni malo. Stella lucidior in ea corona est secundæ magnitudinis, quia Paulus est secundus à Petro. Demum rutilat hæc corona octo stellis lucidis illustrata. Quasi octo beatitudines fuere Paulo assignatæ, quia nimirum in omni agone exercitatissimum se præstitit; omnis ei etiam beatitudo decernitur, octuplici beatitudine præsignata.

Ex Mathematica.
Corona borealis quale sidus sit.
Clauius c. de long. & latit. imag. calest.

Chrysostomus ei assignans omnes omnium Sanctorum dotes, & hanc coronam affingit beatitudinis vniuersæ. Sic ille. *Cui te, ò Sancte Paule, iustorum veteris vel noui testamenti audeam comparare? omnium quippe virtutem quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cumulo condidisti. Denique etsi totum contra te aliquis sigillatim iustorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depressam. Paulus verè secundus Abel; verùm non semel, sed per dies singulos immolatur. Paulus alter Noe, sed absque arca insurgentes aduersus se vndas impietatis enauigans. Paulus alter Abraham, non modo à patria, vel gente, sed post vocationem suam, ab ipsa etiam vita prorsus abscissus. Paulus alter Isaac sponte in hostiam colligatus. Paulus alter Iacob, quasi pro vno quodam totius mundi grege semper inuigilans. Paulus alter Ioseph, spiritualis famis tabescente mundo, veritatis alimenta distribuens. Paulus alter Moses, qui omnes à tyrannide diaboli reduxit ad Christum.* Hæc Chrysostomus.

Ex SS. Patribus.
Chrys. hom. 8. de laud. Pau.
Paulus comparatus cum præcipuis Patriarchis.

Vides hoc contextu, Apostolum coronari diademate sanctiorum hominum prisci temporis, sed ne quid Paulo deesset ad coronam stellarum octo; pergit ille: *Paulus alter Ioannes, pro Christo capite truncatus. Paulus alter Petrus de cælo vocatus ad Euangelium. Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis Gentibus nuntiauit. Paulus alter Michael, qui Christianorum dux esse sortitus est. Etiamsi Angelorum, etiamsi iustorum hominum circumuolem choros, non inuenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat.* Ergo omnium coronas adeptus est, qui obiuit singulorum certamina. Quòd si iuxta hostium classes libet coronare Paulum: victis diabolo, carne, & mundo erit corona triplici laureandus. Adiice & tres laureolas, quas Theologia adscribit tribus Sanctorum ordinibus; videlicet, Doctoribus, Virginibus, atque Martyribus. Fuit namque Paulus Doctor Gentium; fuit & virgo, & martyr, subiens in sua carne pœnas, quas sæuiens in fideles aliis inflixerat, vt ait Augustinus. *Patitur Paulus, quod fecerat Saulus. Saulus lapidauit, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis affecit. Paulus quinquies quadragenas vna minus accepit. Saulus vinxit, Paulus vinctus est. Dum Saulus quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse ad numerum accessit confessorum.*

Ibidem.
Paulus cum Angelis comparatus.
Iniuriã qui facit, similem patietur.
Aug. ser. 35. de diuersis.

Itaque in gloriam Pauli appendo ei lemma speciosum Guillelmi IV. Ducis Bauariæ, qui symbolo suo præferebat duas coronas, vnam spineam, alteram ex rosis, hoc titulo circumducto, Non sine altera. Id est, quisquis diadema rosarum ambis, auspicare à spinis; non est quippe rosa disiita à spinis. Incurre in acumina punctionum, & assuesce duris, si vis carpere rosas. Coronare spinis in sæculo, vt te dignetur Deus in cælis corona rosarum, quæ Non sine altera conceditur. Ne te deterreat acumen senticeti, sed potius animos addant rosæ vernantes in cælis, vt monet Paulus. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quæ verba expendens Augustinus ait: *Seuiat mundus, fremat mundus, concrepet linguis, coruscet armis, quidquid potest faciat, quid faciet ad id quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id quod spero. Hoc sentio, illud credo, & tamen plus est quod credo, quàm quod sentio. Quidquid est quod sæuit pro nomine Christi, si potest vinci tolerabile est; si non potest vinci migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinem quæ cum venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine.*

Beatitudo emitur tribulationibus.
Ex Symbolis.
Ioan. Ferrus part. 1. Theat.
Rom. 8.
Ex SS. Patribus.
Aug. ser. 16. de Sanctis.
Patientia facilis ei qui meditatur beatitudinem.

Multiplex Pauli corona prodit meritum Pauli, ad cuius reliquias procumbunt ipsi Imperatores, eiusque opem ibi deposcunt, vt ait Augustinus: *Purpura indutus peregrè proficiscitur, sepulchra illa complexurus, & fastu deposito contingit Sanctos, rogans vt sibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum opificem, & piscatorem, patronos etiam mortuos, deprecatur ille diadema gestans.* Reliquiarum Pauli beneficia enarrant SS. Gregorius, & Ambrosius; ille ait nauigantes euasisse naufragium merito reliquiarum, quas adsportabant in Gallias: Ambrosius verò, & Chrysostomus aiunt, è capite Pauli execto effluxisse lac, & exiliisse in vestem spiculatoris, qui ea aspersione lactis, ab impio simulacrorum ritu conuersus, illico dedit nomen suum Christo. Ossa Elisæi extincti attactu suo mortuum excitarunt;

Idem serm. 2. de SS.
Ex Historia.
Greg. Turon. l. de gl. mart. cap. 83.
Paulus decollatus lac emisit.

excitarunt; sed ego pluris facio conuersionem reprobi factam aspersione lactis effluentis ex capite & corpore Pauli. Consule Ambrosium ita fantem: *De Pauli ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quàm sanguinis, & mirum in modum Sanctum Apostolum baptismi gratia, in ipsa cade extitisse splendidum potius quam cruentum.* *Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi.* Concordat & hoc Chrysostomi effatum: *Qualis locus tuum Paule sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste qui te percussit, qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vnà cum sociis ad finem traduceretur effecit.*

Ambr. ser. 68.

Chrys. orat. in Princ. Apost. Lac fluxit è corpore decollati Pauli.

Esto venerandæ sint Pauli reliquiæ, & adeò beneficæ, vt etiam Constantia Augusta fuerit literis importuna S. Gregorio Pontifici, vt particulas quasdam ad eam transmitteret. Esto Chrysostomus cupidè optarit affigi sepulchro Pauli, dicens: *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, qua adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbique seminantis: puluerem inquam oris illius, per quod Christus locutus est, &c. Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tunc verò cum in hac vita essent mortua.* Æmulor ego charismata meliora, aliis non inuideo sacras Pauli exuuias; mihi in toto affectu vendico sanctiores omnino reliquias, ad quarum indaginem ipse in humanis adhortatus est fideles hæc orans: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Aliæ reliquiæ non coronant suos possessores; sed istæ, scilicet virtutes Pauli, quas reliquit ad exemplum, homines erudiunt ad agones, quibus exantlatis athletæ Christiani immarcessibili diademate coronantur. FAXIT DEVS.

Greg. lib. 3. ep. 30.

Chrys. ho. 32. in epist. ad Rom.

1. Cor. 11.



HOMILIA

DE S. ANDREA APOSTOLO.

SVMMA HOMILIÆ.

I. AVDIIT Ioannes potestatem Sanctorum esse in ligno vitæ, id est, à Cruce. Ego inde infero, Andream Apostolum, qui Cruci affixus est, mira virtute præpollere, quia Cruci addictus, magnum animi robur collegit.

II. Dico Crucem fuisse erectam, velut antidotum arboris huius, quæ totam perdidit Adami prosapiam; & prima parte Homiliæ dico, diabolum suam habere arborem, ad quam conuocat imperitos.

III. Altera parte probo, Crucem fuisse prudenter oppositam illi arbori noxiæ, ideoque Andream benè sibi consuluisse, vitalem illum stipitem amplexando.

PRÆFATIO.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius. Ioan. 1.



VT Sol irradians luce sua diluit figuras cera impressas; ita hodie Iesus Sole lucidior, vt vidit Andream, abegit ideas omnes rerum huiusce sæculi, quas cordi illius mundus affinxerat, ita vt potuerit ille Sanctus vsurpare Dauidicum illud: Factum est cor meum tanquam cera liquescens. *Eo aspectu suo Christus indidit Andreæ virtutem floris, qui à Sole solsequium nuncupatur. Floriferi stipitis apex orientem Solem excipit, & leui inflexione sui sequitur ad occasum. Andreas in exordio Euangelij à Christo aspectus, cum toto affectu secutus est vsque ad occasum. Christo namque commortuus est, Cruci affixus. Petierat ille à Christo:* Domine vbi habitas; *sed habitaculum eius non plenè didicit, nisi eo crucifixo. Eamobrem ex tunc tanta cupido Crucis eum tenuit, vt damnatus ad Crucem, crediderit beneficam sibi illam sententiam. Vos compello, ô fideles, ea ratione, qua Christus Andream, & socium eius:* Venite, & videte. *Ingemino: venite, & videte Crucem tabernaculum Christi, & Andreæ. Sed quia stat iuxta Crucem Maria mater Iesu, ne contingat adire Crucem insalutatâ Mariâ.* Aue Maria.

Psalm. 21.

IOannes Apostolus audiit ab Angelo pangente arcana Dei has voces, omne Sanctorum robur explicantes: *Potestas eorum in ligno vitæ.* Quasi diceret Angelus, tantùm inesse alicui sancto potestatis, quantùm inest de virtute Crucis, quæ dicitur lignum vitæ; quia Adami prosapia extincta, Crucis suffragio fuit statui pristino restituta, facta vitæ compos. Eo argumento liquet eminentia Andreæ Apostoli, qui Cruci coëxtensus eò fortior euasit, quò tyrannus illum magis deprimere voluit. Nimirum Crux, quam veluti noxiam Andreæ indixit Iudex iniquus, fuit potissimum eius robur, vt dicam postquam aperuero technas diaboli, qui prima hominum capita perdidit sub arbore, de qua dicam, primò. Secundò de arbore Crucis vt antidoto primi ligni virulenti.

Apoc. 22.

Pars Prima Homiliæ.

Dæmonem vocare homines ad arborem voluptatis.

Ex Philosophia. *Aristot. 2. de anim. cap. 8. text. 148.*

EA compage coëunt anima & corpus, vt totus homo in eam inclinet partem, in quam præcipuè eum inflectit vna illarum partium, quibus ille coalescit. Fitque vt homo quasi rerum inferarum inscius, in Deum totus efferatur, si ea quæ Dei sunt, altè animo illius insideant; nihil quippe agere potest degens in sæculo duabus hisce partibus inconsultis. Sed vt nihil mente potest recolere, quod non sensibus illuserit, fit plerumque vt sensu illecto deliniatur animus, & pecorum ritu æmuletur homo illecebras, rationis vsu vtique feriante. Et quo maiores illecebras obiectum aliquod ingerit sensibus, vegetior est rei illius cupido, quàm concipit animus præcoci illa sensuum notitia delinitus. Nondum aruere lacrymæ quas in orbem inuexit Adami casus, inde exortus quòd mulier intenta sensibus, audiendo colubri sibilantis suaue melos, aspiciendo lignum aspectu insigni, attrectando pomum, & gustando vetitum illum fructum, incautè à Deo deuiauit. Namque fieri nequit vt homo non feratur in bonum cognitum; ignoto vero bono, fertur in apparens, atque ita peccat hallucinans in delectu.

Ex Figvris. *Genes 3.* Voluptas lineata in arbore Danielis. *Dan. 4.*

Voluptas, qua capiuntur homines, congruè delineatur in ea arbore, quæ fuit homini argumentum lapsus. Ibi Eua luxuriæ partes egit, imitata carnem, quæ spiritui adblanditur. Pactum initum de instante diuinitate post esum pomi, fastum & superbiam clamat. Manducatus ille fructus, gulam subindicat. Nuditas agnita reis, qui antea nesciebant se esse nudos, insinuat hominem spoliari gratiis aliquo crimine perpetrato. Habes & aliam voluptatis ideam in illa arbore, quam Daniel sic descripsit: *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & esca vniuersorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.*

Equidem fortis est voluptas, vtpote qua prosternuntur & ipsi præpotentes Samson, Dauid, aliique innumeri. Terrarum orbem ferè totum opacat, suis patulis diffusa ramis arbor hæc lethalis; rari quippe sunt, quibus non se affricet aliqualis illecebra. Folia pulcherrima recensentur, quia totum de folio negotium est quod agitur cum sæculo, vbi nihil solidum prostat. Commemoratio volucrum, superbiam notat, quæ auium instar & leuis est, & assurgit semper. Subter eam Vates ait habitare bestias, quia qui voluptati adhæret, rationis vsu abdicato abiit in pecus. Etenim homo

Ex Philosophia. *Arist. lib. 8. Metaph. c. 5. text. 10.*

& pecudes distinguntur essentialiter à forma, quæ est radix à qua petitur formalis distinctio. Forma hominis est anima rationalis; pecudis autem anima sensitiua. Ergo si homo exuit animam rationalem, vt induat tantùm animam sensitiuam, reuera cute tenus erit homo, & formaliter pecus, quia actiones naturam formæ produnt: At formæ bestiarum proprium est, totum raptare animal in bonum sensitiuum. Igitur homo bestia est, si duntaxat sensibus actus, fertur in obiecta, quæ eum distrahunt à supremo bono, à quo diuerti, peruerti est, & peccare.

Peccati homines mutat in bestias. Ex SS. Patribvs. *Ambr. o. 10. in Ps. 118.* *Genes 3.*

Hunc hominis transitum in pecus asserit Ambrosius ita fatus. *Postquam peccasti aliud esse cæpisti, & illud quod eras esse desiisti. Condemnaris autem in eo quod mutatus es, vt fieres ex homine serpens, mulus, equus, vulpecula.* Itaque homo dementatus reatu suo, maledicto serpentis obnoxius effectus est. *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tua.* Reuera anima gratiæ indigna serpit, & aduoluta luto voluptatum pascitur terra. Hanc hominum iniuriam luget Ieremias. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Sed & lamia nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos.* Homo à prima constitutione cælestis terreus effectus est, & vbi voluptas lubricum suum sinum aperuit, homo externa specie illectus, totus effusus est in vbera illius nusquam ablactandus. *Thren. 4.*

Daniel commemorans hanc arborem ita fatur: *Et ea vescebatur omnis caro*, quia soli sequaces carnis voluptati adhærent. Adiicit ille, fuisse ibi volucres, animalia & bestias; vt pecudum species discolor innotescat. Qui namque in vno peccat, fit omnium reus, dum vno crimine perpetrato, animus in varia scelera inclinat. Et hoc insinuat Isaias cùm describit statum Ierusalem à Deo reprobatæ. Eam ait fore veluti stabulum bestiarum. *Erit cubile draconum, & pascua struthionum. Et occurrent dæmonia, & pilosus clamabit alter ad alterum.* Reuera postquam anima voluptati nomen suum dedit, stabulantur in ea omnia genera peccatorum, vnâ noxâ alia vitia prouocante, vt explicat Gregorius versans illum Isaiæ locum. *Cùm perpetrata nequitia, ad aliam perpetrandam malitia prouocat, clamat pilosus ad alterum. Culpa subsequens occasione culpa præcedentis illaqueat.* Vt ex gula libido accenditur, inde adulteria, &c. Pergit Gregorius *Sic fit vt semper se in malum deterius inuoluant, dum mentem reprobam culpa per culpam ligat, cùm peccatum vnum alterius fit causa peccati.* Hæc ille.

Peccatum vnum attrahit alterum. *Greg. lib. 7. cap. 12.*

Ex Symbolis. *Camerar. lib. Centuriarum.*

Ea est arbor, ad quam sua mancipia conuocat Dæmon, eo intento, quo Timon ille Atheniensis, qui homines inuitabat in hortum suum eo fine, vt de arbore pendulos præfocaret. Amœni sanè & virentes sunt deliciarum horti, sed suspendio obnoxios faciunt eos omnes, qui illuc intrant: ideoque pungi potest peccandi illecebra aculeo symboli, quod effinxit Camerarius, pingens muscas conuolantes ad candelam, vbi illico concremantur, titulo hoc loquaci. Brevis, & damnosa volvptas. Perinde est ac solenne id effatum: Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Hanc arborem voluptatis esse erectam in hominum perniciem, Susanna probè sciens, prouocata ad peccandum in loco arboribus consito, tenuit, malens occumbere quàm peccare. Et quia Crucem elegit volens cruciari potius quàm Deum offendere, eo in Crucem affectu declinauit mortem & peccatum. Eâ etiam industriâ Andreas diluit nexus Ægeæ Proconsulis Achaiæ, qui illecebris & donis tentauit fidem eius, & minatus est Crucem, nisi à Christo deficeret. Ruit ille in Crucis amplexus, ne deliciarum noxiæ religatus arbori miserè disperiret.

Voluptas est fugax, & breuis.

Pars

Pars Secunda Homiliæ.

Crucem esse antidotum arboris voluptatum.

Ex Theologia. *Thom. 3. p. q. 46. art. 3.*

PRæstigiis suis illudens omnibus arbor illa recensita, dementans homines illecebris suis, totam ferè Adami prosapiam perdidisset, si non occurrisset Deus cruce sua, vt arbore erecta in antidotum voluptatum. Potuisset quidem Deus absolutè hominem saluare inconsulta Cruce; sed necesse fuit erigere hanc arborem, quia illa sola occurrit deliquiis omnibus, quæ passa est Eua, incautè carpens fructum arboris homicidæ. Peccatum hominem terræ affixit, à Deo distraxit, appetitum sensitiuum adeò deliniuit, vt rationis vsum penè extinxerit. Demum gratiam expungens induxit similitudinem pecoris. At Crux inimica appetitui sensitiuo, delicias abstergit omnes quibus appetitus ille ferocior in rationem insurgebat. Domita parte sensitiua, ratio fit sui iuris, & meditans quàm turpiter à Deo defecerit, erigitur, & lubens patitur angustias, & ærumnas necessarias illecebris expiandis.

Ex Re Medica. *Amòrosius Paræus lib. de luxationibus.*

Vide initio tomi istius tractatum de Cruce, & ibi omnium scientiarum suffragio disces, quàm congruè erecta sit Crux ad extirpandam arborem voluptatis. Consule potissimum sectiones editas vt explicarem illum textum. *Princeps huius mundi eijcietur foras.* Illic enim luculenter probo Crucis ope omnia fuisse vitia extirpata. His adiice rationem petitam ex Medicina, ex qua homo ex edito loco lapsus, si in eam membrorum attritionem incurrit, vt tota artuum compages luxata sit, coëxtenditur ligno, vbi valida tensione membrorum facta ab homine forti, restituuntur ossa suis quibusque locis: nec adhibetur vnctio, nisi hac tortura præeunte. Homo gratia occidens corruit ictu tam valido, vt omnino contritus sit. Operæ pretium fuit erigere instrumentum, cui omnia membra adaptata tensionem congruam paterentur, vt redderentur artus suis quibusque cancellis. Crux adeò visa est idonea, vt gratiæ vnctio non adiiciatur lapsis nisi postquam, saltem in votis, subiere Crucē. Ea enim est differentia gratiæ, quæ influit in pueros, & illius quam Deus pœnitenti impertit. Prima illa gratia in pueris curans originale peccatum, dicit tantùm vnctionem, atque adeò tota illa gratia oleum misericordiæ redolet. Altera verò gratia sanans peccatum actuale, iustitiam præsupponit, quæ pœnas exigit, ob consensum datum illecebris. De prima ait Psaltes. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi.* De secunda hoc subiicit. *Iustitia, & pax osculatæ sunt.*

Calix amarus homini datus.

Ex SS. Patribus. *Psalm. 84.*

Mādata austera quare Deus dedit homini post peccatum. *Augustinus serm. 18. in Matth.*

Christus, qui se totum composuit ad exemplum, hoc austero medicamine vsus est, vt eo patientiæ specimine edito, homini subueniret, vt notat Augustinus. *Non destitit dare alia præcepta languenti, quæ prima custodire noluit ne langueret. Bibe amarum calicem, tu enim tibi fecisti. Præcepta illa mea, quæ sano data sunt, tam dulcia contempta sunt: cœpisti laborare, sanari non potes, nisi calicem amarum biberis. Prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitares ægrotus.* Dum ergo Christus conuocat ad Crucem, non irrogat pœnas sed salutem, iuxta illud Augustini. *Crux prius in maledictione stabat, & delicta: nunc in occasione salutis est.* Et vt puerorum Alphabeto Crux maiuscula præfigitur; ita & præclara facinora sunt à Cruce auspicanda, vt consulit Augustinus. *Non Christiana quis potest militia censeri, nisi fideli manu vexillum erexerit crucifixi.*

Idem serm. 130. de tempore.

Crux maledicta olim, iam erigitur ad salutem.

Idem serm. 15. De resurr.

Ex Historia. *Pausan. in Corinth.*

Hebe Dea vinctos dissoluebat.

Potior sanè est virtus Crucis eâ, quam prædicat Pausanias inditam fuisse arbori luci Deæ Hebes. Ait ille, homines vinctos accedentes religiosè ad illas arbores statim fuisse liberatos, occulta vi erumpente ex illis arboribus, quæ vincula dissoluebat. Quia vnus è duobus Cruci affixis cum Christo, religiosè amplexatus est Crucem, solutus est omni reatu; alter verò secus, quia impiè se gessit, miserè occubuit. Non salutis modò, sed etiam honoris argumentum est Crux. Vnde Christus Apostolorum primitias Andream, & Petrum volens præcipuo honore insignire, vtrumque Cruce dignatus est. Ideo Andreas tantæ gratiæ pondus pensans, vbi aduertit Crucem, exclamauit: *O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.*

Acta martyrij S. And.

Crux à Ludouico XII. Gallo vsurpata vt signū gratiæ. *Duplex Histor. Gall. in Lud. XII.*

Crucem esse argumentum honoris & gratiæ regiæ, liquet egregio effato Regis Ludouici XII. Galli, qui mortuo Carolo VIII. factus regni compos, iussit afferri sibi catalogum nobilium, qui aliqua præfectura in aula regia erant conspicuit. Chartâ coram positâ lustrauit Rex nomina singulorum, & calamo assumpto Crucem pinxit, & adiecit nominibus duorum aulicorum qui aberant. Alij nescij quid portenderet hoc signum Crucis, malè de eo ominantes, præmonuere duos illos ea tessera denotatos. Hi suspicantes quid sinistrum, consuluere sibi fuga: quod vbi resciuit Rex, subridens ait: Hallucinati sunt duo hi aulici, vtpote nescientes alphabetum Christi, qui à Cruce gratiam auspicatur. Ego Cruce dispescui ab aliis nomina istorum, quia volo eos præcipuis dignitatum titulis insignire. Eo ritu ab æterno Deus decreuit Andream honorare, nomini eius affinxit Crucem in symbolum gloriæ affuturæ.

Crux apposita est notā amoris Dei.

Crux Philosophis credita ingloria.

Crux Apostolis gloriosa.

Ex SS. Patribus. *August. serm. 10. De verb. Apost.*

Crucis amasij Sancti Patres, nunquam ingloriam putauere Crucem. Audiendus Augustinus. *Vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit; vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita. Si vis ad illa venire, noli ista contemnere.* Accedit Saluianus in eam sententiam. *Qui putantur Crucem portare, sic portant vt plus habeant in Cruce dignitatis, quàm in passione supplicij.* Si quando igitur, ô homo, occurrerint Cruces, Andream imitare, & scito Regem sæculorum, ea Cruce te ad ardua præsignasse. Etenim Crux Christianis est amoris index, non furoris: etenim sicut iris prænuntiat pactum Dei cum hominibus; ita & Crux quando incumbit, est præsaga Dei hominem illustrantis. Eamobrem Villaua hoc symbolum finxit. Lineauit Crucem hoc lemmate adiecto. NON VLTRA IRASCAR. Si igitur homo vis tibi consulere contra iram Dei, Crucem amplexare, imitatus Andream; eâ quippe viâ tantùm itur ad superna, quo pede fausto precor eas; FAXIT DEVS.

Ex Symbolis. *Villaua lib. Symbol.*

Crux iram Dei compescit.



HOMILIA DE S. IOANNE APOSTOLO.

SVMMA HOMILIÆ.

I. CHristvs in suprema cœna recolens ingratitudinem hominum, ne pateretur deliquium cordis deficiente aliquo homine, qui amaret impensè Deum, cor Ioannis apposuit pectori suo, vt intuitu cordis amore decocti, aliquod caperet solatium.

II. Amorem illum Deus accenderat: Amor enim diuinus omnia bona in nobis operatur; & hoc dico prima parte Homiliæ, vbi recenseo dotes, quas Deus Ioanni impertiit.

III. Alia parte explico quomodo Ioannes Christum redamarit.

PRÆFATIO.

Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus. Ioan. vltim.



O amore Ionathas Dauidem deperiit, vt eum sic Codex sacer expresserit. Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid. *Gratia equidem fuit hæc & insignis, vt primogenitus Regis tanto affectu dignatus sit hominem adeò humili sorte natum, vt curaret ouium caulas. Nec inanis fuit amor ille; nam Dauidem eripuit morti, quam parabat ei Saül. Esto bearit in seculo Dauidem Ionathæ animus in eum propensior; æquiori tamen sorte Ioannes gaudet, cuius anima adhæsit pectori Christi in suprema cœna, vbi abundè potatus eo fonte sacro, eos latices postea effudit, quibus illius sancta scripta madent. O gratiam, cui impares sunt gratia omnes omnium Regum! Hominem impensè amari ab vnigenito Verbo Dei, & quasi illius cordi agglutinari! Summus ille Dei affectus in Ioannem, potiorem effectum sortitus est eo, quem expertus est Dauid, à Ionatha Principe redamatus. Primò, immersus dolio feruentis olei, fidei ergo, exiliit inde vegetior, nequeunte igne deseuire in hominem, quem amoris flamma sanctior depascebat. Rursus eo charitatis æstu defungens, vectus in cælum velut alii, eò etiam inuexit corpus suum, vt qui in monte Caluariæ, indiuiduus Mariæ comes adstiterat Christo morienti, illi etiam congaudeat triumphanti, corpore reassumpto, vt eodem illic habitu etiam sit quo Maria, cui aliàs adiectus est velut in custodem. Non est itaque de Ioanne texendus sermo, insalutatà Mariâ.* Aue Maria.

[Margin: 1. Reg. 18.]

[Margin: Ioãnis amor lineatus in Ionathæ affectu erga Dauid.]

PVerorum nobilium habitus olim fuit, vt è collo pendulum cor aureum ad pectus ferrent. Christus eo apparatu in cœna vsus est; quippe cor Ioannis pectori suo adiecit, quando Ioannes in cœna recubuit supra pectus Domini. Ego crediderim, Christum subditum humanis angustiis, ægrè tulisse hominum indolem quasi amoris Dei impotem: homines adeò erant incurij gratiæ, qua Deus mundum dignabatur, vt eo ipso momento, quo Sacramentum corporis sui sacri & sanguinis instituebat, Iudæi necterent ei insidias, illum postera die damnaturi. Vt mœrorem suum leuaret Christus, & tædium abstergeret tantæ ingratitudinis, antidotum sumpsit, videlicet cor Ioannis amore decoctum, eo vtique quem ipse Deus accenderat, eum inserendo cordi perquàm accepti illius discipuli. Etenim Deus nos præuenit amore suo, vt postea redamemus. Dicam primò amorem Christi in Ioannem. Secundò amorem eius in Christum.

[Margin: Cor aureum olim pendulum ex corde puerorũ nobilium.]

[Margin: Macrob. lib. Saturnal.]

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quo amore Christus Ioannem dignatus sit.

THeologiæ effatum est, Deum omnia diligere ex charitate, sed explicatione indiget, vt fiat palàm ille amor præcipuus, quo Christus Ioannem affecit. Vnum ergo supponendum est, scilicet Deũ magis diligere effectu quàm affectu; amor enim in Deo non eum inclinat in rem amatam, sed potius rem illam in Deum inclinat, & illi aliquali modo conformat. Rursus hoc notandum bifariam intelligi, Deum diligere ex charitate. Primò vt charitas sit principium motiuum, quo Deus vult bonum alicui, & in eo sensu Deus omnia diligit ex charitate; cùm enim omnia operatus sit voluntate sua, & nihil velit nisi bonum, & non possit non amare bonum, quod est obiectum voluntatis, Deus amat omnia ex charitate, quia Deus charitas est. Alio modo charitas considerari potest, vt dicens habitudinem principij exemplaris, ita vt repræsentet illud bonum, quod communicauit rei amatæ. In eo sensu Deus tantùm diligit ex charitate ea quæ sunt in charitate. Nam charitas increata est exemplar charitatis creatæ, vt charitas est; non est autem præcisè, & ex conceptu suo formali, exemplar aliarum rerum editarum.

[Margin: Ex Theologia.]

[Margin: Bonau. in 3. sent. dist. 32. Deus omnia diligit ex charitate.]

[Margin: Deum diligere ex charitate quid sit.]

Præterea amor diuinus imprimit rei amatæ similitudinem Dei, in hoc longè alius ab amore humano, qui amanti affingit speciem rei amatæ: duplex autem est similitudo Dei. Vna per modum vestigij Deum referens, quæ est communis omnibus rebus; nã eo solo quòd aliqua res habet esse,

[Margin: Amor Dei imprimit rei amatæ similitudinem Dei.]

esse, ostendit Deum creatorem, & hæc ostensio est vestigium, quo dignoscitur creatoris actio; nemo namque alius quidquam creare potest. Altera similitudo quam importat amor Dei, dicitur expressa, quia Deum exprimit quantùm homini fas est referre Deum. Et hæc sola competit iustis, quos duntaxat amat Deus ex charitate exemplari, quò verò maior est in homine charitas, eò etiam intensior est similitudo Dei. Cùm ergo Christus præcipuo amore Ioannem dilexerit, aliis omnibus Apostolis ille fuit Christo similior. Fuisse autem præ cæteris hunc dilectum constat ex nomenclatura, qua Spiritus sanctus hunc dispescit ab aliis, vocando illum discipulum, quem diligebat Iesus; siquidem illa distinctio nulla plane esset, si eodem amore fuisset Christus alios Apostolos amplexatus.

S. Thom. 3. sent. dist. 32. Amor Dei quomodo æqualiter feratur in omnia.

Mouebit fortasse scrupulum propositio illa Theologica affirmans Deum omnia amare æqualiter, quia vnico simplicissimo actu omnia diligit. Vnde negari potest ille specialis amor, quo dicimus affecisse Ioannem. Respondeo, amorem Dei ex parte Dei æqualem omnino esse, sed inæqualem ex parte connotati; id est, etsi Deus haud quaquam varietur, sed semper sibi constet, maius tamen bonum vult vni quàm alteri, prout subiecta idonea sunt ad hæc bona capessenda. Vnus namque Dei actus etsi simplex, infinitate sua sortitur infinitos effectus, quos comprehendere nequit hominum intellectus. Itaque plus amauit Ioannem, quia ampliora charismata concessit, & tanta vt in eum vnum congesserit omnes dotes, quas singulis impertiuit. Fuit enim virgo, Euangelista, & indiuiduus Christi comes iuxta Crucem, quod de nemine Apostolorum dici potest, in eoque sensu dicitur, discipulus ille, quem diligebat Iesus.

Ioãnes, quare plus amatus à Christo.

EX PHILOSOPHIA.

Si Christus spectetur, vt homo, plura habuit argumenta amandi Ioannem quam cæteros. Nam ex Aristotele amicitia est æqualitas. Ergo Ioannes ille qui propius accessit ad æqualitatem, ampliori amore dignatus est. Rursus ex eodem Philosopho amicitia vnionem dicit, siquidem vnitas amoris exordium est, & finis. Quæ enim in aliquo conueniunt, in illo sunt vnum, vt duo homines sunt vnum in natura: illa vnitas sita in conuenientia fomes est amoris, qui postea inualescens, ita se inuicem amantes inclinat, vt faciat cor vnum, vti videre est in Ioanne, quem Christus aduertens cæteris similiorem sibi, speciali amore eum excepit, & demum vale dicturus Apostolis, cum vniuit sibi suo pectori incumbentem.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. cap. 8. Amicitia in quo fundata sit.

Fuisse in Ioanne maiorem conuenientiam cum Christo liquet. Primò ea refulsit puritate virginali, quam nemo aliis vnquam vndecim astruxit Apostolis; & vt operari sequitur esse, adeò purè & sincerè Deo seruiebat, vt Christus eum semper adhibuerit comitem, vt videre est in monte Thabor, in horto Gethsemani, & in Caluaria, vbi solus ex discipulis adstitit Christo morienti, qui virgini discipulo Virginem suam matrem commendauit. Si Mariæ virginitas tantùm potuit, vt Deum quasi è cælo deponeret in sinum Mariæ, hoc etiam potuit virginitas Ioannis, vt eum effunderet in sinum Christi. Illi Sancto congaudens Ecclesia, in die eius natali hoc occinit. *Diligebat autem eum Iesus, quoniam specialis prærogatiua castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum. Quia virgo electus ab ipso, virgo in æuum permansit.*

Ioannes virgo fuit.

In eius officio.

Adiice, gratiam, quam nomine suo præferebat, (Ioannes enim perinde est ac gratia) copiosiorem in eo fuisse, vt colligere est ab effectu; ille enim Christo adhæsit, aliis tamen refugis Apostolis Christo Domino defungente. Quàm copiosa in eo fuerit gratia, audi ex Ambrosio. *Huic traditur Virgo quæ suos nesciat. Huic traditur Virgo, qui de pectore Christi hauriat sapientiam, &c. Ex illa hora suscepit eam discipulus in sua. Quid est in sua, cum reliquerit patrem, & Christum sequutus sit? Aut quomodo in sua, cum ipsi Apostoli dixerint: Ecce nos reliquimus omnia nostra, & sequuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & secularia non habebat: quia de hoc mundo non erat? Quæ ergo habebat sua, nisi ea quæ à Christo acceperat? Bonus verbi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Neque enim mater Domini Iesu nisi ad possessorem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.*

EX SS. PATRIBVS. Ioãni quare B. V. Maria fuit commendata.

Ambr. l. 3. de virgin. par. 1.

Ioãnes quid habuit suum. Ioannes possessor gratiæ.

Præfatus sum, amorem in Deo attendi penes effectum, magis quam affectum: cùm ergo Christus plus Ioannem amauerit, debuit impertire aliquid Ioanni, vnde magis Christo similis esset & Ioannes. Hoc sanè luculenter præstitit: nam vt esset veluti alter Iesus, fecit eum Mariæ filium. *Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua.* Quæ verba expendens Arnoldus Carnotensis ait: *Vices filij naturalis, filius accepit adoptiuus, & transfunditur in ministrum filialis affectus, firmaturque, & formatur in ambobus pietatis vnica gratus concorsque complexus, non ex traduce naturæ, sed ex gratia.*

Ioãnes filius adoptiuus Mariæ.

Ioan. 19.

Arnol. Carnot. in eadem verba.

Sunt qui credant vi verborum Christi exurrexisse relationem realem filiationis in Ioanne. Ego quidpiam adhuc subodoror in ea adoptione sublimius, petitum ex Iure Cæsareo, cuius accipe textum. *Fœminæ adoptare non possunt: quia nec naturales liberos in sua potestate habent: Sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.* Auctoritate Christi facta est illa adoptio, in solatium Matris, cuius filium mors præcox vtique depascebat. Quid autem sit adoptio audi ex lege ita decernente. *Adoptio naturam imitatur.* Id est, vt naturales filij succedunt parentibus; ita & adoptiui eodem iure vtuntur emortuis patribus adoptiuis, ita vt etiam eorum iuris sint bona filij naturalis, qui decessit: cùm enim adoptio naturam imitetur, filius adoptiuus erit frater filij naturalis; atque ita ei extincto succedet quasi eodem patre satus. Ergo Ioannes successit Christo Mariæ filio, in quo erant thesauri scientiæ & sapientiæ Dei, & beneficio singulari eiusdem Christi instituentis eum filium adoptiuum Mariæ, quantùm homini fas est accepit scientiam, qua cæteris omnibus Apostolis dicitur eminere.

Adoptare possint fœminæ necne. EX IVRE CIVILI. §. Fœminæ Institut. De adoptionibus.

§. Minorem Eod. tit.

Ioãnes Apostolus plus cæteris à Deo illuminatur.

Adoptio quid sit.

Hanc veritatem indubiam facit Ambrosius. *Audeo dicere. Nemo tanta sublimitate sapientiæ maiestatem Dei vidit, & nobis proprio sermone reserauit. Transcendit nubes, transcendit virtutes cælorum, transcendit Angelos, & Verbum in principio reperit, & Verbum apud Deum vidit.* Si obiicias Paulum raptum ad tertium cælum, vbi audiit arcana verba, quæ non licet homini loqui, diluit hanc instantiam Origenes ita fatus: *Paulus raptus est in tertium cælum, Ioannes super omne cælum. Paulus audiuit verba,* quæ

EX SS. PATRIBVS. Ambr. in prologo lib. in Lucam.

Ioannis encomia egregia.

Orig. hom. 1. in Ioan.

quæ non licet homini loqui; Ioannes audiit vnum Verbum, per quod facta ſunt omnia. Ille idem Origenes, quaſi alludens ad iura adoptionis, ait Ioannem quaſi tranſiiſſe in filium Dei. *Ioannes ille Theologus Dei viduus, omnem viſibilem & inuiſibilem creaturam ſuperans, & deificatus in Deum intra ſe deificantem. Sed quomodo illud Pauli: Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui? Non ergo Ioannes erat homo, quando & ſeipſum, & omnia quæ ſunt ſuperauit: non enim aliter potuit aſcendere in Deum, niſi & ipſe fieret Deus.* Vide argumentum Origenis: Paulus audiit verba quæ non licet homini loqui, non quidem ratione prohibitionis, ſed impoſſibilitatis; ea quippe verba nequeunt neque capi, neque hominis ore reſonare. Sed nulla audiit Paulus verba nobiliora eo Verbo, quod Ioannes audiit, & diuino ſpiritu afflatus expreſſit. Ergo Ioannes ſupra hominem eſt, & hoc virtute adoptionis, qua ſucceſſit in locum Chriſti.

Ibidem.

Ex Theologia.
S. Th. 1. p. q. 43 art 5.
Miſſio inuiſibilis Filij, & Spiritus S. penes quid attẽdatur.

Prælibata hæc congruunt concluſioni illi Theologiæ; quæ miſſionem inuiſibilem Filij, & Spiritus Sancti attendit penes dona, quæ aſſimilant animam his perſonis, quæ mittuntur per gratiam. Vnde quia dono charitatis anima refert Spiritum Sanctum, quando anima amore Dei æſtuat, tunc ad eam dicitur mitti Spiritus Sanctus, qui procedit via amoris. Si verò animæ affulget aliqua ſupernorum notitia ſpirans amorem Dei, tunc dicitur Filius mitti, quia illa cognitio affinis eſt ei, qua procedit Filius à Patre ſeipſo cognoſcente, & ſic generante Verbum. Ioannes igitur, qui ſucceſſit in locum Filij, & cui etiam Filius ſeipſum quaſi tradidit, eum in cœna amplexando, debuit oſtendere mundo chariſmata, quæ hæc tanta Chriſti beneficia conſequuntur. Nimirum cùm bonum ſit diffuſiuum, & quò nobilius, eò etiam amplius ſe porrigat; operæ pretium fuit facere palàm illam ſublimem ſapientiam, quam hauſit de fontibus Saluatoris. Hoc abundè præſtitit in eo Euangelio quod tranſcendit hominum captum.

Ioãnes quando ſcripſit Euangelium.

Ex SS. Patribvs.
Ambroſ. l. 3. de Sacram. ad ...

Ea ſingularis communicatio Verbi, ſpecialem amorem eius clamat in Ioannem, qui adeò luculenter de hoc Verbo homines erudiuit. Ita Ambroſius: *Ioannes, qui vltimus ſcripſit Euangelium, quaſi neceſſarius requiſitus, & electus à Chriſto, maiore quadam tuba fudit æterna myſteria. Quidquid locutus eſt myſterium eſt.* Item alibi. *Qui legem non didicit & vltra legem loquitur, ab eo accepit à quo ipſa lex venit.* Auguſtinus apprimè verſatus in ſcriptis huius Apoſtoli ſic illius doctrinam euehit. *Cæteri Euangeliſtæ tanquam cum homine Domino ambulantes in terra, de diuinitate eius pauca dixerunt: iſte autem, quaſi piguerit in terra ambulare, ſicut ipſo exordio ſui ſermonis intonuit, erexit ſe non ſolum ſuper terram & ſuper omnem ambitum aeris, & cæli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque conſtitutionem inuiſibilium poteſtatum: & peruenit ad eum, per quem facta ſunt omnia dicendo. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Huic tantæ ſublimitati principij etiam cætera congrua prædicauit, & de Domini diuinitate, quomodo nullus alius eſt locutus: hoc ructabat quod biberat. Non enim ſine cauſa de illo in iſto ipſo Euangelio narratur, quia & in conuiuio ſuper pectus Domini diſcumbebat. De illo ergo pectore in ſecreto biberat; ſed quod in ſecreto bibit, in manifeſto eructauit: vt perueniat ad omnes gentes, non ſolùm incarnatio Filij Dei, paſſio, & reſurrectio: ſed etiam quod erat ante incarnationem vnicus Patris, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei à quo miſſus eſt.*

Idem l. 3 de virg.
Ioannis ſcripta in quo cæterorum ſcripta antecellunt.

Aug. Tract. 36. in Ioan.

Ioannes aquilæ comparatus.

Ex Mathematica.
Hipparchus lib. enarrat. ad phæn. Arat. & Eudox.

Ratione acuminis eius in rimanda generatione Verbi, quam nemo antea auſus erat diſcutere, idem Auguſtinus vocat eum aquilam. *Aquila eſt Ioannes, ſublimium prædicator, & lucis internæ atque fixis oculis contemplator.* Huic aquilæ quadrat illud quod Aratus, & Eudoxus inſignes Mathematici aduerterunt de Conſtellatione illa, cui nomen Aquila. Aiunt illi, hanc Aquilam oriri cum Capricorno ſigno Regum, & cum Cratere ſeu Calice, cum Cygno, & Sagitta; ita vt hæc omnia ſint vnius exortus indiſtincti. Appoſitè ſanè eſt hoc effatum ad Ioannem, quem aquilam nuncupat Auguſtinus. Comes fuit non ſigni regij, ſed Regis Regum Chriſti, cui ſemper adſtitit, & ab eo calice accepit dicente. *Calicem meum bibetis.* Candorem Cygni retulit virginitate ſua Cygno candidior. Demum ſagitta inſtructus omnes hæreſes inſurgentes confixit, ipſo primo capite Euangelij ſui, vt probat Ambroſius. *Omnes hæreſes hoc capitulo breui piſcator noſter excluſit. Quod enim erat in principio, non clauditur tempore, non principio præuenitur. Ergo Arrius conticeſcat. Quod autem erat apud Deum non commiſtione confunditur ſed manentis Verbi apud Patrem ſolida perfectione diſtinguitur, vt Sabellius obmuteſcat. Et Deus erat Verbum. Non ergo in prolatione ſermonis hoc Verbum eſt, ſed in illa cæleſtis deſignatione virtutis, vt confutetur Fotinus. Quod verò erat in principio apud Deum, ſempiternæ diuinitatis in Patre, & Filio inſeparabilis vnitas edocetur, vt erubeſcant Eudoxius, & Eunomius. Poſtremò cùm omnia per eum facta dicantur, ipſe conditor noui vtique & veteris teſtamenti deſignatur, vt Manichæus locum tentationis habere non poſſit. Ita piſcator bonus intra vnum omnes rete concluſit, vt faceret inhabiles fraudi, quamuis eſſent inutiles captioni.* Hæc ille.

Aquila eſt conſtellatio oriens cum Calice.

Ioannes primo capite Euangelij ſui cõfodit omnes hæreſes.

Ex SS. Patribvs.
Ambr. lib. 1. de fide S. Trinit.

Ex Ivre Canonico.
Can. Omnis 23. q. 1.

Ioannem hunc depingunt Canones ſancti ſagitta armatum, qua confodiat hoſtes Chriſti. Sic Canon. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet. Qui permanet in doctrina Chriſti, hic & Patrem, & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat eius malignis operibus. Hæc Ioannes de ſchiſmaticis, ſiue hæreticis deteſtandis: quæ verbis docuit, etiam factis exhibuit. Narrat enim de illo auditor illius ſanctiſſimus, & Martyr fortiſſimus Polycarpus Smyrneorum Antiſtes, quòd tempore quodam, cùm apud Epheſum balnea lauandi gratia fuiſſet ingreſſus, & vidiſſet ibi Cerinthum, exilierit continuò, & diſceſſerit, non lotus dicens: fugiamus hinc ne & balnea ipſa corruant, in quibus Cerinthus lauat inimicus veritatis.*

Ioannes hæreticorum olor acerrimus
Ioannes recedit à balneo vbi lauabatur hæreticus.

Eſto illa inſignia ſint chariſmata prælibata, quibus refulget hic Ioannes; vnum tamen ei inuideo amorem quem rependit Chriſto.

Pars Secunda Homiliæ.

De Amore, quo Ioannes rependit amorem Christi.

Cum amor ille, quo Deus ex charitate exemplari diligit homines, imprimat charitatem dilectis a Deo, & amoris Dei proprium sit homines ad se conuertere potius quam inclinari ad homines, & dicatur amor ille fuisse præcipuus quo Ioannem dignatus est Christus; oportet validã fuisse conuersionem Ioãnis in Christum, qui tot eum ad se attraxit validis argumentis. Fuit equidem vehemens amor Ioannis, & reuera tantus quantus potest esse maximus. Nam ille amor est summus, infra quem sunt alij omnes præcipui amores, scilicet amor parentum, sponsæ, opum, imò & suiipsius: Sed amantissimus iste discipulus ob amorem Christi reliquit parentes, & destinatam sibi sponsam, omnésque mundi gazas, seque ipsum obtulit morti, incurius vitæ ob amorem Christi: Ergo summus ille fuit amor. An verò cæteris Apostolis plus amauerit Christum, diuinæ indaginis est quæstio. Tamen ne tacitam videar illam præterire, dicam arridere mihi sententiam Bernardi, qui dum recolit Petrum & Ioannem vnà cucurrisse ad sepulchrum, & Ioannem anteuertisse Petrum, sic ait: *Qui amat ardentius, currit velocius, peruenit citius.*

Amor Ioannis erga Deum quomodo probatur.

Præcipuus ille amor Ioannis in Christum sic probatur: Vbi maior est vnio ibi etiam maior incandescit amor: Sed in Ioanne maior adhæsio elucet; nam ille semper Christo adfuit, imò recedentibus aliis ob metum Iudæorum ille adstitit Cruci, & in cœna se totum effudit in pectus Christi. Rursus actionis intentio nobilitatem formæ prodit; sed amoris indicia maiora edidit iste Apostolus, qui nihil planè aliud quàm amorem resonabat, vt ait Hieronymus, ita fatus: *Nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli, & fratres qui aderant tadio affecti quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia preceptum Domini est, & si solum fiat sufficit.*

Ex Philosophia. Arist. lib. 9. Ethic. ad Nicom. cap. 8.

Ex Historia. Hieronym. in epist. ad Galat.

Ioannes nihil nisi amorem prædicabat.

Præterea amor Dei ex charitate exemplari agentis est effectiuus charitatis, quam præfigurat: Sed præcipuus fuit amor Dei in Ioannem: ergo & alium insignem inspirauit amorem, qui mutuum Deo rependeret pro modulo homini concesso. Item vbi confluunt plura argumenta ad amandum, ibi etiam inualescit amor: Ergo Ioannes plus cæteris Deum redamauit, quia maiora reliquis Apostolis beneficia accepit. Primò iunior aliis effectus est discipulus Christi, incipiens ab ephebis Deo consecrari. Secundò illibato flore virginitatis donatus est. Tertiò in insigne amoris pignus, Mariam accepit in suam fidem, factus ei & filius, & Angelus custos. Sed quòd summum est, Christus dedit ei cor suum in suprema illa cœna, vbi Ioannes velut aquila illa grandis tulit medullam cedri. Suauitate illius edulij captus ille discipulus, non aduertit cuiusnam corde pasceretur; ea quippe amoris indoles est, vt amantem aliò transferat: Sed vbi in Cruce aperto latere Christi vidit reliquias cordis illius amore decocti, quod in cœna delibarat, eos amoris æstus sensit, quos nescierunt alij refugæ Apostoli. Videre enim Christum morientẽ & aspergi eius sanguine effuso amoris hominum causa, fuit ingens amoris fomes, maxima suscitans incendia, quibus discipulus iste iugiter arsit. Itaque Ioannes tot titulos amoris habens præ aliis discipulis, procul dubio maiori flamma conflagrauit.

Reciproci amoris ratio adeò potens est ad amandum, vt ea sola quidam oppetierint mortem. Rem insignem narrat series actionum editarum in Gallia Narbonensi. Illic olim Dynasta potens nomine Sallianus, ægrè ferens alium hominẽ nobilẽ, Cabestanũ nomine, animo propensiore esse in coniugem suam, cum qua miscebat aliquando colloquia: subodorans quidpiam inhonestum, statuit apud se tollere de medio Cabestanum; vtque zelotypia est morarum impatiens, Cabestanum clam occidit, & execto corde, eoque in frusta conciso, illud assatum porrexit vxori suæ, quæ nescia facinoris eo pasta est edulio, cui Sallianus: O mulier sapuitne palato tuo cibus ille, quem tam auidè deglutisti. Ita sanè, inquit illa, nunquam lautiùs epulata sum. At ille: Mox videbis vnde emerserit esca illa tam suauis. Sic fatus surrexit, & subintrans cubiculum interius, inde attulit caput Cabestani, quod explicans coniugi suæ ait: Ecce hominem, cuius cor amore flagrans antea deuorasti, satiare adhuc capite si suppetit appetitus. Illa penè exanimis, contemplata oris extincti habitum, exclamauit: Periisti amoris mei causà, Cabestane. Non morieris inultus. Absorbui cor tuum emortuum, sed animato corde litabo tibi. Accipe me sociam mortis quandoquidem vita nos dispescit. Hæc effata, subitò extincta est, egregio hoc amoris reciproci, qui innoxius fuerat, specimine ætati posteræ consecrato.

Salliani crudelitas in Cabestanum. Cæsar Nostradam in hist. Gall. Narb. sub an. 1207.

Amore reciproco moritur mulier.

Potior reuera fuit amor Dei in Ioannem, qui cùm in cœna pauisset Ioannem corde suo, ille suauitate delinitus escæ sacræ, vbi in Cruce vidit hiante pectore reliquam cordis partem, agnouit edulium, seque totum deuouit amori tam suauis amatoris. Conclusioni meæ de maximo amore Ioannis in Christum fauet familiaris ille accessus ad eum, apud quem tantùm valuit amor, vt ei Christus secreta aliis Apostolis abdita reuelaret. Vnde in cœna Petrus anxius Ioanni suggessit vt rogaret Iesum, & reciceret nomen proditoris. Hæc Ioannis arcta fiducia non aliunde emersit quàm ex intimo affectu, quo deperibat Christum, apud quem pro reliquis Apostolis vices obiit aduocati, vt benè aduertit Damianus. *Tacet Petrus, tacet lingua, qua cælum simul & terram soluit, silent omnes. Petrus innuit vt interrogaret, quod & fecit dicens: Domine quis est qui te tradet? Quanta deuotionis instantia B. Ioannis debemus implorare auxilia, quem sibimet internuntiorem ipsi Apostoli petierunt.*

Ex SS. Patribus. Pet. Damian. serm. de S. Ioan.

Ioannes secretorum conscius.

Ioannem internuntiorem Petrus apud Christum petiit.

Illa amoris intensio, qua flagrauit ille discipulus, eum veluti immortalem fecit; saltem de morte illius discordes sunt sententiæ: arbitror ego, carnem eius impotem amoris, quo anima ardebat, defecisse ad tempus, & postea anima

anima reduce surrexisse, vt qui Christo patienti adstiterat; adesset etiam triumphanti corpore reassumpto. Durum enim est corpora aliorum Apostolorum haberi in honore, & vnum hoc Ioannis inglorium esse corpus. Nullæ quippe huius Sancti reliquiæ in Ecclesia recensentur. Quia tamen hæc tota sub iudice lis est, absit vt meo tantùm suffragio velim dirimere illam controuersiam. Hoc vnum tamen vt indubium affirmabo, amorem esse immortalem, quia fortis vt mors dilectio. Cum amorem dico, eum intelligo, quo exarsit discipulus iste; alius enim omnis amor est lethalis, atque ita non tam est amor quàm mors. Vlurpemus ergo symbolum Ludouici Estensis, Cardinalis, qui pingebat Prometheum face sua petentem cælos, vt inde educeret ignem, hac voce adiecta, ALTIORA, insinuans nolle facem suam accendere igne, qui iniurius est rei quæ conflagrat, ast eo qui non lædit, sed accendit ad ornatum. Amor omnis qui à Deo abducit, torquet & cruciat, ideoque le Ioãnes expediuit, hoc apud se statuens, ALTIORA. Id est, cor suum tantum mancipare flammis superis.

Ioannes in cælo totus est, anima corpori vnita.

Ex Symbolis. Ioan. Pierius par. 2. Theat.

Vtinam nos sequaces habeat amantissimus ille Apostolus. Si cunctamur sequi, quia aquila est, nihil moremur: amor habet alas, quibus accingi vnicuique a Deo conceditur, dum velimus. Amare volare est dummodo amor ALTIORA petat. Tota namque virtutum summa est in amore iuxta illud Augustini. *Definitio breuis & vera virtutis, ordo est amoris.* Non potest feriari hominum amor, sed totus rei cardo est, vt feratur in Deum, alioquin auferetur homo, & eradicabitur de terra viuentium. Quod omen Deus auertat. AMEN.

Amoris ordo est definitio virtutis.

Aug. l. 15 de ciuit. c. 22.



HOMILIA
DE S. THOMA APOSTOLO.

SVMMA HOMILIÆ.

I. QVI ab Ecclesiæ caulis elongat se, ille in fauces lupi incurrit; nam qui sibi tantùm credit, longè est à fide, vt videre est in Thoma Apostolo, qui extra cœtum aliorum positus, à fide aberrauit, & nihil nisi sensibus obuium voluit credere. Quod proprium est omnium infidelium. Nam quisquis est extra Ecclesiam, ille omnia credibilia subiicit examini sensuum.

II. Sed vbi Thomas rediit, illuminatus est à Christo ostendente ei sua vulnera. Dico hîc Passionem Christi illuminasse omnem mundum; & Thomam mittentem manum in plagas, insinuare nos debere cooperari Passioni Christi.

PRÆFATIO.

Quia vidisti me Thoma credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan. 20.

EGREGIO commento prisca ætas erudiuit nos, qua ratione esset scientiis incumbendum. Ait illa, visum & auditum nobilissimos sensus disceptasse, quis eorum primas occuparet. Controuersia decisio delata est ad Palladē, quæ maturè re versata in vtrãque partem, tulit sententiam in gratiam auditus; pronuntians, aures patulas esse fores, quibus disciplina omnes sese insinuant menti, oculos verò vt plurimum obstare discentibus, dum animum in varia distrahunt. Optima sanè sententia Palladis, quam dixere Deam scientiarum; nihil enim magis officit scientiæ, quàm nimia oculorum inuestigatio. Sanctiore oraculo prostat hæc veritas; Christum quippe Deum scientiarum habet assertorem. Beati qui non viderunt, & crediderunt. *Fides omni scientia nobilior est, ideoque maximè exosa oculos. Nimirum illa suos fideles dignatur iisdem muneribus, quibus & affecit Rebeccam Eliezer paranymphus, quem sic meminit Codex Sanctus.* Protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem. *Fides ornat aures, vt duo potissimum capita percipiant. Vnum pertinens ad diuinitatem Christi, aliud spectans humanitatem. Hactenus prælibata Thomam Apostolum luculentum habent testem, qui dum prouocauit ad oculos, infidelis effectus est. Vbi autem auribus excepit verba Christi, statim credidit & Deum, & hominem; sicque adiectus est reliquis Apostolis, dignus eorum cœtu, cui aderat & Maria, quam decet nos impensè venerari.* Aue Maria.

Fides postulat inaures.

Genes. 24.

SOcietate bonorum adiici nobis aliquam bonitatem auctor est Christus. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Pollicitis stetit idem Dominus, Euangelio hodierno, vbi adunatis discipulis apparuit. Sic rem enarrat ille qui adfuit, scilicet Ioannes. *Cum ergo serò esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio.* Recreati sunt Apostoli colloquio Christi, fidesque eorum altiores radices egit. Ab eo sanctiorum hominum cœtu recessisse noxium fuit

Matth. 18.

Ioan. 20.

Ibidem. Consortia bona sunt frequentanda.

fuit Thomæ, cuius absentiam pungit textus sacer *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus.* Ouem istam dissitam à caulis Ecclesiæ inuasit lupus, & dente feroci vulnere inflicto, infidelitatis virus instillauit. Namque vt audiit Christum rediuiuum, ille dubiam fecit rem hanc, iudicium eius omne refundens ad tribunal oculorum, dicens: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Vides quam perniciosum sit ab Ecclesia recedere. Ea est vt castrorum acies ordinata, in quam insurgentes inferi portæ, præualere nequeunt. Infideles de Christo sententiæ, sunt inferi portæ; eò quippe non itur, nisi infidelitatis ostio Qui ergo voluerit cauere ab inferis, det ille nomen suum Ecclesiæ; etenim castra Dei sunt hæc, quæ qui transfuga dimiserit, incidet in sensus, quorum iudicio iniquo distractus in varia, infidelem aget vitam, à qua non curabitur, nisi deposito sensuum obsequio, vt videre est in Thoma infideli quandiu videre voluit, & fideli quando abiurauit munia oculorum. Inde ansam capio differendi. Primò, de causis infidelitatis. Secundò, dicam quomodo curetur infidelitas.

Prima Pars Homiliæ.

De causis quæ infidelem fecere Thomam.

Ecclesiæ cōmunionem relinquere lethale est.

NOn opus est alto scrutinio re aperta, ideoque non quærenda ratio, quæ dubium fecit Thomam, cùm Euangelista prodat eum fuisse infidelem, quia procul erat ab aliis quando apparuit Iesus, cui rediuiuo credere noluit, nisi præeunte visu. Duo hæc sunt, quæ infideles faciūt homines, scilicet quòd sint extra Ecclesiam, & quòd oculorum examini volunt subiicere res credendas. Hæc igitur esto prima conclusio. Qui non in omnibus conuenit cum Ecclesia, ille infidelis est, etsi alia pleraque credat; si tamen vnum articulum dubium facit, is sanè fidem expunxit. Namque species cuiuslibet habitus dependet ex formali ratione obiecti, qua sublata species habitus remanere non potest. Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundùm quod nota fit in Scripturis, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima. Vnde qui non adhæret doctrinæ Ecclesiæ, sicut infallibili & diuinæ regulæ, quæ procedit ex veritate prima manifestata in Scripturis sacris, ille non habet habitum fidei: sed si quæpiam credit, alio modo tenet, quàm per fidem. Vt si aliquis teneat mente aliquam conclusionem, non cognoscens medium illius demonstrationis, manifestum est, quod non habet plenam scientiam illius conclusionis, sed opinionem tantùm. Ille autem qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet, alioquin si de his quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult non tenet, non iam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Ideo Thomas infidelis effectus est, quia dubiam fecit fidem resurrectionis Christi, cui noluit assentiri, licet Ecclesia eum erudiret. Quòd si alia mysteria credidit, non de iis fidem habuit; sub alia namque ratione iis præbuit assensum suum: vt enim assensus sit fidei, debet inniti doctrinæ Ecclesiæ vt infallibili regulæ, quæ procedit à prima veritate. Sed Thomas non infallibilem credidit doctrinam Ecclesiæ, cui prædicanti resurrectionem Christi reuelatam à prima veritate, negauit assensum suum. Ergo alia quæ credidit habuit persuasa sibi alio modo, atque ita fidem non habuit. Sicuti non habent hæretici licet multa enuntient quæ tenet & prædicat Ecclesia. Ea nimirum credunt, quia iudicant hæc credenda, affirmantes vnumquemque habere Spiritum sanctum inhabitantem, cuius afflatu quisque credenda discernit.

Ex Theologia. *S. Thom. 2.2. q. 5. art. 3.*

Ecclesia est regula vera doctrinæ.

Thomas quare dubius fuit in fide resurrectionis Christi.

Dices, posse aliquem credere, quia talis res innotuit beneficio Scripturarum, quibus nota fit nobis veritas prima; atque ita posse habere fidem eorum quæ sic credit. Respondeo, esse periculum hallucinandi in delectu Scripturarum, ideóque Deum penes Ecclesiam reposuisse ius condendi decreta, decernendo quæ sint Scripturæ canonicæ, & quæ res credendæ de fide; vnde etsi ipsemet Christus Paulo affulsisset, eum tamen misit ad Doctorem Ecclesiæ Ananiam, à quo voluit eum audire fidei prima rudimenta. Vt ergo fidei sit assensus, debet esse in re quam Ecclesia Deo afflata sanxit esse de fide, cui quicunque adhæret vt regulæ infallibili procedenti à prima veritate ei reuelata, ille fidelis est, vt secus ille infidelis est, qui non credit in Sanctam Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, & Romanam.

Fidei assensus quomodo concilietur.

Actor. 9. Ecclesiam, qui renuit habere matrem, non habebit Deum patrem.

Idipsum inculcant Canones Sancti hoc textu. *Alienus est, profanus est, hostis est, habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Ne dicas, inconsulta Ecclesia posse legi scripturas, & sic credi res de fide; nam ille assensus tunc non erit ex fide, quia ratio formalis fidei deficit, sita vt dixi in eo quòd veritas prima debet fieri manifesta, non ministerio tantùm scripturæ alicuius, sed vt Ecclesiæ reuelata est: si enim non consulitur Ecclesia, quomodo quis sciet esse aliquam scripturam canonicam, & continere veritates cælitus illapsas. Ideoque qui credit Scripturæ non credendo Ecclesiæ, fidem non habet, quia deficit in ratione formali fidei. Audi in eo argumento Canonem meæ conclusioni propitium. *Quia ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur.* Nota, primam veritatem tantùm primariò manifestari Ecclesiæ, apud quam Dominus locum habet. Dixi primariò manifestari Ecclesiæ, quia etsi ex Euangelio prostent mysteria credenda; priùs tamen fuit Ecclesia quàm liber Euangelij, nec sciremus libros Euangelij tales esse nisi Ecclesia reuelasset, vnde & dicitur Petrus approbasse Euangelium Marci. Pergit textus canonicus in Ecclesia describenda. *Sola est, in qua bonum fructuosè peragitur: vnde & mercedem denarij, non nisi qui intra vineam laborauerant acceperunt. Sola est, quæ intra se positos, valida charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidem ad sublimiora sustulit: omnes autem, quos extra arcam inuenit extinxit.*

Ex Iure Canonico. *Can. Alienus 24. q. 1.* Ecclesia Catholica sola veritatem ostendit.

Can. Quia ex sola 24. q. 1.

Ibidem. Ecclesia comparata arcæ Noë.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 8. Metaph. c. 5.

Qui extra Ecclesiam est, nihil infallibiliter credit, atque adeò infidelis est. Nam qualis est ratio formalis alicuius habitus, talis est habitus ille. Sed ratio formalis fidei, quam quis credit habere extra Ecclesiam, est veritas quæsita ratione humana, quæ hallucinari potest; quia vt se habent præmissæ, ita & se habent conclusiones inde deductæ: sed in præmissas irrepere mendum potest; ergo & in conclusiones. Et nota, omnes homines dissitos ab Ecclesia, vbi agitur de fide, semper prouocare ad oculos, nescientes visa & credita diffidere. Audi Thomam fidei expertem. *Nisi videro, non credam.* Et hæc alia causa est infidelitatis, scilicet pertinax sensuum consultatio: siquidem quò quis adhæret sensibus, eò magis elongatur à fide; ea nempe de visis non est, iuxta illud Apostoli. *Fides est argumentum non apparentium.*

Fides quid sit.

Hebr. 11.

Ex Theologia. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. Fidei assensus quotuplex sit. Fides non nititur argumentis.

Theologia rem benè explicat. Ait illa, fidem dicere assensum intellectus. Assentitur autem intellectus alicui bifariam. Vno modo, quia ad hoc mouetur euidentiâ obiecti, quod si cognoscitur per se, vt sunt principia prima per se nota, ille assensus dicitur actus intellectus, qui est habitus primorum principiorum. Si verò obiectum illud euidens, non sit cognitum per se, sed per aliud, vt sunt conclusiones cognitæ ob præmissas, tunc est scientia, & assensus ille elicitus circa illud obiectum erit actus scientiæ. Alio modo assentitur intellectus alicui, non quia sufficienter mouetur ab obiecto, sed per quandam electionem, qua voluntariè inclinat ad assensum. Et hic modus ad fidem spectat, cuius obiectum non est per se cognitum, sed duntaxat reuelatum.

Ex SS. Patribus. Greg. lib. 1. Pastor. Ambr. lib. 1. de fide S. Trin.

Accedunt & concordes sententiæ Sanctorum Patrum. In quibus Summus Antistes hæc loquitur. *Apparentia non habent fidem, sed agnitionem.* Ita Gregorius, cui concinit Ambrosius. *Aufer hinc argumenta, vbi fides quæritur, in ipsis gymnasiis suis iam Dialectica tacet. Non quæro quid loquantur Philosophi, requiro quid faciant, soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quam fides argumentis præponderet. Illi quotidie disputant, isti quotidie crescunt, qui simpliciter credunt. Non creditur Philosophis, creditur piscatoribus: non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi voluptatibus, & deliciis orbem ligarunt, isti ieiuniis, & doloribus exuerunt. Plures itaque iam cœpit illicere iniuria, quam voluptas.* Idem alibi. *Hæc est dialecticorum gloria, si videantur expugnare verbis, & refellere veritatem. Contra, diffinitio fidei est, vt veritas, non verba, pandatur. Denique verba Philosophorum excludit simplex veritas piscatorum.* Non est ergo fides de rebus oculo peruiis, & ideo infidelitatis argumentum insigne edidit Thomas, quando protestatus est, non se crediturum nisi videret. Cùm enim fides sit præter rationem, non potest rutilum illud lumen à debili rationis lumine generari.

Idem lib. de Incarn. c. 9. Fidei elegans descriptio ex Ambrosio. Fides rationis lumine obumbratur.

Ex Symbolis. Ioan. Franc. par. 2. Theat. Fidei symbolum egregiũ.

In gratiam fidei placet subiicere symbolum Ioannis Francisci Iustiniani, qui depinxit ignem expositum corusco Soli, hoc titulo. Oblector lumine victus. Eo lemmate intellectus suum fidei obsequium pendit. Oblector lumine victus Id est, ego sum veluti igniculus: fides verò rutilum lumen, quo peruia sunt homini ea, ad quæ ratio non pertingit. Eamobrem non discutio curiosa indagine ea quæ sunt fidei.

Ex præfatis liquet, causas infidelitatis esse secessum ab Ecclesia, & exquisitam sensuum indaginem, qui omnia perscrutantur. Sed instabis, multos non recedere ab Ecclesia, nec subiicere sensuum examini articulos fidei, & tamen flocci pendere Dei iudicia, quorum veritas est de fide. Respondeo, multos quidem viuere infidelium ritu, etsi non profiteantur aliud institutum, & hoc duabus de causis antea recensitis. Prima est, quia practicè recedunt à doctrina Ecclesiæ præuaricando. Secunda est, quia illecti illecebris, sensibus obsequuntur. Vnde enim Angliæ defectio ab Ecclesia, nisi eò quòd Henricus Rex VIII. deperibat puellam, quam ducere in vxorem non poterat, Ecclesia renitente? Vt ergo libidini indulgeret, fuit & sibi, & regno, & Ecclesiæ iniurius.

Fidei deliquium causæ in desertores Ecclesiæ.

Ex Historia. Flor. Raym. lib. de hæres.

Quis ab Ecclesia segregauit Luciferum Calaritanum Episcopum, virum albàs sanctitate conspicuum, nisi nimia proprij sensus existimatio? Quis Tertullianum immortale decus Africæ adeò exacerbauit in Ecclesiam, nisi ingens illa opinio, quam de temetipso conceperat: cui non suffragante clero, Victor socius Tertulliani electus est in Pontificem; eamobrem haberi se despicatui credidit Tertullianus, atque adeò iniuriæ impos, transfuga recessit ab Ecclesiæ castris, vt Montani hæresiarchæ deliriis adhæreret. Hoc igitur ratum esto, hominem qui sensuum obsequio addictus est, & qui de se alta sapit, fidem valde infirmam habere, ad cuius curam opus est præpotenti manu Dei.

Lucifer Calaritanus desertor Ecclesiæ. Baron. tom. 4. Annal. sub ann. 362. Ruffin. lib. 1. cap. 30.

Pars Secunda Homiliæ

Quomodo curata sit infidelitas Thomæ.

Præscius rerum futurarum vates Habacuc, vno versu explicat Thomæ reditum ad caulas Ecclesiæ. Sic ille: *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit.* Thomas vox Hebræa, idem est ac abyssus: vbi homo infidelis effectus est, illa abyssus aliam abyssum inuocat. Dedit abyssus vocem suam quando Thomas ait: *Nisi videro, non credam.* Vt hominem lapsum in abyssum erigeret Deus, misit Christum, qui est altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei: Hæc altitudo manus suas leuauit, quando ostendit Thomæ latus apertum, & manus clauorum acumine terebratas. Ea eleuatione manuum eductus est Thomas de abysso, & abyssus dedit aliam vocem suam, scilicet: *Dominus meus, & Deus meus.* Itaque sit hæc prima conclusio.

Habac. 3. Thomas vox Hebræa quid significat.

Ad conuertendum hominem qui impugnat dogmata Ecclesiæ, operæ pretium est Deum leuare manus, id est, validum præbere auxilium: Quò enim grauius est pondus deorsum vergens, eò etiam debet esse validior manus erigens illud pondus. Sed grauitas animæ infidelis tanta est, vt eludat omnia naturæ conamina, quæ tentant illam erigere: Ergo indiget altiore manu: sed nulla est manus supra naturam, præter manum Christi; Igitur est illa reclamãda manus, vt curetur animus infidelis.

Fides vt influat in hominem infidelem opus est gratia potenti.

Ad

THEOLOGIA. S. Thom. 2.2. quæst. 6. art. 1.

Ad huius rei euidentiam nota duo requiri ad fidem. Primò, necesse est proponantur homini res credendæ. Secundò hominis assensus petitur vt credat. Quòd primum spectat, Deo tantùm reuelante mysteria fidei cognita sunt. Vt Deum induisse hominum naturam, iudicaturum viuos, & mortuos, & cætera huiusmodi. De secundo, videlicet de assensu quem præbet intellectus, dispar est ratio. Nam proposito obiecto materiali, in quo nihil est quod moueat intellectum ad assensum, imò potius omnino distrahat, opus est aliqua causa, quæ inducat intellectum ad credēdum res naturaliter incredibiles. Causa illa duplex est, vna exterior, alia interior. Exterior causa est miraculum, prædicatio, argumenta validè vrgentia. Sed illa causa exterior inualida est. Si enim ex natura rei miracula aut prædicationes homines inducerent ad credendum, quare ad prædicationem & miracula Petri & Pauli Roma non dedit manus Christo? Posita namque causa poni debet & effectus. Interior causa inducens, est manus quædam eleuans intellectum supra naturam suam, ad hoc vt assensum accommodet rebus, quibus naturaliter assentiri nequit. Cùm ergo nihil excurrat extra sphæram suæ actiuitatis, illa manus euehens intellectum supra naturam, debet etiam esse ipsa natura potentior; ea videlicet, de qua ait Propheta, *Altitudo manus suas leuauit.*

Fidei assensus est donum Dei.

Habac. 3.

Ephes. 2.

Eum assensum, qui præcipuus est actus fidei, esse à Deo docet Apostolus. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, nè quis glorietur: donum enim Dei est.* Dices, causam exteriorem sufficerè; vt quis inducatur ad credendum. Verbi gratiâ, Thomas vbi vidit Christum, credidit. Respondeo, nullam omnino causam externam suppeditare omnia necessaria ad credendum. Nam omnes qui videre Christum resurrexisse, non credidere in eum; vt patet in his, qui excubabant ad sepulchrum eius, viderunt eum resurgentem, nec tamen ei dedere nomen suum, Iudæorum pecuniâ dementati. Thomas igitur eo solo quod vidit non credidit, sed Deo eleuante manus, filius discipuli intellectus assurgens credidit quod non vidit. Quippe aspiciens hominem, Deum confessus est. Vide ergo, ô anima fidelis, quàm arctè Deo deuinciaris, cuius omnipotens manus intellectum tuum euehit ad superna, ne infidelitatis mole grauis deorsum inclinet.

Fidei assensus esse nequit merè naturalis.

Sed inquies; Quorsum illa plagarum Christi exquisita ostensio facta Thomæ Apostolo? Dicam quod sentio. Ideo Christus eleuando manus ostendit hæc vulnera, Passionis suæ reliquias, vt resciret homo, Crucem, in qua extendit manus suas Christus, esse causam, quæ inducit altitudinem manuum Christi, id est, Deum intuitu Crucis impertiri nobis gratias, quas designat illa manuum eleuatio. Sic enim à Deo comparatum est, vt hiantibus Christi plagis veluti fontibus allueretur orbis vniuersus, gratia desuper irrorante. Vnde emortuo Christo, mortui surrexere, vt rescirent omnes, factos se esse rediuiuos morte Christi. Sed ne desiperent omnes, credendo Christi passionem adultos etiam homines curare ferientes, & torpentes ignauia; voluit Christus Thomam mittere manum in loca clauorum, vt vel sic indicaret necessarias esse manus nostras, vt adiectæ manibus, Christi sortirentur effectum, quem intendit Deus Passione Christi. Ideoque ille hominum primus, qui præsensit præcipuum effectum Crucis, ille fuit latro, Christo concrucifixus, quem Crux traiecit in cælum. Non vidisse Crucem Christi satis fuit ad salutem, alioquin latro reprobus haudquaquam periisset, sed operæ pretium fuit Crucem suam patienter ferre, vt reuera tulit iste pœnitens latro, qui sociū suum carpens ait: *Nos quidem digna factis recipimus.* Et quia alius nequam ægrè tulit destinatam sibi Crucem, pessum iuit; iste verò Cruce sua cooperans Cruci Christi, eodem die fuit ei in gloria sociatus.

Passionis suę stigmata quare Thomæ ostendit Christus.

Ex SS. PATRIBVS. Ambrosius serm. 49. Crux salutaris latroni. Cruci Christi socius. erit & Paradisi.

Consule Ambrosium encomiasten latronis huius reducis ad Christum. Sic ille: *Fuit illi Crux quam pertulit, non eam supplicij damnatio, quàm salutis occasio. In Cruce enim positus, in Christum Dominum nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis vtitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim latro dum supplicium patitur, regnum cæleste consequitur. Non enim perueniret ad gloriam, si non contradidisset ad pœnam.* Quia manus suas latro tetendit, & quasi manibus Christi applicuit, fide donatus est similis ei, qua signatus est Thomas, in plagis Christi legens characteres diuinitatis. Pergit Ambrosius. *Hæc est fidei plena deuotio, vt cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius venia postuletur, &c. Cernat ille eius biantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit, quem reū nescit, iustum fatetur quē non meminit peccatorē. Sciuit quod illa in corpore Christi vulnera, nō essent Christi vulnera sed latronis.*

Ibidem. Christi vulnera sunt latronis, id est, peccatoris.

Ex HISTORIA. Baron. tom. 8. sub an. 618.

Non satis fuit Heraclio Imperatori adorare Crucem Christi, quam inito fœdere receperat à Persis; sed eam amplexatus suisque regiis humeris impositam tulit in Caluariæ montem. Parum est videre loca clauorum, nisi & manum adiicias, cooperando Cruci, & te configendo Domino Iesu, eo ritu quem suggerit Ambrosius ita fatus: *Hic Cruci configitur Christo, qui æmulus vestigiorum eius, nulla mundi concupiscentia capitur, vt Deo viuens, mundo mortuus videatur. Qui enim non agit quæ mundi sunt, vel erroris, mortuus est mundo.* Aduerte, Christum primò apparuisse corpore apertò plagis, deinde monuisse Thomam vt mitteret manus suas. Etenim frustra torqueremur, si Passione sua Christus nostras angustias nō effecisset Deo gratas.

Ambros. in epist. ad Galat. cap. 2. Cruci Christi quis affigitur. Mundo mortuus est crucifixus.

Acta Nicæni Concilij commemorant facinus idoneum isti argumento. Eò confluxerant plerique Episcopi desertores olim fidei suæ, grassante persecutione. Hi pœnitentia ducti S. Matris Ecclesiæ clementiam deprecantes in cinere & cilicio, expectabant quanam sententia ferirentur. Trecenti quinquaginta alij Episcopi, qui illic aderant, in varios abiere sensus, multis seuerè opinantibus contra lapsos illos Episcopos etsi pœnitentes. Iudicum moras pertæsus quidam sanctissimus Antistes nomine Iulianus, qui toti Concilio pietate eminebat, de sua sede exiliens adiunxit se aliis illis Episcopis lapsis & contritis, quorum lacrymæ & vota nondum Iudices inflexerant ad parcendum. Vbi ad eos accessit Iulianus ille Præsul sanctitate insignis, eiulare

Iuliani Episcopi submissio pro pœnitentibus.

Acta Synodi Nicæn. 2. Baron. tom. 9. Annal. sub an. 787

eiulare cœpit prouolutus ad genua Patrum, lugubri voce dicens: Parcite Sancti Patres, indulgete precor, & ego sum peccator. Ille habitus pœnitentis assumptus ab homine tantæ sanctitatis, adeò mouit Concilium, vt Iudices statim dederint manus, viris illis suam iniquam sortem flentibus indulgentes.

Crucis efficacia quanta sit.

Etsi reuera spectabilis esset hominum pœnitentia, quos tædebat vitæ nefariæ; non ea satis erat vt Deum Patrem ad misericordiam inclinaret. Sed vbi Filius ipse Dei habitu inuentus vt homo, speciem induit peccatoris, & in supremo agone Deum sic orauit: *Pater dimitte illis.* Indulgentiæ concessæ gratiam ex tunc latro sensit, cuius pœnitentia nulla sanè extitisset, nulliúsque meriti, si Christus non meruisset nobis gratiam illam, quæ expungit crimina perpetrata. Ideóque placet symbolum Caroli Emmanuelis Ducis Sabaudiæ, qui cùm in parma gentilitia præferret Crucem argenteam, in area coccinea adiecit hunc titulum. In virtute tua. Id est, O Crux, si quid egregium vnquam præstitero, illud omne refundo in opem tuam; quippe nihil arduum fit pertinens ad gloriam, nisi In virtute tua.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus par. 2. Theat.

Cæterùm series omnis rei gestæ inter Christum & Thomam explicat, plagas superstites in corpore fuisse indices resurrectionis Christi, cuius sanguine tinctus etiam Thomas redditus est sanæ menti. Hæc omnia clamant peti ab homine fideli eadem signa quæ petiit Thomas. Vnde si quis iactauerit se esse Christianum, illud ego protinus obiiciam: Nisi videro fixuras clauorum in manibus, non credam. Si namque non deprehendero in manibus tuis opera Christi, frustra de Christiano nomine gloriaris. Pangite ergo manus ô fideles, vt earum intuitu queam inuestigare cuius sitis discipuli. Siccine est habere fixuram clauorum in manibus, & imitari Christum, facere opera diaboli? Hocne est gestare in manibus stigmata Christi, diffluere libidine, tabescere inuidia, & crapulam eructare? Minimè sanè, ideoque efficiemini omnes reprobi æternis cruciatibus obnoxij, si non indueritis effigiem Christi patientis, cuius habitum quia Paulus induxerat, fidenter ait: *Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Hinc infero, omnia ei molesta fore, qui non prætulerit hæc stigmata, non habens in manibus fixuram clauorum. Nempe aliquis frustra ingeminabit se esse Christianum, vt effugiat angustias, quæ manent reprobos, non credetur verbis, sed fixuris. Estote igitur, ô fideles, imitatores Christi, ne quis vobis aliquando molestus sit, si caretis eo stigmate salutari. Absit.

Fides manus petit notatas stigmatibus Christi.

Galat. 6.



EVANGELIVM.

DE COMMVNI APOSTOLORVM. *Matth. 19.*

I. *PETRVS dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.*

II. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

MORALIS EXPOSITIO.

I. TOT sunt argumenta abiurandi consortium mundi, vt nemo magis opportunè sibi consulat, quàm sæculi desertores.

II. Hos transfugas ad castra Christi, scilicet ad claustra, tanta bonorum omnium vbertas excipit, vt eam Christus centenario numero linearit.

HOMILIA DE FVGA MVNDI, PRÆDICABILIS quandò quis religionem ingreditur.

PRÆFATIO.

Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Matth. 19.



CETERI & importuno corio serpens impeditus, se insinuat in arctas lapidum angustias, & sibi depositis exuuiis omnino renouatur. Ad illud serpentis ingenium hortatus est sequaces suos Christus quando ait. Esto prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Tu ô anima mūdi refuga æmularis illam astuti animalis industriam: nam pertæsa habitum sæcularem, totam te effundis in angusta foramina claustri, ad cuius ostium depones noxias exuuias, vt renoueris religionis veste salutari. Congaudemus tibi omnia relinquenti, vt adhæreas Christo. Hodie religio ista sacra, idem tibi beneficium præstat quod Rebecca filio suo*

Iacob, quem exuit vestibus obsoletis, vt ille indueret nouas, quarum fragrantia afflatus pater illius, ruens in filij amplexus benedixit ei. Igitur audacter depone illas sæculi exuuias, vt nouam religionis stolam accipias, cuius fragrantiam vbi Deus præsenserit, influet in te pluresque adijciet gratias, quàm reliqueris illecebras in sæculo, vbi si reliquisti patrem & matrem; non eos perdidisti, sed potius magno cum fœnore commutasti. Est tibi namque Christus pater, mater verò Virgo Beata, cui pangimus Angelicum melos, dicentes: Aue Maria.

Singulis quibusque rebus bifariam nomina affinguntur. Primò ex natura rei, vt quia tota rerum compages à Deo benè ordinata est, ea dicitur mundus seu ornatus. Secundò res denominantur à similitudine, vel affectu, quem cum alia re naturæ disparis inierunt. In eo sensu Sanctus Cyprianus dictus est Cæcilianus ab amore, quo ardebat in Presbyterum Cæcilium, à quo Christianus effectus est. Ita & Eusebius dictus est Pamphilius, ab affectu in Pamphilum Martyrem. Eo pacto amatores mundi istius dicimus mundum, quia se totos addixere mundo, flocci pendentes ea quæ Dei sunt, vt luget Ioannes commemorans mundi incuriam de Christo. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Cùm igitur audis Apostolos dicere. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Intellige eos omnem planè exuisse affectum rerum, quas concludit mundus ambitu suo. Itaque in mundo non est, qui mundi affectu non capitur, vt ille qui ait: *Nostra conuersatio in cælis est.*

Baron. to. 2. Annal. sub ann. 250.

Ioan. 1. Mundi amatores quare dicantur Mundus. Ex SS. Patribus. *Aug. tract. 2. in Ioan.*

Eum esse sensum Patrum, disce ex Augustino, hæc scribente: *Dilectores mundi, mundus dicuntur; amando enim habitamus corde. Amando autem hoc appellari meruerunt, quod ille vbi habitabant.* Hunc mundum abdicas hodie, ô anima Deo addicta; eorum namque consortio te eripis, qui ita se deuouere mundo, vt nihil ferè supersit eis quod Deo donent. Dicam primò de hac malignitate mundi. Secundò quàm insignis sit gratia segregans nos ab ea malorum omnium illuuie.

Pars Prima Homiliæ.

De malignitate mundi.

1. Ioan. 5. Ex Theologia. *Thom. 2. p. q. 4. art. 2.* Mundus quare in maligno totus sit positus.

Ioannes Apostolus apprimè edoctus in schola Christi, eam de mundo tulit sententiam. *Totus mundus in maligno positus est.* Id est, in malo igne positus est; malus enim amor, malus ignis est, qui depascit animas illectas mundi illecebris. Quanta autem sit malignitas mundi, collige ex priuatione boni, quam inducit: bonum illud est Deus, cui bifariam homo adhærere potest, eum scilicet cogitando, & amando. A cogitatione autem & amore Dei hominem omnino distrahit mundus, qui tot species rerum ingerit menti, vt eam occupet totam, & hæc mens occupata incautè delinitur illecebris. Etenim superbia vitæ animum extollit super omne id quod dicitur Deus. Concupiscentia oculorum ita illudit carni, vt illa concupiscat omne quod delectat. Eo itaque amore flagrans homo, nonne in malo igne positus est, qui amorem Dei planè extinguit, similem igni in propria sphæra illucenti absque vllo pabulo à terra ministrato? Etenim amor Dei terrena respuit, sed amor sæculi instar ignis inferi, pinguedine pascitur. Carnalia vtpote pinguia fomitem suppeditant mundo, vt ardeat: vnde mundo affingitur illud effatum. *Babylon fornax accensa septuplum.* Nimirum septem peccata lethalia pabulum suggerunt illi nefando igni, omnia populanti.

Hoc itaque mundi statutum est, scilicet, vt quisque in maligno positus sit, lege Dei penitus abdicata. Audi de mundi Dynasta Antiocho ferale edictum. *Scripsit omni regno suo, vt relinqueret vnusquisque legem suam, & consenserunt omnes gentes.* Mundus male suada voluptate suggerit defectionem à Dei obsequio, noxio huic susurro morem gerunt Gentes bestiarum cultui mancipatæ. Et reuera dici possunt bestiæ homines, qui pecudum ritu viuunt, nullum aliud bonum inuestigantes, quàm quod ingerunt sensus, quos cum bestiis communes habemus. Nempe vt prælibaui, si ab amore quo quis aliquem deperit, eodem quo & ille nomine nuncupatur, nonne & homo nactus indolem bestiarum, quæ bono sensibili adhærent, poterit & bestia nominari? Propheta Isaias haudquaquam cunctatus est vocare bestias, omnia mundi mancipia, quæ sic describit sub Symbolo incolarum Babylonis. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.*

Mundus suadet defectionem à Deo. *1. Mach. 1.*

Mundus est bestiarum receptaculum. *Isa. 13.*

Babylon vox est, ex fonte Hebræo confusionem sonans, quia omnia súsque déque versa in mundo sunt, vbi nihil nisi inordinatè fit. Videre est illic superbiam hominès in aëra raptatos mutantem in dracones aura pastos. Quòd si qui ementita pietate spirant sanctitatem, hi sunt hypocritæ. Hi instar struthionum explicant alas ad volatum, sed incassum; vt enim struthio ventilat alas frustra, & tamen semper peditando terit terram; plerique sequaces mundi simulant virtutum praxim, sed ab inolito mundi obsequio non recedunt. Vlulæ siue noctuæ auaros delineant, qui noctes ducunt insomnes, vt negotiationi suæ vacent scriptis, & rescriptis, quibus inuicem sibi correspondent. Sirenes in delubris voluptatis, libidinem sonant, cui mundus tot delubra facit, quot habet corda Veneri mancipata. Hæc est genuina mundi facies confirmans illud Ioannis de malignitate mundi, in quam fusè inuehitur Saluianus æquus censor criminum mundi, quem rite dixeris esse πονηρόπολιν. Fuit ciuitas Ægypti à Philippo Rege fundata, quam vocauit malorum omnium ciuitatem, quia reprobi omnes illuc confluxerant. Quidquid superbum, quidquid auarum, quidquid libidini obnoxium est, illud omne est mundi vile mancipium.

Mundus vitiorum est sentina.

Audiendus est Saluianus. *Quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum; facilius inuenias reos malorum omnium, quàm non omniũ. In hanc probrositatem morum*

Mundi vita nequã egregiè descripta Ex SS. Patribus. *Saluian. l. 3. de prouid.*

morum propè omnis Ecclesia plebs redacta est, vt in cuncto populo Christiano genus quodammodo sit sanctitatis minus esse vitiosum. Vis videre struthiones, id est, hypocritas simulantes se deflere peccata sua, & tamen eadem ipsa repetentes? Consule eumdem Saluianum. *Nouum monstri genus, eadem penè omnes ingiter faciunt, quæ fecisse se plangunt, in ipsis penè hæc orationibus suis ac supplicationibus moliuntur; & dum verbis mala præterita plangunt, sensu futura meditantur: ac si oratio eorum rixa magis est criminum quàm exoratrix. De oratione ipsa exeunt condemnati, & oratio eorum fit in peccatum. Quid est negotiantium vita, quàm fraus atque periurium? quid curialium, quàm iniquitas, quid militantium, quàm rapina? hoc fit vt etiam nos, qui nos Christianos esse dicimus, perdamus vim tanti nominis vitio prauitatis. Quid est in nobis quo de Christiano nomine blandiamur? Cùm vtique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, quia à sancto nomine discrepamus: nam & ideo plus sub religionis titulo Deum lædimus, quia positi in religione peccamus.*

Ibidem.

Et ne crederes esse hæc vitia vulgi, proceres autem mundi virtutibus eminere; ostendit Saluianus, totam illam honorum pompam esse superbiam vitæ, quæ suas sorores indiuiduas comites habet, scilicet concupiscentiam oculorum & concupiscentiam carnis. Sic ille: *Quid est omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum, aut quid aliud quorumdam præfectura quàm præda? Nulla maior pauperculorum depopulatio, quàm potestas; ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione satietur. Reddunt miseri dignitatum pretia quas non emunt: commercia miseri nesciunt, & solutionem sciunt. Vt pauci illustrentur, mundus euertitur: vnius honor, orbis excidium est.*

Saluian. l. 4. de prouid.

Habes hoc contextu Babylonis ideam consonam ei quæ obiecta est Ioanni Apostolo, sic eam describenti *Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Sed quare mundus muliebri specie depingitur, cùm viris passim & fœminis mundus iste coalescat? Respondeo, benè figurari mundum fœminino habitu; nihil enim masculum & arduum spirat mundus, vanitas quippe, libido, & auaritia animos fortes non occupant. Dices, multos in sæculo recenseri Reges mundo addictos, quos nefas esset depingere habitu muliebri. Respondeo, omnes omnino Reges etsi viuant in sæculo non esse tamen mundo addictos; ipso etiam teste Rege Gallo Christianissimo Ludouico XIII. quem mundus suspicit vtpote supra se positum, & calcantem ea quæ mundi sunt. Quòd si qui alij Reges mundi crepundia venerantur, & seruiunt illecebris, hi sunt nomine tenus tantùm Reges & de eorum numero, quos commemorat textus sacer hoc tenore. *Dixit Adonibezec; Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus;* Ita sanè potentes potenter tormenta patiuntur execta summitate manuum atque pedum, siquidem veluti inhabiles ad summa & egregia facinora, libidinem tantùm cogitant & saginam, quibus sua mancipia mundus inescare solet.

Apoc. 17.

Iudic. 1.

Tota illa pernicies ortum habet ab amore vitiato. Etenim cùm amor sit inclinatio appetitus in id quod ei conueniens est, & illa inclinatio hominem vniat rei fortiter appetitæ. Si ratio non reprimit propensionem illam validam appetitus sensitiui, homo quasi vim patiens ab obiectis delinientibus sensum, bestiarum more agetur, & amittet summitates pedum & manuum, id est, quidquid erat rationabile excidet: atque ita etsi affectum & actionem non amittat, id est, licet habeat semper pedes, & manus, deficit tamen illa summitas, quæ hominem discernit à pecude, quia reprobus rationis vsum non adhibet in delectu eorum, quibus afficitur animus eius, & excitatur ad agendum. Vnde cùm voluntatis imperio agat homo, si ea amore noxio præpedita sit, tota illius opera erunt in maligno.

EX PHILOSOPHIA.
Aristot. lib. 2. Ethic.

Hoc insinuat Augustinus; ita fatus: *Fecerunt ciuitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei; cælestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui. Illa in seipsa gloriatur, hæc in Domino. Illa enim quærit ab hominibus gloriam, huic autem Deus conscientiæ testis, maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum, hæc dicit Deo suo: Gloria mea, & exaltans caput meum. In illa sapientes eius secundum hominem viuentes, aut corporis, aut animi sui bona, aut vtriusque sectati sunt: aut qui potuerunt cognoscere Deum, non vt Deum honorauerunt, vel gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, id est, dominante sibi superbia, in sua sapientia sese extollentes stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Ad huiuscemodi enim simulachra adoranda vel duces populorum, vel sectatores fuerunt, & coluerunt atque seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. In hac autem nulla est hominis sapientia, nisi pietas, qua rectè colitur verus Deus, id expectans præmium in societate Sanctorum.*

EX SS. PATRIBVS.
Aug. l. 14. de ciuit. c. 28.
Amores duo duas ciuitates extruxerunt.

Amor ille noxius, qui posuit fundamina reprobæ illius ciuitatis, quàm hîc commemorat Augustinus, est ignis adeò longè latéque serpens, vt illius incendio occurri nequeat nisi fugiendo, quemadmodum consuluit sibi Loth monitus ab Angelis de instante ruina Sodomæ, cui assimilatur Babylon apud Isaiam præmonentem fore iniquam Babylonis sortem sicut fuit & Sodomæ. Sic ille. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum: sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham. Non habitabitur vsque in finem.* Alius vates eodem actus spiritu, hortatur omnes de salute animæ suæ sollicitos vt procul sint ab illa Babylone. *Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam.* Benè monet Propheta de fuga; tot enim præstigiis vtitur mundus ad homines demulcendos, vt quicunque animum applicuerit ad illecebras eius, illico capiatur. Ideoque consideranti fucos eius nihil melius occurrit quàm recessus

Gen. 19.

Isa. 13.
Mundus Babyloni comparatus.
Ierem. 51.

ill

Senec. epist. ad Lucill.

ille à Seneca licet ethnico decantatus. *Recedamus a lubrico, qui etiam in sicco parum fortiter stamus.*

Sollicitamur etiam ad fugam mundi, iisdem argumentis, quibus Iacob inductus est ad occulte dimittendum Laban, qui sæpe fefellerat spes & labores ipsius. Sic enim Iacob compellauit Rachelem & Liam, in procinctu exitus sui: *Pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi.* Magnum sane prouidentiæ Dei argumentum, vt præelectis a Deo mundus non astricet nequitiam suam, eorum mentes deliniendo crebris pollicitationibus, quibus vt plurimum vegetiores etiam animi dementantur. Speciali lumine eis affulget Deus, aperiendo technas mundi, iuxta illud Psalmi. *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate, in idipsum.* Vis nosse mendacem? Promittit mundus omnia prospera affeclis suis, æuum ægritudinis expers, multa blandientis fortunæ munera, perpetuas corporis & animæ delicias, & demum insusurrat fore in suprema ætate spatium pœnitendi.

Gen. 31.
Mundus fallit, & imponit.

Psal. 61.

Mundus nos flagellis Dei obstringit.

Ex Ivre Civili.
Lege 55 ff. de regulis Iuris.

In eo deprehende deceptorem, quòd scilicet præstiturum se affirmet ea quæ non sunt sui iuris, & hoc contra ipsa rudimenta Iuris Cæsarei, cuius hic est textus. *Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse habet.* Quomodo ergo suos beare potest mundus, qui totus in maligno positus est, vtpote illis vitiis scatens, quæ eos efficiunt miseros quibus affinguntur? Quippe iram Dei sollicitant, quà sæuiente tota illa beatitudo mundi dispergitur. Audi Saluianum hæc declamantem: *Nil mirum si deteriora quotidie patimur, qui deteriores quotidie sumus, quamlibet aspera & aduersa patiamur, minora patimur quam meremur. Quid querimur, quod durè nobiscum agat Deus, multo nos durius cum Deo agimus, vim facimus pietati suæ, ac manus quodammodo inferimus misericordiæ suæ; nam cum ea quibus torqueamur admittimus, ipsi tormentorum nostrorum sumus auctores & impletur illud Isaiæ 50 Ecce omnes vos ignem accendistis, & vires præbuistis flammæ: ingredimini in lucem ignis vestri, & flammæ quam accendistis.*

Ex SS. Patribvs.
Saluian. l. 4. de prou. Dei.

Mundus est speculum mendax.
Ex Symbolis.
Ioan. Ferrus p. 2. Theat.

Hæc mundi pernicies, quam intentat sequacibus suis deceptis, ea inani bonorum omnium specie quam ingerit mundus, facit eum obnoxium illi Symbolo, cuius meminit Ferrus in Theatro suo Symbolorum, vbi speculo gibboso adiicit has voces. Fallit imago. Etenim sicut speculum mendax refert singula quæque obiecta alio habitu quàm sint; ita & mundus incautis illudit ocellis, quibus auersione tantum consulitur, vt præfatus est Dauid, hæc orans: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.*

Psal. 118.

Pars Secvnda Homiliæ.

Esse Dei gratiam insignem segregari à mundo.

Corruptela hominum tanta est, vt agnitâ mundi nequitiâ ægrè admodum ab ea sese expediant, vti liquet exemplo Loth viri sancti, qui etsi exosus reprobus mores Sodomæ, quam mox ab Angelo didicerat euertendam; cunctabatur tamen egredi, & ni Angeli apprehensa manu coëgissent eum egredi, fuisset fortè aliorum ruinæ obnoxius, vt legere est hoc contextu. *Cumque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius.* Non frustra meminit textus matutini temporis, signat namque illud tempus gratiæ exortum, quæ vbi affulsit manus Dei est hic apprehendens manus nostras, vt exeramus actiones congruas lumini desuper emicanti. Etenim vt se habet intellectus ad obiectum fidei, ita & voluntas ad obiectum charitatis: Sed obiectum materiale fidei non potest cognosci nisi Deo reuelante, omnes enim articuli fidei à Deo reuelati sunt Ecclesiæ: Ergo etiam bonum omne quod inducit ad amorem Dei, vt est summum bonum, penes quod est beatitudo nostra vltima, debuit à Deo explicari nobis, illud bonum est religio seu contemptus mundi: quippe nos sollicitat ad amorem illius vltimi finis nostri, ideoque vocatio ad religionem dicit lumen cœlitus illapsum in animam.

Gen. 19.

Ex Theologia.
Thom. 2. 2. q. 6. art. 2.

Rursus vt articuli fidei propositi, etsi dicant lumen aliquod, requirunt assensum intellectus, qui ex se impos est ad credendum rem, quæ captum hominis excedit, vnde & manus Dei necessaria est, vt eleuet intellectum ad assensum illum; ita & bonum religionis licet prædicetur omnibus esse institutum ad salutem animarum, vt & plerique sæculares confitentur, non ideo tamen amplexantur omnes illud bonum, quia talis professio sensum lædit, atque ita necessaria est Dei manus educens homines è sæculo, ne pereant cum sæculo delinquente. Huius gratiæ ideam habes in præfato exemplo Loth, & in Hebræis, quos Deus voluit eripere vltioni, quæ instabat vt perderet Dathan, & Abiron. Sic Deo præcipiente Moyses præmonuit populum. *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Morem gerente populo, & secedente quantocyùs, periere Dathan & conscij omnes noxæ illius. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum. Descenderuntque viui in infernum operti humo.* Hæc sunt suprema sæcularium hominum fata: pereunt omnes operti humo; terrena namque dum sapiunt, non eos occupat tantùm terra sed opprimit. Eorum ruinam qui effugit, ille reuera Dei manu vtitur propitia; non enim humanis opibus id fit, vt quis valedicat sæculo. Possunt quidem homines multa allegare idonea ad inserendum animo tædium mundi; sed consensum voluntatis elicere ad religionis austeræ obsequium, Dei negotium est, animam euehentis supra id quod sensibus obuiam fit.

Consortia impiorum quare sint fugienda.

Num. 16.

O anima, quæ in procinctu es religionis, congaudemus tibi ob insignem illam Dei gratiam, qua eriperis mundo, vt Angelis adscribaris. Eadem Dei vox insonat hodie, quæ fuit olim amantissimi patris de filio suo

seduce-

Luc. 15.

reduce. *Proferte stolam primam, & induite illum.* Stola innocentiæ induetis, religionis habitu accepto, qui est habitus filiorum Dei, qui derelicto Patre in sæculo fidenter Deum rogant dicentes: *Pater noster qui es in cælis.* Vt titulum hunc filij demereantur religiosi, priscum morem obseruant, quo quis se deuouens in filium alicuius mittebat ad eum capillos suos, vnde Constantinus Imperator nomine Pogonatus, tonsuram suorum filiorum misit ad Papam Benedictum I. testatus eo ritu velle obstringere Pontificem ad amandum hos Principes paterno affectu. Tonderis hodie, ô anima Deo sacra, & hæc tua coma dicata Deo te Dei filiam facit. Non est ergo quòd requiras nomen patris in sæculo, cum desuper tibi pater arrideat & filij sui Iesu castos spondeat hymenæos, potiores sane, eis quos experta est Penelope Icari filia: hanc collocatam Vlyssi in sponsam, ille in patriam suam eam duxit, quam comitatus pater, nequiens abeuntis recessum ferre, rogauit vt rediret. Illa coniugi suo addicta, & velut immemor patris, velum capiti suo imponens faciem suam operuit non amplius agnitura patrem, sicque viro suo iugiter adhæsit, edito insigni specimine castitatis. Adeoque placuit illi æuo facinus illud insigne castæ Penelopes, vt erectum fuerit illic simulacrum pudoris, cuius est faciem rubore suffundere, veluti velo obstante ne quid fiat indecorum.

Ex Historia Paul. Diac. lib. 6. c. 15. Capilli missi in tesseram obsequij. Constantinus Pogonatus Imperator misit tonsuram filiorum Benedicto primo Pontifici. Pausanias in Laconicis. Penelope quam fidelis coniugi suo

Velum hodie tibi porrigetur, vt rescias nihil tibi esse & sæculo, quidquid reclamare velint parentes sæpius importuni, qui si sollicitent ad regressum, dic eis quod Hebræi olim peruasi deserta inuia, & inaquosa: *Quare nos adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, insuper aquam non habet ad bibendum?* Mundus locus iniquus est vtpote in maligno positus, seri non potest, quia bona opera hic ægre germinant, & arent homines deficiente rore gratiæ, desuper influente. In hos parentes veluti furiores inuehitur sic Bernardus. *Non sufficit vobis quòd me in hanc sæculi miseriam, miseri miserum induxistis: quòd in peccato vestro, & peccatores peccatorem genuistis, quòd in peccato natum, de peccato nutristis: nisi etiam inuidentes mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehennæ faciatis? O durum patrem! ô sæuam matrem! ô parentes crudeles, & impios! imò non parentes sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio, mors filij est. Qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. Qui me rursus ad naufragium, vnde tandem nudus euasi; rursus ad ignem, vnde vix semiustus exiui; rursus ad latrones, à quibus semiuiuus relictus sum, sed miserante Samaritano iam aliquantulum conualui, reuocare conantur. Proh furor! Si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Si inquam, negligitis salutem vestram, quid iuuat etiam persequi meam?*

Num. 20. Parentes impedientes filios ne fiant religiosi acriter arguuntur. Bernard. ep. 111.

Iure Canonico excommunicantur illi, qui alienant res Deo sacras: Ergo potiori ratione feriendus erit anathemate ille, qui animam Deo sacram tentauerit auertere à suo proposito. Ecce Canon. *De rebus, quæ semel Deo contributa sunt, atque dicata, & postea sub occasione concessionis principum, à quibusdam inuaduntur atque diripiuntur: Sancimus vt primus consulatis Principem ad resecandam eam præsumptiuam factionem, & cognoscendum, vtrum illius sit concessio, an inuasoris præsumptio. Quod si Principis inordinata fuerit largitio; ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus: si autem inuasoris declaratur præsumptio; vsque ad emendationem, excommunicationis sit vindicta coercendus.*

Res sacræ non sunt alienandæ. Ex Iure Canonico. Cano. de Rebus 12. q. 2.

Saül Dauidi pugnaturo dedit arma regia; eadem Deus tibi dat hodie, scilicet religiosam illam vestem, quæ te adscribit sacræ militiæ. Reges armando milites non addunt animos; sed Deus vocando religiosos, dat gratiam, qua robur animi accedit. Imperator olim in Theatro, explicato velo albo dabat signum currentibus, ecce appenditur tibi velum album, veluti tessera cursus tui. A momento isto curre, vtque velocior sit gressus tuus relinque omnia impedimenta, scilicet amorem sæculi, qui affectum sponsi eliminat. Ecce ille tuus sponsus venit saliens in montibus, exi obuiam illi & imitare Rebeccam, quæ vt vidit Isaac sponsum suum, eo se apparatu accinxit, quem scribit Moyses. *Rebecca conspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum: Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est Dominus meus. At illa tollens cito pallium operuit se.* Descende de camelo, omnia relinque brutalia, & velo obtege caput, vt inde resciat mundus, te inuiam esse illius aspectibus. O quam tuta integritas sub hoc velo, vt explicat Tertullianus. *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet quam semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum, aduersus iacula scandalorum, aduersus suspiciones, & susurros. Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Vt sinceram virginis serues, mentire aliquid ex his quæ intus sunt, vt soli Deo exhibeas veritatem, quanquam non mentiris nuptam: Nupsisti enim Christo; illi tradidisti carnem tuam; illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est, qui & alienas sponsas, & maritatas velare iubet, vtique multò magis suas.*

Gen. 24.

Virginitas velamine gaudet vt clypeo.

Tertull. lib. de veland. virgin.

Ea sane est virtus habitus religiosi, quæ fuit pallij Eliæ, quod impositum humeris Elisæi, ei nouos addidit animos. Sic habet textus. *Cum venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* Quotidiana est illa mutatio hominum, quos vbi attigit habitus ille sacer, statim exuunt quidquid in eis bestiam redolebat, & citato cursu ineunt virtutum callem. Caue ne excidat tibi vestis illa sancta, alioquin illud inuehet omen quod inuexit Nicephoro Imperatori vestis furto sublata; eo enim habitu Imperiali amisso, vix mense elapso periit ille exutus Imperator. Hoc vnum suggerit Satan nouitiis, vt se eo habitu religionis expediant, posse enim saluari in sæculo citra tot ærumnas. Qui incautè ei auscultant, exuunt hunc amictum reuera salutarem

3. Reg. 19.

Vestis Nicephori Imperatoris furto sublata fuit malû omen. Historia imperialis sub an. 811.

tatem, & postmodum fine misero defunguntur.

Itaque, ô virgo, si quæ impia cogitatio te vnquam sollicitet ad relinquendum habitum illum sanctum, eam excute eodem argumento, quo sponsa Canticorum, cuius ecce antidotum. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Exui veterem hominem, posui noxias omnes & lethales exuuias, nolo iisdem amplius circumdari. Viæ sæculi omnes luteæ sunt instar volutabri, nolo eas iterum obire, ne meos inficiam pedes, quos purgaui. Sponsum ego nacta Deum, meme composui in speciem virginis desponsatæ tanto Regi. Me igitur frustra sollicitas, Dæmon, namque anima mea prius corpore exuetur suo, quàm corpus hoc habitu. Macte, ô filia, generosos animos angusto in pectore versas. Hoc tuum facinus audax me compellit ad eadem vota expromenda, quæ expressere Hebræi in die nuptiarum Booz & Ruth. *Faciat Dominus mulierem hanc, quæ ingreditur domum tuam sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israël, vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat nomen celebre in Bethlehem.*

Cant. 5.

Ruth. 4.

Deum impensè rogo, ô sponsa ei deuota, vt tot sis fœta virtutibus, quot filios enixæ sunt Lia, & Rachel, vt eo pacto queas ædificare domum, quam nunc ingrederis. Etenim egregia specimina virtutum edita, sunt ædificationes animarum. Esto igitur exemplum virtutis in Ephrata. Ephrata vox Hebræa sonat vbertatem, Religio vtpote frugifera vbertatem dicit, in loco illo vbertatis vberes ede omnium virtutum fructus, vt illic comparato celebri nomine sanctitatis, tandem aliquando congaudeas sponso tuo, in æternum cum eo regnatura. FAXIT DEVS.



HOMILIA

IN DIE PROFESSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. T nequitia mundi benè figuratur in Babylone; ita & religionis sanctitas ritè lineatur in Ierusalem, ideoque prima parte Homiliæ comparo Religionem cum ciuitate Ierusalem.

II. Secunda verò parte dico non recedendum à Ierusalem illa, quia vota important perpetuum obsequium exhibendum Christo.

PRÆFATIO.

Centuplum accipiet, & vitam æternam. Matth. 19.

NE Hebræi memores deliciarum Ægypti, tædium aliquod conciperent laboris exantlandi antequam fierent incolæ ciuitatis sanctæ Ierusalem, promisit Deus se eos inducturum in terram fluentem lac & mel, vt hac dulcedine pollicita deliniret eorum animos tædio collabentes. Tantùm potuit spes concepta de dulcore imminente, vt sudorem omnem deterserit, quem collegit Gens illa assueta ærumnis. Melius à Domino consulitur illis, qui spreto sæculo tentauere vno nouitiatus anno quid valeant humeri, quid ferre recusent. Centuplum promittitur omnium dulcedinum, quas mundus intentat, vt incautos illiciat, & insuper additur vita æterna. Suarum innoxium deliciarum vsum Deus non impertit tantùm post vota emissa in professione, sed & in ipso religionis exordio, tot gratiis alluit animas, vt queant vsurpare Dauidicum illud. Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum. *Hac prælibata dulcedo te hodie sollicitat, ô anima exosa sæculum, vt fias in æternum Deo sacra. O ingeniosum fœnus! æra duo minuta relinquis in sæculo, vt centuplum accipias, sicque fias paupertate ditior, quam fuisses in opibus. Vis nescire nuptias mundi, vt castitatis voto emisso Domino desponseris. Denique obediendo vis fieri conscia regni cælorum. Pro tanto fœnore congaudemus tibi, ô beata, & Angeli adstant collætantes de pacto, quod vis inire cum Christo, ad cuius quia tu aspiras hymeneos, habebis & eamdem cum eo matrem, scilicet Mariam, quæ inconsulta nefas est prædicare.* Aue Maria.

Psal. 47.

CVm homo duabus partibus constet, corpore scilicet & anima, quæ sunt naturæ disparis, necesse est etiam bona vtriusque partis esse dissita; dicimus enim bonum alicuius id omne quod ei conueniens est: vnde quò nobilior erit pars; potiora etiam erunt bona, quæ ad illam pertinent partem. Ergo cùm anima longè præstantior sit corpore, præferenda erunt animæ bona illis quæ spectant tantùm corpus. Vtraque hominis pars habet ciuitatem, cui assueuit. Caro habet Babylonem, vbi tota diffluit deliciis: anima verò compos effecta ciuitatis Ierusalem, fruitur bonis sibi congruis, quæ reuera aliis præstant, quæ sunt bona cute tenus, & quæ fluxa, & momentanea sunt; ista verò in æuum durant, & hæc optat Dauid homini iusto. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Vtitur mundus bonis perituris, at religio bonis perpetuis. vt dicam prima parte, quæ erit de comparatione Psal. 127.

Religionis

Religionis & Ierusalem. Secunda parte dicam esse perseuerandum vsque ad mortem in ea ciuitate.

Pars Prima Homiliæ.

Religio comparata vrbi Ierusalem.

TOt caro fucos offundit intellectui, vt plerumque cæcutiat in indagine boni, ideoque Dauid optat vt benedictio singularis affulgeat, qua videre queat homo bona Ierusalem omnibus diebus vitæ suæ. O anima religiosa, hoc lumine dignata es; quippe exosa sæculi bona, vides quàm nobiliora sint bona Ierusalem, vbi vis adscribi omnibus diebus vitæ tuæ, inito pacto votis solennibus obsignato, quibus comparantur bona animi, vnde beatur homo. Etenim beatitudo in summa animæ pace consistit; ideoque gloria æterna dicitur Ierusalem, id est visio pacis. Cùm ergo religio gaudeat illa summa quiete animi, mundus verò sit inquies; religio erit mystica Ierusalem quæ neminem accipit, nisi ei benedixerit Dominus ex Sion; vnde irradians ostenderit, ea quæ Babylon bona putat, esse duntaxat inanes ideas boni, quod vt ampliùs constet, hæc esto conclusio nullas patiens instantias.

Religio, quæ hominem Deo deuouet totum, ei præstat omnia vera & solida bona, quæ mundus ei impertiri nequit. Pro euidentia thesis huius nota, bonum cuiusque rei attendi penes formam, quæ dat ei specificum esse, & non penes id quod habet se per modum materiæ. Verbi gratia ouis, & lupus in eo conueniunt quòd ambo habent corpus carne & sanguine coalescens, ideoque bonum aliquod non potest eis esse propriũ secundùm illam rationem communem. Vt caro cruenta est quid bonum lupo, quia ad carnem inclinatur deuorandam ratione formæ suæ; ouis verò secus inflectitur ad gramina depascenda. Ita hominis bonum est id quod conueniens est formæ, quæ cum dispescit à brutis, forma autem illa est anima rationalis, cui nihil planè quadrat, nisi quod est rationi consentaneum. Sed nihil est magis rationabile homini, quàm perfectio illius. Et hæc in religione acquiritur, vt & in sæculo deperditur. Ergo religio homini erogat vera & solida bona. Nimirum hominis perfectio in eo sita est in statu viæ, vt sit talis qualem Deus creauerat initio, scilicet vt intellectus eius veris intenderet, voluntas summo bono adhæreret, pars appetitiua concupiscibilis animum non fœdaret, & irascibilis extra ipsum non raptaret. Eo habitu Deus hominem ediderat, vnde excidit diaboli nequitia: sed religio reducem eum facit, reparando ruinas, quas intulit Adami deliquium, quo tota prosapia pessum iuit.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 8. Metaph. c. 5. text. 10.*

Religiosa vita hominem restituit statui innocentiæ.

Primò, hominis intellectus ab errore vindicatur virtute obedientiæ, cuius est sequi lucem superioris affulgentẽ; qui autem ambulat in luce non offendit. Eadem virtus compescit æstus iræ insurgentis, dum suggerit obsequium omni creaturæ propter Deum. Si verò pars concupiscibilis concutitur illecta specie rerum externarum, quæ sensibus irruuntur; præstò sunt duo vota quæ occurrunt noxiis illecebris. Castitas auertit oculos ab eleganti specie vultuum formosorum, & proprio corpori frænum imponitur ne luxuriet. Et paupertas restringit appetitum, ne bona externa concupiscat. Adde repetitas preces quæ intellectum in Deum dirigunt, item vigilias atque inediam, quæ fulcra sunt insignia castitatis. His auxiliis homo restituitur pristino statui in quo editus est, natura integra. Audacter dicam, statum illum fuisse felicitatis, sed religionis sortem esse virtutis, & æmulari statum beatorum, quorum voluntas firmata est in bono ratione voti, quod eam plenè Dei deuouet obsequio.

Vota religiosa hominem perficiunt.

Votum addit aliquid bono operi.

Trifariam autem melius est, & magis meritorium agere aliquid dictante voto, quàm secus; nam votum est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales: nobilitas autem actionis attenditur ex dignitate virtutis à qua emanat. Verbi gratiâ, actus virtutis inferioris est melior quatenus imperatur à superiori virtute, cuius actus fit per imperium, sicut actus fidei melior est si imperetur à charitate. Eamobrem ieiunare & continere ex voto melius est quam sine voto, quia sic pertinent ad diuinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Secundò, ille qui vouet, plus se Deo subiicit, quippe non actum Deo duntaxat offert, sed & potestatem, quemadmodum luculentius esset donum eius qui daret arborem, & fructus, quàm illius qui afferret tantùm fructus. Qui enim vouet continentiam, non tantùm Deo offert quotidie actus castitatis, sed sibi adimit potestatem aliter faciendi. Demum ratione voti voluntas immobiliter firmatur & quasi adhæret bono: facere autem aliquid ex bona voluntate constante sibi, perfectius est, quàm agere ex voluntate fluctuante vt ait Aristoteles; sicut peccare ex voluntate obstinata aggrauat reatum. Ergo status religionis perfectior est eo, quo homo à principio creatus est.

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 88. art. 6.* Voti quàm sit nobile. *Arist. lib. 2. Ethic. cap. 4.*

Fauet Augustinus ita fatus: *Neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quam fouet, & conseruat continentia pietatis.* Cùm ergo religionis suffragio, homo ita Deo adhæreat, summa etiam fruitur pace; nam pax dicit vnionẽ appetituum, vt conspirant in debitum finem: at Deus est debitus hominum finis: ergo ille, cuius appetitus omnes in Deum collimabunt, pace commoda perfruetur, cuius expertes sunt asseclæ mundi iuxta illud Isaiæ. *Pax non est impiis.* Itaque religio, quæ hominẽ, & virtutum, & pacis compotem facit, erit mystica Ierusalem visio & possessio pacis, cuius lac & mel quicunque supremis vt dicitur labiis degustauit, ille statim capitur nausea terrenorum, vt expertus est Theodosius iunior Imperator, qui casu incurrit in cellã eremitæ, cum quo miscẽs colloquia sacra, pane tandem pastus & aqua potatus, ait se nullum transegisse tempus adeò gratum, deinde conuersus ad senem illum ait: O vos felices quibus & sæculo nihil est commune! Si vnius horulæ momentum tanta perfudit lætitia Imperatorem quantis putas gestire deliciis eos, qui æuum omne suum ducunt in iugi Dei obsequio, & id in

Ex SS. Patribus. *August. lib. de virgin. cap. 8.* Virginitas ideo laudanda quia Deo consecratur.

Isa. 48.

Ex Historia. *Vita Patr. parte 2. c. 14.* Theodosij Imperatoris consolatio ex colloquio cũ religioso.

in claustro, vbi sunt miracula quæ de suis fanis gentilitas ementitur.

Solin. cap. 2. Templum Herculis neque canes neque muscas capit. Templum Achillis ad quod aues non aduolabant.

Ait Solinus, fuisse ædem rotundam Herculi sacram in quam neque canes, neque muscæ intrabant. Item ante Borysthenem fuisse templum Achillis, ad quod nefas erat auibus aduolare, ideoque loca illa dicta sunt ἄορνα, id est, sine auibus. In religione nihil caninum, nihil omnino ferox aut tabidum vel impudentiam redolens, nullæ muscæ, nihil importunum, nullæ elatæ mentes instar auium volitantes; totum namque illic omnibus de humilitate constat. Res est omni sanctæ religioni vernacula, id quod ait Plinius de insula Cypro, vbi homines quidam dicti ophiogenes spiritu & sputo occidebant serpentes. Religiosi omnes si tales sunt, quos illud postulat institutum, serpentem illum abigunt, qui momordit Euam.

Plin. lib. 28. cap. 3. Ophiogenes sputo necant serpentes.

Præterea liquidò est prodigium illud, quod commemorat Strabo de fano Dianæ in Galatia, vbi virgines impunè prunas ardentes, nudo vestigio terebant. Nonne hoc maius est facinus, frigere libidinem in carne virginum puellarum, quarum sanguis ebulliens si esset in sæculo noxia spargeret incendia?

Strab. l. 12. Virgines nudis pedibus prunas ardētes terunt.

Milites possunt fieri clerici.

In mystica illa Ierusalem nihil omnino indecorum, aut brutale conspicitur, sed omnia illustria atque nobilia, imo & quieta, vt sonat vox Ierusalem, & vt Iure etiam Cæsareo liquet, quo nefas est aliquem distrahere ab eo statu, quia valdè pacificus est. Ecce legem. *Quisquis emensis militiæ suæ stipendiis, expletisque officiis siue muneribus, quæ cuicunque conditione, aut consuetudine, aut lege debebantur, ad consortium se contulerit clericorum, & inter ministros vera orthodoxa fidei malueris & elegerit numerari, nullius prorsus sententia acerbitate reuocetur, nec à Dei templis, quibus se consecrauit, importunis contentionibus abstrahatur: sed in iisdem beatissimis ministeriis securus permaneat, & quietus, ad quā post longi laboris lassitudinem, ob reliqua vitæ requiem consilio meliore prostratus est.* Leonis Imperatoris hæc est constitutio, Iustiniano Codice recensita. Credidit Imperator, quietem Ecclesiasti famulatus præstare gloriosis aulæ tumultibus.

Ex Ivre Civili. Lege Quisquis. Cod. de Episcopis.

Si obiicias edictum hoc fuisse editum in gratiam clericorum. Respondeo potiori ratione pertinere etiam ad religiosos, quorum institutum Canones sancti præferunt statui clericorum. Ecce Canon. *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopis in monasteriis largiri oportet ingressus: nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Nota, vitam religiosam dici contemplationis desiderium, quòd si actualiter impleatur contemplando, tamen habitualiter remanet.

Ex Ivre Canonic. Ex Concil. 2. Tolet. cap. 49. Can. Clerici 19 qu. 1. Clerici possunt fieri monachi.

Ad hæc præfata bona aspiras, ô anima religiosa, benedixitque tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. In sæculo vidisses quidem bona, sed corporis communia homini cum bestiis. Sed in religione prostant bona, quibus anima consecratur. Audi Augustinum. *Noli quærere illas benedictiones, quæ non sunt ex Sion. Consoletur ergo te Deus, vt videas bona Ierusalem. Illa enim bona sunt. Quare sunt? Quia æterna sunt. Ista verò bona sunt, & non sunt: non enim stant, labuntur, fluunt, &c.* Ille idē vbi religiosam egit vitam, hæc fatus est. *Vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leni sarcinæ tuæ, Christe Iesu adiutor meus, & redemptor meus? Quàm suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum? & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas: eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini.*

Bona paradisi sunt sola verè bona.

Ex SS. Patribvs. August. in Psal. 127.

Idem lib. 9. Conf. cap. 1.

Religionis incolumem statum probare libet ex placito medicorum, qui omnes ferè morbos iactitant capere initium ab aëre quem ducimus, & victu quem capimus. Sic Hippocrates. Αἱ γὰρ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δ' ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ εἰσαγόμενοι ζῶμεν. *Morbi omnes partim à ratione victus nascuntur, partim à spiritu quem viuendo ducimus.* Fernelius aëri iniquo causam omnium ferè morborum affingit, hæc scribens. *Qui circumfusus est nobis aer, in intima quaque penetrans nos etiam contagione immutat, neque nos solùm, verum etiam solidissima quaque, vt ligna, vt lapides, & metalla.* Ita sanè suum virus solidæ etiam virtuti afficit mundus. Pergit ille. *Aer in cor viscus nobilissimum, in cerebrum, in corpus denique omne promptè penetrans, suis viribus omnia perfundit.* Spiritus sæculi eorum afficit cerebrum, qui crebras mundi ideas animo versant, & iis delectantur. In cor autem irrepsit virulentus aër, quando ea quæ mundi sunt anima concupiscit.

Morborum causæ vnde. Ex re Medica. Hippoc. lib. 2. de natura.

Fernel. lib. 2. Pathol. c. 13. Aer noxius est morborum causa.

Ex his collige, quàm salubrem agant vitam religiosæ animæ, quæ aërem adeò salutarem ducunt: quippe religionis aër ille est qui fuit in Ierusalem, quando Dei spiritu illa ciuitas afflabatur. Omnia illic sana & sancta, perfusa lacte & melle. Eamobrem placet religioni affingere symbolum illud, quo aluearе pingitur apibus fœtum hoc titulo. Mens omnibvs vna, id est, licet variæ circumuolent apes, omnes tamen mel cogitant, & faciunt. Ita etsi religiosorum discolor sit habitus, & dispar indoles, tamen Mens omnibvs vna. Omnes gratiam Dei spirant, & ea perfunduntur.

Religiosi vita pacifica.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus part. 2. Theat.

Pars Secvnda Homiliæ.

Nunquam esse recedendum à Ierusalem.

Diffluens illa è religione dulcedo ita sibi animos deuincit, vt nolint vnquam inde recedere. Quò namque aliquid magis participat de obiecto alicuius potentiæ, eò arctiùs obstringit sibi illam potentiam: Sed religio omnia concludit bona, quæ voluntatem allicere queunt; Ergo religio cognita & gustata vno anno integro nouitium ita deliniet, vt nequeat ab ea resilire, ideoque eum vrgebit vt det ei nomen suum in æternum, vt queat videre bona Ierusalem omnibus diebus vitę suæ. Quippe ratio voti de religione profitenda importat perseuerantiam vsque ad mortem. Virtutes enim sunt in duplici differentia: aliæ habent actum, cuius finis est executio operis,

Perseuerantia duplex est.

Ex Theologia. S. Thom. 2. 2. q. 138. art. 1. Perseuerātia est de ratione aliquarū virtutum.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 8. Metaph. c. 5.*

Qui extra Ecclesiam est, nihil infallibiliter credit, atque adeò infidelis est. Nam qualis est ratio formalis alicuius habitus, talis est habitus ille. Sed ratio formalis fidei, quam quis credit habere extra Ecclesiam, est veritas quæsita ratione humana, quæ hallucinari potest; quia vt se habent præmissæ, ita & se habent conclusiones inde deductæ: sed in præmissas irrepere mendum potest; ergo & in conclusiones. Et nota, omnes homines dissitos ab Ecclesia, vbi agitur de fide, semper prouocare ad oculos, nescientes visa & credita dissidere. Audi Thomam fidei expertem. *Nisi videro, non credam.* Et hæc alia causa est infidelitatis, scilicet pertinax sensuum consultatio: siquidem quò quis adhæret sensibus, eò magis elongatur à fide; ea nempe de visis non est, iuxta illud Apostoli. *Fides est argumentum non apparentium.*

Fides quid sit.

Hebr. 11.

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 1. art. 4.* Fidei assensus quotuplex sit. Fides non nititur argumentis.

Theologia rem benè explicat. Ait illa, fidem dicere assensum intellectus. Assentitur autem intellectus alicui bifariam. Vno modo, quia ad hoc mouetur euidentiâ obiecti, quod si cognoscitur per se, vt sunt principia prima per se nota, ille assensus dicitur actus intellectus, qui est habitus primorum principiorum. Si verò obiectum illud euidens, non sit cognitum per se, sed per aliud, vt sunt conclusiones cognitæ ob præmissas, tunc est scientia, & assensus ille elicitus circa illud obiectum erit actus scientiæ. Alio modo assentitur intellectus alicui, non quia sufficienter mouetur ab obiecto, sed per quandam electionem, qua voluntariè inclinat ad assensum. Et hic modus ad fidem spectat, cuius obiectum non est per se cognitum, sed duntaxat reuelatum.

Ex SS. Patribus. *Greg. lib. 1. Pastor. Ambr. lib. 1. de fide S. Trin.*

Accedunt & concordes sententiæ Sanctorum Patrum. In quibus Summus Antistes hæc loquitur. *Apparentia non habent fidem, sed agnitionem.* Ita Gregorius, cui concinit Ambrosius. *Aufer hinc argumenta, vbi fides quæritur, in ipsis gymnasiis suis iam Dialectica tacet. Non quæro quid loquantur Philosophi, requiro quid faciant, soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quàm fides argumentis præponderet. Illi quotidie desputant, isti quotidie crescunt, qui simpliciter credunt. Non creditur Philosophis, creditur piscatoribus: non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi voluptatibus, & deliciis orbem ligarunt, isti ieiuniis, & doloribus exuerunt. Plures itaque iam cœpit illicere iniuria, quam voluptas.* Idem alibi. *Hæc est dialecticorum gloria, si videantur expugnare verbis, & refellere veritatem. Contra, diffinitio fidei est, vt veritas, non verba, pandatur. Denique verba Philosophorum excludit simplex veritas piscatorum.* Non est ergo fides de rebus oculo peruiis, & ideo infidelitatis argumentum insigne edidit Thomas, quando protestatus est, non se crediturum nisi videret. Cùm enim fides sit præter rationem, non potest rutilum illud lumen à debili rationis lumine generari.

Idem lib. de Incarn. c. 9. Fidei elegans descriptio ex Ambrosio. Fides rationis lumine obumbratur.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferro par. 2. Theat.* Fidei symbolum egregiū.

In gratiam fidei placet subiicere symbolum Ioannis Francisci Iustiniani, qui depinxit ignem expositum coruſco Soli, hoc titulo. Oblector lumine victus. Eo lemmate intellectus suum fidei obsequium pendit. Oblector lumine victus. Id est, ego sum veluti igniculus: fides verò rutilum lumen, quo peruia sunt homini ea, ad quæ ratio non pertingit. Eamobrem non discutio cariosa indagine ea quæ sunt fidei.

Ex præfatis liquet, causas infidelitatis esse secessum ab Ecclesia, & exquisitam sensuum indaginem, qui omnia perscrutantur. Sed instabis, multos non recedere ab Ecclesia, nec subiicere sensuum examini articulos fidei, & tamen flocci pendere Dei iudicia, quorum veritas est de fide. Respondeo, multos quidem viuere infidelium ritu, etsi non profiteantur aliud institutum, & hoc duabus de causis antea recensitis. Prima est, quia practicè recedunt à doctrina Ecclesiæ præuaricando. Secunda est, quia illecti illecebris, sensibus obsequuntur. Vnde enim Angliæ defectio ab Ecclesia, nisi eò quòd Henricus Rex VIII. deperibat puellam, quam ducere in vxorem non poterat, Ecclesia renitente? Vt ergo libidini indulgeret, fuit & sibi, & regno, & Ecclesiæ iniurius.

Fidei delictum cadit in desertores Ecclesiæ.

Ex Historia. *Flor. Raym. lib. de hæres.*

Quis ab Ecclesia segregauit Luciferum Calaritanum Episcopum, virum alias sanctitate conspicuum, nisi nimia proprij sensus existimatio? Quis Tertullianum immortale decus Africæ adeò exacerbauit in Ecclesiam, nisi ingens illa opinio, quam de semetipso conceperat? cui non suffragante clero, Victor socius Tertulliani electus est in Pontificem; eamobrem haberi se despicatui credidit Tertullianus, atque adeò iniuriæ impos, transfuga recessit ab Ecclesiæ castris, vt Montani hæresiarchæ deliriis adhæreret. Hoc igitur ratum esto, hominem qui sensuum obsequio addictus est, & qui de se alta sapit, fidem valde infirmam habere, ad cuius curam opus est præpotenti manu Dei.

Lucifer Calaritanus desertor Ecclesiæ. *Baron. tom. 4. Annal. sub ann. 361. Ruffin. lib. 1. cap. 30.*

Pars Secunda Homiliæ

Quomodo curata sit infidelitas Thomæ.

Præscius rerum futurarum vates Habacuc, vno versu explicat Thomæ reditum ad caulas Ecclesiæ. Sic ille: *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit.* Thomas vox Hebræa, idem est ac abyssus: vbi homo infidelis effectus est, illa abyssus aliam abyssum inuocat. Dedit abyssus vocem suam quando Thomas ait: *Nisi videro, non credam.* Vt hominem lapsum in abyssum erigeret Deus, misit Christum, qui est altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei: Hæc altitudo manus suas leuauit, quando ostendit Thomæ latus apertum, & manus clauorum acumine terebratas. Ea eleuatione manuum eductus est Thomas de abysso, & abyssus dedit aliam vocem suam, scilicet: *Dominus meus, & Deus meus.* Itaque sit hæc prima conclusio.

Habac. 3. Thomas vox Hebræa quid significat.

Ad conuertendum hominem qui impugnat dogmata Ecclesiæ, operæ pretium est Deum leuare manus, id est, validum præbere auxilium: Quò enim grauius est pondus deorsum vergens, eò etiam debet esse validior manus erigens illud pondus. Sed grauitas animæ infidelis tanta est, vt eludat omnia naturæ conamina, quæ tentant illam erigere: Ergo indiget altiore manu: sed nulla est manus supra naturam, præter manum Christi: Igitur est illa reclamāda manus, vt curetur animus infidelis.

Fides vt influat in hominem infidelem opus est gratia potenti.

Ad

Ad huius rei euidentiam nota duo requiri ad fidem. Primò, necesse est proponantur homini res credendæ. Secundò hominis assensus petitur vt credat. Quòd primum spectat, Deo tantùm reuelante mysteria fidei cognita sunt. Vt Deum induisse hominum naturam, iudicaturum viuos, & mortuos, & cætera huiusmodi. De secundo, videlicet de assensu quem præbet intellectus, dispar est ratio. Nam proposito obiecto materiali, in quo nihil est quod moueat intellectum ad assensum, imò potius omnino distrahat, opus est aliqua causa, quæ inducat intellectum ad credẽdum res naturaliter incredibiles. Causa illa duplex est, vna exterior, alia interior. Exterior causa est miraculum, prædicatio, argumenta validè vrgentia. Sed illa causa exterior inualida est. Si enim ex natura rei miracula aut prædicationes homines inducerent ad credendum, quare ad prædicationem & miracula Petri & Pauli Roma non dedit manus Christo? Posita namque causa poni debet & effectus. Interior causa inducens, est manus quædam eleuans intellectum supra naturam suam, ad hoc vt assensum accommodet rebus, quibus naturaliter assentiri nequit. Cùm ergo nihil excurrat extra sphæram suæ actiuitatis, illa manus euehens intellectum supra naturam, debet etiam esse ipsa natura potentior; ea videlicet, de qua ait Propheta, *Altitudo manus suas leuauit.*

.X THEOLOGIA. S. Thom. 2. 2. quæst. 6. art. 1.

Fidei assensus est donum Dei.

Habac. 3.

Eum assensum, qui præcipuus est actus fidei, esse à Deo docet Apostolus. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, ne quis glorietur: donum enim Dei est.* Dices, causam exteriorem sufficere, vt quis inducatur ad credendum. Verbi gratiâ, Thomas vbi vidit Christum, credidit. Respondeo, nullam omnino causam externam suppeditare omnia necessaria ad credendum. Nam omnes qui videre Christum resurrexisse, non credidere in eum; vt patet in his, qui excubabant ad sepulchrum eius, viderunt eum resurgentem, nec tamen ei dedere nomen suum, Iudæorum pecuniâ dementati. Thomas igitur eo solo quod vidit non credidit, sed Deo eleuante manus, alius discipuli intellectus assurgens credidit quod non vidit. Quippe aspiciens hominem, Deum confessus est. Vide ergo, ô anima fidelis, quàm arctè Deo deuinciaris, cuius omnipotens manus intellectum tuum euehit ad superna, ne infidelitatis mole grauis deorsum inclinet.

Ephes. 2.

Fidei assensus esse nequit merè naturalis.

Sed inquies; Quorsum illa plagarum Christi exquisita ostensio facta Thomæ Apostolo? Dicam quod sentio. Ideo Christus eleuando manus ostendit hæc vulnera, Passionis suæ reliquias, vt resciret homo, Crucem, in qua extendit manus suas Christus, esse causam, quæ inducit altitudinem manuum Christi, id est, Deum intuitu Crucis impertiri nobis gratias, quas designat illa manuum eleuatio. Sic enim à Deo comparatum est, vt hiantibus Christi plagis veluti fontibus allueretur orbis vniuersus, gratia desuper irrorante. Vnde emortuo Christo, mortui surrexere, vt rescirent omnes, factos se esse rediuiuos morte Christi. Sed ne desiperent omnes, credendo Christi passionem adultos etiam homines curare feriantes, & torpentes ignauia; voluit Christus Thomam mittere manum in loca clauorum, vt vel sic indicaret necessarias esse manus nostras, vt adiectæ manibus Christi sortirentur effectum, quem intendit Deus Passione Christi. Ideoque ille hominum primus, qui præsensit præcipuum effectum Crucis, ille fuit latro, Christo concrucifixus, quem Crux traiecit in cælum. Non vidisse Crucem Christi satis fuit ad salutem, alioquin latro reprobus haudquaquam periisset, sed operæ pretium fuit Crucem suam patienter ferre, vt reuera tulit iste pœnitens latro, qui sociũ suum carpens ait: *Nos quidem digna factis recipimus.* Et quia alius nequam ægrè tulit destinatam sibi Crucem, pessum iuit; iste verò Cruce sua cooperans Cruci Christi, eodem die fuit ei in gloria sociatus.

Passionis suæ stigmata quare Thomæ ostendit Christus.

Consule Ambrosium encomiasten lattronis huius reducis ad Christum. Sic ille: *Fuit illi Crux quam pertulit, non tam supplicij damnatio, quam salutis occasio. In Cruce enim positus, in Christum Dominum nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis vtitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim latro dum supplicium patitur, regnum cæleste consequitur. Non enim peruenires ad gloriam, si non contraditus esset ad pœnam.* Quia manus suas latro tetendit, & quasi manibus Christi applicuit, fide donatus est simili ei, qua signatus est Thomas, in plagis Christi legens characteres diuinitatis. Pergit Ambrosius. *Hæc est fides plena deuotio, vt cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius venia postuletur, &c. Cernat ille eius hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit, quem reũ nescit, iustum fatetur quẽ non meminit peccatorẽ. Sciuit quod illa in corpore Christi vulnera, nõ essent Christi vulnera sed latronis.*

Ex SS. PATRIBVS. Ambrosius serm. 49. Crux salutaris latroni. Cruci Christi socius erit & Paradisi.

Ibidem. Christi vulnera sunt latronis, id est peccatoris.

Non satis fuit Heraclio Imperatori adorare Crucem Christi, quam inito fœdere receperat à Persis; sed eam amplexatus suisque regiis humeris impositam tulit in Caluariæ montem. Parum est videre loca clauorum, nisi & manum adiicias, cooperando Cruci, & te configendo Domino Iesu, eo ritu quem suggerit Ambrosius ita fatus: *Hic Cruci configitur Christo, qui æmulus vestigiorum eius, nulla mundi concupiscentia capitur, vt Deo viuens, mundo mortuus videatur. Qui enim non agit quæ mundi sunt, vel erroris, mortuus est mundo.* Aduerte, Christum primò apparuisse corpore aperto plagis, deinde monuisse Thomam vt mitteret manus suas. Etenim frustra torqueremur, si Passione sua Christus nostras angustias nõ effecisset Deo gratas.

Ex HISTORIA. Baron. tom. 8. sub an. 628.

Ambros. in epist. ad Galat. cap. 2. Cruci Christi quis affigitur. Mundo mortuus est crucifixus.

Acta Nicæni Concilij commemorant facinus idoneum isti argumento. Eò confluxerant plerique Episcopi desertores olim fidei suæ, grassante persecutione. Hi pœnitentia ducti S. Matris Ecclesiæ clementiam deprecantes in cinere & cilicio, expectabant quanam sententia ferirentur. Trecenti quinquaginta alij Episcopi, qui illic aderant, in varios abiere sensus, multis seuerè opinantibus contra lapsos illos Episcopos etsi pœnitentes. Iudicum moras pertæsus quidam sanctissimus Antistes nomine Iulianus, qui toti Concilio pietate eminebat, de sua sede exiliens adiunxit se aliis illis Episcopis lapsis & contritis, quorum lacrymæ & vota nondum Iudices inflexerant ad parcendum. Vbi ad eos accessit Iulianus ille Præsul sanctitate insignis,

Iuliani Episcopi submissio pro pœnitentibus.

Iacob, quem exuit vestibus obsoletis, vt ille indueret nouas, quarum fragrantia afflatus pater illius, ruens in filij amplexus benedixit ei. Igitur audacter depone illas seculi exuuias, vt nouam religionis stolam accipias, cuius fragrantiam vbi Deus praesenserit, influet in te pluresque adiiciet gratias, quàm reliqueris illecebras in saeculo, vbi si reliquisti patrem & matrem; non eos perdidisti, sed potius magno cum foenore commutasti. Est tibi namque Christus pater, mater verò Virgo Beata, cui pangimus Angelicum melos, dicentes: Aue Maria.

SIngulis quibusque rebus bifariam nomina affinguntur. Primò ex natura rei, vt quia tota rerum compages à Deo benè ordinata est, ea dicitur mundus seu ornatus. Secundò res denominantur à similitudine, vel affectu, quem cum alia re naturae disparis inierunt. In eo sensu Sanctus Cyprianus dictus est Caecilianus ab amore, quo ardebat in Presbyterum Caecilium, à quo Christianus effectus est. Ita & Eusebius dictus est Pamphilius, ab affectu in Pamphilum Martyrem. Eo pacto amatores mundi istius dicimus mundum, quia se totos addixere mundo, flocci pendentes ea quae Dei sunt, vt luget Ioannes commemorans mundi incuriam de Christo. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Cùm igitur audis Apostolos dicere. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Intellige eos omnem planè exuisse affectum rerum, quas concludit mundus ambitu suo. Itaque in mundo non est, qui mundi affectu non capitur, vt ille qui ait: *Nostra conuersatio in caelis est.*

Baron. to. 2. Annal. sub ann. 250.

Ioan. 1. Mundi amatores quare dicantur Mundus. Ex SS. PATRIBVS. *Aug. tract. 2. in Ioan.*

Eum esse sensum Patrum, disce ex Augustino, haec scribente: *Dilectores mundi, mundus dicuntur; amando enim habitamus corde. Amando autem hoc appellari meruerunt, quod ille vbi habitabant.* Hunc mundum abdicas hodie, ô anima Deo addicta; eorum namque consortio te eripis, qui ita se deuouere mundo, vt nihil ferè supersit eis quod Deo donent. Dicam primò de hac malignitate mundi. Secundò quàm insignis sit gratia segregans nos ab ea malorum omnium illuuie.

PARS PRIMA HOMILIAE.

De malignitate mundi.

IOannes Apostolus apprimè edoctus in schola Christi, eam de mundo tulit sententiam. *Totus mundus in maligno positus est.* Id est, in malo igne positus est; malus enim amor, malus ignis est, qui depascit animas illectas mundi illecebris. Quanta autem sit malignitas mundi, collige ex priuatione boni, quam inducit: bonum illud est Deus, cui bifariam homo adhaerere potest, eum scilicet cogitando, & amando. A cogitatione autem & amore Dei hominem omnino distrahit mundus, qui tot species rerum ingerit menti, vt eam occupet totam, & haec mens occupata incautè delinitur illecebris. Etenim superbia vitae animum extollit super omne id quod dicitur Deus. Concupiscentia oculorum ita illudit carni, vt illa concupiscat omne quod delectat. Eo itaque amore flagrans homo, nonne in malo igne positus est, qui amorem Dei planè extinguit, similem igni in propria sphaera illucenti absque vllo pabulo à terra ministrato? Etenim amor Dei terrena respuit; sed amor saeculi instar ignis inferi, pinguedine pascitur. Carnalia vtpote pinguia fomitem suppeditant mundo, vt ardeat: vnde mundo affingitur illud effatum. *Babylon fornax accensa septuplum.* Nimirum septem peccata lethalia pabulum suggerunt illi nefando igni, omnia populanti.

1. Ioan. 5. Ex THEOLOGIA. *Thom. 2. p. q. 4. art. 2.* Mundus quare in maligno totus sit positus.

Hoc itaque mundi statutum est, scilicet, vt quisque in maligno positus sit, lege Dei penitus abdicata. Audi de mundi Dynasta Antiocho ferale edictum. *Scripsit omni regno suo, vt relinqueret vnusquisque legem suam, & consenserunt omnes gentes.* Mundus mollè suada voluptate suggerit defectionem à Dei obsequio, noxio huic futurro morem gerunt Gentes bestiarum cultui mancipatae. Et reuera dici possunt bestiae homines, qui pecudum ritu viuunt, nullum aliud bonum inuestigantes, quàm quod ingerunt sensus, quos cum bestiis communes habemus. Nempe vt praelibaui, si ab amore quo quis aliquem deperit, eodem quo & ille nomine nuncupatur, nonne & homo nactus indolem bestiarum, quae bono sensibili adhaerent, poterit & bestia nominari? Propheta Isaias haudquaquam cunctatus est vocare bestias, omnia mundi mancipia, quae sic describit sub Symbolo incolarum Babylonis. *Requiescent ibi bestiae, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi vlulae in edibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.*

Mundus suadet defectionem à Deo. *1. Mach. 1.*

Mundus est bestiarum receptaculū. *Isa. 13.*

Babylon vox est, ex fonte Hebraeo confusionem sonans, quia omnia susque deque versa in mundo sunt, vbi nihil nisi inordinatè fit. Videre est illic superbiam hominès in aëra raptatos mutantem in dracones aura pastos. Quòd si qui ementita pietate spirant sanctitatem, hi sunt hypocritae. Hi instar struthionum explicant alas ad volatum, sed incassum; vt enim struthio ventilat alas frustra, & tamen semper peditando terit terram; plerique sequaces mundi simulant virtutum praxim, sed ab insolito mundi obsequio non recedunt. Vlulae siue noctuae auaros delineant, qui noctes ducunt insomnes, vt negotiationi suae vacent scriptis, & rescriptis, quibus inuicem sibi correspondent. Sirenes in delubris voluptatis, libidinem sonant, cui mundus tot delubra facit, quot habet corda Veneri mancipata. Haec est genuina mundi facies confirmans illud Ioannis de malignitate mundi, in quam fusè inuehitur Saluianus aequus censor criminum mundi, quem rite dixeris esse πονηρόπολιν. Fuit ciuitas Aegypti à Philippo Rege fundata, quam vocauit malorum omnium ciuitatem, quia reprobi omnes illuc confluxerant. Quidquid superbum, quidquid auarum, quidquid libidini obnoxium est, illud omne est mundi vile mancipium.

Mundus vitiorum est sentina.

Audiendus est Saluianus. *Quid est aliud penè omnis coetus Christianorum, quàm sentina vitiorum; facilius inuenias reos malorum omnium, quàm non omniū. In hanc probrositatem morum*

Mundi vita nequā egregiè descripta Ex SS. PATRIBVS. *Saluian. l. 3. de prouid.*

morum propè omnis Ecclesiæ plebs redacta est, vt in cuncto populo Christiano genus quodammodo sit sanctitatis minus esse vitiosum. Vis videre struthiones, id est, hypocritas simulantes se deflere peccata sua, & tamen eadem ipsa repetentes? Consule eumdem Saluianum. *Nouum monstri genus, eadem penè omnes iugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt, in ipsis penè hæc orationibus suis ac supplicationibus moliuntur; & dum verbis mala præterita plangunt, sensu futura meditantur: ac si oratio eorum rixa magis est criminum quàm exoratrix. De oratione ipsa exeunt condemnati, & oratio eorum fit in peccatum. Quid est negotiantium vita, quàm fraus atque periurium? quid curialium, quàm iniquitas, quid militantium, quàm rapina? hoc fit vt etiam nos, qui nos Christianos esse dicimus, perdamus vim tanti nominis vitio prauitatis. Quid est in nobis quo de Christiano nomine blandiamur? Cum vtique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, quia à sancto nomine discrepamus: nam & ideo plus sub religionis titulo Deum lædimus, quia positi in religione peccamus.*

Ibidem.

Et ne crederes esse hæc vitia vulgi, proceres autem mundi virtutibus eminere; ostendit Saluianus, totam illam honorum pompam esse superbiam vitæ, quæ suas sorores individuas comites habet, scilicet concupiscentiam oculorum & concupiscentiam carnis. Sic ille: *Quid est omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum, aut quid aliud quorumdam præfectura quam præda? Nulla maior pauperculorum depopulatio, quàm potestas; ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione satietur. Reddunt miseri dignitatum pretia quas non emunt: commercia miseri nesciunt, & solutionem sciunt. Vt pauci illustrentur, mundus euertitur: vnius honor, orbis excidium est.*

Saluian. l. 4. de prouid.

Habes hoc contextu Babylonis ideam consonam ei quæ obiecta est Ioanni Apostolo, sic eam describenti *Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Sed quare mundus muliebri specie depingitur, cùm viris passim & fœminis mundus iste coalescat? Respondeo, benè figurari mundum fœminino habitu; nihil enim masculum & arduum spirat mundus, vanitas quippe, libido, & auaritia animos fortes non occupant. Dices, multos in sæculo recenseri Reges mundo addictos, quos nefas esset depingere habitu muliebri. Respondeo, omnes omnino Reges etsi viuant in sæculo non esse tamen mundo addictos; ipso etiam teste Rege Gallo Christianissimo Ludouico XIII. quem mundus suspicit vtpote supra se positum, & calcantem ea quæ mundi sunt. Quòd si qui alij Reges mundi crepundia venerantur, & seruiunt illecebris, hi sunt nomine tenus tantùm Reges & de eorum numero, quos commemorat textus sacer hoc tenore. *Dixit Adonibezec; Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus;* Ita sanè potentes potenter tormenta patiuntur excisa summitate manuum atque pedum, siquidem veluti inhabiles ad summa & egregia facinora, libidinem tantùm cogitant & saginam, quibus sua mancipia mundus inescare solet.

Apoc. 17.

Iudic. 1.

Tota illa pernicies ortum habet ab amore vitiato. Etenim cùm amor sit inclinatio appetitus in id quod ei conueniens est, & illa inclinatio hominem vniat rei fortiter appetitæ. Si ratio non reprimit propensionem illam validam appetitus sensitiui, homo quasi vim patiens ab obiectis delinientibus sensum, bestiarum more agetur, & amittet summitates pedum & manuum, id est, quidquid erat rationabile excidet: atque ita etsi affectum & actionem non amittat, id est, licet habeat semper pedes, & manus, deficit tamen illa summitas, quæ hominem discernit à pecude, quia reprobus rationis vsum non adhibet in delectu eorum, quibus afficitur animus eius, & excitatur ad agendum. Vnde cùm voluntatis imperio agat homo, si ea amore noxio præpedita sit, tota illius opera erunt in maligno.

EX PHILOSOPHIA. Arist. lib. 2. Ethic.

Hoc insinuat Augustinus; ita fatus: *Fecerunt ciuitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei; cælestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui. Illa in seipsa gloriatur, hæc in Domino. Illa enim quærit ab hominibus gloriam, huic autem Deus conscientiæ testis, maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum, hæc dicit Deo suo: Gloria mea, & exaltans caput meum. In illa sapientes eius secundùm hominem viuentes, aut corporis, aut animi sui bona, aut vtriusque sectati sunt: aut qui potuerunt cognoscere Deum, non vt Deum honorauerunt, vel gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, id est, dominante sibi superbia, in sua sapientia sese extollentes stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Ad huiuscemodi enim simulachra adoranda vel duces populorum, vel sectatores fuerunt, & coluerunt atque seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. In hac autem nulla est hominis sapientia, nisi pietas, qua rectè colitur verus Deus, id expectans præmium in societate Sanctorum.*

EX SS. PATRIBVS. Aug. l. 14. de ciuit. c. 28. Amores duo duas ciuitates extruxerunt.

Amor ille noxius, qui posuit fundamina reprobæ illius ciuitatis, quàm hîc commemorat Augustinus, est ignis adeò longè latéque serpens, vt illius incendio occurri nequeat nisi fugiendo, quemadmodum consuluit sibi Loth monitus ab Angelis de instante ruina Sodomæ, cui assimilatur Babylon apud Isaiam præmonentem fore iniquam Babylonis sortem sicut fuit & Sodomæ. Sic ille. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum: sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham. Non habitabitur vsque in finem.* Alius vates eodem actus spiritu, hortatur omnes de salute animæ suæ sollicitos vt procul sint ab illa Babylone. *Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam.* Benè monet Propheta de fuga; tot enim præstigiis vtitur mundus ad homines demulcendos, vt quicunque animum applicuerit ad illecebras eius, illico capiatur. Ideoque considerandi fucos eius nihil melius occurrit quàm recessus

Gen. 19.

Isa. 13. Mundus Babyloni comparatus. Ierem. 51.

Senec. epist. ad Lucill.

ille à Seneca licet ethnico decantatus. *Recedamus a lubrico, quo etiam in sicco parum fortiter stamus.*

Sollicitamur etiam ad fugam mundi, iisdem argumentis, quibus Iacob inductus est ad occulte dimittendum Laban, qui sæpe fefellerat spes & labores ipsius. Sic enim Iacob compellauit Rachelem & Liam, in procinctu exitus sui: *Pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi.* Magnum sane prouidentiæ Dei argumentum, vt præelectis a Deo mundus non astricet nequitiam suam, eorum mentes deliniendo crebris pollicitationibus, quibus vt plurimum vegetiores etiam animi dementantur. Speciali lumine eis affulget Deus aperiendo technas mundi, iuxta illud Psalmi. *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate, in idipsum.* Vis nosse mendacem. Promittit mundus omnia prospera allectis suis, æuum ægritudinis expers, multa blandientis fortunæ munera, perpetuas corporis & animæ delicias, & demum insusurrat fore in suprema ætate spatium pœnitendi.

Gen. 31. Mundus fallit, & imponit.

Psal. 61.

Mundus nos flagellis Dei obstringit.

In eo deprehende deceptorem, quòd scilicet præstiturum se affirmet ea quæ non sunt sui iuris, & hoc contra ipsa rudimenta Iuris Cæsarei, cuius hic est textus. *Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse habet.* Quomodo ergo suos beare potest mundus, qui totus in maligno positus est, vtpote illis vitiis scatens, quæ eos efficiunt miseros quibus affinguntur? Quippe iram Dei sollicitant, qua sæuiente tota illa beatitudo mundi dispergitur. Audi Saluianum hæc declamantem: *Nil mirum si deteriora quotidie patimur, qui deteriores quotidie sumus, quamlibet aspera & aduersa patiamur, minora patimur quam meremur. Quid querimur, quod durè nobiscum agat Deus, multò nos durius cum Deo agimus, vim facimus pietati suæ, ac manum quodammodo inferimus misericordiæ suæ; nam cum ea quibus torqueamur admittimus, ipsi tormentorum nostrorum sumus auctores & impletur illud Isaiæ 50. Ecce omnes vos ignem accendistis, & vires præbuistis flammæ: ingredimini in lucem ignis vestri, & flammæ quam accendistis.*

Ex Ivre Civili. *Lege 55 ff de regulis Iuris.*

Ex SS. Patribvs. *Saluian. l. 4. de prou. Dei.*

Hæc mundi pernicies, quam intentat sequacibus suis deceptis, ea inani bonorum omnium specie quam ingerit mundus, facit eum obnoxium illi Symbolo, cuius meminit Ferrus in Theatro suo Symbolorum, vbi speculo gibboso adiicit has voces. Fallit imago. Etenim sicut speculum mendax refert singula quæque obiecta alio habitu quàm sunt; ita & mundus incautis illudit ocellis, quibus auersione tantùm consulitur, vt præfatus est Dauid, hæc orans: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.*

Mundus est speculum mendax.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 2. Theat.*

Psal. 118.

Pars Secvnda Homiliæ.

Esse Dei gratiam insignem segregari à mundo.

Corruptela hominum tanta est, vt agnitâ mundi nequitiâ ægre admodum ab ea sese expediant, vti liquet exemplo Loth viri sancti, qui etsi exosus reprobos mores Sodomæ, quam mox ab Angelo didicerat euertendam, cunctabatur tamen egredi, & ni Angeli apprehensa manu coëgissent eum egredi, fuisset fortè aliorum ruinæ obnoxius, vt legere est hoc contextu. *Cúmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius.* Non frustra meminit textus matutini temporis, signat namque illud tempus gratiæ exortum, quæ vbi affulsit manus Dei est hic apprehendens manus nostras, vt exeramus actiones congruas lumini desuper emicanti. Etenim vt se habet intellectus ad obiectum fidei, ita & voluntas ad obiectum charitatis: Sed obiectum materiale fidei non potest cognosci nisi Deo reuelante, omnes enim articuli fidei à Deo reuelati sunt Ecclesiæ: Ergo etiam bonum omne quod inducit ad amorem Dei, vt est summum bonum, penes quod est beatitudo nostra vltima, debuit à Deo explicari nobis, illud bonum est religio seu contemptus mundi: quippe nos sollicitat ad amorem illius vltimi finis nostri, ideoque vocatio ad religionem dicit lumen cœlitus illapsum in animam.

Gen. 19.

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 6. art. 1.*

Rursus vt articuli fidei propositi, etsi dicant lumen aliquod, requirunt assensum intellectus, qui ex se impos est ad credendum rem, quæ captum hominis excedit, vnde & manus Dei necessaria est, vt eleuet intellectum ad assensum illum; ita & bonum religionis licet prædicetur omnibus esse institutum ad salutem animarum, vt & plerique sæculares confitentur, non ideo tamen amplexantur omnes illud bonum, quia talis professio sensum lædit, atque ita necessaria est Dei manus educens homines è sæculo, ne pereant cum sæculo delinquente. Huius gratiæ ideam habes in præfato exemplo Loth, & in Hebræis, quos Deus voluit eripere vltioni, quæ instabat vt perderet Dathan, & Abiron. Sic Deo præcipiente Moyses præmonuit populum. *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Morem gerente populo, & secedente quantocyùs, periere Dathan & conscij omnes noxæ illius. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum. Descenderuntque viui in infernum operti humo.* Hæc sunt suprema sæcularium hominum fata: pereunt omnes operti humo; terrena namque dum sapiunt, non eos occupat tantùm terra sed opprimit. Eorum ruinam qui effugit, ille reuera Dei manu vtitur propitia: non enim humanis opibus id fit, vt quis valedicat sæculo. Possunt quidem homines multa allegare idonea ad inferendum animo tædium mundi; sed consensum voluntatis elicere ad religionis austeræ obsequium, Dei negotium est, animam euehentis supra id quod sensibus obuiam fit.

Consortia impiorum quare sint fugienda.

Num. 16.

O anima, quæ in procinctu es religionis, congaudemus tibi ob insignem illam Dei gratiam, qua eriperis mundo, vt Angelis adscribaris. Eadem Dei vox insonat hodie, quæ fuit olim amantissimi patris de filio suo seduce-

Luc. 15.

reduce. *Proferte ſtolam primam, & induite illum.* Stola innocentiæ induetis, religionis habitu accepto, qui eſt habitus filiorum Dei, qui derelicto Patre in ſæculo ſilenter Deum rogant dicentes: *Pater noſter qui es in cœlis.*

EX HISTORIA. *Paul. Diac. lib. 6. c. 15.* Capilli miſſi in teſſeram obſequii. Conſtantinus Pogonatus Imperator miſit tonſuram filiorum Benedicto primo Pontifici.

Vt titulum hunc filij demereantur religioſi, priſcum morem obſeruant, quo quis ſe deuouens in filium alicuius mittebat ad eum capillos ſuos, vnde Conſtantinus Imperator nomine Pogonatus, tonſuram ſuorum filiorum miſit ad Papam Benedictum I. teſtatus eo ritu velle obſtringere Pontificem ad amandum hos Principes paterno affectu. Tonderis hodie, ô anima Deo ſacra, & hæc tua comæ dicata Deo te Dei filiam facit. Non eſt ergo quòd requiras nomen patris in ſæculo, cum deſuper tibi pater arrideat & filij ſui Ieſu caſtos ſpondeat hymenæos, potiores ſanè, eis quos expertа eſt Penelope Icari filia: hanc collocatam Vlyſſi in ſponſā, ille in patriam ſuam eam duxit, quam comitatus pater, nequiens abeuntis receſſum ferre, rogauit vt rediret. Illa coniugi ſuo addicta, & velut immemor patris, velum capiti ſuo imponens faciem ſuam operuit non amplius agnitura patrem, ſicque viro ſuo iugiter adhæſit, edito inſigni ſpecimine caſtitatis. Adeóque placuit illi æuo facinus illud inſigne caſtæ Penelopes, vt erectum fuerit illic ſimulacrum pudoris, cuius eſt faciem rubore ſuffundere, veluti velo obſtante ne quid fiat indecorum.

Pauſa. in Laconicis. Penelope quam fidelis coniugi ſuo

Velum hodie tibi porrigetur, vt reſcias nihil tibi eſſe & ſæculo, quid quid reclamare velint parentes ſæpius importuni, qui ſi ſollicitent ad regreſſum, dic eis quod Hebræi olim perexti deſerta inuia, & inaquoſa: *Quare nos adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, inſuper aquam non habet ad bibendum?* Mundus locus iniquus eſt vtpote in maligno poſitus, ſeri non poteſt, quia bona opera illic ægre germinant, & arent homines deficiente rore gratiæ, deſuper influente. In hos parentes veluti duriores inuehitur ſic Bernardus. *Non ſufficit vobis quòd me in hanc ſæculi miſeriam, miseri miſerum induxiſtis: quod in peccato veſtro, & peccatores peccatorem genuiſtis quem in peccato natum, de peccato nutriſtis: niſi etiam inuidendo mihi miſericordiam, quam conſecutus ſum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium inſuper gehennæ faciatis? O durum patrem! ô ſæuam matrem! ô parentes crudeles, & impios! imò non parentes ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio, mors filij eſt. Qui me malunt perire cum eis, quam regnare ſine eis. Qui me rurſus ad naufragium, vnde tandem nudus euaſi; rurſus ad ignem, vnde vix ſemiuſtus exiui: rurſus ad latrones, à quibus ſemiuiuus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano iam aliquantulum conualui, reuocare conantur. Proh furor! Si vos contemnitis mortem veſtram, cur etiam appetitis meam? Si inquam, negligitis ſalutem veſtram, quid iuuat etiam perſequi meam?*

Num. 20. Parentes impedientes filios ne fiant religioſi acriter arguuntur. *Bernard. ep. 111.*

Iure Canonico excommunicantur illi, qui alienant res Deo ſacras: Ergo potiori ratione feriendus erit anathemate ille, qui animam Deo ſacram tentauerit auertere à ſuo propoſito. Ecce Canon. *De rebus, quæ ſemel Deo contributa ſunt, atque dicata, & poſtea ſub occaſione conceſſionis principum, à quibuſdam innaduntur atque diripiuntur: Sancimus vt primus conſulatus Principem ad reſecandam eam præſumptiuam factionem, & cognoſcendum, vtrum illius ſit conceſſio, an innaſoris præſumptio. Quod ſi Principis inordinata fuerit largitio, ipſe ſit Princeps pro emendatione redarguendus: ſi autem inuaſoris declaratur præſumptio; vſque ad emendationem, excommunicationis ſit vindicta coercendus.*

Res ſacræ non ſunt alienandæ. EX IVRE CANONICO. *Cano. de Rebus 12. qu. 2.*

Saül Dauidi pugnaturo dedit arma regia; eadem Deus tibi dat hodie, ſcilicet religioſam illam veſtem, quæ te adſcribit ſacræ militiæ. Reges armando milites non addunt animos; ſed Deus vocando religioſos, dat gratiam, qua robur animi accedit. Imperator olim in Theatro, explicato velo albo dabat ſignum currentibus, ecce appenditur tibi velum album, veluti teſſera curſus tui. A momento iſto curre, vtque velocior ſit greſſus tuus relinque omnia impedimenta, ſcilicet amorem ſæculi, qui affectum ſponſi eliminat. Ecce ille tuus ſponſus venit ſaliens in montibus; exi obuiam illi & imitare Rebeccam, quæ vt vidit Iſaac ſponſum ſuum, eo ſe apparatu accinxit, quem ſcribit Moyſes. *Rebecca conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo, & ait ad puerum: Quis eſt ille homo, qui venit per agrum in occurſum nobis? Dixitque ei: Ipſe eſt Dominus meus. At illa tollens citò pallium operuit ſe.* Deſcende de camelo, omnia relinque brutalia, & velo obtege caput, vt inde reſciat mundus, te inuiam eſſe illius aſpectibus. O quam tuta integritas ſub hoc velo, vt explicat Tertullianus. *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet quam ſemetipſam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros. Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Vt ſtatum virginis ſerues, mentire aliquid ex his quæ intus ſunt, vt ſoli Deo exhibeas veritatem, quanquam non mentiris nuptam: Nupſiſti enim Chriſto; illi tradidiſti carnem tuam; illi ſponſaſti maturitatem tuam. Incede ſecundum ſponſi tui voluntatem. Chriſtus eſt, qui & alienas ſponſas, & maritatas velare iubet, vtique multo magis ſuas.*

Gen. 4.

Virginitas velamine gaudet vt clypeo.

Tertull. lib. de veland. virgin.

Ea ſanè eſt virtus habitus religioſi, quæ fuit pallij Eliæ, quod impoſitum humeris Eliſæi, ei nouos addidit animos. Sic habet textus. *Cum veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam.* Quotidiana eſt illa mutatio hominum, quos vbi attigit habitus ille ſacer, ſtatim exuunt quidquid in eis beſtiam redolebat, & citato curſu ineunt virtutum callem. Caue ne excidat tibi veſtis illa ſancta, alioquin illud inuehet omen quod inuexit Nicephoro Imperatori veſtis furto ſublata; eo enim habitu Imperiali amiſſo, vix menſe elapſo periit ille exutus Imperator. Hoc vnum ſuggerit Satan nouitiis, vt ſe eo habitu religionis expediant, poſſe enim ſaluari in ſæculo citra tot ærumnas. Qui incautè ei auſcultant, exuunt hunc amictum reuera ſalu-

3 Reg. 19.

Veſtis Nicephori Imperatoris furto ſublata fuit malū omen. *Hiſtoria imperialis ſub an. 811.*

tarem

tatem, & postmodum fine misero defunguntur.

Itaque, ô virgo, si quæ impia cogitatio te vnquam sollicitet ad relinquendum habitum illum sanctum, eam excute eodem argumento, quo sponsa Canticorum, cuius ecce antidotum. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Exui veterem hominem, posui noxias omnes & lethales exuuias, nolo iisdem amplius circumdari. Viæ sæculi omnes luteæ sunt instar volutabri, nolo eas iterum obire, ne meos inficiam pedes, quos purgaui. Sponsum ego nacta Deum, meme composui in speciem virginis desponsatæ tanto Regi. Me igitur frustra sollicitas, Dæmon, namque anima mea prius corpore exuetur suo, quam corpus hoc habitu. Macte, ô filia, generosos animos angusto in pectore versas. Hoc tuum facinus audax me compellit ad eadem vota expromenda, quæ expressere Hebræi in die nuptiarum Booz & Ruth. *Faciat Dominus mulierem hanc, quæ ingreditur domum tuam sicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel, vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat nomen celebre in Bethlehem.*

Cant. 5.

Ruth. 4.

Deum impensè rogo, ô sponsa ei deuota, vt tot sis fœta virtutibus, quot filios enixæ sunt Lia, & Rachel, vt eo pacto queas ædificare domum, quam nunc ingrederis. Etenim egregia specimina virtutum edita, sunt ædificationes animarum. Esto igitur exemplum virtutis in Ephrata. Ephrata vox Hebræa sonat vbertatem, Religio vtpote frugifera vbertatem dicit, in loco illo vbertatis vberes ede omnium virtutum fructus, vt illic comparato celebri nomine sanctitatis, tandem aliquando congaudeas sponso tuo, in æternum cum eo regnatura. FAXIT DEVS.



HOMILIA IN DIE PROFESSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I.  T nequitia mundi benè figuratur in Babylone; ita & religionis sanctitas ritè lineatur in Ierusalem, ideoque prima parte Homiliæ comparo Religionem cum ciuitate Ierusalem.

II. Secunda verò parte dico non recedendum à Ierusalem illa, quia vota important perpetuum obsequium exhibendum Christo.

PRÆFATIO.

Centuplum accipiet, & vitam æternam. Matth. 19.

N*E Hebræi memores deliciarum Ægypti, tædium aliquod conciperent laboris exantlandi antequam fierent incolæ ciuitatis sanctæ Ierusalem, præmisit Deus se eos inducturum in terram fluentem lac & mel, vt hac dulcedine pollicita deliniret eorum animos tædio collabentes. Tantùm potuit spes concepta de dulcore imminente, vt sudorem omnem deterserit, quem collegit Gens illa assueta ærumnis. Melius à Domino consulitur illis, qui spreto sæculo tentauere vno nouitiatus anno quid valeant humeri, quid ferre recusent. Centuplum promittitur omnium dulcedinum, quas mundus intentat, vt incautos illiciat, & insuper additur vita æterna. Suarum innoxium deliciarum vsum Deus non impertit tantùm post vota emissa in professione, sed & in ipso religionis exordio, tot gratiis alluit animas, vt queant vsurpare Dauidicum illud.* Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum. *Hæc prælibata dulcedo te hodie sollicitat, ô anima exosa sæculum, vt fias in æternum Deo sacra. O ingeniosum fœnus! æra duo minuta relinquis in sæculo, vt centuplum accipias, sicque fias paupertate ditior, quam fuisses in opibus. Vis nescire nuptias mundi, vt castitatis voto emisso Domino desponseris. Denique obediendo vis fieri conscia regni cælorum. Pro tanto fœnore congaudemus tibi, ô beata, & Angeli adstant collætantes de pacto, quod vis inire cum Christo, ad cuius quia tu aspiras hymenæos, habebis & eamdem cum eo matrem, scilicet Mariam, quæ inconsulta nefas est prædicare.* Aue Maria.

Psal. 47.

CVm homo duabus partibus constet, corpore scilicet & anima, quæ sunt naturæ disparis, necesse est etiam bona vtriusque partis esse dissita; dicimus enim bonum alicuius id omne quod ei conueniens est: vnde quò nobilior erit pars; potiora etiam erunt bona, quæ ad illam pertinent partem. Ergo cùm anima longè præstantior sit corpore, præferenda erunt animæ bona illis quæ spectant tantùm corpus. Vtraque hominis pars habet ciuitatem, cui assueuit. Caro habet Babylonem, vbi tota diffluit deliciis: anima verò compos effecta ciuitatis Ierusalem, fruitur bonis sibi congruis, quæ reuera aliis præstant, quæ sunt bona cute tenus, & quæ fluxa, & momentanea sunt; ista verò in æuum durant, & hæc optat Dauid homini iusto. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Vtitur mundus bonis perituris, at religio bonis perpetuis. vt dicam prima parte, quæ erit de comparatione Religionis

Psal. 127.

Religionis & Ierusalem. Secunda parte dicam esse perseuerandum vsque ad mortem in ea ciuitate.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Religio comparata vrbi Ierusalem.

TOt caro fucos offundit intellectui, vt plerumque cæcutiat in indagine boni, ideoque Dauid optat vt benedictio singularis affulgeat, qua videre queat homo bona Ierusalem omnibus diebus vitæ suæ. O anima religiosa, hoc lumine dignata es; quippe exosa sæculi bona, vides quàm nobiliora sint bona Ierusalem, vbi vis adscribi omnibus diebus vitæ tuæ, inito pacto votis solennibus obsignato, quibus comparantur bona animi, vnde beatur homo. Etenim beatitudo in summa animæ pace consistit; ideoque gloria æterna dicitur Ierusalem, id est, visio pacis. Cùm ergo religio gaudeat illa summa quiete animi, mundus verò sit inquies; religio erit mystica Ierusalem quæ neminem accipit, nisi ei benedixerit Dominus ex Sion, vnde irradians ostenderit, ea quæ Babylon bona putat, esse duntaxat inanes ideas boni, quod vt ampliùs constet, hæc esto conclusio nullas patiens instantias.

Religio, quæ hominem Deo deuouet totum, ei præstat omnia vera & solida bona, quæ mundus ei impertiri nequit. Pro euidentia thesis huius nota, bonum cuiusque rei attendi penes formam, quæ dat ei specificum esse, & non penes id quod habet se per modum materiæ. Verbi gratia ouis, & lupus in eo conueniunt quòd ambo habent corpus carne & sanguine coalescens, ideoque bonum aliquod non potest eis esse propriũ secundùm illam rationem communem. Vt caro cruenta est quid bonum lupo, quia ad carnem inclinatur deuorandam ratione formæ suæ; ouis verò secus inflectitur ad gramina depascenda. Ita hominis bonum est id quod conueniens est formæ, quæ eum dispescit à brutis, forma autem illa est anima rationalis, cui nihil planè quadrat, nisi quod est rationi consentaneum. Sed nihil est magis rationabile homini, quàm perfectio illius. Et hæc in religione acquiritur, vt & in sæculo deperditur. Ergo religio homini erogat vera & solida bona. Nimirum hominis perfectio in eo sita est in statu viæ, vt sit talis qualem Deus creauerat initio, scilicet vt intellectus eius veris intenderet, voluntas summo bono adhæreret, pars appetitiua concupiscibilis animum non fœdaret, & irascibilis extra ipsum non raptaret. Eo habitu Deus hominem ediderat, vnde excidit diaboli nequitia: sed religio reducem eum facit, reparando ruinas, quas intulit Adami deliquium, quo tota prosapia pessum iuit.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 8. Metaph. c. 5. text. 10.*

Religiosa vita hominem restituit statui innocentiæ.

Primò, hominis intellectus ab errore vindicatur virtute obedientiæ, cuius est sequi lucem superioris affulgentẽ; qui autem ambulat in luce non offendit. Eadem virtus compescit æstus iræ insurgentis, dum suggerit obsequium omni creaturæ propter Deum. Si verò pars concupiscibilis concutitur illecta specie rerum externarum, quæ sensibus inuruntur; præstò sunt duo vota quæ occurrunt noxiis illecebris. Castitas auertit oculos ab eleganti specie vultuum formosorum, & proprio corpori frænum imponitur ne luxuriet. Et paupertas restringit appetitum, ne bona externa concupiscat. Adiice repetitas preces quæ intellectum in Deum dirigunt, item vigilias atque inediam, quæ fulcra sunt insignia castitatis. His auxiliis homo restituitur pristino statui in quo editus est, natura integra. Audacter dicam, statum illum fuisse felicitatis, sed religionis sortem esse virtutis, & æmulari statum beatorum, quorum voluntas firmata est in bono ratione voti, quod eam plenè Dei deuouet obsequio.

Vota religiosa hominem perficiunt.

Votum addit aliquid bono operi.

Trifariam autem melius est, & magis meritorium agere aliquid dictante voto, quàm secus; nam votum est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales: nobilitas autem actionis attenditur ex dignitate virtutis à qua emanat. Verbi gratiâ, actus virtutis inferioris est melior quatenus imperatur à superiori virtute, cuius actus fit per imperium, sicut actus fidei melior est si imperetur à charitate. Eamobrem ieiunare & continere ex voto melius est quam sine voto, quia sic pertinent ad diuinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Secundò, ille qui vouet, plus se Deo subiicit, quippe non actum Deo duntaxat offert, sed & potestatem, quemadmodum luculentius esset donum eius qui daret arborem, & fructus, quam illius qui afferret tantum fructus. Qui enim vouet continentiam, non tantùm Deo offert quotidie actus castitatis, sed sibi adimit potestatem aliter faciendi. Demum ratione voti voluntas immobiliter firmatur & quasi adhæret bono: facere autem aliquid ex bona voluntate constante sibi, perfectius est, quàm agere ex voluntate fluctuante vt ait Aristoteles; sicut peccare ex voluntate obstinata aggrauat reatum. Ergo status religionis perfectior est eo, quo homo à principio creatus est.

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 88. art. 6.* Votũ quàm sit nobile. *Arist. lib. 2. Ethic. cap. 4.*

Fauet Augustinus ita fatus: *Neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quam fouet, & conseruat continentia pietatis.* Cùm ergo religionis suffragio, homo ita Deo adhæreat, summa etiam fruitur pace; nam pax dicit vnionẽ appetituum, vt conspirant in debitum finem: at Deus est debitus hominum finis: ergo ille, cuius appetitus omnes in Deum collimabunt, pace commoda perfruetur, cuius expertes sunt asseclæ mundi iuxta illud Isaiæ. *Pax non est impiis.* Itaque religio, quæ hominẽ, & virtutum, & pacis compotem facit, erit mystica Ierusalem visio & possessio pacis, cuius lac & mel quicunque supremis vt dicitur labiis degustauit, ille statim capitur nausea terrenorum, vt expertus est Theodosius iunior Imperator, qui casu incurrit in cellã eremitæ, cum quo miscẽs colloquia sacra, pane tandem pastus & aqua potatus, ait se nullum transegisse tempus adeò gratum, deinde conuersus ad senem illum ait: O vos felices quibus & sæculo nihil est commune! Si vnius horulæ momentum tanta perfudit lætitia Imperatorem quantis putas gestire deliciis eos, qui æuum omne suum ducunt in iugi Dei obsequio, & id in

Ex SS. Patribus. *August. lib. de virgin. cap. 8.* Virginitas ideo laudanda quia Deo consecratur.

Isa. 48.

Ex Historia. *Vita Patr. parte 2. c. 14.* Theodosij Imperatoris consolatio ex colloquio cũ religiosis.

in claustro, vbi sunt miracula quæ de suis fanis gentilitas ementitur.

Solin. cap. 2. Templum Herculis neque canes neque muscas capit. Templum Achillis ad quod aues non aduolabant.

Ait Solinus, fuisse ædem rotundam Herculi sacram in quam neque canes, neque muscæ intrabant. Item ante Borysthenem fuisse templum Achillis, ad quod nefas erat auibus aduolare, ideoque loca illa dicta sunt ἄορνα, id est, sine auibus. In religione nihil caninum, nihil omnino ferox aut tabidum vel impudentiam redolens, nullæ muscæ, nihil importunum, nullæ elatæ mentes instar auium volitantes; totum namque illic omnibus de humilitate constat. Res est omni sanctæ religioni vernacula, id quod ait Plinius de insula Cypro, vbi homines quidam dicti ophiogenes spiritu & sputo occidebant serpentes. Religiosi omnes si tales sunt, quos illud postulat institutum, serpentem illum abigunt, qui momordit Euam. Præterea liquidò est prodigium illud, quod commemorat Strabo de fano Dianæ in Galatia, vbi virgines impunè prunas ardentes, nudo vestigio terebant. Nonne hoc maius est facinus, frigere libidinem in carne virginum puellarum, quarum sanguis ebulliens si essent in sæculo noxia spargeret incendia?

Plin. lib. 28. cap. 3. Ophiogenes sputo necant serpentes.

Strab. l. 12. Virgines nudis pedibus prunas ardẽtes terunt.

Milites possunt fieri clerici.

In mystica illa Ierusalem nihil omnino indecorum, aut brutale conspicitur, sed omnia illustria atque nobilia, imo & quieta, vt sonat vox Ierusalem, & vt Iure etiam Cæsareo liquet, quo nefas est aliquem distrahere ab eo statu, quia valdè pacificus est. Ecce legem. *Quisquis emensis militia sua stipendiis, expletisque officiis siue muneribus, quæ cuicunque conditione, aut consuetudine, aut lege debebantur, ad consortium se contulerit clericorum, & inter ministros veræ orthodoxæ fidei malueris & elegerit numerari, nullius prorsus sententia acerbitate reuocetur, nec à Dei templis, quibus se consecrauit, importunis contentionibus abstrahatur: sed in iisdem beatissimis ministeriis securus permaneat, & quietus, ad quã post longi laboris lassitudinem, ob reliqua vitæ requiem consilio meliore prostratus est.* Leonis Imperatoris hæc est constitutio, Iustiniano Codice recensita. Credidit Imperator, quietem Ecclesiasti famulatus præstare gloriosis aulæ tumultibus.

EX IVRE CIVILI. Lege. Quisquis. Cod. de Episcopis.

Si obiicias edictum hoc fuisse editum in gratiam clericorum. Respondeo potiori ratione pertinere etiam ad religiosos, quorum institutum Canones sancti præferunt statui clericorum. Ecce Canon. *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab Episcopis in monasteriis largiri oportet ingressus: nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Nota, vitam religiosam dici contemplationis desiderium, quòd si actualiter impleatur contemplando, tamen habitualiter remanet.

EX IVRE CANONIC. Ex Concil. 1. Tolet. cap. 49. Can. Clerici 19 qu. 1. Clerici possunt fieri monachi.

Bona paradisi sunt sola verè bona.

Ad hæc præfata bona aspiras, ô anima religiosa, benedixitque tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. In sæculo vidisses quidem bona, sed corporis communia homini cum bestiis. Sed in religione prostant bona, quibus anima consecratur. Audi Augustinum. *Noli quærere illas benedictiones, quæ non sunt ex Sion. Consoletur ergo te Deus, vt videas bona Ierusalem. Illa enim bona sunt. Quare sunt? Quia æterna sunt. Ista verò bona sunt, & non sunt: non enim stant, labuntur, fluunt, &c.* Ille idẽ vbi religiosam egit vitam, hæc fatus est. *Vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leni sarcinæ tuæ, Christe Iesu adiutor meus, & redemptor meus? Quàm suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas: eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini.*

EX SS. PATRIBVS. August. in Psal. 127.

Idem lib. 9. Conf. cap. 1.

Morborum causæ vnde. EX RE MEDICA Hippoc. lib. 1. de natura.

Religionis incolumem statum probare libet ex placito medicorum, qui omnes ferè morbos iactitant capere initium ab aëre quem ducimus, & victu quem capimus. Sic Hippocrates. Αἱ καὶ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ καὶ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ εἰσαγόμενοι ζῶμεν. *Morbi omnes partim à ratione victus nascuntur, partim à spiritu quem viuendo ducimus.* Fernelius aëri iniquo causam omnium ferè morborum affingit, hæc scribens. *Qui circumfusus est nobis aer, in intima quæque penetrans nos etiam contagione immutat, neque nos solùm, verùm etiam solidissima quæque, vt ligna, vt lapides, & metalla.* Ita sanè suum virus solidæ etiam virtuti afficit mundus. Pergit ille. *Aer in cor viscus nobilissimum, in cerebrum, in corpus denique omne promptè penetrans, suis viriis omnia perfundit.* Spiritus sæculi eorum afficit cerebrum, qui crebras mundi ideas animo versant, & iis delectantur. In cor autem irrepsit virulentus aër, quando ea quæ mundi sunt anima concupiscit.

Fernel. lib. 1. Pathol. c. 13. Aer noxius est morborum causa.

Religiosi vita pacifica.

Ex his collige, quàm salubrem agant vitam religiosæ animæ, quæ aërem adeo salutarem ducunt: quippe religionis aër ille est qui fuit in Ierusalem, quando Dei spiritu illa ciuitas afflabatur. Omnia illic sana & sancta, perfusa lacte & melle. Eamobrem placet religioni affingere symbolum illud, quo alueare pingitur apibus fœtum hoc titulo. MENS OMNIBVS VNA, id est, licet variæ circumuolent apes, omnes tamen mel cogitant, & faciunt. Ita etsi religiosorum discolor sit habitus, & dispar indoles, tamen MENS OMNIBVS VNA. Omnes gratiam Dei spirant, & ea perfunduntur.

EX SYMBOLIS. Ioan. Ferrus part. 2. Theat.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Nunquam esse recedendum à Ierusalem.

Perseuerãtia duplex est.

Diffluens illa è religione dulcedo ita sibi animos deuincit, vt nolint vnquam inde recedere. Quò namque aliquid magis participat de obiecto alicuius potentiæ, eò arctiùs obstringit sibi illam potentiam: Sed religio omnia concludit bona, quæ voluntatem allicere queunt; Ergo religio cognita & gustata vno anno integro nouitium ita delinet, vt nequeat ab ea resilire, ideoque eum vrgebit vt det ei nomen suum in æternum, vt queat videre bona Ierusalem omnibus diebus vitę suæ. Quippe ratio voti de religione profitenda importat perseuerantiam vsque ad mortem. Virtutes enim sunt in duplici differentia: aliæ habent actum, cuius finis est executio operis,

EX THEOLOGIA. S. Thom. 2. 2. q. 138. art. 1. Perseuerãtia est de ratione aliquarũ virtutum.

operis, quæ breuiter durat, vt fortitudo militis porrigitur ad finem certaminis. Aliæ sunt virtutes, quæ actus suos diffundunt vsque ad mortem, vt fides, charitas, religio, & perseuerantia actualis in illis virtutibus includit totum æuum hominis, iuxta illud. *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*

Matth. 10.

Nec te, ô anima religiosa, a cœpto deterreat terminus ille; breuior est quàm fortè arbitreris; mors instat, aut minatur instantiam. Rursus si quid est molestiæ in virtutum praxi, illud se tenet ex difficultate operis. Ast in religione delectatio perficit operationem, fitque vt suauitas expungat illud omne acerbum, quod sua asperitate animum exasperat, atque ita sublata omni difficultate facilius anima perseueret. Adde, Deum qui infudit habitum perseuerantiæ, id est electionem illam firmam profitendi statum illum morte tenus; adfuturum etiam tibi specialibus auxiliis ad actum illum consummandum. Cùm namque religio sit continua virtutum praxis, Deo semper vtitur propitio, qui facienti quod in se est non denegat gratiam.

Perseuerantia est de ratione status religiosi.

Quæ autem sit differentia eorum, quos perseuerantia claustro affixit, & eorum quos errabundos mundus ab opere cœpto abstraxit, disce ex Mathematica illa cælesti, quæ sidera distribuit in duas classes. Alia sunt fixa, alia verò errantia, nunc ad Austrum, aliàs ad Boream vergentia. Fœdæ sunt eclypses siderum errantium, vt videre est in Sole, & Luna; ita quando religiosus aberrat à claustro, fœda est illa defectio, & portendens quid sinistrum. Rursus sidera errantia sunt retrograda, vt videre est in Venere, Mercurio, & aliis; siderum verò fixorum in firmamento nullum planè est retrogradum. Ita religiosi qui abeunt errantes in sæculo, retrogrado gressu vias ineuntes inferni, à Deo penitus elongantur. Alij verò directè sua obeunt munia, frustra sæculo reclamante. Etsi quandoque caro mugiat, animus tamen via recta graditur. Habes figuram huius perseuerantiæ in duabus illis vaccis, quæ ferebant arcam Dei. *Ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes, & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Bethsames vox Hebræa בחשמש *Bethschemesch*, perinde est ac domus Solis. Paradisus est domus Solis, illuc pernice gradu tendunt religiosi, indefesso conamine vsque ad mortem, probè callentes non posse declinare se à recto calle inito, citra animæ dispendium.

EX MATHEMATICA. *Ioan. Stofl. lib. de condend. Ephemer.*

1. Reg. 6. Militiæ desertores quomodo puniuntur. Apostatæ religiosi quomodo puniendi.

Iure Cæsareo desertores sacræ huius militiæ ita compescuntur, vt Episcopis iniungatur cura relegandi eos in claustrum suum. Ecce legem. *Si Monachus reliquerit monasterium, & ad sæcularem vitam migrauerit; hunc militia, & honore, si quem habet prius spoliatum ab Episcopo locorum, & Prouinciæ iudice in monasterium mitti; & res quas postea habuisse probatus fuerit, monasterio in quod mittitur competere.* Luculentos accipe Canones in eo argumento, vnum Leonis Papæ, alium Concilij Toletani. Primus hic est. *Propositum monachi proprio arbitrio & voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim vouit Deo, debet reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publica pœnitentia satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia, & honestum potest esse coniugium; electionem tamen meliorem deseruisse, transgressio est.* Alterius sanctionis ecce tenor. *Proclivis cursus est ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum, vel mulierum habitum semel induerit spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ Choro, aut fœmina fuerit, aut delegata puellarum monasterio: in vtroque sexu præuaricator, ad propositum inuitus reuerti cogatur, vt vir detondeatur, & puella ad monasterium regrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint: sacerdotali sententia ita a Christianorum cœtu habeantur exterres, vt nec locus eis vllus sit communionis.*

EX IVRE CIVILI. *Nouel. 123. §. Si Monach. de S. Episc.* EX IVRE CANONICO. *Leo ep. 90. Can. Propositum 20. q. 3. Ex Conc. 6. Tolet. c. 6.*

Can. Proclivis 20. q. 3. Religiosæ vitæ desertores quomodo puniendi.

Perseuerantiæ illius in religione, quam diximus esse Ierusalem, egregia figura prostat in Codice sacro, vbi Rex Salomon hominem nomine Semei in suam recepit gratiam, ea conditione quam memorat textus iste. *Misit Rex, & vocauit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, atque illuc. Quacunque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* O anima, si quid mali egisti in sæculo, hodie tibi totum dimittitur, ea lege vt in hac religione mystica Ierusalem commoreris omnibus diebus vitæ tuæ. Alioquin eo maledicto defungeris, quod contorsit Rex Salomon in Semei immemorem voti sui, vt pergit enarrare textus. *Nuntiatum est autem Salomoni, quòd esset Semei in Geth de Ierusalem, & rediisset. Et mittens vocauit eum dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacunque die egressus ieris huc, & illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo quem audiui. Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi, &c. Iussit itaque Rex Banaiæ filio Ioiadæ, qui egressus percussit eum, & mortuus est.* Vana sane sunt omnia argumenta, quibus nos sollicitat mundus ad egressum, cùm nullis omnino bonis animum nostrum demulcere queat, quin religio nobis potiora largiatur. Pollicetur opes mundus, sed vt ait Augustinus, Paupertas cælum emit. Honores promittit, Pauperum est regnum cælorum. Suggerit hymenæos, Sed in religione anima Deo Domino desponsatur.

3. Reg. 2. Semei quare morti addictus.

Quàm securior sit iste status eo, quo etiam Principes aliis eminent in sæculo, eleganter ostendit Andronicus Imperator, qui positis infulis, induit religionis habitum, dicens, in die Iudicij extremi sub ea veste religiosa satius esse videri, quam in purpura. Cùm autem Præfectus prætorio eum reuocare vellet ab eo proposito, ait illi Imperator: Heus tu ô Præfecte, noli esse iniurius animæ meæ, qui tam fortiter aliàs meo corpori militasti. Sciebat vir ille prudens, religiosos homines esse veluti greges illos, quos recenset Homerus fuisse in ea veneratione Troianis, vt nemo auderet eis aliquid mali inferre, quia erant diis sacri. Claustra sunt veluti caulæ Dei, in quas lupi nequeunt irrumpere.

Andronicus Imperator fit religiosus. EX HISTORIA. *Cantacuzen. l. 1. cap. 50.* Religiosi Deo sacri ideo tuti. *Homer. Odyss. 3.*

Simile quidpiam egit virgo Cunegundis Imperatrix vxor Henrici I. Imperatoris; illa extincto coniuge suo migrans in claustrum, positis

Cunegundis præfert vestem religiosam pallio Imperiali. *Hist. Imp. sub an. 1040.*

positis insignibus Imperij, religiosum amictum induit, quo obtecta diu vixit alacrior, quam sub laqueatis auro tectis aulæ regiæ. Tandem (vt nihil est sibi constans in hoc æuo) moritura se accinxit ad agonem illum: sed aduertens religiosas parantes ea quæ necessaria erant ad exequias, expandisse aulæa, & tapetia regia, quæ tegerent corpus emortuum Cunegundis; illa exclamans ait: Tollite quantociùs ista hinc; sapiunt enim vanitatem, & dedecent sponsam Christi, melius mihi consuletur hac humili veste, quam aulæis his superbis.

Si Principum tantus fuit amor erga religionis institutum, vt quidquid eminet & emicat in sæculo, non potuerit eos remorari à cœpto proposito, quo valedixere mundo; quæ erunt illecebræ, quibus animus noster à diabolo tentabitur? Nullæ sanè si fortiter adhæremus Christo, idque morte tenus. Etenim ex Isidoro. *Salus incohantibus promittitur, præmium perseuerantibus datur, non est beatus qui bonum facit, sed qui incessabiliter facit.* Adiice & Bernardum. *Perseuerantia sola meretur viribus gloriam, virtutibus coronam. Prorsus absque perseuerantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Perseuerantia vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gloriam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit.* Hodiè igitur voue quæ semper adimpleas, iuxta illud Gregorij. *Benè cœpta cunctis diebus agenda sunt, vt cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantia manu teneatur.*

Ex SS. Patribvs. *Isidor. l. 2. de sum. bon. c. 7. sent. 2.*

Bern. ep. 129. Perseuerantiæ laudes & encomia. Perseuerantiæ necessitas.

Greg. lib. 1. Moral. c. 11.

Hoc tuum inflexibile animi robur vocabit te in sortem Ruth mulieris oriundæ ex Moab, quæ mortuo viro suo adhæsit socrui suæ, & veniens in terram Israël, desponsata est viro potenti nomine Booz, cuius abnepos fuit Dauid. Te inquam, ô anima religiosa, manet eadem, imò maior beatitudo, in supremo momento vitæ tuæ: tunc Deus occurret tibi eadem ferè vsurpans verba viri prælibati congaudentis fœminæ peregrinæ. *Nuntiata sunt mihi omnia quæ fecisti socrui tuæ post mortem viri tui, & quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum quem ante nesciebas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cuius alas confugisti.* Hoc tuum facinus audax, quo vale dicis parentibus, vt adscribaris populo Dei, ô Heroina, à Deo scitur vt auctore grandis huius actionis. Scit mortuum esse tibi mundum, cui olim desponsata, nunc sociaris Christo in terra quam antea nesciebas, scilicet in religionis plaga. Reddet aliquando vberem mercedem tibi ille tuus sponsus, ad quem venisti, & sub cuius alas confugisti. Illa hora extrema, qua suos mundus asseclas deserit indonatos, te Deus dignabitur gloria minimè marcescente. Faxit Devs.

Ruth. 2.

HOMILIA
DE SANCTO FRANCISCO.

SVMMA HOMILIÆ.

I. QVIA Deus maximè humilium frequentia delectatur, ideo in suam partem adsciuit B. Franciscum, eum præcipuo amore dignans, vnde & Franciscus reciproco amore incandescens, amori similis effectus est, vt dico prima parte huius Homiliæ.

II. Secunda verò parte, explico quomodo Francisci sacer amor fuerit orbi beneficus.

PRÆFATIO.

Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Matth. 11.

PERITIÆ *omnis laus non petitur ab effectu magnæ molis, sed plerumque liquet maior industria in re modica. Vnde prisca ætas præteriit illum artificem, qui excelsum montem se iactabat posse labore improbo componere in statuam Alexandri, quæ vna manu concluderet vrbem; altera vero eam flumine allueret. Illi architecto prætulere omnes Myrmecidem, qui quadrigam ex ebore confecit adeò minutam, vt muscæ alis tegeretur, & nauim quam apicula pennis absconderet. Sic eum commemorat Cicero.* Etiam inter Deos Myrmecides minutorum opusculorum fabricator fuisse videtur. *Deus Verbi sui, in quo sunt thesauri scientiæ, & sapientiæ, arcana non ostendit illis Philosophis alta sonantibus, vt Stoïcis, qui tentabant hominem passionibus exuere; aut Epicureis, qui ex hoc auo beatitudinem promittebant. Vni homini occupato in re modica suprema sapientiæ arcana aperuit Deus. Ille fuit beatus Franciscus, humilitatis amasius, si quis vnquam, Religionem instituit adeò exiguam & molis expertem, vt nec tantùm terræ possideat quantũ pinnæ apis queunt obtegere, & hinc ordo Minorum congruè nuncupatur. Ob industriosum illud facinus non inter Deos relatus est ille minutorum opusculorũ fabricator,*

Plutarch. in Alexand.

Plin. lib. 36. cap. 5.

Cic. 4. Acad. Myrmecides exiguorum operum fabricator.

cator, sed totus in imaginem Dei compositus est, genuinè Deum referens in humanis, quintuplici eius stigmate consignatus, & iure adoptionis eadem etiam vsus matre, scilicet Maria, quam salutemus. Aue Maria.

Hug. Vict. in Psal. 15.

HVgo Victorinus compendiosè enarrat quàm Deo chari sint humiles. Ait ille, Christum & diabolum disceptasse de partitione hominum, diabolo petente, & Christo denegante. Totam hanc controuersiam sic, inquit ille, composuit Christus. *Iussit Deus tendi funiculos in partitionem, & inuenit virentia, & irrigua in vallibus imis, minora spatio, maiora pretio: & hæc præcepit seponi ad partem alteram: deserta autem, & arida in ruribus, & montibus altis, lata & aspectu patentia, magna spatio, vilia pretio; & hæc iussit ad alteram partem discerni. Tunc mandauit diabolum adesse, & assistenti sic ait: Ne fortè aut violentiam iudicantis, aut auaritiam dantis causari valeas, quidquid oculus tuus videt tibi dabo. Tunc diabolus, qui omne sublime considerat, & humilia non valet intueri, leuans oculos, aspexit montes altos, & saxa prominentia in rupibus ac deserta patentia: & quasi totum sibi cessisse glorians, despexit quod Deus elegerat. Tunc Deus increpitans, ac cæcitatem elati diridens ait: Funes ceciderunt mihi in præclaris. Tu laudas quòd vides, & ego laudo quod video. Tu in imo es, & propterea oculis tuis nisi alta, & extenta non patent. Ego desuper contemplor quam habeant amœnitatem humilia. Etenim hereditas mea præclara est mihi.* Hæc ille.

Dialogus Dei cum diabolo.

Superbi cedunt in partem diaboli.

Humiles cedunt in partem Dei.

In ea Dei sorte inuentus est Franciscus vtpote adeò humilis, & inops, vt funem Dei acceperit, quo se præcingeret. Dei funes dispescentes iustos à reprobis, sunt humilitas & paupertas: reprobi namque superbiunt, & terræ addicti singula quæque obuia concupiscunt. Franciscus ergo sibi maximè vendicans quæ impensè amat Deus, summè etiam à Deo dilectus est, & vt amor sibi nihil relinquit, Deus Francisco affinxit ea, quibus in humanis maximè enituit, & vnde agnosci voluit, ita vt cùm Deus sit charitas, possis etiam dicere Franciscum esse amorem, vtique diuinum, vt dicam prima parte istius Homiliæ. Secunda verò ostendam beneficia orbi collata ope huius Sancti.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Comparatio amoris & S. Francisci.

AMor ille, quem ingerunt creata obiecta, hoc habet, vt hominem tantùm inclinet quantùm res illæ habent de ratione boni cogniti, & præostensi appetitiuæ facultati, quæ si persuasum habet esse illic quidpiam maximè conueniens, tota effunditur in tale obiectum, & quodammodo similis ei efficitur. Tota tamen illa hominis effusio non fit ab obiecto mouente effectiuè aliquo reali influxu virtutis efficacis, vnde fiat anima vegetior; sed omnis ille amantium impetus fit à bono apprehenso, quod nihil illa apprehensione homini adiicit, vnde fiat sanctior & magis idoneus ad tale bonum etiam sanctum acquirendum. Verbi gratiâ, plerique in sæculo reprobi anhelant ad religionis institutum, vtpote consonum saluti æternæ; professio religiosa sic apprehensa nihil in eos influit; vnde cultiores fiat, sed si quid eis accedit pietatis, illud est totum emergens ex apprehensione obiecti. Longè aliter se res habet in amore, quo Deum deperimus; Deus enim non obiectiuè tantùm mouet appetitum rationalem, sed effectiuè eleuat supra se: licet enim voluntas citra vllum peculiare Dei auxilium aliud à communi concursu queat amare bonum; indiget tamen gratia habituali ad amandum Deum, vt bonum illud, quod nos beare debet in gloria. Ita enim se habet amor actualis à charitate procedens, vt assensus intellectus in rebus fidei: sed intellectus indiget gratia Dei speciali, ad hunc præbendum assensum: ergo etiam voluntas ad actum charitatis; quò maior autem erit notitia Dei amabilis, eò etiam erit amor validior. Ergo Franciscus cui Deus ab exordio conuersionis apparuit, sæpius promittens ei insignia charismata, Deum adeò amabilem cognoscens impensè eum redamauit. Vnde etiam fuit in amorem transformatus.

Amor Dei quid efficiat in amante.

EX THEOLOGIA. *S. Thom. 2. 2. q. 6. art. 1.*

Quòd si amor, qui vnionem clamat, amantem assimilat rei amatæ, nonne Franciscus amans eum, qui amor est, transire potuit in amorem, adinstar eius, qui eodem amore diuino æstuans ait: *Viuo autem iam non ego; viuit verò in me Christus?* Quomodo autem fiat amans similis rei amatæ, audi, & eo fundamine posito rescies quomodo Franciscus comparari queat amori diuino. Hominis status politicus est, & redolens monarchiam: quippe omnes cùm animæ, tùm corporis potentiæ subsunt voluntati, penes quam imperium est in alias facultates. Quan[d]o ergo voluntas alicui obiecto amore deuincta est, statim illi obiecto addicit alias omnes potentias, imperat intellectui vt cogitet, memoriam excitat vt recolat, aures patulas facit vt audiant sermones de re amata, oculos aperit & acuit ad videndum rem amatam, ora reserat ad loquelam & enconmia illius obiecti. Denique voluntas quasi affixa totum hominem exuit, vt induat indolem rei quam deperit. Si hæc deliquia patitur homo illectus ab aliqua creatura; quales æstus patietur anima, in quam influxit amor ille sacer, excitans nostrum ad mutuas rependendas vices? Profectò anima sui impos tota extra se posita erumpet, exiliens in fornacem illam amoris, à qua Seraphim habent vt ardeant. Nonne ab illo amore Seraphicus Franciscus appellatur, quasi amor ille in Seraphim eum transformarit?

Galat. 2.

EX PHILOSOPHIA. *Alb. Mag. l. 3. de anim. tract. 4. c. 8.*

Amor Dei animam efficit Seraphicam.

S. Franciscus cur appelletur Seraphicus.

Prima amoris idea eum nudum obiicit nobis. Ea specie amor Dei Christum ingessit nobis ad præsepe, paruulum scilicet indigum rerum omnium. Amor dicitur nudus, quia omnia aliis elargitur. Ecce tibi exordia vitæ sanctioris, quam iniit Franciscus, amore diuino percitus. Exuit vestes suas ante Episcopum, easque reddidit patri suo, nudus effectus, vt nudo sese amori coaptaret: & vt amplior eius liqueret amor, totum se ademit mundo, vt integrum Deo daret. In diuinis amor, & donum, quando sunt nomina personalia, significant

S. Francisci paupertas.

EX THEOLOGIA. *Thom. 1. p. q. 38. art. 2.*

ſignificant Spiritum Sanctum qui procedit à Patre, & Filio via voluntatis: omnia enim dona in amore radicantur, & amor primum eſt omnium donorum, quia nihil damus, niſi quia volumus bonum illud ei cui donamus; at velle bonum idem eſt ac amare, atque ita donum omne argumentum eſt amoris, dicique poteſt amor donum in affectu, ſicuti donum appellari poteſt amor in effectu. Itaque eò erit amplior amor, quò nobilius erit donum, & hoc arguendi ritu vſus eſt Chriſtus, quando volens explicare ſummum Dei amorem in homines, hunc ſignificauit à magnitudine doni. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret.* Cùm ergo Franciſcus plus Deo dederit cæteris, nonne & vegetior erit amor eius? ad cuius normam inſtituta illius religio, Seraphica nuncupatur.

Amor eſt primum omnium donorum.

Ioan. 3.

Quantùm dederit ille Sanctus audi. Conſtat homo ſpiritu & corpore; at is vtrumque Deo addixit, vtique perfectè. Spiritus intellectu, & voluntate præditus eſt, intellectum ſuum ita Dei fecit, vt Deo ſemper intentus continuam ferè pateretur ecſtaſim; noctes inſomnes agebat orans, & multos item dies impaſtus, & hinc crebræ illius parænefes ad iuge orationis ſtudium, vt quando in Regula ſua fratres hortatur, ne nimio teneantur deſiderio literarum, ſed potiùs ſatagant Deum orare mente innoxia, & corde illibato. Rurſus dum vir ſanctus otij refuga conſulit vt laborent filij ſui, adiicit hoc tamen, ſcilicet vt caueant ne nimius labor extinguat feruorem precum: Franciſci intellectus Deo iugiter intentus, tot in eo amoris illecebras voluntati præoſtendit, vt ea ſubito incandeſcens tota in Deum effuſa, nihil aliud omnino voluerit diſſonum à voluntate Dei. Et ne voluntas ſui compos aliquando deuiaret à nutu Dei, eam voto obedientiæ obſtrinxit, tenaci propoſito ſtatuens obedire Summo Pontifici, & Superioribus ſibi à religione præſtitutis, affirmans ſe paratum morem gerere nouitio in ſuperiorem aſſignato. Etenim ille Deum vbique obuium habens, illum ſibi vndique audiebat alloquentem, & ſi inſonaret amor Dei allegatus, vt Franciſcum inflecteret, omnia aſpera deuorabat, ne deeſſet votis aliorum. Et vt reſcias quæ fuerint rudimenta amoris Dei in Franciſco, dum adhuc ſæculo teneretur, vouit ſe nihil vnquam negaturum ei, qui Dei amorem in ſua petitione recenſeret. In eo autem amore ſacrò prouectior factus, ſi quid aduerteret inducens ad amorem, ſtatim eo igne conflagrabat.

Regul. c. 10.

Regul. c. 5.

S. Franciſci votum in gratiam amoris Dei.

Vidit aliquando hic Sanctus ouem vnam mediam inter hircos, eo aſpectu abiit in lacrymas dicens, ouem illam eſſe typum Chriſti medij inter Iudæos eum laceſſentes. Eo pacto Franciſcus voluntate ſua Deo addicta illic erat, vbi Deus illi affulgebat, iuxta illud Dionyſij: *Amor diuinus exceſſum efficit, dum amantes ſui iuris eſſe non ſinit, ſed amatorum iubet eſſe. Inferiora diuina cuidam ac ſupremæ conuerſioni ſeipſa deuouent.* Hunc amoris intuitum ſcitè enarrat Richardus Victorinus ita fatus: *Integer amator Dei quocunque ſe verterit habet familiarem admonitionem amoris, rebus his pro ſpeculis vtitur, aſpicit cuncta quæ condidit Deus, & quæ condiderit fine, & in his non tam admirabilis, quam amabilis ſibi occurrit, & ex arrha dilectionis quam præconialis Deus, ſapienter æſtimat quanta reſeruat in dotem.* Hæc ille.

EX SS. PATRIBVS.

Dionyſ. l. de diu. nom.

Amor diuinus exceſſum facit.

Richar. l. de grad. charit.

Vt autem integer animus Dei eſſet, Franciſcus non corporis tantùm inopiam ſectatus eſt, ſed maximè eam quæ eſt ſpiritus, minuta etiam deſideria eliminans rerum inferarum, ſola diues inopià, quam ſponſam ſuam & dominam eſſe iactitabat, modico vilium rerum vſu contentus, earum etiam proprietate abdicata. Ea enim eſt indoles amoris ſacri, vt etiam rebus vſui ſuo conceſſis minimè capiatur, vt eruditè enarrat Richardus. *Caſtus profectò columbinúſque oculus amor eſt, qui in rebus humano vſui conceſſis nulla libidine figitur, ſed in tranſitoriis contemplatur æternum. Iſte eſt oculus qui non clauditur, quia carnalitatis palpebra caret: nullo iniecto turbatur, quia nihil admittit forinſecus.*

Amor Dei creaturis vt ſpeculis vtitur.

Rich. vbi ſuprà.

Amor Dei creaturis nullis afficitur.

Iam verò quomodo ſuum corpus Deo deuouerit attende. Duo ſunt præcipuè, quæ corpus noſtrum abſtrahunt à Deo, & deorſum trahunt, à quibus quicunque cauit, ille tenera poteſt ſuum corpus ſartum tectumque Deo conſecrare. Illa duo ſunt, propagatio ſpeciei, & conſeruatio indiuidui, quæ hominem valide ſollicitant. Ad propagationem ſpeciei inſtitutum eſt coniugium, ad cuius affectum libido faces accendit, quas extinguere non eſt ſolius opis humanæ negotium, ſed beneficium Dei ſingulare. Franciſcus adeò longè fuit ab eo affectu, vt virginitatem ſuam non emiſſo tantùm ſtabilierit voto; ſed etiam rigente hyeme volutarit in niue nudum corpus, quia libidinis æſtum præſenſerat. Item aliàs immiſſa pellice in cubiculum eius, cùm eſſet in aula Friderici II. Imperatoris, ille Sanctus prunas ardentes nudo corpori ſuo ſubiecit, malens eo igne cremari, quàm noxia cupidine conflagrare. Et in Regula ſua, quaſi parum eſſet vouiſſe caſtitatem, adiecit eſſe vitanda mulierum conſortia, nequando ſuſpicio noxæ irrepat.

S. Franciſci caſtitas tentata ab Imp. Friderico II.

Ex Chron. Minim vita S. Franc. Regul. c. 1.

Indiuidui conſeruatio petitur à victu; eò enim fine inſitus eſt nobis appetitus ad eſcas, vt earum paſtu reſarciat homo quidquid deperit innato calido depaſcente; & ita inualuit edendi libido, vt plures occiderit gula quàm gladius. Ne ergo edulia ſuis illecebris delinirent corpus, Franciſcus crebra induxit ieiunia, plerumque pane modico, & aqua breui ſuam leuans inediam. Et ſi quando condita obſonia apponebantur, ea cinere aſpergebat, ne lautioris eſculenti ſuauitas guſtum præpediret. Ideóque Sanctus ille ciborum incurius, & Venerem auerſatus, corpus ſuum expeditum ab omnibus aliis plenè Deo mancipauit. Præterea corporis ſaginandi & fouendi nimia anxietas ſuggerit affectum accumulandi opes, quem ille non extirpauit modò, ſolenni voto paupertatis facto, aliarum religionum inſtar, quarum ſinguli quique profeſſores nihil ſibi ſingulariter vendicant, ſed ordo tamen quid proprium habet, vtpote annuo reditu gaudens, vnde ſuorum inſtanti obuiet egeſtati. Vnus eſt Franciſcus, qui ſuos & ſe omninò ſpoliauit, æmulatus amorem Dei, qui eum in Cruce propria exuit veſte, nec permiſit ſepulchrum proprium ei quæſito tumulo alieno. Paupertimus

S. Franciſci abſtinentia.

Paupertas FF. Minorũ quanta ſit.

ximus ille pauperum Patriarcha religione sua instituta, mundum affatus est, sicuti olim Moyses Regem Edom. *Obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram neque ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.*

Numer. 20.

Lineæ rectæ definitio. EX MATHEMATICA. Eucl. l. 1 de Geodesi. 4.

Vna est Minorum religio, quæ pertransit, & celeri gressu terram istam, haudquaquam in ea sistens; non enim habet vbi figat gressus suos: nempe abdicauit agros omnes & vineas, aqua plerumque & pane sibi faciens satis. Illa est quæ graditur via publica & regia, quæ ducit ad Deum, qui est extra terminos mundi, quo prætereito Deus inuenitur. Hæc via recta est, quia paupertas sola est, cui competit definitio recti ex Euclide. *Linea recta est ab vno puncto ad aliud breuissima extensio.* Vel vt aliis placet. *Rectum est id quod non deuiat ab extremis.* Natiuitas, & mors duo extrema vitæ humanæ. Nudus homo ingreditur mundum, nudus item ex hoc egreditur; qui ergo pauperem nudámque egerit vitam, ille profectò rectum suum æuum transiget, quia medium non deuiat ab extremis, in neutram declinans partem. Sed Franciscus expers opum omnium vixit, eáque ferè ratione qua natus est. Ergo via recta tetendit in cælum. Cùm autem quidam Cardinales suaderent, vt mitiore vteretur Regula, patiens sibi assignari annonam & reditus; ille paupertatis amasius, omnia fortunæ ludibria aspernatus, imitatus est Abraham, qui respuit gazas Regis Sodomorum, ita fatus: *Leuo manum ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas; ego ditaui Abraham.* Noluit Franciscus ab alio ditari quàm à Deo, qui hortatur vt prædiuites gazas suas inopiâ nundinemur.

Rectum quid sit.

Paupertas hominem rectum facit.

Genes. 14.

Paupertatis religiosæ encomia. EX SS. PATRIBVS. Aug. ser. 26. de verb. Apostol. Paupertatis pretium quantum sit.

Benè ergo sibi cõsuluit Franciscus arctissima illa paupertie, quam professus est, vt fieret regni Dei consors, habentque quod gaudeant eius sectatores ea tantùm paupertate locupletes, ad quos pertinet illud Augustini. *Magna felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est. Possidere quod cum labore requiritur, paucorum est: contemnere quod cum fructu contemnas, omnium est. Felicitas ergo magna Christianorum, quibus datum est, vt paupertate faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil potest ea ditius inueniri. Vis scire quàm locuples sit? Cælum emit. Quibus thesauris conferri posset, quod videmus paupertati indultum? Vt ad regnum cælorum veniret diues, possessione sua obtinere posset: nunc obtinet vt contemptu perueniat.* Hæc ille.

Amor statura pusillus est, vtpote puerili corpore decurtatus; quippe coëunt humilitas & paupertas, suntque qui paupertatem spiritus humilitatem credant. Paupertatem autem & humilitatem esse amoris Dei dotes, & veluti comites indiuiduas monet Apostolus, eo contextu, quo charitatem stipat suo comitatu. *Charitas non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.* Etenim cùm amor dicat vnionem voluntatum, & amare sit idem velle, idem nolle; anima Deum amans idem planè volet quod vult Deus: at ille odit superbiam, & humilia respicit: ergo quicunque amore Dei percitus erit, odio habebit omne quod typhum superbiæ redolet, & profitebitur se humilitatis sectatorem. Franciscus, qui à paupertate auspicatus est indicia amoris sui, humilitatem ei sociam adiecit, eámque esse aiebat propriam tesseram Fratrum Minorum, vt ex nomine eorum liquet: siquidem non dicuntur minores à paupertate, sed ab humilitate, cuius nulla pars adeò exigua assignari potest, quin etiam minor sit status religionis Seraphicæ. Vnde Beatus hic Patriarcha interrogatus quale esset speciale argumentum dignoscendi Minoritam, ait: Si ego ex laborioso itinere redux appellerem ad cœnobium noctu, imbre & luto aspersus, & inedia fractus pulsarem ad ianuam, ianitor accederet, qui face accensa me inspecto diceret: Heus tu quid nos importunè vexas? ementito habitu religiosum simulas, & tamen es vir nequam, facesse hinc, & me durè pulsatum abigeret, idque ego patienter haberem, hæc sunt aliqualia rudimenta Fratris Minoris. Sed si vrgente deliquio cordis, & corpore fatiscente fame, rursus pulsarem, & ianitor furens rediret exquirens quis intempesta nocte turbaret quietem fratrum; & ego responderem me esse Fratrem Minorem, qui precariò peterem gratiam hospitandi. Si ad hæc ille obiiceret: Mentiris nebulo, sinistri aliquid machinaris sub ea veste, & hæc increpans valido fuste fessum quateret corpus longè abactum ab ædibus, sicque repeteret claustrum me semiuiuo derelicto in cœno & sub dio. Ego verò hilaris confiterer me exceptum pro meritis, & Deum enixè orarem in gratiam fratris illius, vt mihi benefici; hæc genuina est nota Fratris Minoris. Et ne inane putes illum hunc Sanctum effinxisse simulacrum Minoritæ, dicendo debere esse humilem. Ille aduertens totam ciuitatem effusam in occursum suum, Episcopo præeunte vt ipsum reciperent quasi Angelum Dei, ait socio suo: Frater illa populorum frequentia nobis est paritura molestiam, si non præcauemus. Ad hæc ille: Pater consule nobis prout tibi dictauerit Deus. Sanctus hic aduertens secus viam cumulum cretæ præparatum ad vasa effingenda, recessit à via & indecorè pedibus cœpit terere cretam illam, nulla habita ratione virorum illustrium, qui venerant ei obuiam, vnde illi indignati abiere relinquentes eum inglorium.

1. Cor. 13.

Humilitas est virtus propria FF. Minorum.

Ex Chron. in vit. B. Franc.

S. Francisci humilitas.

Vir ille humilis & perquàm acceptus Deo probè callebat, gloriam esse thymiama soli Deo sacrum, atque adeò fugiendum ab homine. Credo paupertatem Francisci prædicari titulo altissimæ paupertatis, quia non solùm opes flocci pendit, sed etiam omnem gloriam aspernatus est, quæ consequitur sanctam inopiam. Duæ autem illæ dotes adeò effecere Deo gratum Beatum hunc Patriarcham, vt ei adiecerit peculiares illas notas, quas amori affingunt Theocritus, & Philostratus, quorum ille amorem pingit crucifixum; iste verò corpore aperto plagis, quas intulit alter amor colludens in horto. Franciscus circumferens sacras Christi plagas, amorem refert illum qui in Cruce pependit hominum causâ, qui immemores huius exemplaris accepere à Deo Sanctum hunc efformatum ad æmulationem crucifixi

Philostr. in iconibus.

S. Francisci religio est imago crucifixi.

crucifixi, vt eo inspecto recolerent memoriam Christi, vt affirmat Clemens Papa V. in illis elogiis quæ redacta sunt in corpus Iuris Canonici. Sic ille. *Quia plerumque mortalis vita sollicitudinibus pressus homo, mentis aspectum ab exemplaris huiusmodi intuitu diuertebat: verus noster Salomon in solo militantis Ecclesiæ, hortum voluptatis inter cæteros quemdam fecit à procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietiùs ac securiùs vacaretur contemplandis seruandisque huiusmodi operibus exemplaris, in hunc mundum introiuit ipse, vt rigaret ipsum fœcundis aquis spiritualis gratiæ, & doctrinæ.* Qualis autem sit ille hortus explicat textus ille canonicus, dicens esse religionem Seraphici Patris, vbi corpora aperta sunt plagis pœnitentiæ, amore Dei ea sic vulnerante. Pergit Papa. *Hic hortus siquidem est Fratrum Minorum sancta religio, quæ muris regularis obseruantiæ firmiter vndique circumclusa, intra se solo contenta Deo adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius mortificantis pœnitentiæ myrrham metit, cum aromatibus, quæ suauitate mira vniuersis odorem attrahentis sanctimoniæ circunfundunt. Hæc est illa cælestis vitæ forma, & regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius Sanctus Franciscus, ac seruandam à suis filiis verbo docuit pariter & exemplo.*

Ex Ivre Canonico. *Clem. Exivi. De verb. sig.*

S. Francisci religio commẽdatur iure canonico.

Gratias ago immensas Deo Saluatori, quod è variis familiis Beati Francisci titulo gaudentibus, me in eam assumpsit, vbi Christus abundè myrrham petit. Dico Capucinos. institutum arduum, Gentem etiam hæreticis admirationi & amori, cuius sanctimonia me à teneris annis ita perfudit, vt eius amore captus, ei impuberes annos feruidè consecrarim. In illa legitima Seraphici Patris familia colludunt Deus & viri Minoritæ, suum plagis mutuum testantes affectum; quò enim quis in Deum propensior est, eò etiam corpori suo asperior est, ne insurgat in Dominum illum, quem tot plagis affecit. Ideo namque Christus est Cruci affixus, quia caro ei fuit iniuria. Vt ergo vitrix anima vindicet Christum, sæuit in carnem plagis inflictis: hac autem corporis infirmitate validior fit animus, iuxta illud Pauli. *Cum infirmor tunc potens sum.* Et hæc carnis afflictio vsurpata, est amoris Dei maximum argumentum. Primò insinuat amorem Dei in nos, quos gratia singulari excitat ad has pœnas amplexandas, quas nemo citra specialem opem Dei subire potest. Secundò castigatio illa arguit animam Deo afflatam, cui vult satisfacere puniendo quod deliquit.

2. Cor. 12.

Non huius generis dico plagas infixas corpori amantissimi Patris Francisci; nempe hæ sunt similes eis, quas apud Philostratum reciprocus amor infligebat. Deus qui ab æterno elegerat istum Sanctum, vt memoriam Christi extincti reuocaret, quemadmodum ait Papa Clemens, ei virtutes infudit, quæ maximè enituere in Christo, licet ratione dispari; aliter enim est aqua in fonte, aliter in vase. Infusis illis virtutibus, paupertate videlicet, & humilitate, du bij fortè fuissent homines, an quantùm homini fas est Franciscus Christum graphicè expressisset, ad cuius imitationem tentabat ille nefarios homines reuocare à suo noxio viuendi ritu. Vt tolleret omnem ansam dubitandi Deus, in supremam amoris tesseram, easdem vulnera inflixit, quibus ipse Filius Dei dignoscitur, ita vt Dei amor bellè admodum queat exprimi eo Symbolo, quo vsus est Pamphilus Landus, qui sigillo has voces inscribebat. Comprimendo imprimit. Quippe amor Dei tam strictè affecit Franciscum, vt eum comprimendo impresserit ei stigmata Saluatoris: quasi diceret Deus, virum hunc mirabilem esse opus eius, cuius sigillo munitus erat. Nec aliunde magis enitere potuit amborum reciprocus amor, quàm ex illa impressione stigmatum, quibus veluti alium Iesum eum effecit Deus. Cum enim tantus sit amor, quanta est vnio; si ea fuit vnio Dei, & Francisci, vt Deum in humanis præ cæteris omnibus omnino Sanctis expresserit; amplior etiam est inferendus amor ambos afficiens, vniens, comprimensque, vsque ad impressionem stigmatum nemini concessorum.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferr. p. 2. Theat.*

Si prophana queunt aliquod etiam lumen sacris adiicere; prisca Arabum Gens amorem suum in Regem, inflicto sibi vulnere, testabatur. Ita vt Rege vulnerato, ille quem arctior affectus deuinciebat Regi, eadem vulnera exciperet, vt similes plagæ amorem eius facerent indubium. Eo argumento Franciscus alios omnes Sanctos excederet, imò & Paulum ipsum, qui suum amorem in Christum probauit ex stigmate Christi, sic fatus: *De cætero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Si stigmata Christi vocat plagas acceptas pro nomine Christi, inferior erit multis martyribus expertis tormina duriora. Si verò intelligit realia illa stigmata, quæ supersunt Christo rediuiuo; non ea visibiliter circumtulit, etsi fortè compassionis affectu Christo confixus fuerit Cruci. Vnus est Franciscus prodigij vice factus, eodem charactere inustus, quo & Christus

Amoris testi erga Regem, Arabes quomodo probabant.

Ex Historia. *Athen. l. 6. c.*

Galat.

Recenset Gallica Historica Henricum III. Regem Galliæ, eo amore affectum à Polonis, qui eum sibi præfecerant in Regem, vt eo capessente fugam, & repetente auitum suum regnum, Comes Tancinus eum insecutus sit, vt supremum vale diceret. Is vbi eum attigit procidens ad pedes eius ait: O Rex etsi Poloniam tuam insalutatam deseris, ne me indonatum derelinquas: hoc vnum oro vt in monimentum amoris tui, vel ligulam vnam caligarum tuarum mihi impertias, quam ego queam viuæ meæ carni inserere in memoriam tui affectus in me, quem recolam eo signo alte impresso corpori meo. Obstupuit & hæsit Rex admiratus tantam fidem in homine peregrino, cui in tesseram reciproci amoris annulum suum regium dono dedit. Erat hic annulus insigni adamante locuples, & toti Poloniæ index amoris præcipui, quo Rex deperibat Comitem hunc Tancinum, annulo videlicet regio decoratum.

Dupleix in Henrico III. sub An. 1574.

Altiori prærogatiua amoris dignatus est Franciscus, qui meditans iugiter angustias, & agones Christi, toto affectu compatiens Domino suo crucifixo, petiit aliquod memoriale Passionis, vt suo configeretur amori. Deus annuit votis animi prædilecti, & eosdem

Amoris argumentum sunt vulnera pro amore suscepta.

dedit adamantes, quos rutilos manibus & pedibus fixos tulit; scilicet clauos, qui singulari prodigio effecti ex ipsa carne huius Sancti, apparuere in manibus, & pedibus eius, latere etiam aperto, in similitudinem plagæ acceptæ à Christo lancea terebrato. Stigmata hæc sacra & regia, nonne arguunt amorem præcipuum, quo Deus hunc pauperum Patriarcham cœlitus insigniuit? Reuera Franciscus fuit amor crucifixus, nec ei defuerunt alæ, quibus amor accingitur ad volandum, sæpius enim eum videre socij eius raptum in aëra, & corusco lumine circumfusum. Non potuit deorsum vergere illud corpus, vtpote nullo rerum huius sæculi amore & pondere prægrauatum.

Signum suũ imprimere alicui nota est dominij. Stigmata impressa brachiis fabricensium. Ex Ivre Civili. *Leg. Rebus. Cod. vt nemini liceat. Leg. Stigm. Cod. de fab. Ex l. 1. Chro. Min. in vita B. Franc.*

Cæterum suis impositis signis Christus toti Ecclesiæ ostendit, Beatum hunc esse Dei tantùm & totum, nec quidpiam aliud posse in eo sibi vendicare locum, iuxta hanc Cæsarum legem. *Rebus quas alius detinet imprimere signa nemini licet, etiamsi suas vel obligatas sibi eas esse aliquis affirmet.* Si mundus aliquali parte sui Franciscum tenuisset, nusquam in eo Christus sua signacula posuisset. Suggerunt & aliam legem hæc stigmata, eam scilicet, qua Imperatores Arcadius & Honorius sanxerunt hoc tenore. *Stigmata, hoc est nota publica fabricensium brachiis infligantur, vt hoc saltem modo possint latitantes agnosci: his qui eos susceperint, vel eorum liberis sine dubio fabrica vendicandis.* Ea lege debuere inuri stigmata brachiis huiusce Patriarchæ; namque suæ conuersionis initio audiit à Christo: *Vade Francisce, repara domum meam quæ labitur.* Et Papa Innocentius III. vidit in somnis Ecclesiam Lateranensem ruinæ proximam, Francisci humero sustentari. Itaque ille Sanctus ordinatus ad fabricam Ecclesiæ, cuius viui sunt lapides, stigmata accepit, quibus innotuit mundo ille egregius Ecclesiarum fabricator.

Pars Secvnda Homiliæ.

Quanta beneficia B. Franciscus orbi contulerit.

Recensita lege Imperatorum Arcadij & Honorij cautum est; vt quisquis reciperet fabricenses stigmate prænotatos, ille vel liberi eius ad eiusdem fabricæ eadem opera censerentur. Hodie non oneri est, sed honori recipere B. Franciscum, etsi eadem lex sortiatur effectum suum: vbi enim orbis vniuersus excepit institutum illud Seraphici Patris, ipsæ ciuitates, quibus apparuit ille Sanctus rediuiuus in filiis suis, arctiori regulæ addictis, statim dederunt operam eidem fabricæ, filios suos eidem sacro ordini consecrantes, vt vacarent conuersioni animarum, penes quam attenditur hæc structura. Beneficium hoc præcipuè prostat in ea familia Francisci, quæ cœlitus accepit legitimum illum habitum, quo ille Sanctus & socij eius vsi sunt, vt probatur ex eodem habitu, quem gessit B. hic Franciscus, & ex picturis illius æui, quas recenset eruditus Pater admodum Reuerendus Zacharias Bouerius Tomo primo annalium Minorum Capucinorum. Eloquentissimus ille æquè ac doctissimus auctor, quo ego in Dolano cœnobio, & superiore & Doctore vsus sum, luculenter explicat quomodo Deus B. Francisci habitum, & vitæ ritum austerum deposuit apud Capucinos, legitimam prolem & hæredes tanti Patris.

Diplomate Pontificio solis Capucinis addictus est ille habitus, vt æmulis huius Sancti. Laudo zelum alicuius familiæ Franciscanæ, quæ ante hoc diploma vti voluit capucio referente eum qui discernit Capucinos ab aliis. Sed iam hoc vetante Pontifice, zelus ille in proteruiam transit, & prodit sanctitatem veste tenus. Optarim ego magis inter omnes B. Francisci familias indici pium hoc certamen, de referenda vita huius Sancti potius eam moribus insectando, quàm de habitu circumferendo. Quippe votum non emissum est de habitu solo, sed de vita & Regula tanti Patriarchæ; cuius legitimam prosapiam quicunque recipit, ille procul dubio, aut aliqui eius liberi addicentur eidem operi, cui vacant Minoritæ, videlicet fabricæ Ecclesiæ, quam si ædificare nequeunt, religionis institutum profitentes, ædificabunt saltem viuentes innoxiè in eo statu, cui Deus eos manciparit. Et hoc in præmium pietatis, qua benè affecti sunt erga illum Sanctum, & legitimam eius prosapiam.

Quis hoc modicum dixerit esse beneficium assumi ad fabricam illam cœli? Et nota, B. Patris Francisci æuo, Deum reuocasse reprobos ad salutem, eo ferè pacto quo Christus, ad cuius typum effinxit hunc Sanctum Deus, vt vacaret reparationi totius mundi immemoris beneficiorum Dei, & incurij bonorum cœlestium. Natus est in stabulo Beatus ille Pater, quasi ad hoc editus, vt eos deduceret ad caulas Ecclesiæ, qui è stabulo vitiorum cunctabantur egredi. Vbi autem adultus innotuit orbi, duodecim assumpsit socios, è quibus vnus, vt alter Iudas pœnitens voti, post defectionem suam suspendio periit. Hos veluti Apostolos destinatos in omnes orbis plagas misit prædicare verbo, & exemplo, tantumque profecere hi fabricenses in structura Ecclesiæ, vt huic sacro ædificio multa hominum millia consecrarint. Explorato eorum instituto Innocentius III. Papa voluit professores eius vocari prædicatores pœnitentiæ, veluti præscius mundum fore sanctiorem, obiectu horum hominum pœnitentum.

S. Franciscus Christi imitator ab ortu suo.

Vidit idem Pontifex exilem palmam è pedibus suis exurgere, quæ patulis diffusa ramis, oras orbis omnes occupabat, Deoque reuelante intellexit hanc palmam esse religionem Minorum, quæ speciali voto humile obsequium præstat Ecclesiæ, quasi ad pedes eius radicata. Et reuera benè figurata in palma, quæ cortice austero, & foliis more gladiorum ductis in laminas, baccas vtiles profert & suaues. Etenim illa Francisci religio deforis nihil nisi austerum sapit, si tamen est legitima proles tanti Patris; alioquin si quis obiiciet homines dyscolos, & peiores eis qui in sæculo nequam sunt: tales dico spurium germen, fœtumque adulterinum iniurium nomini sacro Minoritarum, quibus canone prælibato defertur hic honos, vt eorum religio sit

Lib. 1. c. 23. Chro. Minor. Regul. cap. 1. S. Francisci religio cœlitus Innoc. III. commendata.

Chro. Exini. De verb. sig. Ex Symbolis. *Parad. lib. Symb.*

sit hortus deliciarum Christi, hortus equidem multis consitus palmis, & cui affingi potest Symbolum illud ab Augusto Cæsare vsurpatum. Cudit ille in icone palmam, cui erat alligatus Crocodilus, hoc titulo. Nemo antea alligavit. Voluit eo typo insinuare, se debellasse Ægyptum, quæ est Crocodilorum ferax, ob fluuium Nili, quo alluitur cœno illius impinguata. Itaque alligasse Crocodilum palmæ, est subiugasse Ægyptum. Minorum institutum palma fuit, cui Crocodilus alligatus Ægyptum refert, scilicet mundum, multa illuuie luteum, quem nemo infra Apostolos adeò strictè antea alligarat. Alia namque omnia instituta religiosorum ordinum, quasdam reseruauere sibi reliquias mundi, videlicet opes in communi, quæ redolent adhuc sæculi pompam, & in suppellectile & in ædibus amplis. At pauperum Patriarcha sic respuit ea quæ sæculi sunt, vt habitu austero contentus, & rudi fune, eodem fune alligarit mundum, ab hac palma mystica superatum.

Ne vlla hominum portio vacaret gratia tanti Patris, tres ille ordines instituit vt fabricas Ecclesiæ triumphantis. Primarium institutum fuit Minorum, quo vsus est ad internecionem mundi. Vtque nobilior esset victoria, Deus in reparatione hominum facta ministerio huius Sancti contemptoris mundi, eadem cautela vsus est, qua & in editione mundi, vbi homine efformato speciei masculinæ ait: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Illud adiutorium fuit Eua, educta de Adami costa. Non erat bonum Seraphicum Patrem esse solum opificem in fabrica illa destinata ad reparandas Angelorum ruinas, Deus suscitauit ei virginem Claram in adiutorium, eodem spiritu afflatam, vtpote ab eodem Doctore Francisco eruditam, quæ virilem animum versans in muliebri corpore calcauit andacter mundum, & cum palmæ alligauit; siquidem directores harum virginum semper fuere Minoritæ.

Genes. 2.

S. Franciscus tres ordines instituit.

Rursus quia multos à regulari instituto arcebant matrimonij iura, ne etiam coniugatis deesset vir Sanctus, congregationem instituit hominum pœnitentum, in qua vtriusque sexus homines æmulantes pro modulo suo ritus regularium, se conferrent ad meliorem frugem. Fuit equidem æquum totum orbem terrarum præsentiscere fructus agonum huius egregij Crucis Antesignani. Quippe ea vis est amoris Dei, vt vbi quempiam accenderit, flamma eius etiam excurrat ad alios, percellendo hominem amore hoc percitum, ad indaginem mediorum, quibus ab aliis possit Deus feruidè redamari. Integer namque amator Dei intimè ei vnitus, totum se ad arbitrium Dei componit, quia amor vnionem appetituum clamat; at præcipua Dei voluntas in his quæ hominem spectant, est salus animarum, vt ait Apostolus. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, qui cùm omnia propter semetipsum creauerit altissimus non vult frustrari eo fine, quem intendit in editione hominum, quos ideo è nihilo eduxit, vt faceret aliquando suæ gloriæ participes. Ergo quò quis incalescet amore Dei, eò magis satagit adimplere voluntatem eius, in eo potissimum situm, quod pertinet ad salutem animarum. Et hoc egregiè præstitit ille Sanctus Seraphicus, quia cùm in eo maiora amoris signa Deus expresserit, debuit & ille amore reciproco rependere Deo curas suas omnes, vt saluti omnium hominum incumberet, sicuti fecit palam triplici instituto; quo conclusit omne hominum genus.

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 25. art. 1.*

1. Thess. 4.

Fuisse amoris Dei hoc facinus arduum, de reductione mundi ad obsequium Christi, liquet; quia solus amor naturalis non eo pertingit, vtpote intendens tantùm homini qui amatur, bonum aliquod naturale. Sed adhærere Christo vt fini, qui beare debet animas nostras, opus est præteriens naturæ vires. Ergo Beatus ille Pater, qui ad hoc homines hortatus est triplici illa Regula quam induxit, habuit in pectore suo robur triplex amoris illius sancti, qui viuus est & efficax, vtpote spirans semper egregia facinora, & sortiens effectus congruos suæ indoli generosæ. Itaque hoc esto symbolum Sancti huius, qui salutem hominum sua triplici Regula procurauit: Symbolum illud est quod meminit Ferrus pingens coronam triplici & dispari fronde intertextam, hoc titulo adiecto desuper. Triplici virtvte micatvr. Ramusculi in ea corona implexi erant ex lauro, quercu, & oliua, quibus congruè lineantur tres ordines instituti ab eo Patriarcha. Laurus arbor sacra victoriæ, notat Minorum Regulam victricem mundi præ aliis omnibus institutis. Quercus valida arbor, & robur ideo nuncupata, refert B. Claræ ordinē, qui arguit præstans animi robur vigere in corpore fœminino. Oliua misericordię typus delineat cōgregationē pœnitētū, quę præcipuè occupatur in misericordiæ operibus, vt in visitatione infirmorum, redemptione captiuorum, & eleemosynis erogandis.

S. Francisci tres ordines egregio symbolo lineantur.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus par. 2. Theat.*

Nescio an cui Sanctorum imponi queat hæc corona rutilans in capite Francisci, hoc lemmate inscripto. Triplici virtvte micatvr. Cùm enim omnes homines refundi possint in tres classes, eorum scilicet, qui masculini sexus Deo militant sub labaro paupertatis arctissimæ, & virginum eodem instituto viuentium. Demum aliorum, qui nihil obstante matrimonio vitam agunt in sæculo à vitiis illibatam, potuit ille legifer sanctus compellare omnes homines eo contextu, quo Paulus olim suos Philippenses affatus est: *Fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Domino charissimi*: nihil planè ab eis exigit præter amorem, optans eos stare in Domino charissimos; quid namque aliud ab amore prædicaret amor ille Seraphicus, ideo accensus in postera mundi ætate vt homines eo conflagrarent.

Philipp. 4.

Compendiosam etiam ille viam reperit ad amorem Dei excitandum, illud videlicet insigne beneficium, quo Deus ab eo exoratus indulgentiam hanc famosam concessit omnibus adeuntibus Ecclesiam illam Sanctæ Mariæ, quæ fuit initium religionis Seraphicæ. Res hactenus inaspecta videre hominem, ad cuius arbitrium Deus expunxerit peccata hominum, qui præuia confessione adirent ædas illas sacras; quæ fuere incunabula familiæ, humili & pauperi Domino consecratæ.

S. Franciscus apud Christum mediatorem agit pro peccatoribus indulgentiam obtinendo. *L. 1. Chron. Minorum.*

Nonne

Nonne hoc fuit agere mediatorem Dei & hominum? Agnouit Deus filij sui notas in Francisco ideoque nunquam indonatum abegit, vbi actum est de ruinis Ecclesiæ reparandis. Vnde Deo accincto ad ruinam hominum, Maria Franciscum adiuncto Dominico obtulit, & sic iram compescuit insurgentem.

S. Franciscus quare iram Dei auertit.

Apage commentum illud amoris olim pectore suo excipientis tela Iouis, ne homines confoderet. Habemus in Francisco veritatem potiorem: ille in pectore suo excepit plagas Christi, quibus armatus instar muri sese opposuit Deo meditanti pœnas reprobis infligendas, iuxta illud Deuteronomij. *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos, & fratribus suis: Ignoro vos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum, seruauerunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Israël, ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.* Illud præsagium in Francisco repetit fidem, quando demeruit Deum pro reprobis eum exorando, obtenta celebri illa venia peccatorum illis, qui primam Minorum Ecclesiam inuiserent, veluti confitentes se suffragio Sancti illius Patriarchæ rediisse cum Deo in gratiam, quam virtute amoris sui conciliauit mundo; amoris enim est placare Deum, vt Richardus ait, sic Deum inducens loquentem Moysi: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra populum istum. Audis dimitte, & Deum teneri non dubites, nec aliunde quàm amoris fortitudine. Cessit potentia, cessit iustitia, vbi charitas de corde puro, non tam rogabat, quàm vrgebat. Non est ait Isaias 62. qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te: sola quæ tenere Deum possit vis amoris est, qua non solum teneri se patitur, sed quod non teneatur piè conqueritur. Ezechielis 22. Quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Hæc ille.

Deuteron. 33.

Ex SS. PATRIBVS. *Richar. l. de grad. charit.* Amor Dei iram sedat, & compescit.

Querelæ Dei modum imposuit Beatus Franciscus, qui iræ diuinæ occurrens, fulmina extinxit largo profluuio lacrymarum. Illa clauorum Christi fixura in corpore Sancti illius Patriarchæ, maiora mundo attulit commoda, quam Romanis contulerit fixio claui trabalis facta in templo Iouis Capitolini, vbi grassante lue quæ ciuitatem miserè depascebat, Roma creauit Dictatorem L. Manlium eo solo fine, vt clauum æneum infigeret trabi illius templi, quo facto lues extincta est, quasi eo confixa clauo. Aliàs multæ mulieres mente captæ, sua hac miseranda sorte adeò terruere Rempublicam, vt creatus sit in Dictatorem Cneus Quintilius fixurus clauum trabalem, quo celebri & insolito ritu fixo, compotes sui effectæ sunt mulieres illæ dementatæ. Beati Francisci æuo vitiorum omnium virus ita sese effuderat, vt rarus esset homo indemnis. Sed vbi Franciscus in templum Dei fuit consecratus, & in eo fixi mirabiles illi claui prominentes in manibus, & pedibus eius, homines frugi effecti sunt, diluta plane omni sanie peccatorum. Iidem etiam claui obiecti hominibus, quos multa voluptatum illecebra dementarat immemores Passionis Christi, reddidere saniori menti: nam ex ea clauorum specie eminente in carne Seraphici hominis, cœperunt recolere clauos, qui membra adoranda Christi Domini terebrarunt, eàque memoria mundus iniit vitæ sanctius institutum.

Ex HISTORIA. *Alexand. ab Alex. lib. 2. dier genial. cap. 6.* Claui olim templo affixi sedauere luem grassantem.

S. Francisci claui salutares, atque benefici.

Meminit aliud prodigium insigne historia Ecclesiastica recensens clauos Christi. Ait Helenam matrem Constantini Magni Imperatoris velificantem in mari Adriatico, audiisse pelagus illud esse infame naufragio plurium hominum, quos homicidæ aquarum vortices extinxerunt. Heroïna illa sancta furentis ponti rabiem compescuit iniecto vno ex clauis Christi Domini, quo inquies aqua sedata est. Non est qui referat cumulos hominum, quos mundus absumpsit æuo Beati huius Patriarchæ; sed hæc ingens pernicies finem accepit, vbi clauos suos Christus affixit manibus & pedibus illius Sancti, quem suum esse singulariter ostendit Deus, eo admirabili charactere; iuxta illud Ambrosij effatum. *Charactere Domini inscribuntur & seruuli, & nomine Imperatoris signantur milites.* Quòd si reales illos clauos non datur nobis circumferre, quid vetat inuri signis illis sacris, quæ vniuscuiusque fidelium animis infiguntur. Dico gratiam & affectum in passionem Christi, characteres reuera sanctos, quos exigit Deus à suis sequacibus, vt monet Damianus. *Vndique impressa tibi stigmata Crucis ostende, vt quo nunc arctius indicati vestigia sequeris, eò post sublimius indicantis consortio perfruaris.*

Clauus Crucis Christi sedauit mare furens. *Greg. Turon. lib. de glor. Mart. c. 6.*

Ex SS. PATRIBVS. *Ambros. de obitu Valent.* Stigmata Christi vndique in nobis sunt ostendenda.

Damian. Opusc. 49. cap. 12.

Non est quòd inuideamus illi sæculo gratiam conuersationis illius Sancti, quasi beneficia eius fuerint præsentiæ ipsius alligata. Quippe ad meliorem vitam translatus ille Beatus Pater, mundo adhuc propitius est iugiter orans, & præcipuè pro deuotis sibi & religioni Seraphicæ: nec desunt qui Beati Francisci curas in cælo explicent ex figura, quam Ioannes in Apocalypsi commemorat hoc tenore. *Vidi Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens; nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, donec signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Dicitur Angelus ab ortu Solis, quia eius ortus seu natiuitas similis fuit natiuitati Christi, qui natus est in stabulo, vbi & filium suũ enixa est mater Francisci.

S. Franciscus quare dicatur Angelus ab ortu Solis. *Apoc. 7.*

Præterea vocatur Angelus habens signum Dei viui; quia ex Theologia duo elucent signa Dei in creaturis: vnum est per modum vestigij, vtpote indicans tantùm Dei transitum seu influxum, à quo ea res habet esse. Aliud est signum Dei viui, quod vocatur signum similitudinis, cuius tantùm sunt cõpotes Angeli, & homines conspicui gratia singulari, vt colligere est hoc textu Ezechielis. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore.* Qui eo signaculo illustres in cælo eminent, vt Deo proximi multum valent ad eum demerendum suâ interpositâ clientelâ, sicuti constat ipsomet ore Dei, qui nolens suscipere vota reorum hominum, misit eos ad virum insigni sanctitate rutilum, id est ad Iob, patientiæ & pietatis miraculum *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.*

Ex THEOLOGIA. *Thom. 1 p. q. 45. art. 7.*

Ezech. 28.

Iob. 42.

Vulnera Sancti Iob, vt reliquiæ sanctitatis eius validè Dei auribus insonabant. Audacter dicam,

Plagæ Iob fuere ora Deum orantia.

dicam, elinguis fuit eloquentia plagarum Iob, si conferas eas cum plagis Christi, cuius stigmata impressa sunt corpori casto pauperū Patriarchæ, qui si patitur aliquando repulsam orans, statim exauditur vtens ea industria, qua demulsit in Senatu Iudicum animos miles quidam emeritus causâ cadens, vbi de capite agebatur. Vt vidit ille infirmam esse eloquentiam patroni sui, prosiliens in medium veste aperta nudauit pectus suum, multis lacerum plagis, & sic affatus est Senatores vitæ suæ ancipitis arbitros: Si desunt rationes clementiæ, ô Iudices, attendite corpus meum multo hianti vulnere patens, accepto pro salute vestra; audite hæc ora clamantia, miserandam esse sortem meam. Eo spectaculo deliniti Patres hi conscripti eum protinus absoluerunt.

Vulnera Christi pro nobis orant.

Esto sint pleriquesibi conscij multorum criminum; si tamen pedibus aduoluuntur huius Sancti, non recedent ab eo indonati. Etenim licet ille non habeat merita impiorum hominum, quæ Deo obiiciat vt inflectat eum ad veniam; habet tamen vulnera quæ Deo explicet, sic exorans: Ecce Deus vulnera inflicta corpori Filij tui pro redemptione hominum improborum, da plagis illis quod impio denegasti. Hoc breuiloquio Deus dabit manus vtique beneficas. Ea sancta & vrgente Deum Rhetorica vsus est Augustinus, ita deprecatus: *Reduc, Domine Deus meus, oculos tuæ Maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum, toto corpore extensum. Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & perfice gressus meos in semitis tuis. Nunquid non attendis, pie pater, adolescentis filij charissimi caput niuea ceruice deflexa, pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice, mitissime conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem.*

Ex SS. Patribus. August. lib. Medit. c. 6.

Quò quis maiore honore afficitur à Rege, eò etiam potior est eius intercessio apud illum. Sed Franciscus plus honoris à Deo accepit aliis omnibus Sanctis infra Apostolos, quos ego sicut & Mariam, quæ supra omnes est, & Iosephum semper prætereo cum Ioanne Baptista, qui omnes extra aliorum chorum sunt. Ergo præualet aliis apud Deum illius deprecatio. Quomodo autem præ aliis Sanctis honore affectus sit Franciscus, coniice hoc textu Scripturæ sanctioris. *Homo quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est.* Franciscus non induit tantùm vestes Christi, sed & ipsum Iesum Christum induit, habens vestem suam carneam clauis etiam carneis intertextam, in signum honoris præcipui. Fuit namque edictum Imperatoris Alexandri Seueri, vt proceres Imperij clauis consitas vestes circumferrent, iuxta id quod recenset Lampridius, ita fatus: *Constituit vt Equites Romani à Senatoribus claui qualitate discernerentur; nimirum vt illi angusto, hi vero lato clauo vterentur.* Hæc ille.

S. Franciscus in quo plus aliis Sanctis honoratus.

Esther. 6.

Clauis olim satæ vestes nobiliū Romanorum.

Ex Historia. Lampr. in Al. Seuero.

Religiosi omnes, vt Equites torquati ordinis Christi, vestes clauatas ferunt, sed tribus tantùm clauis iisque angustis consitas. Tria siquidem vota communia sunt omnibus religionum institutis. Sed heu! quàm angusti claui apud multos religiosos nomine tantùm tenus, ad quos pertinet illud lamentum Richardi Victorini. *Venientibus ad sepulchrum Christi, quod est claustrum; & quærentibus Christum sola linteamina patent.* Beatus Franciscus vtitur quatuor clauis, iisque latis. Nam si obedientiam spectas, speciale emittit votum obedientiæ summo Pontifici, & huic voto astringit Regula illius suos professores. Si de castitate est sermo, multa est Regula in hortando fratres, caueant dubia mulierum colloquia; imò eos omnino arcet à Monialium claustris, quod vtinam aduerterent seriò cuiusvis Regulæ professores, facti cautiores ruinâ plurium hominum incautorum, quos species ementita pietatis alliciens, præcipites tandem egit in barathrum, vnde fuit res operosa resilire. Si denique explores paupertatem Seraphicam ea est lato reuera clauo, ita vt sit stupori & miraculo aliis claustris, reditu annuo gaudentibus. Hisce latis clauis Christo confixa est religio Seraphica, & eo clauato habitu dispescitur ille Sanctus ab aliis: vnde & eius merita omnibus nota deuinxere animos omnium fere hominum, qui peculiari affectu dignatur & Patriarcham & filios eius.

S. Francisci Regula profitetur tria vota modo perfectissimo.

In eo argumento rem insignem præstitit nostra ætate Dux Vrbini, qui se suasque ditiones deuouens B. Patri Francisco, cudit numismata aurea, quæ egomet inspexi. In his erat ille Sanctus habitu Capucino, adiectis vocibus his in ora iconis. AVXILIVM DE SANCTO. Quasi diceret etsi Deo chari sint omnes alij Sancti, tamen speciali auxilio se beneficum prodit ille pauperum Patriarcha, qui prædilectus eas quas accepit dotes suis etiam sequacibus elargitur. Erat Beniamin minor inter fratres Patriarchas, & tamen in eo conuiuio quod instruxit Ioseph, vbi singuli quique fratres suas seorsim partes habebant, sic Codex sanctus commemorat fratrem hunc minorem. *Maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Franciscus inter Patriarchas verè frater Minor, nō nomine tantùm sed & re, vtpote ea humilitate illustris, vt ideo maiorem gratiarum influxum perceperit, adiectis insuper quinque plagis Christi. Eamobrem sine vllo exotico dicendi tropo fidenter affirmo de hoc fratre Minore. *Maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.*

S. Francisci auxilium efficax quomodo Dux Vrbini expresserit in numismate aureo.

Genes. 43.

Si quæ familia Francisci habet quo lætetur, ea est nostra Capucinorum, cui legitimum habitum reliquit vt alter Elias Elisæo, & cum eo duplicem illum spiritum humilitatis, & paupertatis. Me Capucinum immeritum audite, ô fratres quicunque Minores estis: Gloriamur emerito Patre; sed caueamus effatum Regis Antigoni, cui cùm miles recenseret merita patris sui, vt aliquod præmium extorqueret, Rex ait: Nihil do paternis meritis, sed vnumquemque metior ex propria virtute. Perperam laboramus in texenda panegyri Patris nostri. Sibi tantùm meruit ille Pater, nostra res agitur, nec Deus nos ex gratia concessa illi Sancto, sed duntaxat ex virtute propria compensabit. LAVS DEO, MARIÆ, FRANCISCO.



HOMILIA DE SANCTO IGNATIO

Patriarcha Almæ Societatis Iesu.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT peritus artifex tesseram suam, seu notam affingit operi, in quo singularem conclusit industriam; ita & Deus ea quæ eminent sua esse dicit opera, vt videre est in eo sidere cui nomen Lucifer, seu Phosphorus, Deus sideris se opificem clamat, sic compellans Iob: *Nunquid producis Luciferum.* Stylus Hebræorum ita reddit hunc versum. *Nunquid producis sidus Societatis cum filiis eius.* Ideo hoc est inuentum istius panegyris.

Iob. 38.

II. Ego comparo Societatem IESV cum Lucifero, seu Planeta Veneris, qui dicitur Hebraicè Sidus Societatis, & dico Deum solum fuisse opificem eius.

III. Altera parte Homiliæ ostendo, ex influxu Luciferi quantùm orbi fuerit benefica, rutilans, & corusca illa Societas IESV.

PRÆFATIO.

Nunquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis? Iob. 38.



OMENCLATVRA duplex est Sideris, quod ego recensui textu prælibato: nimirum quando præit Soli, quasi vehens lucem, Luciferi nomine designatur. Si verò secus, Sol in occubitu suo sequacem habet hunc planetam, dicitur Vesper, vtpote sese explicans, & rutilans hora Vespertina. Tanti Deus fecit hoc lucidum sidus, vt se eius opificem prodat, quasi in micanti hoc planeta coruscus eluceat radius aliquis, index abditæ Deitatis. Vt Scriptura sacra ferax est plurium secretorum, quæ concludit cortice Hebræo, ego consului sanctum & primigenium illud idioma, fœtum multis mysteriis petitis à phrasi dissita ab aliis scribendi tropis, quos insolita nobis latina Scripturarum versio profitetur. Piscans in eo prædiuite fonte, aduerti Hebræa sic sonare. Nunquid sidus Societatis cum filiis suis deduces, חנכום ועיש על-בניה Vengaisch nghal baneah tanechem. *Hebreum schema loquendi, nomina verbalia effert imurendo eis significationem radicis, vnde deducuntur. Verbi gratia à radice* עוש ngusch *sociauit, seu congregauit, deriuatur nomẽ* עיש ngisch, *quod significat sidus, non qualecunque, sed illud quod sociat sibi alia sidera. Et vt Hebræo loquendi tropo, vir diues dicitur vir diuitiarum; ita etiam sidus socians, dicitur appositè sidus Societatis. O Ignati.*

S. Ignatius est sidus Societatis.

Præmia digna ferant, quæ te tam læta tulere
Sæcula, qui talem tanti genuere parentes.

Hæc prædicauit Auctor Parisiis in Colleg. Soc. Iesu an. 1637

Proceres tui nobilitate insignes, affinxere tibi suos titulos, & stemmata, veluti reliquias generosi sanguinis, vnde satus haudquaquã degener coalescis. Hæc esto eorum laus non vltima, edidisse Ignatiũ, Heroem vtique prænobilẽ, & sanguine ebulliente bello clarũ: ab his tamen in te nihil effluxit, quo sis splendidum sidus Societatis. Præpotentis Dei arduum facinus fuit postera mundi ætate creare Ignatium, luciferum sidus Societatis, cum Iesuitis filiis eius. Auditores aptate intellectum vt hoc sidus irradiet, & affectum vt ardeat. Quia autem Lucifer est versus auroram, vertamur & nos ad auroram, scilicet Mariam, quæ est vt aurora consurgens. Aue Maria.

ENtitate nescia mistionis Deus semper sibi constans, multa tamen edit naturæ dispares, & quorum discolor habitus prodit esse innumeros eminenter gradus entis in Deo rerum omnium effectore. Tres præcipue gradus recensent Theologi, quibus arguunt opera Dei ad extra pertinere ad totam Trinitatem. Scilicet, esse, posse, operari. Esse denotat Patrẽ, qui est fons & origo, principium de non principio, à quo omnia habent vt sint. Posse describit Filium, vt Verbum, quo Deus pangit & reserat ea quæ conclusit. Operari spectat ad Spiritum Sanctũ, qui vt amor est, atque adeò impiger, iugiter operatur. Quia nihil editum est inscia Trinitate, ideo creaturæ omnes hoc triplici gradu entis pollent, & cùm tria hæc nobiliore modo prostãt alicubi, illud maximè dicitur esse opus Dei. Verbi gratia, animarũ conuersio importat esse superioris ordinis, videlicet gratiã; posse vltra naturæ vires; & operandi ritũ congruũ potestati huic Diuinæ. Eamobrẽ illa animarũ reductio ad obsequiũ Dei, dicitur opus emanãs à consilio Trinitatis. Vnde Isaias commemorans Dei curam, qua consuluit Hebræis, quos idola ad sui cultum inflexerant, ait: *Audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam, quis ibit nobis?* Hac serie verborum insinuans opus sibi iniunctum, nimirum conuersionem animarum, esse negotium arduum, & signatum sigillo totius Trinitatis.

EX THEOLOGIA. *Thom. 1. p. q. 45. art. 7.*

Opera ad extra quare pertinent ad totam Trinitatem.

Isa. 6.

Superiore sæculo, vitiorum propè omnium fœda colluuies infecerat mundum, cui repurgando nemo satis idoneus inuentus est, præter Ignatium à Loyola, à Patre, & Filio, & Spiritu sancto,

EX HISTORIA. *Ribaden. in vita Ign.*

S. Ignatius à Deo electus tempore quo mundus maxime vitiis infectus erat.

ſancto, glorioſo huic operi præſtitutum. Beatus ille ſenſuũ deliquiũ paſſus, anno M.D.XXXVIII. cùm Societas Ieſu eſſet adhuc in incunabulis. Ille inquam ſupra hominem euectus, diuinæ lucis obſequio vidit Patrem, Filio ſuo Chriſto commendantem huiuſce illuſtris Societatis inſtitutum. Audit inſuper Chriſtum ſibi dicentem: Ego vobis ero propitius Romæ. Sed inquies: Vbi ſuffragium Spiritus ſancti? Conſule Ciaconium hominem extra chorum Ieſuitarum, cuius ideo teſtimonium indubiam fidem facit. Ille recenſens acta Pontificum, dum meminit Pauli III. ait eum

Ciacon. in Paul. III. ſub an. 1540.

rogatum fuiſſe, vt Regulam Societatis huius inclytæ benefico ſuo calculo comprobaret. Pontificem vero facturum ſatis Ignatij & ſociorum anhelis votis, attente oculis luſtraſſe conſcriptos canones ſancti illius inſtituti, & Diuino actum flamine exclamaſſe: Digitus Dei eſt hic. Non eo infitias, Spiritum ſanctum, quo afflatus Ignatius condiderat hæc ſtatuta, innotuiſſe Summo Pontifici, quando teſtatus eſt, hactenus inaſpectum hunc viuendi ritum, eſſe negotium ſingulare ſpecialis Dei curæ deſuper aſpirantis.

Societatis Ieſu Deus inſtitutor.

Hoc igitur conſtans eſto, Societatem Ieſu nullum planè alium habuiſſe opificem, à Patre, & Filio & Spiritu ſancto, vtpote opus, cui meditando impares ſunt omnes omnium hominum cogitatus. Quòd ſi in Ignatio ſacri illius inſtituti prima fundamina poſita ſunt. Si lucis, quæ toti Eccleſiæ affulſit ad exortum Societatis, Ignatius primos excepit & poſtmodum explicuit radios, omne tamen illud opificium deſuper emanauit. Nec eſt qui audeat vendicare ſibi gloriam huius egregij facinoris, quin ſtatim inglorius, ſuos temerarios auſus ſic audiat à Domino ſugillari. *Nunquid producis Luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis?* Id eſt, An putas Genium aliquem infra Deum potuiſſe aliquos congregare homines, & tantis in eos influere dotibus, vt eorum ope reprobi terræ addicti, & quaſi immerſi volutabro illecebrarum carnis, inde emerſerint, illucente eis lumine Societatis inclytæ coruſcantis. Deus inquam hominem illum, qui vſurpare vellet originem huius inſtituti, increparet, præfatis vocibus petitis ex contextu illo Iob, qui Hebraicè hoc ſonat. *Nunquid producis ſidus Societatis, cum filiis eius.* Id eſt: Ego ſolus aſſumpſi Ignatium, in Anteſignanum meæ Societatis, quam ne quis ſibi arrogaret, nomen meum ei affinxi. Cùm ergo Hebræis Lucifer, & ſidus Societatis idem ſonent. Prima parte homiliæ comparabo Societatem Ieſu cum hoc planeta. Secunda parte, referam Luciferi, & Societatis Ieſu communes influxus.

Iob. 38.

Pars Prima Homiliæ.

Comparatio Sideris Luciferi cum S. Ignatio, & cum Societate Ieſu.

COaluiſſe cælos, & ſidera ex aquis, Hebræorum eſt effatum, cui etiam ſuffragatur ipſa cælorum nuncupatio: quippe שמים *ſchamaim* vox deſignans cælos componitur ex שם *ſcham*, & מים *maim*, id eſt, ibi aquæ. Vnde ſic arguo: Quo res aliqua diffuſior eſt, eò plus etiam materiæ poſtulat vt ſibi conſtet; ſed Ignatius eſt Sidus inſigne: ergo multæ coëuntes aquæ confluxere ad hoc cæli, & Eccleſiæ lumen rutilum ef-

Doctores ſacri ſtellis comparati.

formandum. Multus fuit ſanè aquarum concurſus. Aquarum nomine intelligo ærumnas, labores indefeſſos, & ſudores inexhauſtos, quibus velut aquis, & præiacente materia, in ſidera componimur. Sic intelligo hunc Danielis locum. *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Qui noctes egerit inſomnes deuorando libros: qui ſe aſſiduum præſtiterit magiſtris reſerantibus abdita ſcientiarum clauſtra: denique impiger homo in diſcendo, faciet ſibi tandem celebre & ſplendidum nomen in præmium ſtudiorum, quibus iugiter inſudauit. Si leuioris armaturæ peritia, qualis eſt huiuſce ſæculi plurium ſciolorum hominum, tot præuias exigit aquas vt eiaculari queant tenuem vel ſplendorem; credo extitiſſe immenſum pelagus ærumnarum, vnde coruſcus Ignatius, & refulgentes filij eius mutari in ſidera cælitus illuxerunt. Rurſus vice verſa, cum penſo iuges anguſtias, fortes agones, infinitas propè moleſtias, quibus tentata ſunt enaſcentis Societatis exordia, concludo ex eo ærumnarum Oceano debuiſſe emergere ſidera adeò miſcantia, vt ſuo fulgore lumen aliorum ſiderum opacarent.

Dan. 12.

Animus meminiſſe horret, quot agones exantlarit Ignatius, & quàm validos impetus fecerit Dæmon in Societatem enitentem. Deſertores Angeli velut agmine facto irruerunt omnes in hanc pietatis & doctrinæ arcem, ne ſarta tectaque exurgeret in eorum perniciem. Et ne irrito conamine arietarent, conduxerunt omnes penè hominum ſtatus, vt ſuo obice iniquo, imbellis adhuc Societatis infirma initia præfocarent. Nihil intentatum reliquere ſpiritus illi nequam, vt orientis ſideris facem extinguerent. Vndique & vbique Ignatius oſores nactus, in multiplices incurrit anguſtias. Subſannabant eum reprobi, ægrè ferentes impietatem ſuam detegi nouo hoc lumine coruſcante. Conſanguinei eius eum increpabant veluti iniurium ſtemmati ſuo prænobili, eo ſchemate ingloriæ vitæ, quam ſibi præfixerat. Varias orbis oras paupere habitu emenſus, inopiam, inediam, & iniurias multas hominum, & tempeſtatum expertus eſt. Quodque ei ſummum faceſſebat negotium, plerique docti ex clero, ementita ſpecie pietatis, carpebant Ignatium, quaſi degeneres & peregrinos ritus inueheret in Eccleſiam; reſque eò deuenit, vt virum ſanctum, quaſi eſſet fidei ancipitis carceri mancipatint. Arbitrati ſunt æmuli Ignatij parum eſſe acuiſſe linguam ſuam, niſi & ſtylum adiicerent, ideoque vt virulenta rabies inuidos iugiter exaſperat, nebulones illi aptauere calamum Lycambæo ſanguine tinctum, vt quod procaci ſuo ori defuerat, ſcripto mendaci, & impio compenſarent.

S. Ignatius quot ærumnas perpeſſus initio conuerſionis.

Ex hac infideli inuidiæ typographia prodiere libelli tot famoſi in Ignatium, & ſocios eius, diabolo exagitante eloquio & ſcriptis Societatem illam, cuius præſciebat eloquia ſacra & ſcripta omniſcia fore ruinam agminum inferorum. Denique ingruentes procellæ tot parturierunt aquas; quibus intendebat liuor ſubmergere Ignatium; vt earum inundatio referat illam, quam commemorat Paulus, recolens anguſtias, quibus eum decoxit Deus. Sic ille. *In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in*

S. Ignatij, & Pauli Apoſtoli ſimiles fuere agones.

2. Cor. 11.

in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Sed esto fuerit multus ille aquarum effluxus Ignatio iniurius; tamen aquæ illæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: imò amore Dei magis exarsit Ignatius: quippe vt olim aquæ effusæ transierunt in Sidera micantia; ita omnium iniuriarum effusio facta in Ignatium, fecit eum Phosphorum seu Luciferum Sidus irradians orbi toti, cuius inextinguibile lumen nescit tenebris opacari.

Ex Philosophia.
Arist. lib 1. de cæl. cap. 3. text 20.

Etenim ea est indoles materiæ ex qua Sidera concrescunt, vt impatiens sit alterius formæ quàm cælestis; & inde petitur perpetuitas illa, quam nacti sunt cæli, vtpote compacti ex fermento, quod alio charactere quàm cælesti nesciat informari. Cùm ergo homines decocti ærumnis, cælestes fiant, adeò tenax poterit esse forma gratiæ quam induunt, vt in ea confirmati nusquam ab ea deficiant. Itaque Societas educta ex aquis, vt alter Moyses in eum apicem honoris euecta est, vt respuens assimilari præcipuis etiam gazis mundi, vni queat tantùm lucifero sideri comparari.

Societas Iesu vt Moyses ex aquis quomodo educta.

Quod quia insigne est primæ magnitudinis, multis indiguit aquis, vt posset tanta moles exurgere. Ita & Societas Iesu octodecim annos egit in variis iniuriis, vndique impetita, crebros perpessa agones, antequam eo quo effulsit lumine radiaret.

Societas Iesu in incunabulis quot ærumnas est perpessa.

Hoc etiam in Physicis à natura comparatum est, vt nobiliores quæque formæ auri, & gemmarum educantur è potentia materiæ, multis sæculis interiectis. Diceres naturam inuidere materiæ præcipuæ cuiusque formæ consortium. Imò sanctiore aura afflatus, credo Deum erudire homines, gratias insignes non influere in animas, nisi cautela multiplici præeunte. Vt namque forma noua occupet materiam, qualitates omnes exoticas eliminare debet, vt eo repurgio præuio informet materiam; eo etiam ferè pacto præcipua Dei charismata nostras subeunt animas, eas defæcando prius ab omni obice, qui remorari potest gratiæ illapsum cælitus influentis. Hunc tenorem seruant res quæque arduæ, cunctantur primò aliquo obstante, postea exurgunt.

Societati Ignatij nomen Iesu affixum.

Deo afflante concepit Ignatius nobile suum institutum anno M. D. XXII. sed reflante aduersa æmulorum aura, vt conceptus ille abortiret, varias orbis oras lustrans octodecim annis iactatus est variè Ignatius errabundus. Tandem anno M. D. XL. Deus imposuit colophonem illi turri, toties impetitæ. Societatem Iesu esse turrim audi ex præsidio Salomone. *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit iustus & exaltabitur.*

Prouerb. 18.

Ex Historia.
Niceph. Callist. l. 17. hist. Eccl. cap 3.
Iesus est nomen olim salutare vrbi Antiochiæ terræ crebris motibus afflictæ.

Nomen Iesu huic Societati affixum, fecit eam turrim inconcussam, sicut olim idem nomen propitium fuit Antiochiæ, quæ cum crebris, & importunis terræ motibus non nutaret modò, sed & collaberetur in dies, breui adæquanda solo, desuper monita audit inscripto nomine Iesu singulis quibusque foribus ædium, esse his noxiis casibus occurrendum. Morem gessit oraculo ciuitas dehiscente terra iamiam obsorbenda: nomen Iesu ibi longè latéque inustum est, eoque munimine conclusi hiatus firmauerunt vrbem, quæ in tesseram animi sui nusquam immemoris gratiæ acceptæ, deposito nomine proprio induit nomen Dei; quippe se oblita Antiochiam, Θεόπολις, id est, ciuitas Dei fuit postea nuncupata.

Congregatio Ignatij diu tulit iniquiores hominum animos; sed vbi dictante Deo Paulus III. institutum hoc approbauit adiecto ei nomine Iesu, quo Deus ipse dignatus est hunc insignem sanctioris vitæ ritum, nomenclaturam suam ab Ignatio non accepit illa religio, sed à charactere sibi cælitus inusto, congruo nomine fuit Societas Iesu postmodum appellata. Quare autem tot agones perpessa sit illa Societas futura non infirmum Ecclesiæ propugnaculum? Quare tot ærumnis atque sudoribus maduerint incunabula illius? Audi.

Societas Iesu quare crebra mala perpessa.

Tantæ molis erat Romanam condere Gentem.

Nonne enascentis Romæ initia tulere alternantis fortunæ ludibria, sorte ancipiti quatiente tenera illius Imperij fundamina? Nonne ipsa emergentis Ecclesiæ primordia, Apostolorum sanguine rubuerunt? Ideo rerum insignium atque arduarum indolem nacta Societas Iesu, facta est etiam conscia morarum omnium, quæ præclara omnia facinora consequuntur. Quippe ei affingi poterat illud effatum Dauidis de templo Dei. *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.*

Societas Iesu quare initio acriter à dæmone vexata.

1. Paral. 19.

Non eo inficias, Dæmonis astu multos insurrexisse in Iesuitas; siquidem Angelus ille refuga sectatus est ingenium Valentis Imperatoris, qui vt à Mago accepit, se habiturum successorem, cuius nomen easdem haberet literas initiales, quales habet nomen Dei Θεὸς: ille veritus insidias sibi parari, dubiam fecit fidem Theoduli, & Theodori virorum nobilium, quos ideo iniquè Princeps hic perfidus interemit. Non tamen elusit præsagium, quo Theodosius ille Magnus instans Imperio, rerum potitus est. Sciebat desertor Angelus, fore aliquando religiosum institutum, præfixo Dei nomine gloriosum, quo inualescente, impietatis regnum pessum iret. Eamobrem affulgente Societate Iesu, lucifuga ille spiritus infremuit, omnémque lapidem mouit ad ruinam exurgentis illius turris fortissimæ, in qua erat omnis armatura fortium: sed Deo fulciente bases illius arcis immotæ, Dæmon irrito conamine perperam insultauit. Nec imbelles fuere tantum eius insultus; at etiam in fugam actus, eâ tyrannide cecidit, qua potiori hominum parti trux ille dominus imminebat.

Sozom. lib. 6. cap. 35.

Valens Imperator occidit eos quorum nomen incipiebat à voce Theo.

Societatis Iesu constantia.

Ex Symbolis.

Feliciter exantlato eo agone, Societas Iesu meruit hoc Symbolum, quod recenset Ferrus, cùm depingit scopulum impetitum aquis, quæ refractæ in suum despumant interitum, hoc lemmate adiecto. CONANTIA FRANGERE FRANGAM. Accinxerunt se ad occasum Societatis impij omnes, qui ne iniquo huic deessent intento, consuluere modos vtiquè nefarios, idoneos ad lumen hoc rutilum extinguendum. Nihili fecit hos conatus illa inconcussa turris, æmulata constantiam scopuli, cuius & sibi adsciuit titulum hunc loquacem, CONANTIA FRANGERE FRANGAM.

Ioan. Ferrus part. 2. Theatri Symbol.

Itaque vt Phosphorus seu Lucifer prima ex aquis hausit auspicia, vnde & emersere reliqua Sidera; ita & Ignatius atque Societas Iesu, iure sibi vendicare queunt nomen Luciferi Sideris, quia eos recens editos multæ angustiæ graues vt importuni aquarum vortices alluerunt. Accedit alia denominatio Luciferi consona Ignatio, & Societati. Ab Isaia dicitur hoc sidus הילל בן שחר *helelben schachar*, id est, Lucifer filius auroræ, vulgata verò editio sic sonat. *Lucifer qui manè oriebaris.* Maria dicta aurora consurgens, filios habuit Ignatium & socios eius. Die namque

Societas Iesu cœpit initium in æde B. V. Mariæ.
Isa. 14.

Annuntiatio

Annuntiationis B. V. Mariæ anni M. D. XXII. Ignatius in æde sacra illi Deiparæ, primùm statuit inire hoc vitæ genus, & sic eadem Virgo quæ concepit Christum, eamet etiam die in æde sua Montisserrati adfuit Ignatio, Societatis Iesu exordia cogitanti. Elapsis abhinc duodecim annis, Ignatius & Socij eius prima religionis vota emisere Parisiis, in æde eiusdem B. V. Mariæ sita in monte Martyrum, die Assumptionis; vt Maria, quæ adstiterat conceptui sancti illius instituti, propitia etiam esset instantibus incrementis.

Societatis Iesu B. V. Maria protectrix.

Non temerè ergo Luciferum illud Sidus voco filium auroræ, nec is titulus est Mariæ iniurius, cùm ipse rerum omnium opifex Iesus hos socios, concesso eis nomine Iesu, in filios adoptarit. Vnde & prænobilis illa Societas de genere suo interrogata, vsurpare potest voces Raphaelis, quem Tobias senior sic affatus est: *Indica mihi de qua tribu es tu*, cui ille respondens ait: *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu.* Si te compello eodem contextu, ô Ignati: *Indica mihi de qua tribu es tu?* proculdubio respondebis: *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius.* Azarias vox Hebræa significat auxilium Dei, sicut & Ananias nubem Dei, à radice עזר *ngazar*, auxiliari, & יה *iah* Deus. Ananias item deriuatur à vocabulo ענן *nganan*, quod est nubes, & יה *iah* Deus. Hæc equidem nomina conueniunt Ignatio, & filiis eius, qui vt opportunum Dei auxilium, adfuere laboranti Ecclesiæ, obstetricante Deipara, quæ tunc vt nubes Dei cælitus irrorauit. O Societas inclyta, ex magno genere es tu, vtpote Iesu patre, & Maria matre sata. Potes meritò vsurpare Symbolum Ioannis Baptistæ Vitelleschi, à quo & fortè originem traxit, aut cui saltem consanguineus est Reuerendus admodum Pater tuus Præpositus Generalis Mutius Vitelleschus. Præferebat ille Solem, & Lunam, adiectis his vocibus. ESTE DVCES. Sol & Luna, Iesus, & Maria fuere tibi Duces, ô alma religio, quando iniquiores fuere tibi etiam superæ potestates.

Tob. 5.

Societas Iesu ex magno genere est.

Societatis Iesu duces Iesus & Maria.

Hieron. Ruscelli. lib. Symb.

Attendite auditores, & stupete, versantes animo singulare præsidium, quo Iesus & Maria tutati sunt Sidus Societatis cum filiis eius. Suos vsquequaque radios diffundere cœperant hæc Sidera, cùm meditatus est occasum eorum vir magni nominis æquè ac iuris: fuit hic Cardinalis Lucensis, qui cogitauit Societatem Iesu reducere ad aliquod aliud religionis institutum, causatus Ecclesiam venire in discrimen ob tot & varios ordines, qui sibi non constabant. Sed vbi in media Eminentissimorum Cardinalium frequentia non tam pungere quàm expungere aggressus est Societatem, derepente in alium mutatus virum, alio flamine percitus ait, se auersos deponere animos, quos incautè conceperat, & experiri robur eius Dei qui partes agebat Luciferi huius Sideris emergentis. Et adiecit, se ingenuè confiteri, suum hoc consilium de protegenda hactenus Societate, esse Diuinum negotium, vtique Spiritus sancti reuocantis deuios animos. Obstupuere Patres, hominem adeò alienum ab his Sideribus, meliore inito consilio factum esse eis protinus æquiorem. Nonne iam fas est affingere Ignatio & sociis illud Cantici Deboræ. *De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo, contra Sisaram pugnauerunt?* Voluere æmuli Iesuitarum delere hunc ordinem suscitatum in iuuamen Ecclesiæ: sed Deo armato in eorum gratiam, de cælo contra liuidos homines dimicatum est, & sic Ignatius Sidus Societatis, & filij eius stellæ coruscantes, remanserunt in ordine suo, id est, in ea religione, quæ annuente Pontifice Paulo III. fuerat approbata.

EX HISTORIA. *Franc. Cabr. lib. de Card. in Card. Lucensi.*

Societas Iesu in Cōcilio Tridentino cælitus protecta.

Iudic. 5.

Reuera, ô sancta Ignatij prosapia, fuere tibi duces in eo agone Iesus & Maria, non integra tantùm & superstes tibi constans semper, sed & gloriosa triumphasti. Si quando aliæ procellæ insurgentes præsumpserint intentare ruinam, recole hoc Christi & Mariæ præsidium, & euanescent quantocyus nefarij noxiorum hominum ausus. Imò Mariæ matris memoria recensita, nutantes erigere poterit animos, hac Anselmi oratione pia feruide repetita. *O beata fiducia, ô tutum refugium, Mater Dei, & mater nostra.* Ita sanè, o inclyta Ignatij proles, ex magno genere es tu. Ortus tui claritas etiam petitur à situ Sideris tui, quod in libro Iob, sicuti præfatus sum, Luciferi nomine designatur. Sidus hoc Mathematicis est Venus Planeta medius inter Solem & Mercurium: habet à Sole, vt præ aliis rutilet hic Planeta; a Mercurio autem accipit, vnde inclinet homines sibi subditos ad loquelam.

Societatis Iesu magna fiducia ex protectione Iesu, & Mariæ.

Anselm. de excel. Virg.

EX MATHEMATICA. *Sacrobos. lib. de Sphær.*

In argumentum propinquitatis, qua Deo deuincta est splendida illa Societas soli eius gloriæ intenta, has familiares habet voces indices animi sui anhelantis ad gloriam illam pro modulo propagandam. AD MAIOREM DEI GLORIAM. Hunc scopum supra se habet; infra verò premit Mercurium: quippe omnigena facundia iuris est Iesuitarum, qui principes linguas, Hebræam, Græcam, & Latinam ita fecere sibi vernaculas, vt ab his petendæ sint institutiones absolutissimæ horum idiomatum. Quantùm autem profecerit hic Phosphorus ex zelo ampliandi gloriam Dei, quàm gloriosa & illustris extiterit illa Societas, aspernando hominum gloriolam, vt vacaret vni tantùm gloriæ Dei; collige ex illo Deuteronomij loco, vbi Moyses præscius futurorum hæc loquitur Hebræis. *Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit.* Stetit Deus pollicitis; Societas namque Iesu hodie illustris, nulli est postponenda instituto, sed adæquanda summis, quia fuit incuria gloriæ sæcularis. Quid dico incuriam? debui dicere honorum refugam: quippe Iesuitis ex statuto insitum est, non ambire modò pedum pastorale; sed secus totis eniti viribus, inuitos humeros imminenti subtrahere dignitati.

Societatis Iesu quis est scopus.

Societas Iesu fugiendo gloriam cælitus honorata.

Deut. 11.

Societatis Iesu filij refugæ honorum.

Fortes in eo agone sese præstitere proceres illius Societatis videlicet Iayus, Lainez, & B. Fraciscus Borgia, quorum primus scilicet Iayus, petitus in Archiepiscopum à Rege Ferdinando, constanter abnuit. Lainez autem sollicitatus à Pontifice Paulo IV. qui eum aggregare voluit sacro Cardinalium collegio, prudenter obstitit. B. Franciscus Borgia, vt emeritæ virtutis vir, fortiores æmulos nactus est, videlicet Iulium III. & Carolum V. Imperatorem. Præcipua hæc mundi capita Beatum hunc vrgebant ad sacras Cardinalium infulas induendas; sed ille insito sibi robore animi superior extitit Iulio III. & Carolo V. oblatos sibi titulos aspernatus.

EX HISTORIA. *Ribad. in Laino & Borg.*

Hoc propositum Societatis probè callens Henricus IV. Rex Galliæ, elusit calumniam cuiusdam præpotentis aulici iniqui Iesuitis, & suadentis Regi Gallo, ne illi postliminio redirent in Galliam. Ille nomine Achilles hoc argumento Achillæo visu

Duplaix in Henric. IV. sub an. 1603.

Societatis Iesu defensionem suscepit Henricus IV. Rex Galliæ.

vsus est, vt lethale suum virus regiis auribus instillaret: Ambitione, ô Rex inuictissime, nulla pernicies est terrior, hac lue infecti Iesuitæ omnes tument; quid ergo cogitas reuocare homines, quos nimius typhus etiam ipsi clero execrabiles fecit, vt liquido est ex querelis plurium clericorum. Non tulit Rex iniuriam factam viris de orbe toto benè meritis; sed vt erat præsenti ingenio, resumens argumentum editum in ruinam Societatis, ait: Quasi verò Iesuitæ sint superbi, quibus ex voto præcipuum honorum culmen est gloriam aspernari. Non citra piaculum censeri possunt ambire honores alienos, qui peculiari suo instituto sunt concessæ licitæque sibi gloriæ seduli desertores. Quòd si qui ex clero excitauere tragœdias in Iesuitas; aduerti ego esse discolos homines, quorum impij ritus Iesuitarum vitâ innoxiâ condemnantur.

O Regem optimè meritum de Societate! cuius egit partes, de eius probitate certior effectus, illius alumnos eo affectu dignatus est, vt eos in palatium suum adsciuerit, & legauerit cor suum, pro illius voto, Flexiæ tumulatum. Non Gallis tantùm honori est illa Societas, sed est etiam toti Ecclesiæ miraculo, vt & stupori fuit omnibus mundi plagis suo ipso initio, orbe pænè toto ad firmanda eius exordia militante. Quemadmodum enim Dianæ Ephesinæ templum creditum singulare, coaluit ex gazis omnium Regum Asiæ, qui illic singulas singuli quique columnas erexerant; ita & ad erigendum famosum hoc templum Domini Iesu, videlicet Societatem, præcipua quæque regna Europæ, nobilia capita consecrarunt. Prædiuites fuere æquè ac constantes hæ columnæ, quibus innixa est illa Dei sancta Congregatio, quæ concreuit ex patribus dissitis antea multa intercapedine soli; quos tamen concolor animus collimans ad eumdem scopum noui instituti cælitus adunauit. Gallia huic templo gloriæ Dei sacro dicauit tres columnas magnæ molis, seu tria columina nobilia Societatis Iesu, videlicet Iayum, Codurium, & Pasquerium. Castella dedit Lainium; Nauarra, Xauerium, Toletum, Salmeronem; Lusitania, Simonem Rodriguez; Sabaudia, Fabrum; Mantua, Gonzagam; Polonia, Stanislaum; Gandia, Borgiam: denique omnis ferè Europa præscia gratiarum, quæ erant emersuræ ex hoc templo gloriæ Dei addicto, totam se huic Societati inclytæ mancipauit.

Societatis Iesu primi socij omnes viri emeriti, ex tota Europa confluxerunt.

Sed dum recenseo donaria prouinciarum, quæ fuerunt beneficæ enitenti Societati, non est tacita oratione prætereunda Italia, cùm Roma, mundi caput, in hac beneficiorum alea præierit aliis omnibus regnis, & Iesuitis quàm maximè gloriosum facinus exantlarit. Vadem rei luculentæ aduoco alium quàm Iesuitam, ne liuor, qui lacessit & deorsum inflectit omnia quæ exurgunt, dubiam faciat fidem historiæ huius, qua Societas illustrior optimè commendatur. Prælaudatus à me Franciscus Cabrera, qui Cardinalium omnium catalogum contexuit, & est extra aleam Iesuitarum, ait sub Iulio III. Pontifice Societatem Iesu adeò suauem virtutis omnigenæ exhalasse fragrantiam, vt plerique Cardinales afflati leni aura gratiarum, quibus influebat Deus in Iesuitas, purpuram pertæsi adierint Pontificem, vt ipso annuente transirent ad Iesuitas, rubentibus antea infulis abdicatis. Veritus Pontifex ne tota Ecclesia conflueret ad Iesuitas, Cardinalium habitu nigricante, fortiter obstitit: valida tamen

Societati Iesu voluere suum dare nomen Cardinales.

Franc. Cabr. lib. de Card. in Robert. Nobili sub ann. 1553.

illa repagula fregit Robertus Nobilis Cardinalis, pietate nobilior, quàm nomine: hic morarum impatiens, ne fieret iniurius culmini Apostolico, non ausus est purpuram exuere, sed derelicto palatio se contulit ad Iesuitas, quibus dedit & animum, & corpus, vtpote apud eos quasi vnus ex Sociis, id est, sanctissimè defunctus, in eorum amplexibus.

Iactent alia regna columnas, quas congessere ad fabricam templi huius Iesu Christo sacri. Ventilent omnes prouinciæ Sanctos Ignatium, Xauerium, Stanislaum, Borgiam, Gonzagam, & alios, quibus vt validis fulcris innixa Societas exurrexit. Primas tamen sibi vendicat Italia, quæ Iesuitis non obtulit modò columnas præualidas, sed quod antea inaspectum, & propè miraculum est, huic Societati, quam Roma aliàs crediderat ingloriam, ipsa eadem Roma cautior facta, addixit sua præcipua capita; nimirum ei Cardinales summa Ecclesiæ culmina consecrauit.

Societas Iesu est templum sapientiæ.

Aduerto aliud insigne mysterium non dissonum ab hac allegoria templi. Quando Ignatius & filij eius emisere prima vota, fuere tantùm septem numero, Deo sic decernente, vt & eis quadrare posset illud elogium petitum ex fontibus sacris. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Iesus namque sapientia Dei, præcipuus auctor est huius templi, cui & præfixit nomen suum Iesu, ne quis alius structuræ admirabilis, & fabricæ tam illustris gloriam vsurparet. Consonat etiam illustre opificium famosi templi, quod Græci Imperatores suis sumptibus erexerunt in honorem Sanctæ Sophiæ, id est sapientiæ Dei: Architectus quidem erat Ignatius vir industrius; nihil tamen ille arduum aggressus est Principe inconsulto. Ita etsi Ignatius à Loyola præfectus sit à Deo structuræ Societatis Iesu; nihil tamen in eo sacro sapientiæ Dei instituto coaluit, nisi ipsomet Iesu rerum omnium Domino decernente.

Prouerb. 4.

Curopal. lib. de vitio Imper.

Concreuit hæc fabrica coëuntibus viuis lapidibus, quos ærumnæ multiplices effecere quadros, necnon scintillantes cùm crebri æmulorum ictus eos impeterent, ita vt cuiuis homini Iesuitis æquiori fas fuisset ominari illud idem, quod Principes Austriæ symbolo suo aliàs adiecerunt. Pinxere chalybem silici admotum, hoc titulo apposito. INCENDIA SVRGENT. Malè equidem sibi consuluere dæmones tentando ruinam Iesuitarum: quò namque grauiores irruerunt in Iesuitas, saxeo robore præditos homines; eò etiam maiora ex eis surrexere amoris Dei incendia, quibus orbis ferè vniuersus, eorum obsequio ereptus dæmoni, conflagrauit.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus part. 2. Theatri symbol.*

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Eosdem esse influxus Luciferi sideris, & Societatis.

Mathematica illa loquax & garrula, quæ siderum indolem inuestigat, vt abdita referet penetralia rerum futurarum, ait nos triplici argumento venari posse influxum & virtutes omnium planetarum: facta scilicet indagine cuiusnam naturæ sit tale sidus, igneæ aut terrestris: quos planetas aspiciat; prosperos an aduersos: demum quas domos habeat hic planeta, seu qualia sint

EX MATHEMATICA. *Ptolem. lib. 1. de iudiciis. Firmic. Schonner l. de natura Planetar.*

Veneris Planeta beneficus est.

sint signa Zodiaci, huic sideri constituta: Eo Marte Societatis Iesu ingenium,& beneficia orbi præstita pangere aggredior. Planeta Veneris quem textus Hebræus vocat sidus Societatis, indolis est calidæ, & humidæ, vt Astrologi affirmant. Ideoque dicitur planeta beneficus,& omnia fausta prænuntians. Ea sanè est indoles almæ Societatis Iesu; calet,& desudat; feruentissimo amore Dei & animarum flagrat; item & multo sudore madet, quem copiosum colligit, salutem omnium prope hominum impigrè procurando.

Ex Remedica.
Fernel. Physiolog. lib. 4. cap. 1.
Compatientes partes quænam sint.

Calor ille, quo influit planeta Veneris, non est elementaris, sed vitalis atque adeò cælestis, quem medici talem esse affirmant, quia vegetus ille feruor frigore non tepescit, vt videre est in plantis, quæ etsi rigida hyeme glacie concrescant, viuunt tamen non extinctæ quantumuis bruma desæuiat. Ita & calor ille viuificus, emanans à Societate Iesu, cælestis est & diuinus, atque adeò mundo beneficus, cuius deliquia eo calore desuper insito reparantur. Etenim amor ille Dei, quo Societas incalescit, etiam porrigitur ad omnia quæ Dei sunt, & hinc amore Dei flagrans institutum Iesuitarum, feruentissimo quoque zelo animarum iugiter incandescit. Quippe ex placito Hippocratis: Συμπάσχει τὰ ὁμογενῆ, ϰαὶ τὰ πλησίον. *Compatiuntur quæ sunt eiusdem generis, & quæ proxima sunt.* Societas Christi amore decocta compatitur iisdem quibus & Christus, nimirum hominibus, quorum nefarij actus dubiam salutem efficiunt; illis Iesuitæ inuigilant, vt eodem patre satis, atque adeò sibi proximis, tantúmque debet Ecclesia proficuo illi instituto, quantùm cuipiam alteri debuerit. Luculentos habeo huiusce effati Summos Pontifices, in quibus Iulius III. Societatem illam generosam, sufficere ad salutem omnium animarum suo zelo propagandam aiebat. Eamobrem sanxit vt Ierosolymis, Constantinopoli, & in insula Cypro essent collegia Societatis: eius etiam nutu stetit collegium Lauretanum. Marcellus II. statim atque inauguratus est, blandè amplexatus Ignatium, petiit ab eo duos emeritos Patres, quorum vsus arbitrio, securior posset clauum Ecclesiæ moderari.

Hippocr. l. 3. περὶ ἄρθρων.

Ribaden. in Ignatio.
Ciaconius in Marc. II.
Societatis Iesu zelus pro salute animarum cómendatus à Iulio III. Pontifice.
Societatis Iesu primi proceres in Concilio Tridentino clari extiterunt.
Societas Iesu à Cócilio Tridentino laudata.

O insigne præconium Iesuitarum! eos scilicet tenera adhuc Societate fuisse adscitos à summo Pontifice, vt vna inuigilarent gregi Christi. Eos vt benè meritos de tota Ecclesia tutati sunt in Concilio Tridentino Legati Præsides, scilicet Cardinales Gonzaga, Seripandus, Hosius, & Simoneta, qui in eorum gratiam, damnaturi liuidos homines æmulos Societatis Iesu, diploma encomiasticum ediderunt. Calore suo non recreant modò tepentes animas, sed & dignantur arentes humore viuifico: quippe in calido & humido velut in duplici cardine vertitur tota series vitæ nostræ. Amorem Dei Iesuitæ conciliant, & procurant lacrymarum imbrem, quo pœnitentes animæ madent, sicque feruorem, & humorem qualitates Luciferi sideris impertiunt, ita pœnè orbem totum suo obsequio sospitantes.

Baron. tom. 5. Annal. sub ann. 423.
Honorij Imperatoris effigies symbolica post tyrannos abactos.

Nulla vis siderum est adeò malefica, quam non diluat planeta Lucifer, omne etiam vitiorum & hæresum virus orbe toto diffusum ferè expunxit benefica ista Societas Iesu, cuius ideoque tholo appendo Iconem, quam cudit Imperator Honorius, post tyrannos abactos, & Dei præsidio singulari, Imperio restituto. Erat in icone Imperator pede calcans tyrannos, & manu præferens labarum, cui erat inscriptum nomen Christi. Postera mundi ætate, quasi expeditione indicta aduersus hæreticos, Ecclesia classicum insonuit. Aduolarunt vndique milites, qui religioni dederant nomen suum; fortiter egere omnes: absit dicto inuidia; vbi ad Iesuitas veluti ad triarios deuentum est, summa victoriæ penes eos fuit, qui à Deo, & ab Ecclesia vexillum sacri nominis acceperunt.

Idem sub ann. 449. Tom. 5. annal.
Societas Iesu quam generose se gesserit contra hæreticos.

Præterea adiicio aliam iconem Gallæ Placidiæ Augustæ, quæ cudit numisma notatum brachio, cui affixum erat nomen Christi: ex aduerso autem erat corona de cælo lapsa. O inclyta Societas, in tesseram animi mei tibi deuincti conflo & ego simile numisma, pangens tuas panegyres. Habeto igitur in labaro tuo brachium extentum, inusto nomine Iesu: tibi enim speciale robur inditum est, quo elusis hostium tuorum insidiis, postea consertis manibus cum omnibus hæreticis, quàm pluribus elisis, illibatam Ecclesiæ fidem validè propugnasti.

Ex Philosophia.
Aber. Magnus 6 prin. c. 6.

Brachium sanè congruit tibi, vtpote præpollentis actionis symbolum idoneum. Quæ autem inueniri potest actio vegetior ea quæ fit, renitente subiecto. Etenim licet rara sit actio nulli reactioni obnoxia; tamen si agens aliquod nanciscatur subiectum dispari qualitate armatum, discolor ille agentis & patientis habitus, dubium exitum faciet discriminis, ad quod se accingit agens, cuius eminens virtus attenditur, si præualet in subiectis validis & aduersis viribus adornatis. Nempe agenti infirmo tot depereunt gradus, quot retundit patiens reagendo: quòd si nihil remorante vim agentis, patiens è actione crebra fatiscit, inualescit agens, & tandem eliminat formam, cuius interitum prius intendebat. Cùm ergo omnis actio procedat ex maiori inæqualitate, & proceri fuerint hostes, qui cessere tibi, ô Heroïna Societas Iesu, colligo te veluti cataphractam fuisse à Deo præditam viribus, & armis instructam hactenus inconcessis.

Ferdinandi Consalui symbolum gloriosum.
Ex Symbolis.
Ægyd. Sadel. li. 3 i. nuum symbolicar.

Eamobrem præter iconem Gallæ Placidiæ Augustæ, consecro adhuc tibi symbolum Ferdinandi Consalui famosi Heroïs, qui restitutâ Siciliâ Hispanis, hoste fugato, pinxit Iani templum foribus obseratis, hoc lemmate desuper eminente. PACATA ITALIA IANVM CLAVSIT. Adeò fortiter egistis, ô Socij, tam generosè insecuti estis perduelles sinceræ fidei osores, vt pacatâ Ecclesiâ, & extirpatâ hæresi, Censores fidei fateantur Iesuitas sibi ferias indixisse.

Societati Iesu quare obligatæ sint aliæ omnes religiones.

Aduersa etiam facies iconis Gallæ Placidiæ Augustæ est tibi consona: corona namque illa tibi offertur ab omnibus hodie religiosis, quorum propagini sedula incumbis, cùm assidua erudiendæ iuuentuti inseris semina pietatis, sata foues, & plerumque vsque ad insinuatum sæculi tædium, quo concepto alumni tui claustra petunt, vbi accepta à te virtutum initia, feliciter irrorante Deo postmodum adolescunt. Consonat vox Hebræa עש *ngesch*, quæ significat sidus Societatis, seu planetam Veneris, id est Luciferum, qui & Phosphorus appellatur. Hunc Poëtæ dicunt cogere & congregare alia siderum agmina. In his est Seneca. *Luce renata, cogit nitidum Phosphorus agmen.* Adiice Ouidium.

Senec. in Hercule.

——*Diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit Lucifer.*

Ouid. lib. 2. Metam.

Et chorum agens omnium Poëtarum Virgilius, aliis sic concinit.

Virgil. 2. Æneid.

Iamque iugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem.

Societas Iesu statim ab initio diuisa in omnes orbis oras.

Vbi Societatis nitidum sidus Ignatius affulsit Ecclesiæ, statim expeditas coëgit acies, varia instruxit agmina strenuorum hominum, quos variis addixit cœnobiis, prouidens sic omnibus claustris, ea cautela tamen, vt lectissimam fortiorum hominum manum sibi reseruaret. In Sociorum namque numerum adsciuit Xauerium, Borgiam, Lainium, & Salmeronem, quorum primo India à nullo adhuc tentata debet sua fidei rudimenta, quæ recepta quondam ab Apostolis & oblita, didicit à Xauerio, illuc à Societatis sidere delegato. Italia & Hispania accepere à Borgia Duce Gandiæ ingens illud mundi fastidium, quod animo concepere viso eo illustri Principe, omnes sæculi gazas veluti vilia crepundia infantium nihili facere, & blandientium hominum laudes, & pæana, aurium superbarum suaue melos, tanquam aniles nænias aspernari. Esto ardua & præclara sint hæc; arctiore vinculo deuinxere Ecclesiam Lainius, & Salmeron, qui à Summo Pontifice missi ad œcumenica comitia Concilij Tridentini, adfuere opportuni consultores; quippe diluerunt emergentes nodos, ingens lucis incrementum ingerentes propositis quibusque thesibus: denique altioris & reconditæ scientiæ pangentes oracula, fuere miraculo Patribus adunatis. Itaque Ignatius aliis prouidens institutis religionum, suggerens hominibus defectionem à sæculo, Societatis suæ memor, ei quàm maximè consuluit, sagaci vtique habito delectu eorum hominum, quos suis præstanti robore Sociis aggregaret.

Ex Historia.

Societas Iesu quàm prudens sit in initiandis socus.

Societas dehinc æmulata ingenium Patris sui, non obuios quosque candidatos initiat ritu suo sacro, sed singulari vt par est cautela explorat indolem impuberum hominum, vt si pubescente ætate velint dare nomen suum Societati, resciant proceres eius genium cuiusque neophyti, probantes sic spiritus, iuxta consilium Apostoli præmonentis. Eamobrem florentissima est & magni nominis illa religio: cùm enim omnigenæ disciplinæ prostent in ea omniscia Societate, addiscendi gratia eò vndique coëunt tersiora quæque ingenia, quibus vbi spiritus Societatis innotuit, illico dant manus vt confestim inter Socios adscribantur. Inde inuidia mordax argumentum cepit, Iesuitas carpendi apud Henricum IV. Galliæ Regem, quem homo iniquior Societati ita affatus est: Maiestate tua inscia ô Rex, Iesuitæ sunt iniurij regno tuo; siquidem sui iuris faciunt potissimum decus iuuentutis, ita vt eorum industria cultiores animi conuolent ad Iesuitas, insterque tempus, quo elingue forum penuria cultiorum hominum defleat sortem suam, reuera miserandam; si non obstas, ô Rex, tot egregia capita Iesuitarum ordini sociari. Rex Societati æquior factus ait: Laudo peritorum hominum industriam, quam & ego æmulor bello indicto, magna vtens solertia in seligendo milite generoso, quando exercitum cogo: Iesuitarum ordo ab aliis in eo dispescitur, quod est Societas: vox autem hæc arma sonat, & classicum; ideoque nunquam per me stabit, quin fiat Societas illustrior, nobilissimo & expedito milite comparato. Mihi & regno meo militat hæc acies: meis consulo quando Iesuitarum ago partes. Ad hæc obmutuit liuor omnis, etsi aliunde loquax.

Du Pleix in Henric. IV. sub an. 1603. Societatis Iesu prudentiam laudat Henric. IV. Rex Galliæ.

Audierat ab aliis Rex ille Magnus, Societatem esse omnibus proficuam, sæculo, & claustris, quæ sanè forent deserta & inuia, si extinctorum hominum ruinas, Iesuitarum discipuli minimè repararent. Et ne ego vadimonium deseram, debeo Societatis industriæ, quod homo nequam, & flocci adolescens subierim Capucinorum rigidum institutum. Si meo ebibito animo, omnes quos deuinxit Societas, debitum ei penderent obsequium, non tot lugeremus esse nefandæ ingratitudinis impia monumenta. Quippe nemo citra piaculum inficiari potest hoc æuo Societatem Iesu esse velut almam omnium religionum matrem, quas veluti parturit, quando suos discipulos erudiens hortata est declinare sinuosos sæculi anfractus, & sartis tectisque rebus ad religionis propositum anhelare. Sicque quadrat Societati Iesu illud Virgilij effatum de Lucifero sidere.

Nascere, præque diem veniens age Lucifer almum. *Virg. Eclog. 8.*

Societas Iesu est alma parens religionum.

Plutarch. in vita Gracch.

Etenim Societas adeò se almam præstat, vt tot ferè pietatis suæ alumnos habeat, quot religiosos claustra concludunt. Quamobrem si quando religiosi asperioris instituti suos seueriores ventilent ritus, & egregia facta quasi potiora ipsa Societate Iesu: hæc alma parens illi iactantiæ regulæ arctioris potest occurrere ea peritia, qua Cornelia Gracchorum mater depressit typhum præpotentis fœminæ, quæ cùm suas iactaret opes, & explicaret gemmas rutilas, atque monilia multo auro micantia, orauit mulierem hanc prædiuitem, vt accederet ad fenestras, quæ eminebant plateæ ciuitatis, ostendit ei filios suos è schola redeuntes dicens: Hi ingenui adolescentes accepere à me animos ad virtutem idoneos, quibus acti sua sponte frequentant ludos literarum, se in eis iugiter exercentes: Penes illos iuuenes meas omnes repono gazas, hæ sunt opes, hi thesauri. O Societas alma, ex edito loco potes circumspicere claustra Deo sacra, & dicere: Ecce meas opes; religiosi namque omnes quantumuis sit discolor habitus, me influente primos pietatis latices ebiberunt, atque ita enixa sum fœtus illos, qui prouectiores variis virtutum scholis se postmodum accinxerunt.

Societatis Iesu opes sunt omnes religiosi.

Huic sideri corusco quadrat obseruatio facta à Camerario, affirmante ad ortum stellæ, cui nomen Sirius, lupos agi in fugam, impotes ferre influxum sideris huius. Vnde ille auctor industrius pinxit lupum auersantem illud astrum, hoc lemmate adiecto. HOC ORIENTE FVGOR. Gemebundus Dæmon lupus rapax, de sidere Societatis querulus ait: Hoc ORIENTE FVGOR. Hoc item vsurpat Ouidij carmen.

Societatis Iesu ortus fuit diaboli occasus.

Ex Symbolis. *Camerar. lib. centuriar. symbolic. creat. quadruped.*

——Cælo nitidissimus alto,
Stella grauis nobis Lucifer ortus erat.

Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Grauis reuera fuit Dæmoni Societatis ortus, impietatis omnem caliginem tergens, ea luce, quam mutuò accipit à Sole, cui coniungitur hic planeta, ad quem alludens Regina Angliæ desponsata Philippo Regi Hispano, numisma cudit notatum stella Veneris, quæ est veluti sociata Soli, circumpositis his vocibus limbo iconis: SOLA DICATA LVCI. Præ aliis omnibus congregationibus sanctis, vna est nomine Iesu decora Societas SOLA DICATA LVCI; vtpote dicta Societas Iesu, qui simili ferè modo in eam influit, quo Sol & Mercurius in planetam Veneris, qui à Sole accipit lumen, & à Mercurio, quòd idoneos homines faciat ad loquelam.

Societas Iesu dedicata luci.

Animad

Ex Theologia. *Thom. 1. part. q. 43. art. 5. ad 2.* Societas Iesu quomodo distinguatur ab aliis congregationibus.

Animaduersio illa Astrologica prodit præcipuas dotes, quæ dispescunt Societatem Iesu à cæteris institutis in quæ esto influat Deus largiore manu; attamen speciali modo adest Societati Iesu, vt titulus ille clamat, quo suos esse probat Iesus, qui licet vti Deus nihil impertire queat Societati, inscijs & non æquè influentibus aliis personis, scilicet Patre & Spiritu sancto, cùm opera ad extra dicantur communia toti Trinitati: annuente tamen Theologia quædam charismata tribuuntur Filio, & alia Spiritui sancto, quia congruunt eorum modo procedendi à Patre. Verbi gratia, cùm quis derepente amore Dei incandescit, censetur afflatus Spiritu sancto, qui via voluntatis emanat à Patre, & Filio, vt amor amborum, & nexus vtrumque deuinciens. Cùm ergo Filius procedat vt Verbum, & dicat actionem intellectus pellucidi, & Verbum illud amorem spiret ardentissimum, scilicet Spiritum sanctum; si Iesus præ aliis institutis alicui sese affingere voluit, vt speciali illa dote talis religio esset dissita ab aliis, hoc præstitit modo qui referat modum processionis suæ, à me prælibatæ. Id est, Deus ea rerum omnium notitia Societatem Iesu dignatus est, vt religio illa omniscia non incassum Verbi Dei nomine nuncupetur. Et vt Luciferum sidus, non tantùm irradiat, sed & à Mercurio facundiam capit; ita Societas probatissima quáque disciplina micans, non ad fastum scientiam iactat, sed & facundia sua probat, sibi in sortem esse concessum Verbum spirans amorem: eò namque vergunt omnia Iesuitarum eloquia, vt charitate omnes homines iugiter incandescant.

Ex Mathematica. *Ptolemæus l. 3. de indicijs. Iul. Firmic. lib. 3. cap. 3.* Societatis Iesu ingeniū, & occupatio.

Hoc Societatis intentum consonum est effato Mathematicæ illius garrulæ in siderum argumento. Ait illa, Luciferum, qui est planeta Veneris, duas habere domos, seu signa Zodiaci, quibus vt sibi congruis ædibus gaudet, & vnde petitur significatio influxuum eius, quando proposito cœli schemati dominatur. Signa hæc sunt Taurus, & Libra, quæ probè explicant rationem totius instituti Ignatij. Quippe Taurus laborem sonat, & Libra iustitiam. Itaque Societatis Iesu præcipuum ingenium est, laborare non sibi tantùm, vt Deo gratior sit, quod & aliis commune est; sed etiam incumbere aliorum saluti, procurando eius iustitiam, qua mediante fiant animo & corpore sanctiores. Quod si Ecclesiasticæ Hierarchiæ licet arguere dignitates, ex relatione facta ad Angelos, nulla erit religio nobilior Societate Iesu: siquidem vt superiores Angeli ampliores sphæras habent, ad quas diffunduntur eorum vires, ita & insigniores ordines Ecclesiæ nesciunt in vno terræ angulo coarctari. Hinc tot missiones institutæ ad exoticas etiam gentes, quas excolunt religiosi sanctioris instituti. Si ergo nihil vacet orbe toto à cura Iesuitarum, si Sinarum etiam nationes, aliis omnibus antea ignotæ, expertæ sunt eorum industriam in reuocandis ouibus errabundis; quid vetat reponere institutum Ignatij inter eos principes ordines, quorum ope & ministerio illibata fides quàm maximè propagatur.

Societatis Iesu dignitas, & zelus.

Ex Philosophia. *Alex. Alensis in 1. Metaph. Item 12. Metaph. tex. 36.*

Nonne & Philosophia primatum in causis ei assignat, quæ influit in cæteras? Nonne & principatum vendicat sibi ignis, quia celerior est in agendo quibusque aliis rebus? Quippe actio nobilitatem formæ prodit. Nonne actiones specificantur à fine, qui si nobilis est, actioni etiam insigne decus impertitur? Cùm ergo Iesuitæ influant in remotissimas quasque mundi plagas, cùm zelus animarum sit eis inditus morarum impatiens, quo perciti præteruolant omnes orbis oras. Cùm maiorem Dei gloriam vltimum præstituant sibi finem; non potest non eminere Societas, tot & tantis meritorum titulis illustrata. Superiora corpora vt sidera, lumine motuque suo inferiora cient, quæ aguntur ad choreas corporum cælestium, quorum actio non fatiscit. Iesuitæ vt planetæ terræ imminentes nesciunt inducias vt quiescant, sed sua pellucida scientia & opere impigro, in omnia propè climata influunt non aspectu tantùm & eminus, verùm etiam præsentia corporali. Dixi planetas, quia sidera hæc non affixa sunt vni tantùm parti firmamenti Ecclesiæ; ast vt stellæ errantes in gratiam hominum quandoque æquatorem prætereunt, vt ad Austrum vergant, lustraturi inaspectum hominum genus, cui facti benefici, lineam repetunt, futuri etiam propitij Gentibus Aquilonis.

Societatis Iesu influxus in omnes orbis oras.

Ex Mathematica. *Euclid. lib. 1. elem. geom. definit. 15. Schonner. lib. de signific. planet. cap. de Venere.* Societas Iesu in honore habita à Sūmis Pontificibus.

Mathematica totam hanc rerum molem linea circulari delineat, multisque demonstrationibus probat, omne hoc vniuersum esse in orbem compositum. In eo circulo Societas Iesu vices centri gerit: est autem centrum, punctum in medio circuli, à quo omnes lineæ rectæ, & ad circumferentiam exeuntes, sibi inuicem sunt æquales. Si quæ animæ rectæ se accingunt vt penetrent ad circuli terræ limbum, prodiere ex hoc centro, quia vel Iesuitæ sunt, vel eorum æmulantes zelum, ab his olim virtutis omnimodæ prima didicere rudimenta. Et vt centrum eodem se modo habet ad circulum totum, ita & Societas Iesu omnia omnibus effecta est, referens in hoc indolem planetæ Veneris seu Luciferi, cui benè conuenit aspectus omnium siderum errantium, excepto Saturno. Ita & omnium sanctiorum hominum concolor est animus, nulli homini Deo grato est ingrata Societas Iesu. Hanc coluere Summi Pontifices, gratiis eam dignantes amplissimis: & ne quid sacro deesset collegio Cardinalium, in eorum ordinem inuitos Toletum & Bellarminum doctissimos homines adsciuerunt.

Ex Historia. *Ribaden. in vita Ignatij.* *Dupleix sub Henr. IV. sub an. 1603.* Societas Iesus honorata à Regibus.

Ipsa incunabula Societatis habuere sibi Reges propitios. Nonne Carolus V. Imperator eo affectu deperiit Borgiam, vt ei diu fuerit importunus vt refugæ Cardinalium infularum? Nonne & Ferdinandus Caroli Germanus & ipse Imperator fuit deuinctissimus Iaio? Ebibito patris sui ingenio Philippus II. Rex Hispaniarum inclytus, adeò charam habuit hanc Societatem, vt eo nomine æmuli Iesuitarum voluerint eos facere inuisos Henrico IV. Regi Gallo, suggerentes Hispaniarum Regem eos habere à consiliis. Sed audi effatum Regis, reduci Societati propitij: Rex Hispanus Iesuitas nactus velut oracula benè consulit sibi, hæc veridica capita consulens: eam ob rem eo argumento ductus eosdem mihi imposterum seligo consultores. Rex sibi constans præstitit quod statuit, adhibito sibi viro emerito P. Cotone in præconem verbi Dei, & in animæ suæ directorem. Nihil cunctati alij Principes, Iesuitas veluti firmissima præsidia regnorum omnium etiam aduocarunt.

Itaque quemadmodum omnia sidera amant Luciferum, excepto Saturno, qui est maleficus, plumbeus, frigidus, & siccus; ita quidquid in orbe eminet & rutilat, illud omne benè affectum est erga Iesuitas: reprobi autem, nescij amoris

Dei, qui in eorum corde friget, arescente in eis gratia, Societatem Iesu plusquam Vatiniano odio prosequuntur. Ignatij osores ea fata manent, quæ olim excepere Photium hominem nequam, iniurium Ignatio Patriarchæ Constantinopoleos. Ille homo nequam omni gloria excidit, & iniquo fine defunctus est: ita & meminit historia, hominem iniquiorem Ignatio & Societati, fortuito igne vindice conflagrasse. Scio ego homines in sæculo insignes repentina morte elatos, & Deo inconsulto, qui Societatem Iesu scriptis & eloquio lacesserunt. Statque hodie & viget edictum Darij Regis, editum in gratiam templi Dei, quod erat veluti typus Societatis Iesu. Sic sanxit ille. *Deus qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, & populum, qui extenderit manum suam, vt repugnet.* Deus nomine suo affixo Societati Iesu, singulari eam tutatur præsidio, curam eius agens tanquam domus sanctissimæ sibi consecratæ. Vtque in templo Dei nemo erat iners, sed suas quique agebant vices; ita & Societas Iesu domus est laboris, vt & Taurus est domus Luciferi, qui & dicitur Hebræis sidus Societatis.

Societatis Iesu osores quinam sint.

Nicet. lib. histor. sub ann. 867.

1. Esdr. 6.

Societatis Iesu protector Deus.

Ex Ivre Civili. *Lege Consecratas. Codice de Palatiis.* Societas Iesu totis patet dignis, & emeritis Sociis.

Ea Societatis præstantia à suo instituto secernit omnes communis ingenij homines, & adsciscit tantùm lectissimorum hominum genus, vnde Deo potest affingi illa constitutio Imperatorum Theodosij & Valentiniani. *Consecratas nobis ædes, id est, inclyta palatia, ab omni priuatorum vsu, & communi habitatione excipimus.* Societas Iesu ædes Deo consecrata, excipit à suo contubernio vernaculos indigenas, Heroësque tantùm, & Indigetes amplexatur. Probat illa suos candidatos eo ritu, quo & Cato Censor eos qui petebant ius Ciuitatis. Homo ille austerus palpabat eorum manus, & tentabat vtrum callo obducto essent assuetæ labori; validas manus donabat Ciuitate, alias verò dedignatas opus, multáque inertia delicatas turpiter abigebat. Societas Iesu eam est assecuta Catonis industriam, suos omnes Socios ex labore legitimos dignatur ea professione quam supremam vocat. Cùm ad hanc professionem deuenitur, ad Triarios itur. Post edita virtutum omnium pleraque specimina, licet homini cataphracto ad hunc ordinem anhelare.

Ex Symbolis. *Lucius lib. numism.* Societas Iesu quomodo probet suos candidatos.

Hinc vsurpare potest Societas Iesu iconem, quam cudit Philippus II. Rex Hispanus facta expeditione in Lusitaniam, extincto Rege Sebastiano, cuius diadema multi Principes ambiebant. In eo numismate erat homo omnibus armis instructus, galea, lorica, reliquaque panoplia terribilis, coronam hasta sua erecta ferens, adiectis his vocibus, Qvi volet, quasi diceret: Multos desiderium huius coronæ tenet; per eos tantùm stabit si velint experiri mecum & tentare ancipites belli euentus. Ita & Societas Iesu multos agones, plures angustias, & varia patientiæ argumenta obiicit Sociis adspirantibus ad vltima illa vota, & ait: Qvi volet; id est, Macte ô ingenua Ignatij prosapia, impigro iugique labore prostant, velut ære probatissimo, suprema inclyti huius ordinis incrementa.

Societatis Iesu labor est indefessus. *Paul. Iouius lib. symbol.*

Accidit & symbolum Antonij Leuæ Præfecti Generalis agminum Hispanorum. Is animum integrum versans in corpore annis graui, & laboribus fracto, vberrimæ segetis manipulum pinxit, inscripto hoc lemmate. Finivnt pariter renovantqve labores. Vt enim messem excipit tritura eliciens grana mandanda terræ post trituram, quam sequitur agricultura, sulco proscindente glebas, vt fiant idoneæ sationi: ita & ego, inquiebat ille, nusquam optata quiete fruar, noua namque exurgunt negotia aliis exantlatis. Apud Iesuitas nullæ induciæ, Finivnt pariter renovantqve labores; siquidem illa vltima professio eos accingit ad securioré aleam, vtpote nescia feriarum. Et reuera eis quadrat ille manipulus, quia refert messem, cui iugiter intendunt disseminando verbum Dei, & animas scriptis, verbo, & opere iugiter excolendo.

Ex Ivre Civili. *Auth. Agricultores. Codice Quæ res pignori.* Societatis Iesu professores quare sint securi orbe toto.

Hæc culturæ animarum impigra professio Iesuitas vocat in partem constitutionis istius authenticæ. *Agricultores dum agros colunt, securi sint in quacunque parte terrarum.* Quòd si allegoria agriculturæ displicet, vt nimis in fauorem edita Iesuitarum: accipe aliam legem latam ab Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano, qui si ex composito voluissent Iesuitas euchere in editum gloriæ culmen, nulla eos potuissent expressiore vocum serie recensere. Ecce tenorem textus. *Grammaticos, tam Græcos, quàm Latinos, sophistas, & iurisperitos, in hac regia vrbe professionem suam exercentes, & inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi se habere patefecerint, & cœtu amplissimo iudicante digni fuerint æstimati: cùm ad viginti annos obseruatione iugi, ac sedulo docendi labore peruenerint, placuit honorari, & his qui sunt ex vicaria dignitate connumerari.*

Lege Grammaticos. Codice Professoribus. Societatis Iesu priuilegium.

Quis Societati disputare audeat doctrinæ sanctissimæ meritum ordinem, & titulos eminentes potiori ratione debitos, quàm eis, qui excoluere tantùm virentes pampinos eósque infœcundos bracteatæ eloquentiæ, plerumque obscœna Poëtarum delitia suis, vt legere est, scholiis illustrantes. Tersior est & mascula magis eloquentia Iesuitarum, & lingua eorum, qua lambendo expoliunt animas, sanitate sua præit aliis, iuxta placitum medicorum, qui sanam eam dicunt esse & viuidam linguam, quæ rubet dulciore humore madens. At secus pessima est quæ nigricat & arescit, ex Hippocrate, γλῶσσα χαλεπωτάτη δ' ἐστιν, ἡ μέλαινα, καὶ χλωρή. *Lingua calamitosissima est, nigra, & virulenta.* Scaligeri, Erasmi, Rami, Casauboni, atrior extitit lingua, vt & quamplurium aliorum hæresis assedarum. Suum eructauere virus illi omnes errorum magistri, eò magis lethale & noxium, quò altius erat reconditum: Instillauere auribus incautis dogmata iniqua, quæ ebiberunt aures hæ patulæ, illectæ tersioris eloquij condimento. Sed Iesuitarum lingua charitate rubet, & suffusa rore gratiæ viuificat eos omnes, quos erudit, vtens sæculi scientiis ad veritatis indaginem, & virtutum praxim, vt Canones sancti monent hoc contextu. *Si quis artem Grammaticam nouerit, vel Dialecticam, vt rationem rectè loquendi habeat, & inter falsa & vera diiudicet non improbamus. Geometria quoque, & Arithmetica, & Musica habent in sua scientia veritatem; sed non est scientia illa, scientia pietatis. Scientia pietatis est nosse legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere, Apostolos non ignorare. Grammaticorum autem doctrina etiam potest proficere ad vitam, dum fuerit in meliores vsus assumpta.*

Societatis Iesu quænam sit doctrina.

Societatis Iesu lingua salutaris.

Ex re Medica. *Hippoc. Lib. coac. cap. 7. præn. 1.*

Societatis Iesu scientia est pietatis.

Ex Ivre Canonic. *Canone si quis artem dist. 37.* Scientia pietatis quæ sit.

Quod si Melancthon, Erasmus, Munsterus, & alij

alij huius farinæ scioli homines atque Sycophantæ, suis voluere sequacibus pangere Scripturas sacras, & earum reserare sensum, hi omnes deuij à recto veri calle, & caligantis animi ludibria sectantes, turpiter errauerunt. Et hoc ingenium est eorum omnium, qui declinant à sancta Romana Ecclesia, vt querulus Papa Clemens I. ait hoc Canone. *Relatum est nobis, quòd quidam in vestris partibus commorantes aduersantur sacris doctrinis: & prout eis videtur, non secundùm traditionem Patrum, sed iuxta sensum suum docere videntur. Multas enim quidam, vt audiuimus, vestrarum partium ingeniosi homines, ex his quæ legunt, verisimilitudines capiunt. Et ideo diligenter obseruãdum est, vt lex Dei cum legitur, non secundùm propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur.* Ibidem ille Petri discipulus, qui & successor in culmine Apostolico, insinuat qua cautela sint sacri Codices addiscendi. Sic ille. *Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus secundùm veritatem sibi traditam seruauit, vt ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere. Cùm enim ex diuinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus studijs, quæ fortè in pueritia attigit, ad assertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt vbi vera didicerit, falsa & simulata declinet.*

Canone Relatũ dist. 37. Scriptura sacra non est proprio sensu interpretanda.

Eodem Can.

Societas Iesu præstitit hoc & sincerè, iuxta præsagium Salomonis, qui ait Sapientiam misisse ancillas vt vocarent ad arcem. Arx illa est Scriptura sacra, cui disciplinæ omnes veluti pedissequæ famulatum suum pendunt. Si Poëtæ resurgerent, & insolito cierentur œstro; cognita Iesuitarum scientia, reuera canerent Vlyssem deposuisse apud eos Palladium, & Musas ibi fecisse chorum, suo Apolline turpiter abdicato. Etenim nulla est omnino scientia, quam Societas Iesu non substernat diuino eloquio, iuxta præfati Canonis consilium, quo profana queunt inflecti ad Scripturæ sanctioris obsequium. Eaque laude decurrit hanc aleam docta vsquequaque Societas, vt de hoc Lucifero, id est, de sidere Societatis possit intelligi Malachiæ præscium elogium hoc. *Orietur vobis timentibus nomẽ meũ Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Superiori sæculo quatuor nefarij & infideles homines, vt aues infausti ominis crocitantes, noxiis suis scriptis infecerunt orbem, quia pennæ eorum lethali contagio plures incautos & eiusdem conscios hæresis affecerunt. Tanto hominum deliquio occurrit Deus salutari instituto Societatis Iesu, ad quam pertinere potest illud Ezechielis. *Penna eorum extenta desuper, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Pennæ aquilarum ea virtute pollent, vt vel ipsa earum lanugo conficiat aliarum auium pennas, aquila sic omnibus plumis abdita sibi vi insita præpollente.

Prou. 9. Societas Iesu est sacrariũ scientiæ.

Malac. 4. Societatis Iesu pennæ salutares.

Ezech. 1. Societati Iesu est perspicax intellectus.

Tota Europa mœret depasta lue, quæ grassatur adhuc excitata scriptis execrandis Lutheri, Vuiclefi, Caluini, & Bezæ: stupentibus & turbatis Ecclesiæ caulis opportuni adfuere Iesuitæ, suas accinxere pennas desuper extentas, & eas affricantes aliis impiorum hominum pennis, eas illicò corroserunt. Facies aquilæ assurgens desuper ipsorũ quatuor, ferè extinxit serpens illud toxicũ hæreseos, cuius reliquiæ imbelles languent, Deo dãte breui Iesuitarũ agonibus & curis impigris extirpandæ. Itaque Societas Iesu Luciferũ sidus est;

Societas Iesu se fortiter opposuit hæreticis.

& quia Iesus nomen suum ei affinxit, hoc etiam vult illius esse encomium. *Nomen meum Sol iustitia, & sanitas in pennis eius.* Vide quàm benè id conueniat effato cœlicæ matheseos, quæ affirmat Taurum & Libram esse duo signa Zodiaci, Lucifero sideri designata. Dixi, Societatẽ esse hoc Luciferum sidus, cuius ædes Taurus, & Libra laborẽ clamant, & iustitiam: siquidem Societas Iesu agones suos & sudores dirigit eo fine, vt iustiores sint homines propagando Dei cultum, iuxta gratiam sibi cælitus impertitam. Quo autem fœnore Ignatius Deum eo ritu coluerit, collige ex eo lucro, quod in pari negotio meminit textus sacer. *Misit Rex Iosaphat de Principibus suis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, habentes librum legis Domini. Creuit ergo Iosaphat, & magnificatus est vsque in sublime.*

Malac. 4.

Societatis Iesu quænã & quare fuerint incrementa.

2. Par. 17.

Ignatius non inferioris notæ alumnos misit, qui in Ciuitatibus orbe toto diffusis edocerent homines ea quæ pertinent ad salutem. Nonne Borgiam hominẽ in sæculo Principẽ, & qui in Societate primas obtinebat, vtpote futurus Generalis, sæpius in varias partes misit catechizandi gratia? An fortè abstinuit à Xauerio viro Principe in his quæ ad gratiam spectant? Minimè verò; nam eum transmisit in Indiam velut hostiam Domino consecratam. Et quia misit Ignatius de Principibus suis, quibus nullæ fuerunt inuiæ plagæ mundi, creuit ideo vsque ad apicem gloriæ, Sanctorum Ecclesiæ numero coaptatus. Eius item Societas ea incrementa accepit, vt præcipuæ quædam familiæ Deo sacræ, cùm ea contraxerint religiosa commercia. In his Carthusienses anno 1544. Coloniæ in Capitulo Generali cum Iesuitis iniere communionem bonorum operum. Octo ab hinc annis Præpositus Generalis Prædicatorum diplomate singulari suos hortatus est ad affectum erga Societatem Iesu. Eodem & Spiritu afflata familia Franciscana anno 1565. in Generalibus Comitiis, Vallisoleti speciali edicto totam se deuinxit Societati Iesu, eam vt sororem toto pectore amplexata. Vtriusque institutor familiæ suæ fundamina iecit in æde sacra Deiparæ: Franciscus in Ecclesia S. Mariæ Angelorum: Ignatius in æde eiusdem Virginis in Monteserrato. Franciscus stigmata Iesu; Ignatius verò nomen accepit: Ambo socios suos in varias orbis oras destinarunt, vt saluti animarum incumberent. Denique ambos supremum tenuit fastidium rerum inferarum, vt adspirante aura sanctiore, ad Deum melius anhelarent.

Societatis Iesu primi proceres quantum laborarint.

Ribad. in appendice ad vitam Ignatij.

Societas Iesu affinitatẽ cũ Carthusianis iniit.

Societas Iesu cum religione seraphica Societatem iniit.

Itaque mihi Francisci alumno fas est te compellare, ô Societas Iesu, ea verborum serie, qua prosecuti sunt Rebeccam abeuntem fratres eius. *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Congregationis Capucinorum soror es, ô speciosa filia eius, cuius in Francisco stigmata rutilarunt. Accipe exenterantis me affectus, tuo incremento vota sacra. Crescas in mille millia, ad instar fluminis, quod vires acquirit eundo. Æmulare ingenium Caroli V. Imperatoris, cuius fuit hæc vox cusa in icone. *Numine Cæsareo plenus vterque polus.* Adiice votis Henrici II. Galliæ Regis, qui symbolo suo affinxit hoc fragmentum versus, DONEC TOTVM IMPLEAT ORBEM. Crescas in mille millia ô Capucinorum soror, quæ in mitiore viuendi ritu, adæquas pietatem, zelum, & omnia charismata cuiusuis asperioris instituti. *Possideat semen tuum portas inimicorum suorum.*

Gen. 24.

Lucius lib. numism.

Societas Iesu orbe toto celebrata.

Faxit

Faxit Deus, vt inclyta Ignatij prosapia deleat omnes hostes Ecclesiæ, elidendo proterua hæreticorum capita, & quidquid à fide deuiat extirpando.

Sed quid cupidine teneor augmenti tui, ô illustris Societas Iesu soror nostra, nescio an humanis opibus fieri queat accessio ad cumulum laudum, quas demeruere tui agones sæpius exantlati. Deus meliora tibi prouideat: non enim pasceris aura inani, quam spirant encomia selectis dictionum aucupiis intertexta. Quidquid elegans, & venustum est, vel in musæo lepore loquax & garrulum, silet in tua panegyri: coëunt namque tot cumuli meritorum, vt his recensendis, fœcundi quique & facundi impares obruantur. Cum ergo mihi non occurrat quod adiicere queam tibi, ô Soror nostra absolutissima, animi mei amore tui æstuantis, hoc esto argumentũ singulare. Opto vt auribus tuis insonet semper vox illa quam Numerianus Imperator prudenti animo recolebat. ESTO QVOD AVDIS, id est, ô Numeriane esto reuera Imperator, Principẽ age, & non vile mãcipiũ vitiorum. O Societas Iesu, ESTO QVOD AVDIS. Hæc ego veridico stylo tua mando posteris encomia, vt illa animo tuo versans temetipsam vrgeas ad maiora. Etenim mea Rethorica deliquium patitur, nec suppetunt bracteatæ satis phrases, vt his merita tua omnibus innotescant. Societas Iesu quantùm homini fas est, efficta ad Domini Iesu typum verbo, scriptis, & opere toti Ecclesiæ proficua, terrarum orbem vniuersum suis meritis inundauit. ESTO QVOD AVDIS. Societas Iesu hodie fidelium selectissimæ pubertatis alma parens, Numine afflata, Regibus fœta & Sanctis, quos cælo & terræ enixa est, eodem spiritu agitur, qui sospite Ignatio ei cælitus aspirauit. ESTO QVOD AVDIS. Societas Iesu, Thebæa legio, agmen amoris, virtutum chorus, scientiarum omnium nexus, & magisterium omnimodæ Sanctitatis. ESTO QVOD AVDIS. Iesuita nomen sanctum, hominem sonans compositum in specimen gratiæ gratiæ singularis. Denique Societas Iesu insignium gratiarum afflans fragrantiam, peculiaris est hierarchia hominũ Angelorum, qui vt hominum custodes omnibus inuigilant. ESTO QVOD AVDIS. Túncque Deus te pro tuis clientibus exaudiet inuocantem. LAVS DEO, MARIÆ, IGNATIO.

Societatis Iesu laudes omnes impares meritis eius.

Societas Iesu quid præcipuè cauere debet ex cõsilio auctoris cultorũ eius eximij.



TRACTATVS VI.

DE SS. MARTYRIBVS.

ARGVMENTVM.

ADEO celebre est Martyrum cum Cruce commercium, vt Euangelium addictum eorum officio, Crucem potissimùm sonet, & eam erigat vt vexillum, sub quo militantes hi athletæ brauium postmodum acceperunt. Si quis ergo plures vult texere conciones de agonibus beatorum Martyrum, consulat tractatum primum huius voluminis, de Cruce nuncupatum.

EVANGELIVM. Matthæi 16.

I. SI quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.

II. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, &c.

MORALIS EXPOSITIO digesta in sectiones.

I. *QVIA inuitis humeris graues sunt Cruces, Christus hominum arbitrium inflectit ad hoc onus, vt illud alleuiet. Nihil namque volenti arduum est, aut ingratum.*

II. Multa autem sunt argumenta, quibus homo voluntatem suam debet componere ad Crucis amplexum.

III. Sed præcipua ratio, quæ vrgere debet homines, etiam sui plus nimio amantes, & sensuali vitæ assuetos, hæc est: Vitam quam agimus esse Crucibus obsitam, ita vt qui Christi Domini Crucem declinare nititur, incurrat in diaboli crucem.

Exterminium propriæ voluntatis alleuiat pondus Crucis.

In hæc verba.

Abneget semetipsum, & tollat Crucem suam.

SECTIO PRIMA.

MIrum quàm varient hominum sensa in expendenda illa sententia *Abneget semetipsum.* Esto suus cuique sensus, nescio an attigerim

Abnegare semetipsum quid sit.

attigerim ego scopum Christi, cùm inuestigans eius intentum vocibus his abditum, firmiter tenui vocem, Abnego, esse hîc capiendam in eo sensu, quo sumitur altercando in scholis, vbi nego, idem est, quod non concedo. Ita vt Christus erudiens modum alleuiandi Cruces, cum posuerit penes exterminium voluntatis, quæ placita insolita recusando, assuescet Cruci. Namque qui non concedit sensibus ea quæ vult voluntas, & qui negat Cruces esse ingratas sicut obiiciuntur voluntati, ille omnino minuit pondus Crucis, fitque aptior subeundo iugo. Voluntate sic domita, dicitur abnegare semetipsum homo, quia in potentiis animæ tenet illa principatum; siquidem ea potissima est potentia, quæ aliis imperat. At voluntas ea est, quia ad imperium eius intellectus suos exerit actus, & corpus vniuersum ciettur ad arbitrium voluntatis. Cui autem sit vsui illa potentia, discendum ex Philosophia, vt ad amussim rectæ rationis in scopum suum, scilicet in bonum, ritè dirigatur.

Voluntatis abnegatio in quo sita sit.

Ex Philosophia. Themist. lib. 1. de anim. c. 18. Alber. Magn. l. 2. de anim. tract. 1. c. 7. Alexand. de Ales. 1. Metaphys. Appetitus sensitiui rebellio.

Cùm sint veluti promiscua bona & mala in hoc rerum vniuerso, homo & animalia indiguere aliqua cautione, qua se subducerent malis, & ad innoxia accederent. Vtrisque, hominibus videlicet & brutis, à Deo prouisum est, insito appetitu congruo indoli animantium. Verbi gratia, bruta pollent appetitu sensitiuo, homines verò appetitu rationali. Dicitur ille appetitus sensitiuus, qui animal inclinat ad id quod sensus suggerunt esse conueniens, & abstrahit ab eo quod insusurrant esse disconueniens; ille appetitus nunquam deuiat: vt enim sensus sunt determinati ad vnum, ita & appetitus sensitiuus non variat, neque dubius est, imò non est sui iuris; agitur enim, & non agit, ac proinde ex libertatis inopia bruta non merentur, neque peccant. Appetitus verò rationalis, est illa animæ propensio, qua fertur in bonum à ratione, & quandoque à sensibus obiectum, & refugit malum apprehensum. Ea tamen libertate se inflectit ille appetitus, vt licet non inscia ratione se moueat, nequeat cogi à ratione, sed potius illam cogat de quouis obiecto proposito disputare. Itaque cùm sit sui iuris illa facultas, non morem gerit intellectui, atque adeò aberrans à scopo suo quandoque bonum fugit, & sociatur malo, lumine petito à sensibus, & non à recta ratione. Hinc odium crucis & omnigenæ pœnitentiæ, & insanus amor voluptatis, quia homo sola carne vtitur vt suada, id est, dato repudio intellectui solos sensus adhibet consultores.

Ex SS. Patribus. S. Bernard. in tract. de gratia & libero arbitrio. Voluntas quid sit.

Vide iam, an Christus iustam habuerit ansam suadendi, esse neganda voluntati plerumque ea quæ tenère appetit. Esse autem eam potentiam obnoxiam vitio, disce ex Bernardo sic miserante voluntatem. *Voluntas est motus rationalis, & sensus præsidens, & appetitui. Habet sanè quocunque se verterit, semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam, non quòd semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moueatur, ita vt multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est quasi per eius ministerium, contra eius consilium, siue iudicium, vnde est illud: Prudentiores sunt filij huius sæculi filiis lucis in generatione sua. Et rursum: Sapientes sunt vt faciant mala. Neque enim prudentia seu sapientia, inesse creaturæ potest, vel in malo, nisi vtique per rationem.* Hactenus Bernardus. Huius iniquæ fortis non fuit voluntas ab initio, id est, in prima constitutione hominis, quia tunc erant ei sarta

Voluntas contra rationem, per ipsam multa facit.

tectaque omnia, neque discordes erant illæ potentiæ, scilicet, intellectus, & voluntas; sed illud quod intellectus edocebat bonum, voluntas anhela sequebatur, sicut & malum præostensum exosa fugiebat.

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 82. art 3.

Audienda de hoc Theologia. Homo iustitia originali insignis, Deo ita erat subditus, & addictus, vt inoffenso pede decurreret æuum suum; hæc autem subiectio erat per voluntatem, cuius est alias omnes mouere potentias in congruum finem. Sed vt sublatâ causâ tollitur & effectus; sic expuncta iustitia originali, pessum iit illa subiectio, sita in vltroneo voluntatis obsequio: voluntate autem detrectante Deo suum famulatum, aliæ potentiæ sese subducentes iugo voluntatis, fuerunt ei iniuriæ, hominem vtplurimum ægra voluntate rapientes in abrupta, vt luget Apostolus. *Video aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ.* Quasi diceret: Aliud est Senatusconsultum, aliud plebiscita, aliud quod deorsum decernitur ab inferis potentiis; & omnino discrepans illud quod in intellectu & voluntate, principibus animæ potentiis, geritur. Itaque supernè & infernè voluntas pessimè se habet; primò ex parte intellectus, quando cæcutiens hallucinatur in discernendo vero, & bono; & sic bonitate ementita, voluntas ruit vt plurimum in incongrua, & noxia. Item ex parte appetitus sensitiui, voluntas impetitur; namque lenocinante sensu, abducitur ad turpia. Cùm igitur omnia ei facessant negotium, quid mirum si fiat obnoxia multis criminibus illa potentia, quæ à statu suo innoxio miserè deuiauit?

Rom. 7. Voluntatis rebellio vnde nata.

Ex SS. Patribus. S. Bernard. serm. 81. in Cantic. Anima quomodo à corpore grauetur. Voluntatis prauæ descriptio.

Hanc enarrationem Theologiæ, assignantis crebra deliquia hominis, priuationi iustitiæ originalis, quam subiit homo declinans in peccatum, Sanctus Bernardus fusè recenset; sic ille: *Peccato factum est, vt corpus quod corrumpitur aggrauet animam, sed amore non mole. Nam quod surgere anima per se iam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens, & iacens, amorem pariter iustitiæ non amittit. Ita nescio quo prauo & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, vt nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est fauorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens. Vnde sese rea voluntas, vbi semel peccato consenserit, nec excutere iam per se, nec excusare tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox, veluti gementis sub onere necessitatis huius: Domine vim patior, responde pro me. Sed rursus sciens, quòd non iustè causaretur, aduersus Dominum, cùm voluntas sua ipsius potius in causa foret; attende quid secutus intulerit: Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerim? Premebatur iugo, non alio tamen, quàm voluntaria cuiusdam seruitutis, & erat pro seruitute quidem miserabilis, sed inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se, cùm esset libera, seruam fecit peccati, peccato assentiendo. Voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntariè seruiendo.*

Synderesis quam sit importuna.

Hactenus Bernardus, exhibens quasi anatomen voluntatis; vnde ego sic arguo: Quemadmodum

admodum lethale eſt veni indomitis equis, vtpote deſpumantibus mortem, atque abeuntibus in præceps; ita & inſanum ſe credere voluntati effræni, & neſcienti iugum Dei. Quippe ea inconſulta ratione, & vna tantùm ſuada rationis experte, ſcilicet voluptate adhibita, hominem raptatum elidet, & in fruſta comminuet. Ergo abneganda hæc voluntas; & quando hominem pelliciet ad aſſequenda placentia ſenſibus, audacter eſt negandum, talia crepundia eſſe bona conſona homini nato ad grandia, & præclara. Ebibendi ſunt magni illi ſpiritus Senecæ Philoſophi, ſic noxiæ voluntatis lenocinia compeſcentis. *Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt fiam vile corporis mancipium.* Quaſi diceret; ſentio quidem blanditias, quibus me vult pellicere appetitus degener in carnem, & carnales efficiens aſſeclas ſuos: non iis auſculto, ſed vt ſuperior impono frænum, quo inſurgentes illecebrarum motus moderor ad nutum rationis.

Seneca ad Lucillum.

Fræno hominem indigere, Dauid ſatis apertè inſinuauit eo verſu. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Id eſt, quamdiu homo illucenti rationi morem geſſit, fuit inſignis & illuſtris, vtpote Deum referens, ad cuius imaginem fuit efformatus gratis: vbi verò à Deo defecit homo, abiit in pecus, & à diabolo ſub iugum miſſus, cadens ea libertate qua pollebat, vigente in eo obſequio Dei, ideo vt eſt petulans omne animal indomitum, ac proinde indigum fræni, in hunc modum homo fuit aliquo vinculo coërcendus. Illud vinculum eſt abnegatio; non enim par eſt hominem fieri mancipium eius potentiæ, quæ ſeipſam dominio ancillæ ingloriæ mancipauit. Igitur cùm voluntas declinans à Domino Deo ſuo ſubdiderit ſe carni, ſaltem apud reprobos quoſque Epicuri de grege ſues, res eſt aliena prorſus ab homine libero famulari illi facultati, quæ ceſſit ſuo iuri, vt ad arbitrium carnis in impuro voluptatum cœno ſe ſordidè volutaret.

Pſalm. 48.

Ingratus beneficio cadit

EX IVRE CIVILI.

Vt Iure Ciuili ſubditus poteſt detrectare dominium eius, qui Feudum amiſit, ratione cuius à ſubditis peculiaria obſequia quædam exigebat; ita & nos voluntatis ſpoliatæ ſua dignitate debemus negare dominium, quo cecidit, eadem lege, qua quis Feudum amittit. En textum legis. *Non eſt alia cauſa iuſtior Beneficium auferendi, quam ſi id propter quod Beneficium datum eſt, ſeruitium facere, recuſauerit.* Nomine Beneficij hoc loco intelligi Feudum diſce ex Cuiacio, ſic definiente Feudum. *Feudum eſt ius prædio alieno in perpetuum vtendi fruendi, quod pro Beneficio Dominus dat ea lege, vt qui accipit, ſibi fidem, & militiæ munus, aliudve ſeruitium exhibeat.* Vnde ſic arguo: Homo totus eſt diuini iuris; tamen Deus hominem fecit ſui arbitrum, & ſic veluti alieno prædio in perpetuum vtendi, & fruendi ius dedit, ea tamen lege, vt pro Beneficio accepto, ab eſu pomi vetiti ſibi temperaret. Cùm ergo renuerit homo pendere illud obſequium obedientiæ, & hoc edulio infidum ſe præſtiterit, tenera iuſtè in ordinem redactus eſt, iuxta tenorem legis. *Non eſt enim alia cauſa iuſtior beneficium auferendi, quam ſi id propter quod beneficium datum eſt, ſeruitium facere recuſauerit.* Ideo audierunt à Domino hanc magnificam vocem parentes noſtri, DOMINAMINI, CRESCITE, MVLTIPLICAMINI, vt dicto obedientes eſſent: Iure ergo fœdifragi homines ſuo cecidere principatu. Ab his deriuata eſt in totam proſapiam contumelia illa deperditi beneficij, & voluntatis ægræ, adhuc iniuriæ Deo in hoc quod eſt iniquior mandatis eius. Quare cautè monet Chriſtus, neganda eſſe illi infidæ voluntati ea, quæ abducunt hominem à cultu Crucis.

De Feud. l. 3. tit. 1. de Beneficio quid ſit & quibus modis amittatur.

Cuiacius in proœmio l. 1. de Feudis.

Feudum, ad quid obliget.

Hominis auſus atque ſuperbiam, caſumque eius, & mulctam, æmulatus eſt perduellis & nebulo quidam in Anglia. Is mentitus ſe regio ſanguine ſatum, traiecit in Irlandiam, illic dementatis quibuſdam hominibus, quos adſciuit ſibi, aſſumpſit regias infulas. Maiores deinde concipiens animos conſcripſit exercitum, quo oppugnare voluit regnum Angliæ. Occurrit ei Rex Henricus, cuius præſentiam ferre nequeuntes illi, qui erant à partibus impoſtoris, capeſſentes fugam, conſuluere ſibi. Sic vſurpator regni ceſſit in ius legitimi Regis, qui nolens in vile gloriolæ mancipium deſæuire morte tenus, indignum ratus rubere ſanguine inglorio, ſic faſtum eius depreſſit. Hominem tremulum omnique ignominia perfuſum, vtpote luti aſpergine ſordidum, & præpeditum vinculis, damnauit ad coquinam, vt inter lebetes & cacabos reliquum ageret æuum ille qui loricam & caſſidem induerat, vt Regi ſuo ſuperbiâ tumidus inſultaret. Et qui ephebis atque nobilibus viris ſe ſtiparat, degeret in poſterum inter lixas, & calones, culinæ aſſueta mancipia. Illic quiſquilias verreret ille, qui ſuſquedeque voluit vertere regnum. Ignis in coquina iugiter accenſi importunos ferret æſtus, & fumi incommoda, quia honoris immeriti ſupra modum cupidus exarſerat. Ibi demum pro purpura aſſumpta, centones indueret, pannis duntaxat obſoletis abdita nuditate. Et equidem iuſtà fuit mulcta, quæ plecteret hominem, cui ſua libertas non ſuffecit, ſed & in ſolium inſuper inſurrexit.

EX HISTORIA.

Andreas du Cheſne in Hiſtoria Angliæ ſub ann. 1489. regnante tunc Henrico VII.

Impoſtoris ſuperbi pœna illata à Rege Anglo

ſuperbia quomodo punita.

En ſynopſim indolis humanæ, quam corrupit animus præcox ad gloriam; vt reſciuit Adam ſe effictum ad imaginem Dei, de deitate ſtatim aucupanda habuit cum dæmone colloquia. Credidit viam compendiariam ad regnum eſſe rebellionem, quam auſpicatus eſt ab eſu pomi, à cuius vſu Deus prætuio mandato eum auerterat. Voluntate à Deo auerſa, inferæ etiam animæ facultates vt aſſeclæ à Deo Domino defecerunt. Abſumpto ferali edulio, Deus ſibi ſiſti imperat hominem reum ambitus; hunc increpatum noluit delere funditus, ſed quaſi ſpoliatum infulis iuſtitiæ originalis, voluntatem principem animæ facultatem damnauit ad coquinam, ad gulæ cupedias, & ad carnis illecebras, vt ea potentia, penes quam erat dominium animæ & corporis, fieret veluti pediſequa pecorum, vt videre eſt in delicatis quibuſque hominibus gulæ ſequacibus, qui vt perdicis aut leporis epulo ſaginent ventrem, tota die inſequuntur aues atque quadrupedes, nequaquam eos temporis iniuria remorante.

Ne tamen ſubrepat tibi, Deum auctorem eſſe deliquij, quod patitur homo propenſus in gulam, libidinem, aliaſque carnis illecebras. Sic enim Deus dicitur hominem damnaſſe ad voluptates, id eſt, ad culinam, ſicut dicitur induraſſe cor Pharaonis. Et hoc liquebit ex animaduerſione Theologica. Sicut prædeſtinatio non dicit tantùm Deum præſcium hominum ſaluandorum, ſed etiam includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam. Ita reprobatio, non præſcientiam tantùm ſonat,

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. & ibi ad 2.

Indurari homo à Deo quomodo dicatur.

sonat, sed & inuoluit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi pœnam congruam crimini perpetrato. Sic tria sunt consideráda in peccato. Primũ est culpa, alterum est derelictio a Deo, vltimum est pœna. Culpa nequit esse à Deo reprobante, quia ea est inordinatio quædam, quam Deus nequit efficere in homine: Deus enim est causa efficiens, cui respondere debet effectus, & non defectus, qualis est culpa sita in nihilo morali, iuxta illud Prophetæ lugentis peccatum suum. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Aliud verò quod sub speculationem cadit in peccato, est derelictio a Deo, & huius derelictionis causa est reprobatio, quæ dicit voluntatem permittendi, vt homo incurius gratiæ Dei suo permittatur arbitrio, quo solo fretus ruit in præceps, & hinc pœnarum inflictio. Verbi gratiâ, in homine damnato ad libidinem, atque luxuriam, culpa est Deo inuito. At cum genio indulget homo obstrictus iusto Dei iudicio: Deus habet se negatiuè, eum derelinquendo, non autem positiuè ingerendo qualitatem, quę hominem cogat ad peccandum. In pœna verò secus se habet Deus: nimirum positiuè plectit & castigat reprobos, iugi incendio depascendos. Non est ergo quòd causetur homo Dei reprobationem, & in eam refundat ansam suorum turpium facinorum. Etenim si damnatus est ad saginã ventris, & ad libidinis æstus importunos, mala hæc sunt soboles Deitatis affectatæ.

Peccatum tria habet consideranda.

Psal. 72.

Quis ergo insanus morem geret perditæ suæ voluntati, quam temerarius ausus adeò vilem effecit, vt erubescat homo intentus indagini conscientiæ suæ, se inclinari ad fœdissima quæque, & quorum obscœna vocabula horrent aures. Miserum illum statum luxit Paulus. *Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato; quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonũ. Nã velle adiacet mihi perficère autem bonũ non inuenio:* Et infra. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis.* Hæc Paulus, qui explicata iniqua sorte voluntatis peruersæ insurgentis in dictamen rationis, aperit tandem modum, cuius beneficio homo sese expedire queat ab illa tyrannide, & suam asserere libertatem. Sic ille: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et nota quam benè cohæreant consilium Christi & sensa Pauli. Christus sequaces suos facturus liberos, monet, vt abnegent semetipsos. Paulus item asserit, gratiã Dei per Iesum Christum esse vindicem nostræ libertatis, id est gratiam, quam Passione sua & Cruce toti hominum Genti promeruit. Quasi diceret: si vis declinare iniquum voluntatis degeneris dominium, tolle Crucem; hac enim compescuntur ausus temerarij huius insolescentis potentiæ, quæ commemorata Passione Christi se componit in quietem. Nimirum homo recolens Domini sui agonem, dum vult æmulari victoriam eius supra sensus, incipit negare suæ voluntati noxia illa omnia, ad quæ se porrigit, & ei reserare abdita bona sub cortice Crucis, arboris reuera salutaris. Voluntas fit erudita mitior, eo planè modo, quo mare Adriaticum suos composuit fluctus, quos antea lethales sursum euehebat.

Rom. 7. Voluntatis nequitia corrigitur à gratia Dei.

Ibidem.

Ibidem.

Helena sancta parens Constantini illius Magni, traiiciens fretum illud infame crebris naufragiis, vt se periculo redimeret imminenti, proiecit in mare illud vnum ex clauis Crucis Domini. Res fuit prope prodigium, accepto illo clauo mare erubuisse, suam ferociam eò prorupisse, vt debuerit ferro illo sanctissimo coerceri. Itaque extemplò intumescens æquor sese effudit in quietam planitiem, vndarum omni typho depulso virtute claui ministri passionum Christi. Nullo sanè potiori remedio voluntas hominum effera suos deponet æstus, quam meditatæ Passionis impigra sequela. Hinc credo effluxisse pium illum ritum Ecclesiæ, quæ dum legitur Euangelium, sacerdotis exemplo, fideles inuitat, vt frontem, ora, pectusque signo Crucis signent, vt resciant professores Euangelij, cogitationes, verba, affectus, & opera componi Crucis suffragio. Namque eius intuitu docemur negare voluntati dyscolæ eas omnes cupedias, quas anhelat, & insolens insectatur. Illud ipsum subodorati Patres in hæc se effuderunt Crucis elogia. Primus occurrit Chrysostomus. *Cùm frons consignabitur, cùm pectus, cum oculi, cùm reliqua membra; fac vt teipsum hostiam Deo gratam offeras.* Recensendus etiam Sanctus Petrus Damianus. *Crux est sigillum timentium Dominum.* Item. *Crux est signaculum redemptionis æternæ.* Vnde sic arguo: Luges te sentire in membris tuis legem te captiuantem, & quasi inuitum raptantem per inuios & asperos calles; lex illa est voluntatis indomitæ impetus: Habes quo te redimas: Crucem amplectere; ea est enim signaculum redemptionis æternæ.

Clauus Crucis Christi pelagi sæuientis æstus composuit. S. Gregor. Turonensis de gloria Martyr. c. 6.

Ex SS. Patribus. S. Chrysost. sermone de adoratione Crucis. S. Petr. Damian. ser 48. Crucis signũ nos Deo consecrat. Crux est sigillum timẽtium Deum.

Debere præire Cruci abnegationem voluntatis illicitæ, vt minuatur pondus eius, est res, cui me titulus obstrinxit; quòd si iam præmisi, ipsum intuitum Crucis compescere ferociam huius indomitæ facultatis, id equidem verum, sed in effectu. Debuit autem præcedere in affectu quædam veluti negatio voluntatis: nam vt caro hominis calefit pannis, & hi vicissim carne incalescunt; ita Crux & voluntas mutuam refundentes opem, inuicem sibi suffragantur. Etenim voluntas pertæsa sua deliquia, meliorem frugem desiderat; & licet non omnino sese expediat, tamen desiderio aliquo angitur desiderandi illud quod non desiderat, & hæc sunt prima rudimenta abnegationis, quæ detrahunt aliquid de pondere Crucis, quæ postea incumbens leuior efficitur, & voluntatem defæcat altius, cuius obsequio Crux ipsa fuit facta suauior. Hæc recondita mysteria innotescunt planè his quos virtutum praxis erudiuit. Etenim illi virtutis candidati sciunt, vitæ sanctioris prima præludia esse desideria emendandi ruinas, quas vitia insolita pepererunt. Quod autem accidit iuxta vota diu animo concepta, illud etsi natura sua graue, tamen amanti non est difficile, vt videre est in Ænea ferente patrem suum Anchisem, hoc onere non grauantem filium suum, vltro sarcinam illam subeuntem. Desideria autem Crucis supponere abnegationem probe

probæ voluntatis, est quod incumbit ad probandum.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 10. Metaph. c. 6.*

A Philosophia auspicemur. Vt se habent res contrariæ ad inuicem, ita & desideria illarum; sed res contrariæ nequeunt esse in eodem subiecto, nisi vna cedente alteri; ergo desiderium Crucis non poterit inseri volũtati, quin illa se expediat à desideriis illicitis, id est abneget semetipsam indomitã, siquidem contraria sunt Cruci ea omnia, in quę fertur volũtas praua. Rursus vt se habet intellectus ad obiectũ aliquod nobile, & altioris scrutinij, ita & voluntas ad bonum arduum; sed scibile excellens, qualis est Deus, non intelligitur nisi via negationis, remouendo a Deo & negando omnia, quæ hiulcum aliquod & dissonum inuoluunt, sic purgando intellectum ab omni errore. Ita voluntas non feretur in summum bonum, quale est Christus crucifixus, nisi via negationis, negando mala quæ sensus ei referunt in esse Cruci, & negando sibi bona, quæ suggerunt illecebræ voluptatum.

Crucis amplexum refugit voluntas peruersa.

Ex Theologia *Thom 3. p. q. 2. art. 11.*

Theologia hoc argumentum asserit esse suę discussionis, ac proinde pollicetur expensuram se liquidè controuersiam hanc tótam, probando voluntatẽ esse abnegandã, vt fiat idonea ad Crucis amplexus. Sic illa: In Christo fuere duę naturæ, vna diuina, & altera humana, in prima coæqualis Patri, in altera habitu hominum inuentus vt homo, & cõpositus ad exemplum, & præsertim in his quæ ad Crucem pertinent, vt testatur Apostolorum apex Petrus. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Ergo debet se homo accingere ad baiulandam Crucem eo modo quo & Christus: sed ille suæ quasi inuitæ voluntatis agonem compescuit, aptando voluntati diuinæ suam ipsius hominis voluntatem, quæ nutabat velut impar Cruci, vt colligere est ex contextu, & serie orationis eius. *Pater si vis, transfer Calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Audis in Christo coire duas voluntates, quicquid oblatrarint Monothelitæ hæretici. Voluntas humana horrebat spinas, clauos, & flagella, opprobria, & reliquam suppellectilem Crucis; sed ita aperuit Deo Patri suam hanc molestiam, vt ad amussim eius voluntatis, se totam depresserit, vt sonant illæ voces: *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Id est, si veheret æstu meæ voluntatis humanæ, declinarem ego Crucem veluti scopulũ, in quem caro mea impingens, elidi debet. Sed quia alia Cynosura traiicio mare salsum & insalsum mundi, nego, & inconcessa volo esse meæ voluntati omnia aliena à tua voluntate. Itaque sequar quocunque vocabis. Illa abnegatio voluntatis adeò fuit accepta Deo Patri, vt Angelum miserit Christo, indicem & nuntium facinoris egregij, & benè placiti Deo. Sic scriba sacer. *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.* Etenim vbi se humana voluntas dirigit & componit ad normam voluntatis diuinæ, statim velut æstro nouo perc ita occurrit Cruci, à qua primitus abhorrebat. Eum se præstitit Christus, sua voluntate coërcita ad nutum Dei. Tunc enim impauidè obuiam iuit sicariis, quos sciebat sitire suum sanguinem. Infractum eius animum refert Ioannes, indubius testis, & fidus comes ærumnarum. *Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum.*

1. Pet. 2.

Luc. 22. Crucis ærumnas horruit voluntas humana Christi.

Ibidem.

Ioan. 18.

Christi exemplo exhibito, frustra laboratur, si quæritur alter ritus se accingendi ad Crucis onus importunum subeundum. Et aduerte, totum pondus Crucis non esse ab hoc stipite, salutari sed à voluntate praua, quæ amarorem suum aspergens Cruci, eam postea respuit vt ingratam. Vnde vt minuatur onus Crucis, Christus è voluntate eliminat illicita, quæ suo felle suauitatem Crucis vitiant, & corrumpunt. Hęc est optima cautio peritorum rei Medicæ, qui ægris consulturi, non prauum decumbentis habitum tantùm considerant; sed & morbi primordia, & radicem seduli inuestigant. Eamobrem Medicinæ primores tria in morbis considerant, scilicet πρωτοπάθειαν, id est, originem morbi, seu partem quæ primò malè affecta est; ἰδιοπάθειαν, partem quæ angitur & vexatur; συμπάθειαν, partem quæ alteri dolenti compatitur, & plerumque veluti morbo neglecto, partem ægram prætermittunt, quæ laborat ἰδιοπαθείᾳ, vt occurrant protopathiæ, id est, illi regioni corporis, in quam primò vitium irrepsit.

Crucis pondus quare grauet homines.

Ex re Medica. *Sanctorius lib. in artem paruam Galeni cap. de sympathia.*

Hinc miris elogiis Galenum effert Sanctorius Medicus, eò quòd feliciter adolescentem curauerit, qui stomacho angebatur dirè & iugiter, bilémque multam euomebat quotidie, laborans nausea non ferente cibos. Ad has molestias accedebat meningum seu tunicarum crebra conuulsio Epileptica. Medici multi conuocati oleum suum & operam perdiderunt, quia remediis vsi sunt idoneis ad stomachum, & meninges, omissa principe parte, quæ fuit vt fermentum, ex quo malum intumuit & excreuit. Rebus ægri adeò malè compositis, itum est ad anchoram sacram, scilicet ad Medicum Imperatoris, & hunc Galenum. Ille vt resciuit praxim medicorum, qui antea studuerant reduci sanitati nobilis huiusce adolescentis, arguit eos imperitiæ, quia attenderant tantùm idiopathiæ. Sic ergo ille morbi indolem aperuit. Æger iste querulus de stomacho suo, aliunde laborat inscius, nimirum hepar incandescens, feriante haimatosi, bile copiosa desudat affatim, quam refundit in stomachum, qui hoc humore fero vellicatus patitur æstum, atque sitim, quæ facilè non sedatur. Vtque insita est vis vnicuique rei, expulsiua noxiorum, stomachus deorsum se contrahit, vt egerat sursum bilem inimicam, qua suffusum os, impatiens est ciborum. Rursus vt meninges sunt principes tunicæ corporis, sympathia quadam condolent, & congaudent membranis omnibus, sicut & in Republica ritè ordinata, proceres mouentur iuxta affectum populorum, quorum egestas, aut res secundæ, redundant in Dynastas. Hinc membranis ventriculi plus nimio calentibus, stabulante bile conuulsæ meninges, cerebrum sedem animæ perturbarunt, hocque turbine concussi spiritus, via obsesata, qua vniuerso corpori inuigilant, crebrò epilepsiam sensit æger.

Morbi protopathia quid sit. Morbus sympathicus quomodo curatus à Galeno.

Sanctorius libro in artem paruam Galeni cap. de sympathia.

Ea autem est series affectuum, qui hominem grauāt Hepar est vniuersi mali labes, & penes illud est protopathia morbi, sicut idiopathia stomachũ spectat, quem bilis acuta pungit, & lancinat;

lancinat; hinc tunicæ cerebri compatiuntur sympathicè. Vt autem tot malorum nexus indubiè dissoluatur, non est laborandum in stomacho aut capite, sed est auerruncanda radix, ex qua tot emergunt surculi malefici. Itaque auspicandum ab hepatis cura; nam sopito æstu maligno, quo ignitur hoc principale viscus, exsiccabitur fons vberrimam bilem scaturiens; bile non irrumpente in stomachum, quiescet illa anxietas exurgens ab humore restagnante, quieto stomacho non habebit caput, cui postea condoleat, neque exurgent ex putida illa colluuie tetri vapores, qui sua lue cerebrum effœtum inficiunt, vnde enascitur epileptica conuulsio. Dixit Galenus, fecit, & curauit ægrum.

Quomodo Crucis amor ingerendus. Peccati sedes in homine quœnam sint.

Iuxta normam à Galeno præscriptam, Christus curat hominum prosapiam exosam Crucem. Etenim dicens: *Abneget semetipsum, & tollat Crucem suam*, protopathiam morbi suscipit extirpandam. Tria namque sunt in homine iniquo meditanda. Primum est hepar incandescens; est autem hepar sedes facultatis concupiscibilis, vt ait Poëta.

——— *Cogit amare iecur.*

Cor verò locus est facultatis irascibilis. Hominum impiorum calet hepar amore noxio, quando concupiscunt illicita & placentia carni; illa autem concupiscentia accensa multam prolicit bilem, qua aspergit omne asperum & austerum, vt sunt Cruces, quia offendunt sensus, quorum obsequio se voluntas reproba mancipauit; hinc odium Crucis, quia creditur ab impiis malefica. Demum ingrauescente malo caput obsidetur, dum respuit audire paræneses ad Crucem, & tamen patulas præbet aures ad placentia, scilicet ad scurriloquia, ad rumores, & obscœna quæque. Cautè sunt curandi tres illi affectus praui; scilicet, concupiscentia voluptatum, odium Crucis, & nausea verbi Dei; frustra quis ordiretur à prædicatione encomiorum Crucis, vt amorem eius ingereret ei, quem scit odisse id genus ærumnarum. Siquidem odium illud non est prima sedes mobi, sed symptoma tantùm, seu surculus enascens ex concupiscentia iniqua, quæ facit protopathiam morbi. Ab hac, ducenda initia therapeuticæ, suadenda est abnegatio rerum blandientium, ementita suauitate nocentium. Aperienda lues abdita lenocinio voluptatum, tergendus est earum fucus, & explicanda pernicies imminens porcis Epicuri de grege. Denique non tam amor Crucis suadendus, quàm illecebrarum carnis odium inculcandum. Quippe voluntas refuga voluptatum, inclinabitur statim ad amorem Crucis, bile exsiccata, quam effuderat improbus amor sui. Item reserabit aures ad Crucis commoda enarrata, quæ antea audire respuebat, ad sanctiora quæque, anima nauseante. Macte igitur, ô anima pertæsa tua deliquia, & nutante gressu inire volens asperos calles Christi crucifixi. Animæquior esto, volenti leue est onus Crucis, & iugum hoc suaue ei, qui didicit amarorem abditum voluptate.

Animæ patientis crebra deliquia, curam esse auspicandam à protopathia morbi, id est; à tædio voluptatis, & abnegatione voluntatis illicitæ, & scriptura sacra, & sancti Canones ingeminant. Accersendus est Dauid, aliàs nexu eoque tenaci voluptatis irretitus. Is velut antesignanus pœnitentum, sic hortatur homines ad nauseam eorum omnium, quæ nos suis illecebris alliciunt ad peccandum. *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* Nota esse prius declinandum à malo, deinde insudandum bono. Eò etiam spectat eiusdem Regis oratio. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.* Via Christi, seu via ad Deum est Crux, iuxta illud eiusdem Dei & Domini effatum. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam.* Hanc viam nemo inire potest, nisi tollat Crucem quæ est & via, & baculus confortans in via, ipso etiam Psalte assertore. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Ærumnæ omnes atque molestiæ sunt velut vmbræ mortis, quia mortem carni, atque concupiscentiis eius inferunt. Anima mœrens, Deo præsente gaudet, & quamuis vrgeatur pœnis, Cruces, & virgæ, baculi vices gerunt; nam vnde luget caro, inde anima tripudiat. Quemadmodum expertus est idem Princeps, Deum sic compellans: *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Sed memento neminem fulciri hoc baculo Crucis, & inire calles asperos pœnitentiæ, quin oculos antea auerterit à vanitate, quæ his veluti ostiolis irrepit in animam. Itaque quisquis æmulatur Dauidis indolem, ille supplex satagat Deum hac prece sedula demereri. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.*

Ex Figuris. *Psal.* 33. Declinandū à malo vt fiat bonum. *Psal.* 118. *Psal* 22. *Psal.* 93. *Ibidem.*

Iure Canonico prostat, & hæc conclusio asserens abnegationem sui, siue mali cuiusque repudium, esse pœnitentis exordium, & debere emendari pœna illud crimen, quod fuit delectatione perpetratum. Accipe Canones. *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.* Et paragrapho qui subest huic textui, sic Augustinus se explicat. *Continuò dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Ille pœnam tenet, qui semper punit, quod commisisse dolet.* Reuera patitur, & mœret voluntas assueta cupediis, quando negantur ei placentia; sed ille mœror est præludium pœnitentiæ, hominem sanctiorem effectura.

Pœnitentiæ definitio. Ex Iure Canonic. *Canone Pœnitenti est §. Continuo. De Pœnitentia. Distinct.* 3. *S. August lib. de dogmatibus Ecclesiast. c.* 54. Pœnitere quid sit.

Cælica Mathesis, inuestigans planetarum vias, & recursus, habet & ipsa quo egregiè probet animam non euehi ad virtutis apicem, & Christi amplexus, quin suos gressus auspicetur à tædio voluptatis, & secessu ab omnibus illecebris carnalibus. Sic illa disciplina sagax. Sol pernice motu peragrans signa Zodiaci septentrionalia, præterit Æquatorem, pergens ad tropicum signi, cui nomen est Caper. In limine Capri Sol stat, nec vltra versus polum borealem progreditur; sed quasi eum pœniteat dereliquisse Æquatorem symbolum iustitiæ

Pœnitentiæ egregia descriptio. Ex Mathematica. *Ioannes à Sacro bosco l. de sphæra.*

iustitiæ, alia via redit eo vnde deuiarat. Nimirum decurrit signa Capricorni, Aquarij, Piscium; & demum ingreditur signum Arietis, in quo Sol Æquatori subest, & est in maxima sua exaltatione, quæ tamen ab Auge dispescitur. Aduerte, Solem non præterire Aquarium, quin à Capro recesserit, deinde ab Aquario, transire ad Pisces, quorum finis est Arietis exordium, & accessus ad Æquatorem, vbi Sol exaltatur. Hæc est genuina sanè idea pœnitentis. Ille antea reprobus dereliquit Æquatorem cùm æquitatis incurius, cucurrit velox ad aquilonem, vnde panditur omne malum; vbi autem eum excipit Caper, id est, voluptas obscœna, quam refert Caper iuxta illud: Lasciua capella, stat veluti pudibundus. Eumque torquente synderesi decurrit illud signum, incipiens horrere delicias, quarum vsu anima libidine calens, pietate friget, & gelascit. Expedita mens ab hoc signo, & abnegata voluptate, in Aquarium transit, id est, se lacrymis ita alluit vt diluat omnia carnalia, eòque deuenit, vt Piscium instar, nihil omnino carnale sapiat, sed æuum suum agat, gestiens in aquis fletuum, & mœroris. Etenim ex Poëta. Est quædam flere voluptas. Anima sic vale dicto voluptati, & aquis immersa, demum tersior egreditur; nam sistitur Æquatori, fitque redux ad gratiam, siue iustitiam, à qua recesserat properans ad stationem indecoram Capri. In prima margine Æquatoris Sol reperit agnum siue Arietem, penes quem est eius exaltatio. Ita & pœnitens, fletuum suffragio iustior, & Deo gratior efficitur, ipsoque in limine gratiæ, occurrit ei Christus crucifixus, Agnus occisus, & qui tollit peccata mundi; ille eos exaltat, sicut & oportuit exaltari filium hominis, id est, facit eos participes Crucis suæ, cuius obsequio homines exaltantur.

Non aliunde igitur quàm è cælo petenda est via ad Christum crucifixum: inde docemur, esse abneganda voluntati illicitæ omnia carnalia, derelinquendo Caprum: rursus esse lacrymis tergenda deliquia, vt exuta carne, spiritualis & cælestis Agni dignemur amplexibus, præuia iustitia, qua iusti & accepti Deo nuncupamur. Demum apicem gloriæ suæ attigit anima Christo crucifixo sociata, cùm nihil æquè homines efferat sursum, sicuti Crux, vt egregio symbolo ostendit Bargaglius. Pingit ille corneum trochum, quem versatilem agunt pueri suo flagello quatientes in gyrum; illi trocho corneo erecto adiicit flagellum hoc titulo. PER TE SVRGO. Etenim ille trochus iacet, si non erigitur flagello. In hunc & nos modum ægri decumbimus, si nos flagella non erigant. Cùm ergo occurret aliqua molestia, aut ictus flagelli cuiuspiam, sic eamus obuiam: Te lætus excipio, ô ærumna cælitus illapsa, PER TE SVRGO. Qui enim volutabar in obscœnis, immemor Dei, iam excitor his flagellis, & exurgo beneficio Crucis imminentis.

Ex SYMBOLIS. Scipio Barg. lib. Symbol.

Sed ne excidat, exeundum esse prius ex signo Capri antequam profluuio lacrymarum veniatur ad exaltationem Arietis, id est, oportere defœcare voluntatem ea propensione, qua fertur in noxia, & ei inurere mœrorem vitæ retroactæ, vt postmodum alacrior velit, & volet alis desiderij ad Crucem, vt & fecere omnes pœnitentes, quos commendat iste Canon. *Sancti qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè sicut homines corruunt, naturæ magis fragilitate quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, vt non solùm nullum attulisse existimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse.* Nota, Canonem asserere pœnitentes incepisse à stimulo pudoris, vt voluntas, quæ ab impudentia peccati sumpserat exordia, pœnitentiam incipiat à rubore, qui compescit desideria obscœna, quibus antea hæc facultas reproba ducebatur. Eamobrem Ambrosius in calce Canonis istius, benè monet, ne peccatorum surculis extirpandis occupemur, sed radici eruendæ iugiter insudemus. Sic ille: *Prius est ergo, vt ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix, & seminarium peccatorum, mala tollatur radix, ne malos fructus ferat, aboleatur erroris omnis affectus, vniuersa iniquitatũ genera tollãtur.* Optime Sãctus ille suadet aboleri erroris omnes affectus, vt iniquitatum vniuersa genera deleantur, quod idem ferè est, ac abnegare voluntatem suam, vt expeditius Crux tollatur. Nimirum nihil æquè Cruci aduersatur, ac præpediti affectus nexibus improbæ voluptatis. Quos vbi quis soluerit, sine negotio Crucibus obsequetur, & fiet Martyr Christi, sicut hortatur ipse Christus. Audi Bernardum. *Quid tibi aliud de Christi auditorio sonuit cùm clamatum est: Qui amat animam suam perdet eam, dixit siue ponendo eam vt martyr, siue affigendo vt pœnitens. Quanquam genus martyrij est, spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra ceduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Hæc ille. Nota, deponendam esse voluntatem, vt ponatur anima, Christi causâ.

Pœnitentes ex peccatis cautiores fiunt.

Ex IVRE CANONIC. Canone ille Rex §. Sancti.

Item §. Peccatum Versu Prius est ergo. De Pœnitent. Dist. 3. S. Ambros. in Apologia Dauid cap. 2. *Peccati radix est extirpanda.*

Ex SS. PATRIBVS. S. Bernard. sermone 30. in Cantic. *Mortificatio genus est martyrij.*

Quibus argumentis voluntas debeat inflecti ad abnegationem sui, & Crucis affectum.

In eadem verba:

Abneget semetipsum & tollat Crucem suam.

SECTIO SECVNDA.

Sollicitus aliquando Tobias de pecunia credita Gabelo, homini longè posito à Tobia, vtpote quem multa intercapedo soli, & aquarum diuortia ab eo dispescebant. Anxius inquam vir grandæuus de vi illa argenti, filio suo mandat, vt carpat iter illud ducens in ciuitatem Medorum, ibique interroget de Gabelo, & ab eo recipiat mutuò datam pecuniam. Patri suo morem gerens ingenuus & liberalis adolescens exiit foras, quæsiturus viæ comitem, cuius ducatu dirigeretur in Rages. Non diu hæsit in indagine hominis idonei ad præfatum emetiendum iter. Vt enim sacer habet textus: *Egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, & ignorans quòd Angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit: vnde te habemus,*

Ex FIGVRIS. Tobiæ cap. 5. 6 7 & 8.

habemus, boni inueris? At ille respondit: Ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum? Cui respondit: Noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum. Hactenus historia. Tobias nihil cunctatus, non insalutatis parentibus, se credidit homini callenti inuios aliis calles. Prima statione diuerterunt ad oram fluminis Tigris. Illic adolescens viæ molestiam leuaturus lotione pedum, littori se commisit, sed ingresso in flumen occurrit piscis horridus & immanis ore hiante volens Tobiam absorbere. Inuocauit ille comitem adstantem, eiusque consilio apprehendens piscem inuitum & reluctantem, valido nisu eduxit in apertum campum, eo exenterato eduxit cor & hepar, futura remedium præsens ægro patri, item & in Dæmones, si iuueni vellent postmodum insultare.

Rursus longâ aliquot dierum viâ emensâ deuenerũt in domũ Raguelis viri Hebræi de eadem Tribu qua & Tobias; huic erat filia speciosa, quam in sponsam expetiit adolescens, habito consensu patris; introducitur sponsus in cubiculum sponsæ, futurus victima infelix sicut & septem alij, quos Asmodæus Dæmon prætendens faces occiderat. Socer miseratus iniquam sortem generi sui, eadem nocte prouiderat funeri, quod indubium fore crediderat, desumpto argumento ab experiẽtiâ, qua magistra didicerat omnes ad filiam suam accedentes, esse furenti diabolo obnoxios. Nihil iniquum tamen sensit Tobias Angelo compescente Asmodæum, & ita moderante historiam vitæ pij adolescentis, vt omnia, quæ sensui lethalia videbantur, cesserint in Tobiæ decus, & gloriam. Eamobrem ait eis Angelus: *Pax vobis, nolite timere. Etenim* Tobiæ 12. *cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram, ipsum benedicite, & cantate ei.* Non fuit irrita parænesis, neque parentes Tobiæ cunctati sunt suas rependere Deo grates, vt legere est in eo textu recensente eorum obsequia. *Tunc* Tobiæ 13. *prostrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius. Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum, quoniam tu flagellas, & saluas, deducis ad inferos, & reducis, & non est qui effugiat manum tuam.*

Esto Tobias habuerit præualida gratitudinis in Deũ argumenta, quia filio eius prouidit Angelum, qui de periculis fecerit pharmacum, & prouentum. Non est tamen quod in æmulationem adducamur eius sortis. Namque vrgemur amplioribus gratiis & arctius obstringimur Deo; quippe non Angelum misit in ducatum viæ terrestris: sed filium dedit, qui nos in cælum dirigeret, accepturos non leue pondus argenti, sed prædiuites gazas, easque prædonibus inuias. Angelus ait, se fuisse adiectum socium vitæ & viæ, per voluntatem Dei; & Christus vltra docuit nos exemplo suo, voluntates nostras esse componendas ad nutum voluntatis Dei. Angelus ex ingruentibus periculis eruit commoda temporalia; & Tobiæ 13. Christus Cruces nostras, & ærumnas aptat in gloriam occasum nescituram. Si ergo Tobias leuioribus donis obstrictus, se adeò gratum exhibuit; in quas debemus & nos effundi gratiarum actiones, deuincti à Deo, qui filio suo præceptore viam cæli edocuit compēdiosè ineundam, si velimus illud omne quod decernit Deus, ejus voluntati iugiter obsequendo. Illud autem præstabimus, certiores facti, Cruces nostras cessuras in bonum nostrum, & esse semina, quæ decocta illucente gratia Dei, exurgent in fructus sapidos, & salubres. Duobus igitur argumentis poterit inflecti voluntas inuita, vt sponte eat obuiam Cruci. Scilicet homine meditante nihil nobis accidere inscio Deo, sed omnia eo moderante ingruere, ac proinde esse rem iniquam præstituto ab ipso ordini reluctari. Secundò vt fiat voluntas humana propensior ad annuendum æterno Dei decreto, recolat homo Cruces omnes æquo animo exceptas, cessisse in commodum & gloriam hominum afflictorum. Cruces Deo volente nobis incumbunt.

Ordiamur à voluntate Dei, & ostendamus ex nutu eius imminere nobis Cruces, inopiam, morbos, aliáque huiusmodi, quæ aduersa & iniqua incongruo nomine nuncupamus. Ex Theologia quicquid extra Deum habet aliquod esse, illud à Deo emendicat; Ergo Deus vult illud esse, nihil enim inuitus creat aut efficit; sed Cruces & ingrata omnia quæ feriunt renuentes homines, habent esse reale & physicum, saltem connotatiuè, vt verbi gratiâ, cæcitas connotat animal cæcum: ergo hæc mala quæ quatiunt inuitos homines, Deus vult, & facit, vt liquet ex textu sacro. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Item, & Salomon suum calculum adiicit. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* Si Deum ipsum audire vis vindicem, & vltorem, ac auctorem rerum aduersarum, consule Regum historiam, vnde eum audies intonantem, & sæuientem in peccatum Dauid. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo; tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* In hac sacra Theologia Dauid apprimè eruditus, audiens Semei, hominem nebulonem conuicíantem, & in se Regem perditè debacchantem, noluit petulantiam hominis impij coërcere, refundens in voluntatem Dei hanc ærumnam: dum enim proceres exercitus eius, vellent gladio animaduertere in hominem nefarium blasphemias eructantem; Dauid eorum zelum sic retudit: *Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?*

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 45. art. 5.

Amos. 3.

Eccles. 11.

2. Reg. 12.

2. Reg. 16.

Rursus ex Philosophia quando indiuiduo nexu causæ sociantur, causa prima plus influit in effectum, quàm causa secunda: ergo effectus ad eam pertinet magis, quàm ad alias causas inferioris notæ. Sed Deo vt agenti primo subsunt omnia agentia, ab eóque vt fonte scaturiente, iugiter hauriunt vnde effluant, & influant: ergo etiam Philosophicè, & Theologia inconsulta, nihil est in rerum natura, quod non sit effectus primæ causæ, & cùm opus naturæ sit opus intelligentiæ, & intelligentia dirigat singula ad suum finem; directio autem dicat actum intellectus ordinantis, & actum voluntatis, quæ ad tale bonũ fertur: Sequitur omnia

Ex Philosophia. Arist. de causis propos. 1.

omnia mala, quæ citra peccatum sunt, fuisse & esse à Deo volita, & Deum concurrere ad illorum malorum editionem, vtendo causis secundis, vt ministris suæ voluntatis, quam etsi queat explicare immediatè, puniendo inscius causis secundis; eas tamen adsciscit, & vocat in partem causalitatis earum ærumnarum, quibus quandoque compescit homines malè sibi conscios; imò in pœnam peccati præuij, Deus reprobos homines permittit in suam ipsorum perniciem desæuire in viros, quos decoquens hæc ærumna faciet æqui-ores. Expleta autem eorum malitia, quæ nunquam præterit fines à Deo præstitutos, Deus exterminat impios, qui vitio suo effecerunt vt per ipsos fieret quod expediebat saluti hominum sanctiorum. Ita virus suum in Dauidem euomuit Absalon degener; sed Rege pœnitente castigato, hanc virgam Deus proiecit in vltrices flammas, sicut & Assyrios, quibus vsus est ad correptionem Hebræorum, Isaia prophetante. *Væ Assur virga furoris mei.* Quasi diceret. Assyrij eò deuenere nequitiæ, vt in cumulum eius sint Israëlem afflicturi, mittentes eum sub iugum, & diripiendo vasa sacra.

Isai. 10.

Ex Historia. Acta S. Syluerij. Bellisarij sacrilegia à Deo punita.

Ita Deus volens plectere Bellisarij fastum, quo tumebat ob multas reportatas victorias, non obstitit quin manus violentas miserit in Syluerium Papam, quem relegauit in insulam Pontiam, vbi cessit fatis auctus corona martyrij, quam sibi contexuit ex rosis collectis inter spinas a Bellisario obiectas. Non impune tulit Bellisarius illud sacrilegium; nam Iustiniano Imperatori inuisus, excæcatus est in exemplum iustitiæ Dei, nefariis actibus imminentis. Eodem œstro percita periit Eudoxia mulier imperio clara, & supra omnem typhum, quæ eò deciderat amentiæ, vt ad statuam suam argenteam ludos fieri Ethnicorum ritu haberet sperquàm acceptum. Fœminæ insolentiam non ferens Sanctus Chrysostomus, audacter occurrit. Illa irarum impatiens adeò debacchata est in sanctum suum consultorem, vt procurarit eum deportari in exilium, sic criminibus suis impositura colophonem. Impiæ mulieris iniquis artibus extinctus est Chrysostomus; sed quatriduo Eudoxia suam reprobam exhalauit animam, luituram pœnas, quibus se obstrinxit. Sic hominum impiorum mens iniqua cedit in obsequium voluntatis Dei, qui tuecta mala non sineret ingruere suis sequacibus, nisi pleraque commoda inde iustis emergerent, & impij irrogantes mala illa, postea plecterentur.

Recensendi Patres lumen afferent huic propositæ veritati, quam Isaias elimatè discutit, scribens ruinam Chaldæorum, ad quorum exterminium Deus Cyrum occuparat, Deo ipso sic loquente de Cyro: *Cuius apprehendi dexteram.* Id est, etiamsi Cyri percussio sit à Cyro; quippe ad arbitrium eius cientur & manus illius: tamen habet à me Cyrus vt mouere queat manus suas, ideoque mea est etiam illa Cyri percussio. Consonat Augustinus. *Impietas eorum tanquam securis Dei facta est, facti sunt instrumentum irati, non regnum placati, fecit hoc olim Deus quod plerumque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecumque sarmentum, cadit inde filium suum, ac deinde proiicit sarmentum in ignem, & filio seruat hæreditatem; sic aliquando Deus per malos erudit bonos.*

Isaia 45.

Ex SS. Patribus. Flagella Deus in ignē proiicit. August. in Psal. 73.

Accedit Gregorius, exemplo explicito probans, voluntatem Dei coire cum voluntate agentium, ex eo quod textus sacer ait: *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* Aduerte, inquit Gregorius, eumdem spiritum vocari, spiritum Domini, & spiritum malum, quæ duo tamen non concordant. Namque si est spiritus Domini, ergo minime malus. Si spiritus malus; ergo non Domini. Idem Sanctus nodum & tricas implexas sic dissoluit: Spiritus ille erat malus, quia malum intendebat. Siquidem Saulem exagitans hic spiritus percellebat eum ad peccandum, blasphemando atque desperando. Eamobrem ab iniquo fine nuncupatur malus ille spiritus, qui consideratus, vt missus à Deo ad expurgandam scoriam quam Saül collegerat, & ad corripiendam eius insaniam, vt fieret hinc cautior, spiritus hic dicitur spiritus Domini. Et id liquidò est ex textu, *Exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Hæc prænouit Iob, qui in diaboli iniuriis, Dei voluntatem agnouit abditam, dum dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Licet enim fuerit spoliatus à dæmone sæuiente, fuit etiam exutus à Deo volente patientiam eius coronare. Ideo benè Augustinus; *Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem.*

1. Reg. 16. S. Greg. l. 18. Moral. c. 13.

Spiritus exagitans Saul quare dicatur malus.

Iob. 1.

S. August. in Psal. 32.

Deo volente homines premi, voluntas nostra debet se aptare diuino nutui. Etenim vnaquæque res eatenus est perfecta, quatenus refert suum prototypum, ad cuius ideam fuit efformata; at voluntas hominis est quædam participatio voluntatis Dei: Deus enim diuersos essendi gradus impertiuit singulis iuxta aptitudinem, quam indidit rebus à natura, ita vt quicquid aliquod esse peculiare vendicat sibi, illud à Deo habeat quasi precariò: cum ergo homo discernatur à brutis illa animæ facultate, scilicet voluntate, illa potentia erit singulare donum homini præstitum à Deo, se communicante secundùm illum gradum entis. Ergo vt ille gradus entis sit perfectus, debet esse compositus ad amussim eius primi entis à quo deductus est & effluxit, id est, vt voluntas sit tersa, & defæcata debet coire cum voluntate Dei, à qua si deuiat, efficitur praua. Si verò collimet ad eundem scopum efficitur recta.

Flagella nostra sunt referenda in [illegible]

Ex Theologia, Thom. 1. p. q. 44. art. 1.

In quo autem sita sit rectitudo, disce ex Mathematica, quæ sic definit lineam rectam. *Linea recta est à puncto ad punctum extensio breuissima.* Id est, datis duobus punctis, illud spatium interiectum si decurratur ab vna linea, & detur alia linea, quæ breuiori extensione concludat illa duo puncta, hæc linea rectior erit altera priori, quia incuruata est vt patet ex longiori extensione. Ita voluntas nostra dicitur recta, quando nulla interiecta mora fertur in Cruces, quia à Deo volitæ sunt. Voluntas Dei primum est punctum, à quo decurrere incipit, & Crux est terminus ad quem illa progreditur; si ergo breuiori extensione, id est; nullo remorante luctamine voluntas subest Dei voluntati in Crucis obsequio, ea prorsus est recta voluntas.

Ex Mathematica. Eucl. l. 1. ele. Geo. defin. 4.

Rursus

Rursus vt illa Mathematica obseruatio moribus inseruiat, Dico illam extensionem esse breuissimam, quæ fit hilariter, & œstro propriæ voluntatis; sed qui velle suum sic attemperat, vt sit idem planè cum velle Dei, ille suæ voluntati morem geret, cum ad arbitrium Dei se mouebit. Quodque datur vitio aliis, cedet in brauium isti, qui induit voluntatem Dei; nam vt praui sunt primi impetus hominum, emergentes à natura reproba, de qua sic præfatus est Deus: *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum, prona sunt ab adolescentia sua.* Quicquid etiam enascitur ab hac radice mala, reprobum est; id est, qui prauæ voluntatis æstu fertur, ille impingit in scopulos, quos nemo declinat, nisi qui abnegat semetipsum: tunc enim faciens voluntatem suam non erit censuræ obnoxius, quia velle eius, illud idem est ac velle Dei, natura quidem diuersum, sed intentione vnum. Vide ergo ad quem virtutis apicem surgat ille, qui suos omnes extinguit illicitos appetitus, vt in eo voluntas Dei sola adolescat. Ille quantùm homini fas est æmulatur statum beatorum, & hunc peccare nescium: vt enim peccatum non est nisi à voluntate deuia; si nihil incongruum sit in voluntate, proculdubiò erit & hæc innoxia, quippe quæ agit tantùm ex dictamine Dei.

Gen. 8.

Voluntatem propriã qui nõ habet. eã tamẽ hic adimplet.

Totam hanc historiam compendiose digessit Sanctus Dorotheus, ista sententia. *Qui propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem, & sic nolentes propriam explere voluntatem, illam inuenimur semper explesse.* Hæc ille & acutè. Nam qui nutum Dei habet, & sequitur quasi arbitrium suum, ille nihil inuitus facit, quia vult quod & Deus, & nolens explere voluntatem suam, illam tamen iugiter perficit, quia ad arbitrium Dei viuit, cuius voluntas, est appetitus illius animæ sibi emortuæ vt Deo soli viuat. Hoc schema volendi, esse à Deo enixè petendum consulit Augustinus. *Quando nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potiùs Deum, vt delectent bona, quam vt concedantur mala.* Hæc ille, insinuans, velle nostrum inclinari ad noxia, & recedere à commodis, vt sunt Cruces: quid ergo operæpretium est: audi consilium. Æger es, vis sanitatem; ea fortè tibi noxia est & mala, noli eam à Deo petere, sed ora vt delectet ægritudo, quia bona est; breuius, ora vt nihil velis nisi velle Dei. Tunc enim æquior eris æger, quam viribus integris.

EX SS. PATRIBVS.
S. Doroth. doct. 9.
Voluntas in malũ prona.
S. Aug. trac. 37. in Ioan.

Voluntatem nostram congruam Dei voluntati, Bernardus miris euchit præconiis, Sic ille: *Nostra voluntas bona à Domino Deo creata; perfecta tamen non erit, quousque suo creatori perfectè subiecta sit. Nam qui voluerunt sui esse, vtique sicut Dij, scientes bonum & malum, facti sunt non tantùm non sui, sed & diaboli. Itaque libera voluntas nos facit nostros; mala diaboli, bona Dei.* Ille idem fusiùs enarrat pleraque consona præfatis à me. *Velle malum defectus quidam est voluntatis; bonum velle, profectus eiusdem; sufficere autem ad omne quod volumus bonum, ipsius perfectio. Vt ergo velle nostrum, quod ex libero arbitrio habemus, perfectum habeamus, duplici gratiæ munere indigemus, videlicet sapere, quod est voluntatis ad bonum conuersio, & plenè etiam posse, quod est eiusdem in bono confirmatio. Porrò perfecta conuersio est ad bonum, vt nihil libeat, nisi quod deceat, vel liceat; perfecta in bono confirmatio, vt nihil desit iam quod libeat. Tunc demum perfecta erit voluntas, cùm plenè fuerit bona, & bene plena. Habet siquidem in se duplex bonum ab initio sui; vnum quidem generale, ex sola creatione, quod à bono, scilicet Deo, non potuit creari nisi bona. Alterum speciale, ex libertate arbitrij, in qua ad imaginem vtique ipsius qui creauit est condita. Quod si his duobus bonis accedat & tertium, conuersio ad creatorem reputabitur non immeritò perfectè bona. Bona nimirum in vniuersitate, melior in suo genere, optima ex sui ordinatione. Est autem ordinatio, omnimoda cõuersio voluntatis ad Deũ, & ex tota se voluntaria deuotaque & subiecta.*

Volũtas nostra quando perfecta erit.
S. Bern. l. de gratia & libero arbit.
Voluntas dũ voluit esse sua fuit diaboli
Id. vbi supra.

Voluntas vt perfecta sit, quibus auxiliis indigeat.
Volũtatis ad Deum conuersio, eam bonam facit.

Rei Medicæ intentum æmulatur peritus in cura animarum iste Sanctus; nam vbi principale aliquod viscus incanduit, & vniuerso corpori aliquam intulit perniciem, Medicus sagax partem malè affectam studet eò reducere vnde deflexit. Id est facultatem infirmam componit in eum modum, quo à natura sana condita est, iuxta illud Hippocratis. *Est ducendum quo natura vergit.* Siquidem natura vegeta est expulsiua noxiorum, præstóque est ægræ cuique parti. Eius studium Fernelius sic recenset. *Naturam esse definimus, vim primam, & causam per se nostri opificem, & conseruatricem. Hominis enim natura est, quæ non aliud quicquam procurat, & quæ soli addicta homini quem conformauit, gubernat quantùm potest longissimè. Etenim ne frustra condidisse videatur, edito illa operi in omni vita insidet, id nunquam deserit, sed eius gubernacula tractans partes omnes in suum quamque opus ducit, & concitat, vt illa simul omnium functionum causa censeri debeat* Rursus ille naturæ definitiones editas à plerisque infirmans, sic suam prodit. *Aptius spiritum ingenitum quicunque is fuerit naturam dixeris.*

EX RE MEDICA.
Hippocr. lib. Aphor.
Fern. Physi. l. 4. cap. 2.
Natura ex Medicis quid sit.
Ibidem.

Ægram voluntatem hominum, qui multiplici libidine calent, curare volens Bernardus eam pristino statui innocentiæ reddere satagit; tunc enim naturâ illibatâ & integrâ, voluntas nescia obliquitatis ferebatur in summum bonum, & directè. Vt ergo rediuiua sit illa potentia extincta concupiscendo mala, denuo se componat ad arbitrium Dei, & sic erit ordinata, ac proinde ex Bernardo mox laudato, *Optima ex sui ordinatione. Est autem ordinatio, omnimoda conuersio voluntatis ad Deum, & ex tota se voluntaria deuotaque & subiecta.* At secus inordinatio voluntatis est auersio à Deo; & hinc mali labes, atque exordium omnis peccati: sicut enim recessus à bono, est accessus ad malum; ita auersio à Deo, est conuersio ad id quod inimicum est Deo. Denique vt compages tota corporea peccat, & malè afficitur, si habitus à debita temperie dissoluitur; ab ea scilicet, quam spiritus ingenitus sibi vendicat, & deposcit; ita & optima voluntatis constitutio illa est, quam ingerit Spiritus Sanctus infusus in Baptismo: de eo Spiritu ait Psaltes. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

S. Bernard. vbi supra.
Voluntas bona, quænam dicenda.
Psal. 142.

Huic Spiritui intento sospitati animæ quadrant ea, quæ Fernelius accommodat naturæ, in illa descriptione supra memorata; ibi enim

naturam spiritum vocat, cuius munia sic recenset: *Natura opere edito in omni vita insidet, id nunquam deserit, sed eius gubernacula tractans partes omnes in suum quamque opus ducit, & concitat, vt illa simul omnium functionum causa censeri debeat.* Hæc ille apposite ad voluntatem & ad spiritum coëuntem, ad actus quosque singulos exerendos. Eadem enim actio bona, & Dei est, & hominis. Vtque vegeta brachij actio arguit validam naturam; eo etiam modo voluntas proba prodit insitum Spiritum bonum, id est, bona opera clamant, voluntatem hominis cieri ad arbitrium Dei, à cuius nutu habet voluntas humana vt sit optima, & naturam nitelæ suæ restituat, dirigendo quasque corporis & animæ potentias in fines eis a Deo Domino constitutos; sicuti Medicus obseruat in natura, quæ in Physicis, omnia corporis & animæ confinia moderatur.

Pern. Physio. lib. 4. c. 7.

Natura omnium functionum causa.

Hinc eruì potest præualidum argumentum, ad arbitrium nostrum attemperandum iuxta normam voluntatis Dei. Scilicet hæc ratio exigit; vt se habent Physicæ hominis actiones compositæ, seu relatæ ad naturam, ita & se habent morales actus, in ordine ad voluntatem Dei; sed prauæ sunt illæ Physicæ functiones, quæ recedunt à natura, id est, ab illa temperie, qua coalescit omne sanum: ergo erunt crimini obnoxia omnia, quæ perpetrabit homo deuians à voluntate Dei, quæ est lex æterna & regula omnium nostrarum actionum. Si enim iure Cæsareo dicuntur nefarij illi, qui sunt legibus iniurij; à potiori erunt nefanda facinora, perpetrata contra voluntatem Dei, quæ est lex sempiterna, à cuius ordine leges omnes habent & vim regulandi, & ligandi. Igitur si omnem lapidem mouet homo, vt ægri corporis munia reformet ad naturæ instinctum, & ducatum: si omnia amara, & ingrata pocula absorbet, vt suas vices rite obeant singuli sensus; nonne anima potiori zelo debet satagere, vt se effingat totam ad arbitrium Dei? Si ægri decumbentes nulla respuunt medicamina quantumuis aspera, vt naturam reuocent integram, quare reprobi respuent subire normã diuinæ voluntatis, penes cuius amussim est sita rectitudo nostræ voluntatis, ac proinde tota sospitas animarum, id est sanctitas, & perfectionis apex, vt liquet ex illo Dauidis elogio, quem Deus inde potissimum magni fecit, quia eiusdem erat cum eo voluntatis. *Inueni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Item ipse Rex Sanctus non aliunde suam explicat sanctitatem. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Nec altius edi potest obsequium Deo, quàm propriæ voluntatis subiectio. Et esto, oratio, ieiunium & eleemosyna sint fructus indices amoris Dei, & pœnitentiæ; illis tamen præstat sacrificium voluntatis: nam oratione offertur Deo intellectus, ieiunio offeruntur cibi, & saporis illecebræ, eleemosyna Deo dicantur opes; sed resignatione, & abnegatione sui, homo consecrat Deo principem animæ facultatem. Remque dicam prope paradoxum, Martyres non tam Deo gratos extitisse in laceratione & extinctione corporis sui, quam in extinctione voluntatis suæ, quam nutui

Ex Theologia. Thom. 1 p. q. 3. art. 1.

Natura ægra pharmacis reuocanda.

1. Reg. 13. Psal. 56. Voluntatis suæ resignatione, Deo consecratur homo.

diuino mancipatunt? Nimirum refugiente eorum voluntate subire tormenta pro Christo, illi meditantes Dei esse, vt tollerentur è medio his mediis, æquo & volenti animo illa omnia tormina superarunt, incipientes à cruciatu voluntatis, quæ cum frangitur ægrè, magis angit, & lancinat animam, quam tormenta corpora diuexant, & inde reuera Deo accepti martyres, quia voluntatem suam priusquam corpora consecrarunt. Ita Gregorius *Habet pax nostra martyrium suum, quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria trucidamus.* Dixerat antea Hieronymus. *Non solum effusio sanguinis in confessione martyrium reputatur, sed deuota quoque mentis seruitus quotidianum martyrium est.* Martyrium idem est ac testimonium fidei. Hoc autem exhibitum testimonium Martyres eò euehit sanctitatis, vt plerique Gentilium negata copia baptismi fluminis, abluti sanguine suo, à ritu nefario Ethnicorum transierint in chorum beatorum. In his est sancta Emerentiana quæ ex catechumena martyr effecta, inter Sanctas ab Ecclesia recensetur.

Gladius spiritualis Martyres facit. Martyrium quotidianũ est mortificatio.

Ex SS. Patribus. S. Greg. ho. 3. in Euang. S. Hier. ep. ad Eustochium.

Esto emineant Martyres, non eis inuideo gloriam exantlati agonis, sed æmulor charissima sanctius, scilicet eorum voluntatem compositam ad arbitrium Dei. Ita enim Deo addicti erant præpotentes illi athletæ, vt mortem maluerint oppetere quàm vel latum vnguem à Dei voluntate recedere: In his Eleazarus memorandus, vir grandæuus, vtpote nonagenarius; noluit vel fingere se comedisse carnes illicitas, vt eriperetur morti, à qua poterat se redimere simulãdo, & ementiendo pastum. Sic meminit eius scriba sacer. *Qui astabant iniqua miseratione commoti propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secretò rogabant afferri carnes, quibus ei vesci licebat, vt simularetur manducasse, sicut Rex imperauerat de sacrificij carnibus, vt hoc facto à morte liberaretur. At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conuersationis actus, & secundùm sanctã & à Deo conditæ legis constituta respondit citò, dicens, præmitti se velle in infernum; non enim ætati nostræ dignum est inquit fingere.* Nota has voces. Respondit citò, ea enim alacritas argumentum est rectæ voluntatis: rectitudo autem, vt præfatus sum ex Mathematica, sita est in extensione breuissima, qua venerandus iste senex adeò rectum se præstitit, vt nec ad simulationem deuiationis à voluntate Dei voluerit incutuari; sed morte tenus voluerit morem gerere Dei voluntati.

Ex Historia. 2. Machab.

Non est sua laude frustrandus Sanctus Ignatius à Loyola, inclytæ Societatis Iesv Patriarcha. Is adeò erat intentus voluntati Dei, vt nunquam consuleret de exequendis rebus imperatis, solitusque erat dicere se paratum esse ad superiorum nutum conscendere nauem imparatam, vt mare impastus transfretaret. Dicenti autem cuidam esse imprudentis hominis, obedire mandato indigesto, quale esset illud conscendere nauem omnium rerum inopia inutilem. Respondit Sanctus: Prudentiam debere esse penes eum, qui imperat, & non penes eum qui obedit; quia quicquid imperatur

Resignationis exemplũ mirabile. P. Riuad. in vita S. Ignat. Voluntatis propter expers S. Ignat. à Loyola.

imperatur citra peccatum, illud debet fieri ab inferiore, qui aduertit in mandato characterem voluntatis Dei, cui obsequi est summa prudentia. Si Martyrij copia data fuisset Ignatio, duos iam haberemus martyres Ignatios, vtique celebres cultores nominis Iesu. Seuerus Sulpitius B. Martini indiuiduus aliquando comes, & inspector operum eius, ait fuisse Sanctum hunc semper sibi similem in prosperis, & aduersis, quia in omnibus voluntate Dei vt Cynosura vehebatur.

Seuer. Sulpi. in vita S. Martini.

Martyrium duplex est. Mortificatio est martyrium.

Hos omnes obire genus Martyrij, qui voluntatem suam velut holocaustum immolant Deo, constans est sententia Sanctorum Patrum. In his accipe S. Isidorum sic fantem: *Duo sunt genera martyrij, vnum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias tolerantes, & cunctis carnalibus desideriis resistentes per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactauerunt, & pacis tempore martyres facti sunt.* Huic adiice S. Bernardum. *Est martyrij genus, & effusio quadam sanguinis in quotidiana corporis afflictione.* Bene Sanctus corporis afflictionem commemorat, quia voluntas cum domatur, multa corpori illicita subtrahuntur, quorum subtractio molestiam parit. Sicut enim dolor est tristis affectio in parte sensitiua exorta ex apprehensione obiecti nocentis, aut crediti noxij; & vt aiunt Philosophi, dolor fit ex dissolutione continui. Anima suam mactans voluntatem & negans appetitui insolitas illecebras, soluit continuum illud & placitum vitæ genus. Et rursus Cruces amplectens, vt inediam, voluntariam inopiam, aliaque id genus. Pars sensitiua mœret, martyriumque subit, apprehendens hæc vt nociua.

Ex SS. Patribus. *S. Isidorus Etym. l. 7. cap. 11. S. Bern. ser. 1. in die Pasch.*

Ex Iure Canonico. *Can. Nimiū sunt. §. Si crimi. 23. q. 4.*

Ad hoc genus martyrij vrgemur Iure Canonico suadente, persequendos esse reprobos, vt tandem aliquando resipiscant; cùm ergo praua voluntas nostra pleraque suggerat non indecora tantùm, sed & noxia, debet homo insurgere in eam, & suos castigare sensus, voluntati illicitæ suffragantes. Etenim vt diro cruciatu Martyres mercati sunt suam sanctitatem; ita & pœnitentes agone repetito refrænantes iniquos ausus voluntatis, & pruritum sensuum aliqua Cruce coërcentes, non sunt sibi iniurij illis pœnis, sed sibi consulunt, voluntati Dei dum pœnitent obsequentes. Audi ex Canone commoda illius martyrij, quod prædicat ille textus. *Si enim quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præcipitium, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quam si corripiendum ligandumque curaret? Et tamen tunc ei molestissimus, & aduersissimus videretur, quando vtilissimus, & misericordissimus extitisset. Sed planè salute reparata tanto ei vberius gratias ageret, quanto sibi eum minus pepercisse sensisset.*

Correctio licet inuitis facta prodest. Peccatoris comparatio cum phrenetico.

Ex re Medica. *Fern. l. 5. pathologiæ c. 1.*

Optima sanè relatio phrenetici & peccatoris. Namque illum febrilis calor adurens fecit impotem sui, ratione bilis accensæ, quæ dum calore attenuata sursum vergit, æstu suo meninges accendit, & inde in phantasia confusio specierum, quæ imponunt, & illudunt homini sic affecto, ac proinde nescio rationis, cui vincula sunt præsens remedium, ne se præcipitem deorsum agat. In hunc modum diuexatur ille; cuius voluntas libidine feruens, læta & speciosa quæque, sensuum illecebras, credit esse sibi consona, & congena: ille bilem suam effundit in obstantes, furendo, cædendo, lacessendo iniuriis. Sed esto insaniat; non sunt tamen prætereunda remedia idonea phrenesi compescendæ, & præsertim adhibenda ligamina, & flagella pœnitentiæ, quibus animus redux, in meliorem postea frugem se componet, acturus gratias immortales suo sic optimo consultori. Appositè obiicit iste Canon. *At enim quibusdam ista non prosunt. Nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia?* Quasi diceret textus, improbitatem aliquorum non obstare commodo reliquorum. Pergit Canon. *Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm blanda oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ sedulus acquiescat.* Item alio Paragrapho. *Putas neminem debere cogi ad iustitiam, cùm legas patrem familias dixisse seruis: Quoscumque inueneritis cogite intrare: cùm legas etiam ipsum primò Saulum, postea, Paulum ad cognoscendam, & tenendam veritatem, magna violentia Christi cogentis esse compulsum.* Demum sic concludit Augustinus, à quo Gratianus prælibata accepit. *Si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis libris: Detrahentem proximo suo occultè hunc persequebar. Aliquando ergo, & qui eam patitur iniustus est, & qui eam facit iustus est. Sed planè semper, & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos, illi nocendo per iniustitiam, isti consulendo per disciplinam; illi immaniter, isti temperanter, illi seruientes cupiditati, isti charitati. Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet; qui autem curat, considerat quemadmodum secet; ille enim persequitur sanitatem, iste putredinem.*

Correctio non est negligenda licet parum prosit.

Ex Iure Canonico. *Can. Nimiū sunt. §. At enim. §. Non omnis. §. Putas. §. Si sēper 23. qu. 4.*

Correctionis necessitas adstruitur.

Correctio quàm sit prudenter adhibenda.

Tota hæc series eò spectat, vt probet esse voluntatis diuinæ, vt quisque lubeat æquo animo Cruces, & ærumnas, eas præsertim, quæ ad expiationem irrogantur. Esse autem institutas à Deo pœnas ad correptionem nostram, Ius Pontificium clamat exemplo Christi, Apostolorum, & Prophetarum. Accipe tenorem Iuris Sacri. *Occiderunt impij Prophetas; occiderunt impios & Propheta. Flagellauerunt Iudæi Christum; Iudæos flagellauit & Christus. Traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ: tradiderunt & Apostoli homines potestati Satanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causa, quis emendandi.* Cùm ergo Deo decernente, Cruces & flagella desæuiant in voluntates iniquas vt fiant innoxiæ; duo hæc, scilicet voluntas Dei, & vtilitas nostra, debent compellere nos, ad Crucis amplexus, quando occurret nobis.

Eodem Can. §. Si semper. Correctionis bonitas ex fine colligitur.

Et vtinam Deus nos ad arbitrium suum ita inflecteret, sicut inclinat ad nutum suum etsi durum sua mancipia Turcarum tyrannus trux & impius. Ille Gentibus exteris quæ ipsum aliquando conueniunt, specimen editurus suæ

Ex Historia. *Chalcond. in hist. Turca.* Voluntas Dei esse debet regula nostra.

suæ maiestatis, & imperij, quo præpollet in subditos sibi quosque, nonnunquam astantium quosdam huius facinoris inscios producit in medium, & imperat extemplo se immolent, voluntati illius sæui Domini litaturi. Incunctanter illi gladio incumbunt, & occumbunt, rati se beandos; quia supremæ iussioni statim & hilares obsequuntur. O Christianorum hominum ignauiam! constat eis de voluntate Dei, ingruente aliqua molestia, nec ideo desinunt detrectare iugum impositum ad salutem.

Ex Ivre Civili, *Instit. de iure naturali.* An non illi omnes diuino nutui reluctantes iure Cæsareo damnabuntur, & hoc potissimum textu? *Quod principi placuit legis habet vigorem.* Dei placitum debere habere vim legis, Christus suo ipsius exemplo edocuit, sic compellans Deum Patrem: *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* (*Matth. 11.* Volūtas Regis lex est.) Hæc dictio, Ita, consensum sonat, quem eo solo exhibet Cruci, quia erat placita Deo Patri. Prisca Gens Romanorum eo fuit in principes animo, vt omne ius suum atque arbitrium deposuerit penes Regem. Heu quid mentimur nos Romanos, filios scilicet Ecclesiæ Romanæ? Inest tantùm magni nominis vmbra. Nimirum scimus placuisse Cruces Christo Principi nostro, & has refugimus. In aperto est voluntas Dei; nostra tamen latet, nec se vult porrigere ad ea, quæ suggerit Deus. Pudeat fideles Romanos negare Deo quod olim infideles Romani Regibus obtulerunt, scilicet subditæ voluntatis obsequium, vt hac lege Iustinianus insinuat. (*Leg. 6. Sed & quod Institut. De iure naturali.*) *Sed & quod Principi placuit legis habet vigorem, cùm lege Regia, quæ de eius imperio lata est; populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concedat. Quodcunque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legem esse constat.*

Malè sibi consulunt qui arbitrio suo & non Dei viuunt, declinantes bonam Crucem, vt stipiti infelici postmodum addicantur. Faxit Deus, altas radices agat in mentibus nostris symbolum Caroli Siciliæ Regis, qui saturatus iniuriis atque molestiis, æquum testatus est animum suum hoc egregio Emblemate. (Ex Symbolis. *Typotius l. symbol.*) Pinxit ille Crucem, ex qua emergebat rosa, hoc titulo desuper. In patientia svavitas. Et reuera rosa fragrantiam minorem spirat eà, quam aspergit æquanimitas seruata incumbente Cruce. Et vt Physiologi aiunt, rosam fragrare suauius si allia in eodem scrobe inserantur, quia odore allij ingrato acuitur vis rosarum; ita & virtus suaueolentiam suam prodit crucifixa; tunc enim ex voluntate Dei, & arbitrio hominis emeriti, vna duntaxat coalescit voluntas vniformis, iuxta hoc meum effatum. Mens, qvæ Deo placita volet, vobat, nvsqvam imparata ad imperata.

Qui respuunt Martyrium Christi, illi plectuntur Martyrio diaboli.

In hæc verba:

Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam.

Sectio Tertia.

Qvia fusè in tractatu de Cruce egi de duplici Cruce, bona videlicet, & mala; paucis expediam hunc titulum, te monito vt consulas præfatum illum tractatum. Itaque sic astruo veritatem huiusce sectionis. (Vitæ nostræ miseriæ multiplices describūtur.) Crux dicitur à cruciatu; sed vita nostra cruciatibus obnoxia est quàm plurimis: ergo & crucibus, quæ cùm omnes referantur ad duas, scilicet Christi, & diaboli, operæ pretium est in alterutram incurrere. Vitam autem esse ærumnis plenam, omnium pene hominum est querela, cui & Codex sacer ansam dedit. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* (*Ecclesi. 40.*) Consonat & Cyprianus. (Ex SS. Patribvs. *Cypr. lib. de bono patient.* Vitam auspicamur à lacrymis.) *In tristitia & gemitu sumus necesse est omnibus diebus vitæ nostræ, edamus panem necesse est cum sudore; sudatur enim quandiu istic viuitur, & laboratur. Vnusquisque nostrum cum nascitur, & hospitio huius mundi excipitur, initium sumit à lacrymis, & quamuis adhuc omnium nescius & ignarus, nihil aliud nouit in illa ipsa prima natiuitate, quàm flere: prouidentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & labores, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim, suo ploratu, & gemitu rudis anima testatur.*

Neminem ab hac cruciante sorte voluit excipere rerum omnium opifex Deus, vt probat Chrysostomus ex Regum angustiis. (*Chry. ho 66. ad pop. Ant.* Regū ærumnæ pellucēt. Coronę mundi sūt spinæ.) *Neque tu diadema respicias, sed curarum tempestatem, per quam ipsis corona paritur: neque purpuram intuere, sed animam ipsa purpura magis nigrescentem: Non ita corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo. Nec satellitum cateruam, sed molestiarum multitudinem specta.* Si tot molestiæ diuerberant regios apices, quantis putas angoribus agi inferiorem hominum statum.

Rursus, homo Theologicè aut Physicè considerari potest, vtroque autem modo suas patitur cruces. (Ex Theologia. *Thom. 1. p. qu. 75.*) Theologia hominem attendit in ordine ad Deum, ad quem vt in scopum vltimum collimare debet. Homo in eo sensu est viator longè à gloria æterna, quam si ambit, iugum crucis vltro subire debet: si verò impiam agit vitam Dei incurius, grauiore angitur adhuc cruce, nimirum ea, qua reprobi inuiti & anxiè comprimuntur. Iustos semper caro quatit ictibus importunis, dum sensus illecti suis illecebris vellicant appetitum, vt inclinet ad consensum. At ferre iuges querelas carnis, & non assentiri, operosa sanè res est, & crux perpetua, quam meminit Apostolus hoc tenore: (*Galat. 5.* Bellum spirituale innilectum.) *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Quemadmodum enim crux fuit olim

olim interitus carnis; ita & agones fidelium hoc intendunt, vt impia carnis acta dispereant, vt consulit Paulus. *Mortificate membra vestra, quæ sunt supra terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam, & auaritiam, iram, indignationem.*

Colos. 3.

Ex SS. Patribus. *Chrys. hom. 3. de Lazaro.* Tentationibus multis vrgetur homo.

Cópescere autem hos impetus esse rem arduâ & crucem graué insinuat Chrysostomus. *Etsi paupertas non est molesta; cupiditas tamen molesta est, atqui huic obnoxius es, nec hinc mediocris labor. Quod si morbus non infestat, at inflammat ira: nec is quidem mediocriter labor vincere iram. Etsi afflictiones non irruperint; tamen malæ cogitationes indesinenter insurgunt. Non est autem vulgaris negotij refrænare cupiditatem, cohibere fastum inanis gloriæ, coercere fastum, in deliciis temperare, in aspera disciplina degere.*

Fortè instabis, eos Sanctos carere cruce, qui carnis ita composuere motus, vt non amplius sit inquies eorum animus? Respondeo, illos homines tanta pietate conspicuos, suam circumferre crucem: nam quò magis proficiunt in gratia, eò magis Deum desiderant, quia ampliore illucente gratia, Deus eis etiam clariùs innotescit. Eamobrem liquidior illa Dei notitia amorem accendit, quo anima inardescens torquetur ex dilatione gloriæ, & anxietate an sit futura de numero beatorum. Et hic dubius animus, crux est non modica, & Sanctis frequens, vt testis est Augustinus, angorem suum pangens hoc contextu. *O quando veniam, & apparebo Domine ante faciem tuam? Putasne videbo diem illam, diem inquam iucunditatis, & lætitiæ, diem quam fecit Dominus, vt exultemus, & lætemur in ea,* &c. *Infelices heu nos miseri, qui per huius maris magni fluctus, procellosasque voragines nauem trahimus ignorantes, an ad portum salutis peruenire valeamus. Infelices inquam, quorum vita est in exilio, vita in periculo, finis in dubio, nescientes finem nostrum, quia omnia in futurum reseruantur incerta.* Imò ille idem suo suffragio meam astruit sententiam, scilicet homines prouectæ virtutis angi, quia vita hæc vt via facit eos dissitos a gloria. Ita Sanctus Augustinus. *Vita ista tribulatio est: si non tribulatio, non est peregrinatio; si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur, non se esse cum eo quod desiderat? Quod si tibi non videtur tribulatio, causa est, quia non amas. Ama alteram vitam, & videbis, quia ista vita tribulatio est, quacunque prosperitate fulgeat, quibuscunque deliciis abundet, atque circumfluat.*

Aug. sol. 35. Vitæ nostræ mala quot & quanta.

Vita ista tribulatio est.

August. in Psal. 37. Vita ista quare non sit diligéda.

Ex Historia. *Acta S. Apoll. ap. Sur.* Vitæ huius incurij multi Martyres.

Eo argumẽto plures Martyres suę vitæ incurij fortiter oppetiere mortẽ, vt cópotes essent gloriæ, cuius amore accensi, diutius ferre non poterant desiderium, quo flagrabant. In his Apollonia virgo, quæ ducta ad rogum comburenda nisi a Christo deficeret, non expectauit tortoris impulsum; sed validiore amoris igne accensa semetipsam egit in medias flammas, suo concupito fine Deo, vt præmio fruitura. Adiice & gentilem illum hominem, qui præfectus custodiæ quadraginta militum, quos Agricolaus Præses Sebastæ in Armenia variè tortos, brumali tempore noctu exposuit nudos aperto cœlo, vt gelu concreti miserè necarentur. Ille aliis custodibus somno sopitis vigil aspexit Angelos descendentes, qui triginta nouem coronas strenuis his athletis distribuebant. Vbi autem admirabundus quæreret vbi nam esset corona quadragesimi, vnus eorum Martyrum frigoris impatiens exiliit in proximum balneum tepefactum, abiurata fide Christi. Ethnicus homo conscius pœnarum, quas hactenus subierant hi milites, cupidine accensus coronæ illius, quæ vacabat, dedit illico manus & nomen suum Christo, & detracta sibi veste professus est se esse Christianum, sicque pertæsus est vitam hanc vt impedimentum ad gloriam, ad quam ille neophytus anhelabat. Maluit ille asperioris interitus experiri sortem quàm coronam sibi præostensam dubiam facere: atque ita liquet, animas etiam Deo charissimas non vacare a cruce.

Act. SS. 40. Mart. die 9. Martij.

Vita ista neglecta pro Deo quid conferat.

Iam verò de reprobis res est in confesso, ipso etiã titulo sectionis. *Qui voluerit animã suam saluam facere, perdet eam.* Id est, qui voluerit se liberare ab ærumnis, quæ hominem iustum excipiunt, vt sunt perpetua discrimina carnis, quæ ieiuniis, vigiliis, & aliis huiusmodi frænis compescitur, ille diffluet deliciis, & sic perdet animam suam gehenna plectendam vtique sempiterna. Ipsa etiam Philosophia reprobis astruit cruces. Quidquid corrumpitur, illud vim patitur ab aliquo agente, quod dissoluit hanc compagem, qua patiens antea coaluit. Vnde si patiens anima sensitiua pollet, ea vi inimica sibi dolet; dolor autem ille discrucians crux est. Ergo iniquus homo perpetuo torquetur, quia perpetuo corrumpitur: corruptio namque attenditur, quando noxia aduenit forma, subiecto penitus immutato. Verbi gratiâ, vinum est corruptum, quando calore ei insito vapescente acescit, & frigidam inde contrahit qualitatem. Item igne depascente lignum fit corruptio. Ita homo reprobus, esse suum naturale vitiat, quia nouas patitur formas, quæ noxiæ sunt forti, quam induit à natura. Vt quando homo nequam Veneris assecla libidini indulget, vult noxia statui suo, cuius est velle bonum; bonum autem illud est, quod conuenit, vel secus illud est malum quod est incongruum; at libido est quid obscœnum ab homine dissonum, ideoque latebras quærit, quibus hanc fœdam illuuiem tegat: ergo praua voluntate homo factus iniquior corrumpitur, quia subit alium statum à primo innoxio penitus alienum. Huius corruptelæ anima impatiens tormina patitur grauiora eis, quæ subeunt pœnitentes lethalia carnis conamina refrænantes. Dura equidem crux est synderesis animam lacerans, & exedens cor, quia primum deliquit iniquo affectu, ideoque censuram legis patitur, quæ statuit pœnam in loco vbi fuere crimina perpetrata. Sic habet constitutio Imperatorum Arcadij, & Honorij. *Sancimus ibi esse pœnã, vbi & noxa est.* Ideo quia reprobus prius peccat affectu, quàm effectu, prius etiã punitur affectus, quem lancinans conscientiæ stimulus exagitat.

Ex Philosophia. *Arist. 3. Rhet. c. 12.* Corruptionis initium quod sit.

Ex Iure Civili. *Leg. Sancimus. Cod. De Pœnis.*

Crucem illam grauem recensent Patres, in quibus accipe Augustinum. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio quam conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis,* quod

Synderesis in quot angustias animã deducat.

quod conscientia vocatur, vbicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiat, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quid facturus est homo? Quò confugiet, non habes nisi interius ad cubile suum? Porro si ibi tumultus est, si flamma sceleris, non illuc potest confugere; pellitur enim inde, & cum inde pellitur, & ibi hostem suum inuenit, quo confugerat, seipsum quò fugiturus est? Quocunque fugerit, se talem trahit post se, & quocunque talem traxerit se, cruciat se, sed a se ipso sunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis, quæ tantò sunt acerbiores, quanto sunt interiores. Occurrit & Chrysostomus, hæc fatus: *inuidus, & pecuniarum amator, & meretrices deperiens, & gloriæ cupidus, & aliorum quisque malas exercentium actiones, multas sustinet tristitias, & tribulationes, & lugentibus nihilo minus tribulatur.*

Chryſ. hom. 69. ad pop. Antioc.

Ex Ivre Canonico.
Can. Eccl. 1 qu. 4.

Nec hic malorum finis; nam flagella Dei deſæuiunt in totum hominem, qui deliquit, imò & ſæpe in ſubſtantiam hominum peccantium, vt Gratianus ex Scriptura probat, dum recenſet Deum præcepiſſe Saüli, vt ob crimina Amalech deleret ab homine ad pecus. Ea etiam cenſura animaduertit in Ægyptios, quorum agros & armenta deleuit grandine, vt & primogenita extinxit populo delinquente, & Rege Deo iniurio rebellante. Cruciatur impius in omnibus, quia ref. ga Crucis Christi, omnia adſciuit ad noxia quæque facinora perpetranda. Eamobrem huic Canoni ſubiicitur. *Ibi ſemper cauſa agatur, vbi crimen admittitur.* Et ſe ſuaque reprobus crimini addixit; eamobrem cauſa ibidem agitur, cum vbique Deo vindice caſtigatur. Dumque vult eripere animam ſuam bonæ cruci, in malam crucem abit; more ægrotantium, qui dum lanceolæ medicorum ſubire punctionem nolunt, morbum augent, quo ingraueſcente grauiora patiuntur tormina. Item plerumque

Can. ibi. 3. qu. 6.
Synderesis vbi primò ſæuit.

decumbens æger auerſatus amarorem poculi ſalutaris, fit poſtea obnoxius incommodis bilis inundantis, quæ vtplurimum mortis prænuntia eſt, vt cenſet Hippocrates Οἷσι χολώδεος διαχωρήσιος ἐοῦσης περὶ στῆθος δῆξις καὶ πικρότης κακόν *Quibus cum biliosa deiectione premitur morſu pectus, amare; ceique os, malum.*

Ex re Medica. Hippocr. 1. coac. præ. 44.

Itaque ſatius eſt ſubire ſalutares cruces impoſitas ad medelam, quam pati alias, quæ ingruunt ad vindictam. Eſto namque Crucem Christi ſuccutias, vt mundo adhæreas, cupidus vitæ lautioris; mundus ſuis ſcatet anguſtiis, quibus damnat diaboli martyres. vt benè monet Tertullianus, ſic affatus Sanctos Dei Martyres carcere concluſos. *Si recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe, exiſſe vos à carcere, quam in carcerem introiſſe intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Peiores immunditias exſpirat mundus, libidines hominum. Plures poſtremo mundus reos continet, ſcilicet vniuerſum hominum genus. Iudicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet.* O Cruces ſæculi importunas! ô ſuaues Christi cruces! quæ etſi quandoque premant; non perimunt tamen, ſed medentur homini decumbenti, ita vt quadrare queat cruci ſymbolum ſaluti feræ illius haſtæ, quæ facto a ſe vulneri ſuccurrebat. Huic adiectus eſt hic titulus. Vvlnvs opemqve tvlit. Commentum hoc de telo Achillæo, rem veram enuntiat, ſi res ſit de cruce, quam Deus adiicit humeris hominum. Macte ergo, Chriſtiani, æquo animo habeamus omne quod caro refugit, vt ieiunia, preces, vigilias, aliaque huiuſmodi opera; quia Vvlnvs opemqve fervnt. Et memores ſimus ſuas vnumquemque manere cruces, vel conſulente Deo nobis, aut Dæmone vindicante.

Tertull. lib. ad Mart.
Mūdus quaſi carceri comparatus.

Crux à ſe vulneri inflicto ſalus, vt egregio ſymbolo liquet
Ex Symbolis.

HOMILIA
DE S. STEPHANO MARTYRE.
SVMMA HOMILIÆ.

I. Stephanvs habuit Lucam encomiaſten martyrij ſui. Ille ait hunc athletam fuiſſe plenum gratia, & fortitudine: deinde ſubiicit, Iudæos, in Stephanum inſurrexiſſe, inde anſam arripio probandi prima parte iſtius Homiliæ, gratiam eo fine dari hominibus, vt militent ſtrenuè

II. Et quia Stephanus in agone ſuo vidit cœlos apertos, dico ærumnas, quas fortiter obimus, eſſe viam compendioſam ad gloriam, & hoc eſt penſum ſecundæ partis iſtius Homiliæ.

PRÆFATIO.

Video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei. Actor. 7.

Vm re egregiè geſta olim triumphus decernebatur alicui in gratiam victoria reportata; Imperator ille laureatus, non communi aliis porta redux intrabat vrbem caput mundi, ſed muro aperto, quantum ſatis erat ad pompam, ea parte ſubintrabat vt adiret templum Iouis Capitolini, grates illi pro felici euentu belli ex animo repenſurus. Eo ritu hodie Stephanus excipitur à beatis, non vulgari oſtio: cœli aperti ſunt vt bearent militem, qui primus ſuo ſanguine ſubſcripſit fidei Saluatoris. Nemo adhuc Martyrum Chriſti cœlis inſertus erat, ideo noua fuit aperienda porta vtique triumphalis. Vidit cœlos apertos ſibi ſtrennus illo

iſte Anteſignanus, & illic præparari diadema tot rutilans gemmis, quot moriens lapides ſuo ſanguine cruentarat. O felicem Stephani occaſum! quem excepit oriens inoccidum. O beata vulnera, quibus non tam Martyris aperta fuere membra, quàm patienti gloria reſerata! Si corpore aſſequi nequimus hunc pancratiaſten, illum ſaltem votis & animo conſequamur, adeuntes autem cælos haudquaquam Reginæ immemores inolitum nobis rependamus obſequium hoc contextu. Aue Maria.

1. Reg. 17. INſultante Hebræis homine gigantea mole terribili quæſiuit Rex Saül in exercitu ſuo æmulum quem æquo Marte opponeret huic militi cataphracto. Adſtitit Dauid adoleſcens valida lacertorum compage fortiſſimus, ſed inermis. Non detrectat inire certamen cum Goliath, imò vltro ſeſe impauidum offert diſcrimini; Dei, Regis, & Hebræorum populi gloriæ litaturus. Annuit Rex, vtque aptior ad pugnam eſſet Dauid, & impunè gladij hoſtilis aciem ferre poſſet, ſua ipſius arma regia generoſo illi athletæ dedit, vt recenſet hic contextus. *Induit Saül Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius, & veſtiuit eum lorica.* (Actor. 6.) Regius ille apparatus, non erat ad pompam & otium, ſed ad pugnam; ſiquidem homines ſtrepitu armorum, quantocyùs ad prælia conuocantur. Eo etiam intento Deus Stephanum inſtruxit ad prælium contra Synagogam Chriſto iniuriam: quibus autem armis expeditus ille miles confixerit, audi ex Luca illius encomiaſte. (Ibidem.) *Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.* Gratia illa & fortitudo inſignis, arma regia ſunt ad pugnam compoſita, ſubiicit enim textus. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui loquebatur.* Vide quot hoſtes inſurgant in gratiam: Iudæi omnes velut agmine facto concurrunt in Stephanum, ſed incaſſum, quia *non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.* Eamobrem dum ratione in Stephanum præualere nequeunt, acti in rabiem nefarij homines necem Stephani meditantur. Sed mors huic ſtrenuo militi fuit victoria; nimirum ille in ſupremo agone poſitus vidit Imperatorem ſuum porrigentem diadema ſibi fortiter occumbenti. Duo hinc colligo. Primum, gratiam à Deo hominibus impertiri, vt ſtrenuè dimicent; & hoc dicam priori parte iſtius Homiliæ. Secundum eſt, noſtros agones reſerare cælos, & æternum nobis diadema gloriæ comparare. Hoc expendam altera parte.

Pars Prima Homiliæ.

Gratiam Dei homines prouocare ad ardua.

Ex Theologia. Thom. 1. 2. qu. 110. art. 1. DVo veluti fundamina titulus iſte præſupponit, vt probetur. Primum eſt, gratiam Dei eſſe quid poſitiuè creatum in anima. Secundum eſt, nullam creaturam poſſe eſſe cauſam gratiæ. Vtrumque hoc diſcurſu patet. In quantum homo Deo eſt acceptus & gratus, dicitur eſſe in gratia: eſſe autem Deo gratum, eſt diligi à Deo, atque ita gratia dicit amorem in Deo. Sed Dei amare eſt velle bonum, tamen licet creaturis omnibus velit bonum naturæ, & ſic eas diligat, iuxta illud: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil eorum odiſti:* (Sap 11.) non ideo dicimus omnes creaturas eſſe in gratia, licet velit eis Deus bonum hoc naturale. (Gratia Dei nobis amorem eius cōciliat.) Ergo vult Deus bonum naturali bono præſtantius ei qui eſt in gratia. Homo autem ex natura ſua non eſt dignus tanto bono, quia eſt ſuperioris ordinis, nec poteſt ab aliqua creatura infundi. Ergo à Deo ſolo eſt, qui naturæ poteſt tranſire repagula, affingendo bonum, quo anima fiat Deo accepta, & ametur in ordine ad gloriam, iuxta illud Pauli. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* (Col. 1.) Rurſus bonum illud in anima eſt accidens; non enim eſt ipſa animæ ſubſtantia: ergo eſt creatum: nullum quippe accidens eſt ab æterno: at creare, Dei ſolius eſt: ergo gratia eſt quid poſitiuum in anima, à nulla creatura procreatum.

Quomodo autem gratia nos prouocet ad ardua, audi. (Gratia Dei vita eſt æterna.) Gratia eſt qualitas ordinans hominem ad vitam æternam, & vniens cum Chriſto veluti capiti ſuo, vt ait Paulus. *Gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* (Rom. 6.) Ergo gratia faciet nos participes ſpiritus Chriſti, qui eum ſemper prouocauit ad heroïca facinora. Rurſus eſt de natura qualitatis, vt ſubiectum ita afficiat vt operetur iuxta naturam illius accidentis. Verbi gratiâ, etſi aqua naturâ ſuâ ſit frigida; tamen ſi ei calor accidat, aqua illa ſuum oblita rigorem calefaciet, & cruda coquet. (Ariſtot. in præd. tract. 1. cap. 4.) Ergo cum gratia ſit qualitas ſupernaturalis, ita hominem afficiet, vt ſecundùm eam operetur; agere autem præter naturæ vires hoc eſt operoſum, atque ita vbicunque vigebit gratia, actiones exeret arduas. Demum actiones ſpecificantur à fine, ſed finis actionum, quas gratia parturit, eſt gloria æterna, res vtique ardua: ergo illæ actiones ſpecificabuntur à gloria, id eſt, habebunt ſpeciem ſuam ſeu naturam proportionatam illi ſcopo, iuxta regulam mediorum, quæ debent ad amuſſim ſui finis adaptari; ſicque erunt magnanimæ, quia ad ſcopum qui eminet quàm maximè diriguntur.

In quo autem ſitum ſit operoſum illud negotium, diſce ex natura gratiæ, cuius eſt nos aſſimilare Chriſto, quantùm homini fas eſt, (Gratia nos Chriſto aſſimilat.) iuxta illud Pauli. *Prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* (Rom. 8.) Sed hoc hominem inducit in grauia certamina, in eo ſita quòd homo mediante gratiâ ſeſe expediat ab omnibus, quæ remorantur ipſius iter ad gloriam. (Ex Philosophia.) Sunt autem obices intrinſeci & externi. Obices intrinſeci ſunt noxij, & importuni impetus appetitus ſenſitiui, qui arietat in animam, vt eam deorſum inclinet. Sed compeſcere hos inſultus Heroëm ſapit. Præterea intrinſecè diabolus multa ſuggerit impia, mouendo phantaſiam & humores; eniti autem ad cœlum inuitis illis obſtaculis, ingentis momenti facinus eſt. Deforis multa inſurgunt in hominem cui gratia affulſit. Reprobi omnes inſectantur bonos,

vt tacitos censores vitæ suæ. Ideóque vbi textus sacer meminit Stephanum fuisse plenum gratia, statim adiecit, multos insurrexisse in eum, qui tamen resistere non potuerunt Spiritui, qui loquebatur.

Ex Theologia. *Thom. 3. p. q. 24. art. 3. Scot. in 3. dist. 19.*

Adijce, Christum esse causam exemplarem prædestinationis nostræ, iuxta illud Pauli. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Ita vt nostra glorificatio ratione principij, medij & finis conueniat aliquali modo cum prædestinatione Christi; at illa inuoluit res arduas, & actiones operosas, quibus nobis promeruit gratiam & gloriam. Ergo & nos debemus nosmetipsos accingere ad egregia facinora, suppositâ gratiâ. Nam agentia supernaturalia ita se habent in rebus sui ordinis, sicut & naturalia in naturalibus. Sed hæc non deuiant in suis actionibus: opus nã que naturæ opus intelligentiæ, vt ignis comburit, aqua refrigerium inducit. Ergo homo mediante gratia factus agens supernaturale, actiones exeret huius generis: ac proinde erit miraculo aliis, vt videre est in Stephano, quem vbi Lucas ait fuisse plenum gratia & fortitudine adijcit: *Faciebat prodigia, & signa magna in populo.*

Actor. 6.

Ex re Medica. *Hippocr. 6. epid. p. 5.* Gratiæ effectus delineat antidotum propinatum

Gratiæ effectus delineat antidotum propinatum ægro; illud non expellit virus noxium & lethale, sed naturam adiuuat, & quasi stimulat, vt assurgat vegetior in venenum. Ita gratia animam eleuat, vt potentiæ illius sese nobiliori modo prodant, vnde ex S. Thoma, charitas necessariò gratiam consequitur; posita enim gratia, charitate anima protinus inardescit. Quippe gratiæ illapsu fit anima vegetior, & aptior ad præclara quæque facinora perpetranda, sicut egregio pharmaco fit natura validior, vt noxia quæque eliminet, iuxta illud Hippocratis. Νούσων φύσιες ἡ φύσις ἰητροί ἀνευρίσκει ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους οὐκ ἐκ διανοίης. *Morborum naturæ medicæ; vias enim sine consilio natura inuenit.* Anima cui gratia affulsit, omne noxium pellit, & inconsultâ carne viam reperit in Deum assurgendi. Adijce, sentire & moueri esse argumenta indubia vitæ. Sed ex Paulo. *Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Igitur ad instar Christi sentiet & mouebitur anima, gratiâ informata. Sed Christus fuit potens in opere & sermone: ergo & anima Deo grata æmulata Christum, egregia sentiet, & faciet, sicuti Apostolus adhortatur. *Fratres hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Itaque dissentit à Christo, qui non mouetur vt ille: aliâ vitâ viuit, & dissonâ, vtpote ingratâ Deo, qui odit inertes, & ignauiâ torpescentes. Eamobrem hoc momento, scilicet sequaces Christi non dissolui inertiâ. Vbi enim sponsa Canticorum lectulum & quietem commemorat, sponsus eam prouocat ad campos. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus est.* Sponsus quietis impatiens, & quasi eam carpens ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Bernardus sic expendit. *Illa ergo monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat.*

Rom. 6.

Philip. 2. Gratia Dei non otium sed laborem petit.

Cantic. 1.

Cant. 2.

Ex SS. Patribus. *Bern. ser. 47. in Cant.*

Vt Gedeon pugnaturus in Madian, trecentos tantùm elegit alacriores milites; ita & Christus militiæ suæ sacræ stipendium, id est, gratiam iis duntaxat elargitur, quos aptat pugnæ fluctibus & procellis. Fecit in eo vim Chrysostomus ita fatus: *Vbi miraculorum ostensio erat, plebem permittit adesse. Vbi autem tentationum, & timorum arreptio, athletas orbis terrarum, quos excitaturus erat; hos solos assumit.* Missis turbis Apostolos iubet nauem illam conscendere, quæ fuit despumantis freti feris fluctibus impetita, Sic Matthæus rem enarrat: *Ascendente eo in nauiculam, sequuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Gratia cùm influxit, hominem totum acuit in prælium, sicut equos erigit ad pugnam classicum insonans, iuxta illud Iob. *Cùm audierit buccinam, dicit; vah.* Eò spectant verba grauissimi auctoris Guillelmi Parisiensis. *Sicut gaudent equi, atque fremunt, cùm signum imminentis conflictus audierint; sic & viri sancti huiusmodi gaudio gaudent, cum bellum tribulationis aduersum se consurgere cognouerint.*

Chrys. ho. 29. in Matth. Tribulationes magnos tantum animos decent.

Matth. 8.

Iob. 38.

Guil. Paris. l. de Morib. tract. de spe. Tribulationibus gaudēt Sancti.

Magna certamina consequi gratiæ illapsum, ostendit Deus in die Pentecostes: Spiritus namque Dei non insedit nisi præuio turbine venti præualidi. Hunc locum ita versat Gillibertus Abbas. *Ipso die Pentecostes, quando factus est spiritus vehemens in cœnaculo, vbi erant Apostoli soluta est omnis congelata mentis frigiditas, sicut torrens in Austro: & deinceps verbi virtutúmque fluxerunt aromata. Sed nunquid idcirco Aquilo quieuit? Nonne multò vehementiùs persecutorum insurrexit procella, & impetus hæreticæ tempestatis? Nunquid non æmulatione quadam tentationis, Aquilo Austro se opposuit gratiæ?* Dari autem gratiam ad examen, insinuat Moyses, enarrans in quæ discrimina Deus induxerit populum, postquam eum sibi acceptum fecit. Sic ille: *Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum.* Quare hunc tentauit? Audi ex Hieronymo. *Vbi magnitudo gratiæ, ibi magnitudo discriminis.* Cùm ergo Stephanus fuerit multiplici gratia cataphractus, debuit etiam fortissimos subire agones. Elegerat eum Deus in Antesignanum Ecclesiæ, vt eo præferente Crucem suo sanguine purpuream, idem etiam venerabile labarum Crucis alij Martyres suo sanguine cruentarent. At de ratione signiferi est, vt sit præualido corpore, & animo generoso. Tales prælegit Imperator Constantinus, qui vexillum Crucis alternatim inferrent in cuneos hostium. Quippe ex Eusebio, Princeps ille & pace & bello clarus fortissimos quosque militum sui exercitus elegit, vt vno alterius subeunte vices, omnes graue hoc vexillum amplexu valido baiularent.

Gilleb. Abb. serm. 38. in Cant. Tribulationes Aquiloni cōparatæ.

Exod. 15.

Hieron. ep. ad Fabiolam. Tribulatio ad pondus gratiæ decernitur.

Ex Historia. *Euseb. l. de vit. Const.*

Non absque delectu prior Stephanus Crucem Christi Martyrio suo amplexatus est; hoc arguit in eo ingentes animos, & præcipuum robur, quo etiam præiuit Apostolis in ea Martyrij dignitate, vt notat Augustinus. *Qui inferior erat ordine, primus factus est passione: qui discipulus erat gradu, magister cœpit esse martyrio.* Si in Stephano robur inuestigas, quo se haudquaquam imparem Cruci præstitit. Expende verba encomiastæ illius. *Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia.* Ante Stephanum fuit equidem prodigium inaspectum, mortem pro Christo oppetere, vltrò submittendo humeros Cruci. Audacter dicam. Debuit

Ex SS. Patribus. *Aug. ser. de S. Steph.* Gratia Dei inungit athletas Dei.

Debuit

Debuit eum se præstare Stephanus: eius fuere partes agere militem præpotentem; ad hoc cum Deus vnxerat: vtque Hugo Cardin. ait; *Oleo pugiles ne retineantur inunguntur sic pugiles Dei inunguntur à gratia ne capiantur à Diabolo.* Gratia Dei militiæ spiritualis est stipendium; at stipendio obligantur milites ad certamen: ergo Stephanus qui prædiues gratiæ stipendium acceperat, debuit grauiora obire discrimina. Gratiam verò esse stipendium audi ex Ambrosio. *Milites igitur Christi sumus, & stipendium ab ipso, donatiuumque percepimus, sicut dicit beatus Apostolus: Qui dedit nobis pignus spiritus, hoc est qui Spiritus Sancti nos remuneratione ditauit.* Itaque hoc resciant omnes, in quos Dei gratia vberior influxit, gratiam esse pignus gloriæ, quæ strenuis tantùm conceditur, nec alio fine dari, quàm vt grauiter militent animæ Deo gratæ: quòd si quis gratiâ Dei conspicuus aliis rebus vacet, quæ distrahunt hominem ab obsequio Dei; ille iniurius est illi stipendio, quo militiæ Dei duntaxat obstringitur.

Hugo Card. in Psal. 108. Gratia Dei stipendium est militum Christi.

Ambr. Ser. 7.

Constitutione Leonis Imperatoris cautum est, ne qui Reipublicæ viuunt stipendiis, aliena negotia pertractent. Ecce legem. *Milites, qui à Republica armantur, & aluntur, solis debent vtilitatibus publicis occupari: nec agrorum cultui, & custodia animalium, vel mercimoniorum quæstui, sed propria muneris insudare militia.* Multi agrorum cultui vacant, terræ tantùm intenti; alij mercimoniæ, cum magno salutis æternæ dispendio intendunt, quando animam suam diabolo deuouent, vt vilia crepundia nundinentur. Et hoc omne nefas, vtpote factum contra rationem gratiæ, quæ ideo conceditur, vt fortiter in Dei obsequio militemus. Quòd si quis aliàs in gratia Deo seruierit, & postea carni indulserit, & sese mundo addixerit, postea redux à Deo petat præteriti temporis præmium, quasi stipendium sibi debitum, damnabitur ea Lege Imperatoris Antonini *Stipendia, & donatiua temporis, quo apud hostes fuisse te dicis; restitui tibi postliminio regresso, restitutoque, non iure desideras.* Qui carni & mundi illecebris adhæserit, ille obstringit sese Dei hostibus, ac proinde excidit gratiâ, quæ est stipendium vitæ æternæ, & militiæ Christianæ fortiter exercendæ.

Ex Ivre Civili. Leg. Milites Cod. De re militari.

Militum Christi qualis esse debet occupatio.

Peccator tempus perdidit, quo fuit in peccato. Leg. Stipendia Cod. de re militari.

Mathematica etiam cælestis intenta sideribus suum calculum adiicit intento meo, probans gratiam dum alicui aspirat eum etiam facere obnoxium multis difficultatibus. Ait Eratosthenes, quinque cæli zonas esse dicatas quinque planetis. Zona, inquit, Septentrionalis tota sublimis inhabitabilis ob frigus asperum, quo illic omnia rigent, dicata est Saturno. Zona æstiua temperata, dicata Ioui. Æquinoctialis, dicata Marti, tota torrida est. Zona hyberna temperata dicata Veneri. Zona australis inhospita, dicata Mercurio. Nota, zonam æquinoctialem dici ab æquitate noctis & diei; æquitas autem & iustitia idem sonant. Qui est in gratia, iustus est: Deo enim reddit quæ Dei sunt, atque ita est sub linea æquitatis, quæ cùm dicata sit Marti, Genio belli; belliger erit ille, in quem influxerit Dei gratia, atque ita strenuum se præstabit. Adiice ex Ptolemæo, duo æquinoctia esse procellis obnoxia, & mare plus solito esse importunum suo turgente magis & refluente Euripo. Ita vbi anima Deo sedeuouit, illi pensura pium famulatum in æquitate, & iustitia; insurgunt in eam vndique angustiæ, quas vt superet, hoc opus hic labor est.

Ex Mathematica. Eratosthenes ad Arati phænom.

Ptolem. de signif. sider. in errat.

Æquinoctia sunt procellis obnoxia.

Quid ergo, ô ignaui homines, specie ementita pietatis, iactatis iustitiam vestram? Fucata est gratia, quam non produnt actiones magnanimæ. Si quæ autem gratiæ scintillula viget in otio, instat eius deliquium; quippe, elanguere, & vigere, non concordant. Gratia Dei imbellis haudquaquam solida est: contra hanc declamat Apostolus hoc contextu. *Hortamur ne in vacuum Dei gratiam recipiatis.* Ille idem Paulus hocce breuiloquio concludit agones suos. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui.* Nota, Paulum probare, quàm solida fuerit gratia Dei insignis, ex laboribus arduis: nimirum vt operari sequitur esse; gratia nobilissimum genus entis, hominem etiam ad actiones consonas illi enti prouocat, scilicet ad actiones, quæ æternâ gloriâ compensantur.

2. Cor. 6.

1. Cor. 15.

Pars Secvnda Homiliæ.

Passionibus æterna gloria comparatur.

Crepitantia saxa quatiebant Stephani caput innoxium, & erumpentes riuuli sanguinis eius oculos inundabant, quando emeritus ille miles hiante cælo vidit sibi aditum reserari, & patulas esse fores, ad quas ipse Christus Dominus excubabat. Nam licet Stephanus antea plenus esset gratia, & fortitudine; nihil tamen æquè arduum perpetrarat, ac effundere sanguinem suum morte tenus, in tesseram amoris, quo se totum Deo deuinxerat. Vnde infero, gloriam potissimum deberi actionibus illis, quas gratia parturit corpore etiam condolente.

Ne nimius rationum contextus obruat intellectum, audiendus est Thomas ille Aquinas describens in quo situm sit meritum. Sic ille; *Vt peccatum consistit in hoc, quòd homo contempto Deo commutabilibus bonis inhæret; ita meritum virtuosi actus consistit è contrario in hoc, quòd homo contemptis bonis creatis Deo inhæret sicut fini.* Hinc astruo propositam thesim: Vbi est maius meritum, ibi & gloria amplior affulgebit: Sed vbi animæ amanti Deum, corpus compatitur, ibi est maius meritum; cùm enim adhæsio Deo seu amor Dei sit radix meriti, vbi copiosior erit amor, vberius erit & meritum: Sed hominis, æquo animo Dei amore patientis angustias, largior est amor: ergo & meritum, atque ita cum manet gloria diffusior.

Ex Theologia. S. Thom. 2. 2. q. 194. art. 3. Peccatum propriè in quo consistat.

Dices, amorem non attendi ex corpore, sed anima: est enim actio vitalis, & tota animæ. Respondeo, intensionem illius actionis colligi ex donis: nam amare est inclinare voluntatem, quæ ex inflexione se dat totam; vnde & amor dicitur donum, & Christus excessum amoris Dei in mundum explicuit ex magnitudine doni, quod omnibus impertiuit. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ daret.* Ergo

Amor ex donis colligitur.

Ioan. 3.

Ergo qui plus dat Deo, plus consequenter amat: & sic anima amore æstuans si adiicit lacerum plagis corpus, aut ærumnas, quæ carnem inualidam torquent; illa sane indubium suum amorem hac sua passione prodet. Eaque fuit tessera amoris præcipui, quo homines posse affici ait Christus, ita fatus: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15.

Instabis, plerumque homines pati corpore reluctante; multa siquidem ingruunt, quorum euentus si penes hominem esset, illa proculdubio declinaret. Non ambigo; & ideo hortor vt dolor ille inuitus & instantes angustiæ æquo animo accipiantur, si nos aliqua ingentis gloriæ cupido tenet. Qui illibato corde Deum deperit, ille animam Deo addixit; sed ille qui adiicit omnium voluptatum fugam & tædium, suo etiam corpore consecrato, & decocto molestiis, ille Deo gratum obtulit holocaustum: eamobrem illius sors in gloria est futura nobilior. Macte igitur, o homo, cui ingratæ hactenus fuerunt angustiæ; passiones illæ magnum pondus gloriæ operantur in nobis.

Honor virtutis est præmium. EX PHILOSOPHIA. Arist. Ethic. lib. 1. c. 5. Idem Ethic. lib. 2. c. 3.

Potest & hæc conclusio Theologica probari ex principiis Philosophiæ moralis. Ex Aristotele: *Præmium virtutis est honor.* Ergo cùm maioris sit virtutis, adiicere amori suo in Deum ea quæ corpori iniuria sunt, vt morbos, egestatem, inediam; reuera is ditiori coronæ reseruatur, cuius amor strictiori tentationum examine comprobatur. Esse autem virtutis amplioris pati pro amore suo in Deum testando, quàm amare Deum simpliciter, liquet ex ipsa etiam norma Philosophiæ, cuius apex Aristoteles hoc eructat oraculũ: *Virtus est circa bonum, & circa difficile.* Ergo difficultas patiendi superata, adiecta amori, virtutis ingens afferet incrementum. At amare quia fit suauiter, etsi habeat rationem boni, non est tamen difficile, ideóque non sic hominem magnanimum prodit amor solus, quàm ille idem superans angustias, quæ facessunt corpori negotium. Ideóque gloria diffusior decernitur ei, qui cæteris paribus, plures de corpore suo victorias patiendo reportauit. Vnde ipse Apostolus commemorans coronam iustitiæ ait: *Bonum certamen certaui.* Et rursus. *Qui certat in agone non coronatur, nisi legitimè certauerit.* 1. Tim. 4. 2. Tim. 2.

Tribulatio nos facit meliores.

Hinc censuere Sancti, Cruces & alia omnia corpori ingrata, quando accidunt, esse indubia argumenta amoris Dei in nos, quia qui vult media, vult & finem; at passiones illæ seu ærumnæ sunt media ad gloriam: ergo Deus quàm maximè amat eos, quos exercet, cùm sic eos aptet ad gloriã Huius gratiæ non nescius fuit Dauid, dum hoc suaue melos occinit. *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Chrysostomus illic ait: *Hæc est vtilitas periculorum; quòd eum meliorem fecerant.* Benè etiam annuit Procopius. *Tam est nostræ salutis peritus artifex Deus, vt vel plagas incutiens medeatur, vtrimque nos ad pietatem prouocans.*

EX SS PATRIBVS. Psal. 117. Chrysost. in Psal. 117. Procop. in cap. 9. Isai.

Huic veritati lumen adiicit res medica, cam purgationem laudabilem affirmans, in qua præuio tormine viscerum humor erupit noxius; hæc enim præcordiorum angustia arguit pharmacum superasse tenacem qualitatem rei morbificæ. Ideo licet agaricum quandoque ad vomitum vrgeat, etsi folia sennæ vt plurimum crucient ægros; frequens tamen est eorum vsus, quia dicata sunt reduci sanitati, facto repurgio capitis, & lienis. Item inustio cauterij molesta quidem est, sed dolore attrahente spiritus animales è capite, vt confluant in partem afflictam, illi suo afflaxu faciunt vt effluat ille liquor qui hominem grauat. Simili fere modo cùm premimur, cædimur, & vrimur angustiis capitis nostri scilicet Christi, Spiritus Sanctus adest; qui quod ægrum est in nobis eliminat, & ideo facit de instanti gloria certiores, vt ipse Deus. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

EX REMEDICA. Dioscorid. l. 3. c. 1. Mathiol. in l. 3. Diosc. c. 72. Tribulationes vt pharmaca torquendo prosunt. Tribulationes arguunt Dei prouidentiam. Psal. 90.

Concinunt Patres, in quibus audi Bernardum. *Sicut medicus, non solum vnguento, sed igne vtitur, & ferro, quo omne quod in vulnere sanando superfluum excreuerit, secet, vrat. Sic medicus animarum Deus, huiusmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes, quibus afflicta & humiliata gaudium vertat in luctum.* In eamdẽ it sententiam Sanctus Antiochus. *Dominus animarum nostrarum procurator prouidentissimus, nostrum omnium vsui consulens, tribulationes infligit, & acrimoniam, asperitatemque vrentis cauterij aduersus coalescentem morbum admouet, integer vt sis homo, & incolumis.* Quid inde? Audi ex Augustino. *Ligari se volunt homines, & secari; daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te, quem fecit, & certus curat, & gratis. Ferto ergo manus eius, ô anima, quæ benedicis eum, non obliuiscens omnes retributiones eius: sanat enim omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam.*

EX SS. PATRIBVS. Ber. tract. de grad. humil. Antioch. hom. 117. August. in Psal. 102. Tribulationibus nobis consulit Deus.

Tanta salutis argumenta meditans Ambrosius in corpore vltro amplexante angustias, hæc ait: *Non curris ad Deum tuum gratuitum medicum, ad vitroneum pigmentarium, qui in curandis animæ tuæ valetudinibus nullum nouit pati fastidium, nec expectat ex sanitate tua premium, sed magis desideras præmio numerare curatum? Et vtique corporalis medicus hoc solum curat, quod ad corpus attinet; cæterùm Deus animam sanat, quam peccata conuulnerant.* Adiice, neminem adultorum posse adire gloriam, citra aliquas inflictas sibi pœnas. Ratio hæc est: Debent membra capiti conformari: at *oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam*: Ergo & nos membra eius capitis Ecclesiæ, easdem par est obire passiones. Sed quare Christus prouocauit ad Cruces? Respondeo, ex Adami deliquio carnem insurrexisse in spiritum, qui nequit assurgere ad gloriam, nisi edomito corpore, in quod præualere nequit anima, nisi caro crucietur. Itaque quisquis ambit regnum, hic se accingat ad laborem.

Ambros. l. de pœnit. c. 3. Luc. 24.

Ea cautione ab Vrbano IV. creatus est Rex Siciliæ Carolus Princeps Gallus, Sancti Ludouici Regis Galli germanus. Manfredum hominem spurium exauctorauit Vrbanus, & vacante solio suffecit in locum eius Carolum; ea lege tamen, vt conscripto suis sumptibus exercitu viam armis sibi faceret ad coronam. Cunctante Carolo instruere aciem, deficiente neruo belli, scilicet stipendio; vxor eius nomine Beatrix, venalia fecit sua monilia, & inde ingenti vi auri conflata, omnes illas

Beatrix Regina Siciliæ cupida regni. EX HISTORIA. Summontius in hist. Neapol. sub. ann. 1266.

illas opes contulit ad militem conscribendum. Namque coronæ amor tantus eam affecerat, vt pro ea demerenda flocci penderet vniuersa. Non defuit suus spei euentus; frustra enim renitente Manfredo stetit victoria à partibus Caroli, & Beatricis opes effusæ in gratiam imminentis regni, præfulgidum illi diadema compararunt.

Corona vt compareture nulli pretio parcendum.

Stephanus vltro effudit sanguinem suum, certior effectus de corona, quæ capiti suo cælitus imminebat. Vidit namque cælos apertos in ipso feruore discriminis quod obibat; & coronæ intuitus, tali eum iubilo affecit, vt ei omnem penè doloris sensum ademerit. Etenim saxorum grandine elisus, pœnæ immemor, non querulus ingemuit, sed iubilans ait: *Video cælos apertos.* Si apud nos vigeret memoria gloriæ, ea nos cupido coronæ vrgeret, quæ pungebat Beatricem coniugem Siculi Regis; ingis illa meditatio coronæ æternæ accingeret nos ad subeunda quæque pericula: quippe non alio ære prostant diademata, quàm labore.

Ex Symbolis. *Ægid. Sadel. lib. iconum, symbolic.* Coronæ cōparantur laboribus.

Potest ideo cælorum regno affingi illud symbolum Maximiliani Imperatoris, qui pinxit malogranatum hiante cortice, cuius rimulæ liquore purpureo desudabant, hoc titulo adiecto. PER TOT DISCRIMINA RERVM. Id est, pomum istud coronam gestat, sed semina eius sunt acini purpurei. Ita & corona mea multo fuit labore parta, & tot ærumnis quot acinos seu grana concludit hoc malum, dictum granatum à granis. Corona æterna fuit malogranatum Stephano, cuius lapides etiam vt acini rubescentes, proprio sanguine desudarunt. Nota, eodem tempore efformari coronam pomi illius, & acinos, quasi natura innueret, labores qui nos vt lapides quatiunt, esse semina coronarum.

Placet & adiicere symbolum Chilperici Regis Galli, qui coronam pinxit cuspidi ensis erecti innixam, adiectis his vocibus. CONSILIO FIRMATA DEI, id est, ita à Deo comparatum est, vt corona actibus arduis seu gladio tantùm cedat in ius hominum. Id etiam clamat iste textus Canonicus. *Dicitis vtrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissima voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frænauero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita & concessa subtraxero, si me pœnitendo vehementius, quàm prius, excruciauero, &c. Quis nostrum ita desipit, vt huic homini dicat, nihil tibi ista proderunt in posterum?* Vides vitæ futuræ, & molestiarum nexum: nimirum comites indiuidui sunt agones, & corona.

Lucius lib. numism. Corona æterna petit vt vim nobis faciamus. Ex IVRE CANONIC. *Can. In tantùm de pœnit. dist. 3.*

Sed ne ærumnæ animum laxent, est diadema meditandum ad exemplum Stephani, quem sic meminit Sanctus Eucherius: *Dum occupatur in stupore & amore cælestium, meritò ingruentium non turbatur duro imbre saxorum.* Idipsum insinuat arca illa, cuius typum ipse Deus exhibuit ita fatus: *Facies supra coronam auream, per circuitum.* Vbi Petrus Cellensis hæc ait: *Super arcam coronam auream facimus, cùm proposita mercede cælesti, extra hanc nihil quærimus.*

Ex SS. PATRIBVS. *Eucher. hom. de S. Steph.* *Exod. 25.* *Pet. Cellens. in Exod. 25.*

Nota, fuisse in arca tabulas legis, virgam Aaron, & manna, & his tribus superpositum diadema aureum. Etenim qui mente sua versat coronam illam æternam, quæ beatos manet, ille impigrè morem geret Decalogo, correptionem virgæ æquo animo feret, & perpetuo mannæ seu gratiæ Dei edulio pastus, eodem cum Stephano diademate potietur. FAXIT DEVS.



HOMILIA
DE S. LAVRENTIO MARTYRE.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VVLGARE hoc effatum, *Omnia vincit amor*, validum argumentum sumit ex agone Laurentij, qui tentatus est illecebris, atque cruciatibus. In vtroque discrimine, superior effectus est ille. Dico prima parte istius Homiliæ, amorem Dei tollere sensum omniū ærumnarum.

II. Secunda verò parte probo, eiusdem amoris Dei suffragio, hominem inuium esse mundi & carnis illecebris.

PRÆFATIO.

Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Psalm. 16.

BEATVS ille animarum sponsus, quem meminit Christus, ignium examini subiecit virgines omnes, quæ anhelant ad Dei æternos & castissimos hymenæos. Sic ille: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ. *Virgines, quarum ignis perpetuus fuit, voti sui compotes effectæ sunt. Aliæ verò, quas ignis incuria fatuas fecit, procul à cælo positæ sunt. Nonne & Paulus ait, nos omnes passuros scrutinium flammæ?* Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. *Itaque Laurentius athleta est probatissimæ virtutis, vtpote affatus Non supplicium tortor accendit, sed piram erexit ad apotheosim, quæ Sanctum hunc*

Matth. 25. *1. Cor. 3.*

Domino cõsecrauit. Curru igneo in cælum euectus est vt alter Elias, & vt ille Angelus, qui adstans sacrificio parentum Samsonis, secutus flammã sacrificij rediret ad sidera repedauit. Huiusce salutaris ignis vndique accedat ad hũc Sanctũ, & protinus incandescet. Ille ignis reuocat in memoriam Mariæ incendia, hanc veneremur. Aue Maria.

Laurentius vnde sic dictus.

NOmenclatura Laurentij deducta à Lauro, suggerit mihi consonum aliquid isti Sancto. Rerum naturalium seduli scrutatores aduerterunt, virentes lauri ramos mutuo affrictu scintillare, quasi abditus ignis esset corticis inuolucris. Sed esto ex mutua collisione erumpant igneæ scintillæ ex vtroque stipite lauri quantumuis viridi; si tamen alter admoueatur ignis, non eum corripiunt stipites illi vltro antea scintillantes. Habes in ea decurtata descriptione lauri ideam aliqualem Laurentij, cuius anima & corpus fuere veluti duo stipites Dei amore accensi; ideoque deforis adueniente igne elementari, strenuus ille athleta in illo tormine non defecit. Inde elicio hanc conclusionem; scilicet hominem, qui valde intento amore Dei flagrat, non sentire angustias, neque illecebras vllas omnigenæ voluptatis. Dicam primò de ærumnis. Secundò de deliciis.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Amor Dei ærumnarum sensum tollit.

EX RE MEDICA. *Fernel l.6. Physiol.c.12.* Mali apprehensio quos effectus in anima sortiatur.

CViuscunque molestiæ apprehensio ingrata est; hanc sic multiplicem diuidit Fernelius: *Mali apprehensio si adeò vehemens erit, vt superato spretoue rationis imperio animus fortitudine non consistat, tum motu conturbabitur; qui si malum propinquum, est timor: hic autem si permanet, formido: si laboris metus erit, pigritia dicetur: si valde concutiat, terror: si mentem de loco mouet, pauor: si vltra processerit, exanimatio. Vbi vero iam mala instabunt, aut sperata bona non accedent, animi fient ægritudines. Dolor quidem crucians, angor premens.* Vbi nota, de ratione ærumnarum & malorum esse, vt cognoscantur ad hoc vt inferant aliquem sui sensum: vnde Alexander Aphrodisæus ait, eos, qui rapidè & inconsultè incidunt, non æque dolere, ac si eis attentis fieret aliqua membri dissectio. Idemque ait, dolores augeri noctu, quia animus otiosus aliò non rapitur. Rationem doloris esse sitam in apprehensione ingrata & tristi Aristoteles insinuat hoc contextu. *Dolor exturbat & corrumpit naturam eius quod eo afficitur.* Quippe animus apprehendens malum, quasi aliquo turbine concussus fit refuga.

Alex. Aph. prob.1.q.215.

Arist.3. Rhet. c.12.

Iam videamus, an Laurentius summum omnium tormentorum ignem ægre tulerit? Et vtrum exquisitum dolorem conceperit ex incendio flammæ sua membra omnia depascentis. Ibi non est dolor, vbi non est aliqua apprehensio mali: Sed vbi amor est summus in Deum, qualis fuit in Laurentio, ibi nulla est apprehensio mali: ergo impunè desæuit ignis in hominẽ altius occupatum. Quòd Dei amor aliarum rerũ apprehensionem tollat, Physica hac ratione liquet: Commune est intellectui, & aliis animæ potentiis, vt quando vna potẽtia in suo actu intẽditur, alia imbellis fit in suo actu, aut omnino infirmetur. Verbi gratiâ, aliquis attentè defigat oculos in obiectum elegans, & perquàm gratum, proculdubio non audiet ea quæ cominus ab alio pertrectantur, iuxta illud vulgare effatum.

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Igitur quò validior erit potentia, & intensior actus eius, eò etiam minor erit functio cæterarum. Ergo cùm voluntas princeps potentiarum animæ validè feretur in bonum, illa regina facultatum ferias indicet aliis animæ potentiis. Sed nulla est validior animæ motio eâ, quâ tota in Deum effunditur: igitur operæ pretium est otiari alios sensus, amore Dei in anima conflagrante. Ratio petitur ex Theologia, quæ sic raptum definit: *Raptus est ab eo, quod est secundum naturam, in id, quod est contra naturam, vi superioris naturæ eleuatio.* Vnde sic astruo intentum: Amor Dei, gratiæ comes indiuiduus, est superioris naturæ: ergo cùm amoris attractio ex Dionysio raptum seu ecstasim efficiat; & ille raptus naturam immutet minuendo sensum: ille qui se Deo totum deuouerit, quasi naturæ sensui ereptus, nullas iniquo animo feret angustias. Rursus eodem motu anima fertur in media & in finem; sed Cruces, & aliæ quæque molestiæ media sunt quibus demeremur Deum, vt finem nostrum vltimum, quo beamur: ergo anima Deum amans, non odio habebit angustias, quæ Deo moderante solent cælitus imminere.

Raptus animæ quid sit.

EX THEOLOGIA. *S. Thom 2.2. q.174. ar.1.*

Dionys. l. de diu. nom.

Vis validiùs vrgeam intellectum, ad probandum, amorem Dei tollere sensum ærumnarum? Vbi non est apprehensio mali instantis, ibi non est dolor; Sed vbi viget amor Dei, non est illic apprehensio mali, si res sit de ærumnis, quia malum eatenus malum est, quatenus est disconueniens: Ergo cùm anima Dei amore incanduit & inspexit ea quæ plerumque corpori ingrata sunt, conducere tamen ad salutem, atque adeò conuenire; nullam inibi reperiens dissonantiam, non sentit angustias, vtpote non apprehensas sub ratione mali.

Eam esse vim amoris vt minuat sensum, argui potest ex multiplici historia, ex qua Zopirus occurrit, qui eo amore deperijt Darium, vt nasum, aures, & labia præscinderet, & sic deformatus conuenerit Babylonios causatus sæuitiam Regis sui. Illi Darij hostes nimium creduli, miserantes sortem ingloriam Ducis malè excepti à Dario, introduxerunt eum in vrbem suam, & præfecere suis copiis, arbitrantes dolorem illum, qui exurgit ex dissolutione continui, fore aculeum ad vindictam. Eo astu Zopirus vrbem tradidit Dario, & Babylonios spontaneo vulnere dementauit. Vides, amorem ademisse sensum vulnerum, quæ sibi Zopirus inflixerat.

EX HISTORIA. *Plutarch. in apophteg.*

Hodie immanis gens Turcarum etsi videatur omnis affectus expers, amorem suum prodit corporis vstione. Quippe in tesseram propensioris animi, quem testatum volunt facere amicis suis, candente ferro notas quasdam inurunt sibi. Superiori æuo dum Germanus Caroli IX. Regis Galli Henricus, & ipse postea Rex, obsideret Rupellam; nobilis eques videns militem aptare se, vt plumbeas glandes

Guill. Postell. lib. de morib. Turc. Hist. Gallica in Carolo IX.

glandes in Henricum dirigeret, sese quantocyùs Henrico opposuit, idque adeò opportunè, vt suo ipsius discrimine Ducem suum morti eripuerit; nã pectore aperto strenuus ille miles excepit duos globos, à quibus vita etiam sospite traiectus est. Nonne & sacra historia meminit, Iacob obriguisse gelu, & sæpius æstu nimio desudasse, ob amorem Rachel? Audi oraculum. *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Genes. 29.

Ex præfatis arguo: Amor naturalis plerumque minuit sensum doloris: Ergo & ille quo anima in Deum bene affecta est, id præstabit. Nam vbi potior est amandi ratio, ibi & erit amor vegetior: At Deus est summè amabilis, vt à quo cætera precariò habent vnde amari queant: Igitur huic amori debet Laurentius quòd tepuerint ignes, qui membra eius omnia colliquarunt. Eo quippe quasi inscio dissoluta est compages artuum eius; amore Dei, quo ardebat, sopiente sensum alterius incendij. Non is sum, cui soli fidem adhibeas, aduoco alium magni vtique nominis testem, scilicet Augustinum, eius accipe sententiam. *Quando beatus Laurentius appositos extrinsecus ignes non timeret, nisi intus flamma charitatis arderet? In comparatione feruoris, quo pectus eius ardebat, exterior persecutorum flamma frigebat. Quando enim ferret tantorum dolorum aculeos, nisi diligeret gaudia præmiorum.*

Ex SS. Patribus. Aug. ser. 37. de diuersis. Amor non cedit periculis. S. Laurentij constantia.

Sed vnde amori Dei tanta virtus? Accipe rationem: Amoris est amantem conuertere in amatum: Ergo cùm Deus sit incorruptibilis, aliqualem speciem illius sui status affinget homini amanti, in quem impunè mundi & diaboli tormina debacchantur. Amoris etenim igne repurgatur quidquid in homine morti obnoxium est. Eamobrem sic Leo Papa decurrit auriloquio suo. *Nihil obtines, nihil proficis, sæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte deficis. Flammis tuis superari charitatis Christi flamma non potuit, segnior fuit ignis, qui foris vssit, quam qui intus accendit.*

Leo serm. in natali. S. Laur. Amoris Dei virtus admirabilis.

Itaque placet attexere Laurentio symbolum illud, quod meminit Paradinus, qui duos stipites lauri pinxit vndique scintillantes, qui erant præeunte collisione decussati, apposito desuper hoc titulo. FLAMMESCET VTERQVE. id est: Noli crebris ictibus pulsare laurum, alioquin punieris vindice flamma. Ita dum Tyrannus diris parat vrgere pœnis impauidum Laurentiũ, FLAMMESCIT VTRIMQVE; corpus namque & animam eius peruaserat ignis sanctus, qui tunc maximè enituit, cùm alteri incendio haudquaquam cessit sancta hæc victima concremata.

Ex Symbolis. Parad. l. Symbol.

Vis igitur, ô impiger miles Christi, non timere mala: bonus esto; vt autem fias bonus, adhære Deo, qui bonus est omnimoda bonitate. Compendiosè Augustinus. *Saeuiat in te licet persecutor malus, tu ne deficias, auctorem amando bonorum.* Tibi exemplo sit igneus iste Martyr, qui summam ignium pœnam floccifecit, effectus ipso etiam igne valentior, sicut ait Ambrosius. *Ardebat extrinsecus Beatus Martyr Tyranni sæuientis incendiis; sed maior illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. Non potuit ignium tormẽta sentire, qui sensibus Paradisi refrigeria possidebat.*

Ex SS. Patribus. Aug. ser. 37. de diuersis. Ambr. de S. Laurent.

Maximè meo intento fauet Paulus, dum omnium malorum agmen inerme ait, si explicet sua conamina contra charitatem. Sic ille: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia mortificamur propter te tota die, facti sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Aduerte modum loquendi, ait nos præualere in omnia iniqua, non propter amorem, qui sit iuris omnino nostri, sed *Propter eum, qui dilexit nos.* Nam Deus amando nos in ordine ad gloriam, infudit charitatem, quam sic meminit Paulus commemorans causam efficientem eius scilicet Deum, qui nos diligendo inserit animæ charitatem, cuius etiam robur inconcussum disce hoc Canone sacro. *Radicata est charitas? Securus esto: nihil mali procedere potest.* Adijce & Canonem istum. *Ergo si charitatem Deo exhibeamus & proximo de corde puro, & conscientiâ bona, & fide non ficta, facilè peccato resistimus, bonis operibus abundamus, sæculi blandimenta contemnimus, & omnia, quæ difficilia sunt humanæ fragilitati, vel aspera, etiam cum delectatione perficimus: si tamen Deum charitate perfecta, quæ nobis ex illo est, ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus.*

Rom. 8. Amor Dei animã purgat vitiis. Ex Ivre Canonico. Can. Radicata. Can. Charitas §. Ergo de pœnit. dist. 2.

Hîc se aperit longè latéque patens campus ad declamandum contra eos, qui fingunt laborem in præcepto, causantes virtutum calles esse inuios & abruptos, atque adeò difficiles. Homines illi in fœminam fracti, dum egregia quæque facinora facessere negotium clamant, querulis hisce suis vocibus probant deliquium amoris, cuius est omnia superare.

Pars Secvnda Homiliæ.

Amor Dei nullas mundi patitur illecebras.

Sese terribilem vrsis atque leonibus præstiterat Dauid, sedulò sibi cauens, dum viguit in eo Diuinus amor; sed vbi tepuit ille sacer ignis, otiante eo viro aliàs sancto, hominem incautum mulier infecit: & vt singuli quique casus reos agunt in præceps, Dauid ex libidine adulter, factus est postmodum homicida. Versipellis hominum hostis diabolus eos, qui se fortiter gessere in ærumnis, plerumque emollit delicijs, vt sanguine hirci adamas illico relaxatur. Ea astutia processit in Martyres, quorum constantiam tentauit illecebris atque cruciatibus, vt qui aperto Marte frangi non poterant, cederent arti. Esto suas omnes explicuerit technas desertor ille Angelus, vt probatos Dei athletas irretiret; tamen perperam insurrexit. Eadem quippe arma amoris, quæ omnium ærumnarum acumen effecerunt hebes, quarumuis etiam deliciarum sensum quantocyùs expunxerunt. Hanc amoris panopliam suadet Apostolus. *Sobrij simus, induti loricam fidei, & charitatis.* Lorica totum operit pectus; & charitas est tegumen faciens cor hominis inuium ictibus hostium. Sobrios fore ait Paulus eos, qui hac armatura instructi processerint ad certamen: sobrietas autem eliminat omnem illicitum

Amor Dei animam totam armat. 1. Thess. 5.

deliciarum appetitum. Sic auctoritate Apostoli, amor Dei nullas mundi patitur illecebras. Si ab authoritate prouocas ad rationem, audi Philosophiam.

Bonum est obiectum voluntatis, quæ necessariò necessitate naturæ, non coactionis, mouetur ad id omne quod conuenit animali: Ergo nullæ illecebræ hominem poterunt ab amore Dei reuocare. Etenim vbi maior est vis alliciens voluntatem, ibi etiam est potior attractio: Sed in Deo amato plura argumenta amoris sunt, quibus illa appetitiua potentia prouocatur: Ergo etiam Deo tenaciùs adhærebit. Rursus vt se habet causa prima ad causam secundam in genere causæ efficientis; ita se habet vltimus rerum omnium finis ad alios fines, in genere causæ finalis, cuius est mouere appetitum: At causa prima plus influit in effectum, quàm secunda: Ergo etiam rerum omnium finis vltimus Deus validiùs mouebit appetitum, quàm alij fines, atque ita anima Deo addicta, ægrè admodum ad hæc inferiora dilabetur. Præterea charitas fortior est virtute acquisita; at virtus est qualitas difficile mobilis, nam ex Aristotele: *Virtus eisdem generatur, & corrumpitur.* Ergo cum validi sint actus, quibus inseritur animis hominum virtus; debent esse validiores etiam impetus vitiorum, quibus corrumpitur: Sed nullus est actus vitij vegetior actu charitatis, quæ effundit hominem totum in Deum: Igitur operæpretium est, vt facessant omnes voluptatum illecebræ, vtpote imbelles, si eas amanti Deum voluerit Diabolus affricare.

Arist. 1. Ethic. c. 4.

Amoris Dei virtus quomodo probetur.

Aristot. l. 2. Eth. cap. 1.

Non ideo tamen incautè gerere se debet integer Dei amator; quippe incurios vtplurimum voluptates à Deo auertunt, & charitatem subitò extingunt. Theologia namque docet, charitatem in eo esse dissitam à virtute morali, quòd hæc habeat principium intrinsecum scilicet voluntatem, cuius conamine naturali virtutes aliquæ comparantur, vt videre est in Philosophis, qui citra vllam Dei gratiam iustificantem aliqua virtute morali dignati sunt. Harũ virtutum voluntas extitit principium intrinsecum; atque ita vno actu contrario non statim virtutis habitum expunxerunt. Sed charitas habet principium extrinsecum, scilicet Deum, qui iugi influxu eam non efficit tantùm, sed & conseruat, ideoque vno duntaxat peccato mortali charitas deliquium patitur, quia Deus cessat influere, vt præmonet Augustinus. *Non ita Deus operatur hominem iustum, id est, iustificando eum, vt si abscesserit, maneat in absente, quod fecit: sed potius sicut aer præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò obtenebratur.*

EX THEOLOGIA. Thom. in quodlib. qu. 1. de charit. a. 1.

Gratiæ Dei & lucis comparatio ex Augustino.

EX SS. PATRIBVS. Aug. lib. 8. sup. Genes. cap. 12.

Denuo charitas attendi potest vt charitas est, & sic nihil eâ validius: vnde Magister ait, perfectam charitatem amitti non posse: Omnis enim motus est secundùm exigentiam prædominãtis: sed charitas prędominatur in corde amãtis Deum: ergo omnes motus illius hominis in charitate constituti, à charitate emergunt, cuius est cor omnino occupare, vt sanxit Deus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Item charitas spectari potest ex parte obiecti; in eo statu nequit diuelli posito quòd adæquatè obiectum repleat potentiam, siquidem voluntas habet se ad charitatem vt materia ad formam, quæ si replet totam potentiam seu appetitum materiæ, tunc erit perpetua, vt liquet in cælis, quorum materia ita induit illam formam, vt eam nequeat exuere. Ergo si tota voluntas in Deum effundatur, & ille repleat eius appetitum, tunc charitas erit perpetua, vt patet in Beatis.

EX THEOLOGIA. Mag. sent. l. 1. dist. 17.

Charitas perfecta amitti possit necne.

Demum charitas considerari potest ex parte subiecti, quod est voluntas, ea autem cùm sit vertibilis, nec sibi iugiter constet, potest amittere charitatem in hoc sæculo, vbi Deus sese in in aperto non explicat volũtati. Charitas hoc modo comparatur ad voluntatem, sicut habitus ad potentiam: habitus autem virtutis hominẽ inclinat ad rectè agendum, vt homo eo habitu benè sentit de fine, iuxta illud Philosophi. *Qualis vnusquisque est, talis & finis videtur ei.* Contingit autem aliquando, vt res visa quàm optima secundùm propensionem habitus boni, videatur mala aliunde. Verbi gratia, castitas etsi bona videatur rationi; tamen quia carnis omnes illecebras eliminat, & appetitui sensitiuo modum imponit, apprehenditur vt mala, quia est quid disconueniens carni, cui conuenit in Venerem solui. Quòd si illa apprehensio sensitiua resiliat vsque ad intellectum, ille hallucinans pelliciet ad consensum rationalem appetitum, qui etiam aliquando validè rapitur, si passio vehemens insurrexit.

Thom. in quodlib. qu. 1. de charit. a. 1.

Arist. lib. 3. Ethic. cap. 5.

Itaque cùm duobus modis variare queat voluntas à bono in malum, scilicet deceptione, & vrgente aliqua passione; bifariam charitas excidit. Eamobrem operæ pretium est, vt homo cautè suis sensibus excubet, ne irrepant voluptatum illecebræ, quæ malè suadæ præferunt bonitatis speciem ementitam. Rursus & hoc potissimum satagere anima debet, vt se totam crebris actibus Deo deuoueat, vt sic vegetior charitas inualescat. Vbi enim altas radices egerit amor Dei; voluntas eo habitu facta validior, aliò non deflectet. Eò aspexit Angelus ille, qui suasit Tobiæ iuniori modum expellendi Asmodæum, diabolum libidinis incentorem. Iussit cautè asseruari cor piscis, hanc subiiciens rationem. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.* Magnâ cautelâ indiget cor, vt seorsim à creatis maneat illibatum. O homo, si cor tuum effluxit, hoc satage vt refluat, sedulóque illud repone tibi, & fac charitate ardeat; eo namque æstuante amore Dei, quæuis illecebræ & omnes astus diaboli compescuntur.

Charitas bifariam excidit.

Tob. 6.

Accipe Canonem sacrum meo intento propitium, & probantem quod conclusi, scilicet charitatem præualere etsi omnia insurgant, siue angustiæ sint, vel vehementes etiam illecebræ voluptatum. Ecce seriem textus. *Charitas est recta voluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter, & vnita igne quodam Sancti Spiritus, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, supra omnia quæ diliguntur excelsa, affectionum omnium potentissima, Diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta; summa actionum bonarum, mors criminum, vita virtutum, palma vitiorum,*

EX IVRE CANONICO. Can. Charitas de pœn. dist. 2.

Charitatis egregia descriptio.

victorum, anima sanctarum mentium.

Quid igitur mirum, si Laurentius impetitus illecebris, & tormentis, superior & lauro dignus extiterit, cùm lorica amoris peruadi nequeat? Quidquid in athletam illum insurrexit, hoc omne fuit in gloriæ illius maximum incrementum, vt Leo Papa sonat. *Sensisti persecutor in Martyrem: sæuisti, & auxisti palmam dum aggeras pœnam. Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicij.*

Ex SS. Patribus. *Leo serm. in natal. S. Laurent.* Patientia vertit in gloriā omnes iniurias.

Quid obstat quominùs ardeamus eodem & nos igne? Obstat humor noxius, quem ex iniquo rerum infimarum commercio contraximus; detergendum est id omne, quo desudat cor amoris expers, & postmodum inardescet. Ita Augustinus: *Est amor vtilis, est amor noxius, amor amore impeditur: amor noxius secedat, & amor vtilis succedat. Vis intret mel vnde acetum nondum fudisti: funde quod habes, vt capias quod non habes.* Parum est ore celebrare Laurentium, nisi & concipiamus ignem, quo factus est de Laurentio laureatus. Audi Chrysologum. *Ferueat oratio, & festum Martyris celebretur: sed vt nō sit inanis qui celebrat, imitemur.* Et vt amoris desiderio tenearis, ô anima tepens, memor esto, animæ hostes omnes hac panoplià profligari. Et tunc fortè hanc indues armaturam. Faxit Devs.

Amor amore impeditur. *Aug. l. quinquaginta homil.*

Chrysolog. ser. de S. Laur.



HOMILIA
DE S. SEBASTIANO MARTYRE.
SVMMA HOMILIÆ.

I.  Agitta amorē & odium præfigurat; ideóque cùm homo nequeat effugere amorem Dei, vel odium, necessariò in sagittas incurrit. Dico primò de sagittis amoris, quas qui respuit, incidit in sagittas iustitiæ vindicantis.

II. Secunda parte Homiliæ, ago de sagittis plectentibus reprobos; & ostendo, qua cautela declinanda sint spicula iræ Dei.

PRÆFATIO.

Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Thren. 3.

Cupido tela Iouis pectore excepit.

Ngeniosum sanè fuit commentum illud antiquorum, quo finxere Cupidinem occurrisse ruina instanti omnibus hominibus, quam Iupiter anhelabat. Hi technarum periti artifices aiunt, crebra hominum deliquia perculisse Iouem ad vindictam, eumque se accinxisse ad exterminium orbis vniuersi; Deum verò amoris pectore aperto excepisse tela furentis Iouis, qui eâ industriâ placatus est. Apage deliria hæc, & aniles fabulas: suppetit Ecclesia alia industria, qua consulat orbi passuro dispendium grassante lue, quæ dum feruet, exhaurit Prouincias, & vrbes redigit in tumulos. Deo irato & contorquenti tela lethalia Ecclesia obiicit Sanctum Sebastianum, quem vt alterum Amorem medium inter Deum & homines multa spicula traiecerunt. Plerúnque salutaris extitit illa Sebastiani intercessio eis, qui antea experti Deum vltorē, beneficū postea persenserunt. Cedet & nobis prosperè illa clientela Sancti huius, si vt par est eius indolē æmulemur. Itaque operæpretium est, nos vulnerari amoris spiculo, si volumus iustitiæ Dei vulnera declinare. Petamus ab eo Sancto sagittam vnam mutuò, paciscentes de pretio, quod erit Salutatio Angelica. Aue Maria.

Sagittæ celebres olim duæ.

PRisca Gētiliū Philosophia implexa pluribus inuolucris, habuit pleraque recondita mysteria, ab Hebræis accepta, quæ sibi postea Pythagoras attribuit, & quibus cōsonāt multa ex Scripturis dogmata deriuata. In his celebres sūt sagittæ, quas meminit antiquitas. Erat vna aurea, altera verò plumbea. Prima fuit amoris index, vt & secunda mortis. Vtrâque sagittâ Deus traiicit homines. Quippe vbi amoris spicula hominem non inclinant ad affectus reciprocos; Deus cor ingratū plectit sagitta vindice criminū, iuxta illud Psaltis. *Sagitta potentis acuta, cū carbonibus desolatoriis.* Deus quādoq; ferit, adiiciēs carbones pestilētiæ: atque lues illa, quæ grassatur populans vrbes, carbūculos spargit, qui ægrorū mēbra lurida depascūtur. Vt aliàs Hebræi sanati sūt intuitu serpentis ænei, qui medelā attulit plagis serpentiū ignitorū; ita & Ecclesia sagittas potentis acutas retūdit, & extinguit cōtagij carbones desolatorios, obiiciēdo populis Sāctū Sebastianū traiectū sagittis veluti antidotū mortis. Prævaluere in sagittas mortis ille aliæ amoris sagittæ, quæ cōfixerāt hūc Martyrē, quē telis opertū tortores nō potuerūt occidere spiculis intortis. Nobis eo exēplo cōsulit Ecclesia, vt cōtra lethalia pestis iacula & carbones vtamur his sagittis, quę adeò fuere salutares Sebastiano. Hoc igitur esto argumētū istius concionis. Dicā primò, Deū nos affecisse multis beneficiis, vt nostrū amorē inde obstringeret sibi, ideoque nos debere vices mutuas repēdere. Secundò ostendam, iustitiā Dei sua exerere spicula lethalia in homines incuriós beneficiorum Dei.

Pars Prima Homiliæ.
Dei amor in nos, amorem nostrum sollicitat.

DEū haudquaquā amoris expertē esse, indubiū est Theologiæ effatū. pro quo nota, nomē amoris bifariā vsurpari. Primò amor dicit impetum sensitiui appetitus, qui quādoque totū cōcutit amantem; vnde & passio nuncupatur. Huius amoris inscius est Deus, vtpote procul à passione. Secūdò amor significat primū voluntatis actum, qui

Ex Theologia. *Thom. 1. p. q. 20. art. 1.* Amor quot modis vsurpetur.

qui in bonũ fertur, & sic amor est in Deo:vbi enim est volũtas.ibi & amor:sed in Deo est volũtas:ergo & amor. Rursus, vbi est amoris obiectum,ibi & inardescit amor:sed in creaturis est obiectũ amoris, scilicet bonitas participãs bonitatem Dei:igitur amabit Deus omnia quę sunt,vt habentia bonitatem. Amare autem est velle bonũ, & cùm volũtas Dei sit causa rerũ, quas vult,Deus amãdo bonum facit illud; atq; ita omnia bona sunt effectus amoris Dei. Et vt sagittarius antequã sagittam emittat,prius inflectit arcum,& fune extẽso sagittã ad cor inducit, vt eã validiùs intorqueat; ita Deus ab æterno voluit bona, quæ singulis quibusque rebus impertiit in tẽpore,& sic illa dona quasi sagittas penes se habuit diu antequã emitteret & quò pluribus aliquẽ donis afficit,ille etiã à Deo pluribus sagittis impetitur:sed hominem Deus plus amauit cæteris:ergo homo præ aliis est,vt Sebastianus inter Sãctos, scilicet multiplici sagitta cõfixus;potestque homini aptari illud Ieremiæ. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.*

Amare quid sit.

Amor Dei in homines quantus. *Thren.* 3.

Quòd plus hominẽ affecerit amore suo Deus liquet;quia maius ei bonũ voluit,scilicet vnionis hypostaticæ gratiã Et licet præ homine dilexerit Angelũ quo ad naturã,prætulit ei tamẽ hominẽ,quo ad gratiã. At gratia est naturã superior:ergo & potior erit amor,quo Deus hominẽ dignatus est, effũdẽs se in hominũ sinũ; vnde & Dionysius ait, Deũ esse passũ ecstasim per amorẽ. Hoc præcipui amoris priuilegiũ sic memorat Sãctus Augustinus. *Dilexisti me,vnice amor meus,antequã diligerẽ te:& ad imaginẽ tuã creasti me, omnibus creaturis tuis præposuisti me. Quã dignitatẽ tũc quidẽ serno,cùm nouerim te,propter quẽ fecisti me.* Bernardus & hũc Dei affectũ sic meminit. *In hominibus est amabilis, quia eorũ Deus est,& ipsi sũt populus eius. Ipse in eis habitat tãquã in tẽplo suo,& ipsi sũt tẽplum eius. Non dedignatur singulos atque vniuersos. Quisquis eius meminit,cũque intelligit, ac diligit,cũ illo est. Diligere eũ debemus, quoniam ipse prior dilexit nos. Ad imaginẽ & similitudinem suam nos fecit,quod nulli alij creaturæ donare voluit. Ad imaginem Dei facti sumus,hoc est,ad intellectũ & notitiã Filij,per quẽ intelligimus,& cognoscimus Patrẽ,& accessum habemus ad eũ. Tanta cognatio est inter nos,& Dei filium,quod ipse Dei filius imago Dei est,& nos ad imaginem eius facti sumus. Oportet itaque id,quod ad imaginẽ est,cum imagine conuenire,& non in vacuum nomen imaginis participare.*

Thom. 3. sent. 32 q. 1. art. 5.
EX SS. PATRIBVS.
Dionys. lib. de Diuin. nom. cap. 4.

Aug. sol. 17.
Bern. Meditat. cap. 1.
Amor Dei in homines præcessit amorem hominum erga Deum.
Amoris in Deum quæ habeat homo argumenta.
Imago Dei, in verbo & in homine.

Ineffabili suo hoc amore Deus amorẽ nostrũ sollicitat:Posuit nãque se tãquã signũ ad sagittã. Affectus,& omnia vota nostra sagittæ sũt, quæ nullũ aliũ scopũ habere debẽt prẹter Deũ. Eamobrẽ Deus Pan olim colebatur,igne iugiter accẽso.& ignis ille æternus Gẽtiliũ amorẽ referebat. Illa etiã thuris incẽsio,omnia nostra ad Deũ ferri,typicè resonabat. Vt autẽ amorẽ nostrũ deuinciret sibi Deus,beneficũ se homini præstitit, vt donis illectum, ad amorem mutuum oppidò prouocaret.

EX HISTORIA.
Pausan in Arcadicis.
Amorem nostrũ Deus quot modis sibi conciliauit.

Quare autẽ adiecerit beneficia? Audi ex Philosophia. Qui cõstituit agens in esse agẽcis,ille etiã decreuit illi finẽ suum:Sed Deus omnia agentia,talia effecit:ideoque finẽ eis omnibus assi nauit,ad quẽ vt tẽderet,vnicuique rei dedit appetitũ,qui ex Philosopho est rei quæ nõ habetur. Ille appetitus omnia inclinat ad cõsonũ sibi finẽ,& id mediãte forma,quæ res inanimes ad suũ cẽtrũ vehit. Si agẽs sit sensitiuũ, pluribus eget vt bonum suum assequatur:quo enim bonũ melius, media etiã potiora debent esse;at bonũ animalis est cõseruatio in suo viuendi ritu;viuere autẽ est quid nobilius,quàm esse simpliciter; eamobrẽ animalibus data est cognitio seu apprehẽsio boni,vt illud inuestigẽt. Sed non data est libertas resiliendi ab obiecto;hoc enim est hominis,qui vt natura aliis præstat agẽtibus sẽsui obuiis,altiori fini deputatur,atque adeò indigus est pluriũ rerũ, quibus in vltimũ suũ scopũ dirigatur. Et quia penes hominẽ est in hoc statu vitæ declinare à fine suo,ratione libertatis arbitrij,cuius cõscius est,Deus vt sibi affectũ eius obstringeret, multiplici eum gratia deliniuit. Sic à Deo illectus homo beneficiis,quæ nemo alius præstare potest,apprehendit Deum vt verũ & integrũ suũ bonũ,a quo tot in ipsum fuere cõmoda deriuata. Et hæc est ratio cur hominẽ Deus toties dignatus sit bonis propemodũ infinitis:ne scilicet homo nutans in electione sua deficeret à Deo,cui eum eripere tentat insana libido sensuum externorum.

EX PHILOSOPHIA.
Lib. 8. Phys. te. 31.
Aristot. lib. 1 Phys. tex. 81.

Itaque cùm amor in moralibus sit idẽ,quod appetitus in rebus inanimis; amorẽ suũ Deus explicat homini,vt prouocet eũ ad vices reciprocas obeũdas. Et iugis est gratiarũ illapsus, quia in homine amoris actio non fatiscit, & ne terrenis inhiet,à Deo variè demulcetur. Sic Augustinus: *Habet omnis amor vim suã,nec potest vacare amor in anima amãtis, necesse est vt ducat;vis nosse qualis amor sit, vide quò ducat. Obligata anima amore terreno,quia viscũ habet in pennis volare nõ potest:mũdata verò ab operibus sordidissimis sæculi,taquã extẽtis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimẽto,id est duobus præceptis dilectionis Dei,& proximi volat,quò?nisi ad eũ ascendens volãdo, qui ascẽdit amãdo: Nõ est amãdũ quod amãs & fruẽti amatori auferri potest. Cuius ergo rei amor amandus est?nisi qui non potest deesse dum amatur.*

EX SS. PATRIBVS.
August. in Psalm. 121.
Amor vacare nequit in anima.

Sed cùm omnia,vnde homo cõstat,Dei sint, quare dũtaxat amoris tã crebra mẽtio? Quare tot gratiis vt sagittis cor hominis à Deo traiicitur,iuxta illud Augustini. *Sagittaueras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua trãsfixa visceribus?* Respõdeo, deuincto amore omnia tenorẽ eius sequi: nihil nãque agit homo inuitus,sed volẽs;si volẽs,ergo amãs:posito autẽ quòd cõsecrarit Deo amorẽ suũ,iam omnes etiam actus suos in Deum diriget, ne iniurij sint amori Domino mancipati.

August. lib. 9. conf. cap. 2.
Amoris sagittæ cor vulnerant.

Fauet res Medica,ex cuius oraculo, si mulier prægnãs instãte partu cordis deliquiũ patitur, statim parit. Αἱ ἐν τόκῳ καρδίην προαλγέουσαι, ὀλίγῳ ὕστερον ἐκβάλλουσι. *Quæ parturiẽdo, prius cordis dolorẽ sẽtiũt,paulò post illa pariũt.* Ita & hi quibus cor amore Dei lãguet,egregia facinora ad Dei laudẽ parturiũt. Feriarũ nãque nescius amor, sẽper assurgit ad ardua. Et quia in amore vinci turpissimum est ex Plinio;anima Dei amore saucia,ex pharetra sinus sui depromit iacula quibus Deũ petat,nõ factura finẽ amãdi. Quippe ex Bernardo, *Domini amãs anima amore non satiatur,quia Deus amor est,quem qui amat, amorem amat. Amare autem amorem circulum facit,vt nullus finis sit amoris.*

EX RE MEDICA.
Hippocr. lib. 5. coac. tract. 3. coac. 38.
EX SS. PATRIBVS.
Bern. lib. de char. cap. 5.
Amore non satiatur amans.
Philostr. lib. tabularum.

Experitur

Ex Mathematica. *Ptolem. lib. 3. de iudic. c. 13.* Charitas est aqua. Charitas est radix bonorum.

Experitur anima quod ait Philostratus, scilicet amores sagittis inuicé colludere, eas excipientes pectore aperto. Sagittæ amantium sũt affectus in Deum: Dei auté spicula sunt gratię, quas sibi acceptis mẽtibus impertitur. Opportuna etiã huic intento est Mathematica cælis intenta. Ait illa, signum Zodiaci, cui nomé est Sagittarius, esse domum Iouis, qui est planeta maximè beneficus. Quoties homo Deũ vt scopum habet suorum affectuum, toties in Sagittarium transit, atque ita domus fit Dei propitij & munifici; vbi nãque charitas est, bonorũ omniũ illic est cõgeries atque scaturigo. Quò enim maior est amor in Deum, homo melior est, vtpote magis participans summum bonũ. Si melior est, vberior quoque erit amor ille, quo Deus eũ dignabitur; atque ita cùm amare Dei sit causa bonorum, quæ vult amato; Deo summè benefico vtetur ille, qui Sagittarij rationem sibi vendicabit; siquidem charitas minimè egena est, sed prædiues, vt hoc Canone perhibetur, *Charitas est aqua, de qua Dominus ait in Euangelio: Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Eliminãdi igitur sunt alij omnes affectus Deo iniurij, vt diuinus amor apud nos altas radices agat, suorũque prodat fructuũ vbertatem, vt fert iste Canon. *Quia radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas, & simul ambæ esse non possunt, nisi vna penitus euulsa fuerit, alia plãtari nõ poterit. Sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicẽ nõ cõtẽdit euellere.*

Ex Iure Canonico. *Can. Charitas de pœnit. dist. 2. Can. quia radix de pœnit. dist. 2.*

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 1. Theatri.* Charitatis effectus quales sint. *Cassian. collat. 11. c. 33.*

Vellẽ omnes eo fine aptarẽt sibi symbolũ illud, cuius pictura prostat in Theatro Ferri, vbi homo pectore hiãte, telis traiectus est, hoc titulo. PECTVS MEVM SCOPVS AMORIS. Qui nãque eo igne incalesceret, rigeret ad omnes mũdi illecebras, inque Deũ tantùm vota eius omnia collimarent. Ita Theonas ille Abbas. *Charitas omnem alterius cuiusque rei excludit affectum, nec potest aut vetita concupiscere, aut imperata contemnere, cuius totum studium diuino amori sẽper intentum, vsque adeò vilium rerum oblectatione non capitur, vt etiam his, quæ concessa sũt, non vtatur.* Quòd si sagitta amoris hominem non emollit, spicula iustitiæ vltricis Deus intorquebit.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Vbi non est sagitta amoris, ibi est sagitta puniens.

VT virga incurua rectior fiat, leniter inflectitur; at si eo leni inflexu virga rectitudinis impatiens, enitentis vota eludat, frangitur. Simile in discrimen incurrit homo nequã deuius à Deo, qui est rerũ omnium vltima rectitudo. Primò beneficiorum influxu tentatur, vt redux fiat; pulsat Deus ad cor eius, vt crebra allisione proliciat flammas, aut saltem igniculum amoris. Homine autem in duritiem saxi composito, negante scintillulas, quas Deus expetit, vindex iustitia sæuiens excandescit. Sicque irã Dei prosternitur ille, quem Dei amor non inclinat. Eò spectat illud Leuitici effatum. *Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, siue per humum trahitur, abominabile est.* Anima amore incedit; amando etenim in obiectum tendit. Si terrena adamat, colligit eo affectu puluerem multũ; perque humum trahitur pectore gradiens, sicque Deo fit abominabilis, atque ita condemnatur; & quæ spicula amoris non admisit, eadem magno sui dispendio telis iustitiæ configitur, suam defletura sortem.

Leuit. 11.

Ex Theologia. *Bon. in 3. sent. dist. 32.* Amoris expertes animas quare Deus plectat.

Quare auté Deus sui amoris expertes animas plectat, audi ex Theologia. Quidquid Deus fecit, volẽs fecit; quidquid auté volẽs aliquid facit, illud finẽ aliquẽ sibi cõstituit seipso dignũ. Cùm ergo Deus vltrò & nõ inuitus egerit omnia, non temerè operatus est; sed aliquo cuique rei præstituto fine, qui alius nequit esse ab ipso Deo, qui propter semetipsũ fecit omnia. Ab eo scopo deflectere nequeunt res editæ; alioquin aliquod in Deo deliquium arguerent: velle enim Dei esset impotens, si creaturæ eludere possent hoc decretum, quo Deus semetipsũ finem constituit rerum omnium editarum. Itaque reprobi cùm declinant misericordiam, & amorem Dei, incidunt in odium, & iustitiam Dei, quæ dum plectit, explicat semetipsam. Imò reprobi dum se inutiles Deo præstant, & ab eo fine resilire volunt (quasi verò Deus non esset rerum omnium finis) probant esse in Deo ampliorem rationem finis, quàm si nulli omnino reprobi essent; imò & misericordiam eius quàm maximè commendant, in eo quòd eos etiam perduelles, ad amorem suum crebrò prouocarit, atque ita mali manifestant benignitatem Dei, patientiam eius, & demum illius iustitiam, dum corripit hæc capita detestanda. Ne ergo noxij homines videantur effugere statutum vnicuique rei finem, Deus eos seuerè corripit futuros assertores iustitiæ suæ, ad quam sunt cælitus ordinati. Itaque fit vt qui refuga sagittarum amoris est, non impunè ferat defectionem suam, sed iustitiæ telis veluti transfuga configatur.

Tota hæc Theologia est Pauli Apostoli, affirmantis Deum in vno Pharaone iniquo suam virtutem fecisse notam vbique gentium. Sic ille: *Dicit Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsũ excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Rursus ait: *Deus volens ostendere iram, & notã facere potentiam suam, sustinuit in multa patiẽtia vasa iræ apta in interitum.* Hanc autem in homine tragœdiam excitat amor à Deo alienus: vt namque bonum amoris est obiectũ; ita & malum pertinet ad iustitiam punientem: vnde cùm amore tantùm boni summi, quod est Deus, fiat homo bonus, & bonũ sit ex integra causa, malùm verò ex quolibet defectu; homo amoris nescius, est malus, atque adeò iustitiæ Dei obnoxius: malè igitur sibi consulit, qui nimium sui corporis amans, carnis inhiat illecebris; ibi enim ruinæ suæ indubium reperit argumentum. Ita Augustinus. *Quisquis seipsũ, non Deum amat, nec se amat: qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se, cùm non ille diligitur de quo viuitur. Non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit vt eum diligat de quo viuit.*

Rom. 9.

Amor sui, est lethalis animæ. Amor sui amorem Dei excludit.

Ex SS. Patribus. *Aug. l. de vera innoc. cap. 375.*

Ita sanè moritur qui sui amorem substituit ei amori, quem debuit Deo deuouisse. Ille eamdẽ experitur sortem, quam passa est statua Iuliani Imperatoris impij, qui in Paneada ciuitate imaginem Christi è fornice sua abstulit, vt suam reponeret. Deus haudquaquam præteriit inultum

Ex Historia. *Glycas 4. part. Annal.*

inultum tantum nefas: nam Principis huius transfugæ simulachrum fulmine ictum attritum est, imò & ipse telo lethali traiectus est. Hac censura animaduertit Deus in reprobus; hi namque sese duntaxat depereunt, omnem Dei amorem expungunt, proprio duntaxat amore perciti, ideoque Deus spicula sua in eos contorquet. Et hinc desume omnium flagellorum Dei euidens argumentum. Quandoque Deus grassante lue populatur orbem, sponsas viduas, & parentes orbos efficiens, quia Pater amorem suum collegerat totum, vt in filium suum effunderet, sicut & vxor in maritum. Aliorum flagrant ædes igne desuper illapso, quo & omnes colliquantur opes. Hi omnes hæc omnia simulacra suffecerant in Dei locum, eamobrem Deus riualium impatiens percutit omnia, quæ charitatis dispendio diliguntur.

Deut. 32.

Flagella Dei esse sagittas, Deus ipse ait Deut. 32. *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes, sagittas meas complebo in eis.* Mortuo Attila, qui se nuncupabat flagellum Dei, Deus in somnis Marciano Imperatori arcum suum ostendit fractum astruens quod probare intendo, scilicet flagella Dei esse sagittas, hominum sanguine cruentatas. Has etiam sagittas meminit Psaltes *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Et hæ potissimum sagittæ pestem sonant, quæ est febris virulenta, cuius characteres sunt tumores quidam ad instar carbonum nigricantes. His sagittis malè disperiit Leo IV. Imperator, qui eò vesaniæ prorumpens, vt coronam auream gemmis prædiuitem S. Sophiæ sacram, capiti suo adaptaret, a Deo percussus est his iaculis: nam ei caput intumuit, carbonibus in modum coronæ dispositis, quorum lancinans dolor pœnas expetiit a Principe condemnato.

Hist. Imp. sub ann. 455.
Leo IV. imperator sacrilegus punitur à Deo
Psal. 119.

Theophan. in Leone IV. sub an. 780.

Alco peritus sagittarius.

Nota Deum his telis tantùm peccata configere, non hominem. Ita Alco Cretensis, sagittandi peritia insignis, videns filium suum a serpente circumactum, ita industriè spiculum emisit, vt puero illæso bestiam occiderit. Manilius lepidè rem concludit hoc tenore. *Artis fuit esse patrem.* Id est, Paternitas nescit obesse filio. Eo etiam intento Deus sagittis vtitur in homines, scilicet vt quidquid carnem & sanguinem sapit, illud omne quantocyùs aucrruncet, vt liquet hoc contextu. *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Ergo si nullus sanguis ruberet, sagitta non cruore desudaret: si nulla caro adipe concresceret, gladius non pasceretur illa noxia pinguedine. Itaque caro & sanguis pessimi consultores; vtpote quibus acuuntur gladij & sagittæ, Deo semper iustos sospites & integros conseruante, vt probauit vir sanctus Ioannes Silentiarius, qui Barbaris irruentibus, timens vitæ suæ, Deum enixè deprecatus est, vt sibi adesset contra sæuitiam Gentis, à ritu Christiano penitus abhorrentis. Exorauit, & leo peregrè à Deo euocatus est in custodiam eius, vnde ille iubilans ait: *Non dimittit virgam peccatorum super sortem iustorum.*

Deut. 32.

Hist. Imper. sub an. 509.
Ioannes Silentiarius à Deo protectus.
Amoris vulnera à Deo inflicta.

Ex SS. Patribus.
August. in Psal. 119.

Deum etiam plagis intendere hominum salutem, concolor est Patrum sensus. Sic Augustinus: *Nouit Dominus vulnerare ad amorem, vt facias amantem, & transfixo corde amor* excitetur, *non interitus comparetur.* Idem alibi. *Flagellat omnem filium quem recipit, nec tam tibi amarum debet esse quod flagellat, quam dulce quod recipit.* Esse autem carnem & sanguinem, id est, voluptates causas omnium ærumnarum, scitè ait Cassianus *Ipsæ nobis tormenta sunt, quibus vtimur voluptates, & oblectamenta huius carnis, atque delicia, carnificum vice in suum retorquentur auctorem.* In amore creaturarum arguimur furti, rei deuinctæ Regi Regum, ideoque omni creaturæ ius est in reprobos, vt prædones Deo iniurios. Amor est aurum illud, de quo in Apocalypsi hæc habes. *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, vt locuples fias.* At iure Cæsareo cautum est, ne aurum ad Barbaros deferatur, sed potius ab eis cautè auferatur, & pœna decernitur in eos qui secus faxint. Ecce legem. *Non solum Barbaris aurum minimè præbeatur; sed etiam, si apud eos inuentum fuerit, subtili auferatur ingenio. Sed si vlterius aurum pro mancipiis, vel quibuscunque speciebus, ad Barbaricum fuerit translatum a mercatoribus; non iam damnis, sed suppliciis subiugentur.* Vides hac lege bifariam procedendum contra alienantes aurum; videlicet dânis atque suppliciis. Damna pertinent ad censum; supplicia verò pertinent ad personam.

Idem in Psal. 124.
Cassian. collat. 24. c. 29.
Voluptates nobis tormento sunt.
Apoc. 3.
Aurum habere vetitum barbaris.
Ex Ivre Civili.
Leg. Non solum. Codice de cõmerciis.

Hunc etiam tenorem seruat Dei iustitia in plectendis reprobis, qui obnoxij sunt legi peculatus. Quia hi aurum charitatis Deo debitum ad creaturas transtulerunt, in suis facultatibus luunt, arente solo, & abortiente semine, vnde fames. Vel etiam locustis gramina pascentibus annona parcior decurtat opes, vt aliàs videre fuit in locustis, quas meminit Holcot, affirmans in earum alis fuisse inscriptas has voces Ira Dei. Bella, & lues sæuiunt in corpora, vt qui damnis amorem suum Deo non rependunt, saltem suppliciis resipiscant. Compendiosè concluduntur mala enata ex deliquio amoris, hoc Canone. *Omnis, qui non diligit, in morte manet.* Id est, qui aurum ignitum amoris Deo soli debiti, creaturis appenderit, ille hac censura punietur. Capite luet.

Ex Historia.
Holcot lib. in Sapient.
Ira Dei scripta in alis locustarum.
Timor Dei introducit charitatem.

Ex Ivre Canonico.
Can. Omnis de pœn. dist. 1.

Vegetius libro de re militari commemorat, feruente certamine naues fuisse incensas igne emisso beneficio sagittarum, quibus affricabant hostes sulphureum aliquod pabulum ignis, qui eo fomite accensus, vrebat naues in quas hæc ignea spicula dirigebant. Esto Deus feriat, & tela sua sæpius intorqueat; tamen amoris incendium spirant, & hoc intendit Deus, vt terror ille prouocet ad amorem iuxta hunc Canonem. *Sicut seta introducit linum, ita timor introducit charitatem: crescit charitas, minuitur timor, & e conuerso.* Apposita sanè comparatio acus & fili, quod punctionem acus subsequitur. Non ideo pungit acus & penetrat, vt maneat; sed præit filo quod subintrat, vt assuat & cõponat id quod lacerum erat. Ita & Deus quãdo aculeis sagittarũ suarũ homines pungit, non eo intentu vulnus infligit, vt telo infixo plaga affluente sanie computrescat; sed hoc vulnere cor aperit, & amorem his patulis foribus introducit. Charitatem perpetuam vult Deus succedere subitæ punctioni. Cor nostrũ veluti pharetra fixa telis, est plenũ affectibus: Deus cor nostrum potuit vt signum ad

Can. Sicut de pœn. dist. 2.
Charitas introducitur à timore Dei.

ad sagittam; nunc beneficiis tentat aperire cor illud adamantinum, aliàs vtitur sagittis vrgentibus, scilicet plagis, quas infligunt. *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis.* Corde aperto vult Deus vendicare sibi affectus nostros, ne diffluant, se in scopum amoris nostri obiicit, ne in incertum affectuum nostrorum spicula dirigatur.

2. Reg. 1. O vtinam aliquando nobis aptari queat illud de Ionatha effatum! *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum.* Hoc fruemur elogio, si amor noster impetu retrogrado non feratur in res à Deo penitus alienas. O anima incauta, quando plus nimio adhæres rebus infra Deum, sagitta tua redit retrorsum, Deumque sic prouocat ad vindictam. Vt namque clauus incuruus apponitur incudi; & validè malleo percutitur, quo omne obliquum possit exuere; ita affectus hominum à Deo deuius eos malleo subiicit, vt congruum rectitudinem assequantur.

Ex Symbolis. Ægid. Sad. l. iconum symb. Hoc itaque nobis esto symbolum, cuius meminit Ægydius, dicens Olympiam Vrsinam fœminam stemmate satam prænobili, pinxisse duas manus implexas, vnde flamma erumpebat sursum vecta, hoc titulo. DEORSVM NVNQVAM. Ignis deorsum inclinans est inquies: ita & amor, qui hominem inflectit ad hæc ima, est omnino quietis impatiens, vtpote animum versans in varia. Etenim cùm amoris obiectum sit summum bonum, inquies erit amor omnis alibi occupatus, quia sunt alia bona omnia decurtata. Itaque dirigatur sursum amor & DEORSVM NVNQVAM, ne suo pondere amor mundi ad inferna nos deponat.

Ex SS. Patribus. Bern. ser. 9. in Cœna Domini. Amoris Dei, & amoris mundi antitheses egregiè descriptæ. Audiendus est Bernardus in eo argumento. Sic ille: *Si amor mundi habitat, non est quò intret amor Dei. Amor Dei hominem reuocat à mundo, & amor mundi hominem à Deo. Vnus deijcit, alius extollit: vnus suum possessorem deijcit in infernum, alius subleuat, & transmittit in cœlum. Amor mundi totum mundum quærit, & nunquam satiatur. Imò cùm plus habet, plus cupit semper habere. Amor Dei vnum cupit semper habere solum, illo contentus est, nil aliud iam possidere peroptat. Amor Dei nihil aliud quærit nisi solum Deum. Valde nobilis est amor iste, omne pulchrum dedignatur amare, præter inuiolatæ pulchritudinis florem, illum scilicet, qui dicit: Ego sum flos campi, & lilium conuallium. Omnia quæ sunt, quæ Christi non sunt, non solùm non quærit, sed etiam tanquam stercora putrida abdicat, & subsannat. Cuncta spernit, cuncta despicit, omnia sibi vilescunt, quia ei solus Christus dulcescit. O amor! ô beate amor! qui te habent, beati sunt; nimis est beatus, cuius est tantùm dilectio Christus.*

Nota in pictura symboli, duas manus adiici flammis in sublime vergentibus: amor enim feruidus opere comprobatur. Et hoc idem Bernardus adstruit, dicens fore obnoxios plagis & flagellis illos, qui amorem ore sonant, sed nullo exemplo sua dicta stabiliunt. Sic ille: *In hoc cognoscitur amor Christi, si quis seruat præcepta Christi. Vnde sequitur: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui habet in memoria, & seruat in vita: qui habet faciendo, & seruat perseuerando: vel qui habet in sermonibus, & seruat in moribus: vel habet erudiendo, & seruat faciendo, ille est, qui diligit me. Multi sunt enim qui Domini mandata habent, & la minimè tenent. Multi habent in libro, sed ea non tenent in animo: multi in voce, sed non in opere: multi in memoria, sed non in vita: multi in verbo: sed non in exemplo. Illi profectò non sunt de dilectoribus Christi. Isti inquam, plagis vapulabunt multis. Illis erit fletus, & stridor dentium, ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars pœnæ eorum, cum diabolo, & Angelis eius.*

Amor Dei vnde cognoscatur. Bernard. vbi suprà.

Mandatorũ Dei obseruatio est amoris Dei index.

Igitur hoc vnum animo insideat, vt sagittæ Dei intra nos sint, amoris eius spicula configant cor nostrum, & ne inanis amor colligat inertiam, sedulò satagendum est, vt virtutibus eluceat. Ea omnibus tessera salutis indicitur, quam Ionathas Dauidi constituit, ita fatus: *Sedebis iuxta lapidem, cui nomen Ezel. Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque puerum dicens ei: vade & affer mihi sagittas. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas, tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil mali, viuit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt, vade in pace, dimisit te Dominus.* 1. Reg. 20. Habet Deus tres sagittas, quas emittit in sedentes ad lapidem, videlicet pestem, famem, & bellum, quibus traiicit homines in offensionis lapide commorantes. Si hæ sagittæ intra nos sunt, pacata sunt omnia; sunt autem intra nos hæc spicula, si hianti corde, & spirante amorem, suscipimus ictus Domini castigantis. Intra nos sunt sagittæ Dei, quando amori amorem rependimus. Extra nos sunt, quando instar lapidis obduri, hæc spicula retunduntur obstinatione nostra. Vt igitur intra nos sint æmulemur indolem Mediolanensium, qui audientes Maximum Tyrannum properare Mediolanum, vt omnia susque deque verteret, igne & ferro in obuios quosque sæuiendo, sicut & alibi reliquerat notas sui animi truculenti. Primò hoc tumore attoniti ciues præcipitem cogitarunt fugam, vt sic sibi consulerent, Deo tamen inconsulto. Præsul eorum Ambrosius occasionem nactus disserendi de sagittis iustitiæ Dei sæuientis, eos monuit de Deo consulendo, affirmans Deum eo tantùm intento ferire, vt ad meliorem frugem prouocet errabundos. Sic ille Sanctus secretorum Dei conscius intonuit. *Ciuitati non nisi propter ciuium peccata infertur excidium: desine ergo peccare, & ciuitas non peribit. Quid fugis patriam? si vis saluus esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, victus est inimicus.*

Ex Historia. Baron. Annal. tom. 4. sub ann. 387.

Ambros. 85. Peccata ciuitatum excidium pariũt.

Hoc sermone populus cautior effectus sagittas vindices in spicula amoris vertit. Eodem spiritu afflata Ecclesia, Sebastiani sagittas vsurpat, quando lues serpit in populo, vt ad æmulationem eius, amor noster spiculis excitetur. FAXIT DEVS.

Consule primum tomum, & decurre tres vltimas sectiones Euangelij de Natiuitate Christi, inde comparabis quidquid pertinet ad statutum Pontificum.



HOMILIA
DE S. MARTINO PONTIFICE.

SVMMA HOMILIÆ.

I. MArtinus futurus aliquando Episcopus, chlamydem exuit, quam pauperi nudo erogauit. Ea etiam debent esse Præsulis exordia; debet enim primò semetipsum exuere Antistes, & propria commoda obliuisci, vt ostendo priori parte Homiliæ.

II. Se exuto debet Episcopus induere pallium charitatis, quo suos omnes subditos operiat, & inuoluat. Hoc expendo altera parte Homiliæ.

PRÆFATIO.

Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Cantic. 5.

PRIMA *rudimenta pietatis sponsa Canticorum fuere, depositio pallij, ad quam ferè inuitam coegere illam vigiles, qui excubabant ad muros Ierusalem. Deposito autem hoc pallio, confestim amore incanduit, illud identidem insonans.* Nuntiate dilecto, quia amore langueo. *Eadem fuere exordia sanctitatis, quæ refulsit in Martino. Ille primò mediam partem chlamydis exuit, qua pauperem texit, deinde in amore prouectior, totus eo igne postea conflagrauit. Iisdem omnino auspicijs Regis Regum militiæ dedere nomen suum Sancti omnes. Quippe exuuias sæculi abiecere, priusquam amplioris gratiæ illapsum exciperent. Etenim non coeunt noxius sæculi amor, & Dei amor innoxius. Itaque quisquis ambit infulas sponsæ Dei, ille dissoluat fibulam, qua pallium mundi nectit, vt expeditiore nisu sequatur eum, cuius amore languens, ab eo demum accipiet, quo occurrat nuditati suæ. Etenim qui deponit veterem hominem, ille induit Dominum Iesum Christum, sic ei deperit illud, quo erat filius carnis, & acquirit vnde sit filius Mariæ, quam veneramur orantes.* Aue Maria.

RVdioribus addiscentibus prima elementa litterarum, dantur initio maiusculi characteres, vt species eorum facilius inusta menti ingerat litterarum notitiam. Ea cautela Deus erudiuit homines Hebræos effectos iniquiores Ægypti incolatu. Leges indixit quæ cortice suo medullam multam recondebant. In his hæc occurrit apposité faciens ad festiuitatem hodiernam. Deus holocausti ritum instituit hoc contextu. *Detracta pelle bestiæ, artus in frusta concident; & subijcient in altari ignem.* Hostia exuta pelle sua, notat esse deponendum veterem hominem, antequam concipiamus ignem amoris. Martinus adhuc catechumenus pallium non exuit totum, sed scidit in duas partes; hi namque, qui rudioribus auspiciis initiantur sacris fidei nostræ mysteriis, non exuunt statim veterem hominem, sed paulatim inolitos mores iniquos abiurant. Sed vbi Martinus sacro baptismate tinctus, vberioris gratiæ influxum sensit, cingulum militiæ deposuit, & adhæsit Hilario Pontifici, quo Doctore tantùm profecit, vt electus sit in Præsulem Ecclesiæ Turonensis, quam tanta charitate rexit, vt supremo in agone positus; haudquaquam immemor amoris sui in gregem, consenserit abstinere aliquandiu adhuc à gaudiis Paradisi, vt saluti animarum incumberet. En Synopsim optimi Pontificis in hoc Præsule decurtatam. Primò pallium exuit. Pontifex primò se suáque omnia commoda debet obliuisci. Secundò induit charitatem, pallium operiens multitudinem peccatorum.

Leuit. 1. Pellis hostiæ detrahenda.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Pontifex debet obliuisci propria commoda, vt meliùs incumbat saluti aliorum.

CHristi eloquium est, nullas ferens instantias, abnegationem sui esse veluti præludium ad ineundum vitæ sanctioris institutum *Si quis vult venire post me, abneget semetipsũ* Ergo cùm Præsulum status sit aliis sanctior, maximè ad eos pertinet abnegare semetipsos, atque adeò obliuisci propria illa commoda, quæ aliorum dispendio conquiruntur. Quid autem sit abnegare semetipsum, disce ex voce quæ negationem sonat. Abnegat seipsum homo, quando negat se esse quod est. Sed omne quod est actu, tale est à forma; nam materia seorsim sumpta non est actu. Duplex autem in homine inuenitur forma, si attendatur homo in esse morali. Vna eum sursum euehens, & ea est ratio. Alia deorsum inclinans, & hæc est appetitus sensitiuus. Quòd ratio in Deum efferatur vt vltimum finem, quo beari debet homo in gloria, non est humanum negotium, sed Diuinum: quòd verò appetitus hominẽ inflectat ad ea quæ carnis sunt, homo hoc fecit. Vbi enim Dei incurius Adam mulieri adhæsit, præualuit caro, & suasione sua hominem carnalem effecit. Tales namque sumus, qualia sunt quæ volumus; velle enim appetere est; appetitus autem naturam consequitur. Vt bestiarum appetitus est sensitiuus tantùm, quia illæ totæ ex sensibus pendent.

Matth. 16.

Ex Philosophia. Arist. lib. 8. Metaph. c. 5. text. 10. Episcoporũ est abnegare se.

Appetitus

Appetitus verò Angelorum est intellectualis, quia sunt substantiæ intellectuales.

Vt in physicis formæ suis actibus innotescunt, vt ignis comburendo; ita & in moralibus actiones hominem produnt, an spiritalis sit, aut carnalis. Cùm ergo ait Christus, hominem debere auspicari conuersionem suam ab abnegatione sui, hoc intendit, vt homo proposito irreuocabili statuat negare omnia quæ suggeret appetitus, contraria rationi; ita vt qui carnalis homo fuerit hactenus, appetendo carnalia, quasi spiritualis fiat, priscis exuuiis penitus abdicatis. Vbi autem homo deleuerit quod erat à seipso, Deus quod suum est efficiet, impertiendo homini vnde fiat nouus homo; is scilicet, quem Deus prima editione formauerat. Totus hic discursus habet Apostolum assertorem sic monentem: *Deponite secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

Conuersionis initium vnde esse debet.

Ephes. 4.

Paulus statum seu formam veteris hominis astruit ex actibus, scilicet ex desideriis erroris; appetitu enim sensitiuo hominem deducente ad carnalia, aberrauit homo, & carnalis effectus, passus est sicut & alia omnia carnalia corruptelam. Iniquus ille habitus dicitur vetus homo, quia homo senuit in ea carnis & animæ discordia. Alius verò status hominis dicitur nouus, & secundùm Deum creatus, quia nunquam senescit, vtpote faciens hominem ad imaginem Dei: sed Deus non senescit; est enim æternus: & æternitas est tota simul, nulli obnoxia deliquio. Ergo anima spiritualis effecta ministerio gratiæ, quæ nos similes Deo facit, erit senij expers, & perpetuæ conscia nouitatis.

Ex Theologia. Th. 1. 2. q. 110. art. 1.

Qui præfatam sectatus est abnegationem sui, ille ad propria commoda non anhelat anxius, si tantisper aberrant ab incundo tramite rationis; deuiant autē ab eo rectitudinis scopo hæc commoda, si sint iniuria aliis, obstando ne præstetur eis quod ex officio incumbit. In eo sensu homo qui obligatur alios erudire, & deest huic officio alicuius lucri gratiâ, ille non se abnegauit, sed consensit appetitui sensitiuo suadenti commodum singulare, & carnale, ratione frustra reclamante, alios pati detrimentum. Si ad omnes fideles pertinet illa abnegatio, veluti præuia ad institutum Christi; reuera Præsules cæteris hominibus arctius obligantur ad hanc abnegationem sui, quæ est veluti quid genericum pertinens ad omnes discipulos Christi. Nam ex Philosophia, quò aliqua species nobilior est, potiori etiam modo participat genus. Verbi gratia, vermis, leo, homo, rationem genericam animalis vendicant sibi, sed præstantiori modo est animalitas in leone, quàm in verme, & rursus homo leoni præit in ratione illa generica: est enim homo animal rationale, & specifica differentia non distinguitur realiter in indiuiduis, vt in homine rationalitas, etsi formaliter sit quidpiam distinctum ab animalitate, non tamen est quid realiter distinctum, atque ita ratio generica animalis in homine eminet. Ita fidelium est abnegatio sui: Ergo nobiliori modo debet esse in eis, qui præstantiori modo fideles sunt: Sed Præsules aliis præeunt vt Magistri & Pastores: ergo quàm maximè debent abnegare semetipsos, & propria commoda obliuisci, vt nobiliori etiam viuendi modo vacent. Et hoc Martinus

Abnegatio sui quare prælatos præcipuè respiciat.

Ex Philosophia. Thom. tom. 8. opu. quodlibet. q. 2. 1. de bono art. 1.

Tom. II.

plenè effecit; non exuendo chlamydem, quam pauperi erogauit, sed abdicata militia sæculi, vt Christo se totum oppidò consecraret.

Præsulis est primum attendere sibi, & refrænare proprios appetitus cum deuiant, & ea cautela præuia aliorum regimini poterit incumbere. Hoc ait Apostolus hoc contextu: *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Non debet esse extemporanea sanctitas Episcopi eligendi, sed probata præuiis argumentis: nemo namque derepente fit summus, nec ad abnegationem sui in momento deuenitur. Quippe vbi omne agens obicem reperit, longiores etiam nectit in agendo moras, vt videre est in ligno viridi, circa quod ignis tardius occupatur: Ast renitente appetitû sensitiuo fit anima sanctior: Ergo ad præfecturam animarum sunt euehendi illi tantùm, qui virtutis omnimodæ specimina prius ediderunt. Audi Hieronymum. *Primum itaque sine crimine iubetur esse Episcopus, quod alio verbo Timotheum irreprehensibilem nominatum puto: non quod eo tantum tempore, quo ordinandus est, sit sine vllo crimine, & præteritas maculas noua conuersatione diluerit: sed quòd ex eo tempore, quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit? Aut qua libertate peccantem corripere potest, cùm tacitus ipse sibi respondeat, eadem se commisisse quæ corripit?*

1. Tim. 3.

Episcopi qualitates quænam esse debent.

Ex SS. Patribus. Hieron. in epist. ad Tit.

Hinc Iure Canonico arcentur neophyti à præfectura animarum, vt qui non solida virtute decocti sordes suas omnino repurgare potuerunt. Ecce Canon. *Quoniam multa siue per necessitatem, siue ex quacumque causa contra regulam gesta sunt, ita vt homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel instructi statim ad spiritualem baptismum venissent, & continuò, cum baptizati etiam ad Episcopatum, vel Presbyterium prouecti sunt: rectè igitur visum est de cætero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, vt sit catechumenus, & post baptismum multa probatione indiget.* Omnem detersisse debet sæculi humorem, is cui committenda salus est aliorum, & operæpretium est, eum gradatim ascendere virtutum scalas, qui in apicem alicuius Ecclesiæ euehendus est. Sic Canon. *Ordinatè ergo ad ordines accedendum est. Nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Scimus autem, quod ædificati parietes, non prius tignorum pondus accipiunt, nisi à nouitatis suæ humore siccentur: ne si ante pondera quàm solidentur accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant.*

Ex Iure Canonic. Ca. Quoniam dist. 48. Episcopus nemo fiat statim post baptismum. Can. Sicut. ordinatè dist. 48. Ordinis Sacramentum quo ritu suscipiendum.

Quàm arduo conamine eniti debeant ad virtutes, hi qui ad curam animarum sunt à Deo præstituti, Iure etiam Cæsareo compertum est, quo Imperatores Arcadius & Honorius sic cauerunt. *Honoris argumentum, non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire.* Labor autem maximè congruus Episcopatui, est is, quo vetus homo deponitur, ille scilicet qui Deo postposito, sensuum tantùm commodo mancipatur. Sibi autem & sensibus studere potius quàm publico aliorum bono, nefas est homini, penes quem est cæterorum cura. Vnde qui in infulis Antistitum gloriæ culmen petunt, & non excubias, quibus inuigilent gregi, eo solo arcendi sunt, vt impares illi officio iuxta edictum Impera-

Ex Iure Ciuili. Lege Contra. Codice de re militari. Episcopus vt quis eligatur qualis esse debet ex iure Cæsareo.

Leg. si quemquam Cod. de Episcop.

torum Leonis, & Anthemij. *Castus, & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocũque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.*

EX HISTORIA. *Seuerus dial. lib. 2. c. 6.*

Dignus itaque Præsulum infulis Martinus refuga honorum, quem non inuitum modò Turonenses, sed iam sibi fugâ consulentem tenuere coactum. Ast vbi ei cælitus innotuit, esse subeundum iugum impositum, sui immemor statim procurare cœpit ea quæ spectabant incolumitatem gregis sui, suo etiam dispendio; nam licet Valentiniani I. Imperatoris vxor Ariana, iniquum eum faceret in Præsules orthodoxos, Martinus eum adiit, sed semel & iterum passus repulsam ille Antistes, cilicio, cinere, & inedia se accinxit ad demerendos Principis obtutus, durè ab eo exceptus, eius tamen animum inflexit. Cùm autem abeunti magnam vim auri porrigeret Imperator; Præsul ille qui se totum exuerat, noluit induere auri affectum. Sed quomodo factus Episcopus alienis opibus inhiasset homo, qui ex ephebis superiorem auro sese præstiterat? Cùm enim Iulianus fidei desertor impius coacto exercitu donatiuum militibus erogaret; Martinus euocatus, vt appensum sibi aurum acciperet, floccipendit, sic compellans Principem Deo infidelem: *Hactenus militaui tibi; patere vt nunc militem Deo: donatiuum tuum militaturus accipiat; Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet.* Hæc Seuerus.

S. Martinus auri cõtemptor.

Miles Christi non militat mundo. *Seuerus in vita Mart. cap. 3.*

Abdicato sæculi obsequio totum se contulit ad animæ repurgium, Hilario auctore & magistro monasticam vitam agens, in cuius instituto depositis exuuiis infidæ carnis, effectus est is, quem ius vtrumque postulat ad homines euehendos in apicem præfecturæ animarum. Miles in sæculo Martinus exuerat chlamydem; sed postea factus athleta Christi, seipsum exuit, sic se aptans ad ducatum animarum, quæ præfectum petunt à propriis commodis alienum; ipsa etiam natura erudiente nos, ea quæ de aliis iudicant, nihil eorum sibi debere recondere, vt videre est in oculis, aliisque organis sensuum. Oculi etsi iudicent de obuiis quibusque coloribus, nullius tamen coloris sunt, etsi auris discernat sonos; non illa resonat tamen: quòd si color quispiam inhæret oculis, aut insonat aliquid auribus, illud omne noxium est, & ægram potentiam arguit. Ita & Pontifices aliis præpositi nihil in proprios vsus reseruare debent, eorum quæ pertractant, alioquin id vitium in homine clamat, abutente opibus Ecclesiæ, quibus ad modicos vsus licet vti, sed non ad pompam aut epulas, ne Pontifex nimiùm carni suæ consulens, consultor sit pessimus animarum. Hæ nimirum saginantur inediâ Præsulis, pascuntur exemplis, & ad sequenda Christi vestigia, non tam verbis præconum Dei, quàm Præsulum moribus inuitantur.

EX RE MEDICA *Fernel. lib. 1. Physiol. c. 9.*

EX IVRE CANONICO. *Can. Ecclesiæ dist. 35.*

Vtinam crebrò diuerberaret aures cleri iste Canon. *Ecclesiæ Principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, quòd eijciẽdi sunt de spatiosis domibus, lautisque conuiuiis, & multo labore epulis conquisitis. Annon confusio & ignominia est, Iesum crucifixum, pauperem, & esurientem, fartis prædicare corporibus: & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed etiam conuersationem, & abstinentiam.* Plerique hodie conscij sunt noxæ, quam contraxit Acham reseruando sibi aliquid de his, quæ Deus igni deuouerat. Sic ille nequam in supremo agone suum crimen confessus est. *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli.* Nota mysterium. Pallium coccineum erat valde bonum, eo pallio inuoluit argentum & aurum: hactenus Acham innoxius. Sed vnde ergo crimen emersit? *Concupiscens abstuli.* In amorem concupiscentiæ irrepsit argumentum mortis.

Episcopi debent fugere delicias.

Iosue 7.

EX HISTORIA. *Ex vita S. Caroli.*

Episcopi quales esse debeãt, ostẽdere S. Carolus, & Marcellus II. Papa.

Beatus Carolus Borromæus conquisiuit opes; sed non amore concupiscentiæ. Dicitur amor concupiscentiæ ille affectus, quo quis aliud diligit, quia inde aliquod commodum refert. Non sic opes Beatus hic adamauit, sed vt hominum inopum occurreret egestati. Plerique ex clero accumulant opes, ementita specie pietatis, vt cùm affirmant has omnes gazas parari egenis, & necesse esse Antistité non egere, ne fiat iniuria dignitati. Si erogant consanguineis suis census Ecclesiæ, aiunt charitatem suggerere ordinem naturæ in eroganda stipe. Item esse eleemosynæ genus, dare suis affinibus, vnde honorificè viuant in ea sorte, quam nacti sunt. Illi omnes prætextus sunt pallia coccinea bona valde, sed inuoluunt opes amore concupiscentiæ, noxias & lethales. Quot Præsules in supremo illo spiritu erubescent amicti ea chlamyde coccinea, Deo sæuiente in eos acrius, quàm Iosue in Acham, qui fortè luit corpore tantùm tenus anima repurgata. Sed nundinatores opum Ecclesiæ, sacrilega sua commercia perpetuis ignibus expiabunt.

Victorellus in Marcell. II.

Sanctiùs sanè sibi cauit Marcellus II. qui creatus Summus Pontifex noluit videre duos ex fratre suo nepotes; & cùm rogaretur an vellet fas esse nepotibus suis venire in palatium, ille asperior eo quæsito effectus ait: Quid illis, & palatio? An creditis Pontificis ædes esse meorum nepotum census? Faxit Deus vt plures Marcelli emergant, suis exemplis altertiùs acta ardua reuocantes.

Adeò lethalis est pallij coccinei amictus ille recondens aurum, tam ingens facessunt animæ negotium illæ rationes, quas prætexunt plerique, qui dispergunt opes Ecclesiæ, vt plures ideo credam damnari, quàm ob alia facinora. Ratio hæc est. Ea peccata facilius diluuntur, quorum est contritio frequentior, sed nulla est contritio concessarum opum Ecclesiæ propinquis carnalibus, quia eorum tantùm est contritio, quorum credimus inuri aliquam notam infamiæ. Sed nemo est qui credat esse turpe, aut iniquum erogare suis affinibus partem suorum redituum, imò omnes affingunt illi actioni titulum charitatis, atque ita aurum illud deuotum pauperibus, Ecclesiastici incauti inuoluunt pallio coccineo, quod cùm honorificum credant, non exuunt; eamobrem eo amictu malè defunguntur, vtpote non confessi crimen, quod credidere affectum legitimum, eòdemque dignum: quodque omnem spem adimit cautioris animi; non est qui declamet in homines miserè dementatos. O insaniam pereuntium hominum, cum pallio illo coccineo! O vecordiam sacerdotum,

sacerdotum, qui sunt eis à confessionibus! gladius scelerum omnium vindex non eos præteribit impunè, si non errorem hunc detergant, notúmque faciant hoc discrimen, quod incurrunt omnes, qui gazas Ecclesiæ transferunt ad profanos, cùm pertineat ad pauperes, & ad eos qui suam nauant operam egregiè obsequio Ecclesiæ. Prætextus alij omnes sunt censuræ obnoxij, & inuolucris suis præpediunt & sacerdotem, & hominem pœnitentem.

Pars Secvnda Homiliæ.

Pontificem, qui se exuit, debere induere affectum animarum, quibus præfectus est.

Ex Philosophia. *Porphyrius lib. quinque vocum.*

HOmo considerari potest, vt quid absolutum, & tunc est quid totum; aut vt quidpiam relatiuum, & tunc est pars istius vniuersi, & membrum totius Ecclesiæ, in qua nihil omnino vacat. Pauperes aliique omnes infimæ sortis homines, pedes agunt, ideoque debent aliis vtpote suis superioribus reuerentiam exhibere. Pontifices, principes agunt partes, atque ita debent aliis prouidere. Nam vt res se habet ad esse, ita & se habet ad operari; at Pontificum status est quoddam esse vniuersale: ergo & tale debet esse genus agendi, vt se etiam porrigat ad multos. Nota, Philosophiam dicere vniuersale, esse quid abstractum à pluribus mediante intellectu, qui naturam omni singularitate exuit, vt pluribus tota affingi queat. Vnde patet, vniuersale vt sic habere esse tantùm spiritale, vtpote situm in intellectu, cuius est res intellectas assimilare sibi.

Intellectus est speculatiuus, & practicus.

Genuinam habes hoc discursu ideam Antistitis. Status illius est vniuersalis, quia plures sub se concludit homines. Ergo debet ille homo vniuersalis abstrahi à pluribus, vtpote nescius materiæ, & habere spiritualem viuendi ritum, eum vtique qui penes operationem intellectus attenditur. Duplex est autem intellectus, vnus est speculatiuus, cui solus rerum intuitus sufficit. Alius est practicus, qui agenda decernit. Et hic nobilior longè est altero, quia speculationi adiicit praxim. Cùm ergo status vniuersalis Prælatorum sit nobilissimus, & spiritalis, ad eos etiam pertinet ille intelligendi modus potior, scilicet practicus, qui facienda decernit & affectum mouet. Sicque vide quàm benè cohæreant præfata priori parte istius homiliæ, & dicenda hac secunda.

Dixi Præsulem debere exuere singularia sua commoda, & hoc insinuat illa professio vniuersalis, quam agit Antistites; vniuersale autem abstrahit à singularibus, & est quid intellectuale. Et quia hic status est perfectionis, debet dirigi ad praxim; actio namque est vltima cuiusque rei perfectio. Praxis autem illa Præsulum est prouidere bona fidelium coram Deo & hominibus: Sed has nequeunt obire vices, nisi induant affectum gregis sui: Ergo Pontifex singulari & noxio amore deposito, debet assumere pallium charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum.

Episcoporũ praxis qualis esse debet.

Hebr. 5. Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 58. art. 6.*

Hæc omnia conclusit Paulus isto breuiloquio. *Omnis namque Pontifex ex omnibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.* Ne autem Episcopi assumptionem quispiam crederet esse abstractionem speculatiuam tantùm, adiecit & praxim dicens, constitui pro hominibus, in his quæ sunt ad Deum. Hoc autem charitatem sonat, quæ ab alio amore sincero, in hoc dispescitur, quòd amor amicitiæ vult bonum alicui, illius tantùm causa; bonum inquam consonum naturæ illius, absque tamen vllo intuitu gloriæ æternæ: Sed charitas omnes suos actus exerit in ordine ad Deum, vt vltimum bonum, cuius fruitione anima aliquando beari debet: Non est ergo Pontificis amare subditos eo amore, quo pater deperit filios suos; ille enim affectus non præterit naturæ fines.

Pontificis amor debet assurgere in Deum: vt qui *pro omnibus constituitur, in iis quæ sunt ad Deum.* Etsi quandoque eleemosynis prouideat corpori egeno; potior tamen debet ei esse animarum cura, eis gloriam Dei procurando. Ratio Theologica hæc est. Singulis quibusque sacramentis peculiaris gratia inest, hominem afficiens in ordine ad gloriam, modo qui signo sensibili lineatur. Vt quando in Baptismo alluitur corpus, anima repurgatur, fitque digna cœlo. Ita quando Episcopus consecratur in patrem suæ Ecclesiæ, Deus ei inurit gratiam, qua filios suos spiritales amet; at gratia est superioris ordinis, animam Deo deuinciens: ergo & ille amor, qui Prælatis ex officio congruit, debet esse eiusdem rationis cuius est gratia.

Specimen egregium amoris huius edidit Martinus, qui animam agens, & ferè consors Angelorum in gloria, Deum est sic affatus: *Domine si populo tuo adhuc sum necessarius, non recuso laborem.* Eodem amore populum deperiit, quo & gloriam. Namque vt gloria, quæ instabat, erat Dei; ita & populus, cui præerat, erat populus Dei: sicque Deum vtrobique amabat; siquidem actiones specificantur à fine: igitur cùm Dei causâ Martinus, & gloriam, & populum Dei amauerit, non fuit diffisus ille amor, sed omnino vnus. Debere Episcopos eo amore flagrare, potest astrui hoc Canone. *Qui Episcopatũ desiderat bonũ opus desiderat. Exponere voluit, quid sit Episcopatus; quia nomen est operis, non honoris. Græcũ est enim atque inde ductum vocabulũ, quòd ille qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curã eorũ scilicet gerens. ὑπὶ quippe super, σκοπὸς verò intentio est. Ergo Episcopos, si velimus, Latinè superintendentes possumus dicere: vt intelligat, non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, nõ prodesse.*

Ex vita S. Martini.

Ex Ivre Canonic. *Qui' Episcoporum 8. q. 1.*

Episcopus nomen est operis non honoris.

Sic arguo, & probo, Episcopos debere induere affectum animarum, Episcopus nomen est boni operis: ergo & amoris, quia nullum est bonum opus, nisi amoris. Non est enim bonum opus, nisi quia voluntas inclinatur in bonum: ipsa autem voluntatis inclinatio in bonum, est amor. Rursus vt bonum sit opus, debet voluntas propendere in obiectum conueniens; eatenus enim res est bona, quatenus conuenit: sed salus animarum procuranda, est quid maximè conueniens Episcopo, atque ita summè participat rationem boni: ergo vt Episcopus bonus sit, debet insudare bono huic imposito, scilicet saluti animarum: sed salutem animarum curare charitas est: Ergo & Episcopus, nomen est charitatis.

Ex philosophia. *Arist. lib. 1. Ethic.*

Episcopus nomen est amoris.

Præterea amor notitiam consequitur; qualis igitur erit notitia, & inardescet amor. Sed Episcopus est superintendens, id est, superintelligens: igitur erit superamans, amore scilicet superante affectum naturalem. Ideo Augustinus vocat

Episcopatus est necessitas charitatis.

Ex SS.Patribus. *Aug. lib. 19 de ciuitate Dei cap. 19.*

vocat Episcopatum necessitatem charitatis; quin sicut actio formam consequitur, ita & charitas præfecturam animarum. Sic ille: *Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimatur ista necessitas.* Hæc ille, vbi fusè disseruit de Episcopatu. Vt autem amoris est velle bonum, quantò nobilior erit amor, tantò etiam præstantius erit bonum volitum. Igitur cùm diuinus sit ille Episcoporum amor, debēt & diuinā velle & procurare suis fidelibus. Item quò potior & præstantior est res, eò etiam amplius se diffundit. Ergo Episcopi, qui in Ecclesia principem locum tenent, debent sese effundere in bonum plurimorum; hæc autem animæ effusio fit per amorem, qui ex Dionysio ecstasim seu extensionem facit eius, qui amat, ad id quod amatur.

Otium sanctum quærit charitas veritatis.

Ex Re Medica. *Fernel. lib. 1. Physiol. c. 9.*

Familiare exemplum natura nostris corporibus inseruit, vbi principes partes, caput, cor, & hepar, totius animalis commodo mancipantur. Ex capite emergunt nerui, & inde permeant totum corpus, ideoque compatitur caput singulis quibusque membris, si ægrotant. Cor scaturigo arteriarum, eas communicat omni etiam corpori, cui earum beneficio calorem suum vitalem impertit. Denique hepar fons perennis sanguinis & origo venarum, quibus vt canalibus alluit totum corpus, non sibi tantùm sed & toti corpori collaborat. Ea partium nobilium indole, Antistites rescire debent ob suauitatem otij, non esse deserendum negotium charitatis.

Principes populorum quales esse debent.

Ex Ivre Civili. *Nouell. 13. c. 1 de Prætoribus.*

Hoc & suaderi potest Iure Ciuili ea lege, qua Imperator præscripsit nomina dignitatum, hoc tenore. *Principes populorum hi sunt, qui quietem eorum defendunt, & quod eis expedit prouident.* Sed Præsules in spiritualibus sunt principes populorum: ergo inuigilare debent quieti animarum, prouidendo, & procurando viros probos, quibus vt ministris idoneis pascant gregem suum. Si secus faxint, & pascant semetipsos immemores gregis, hoc aliquando Dei scommate ferientur. *Facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quòd nō esset pastor: neque enim quæsierūt pastores gregem meum, sed pascebant semetipsos, & greges meos non pascebant. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam, dicit Dominus.*

Ezech 34. Pastoris iniqui descriptio.

Ex SS.Patribus. *Greg hom. 7. in c. 10. Luc.* Epi[s]copos gregis sui incurios acriter carpit Gregorius.

Coaceruare opes ex censu Ecclesiæ, & saburrare ventrem ex annona eius; non erudire gregem verbo & exemplo, hoc est pascere semetipsum & non oues. A populo exigere pensum, & non rependere auxilia idonea saluti animarum, illud est ouium carnibus impinguari. Audi Gregoriū. *Quid nos, ô Pastores, agimus quando mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano recipimus, sed tamen prō æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus cuius damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium viuimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio, vel prædicationis vt dignum est insudamus.* Reuera longè ab hoc discrimine fuit Martinus Episcopus, qui solâ inediâ opimus, noctes insomnes in oratione agebat, solâ inopiâ diues, Deum pro suo grege deprecans, ad misericordiam inclinabat.

Episcopi optimi symbolum.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus pars 1. Theatri symbol.*

Hoc itaque Episcopi symbolum esto illud, quod meminit Ferrus in Theatro suo symbolorum, vbi effingit apem delibantem rorem, quo desudant flores, hoc titulo. Vt prosim. O Antistes, non dees huic officio depascendi flores, & deglubendi pecus, & id vt præsis, non vt prosis. Concedimus vsum legitimum opum Ecclesiæ, dummodo has in mel immutes. Immutabis equidem census Ecclesiæ in mel optimum, dummodo aliis inseruias. Hoc igitur altè insideat tuæ menti, quando exiges debita tibi stipendia. Heu ego nihil illibatum linquo vt repetam reditus annuos assignatos. Vt prosim; & tamen formicarum instar mihi soli accumulo censuræ obnoxius.

Illa etiam apis idea præmonebit Antistitem, siquidem habet zelum iustitiæ vt aculeum, quo feriat delinquentes, debere illum dulcedine mellis illinire, ne virus aliquod vulneri inflicto instillet. Vt enim non debet esse aculeus sine melle; ita nec mel sine punctione, iuxta consilium Gregorij. *Talis debet esse dispensatio regiminis, vt is qui præest ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus arridens timeri debeat, & iratus amari. Miscenda est lenitas seueritati, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa asperitate, exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul, & manna erant.*

Ex SS.Patribus. *Greg. lib. 20. Moral.* Prælatus misceat lenitatem cum seueritate.

Fateor Episcopatum esse operosum negotium, cui impares multos damnari ait Dionysius ille Carthusianus; sed locuples etiam corona manet eos, qui ritè obeunt munus suum. Vtrumque ait Augustinus. *Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.* Ratio hæc est: Nihil est amore Dei beatius: sed verus Episcopus continuo amore Dei flagrat: ergo nihil fœlicius. Si eo amore non æstuat inferi ignibus accendetur; audi Vatem. *Vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ: ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Satagite vt hoc omen Deus auertat. Amen.

Aug. de verbis Domini.

Amos 4.



HOMILIA DE S. AVGVSTINO DOCTORE.

SVMMA HOMILIÆ.

I. CHristo assertore, Doctores sunt sal terræ, vt sal à lumine Solis habet vt concrescat, & condire queat cibos insipidos. Ita Doctores à Deo habent hanc gratiam: doctrina namque Christiana desuper est, ideoque magis illuminat intellectum, quàm aliæ omnes disciplinæ. Et hoc dico prima parte Homiliæ.

II. Secunda verò parte dico, doctrinam Christi, in hoc conuenire cum sale, quia calorem ingerit in animos, qui hoc sale vti par est asperguntur.

PRÆFATIO.

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

Pierius l. 31. Hieroglyph. c. 10.



CVm sincera amicitia intermina sit, appositè eam symbolo salis veteres expresserunt: siquidem sal corpora solidiora facit, & diutissimè conseruat, ideoque hospitibus in more fuit positum apponere sal ante omne obsonium, vt hinc amicitiæ firmitas eniteret. Credo sal fuisse amicitiæ tesseram, quia animi aliunde diuersi, tamen concolores in vnum coalescunt, sicut ex aquis fugacibus sal in vnum quoddam & solidum coit. Vt ergo discerent prisci illi homines non esse violanda iura amicitiæ, hoc vsurpabant adagium. Ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν *ne transgrediaris salem neque mensam. Diuini amoris in homines insigne fuit argumentum, dedisse Doctores, qui sua doctrina condirent, & facerent Deo gratum insipidum hominum genus. Nullum fuit seculum expers hoc amicitiæ Dei signo: cùm enim Dei amor deliquium nesciat, & amare, sit velle bonum, Deus doctrinæ suæ gratiam ab Ecclesia sua non secreuit, sed vbertim potiùs impertiuit. Etsi plerique Doctores egregiam in hac alea nauarint operam, tamen inter omnes præcipuè Augustinus emicuit, cuius sententiis etiam velut sale aspersa aliorum dogmata condiuntur. Quantùm possit disciplina Christiana in eo ostendit Deus, siue spectes conuersionem eius à sæculo, siue libros, quibus innumeros propè homines deuinxit Christo & Mariæ, & cui nos inolitum pendimus obsequium, eam sic affati.* Aue Maria.

Sal est symbolum amicitiæ.

SOle irradiante & influente in aquas salsedine ingratas, sal concrescit multis vsibus idoneum. Ita & in mysticum salem coaluit Augustinus, qui vt alter Ruben sicut aqua effusus in mundi illecebras, illucente Deo sanctior effectus, doctrina sua aliis illuxit & profuit. Esse autem & sali, & doctrinæ Dei pleraque affinia liquet ex ipso Dei effato, sic suos compellantis Apostolos: *Vos estis sal terræ.* Vtque sal habet à lumine Solis vt tale sit; sincera etiam doctrina desuper habet, vt mentes illuminet, & à corruptione vindicet ea quæ aspergit. Habet namque duo quæ coëunt sacra scientia; videlicet lucere, & ardere, ideo

Matth. 5. Sal vnde fiat.

Christus vbi suos discipulos dixit esse sal terræ, adiecit etiam esse lumen mundi: vnde Augustinus hæc ait. *Quomodo superius dixit sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque superius ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus: sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis, & extinguendis putoribus Apostolicum salem Dominus misit in mundum: & hic mundum, non cælum, & terram, sed homines qui sunt in mundo, vel diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apostoli missi sunt.* Ille idem Augustinus obiit omnes egregij Doctoris partes; tot enim faces præfulgidas accendit, quot edidit libros, & quasi parum esset irradiare, rutilus etiam ille fulgor amore Dei exarsit. Lumine suo recreauit multos religionum ordines, qui ex instituto Augustini, non nosse Deum tantùm, sed & amare didicerunt. Eamobrem citra nefas ei aptare licet illud elogium, quod Christus Ioanni affinxit. *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Videamus primò, quomodo sana doctrina illuminet. Secundò expendamus, qua ratione debeat & ardorem inuehere.

Ex SS. PATRIBVS. *Aug. lib. 1. de serm. Dom. in mon. c. 6.* Doctores sunt sal terræ.

Ioan. 5.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Sincera Doctrina homines illuminat.

EAdem vox Græca εἴδω significat scire, & videre; quod etenim corpori est visio, illud idem scientia est animæ. Quas etiam caligo tenebras oculis offundit, easdem & ignorantia affingit menti. Quàm ergo sit rutila & corusca doctrina sacra, mores hominum instituens, audi. Vt se habent oculi ad colores lumine aspersos, ita & se habet intellectus ad veritatem apprehensam; mouetur enim intellectiua potentia à veritate, sicut & appetitiua à bonitate: quemadmodum igitur oculus sanus citra errorem fertur in obiectum suum, idonea luce perfusum, eo etiam pacto fiet anima lucidior, dato & apprehenso obiecto maximè congruo; & quò magis inerit rei cognitæ ratio veritatis, eò amplior & certior erit scientia. Quæ ergo poterit secta contendere cum doctrina Christiana, quæ dum hominem informat, propositionibus vtitur, quæ nusquam variare queunt. Verbi gratiâ, non esse diligendum mundum, nec

Ex PHILOSOPHIA. *Arist. lib. 6. Metaph. com. 8.*

Doctrina Christiana quàm sincera sit.

ea quæ in mundo, fallaces esse diuitias, & æuum quod agimus multiplici discrimini obnoxium, decipere suos amatores; asperos verò virtutum calles ducere ad vitam expertem omnium ærumnarum. Sæculi istius asseclæ alias habent theses, quibus suos sequaces erudiunt ad errorem. Vt voluptates esse amplexandas, & eis indulgendum, afore senium idoneum pœnitentiæ, & precibus recitandis, cùm corpus effœtum libidinis impatiens, luxui vacare non poterit. Nulla planè disciplina æquè animum acuit vt doctrina Christi, quia versatur circa res verissimas.

Veritas quid sit.

Nota, res alio modo se habere ad intellectum Diuinum, & ad hominũ intellectum. Alius enim est practicus, & causa rerum, quas intelligit, atque adeò est mensuratio earum, quæ per ipsum factæ sunt: & hic diuinus intellectus, est mensurans res non mensuratas à rebus. Intellectus hominis est speculatiuus, accipit à rebus species, atque ita res mensurant ipsum, vt ait Aristoteles. Itaque res naturalis inter duos intellectus constituta, secundùm adæquationem ad vtrumque, vera dicitur. Vt namque adæquat intellectum Diuinum est vera, in quantum implet hoc, ad quod est ordinata ab intellectu rerum omnium effectore; siquidem ex Auicenna, *Veritas cuiuslibet rei, est proprietas sui esse, quod stabilitum est rei.* Secundùm autem adæquationem ad intellectum humanum, dicitur res vera, in quantum inurere potest veram æstimationem sui. At secus res est falsa, si videatur alia quàm sit, vt ait Philosophus. Prima autem ratio veritatis, prius inest rei quàm secunda: quia prior est comparatio ad intellectum diuinum, quàm humanum; vnde etiamsi intellectus humanus non esset, adhuc res dicerentur veræ, in ordine ad intellectum Diuinum.

Arist. lib. 10. Metaph. com. 5. Auicenna l. 11. Metaph. c. 2.

Arist. lib. 5. Metaph. com. 34.

Rursus nota, esse obiecta quædam, quæ ita feriunt oculos vt non egeant alio lumine medio, vt patet in igne, qui longè positus aspicitur, aëre tenebris opacato. Iam ex præfatis collige, quantùm aliis omnibus disciplinis emineat doctrina Christiana, cùm ea sit de rebus maximè ad rationem scientiæ pertinentibus. Namque scientia debet esse de rebus veris, seu certis; certitudo autem in eo sita est, vt res alio modo se habere non possit. Nihil autem physicum est, quod alio modo se habere non possit, & præcipuè hoc liquet in rebus, quas mundus suis sequacibus ingerit, vt eos alliciat ad suum obsequium. Verbi gratiâ, cùm florente ætate libidinem suggerit, sub spe longioris æui, nonne homines tunc dementat, insinuans genio indulgere, esse tutamen vitæ atque sanitatis? Quippe illa vegetior ætas, vt plurimum crapula & venere decurtatur. Mundus clamat, opes esse compendium ad vitam vsquequaque beatam; multis tamen aurum ruinæ causa fuit.

Scientia.

Spuria igitur est doctrina, cui mancipia carnis, & mundi asseclæ omnes assuescunt. Fucos facit intellectui Dæmon, quando persuadet vera esse bona quæ obiicit. Nequeunt quippe esse bona illa vera, scilicet diuitiæ, epulæ, voluptates, quibus homo illectus doctrinæ huiusce sæculi vltrò assentitur. Non sunt bona illa vera, in ordine ad intellectum Diuinum, qui hæc non edidit eo fine, vt homo frueretur eis, sed duntaxat vteretur sicuti par est. Nec sunt bona vera comparata ad hominum intellectum: se namque produnt alio modo quàm sint. Ideoque respuenda est illa disciplina, quæ animum sollicitat ad fugaces illas sensuum illecebras assequendas. Suo discrimine cautior effectus Dauid ait: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.*

Psalm. 118.

Longè equidem aliis omnibus præstat doctrina Christiana, occupata veris, quæ alio modo nequeunt se habere. Verbi gratiâ, fieri nequit vt homo Deo gratus, vt sic dispereat. Nullas patitur instantias ista propositio: Homo malè sibi conscius, in lethali noxa defunctus, gehennæ deputatur incendio. Adiice Deum sua dogmata luce quadam perfundere, cuius obsequio etiam homines imperiti, & nescij literarum, citra vllum dubium suum assensum præbent consiliis corpori iniuriis. Nempe in gratiam fidei pueri & puellæ martyrium fortiter obierunt. Plerique etiam hodie dirè excipiunt carnem suam inediâ, vigiliis, egestate, aliisque angustiis, quia Christianum dogma est, corpus quod corrumpitur aggrauare animam. Quis amabò hominem docuit odio habere carnem suam? quo lumine eruditus homo se accinxit ad lanienam sui? Audi quo Doctore irradiante hoc homo præstiterit. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Sic versat hunc locum Augustinus. *Præceptum Domini lucidum sine velamento carnalium obseruationem, illuminans hominis interioris aspectum.*

Mandata Dei quare illuminent.

Psalm. 18.

In aliis suasionibus sæculi, sua etiam caro suggerit argumenta, quibus animum deliniat. Sed Christianum dogma omnes eliminat argutias, vnde caro animæ imponit; nam qui docet Deus, ipse & animum acuit, ne factus obtusior illecebris acquiescat. Audiendus Augustinus. *Deus quando vult docere, prius dat intellectum, sine quo ea quæ ad Diuinam doctrinam pertinent homo non potest discere.* Ideo Psaltes orat. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Pergit Augustinus. *Docet Deus suauitatem, inspirando delectationem charitatis; docet disciplinam, temperando tribulationem; docet scientiam, insinuando cognitionem. Cùm itaque alia sint, quæ ideo discimus vt tantummodo sciamus, alia verò vt faciamus: quando Deus ea docet, sic docet vt ea scienda sciamus, aperiendo veritatem; sic docet vt facienda faciamus, inspirando suauitatem. Neque enim frustra ei dicitur: Doce me vt faciam voluntatem tuam. Sic inquit doce vt faciam, non tantummodo vt sciam.*

Ex SS. Patribus.

August. in Psalm. 18.

Doctrina Christiana cum luce influit in animas.

Idem in Psalm. 118. Psalm. 142.

Doctrina diuina quomodo afficiat animã.

Doctrina diuina operi est annexa.

Adiice, Doctrinam Christianam sic nuncupatam à Christo, qui veritas est, & vita, non posse esse nisi rutilam, luce qua Christus ipse coruscus est. Etenim nihil verum est nisi prima veritate, quia res propriè non sunt veræ quia adæquantur intellectui humano; nam sublato omni intellectu humano, adhuc res essent veræ cõparatæ ad intellectum Diuinum, à quo iugiter influxum accipiunt, ideoque illa prima veritas est regula omnium veritatum. Igitur doctrina Christiana, quæ à Christo effluxit qui veritas est, maximè etiam participabit rationem veritatis, atque adeò lucis, cùm se vtrumque dixerit Christus: *Ego sum veritas: Ego sum lux mundi.* Nonne & eodem titulo dignatus est Doctores, eos sic affatus: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi?* Vt sal Solis lumine concrescit; ita & Doctores multo lumine aspergit Christus, vt aliis affulgeant.

Ex Theologia.

S. Thom. 1. p. q. 16. art. 6.

Doctrina Christiana à Christo dicta quid nos doceat.

Matth. 5.

Expertus est Augustinus hunc luminis influxum, ad aperturam epistolarum Pauli, quæ etsi suaderent arctius vitæ institutum, hominem hunc ab insolito ritu penitus abstraxerunt. Sic ille:

Ex SS. Patribus.

August. lib. 8. conf. c. 12.

ille: *Legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei: Non in comessationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitiis: non in contentione, & æmulatione; sed induimini Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris. Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt.* Ibidem ait Augustinus se hortatum voce cælitus inclamante: Tolle lege, tolle lege. Benè vox desuper intonuit inducens ad ebibenda dogmata Christiana, edita voce equidem promulganda. Ad hoc electus ille, qui se vocem clamantis vbique professus iuxta illud. *Sapientia clamitat in plateis.* Debuit sanè hæc disciplina doceri ab eo, qui erat Verbum caro factum, cuiusque præco fuit vox clamantis. Decuit namque veritatem eo apparatu omnibus aperiri. Eò spectant verba hæc Theophylacti. *Omnes qui sub lege erant submissi, & humiliter sonabant, vtpote qui nondum peruenerant ad tempus Euangelicæ veritatis. Christus autem cum sit veritas ipsa, & annuntiet omnia quæ Patris, clamans est. Ideò Ioannes ait: Ego sum vox Verbi clamantis.*

Doctrinæ Christianæ fructus.

Theophyl. in c. 1. Ioan.

Ioannes Baptista quare dictus vox clamantis.

Vox Christi cur clamans & sonora.

Concinit & Sponsa Canticorum. *Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea.* Vox hæc vtique sonora fuit Christi, vt expendit Abbas scholiastes huius loci. *Quæ talis, qualis Iesu? Nunquid Philosophorum? Nunquid hæreticorum? Num legis? Num Prophetarum? Valida vox eius est, stultam fecit huius mundi sapientiam. Lex, & Prophetæ neminem ad perfectum adduxerunt; vox Iesu consummationis summam complectitur. Vox inquit pulsantis; Pulsat enim, & penetrat efficax instar ancipitis gladij: leniter illabitur, & blandè persuadet, quod nulla potuit alia doctrina obtinere.* Non est peregrina commemoratio validæ huius vocis, in argumento lucis, cùm videamus oculos sopore oppressos, atque ita lumini ademptos ad lucem clamore valido reuocari. In eo ergo sensu illuminat doctrina Christiana, quia influit in animas Deo cælitus intonante. Fauet & missio Spiritus sancti, qui dum afflauit Doctoribus Ecclesiæ in die Pentecostes, præire sibi voluit sonum spiritus vehementis, & postea refulgere ignes, speciem linguæ referentes, in figuram Doctrinæ Christianæ, quam debebant Apostoli omnibus explicare. Ea luce perfusus orbis vniuersus, maxima sui parte fidelis effectus irradiat, vt iam æuo suo iubilabat Clemens Alexandrinus. *Fiunt omnia lux, quæ sopiri non potest, & occasus credit Orienti, aquè illustratus luce fidei ac ipse Oriens.*

Cant. 5. Gillebert. serm. 42. in Cant.

Doctrina Christiana sonora, & corusca.

Clem. Alex. in exhort. ad Gentes.

Vt maris aqua non coalescit in sal, inscia luce Solis; ita & doctrina Christiana non discitur ab homine proprio Marte; sed aliunde comparatur, scilicet à Doctore. Et licet Augustinus suopte ingenio Aristotelis salebrosa dogmata conceperit; vbi tamen de fide actum est, vsus est Ambrosio vt magistro, sæpiusque Hieronymum consuluit, vt dilueret difficiles Scripturæ sacræ nodos. Vtinam hoc aduerterent scioli huiusce sæculi, qui Doctore inconsulto decurrunt Codicem sacrum, & sua deliria credunt esse genuinum sensum Scripturæ sanctioris. Hi sanè haud procul sunt à discrimine hæreseos vtpote non satis altè sentientes de disciplina Christi, eam assequi propriis viribus arbitrantes.

Scriptura sacra qua sit ratione explicanda.

EX HISTORIA.

In hunc infidelis animi scopulum impegit Hierax, vir apprimè doctus, & famosissimus priscis Ecclesiæ temporibus. Ille quia non sapuit ad sobrietatem, desipuit: dum namque Euangelium expendere voluit ad trutinam vnius suæ mentis, nouæ hæresis artifex effectus est. Quippe vt sal perficitur tantùm irradiante Sole; ita & superno lumine decocta solùm fidei dogmata coalescunt.

Epiphan. hæresi 67.

Hierax quare fuit hæreticus.

Eamobrem Hieronymus sugillat insipientiam eorum, qui reserari sibi sperant aditum ad Scripturas sine suffragio magistrorum. Sic ille. *Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri; sola Scriptura ars est, quam sibi omnes passim vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris literis philosophantur.* Non sunt nostræ religionis oracula, sicuti ludibria Gentilium, qui ex occentu, & garritu auium sua præcipua mysteria concinnabant. Hos sic ridet, & arguit Cyrillus Alexandrinus. *A Diis præclari Prophetæ legantur, arguta cornix, perpes accipiter, & cæteræ aues, digneS scilicet talibus. Dij legant Prophetas. Vos felices ac beatos, qui tales Deorum interpretes nacti sitis.* Gentiles habuere sui ritus legatos rationis expertes; sed Deus Apostolos ad nos in tesseram fidei delegauit. Ideoque minimum dogma Christianum præstat altiori Gentium disciplinæ, iuxta illud Canticorum. *Meliora sunt vbera tua vino.* Quod sic aperit Gregorius Nyssenus. *Est lac nutrimentum infantiæ, vinum datur fruendum perfectioribus; sed tamen quod est perfectum in externa sapientia, minus est, quam Diuini verbi infantilis doctrina.*

EX SS. PATRIBVS.

Hieron. ep. ad Paulam.

Scripturam sacram quique volunt ad arbitrium suum interpretari.

Cyril. Alex. l. 6. de seru. & charit.

Prophetæ Gentilium fuerūt aues.

Doctrina Christiana lacti comparata.

Cant. 1.

Greg. Nyss. hom. 1. in Cant.

Ex præfatis liquet, quàm inepta sit curiosa hominum indoles, dum rationis examini vult subdere dogmata Christiana, quæ ad nos altioris luminis obsequio deuenerunt. Vtinam Principes Christiani omnes induerent animos Imperatoris Andronici Comneni, qui vt audiit, Episcopum Euthymium, & Ioannem Cinomonum, viros illustres agitare quæstionem de fide, zelo percitus ait: Parum abest quin vos præcipites in mare demergam, eò proruptos audaciæ vt dubia faceretis oracula fidei Christianæ. Nolebat ille Imperator, vel dubitando quati fundamina Disciplinę Christi. Reges Galliæ Christianissimi quantùm fas fuit æmulati sunt zelum hunc. Nam nequeuntes longè latéque serpentes hæreses extirpare, hoc cauerunt, scilicet ne quis palàm disputare audeat de doctrina Christiana, ea cautione occurrentes dubiis, quæ emergere solent, cùm ad rationis indaginem res etiam certissima reuocatur.

EX HISTORIA.

Hist. Imp. sub ann. 1185.

Doctrina Christiana non est curiosè examinanda.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Doctrinâ Christianâ homines inardescunt.

Lvce meridiana liquet affinitas luminis, & caloris. Ea etiam arguitur ex natura salis, in cuius editione coëunt lux & calor. Quia verò lucis est natura fugax, sal non coruscat, sed iugiter insito sibi feruore calet; vredo namque semper salsedinem comitatur. Hos sortitur effectus doctrina sacra Diuino lumine comparata. Etsi quandoque subobscura videatur; ea tamen excepta

Deum quomodo reprobi oderunt.

Scuti

ſicuti par eſt, ſtatim amore Dei homines incaleſcunt. Nemo etenim Deum odiſſe poteſt, niſi apprehenſum ſub ratione nociui: talis autem apprehenditur Deus ab appetitu ſenſitiuo, qui vt carni immerſus eſt, omnia cenſet mala, & noxia, ſi quandoque carnis illicita tripudia remorantur.

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 50 art. 5.

Verbi gratiâ, caro Deum odit, dum indicit ieiunia, caſtitatem, crucis amplexum, & alia corpori iniuria. Concipit enim Deum caro vt inimicum bono ſuo, bonum autem carnis eſt quidquid illi conuenit, vt ſunt omnes ſenſuum illecebræ. Huic hominum delirio occurrit diſciplina Chriſti, probans noxias eſſe voluptates, & agere in præceps ſuos ſectatores. Hoc dogmate anima cautior effecta agnoſcit Deum eſſe beneficum, arcendo à nobis cuiuſuis illecebræ contagium, ſummumque bonum deprehendit eſſe, vbi malum ſuboluit. Cenſuerat antea, delicias eſſe bonas, ſed vbi affulſit doctrina Chriſti, cupediæ omnes huiuſce ſæculi vt lethale virus animæ noxium auerſatur. Sic ratione nociui à Deo ſublata, diſciplinæ ſanctioris obſequio, eadem doctrina Deum optimum manifeſtat, & ſic maximum ingerit argumentum amoris in eum, quem probat conſuluiſſe nobis quando carnis appetitum compeſcuit.

Amor Dei in homines figuris præoſtenſus.

Dei amorem in nos, & ruinam ſiue interitum carnis, teſtantur ignes, qui emicuere in monte, vnde audita ſunt eloquia ſacra, quibus vetita ſunt opera carnalia, ideo populus ita Moyſem affatus eſt.

Deut. 5.

Quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audiuimus; vt poſſit viuere. Nonne & ignis effulſit in die Pentecoſtes, quando igneæ linguæ inſederunt capiti Doctorum Eccleſiæ? Ita ſanè, & hoc in figuram amoris, quem inurit auditoribus ſuis doctrina Chriſti, qui vt eſt Verbum Patris ſpirans Spiritum ſanctum, id eſt, amorem; eam etiam verbis ſuis vim indidit, vt prædicata homines accenderent.

Hæc ſenſerunt incendia diſcipuli, quorum hoc eſt teſtimonium.

Luc. 24.

Ex Philosophia. Ariſt. lib. 2. Meta. text. 8.

Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Ratio eſt, quia non omnia tantùm directa ſunt in bonum vltimum, ſcilicet Deum; ſed etiam illud appetunt forma ſibi à Deo conſtituta; nihil enim ex Ariſtotele agit, niſi propter finem. Quò autem forma nobilior, eò etiam vegetior eſt in appetitu ſuo; ſed anima rationalis eſt nobiliſſima omnium formarum: ergo in bonum ſibi conſonum quantocyùs effundetur, vbi apprehenſum fuerit tale bonum: Sed bonum maximè congruum homini oſtenditur ei à doctrina Chriſtiana, quæ ſæculi technas aperit & diluit, bona verò ſincera explicat, quibus excitatur affectus, Deo etiam ſpeciali influxu animum percellente. Itaque huic diſciplinæ Chriſti, hoc ſingulare eſt, vt ſuos ſectatores præcipuo amore Dei dignetur. Eamobrem benè ſalis nomine nuncupatur, quia omnem ſæculi humorem noxium detegit, & poſtmodum tergit, à corruptione vindicans diſcipulos Chriſti: ſiquidem amorem Dei inſpirans illa diſciplina, hominem totum ſartum rectumque tenet; non enim anima corrumpitur, niſi deliquid amoris ſacri, in cuius locum irrepit amor noxius ſæculi iſtius, & rerum carnalium, cui ex diametro opponitur doctrina ſacra, quæ etſi ſal dicatur à calido effectu, aliàs etiam aqua dicitur, à puritate quam ingerit.

Scriptura ſacra Paradiſo voluptatis comparata.

Ex SS. Patribus.

In eo ſenſu Rupertus hæc ait: *Sanctam Scripturam conditam nouimus, verè paradiſum voluptatis, verè deliciarum hortum concluſum, fontem ſignatum, cuius emiſſiones paradiſus.* Reuera ſiunt paradiſus animæ, quas alluunt illæ aquæ ſalutares.

Rupert. lib. 2. in Exod. c. 2. Aug. in prologo in Pſal. Scriptura ſacra vt Piſcina ſanans ægros.

Auguſtinus de eadem doctrina ita fatur: *Hac ipſa de cauſa à Spiritu ſancto deſcripta eſt, vt veluti ex communi quodam ſanitatis fonte, nobis ex hac remedia propriis paſſionibus aſſumamus.* Hugo Cardinalis compendioſo nomine concludit beneficia huius aquæ. Sic ille. *Piſcina eſt ſacra Scriptura.* Præierat Hugoni ſanctus Paulinus hoc contextu. *In anima noſtra multi, ſicut in illa ad piſcinam olim medentem porticu, iacent ægri, & debiles, quam ſi adeat Dei verbum, & auaritiæ lepram, & inuidiæ ferruginem, & intemperantiæ cæcitatem, & iracundiæ phreneſim, & luxuriæ paralyſim præcepto medente depellet.* Elimatius adhuc Gregorius. *Quid per fontem niſi ſacra Scriptura deſignatur, quæ ſic aquam ſapientiæ generat, vt & potantes ſemper reficiat, & tamen manare non deſiſtat? Qui benè hortorum eſſe perhibetur, quia illorum ſpecialiter eſt ſacra Scriptura, in quorum mentibus virtutum ſemina oriuntur.* Hæc ille expendens verſum illum Canticorum. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.*

Hug. Card. in Ioan. 5. Paulin. ep. 12. ad Seuer. Gregor. in Cant. c. 4. Cant. 4. Scriptura ſacra fonti hortorum comparata.

Vt eò redeat vnde fluxit oratio, omnia hæc elogia probant, inſeri amorem Chriſti cordibus hominum, dogmate Chriſtiano. Quippe ſublato omni obice, & datis omnibus quæ requirit amor Dei, neceſſe eſt vt anima Dei amore flagret; vnicuique enim rei ſic à natura prouiſum eſt, vt nihil remorante ſuos impetus, feratur in bonum congruum. Ergo cùm Scriptura explicata omnem alium amorem noxium eliminet, & præcipuè carnalem, qui eſt maximus obex charitatis, prætendet hæc doctrina faces, quibus ardeat amor Dei, cuius notitiam præbet animæ, quam carnis illecebra dementarat. Sic Ambroſius commemorat hanc doctrinam. *Fons eſt, vt aquæ ſuperefſluant requirentibus, quo & vniuerſa carnis, vel flagitia diluantur, vel reſtinguantur incendia.* Eamobrem opportunum ſe conſultorem præbet Nilus ille Sanctus. *Meditatione legis mentem colito; extirpat enim malas cogitationes, aſſiduè frequentata.*

Ambroſ. in Pſalm. 45.

Nilus in parœneſi. Scriptura ſacra malas cogitationes eliminat.

Vberem ſanè gratiam hanc ſenſit Auguſtinus, qui vt initiatus eſt ſacris fidei myſteriis, & primoribus veluti labris ebibit latices puros diſciplinæ ſanctæ, pertæſus omnes ſæculi remoras, quibus olim implexus ſe ſuaque omnia ſæculo mancipatat, in alium propè abiit virum factus prodigium ſanctitatis. Sed nota, ſal diffluere, & corrumpi ſi in loco humente remaneat; etenim vt ſibi conſtet amat feruido loco recondi. O vtinam ſaperent hoc viri omnes, quos doctrina ſanctior exornat! Vobis & mihi conſulo, ô Doctores, hortando vt caueamus ab aquis huiuſce ſæculi. *Aquæ multæ populi multi.* Nomine populi intelligo mores vulgi, vitam ſcilicet cupidini ſenſuum obnoxiam, quæ omnia eludit dogmata Chriſtiana. Inanis enim eſt ſcientia, quæ non attingit ſuum obiectum: at obiectum Doctrinæ Chriſtianæ etſi idem ſit ac rerum omnium finiſq; videlicet Deus; tamen hæc doctrina Deum aſpicit vt colendum ab homine. Adiicit hæc ſcientia ſupra Philoſophiam moralem, quæ hominem formar in ordine ad mores vt concordant cum virtute. Nam Chriſtianus adhuc

has

has virtutes satagit Deo consecrare: Philosophus verò his fruitur vt bono factibili, quod est proprio Marte consecutus. Itaque docens ore non opere rudimenta Christiana, ille hæret in limine, profitens se ignarum, quia cum longè à Deo sit reprobis actibus suis, deficit in praxi quæ est de essentia doctrinæ Christi, qui sic fatus est: *Qui docuerit & fecerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

Doctoris vita qualis esse debet.

Ex Mathematica.

Eucl. de ele. Geom. l. 14. propos. 18.

Doctoris manus lucidæ.

Nota, ex Mathematica altitudinem, profunditatem, & latitudinem non dici quid magnum si seorsim assumantur, sed debere has omnes dimensiones coire vt ex his coalescat aliquid magnum vt cubus. Ita etiam sentire fas est de Doctore Christiano, qui de Deo & de humilitate grandia eloquitur. Ille altitudinem & profunditatem refert, sed si brachiis implexis otiatur incurius praxis, latitudo deest illi, ac proinde magnus non vocabitur, sed sciolus nomine decurtato. Itaque Doctor manibus probet quod verbis eloquitur, Deum imitatus, de quo Iob ait: *In manibus abscondit lucem.* Nam opera verbis adiiciunt magnum luminis incrementum.

Iob. 36.

Ex SS. Patribus.

Chrysost. in Psalm 49.

Doctoris mores cum doctrina concordent.

Eò collimant Sancti omnes dum hortantur Doctores ad virtutum praxim. Accipe Chrysostomum. *Habeat vita tua claram vocem, & licet os tuum obstruxeris, vel tubâ clarius personabis. Quid si, cum sis sordidatus, Doctoris sedes conevis inuadere; non solum ex legis doctrinæ nulla tibi facta est accessio, sed etiam quod habes à natura, mancum mutilumque reddidisti.* Aduoca Damianum ita consulentem. *Necesse est, vt clarius per vitæ meritum luceat, qui fœcundæ prædicationis affluentia non abundat.* Consonat & B. Laurentius Iustinianus, hoc tenore. *Res quidem sancta est scientia, si diligendo operatur quod nouit; per se enim non sufficit. Non solum scientiam à Domino poposcit Propheta, sed bonitatem, inquit, & disciplinam, & scientiam doce me.* Nequeo præterire insigne effatum Diadochi Episcopi. *Nihil egentius illa mente, quæ de Deo extra Deum philosophatur.*

Damian. l. 8. ep. 1.

Laur. Iustin. de casto connub. c. 4.

Diador. Episc. l. de perfect. c. 7.

Ex Theologia.

Alex. Alens. in l. 1. Metap.

Cognitio duplex.

Appetitus duplex.

Quomodo autem extra Deum Doctor esse queat, audi. In homine duplex est notitia, cui etiam duplex appetitus subiicitur. Vna est apprehensiua siue sensitiua, quæ citra laborem sua induit obiecta, & validè excitat appetitum ad concupiscendum vel irascendum, & hæc notitia est omnino rationis expers. Alia est cognitio discursiua, seu rationalis, quæ incipit à sensitiua, à qua species emendicat; hęc notitia multo labore acquiritur, speculando, iudicando, inferendo vnum ex altero, denique concludendo. Huic respondet appetitus liber, & sui iuris, scilicet voluntas, penes quam est inclinari vel non, in obiecta, quæ explicat intellectus, fierique potest vt intellectus optimè iudicet & concludat, & voluntas aliò raptatum hominem trahat, victa ab alio appetitu sensitiuo. Ita vt homo doctissimus agat ex iniquo habitu luxuriæ, qua æstuat appetitus sensitiuus, reluctante tamen alio habitu scientiæ, quæ reclamat & suggerit esse nefas præterire obsequium Dei, & obscœnæ carnis libidini mancipari. Esto animus benè de Deo philosophetur, tamen extra Deum est, si voluntas appetitui sensitiuo manus dedit. Nam intellectus hominem non euehit in obiectum suum, alioquin diabolus de Deo cogitans efferretur in Deum. Id amoris est opus, seu voluntatis, quæ amando animam rapit, iuxta illud Augustini. *Amore feror quocunque feror: amor meus pondus meum.* Vt ergo doctrina Christiana frustrata suis effectibus, non sit opprobrio Doctoribus, atque discipulis. Caueant omnes sensuum illecebras, & voluntatem reuocent à fucatis bonis ad sincera. Nam præcipuus cardo disciplinæ Christi vertitur in affectu excitando, qui si amore Dei flagrat, compescit illico omnes importunos ausus appetitus sensitiui. Ideoque ait Dauid. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Quia Doctor amore incanduit, ignita fuere eloquia eius, quibus in discente excitatus amor, eum compulit ad Dei dogmata diligenda.

Psalm. 118.

Si sal vrendi vim amitteret, non esset legitimum sal illud, sed spurium; ita si Doctor non ardeat, & sit amoris expers, indignus est qui hoc Magistri titulo censeatur. At verò fuit Elias ingenuus morum censor, de quo hæc ait Codex sanctus. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis.* Erit autem ignis ille Doctor, qui faciet ea bona quæ aliorum mentibus explicabit. Quippe agens omne volens operatur; quod verò quisque vult, illud amat, atque ita Doctor benè agens amat bonum, & amor ille boni est ignis, cuius incendio conflagrare debet is, qui publicè obit munus Magistri: alioquin temerè vsurpat titulum hunc, & fit huic legi obnoxius. *Vniuersos, qui vsurpantes sibi nomina Magistrorum in publicis magistrationibus, cellulisque collectos vndecunque discipulos circunferre consueuerunt, ab ostentatione vulgari præcipimus amoueri: ita vt si quis eorum post emissos diuinæ sanctionis affatus, quæ prohibemus, atque damnamus, iterum forte tentauerit, non solum eius quam meretur infamiæ notam subeat, verùm etiam pellendum se ex ipsa vbi versatur illicitè vrbe cognoscat.* Ita Imperatores Theodosius, & Valentinianus. Iure autem Canonico sic cautum est. *Nemo rectè monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conuersatione demonstrat.* Ita sanxit Symmachus Papa. Cùm audis amorem innocentiæ, ignem cogita Doctoris operæ scintillantem.

Eccles. 48.

Ex Iure Ciuili.

Leg. Vniuersos. Cod. de Studiis.

Magistri vani carpuntur.

Ex Iure Canonico.

Can. Nemo dist. 81.

Reuera Augustinus ideam absolutam se præstitit eximij Doctoris, qui vbi nomen suum dedit Christo, totus ebulliit amore Dei, pluraque egregia opera fecit, quàm vnquam suis institutis indixerint alij consultores. Eamobrem scitè depingitur ille Sanctus præferens manibus cor ignitum, quia practicus eius amor saliebat in manus, & inde in virtutum praxim feruidus erumpebat. Testes fuere iuges lacrymæ diluentes retroactæ vitæ reliquias. Amoris item fuere indices, opes copiosæ erogatæ in pauperes, & zelus animarum, quibus assiduè vacabat insomnis, & impastus, sola cum necessitate inde reuocante. Suo igne accendit penè Africam totam, varij erroris frigore congelatam. Hoc igitur esto symbolum Doctoris, id scilicet quod prostat in theatro Ferri, qui depingit horologium, hoc titulo. VNA MOVENTVR VARIÆ. Principe enim rota gyrante, aliæ omnes in orbem eunt. Ita si Doctor totus sit teres atque rotundus, & perfectè moueatur ad virtutem, eodem etiam motu suos aget discipulos. Vtque rota calet motu assiduo, ita Doctor & discipuli incalescunt, eos doctrinâ sacrâ ad virtutem cælitus impellente.

Ex Symbolis.

Ioan. Ferrus par. 2. Theatri symb.

Doctoris animus quã debeat esse purus.

Cæterum vt Christianæ religionis institutum postulat

Ex SS. Patribus.

Ambr. lib. 4. hexam. c. 1. postulat in Magistro affectum à rebus veritis abstractum; ita & auditorum petit animos illibatos, ne intenti curis alienis, non capiant dogmata Christiana. Hoc consulit Ambrosius. Cassiod. in praef. lib. de diui. lect. *Emunda oculos mentis, ô homo, animique obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui perstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectum.* Cassiodorus apprimè edoctus concinit Ambrosio. *In schola Christi vitalis agnitio flammatis mentibus inquiratur.* Si ergo doctrina Christiana suos non sortitur effectus, Doctores obstant, aut discipuli, corde obscœno sacra dogmata præfocantes. Caue itaque, Doctor, ne sis sal infatuatum bonis vsibus incongruum. Et vos discipuli, satagite doctrinam Christi excipere animo defæcato, vt suadet iste Canon. EX IVRE CANONIC. Can. interrogo 1. q. 1. *Quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat; tanta sollicitudine obseruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat.* FAXIT DEVS. Doctrinæ diuinæ comparatio cum sacro corpore Christi.



HOMILIA DE S. ANTONIO CONFESSORE.

SVMMA HOMILIÆ.

I.  OMNIS fidelium status in duplici cardine vertitur, in castitate videlicet, & aliarum virtutum praxi, & hoc insinuat Christus subiecto Euangelio, vbi lumbos monet esse præcingendos. Quid sit autem lumbos præcingere, explicabo prima parte Homiliæ.

II. Secunda verò parte ostendam, quàm sit necessarius virtutum vsus ad salutem.

PRÆFATIO.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12.

Eodem ritu suos milites instruit ad prælium Christus, quo Gedeon suos accinxit vt certamen inirent in Madian. Exercitu tentato hos selegit, quos probauit expeditos, & præcinctos, singulis quibusque dedit lampades accensas, quas eos iussit præferre manibus. Eo apparatu processit in hostem hæc valida manus hominum electorum. Hac veluti panoplia instructus Antonius Deo Duce multa Dæmonum agmina superauit. Nec vllus Sanctorum legitur tot obiisse agones, cum desertoribus Angelis, quot iniit Antonius, factus ea armatura superior, scilicet lumbis præcinctis, & lucernis in manibus accensis. Hoc ego cum habitu obiiciam vobis militem inuictum, vt illius armatura cupido vnumquemque teneat, cum similia quoque nos discrimina maneant. Itaque prestò estote auditores; vos namque ad cingulum voco vt certetis: prouoco ad lucernas, eo videlicet genere certaminis, quo lampas accensa tradebatur ei, qui descendebat in arenam. Non ingrediamur hanc aleam nisi faustis auspiciis, quæ aderunt indubiè, Virgine consulta. Aue Maria.

QVibus quæque Gens armis inualuit, iisdem & instruitur à pictore, si res tulerit vt pingatur. Verbi gratiâ Parthis tribuuntur arcus, & sagittæ, sicut & Romanis pila, & gladij. Ita & Sanctorum multicolor species obiicitur, vt dissitos numero beatos homines valeat exprimere aliqua peculiari nota, qua quisque ab alio dispescatur. Martini pietas ex chlamyde commendatur. Stephanum lapides proprio sanguine purpurei exornant, sicut & spicula Sebastianum palo alligatum. Non fas est omnibus assequi rem, quam designant hæc fortitudinis & pietatis Sanctorum viuida simulacra. Non omnes martyrio nati sunt, sed omnibus Deo miserante concessum est, si non obstent, gloriam assequi confessorum, ad quam maximè viam sternit tabula Antonij, qui pingitur baculo innixus adiectio tintinnabulo, altera manu librum gestans, ex quo erumpunt flammæ. Ad pedes eius apponitur porcus, iuxta quem etiam ignis de terra emergit. Demum Sanctus hic zona præcinctus flocci pendit omnes Dæmonum ausus. Baculus Antonij gratiam Dei sonat, qua homo innixus audit creaturas omnes velut campanas eum præmonentes, vt Deo obsequatur, sicuti res omnes vltro creatori suo inseruiunt. Liber vnde exurgunt flammæ, est mundus, quo vtebatur Antonius, in eo legens infinita propè argumenta amoris Dei in nos. Porcus est symbolum concupiscentiæ suggerentis semper immunda; porcus ille subiectus est Antonio meditanti flammas infernales, quas deuorat ignis ille erumpens è terra. Qui namque gehennam cogitat, ille facili negotio extinguit importunos libidinis æstus. Denique zona premens lumbos, clamat esse restringendos sensus, ne diffluant in obiecta, quæ suis illecebris incautos abstrahunt à Diuinis. Hac ratione potissimum Antonius excelluit, cuius etiam pectori apponitur signum Tau delineans crucem. Vnde quia præcinxit lumbos, & manibus ignem prætulit, magni

S. Antonij eremitæ imago quid significet.

magni nominis est Antonius in Sanctorum choro. Vt eum imitemur.

Dicam primò quomodo sint præcingendi lumbi. Secundò quas lucernas in manibus præferre debeamus.

Pars Prima Homiliæ.

Christiani omnes debent præcingere lumbos.

Greg. hom. 13. in Euang.

NOmine lumborum sensualitatem à Christo designari, concolor est omnium Patrum sensus, in quibus Gregorius ita fatur: *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Est autem sensualitas, vis appetitiua sensitiuæ partis. Mouetur hæc pars appetitiua ex apprehensione obiecti, quia omnis operatio passiui, ab actiuo originem sumit. Appetitus autem potentia passiua est, quia mouetur ab appetibili, quod est mouens non motum, vt ait Aristoteles. Appetibile verò non mouet appetitum nisi apprehensum. In quantùm ergo ex appetibili apprehenso per sensum, mouetur vis appetitiua inferior, eius motus sensualis dicitur, & ipsa potentia sensualitas nominatur. Iste appetitus dicitur inferior, quia etiam conuenit rebus quæ infra hominem sunt, vt videre est in bestiis, quæ etiam vltro feruntur in sensuum illecebras. Alius est in homine appetitus, qui non solùm fertur in bonum, sed in rationem appetibilitatis, id est, non tantùm amat appetibile, sed etiam appetit id, ratione cuius res est appetibilis, vt honestatem, delectationem, & vtilitatem. Appetitus hic dicitur superior, quia à superiore hominis potentia dirigitur, scilicet ab intellectu, cuius est diuidere & distinguere. Alius appetitus ortus à sensibus, appetit tantùm bonum obiectum singulare, nulla præuia apprehensione distinctiua, quia sensus res tantùm apprehendunt. Ast intellectus apprehendit naturam rei apprehensæ, & voluntas in eam fertur, prout iudicat intellectus, esse idoneam sub ratione delectabilis, aut vtilis; atque ita penes intellectum est, vt appetitus superior resiliat à motu, quem suggerit appetitus inferior. Namque speculando naturam rei, quæ excitat appetitum sensitiuum, potest eam obiicere voluntati vt noxiam animæ, etsi sensui conueniat. Et sic refrænans appetitum ad illicita prouocantem, dicitur præcingere lumbos suos.

Ex Philosophia. Arist. l. 3. de anim. cō. 54.

Appetitus sensitiuus à voluntate potest coërceri.

Posse autem voluntatem reprimere violentiam appetitus sensitiui, liquet hoc discursu. In ordine eorum, quæ mouentur, & mota sunt, deueniendum est ad aliquod primum, quod seipsum moueat, & à quo moueatur illud, quod seipso non mouetur; quippe ex Aristotele. *Omne quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se.* Vnde cùm voluntas seipsam moueat, nullius potentiæ imperio subdita, vtpote domina suorum actuum, mouebit etiam potentias inferiores appetitiuas, quæ seipsas mouere nequeunt, atque ita potest compescere insultus inferioris appetitus, qui hominem inuita voluntate nequit ducere ad sensuum illecebras. Sedare autem motus appetitus insurgentis, est præcingere lumbos suos, & hoc fit trifariam. Primò cùm res eadem considerari possit vt vtilis, aut lethalis; sensu suggerente libidinem quæ delectat, ratio potest opponere flammas infernales, quibus est obscœna hæc colluuies addicenda, & sic mediante imaginatione, libido vt noxia cogitata, odio habebitur à voluntate, quæ sic aliò deducet hominem, cuius appetitus inferior libidinis æstu conflagrabat. Ideo porcus apponitur pedibus Antonij, quia ex aduerso flammæ minaces ardent.

Aristot. l. 8. Physic.

Inferni meditatio coërcet peccandi libidinem.

Ille ignis meditatus vrgente appetitu sensitiuo, alias omnes restinguit flammas. Locuples est eius historia, qui rediuiuus, mergebatur aquis rigentibus brumali tempore, vt sopiret Veneris incendia, memor ignis inferorum, exclamans: Duriora vidi. Huic adiice Eremitam illum, qui vrgente luxuria, digitum igni admouit, cuius ardorem pati impos ait: O caro, si scintillantis igniculi impatiens es, quid facies in fornace? Eo cogitatu appetitum compescuit. Simili argumento Vitalis miles Sanctorum Geruasij & Protasij pater, Rauennam ingressus, cùm vidisset Vrsicinum medicum ob Christianam confessionem pœnis addictum, nutare in tormentis, exclamauit: Vrsicine medice, qui alios curare solitus es, caue ne te mortis æternæ iaculo conficias. Qua voce confirmatus Vrsicinus martyrium fortiter subiuit. Adhuc impuberem Antonium, ille inquies appetitus carnis sæpè afflixit, sed ille tutamen validum inuenit in flammis, quas iugiter animo versabat, & sic lumbos suos validè perstrinxit.

Ex Historia. Dionys. Cart. l. de 4. nouiss. Ex vitis Patrum.

Acta S. Vitalis.

Rursus ille importunus appetitus subditur voluntati, quia in viribus ordinatis ad inuicem & connexis, superioris motus intensus redundat in alias, sicuti prioris sphæræ mobilis motus alias sphæras rapit. Ergo cùm in potentiis appetitiuis, voluntas aliis præstet; si seriò aliquid velit, omnem etiam alium rapiet appetitum. Et hoc insinuat Philosophus ita fatus: *Appetitus mouet appetitum.* Itaque Deo miserante potest homo præcingere lumbos suos, si voluntatem abstrahat à sensuum illecebris; abstrahet autem si anima meditetur, quàm sint noxiæ voluptates; quippe ex Aristotele. *Ratio semper suadet ad optima.* Denique voluntatis dominium in inferiorem appetitum astrui potest ex parte motiuæ exequentis: sicut enim acies explicata nequit procedere ad certamen absque imperio Ducis; ita in nobis vis motiua nequaquam mouet membra, nisi eam vrgeat iussio voluntatis, quæ est princeps omnium potentiarum. Cùm ergo volens quisque moueatur, & stet immotus voluntate prohibente motum, potest quisque sedare motus illicitos appetitus inferioris in animam insurgentis, vt Deus ipse ait, affatus Cain hoc contextu: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quasi diceret: Noli causari effrænes appetitus inferioris effluxus, tuum est præcingere appetitum ne diffluat; si autem fueris incurius reuocare ad normam iustitiæ sensus tuos, actus in præceps pessum ibis.

Ex Philosophia. Arist. l. 3. de ani. tex. Commentar. 37. Idem l. 1. Eth.

Ratio semper suadet optima.

Genes. 4.

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 63. art. 1.

Itaque cùm monemur lumbos præcingere, non est consilium sed præceptum, quo iubemur sensualitati bellum indicere, ne peccemus. Namque peccatum est actus deficiens à regula, quam Deus nobis præscripsit, & quam transilire nefas est. Vt non ergo prætereamus normam à Deo præstitutam, operæ pretium est, rationis ductum sequi: & quia plerumque vsum rationis præuenit appetitus inferior; hallucinans intellectus imponit voluntati, & eam decipit. Ne libido caliginem offundat rationi, ea inuigilet sibi, vtque cautiores sint excubiæ, homo sensus suos contineat & præcingat, alioquin veniet in discrimen, & in gratiæ deliquium turpiter incurret. Etenim anima effusa in sensus tota fiet sensualis, & mouebitur ab obiecto obuio, incuria mandatorum Dei: & in hoc sita est peccati deformitas, quòd à Deo auertat hominem, vt conuertat ad creaturas. Et hoc licet quadret omni noxæ, libidini sensuum ita peculiare est, vt Iustinianus Imperator ex leges vocet homines Veneri addictos. Est autem Venus ea, cui litant & militant omnes sensus. Sic fatur lex. *Nos non damus luxuriantibus, sed pudicis legem.* Etiam milites olim fuere exauctorati, qui discincti incedebant, eoque nomine Cæsar malè audiit, quem æmuli eius sugillantes, discinctum nuncuparunt.

Leges quibus dentur.

Ex Ivre Civili. Nouel. 89. c. 12. §. Si verò. Quib. modis naturales.

Quare autem Deus huic mandato insistat, & tam seriò iubeat præcingi lumbos, collige ex ratione, quam antea prælibaui. Videlicet eam esse naturam potentiarum sibi inuicem connexarum, vt si vna maximè intendatur, alias etiam omnes raptet, vt videre est in catena, quæ est ferreis annulis intertexta. Si eam dextera parte trahas annulus fortiter attractus omnes alios circulos in eamdem partem agit. Si verò secus eodem tempore agens validius circulum sinistræ partis reuocet fortiore manu, statim alij omnes annuli obliti priorem impetum, vergent ad sinistram. Ita cùm anima occupatur sedulò, languent sensus vt liquet in homine orationi feruidæ intento, ille veluti sensus expers immemor est omnium rerum infimarum. Sed vbi anima relaxatur, & errabunda decurrit sensus, sensibilia quæque obiecta delibans, citatissimo impetu rapitur extra se, fitque multis reatibus obnoxia. Ideo sanè Antonius sibi fugâ consuluit procul à sæculo, vt præcinctior esset in Dei obsequio, illicito vsu sensuum abdicato.

Sensuum licentia est refrænanda.

Ex SS. Patribvs. Aug. ser. 250. de temp.

Sensus effrænes morti sternunt iter.

Voluptas momentanea animam occidit.

Hanc sensuum perfidiam deflet Augustinus, hoc tenore. *Refrænanda est, & secreta familiaritas, & oculorum incauta fragilitas, ne impleatur in nobis illud: Intrauit mors per fenestras vestras. Dum aliquis libidinoso animo considerat, per fenestram corporis in secretum cordis venenum mortis instillat. Et quanta iniquitas, & quàm lugenda peruersitas, vt animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter vnius momenti delectationem libidinis diabolo vendat. Verè enim nimium plangenda, & miseranda conditio est, vbi citò præterit quod delectat, & per diabolum in Cruce manet sine fine, quod cruciat.* Quid ergo operæ pretium est, vt lumbi præcingantur, & castitas sit sarta tecta? compescendi sunt primi motus noxij appetitus, & oculi distrahendi ab obiectis, quæ fomitem turpis incendij subministrant. Hæc consulit Augustinus. *Audiamus Prophetam dicentem: Omni custodia conserua cor tuum. Et illud: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Quomodo enim si aliquis carbones ignis apprehendat, si eos citò proiecerit nihil nocebunt: si verò diutius tenere voluerit, sine vulnere eos iactare non poterit; ita & ille qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde susceperit, moras in suis cogitationibus habere permiserit, excutere eas à se sine anima occisione, vel plaga non poterit. Et ideo cùm Propheta ingiter clamemus: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.*

Idem vbi sup.

Sensus libertas in quod discrimen adducat animam.

Hoc igitur esto effatum constans, sollicitam sensuum curam pertinere ad omnes Christianos; si tamen Christi nomine censeri volunt. Voluit namque peritus ille animarum institutor, sequaces suos præcingere lumbos, id est, ab omni colluuie Veneris abhorrere. Hoc autem nemo præstare potest, si non cautas agat excubias ad sensuum omnium fores, quibus libido sensim irrepit in animam. Christo autem maximè fuit cordi castitas, vt quæ hominem à brutis dispescat, vt totus Deo consecretur. Audi Canonem hoc sonantem. *Inter cætera septem vitia, vitium fornicationis maximum scelus est: quia per carnis immunditiam templum Dei violat, & tollens membrum Christi, facit membrum meretricis.*

Luxuria templum Dei violat. Luxuria oculis patentib. illabitur.

Ex Ivre Canonico. Can. Non solum. §. Inter cæt. 32. q. 7.

Vt hoc crimen arceatur ab anima, sollicitè est omnis omnium sensuum aditus obserandus. Quippe voluptati quadrat symbolum faciei Medusæ, cui titulus iste adiectus est. Exanimat visa, Commenti sunt veteres Medusam aspectam saxeos effecisse suos spectatores. Iniquior sanè est sors hominum, qui voluptati operam dant, quia Exanimat visa, gratiam Dei expungens, & gehennæ addicens eos, quos miserè dementauit.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus p. 2. Theat.

Fauet & Astrologia, illa scilicet disciplina loquax, quæ inter signa violenta, quæ homini necem præsagiunt, recenset constellationem illam, quam nominat caput Medusæ, dicens eum, quem aspexerit illud sidus, manere iniquum exitum. Esto sint hæc inania; quadrant tamen meo instituto de moderamine sensuum, quos quis effrænes laxat, si in Medusam impingit, malè illi consulitur.

Ex Mathematica. Schon. & Origan. c. de sign. viol.

Pars Secvnda Homiliæ.

Quas debeamus lucernas manibus praeferre.

Qvamuis ardui negotij res sit præcingere lumbos; hiulcum tamen, & mutilum facinus est, si lucernæ non ardeant in manibus. Castitas sola non sufficit seorsim sumpta, & aliarum virtutum agmine destituta, vt eruditè ait Gregorius. *Duo sunt quæ iubentur, & lumbos restringere, & lucernas tenere; vt & munditia sit castitatis in corpore, & lumen* veritatis

Ex SS. Patribvs. Greg. hom. 13. in Euang.

Castitas bonis operibus debet sociari.

veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro vnum sine altero placere nequaquam potest: si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit: aut is qui castitate præeminet, nec dum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate. Quare autem Deus castitatem velit stipari operibus bonis, quæ sunt lucernæ ardentes in manibus, disces hoc discursu.

Ex Theologia. *Thom. 1 p. q. 5. art. 5.* Vestigia Dei lucent in creatis.

Quidquid edidit Deus, illud participat esse Dei, cuius vestigia elucent in creatis; at Dei esse est iugiter in actu nesciens otium; ergo quantò quisque habebit esse nobilius, quo propius ad Deum accedit, vigebit etiam in illo potior operandi modus, vt liquet inductione facta per omnia. Cùm igitur Deus hominem accinxerit non anima tantùm, & corpore, sed etiam potentiis variis; si homo corpore & anima castitatem colat, feriantibus aliis potentiis animæ & corporis, profectò irritum faciet decretum Dei, quo vnumquodque est propter suam operationem, atque ita delinquet homo; nam peccare, est transilire normam a Deo præstitutam. Itaque vt homo non deuiet, debet intellectu & voluntate operari iuxta intentum Dei, qui etsi hominem fecerit sui iuris, non tamen eum agnoscit effictum ad imaginem & similitudinem suam, si deflectat ab amussi, quam præscripsit ei, inclinans intellectum ad indaginem veri, & voluntatem ad appetendum bonum. Non est autem bonum, si toti homini non congruat. Verbi gratiâ, etiamsi libido placeat carni; non est tamen homini bona, quia animam lædit. At secus etsi castitas, angustiæ, inedia, cruces, carni displiceant, sunt res homini bonæ, quia conducunt ad salutem animæ. Bonum autem compositi petitur à forma, & non à materia. Rursus corpus animæ adiectum, est variis organis instructum, & eius imperio subditum, vt ei collaboret. Irrita namque voluntas esset, quæ non erumperet foras aliquo egregio facinore perpetrato. Vt si homo diffluens opibus, pauperem obuium habens, vellet ei bonum, nulla tamen stipe ei erogata, suo deesset officio, quia solo affectu non leuatur inopia; nec dicitur amor in pauperem feruidus, si non ardeat operibus. Præterea actiones omnes externæ à voluntate imperantur. Cùm ergo Deus sit præcipuum obiectum voluntatis, si ea amore Dei flagret, omnia etiam opera ab ea æstuante potentia imperata, eo igne incensa conflagrabunt. Ne ergo sibi imponeret homo ignauus, dicens se amare Deum, & viuendo castè alium omnem exuisse amorem, & hoc sufficere ad salutem; Christus voluit nos amorem nostrum opere multiplici comprobare, insinuans parum esse præcingere lumbos, si non ardeant & lucernæ in manibus.

Bonum hominis non est, quod toti homini non conuenit.

Castitas est lucerna micans.

Castitas quidem est lucerna micans, nitore grato Deo & hominibus, quæ arguit cor expers amoris impudici, atque adeò amori sacro idoneum. Sed hæc lucerna non sufficit. Christus ait lucernas in plurali debere ardere in manibus, & non vnam tantùm. Deo non litatur vna duntaxat potentia; sed ille rerum omnium Dominus omnium animæ facultatum postulat obsequium, vt liquet hoc mandato. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* At diligere Deum ex omnibus viribus, est omnes suas actiones componere ad arbitrium Dei; amare enim est idem velle & idem nolle, & qui quod Deus vult agit, ille opus à Deo volitum facit, sic suum amorem prodens actione composita ad regulam diuinæ voluntatis. Itaque Deus volens omnes animæ nostræ vires dirigi ad præscriptum amoris sui, & tales actiones amorem in Deum aliis explicare, vult sic homines præcingere lumbos suos & lucernas ardentes in manibus circumferre.

Luc. 10.

Ex Ivre Civili. *Feud. l. 3. t. 1. §. Item qui Dominum.* Beneficium, quando potest adimi.

Non in solà castitate esse confidendum, sed aduocanda etiam opera alia, probari potest Iure Ciuili, quo Dominus aliquod beneficium seu feudum subdito suo præstans, vt eo nomine illi inseruiat, si secus ille fecerit, ipso facto gratiâ illâ cadit. Ecce textum. *Non est alia causa beneficij auferendi, quàm si id propter quod beneficium datum fuerit, seruitium facere recusauerit.* Vnde sic arguo: Ea lege Deus animam nostram potentiis instruxit, & corpus membris, vt sibi hominem deuinciret: Ergo si aliquæ animæ vires, aut quæpiam corporis membra renuunt suum pendere obsequium Deo, homo ingrati animi censetur infamia, & gratia Dei vt indignus exuitur. Cuiacius feudi amittendi præcipuam rationem ait esse perfidiam, cuius potissima species est, insurgere in Dominum suum.

Ex Historia. *Cuiac. in l. 1. Feud. tit. 2.*

Eo nomine Franciscus I. Galliæ Rex inclytus spoliauit Carolum Borbonium, qui defecerat ad Carolum V. Fœda sanè est ea perfidia hominum, qui concessis sibi à Deo potentiis animæ & corporis abutuntur, non aptando eas ad Dei iussa capessenda. Qui ergo præcinxit lumbos suos, ille etiam satagat castitati adiicere bona opera; sunt enim lucernæ ardentes, quibus Christus vult suos discipulos aliis illucere, vt opportunè quidam Sanctus ait illi Philosopho, qui cum aliis conuenerat ad Concilium Nicænum, illusurus Christianis eloquentia sua, quam pompaticè ventilabat. Cùm enim ille composito ad fastum tumeret eloquio, & oratione grandiloqua prouocaret Christianos, adstantium Præsulum vnus assurgens ait: O orator, tu nos incongruè sollicitas ad loquelam comptiorem; Christo Doctore didicimus, non tersiore stylo loqui, sed omnibus bono opere prælucere. Hoc audito Philosophus obstupuit.

Doctrina Christiana stylo debet simplici publicari.

Socr. l. 1. c. 8.

Itaque nihil vacare debet in homine à bonis actibus, quia nihil omnino est in homine, quod sibi Deus non vendicet, duplici nomine, creationis scilicet, & redemptionis, vt Augustinus optimè contemplatur. Sic ille: *Totus eram in morte, totum me resuscitasti. Tuum igitur sit totum id quod viuo: & totus totum me tibi affero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea viuat tibi, vita mea dulcis; quoniam totum me liberasti, vt totum me possideres: totum me refecisti, vt totum me rehaberes. Diligam te igitur, Domine, virtus mea: diligam te ineffabilis exultatio mea, & viuam iam non mihi, sed tibi.*

Ex SS. Patribvs. *August. Solil. 18.* Amor se totum Deo consecrat.

Ex Remedica. Fernel. l. 4. Physiol. c. 11.

Nota, viuere nihil aliud esse, quàm sentire & moueri; nam ex re Medica, spiritus animales, qui sunt veluti corporis & animæ nexus, subeunt neruos, quos medici sensorios & motores vocant, quasi eo solo intento spiritus animales à natura essent insiti, vt sentiret homo & moueretur ad præclara. Adiice & calorem illum naturalem, quo maximè sibi constat homo, suam explicare vim præcipuam quando vegeti sunt spiritus animales, quorum vis potior sensibus exquisitis, & liberis motibus aperitur. Ita & frustra quispiam iactat animam suam calere amore Dei, quia castitate præeminet, aliumque amorem noxium exuerit; ille tamen calor non sufficit ad vitam Christianè ducendam, si non præclaris actibus veluti validis motibus exprimatur. Fauet eadem ars medica, concludens aliquod membrum ægrotare, quando impeditur actio eius, etsi plerumque citra dolorem acutum hoc fiat, vt cùm affluxu pituitæ manus obriguit. In disciplina Christiana simile iudicium fertur de sanitate animæ, non ex quouis calore naturali colligitur, sed ex eo qui omnes animæ potentias, & corporis membra mouet ad arbitrium Christi; qui non amatur omni fortitudine nostra si sint imbelles aliquæ facultates, atque adeò homo vices amoris non rependit Christo exigenti hominem totum, quem integrum suo sanguine sospitauit.

Ex SS. Patribus. Aug. Sol. 18.

Consule Augustinum in hoc argumento, & audies sic loquentem: *Tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, resuscitata est in misericordia tua, qui es Deus misericors. Idcirco Domine Deus meus sanctificator meus, iussisti in lege tua, vt diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, & totis viribus meis, & etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis misericordia tua.* Vides, in homine nihil excipi ab obsequio Dei, cuius amore debent membra omnia conflagrare. Præfatus autem ille amoris æstus ardet in actibus, qui sunt lucernæ ardentes in manibus, quas vult Christus ab homine circumferri, & quibus sequaces suos approbat, vti liquet subiecta historia

Ex Historia. Eugip. in vita S. Seuerini sub an. 473.

Beatus Seuerinus Noricorum Apostolus, disseminata fide in castello cui nomen Cuculli, omnes incolas initiatos verbo Dei, sacris tinxit aquis. Hi omnes neophyti statutis quibusque diebus conueniebant in Ecclesiam Domino litaturi: Deo tamen reuelante, Beatus ille Seuerinus audiit, esse adhuc quosdam illic homines ementito cultu Christi, addictos ritibus idolorum. Doluit hic animarum pastor residere adhuc fermentum idolatriæ in animo populi illius hypocritæ. Vt autem exploraret quinam infideles essent, retentis apud se idolis, iussit omnes postridie conuenire in Ecclesiam, & adferre cereum vnum; dicto audientes accolæ statuto die confluunt in Ecclesiam, & ex præscripto B. Seuerini, singuli quique suum cereum parieti affigunt, Sancto Deum deprecante, vt lumine ostenderet quinam essent veri Christiani. Mirùm, oratio Seuerini veluti virga Promethei ignem cælitus in terras aduexit; nam luce desuper illapsa, soli fidelium cerei protinus exarserunt. Alij verò ficti discipuli errorem suum abiurantes, idola sua funditus euerterunt, dantes & nomen suum & manus Christo. His S. Seuerinus ait: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Hypocritæ qua ratione deprehensi à S. Seuerino.

Lucis filij qui sint.

Christiani filij lucis.

Eodem argumento noti fiunt omnibus ingenui Christiani, eos lucernæ ardentes manifestant, alios verò, quos rerum inanium vana simulacra præpediunt, atra caligo prodit. O hypocrita, ea indagine explora, an sis legitimus Christi auditor. Vide opera tua, seu lucernas tuas an ardeant, & collige ex tenebris tuis aliqua idola delitere in fornice cordis tui. Esto sis castitate insignis, fortè in fastum assurgit animus tuus, corque tuum superbiâ distenditur, aut etiam nimia opum cupidine flagras, quæ manum pauperi claudit. Si quando pulsaris iniuriâ cor tuum ad veniam tardiùs inclinatur. Superbia, Auaritia, & vindicta, sunt idola, quibus homines casti vtplurimum addicuntur.

Opera bona sunt lux.

Ex SS. Patribus. Bern. ser. 51. in Cant.

Bona opera esse lucem, quam Christus insinuat, disce ex Bernardo. Sic ille: *Vt scias etiam opera lucem esse: Luceat lux vestra, inquit, coram hominibus: quod non est dubium de operibus fuisse dictum, quæ homines poterant intueri.* Quæres, vnde hominibus bona opera indicta sint? Huic ego dubio adsum facióque satis. Quisque ad conseruationem sui tenetur; at conseruatio proximi, nostram spectat; nam fideles omnes vnum corpus efficiunt. Sed ex Apostolo, *Pro inuicem sollicita sunt membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Ideoque omnes vt par est aliorum saluti inuigilare debent, eos hortando ad Christi obsequium, sicque salus vnius membri redundat in bonum alterius. At potior modus consulendi bono proximorum est via exemplorum, quibus inest vis quàm maximè suada ad virtutem amplexandam.

1. Cor. 12.

Militis Christiani exemplum. Dam. ser. 54.

Hoc enituit in Sancto Fideli Martyre, qui miles in castris infidelium quamplurimos Christo lucratus est sanctimoniâ vitæ magis quàm sermone, vt eruditè Damianus eloquitur hoc contextu. *Dum in seculari militia versaretur, magis diuino parebat imperio, quam terreno; adeò vt nonnullos à profana idololatriæ cultura compesceret, & ad veri Dei notitiam salutiferis admonitionibus aduocaret. Militaribus quidem castris intererat, sed celestis militiæ signa gerebat.* Præclara opera indicta à Christo sunt tesseræ indubiæ Christianæ disciplinæ. Nulla excipitur professio à Castris Christi, quibus etiam non repugnant sæculi castra; si in his fideliter Deo seruiatur, vti ostendit præfatus ille miles, in cuius elogio Damianus pergit ita fatus: *Armatorũ videbatur cuneis immisceri, sed pro cælestibus castris sociare sibi alienæ professionis milites satagebat. Quibus nimirũ nõ terrenæ militiæ balteum, non temporalis stipendij donatiuum, sed celestis promittebat curiæ municipium. Sub terrena itaque militia chlamyde pro castris celestibus stabat, vt de terrena transfugas*

Militia non obstat quin quis possit esse bonus.

transfugas faceret, quibus numerum cælestis militiæ augeret.

Lucerna operum adeò rutilans est, vt luce sua etiam positos procul illuminet, teste Antonio cuius lampas irradians toti etiam orbi illuxit, ita vt Constantinus Imperator eo lumine perfusus, rescripserit Magno illi viro, emendicans suffragia eius ad regimen orbis Christiani. Sicque Antonius ore tacito, sed manu loquaci prædicauit, & auxit Christianum institutum, non in sola Castitate fundatum, sed & in lucernis. Vnde aiebat Dominus, se venisse ignem mittere in terras, quia, vt ignis ardendo lucet; ita & fides Christi accendendo animas amore puritatis, debet etiam operibus enitere. Eamobrem, ô fideles, qui dedistis nomen Christo profitendo fidem, date etiam manus actibus fidei consonis operando, & ita præcinctis lumbis, Deo lucernas ardentes manibus offeretis. FAXIT DEVS.



HOMILIA DE S. CATHARINA VIRGINE.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VIRGINITATI & coronis inest quædam societas, & adhuc hodie viget prisca consuetudo coronas affingere sindoni virginis emortuæ. Dico igitur primò, virgines esse meritò coronandas, & rationes affero idoneas propositæ thesi.

II. Quia autem coronæ insidiis patent; dico altera parte, virgines indigere gladio, quo se tueantur, & id appositè ad picturam Sanctæ Catharinæ.

PRÆFATIO.

Simile est regnum cælorum decem Virginibus. Matth. 25.

VIRGINITATEM, & regnum velut res affines attexit hoc propositum thema, Christo eo textu edocente nos virginitatem spirare quid regium. Fauet & imago Catharinæ; coronata depingitur, exerto hoc habitu insinuans illud idem quod sonant Christi voces, themate proximo delibatæ: scilicet coronam quàm maximè pertinere ad Virgines, & inesse etiam animum fœminino corpori masculinum. Si rerum eximiarum imagines animum afficiunt, quid diademate nobilius? quid virginitate purius? Ad vos pertinet hæc oratio, ô libera capita, quæ excussistis omne mundi, carnis, & diaboli iugum. Diadema caput liberum quærit, & virginitas integrum corpus. Hac oratione igitur virgines exultate. Qui verò huius gratiæ experti sunt, habent integritatem mentis, quam fas est eis æmulari, & quæ præstat soli virginitati carnis seorsim sumptæ. Hæc virginitatis elogia ab oratione Virginis auspicemur. Aue Maria.

RErum egregiè gestarum imagines, rudioribus ingeniis ingerunt eam notitiam, quam doctioribus libri conferunt, ideóque tabularum creber vsus inualuit, etiam in sacris ædibus, Iconoclastis frustra renitentibus. Populi namque imperiti, doctore penicillo sciunt præclara facinora edita à Sanctis, historiis tamen penitus inconsultis. Probauit hunc Ecclesiæ ritum vellem fidelibus, & gloriosum Sanctis. Quippe varia est suppellex qua instruuntur hæ picturæ. Verbi gratiâ Sancta Catharina proponitur rutilante corona insignis, annulum manu gestans, & gladium, Rege ad pedes eius prostrato, & rota hirsuta gladiolis attrita. Omnis ille apparatus est synopsis historiæ, quæ meminit Catharinam à Deo desponsatam, Beata Virgine Maria agente pronubam. Gladius est index mortis, quam obiit capite amputato. Rex iacens est tyrannus Catharinæ constantiâ profligatus. Denique rota confracta clamat auxilium Dei, quo tortor inermis effectus est, cruciare volens hanc virginem illibatam. Compendiosè sonat hæc præfata Catharinæ tabula rudibus explicans seriem martyrij eius. Sed ego altiori scrutinio inuestigans sensũ abditum his symbolis, dum speculor virginis intactæ caput diademate cinctum, infero inde Virginitati proprium esse coronari, & Deo desponsari, vt indicat annulus; & hoc dicam prima parte istius homiliæ, vbi explicabo, vtramque virginitatem corporis & animæ honorari à Deo impensè. Secunda parte dicam, ensem pertinere ad virgines, id est, debere virgines cautè ambulare, vt quibus omnia prætendant insidias, quas Deus atterit vt Catharinæ rotam.

Virginitatis elegans emblema.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Virginitas est quàm maximè digna coronari.

QVamuis hominum lingua loquax & garrula sit, sæpe tamen silet indiga vocum, quæ

quæ exprimere possint res nobiles, ideoque symbolis vtitur vt exprimat hominum mentem. Verbi gratiâ, quia Reges aliis hominibus eminent, corona referre solet Reges: est autem corona figura circularis petita à similitudine cæli, quod cùm aliis corporibus præstet, eius figura orbicularis assumitur, vt res quæque præexcelsæ, hac tessera designentur. Cùm igitur aliquod facinus egregium & insigne erit describendum, satis superque dixeris; si affirmes esse rem regiam, & corona dignam. Hoc schemate loquendi vsus est Christus commemorans virginitatis encomia: virgines namque & regnum cælorum meminit simul, quasi arbitratus parum esse affirmare virgines corona dignas, si non adiiceret & similes esse regno vtique cælorũ: hac verborum serie insinuans, virginũ statum rerum omnium huiusce sæculi apicem transcendere, atque ad...ò dignissimum, cui cæleste diadema deferatur. Vox hæc corona deducitur à nomine Græco κορωνὶς, quod apicem seu fastigium sonat, sicque benè quadrat virginibus quarum professio assurgit supra omne quod eminet infra cælos. Ideoque præcipuè victoribus coronæ semper adaptatæ, quia superiores suis æmulis extiterunt.

Corona quare sic dicta.

In eo sensu corona iure decet virgines, ob victorias eásque crebras de Dæmone, mundo, & corpore reportatas, Deo suppeditante stipendia militiæ, quam professæ sunt virgines Domino consecratæ. De his namque ago, quibus est propositum tenax, deuotæ Christo commori puritati. Has equidem solas dixeris esse Catharinas, id est, puras, vt sonat vox καθαρὰς. Nam virgines illæ, quæ sæculo viuunt expectantes sponsum periturum, non pertinent ad hanc panegyrim, quia luxuriante appetitu iam factæ sunt obnoxiæ corruptelæ. Virgines igitur corpore & spiritu, dico insignes referre victorias, quia se integras seruant, etsi in arcem puritatis arietent iugiter sensus, & appetitus inferior, qui etiam virgini Paulo Apostolo fuere importuni; sentiebat enim aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Virgines itaque, quæ vicerunt hostem, qui etiam facessebat negotium Apostolo, nonne & eâdem coronâ censeri debent, quæ Apostolum hunc virginem insigniuit?

Rursus corona, quæ aliquid in coronando sublime petit, nihil excelsius inuenire potest, virginitate Deo sacra; si quid enim eminet in natura, illud est virtus; nam infra cælos in physicis nihil est nobilius homine: at virtus homini adiecta facit eum esse supra hominem illum vtique qui ex Adamo fluxit. Quippe homo ille Adamo satus, multa deliquia patitur, quibus occurrit virtus resarciendo ruinas naturæ imperfectæ; siquidem ex Philosopho. *Virtus bonum facit habentem, & reddit opus eius bonum.* Item eodem Aristotele assertore. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* Ergo cùm virginitas principes etiam virtutes secum vehat, illásque adiiciat insigne decus puritatis, non vnâ tantùm coronâ dignabitur, sed & multis. Etenim virginitas illa, quam loquimur, addicta Deo, vegetam fidem notat, qua apprehenditur Deus, cuius sacro eloquio virgo credens deuouet

Ex Philosophia. *Arist. lib 5. Ethic. c. 6. Idem lib. 7. Metaph. tex. 16.* Virtutis definitio duplex.

illi corpus & animam. Rursus hæc corporis & animæ consecratio, indubium est argumentum charitatis, quæ ex dono dignoscitur: sed virginitas totum Deo dicat, quod est hominis. Demum appetitus sensitiuus, qui homines etiam raptat fortitudine, sanctitate, & sapientia insignes, vt videre est in Samsone, Dauide, Salomone: ille inquam appetitus in virgine sequitur ductum rationis; atque ita virginitas hominem perficit totum, intellectu fide informato, voluntate amore Dei æstuante, & castitate refrænante appetitum sensitiuum, vbi ardor concupiscentiæ, noxia valdè excitat incendia. Cùm ergo tres illæ partes, quibus constat homo, scilicet intellectus, voluntas, & appetitus inferior, virginitatis obsequio Deo consecrentur, triplici corona dignas non cunctabor virgines affirmare. Si namque fas fuit Ægyptiis Simandij Regis matrem depingere triplici diademate ornatam, quia fuit Rege sata, Regi nupta, & enixa Regem, sic filia Regis, vxor, & parens, quid vetat affingere virginibus tres coronas ratione intellectus, voluntatis, & appetitus, quibus hæ sunt virtutes, citra quas nemo coronatur.

Pierius l. 41. hierog. c. 17. Corona triplex cui olim data. *Ibid. c. 23.*

Fauet symbolum vetus, quo corona legem denotabat, quia est vinculis implicita, quibus in orbem corona gyrat: vita autem nostra legibus vt nexibus veluti religata coërcetur. Vnde sententiam illam Pythagoræ, στέφανον μὴ δρέπεσθαι, *coronam ne carpseris*, Hieronymus explicat de legibus obseruandis. Si ergo obseruantiam legum, sua corona manet, profectò virginitas, quæ est supra legem, speciales infulas obtinebit. Esse autem quid sublimius lege liquet ex consultore eius Christo, qui vniuscuiusque arbitrio reliquit institutum illud, quod naturæ indolem transilit, euehens homines eò vnde hominibus innotuit, id est, ad Angelorum choros. Audi Paulum. *De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do.*

Coronam ne carpseris & Pythagoræ effatum. *1. Cor. 7.*

Vt similis simili afficitur; virginitas neminem nacta, cui nubat in terris, è cælo sibi sponsum virginem accersiuit, vt speculatur Ambrosius. *Quis humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra vsum naturæ sit? E cælo accersiuit, quod imitaretur in terris. Nec immeritò viuendi sibi vsum quæsiuit è cælo, quæ sponsum sibi inuenit in cælo. Hæc, nubes, aëra, Angelos, sideráque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit pectore.* Virginitas itaque Regi desponsata, iisdem quibus & ille insignibus & infulis gaudet: atque ita corona decoratur.

Ex SS. Patribus. *Ambr. lib. 1. de virgin.* Virginitatis dignitas. Virginitas cælo sata.

Instabis, etiam esse Dei sponsas, mulieres alias viris legitimo matrimonio sociatas. Respondeo, non æqua ratione dici sponsas Christi, sed modo longè inferiori; nam propria sponsæ denominatio ad virginem spectat, iuxta illud Pauli. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Dices, Apostolum loqui de virginitate mentis, quæ etiam potest in prægnante fœmina reperiri. Esto genus hoc virginitatis aliquo modo omnes Deo deuinciat; si tamen ei adieceris integritatẽ corporis, quæ est virginum decus, iam nomenclatura sponsæ

2. Cor. 11. Ancillarum connubium non est.

sponsæ eis conueniet potiori titulo quàm fœminis virorum etsi licito arbitrio mancipatis.

Ex Ivre Civili. *Leg. Cùm ancillis. Cod. De incestis.* Serui sunt nati ex ancillis.

Opportunam mihi suggerit legem Ius Ciuile hoc tenore. *Cùm ancillis non potest esse connubium; nam ex huiusmodi contubernio serui nascuntur.* Vnde arguo sic: Fœminæ aliorum hominum coniuges, eorum ancillæ sunt; caput enim mulieris vir est. Ex eorum connubio nascuntur serui, & filij iræ: ideoque etsi ancillæ Christi possint esse; non tamen vendicare possunt sibi titulum sponsarum, qui solis datur integris, quæ sequuntur agnum quocunque ierit, virgines enim sunt, & quibus regnum cœlorum dicitur esse simile, quasi virginibus præcipuè præparatum. Etenim ruinæ Angelorum reparari debent ab hominibus, qui æmuli sint Angelorum: hi autem sunt virgines velut inscia carne viuentes in sæculo, sicuti probat Hieronymus. *Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis; vnde in carne Angelicam gloriam acquirere, est maioris meriti quàm habere. Esse enim Angelum felicitatis est; esse verò virginem, virtutis; dum hoc obtinere nititur cum gratia, quod Angelus habet ex natura.*

Ex SS. Patribvs. *Hier. ser. de Assumpt.* Virginitas est virtus Angelica.

Quamuis res sit decore plena, assimilari Angelis; tamen corona manet virgines titulo potiori; eo scilicet, quo Esther diadema regni assumpsit, vtpote euecta ad thalamum Regis: etenim Regem & sponsam eius idem diadema cingit. Virgines autem esse sponsas & Reginas audi ex Patribus, è quorum choro sic occinit Ambrosius. *Quæ non nubunt neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo: nemo ergo miretur si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* Si Domino copulantur virgines: ergo & Reginæ sunt, quia Regis sponsæ, vti videre est in Catharina virgine, quam Christus castis hymenæis dato ei annulo desponsauit, corona illius capiti imposita; quo etiam habitu hæc virgo ab Ecclesia proponitur omnibus excolenda.

Amb. lib. 1. de virg. Virginitas Angelorum Domino copulata. Vxor mariti iure gaudet. Virginitas paradisum replet.

Iure etiam Ciuili potest quiuis inferre, coronam regni cœlorum pertinere ad virgines Christi sponsas. Hæc est sanctio Imperatorum Valentiniani, Theodosij, & Arcadij. *Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus, & domicilia mutamus.* Quis ergo eat inficias, diadema regni cœlorum virginum esse, quarum sponsus est Rex Regum Dominus Iesus, cuius honore virgines eriguntur. Eò etiam collimat iste Canon. *Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum.*

Ex Ivre Civili. *Leg. Mulieres. Cod. De dignitatibus.*

Ex Ivre Canonic. *Can. Nuptiæ 31. qu. 1.*

Congruè sanè electæ à Deo virgines ad infulas regni cœlorum, & castos Dei amplexus; nihil enim æquè refert Dei puritatem in humanis, ac virgines, in quibus maximè elucet similitudo Dei, vt ait Cyprianus. *Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Cum itaque commune effatum nupturo consulat, vt nubat pari, & imago Dei resplendeat in virginibus præ aliis, meritò in Dei sponsas virgines assumptæ diademate coronantur.

Ex SS. Patribvs. *Cypr. lib. de habitu virg.*

Ex Theologia. *Thom. in 4. sent. dist. 46. qu. 5. art. 2.*

Theologia etiam suo suffragio diadema affingit virginibus, affirmans ibi esse singularem coronam, vbi est specialis ratio victoriæ, & triumphi. At virgines egregiè in carne triumphant de ipsa carne importuna, eamobrem debetur eis corona illa, quæ à Theologis virginum aureola nuncupatur. Et hic nota excellentiam beatæ Catharinæ, quæ vna fortè ex sexu fœmineo tantùm retulit omnes aureolas siue coronas, quas quibusdam duntaxat Beatorum Dominus impertitur. In beatis enim attenditur duplex præmium iuxta duo quæ concurrunt ad meritum. Primum est charitas radix omnium meritorum: hæc nos omniaque nostra in Deum dirigit, & compotes Dei aliquando facit. Illa Dei fruitio, gaudiumque resultans ex visione Dei, cæteraque animæ tripudia, enata ex intima adhæsione animæ in Deum effusæ, dicuntur præmium essentiale, aurea, & corona; Deo namque fruentes Beati fiunt participes regiæ potestatis, iuxta illud. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* *Apoc. 5.* Alterum quod confluit ad meritum est specialis operandi modus, qui si arduus est & difficilis, importans peculiarem rationem victoriæ, Deus hunc compensat peculiari præmio, quod est gaudium singulare in anima emergens ob egregium illud facinus exantlatum. Quia autem illud gaudium adiicitur illi gaudio, quo anima gestit Deum videns; talis exultatio dicitur præmium accidentale, seu aureola. Duæ illæ coronæ, aurea scilicet, & aureola benè in mensa designantur, cuius ideam à Deo Moyses accepit hoc contextu. *Inaurabis eam auro purissimo, faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem.*

Virginitatis aureola qualis.

Exod. 25.

Charitas animam exornans eam dignatur coronâ aureâ, id est, præmio essẽtiali. Pergit textus. *Et super illam coronam alteram aureolã.* Ista corona aureola, priori aureæ superimposita notat præmium accidentale, quod sequitur superatas difficultates, quæ præclara quæque facinora remorantur. Ea autem quæ ingens facessunt negotium enitentibus in cœlum, duo sunt. Vnum internum est, aliud extrinsecum. Illud interius est concupiscentia carnis insita medullitus, adeò lacessens hominẽ, vt cum ea, morte tenus, iugi discrimine sit certãdum. Caro petulans & inquies compescitur à virginibus. Alij obices extrinseci sunt tormenta, quibus tentatur inuicta fides, quæ superior pœnis omnibus existit, fortitudine Martyris occumbentis. Vtque virgines de carne triumphant; ita & Martyres de mundo, in ipsos sua spicula contorquente.

Aureolæ quibus in cœlo dentur.

Rursus alij hostes sũt irruẽtes ab extrinseco scilicet Dæmones, quos plenè superare est, eos à se & ab aliis expellere: & hoc fit prædicatione & doctrina, ideoque etiã Doctoribus aureola conceditur. Quippe doctrina multo labore cõparatur, & prædicationis officiũ multũ puluerẽ & copiosũ sudorẽ legit. Si quis igitur Catharinã vt par est voluerit depingere, ille effingat virginẽ coronatam diademate rutilo gemmis, cui tres aliæ coronæ adhuc emineant. Diadema præcipuum erit aurea seu præmium essentiale, cui etiam Deus adiecit aureolas virginitatis, Martyrij, & doctrinæ, fuit enim Catharina, virgo, Martyr, & doctissima, cui etiam summi Philosophi fuerunt impares vt probarunt quinquaginta peritissimi Philosophiæ professores

professores, qui Achillæis argumentis armati confluxerant, arbitrati se theses de fide Christiana à Catharina propositas elusuros Vbi namque audierunt Catharinam diluentem argutias quasque sibi obiectas, admirati insignem illius scientiam porrexerunt herbam, in tesseram victoriæ à virgine reportatæ.

Ex SS. Patribus. *Ambr. lib. 1. de virginitate part. 3.* Virginitas quibus encomiis illustretur in Scriptura sacra.

O virginem terque quaterque beatam! Ter ob tres aureolas, quaterque si adieceris auream seu præmium essentiale. O virgines si a doctrina, & sanguine fuso vacat, vnde careatis aureola Martyrum & Doctorum; penes vos est Deo miserante seruare decus illibatum floris vestri Domino consecrati. Inde Reginæ estis, vtpote Regis sponsæ, etenim de singulis quibusque virginibus Ambrosius intelligit hoc effatum Psaltis. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Sic te, ô virgo, compellat ille Sanctus. *Aduerto quantùm tibi Spiritus Sanctus Scriptura diuinæ testificatione detulerit. Regnum, aurum, pulchritudinem. Regnum vel quia sponsa Regis æterni, vel quia inuictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiua haberis, sed quasi Regina dominaris. Aurum quia illa materia examinata igne pretiosior est: ita corporis species virginalis Spiritui consecrata diuino, formæ suæ acquirit augmentum. Pulchritudinem verò quis potest maiorem existimare decore eius, quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dicatur Domino consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damna pudor?*

Ex Historia. *Theodoret. lib. 1. cap. 8. Socrat. lib. 1. cap. 13.*

Profectò agnouit virgines esse Reginas cœli, illa pietate famosa Helena mater Constantini Imperatoris, quæ Ierosolymis virgines Deo sacras inuitauit ad prandium opiparè præparatum: earum manibus aquas infudit, stansque retro ancillarum more eis voluit vltro ministrare, venerata in puellis deuotis Christo earum sponsum Regem rerum omnium potientem. Quid Helenam loquor summo honori ducentem virgines. Nonne ipse Deus puritatem noluit etiam in Gentili virgine venire in discrimen? Audi Augustinum. *Varro commemorat Vestalem virginem, cùm periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tiberi, & ad suos iudices nulla eius parte stillante portasse. Quis aquæ pondus supra cribrum tenuit? Quis tot cauernis patentibus, nihil inde in terram cadere permisit? Responsuri sunt; aliquis Deus.* Prodigio inaspecto venerabilem fecit Deus puritatem virginis infidelis. Imò & bestiæ subodorantes in virginitate aliquid Diuinum, se puellis obiectæ præstiterunt innoxias. In his Thecla virgo spectabilis est, cui etiam serpentes anhelantes hominum perniciem, non ausi sunt lethale suum virus inspirare, nec leones in illam effundere rabiem suam, vt eloquenter ait Ambrosius, ita fatus: *Venerabilis Thecla etiam leonibus fuit; vt ad pedes præda sua strata, impasta bestiæ sacrum deferrent ieiunium, nec procaci oculo virginem, nec vngue violarent aspero.*

Aug lib 22. de Ciuitate cap. 11. Virginitas Vestalis probata prodigio. Virginitas S. Theclæ honorata à bestiis. *Ambros. in ep. ad Vercell. Ecclesiam.*

Luculenta forsan elogia virginum ingrata erunt illis hominibus, quibus emarcuit flos ille germinis Angelorum. Quasi verò virgines exhauriant omnes Dei gazas, ita vt nihil residui supersit coniugatis, vel etiam animæ pœnitenti. Esto illa virginitas corporum Deum quam maximè deuinciat; tamen inanis est, si absit ab ea mentis integritas, quæ etiam sola magis est accepta Deo, quàm corporum puritas seorsim sumpta. Integram illam dico mentem, quæ ita Deo se deuouit vt a quinque sensuum illecebris sit penitus illibata. Vnde hunc ego credo sensum fuisse intentum à Christo, quando in Euangelio quod decurro ait, quinque virgines tantùm prudentes ingressas esse in Regnum cœlorum. Quod perinde est ac dicere, eam animam, quæ prudenter vtitur quinque sensibus, habere quinarium virginum; virgines enim sunt sensus, qui cauent illicita. Itaque quauis anima sancta introeunte in cœlum, quinque virgines ad superos euehuntur.

Virgines quinque quænam significent.

Ex SS. Patribus. *August. l. de verbis Domini serm. 23.* Sensuum custodia virginem animã facit.

Non temerè affingo mea sensa sacro contextui, Patribus inconsultis. Audi Augustinum. Sic ille: *Quare appellatæ sunt quinque, & quare virgines? Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus vtitur. Nihil est enim quod sentimus ex corpore, nisi ianua quinque partita, aut videndo, aut audiendo, aut gustando, aut tangendo, aut odorando. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustatu, ab illicito tactu propter ipsam integritatem; virginis nomen accepit.* Hæc ille.

Ibidem.

Nemo planè ab hac virginitate secernitur iuxta illud Augustini. *In corpore virginitatem pauci habent: in corde omnes habere debent.* Etenim ad totam pertinet Ecclesiam illa vox Apostoli. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua; ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo* Simplicitas est omnis contagij refuga, qui ergo iactat amorem suum in Christum, & aliquid amat iniurium Christo, ille excidit à simplicitate, quam sibi vendicat integritas mentis, cui inimica est sensuum corruptela. Anima tota Deo addicta virgo est; ea autem quæ sibi intenta est haudquaquam integra est, vtpote diffita in quinque sensuum illecebras. Vt ergo quisque integer sit, Deo magis quàm sibi studeat adhærere, iuxta consilium Augustini. *Quisquis seipsum, non Deum amat, nec se amat: qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se, cùm non ille diligitur, de quo viuitur. Non se diligendo, magis diligit, qui propterea se non diligit, vt eum diligat de quo viuit.*

2. Cor. 11.

Sensus corrumpuntur à Diabolo. Amor Dei, consulit animæ amanti. Amor sui, est sibi inimicus. *August. lib. de vera innocentia c. 375.*

Pars Secvnda Homiliæ.

Virginitas debet esse gladio accincta.

Vnicuique rei natura formam dedit, quæ compositum inclinat in bonum suum; adiecit qualitates, quæ repugnare queant, si quid accidat contrarium formæ. Verbi gratiâ, aqua calore dissoluitur, & vapescit; ne igitur euanescat aqua calore aëris ambientis, frigore armatur, quo retundit modicos æstus sibi iniurios. Ita & animantibus inest appetitus anxius, & anhelus ad bonum vnicuique congruum; sed ne moras pateretur appetitus effusus

effusus in obiectum suum; facultas illa, quam concupiscibilem vocant, sociam habet irascibilem.

Ex PHILOSOPHIA. *Arist. lib. 3. de anim.*

Prima illecebris tentata in amorem frangitur. Altera insurgit in omnes obices, qui remorari possunt vnionem appetitus & boni concupiti. In ea parte feruet ira, & fortitudo viget. Id paucis Aristoteles insinuat, dicens in appetitu sensitiuo esse desiderium & animum. Cùm ergo virginitatis bonum sit integritas, in quam pleraque conantur irrumpere; illa etiam debet gladio accingi, vt se sartam tectamque tueatur contra insidias passim obuias. Gladius hic erit inuinctum animi robur, irascibilem facultatem excitans, & acuens ad sedandos motus appetitus, qui illicita concupiscit.

Virginitas est thalamus pacifici Salomonis, id est Christi, qui gladiis exertis vult fieri excubias ad lectulum suum, qui ita Codice sacro describitur *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Quare autem excubandum sit serió ad lectulum illum, audi ex Theologia. Ex peccato originali emerserunt infectio, & corruptio; infectio dicit culpam, corruptio verò pœnam. Culpa illa originalis ex Sancto Thoma, est in potentia aliqua animæ essentialiter, aut caussaliter. Verbi gratiâ, culpa hæc dicitur esse essentialiter in parte intellectiua, quia excidit iustitia illa originali, quæ partes omnes animæ inferiores dirigebat in scopum rationis. Caussaliter autem infectio attingit potentias, quæ pertinent ad actum, quo traducitur in homines illa animæ corruptela, quam contrahunt omnes, actuali libidine generantis. Ideoque maximè corruptæ sunt facultates, quæ attingunt actum naturæ propagandæ, hæ scilicet; vis generatiua vt decocta Veneris incendio, & exequens facinus hoc obscœnum; vis concupiscibilis, vt vrgens & imperans illam actionem.

Cant. 3.

Peccati originalis effectus qui sint.

Ex THEOLOGIA. *Thom. 1. 2. qu. 83. art. 4.*

Concupiscentiæ origo & effectus.

Denique sensus tactus corruptioni obnoxius effectus est, ratione delectationis, quæ exurgit ex hac illecebra voluptatis. Vt anima dum vegetat corpus, continet omnes corporis partes, ne diffluant eò quò natura vergit. Verbi gratiâ, corpus humanum suapte natura stare nequit sine anima; idcirco recedente anima cadit corpus. Ita iustitia originalis, dum viguit in homine, continuit omnes animæ vires, ne diffluerent ad congruos sibi motus. Tunc namque vis generatiua non exarsit; siquidem in eo statu homines nescij libidinis non aduerterant se esse nudos. Appetitus concupiscibilis rationis arbitrio regebatur, vt & tactus erat delectationis incurius. Sed vbi iustitia originalis extincta est, illæ omnes facultates à rationis regimine deuiarunt, rapiantes hominem præcipuè ad id, quo originale peccatum contrahit, id est, ad libidinis illecebras, quæ sanctiores etiam homines vexant. Vnde nulla est virtus, quæ grauiora certamina sustineat virginitate, atque adeò nulla magis indiga gladij, quo se contra impura validè tueatur.

Matth. 10.

Virgines eo gladio armari debent, quem suasit Christus virgo virginũ omnium typus, ita fatus: *Non veni mittere pacem sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Gladius Christi diuisio est: appetitus illiciti; hostes domestici hominis, sunt iniurij castitati: qui ab eis actus secernit illicitos, industriè vtitur gladio quem acuit Christus. Igitur; ô virgines, cauete omnia quæ lacessunt puritatem, recedite ab epulis, choreis, aliisque cœtibus inhonestis, inuigilate vestris sensibus, sicque gladio accinctæ eritis audientes dicta Domini consultoris. Ad hunc expeditum gladij vsum nos vrgere debent quotidiana discrimina, in quæ incurrit virginitas, iuxta illud Augustini effatum. *Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt prælia castitatis; nam ibi continua pugna, & rarior victoria.* Adeò iugis est controuersia rationis, & appetitus suadentis illecebras, vt castitas ferè nequeat definiri sine mentione edomiti appetitus, vt Augustinus insinuat hoc contextu. *Castitas est per edomitas vitiorum furias munda, & honesta corporis habitudo.* Cùm ergo vndique impetatur honestas; sensus occludat virgo, ne illis constrepant. Præcipuè oculos contineat, ne effusi incurrant in alios, quorum concursus excitare queat Cupidinis incendia, vt monet Tertullianus. *Ea consuetudo virgines deligenda, quæ virgines includit, soli Deo notas, quibus præter quod à Deo non ab hominibus captanda gloria est, etiam ipsum bonum suum erubescendum est.* Et infra. *Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem est libidinis, & videri, & videre. Tam sancti viri est subfundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si a viro visa sit* Nam discolor sexus in eamdem luxuriæ abyssum impellit dispares appetitus, dispares quidem sexu, sed libidine pares.

Gladius à Christo allatus quid significet.

Castitatis prælia duriora.

Ex SS. PATRIBVS. *August. lib. de definit.*

Castitas quid sit.

Virgines includendæ. *Tertul. lib. de veland. virg.*

Virgines fugiant videre & videri

Fœminas fugiunt viri sancti.

Itaque cuiuis sexui cauenda est sollicitè societas æmuli sui sexus. Sic sibi consuluit Sanctus Gregorius ille Nazianzenus, virginitatis amantissimus, qui solitariam agens vitam in villa procul ab vrbe, vbi audiit Valentinianum villæ Dominum, illuc adduxisse fœminas, statim inde aufugit, eo rescripto ad Valentinianum misso. *Tu nos per Euam a paradiso expulisti.* Gladij vsum non concessit Christus, vt inquiramus hostem, sed vt ingruẽti fortiter obsistamus. Et id equidem optimè fit fugâ, quæ est diuisio ab omni ansa delinquendi. Adde, coronas adsciscere sibi gladios vt seruentur, vnde cùm virginitas sit indiuidua coronæ comes, patitur insidias quibus est gladiis occurrendum.

Ex HISTORIA. *Greg. Naz. epist. 196.*

Fœminas fugiebat S. Greg Naz.

Vt autem præfatus sum; secessus est fortis armatura, seruans virgines illibatas, quibus aptare potes symbolum Theobaldi Cardinalis Arragonij, qui malum punicum pingens illi adiecit hunc titulum. SVB CORTICE TEGO, grana scilicet purpurea, semina malorũ punicorũ. Nota hæc poma esse coronata, & eorum acinos rubere veluti pudibũdos. Virgo instar mali punici corona insignitur, semina virtutũm quàm plurima corde suo abdita concludit, dummodo oculis hominum refuga se subducat. Deus hoc symbolo vtitur affatus sponsam Canticorum. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua.* Etenim virgo visa rubet, pudorem SVB CORTICE TEGENS.

Ex SYMBOLIS. *Ioann. Ferrus part. 2. Theat.*

Virginitatis egregium symbolum.

Cant. 4.

Hoc

Hoc igitur tibi altè insideat, ô virgo: si quæ semina tibi insita sunt actionis alicuius emeritæ, hæc SVB CORTICE TEGENS, ne pereas dum te plus nimio prodis.

Luxuriæ ęsum pauci effugiunt.

EX MATHEMATICA.

Hippoc. lib. 2. coac. cap. 12. pranot. 18.

Sensuum custodia consulit castitati.

Ex re etiam Medica liquet, quàm debeant esse virgines anxiæ, ne si ignauia diffluant excidant puritate illa, cui lumborum obscœna colluuies nititur semper aliquid turpe affingere. Sic Hippocrates. Ὀσφύος ἄλγημα μετὰ κώματος ἀσώδεος κακόν *Lumborum dolor cum comate anxio pestiferus est.* Vbi enim lumbi æstuant, & veluti aculeis lancinant ægrum, sopor est instantis fati prænuntius. Nemo sanè est, cui non sint importuni lumborum aculei, ideoque cauenda est sensuum incuria, quæ est veluti animæ somnus, castitati noxius & lethalis. Virgo vigiles agat excubias, ne quidpiam fœdum irrepat in cor somnolentum.

EX MATHEMATICA.

Ptolemæus lib. de signific. syderum inerrant.

Non est etiā reprobāda animaduersio Ptolemæi, qui ait constellationem illam cui nomen hœdi cum Sole oriri, post Virginis ortum die XXVIII. Septembris, magnasque in mari excitare tempestates, quas ille validas & horridas vocat. Experiuntur has procellas virgines omnes, quas hœdi subsequuntur: nam libido à tergo virgines vrget motibus inquietis. Idcirco sicut in maris æstu nautæ inuigilant sibi ne pereant; ita res etiam virginum agitur, quando sibi consulunt excubantes. Quod hic audit corporum integritas, id etiam dictum volo fidelibus, quos deficit illa virginitas carnis, sed tamen exornat cor integrum Domino consecratum. Habent namque omnes quod satagant, laborantes ne gratia Dei incautos destituat, sed potiùs ea iugiter exornentur. FAXIT DEVS.



HOMILIA DE SANCTA ANNA.

SVMMA HOMILIÆ.

I. ANNA sterilis, Dei gratia singulari fœta, Mariam peperit, quæ significat Dominam & illuminatam. Ita anima etsi natura sua impos ad opera cœlo digna; tamen Deo miserante fœcundatur, & hoc ego dico prima parte istius Homiliæ.

II. Secunda verò parte dico, animam Deo gratam exerere actiones, quas nomen Mariæ sonat, id est illuminatas, & dominium sui comprobantes.

PRÆFATIO.

Corona senum filij filiorum.
Prouerb. 17.



TAMETSI fuerit vsquequaque sanctum templum Salomonis: illius tamen sanctior locus electus est, vt in eo locaretur fœderis arca, digna sanè illo sacrario, cui nomen fuit, Sancta Sanctorum. Ita quamuis Gens Hebræa multas recenseat mulieres pietate insignes, vt Iudith, Esther, & alias; Maria tamen fœderis arca apud eas non fuit reposita. Operæpretium fuit condere Beatam Annam, quæ reuera fuit Sancta Sanctorum, parens vtique præcipuorum omnium Sanctiorum, scilicet Christi & Mariæ, quorum decus ingens redundat in hanc Annam, vt insinuat ille locus proposito themate prælibatus. Corona senum filij filiorum. *Hæc equidem Sancta Sanctiorum singularem exigit cultum, & præcipuè à Mariæ clientibus, qui pietatem suam in virginem probare nequeunt, si suum obsequium pendere detrectant matri, quæ peperit matrem omnium nostrum Deiparam, cui solita vota exhibemus, affati eam Angelico ritu.* Aue Maria.

NEquaquam immemor sui natura prouida, sibi semper constans, vllius rei interitum vult, nec eo fine suas explicat vires, vt destruat aliquid; nemo quippe intendens ad malum operatur. Vnde quiquid corrumpitur seo intento à natura immutatur, vt inde aliquid aliud exurgat perennius; vt videre est in plantis effœtis, quæ pereuntes relinquunt semina, quibus possunt postea propagari. Hinc in Lycæo sæpius intonuit illud axioma, *corruptio vnius est generatio alterius.* Esto suas habeat natura vices, quæ alternant, quandoque gratior in re producta ex alia pereunte, quàm fuerat in re quæ periit; sicuti quando ex terra immutata producit aurum, & gemmas; nonne ditiori modo consulit hominibus, quàm si iugiter eadem terra coaluisset in glebam infœcundam? Quamuis inquam natura magis propitia videatur, reparando ruinas rerum, quàm si incuria desereret eas senio fatiscentes: Dei tamen dignatio maior elucet in hominum cura: Paradisum ille construxerat in quem introduxit Adamum, & Euam, stirpis humanæ proceres; locum hunc peramœnum alluerat fonte, quo terra desudans gramina germinarat, & vario stipite luxurians arbores ediderat multis fructibus exornatas. Vbi homo à Deo defecit, pessum iit ille locus, cui diruto ingemuit omnis Adami prosapia.

Fuit reuera illud excidium malum omen, cui fidem fecit malorum ilias, quæ homines excepit factos obnoxios iræ Dei. Sed vt miserationes eius sunt super omnia opera eius; deleto specioso illo loco, alium paradisum gratiorem erexit; in quem introduxit prima

reparationis

reparationis hominum capita. Paradisus ille est Beata Anna, in quam Deus infudit omnium matrem, scilicet Mariam, cuius sanguine concreta est caro Christi, qui sic fuit in vtero Beatæ Annæ, quæ suo ergastulo conclusit Virginem Deiparam. Itaque Anna paradisus est, è quo prodiere Iesus & Maria proceres Ecclesiæ. Licet prior hortus Eden fuerit ingens homini beneficium à Deo elargitum; tamen vberior gratia fuit illa, qua Deus Ecclesiam dignatus est creando Beatam Annam Sic hæc gratia priori dono adiecta Deum prodit gratiorem hominibus extitisse, quàm fuerat in editione prioris paradisi; atque ita impletur effatum illud Codicis sacri. *Gratia super gratiam mulier sancta.*

Eccles. 26.

Anna quid significet.

Anna mulier sancta nomine suo חנה *hanna* gratiam significat; gratia autem est paradisus longè melior altero, qui erat ordinis naturalis; hæc autem Angelorum naturam transgreditur, quia gratia transilit omnes naturæ fines. Prior ille paradisus, erat arbore vitæ insignis; Anna vero tulit arborem, quæ parturiit Christum, quo extincti antea homines fuere recreati. Angeli excubabant ad fores paradisi; Anna multis etiam Angelis stipata fuit, & ab his didicit se fore matrem Virginis Sanctæ. Paradisus ille alter, admirabili fonte madens multifariam floruit, sed tandem euanuit; Anna verò multis irrorata gratiis adeò speciosa effecta est, vt gratiam prioris extinxerit paradisi, nusquam beato statu excidens, aut marcescens, atque adeò magis diuturna quàm illa Anna, quam perennam coluere Gentiles, hanc sæpius inclamantes his vocibus: O Anna perenna, Anna perenna. Fuit illa soror Didus Reginæ Siculæ, quæ submersa est in flumine Numico, vnde quandoque loqui credita est, vt Ouidius mentitur hoc versu.

Anna perenna quænam fuit.

Ouid. lib. 3. Fast.

Ipsa loqui visa est, placidi sum Nympha Numici:
Amne perenne latens, Anna perenna vocor.

Perperam ista Ouidij Anna perenna vocata est; nam cultus eius effluxit cum flumine quo mersa est; sed Beata Anna, verè Anna perenna, quam nulla vnquam delebit obliuio; ista inquam Anna senij expers, præteriens omnia sæcula perennabit. Benè nomine suo gratiam hæc prætulit, quia Deus eam prælegerat ad hoc insigne decus, vt Mariam matrem gratiæ sæculo parturiret, etsi aliunde sterilis esset. Et hinc ego duas partes istius Homiliæ elicio. In prima dicam, animas nostras esse steriles, nec posse gratiam parere nisi cælitus impregnatas. Altera vero parte dicam, animas Dei gratia insignes parere Mariam, id est, egregia opera perpetrare. Maria namque illuminatam, & Dominam significat. Cùm audis, Annam peperisse Mariam, hoc moraliter explica, animam gratiâ Dei fœtam esse idoneam ad edenda præclara facinora.

Pars Prima Homiliæ.

Dei donum est, quod anima sit in gratia.

Gratiæ influxum esse solius Dei donum in animas influentis, est res scitu dignissima, & omnibus seriò prædicanda, ne quis genio indulgeat, arbitratus se saturatum illecebris, rediturum in gratiam cum Deo ad arbitrium suum. Eo delirio Dæmon plerosque adeò dementauit, vt credant eum qui peccare potest, posse etiam suopte ingenio repetere gratiam vnde excidit crimine perpetrato. Theologia occurrit huic errori, probans gratiam non esse negotium humanæ potentiæ, sed vires excedere etiam Angelorum, quibus res est inconcessa, gratiam hominibus impertiri. Nam esto contraria queant idem subiectum afficere; non tamen congrua est hæc sequela: Homo seipso peccare potest: Ergo & suo Marte potest redire in gratiam cum Deo; gratia enim & peccatum inuicem opponuntur. Valet argumentum in rebus physicis, & eiusdem ordinis: at gratiæ & peccato nihil est commune, quia gratia est superioris ordinis, & peccatum est materialiter iuxta naturam partis animalis, vel infra naturam respectu rationis, atque ita homo reus nequit pro arbitrio suo gratiam expunctam denuò reuocare. Vnde facilius fuit sterili Annæ concipere filiam, quam animæ reprobæ concipere gratiam. Etenim potest pharmacis natura adiuuari; sed hæc eadem natura nequit reparare gratiam, cuius passiua est homo deliquium, cum gratiæ illapsus in animam sit dignatio Domini miserantis.

Ex Theologia.
Thom. 1. 2. qu. 112. a. 1.

Gratiæ influxus quare Dei solius sit.

Hoc itaque ratum esto; scilicet animam esse infœcundam solo suo conamine, si res sit de gloria æterna, ad quam cùm gratia dirigatur, nulla omnino gratia dici potest ordinis naturalis, etsi tantùm sit excitans vel præueniens, nisi fortè remotè & quoad substantiam, sicuti dicimus assensum intellectus initiati fidei mysteriis, & propensionem voluntatis effusæ in Deum esse actiones naturales quoad substantiam, quia naturale & consentaneum homini est, adhibere fidem veris, & vltro ferri in bonum sibi consonum. Quòd si iidem actus spectentur in modo attingendi suum finem, erunt supernaturales: sicut & omnes intimæ motiones, quibus anima percellitur in Deum nos præuenientem & excitantem his motibus. Licet enim omnes gratiæ excitantes & præuenientes non iustificent hominem impium; non desinunt tamen esse superioris ordinis, quia eum sollicitant ad aucupandam gloriam æternam, ad quam assurgere, est extra sphæram actiuitatis hominum, quos natura suis cancellis conclusit. Hinc, esto naturale sit hominem arguere, & meliorem ei frugem suggerere, dicique queat illa admonitio, gratia Dei excitans remotè: non ideo tamē præcisè anima excitatur, quia salutare eloquium auribus insonuit; alioquin omnes flocci homines æquiore ritu viuerent, audita à præcone Dei censura vitiorum. Sed insuper eget homo singulari Dei auxilio reuocante animam ab affectibus inolitis; & licet plerumque reprobus gratiæ illius præuenientis & excitantis obsequium faciat irritum: illa tamen est ordinis supernaturalis, quia anima sterilis est, nescitura partum nisi cœlitus impregnata. Vnde si quando occurrat, gratias præuenientes & excitantes esse ordinis naturalis; hoc sobriè intellige de gratia latè sumpta, & de anima remotè excitata ad sanctius ineundum vitæ schema.

Gratia excitans est superioris ordinis.

Nemo

Præsumptio Petri fecit vt negarit Christum.

Ex SS. Patribus.

Auguſt. lib. de grat. noui teſtam. cap. 14.

Nemo igitur blandiatur ſibi de gratia, quaſi ea ſit effectus proprij conaminis: ea quippe præſumptio, gratiæ occaſum vtplurimum antecedit. Noſſe autem à Deo ſolo gratiam eſſe, hoc facit ad gratiæ amplius incrementum. Ideoque ſolus Petrus Chriſtum negauit, quia ſolus ſibi fore gratiam præſumpſerat inconcuſſam. Vnde Auguſtinus ita fatur: *Ipſe Petrus ex egregio præſumptore, tam creber negator effectus.* Eſſe autem gratiam merum Dei donum, ipſe idem ait. *Ideo gratia, quia gratis datur. Ideo gratis datur; quia non quaſi merces redditur poſt diſcuſſionem meritorum, ſed donum datur poſt delictorum veniam.* Tamen etſi nulla hominum merita queant primam gratiam ex condigno demereri, non ideo vacare debet homo à bonis operibus, ſed potius ſeriò ſe accingere ad hoc Dei munus. Etenim Deus iuxta hominum indolem liberam nunquam influit in inuitos; ſed eorum affectum rimatur attentè, an ſit gratiæ inſtanti idoneus. Affectum autem ſuum prodit homo operibus congruis Deo placitis, vt ſunt gemitus peccatorum, & propoſitum tenax vitæ componendæ in meliorem ſtatum. Deus præuiis hiſce rationibus, propria ſua bonitate inflectitur ad gratiam primam homini concedendam. Audiendus Auguſtinus. *Diues & larga Dei bonitas: quæ ſicut excedit vota, ita gratiam adiungit ad merita.*

Idem. ſerm. 61. De verbis Domini.

Gratiæ largitor eſt Deus liberalis.

Aug. ſ. 45 in Append. de diuerſis.

In figuram huius rei, Maria vtroque iuſto parente ſata eſt, videlicet Ioachimo, & Anna, quorum ſanctitas inde argui poteſt. Noluit enim Deus Mariam futuram aliquando Deiparam, impuro ſãguine procreari. Hinc Damaſcenus ita exclamat. *O beatum par, Ioachim & Anna! Profectò ex ventris fructu, immaculati agnoſcimini, vt Chriſtus ait: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Vt Deo gratum erat, ac dignum ea, quæ à vobis orta eſt, vita veſtra rationes inſtituiſtis. Caſtè etenim ac ſanctè munere veſtro functi, virginitatis theſaurum produxiſtis.*

Damaſc. orat. 1. de nat. B. V.

Quæres, quæ neceſſaria ſit homini diſpoſitio ad primam gratiam? Reſpondeo, eamdem propè, qua meruere Ioachim & Anna habere Mariam in filiam; ſcilicet viuendo ex præſcripto rationis, vt ait idem Damaſcenus. *O caſtiſſimum ratione præditarum turturum par, Ioachim & Anna. Vos vt naturæ legi conſentaneum erat, pudicitia conſeruata, ea, quæ naturam ſuperant, diuinitus conſecuti eſtis.* Terra primò edita eſt inanis & vacua; ſed vbi Deus imperauit, eam virere, & florere, ſtatim audiens dicto, virore & floribus ornata eſt, edidit que fructus. Ita & anima prima ſui editione nuda eſt, & imbellis, ſed Deo miſerante vernat affluxu vberrimo gratiarum, vt Anna primò neſcia fœtus, poſtmodum enixa eſt Mariam, & cum ea pancarpium, id eſt, fructuum omnium vbertatem. Pergit Damaſcenus. *Vinea vberrima ex Anna pullulauit, atque vuam ſuauiſſimam protulit, nectar mortalibus fundentem, in vitam æternam.*

Ibidem.

Maria eſt vinea.

Tametſi gratia cœlitus influat, ex mera Dei bonitate primam gratiam concedente citra meritum, effluit illa tamen conſciis hominibus incuriis tanti boni, vt etiam paradiſus ille diſperiit, homine eum non excolente. Si verò homo ſedulus gratiæ Dei inuigilet, ea donum eſt, in quod nemo habere ius poteſt, homine inuito, ipſo etiam Paulo Apoſtolo aſſertore; & aſpera quæque omnia prouocante. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Idcirco habes quo læteris, ô anima Deo grata; tui quippe iuris eſt donum illud, excedens omne id prædiues quod naturæ ambitu continetur. Irrito conamine in gratiam Dei inſurgunt mundus, caro, Dæmon; nimirum donum hocce nequit auferri ab anima reluctante.

Rom. 8.

Fauet ius Ciuile, quo donata à Principe nulli alij poteſtati ſubdita ſunt, ſed integra manent iis, in quos ſeſe gratiæ Principum effuderunt. Ecce legem Iuſtiniani Imperatoris. *Cum multa priuilegia Imperialibus donationibus iam præſtita ſunt, dignum incrementũ & his conferre noſtra dignata eſt clementia. Si quis igitur à sereniſſimo Principe, vel à piiſſima Auguſta ſiue maſculus, ſiue fœmina donationis ſit conſecutus, vel conſecuta, ſiue mobilium, ſiue immobilium, ſiue ſe mouentium rerum, filius familias tamen conſtitutus vel conſtituta, habeat huiuſmodi res omni acquiſitione abſolutas, & nemini eas acquirat, neque earum vſumfructum pater vel auus, vel proauus ſibi vendicet, ſed ad ſimilitudinem caſtrenſis peculij omnem facultatem in eas filij, vel filiæ familias habeant. Vt enim Imperialis fortuna omnes ſupereminet alias; ita oportet & principales liberalitates culmen habere præcipuum.*

Ex Ivre Civili. Leg. Cum multa Cod. De bonis.

Gratia Dei eſt donum ſimile donis Imperatorũ.

Ne ergo tuo deſis officio, anima iuſta, & excidas Paradiſo, in quem te gratia Dei compoſuit, operare & exantla facinora digna donis, quæ tibi Deus impertiuit.

Pars Secvnda Homiliæ.

Quos gratia Dei effectus exerat.

Operi, & paradiſo eſſe indiſſolubilem nexum, liquet ex Codice ſacro, hominis ortum hac verborum ſerie recenſente. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.* Cùm ergo anima gratiâ Dei conſpicua, ſit veluti paradiſus, debet etiam præclaras exercere actiones: neſcit quippe moras gratia, vtpote forma viuax, quæ dat quoddam eſſe ſpirituale & Diuinum animæ, quæ ſic efficitur Diuinæ conſors naturæ, vnde Deiformis anima hæc dicitur à Sancto Thoma. Ergo illa anima participans aliquali modo naturam Dei, debet etiam pro modulo ſuo Deum æmulari. At Deus ſemper in actu odit ignauiam, eaque qua poteſt contentione agit ad intra, ſemper intelligens, & iugiter amans, idque quod procedit ex ea intellectione & amore, vt Deo dignum Deus eſt, ſcilicet Filius, & Spiritus Sanctus. Igitur anima Deo grata ita ſe accingat, vt tota in Deum efferatur intellectu & voluntate, Deum mente iugiter verſans, & integro affectu in eum ſemper anhelans, beatum hunc ſtatum congruo opere propalante.

Gen. 2.

Ex Philosophia. Thom. in l. 1. ſent. diſt. 18.

Gratia Dei ſemper animam ſollicitat ad egregia opera.

Anna

Anna pariens Mariam, id est, illuminatam, & Dominam, illud insinuat edocens omnes fidelium actiones debere elucere & ardere, ita vt lux rectæ rationis vsum ostendat, & ardor amorem in Deum, quo debent singulæ quæque Christi amore animæ conflagrare. Hic igitur esto primus effectus gratiæ, scilicet vt animam efficiat paradisum; nam ei impertit semina virtutum omnium, quibus anima vernare potest, si excolat hæc virtutis optima rudimenta. Iugis operatio animæ in Deum effusæ non est quietis impatiens, imò in eo pax summa est sita vt Deo suo anima vniatur. Nequit autem vniri Deo anima, nisi intelligendo, & amando Deum, atque ita summa pacis æternæ dicit actionem. Ex hoc paradiso emergit Domina, quando anima sancta nihil humile, aut seruile gerit, semper sui compos, & nullius iniquo imperio addicta. Ratio est hæc: Qui se Deo totum obstrinxit, Deo nequit esse iniurius: Sed gratia animam totam Deo deuincit vtpote animæ substantiam afficiens; atque ita potentias animæ eidem Domino consecrans: Ergo quidquid agunt Sancti, illud sonat eos esse sui iuris, & detrectato creaturarum obsequio, se vni Deo Domino mancipari.

Ex Historia. *Ruffin. lib. 2. cap. 16.* Beneuoli nobilis constantia. Conscientia bona quanti facienda.

Locuples in eo argumento prostat historia Beneuoli. Is fuit fuit à secretis Valétiniani Imperatoris, cuius mater Iustina Augusta mulier Arriana, cùm vrgeret Beneuolum hominem orthodoxum, vt dictaret leges in gratiam Arrianorum, adiiciens se facturam eumdem Beneuolum insignem adiectione honorum ampliorum; ille pertæsus impietatem fœminæ iniquæ, ait: O Augusta, perperam Beneuolum tentas, spe digniorum infularum, vt extorqueas rescriptum propitium hæreticis: Absit à me tantum nefas, tuos ego dedignor honores, eosque quibus emineo lubens depono, potius quàm subscribere iniquæ petitioni tuæ: Mihi honorum summa est, illibata conscientia præferenda regno. Obstupuit mulier Arriana & mirata est inuictum animi robur, in homine gratia Dei conspicuo. Profectò ille Beneuolus æqua lance pensauit sæculi præmia, quando ea flocci pendit, ne excideret eo paradiso, quem sincera conscientia secum vehit. Nonne actio illa integrum dominium probat, quo voluntas hominis Deo grati, mulieri impiæ noluit inclinari. Rutila etiam lux ei affulsit, qua potuit discernere, Iustinæ esse impia postulata. Habes eo exemplo, illud omne quod intendo, videlicet animam illam esse paradisum, cui gratia Dei insedit, & rursus eamdem animam probare gratiæ præsentiam præclaris actibus, qui ostendant in voluntate dominium, & in ratione lucem desuper illucentem.

Ex SS. Patribus. *Damasc. orat. 2. de Natiu. B. Mariæ.*

Hæc omnia apposite figurantur in Beatæ Annæ partu, quem sic meminit Damascenus affatus Annam & coniugem eius. *Vos pie ac sanctè in humana natura versati, Angelis superiorem, ac nunc Angelis dominantem filiam, in lucem extulistis.* Et infra. *Ioachim, & Anna sibi ipsis ad iustitiam seminarunt, ac vitæ fructum messuerunt. Illuminauerunt sibi ipsis lumen scientiæ, ac Dominum exquisierunt, germenque iustitiæ ipsis venit.* Audis fœtum dominantem Angelis, & luce sua parentibus suis affulgentem. Accipe item Augustinum confirmantem meam sententiam, scilicet hominem cælitus immutandum, vt sit in gratia, & eumdem in eo statu opera congrua depromentem. Sic ille. *Prius est mutandus homo, vt opera mutentur. Si enim manet homo in eo quod malus est, bona opera habere non potest. Si manet in eo quod bonus est, mala opera habere non potest.*

August. lib. de verbis Domini serm. 11.

Opera bona quomodo & à quo fiant.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 110. art 1.* Gratia quomodo faciat hominem bonum.

Quomodo autem gratia Dei hominem sollicitet ad bona opera, disces hoc discursu. Gratia hominem efficit bonum in ordine ad esse supernaturale, sicuti virtus eum facit bonum in ordine ad esse naturale; at bonitas cuiusque rei est duplex, vna absoluta, alia relatiua: bonitas absoluta est ipsa rei perfectio: bonitas relatiua, est id omne quod conducit ad perfectionem, seu complementum rei. Bonitate absoluta homo bonus est, quando Deo gratus: ergo perfectus saltem in affectu; at cuiusque rei perfectio in operatione consistit: sicque liquet gratiam hominem vrgere ad bona opera iugiter exercenda. Rursus gratia perficiendo essentiam animæ, cui inest vt subiecto, perficit etiam potentias, illuminando intellectum in his quæ Dei sunt, & afficiendo voluntatem ad Diuina impigrè amplexanda. Ergo voluntas Deo cælesti lumine apprehenso, in eum effundetur affectu, & inibit vias omnes, quæ in Deum tendunt. Sed via compendiosa ad Deum ducens, est via regia trita ab omnibus Sanctis, qui bonis operibus iugiter insudarunt. Igitur cùm via bonorum operum maximè conueniat hominis statui completo, & de ratione bonæ voluntatis sit, ferri in bonum congruum; proculdubio anima gratiæ Dei compos, vires suas omnes ad virtutum praxim explicabit. Itaque referet Annam Deiparæ matrem, quæ Deo miserante fœta enixa est puellam, quæ nomine suo lucem dominiumque tulit.

Ex SS. Patribus.

Bona opera lumen ingerunt oculis proximorum, eosque erudiunt quò sit properandum, scilicet ad Dominum, cuius gloriam ampliare contendunt omnes, qui virtutum praxim impigrè profitentur, iuxta consilium Christi. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Quem locum expendens Augustinus ait: *Homo cum benè faciens videtur ab hominibus, intentionem boni facti habeat in conscientia sua; intentionem verò innotescendi non habeat, nisi in laudibus Dei, propter eorum quibus innotescit vtilitatem, quibus hoc prodest, vt Deus placeat, qui hoc præstitit homini; atque ita non desperent, etiam sibi si voluerint hoc posse præstari.* Itaque Dominum Deum probant, & prædicant illi qui bonis operibus irradiant, quæ sunt Christiani nominis argumentum. Nam ex Tichonio. *Sicut magnam arborem virere, & fructum non reddere nihil prodest; sic nihil prodest Christianum dici, & Christiana opera non habere.* Radicis integritas se fructibus aperit; ita & gratia bonorum operum radix, se vegetam & viuacem actione probat, ex Pauli Apostoli disciplina. Sic ille. *Si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.*

Matth. 6.

August. lib. de verbis Domini serm. 2. Intentio boni operis Deo soli innotescat. Christianus quis sit.

Tichon. in Apoc. hom. 2.

Rom. 11.

Canones sancti clamant illud gratiæ Dei commercium cum bonis operibus. Ecce textum. *Gratia, quæ per Christum datur, non solùm peccatorum remissionem facit, sed etiam vt lex impleatur, vt natura liberetur, ne peccatum dominetur.* Legem implere, est arduis operibus incumbere, & id Diuina gratia suffragante. Nec est quòd causeris naturæ deliquium contractum in Adami lapsu; gratia namque corroborat imbelle hominum genus, & accingit ad opera generosa. Hoc suggerit iste Canon. *Hoc meminisse debemus,*

Gratia facit vt lex impleatur.

Ex Ivre Canonic. *Can. Gratia. de consecr. dist. 4. Can. Non ex quo. §. Hoc meminisse de consecr. dist. 4.*

Baptismus non hominem totum immutat.

debemus, tantummodo omnium peccatorum plenam perfectamque remissionem baptismo fieri: hominem verò non totum commutari continuò; sed in benè proficientibus de die in diem nouitate crescente, commutari quod vetustum, & carnale est: donec ita renouetur, vt animalis infirmitas corporis, ad firmitatem spiritualem, incorruptamque perueniat.

Ex Philosophia. S. Thom. in lib. 4. Ethic. lectione 2.

Philosophiâ etiam consciâ astrui potest propositum thema; scilicet gratiam bona opera parturire. Ab eo à quo res habet esse, habet & operari: Sed res omnis habet esse suum actuale, & existens à forma: Ergo habebit ab ea operandi modum; alioquin omnia agentia essent eiusdem virtutis, cùm eadem materia praiacente coalescant. Itaque homo Deo gratus habet esse supernaturale à gratia vt à forma, quæ potentias omnes animæ & corporis diriget ad dictamen rationis. Quòd si hæc forma superioris ordinis, homini adiecta à Deo, non eum prouocaret ad opus, esset deterioris conditionis, omnibus aliis formis, quæ omnes actiuæ sunt, iuxta illud axioma. *Vnumquodque est propter suam operationem.* Præterea positis omnibus requisitis ad agendum, & remoto omni obice, sequitur actio debita formæ, quæ se ad opus accinxit. Vbi autem est gratia, remouetur obex, qui exurgit ex parte sensitiua valde imbelli quando gratia præualet. Ergo anima sancta, multa virtutum praxi omnibus elucescet.

Ex Re Medica. Fern. lib. 4. cap. 1.

Opportuna etiam est illa obseruatio Medicorum, qui viuentibus aiunt esse insitum calorem sidereum, quem qui magis participant, hi viribus & fortitudine aliis præstant: nec alia ratio distinctionis sexuum affertur à medicis, quàm differentia graduum caloris, quos plures esse affirmant in maribus, quàm in fœminis. Hinc vir fœminâ robustior est, quia calore illo cælesti ampliore viget. Si ergo tantùm potest ad exerendas actiones physicas calor ille cælestis; coërcitus tamen intra naturæ fines, quæ etiam eum bestiis impertit, quæ hoc œstro calent, habentque spiritus animales pellucidos, & validos motus. Quid operæpretium est opinari de gratia Dei, cùm cælitus influit in animas? Profectò illa hominem ad Heroicas actiones euehet, & iugiter excitabit: Deo non ferente animam sequi ductum deuiantis appetitus, turpia & vilia suggerentis.

Gratia liberas facit animas.

Ex Ivre Civili. Leg. libertos. Cod. de obsequiis.

Gratia nos obligat seruire Deo.

Fauet Ius Ciuile, quo nefas est homines non ingenuos tantùm, sed & libertos addicere seruili negotio. Ita sanxit Gordianus Imperator. *Libertos siue libertas, maximè quibus imposita opera non sunt, consuetum potius obsequium, quam seruile ministerium manumissoribus exhibere debere, neque vincula perpeti, non est opinionis incertæ.* At gratia non libertos tantùm facit, sed & ingenuos, vtpote natalibus restitutos, vt testatur scriba sacer. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Cùm igitur homo prior editus fuerit in gratia, & ad opera egregia, quibus debebat paradisum excolere, debemus & nos eodem iure gratiæ vtentes, bonis etiam actibus exerceri; quandoquidem Deo miserante gratia nos restituit hisce natalibus, inde simus ingenui, & à vili obsequio penitus alieni, hac Imperatorum sanctione, ita decernente. *Natalibus antiquis restituti liberti, ingenui nostro constituuntur beneficio.*

Ioan. 1.

Leg. Antiquorum. Cod. de iure aureorum.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus p. 2. Theatri. Superbiæ nequitia quanta sit.

Hoc igitur esto symbolum idoneum, & Beatæ Annæ, & animæ Deo gratæ, scilicet virga Aaron fronde virens, flore vernans, & fructibus exornata, cui Ferrus has affinxit voces. Semine ab æthereo. Gratia est cæleste semen, quo anima nostra sata floret, & bonorum operum fructus profert, iugiter emergentes. Mens itaque memor omne bonum esse Semine ab æthereo, ne insolescat insita virtute tumens; alioquin semine illo emortuo, spinas & tribulos anima sibi reddita germinabit, & marcescent continuò fructus, quibus fuit antea gloriata. Ita Augustinus. *Alia quacunque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur vt pereant. Quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo.* Totum quo viret anima esse Semine ab æthereo, ait idem Sanctus. *Et nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram, id est, cum facit animas reuirescere per verbum suum.*

Ex SS. Patribvs. Aug. institu Regulæ ad seruos Dei. Idem lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 4.

Beatæ etiam Annæ quadrat hoc symbolum, quæ sterilis indiguit ope Dei singulari, qua vt Semine ab æthereo Mariam enixa est, quæ vt præcipuum mundi miraculum debuit habere præuia alia miracula. Nimirum debuit sterilis Anna parturire, antequam Virgo Maria conciperet, vt totum esset prodigij, quod ad Deiparam pertinebat. Ea fuit Damasceni sententia in Beatæ Annæ partu subodorantis grande mysterium. Sic ille: *Humanæ sterilitatis depulsionem celebremus; quandoquidem bonorum sterilitas, ac velut mutilatio a nobis submota est. Quid autem est, cur Virgo mater ex sterili orta sit? Quoniam scilicet oportebat, vt ad id, quod solùm sub Sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur. Etenim natura gratiæ cedit, ac tremula stat progredi non sustinens. O par Beatum, Ioachim, & Anna! vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam matrem, quæ sola Creatore digna erat.*

Gratiæ Dei obsequio virescit anima. Damascen. orat. 1. de Nat. B. Maria. B. V. Maria quare nata sit matre sterili.

Quamuis Anna suis meritis extiterit Deo grata; nobis tamen illius gloria magis innotuit ex Maria & Mariæ filio. Debuit namque excedere omnes fœminas hæc, quam Deus prælegit in matrem Deiparæ, eique debetur cultus singularis potiori ratione quàm illi Annæ, quam Roma Gentilis adorauit, quia in maxima annonæ penuria copiosum frumentum dedit vrbi, horreisque suis apertis subuenit populo tabescenti. Sed facessat illa Anna haudquaquam comparanda nostræ, cui debet orbis Mariam, manipulum vnde habemus Christum frumentum electorum. Hanc & nos Catholici Romani veneremur Annam, exclamantes cum Damasceno. *Quàm beata domus Dauid, ex qua prodiisti, & venter in quo Deus sanctificationis arcam hoc est eam, à qua ipse sine semine in lucem editus est, condidit. Verè beata es, ac ter beata, quæ beatitudine donatum à Deo infantem, hoc est Mariam, nomine quoque ipso magnopere venerandam, peperisti, ex qua Christus vitæ flos extitit.*

Lilius Gyrald. syntagm. 1.

Damascen. orat. 2. de Natiuit. B. Mariæ.

Mariam perquàm acceptum habere cultum, qui Beatæ Annæ defertur, est res reuelatione scita; atque ita deprecantes Annam, matris & filiæ affectum conciliant sibi, multoque

experimento

experimento compertum est, adeò valida esse illius Sanctæ suffragia, vt vrbes integras grassante lue integrè sospitarit. Non hanc inuideo gratiam liberatis lethali contagio, sed optarim meliora charismata; scilicet iugem animæ sanitatem, à qua priusquam excidam, enixè efflagito, ô Beata Deiparæ parens, memet excipiant omnia mala soli corpori iniuria, dummodo Christo tuo fruar, iugiter amplexando. *Amen.*

HOMILIA DE S. MARIA MAGDALENA.

Vide infra Concionem Feria V. Dominica Passionis.



HOMILIA
PRO DIE DEFVNCTORVM.

SVMMA HOMILIÆ.

DE PVGATORIO.

I. VT Ecclesiastica Hierarchia composita est ad similitudinem eius, in qua sunt Angeli; ita tres dicimus esse classes Ecclesiæ, sicut & sunt tres Hierarchiæ Angelorum. Ecclesia triumphans est in cælo sita, Ecclesia militans in terra degit, Ecclesia demum patiens concluditur ergastulo Purgatorij, vbi temporalibus pœnis obnoxiæ animæ decoquuntur.

II. Superiores Angeli alios purgant, illuminant, atque perficiunt; ita tria hæc dispescuntur inter illas Ecclesias. Perfectio est Ecclesiæ triumphantis, illuminatio pertinet ad Ecclesiam militantem, purgatio verò probat Ecclesiam, quam patientem ab igne vindice nuncupamus.

III. De Purgatorio illo dicam priori parte istius Homiliæ, hoc ordine. Quæram primò, quorumnam animas vexet ignis ille Purgatorij. Secundò vnde facultatem habeat ille ignis animas repurgandi, & conciliandi Deo. Tertiò multiplici argumento fidem huiusce loci adstruam. Quartò refellam argumenta, quibus hæretici Purgatorium impugnant, in Catholicos huiusce rei gratia debacchantes.

IV. Altera parte Homiliæ recolam rationes, quæ nos inclinare debent ad animas adiuuandas, quas ille probat ignis. Hæc omnia argumenta petam à charitate, cuius est vrgere pios quosque, suis vt proximis adsint, cùm grauantur. Subiiciam tormenta, quibus cruciantur illic animæ. Denique hortabor ad hæc pietatis officia, quia multa bona pariet illud obsequium, quod fidelium animis exhibetur.

V. Demum explicabo, quibusnam potissimùm obsequiis quisque queat vexatas igne Purgatorij animas adiuuare.

PRÆFATIO.

THEMA.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Iob 19.

PRouidus ille rerum omnium opifex Deus, singula quaque suis ita dotibus instruxit, vt nihil omnino sui conditoris audeat neque velit carpere parcitatem. Vt homo primas obtinuit in hac contextura rerum, vtpote Dei vices agens in hoc Vniuerso; ita Deum expertus est in se magis beneficum: quidquid enim orbe toto fuit sparsum conducens ad ornatum atque decus orbis, illud decernente Deo totum influxit in hominem, qui statim ab ortu suo dignatus est Paradiso, velut loco ipsius congruo dignitati. Sed heu miserandus homo fuit impar ei sorti sublimi, ad quam eum Deus euexerat; quippe fuit dæmonis afflatu sui impos, & immemor obsequij, quod Deus ab illo sicut censum exegerat: namque malè suada vxore, cui diabolus illuserat, in liberalem Dominum, inanis gloriolæ appetitu percitus, insurrexit.

Statim pœna comes piaculi excepit hoc immane scelus: appetitor enim cælestis Paradisi est pulsus eo, cuius in terra fuit cultor, Deo sanciente foras trudendum hominem qui execrando superbiæ typho tumens, ad inconcessas cæli insulas aspirarat. Ne verò redux aliquando locum illum repeteret, aut saltem tentaret eò redire quasi postliminio; Deus Angelo vices has indixit, vt arceret inde nequam illum exulem, cui vt terrorem magis incuteret, gladio flammiuomo cum accinxit. Ecce sacræ Scripturæ locum: Eiecit Adam; & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. *Itaque tria occurrebant homini de suo in Paradisum reditu cogitanti. Hæc tria sunt, Angelus, ignis, & gladius; tres reuerà difficiles obices inuium facientes aditum huiusce loci peramœni, vnde rebellis homo Deo sæuiente fuit longè suo vitio relegatus.*

Gen. 3.

Sed vbi Deus hominem induit factus homo, tria hæc præfata, videlicet Angelus, ignis, & gladius, strauere viam nobis ad ingressum paradisi: gladius namque sonat mortificationem, cuius est resecare sollicitè voluptatum omnes surculos enitentes. Angeli nomenclatura pios omnes insinuat, quorum suffragia Deum flectunt in gratiam pœnitentis animæ, quæ corpore soluta nequit Deum demerere sibi. Demum ignis claustra sonat Purgatorij, vbi tota rubigo, quam contraxit anima tam confessa scelus, hoc igne vindice defæcatur. Vt illa repurgantis ignis pœna acerba suum extinguat incendium, Ecclesia hodie inducit animas ergastulo Purgatorij conclusas, vnde preces Angelorum, id est, piorum hominum efflagitant, vt illo precum obsequio vindicis huius flammæ termina mitescant, & definita carceris tempora decurtentur. Atrata nigricant altaria, & quæ triste sonant campanæ lugent, & fractus in lacrymas psallentium chorus hoc lugubre sonat: Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. *Cùm simus & nos aliqualis Ecclesiæ portio, nostras agamus partes in hoc lugubri concentu, ingeminando preces nostras, quæ vt proficiant defunctis in ærumna positis, non erit abs re vota nostra Deiparæ Virgini commendare.* Aue Maria.

Purgatorij pœnæ quomodo relaxentur.

COeuntes Angeli simul & homines in vnum eumdémque finem, nempe Deum, conueniunt, & in multis: Ecclesia quippe tota fidelium in tot præcipuas partes dispescitur, in quot Hierarchias diuiditur omnis series Angelorum. Vnde viget hoc effatum, Beato Thomæ vernaculum, videlicet Ecclesiasticam Hierarchiam deriuari à cælesti. Vt namque cohors Angelorum triplici Hierarchia concluditur; sic & Ecclesia distinguitur in triumphantem in cælis, in militantem in terris, & in patientem in Purgatorij carcere conflagrante. Vtque Deus instituit largius in superiores Angelos, qui inferiores purgant, illuminant, atque perficiunt; ita tria hæc, scilicet perfectionem, illuminationem, & purgationem sic distinxit, vt perfectio sit Ecclesiæ triumphantis, illuminatio Ecclesiæ militantis, & purgatio Ecclesiæ patientis. Cùm namque nihil nisi sartum tectumque Deus inserat cælis; est in confesso, suis omnibus numeris constare Sanctos, ex quibus coalescit triumphans Ecclesia, ad quã propriè pertinet perfectio, vt illuminatio conuenit Ecclesiæ, quæ militat, ne si pugnet in opaco, degens in tenebris, nequeat insidias hostis callidi declinare.

S. Thom. 1. p. q. 106. art. 1. Angeli superiores alios illuminant.

Dionys. c. 8. Hierarchia cal.

Hierarchiæ cælestis & Ecclesiasticæ comparatio.

Demum omnimodã purgatio animarum, ita commendata fuit Ecclesiæ patienti, vt rarus sit, qui euadat examen ignis huius, quem Purgatorium vocant ab effectu, qui totus est in purgatione situs: illic namque næui omnes animæ, id est peccatorum residuæ sordes & maculæ repurgantur. Quia verò durè purgans hæc flamma sæuit in animas, quæ illic repurgandæ degunt, illis hodie suffragatur Ecclesia militans, in fœcundas effusa preces, vt etiam conscia Ecclesia triumphante piis fidelibus detentis in illo flammiuomo carcere consulatur. Itaque priori parte istius Homiliæ dicam de purgatorio illo, fidem adstruendo loci huius, quem dubium fecere plures hæretici. Altera verò parte dicam rationes, quæ nos sollicitant, vt nostram impendamus opem in gratiam animarum, quæ Purgatorij flammis addictæ luunt pœnas, quas hactenus non dedere satis congruas perpetrato crimini diluendo.

Purgatoriũ vnde dictum.

Diuisio Homiliæ.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quorum animas vexet ignis Purgatorij.

§. I.

EX SS. PATRIBVS, EX THEOLOGIA, ET EX HISTORIA.

SOspitator hominum Christus, vt nos restitueret in integrum, homines accinxit eis rebus, quæ conducunt ad regressum in cælum, vnde primus homo pulsus à defectione sua turpiter exulabat. Illa duo propitia intento Christi sunt, ignis, & gladius. *Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Rursus ita recenset & gladium. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Ignis amorem significat, amorem inquam Dei, qui desuper accenditur in nobis: charitas namque nequit solis naturæ viribus exardere. Beneficio amoris huius anima pertæsa nugas huius sæculi, nusquam afficitur illecebris mundi, qui obiecta voluptate suis affectis illudit; sed charitatis æstu animã accensa, sua dirigit eò vota, vnde charitas influxit: & quia indoles illa fuit semper amoris, animam assimulare rei quam deperit; anima diuino amore flagrans, dum excedit è vitæ ærumnis, peruium habet cælum, illic æterno præmio laureanda.

Ignem, & gladiũ quare Christus miserit in terras.

Luc. 12.

Matth. 10.

Sed esto potens & efficax sit amor ad regressum hominis in cælum; multa tamen quandoque moras nectunt, & hominem sistunt, sicque ponunt obices ad anhelos amoris ausus, vnde piger homo pede velut offenso viam cæli capit. Has remoras plerumque caro immittit, & hoc iuxta vetus effatum. *Inimici hominis domestici eius.* Concupiscentia namque velut intestinus hostis, homini facessit negotium, etiam integra charitate. Non repugnat enim, carnem illibata charitate suos impetus in animam facere, quos vt frangat homo, Deus gladium attulit, quo stricto ferox illa caro suos nisus laxat, animã hoc cælesti gladio fortiter armatã, mali titillantis omnia membra conscia resecante. Vsum gladij huius ita consuluit

Amor Dei petit & vsum mortificationis.

Matth. 10.

Concupiscentia quàm sit importuna.

Matth. 5. fuluit Christus. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm corpus tuum totum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te.* Hoc contextu petulcum, & salacem membrorum vsum vetuit Christus, quando mortificationis gladio membra voluit amputari.

Gladij vsum petit amor.

Fortè Deus de industria constituit Angelum pro foribus paradisi, vnde fuit pulsus homo, vt gladio flammeo, quem versabat hic Angelus resciret exul homo, ignem, id est amorem esse parum constantem sine gladij consortio, id est, virtutum praxi, earum pręcipuè, quibus indictum est hoc pensum, vt spiritui iniuriæ carnis vitia compescantur. Et reuerà nemo redux in cælum adsciscitur futurus ibi paradisi ciuis, nisi beneficio ignis, & gladij, amoris scilicet & virtutis, qua vis sensibus infertur, & cuius studiosi violenter cælum rapiunt. Qui namque secus faxit, ille luet pœnas alterius ignis scilicet Purgatorij, & incurret in aciem gladij iustitiæ Dei: quippe duo hæc duntaxat restituere possunt homini paradisum. Etenim est in confesso, nihil coinquinatum admitti in cælum: at est anima coinquinata, cui maculæ insunt. Ergo næuis obnoxiæ defunctorum animæ, iustè Deo sæuiente luunt pœnas ignis Purgatorij, & gladij punientis ictus, quia neglexere faces amoris, & virtutis, quibus substituitur Purgatorium, vbi residuæ peccatorum fæces censura ignis & gladij deterguntur. Bifariam verò potest anima corpore soluta pati sordes, esto Deo grata sit, ac proinde procul ab inferno. Primo, si quando lethali peccato obstricta, contrita quidem, & confessa in extremo agone vitæ modum fecit, nulla prorsus pœnitentia indicta sibi, qua inflicta ritè pœnam debitam perpetrato crimini compensaret.

Purgatorio quænam sint animæ obnoxiæ.

Peccatum duo dicit culpam, & pœnam.

Quamuis enim Deus gratia iustificante nos à culpa absoluat; illud misericordiæ indultum non adimit censum, quem vnusquisque debet exsoluere iustitiæ. Peccatum quippe duo dicit, culpam scilicet, & pœnam. Misericordiæ beneficium est ablutio culpæ, sed non idcirco cadit iure suo iustitia Dei exquisita, cui non satisfit nisi pœnis in hoc vel alio sæculo persolutis. Hallucinantur hæretici somniantes culpam & pœnam esse res indiuiduas, ac proinde simul deficere; ita vt condonante Deo culpam, relaxetur pœna comes culpæ. A nobis est Scriptura sacra secus enuntians, & Dauidis exemplo fidem faciens isti veritati. Rex ille calens libidine, proximi sui torum infecerat, vtpote reus adulterij, cui & homicidium adiecit, vt nefandum actionis pessimæ colophonem. Tandem mediante Propheta Nathan, Rex ille sibi malè conscius, veniam culpæ demeruit, conciliato Deo ingenuâ confessione sui peccati, quam subsecuta fuit hæc indulgentia. *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Pœna tamen haudquaquam relaxata fuit; nam præter infantis obitum, quem ægrè tulit Dauid, regno fuit pulsus, & passus in se suum filium insurgentem.

2. Reg. 12. Culpâ remissâ non ideo pœna remittitur.

Has ærumnas fuisse Regi adultero, & homicidæ inflictas ob immane scelus, cuius erat iam culpa remissa, ipse Nathan insinuat; siquidem culpâ condonatâ Regi, has instare pœnas ait: *Dominus transtulit peccatum tuum; non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc;*

2. Reg. 12. Dauid quas luit pœnas ob peccatum.

filius, qui natus est tibi, morte morietur. Defectionem Absalon, quæ est subsecuta crimen hoc, fuisse appendicem pœnæ, cui culpa Regem obstrinxit, Nathan Propheta prius ore præscio nuntiarat. *Vriam, inquit, Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis Solis huius. Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël.* Non illa fuit censura minax tantùm, sed est sortita suum effectum, luente Rege pœnas has indictas tempore definito.

Instabit fortè nequam hæreticus: Christi Passione simul iam cum culpa pœnam dilui, iuxta Vatis oraculum. *Copiosa apud Dominum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Sed hanc ipse Deus in humanis instantiam soluet. Etenim locuples prostat in Scriptura locus, abundè litem hanc dirimens. En Christi Domini sententiam. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es cum eo in via, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.* Nihil omnino vacat in hoc Christi effato, sed multa latent arcana vocum sub tegmine, quæ Deo dante leui cuiusque vocis explicato cortice resoluemus. Igitur operæpretium est inuestigare, via quid sit, quid aduersarius, quid iudex, quid tortor, quid carcer, quid quadrans: sicque reserato sensu abdito inuolucris huius parabolæ, fracta velut nuce optato nucleo potiemur.

Psalm. 129.

Matth. 5. Purgatorij veritas adstruitur.

Via hîc vitam significat, iuxta Vatis vsurpationem. *Beati immaculati in via.* Textus enim iste totus metaphoram sapit. Aduersarius est lex Dei, quæ est inimica carnis, vtpote cuncta vetans quibus malè suada caro litat. Sic explicant Ambrosius, Beda, Augustinus, Gregorius, & Bernardus. Iudex est Christus; Tortor est diabolus, ex Theophylacto; vel Angeli boni, ex Ambrosio, & Augustino. Demum carcer Purgatorium sonat: ac proinde talis est sensus Christi: Dum est superstes vita, legi Dei obtempera, ne lex temerata Deo iudici te sistat, & ille reum te seu debitorem tradat Angelis detrudendum in carcerem Purgatorij, vbi minuta quæque peccata lues, non inde liber euasurus, nisi post quadrantem, id est, post leuia debita persoluta.

Psalm. 118. Lex Dei quare dicatur aduersarius hominis.

Ambr. Beda in cap. 12. Luca. Aug. hom. 1. de verbis Dom. Greg. hom. 39. Bern. ser. 85. in Cant. Theophyl. in c. 12. Luc. Ambr. ibid. August. l. 1. de serm. in monte c. 21.

Carceris voce Patres intelligere Purgatorium, quidquid contrà clament hæretici, eorum sententiæ subiectæ probant. Ita Cyprianus: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse.* Concors Ambrosius in eam iuit sententiam. *Quadrantem, inquit, in balneis dare, soluere remuneramur, cuius obligatione, vt illic vnusquisque lauandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi, quia vniuscuiusque peccatum*

Purgatorium est carcer vnde nemo exit, nisi debito persoluto.

EX SS. PATRIBVS.

Cypr. lib. 4. epist. 2. Ambros. in cap. 12. Luc.

suprascripta genere conditionis eluitur, cùm tamdiu exercetur noxius pœnis, vt commissi supplicia erroris expendat. Concinit & Bernardus hoc tenore: *Illud scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta redduntur, vsque ad nouissimum quadrantem.* Adiice & Tertullianum ita fatum: *Ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi quoque modico delicto mora resurrectionis expenso.* Subscribit Origenes Tertulliano suppar. Sic ille: *Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille, qui scribitur decem millia talenta debuisse, quanto tempore claudamur in carcere, non possum manifestè pronuntiare: si enim qui parum debet non egreditur, nisi exoluat minutum quadrantem; vtique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum sæcula numerabuntur.* Non est prætereundus Eusebius Emissenus, ita suam referens sententiam. *Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quod non exeunt inde donec reddant nouissimum quadrantem, per flumium igneum transibunt.*

Bern. serm. de obitu Humberti.

Tertull. lib. de anima c. 18.

Orig. hom. 35. in Luc.

Euseb. Emissen. hom. 3 de Epiph.

Ex præfatis, debitum, per quadrantem innuitur: hoc graue quidem debitum est, si homo fuit præoccupatus morte post confessionem grauium facinorum, quorum culpa licet absoluta, tamen nullam egit pœnitentiam. Cùm namque duo peccatum inuoluat, scilicet auersionem à Deo, cui culpa respondet; & delectationem, cui concupiscentia indulget, vnde flagris seu pœnæ fit obnoxius homo peccans; postquam tersa fuit macula, quam culpa inussit, superest pœna pro noxiis actibus infligenda. Si ergo præcipiti fato vrgente nequit agere pœnitentiam homo iam confessus, infinitæ Dei iustitiæ interest, vt alicubi satisfaciat vsque ad nouissimum quadrantem. At non in Inferno potest, quia inde nemo repedare potest, nec est ibi redemptio. Ergo locus alius est, quem ab effectu vocant Purgatorium, vbi sicut in paradiso Deus iustè bona compensat; ita mala perpetrata solet iustitia distributiua prout decet igne vindice castigare. Theologorum apex Thomas egregia comparatione locum Purgatorij adstruit. Quemadmodum, inquit, copora leuia sursum aguntur, donec illa suo destinato loco sint apposita; & illa secus, quæ grauia sunt deorsum inclinant, & ima petunt: ita gratia sursum agit animas solutas ergastulo corporis, & peccatum ad Inferna trahit animas hoc immani pondere fatigatas. Rursus, esto leue sit corpus; attamen enititur frustra dato obice: si quid enim obstat, sistitur hic impetus, qui effert corpora leuia, vt in concluso liquet igne, qui clibano obstante nequit assurgere: ita Dei iustitiæ quamdiu est anima obnoxia, quamuis excellerit in gratia, cuius obsequium est animas in cælum euehere, cælos habet inuios, donec debitæ pœnæ, quæ remorantur impetus gratiæ, in Purgatorij carcere persoluantur.

Iustitia Dei nihil impunitum relinquit.

EX THEOLOGIA.
S. Thom. 1 p. q. 21. art. 1. Idem lib. 4. sent. dist. 45. q. 1. art. 1.

Purgatoriũ egregia similitudine probatur.

Præterea quando foret hoc verum, (quod falsò tamen insusurrant hæretici,) culpam scilicet, & pœnam esse comites indiuiduas; esset adhuc adstruendum Purgatorium, quia multi iusti decedunt morte repentina sine contritione peccatorum venialium, quorum culpa nævos affricat animæ, quam peccata illa leuia coinquinant. Ergo cùm gloria æterna, & culpa non coëant; operæpretium est dilui sordes, quas contraxit anima infecta peccato veniali, cuius eam minimè pœnituit, dum esset in humanis, necesse est stabilire locum, vbi fæces animæ Deo alioquin gratæ sic mundentur, vt cultu tersiore queat in cælis Numini præsentari. Esse verò peccata venialia (quidquid obganniant hæretici) Paulus indubium facit hoc contextu. *Qui superædificat ligna, fœnum, stipulas, saluus erit quasi per ignem.* Peccatum veniale recensetur hic à leuitate materiæ, vt patet voce fœni, & symbolo festucarum. Dicitur autem hoc peccatum veniale, quia leuitate etiam meretur veniam.

Purgatorio sunt obnoxia peccata venialia.

1. Cor. 3. Peccatum veniale, leue est, & quid sit.

Esse tale peccatum asserit Augustinus, ita fatus: *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ: infirmitas contraria est virtuti, imperitia sapientiæ, malitia bonitati: quisquis igitur nouit quid sit virtus, & sapientia Dei, potest existimare, quæ sint peccata venialia, & quisquis nouit quid sit bonitas Dei, potest existimare, quibus peccatis certa pœna debeatur, & hic, & in futuro sæculo, quibus benè tractatis, probabiliter iudicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam, & lamentabilem, quamuis peccata fateantur: & quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum per pœnitentiam.* Rursus idem elimatè docet, post peccata remissa superesse pœnam, quam quisque debet aptare suæ actionis noxiæ grauitati.

EX SS. PATRIBVS.
Aug. lib. 83. q. 26.
Peccata infirmitatis ignorantiæ, & malitiæ quid sint.

Ita Augustinus. *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamuis vt in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum: productior est enim pœna quam culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter etiam pœna detinet hominem, quem iam ad damnationem sempiternam reum, non detinet culpa.* Rursus ille sibi constans ait alibi. *Veritatem dilexisti, hoc est impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis, non dimisisti, sic prærogasti misericordiam, vt seruares & veritatem, ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti, sic seruatur misericordia, & veritas.* Hactenus Augustinus.

Idem Tract. 124. in Ioan. Item & in Psalm. 50.

Pœna superstes post remissam culpam.

Ex præfatis, est pœna duplex obstringens homines ærumnis Purgatorij: vna grauis debita peccatis mortiferis, quæ confessa quidem remissa sunt, sed sine pœnitentia subsequuta. Alia est pœna leuis ob venialia peccata, quorum hominem minimè pœnituit, & hæc pœna quadrans nouissimus in carcere soluendus à Christo Domino nuncupatur. Vtriusque pœnæ intuitu Purgatorium est. Sed scrupulum mouet ille modus, quo remittitur culpa peccati venialis, in cuius affectu vita excessit homo. Namque durum est quibusdam asserere, culpam remitti in Purgatorio; siquidem eiusdem est à culpa resurgere, cuius est in culpam incidere: at nemo potest mortuus in culpam incidere; ergo neque resurgere. Circa nodum hunc dissoluendum frustra laborauit Scotus, B. verò Thomas sese ab hoc cautius expediuit.

Peccatum veniale quomodo remittatur in Purgatorio. Scotus in lib. 4. sent. dist. 21. q. 1.

Ait Scotus peccatum perpetratum nihil in homine relinquere, præter reatum pœnæ, & ideo peccatum veniale dici remitti in Purgatorio, quia totaliter ibi punitur: mortale verò non dici remitti post hanc vitam, quia non punitur vnquam ibi totaliter: nisi enim in hoc mundo mutetur reatus pœnæ æternæ in reatum pœnæ temporalis, & sic incipiat hic remissio, non poterit ibi purgari.

purgari. Hæc opinio non probatur, quippe citra dubium est, peccatum inurere notam quamdam, quæ præter reatum pœnæ, animam inficit; ab hac macula seu sorde dicitur esse anima sordida, quam peccati macula labefactat. Præterea modo hoc præfato reuera peccata venialia non possent dici remitti in Purgatorio: non enim remittitur quod totaliter punitur; remissio quippe dicit condonationem.

S. Th. in l. 4. sent. dist. 21. q. 1.

Itaque magis est consona veritati sententia S. Thomæ; videlicet, dimitti in Purgatorio culpas veniales, per explicitum actum dilectionis, & patientiæ; siquidem illa acceptatio pœnæ à Deo inflictæ, cùm ex charitate procedat, non inconcinnè potest pœnitentiæ nomine recenseri. Quòd si propriè non sit hæc actio meritoria, quia non meretur augmentum gratiæ; non obstat tamen quin culpa remittatur. Quòd si quis instet, illam sententiam esse propitiam & damnatis; quia acceptando suas pœnas vt à Deo iustè inflictas, ita suas possent maculas eluere. Respondeo, damnatos expertes esse charitatis, cuius obsequio illi, qui in Purgatorij igne degunt, à peccatorum maculis emundantur.

Purgatorij ignis ad quos pertineat.

His omnibus prælibatis, vnum superest enodandum, vt pertinens ad titulum præfixum isti primæ parti, scilicet quorumnam animas vexet ignis Purgatorij? Circa hoc non concordant Patres. Etenim quidam constanter affirmant, omnes Christo excepto subituros hoc examen ignis. Ita Origenes. *Omnes nos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus.* Concinit Ambrosius. *Igne ergo purgabuntur filij Leui, igne Ezechiel, igne Daniel.* Et alibi recolens illum locum Geneseos. *Posuit ante paradisum flammeum gladium.* Ait hunc gladium igneum esse ignem Purgatorij, per quem necessario transit, quicunque subit fores paradisi. *Omnes, inquit, oportet transire per flammas, siue ille Ioannes sit, siue Petrus. Vnus ignem illum sentire non potuit, qui est iustitia Dei Christus.*

Origenes in Psalm. 36.

Ambros. in Psalm. 36. & in Psal. 118. Genes. 3.

Purgatoriū sumptū pro iudicio Dei.

Vno Origene excepto, qui errauit, alij omnes Patres, vt Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Lactantius, & Rupertus, qui dixere bonos omnes quantauis sanctitate conspicuos, vocandos ad examen ignis Purgatorij, explicari possunt de iudicio Dei, quod ignis nomine designatur. In eo sensu volens Apostolus dicere omnes esse iudicandos, ita fatur: *Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Aliqui sensere quidem Sanctos omnes Christo excepto transituros per ignem Purgatorij; ita tamen vt sine læsione suum quisque decurrat iter. In illa fuit opinione vetus Lactantius. *Iustos, inquit, cùm iudicauerit Deus, etiam igne eos examinabit: tum quorum peccata, vel pondere, vel numero praualuerint, perstringentur igne, atque comburentur: quos autem plena iustitia, & maturitas virtutis decoxerit; ignem illum non sentient: habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat.*

1. Cor. 3. Purgatorij ignis quos non lædat.

Lactant. l. 7. diuin. instit. c. 21.

In eam esto plures eant sententiam; non moueor illa tamen, imò sapit aliquid exoticum; quippe procul est à communi sensu vniuersalis Ecclesiæ, cuius hæc decisio stata fuit in Concilio Florentino, dari animas, quæ mox ab excessu suo è viuis Deo miserante beatis mentibus adscribuntur. Purgatorium namque solis hominibus purgandis est decretum, vt eius nomenclatura clamat; illa nempe dicit repurgium, cuius egent illi soli, qui confesso & remisso graui peccato, non egere pœnitentiam; aut functi vita, sibi malè conscij sunt, ob culpas veniales, nusquam dum viuerent expiatas. Cùm ergo pœnis non sint obnoxiæ Sanctorum animæ; credo gratis dici transituras omnes per ignem Purgatorij, cùm omnino nihil earum pertineat ad hunc ignem, & Scriptura secus clamet, Lazarum mortuum, nulla mentione facta repurgantis flammæ, fuisse in Abrahæ Patriarchæ sinum protinus asportatum.

Conc. Florentin. sess. vlt.

EX HISTORIA. Purgatorio non sistuntur Sancti. *Luc. 16.*

Prostat item & aliud locuples exemplum Stephani, qui in supremo agone vidit cælos apertos, quibus ille cruore suo tinctus inserendus erat, nullo repurgante, seu probante foco penitus interiecto. Accedit & luculenta sanè historia quadraginta Martyrum, qui Sebastæ suam testatam fecere fidem. Illis in stagno gelu concreto, vitam supremam agentibus, ianitor insomnes agens excubias, vidit è cælo tot Angelos descendere cum coronis, quot constantes erant pugiles in stadio. Et reuera tremit, & horret animus meminisse focum probantem Martyres, athletas strenuos, satis superque suo sanguine repurgatos.

Actor. 7.

Ex vita SS. quadraginta Martyr. 9. Martij.

Historia vitæ Sanctorum multa est in adstruenda fide conclusionis huius, quæ secernit Sanctos ab hoc igne. Luculenta fauet historia Seruuli mendici, quem commendat Gregorius ille Papa Magnus dicens, hunc mendicum fuisse tota vita paralyticum, & eleemosynas, quas ille collegerat, in alios statim pauperes erogasse. Ait hic Pontifex, testis omni exceptione maior, Seruulum ærumnis & probata patientia decoctum, dum esset in extremis fuisse stipatum Angelis, quorum suaue melos exceptum est à pluribus illic adstantibus. Vt est musica intempestiua pœnis, ita foret incongruus Angelorum iubilus, si Seruulum iam probatum, in Purgatorium vel per transennam Angeli deduxissent. Concordat & mors Sancti Benedicti, quem alius conspicuus sanctitate vidit, rectà cælos ascendere, stratâ viâ cæli luce perspicua.

Greg. in dialog. l. 4. c. 14.

Ex vita S. Bened.

Igitur frustra nobis recolunt flammas Purgatorij auctores, qui Sanctos omnes subire volunt examen ignis, vt vel sic probata fiat eorum virtus, quam dicunt illa magis flamma iudice coruscare. Ad quid enim hoc examen? Non vt innotescat hominibus, cuiusnam meriti fuerit anima sic probata; nemo quippe degens in humanis conscius est rerum, quæ geruntur ibi. Quod si assertores huius sententiæ dicunt hanc censuram fieri, vt liquidius constet de beatarum mentium munditie. Respondeo, superfluum esse Deo, vel Angelis insinuare decus animarum, periculo facto ignis Purgatorij, cùm Martyres, & alij omnes Sancti, suæ puritatis infinita prope dederint argumenta. Rursus nonne ferit animum, & superat omnem fidem, obiici flammis illis animas paruulorum, quos tinxit aqua salutaris Baptismi, quos vt Martyres, Cyprianus, & Augustinus aiunt, post suprema fata suo statim dignari præmio, nullo prorsus eos obice remorante.

Cyprian. l. 4. epist. 2. Aug. l. 21. de ciuit. c. 16.

Vnde repurgandi, & conciliandi Deo habeat facultatem ignis purgatorius.

§. II.

EX SS. PATRIBVS, ANTIQVITATE, IVRE CIVILI, HISTORIA, ET SYMBOLIS.

Purgatorij ignis quomodo agat in animas. *Durand. in l.4. sent. dist. 44.q.vlt. August. l.21. de ciuit. Dei c.10.*

INdaginis esset otiosæ, vires illas, quas purgatorius ignis explicat in animas, petere à natura, cùm excedat naturæ fines omnes ille modus, quo vindex illa flamma sæuit in animas, decernente Deo, in conflagrante illo Purgatorij carcere decoquendas. Est in confesso, modum, quo flamma diuexat animas, esse supra captum nostrum, vt confitetur ingenuè Durandus. Augustinus ei præierat ita fatus: *Animo torquetur ab igne miris, sed veris modis.* Posse verò flammas communicare suum ardorem animæ, Augustinus vernaculo exemplo probat, dicens animam incorpoream vniri corpori humano, quod animando facit vitæ conscium, & cum quo tristitiam, gaudium, & passiones alias communicat: enunciare verò modum huius vnionis, res est dictu difficilis: quippe latet omnes, qua ratione queat spiritus vniri corpori, cùm quæ sit inter vtrumque proportio nequeat assignari. Sicut ergo potest anima carni vniri, vt illa vitam participet; ita valet vniri spiritus igni, vt ab illo trahat angustias, esto modus vtriusque vnionis effugiat hominum captum. Ignis Purgatorij in animas actio stupenda maius facessit negotium: quippe suum ardorem non inurit omnibus spiritibus, sed duntaxat eis, quos aliquæ sordes inficiunt corpore dissolutos. Sit ergo ratum, in hoc portento nihil esse vernaculum & naturæ insolitum, sed diuinum omne, cui cuncta suum exhibent obsequium: si namque verax est hoc effatum. *Opus naturæ, opus intelligentiæ.* Stata debet esse conclusio, quæ refundit actionem ignis in animas, in virtutem infinitam Dei, cui omnia dicto citiùs obsequuntur.

Purgatorio vis est cruciandi.

Amos 4. EX SS. PATRIBVS. *Hieron. in c. 4. Amos. Amb. in c. 3. epist. 1. ad Corinth. August. in Psal. 37.*

Esse verò facultatem insitam igni Purgatorij animas cruciandi simul & purgandi, concordes aiunt Patres Sancti, & præcipuè quatuor illi, quos vt columnas sitas principes Ecclesia suspicit. Ætate prior Hieronymus exponens locum illum Prophetæ Amos. *Facti estis sicut torris raptus de incendio.* Ita commentatur. *Iuxta illud, quod in Apostolo legimus, ipse autem saluus erit, quasi per ignem: qui ergo saluatur per ignem, quasi torris de incendio rapitur.* Illa salus per ignem, repurgium insinuat, & anima composita cum titione, seu ligno semiusto, probat hunc censorem ignem animas validè cruciare. Accedit Ambrosius in hoc igne notans & tormentum, & vim purgandi. *Cum Paulus dicit: sic tamen quasi per ignem; ostendit quidem illum saluum futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut perfidi æterno igne perpetuo torqueatur.* Concolor Augustinus ita fatur: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus non sit.* Rursus ille sibi constans, alibi confirmat effata prius. *Dicetur*, inquit, *saluus erit quasi per ignem: & quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis: ita planè quamuis salui per ignem; grauior tamen est ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita.* Gregorius è suprema sede sua sic pangit oracula. *Pensandum sollicitè est, quia illum per ignem dixit saluari, non qui super hoc, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam insolubilia, sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minuta, atque leuissima, quæ ignis facilè consumit.* Esto delirus Origenes aliquando fuit; de hoc igne tamen orthodoxè fatur. *Illuc*, inquit, *cùm conuenitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne resoluitur, & purgatur.*

Greg. in lib. 4. dialog. c. 39. Purgatorio virtus est purgandi.

Orig. hom. 6. in Exod.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM. Purgatoriũ creditum ab Hebræis. *Isa. 4.*

Principes orbis oræ suas habuere gentes, quæ credidere sacram inesse facultatem igni ad purgandas animas, necnon & alia quęque Dei cultui mãcipata. Quia gens Hebręa primas in hac terræ partitione tenet, auspicabor ab hac gente Deo afflata magis quàm reliquæ mundi tribus, quas auri & argenti species rutilans in idolis miserè dementauit. Hebræi decernentes olim sacra, & erogantes eleemosynas in gratiam defunctorum vt soluerentur à peccatis; credidere pati animas ignem Purgatorij iuxta Vatis Hebræi oraculum ita sonans: *Purgabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum, in spiritu iudicij, & spiritu combustionis.* Hunc locum stabilire fidem Purgatorij asserit Augustinus. Idem Isaias denuo sic prophetat. *Succensa est quasi ignis impietas, vepres & & spinas deuorabit.* Basilius in hunc versum commentatus ait, nostras arere noxas obsequio confessionis, vt igne Purgatorij castigante queant consumi; & hoc textu credit Purgatorij posse rite adstrui veritatem.

Aug. lib. 20. de ciuit. Dei c. 25. Isa. 9. Basil. in c. 9. Isa. Zachar. 9.

Luculentus item textus adest, vnde micans emergit & scintillat ignis Purgatorij, eum reuelante vate Zacharia. *Tu*, inquit, *in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Hunc pertinere locum ad Purgatorium, auctor est Augustinus; magis enim quadrat Purgatorio, quàm Limbo Patrum. Primò, quia Patres non erant in vinculis in hoc ergastulo, vnde non potuere dici vincti modo, quo in Purgatorio animæ vinciuntur. Secundò, quia in Purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in Limbo, sicut ait Abraham de Lazaro. *Hic verò consolatur.* Persuasus Augustinus hoc Zachariæ versu præfato, dicit Christum, cùm descendit ad inferos, non solùm inuisisse Patres in Limbo, sed & animas multas eduxisse in Purgatorij carcere cruciatas.

Aug. epist. 99. ad Euod. Item lib. 12. in Gen. c. 33.

Luc. 16.

Alter item textus inest libris Malachiæ, in igne probans hanc facultatem homines emundandi. *Ipse sedebit, quasi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos.* Hunc exquisitè locum explicant de pœna purgatoria Origenes, Ambrosius, Augustinus, & Hieronymus. Itaque Hebræi sufficiẽter edocti, animas post fata pœnis esse obnoxias, eleemosynis, ieiuniis, atque sacris rem credidere piam illis consulere, vt vel sic eorum tormina mitigarent. In hoc argumento zelus enituit Iudæ Machabæi, qui pro Iudæis interfectis in pœnam spretæ legis orauit, & Ierosolymam dona misit, vt mortuis obsequio sacrorum faceret Deum propitium. Rem ecce velut subiectam oculis. *Inuenerunt sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque*

Malach. 3. Orig. hom. 6 in Exod. Ambros. in Psal. 36. Aug. lib. 20. de ciuit. c. 25. Hieronym. in c. 3. Malach. Peccatum morte puniẽtum à Deo.

2. Mach. 12.

ita

ita ad preces conuersi, rogauerunt, vt id quod factum erat delictum, obliuioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè, & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis, & quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Scriptura sacra à Iudæis diuisa in tres partes.

Tanti ponderis & momenti est hoc facinus egregium Iudæi huius Principis, vt eo recensito nefas sit negare fidem Purgatorio. Quippe Iudas orans pro defunctis, vt soluantur, credidit eos esse vinctos in supra memorato lacu sine aqua, cuius meminit Zacharias. Hæretici, qui ab Ecclesia defecere, locum hunc censuere quidem conuincere erroris eos, qui Purgatorium negant, ideoque tutò vt delirent, libros Machabæorum ex serie sacrorum voluminum turpiter expunxerunt. Ne verò gratis eos hanc censuram inuexisse dicas, Hebræos adsciscunt, quorum auctoritate liber Machabæorum non est Canonicus. Hi Christianæ militiæ desertores, ea ratione credunt consuluisse satis errori suo; incautè tamen sic declinant. Nimirum Hebræi, Hieronymo teste luculento, sacros diuisere libros in tres classes, prima legem continet, secunda vates, seu Prophetas habet, tertia demum concludit hagiographa, id est, sanctas historias. Classis huius sunt libri Machabæorum.

Hieronym. in prologo Galeato.

Epiphan. lib. de mensur. & pond.
Scriptura sacra vbi asseruata à Iudæis.
Scriptura sacra quænam sit cuius est decernere.
Machabæorum libri canonici.

Hæc controuersia liquidius dissoluitur ab Epiphanio dicente sacras Scripturas fuisse duas in partes diuisas à Iudæis. Pars vna fuit conclusa sacro arcæ ergastulo, & illa sine dubio canonica est Hebræis omnibus. Altera verò foris id est, extra arcam asseruata fuit: huius Scripturæ fuere sacra volumina hagiographa condigno sanè nomine nuncupata. In his recensuere libros Iudith, Tobiæ, & Machabæorum, quos esto foris habuerint, & extra suum canonem; magni fecere tamen illas historias vt sanctas; namque sonat sanctitatem vox hæc, hagiographa. Rursus non à Synagoga debent Christiani mutuare suos libros canonicos, sed ab Ecclesia sancta, cuius est decernere, quinam sint libri conscripti ab hominibus sacro Dei flamine concitatis.

Cùm ergo sacros, atque canonicos esse libros Machabæorum Sancta & Romana decernat Ecclesia, ire secus inficias, est facinus impium hæreticæ proteruiæ, cui nulla placent oracula, quàm quæ sibi finxit. Esse vetus hoc decretum Ecclesiæ sancientis eos esse libros habendos vti canonicos, Augustinus ait, ita fatus: *Libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Idem Sanctus ex professo fidem adstruens, quam debemus illis libris, elimatè probat, eos esse sacros, & debere libros illos Scripturæ sanctæ nomine recenseri.

Aug. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 36. Idem lib. 2. contra epist. Gaudentij. c. 23. Cyprian. l. 1. epist. 3. ad Cornel. Isidor. lib. 6. Etymol. c. 1. Gregor. Nazianz. orat. de Mac.

Ne verò solùm Augustinum causentur hæretici detulisse nimis hisce libris, eos nuncupando sacros; consulant Cyprianum, & Isidorum, qui disertè libros hos vocant diuinam Scripturam. Euoluant & opera Gregorij Nazianzeni, & Ambrosij, & rescient inde Patres illos, Ecclesiæ columina, tanti fecisse libros illos, quanti fecit Ecclesia, quæ in Concilio Tridentino finem factura liti, quæ dubios antè fecit hos libros, eos esse sacros speciali canone definiuit. Hac definitione nihil omnino nouum sanxit Ecclesia: illud namque ratum fuit in Concilio III. Carthaginensi, & Summi Pontifices Innocentius I. & Gelasius I. libros Machabæorum inseruere sacro canoni. Itaque desipiunt hæretici, qui expunxere libros istos ex canone Scripturæ sacræ, somniantes hoc commento focos Purgatorij penitus extinguendos.

Ambr. lib. 2. de Iob. Concil. Trid. sess. 4. Conc. III. Carthag. can. 47 Innocent. I. epist. ad Exuperium. Gelas. 1. in decreto de libris Eccles.

1. Reg. c. vlt.
1. Reg. 1.

Redeamus ad Hebræos, qui & ante Iudam Machabæum solicitam adhibuere curam pro defunctis. Habitatores Iabes Galaad audita morte Saül ieiunauerunt septem dies, Dauid item se fletibus, & inedia afflixit, pro Saüle, & Ionatha occisis. Non hæc fuisse mœroris argumenta solùm Beda docet, qui affirmat hæc fuisse bona opera exantlata, quibus iuuarentur animę defunctorum. Hebræis ergo fides Purgatorij illuxit, & credidere focos illic esse, quibus tergerentur animarum sordes. Ad has iam purgatas constat pertinere voces Psalmi, quem Hebræi cecinere diu. *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Origenes, & Ambrosius his consonant explicantes de Baptismo, & Purgatorij igne locum proximè recensitum. *Hic*, inquit Ambrosius, *per aquam, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata; per ignem, vt exurantur.* Præterea Hebræi cælitus edocti lege Dei suada, focis didicere suam esse facultatem repurgandi res etiam inanimes, quando casu aliquo inimica sacris vitia contraxerunt. Ecce Dei sanctionem. *Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur.*

Psalm. 65. Orig. hom. 25. in Num. Ambr. ser. 3. in Psal. 118.
Ignis olim habuit facultatem purgandi.
Numer. 31.

Purgatoriū Græcis paganis notum.
Plato in Phædone, & Gorgia.

Ab Hebræis ad Græcos transiit illa Purgatorij notitia: quippe Plato tria facit hominum genera. Vnum eorum, qui tersiorem egere vitam, ac proinde fata post suprema cælo digni, beatis illic mentibus adscribuntur. Alterum eorum, qui nefandis actibus obnoxij decessere, suis nusquam pœnis facturi modum. Tertium mediat inter vtrumque genus: siquidem eorum est, qui peccata quidem perpetrauere; digna tamen venia, si pœnis congruis expientur. Romani simiæ Græcorum & huic veritati præbuere suum assensum. Etenim Virgilius ipse degens Romæ, confitetur ærumnis animas vexari post mortem, flamma diluente scelus, quod hac temporali censura potest congruè repurgari.

Purgatoriū olim Romani crediderunt.

Virgil. 6. Æneid.

Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris,
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Deinde modos hic recolens purgandi animas, hos omnes ad tres reducit; subiecto mox carmine recensitos.

Purgantur animæ tribus modis ex Virgilio.

——————Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Allusit eò Iuuenalis, agnoscens in igne facultatem lustrandi, & purgandi. Sic ille.

Iuuenalis satyr. 2.

——————Quoties hic talis ad illos
Vmbra venit, cuperent lustrari, si qua darentur.
Sulphura cum tædis.

Claud. l. 2. in Ruffin.

Claudianus item commemorat animas purgatas post excessum è viuis.

Quos vbi per varios amnes, per mille figuras
Egit Lethao purgatos flumine.

Purgatoriū creditur à Turcis.
Mahumetes in Alcorano.
Plin. l. 10. c. 12.
Liuius 1. Decad. lib. 3
Dioscor. des lib. 7. c. 78
Proclus lib. de sacrificiis.
Ouid. lib. 7. Metam.

Turcæ quoque licet à fide procul sint, credunt post hominē è medio sublatum superesse focos, quibus quæ supersunt expianda scelera repurgantur. Nonne concors illa fides nationum circa modum animas puniendi, cùm resident sordes, quæ mandari possunt, est propitia nobis credentibus esse pœnas illas cœlitus institutas? Credula sanè nimis Gentilitas arbitrata focos accensos purgare loca simul & animas ignem adhibuit, præcipuè quando Deos suspectos habuit, instare sibi mala timens. Idcirco focis, & facibus accensis sæpe fuit lustratum Capitolium, quia bubo triste sonans illic occinit omine portentoso. Ita Plinius & Liuius. Dioscorides, & Proclus obseruarunt ignem sulphureum suffitu suo repurgare domos, imò mala propellere instantia. Consonat Ouid.

Terque senem flammâ, ter aquâ, ter sulphure lustrat.

Tibull. l. 1. Eleg. 5.

Tibullus item concinit Ouidio commemorans hanc in igne facultatem repurgandi.

Ipseque ter circum lustrans sulphure puro,
Carmine cùm magico præcinuisset anus.

Propert. l. 4. Eleg. 9.

Propertius in illa fuit sententia, à qua Gentilibus discessisse nefas erat. Sic ille.

Imperat, & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulphuris igne caput.

Ouid. l. 4. Fastor.
Purgādi caulas ouium ritus.

Ad arcenda mala caulis ouium iniuria, quandoque fuit ignis adhibitus religione quadam, dum Roma suos à Græca superstitione ritus acceptos, illis incubans obseruauit. Ecce morem.

Pastor oues saturas ad prima crepuscula lustret.
Vnda prius spargat, virgáque verrat humum,
Frondibus, & fixis decorentur ouilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant puro de sulphure fumi,
Tactáque fumanti sulphure balet ouis.
Vre maris rores, tadamque, herbaque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.

Apotheosis quid sit.
Herodian. l. 4
Plato lib. vltim. de Repu.
Cicer. l. de somnio Scipionis.
Tertull. in Apolog. c. 34.
Prudent. in apotheosi 14.
Seruius in lib. 5. Æneid.
Strabo. l. 6.
& Laertius in vita Empedoclis.

Item solennis vsquequaque fuit ille ritus Græcis perinde ac Romanis frequens, quo Purgatorij quædam species innotescit. Dixere morem hunc apotheosim, quod perinde est ac Latinis Deificatio. Imperatores, Reges, & Heroës, qui fecere sibi grande nomen, meruere coli à Græcis, & Romanis, cautelis adhibitis, quas exquisitè suis inseruere libris auctores minimè pœnitendi. Heroë vita functo, qui referendus in numerum Deorum, & consecrandus erat, construebant pyram in tabernaculi modum, in cuius eminentiore loco situm erat corpus exanime, quod vt aiebant comite vita næuos contraxerat, ac proinde focis expiandum erat conflagrante pyra, sicque sibi Heroëm hunc purgatum igne Dij socium adoptarent. De hoc busti regalis incendio præeunte facris, quæ defunctos recensebant inter Numina, luculentam mentionem faciunt Herodianus, Plato, Cicero, Tertullianus, Prudentius, & Seruius. Quod vana fides illa Gentilium flammis pyræ triumphalis attribuit, nos cœlitus edocti credimus de igne Purgatorij, illi quippe foco talis est virtus indita diuinitus, vt animæ quas hæc vltrix flamma coquit, illo tersiores igne fiant, & dignæ Beatorum consortio, quo mundati pyra mystica potiuntur. Strabo refert Empedoclem se præcipitem dedisse in flammas Ætnæ, vt deponens in hac fornace suas carnis exuuias, ita Deum indueret, & crederetur inter Numina recensitus.

Ex Ivre Civili.
Leg. vt examin., tit. Qualiter quis se defendere debet.
Lib. 2. leg. Longob.
Purgatio olim per ignē facta quando reus negabat.
Capitul. Caroli Mag. c. Legum quæ data sunt pro o ciso.
Iacob. Meierus lib. annal. Flādriæ.

Etiam & ciuili Iure potest probari virtus occulta focis insita, valens ad purgandas animas, quæ suspectam fecere suam innocentiam. Lege Longobardorum statū fuit illa consuetudo, vt reo detrectante nefas admissum offerretur ei ferrum candens, quo tacto impunè crimen erat dilutum: vt igne secus adurente reum, ille velut noxius pœna mox congrua mulctabatur. Prostat & edictum Caroli Magni hoc tenore. *Proximum suum mentiens ne in seruitutem per eum trahatur, si negauerit se occidisse, ad nouem vomeres igni tos iudicio domini examinandus accedat.* Eiusdem generis est sanctio illa celeberrima, qua Belgas obstrinxit eorum dominus Philippus Comes Neoportuensis. *Si quis,* inquit, *vulnus in nocte acceptum alicui imputauerit, si scabinis dignum videbitur, ferro candenti se excusabit accusatus.* Item. *Si fur vocatus accusatus fuerit, ferro candenti se excusabit: si culpabilis permanserit, suspendetur.*

Ex Historia.
Krantzius, l. 4. c. 5. Metropo.

Has viguisse leges in Germania, & Gallia constat historiis vtriusque Gentis. Auspicabor à Germana. Cunegundis vxor Henrici Imperatoris enituit ea puritate, qua fortè maior eo sæculo non extitit: quippe suum virginale decus nupta licet, morte tenus consorte voti huius coniuge Henrico Principe custodiuit. Ægrè tulit dæmon illibatum esse florem virginis huiusce sibi constantis semper, esto viri copia daretur ei mediante thoro legitimo. Cùm ergo suos impetus in virginem irritos esse diu luxisset dæmon, vt est ille vafer hostis, ad præstigias se conuertit, vt qui suppeditando faces luxuriæ nihil profecit, ea qua viget arte labem libidinis inureret virgini Cunegundi.

Castitatis integræ Cunegundis fidem dæmon quanam industria dubiam fecit.

Hæc dæmonis industriæ summa fuit, induit habitum iuuenis eleganti forma conspicui, & inscia Cunegunde fores eius cubiculi obambulando frequens obseruabat, ita suo intento litans, quod hoc omne fuit, vt faciendo fucos coniugi Henrico viro nimis credulo, ac proinde suæ vxori iniurio, in suspicionem adduceret probatæ antea castitatis. Dæmonis intento fuit propitia Cæsaris temerata fides: quippe videns Imperator adolescentem compitulum, ornatulum, & habitu in Venerem fracto fores obseruare suæ vxoris, non potuit temperare sibi, quin probata fides vxoris aliquid deperderet. Namque ratus Cæsar non coïre decus virgineū in vxore simul cum frequentia iuuenis hominis, quem sæpe vidit adstare pro foribus eius, dubium fecit Cunegundis pudorem hactenus illibatum. Cunegundis virgo subodorata zelum coniugis, supra modum mœsta dolensque, Deum conciliando sibi precibus, & lacrymis, supplex ab Imperatore petit, vt adstante tota curia ferro candente probet ea sit virgo, necne. Annuit Cæsar, & in celebri consessu Magnatum Cunegundis virgo sibi benè cōscia, inoffenso pede nudo licet, pressit craticulam, quæ subiecto prius igne feruida scintillabat. Obstupuere omnes vim illam ignis detergendi notas animæ inustas dæmonis astutia.

Gregor. Turon. lib. 2. histor. Franc. c. 1.

Concolor ei scribitur historia Britij Turonensis Antistitis, qui cùm malè audiret apud populum, suspicantem eum impregnasse mulierem, quæ nuper enixa, virum non dicebat ex quo conceperat: ille prunas ardentes expansa sua veste gerens innoxiè tota fere adstante plebe, probauit

eum

Britij Turonen. Antistitis innocentia quomodo probata.

eum, in quem nec veste tenus ardens pruna nihil potuit, non etiam obscœnis luxuriæ facibus exarsisse. Vt has abstergeret maculas, aliud tentarat antè prodigium; si quidem puerum editum vix mense elapso coram populo conuenerat, interrogans ipso fornicante satus esset, necne; puer statim nulla prorsus interiecta mora patrem suum esse negat Antistitem: sed plebe detrectante fidem adhibere voci infantis, Britius ab igne petit prodigium, quo patrocinante suæ puritati posset liquidò suffragari. Quippe fuit ille ritus inolitus tunc temporis examen ignis subire, verum esset necne crimen, de quo altercante reo cum actore non liquebat. Etenim inualuit opinio, igni subesse potens quidpiam, quod conducit ad purgandum, & veritatem abditam eruendam ex tenebrarum abditis inuolucris.

Ignis renouat Phœnicem.

Ex Symbolis.

Ioan. Ferrus part. 2. Theatri symbol.

Ignis à quibus vt Deus adoratus.

Herodot. l. 1. Strab. l. 15. Porphyr. lib. de abstinent. Eusеb. lib. 3. præparat. euan.

Tempestiua subit & hic animum meum recordatio Phœnicis auis, quæ senio confecta suum repurgat æuum igne, quem accendit, quo cremata nouam ita vitam obstetricante flamma bonis auibus auspicatur. Industrium symbolum fluxit inde, flagrans scilicet phœnix hoc titulo adiecto. VRITVR VT VIVAT. Hoc opportunè potest aptari vnicuique fidelium, qui ad purgandas residuas peccatorum fæces in austero degunt carcere Purgatorij: etenim illic vnusquisque suis ignibus VRITVR VT VIVAT, eo prius igne vindice castigatus. Sit ergo ratum ex præfatis, adhibitum ignem ad purgandas animas, imò & supellectilem templi Hebræorum non habuisse deorsum facultatem illam, sed cœlitus, non quòd ignis sit colendus vt Numen, sicut fecere Magi Persarum, vt aiunt Herodotus, & Strabo. Persis affines in hoc errore Scythæ, & Ægyptij, ex Porphyrio, & Eusebio. Non inquam ignis habet à se facultatem exercendi animas, & eas conciliandi Deo, sed virtus ei aliunde fuit indita, qua sic consulitur hominibus, qui defuncti & obnoxij pœnæ, Deo nequeunt sisti, nisi obsequio ignis huius, cui sic Deo decernente datum est animas expiare.

Purgatorij fides illibata adstruitur contra hæreticos.

§. III.

Ex Ivre Canonico, Historia, Et SS. Patribvs.

Persarũ Rege mortuo ignis extinguebatur.

Purgatorium esse definitum est de fide.

Persæ suo sublato Rege de medio, extinguebant ignem, vt inde Regis mortem inferrent omnes, ad quos suprema Regis fata nondum peruenerant. Ita ferè sectæ omnes, quæ ab Ecclesia defecere, focos Purgatorij extinxere, fidem sic negantes, qua expuncta dicas esse Regem Christum mortuum apud illos hæreticos, quibus abacta fides Purgatorij miserè tenebrescit. Vt ergo locum omnem adimeret Ecclesia tergiuersandi in hoc argumento, fidem Purgatorij sic voluit esse ratam, vt canone expresso, diro feriat anathemate omnes, qui de Purgatorio malè sentiunt. Ecce canon Concilij Tridentini. *Siquis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc seculo, vel futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit anathema sit.*

Ex Ivre Canonic.

Concil. Trid. can. 30. De Iustificatione.

Itaque iure licet inquirere in negantes Purgatorium, tanquam in transfugas fidei desertores. Rursus vltima sessione Patres eiusdem synodi generalis, soliciti de stabilienda fide huius articuli, sic decernunt. *Cùm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, ex sacris literis, & antiqua Patrum traditione, in sacris Concilijs, & nouissimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabilis altaris sacrificio iuuari, præcipit sancta Synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam, à Sanctis Patribus, & sacris Concilijs traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari diligenter studeant.*

Sessione 25.

Purgatorij fides orbe toto celeberrima.

Non fuisse nouum hoc decretũ Concilij Tridentini videre est ex recensione fida synodorum, quas orbe toto Christiano prouinciæ à se inuicem dissitæ celebrarũt. Ecclesia Græca multa fuit in conuocandis Concilijs, vbi luculenta fuit facta mentio de Purgatorio, vt auctor est Martinus Bracarensis Episcopus. Ecclesia Africana suum adiecit calculum huic themati in synodo III. Carthaginensi. Ecclesia Gallicana, quam commendauit eo nomine Hieronymus, quod nescia monstrorum sana fuit semper, variis Conciliis est testata suam fidem circa focos Purgatorij, vt ex Concilio Cabilonensi patet, & ex Concilio Aurelianensi. Ecclesia Hispana plures habet synodos, vbi accuratè cauet isti veritati, & præsertim in Concilio Bracarensi I. Ecclesia Germanica concors in ea fide tenax Purgatorium confessa suos canones instituit in Concilio Vvormatiensi. Denique vniuersalis Ecclesia in Conciliis œcumenicis orbe toto coëunte ratum voluit, & constantem articulum de Purgatorio. Ita res hæc definita fuit in Conciliis Lateranensi, Florentino, atque Tridentino.

Martin. Bracaren. lib. Synod Græc. cap. 69.

Conc. III. Carthag. c. 29

Concil. Cabilon.

Concil II. Aurelian 14

Conc. I. Bracar. ca. 34.

Conc. Vvormat. ca. 10

Cõc. Lateran. sub Innoc. III. ca. 66.

Cõc. Florent. sess. vlt.

Conc. Trid. ses. 25.

Esto sibi semper Ecclesia Catholica constiterit in confessione loci, quem Purgatorium dicimus; sæpe tamen refricuit hanc doctrinam, de qua diu controuersias agitauere plures hæreses emergentes. Antesignanus hæresis iniuriæ Purgatorio fuit Aetius, quem idcirco durè habent & carpunt Epiphanius, & Augustinus. Lethale virus huius desertoris influxit in Vvaldenses, quos idcirco notant stigmate inglorio Guido Carmelita, & Beatus Antoninus. Eiusdem & farinæ fuit insana fides eorum, qui se Apostolicos incongruo prorsus nomine nuncuparunt. In hos Bernardus inuehitur, vtpote detestatus insaniam hominum impiorum. Transiit ad Vvaldenses Petrus Bruis homo nequam, & astutus, abolere volẽs Purgatorium: in hominis huius apostatæ nequitiam strinxere suum stylum Bernardus, & Petrus Cluniacensis. Albigenses in omne scelus compositi eadẽ labe infecti, longè latèque suum sparsere virus, vt aduertit Beatus Antoninus. Æneas Syluius ait Hussitas ea labe suos asseclas infecisse. Lutherus in varias sese partes egit: quippe primò benè sensit de Purgatorio sic confessus. *Ego qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatoriũ esse: facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.* Tandẽ seipso deterior effectus, hanc euomuit blasphemiã, cum Vvaldensibus ita pessimè collocutus. *Cùm negaris Purgatoriũ, damnatis Missas, vigilias, cœnobia, monasteria, & quidquid per hãc imposturam erectum est, per omnia etiam probo.* O loquelam ipso dæmone eructante magis fœtidam, ideoque bonis omnibus abhorrendam!

Hæreses quæ impugnauere Purgatorium

Epiphan. hæres. 75.

August. hæres. 53.

Guid Carmel. in summa de hær.

B. Anton. 4. part. tit. 12. c. 7 §. 2.

Bernar. serm. 66. in cant.

Idem. Epist. 240.

Petr. Clun. epist. ad omnes Episcopos

B. Ant. vbi supra §. 5.

Æneas Syluius lib. de origine Bohem ca. 35.

Luther. in disp. Lipsien.

Idem. Lib. ad Valdenses de Eucharistia.

Demum

Caluin. lib. 3. Instit. c. 5.

Demum Caluinus nostra ætate sibi hoc indixit negotium, vt hæresim effingeret in quam vt cloacam confluerent hæreses omnes, antè diris Ecclesiæ censuris confixæ. In his recolit Purgatorium, & qua contentione potest in definita super hoc Ecclesiæ dogmata debacchatur. Eodem Caluini delirio sequaces eius omnes insaniunt, satius arbitrati, cum deliro homine desipere, quàm sapere cum cœlitus afflato choro Sanctorum, qui flamine perciti diuino, veros circa locum Purgatorij canones ediderunt. Proxima sectione plura recensui testimonia Scripturæ, quæ possunt conciliare fidem huic doctrinæ, quam confirmant insignes historiæ, necnon & luculentæ Patrum sententiæ, quas hic subiiciam ne quæ desint argumenta piis hominibus contra hæreticos, assensum suum præbere sano illi dogmati detrectantes.

In recolendis historiis habendus est delectus auctorum, nequando nutet fides, quæ plerumque petit in auctore graue pondus scientiæ, ne aberret hallucinans, & conscientiæ ne imponat. Vtrique voto satisfaciam consulendo solos Sanctos, doctrina sicut & pietate notos, ita vt suspectam habere fidem eorum, arguat proteruiam in homine disputãte. Auspicabor à sancto Gregorio nominatissimo inter Sanctos, & Doctores. Ille verax historicus ait animam Paschasij post acerbos cruciatus apparuisse Beato Germano Episcopo, cuius erat precibus absoluta. Alter item Gregorius Turonensis Episcopus, magni nominis author, scribit Vitalinam virginem defunctam significasse Beato Martino, se detentam esse duro carcere Purgatorij, vnde breui Sancti huiusce viri suffragiis liberata fuit. Accedit Cardinalis Damianus, quo auctore nihil scrupulum mouere debet. Recolit ille pœnas, quas durè luit in Purgatorio Seuerinus Coloniensis Episcopus, quia canonicas horas manè simul recitarat, quas sancta tamen decernit Ecclesia singulas quasque suo tempore decantari.

Gregor. l. 4. Dial. c. 40. Paschasij anima liberata flammis Purgatorij. *Greg. Turon. lib. de gloria confess. c. 5.* Vitalina virgo liberata à purgator. *Petr. Damia. Epist. ad Desiderium.* Seuerinus Colon. Episcop. quare fuit in Purgatorio.

Beda suppar Damiano refert, Beatum Furseum à mortuis resurgentem reuoluisse diras angustias animarum, quæ conclusæ loco Purgatorij coguntur aliquas subire pœnas ex eis, quæ multæ sunt in hac serie tormentorum. Meminit idem Beda Diethelinum quemdam, qui post suprema fata redux, stupenda retulit de tortura loci vbi torquentur animæ, quæ non plenè suos detersere næuos, cùm viuerent: & ne qua minus sanæ mentis suspicio quidpiam detraheret Diethelini dictis, ita suos inde mores composuit, vt sanctiore vita fidem conciliarit horrendis de Purgatorio à se antea propalatis. Qui plura volet, is consulat Vincentium, & reuelationes B. Brigittæ; ille suæ consulet inopiæ, si cupidus historiarum, quæ meminere loci Purgatorij, reuoluat libros, quos recolo.

Beda lib. 3. hist. Ang. c. 19. & l. 5. c. 13. Furseus resuscitatus multa refert. Diethelinus de alia vita redux multa dicit. *Vincentius l. 23. Speculi histori.*

Habeo pro comperto parum credituros hæreticos talibus historiis, vnde fides nostra liquet. Sed infidelitas hominum, qui omnem abiecere fidem, non obstabit, quin fideles Christiani, dum decurrent historias, quas proximè recolui, credant, & fiant æmuli Diethelini, qui ad meliorem frugem visa loci Purgatorij specie se conuertit.

Defunctis Ecclesia semper adfuit propitia.

Hæreticos historiis iniurios fortè pudebit insaniæ, si memorando Patrum sententias ostendero Ecclesiam ab incunabulis habuisse curam defunctorum, satagendo suis precibus vt fideles superstites aliis, qui iam excesserant, & Purgatorij censura suas expiabant noxas, auxilio congruo subuenirent. Illa sagax solicitudo Patrum in gratiam defunctorum, arguit eos credidisse focos Purgatorij accensos ad torturam, si quid in defuncto foret residuum iustitiæ Dei obnoxium. Ad quid namque preces institutæ pro defunctis, si frustra fiant? Frustra verò fiunt illa suffragia pro defunctis, si nulla repurgans pœna eorum præmia remoratur. Primus occurrit Clemens ætate suppar Apostolis, quorum mores, & doctrinam ebiberat; prolixam habet orationem fieri solitam illo suo æuo, citra dubium orthodoxo, vt Christiani sic orantes defunctorum tormina mitigarent.

Ex SS. Patribus.

Clem. lib. 8. constit. c. 47. Suffragia pro defunctis sunt ab Apostolis indicta.

Dionysius vt coæuus eius, paucis Ecclesiæ sanctæ ritum commemorat. *Accedens*, inquit, *deinde venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit; precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, & regione viuorum.* Stante sacro Apostolorũ collegio ille ritus inualuit. Ergo non est commentum Papæ, sicut mentiuntur hæretici, qui suis sic imponunt mancipiis, dicendo Papam hunc somniasse morem vt illo velut lucri compendio, gazas suas auro pro defunctis præstito cumularet.

Dionys. de Eccles. hier. c. 7. part. 3.

Athanasius propugnator acer fidei, antecessores suos in hac fide sequax fidelis imitatus ait, preces pro defunctis non esse cassas, sed prodesse. Basilius de hoc argumento preces instituit, vt consulendo piis hominibus, qui nesciunt orando Deum conuenire, defunctorum etiam animas adiuuaret. Gregorius Nazianzenus Basilij consors, in eademque fide concors, commemorans Cæsarium iam defunctum, sic perorat: *Ipsi Deo, & nostras, & eorum qui quasi in via paratiores prius ad hospitium peruenerunt, animas commendemus.* Moriturus Ephræm memor iudiciorum Dei, in quæ mente malè sibi conscia incurrere res est formidanda, suos sic amicos compellat: *Assiduè in vestris orationibus mei memoriam faciatis: etenim in vanitate, & iniquitate vitam pergi meam.*

Athanas. q. 34. ad Antioq. *Basil. in sua Liturgia.* *Gregor. Naz. orat. in Cæsarium.* *Ephræm in suo testam.*

Cyrillus homines initiatos fidei nostræ mysteriis erudiendo, preces pro defunctis commemorat, vt rem, quæ insignem in Catholica fide locum obtinet. Eusebius commendando fidem Constantini Imperatoris, aduertit eum ambiisse preces fundi pro anima sua, ac proinde locum sepulturæ sibi in templo celebri decreuisse, vt fieret particeps orationum, quæ inibi fundebantur. Epiphanius inter Ecclesiæ dogmata inconcussa ponit orationes pro defunctis, & Ætium notat hæreseos, quia fidem ille nequam suffragiis pro defunctis impiè denegabat. Chrysostomus ea pietate fuit in defunctos, vt eam aliis insinuare studuerit. *Iuuetur*, inquit, *mortuus, non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis. Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.* Rursus ille sic ingerit. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, vtilitatem multam.*

Cyrill. catec. 5. Mystagogica. *Euseb. l. 4. vita Const.* Constantin. Imp. quare voluit sepeliri in magna Ecclesia. *Chrys. hom. 41. in 1. ep. ad Corinth.* *Idem homil. 69.*

Theodoret. historicus minimè pœnitendus ait, Theodosium iuniorem Imperatorem procubuisse ad reliquias S. Ioannis Chrysostomi, & orasse supplicem pro requie Arcadij, & Eudoxiæ, parentum suorum antea defunctorum. Theophylactus

Theodoret. lib. 5. histor. cap. 36. Theodosius iunior orat pro defunctis.

lactus item affirmat, conducere suffragia pro mortuis ad expianda grauia etiam delicta; supple, modò contritio præcesserit. *Oblationes*, inquit, *& distributiones, quæ fiunt pro defunctis, non parum conducunt etiam iis, qui in grauibus delictis mortui sunt.* Damascenus eò collimans multa Patrum oracula congerit, vt stet illibata fides Purgatorij, vnde qui ex viuis excessere pœnis temporalibus obnoxij, sanctis fidelium precibus eruuntur. Palladius in historia sua Lausiaca meminit & hunc morem sanctum, in gratiam animarum fidelium Dominum obsecrandi.

Theophyl. in c. 12. Luc.

Damascen. l. de his qui in fide.

Palladius in historia Lausiaca.

Vt Ecclesia orbe toto diffusa sibi constat; ita concolor est apud Græcos, & Latinos. Cùm ergo Patres Græci ex præfatis eorum sententiis consenserint omnes in dogma tradens esse locum pœnæ cunctis, qui contriti non plenè suos detersere næuos, operæ pretium est inuestigare Patrum Latinorum sensa sicut fecimus & Græcorum, vt constet an concordent omnes in argumento precum, quas fundimus in gratiam animarum, quæ Purgatorij igne vindice cruciantur. Tertullianus vt antesignanus eorum prodit, qui recenset inter traditiones Apostolicas, suffragia pro defunctis. Rursus dum refricat illum Ecclesiæ Sanctæ ritum, ita fatur: *Pro anima eius (coniugis defuncti) oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius; nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit, quantum in ipsa est.*

Tertull. lib. de corona mil. & lib. de monog.

Suffragia negata cuidam defuncto.

Cyprianus tanti fecit illa suffragia pro defunctis, vt mulctare volens defunctum, qui violauerat canones sanctos, noluerit animam eius Domino commendari: quippe scelus eius censuit esse talis ponderis & momenti, vt non nisi acerbo & sæuiente foco Purgatorij posset congruè repurgari. Ecce Patris huius sententiam. *Episcopi antecessores nostri censuerant, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Et ideo Victor cùm contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit actorem constituere, non est, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua.* Ambrosius carpendo fletus nimios quibus plerique diffluunt, arbitrati sua se sic obsequia testari in defunctos, sic consulit: *Non tam deplorandam sororem tuam, quàm prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Deo commendandam.* Idem Sanctus commemorans obitum Theodosij, Valentiniani, & Satyri fratris sui, eorum animas Deo commendat solicitè; quod reuera gratis & in cassum fieret, si defuncti nullo precum suffragio penitus indigerent.

Cyprian. l. 1. epist. 9.

Defunctis non lacrymæ prosunt sed suffragia. *Ambros. l. 2. epist. 8. ad Faustinum.*

Hieronymus commendat quàm maximè Pammachium, ab hoc obsequio sancto precum, quas ille fudit in obitu Paulinæ vxoris. *Cæteri, inquit, mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos; Pammachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat: his pigmentis, atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* Paulinus item solicitus de anima fratris sui extincti, in gratiam eius suffragia Delphini Præsulis emendicat. *Fac*, inquit, *vt orationibus tuis condonetur tibi, & illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat.*

Pammachij cura pro vxore defuncta. *Hieron. epist. ad Pammach.*

Paulin. Nolan. epist. 5. ad Delphin. epis.

Augustinus de hoc argumento librum texuit, cuius auctoritate zelus ille vità functis succurrere maximè commendatur. *In Machabæorum, inquit, libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, vbi in precibus sacerdotum, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Rursus. *Cùm itaque recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus, qui cùm defunctis à fidelibus exhibetur, eum prodesse non dubium est. Non sunt prætermittenda supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcunque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, vel amici; ab vna eis exhibeatur pia matre communi.*

Augst. lib. de cura pro mortuis c. 1. cap. 4. Defunctis prodest sepeliri in Ecclesia.

Gregorius & ipse locum vendicans sibi in doctorum schola, suum calculum adiicit; huic doctrinæ, quæ concludit esse piis viuentium obsequiis mortuos adiuuandos. *Multum, inquit, solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare; ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.* Alibi rursus. *Quos grauia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conueniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.* Isidorus magno rerum omnium experimento clarus, & maximè in his, quæ ad sanam doctrinam pertinent eruditus, ita suam sententiam explicat. *Nisi Catholica Ecclesia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret.*

Greg. l. 4. Dial. cap. 55.

Cap. 50.

Isidor. l. 1. de offic. c. 18.

Hæc Sanctiorum Patrum turma lacessit hæreticos, nescios quò se vertant: quippe clamant Patres, hunc fuisse morem totius Ecclesiæ, scilicet orare pro defunctis, vnde liquet Purgatorium non esse merum figmentum, vt nobis imponunt impij desertores. Instabunt fortè, preces pro defunctis recoli, & probari à Sanctis; sed hinc non constare locum Purgatorij fuisse ratum & constantem in fide Patrum. Quàm sit imbellis ille nisus æmulorum nostrorum abundè liquet ex textibus Patrum proximè recensendis. Gregorius Nyssenus ita locum Purgatorij commemorat. *Vel in præsenti vita precibus sapientiaque studio purgatus, vel post obitũ per expurgãtis ignis fornacem expiatus ad pristinam vellet redire felicitatem. Non poterit à corpore egressus diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immistas purgatorius ignis abstulerit. Aliis post hanc vitam purgatorio igne labes abstergentibus.*

Purgatorium esse Patres confirmant.

Greg. Nyss. in orat. pro mortuis.

Origenes æuo prior Gregorio, statam fuisse fidem Ecclesiæ circa locum Purgatorij sic confirmat: *Qui saluus fit, per ignem saluus fit, vt si quid fortè de specie plumbi habuerit admistum, id ignis decoquat, & resoluat, vt efficiantur omnes aurum purum.* Gregorius Nazianzenus nuncupatus olim Theologorum pater, textu luculento probat existentiam Purgatorij. Sic ille: *In altero suo igni baptizabuntur, qui postremus est baptismus, nec solùm acerbior, sed & diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascitur, vitiique omnis leuitatem absumit.* Quàm concors sit Basilius Nazianzeno suo condiscipulo videre est hoc discursu. *Si igitur per confessionem detexerimus peccatum, iam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur ac deuoret purgatorius ignis. Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, iuxta Apostoli sententiam; ipse autem saluus erit, quasi per ignem.*

Orig. hom. 6. in Exod.

Greg. Naz. or. in sancta lumina.

Basil. in cap. 9. Isa.

Luculenter item meminit & hunc ignem Eusebius, ita fatus: *Hæc pœna infernalis illos manebit, qui amisso, & non seruato Baptismo in æternum peribunt: hi verò, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt.* Theodoretus liquidò confitetur eum ignem, quo fidelium animæ decoquuntur. *Hunc,* (inquit) *ipsum ignem purgatorium credimus, in quo animæ defunctorum probantur, & repurgantur, sicut aurum in conflatorio.* Oecumenius in eadem fide tenax, sic discurrit: *Saluabitur & ipse quoque non tamen citra dolorem, vt par est eum, qui transit per ignem, & à concretis leuioribus maculis expiatur.*

Euseb. hom. 3. de Epiph.

Theodor. in schol. Græcis in 1. Cor. 3.

Oecum. in ep. 1. Cor. 3.

Si à Græcis prouocare libet ad Latinos, proculdubio causa cadent hæretici: namque Patres omnes vnanimes agnoscunt, & tutantur hanc doctrinam. Auspicabor à quatuor sanctis Ecclesiæ Doctoribus. In re controuersa temerante fidem, est iudicium omne penes Sedem Apostolicam, ideóque Papa Gregorius Magnus est præ aliis opportunè nobis in hoc themate consulendus. *De quibusdam* (inquit) *leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est.* Denuo fixam esse volens hanc doctrinam sic decernit. *Scio futurum esse, vt post huius vitæ exitum, alij flammis expientur purgatoriis, alij sententiam subeant æternæ damnationis.* Ambrosius propugnator eiusdem doctrinæ meminit & hunc ignem, quem nos Purgatorium ab effectu affini nomine nuncupamus. *Etsi* (inquit) *saluos faciet Dominus seruos suos, salui erimus per fidem, sic tamen salui, quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen vremur: quomodo autem alij remaneant in igne, alij pertranseant, alio loco nos doceat Scriptura diuina: nempe in mare rubrum demersus est populus Ægyptiorum; transiuit autem populus Hebræorum: Moyses pertransiuit, præcipitatus est Pharao, quoniam grauia eum peccata demerserunt: eo modo præcipitabuntur sacrilegi in stagnum ignis ardentis.*

Greg. lib. 4. dial. c. 39.

Idem in Ps. 3. pœnit.

Purgatorij cum mari rubro comparatio.

Ambr. in Psal. 36.

Augustinus vsus Ambrosio vt magistro, quo initiante sacris eum mysteriis in fide fuit eruditus, altè ebibit illam veritatem, quæ Purgatorium insinuat. Quippe scribens esse salutem indubiam infantis, qui moritur post Baptismi lauacrum. *Non tantùm* (inquit) *pœnis non præparatur æternis, sed nec vlla post mortem purgatoria tormenta patitur.* Idem asserit, adultos, qui decedunt obnoxij leuioribus peccatis, esse passuros examen ignis, minutiora quæque crimina vindicantis. *Tales* (inquit) *constat ante diem iudicij per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos æternis suppliciis non tradendos.* Item. *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quondam purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit: Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Rursus. *Qui fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.*

Au. l. 21. de ciu. Dei c. 16.

Cap. 24.

Hom 16. lib. 50 homil.

Lib. 2. de Genesi cont. Manich.

Hieronymus, quem Augustinus ipse sicut patrem & magistrum suspexit, elimatè totam hanc dirimit controuersiam hoc tenore. *Sicut diaboli, & omnium impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta; sic peccatorum, atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur & mistam clementia sententiam iudicis.* Paulinus olim Hieronymo charus, & hoc dogma sua auctoritate ratū esse docet, amicū enixè rogans vt animā cuiusdam defuncti suis suffragiis adiuuet, vt sic eius incēdia mitigari queāt. *Impensè* (inquit) *rogamus, vt quasi frater orādi labore cōspires, vt misericors Deus refrigeret animā eius stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras.*

Hier. in fine com. in Isa.

Paul. ep. 1. ad Amandum.

Boëtius æui sui fidem qualis illa fuit circa locum Purgatorij, sic liquidò manifestat. *Nullane supplicia animarum post defunctum morte corpus relinquis? & magna quidem, quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto.* Isidorus Christi auctoritate probat, esse locum purgandis defunctis in alio sæculo destinatum. *Cum* (inquit) *Dominus dicit: Qui peccauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro; demonstrat quibusdam illic dimittenda esse peccata, & quodam purgatorio igne purganda.* Ita etiam Beda solers rerum omnium indagator. *Quidam committunt quædam peccata venialia grauiora, & leuiora, & ideo necesse est, vt hi tales in ira corripiantur, id est, in purgatorio igne: nunc interim, ante diem iudicij ponantur, vt quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur, & sic tandem idonei esse cum his, qui in dextera coronandi sunt, inueniantur.*

Boët. lib. 4. pros. 4.

Isidor. l. 1. de diu. off. c. 18.

Beda in Ps. 37.

Damianus in eo argumento benè consulit, cùm hortatur pœnitentes, ne pœnitentiā iniunctā à sacerdote credant esse sua piacula funditus expiata. Sacerdos namque Dei gerendo vices in confessione nos absoluit à culpa, sed pœna indicta plenè non repurgat fæces residuas, idcirco alibi detergendas. *Non* (inquit) *tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quidquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.* Collimat eò Anselmus isto breuiloquio. *De quibusdam leuibus culpis esse ante corporum resurrectionem purgatorius ignis credendus est.*

Petr. Damia. serm. 1. de S. Andr.

Ansel. in ep. 1. Cor. 3.

Bernardus ita credit indubium esse locum assignatum plectendis animis fidelium, quibus

cura fuit genio indulgere magis, quàm integra discussione suas maculas detergere, vt inde sumat aniam hortandi singulos quosque pios homines, vt sic in se animaduertant pœnis congruis, vt planè nihil supersit in alio sæculo castigandum. *Volat* (inquit) *fratres irreuocabile tempus, & dum creditis vos cauere istam pœnam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta redduntur vsque ad nouissimum quadrantem. Scio ego quàm durum sit homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere. Sed durius erit futuras illas molestias tolerare.* Post tot sensa Patrum, quorum est intemerata fides de Purgatorio, reuocare locum illum in dubium, hoc est procul dubio delirare.

Bern. serm. de obitu Humb. Purgatoriū vt declines mortificationi insiste.

Soluuntur omnes instantiæ, quibus hæretici contendunt tollere Purgatorium.

§. IV.

Hæretici quare comparati cum scorpionibus.

HÆreticos & scorpiones esse affines ego coniicio bifariam. Primò, quia scorpio brachiis in blanditias expansis allicit ad amplexus, & cauda demum arcuata ferit, aspergendo suum lethale virus: ita ferè omnes hæretici, statim atque fidem Catholicam abnegauere, sua defectione mitem animum induere, nihil nisi grata, & dulcia respirante. Dixere fores paradisi patere sine pœnitentia, idque sola fide reserante cælos, ac proinde pœnas à sacerdote inflictas esse gratis impositas homini satis superque Dei in humanis Passione terso. Hisce velut amplexibus suauia carni prædicantes ex pulpito, voluptatis amasios, vilia corporis mancipia, flocci homines incantarunt. Huius doctrinæ finis vt cauda virus hoc infudit, videlicet esse bona opera superflua, nec vllum esse locum Purgatorium, cùm sit salutis nostræ summa penes sanguinem Christi. Secundò, typum defectorum Ecclesiæ scorpio plenè refert in hoc, quòd igne circum accenso furit, & in omnes sese partes agit, vt via facta tuat. Ita omnes hæretici transfugæ ad apostatarum castra furunt quando focos eis obiicimus Purgatorij; in omnes quos possunt cogitare gyros sese inflectunt, vt declinare queant. Diceres assecutos esse morem vespertilionum, qui illatas in antra tenebrosa faces, agmine facto volant, vt extinguant. Ita nostrates hæretici, vt tollant incendia Purgatorij, vtuntur pluribus argumentis. Consulunt namque sacra Scripturæ oracula, sensa Patrum, & à ratione petunt arma, quibus impugnent Catholicos assertores huius incendij, quo flagrante bona opera sunt necessaria, ne quis illic vita functus ardeat, aut saltem viuentium ope queat fornacis huius acerbæ mala grauia temperare.

Hæretici quare vespertilioni similes. Purgatoriū cur ab hæreticis est negatum.

Instant ergo primò hæretici, statim à morte dari præmium fidelibus, ac proinde gratis fingi Purgatorium, quo concesso moras teximus in cassum inter mortem & præmia fidelium. In patrocinium instantiæ suæ Psaltem conducunt hisce satis opportunis modulis occinentem. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Augustinus explicat hunc somnum de morte omnium electorum in fine mundi, quam repera sine mora interposita, Beatorum æterna præmia subsequentur. Ast ego malim verba prout sonant accipere, sicque totum hæreticis concedere, nec inde tamen causâ cadent Catholici; quippe locus Purgatorij stat, omnino nihil obstante Vatis oraculo, quo contendunt hæretici Purgatorium esse merum figmentum, quia dilectorum somnus & hæreditas indiuiduæ sunt res, & proinde loco Purgatorij interiecto à nobis pessimè dispescuntur. Respondeo nomine dilectorum intelligi fideles, qui ea charitate flagrant, qua vigente nihil obstat, quin statim à morte petant cælos: etenim hi vt perfecti nulli prorsus incendio obnoxij sunt: namque tegit hæc charitas exquisita, imò detergit maculas, in quas deseuire solent incendia Purgatorij, vbi qui torquentur non recoluntur à Dauide charo nomine dilectorum. Exulant enim omnes, qui in Purgatorij loco degunt, & licet in charitate vita functi sint; illa tamen non accedit ad decorem eius, qua perfecti Deum deperéunt, & cuius obsequio dilecti Domini nuncupantur.

Psal. 126. August. in Psal. 126.

Dilecti Dei qui sint.

Obiiciunt secundò locum hunc Ecclesiastæ. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Hoc textu clamant significare Vatem nullum esse locum remedio in gratiam eorum, qui ex hoc sæculo decesserunt. Respondeo esse veram totam sententiam, ac proinde miror interpretes se torquere velut si hæc sententia ab hæreticis intorta locum Purgatorij destrueret. Itaque missa facio Bellarmini & aliorum responsa, mihi non probata magis, quàm hoc quod ab ipso Salomonis intento peto. Consulit ille bonum opus, vt comite vita fiat, quia vita functis indictæ sunt feriæ. Si ergo pœnis addicendi sunt aliqui post mortem, eorum omnis cura gratis erit & in cassum, qua nihil conducunt ad solamen pœnæ, vota, preces, aut alia quæuis opera defunctorum. Vt declinent ergo locum Purgatorij, vbi nemo potest sibi succurrere, opportunè monet Salomon, vt quisque degens in hoc sæculo ante suprema fata sibi consulat, satagendo bonis operibus ita suam salutem adstruere, vt non cogatur illic expiare scelus, vbi à vexatis incendio vindicante, ad solatium, aut leuamen pœnæ perperam anhelatur.

Eccles. 9.

Purgatoriū non est locus aptus meritis nouis acquirendis.

Tertio, magnas excitant tragœdias hæretici, creduntque locum tertium tolli, vbi purgantur animæ, quia Scriptura duo duntaxat meminit loca post occasum vitæ, sicut ait textus iste sacer. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit.* O imbellem instantiam! Auster, & Aquilo statum salutis, & damnationis insinuant. Qui plectuntur in Purgatorio sunt ad Austrum, quippe luunt pœnas vt cælo demum cum beatis mentibus inserantur.

Eccl. 11.

Obiiciunt quartò, dato loco Purgatorij, falsum esse Dei oraculum emissum in gratiam animæ pœnitentis. *Cùm* (inquit) *auersus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatū eius*

Ezech. 18.

non recordabor. Vt se Bellarminus expediat ab hoc textu plura memorat, quæ vt implexa satis prætereo, vt compendiosè meam referam sententiam, quam accipe. Anima auertente se à sua impietate Deus non meminit iniquitatum eius quoad culpam; sed si pœnitens anima non plectit congrua pœna crimen absolutum quoad culpam, profectò Deus iniquitates eius igne vindice recensebit.

Latronis in cruce fuit plena pœnitentia.

Quintò, fremunt hæretici debacchantes in Purgatorium, quod si daretur, latro cui Christus paradisum illa die repromisit, expiare suas maculas ibi debuit: quippe vitam egerat nequam, ad quam expiandam nusquam se accinxit. Cùm ergo Deus ipse suum consortem effecerit, nulla facta mentione foci Purgatorij; fornax illa gratis accenditur, vtpote sancto secus codice reclamante. Respondeo, latronem pendulum è Cruce suum diluisse scelus multifariam. Primò dicendo se factis digna suis recipere, æquo tulit animo pœnam illam acerbam Crucis, sicque pœnis detraxit debitis vitæ prius actæ. Secundò fides enituit, quando fuit deliquium passa fides Petri. Tertio, non de sua tantum salute solicitus, sed & de salute sui consortis, scilicet alterius & latronis, eum arguit iniurium Christo, quem innoxium esse constanter & ore patulo prædicauit. Denique conciliato sibi Deo præfatis actibus, orauit Christum, vt memor esset eius in regno suo. Cùm ergo Cruci affixus tot & tanta bona simul opera congesserit; & insuper adiecto Dei influxu singulari liber extitit à censura foci Purgatorij, maculas omnes ipso rerum omnium Domino detergente.

Luc. 23.

Sextò demum credunt hæretici se grande nobis facessere negotium, vno textu Ioannis, qui fideles ait ipso suæ mortis momento pacis & quietis locum accipere. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Ergo locus ille Purgatorij commentum est, quandoquidem vita functi fideles optata pace subitò potiuntur. Respondeo, Ioannem hîc recensere necem Martyrum, qui illo æuo duros obibant agones. Vt autem animos fidelium acueret, & ad martyrium alliceret (instabat enim vndequaque dura persecutio) beatam dicebat esse necem, Domini causâ illatam: siquidem mors illa vitam beatam, & æterna præmia merebatur. Quamobrem hæretici desipiunt arguentes non esse locum Purgatorij, quia Martyres, qui in Domino moriuntur, rectà petunt cælos. Ad quid enim Purgatorium illis, qui sanguine suo Christi causa effuso simul & eiusdem Christi sanguine dealbantur?

Apoc. 14.

Martyres non indigēt purgatorio.

Quia Scriptura sacra parùm cedit hæreticis; vt Purgatorij fidem labefactent, falsò petunt à Sanctis Patribus arma, quibus orthodoxos impetant. Primò loca quædam obiiciunt, vbi disertè Patres aiunt, post mortem nullum superesse locum pœnitentiæ; vnde liquet, Patres illam sententiam nostram, quę est de Purgatorij igne vindice, reprobare. Textus in eo argumento plures habent hæretici. Cyprianus in primis obiicitur, ita fatus: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis affectus.* Conduceunt etiam Chrysostomum Cypriano concolorem. *Cùm* (inquit) *hinc discesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa abluere. Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inuenturi sunt.*

Cyprian. tr. 1. in Demetr.

Chrys. hom. 2. de Lazaro.

Dicunt & hæretici Ambrosium stare à partibus suis, ita suam explicantem mentem: *Qui hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum in patria beatorum.* Respondeo, esse veras, & sinceras Patrum sententias; sed inde nihil inferri contra locum Purgatorij. Quippe Patres illic commemorant peccata lethalia, quibus quisquis obnoxius occidit, occasus eius nullum post se locum linquit animæ pœnitendi. Nihil ergo probant hæretici his textibus: namque nemo nostrûm dixit, Purgatorium mundare grauia piacula, sed ea duntaxat, quæ leuia, vel quorum pœna æterna mutata est in temporalem, contritionis obsequio, aut virtute præuij sacramenti.

Ambr. lib. de bono mortis. cap. 2.

Rursus Ambrosium obiiciunt, & somniant eum irridere vocem satisfactionis, cuius intuitu tamen purgatorius ignis accensus est. Sic Ambrosius: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Bellarminus ait, ibi satisfactionem supponere pro excusatione, fortè delusus, quia ibi Ambrosius ait: *Quod defleri solet, non solet excusari.* Sed reuera credo, procul eum abesse à mēte Patris huius, scilicet Ambrosij, ac proinde nodum illum minimè dissoluere, quem hæretici callidi confecerunt. Itaque respondeo, Ambrosium illic non tollere satisfactionem, sed eam potius commendare, sicut abundè liquet ex contextu prælibato de industria composito, vt resciant omnes inesse vim lacrymis, quæ ex corde contrito fluunt, peccata quantumuis illa forent grauia dissoluendi. Est ergo loci huius sensus: Petrus ita acerbè fleuit, vt ad satisfactionem suffecerit ille fletus: ad quid enim alia tortura Petro, cùm satis superque fletus eius punierit immane scelus, in quod incurrerat Petrus immemor sacramenti, quo sub pœna perfidiæ se obstrinxerat Christo, mortem prius oppetere, quàm ipsum eumdem Christum denegando agere desertorem?

Idem in cap. 14. Luc.

Benè coniecerim necne refellendo Bellarmini sententiam, & dicendo locum illum Ambrosij commendare fletus, quibus inest facultas detersiua pœnæ, patet ex discursu Ambrosij. *Petrus* (inquit) *prorupit in lacrymas, nihil voce precatus; inuenio enim quod fleuit, non inuenio quid dixit, lacrymas eius lego, satisfactionem non lego; rectè planè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari; & quod deffendi non potest, ablui potest; lauant enim lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando: lacrymæ inquam tacitæ quodammodo sunt preces, veniam non postulant, & merentur; causam non dicunt, & misericordiam consequuntur; Quare? nisi quia vtiliores lacrymarum sunt preces, quam sermonum? quia sermo in precando fortè fallit, lacryma omnino non fallit: sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum, & ideo Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidē amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendū, quo vsus erat ad negandū: at per hoc mauult culpam suam flere, quàm dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.*

Ambr. ser. 49. Qui est de S. Petro.

Lacrymarum vis ad peccata diluenda.

Lacrymæ pœnitentis non falluntur.

Caluinus

Aug. tract. 49. in Ioan. Caluinus item obiicit Augustinum, quem credit stare à suis partibus hoc contextu. *Requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur.* Ergo, inquit Caluinus, frustra locum Purgatorij assignatis, si statim à morte locus pacis fidelium mentibus assignatur. Respondeo, planè verum esse quod Augustinus ait, quemque locum pacis subire vita functum sine censura foci Purgatorij, si dignus est hac gratia; sed si quid adhuc superest in defuncto næuorum, & sordium, tunc ille velut indignus aditu cæli in igne luit, vt ita pacem tersior effectus postea consequatur. Rursus hæretici opponunt Augustinum ita locum Purgatorij destruentem, vt delirant illi. *Idem lib. 5. Hypogn. c. 5.* *Primum locum fides Catholicorum diuina auctoritate credit, regnum esse cælorum; secundum gehennam, vbi omnis apostata, vel à fide Christi alienus, æterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis sanctis inueniemus.* Hinc inferunt hæretici, non esse locum alium à cælo, aut inferno. Respondeo, Augustinum illic agere duntaxat de locis æternis, vbi sunt post iudicium animæ recondendæ. *Purgatoriũ non erit æternum.* Disputat enim illic contra Pelagium asserentem infantes non ablutos aqua diluente næuum ab origine contractum, fore beatos extra paradisum: & ait ex Scriptura locum illum non constare. Legitimum hunc sensum esse Patris huius patet ex eo, quòd dicit non inueniri tertium locum, cùm sacra tamen Scriptura clamet Lazarum in Abrahæ Patriarchæ sinum ab Angelis adsportatum. *Luc. 16.* Ergo loca æterna commemorat Augustinus, quæ duo duntaxat esse probat: nec nos asserimus esse locum Purgatorij relinquendum post diem supremum, quando quisque suo repositus loco plectetur æternùm cum reprobis, aut gaudebit cum Beatis in gloria coronatus.

Idem in Psal. 31. Iterum instant hæretici, & gloriantur hoc textu Augustini. *Beati, quorum tecta sunt peccata. Si texit peccata, noluit aduertere, si noluit aduertere, noluit animaduertere, si noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Bellarminus ait, Augustinum negare pœnas æternas infligi eis, quorum tecta sunt peccata, sed alibi dari pœnas temporales eis liquidò resonare. Dicerem ego locum illum Augustini intelligi de pœnitentibus, quorum pœnitentia sarta tecta nihil homini vita functo linquit postea repurgandum. Quia magni faciunt Augustinum perduelles hæretici, ab eo tela petunt, vt impetant inde fidem Purgatorij. Ventilant ergo locum istum Augustini. *Idem ep. 80. ad Hesych.* *In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.* Ergo procul abigendum est Purgatorium, cùm dicat Augustinus statum animæ, quæ excedit ex hac vita, cohærere cum statu, in quo iudicabitur in extremo die iudicij: Atqui in supremo illo die nullus erit locus purgatorius; ergo neque modò locum illum liceat approbare. Respondeo, prælibatum Augustini textum non pertinere ad Purgatorium, sed ad statum animæ, qui reuera talis erit in suprema mundi catastrophe, qualis erit in momento, quo excedit homo: namque duo tantùm sunt status hominum, postquam animam efflauerunt; vnus est salutis, & hic est animarum, quæ comite charitate vita functæ sunt; alter reproborum: neuter horum alternare potest. Sed status salutis stare potest cum Purgatorio; quippe focus ibi accensus abstergit fæces residuas, quæ defunctorum animas aliqua leui labe infectas, à cæli aditu remorantur.

Hæretici demum falsò credunt Hieronymum esse nobis ex aduerso, dum sic fatur: *Hier. in cap. 9. Amos.* *Quando anima vinculis laxata corporeis volandi quò velit, siue quo ire compellitur habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est: In inferno, quis confitebitur tibi? aut certè ad cælestia subleuabitur.* *Reprobi quocunque se vertant malè habent.* Si ergo verax est Hieronymus, & ei auscultat Ecclesia, apage sis Purgatorium. Ita latrant illi canes, nescij se frustra suos latratus ingerere, nec veritatem vllis astutiæ nubibus inumbrari. Hæreticos insimulo primò malæ fidei: quippe promunt falsò locum illum Hieronymi, quasi ille loqueretur ibi de solutione physica corporis, & animæ, id est de morte naturali. Secundò respondeo textum illum esse prorsus intempestiuum ad negandum Pugatorium: siquidem agit ibi Hieronymus de solutione animæ à corpore, per speculationem: probat enim animam impiam, quocunque gyret, vndequaque Deum vindicem inuenturam.

Audiendus est Hieronymus ipse suam mentem apertens. Sic ille: *Vbi supra.* *Aut certè ad cælestia subleuabitur, vbi sunt spiritualia nequitia in cælestibus, & si sibi verè circumcisionis scientiam voluerit vindicare, & humilitate conceptæ habitare in montibus, & ibi scrutantem manum Dei euadere non valebit: quòd si desperans salutem, oculos Domini vitare tentauerit, & in vltimos falsorum fluctuum terminos peruenire, etiam ibi mandabit Dominus serpenti tortuoso, & antiquo, qui est inimicus, & vltor, & mordebit eam. Capta quoque vitiis atque peccatis, gladio Domini percutietur, vt per cruciatus atque supplicia ad Dominum reuertatur.* Hoc contextu satis superque patet illic agi de secessu animæ cogitantis. Quippe notat Hieronymus animam, quæ est male sibi conscia, quando sua lustrat interiora labe peccati infecta, importuno quidem stimulo pungi, & esse sibi oneri, sed illas erynnes, & ærumnas conducere, vt cruciata suis deliquiis anima pertæsa vitam retro actam, de meliori fruge cogitet sollicitè, & ad Deum feruida conuertatur. *Synderesis ad pœnitentiam nos excitat.* Sed animâ morte solutâ suis exuuiis, nulla potest superesse conuersio: ergo parùm opportuna fuit illa loci huius obiectio, cùm sit prorsus extra aleam. Sed quid tempestiuè potest contra fidem opponi, cùm sit stata fides Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec vllo queat vnquam hæreticorum impetu temerari.

Vt se in spiras coluber inflectit, & patulo despumat ore virus, quando se accingit ad certamen; ita hæreticus, vt videt omnes hactenus tepuisse suos conatus petitos ex Scripturis, & Patribus, à ratione quærit machinas, quas in Purgatorij fornacem ipso inuito accensam valeat intorquere. Itaque primò rudunt sic asini: Christi Passione scelus omne dilutum est; illa namque fuit infiniti meriti: Ergo culpâ remissâ nihil superest, quod mundetur; siquidem

siquidem culpa detergitur merito Christi, quod cùm sit infinitum, quisquis asseret esse pœnas adhuc residuas post absolutionem culpæ, is profectò velut impius Passionis infinito merito derogabit. Respondeo, esse quidem meritum Christi infinitum, sed debere applicari nobis, bonorum operum & Sacramentorum obsequio: alioquin si infinitas meritorum Christi se ad omnes homines porrigeret, nemo planè flammis æternis esset obnoxius. Cùm ergo sit in confesso pios tantùm homines saluari, & secus impios detrudi in præceps, operæ pretium est concedere Beatos aliquid contulisse ad salutem suam, & eorum actus egregios hoc præstitisse, vt in eis benè sibi consciis effectum suum Christi merita sortirentur. Rursus, si nulla superesset pœna subeunda post remissam culpam, ad quid infantes ægrotarent post Baptismum, cùm nullo prorsus hi infantes iam mundati fuerint actuali crimine sauciati.

Passionis Christi meritum quomodo applicetur.

Denuo insurgunt hæretici, nosque credunt hocce terebrare telo. Baptismus ita simul pœnam cum culpa diluit, vt si adultus homo malis multis obnoxius moreretur ipso temporis articulo, quo salutari tinctus aqua fuit, saluus esset: sed pœnitentia est alter Baptismus: ergo pœnitentes salui fiunt absque tortura foci Purgatorij, cui addicta nequit esse recens anima baptizata. Respondeo esse verum totum argumentum, si sacramentum pœnitentiæ sumatur integrè, & perfectè, prout concludit contritionem, confessionem, & satisfactionem. Non enim subsunt igni Purgatorij homines, qui contriti, & confessi, satisfecere suis deliquiis. Sed si pœnitentia sumitur pro absolutione sola sacramentali, in qua anima contrita, & confessa à culpa absoluitur, claudicat argumentum. Namque supra palàm feci, Dauidem post confessionem, & absolutionem peccati sui incurrisse in varia discrimina, & luisse pœnas acerbas: quippe seorsum culpa potest relaxari, pœnæ subeundæ debito remanente.

Pœnitentia duobus modis accipitur.

Denique vnum est, quod lacessit hæreticos, & vnde sumunt ansam facessendi negotium Catholicis. Illud est Purgatorij nomen, quod est à Scriptura sacra procul. Respondeo, non esse nobis quæstionem de nomine, sed de rebus. Voces istæ consubstantialis, transubstantiatio, Deipara, non sunt in Scriptura sacra, tamen res significatæ sunt de fide, Catholicorum prorsus nemine reclamante.

Pars Secunda Homiliæ.

Rationes quæ nos sollicitant vt oremus pro Defunctis, Purgatorij conclusis ergastulo.

§. V.

QVicquid hominem inclinare potest, vt alteri succurrat opis eius indigo, illud omne coit vt suffragemus eis, qui vita functi luũt pœnas in Purgatorio. Sũt autem quatuor argumenta, quibus inducuntur homines ad aliquid: Primum est domini proprij & præpotentis edictum: Alterum est charitas: Tertium necessitas: Vltimum tandem vtilitas, quam percipiunt homines ex hisce bonis actibus exantlatis. Auspicemur à præcepto. Christus instituens Ecclesiam, vt aliquâ notâ suos discipulos ab aliis secerneret, specialem legem de amore tulit. *Hoc* (inquit) *est preceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Cùm ergo amoris index sit actio proficua ei, qui amatur, (siquidem otiosus amor imponit, & amanti, & amato simul,) nemo potest amoris expers inter Christi discipulos sine crimine recenseri.

Amoris præceptum est Christi. Ioan. 15.

Amoris huius obsequio coalescimus omnes in vnum corpus, ad quod etiam pertinent animæ fidelium, qui vita functi, de salute sua certi luunt pœnas in Purgatorio. Conspirare simul omnes homines in vnitatem corporis ait Apostolus: *Sicut* (inquit) *in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Sicut ergo pedes quando dolent, à manu sana petunt vt medelam impertiat; ita defunctorum animæ, quæ torquentur, ab Ecclesia militante petunt suffragia, vt ea indulgente queant citius à Purgatorij flamma vindice liberari. Vnitatis huius ratione docet Paulus membra, quæ compaginant Ecclesiæ corpus, opem suam debere impendere ad inuicem, ita vt quisque fidelium angustias proximi participet. Sic ille monet. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes, orationi instantes: necessitatibus sanctorum communicantes, flere cum flentibus.* Christus amorem indixit, & Paulus hìc recolit actus præcipuos amoris huius, qui in subleuandis ærumnis fratrum maximè commendatur.

Rom. 3. Corpus vnũ efficiunt omnes fideles.

Rom. 3.

Quisquis ergo sibi hoc negotium indixit: vt præcipienti Christo morem gerat amando fratres suos, ille flebit cum flentibus, & necessitatibus sanctorum communicabit, subleuando suis precibus, aliisque bonis operibus tormenta acerba, quibus in Purgatorio defunctorum animæ lancinantur. Sublato etiam omni præcepto potens erat charitas, & suada satis, vt homines inflecteret ad orandum pro defunctis: illa quippe suas omnium facit angustias, membra sicut sana suam faciunt ægritudinem aliorum membrorum: etenim quod anima corpori infusa facit, illud idem charitas præstat eis omnibus, quos in vnitatem corporis adglutinat, vt patet ex memorato loco Pauli. Igitur orabunt pro defunctis omnes, qui charitate feruida percelluntur.

Charitatem sese orbe toto diffundere, & neminem prorsus excipere à solicitudine sua, docet Augustinus, inde probans nos debere curam omnium agere fidelium. Sic ille: *Membra Christi vbi laborant, ibi esse debes, vt sub capite sis: audi Prophetam: Latum mandatum tuum nimis. Extende charitatem per totum orbem, si vis Christum amare, quia membra Christi per totum orbem iacent: si amas partem, diuisus es, in corpore non es: si in corpore non es, sub capite non es: quid prodest quia credis, & blasphemas; adoras illum in capite, blasphemas in corpore. Amat ille corpus suum; si tu te præscidisti à corpore ipsius, caput non se præscindet à corpore*

Ex SS. Patribus. Aug. in ep. 1. Ioan. hom. 10.

Charitas omnes homines simul adglutinat.

corpore suo. Sine causa me honoras clamat tibi caput desuper, tanquam si velis tibi aliquis osculari caput, & calcaret pedes. Debet plus clamare caput pro membris calcatis, quam pro se honorato. Dicis, osculari te volui; sed non vides, ô stulte quia quod vis amplecti, per quandam compaginem vnitatis peruenit ad id quod calcas. Sursum me honoras, deorsum me calcas: plus dolet quod calcas, quam gaudet quod honoras. Quomodo clamat lingua cùm calcatur pes: pes dolet (inquit) mihi. Non dicit: dolet pedi meo. O lingua, quis te percussit, quis te tetigit, quis te stimulauit? Nemo (inquit) sed coniuncta sum iis quæ calcantur, quomodo non vis vt doleam, quando non sum separata?

Augustinus hoc contextu probat eos, in quos charitas influxit, esse solicitos omnium, qui sunt huius amoris participes. Cùm ergo defunctorum animæ, quæ torquentur in Purgatorio, charitatem illam participent, operæpretium est fideles, qui supersunt, necdum cessere fatis, defunctorum animis, quæ sunt in austero Purgatorij carcere, condolere. Posse charitatem homines inflectere, vt succurrant conclusis ergastulo Purgatorij, patet exemplo Pammachij, apud quem plus valuit charitas, quàm amor insitus à natura. Ille licèt affectu præcipuo Paulinam vxorem deperiret; illâ tamen sublatâ de medio, non est solutus in lachrymas, sed totum se precibus atque bonis operibus addixit, in gratiam defunctæ vxoris, eius sic animæ consulturus. Idcirco zelum eius suspicit, & commendat Hieronymus hoc discursu. *Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, Pammachius noster sanctam fauillam, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat: his pigmentis, atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* Vt est charitas vegetior amore, qui à natura fluit; ita potest opem conferre citam eis, qui Purgatorij carcere conclusi, ardentibus ibi vinculis obstringuntur.

Ex Historia. Hier. epi. ad Pammach. Charitas fortior est amore naturali.

Ad hoc conducet recolere miserandum statum animarum, quæ illuc deportatæ suam sortem exules deflent. Illa recensio ærumnarum sortietur eum effectum, qui excepit lugubrem vocem psittaci, qui aula Basilij Macedonis Imperatoris triste canens, Magnates illic adstantes in lachrymas soluit incuros epularum, ad quas erant à Principe conuocati. Imperator filium suum Leonem Imperij iam consortem detruserat in carcerem, contra tamen nutum Optimatum, qui hanc iniuriam factam Leoni, iniquo prorsus ferebant animo. Psittacus è cauea ementita voce humana loquens, hæc verba lugens sæpius expressit: HEV DOMINE Leo! Esto dapes opiparæ ex instructa mensa suum nidorem afflarent, non fuit è re conuiuarum cohibere fletus, & lachrymas ex eorum oculis erumpentes. Stomachum mouit Imperatori tristior hic habitus in luctum compositus, mediis in epulis. O Senatores, inquit, lauta conuiuia facies serena decet, vt obnubilata secus dedecet epulas, quid gaudio cum mœrore? deponite mœstitiam omnem iniuriam festo, quod statui vobiscum teste solenni hoc epulo celebrare. Magnates omnes vnanimes ita suum Principem affati sunt: Credis, necne, Imperator, esse minus rationis in homine, quàm in psittaco lugente tui filij sortem: Auis hæc erudita monet intempestiuas esse delicias, quæ parantur eis, qui deuouere sua obsequia filio tuo Principi nostro Leoni, quem offensa leuis inglorio carceri mancipauit: Constans hoc propositum animo nostro insedit, lugere donec Leo restituatur in integrum. Fregit obstinatum Basilij animum ille mœror Senatorum, qui hoc sibi indixerant, non lætari, nisi Leonis reuocata sententia sisteret eum palatio. Vt ergo foret illa suis numeris absoluta lætitia, Basilius in gratiam recepit Leonem, qui in Senatorum corona redux suspexit eos, vt vendices redditæ libertatis.

Histor. Imp. in Basilio Macedone.

Leo Princeps à psittaco lugetur.

Hodie vespertinis horis exuunt altaria candidum ornatum, quo fulgebant in gratiam omnium Sanctorum, quibus excolendis est addicta dies hodierna: nigricant omnia pullo ornatu, & has defunctorum voces ingeminat Ecclesia. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Hæc omnia commemorant animas, quæ esto Dei hæredes sint, in ingrato Purgatorij carcere cruciantur. Charitas fidelium accensa fratrum ærumnis, nihil obmittet, vnde queat eis cœlos peruios efficere.

Purgatorij pœnæ quare graues.

Tertium, quo vrgemur ad iuuandas animas est necessitas vtique extrema premens hos defunctos. Post namque fata suprema nequit homo mereri, aut satisfacere; quippe duo hæc vita comite duntaxat homini conceduntur. Rursus illa necessitas est maxima ratione pœnæ, quæ illic est summa: nimirum ad pœnam tria concurrunt, videlicet potentia, obiectum & coniunctio obiecti cruciantis cum potentia quæ torquetur. Quò magis est delicata portio, quæ vexatur, eò magis etiam acutus est dolor inde manans, vt videre est in exquisitis neruorum fibris, quæ imis radicibus dentium inseruntur. Si nempe fibras tenues has neruorum acer humor asperserit, & ita dissoluerit harum temperiem, dolor exurget ita grauis, vt impar sit illi humana patientia. Cùm ergo anima sit corpore nobilior, in eius indole exquisita dolor grauior emergit; & quotidiano experimento liquet, afflictiones animi superare omnes corporis angustias, quibus hîc homines exercentur. Obiectum mouens animam, & facessens ei negotium est ignis editus in argumentum diuinæ potentiæ, quæ vel inde patet maximè, quòd ignis corporeus in animam influat, & malè afficiat; esto nihil intercedat proportionis inter animam; & corpus. Vnde puta graues esse cruciatus animæ, quæ torquetur ab igne, qui à Deo vindicante sumit vim, quæ excedit omnes naturæ vires, quamuis sit natura potens, vt torturas ingerat exquisitas.

Coniunctio ignis & animæ intima est, sic Deo decernente, luat vt anima pœnis obnoxia. Quidquid hominem pungit hîc, non animam vexat, nisi mediante corpore. Si ergo dolor grauis acerbè pungit animam hîc corpore offenso; sanè dolor erit acerbior, qui exurget, cùm immediatè foco Purgatorij ambustæ defunctorum animæ conflagrabant.

Vtilitas nó modica emergit eis, qui defunctis

adsunt: namque Deus misericordiam præstabit eis, quia se misericordes præstitere iuuãdo suis suffragiis animas defunctorum, quæ cœlo adscriptæ par pari referendo Deũ demerebunt eis, quorum obsequiis eorum vincula dissoluuntur.

Quibus suffragiis adiuuentur animæ defunctorum.

§. VI.

Ex Conciliis, SS. Patribvs, Et historiis.

Satisfaciendi virtus vnde sit bonis operibus.

VT est indoles humana malis operibus obnoxia, vtpote prona in malum ab ephebis; ita bonis operibus se admodum ægrè addicit: inuitâ namque naturâ sauciatâ bonum opus quisque facit. Idcirco præter augmentum gratiæ in anima iustorum, etiam vim satisfaciendi pro pœna debita perpetratis antè piaculis omnia bona opera sortiuntur. Esse penes vnumquemque, suam hanc facultatem satisfaciendi transferre in alium, indubia res est apud orthodoxos, vt supra recensui §. III. vbi ex Conciliis, & SS. Patribus ostendi, bonis operibus viuentium posse satisfieri pro defunctis, quorum non fuere plenè vita comite crimina defæcata. Bona opera sunt, Missæ, orationes, ieiunia, eleemosynæ, peregrinationes, & inflictæ corpori pœnæ. Oratio præterquàm quòd est satisfactoria, quia indefesso ferè nisu spiritus sursum euehitur, & corpus in illa contentione ingrata patitur, & fatiscit; habet insuper quòd sit impetratoria, ideoque citam præstat opem oratio, quæ fit pro defunctis, & præsertim, si sit illa suis numeris omnibus absoluta.

Oratio est impetratoria.

Defunctis opera impiorum prosint necne.

Missa prodest etiam ab impio celebrata.

Sed aduerte, bonum opus vt influat in defunctos debere fieri ab anima gratiæ Dei conscia; quippe nemo malus pro seipso potest satisfacere; ergo nequit pro defunctis, quia nemo dat quod non habet. Excipitur Missa, quæ etiam celebrata à sacerdote iniusto prodest defunctis, quia virtus sacrificij non attenditur ex infusa gratia Sacerdotis. Habes §. III. plurima sensa Patrum, qui affirmant esse bona opera proficua defunctis: his adiice textus istos, quorum prior est Bedæ, qui refert, Angelum hoc retulisse verax oraculum. *Multos preces viuentium, & eleemosyna, & ieiunia, & maximè celebratio Missarum, vt ante diem iudicij liberentur, iuuant.* Huic Angelo concinit Augustinus, hoc tenore. *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis non est dubium mortuos adiuuari.* In illa bonorum operum classe primas tenet sacrificium Missæ, quod nunquam in cassum pro defunctis offertur: esto bonus enim, aut secus sit sacerdos, Missa suum sortitur effectum in gratiam defunctorum, pro quibus Dominus exoratur.

Ex SS. Patribvs. *Beda lib. 5. hist. cap. 13.*

Aug. ser. 32. de ver. Apo.

Esse ratum semper, & indubium Missæ effectum, abundè liquet ex Gregorio Magno, qui triginta Missas instituit dicendas in gratiam defuncti Monachi, qui hoc penso persoluto cœlis insertus est. Guillelmus Abbas in beati Bernardi vita refert, vnum ex discipulis eius vita functum, ab eo efflagitasse precum obsequium, quo egebat exul in Purgatorio; cuius voto satisfecit Sanctus, sic educens eum Purgatorij carceri mancipatum. Beatus item Anselmus integro anno Deum sollicitans pro amico defuncto, voti compos effefectus est, & eum flammis vbi ardebat eripuit. Denique est in confesso, bona opera edita pro defunctis non posse suo cadere intento: licet enim Deo sic decernente preces non succurrant ei, pro quo oratur; non sunt frustra tamen, aut in cassum fusæ, quia alteri defuncto precum indigo suffragantur. Non esse preces has inanes factas in gratiam defunctorum, cuiuscunque sortis ij sint, Beatorum scilicet, aut damnatorum, elimatè docet Augustinus hoc contextu. *Ecclesiæ (inquit) suffragia pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propitiationes: pro valde malis nulla sunt adiumenta mortuorum, sed qualescunque viuorum consolationes.*

Ex Historia. *Greg. lib. 4. dialog. c. 55. Guillel. Ab. in vita S. Bern. Lib. 1. vita B. Anselmi.*

Defunctis preces quomodo prosint.

Aug. de cura pro mort. c. 2.

Defuncti quales sint, qui meruere sibi vt succurratur.

Cùm ergo bonis operibus hoc sit peculiare munus, vt nusquam frustrentur intento suo, quando fiunt pro detentis in Purgatorio; nostra interest, eis rogare stipem precum. Nam Augustinus & Caietanus habent hoc pro comperto, preces aliaque suffragia pro defunctis illis prodesse solùm, qui meruere talem opem, cùm essent in humanis, sentiendo benè de clauibus Ecclesiæ, & sollicitam gerendo curam earum, quas Purgatorium cruciat animarum. Eò vergit illud Apostoli consilium. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Iacobo Apostolo coapostolus alter Paulus ita concinit. *Pro inuicem solicita sunt membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Itaque sedulò cauendum est, ne vitio nostro preces, quæ fundentur pro nobis vita functis, sint irritæ, quod teuerà fiet, si defunctis hoc charitatis officium pendere detrectamus.

Iacob. 5.

1. Cor. 12.

Aduerte obiter, me non recensere indulgentias inter bona opera pœnalia, quia indulgentia est applicatio satisfactionum, seu pœnalium operum Christi & Sanctorum defunctis, ideoque dicit Pontifex concedere se defunctis indulgentiam per modum suffragij, & non per modum absolutionis. De hac re ex professo dicam infra, homilia de Iubileo, & Indulgentiis.

HOMILIA

HOMILIA
DE FESTIS, DE IMAGINIBVS, & Reliquiis Sanctorum.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT anno recurrente plura occurrunt festa Sanctorum; ita prædicator sæpius in hoc argumento sudat, Deterget hunc sudorem homilia ista leuans inopiam, qua vrgente plures hærent in vado, nescij quid de nuper exhausto suo penu prodant, itaque omnia subiicio, quæ commendare queunt Sanctos.

II. Priori parte dico omnia, quæ pertinent ad Sanctorum cultum; hæc autem reducuntur ad quatuor obsequia, quæ Sanctis vna die solet populus exhibere. Namque die festo quisque subit templum; imagines atque reliquias Sancti, qui recolitur illa die, venerando sicut par est. Vnde primò ostendo, quare dies festi fuerint instituti. Secunda sectione probo, etiam templa ritè consecrari in memoriam Sanctorum. Tertia sectione cultum imaginum adstruo. Quarta demum sectione sacras reliquias commendo. Sicque potest industrius prædicator ex hac homilia quatuor texere conciones. Inscripsi homiliam, De institutione Festorum, quia vt præfatus sum, vna die concurrunt illa quatuor; videlicet festum, templum, imago, reliquiæ.

III. Secunda parte homiliæ ostendo, quibus obsequiis sint obseruandi dies festi; ad quid etiam nos sollicitent templa erecta, & imagines Sanctorum, necnon & eorum reliquiæ. Tota moralis est pars hæc occupata bonis moribus inducendis.

PRÆFATIO.

Nulli liceat hos dies absque solennitate transigere. Esther. 9.

FERALI sententia morti addixerat Iudæos omnes vt vilia capita æmulus eorum Aman; dies instabat indictus supplicio, & gens illa neci mancipata, vitæ spem omnem abiecerat, arbitrata solùm esse locum fletibus, & lamentis. Mardochæus opportunè suum caput obiecit huicce malo vrgenti: etenim nepte sua Esther instructa Regis animum inflexit in perniciem Aman hostis Hebræorum, & rescissa necis sententia, Iudæos omnes à districto iam gladio vindicauit. Ne salutis partæ cura Mardochæi & Esther memoriam tergeret obliuio, Mardochæus ipse cauit, vt Nulli liceat hos dies absque solennitate transigere. *Ecclesia æmulata gratum animum Hebræorum, celebrat omnes dies, qui recolunt gratias illas præcipuas, vnde salus influxit in animas. Vt sunt dies omnes sacri mysteriis Christi, quibus adiicit & alios, Sancti alicuius merito consecratos. Exempli gratiâ, Roma Petri sanguine aspersa, & erudita Zelo, arbitrata Petrum in cælo curam agere Romanæ Ecclesiæ, præcipuo cultu diem illum celebrat, quo Petrus in cælum euectus est, acturus ibi causam Ecclesiæ. Ita singulæ quæque ciuitates elegere sibi Sanctum aliquem in patronum apud Deum; & quia dies illa, in qua Sancti subiere cælos, est eorum clientelæ caput, & initium; illa recolitur ab his, qui se Sanctorum tutelæ pio animo commiserunt. Tu ô ciuitas illustris N. es hodie factura fidem dictis. Namque memor gratiæ, quam obsequio sancti N. accepisti, hodiernum diem in fastis habes, & sequuta patrum vestigia, celebrem agis cultu præcipuo; & ne muta foret, & elinguis deuotio tua in patronum hunc insignem, me præconem conduxisti, ad patroni huius Sancti egregia facta & merita propalanda. Has ferè vices implebo satis, si dixero, Sanctum hunc ita suis deuinxisse curis vrbem hanc, vt quando fugax annus in gyrum actus eius memoriam refricat, & ingerit, sit immane nefas diem illum solennem non agere, qui commemorandæ sanctitati eius hodie designatur. Itaque* Nulli liceat hunc diem absque solennitate transigere. *Sed omnes se accingant ad congrua obsequia Sancto isti. Et quia Sanctos sancta decent, si animo vestro insedit Sanctum hunc excolere sicut decet, obedite voci eius, ita suos clientes omnes de superna cui adscriptus est gloria compellanti:* Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum. *Id est, cauete ne die sacra mea memoria quidpiam iniurium sanctitati perpetrato aliquo crimine committatis. Profectò morē geremus huic præcepto, si fecerimus propitiā nobis matrē sanctitatis, ad hoc Angelo cōducto, qui eā sic affatus est.* Aue Maria. Leuit. 11.

GRatiæ conciliantis animam Deo est commendatio tanta, quanta potest esse maxima. Ab ea namque Petrus ait: *Effici diuinæ cōsortes naturæ.* Et Ioannes eam vocat, *Semen Dei,* quo germināte fiunt homines Dij, iuxta Vatis oraculum. *Dij estis & filij excelsi omnes.* Theologia

Gratiæ Dei commendatio singularis.
2. Pet. 1.
1. Ioan. 3.
Psal. 81.

Thom.1.2.q. 11.ar.1. gia inuestigans indolem gratiæ, dicit eam esse participationem diuinæ bonitatis, & bonum gratiæ vnius esse maius bono naturæ totius vniuersi, & inde credit gratiæ diuinæ decus maximè commendari. Illa tamen encomia gratiæ sunt infra Petri & Ioannis eloquia, quibus homo Deo satus gratia mediante Deus efficitur. Ita Ioannes occinit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei.* Cùm ergo Dei gratia largiter influxerit in Sanctos omnes; citra metum blasphemiæ Doctores eis aptant multa per participationem, quæ schola docet substantiuè solùm vni Numini conuenire. Ne verò vana foret illa magni nominis vmbra, nomenclatura videlicet filiorum Dei, Deus ipse suos Sanctos in partem gloriæ assumpsit, dum præcepit eos honorari, faciendo suum etiam eorum cultum, necnon & contemptum. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Et ne Deos videretur ipse Deus Sanctos suos appellasse gratis; fecit eos aliquali modo participes cultus, quem Deo duntaxat solent homines exhibere.

1. Ioan. 3.

Luc. 10.

Sanctos Deus quomodo honoret.

Exempli gratiâ, esto Deo soli templa sacra fiant, illa tamen habent Sanctos in patronos, vnde sacras ædes Sanctorum nomine nuncupamus. Rursus festa primò Deus instituit, vt anima subducta curis, quibus obstringitur operando suis manibus, recoleret obsequia, quibus eam Deus demeruit: tandem & festa Deus indici in honorem Sanctorum miraculis etiam pluribus approbauit. Item eorum imagines atque reliquias vbique coli inspirauit Ecclesię cuius in multis Conciliis prostant decreta, quibus vt veridicis oraculis, pietas fidelium in Sanctos magnum suscipit incrementum. Vt amor ille Regum, quo suos aulicos & Magnates depereunt, amori diuino cedit, illi videlicet, quo Sanctos prosequitur; ita minus est quod dant Reges suis aulicis, quàm quod Deus Sanctis suis beneficus & prodigus impertitur. Non est intempestiua tamen illa Regis Assueri sanctio in gratiam Mardochæi, quem apud se constituerat afficere honore præcipuo: hæc namque satis insinuat, qualiter ipse Deus affectus sit erga suos Sanctos. Ecce legem latam indicem animi benefici, & regij, quem Assuerus exhibuit Mardochæo, cuius officia fidelia proposuit condigno præmio compensare. *Homo* (inquit) *quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare.*

Esther. 6.

Hæc omnia sigillatim quadrant Sanctis singulis. Primo regiis induti sunt vestibus, quia gratia habituali instructi. Secundò, super equum; qui de sella Regis est, impositi sunt, quando in cœlos euecti sunt. Tertiò, regium diadema micat in eorum capite, quando corona gloriæ decorantur. Denique primus de regiis principibus alta voce clamas gloriam, ad quam Sancti euecti sunt, quando Papa primus mortalium catalogo Sanctorum inscribit eos, & decernit eos esse ab omnibus inuocandos. Hæc tota homilia erit de cultu Sanctorum, eritque velut penu diues, vnde queat prædicator materias idoneas educere pro texendis concionibus in quauis festiuitate. Dicam ergo primò ea, quibus est mos Ecclesiæ Sanctos excolere, vt sunt institutio Festorum, templa sub eorum tutela erecta, imagines, & reliquiæ corporum honoratæ. Secundò dicam quomodo debeamus in vsus nostros aptare festa, templa, imagines, & reliquias Sanctorum, quos hîc exules & terrarum incolæ veneramur.

Diuisio homiliæ.

Pars Prima Homiliæ.

Ad quid, & quando fuerunt Festa instituta.

§. I.

Ex Theologia, Ex Antiqvitate, Et Ivre Canonico.

Indubia res est, Sabbatum fuisse diem primum Festum, qui Deo reuelante primus hominibus innotuit, & ab eis ipsis incunabulis mundi, non in honore solùm habitus, sed etiam pietatem testantibus externis actibus obseruatus. Institutionem Sabbati fuisse ferè coæuam mundo patet hoc contextu. *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus.* Dicitur ille dies sanctificatus, quia fuit ex tunc sanctis operibus illo die faciendis à Deo rerum omnium Domino consecratus. Cùm ergo sator hominum Adam aduertisset eum diem esse Deo cordi quàm maximè, proculdubio se suosque posteros composuit ad nutum Dei, excolendo diem hunc septimum, eo recurrente memor erat homo Dei, quo conditore viget hoc totum quod est. Vt autem altius insideret animo illa die memoria beneficiorum Dei, hunc indixere sibi ritum homines, præfata die septima feriari.

Genes. 2.

Sabbatum initio mundi fuit obseruatum.

Quòd vltrò fuit & sponte prius factum ante legem, illud postea sanciente lege fuit de præcepto inserto primæ tabulæ, quæ tota Dei cultum insinuat. Quare diem hunc festum voluerit esse Deus, hoc ipsa Dei lege liquet, quæ tria commemorat, vnde suæ sanctitatis & præcipui cultus illa dies Sabbati accipit argumenta. Ecce legem. *Obserua diem Sabbati, & sanctifices eum sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, seruus & ancilla, & bos, & asinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus, qui est intra portas tuas; vt requiescat seruus tuus, & ancilla*

Deut. 5.

Sabbatum quare fuit institutum.

cilla tua, sicut & tu. Memento quòd & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco praecepit tibi, vt obseruares diem Sabbati.

Lex praefata clamat esse tria argumenta, quibus ad feriandum die Sabbato Hebraei homines inducuntur. Primò, vt mente subducta curis operum seruilium, recensere queat homo dona, quae accepit à Deo creatore rerum omnium: quae in hominis vsum editae sunt. Illo siquidem intuitu feriatus homo memor orbis ab eo conditi, Deum auctorem & factorem orbis tacitè praedicabat. Item ille ritus, quo profitebatur homo Deum esse conditorem orbis, arguebat Philosophos delirantes, asserendo fuisse mundum ab aeterno, & ita Deum esse rerum omnium primam causam & satorem impiè denegantes. Secunda ratio instituendi Sabbati fuit, vt homo suae familiae daret inducias, quarum obsequio & filij, & serui vacantes attenderent ad ea, quae Dei sunt, sicque suae saluti consulerent, cuius profectò cura segnior est multiplici opere seruili corpore fatigato. Tertiò demum Sabbati institutione Deus Hebraeis refricuit eorum exitum ex Ægypto, vbi inglorij seruitute diu oppressi sunt, vt reduces inde grates agerent Sabbato: quippe dies illa fuit, qua Hebraei excusso suae seruitutis iugo durissimo fuere restituti pristinae libertati.

Festorũ institutio est de iure diuino.

Hoc Sabbatum sicut & aliae festiuitates Hebraeorum, quae aliquid caeremoniale sonant, expunctae sunt cum Synagoga, cui incumbebat seruare ritus illos adumbrantes Christi Domini aduentum. Non idcirco tamen ab oluimur à praecepto, dies aliquos festos obseruandi, cùm de iure diuino sit aliquot segregare dies indictis labori manuum induciis, vt impensius Numini seruiatur. Insita nimirum est homini quaedam propensio ad decernendum tempus aliquod idoneum singulis quibusque rebus necessariis, vt corporali refectioni, somno, & aliis huiusmodi. Cùm ergo ieiuna mens humana sua refectione spirituali indigeat, qua deficiente perit aut marcescit anima minimè pasta Deo, quo vt congruo alimento viuit; secernenda fuit dies vni duntaxat addicta Deo, vt anima, quiescente corpore, pasceretur.

Ex Theologia. Thom. 1. 2. q. 122. art. 4.

Itaque festis Hebraeorum Ecclesia Deo afflata dies alios substituit, vt Pascha, Pentecosten, & alios recolentes beneficia, quibus obstricta suo Redemptori suas ita vices obit, de industria feriando, vt coëunte plebe in Ecclesiam sacra fiant mysteria, & praeconum verbi Dei ministeria illa, quae ad salutem pertinent, populo refricentur. In festis antiquissimum est festum Dominicae; nam statim à Pentecoste fuit antiquata vetus Hebraeorum lex, & obligare coepit lex Christiana palàm annunciata plebi. Vnde quia praefata dies Dominica substituta fuit Sabbato, in memoriam Resurrectionis Christi, qui illa die scilicet Dominica redux ab inferis homines in integrum restituit, faciens eos omnes, scilicet saluandos, in suo resurgente corpore rediuiuos.

Dominica dies festum est antiquissimũ & primũ ab Apostolis celebratum.

Diem Dominicam meminit Apostolus hoc contextu: *Ego Ioannes fui in spiritu in Dominica die.* Item Paulus. *Per vnam Sabbati, vnusquisque apud se reponat, recondens quod ei placuerit.* Denique Lucas. *Vna Sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem.* Nota phrasim hanc, vna sabbati, perinde esse ac, vna die hebdomadae; quippe die vna, scilicet Dominica, conueniebant Christiani, & depositis omnibus vsquequaque curis rerum seruilium, vni se tantùm Christo Domino mancipabant. Et quia die Dominica potissimum, Christiani accingebant se ab bona opera, vtpote de sua salute soliciti; Paulus eos adhortatur, vt seorsum ponant eleemosynas; quasi diceret: O fideles, si vultis vti par est celebrare diem Dominicam, aemulamini Christum illa die beneficum omnibus, & praesertim Patribus, qui in Limborum ergastulo detenti sunt. Huiusce voti compotes eritis stipem indigis erogando.

Apocal. 1. 1. Cor. 16. Actor. 10.

Festa celebranda pijs eleemosynis.

De festis Sanctorum est quaestio magna inter Catholicos, & haereticos: vt namque Deo haeresis iniuria est; ita neque curat illa decus & gloriam Sanctorum. Igitur instant haeretici, institutionem festorum esse primae tabulae praeceptum, ac proinde Deum solum respicere sicut & alia praecepta primae tabulae, quae tota Dei cultum instituit: Ergo malè dies Sanctorum cultui consecrantur. Respondeo, festa Deo soli dedicari; eo quippe intento dies aliqui secernuntur ab aliis seruilibus, vt mens addicta Deo facilius ad diuina assurgat. Quòd si mentio specialis eo die fiat alicuius Sancti, hoc non obstat, quin festiuitas praecipuè sit sacra Deo. Etenim Missae sacrum non fit Sancto, neque Horae canonicae diriguntur ad Sanctum; sed haec cuncta Deum respiciunt vt obiectum principale, Sanctorum verò tantùm merita recoluntur. Et esto dies illi festi essent instituti in honorem Sanctorum, quia fideles extitere Deo; etiam ita decus omne, & gloriae summa penes Deum esset, quem sicut in templis manu factis excolimus, eum pari modo veneramur in Sanctis, iuxta Vatis oraculum. *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Sicque Deo praecipuè defertur dierum festorum gloria principalis.

Festa Deo soli dicantur.

Festa Sanctorum ad gloriam Dei cedunt.

Psal. 150.

Alio nos commento petunt haeretici, garrientes ea festa solùm debere coli, quae Christus post Resurrectionem instituit, initiando suos discipulos, vt sunt festa, quibus redemptionis nostrae memoria recolitur; festa verò Sanctorum esse expungenda, velut delirium hallucinantis Ecclesiae, quo aeuo posteriore quasi senio confecta sibi non constitit, inuehendo ritus hos festorum, quos prima saecula nescierunt. Obiectio illa duo spicula intorquet. Primò negat Ecclesiam posse dies festos instituere, sicque sibi vsurpasse Dei auctoritatem, quando dies festos Sanctorum in feriarum catalogo conscripsit. Secundò, turpiter imponit, & mentitur haereticus, & more canum insanè latrat, insulsè dicens esse nouum delirantis Ecclesiae inuentum, praescribere dies festos alios ab eis, quos Christus instituendo ritus Ecclesiae antea definiuit. Profectò fiet obtusa teli prioris acies hoc responso: Auctoritas Ecclesiae non est infra potestatem Synagogae: Sed praeter festa Iudaeis indicta Deo

Festa potest Ecclesia instituere.

Deo auctore, plura fuere obseruata, quæ Synagoga indixit. In his numeratur festum sortium, ob Iudæos morti ereptos cura Mardochæi, & Esther. Præterea solennes fuere dies dedicationis templi, tempore Salomonis, Esdræ, & Machabæorum. Et esto recens esset festum dedicationis factæ à Machabæis; à Christo tamen religiosè fuit obseruatum, sicut in sacro Codice recensetur. Ergo potest Ecclesia Deo afflata, dies designare, quibus abstineant Catholici ab omni opere seruili. Secundò, procax est hæreticus, insimulando nouitatis Ecclesiam, quando dies festos sanxit: etenim ille ritus celebrandi dies festos Sanctorum inualuit, Ecclesiâ adhuc in ephebis, id est primo Ecclesiæ sæculo pubescente.

Esther. 9.

EX SS. PATRIBVS. Festa Sãctorum seruata quinque primis sæculis.

Et quia Caluinus ait, quinque prima sæcula referre typum, ad quem se aptare debet Ecclesia sarta tecta; non erit abs re reuocare morem priscæ ætatis Ecclesiæ, vt inde fiat palàm, hæreticos à vero procul esse, quando lacessunt Ecclesiam; imò proteruos esse, & quando aduersus Ecclesiam garriunt, insanire. Constitutio prostat edita à Clemente primo sæculo, quâ cauetur, ne quis audeat violare dies festos Apostolorum, & Martyrum. Extat & epistola luculenta Smyrnensis Ecclesiæ, secundo sæculo conscripta, hanc exquisitè refert Eusebius hoc tenore: *Solennes agimus, celebresque conuentus, maximè quidem in die passionis eius: sed & cùm eorum memoriam, qui prius passi fuerant, celebramus, vt sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur.*

Clemens lib. 8 constitut. c. 39.

Euseb. l. 4. histor. c. 10.

Tertio sæculo Origenes hoc sibi negotium indixit, probare morem hunc celebrandi dies festos esse legitimum: ait namque diem festum Innocentium rectè coli, quia illi fuere Martyrum primitiæ Christo Domino consecratæ. Elimatè litem hanc dirimit Cyprianus, eiusdem sæculi doctor, & Antistes, qui ex professo memor dierum festorum, ita probat illum morem fidelium. *Dies eorum, quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Rursus ille ritum hunc Ecclesiæ refricans, ita fatur: *Sacrificia pro eis semper, vt meministis offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus.* Quarto sæculo Basilius, Nyssenus, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus dies festos indictos in honorem Sanctorum, & præcipuè Martyrum liquidò meminerunt.

Origen. hom. 3. in diuersos Euangel. text.

Cyprian. lib. 3. epist. 6.

Lib. 4. epist. 5.

Basil. ora. in Gordium. Nyss. orat. in Theodor. Naz. orat. 1. in Iulian. Amb. ser. 76. 77. 78. Hieron. in c. 4. Gal.

Quinto sæculo Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus, & Paulinus multi sunt in recolendis festis Sanctorum: imò plures eorum homiliæ prostant, quibus in magna plebis frequentia venerati dies festos Sanctorum, non duntaxat probauere ritum hunc, & cultum, sed quo valuere nisu, & voce suada plebem hortati sunt, vt feriando dies illos excolerent, meditando Dei beneficia, quæ sunt in animum illo feriarum tempore reuocanda. Ita Augustinus: *Beneficiorum Dei, solennitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.*

Chrys. hom. 66 ad pop. Theodor. l. 8. de Mart. Aug. in Ps. 63. Paulin. natal. 2. S. Felic.

Aug. l. 10. de ciuit. Dei c. 4.

EX IVRE CANONIC.

In eam sententiam, de reuerentia circa dies festos Sanctorum, iuisse totam Ecclesiam testantur abunde sacri canones. Concilium Laodicenum in Oriente celebratum ante mille ducentos annos vetat in Quadragesima celebrari festa Sanctorum. Vnde liquet extra Quadragesimam fuisse morem illius prouinciæ feriari diebus festis Sanctorum. Concilium III. Carthaginense ætate ferè suppar ei, quod meminit, ita dies festos Sanctorum approbat. *Liceat*, inquit, *legi passiones Martyrum, cùm anniuersarij dies eorum celebrantur.* Concilium Toletanum III. clare fidem Hispaniæ commendat erga dies festos Sanctorum; nempe vetat choreas agi diebus illis. Concilium Lugdunense, dies festos Sanctorum enumerat populo proponendos. Concilium denique Moguntinum habet & seriem festorum, quæ celebrare solet Ecclesia in honorem Sanctorum. Nequit ergo citra nefas immane procax hæreticus damnare zelum, quo commendo dies festos Sanctorum, cùm orbe toto coëunte in cultum hunc fuerint festa Deo auctore primitus instituta.

Conc. Laodic. can. 51.

Conc. Carth. III. can. 47.

Conc. Tolet. III. can. 23.

Conc. Lugd. can. Pronunciandum. De consecrat. dist. 3.

Conc. Mogu. cap. 36.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Præter Ecclesiæ nutum, ad quem omnes sese debent componere Catholici, concurrunt etiam in gratiam festorum argumenta, quibus olim variæ Gentes inductæ sunt ad solennes dies festos in honorem Heroüm populis indicendos. Sunt autem hæc argumenta tria. Primum est natalis dies Principis. Illo quippe die festum erat, quod in Galilæa Rex Herodes quotannis celebrare fuit solitus epulis instructis, ad quas præcipua regni capita conuocabat. Fuisse ferè ritum omnium Gentium celebrare diem natalem Principum, Ambrosius insinuat. *Quis*, inquit, *cùm audisset natalem esse Herodis, solenne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur?* Hac interrogatiua voce, Quis? innuit Ambrosius inualuisse morem illum apud omnes celebrare diem natalem Principum.

Marc. 6.

Ambr. l. 3. de virginibus.

Nonne ex Plutarcho, & Iustino Rex Macedo Philippus solennem habuit & festiuum diem natalem filij sui Alexandri? Nunquid & Constantinus Imperator, anno recurrente diem festum semper habuit illum, quo filium suum Crispum resciit esse natum; vtque plures essent conscij lætitiæ festi huius, illa die quamplurimos absoluebat carceri mancipatos. Romanorum singulos quoque suum etiam celebrasse diem natalem auctores sunt Plinius, Probus, & Tibullus: illa die Varro & Censorinus obseruarunt fuisse Romanis in more positum, vt læti diem illum transigerent faciendo sacra Genio sine cæde cuiusuis animalis, ne illa die, qua lucis vsuram acceperant hanc aliis adimerent. Sic in eo argumento canit Tibullus.

Plut. in Al. Iustin. l. 12.

Lege prima. De ind. rem. Cod. Theodos.

Plin. l. 18. c. 8. Prol. 3. Georg. & arro l. 3. de numeris. Censorin. li. de die natali.

Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorent sanctas florea serta comas.
Illius è puro distillent tempora nardo
Atque satur libo sit madeatque vino.

Tibul. l. 2. Eleg. 2. Genij sacra quæ sine sanguine.

Adijcit Horatius fuisse & famulos aduocatos in partem lætitiæ, & conuiuij instructi die natali eius, qui Genio sacra facit facere solitus incruenta.

------ ----------Cras Genium mero
Curabis, & porco bimestri
Cum famulis operum solutis.

Horat. l. 3. Carm. Od. 17.

Ad Augustini tempora defluxisse morem illum

illum celebrandi festiuè diem natalem cuiusque viri nobilis, colligere est hoc contextu. *Cùm nobilis natalem suum celebrare desiderat, ordinat emendari quicquid ineptum est: quicquid necessarium est præcipit exhiberi.* Cùm ergo dies obitus Sanctorum sit eorum ortus & natiuitas in cælis, vbi inter Principes aulæ cælestis assident; nonne par & æquum est, eorum natalitia festo congruo celebrare?

Aug. ser. 3. de Aduentu.
Festa ob quas causas Gentiles instituerunt.

Alia rursus causa mouens & sollicitans homines celebrare dies festos, est alicuius assumptio ad regnum, seu principatum. Ita Summi Pontifices inaugurationis suæ diem velut festum annua celebritate colunt. Fuit & ille ritus Persis insolitus: quippe Reges quotannis illa die, qua Reges dicti fuere, primò festum indixere, epulis & strenis excepere suos aulicos, vt benè pasti, & ditati fausta suo Principi precarentur. Huiusce moris fuisse tenacem Xerxem scribit Herodotus. Hæc causa sanè dies festos Sanctorum abundè probat; hi nimirum in cælos euecti, illic immarcessibili gloria coronantur.

Herodot. l. 9.

Postrema demum causa suada ritus huius festorum fuit olim parta insignis victoria, aut aliquod grande bonum collatum ab illo, cui festa grata quondam Gentilitas, in tesseram animi sui beneuoli annuente toto populo decernebat. Strabo refert Persas habuisse diem illum sacrum, quo Cyrus latè fudit Scythas, & Sacas. Iidem Persæ Herodoto teste indixere sibi quotannis celebrare diem illum, quo necati sunt Magi, qui nefandis artibus regni Persarum regimen vsurparant. Festo nomen hoc inditum Magophonia, id est, Magorum occisio. Probus Æmilius ait Siculos eodem ductos argumento diem coluisse, quo Timoleon editus est: ille nimirum strenuus Imperator præcipuas illo die victorias retulit: vnde Syracusis ille dies sacer extitit, & festiuus, quia beneficus, ac proinde sine nota ingrati animi non potuit ab illo populo præteriri.

Strabo l. 11.
Festa Persis olim solennia.
Herodot. l. 1.
Prob. Æmyl. in vita Timoleo.
Festum olim apud Syracusas celeberrimum.

Æmula Roma morum omnium nationum, credidit esse dies faustos, & infaustos. Superstitionis ansa fuit, aut tristior exitus belli cum hoste fero, vel fortunæ adblandientis aura suauior. Aspera namque sicut prospera fecere dies conspicuos, eos atro vel candido calculo designantes. Roma dies atros habuit illos, qui extulere Remum, & Iulium Cæsarem. Fuit & ominosa dies acceptæ cladis ad lacum Thrasymenum, Hannibale ad internecionem vsque in Romanos victore gladio sæuiente. Huiusce mali ominis suspicio ab euentu infausto fuit contagium, quo exoticæ gentes infecere Romam, quæ Religionis partem arbitrata ritus omnes sequi, aptauit se omnibus percita zelo indiscreto, & ementita specie pietatis.

Alexand. ab Alex. lib. 4. dier. c. 20.
Suet. in Iulio Cæs. c. 88.
Macrob. l. 1. cap. 16.
Dies infausti quales.

Vt contrariorum eadem est disciplina; ita Roma dies mœstos, & infaustos instituens, alios ex aduerso gratos, & festos indixit. In decernenda die tristi Roma sibi præeuntes habuit deliras olim Gentes. In quibus Alexander Chalcedonios annumerat, apud quos portentosa fuit mensis cuiusque dies vigesima prima, quia die illa præfectus Darij pueros eorum in Persidem abduxit, superbè ridens patrum fletus, gemitus, orbitatem. Plutarchus, & Ælianus aiunt Persas habuisse dies infaustos, quibus in pugna Marathonia, ad Platæas & ad Mycalen fusi sunt à Græcis strage tanta, quanta fide potest humana capi; luctu nimirum, & pullis vestibus indutis tota fere Perside nigricante. Habuit & Carthago diem luctus, & mœroris, eum

Alexand. vbi supra.
Plutarch. in Camil.
Ælian. lib. 2. de varia hist.
Plut. vbi supra.

scilicet, quo dirè suis ab æmulis excepta est, vt auctor est Plutarchus. Cretenses ex Horatio obseruauere dies ominosos, quos nigro lapillo notauere, sicut & faustos albo. Ad quod alludens Horatius ita monet.

Cressa ne careat pulchra dies nota.

Horat. lib. 1. car. Ode 36.

Cressa, id est Cretensi, vt aduertit Acron. Thraces & eadem nota suos distinxere dies, vt Plinius aduertit hoc contextu. *Vana mortalitas ad circumscribendum seipsam ingeniosa, computat more Thracia gentis, quæ calculos colore distinctos, pro experimento cuiusque diei in vrnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de vnoquoque pronuntiat.* Eò vergit & illud Persij effatum.

Plin. l. 7. c. 4.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo.

Persius sa. 2.

Iuxta morem hunc Romani quid quaque die dispendij, aut commodi retulissent, illud omne stylo perquàm fideli referebant in tabulas, quas ephemerides ab vnoquoque die dicebant, & postmodum opportuno tempore consulebant. Has meminit Propertius.

Me miserum his aliquis rationem scribit auari,
Et ponit duras inter ephemeridas.

Propert. l. 3. eleg. 22.

Vt non semper imbres, ita fausta & infausta alternant, nec semper opaca dies & mœsta nubem luctus gentibus obduxit. Nempe dies habuere suos etiam faustos & serenos populi, vt festo recurrente fletus abstergerent, & mœrorem animi deponerent, genio largiter indulgentes. Iustinus ait Parthos diem, qua Arsaces Seleucum vicit, coluisse sicut initium suæ libertatis. Asiani ex Asconio Pædiano diem instituere sacrum, & festum, quem nuncupauere Mutium in honorem Q. Mutij, qui beneficus extitit Asianis. Athenienses ex Plutarcho diem coluere ritu solenni, quo Persas afflixere clade insigni, Ioui liberatori victimas cædunt. Præter eos ab euentu fausto dies festos, rara fuit orbe toto prouincia, quæ non coluerit homines aliquos sibi olim propitios, quos illa gratum animum testata Deos & dicebat, & congruis etiam Numini ritibus excolebat. Locuples est in hoc argumento locus Ciceronis. *Suscepit, inquit, vita hominum, & consuetudo communis, vt beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent: hinc Hercules, Castor, & Pollux, Æsculapius, Liber, Romulus, quem quidam Quirinum putant, quorum cùm remanerent animi, & æternitate fruerentur, dij ritè sunt habiti, cùm optimi essent, & æterni.* Hos homines adscitos in Deorum numerum vocabant Indigetes, quasi in Diis agentes. Macrobius ita Deos, hos describit.

Fausti dies quales.
Iustin. l. 41.
Asconius Pædian. act. 1. in Verr.
Plut. in Aristid.
Cic. lib. 2. de natura Deorum.
Indigetes Dij quales.

Indigetes diui fato summi Iouis hi sunt,
Quondam homines, modò cum superis humana tenentes
Largi ac munifici, ius Regum nunc quoque nacti.

Macrob. l. 1. de somn. Scip. cap. 9.
Festus P [illegible] l. 9.

Hos etiam meminere Deos Indigetes Festus Pompeius, Liuius, Gellius, Solinus, & Virgilius, qui Æneæ cultor, eius encomia sic enarrat, vt eum concludat Indigetem.

Liuius lib. 1. Dec. l. 1.
Gellius l. 2. cap. 16.
Solin. c. 8.

Indigetem Æneam scio ipsa, scire fateris,
Deberi cælo, fatisque ad sidera tolli.

Virg. 12. Æneid.

Concinit Ouidius, Æneam asserens Indigetem ritu, quem meminit hoc concentu.

Ouid.4. Met. Æneas inter Deos Indigetes.

Lustratum genitrix diuino corpus odore
Vnxit & ambrosia, cum dulci nectare mista.
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploq; arisq; recepit.

Collimat eò Tibullus, eumdem Æneam pronuntians esse Deum indigentem.

Tibul. lib.2. eleg.6.

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici,
Vnda Deum cœlo miserit Indigetem.

Alios item plures Ouidius meminit Indigetes Deos, quorum hîc aliquos accipe.

Ouid.15. Metaph.

Dij precor Æneæ comites, quibus ensis, & ignis,
Cesserunt, Dijque Indigetes, genitorque Quirina
Vrbis, & inuicti genitor Gradiue Quirini,
Vestáque Cæsareos inter sacrata penates,
Et cum Cæsarea tu Phœbe domestice Vesta.

Indigetes sibi in patronos qui elegerint. Aristot. l.7. Ethic. c.1. Strabo. l.15. & 17. Tacitus l. de morib. Germ. Pausan. l.3. Plin. lib.10. cap.28.

Laconum fuisse morem homines de Republica benè meritos habere velut Deos auctor est Aristoteles. Quàm concordes fuerint omnes nationes vendicando sibi homines illustres vita functos in patronos, accipe ex istis, quos inter Numina recensebant. Strabo refert Indos coluisse velut Deos Iouem pluuialem, & fluuium Gangem; Meroitas verò Pana, Herculem, & Isim. Germanis Tacito auctore Dij sunt Tuisto, & Munnus eius filius, quos vt satores suæ Gentis aiunt esse loco Numinis adorandos. Arcades, & incolæ Euxini circa Nili ostia Achillem habuere sicut Deum, Pausania teste, cui adiice Plinium referentem Achilli dedicatam insulam prope Boristhenem. Ex Strabone velut Deos tutelares habent Persæ Amanum, & Anandatum, & Veneti Diomedem, cui equos candidos immolabant. Lactantio auctore coluerunt Ægyptij Isidem, Pœni Vranum, Macedones Gabyrum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Ex Tertulliano, & Arnobio Mauris Iuba Deus habitus est. Ex Plutarcho Siculis in veneratione fuit Adranus, vt & Lybicis Psaphon, qui vltimæ sortis homo, sic opinionem diuinitatis suæ populis inseruit. Vocales aues astutus homo loqui docuit & has resonare voces: Magnus Deus Psaphon. Auibus in syluas emissis, resonuere voces ille nuntiantes Psaphonem esse Deum, sicque plebis delusa fides & Psaphon inter numima recensitus.

Strabo. l.11. & 5. Lactant. l.1. cap.15. apolog. c.21. Arnob. l.8. cont. Gent. Plutarch. in Timole. Psaphonis industria vt crederetur Deus.

Ælian. l.14. var. hist c.30. Max. Tyr. serm.19. Erasm. chel. 1.cent.2. Herodot. l.5. Lucian. in Scytha. Herodot. l.1. Macrob. l.1. Sat. c.23. Plin. lib.37. c.11. Tertull. in apol. c.23. Vlpian. in epitome instit. c.2. §. Deos. Plutarch. in Marcello. Plato in Phedro. Orig. l.3. contra Celsum. Plin. lib.16. c.44.

Eadem industria grande sibi nomen fecit Annon Carthaginensis apud Ælianum. De Psaphonis industria scribunt Maximus Tyrius, & Erasmus. Thraces habuere Deum Plestorum indigenam, vt refert Herodotus. Scythæ suum Zamolxim pro magno Numine ventilant, vt Lucianus ait. Syri Astartem colunt ex Herodoto. Assyrij verò Deos habent Adad, & Atargatim, quos Macrobius asserit esse Solem, & Terram, quibus Assyrij ius in omnia concedebant. Eisdem ex Plinio Adadunephron pro Deo magno fuit. Ex Tertulliano suum Arabes Tyasarem Deum iactant, sicut & Horici Tibilineum, & Aphri Cælestum ex Vlpiano. Ægiolenses Maceranas coluere Deas ex Plutarcho, sicut & Gens posita iuxta Naucratim Ægypti pro Numine Theutum habet ex Platone. Commemorat etiam Origenes, Cilices coluisse Mopsum, Arcananes Amphilochū, Thebanos Amphiaraum, Lebadios Trophonium. Tandem Gallorum Druidæ, quos vt sapientissimos credula nimis inspexit antiquitas; credidere penes viscus quercinum esse facultatem adeò salutarem contra mala omnia, vt hoc viscus instar Numinis adorarent. Ita Plinius.

Deorum nomina quare mutata.

Non est prætereunda sagax industria Gentium aliquarum, quæ hominibus inter Numina repositis mutauere nomen, vt ita Deo inscripto recens maiorem reuerentiam conciliarent. Plebs namque nomen oblita Dei, quod habuit in humanis, mortale nihil omnino sapit de commendato sibi Numine venerando. Commenti huiusce memor est Cicero, rationem verò promit Lactantius hoc discursu. *Solent mortuis consecratis nomina immutari; credo ne quis putet eos fuisse homines. Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est, & Leda Nemesis, & Circe Marica, & Ino postquam se præcipitauit in mare, Leucothea; materque, Matuta, & Melicertes filius eius Palæmon, atque Portumnus.* Ad hoc alludit Ouidius ita canens.

Cic. l.3. de nat. Deor. Lactant. l.1. c.21.

Ouid. lib.6. Fastor.

Leucothea Graiis, Matuta vocabere nostris,
In portus, nato ius erit omne tuo.

Rursus idem refricando, quare nomen immutetur illis hominibus, hæc subiicit.

Idem lib.4. Metaph.

——————————Abstulit illis,
Quod mortale fuit, maiestatemque verendam
Imposuit nomenque simul faciemque nouauit,
Leucotheáque deam cum matre Palæmona dixit.

Festa gétium cur instituta.

In Deorum gratiam, quos credidere magis beneficos, indixere dies festos olim Gentes. Et quia pane & vino præcipuè credidere vitam stare; Bacchi, & Cereris festa fuere solénia: Bacchus quippe vinum dedisse dicitur hominibus; Ceres verò panem, nescio qua fabula imponente plebi, creditur inuenisse. Igitur in honorem Bacchi Athenienses primi instituere Bacchanalia festa, quibus ad insaniā vsque lætandi, & epulandi, concessa fuit tanta licentia, vt homines effrenes, & in omnem luxuriam fractos, qui soluere repagula modestiæ, soleamus dicere debacchari. Horum meminit Augustinus; & Seruius auctor est Athenienses instituisse prima festa Bacchanalia, quæ à Græcis ad Romanos trāsiere cum fœnore obscœno licétiæ: quippe Roma luxurians impunè dies illos egit oblita sui. Et nequando Sole illucente scelus se proderet, Bacchanalia noctu celebrare ritus fuit, & hinc dicta Nyctileia, vt ausu liberiore crimen quoduis opaca nocte consciā perpetrarét. Ita Alexáder, qui & ad Thraces influxisse dicit illos ritus Bacchanalium, suasore Orpheo. Augustinus ait Italiam malè audiuisse, quia in omnem luxuriam prona dies Bacchanales fuit solita celebrare ritu, quem Heliogabalus inuexerat, Lampridio teste. Euianes populi, & Babylonij apud Athenæum multi fuerunt in celebrandis etiam Bacchanalibus, quæ festa deinde fuerunt orbe toto impiè propagata.

Bacchanalia qualia fuere.

Aug. l.7. de ciuit. Dei c.2. Seruius in l.2. Georgic. Alexand. ab Alex. lib.6. c.19. Lampridius in vita Heliog. Athe. l.1. c.8.

Cerealia festa qualia fuerint. Varro. lib.2. lingua Latin. Liuius 3. Dec. l.10. Tacitus l.15. Val. Max. l.1. cap.1. Dionys. Hal. l.7. Sabellic. l.9. enn.2. Idem lib.2. de legibus. Macrob. lib.1. c.23. Cicer. in pro C. Balbo.

Habuit & sua festa Ceres vtique solennia Romæ, tota tripudiante plebe, & adstante ludis, quos & Cereales, & Cercenses dixerunt à Cerere, & à Circo, vbi tales ludos Roma fuit solita populis exhibere. Hos meminere dies festos Cereales, & ludos institutos in eorum cultū Varro, Liuius, Tacitus, Valerius Maximus, Dionysius Halicarnassæus, Sabellicus & Macrobius. Roma dies illos festos à Græcia mutuata legem tulit, qua sacrificare nefas erat Cereri nisi adscitis fœminis è Græcia, quæ initiatæ sacris illis obibant omnia munia sacerdotum. Ciceronem accipe testem & assertorem moris huius. *Sacra*, inquit, *Cereris Iudices, summa maiores nostri religione confici ceremoniaque voluerunt. Quæ cum assumpta esse de*

Græcia

Græcia, & per Græcas semper curata sunt sacerdotes, & Græca omnia nominata. Rursus ille legem commemorat hoc tenore. *Neve quem initianto, nisi vt assolet, Cereri Græco sacro.* Hæc & confirmat Festus Pompeius. Quàm verò religionis vmbra dies festos Cereris coluerit Græcia, res est supra fidem, & quam recensebo infra secunda parte homiliæ istius, vbi explicabo ritum, quo debemus agere dies festos Sanctorum quos celebrare decet moribus illibatis.

Festa Sanctorum quibus ritus instituta sint.

Præterea ex professo dies alios festos Gentium, vt Saturnalia, Lupercalia, Remuria & aliam colluuiem festorum, & dico Christianis esse rationem potiorem indicendi dies festos in gratiam Sanctorum, quia præsertim illa die victoria insignis fuit ab illo Sancto, qui colitur, de mundo, carne, & diabolo reportata. Secundò, dies illa nobis est fausta, bonum omen ingerens; quippe cælis inscriptus est patronus, agens fideliter omnium nostrum causas, & quo perorante bona multa in nos influent, & mala secus aberunt, Deo proculdubio Sancti huius precibus exorato. Ne ergo notam animi ingrati nobis inurat obliuio, prudenter Ecclesia dies festos instituit in honorem Sanctorum, vt quod Gentes omnes naturæ ductu præstitere suis Diis fictitiis, Christiani non detrectent reddere Sanctis, quos Ecclesia reuelante scimus in cælum euectos, & æterna gloria coronatos.

Ex SS. Patribvs.
Aug. ser. 8. de resurr. Domini.

Compendiosè refert Augustinus hæc argumenta, quibus ad cultum horum festorum homines inducuntur. Sic ille: *Christus*, inquit, *non solùm nostræ redemptionis causa diuersarum infirmitatum genera subiit, verùm etiam sacri cultus ritum, per diuersas festiuitatum gratias æternæ beatitudinis causa nobis efficit, vt multum inertiæ somnum, non tam inuiti, quam voluntarij, sanctæ religionis dulcedine prouocante, magnarum solemnitatum aduentu fugere compellamur.* Rursus ille rationem reddit festiuitatum indictarum. *Quod semel factum est, tamen solennitas tanquam sæpius fiat reuolutis temporibus iterat. Veritas, quæ facta sunt, sicut facta sunt aperit: solennitas autem, non ea faciendo, sed celebrando, nec præterita præterire permittit.* Denique paucis ait multum conferre nobis celebrare dies festos Sanctorum. *Nobis*, inquit, *prodest colere festa. Cum Sanctorum glorias colimus, non eis aliquid beneficij præstamus, sed nobis maximum lucrum conquirimus.* Item. *Tenete omnes vnanimiter Deum patrem, & matrem Ecclesiam. Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemini eos, qui præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis.*

Ser. 23. eiusdem temporis.
Festa celebrare prodest multùm Christianis.
Ser. 9. de nat. Ioan. Bapt.
In Psal. 88. serm. 2.
Festa Sanctorum sunt imitatione celebranda.

In memoriam Sanctorum piè & legitimè templa dedicentur, necne?

§. II.

Ex Antiqvitate, Ivre Canonico, SS. Patribvs, et Historia.

Fvribunda tygris indoles, quæ hominem sustinere nequit quin discerpat eum, etiam in cuncta furit, quæ hominis sunt, vt in vestes eius obuias, aut in aliam hominis supellectilem; quippe fera hæc homicida necem anhelans illa ferit omnia, quæ occurrunt, ore truculento necans animata, vel acuto dente exerto secans ea, quæ sunt humanis vsibus adaptata. Rabies illa tygris ingeniosè refert hæreticos, qui vt omni sanctitate carent, ita ferè abhorrent ab omni re, quæ sanctitatem aliquam afflat. Non odere solùm Sanctos, sed & omnia, quæ Sanctorum cultui venerando litant: namque sacras eorum ædes solo adæquant, imagines frangunt, reliquias dispergunt, & quicquid ad eos pertinet implacato odio persequuntur. Abhorruere sacras ædes erectas in memoriam Sanctorum Eunomiani, quos eo nomine carpit Hieronymus. Suum & in Sanctorum templa virus euomuit Eustachius quidam, in quem inuehitur Concilium Gangrense. Socrates item, & Sozomenus atro notant hunc lapillo. Lutherus, & Caluinus æmuli desertorum Ecclesiæ, in Sanctorum templa velut transfugæ debacchantur.

Hier. contra Vigil. c. 3.
Concil. Gang. cap. 5.
Socrates l. 2. cap. 15.
Sozom. lib. 3. cap. 13.
Luth. in Eccl. Dom. 1. aduent.
Caluin. l. 3. Inst. cap. 20. §. 30.

Pro templis militant omnia argumenta, quibus quisque potest conciliare fidem dubiæ alicui doctrinæ. Primò veritatis huius obstetrix est ratio. Si namque loca secernimus apta cibis condiendis, & triclinia instruendis epulis. Si Roma suum Senatum habuit, & Athenæ suum Areopagum pro discussione rerum forensium; nonne magis æquum, & par est designare loca, quorum obsequio plebs adunata queat rebus diuinis attendere, séque totam suadente loco sancto Numini deuouere? Etenim vt sacra fiant conuenit esse loca congrua, ac proinde Deo consecrata ritu singulari. Rursus ea, quæ sunt diuinæ legis, & quæ coeunte plebe debent explicari, nequeunt commodè per singulas quasque domos dici. Demum hoc maximè conducit ad concordiam, & affectum reciprocum, habere sacras ædes communes, & populos vnanimes de salute sua solicitos, illò Dei cultus gratiâ conuenire.

Ex Antiqvitate Nationvm.
Templa à quo primum erecta.
2. Reg. 7.

Gens Hebræa Deo approbante viam fecit aliis nationibus erigendi templa. Dauid quippe prior fuit, cui incedit propositum fabricæ templi, cuius cura fuit tota penes Salomonem, in quem Deus ipse vota patris transtulerat. Sic namque Deus affatus est Dauidem, de præfata templi fabrica cogitantem: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo.* Christus ipse frequens in hoc templo fuit. *Ego*, inquit, *palam locutus sum mũdo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi cõueniunt.* Rursus. *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Et ne quis causetur vsum templi fuisse abrogatum publicato Euangelio, Apostoli coniecti in carcerem educti sunt ab Angelo sic monente: *Ite, & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ huius: qui cum audissent intrauerunt diluculo in templum, & docebant.*

Ioan. 18.
Matth. 26.
Actor. 5.

Præter hoc templum, Apostoli designauere sacras ædes, ad quas concursus erat fidelium, vt coniectori patet ex his textibus Apostoli. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* Ecclesiam hanc non fuisse domum priuatam, ipse Paulus insinuat ita fatus: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.* Rursus. *Mulieres in Ecclesiis taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Græci Hebræorum simiæ, templa suis erexere Diis, vtique luculenta. In his omnibus aliis præit templum Delphicum, vbi

1. Cor. 11. & 14.
Strabo lib. 9.
Herodot. l. 2.
Strabo. lib. 5.
Liuius 1. Decad. lib. 8.
Pompon. Mela. l. 2. c. 3.
Plin. præf. lib. 4.
Prob. in l. 1. Georg.

Solin. c. 22. Stephanus in Dodona. Statius. l. 3. Thebaid. Homer. l. 19. Odyss. Hesiod. apud Strabon. l. 7. Ouid. lib. 13. Metam. Strabo lib. 14 Herodot. l. 3.

vbi Apollo sua creditus oracula reddere, magnam orbis partem eò allexit. Quàm antiqua fuerit hæc structura templi Strabo refert. Ad hoc ferè accessit celebritate suâ templum Iouis Dodonæ in Epiro extructum, vbi & dæmon præstigijs suis & responsis homines miserè dementabat. Has dæmonis ambages, & oracula Dodonæa meminere plures, vt Seruius, Herodotus, Strabo, Liuius, Pomponius Mela, Plinius, Probus, Stephanus, Statius, Homerus, Hesiodus, Dionysius Halicarnasseus, & Ouidius. Aliud item templum Apollini construxere Milesij sumptibus immensis ex Strabone. Templum & in Ægypto fama clarum meminit Herodotus, vbi Cambyses dubio delusus oraculo, malè suis rebus consuluit. In insula Delo fuit & templum famosissimum, quod Cicero sic commendat. *Tanta eius templi aucteritas religionis & est, & semper fuit, vt ne Persæ quidem cùm bellum toti Graciæ Dijs hominibusque indixissent, & mille numero nauium classem ad Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare, aut attingere.*

Cicero act. 5. in Verr.

Strabo. lib. 8.

Ne templa recensendo teram temporis & chartæ plusquam par est, paucis aliqua perstringam orbe toto nota. In Græcia Iouis Olympij templum insigne fuit ex Strabone. In Ægypto fanum Isidis clarum fuisse refert Diodorus Siculus, qui & meminit alia templa famosissima, vt in Arabia, Triphili: in Cydonia, Dictæi: in Alexandria, Iouis Sinopitæ: in Libya, & Andro, Dionysij: in Epidauro Æsculapij: in Isthmo, & Tænaro Sumio, Eubœæ: in Attica, & Calabria, Neptuni: in Acarnania, Apollinis Actij: in Claro, Actio, Leucade, Lycia, & Selenuntia, Apollinis: in Cappadocia, Bellonæ: in Ionia, & Epheso, Dianæ, cuius templum ex Plinio eâ magnificentiâ, & structurâ fuit, vt ducentis viginti annis opibus Asiæ fuerit illic iugiter insudatum. Alexander item adiicit & hæc templa. In Halicarnasso, Mineruæ: in Papho, Veneris: in Locris, Proserpinæ: in Achaia, & Catina, Cereris: in Samo, Argis, Metaponto, & Lucania, Iunonis. Si iam Roma suas ædes, & delubra prodat, me charta deficiet. Quippe Roma tot & tantis fœta fuit templis, vt eorum recensio sola libro satis idoneum fecerit argumentum; consule Rosinum vtpote conscium delubrorum, quæ Roma suis idolis instituit. Credo fore satis superque solum exemplum Agrippæ, qui vt Roma foret in tutela Deorū omnium, quibus orbe toto fana prostant, Pantheon extruxit, quod adscitis illuc idolis omnibus ritu tunc solito, Diis omnibus impiè consecrauit.

Diod. Sic. lib. 1. c. 2. & lib. 6. c. 10.

Plin. lib. 36. c. 14. Alex. lib. 6. dierum genial. cap. 1.

Rosinus l. de antiquitat. Romanorum.

Templa Deo soli eriguntur.

Credidere Gentes omnes, religionis nomen esse vacuum & inane sine templis. Cùm ergo Dei cultus sit sincerus in Ecclesia Catholica cœlitus afflata, sacras ædes illa suis fidelibus non modò permisit, sed & etiam statuit erigendas. Instant hæretici, Ecclesiam non constare sibi; nam templa Deo soli sunt sacranda, & non Sanctis, vt ait Augustinus hoc tenore: *Nos non Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.* Rursus. *Nonne si alicui Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei, quoniam creatura exhiberemus eam seruitutem, quæ vni tantum debetur Deo?* Ergo malè Christiani conscia Roma sua templa solent Sanctis, & non vni duntaxat

August. lib. 8. de ciuit. c. vlt.

Idem lib. 1. contra Maxi. arg. 11.

Numini consecrare. Quia hoc argumento putant hæretici se solo adæquare sacras omnes ædes Sanctorum; est notanda solutio, vtpote magni ponderis & momenti. Respondeo igitur, templa dici etiam basilicas seu memorias. Vt sunt templa, Deo soli fiunt, quia ita dicunt ordinem ad sacrificia, quæ ad Deum tantùm pertinent. Vt sunt basilicæ seu memoriæ dedicantur Sanctis vt patronis quorum specialis ibi fit mentio ob sepulchrum eius, aut reliquias, aut quia ibi fuere, vel demum quia fidelium pietas hoc ita gratum habet ob animum propensum erga Sanctum, cuius ibi merita recoluntur.

Tēpla quatenus sunt basilicæ, & memoriæ, etiam dicantur Sanctis.

Exemplo fiet liquidior ista responsio. Singula quæque altaria sunt sepulchra Sanctorum; quippe sacræ eorum reliquiæ illic sunt reconditæ: si ergo lapis ille altaris spectatur vt tumulus Sancti, qui iacet in illo sacrato loculo, verè dicatus est illi Sancto, cuius est tumulus; si verò secus ille lapis habet rationem altaris vbi sacra fiunt, tunc est in confesso, soli Numini mancipari. Ædes ita sacræ sub tēpli ratione Deum spectant; vt basilicæ, & memoriæ, ad Sanctos etiam pertinent. Non esse gratis confictam hanc distinctionem templi, & basilicæ ex Augustino patet. *Nos,* inquit, *Martyribus nostris non templa sicut Dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus.*

Altaria sunt tumuli Sanctorum.

August. l. 22. de ciuit. Dei c. 10.

Canonum etiam serie perlonga, ritus ille sacras ædes erigendi Sanctis adstruitur. Concilium Gangrense priscis Ecclesiæ temporibus indictum hoc decernit. *Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca & basilicas Martyrum fiunt accusauerit, anathema sit.* Item Concilium Carthaginense V. ita sanxit. *De Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, vt sine vlla trepidatione consecrentur.* Luculentus est & Felicis Papæ canon iste. *Iudæi loca, in quibus sacrificabant Domino diuinis habebant supplicationibus consecrata, nec in alijs, quàm Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si Iudæi qui vmbræ legis deseruiebant, hæc faciebant, multo magis nos, quibus veritas patefacta est & gratia per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, prout melius possumus ornare, eaque diuinis precibus, & sanctis vnctionibus suis cum altaribus, & vasis, vestibus quoque & reliquis ad diuinum cultū explendum vtensilibus deuotè, & solenniter sacrare & non in alijs locis, quam in Domino sacratis ab Episcopis Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus.*

Ex Ivre Canonico.

Concil. Gangr. can. 10.

Conc. Carth. V. can. 6.

Felix epist. 4 [illegible] Episc. [illegible]

Siluester idem sanxit etiam in Synodo generali. Gregorius ille Papa Magnus, non solùm sua auctoritate probat fieri templa, verùm sanxit agi diem festum consecrationis Ecclesiæ, vnde canon hic emersit. *Solennitates dedicationum Ecclesiarum, & sacerdotum, per singulos annos solenniter sunt celebrandæ: ipso Domino exemplum dante qui ad festum dedicationis templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus venit; sicut scriptum est: Facta sunt Encænia Ierosolymis, & hiems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Quod autem octo diebus Encænia sint celebranda, in libro Regum perlecta dedicatione templi reperietis.*

Can. Sylu. De consec. dist. 1.

Gregor. l. 11. epist. 31. Can. Solennitates de consec. dist. 1. Iginus cap. 1. Gelasius epist. ad Episcopos per Lucaniam c. 3. Nicolaus clero Neapol. Eccles. Clemens [illegible]

Prostant in eo argumento plures alij canones

Pontificum

Vigil. ep. ad Eutherium 1. cap. 14. Hormisdas in decretis. c. 1. Can. Placuit. de Consecrat. dist. 1. Conc. Bracaren. III. can. 6. Conc. Carthagin. V. cap. 14.

Pontificum Igini, Gelasij, Nicolai, Clementis, Vigilij, Hormisdæ. Ecclesias autem consecrari in memoriam Sanctorum, & ad conciliandum eorum patrocinium canones isti clamant. *Placuit, vt altaria, quæ passim per agros, & per villas, tanquam memoriæ martyrum construuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur; ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, euertantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi vbi corpus, aut reliquiæ certa sunt, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.* Rursus. *Nullus Episcopus basilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare.* Est canon iste Concilij Bracharensis, vt alter Concilij V. Carthaginensis.

Ex Symbolis.

Vt se totos deuouere Deo Sancti Patres, & frequentes adstitere sacris, quæ in templo fiunt; ita sacras ædes etiam maximè commendarunt. In his Augustinus aduertit, Barbaros direpta Roma pepercisse sacris ædibus, & quosdam Romanos notat vt ingratos, à quibus militum furor abstinuit in gratiam templorum, intra quorum septa sese receperunt cautè sæuam aciem vltoris, atque plebem populantis gladij declinantes. Sic ille. *Annon etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum Barbari pepercerunt? Testantur hoc Martyrum loca, & Basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione vrbis ad se confugientes, suos alienosque receperunt.*

Aug. l. 1. c. 1. de ciuit. Dei.

Hanc in templa beatorum Martyrum pietatem Alarici truculenti barbari commemorat Paulus Orosius, ita fatus: *Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit: dato tamen præcepto prius, vt si qui in sancta loca, & præcipuè in Sanctorum Petri & Pauli basilicas confugissent, hos imprimis inuiolatos securosque esse sinerent.* Hieronymus inter desertores Ecclesiæ reponit eos, qui sunt iniurij templis Sanctorum. *Samaritani*, inquit, *Iudæi, & hæretici, quales nuper sub magistro cereoroso in Gallia pullularunt, basilicas Martyrum declinantes, nos ibi qui orationes ex more celebramus, quasi immundos fugiunt.* Ambrosius, Gregorius, Nazianzenus, & Chrysostomus meminere sacras ædes dedicatas in memoriam Sanctorum, & earum cultum præconiis extulere miris, suam pietatem erga loca sancta ætati posteræ consignantes.

Paul. Orosius lib. 7. c. 39. Barbarorum pietas in templa.

Hier. in c. 65. Isa. Ambr. lib. 1. epist. 5. Gregor. lib. 1. epist. 54. Basil. in Psalm. 114. Naz. orat. 3. Chrys. hom. 28. ad popul. Antioch.

Præscia mente Vates Isaias scripsit, Ecclesiæ templa fore sumptuosa. Ecce Vatis oraculum. *Domum maiestatis meæ glorificabo, &c. Me enim insulæ expectant, vt adducam filios tuos de longè: aurum eorum, & argentum eorum nomini Domini Dei tui. Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus, simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.* Quàm fuerit Propheta verax, ex Constantino Imperatore liquet, qui nullis omnino gazis pepercit, vt templa marmore incrustata diu subsisterent, necnon vt & auro nitido coruscarent. Ad hoc alludit Chrysostomus, commemorans Ecclesiam Sanctorum Petri & Pauli. *Sepulchra seruorum crucifixi, regiis aulis sunt clariora.* Cyrillus etiam enarrans splendorem Ecclesiæ, quæ Ierosolymis extructa fuit impensis regiis, ita fatur: *Isti, qui nunc sunt Reges, pietatis ergo argento induentes & auro sanctam hanc Ecclesiam resurrectionis in qua nunc sumus extruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt.*

Isai. 60.

Chrys. homil. 66. ad popul. Antioch.

Cyril. cat. 14.

Mentio facta Constantini me obstringit ad descriptionem templi, ab eo extructi Constantinopoli in honorem Apostolorum. Vt sit sincera fides, hîc inducam Eusebium testem oculatum rerum, quas Constantinus egit. Sic ille: *Apostolorum templum in vrbe sui cognominis, ad perpetuam illorum memoriam conseruandam ædificare cœpit. Illud vero cum in infinitam extraxisset altitudinem, lapidumque omnis generis, ac crustarum varietate ab ipso solo ad superiorem contignationem collustrasset, summo artificio factis laquearibus tectum intus complexus est, auroque vniuersum contexit. Supra verò pro tegula inductum æs, à toto opere imbrium iniurias arcebat. Quod ipsum etiam multo auro fulgebat, ita vt longe contemplantibus per reciprocatos Solis radios incredibilis splendor effundi videretur. Interiorem ædis partem vndique in ambitum circumductam, reticulari opere ex ære, & auro affabrè facto conuestiuit. Ac templum quidem in hunc modum permagna Imperatoris & cura & studio exornatum est. Hæc omnia dedicauit Imperator, vt Seruatoris nostri Apostolorum memoriæ apud omnes gentes æternitatem compararet. Atque hæc longe antè tempore cogitatione cùm depinxisset, Ecclesiam Apostolis dedicauit, quamplurimum vtilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans.*

Ex Historia. Euseb. Cæsar. l. 4. vita Constant. c. 60. Templi extructi à Cōstantino descriptio.

Tēpla quænam ab Imperatoribus magnificè extructa.

Sozomenus etiam commemorat Ecclesiam magnificam, quam Theodosius Imperator extruxit in honorem S. Ioannis Baptistæ. Euagrius item refert eumdem Imperatorem aliud erexisse templum in honorem Martyris Ignatij. Zonaras effert pietatem Isaacij Comneni Imperatoris, eo potissimum nomine, quòd templum intra suas ædes regias construxit in honorem Sanctæ Theclæ Martyris. Constantinus Manasses in hanc partem laudis vocat Theodoram Imperatricem, ob templum solenne ab illa suis omnibus numeris absolutum. Nicetas Choniates inter pios Imperatores in eo argumento refert Andronicum, & Alexium Comnenum Porphyrogenetam, vtpote benè meritos de templis. Nicephorus Callistus etiam magnifecit Leonem Imperatorem, qui templum Deiparæ construxit famosissimum. Gregoras item aliqua templa recolit, quæ Irene Imperatrix fecit posito colophone.

Sozom. lib. 7. c. 24. Euagrius l. 1. c. 16. Zonaras in Isacio. Constant. Manass. in Iustiniano. Nicetas Choniat. in Andronic. & Alexio. Niceph. Callist. l. 15. c. 25.

Gregoras l. 2. historia Bizant.

Est & supra fidem hominum series hæc templorum, quam describit Procopius memorando zelum Iustiniani Imperatoris, qui tot congessit opes in Ecclesiarum structuram, vt earum catalogus Procopio sufficerit ad texendum librum, quem inscripsit de ædificiis à Iustiniano Principe fabricatis. Audiendus ipse Procopius, ita de Iustiniano fatus: *Dei Genitrici passim per Romanum imperium multas ædes Iustinianus consecrauit adeo planè magnificas, & præstantes, tamque ingenti pecuniarum aceruo constructas, vt si quis vnam duntaxat ædem conspexerit, hoc solùm opus ab ipso elaboratum existimabit, & in eo perficiendo omne regni sui tempus consecisse. Vnam profecto autem Dei Genitrici extruxit ante vrbis mœnia sacratissimam planè, & admodum*

Procop. orat. 1. de ædific. Iustinian. Templorum à Iustiniano factorū magnificentia.

augustam; Diuis Petro, & Paulo templum iuxta regiam aulam extruxit: deinde aliud templum, huic ex obliquo finitimum, illustribus Diuis Sergio, & Baccho collocauit. Inter hæc duo templa neutrum altero est neque excellentius, neque inferius, siue elegantiam, siue magnitudinem, siue aliud quidpiam existimabis. Vtrumque fulgore lapillorum Solem vincit: auri copia vndique satiat, & exornat simulacris. Tanta est horum templorum magnificentia, vt non solum totius vrbis, sed ipsarum etiam regiarum præcipuum ornamentum esse videantur. Cùm ergo sacras ædes extructas in Sanctorum memoriam commendent historiæ, Sancti Patres, & Canones Ecclesiæ; frustra latrant hæretici, quos velut canes eliminamus à templis Deo & Sanctis eiusdem Dei rerum Domini commendatis.

Sanctorum imagines cultus quoque suus decet.

§. III.

EX SS. PATRIBVS, EX IVRE CANONICO, ET HISTORIA.

INgeniosa fuit industria Romanorum, qui statuas in foro posuere viris de Republica benè meritis, vt hoc gloriæ monumento suos ciues inducerent ad facta Heroum æmulanda, quibus meruerant illo inuidendo satis imaginum obsequio ætati posteræ commendari. In more fuit positum etiam nobilibus imaginum serie longa recensere suos atauos emeritos, vt puderet eos esse degeneres. Imperatores item vt maiestati suæ reuerentiam conciliarent, voluere suas imagines coli saltem ciuiliter; & Theodosius Imperator, vt audiit Antiochenos euertisse statuam vxoris suæ, facinus hoc adeò ægrè tulit, vt cogitarit de illa suæ coniugi iniuria ciuitate solo penitus adæquanda. Ecclesia Deo reuelante sciens Sanctos esse adscitos in gloriam, & eorum clientela Deum nobis esse propitium, eorum imagines in templis exponit, & multiplici sanctione ratum voluit esse præfatas Sanctorum imagines, ea qua veneratione decet, à fideli populo recolendas.

[Margin: Theodosij mœror ob iniuriam factam statuæ vxoris. *Theodor. l. 5. c. 29. hist.*]

Argumenta, quibus inducitur Ecclesia ad cultum imaginum, præcipua hæc sunt. Quamuis egregia facinora Sanctorum sint consignata libris, vt lectores inde suam damnent ignauiam, & suos excitent animos ad sequelam; scripta tamen ad omnes non pertinent, quippe plebi ignaræ inconcessa cadunt eo effectu, quem colligunt docti: ergo fuit ductu penicilli, id est, beneficio imaginum ignaro populo consulendum. Illæ namque plebi Sanctorum egregia facta produnt, ac proinde potest dici imago, plebis ignaræ liber, qui plerumque magis ingerit animo virtutes Sanctorum, quos eruditè depicta tabella refert, quàm ipsæ librorum panegyres. A Sanctis Gregorio Nysseno, & Gregorio Magno, viris vtique magni nominis, hæc præfata imaginum commoda recensentur. Exempli gratià, depictus cruce inuersa Petrus, hac pictura clamat se indignum ea morte mori, qua Christus occidit; & rursus vt ligno affixus, vbi vita functus est, abundè docet, esse necem subeundam potius quàm fidei Christianæ dogmata detrectare. Laurentius craticulæ impositus, Stephanus saxis obrutus, Ignatius pectore aperto feris obiectus, & alij omnes Sancti ex tabella nobis obiecti, compendiosè vitam eorum, & mortem exponunt, eo præcipuè intento, vt fideles Christiani propositâ Sanctorum picturâ, fidem eorum & virtutes in imagine expressas studeant imitari. Circumfertur in hoc argumento locus eximius Basilij, qui cum luculenta oratione fidem extulisset Sancti Barlaam, qui manu exusta Deum confessus est, videns in templo depictam imaginem martyrij huius ait, se victum à pictore, qui fidelius expressit agonem Sancti, quem ille sua oratione populis explicabat. *Abeo* (inquit) *fortium Martyris factorum pictura, a vobis superatus. Gaudeo tali vestræ fortitudinis victoria hodie victus. Video manus ad ignem, luctam à vobis exactius descriptam. Video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum.*

[Margin: Imagines Sanctorum quare depingantur.]

[Margin: Imagines sunt libri plebis indoctæ.]

[Margin: *Greg. Nyssen. or. in Theod. Greg. Magn. l. 7. epist. 109.*]

[Margin: *Basil. orat. in S. Barlaam.*]

Sanctorum imagines esse velut obstetrices fidei nostræ, & argumenta, quibus ingeniosè deses animus acuitur ad virtutum praxim, elimatè probat Synodus septima. Illud idem adstruit Gregorius Nazianzenus exemplo mulieris obscœnæ, quæ esto salax esset, & ab homine impuro aduocata, suæ Veneri litatura, faces luxuriæ extinxit, intuita imaginem Polemonis adolescentis, cuius castitatem eximiam illa tabula commendabat. Alius verò secus adolescens in Venerem pronus, visa Iouis imagine, qui stuprum inferebat Danaæ, libidine exarsit, causando scelus non esse, Iouis exemplo suam vitam componere, & referre mores, quos Iupiter ille Deus Gentilium, ex pictura suis affectis ingerebat. Iuuenis imprudens, vt incautè vidit hanc impuram Iouis imaginem, inde virus hausit oculis, quo feruente focis luxuriæ accensus est, & Terentio teste crimen, in quod anhelus vt in præceps ibat, præeunte sibi actione Iouis vt luculenta boni specie prætexebat.

[Margin: *Synod. VII. action. 6.*]

[Margin: Polemonis castitas alijs proficua. *Greg. Naz. in carmine de virtu.*]

[Margin: Exempla quantũ proficiant.]

[Margin: Imagines obscœnæ ad luxuriam accendunt. *Terentius in Eunucho.*]

Secundò, prosunt imagines non ad fidei tantùm, sed etiam ad charitatis augmentum: quippe Dei amor in nobis æstuat ardentius, visa Redemptoris imagine, quæ pendulum è cruce Deum obiicit hominibus: excitatur item amor erga Sanctos, quorum refricatur amor erga Deum: illud namque charitatis ingenium est, vt omnes amet, qui Deum amore feruido prosequuntur. Illo sacri amoris intuitu Seuerus Sulpitius omnem suam adhibuit industriam, vt haberet imaginem Sancti Paulini, quem nouerat esse Deo charum. Et Gregorius Secundino donans imaginem Saluatoris ait, se rescire virum hunc pium expetere Saluatoris imaginem, vt suum erga Deum amorem, illa eius pictura, velut idoneo fomite suscitaret.

[Margin: *Paulin. ep. 1. ad Seuerum.*]

[Margin: *Greg. lib. 7. epist. 53.*]

Non est autem otiosus amor, quem ingerunt imagines illæ Sanctorum, quibus nobis conciliatur amor mutuus eorum, reuera proficuus, quia Sancti vt fideles patroni causas agunt fidelium, qui se commisere clientelæ ipsorum, & sese totos congruis obsequiis eorum cultui deuouerunt. Ita Romæ fuit imago frequens sancti Simeonis Stylitæ, quam Theodoretus ait Romanos coluisse adeò impensè, vt esset illa rara domus, quam non ornaret hæc imago, velut index pietatis eius, qua Roma ferebatur in Sanctum illum, cuius opem vt illa citam adsciret sibi, imaginem Simeonis appendendo suis ædibus, eum sic deuinxit, experta tutum refugium esse penes Sanctum,

[Margin: Imagines Simeonis Stylitæ frequentes Romæ.]

[Margin: Imagines Sanctæ, Dei amorem excitant. *Theod. in vita Simeon.*]

ctum, cuius imagines sanctas, & luculenta merita recolebat. Experimento etiam quotidiano liquet, omnes habere charas imagines Sanctorum, erga quos benè affecti sunt: illa nimirum veneratione credunt Sanctos inflectere, vt ingruente necessitate manum porrigant, quod profectò cedit eis pro voto: quippe scimus Sanctos, aliquo graui vrgente malo, Deum in gratiam cultorum suarum imaginum sæpius exorasse.

Imagines Sanctæ Dei cultum augent.

Denique diuinus & Sanctorum propagatur honos in imaginum cultu: siquidem eo nomine duntaxat statuæ, & picturæ fiunt, vt honor eis inde fiat, quos referunt: & hanc Eusebius esse putat præcipuam rationem, quæ induxit Ecclesiam ad sacrarum imaginum cultum: quippe Deo afflata ratum habet, honorem illum, qui defertur imagini, redundare in Deum & Sanctos, quos imaginis obiectâ specie veneramur. Sed ne qua tibi hallucinandi subrepat occasio, nota posse coli imagines bifariam, videlicet ciuiliter, & religiosè. Imago Regis honoratur ciuiliter; imago verò Sancti religiosè colitur. Hæc distinctio colligitur ex insigni nequitia Iuliani Apostatæ, quam Gregorius Nazianzenus, Paulus Diaconus, & alij detestantur. Erat in more positum, vt omnes adorarent imaginem Imperatoris, nec ipsi Christiani cunctabantur obseruare ritum illum, quia resciebant cultum illum, seu adorationem esse ciuilem tantùm, & nullum incurri discrimen idololatriæ, honorem hunc ciuilem Imperatoris imagini vel statuæ deferendo. Vt ergo Iulianus illuderet Christianis, & eos inuitos etiam ad idololatriam induceret, iussit ita suam imaginem fingi, vt Iupiter ei coronam imponeret, & hinc, & inde Mercurium, & Martem referentes prudentiam & animi robur, dotes præcipuas, quarum obsequio gloriam mercabatur hominum impius hic desertor, qui se totum dæmoni manciparat. Cùm ergo suas Iuliani simulacro vices, & ciuilem cultum exhiberent Christiani, non attendendo Iouis imaginem, sicut neque Mercurij, & Martis speciem, aiebat hic transfuga Christianos transisse ad idola, quibus se pronos aduoluerant. Gregorius verò sciens Iuliani nequitiam, nec ideo Christianos incurrisse crimen eis iniustum, detersit illam calumniam, qua inualescente viri illi innocētes turpiter audiebant.

Imagines duobus modis coli possunt.

Iuliani Apostatæ astus, vt deciperet Christianos. *Gregor. Naz. orat. 1. in Iulian. Paul. Diacon. in vita Iuliani.*

Vt ergo pius & religiosus sit cultus, debet esse sacra res, cui defertur. Est autem res sacra, quia ad Deum, vel ad rem sacram refertur. In eo sensu Vates ita monet: *Adorate scabellum pedum eius.* Christus item: *Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est.* Vbi aduerte, iuramentum esse actum religionis, quo honoratur primariò Deus, secundariò id, per quod iurat homo. Deus ergo vetat vana iuramenta, per cælum, & terram, quia tunc fit iniuria creaturis illis, quæ tunc relationem habent ad Deum, qui testis in iuramentis assolet adhiberi. Rursus res esse sacras, quia relationem habent ad alias res sacras, collige ex hoc textu. *Locus in quo stas, terra sancta est*, propter Angeli præsentiam. Rursus, dicitur à Moyse dies sancta & venerabilis propter significationem, & quia erat dedicata Dei cultui; propter eamdem rationem dicuntur etiam vestes sacerdotum sanctæ: Intuitu etiam Christi dicitur eius. *Sepulchrum gloriosum*, ab Isaia Propheta. Paulus etiam sacras literas dicit eas, quæ sunt signa rerum sanctarum. *Ab infantia*, inquit, *sacras literas nosti.* Nec literas tantùm, sed etiam veneramur sonum verborum, quæ speciem rei sacræ nobis insinuant. Audito nomine IESV caput inclinamus, adstantes, & aperto capite audimus lectionem Euangelij: at imagines Christi, & Sanctorum significant, & referunt res sanctas: ergo licet eas pio animo venerari. Scriptura namque docet, sanctum, & venerabile, esse voces synonymas. Ita fatur Moyses: *Dies prima erit sancta, & septima eadem religione venerabilis.* Dato igitur, & concesso, sacras esse Dei imagines, & Sanctorum; nemo nisi proteruus ibit inficias, esse venerabiles, vt Patres Sancti clamant, quorum non erit abs re sententias aliquas explicare.

Sacra res quare dicatur.

Psalm. 95. Matth. 5.

Iuramētum quid sit.

Exod. 3. Exod. 12. Exod. 28. Isai. 11. 2. Timoth. 3.

Sanctum & venerabile sunt synonyma. *Exod. 12.*

Basilius doctrina & pietate clarus ait, esse ritum orthodoxum eum, qui sanctas excolit imagines. *Historias*, inquit, *imaginum Sanctorum honoro, & palam adoro. Hoc enim à Sanctis Patribus non est prohibitum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.* Chrysostomus etiam magnificat pietatem eorum, qui Sancti Meletij colebant imaginem. Sic ille zelum eorum commendat. *Non autem ad nomen solum adeò fuistis affecti, sed ad ipsam etiam figuram corporis. Quomodo enim fecistis in nominibus, hoc etiam fecistis in illius imagine. Etenim in palis annulorum, & in simulacris, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & vbique sacram illam multi expresserunt imaginem.* Nota, Chrysostomum illam vocare sacram imaginem, quia speciem rei sacræ, id est Sancti Meletij mentibus ingerebat.

Imaginum cultus à SS. PP. commēdatus.

Ex SS. PATRIBVS.

Basilius contra Iulian. Imp. Chrysost. in encomio. S. Meletij.

Esto furens dæmon contra sacras imagines exarserit in Græcia potissimum, vbi sæuierunt iconoclastæ; tamen intemerata fides sibi constitit semper, & omnem idololatriæ suspicionem abstulit Damascenus hoc contextu: *Quoniam nonnulli eo nomine nos reprehendunt, quòd Saluatoris, ac Dominæ nostræ, reliquorumque Sanctorum, ac Christi seruorum imagines adoramus, atque honore afficimus; audiant velim, quod magna rerum diuinarum eruditione præditus Basilius ait: Imaginis honor ad exemplar transit. Exemplar porrò est id, cuius effigies exprimitur. Quia non omnibus hoc contigit, vt literas norint, ac lectioni operam impendant, idcirco Patribus visum est, vt refricandæ quamprimum memoriæ causa, hæc tanquam præclara quædam trophæa in imaginibus pingerentur. Siquidem persæpe vsu venit, vt Domini Passionem animo minimè versantes, conspecta Christi crucifixi imagine, in salutiferæ Passionis memoriam redeamus, ac prostrati non materiam, sed eum, cuius imago effingitur, adoremus.*

Damasc. L. 4. orthod. fidei cap. 17.

Imaginis honor ad exemplar transit.

Damascenus hoc discursu duo commemorat. Primò docet, imaginum cultum ad Deum pertinere, sicut & ad Sanctos, quos obiecta nobis pictura refert. Secundò, morem illum approbat, quia pictura rudes admonet & instruit ad reformandos mores iuxta vitam Sanctorum, quos imago sistit obtutibus nostris, vt virtutes eorum congruis actibus assequamur. Et esto plebis indoles ignara, mali ansam arriperet; idcirco tamen non essent delendæ Sanctorum imagines, quia plebs delira colit imagines, sicut Gentes olim sua simulacra; sed est docenda magis, ne occurrendo malo vni, in alia fortè mala primis peiora zelo indiscreto turpiter incurramus.

Sereni Episcopi zelus indiscretus.

Impegit in hunc lapidem offensionis Serenus Episcopus Massiliensis, qui aduertendo plebem habere sacras imagines pro idolis, eas euertit, & expunxit, ita delens vsum sacrarum imaginum, vnde grauiter offendit apud Gregorium Magnum Pontificem, cuius ecce censuram in Serenum Antistitem acriter inuehentem. *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudauimus, fregisse verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne despectis aliis fratribus solum te sanctum & sapientem crederes? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant; in ipsa legunt, qui literas nesciunt. Vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condiisses, sine dubio & ea, quæ intendebas salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poteras congregare, vt pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet.*

Gregor. lib. 9. epist. 9. ad Serenum.

Imagines non sunt delendæ licet aliqui eis abutantur.

Caluin. lib. 1. Instit. c. 11. & l. 4. c. 9. §. 9.

Demirare mecum & detestare precor imposturam Caluini, qui imaginum cultum asserit esse nouum commentum Ecclesiæ; quia, inquit, Ecclesia primitiua tales imagines vel nesciuit, aut saltem non appendit in ædibus sacris. Ille procax hæreticus apertè notam impostoris incurrit, illo luculento loco Gregorij Magni proximè recensito. Quippe verax ille Papa refert hoc vetustatem admisisse, & non sine ratione Sanctorum depingi historias in venerabilibus locis. Infra suis coloribus inficiam hæreticos: non est hic aspergendus ater eorum color eximiis Sanctorum imaginibus, quarum exquisita solet pictura Dei & Sanctorum amorem, cultum, & virtutes animo refricare. Hoc præcipuè intento Papa Gregorius exponebat imagines sacras, vt supra memini, intacto tamen textu Gregorij, quem accipe; nam sunt huius Sancti verba facturа fidem. Sic ille. *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidium Diaconum rogasti, misimus. Vnde valde nobis tua postulatio placuit: quia illum toto corde, tota intentione quæris, cuius imaginem præ oculis habere desideras, &c. Ab re non facimus, si per visibilia inuisibilia demonstramus. Sic homo, qui alium ardenter videre desiderat, statim per viam incedenti se preparat, vt de visione eius hilaris recedat. Scio quidem, quod imaginem Saluatoris nostri, non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas, cuius imaginem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante diuinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut passum, sed in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura, quasi Scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi imaginem Dei Saluatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Beatorumque Apostolorum Petri, & Pauli, & vnam crucem.* Hactenus ille.

Gregor. lib. 7. epist. 54. ad Secundinum.

Imagines sanctæ memoriæ labili consulunt.

Imagines quare sunt introductæ. Bonauent. l. 3. sent. dist. 9. q. 2.

Oculi credulus.

Sanctus item Bonauentura notat introductas imagines ob tarditatem affectus nostri, qui plerumque tepens ad audita Christi facta salutis hominum causa, videns hæc eadem mysteria erudita manu lineata suis coloribus, concepto amore erga pium Redemptorem protinus incalescit. Quantùm auribus oculi præstent Poëta canit.

Horat. lib. de arte poetica.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus; & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Si alios principes Ecclesiæ doctores in gratiam imaginum consulis, illi præstò suum ferent suffragium. Ambrosius prior occurrit. *Sapienter* (inquit) *Helena egit, quæ crucem Christi in capite Regum leuauit, & locauit, vt crux Christi in Regibus adoretur.* Rursus ille refert, Sanctos Geruasium & Protasium apparuisse sibi cum Paulo Apostolo, quem cognouit ex pictura, seu imagine, quam habebat ille suis semper oculis obuersantem. *Tertia nocte* (inquit) *defecto ieiunus corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuere persona, quæ similis esset beato Paulo, cuius vultum me pictura docuerat.* Tandem ille velut vindex iniuriæ, quæ sanctis imaginibus irrogatur, ait: *Qui imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit, & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtique fecisse videtur iniuriam.*

Ambr. in . de obitu Theod. Serm. 10 in Psalm. 118.

Imaginis honor non in illa manet.

Simeon Styl. ep. ad Iustin. Imper.

Imagini Principis iniuriam inferentes puniuntur.

Ductus eodem argumento suum zelum acuit olim in iconoclastas famosus ille Simeon Stylites, qui Iustini Imperatoris iustitiam eo præsertim nomine compellauit. *Omnem* (inquit) *blasphemiam excellit impium hoc Samaritanorum facinus, quod in Deum Verbum pro nobis incarnatum, eiusque gloriosam Matrem, & in venerandam sanctamque crucem designarunt. Hanc rem cùm cogitamus, ad diuinas vestras aures nos referimus. Nam cùm videamus pias vestras leges, eos qui imaginem aut statuas Imperatoris ignominia afficiunt, extremo & iusto supplicio plectere: qua tandem pœna puniendi sunt, qui in imaginem Domini nostri, eiusque Matris infando facinore grassati sunt? Profectò non video, quid mihi dicendum sit. Tantum enim sceleris est commissum, vt nec vlla humanitatis mica superesse credatur.*

Imagines Sanctas, qui male tractat, sunt lacerandi legi.

Gloriatur Caluinus, Augustinum inclinare suas in partes, & damnare ritum, qui veneratione sacras afficit imagines. Sed vt simia semper est simia; ita sibi semper est similis Caluinus, agens impostorem. Augustinus vt orthodoxus nulla censura morem Ecclesiæ notat, imò suo etiam adiecto calculo comprobauit. Signa nempe sacra sicut imagines & sacramenta commemorans, ita fatur: *Hæc quia nota sunt hominibus, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere.* Rursus ille dicit, non tam honorari signa sacra, quàm res illa sacra tessera significatas. Item affirmat picturas, & statuas esse superflua instituta

Aug. lib. 3. de Trinit. c. 10. Lib. 3. de doct. Christ. c. 9. Lib. 2. de doct. Christ. c. 25. Lib. 10. Ciu. cap. 34.

instituta hominum, exceptis illis, quæ ob bonum finem suo loco, & tempore proponuntur ab eo, qui habet auctoritatem. Demum ille liquidò affirmat, esse pias quasdam picturas necessarias. Ergo gratis & in cassum Caluinus Apostata suis à partibus contra sacras imagines esse ventilat Augustinum. Hieronymus etiam, quanti sacras faceret imagines, ostendit in encomio Paulæ, quam commendat eo præsertim titulo, quòd prona sacras coluerit imagines. *Prostrata* (inquit) *ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.*

Hier. in vita Paul.

Ex Ivre Canonico.

Si res hæc sit definienda sacris Canonibus, nulla planè certior erit. Quò namque magis ille furor exarsit in sacras imagines, etiam eò maior cautela fuit Ecclesiæ ad sarta tecta sua circa sacras imagines dogmata sancienda. Ecce tibi Concilia, quæ in hoc argumento fidem stabiliunt. Septima Synodus in Oriente celebrata, tota fuit in stabilienda fide sacrarum imaginum. Synodus octaua ratos habet Canones editos in gratiam imaginum. Concilium Romanum sub Gregorio III. in Iconoclastas animaduertit, vt à recta fide penitus abhorrentes. Huius censuræ memor est Sigebertus, vt & Adrianus Papa primus meminit alterius Concilij conuocati tempore Stephani & Caroli Magni pro cultu imaginum, in quas nostrates etiam hæretici aliorum, quos Ecclesia iam damnauit, æmuli debacchantur.

Conc. VII. Conc. VIII. can. 3.

Sigebert. in Chro an 733. Adria. I. lib. de imag.

Ne perstrinxisse sacros videar Canones iniuria breuitate sacris imaginibus, operæpretium est aliquos textus recensere, quibus imaginum cultus videatur etiam priscis Ecclesiæ Patribus arrisisse. Occurrit equidem opportunè Canon Synodi Trullensis, quæ reuerentiam erga sacras imagines sic commendat. *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas, Agnus, qui digito Præcursoris monstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram assumptus est, verùm nobis per legem Christum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas ergo figuras, & vmbras, vt veritatis signa, & characteres Ecclesiæ traditos amplectentes, gratiam, & veritatem præponamus, eam vt legis implementum suscipientes. Vt ergo quod perfectum est, vel colorum expressionibus, omnium oculis subiiciatur, eius qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri, instar hominis characterem, etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno statui iubemus, vt per ipsum Verbi Dei humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque eius in carne conuersationis, eiusque Passionis, & salutaris mortis deducamur, eiusque, quæ ex eo facta est mundo, redemptionis.*

Conc. Trull. can. 82.

Imago agni olim referes Christum.

Concolor est & sanctio secundæ Synodi Nicænæ, quæ decernendo piè coli sanctas imagines, multa fuit in explicando modo cultus, qui defertur illis, vt iret obuiam instantiis, quibus vt machinis arietare solent hæretici in Sanctorum imagines, causantes eas esse idola Deo iniuria, ac proinde totis nisibus euertenda. Ecce fidem Ecclesiæ, quam professa fuit Synodus hæc Nicæna. *Fatemur vnanimiter nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine valentes, & decretas, retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio, vt quæ historiæ Euangeliæ promissionis concinat, ad credulitatem veræ & non phantasticæ incarnationis Dei, & ad vtilitatem similitudinis, quam nobis exhibet vtiliter inuentam. His sic se habentibus regiam viam incedentes, & sanctorum nostrorum & diuinorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua sanctus Spiritus inhabitat, traditionem obseruantes, definimus cum omni diligentia, & cura, venerandas & sanctas imagines ad modum & formam venerandæ & viuificantis crucis è coloribus, & tessellis, aut alia quauis materia commodè paratas, dedicandas, & in templis sanctis Dei collocandas, habendasque tum in sacris vasis, & vestibus, tum in parietibus, & tabulis, in ædibus priuatis, in viis publicis: maximè autem imaginem Domini & Dei seruatoris nostri Iesu Christi: deinde intemeratæ nostræ Dominæ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde sanctorum virorum. Quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisque salutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non secundùm fidem nostram veram latriam, quæ solum naturæ diuinæ competit; sed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis crucis, & sanctis Euangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reuerenter accedimus, vt veteribus piè hoc in consuetudinem adductum est. Imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea quoque adorat descriptum argumentum.*

Conc. Nic. II. Actione 7.

Imaginum cultus qualis esse debet.

Ab hac potissimum Synodo Nicæna suos Canones sumpsit Concilium Tridentinum, decernendo sacras imagines colendas esse modis illic omnibus assignatis. Non est prætereunda vetus historia, vtpote propitia cultui sanctarum imaginum. Est stupenda sanè res, quam recenset Eusebius. Ait ille, mulierem, quæ à Christo sanata fuit, in gratiam profluuij sanguinis, quod stetit ad contactum vestis Christi, æneam statuam conflasse suo Redemptori, Cæsareæ Philippi, vnde oriunda fuit hæc mulier. Scribit Eusebius se vidisse statuam illam Cæsareæ, & ad pedes eius in basi herbam quandam peregrinæ speciei, quæ dum enitendo fimbriam vestis attingebat, inde trahens vim quandam beneficam, morbis omnibus validè succurrebat. Meminit idem suo tempore, ad quercum Mambre imagines Abrahæ, & Angelorum concursu pio fidelium fuisse in magno honore habitas.

Concil. Trid. sess. 25. de sacr. imag.

Ex Historia.

Euseb. lib. 7. hist. Eccl. cap. 4.

Imago Christi ænea salutaris.

Euseb. lib. 5. demonst. Euāg. cap. 9.

Basilius profitetur cultum singularem erga sacras historias martyrum, quas ait se vidisse depictas à pictore illo tempore præ aliis erudito. Chrysostomus item refert hunc fuisse ritum tempestate sua inolitum, vt sacerdos accedens ad altare, facturus ibi rem sacram, primò sibi obuiam imaginem Christi reuerenter inflexo capite salutaret. Anteit omnes alias illa Saluatoris imago, quam ipse Deus & rerum Dominus Christus ad Abagarum Regem misit, quæ Edessæ seruata fuit multis annis, vt auctor est Euagrius. Est & commendata vetus imago Deiparæ, picta Lucæ penicillo; hanc Theodorus ait fuisse datam Pulcheriæ ab Eudoxia. Tertullianus etiam conscius rituum Ecclesiæ priscæ, quam sinceram fuisse dicit Caluinus, ait calices habuisse sacram imaginem Christi habitu pastoris, ouem, quæ errabunda fuit, humero referentis. Constantinus Imperator initiatus religionis nostræ mysteriis, erecta Basilica Constantiniana, dedit illic imagines argenteas

Basil. de Barlaam Mart. & cont. Iuli.

Chrysost. in Liturgia.

Euag. lib. 4. c. 36.

Theod. l. 2.

Tertul. lib. de pudic. c. 7.

Damas. in Pontif. de Sylu.

argenteas Saluatoris, & Apostolorum, quas Sanctus Syluester Papa proculdubio si fuissent contra fidem Ecclesiæ funditus euertisset.

Hæretici frustra sacras imagines impetunt.

§. IV.

DEsertor Angelus statim à sua creatione Deo fuit iniurius, Numinis infulas ambiens quasi verò Deo suppar esset. Ausus hoc immane nefas spiritus ille nequam, non impunè tulit; quippe luit pœnas vtique congruas crimini infando præcocis gloriæ, ad cuius apicem ille typho superbiæ detestandæ tumens Angelus assurrexit. Tortus vt par erat hic transfuga, tulit ægrè suam multam, ac proinde fuit impar ingloriæ sorti, in quam damnatus est, ideoque furens ira exarsit erga Deum pessimè affectus: vt verò vidit se tela gratis in Deum intorquere; suum omne virus euomuit in imaginem Dei: siquidem aduertens hominem esse Dei ad imaginem effictum, impius ille mouit omnem lapidem, vt effigiem hanc diuinam funditus aboleret. Diabolo successit pro voto scelus hoc conceptum; quippe liuens hostis aspergine fœda Dei imaginem infecit; vt namque suum superbiæ crimen affricuit homini, statim ille Dei imaginem exuit, gratia diuina cadens, cuius obsequio duntaxat sarta tecta fuit effigies hæc diuina, qua expunctа cautè dæmon hominem conspurcatum rationis experti pecori conformauit.

Ioan. 8.
Imagines sanctæ primò à Iudæis impugnatæ.

Iudæos cædis anhelos in Christum, esse diabolo patre satos, Dominus ipse prodit, ita trucem eorum indolem carpens: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille erat homicida ab initio.* Vt ergo sui patris ingenium referrent hi Iudæi, dæmonis æmuli, periti virulento liuore necem Christo Deo turpiter intulerunt. Hi perduelles, & homicidæ suum hoc lethale virus, id est, odium in Christum resignauere suis & posteris, qui si nequeunt in Christum desæuire, tamen suam rabiem omnem effundunt in imagines Christi, & Sanctorum; ita suo litantes ingenio præter modum sæuo, quando furunt in res inanimes, eo tantùm nomine, quòd Christus, aut sequaces eius, imaginum cultu ætati posteræ commendantur.

Imagines vetat Mahometes.
Thalm. ord. 2. tr. 1. dist. 2.
Synod. VII. act. 5.

Itaque à Iudæis exordium sumpsit omnis tragœdia excitata contra sacras imagines. Etenim Thalmudistæ vocant Ecclesias nostras idololatriæ domos, quia prostant ibi Sanctæ imagines. Idcirco vocat Iconomachos Iudæos Synodus septima. Iudæo propinante virus hoc ebibit Mahumetes, in Alcorano vetans vsum imaginum, concolor sic Hebræis, & in eorum crimine fraternizans. Alter item Hebræus maleficus ætate ferè suppar Mahumeti, suis præstigiis ita Regi Ezidi imposuit, vt triginta vitæ annos promitteret, si Rex ille Arabum Ecclesias exueret sacris imaginibus. Captus Ezides amore vitæ diuturnæ scelus hoc perfecit, quod anno recurrente luit morte cita, quæ successorem regni induxit, vt Hebræum acerbo supplicio plecteret impostorem. Cedrenus, Zonaras, & Nicetas meminere scelus, & technas huius Hebræi malefici, qui & alios Hebræos habuit impietatis suæ participes, hos scilicet, qui Leoni Isauro Imperatori suasere sacras vt euerteret imagines. Ab hoc Leone dira cœpit persecutio in cultores sacrarum imaginum, quarum & odium ille Leo transfudit in filium suum Constantinum Copronymum, qui morte horrenda luit hocce piaculum. Extincto turpiter hoc Imperatore, redux fuit ille sacer imaginum cultus, in quas intermissum bellum, Leo Armenus, Michael Balbus, & Theophilus iniqui Principes instaurarunt.

Cedr. Zonar. Nicetas in vita Leonis Isauri.

Imagines à quibus Imperatoribus impugnatæ.

Vt hæresis Caluiniana velut sentina fæces omnium errorum excepit; ita sacras imagines auersata durè eas habuit, in eas sæuiendo igne, & ferro, sicut olim Constantinus Imperator initiatus nostræ fidei mysteriis exarsit ira in Gentium impia simulacra. Hæretici omnes ab Hebræis desumpsere tela, quæ intorquent in nos: vno nimirum ore clamant omnes, imagines Sanctorum esse illa idola, quæ Decalogi tabula prima vetat. Huic commento fidem adstruxit Henricus Stephanus homo nequam, qui in suo thesauro dicit, εἴδωλον, apud Ecclesiasticos scriptores esse omne simulacrum referens aliquod Numen hominum votis & precibus honoratum. O hominis imposturam damnatam in Synodo septima, vbi censura ferit omnes, qui dixerint imagines Sanctorum esse idola! Rursus Origenes, & Theodoretus aiunt, hoc esse discrimen inter imaginem, & idolum, quòd imago est vera & sincera rei similitudo, vt cùm pingimus hominem, equum, &c. Imago enim ab imitando congruè nuncupatur. Idolum verò secus est falsa similitudo, id est, repræsentat id, quod reuera non est, vt cùm Gentiles proponebant statuas Veneris, aut Mineruæ, illa signa idola erant, quia referebant Deos generis fœminini, quales Dij nec sunt, nec esse queunt: atque ita falsæ erant imagines, quia rem, quæ non extabat, oculis ingerebant. Vnde liquet, imagines Christi & Sanctorum non esse idola, quia res veras exprimunt. Imo neque Trinitatis & Angelorum imagines sunt idola, quia non sunt factæ ad exprimendam naturam Trinitatis, aut Angelorum, sed ad referendam formam, in qua apparuere nobis, aut ad proprietates illis congruas explicandas.

Conc. VII. act. 5. & 7.
Idoli & imaginis differentia quænam sit.
Orig. hom. 8. in Exod.
Theod. q. 38. in Exod.

Imago quid sit.

Imaginem & idolum non esse voces synonymas ex contextu Scripturæ sacræ patet, vbi homo dicitur effictus ad imaginem Dei: nec inde tamen inferre licet hominem esse idolum, quia dicitur imago Dei. Rursus Scriptura vocat Filium Dei imaginem Patris, & figuram substantiæ eius: attamen ille foret impius qui Verbo Dei idoli titulum affricaret. Rursus Scriptura veræ alicuius rei similitudinem vocat imaginem non idolum. Vt Salomon ad ornatum templi dicitur effinxisse imagines Cherubim, ad similitudinem hominum, item imagines leonum, boum, palmarum, malogranatorum, florum. Idola verò sacra Scriptura vocat ea simulacra Gentium loco veri Numinis adorata. Præterea Scriptura nuncupat idola אליליס *elilim* אונים *auanim*, id est, vana, falsa, mendacia. Vnde liquet idolum aliquid semper referre vanum, & falsum, vt Hieronymus animaduertit. Denique Habacuch idololatras sic increpat: *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsi?* Concors est Plato, Græcè sciens si quis vnquam. ψεύδη καὶ εἴδωλα περὶ πλείονος ποιούμενοι τοῦ ἀληθοῦς. Id est, Mendacia, & idola pluris faciunt

Genes. 1.
Sap. 7.
Coloss. 1.
Hebr. 1.
Idolum quid sit.
Leuit. 19. 26.
Numer. 13.
Osea 6.

Hier. in c. 7. Ose.

Habac. 2.

Plato in Thaeteta.

quàm

quàm veritatem: illic idolum, & mendacium, vt synonyma opposuit liquidæ veritati. Fauet Apostolus ita fatus: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Illic idolum dicitur esse nihil: licet namque penes materiam sit aliquid; tamen omnino nihil est formaliter, cùm oculis explicet ideam Numinis, quod non est. Eiusdem generis est ille locus Esther. *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt.* Id est, idolis, quorum species inanis illudit oculis hominum impiorum.

1. Cor. 8.8. Idolum quare nihil esse dicatur.

Esther. 14.

Igitur à vero aberrant hæretici, dum in eadem classe locant imagines, & idola; neque Deus sculptile condemnat si non adoretur; quippe legis verba vetant cultum sculptilis, non facturam, vt textus iste sonat. *Non facietis sculptile, & idolum, vt adoretis.* Vt sit elimata legis explicatio, nota iuris naturæ explicationem esse penes Decalogum, excepto Sabbati præcepto. Res autem prohibitæ iure naturæ, sunt prohibitæ quia malæ, & non malę quia prohibitæ. Cum ergo Deus iusserit fieri imagines Cherubim super arcam, & serpentem æneum, insulsè sanè clamant heretici, esse sacras imagines extirpandas. Rursus ars pingendi & sculpendi à Deo est, ac proinde bona: quippe Deus ait se dedisse suum spiritum, sapientiam, & scientiam ad sculpendum, & excogitandum multa pro ornatu tabernaculi duobus viris, ad hoc opus conductis, videlicet Beseleel, & Ooliab. Non ergo Deus offenditur à pictore, rei alicuius speciem effingente. Nec obstat, imagines sæpius imposuisse plebi incautæ, quæ arbitrata sacras imagines esse Deos, turpiter impegit in crimen, cuius intuitu Deus ipse vetat imagines, quibus plebs prona sicut Diis aduoluitur. Siquidem esto Soli, & Lunæ litent Gentes; non idcirco Deus quamuis sit zelotes, illa plerisque populis adorata sidera censuit extinguenda. Nempe nihil est in rerum natura nitens, quod non imprudentes alliciat ad aliquem cultum, qui si malè impenditur ab ignaris; illa tamen impietate nihil cunctante manet innoxia res, quam malè suada opinione populi fidei Christianæ nescij venerantur.

Leuit. 26.

Exod. 31. & 35.

Quia hæretici causâ cadunt, cùm confundunt imagines, & idola; petunt, aliunde tela, quibus imagines confodiant. Duo Concilia Constantinopolitana, clamant, sanxisse sacras imagines hactenus habitas in honore plebis inscitiâ, esse penitus abolendas. Vtriusque Concilii acta luculenta produnt Centuriatores. Accipe quàm imbellis sit impetus ille. Primum illud Concilium coactum est sub Leone Iconomacho, teste Paulo Diacono. Alterum Concilium celebratum est sęuiente Constantino Copronymo, teste eodem Paulo Diacono. Ast vtrumque fuit illegitimum: nam Pontifex Romanus illic non adfuit, neque per se, neque per Legatos, vt referunt Cedrenus, & Paulus Diaconus. At est regula Concilij Niceni I. sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia Generalia celebrari, vt præter alios Socrates refert, cui adiice Sozomenum, Nicephorum, & canonem Apostolicum, quem refricat Synodus Nicæna prior, vt testatur Synodus Alexandrina: Beatus Marcellus Papa citat hunc Canonem. Cùm ergo duo hæc Concilia sint reprobata, nihil contra sacras imagines validè concluserunt.

Cōcilia quædam Constantinopolitana illegitima fuerūt. Centu. 8. c. 7.

Paul. Diac. l. 21. rer. Roman. lib. 22.

Socrat. lib. 2. cap. 13. Sozom. lib. 3. Niceph. l. 1. c. 3. cap. 9. Syn. Alex. ep. ad Felic. Marc. Papa ep. ad Episc. Antio. prou.

Vt ergo sua hæc tela vident cassa truces imaginum hostes, extorquent à Patribus æquiuocas sententias, quas vt in errorem suum inflectunt, ita nobis esse credunt ex aduerso Patres, quorum auctoritate lucis plurimum adfertur dubiis quæ emergunt. Traducunt Irenæum, qui damnauit Carpocratem ob cultum imaginum: Epiphanium item monent increpasse velut hæreticos cultores Deiparæ. Demum gloriantur se habere Patres præcipuos Latinorum, suæ hæresis assertores. Proferunt Ambrosium ita fatum: *Inuenit Helena crucem Domini, Regem adorauit, non lignum vtique, quia hic Gentilis est error, sed adorauit illum, qui pependit in ligno.* Iuisse dicunt Hieronymum in eamdem sententiam, quæ sugillat imagines. *Cultores* (inquit) *Dei imagines adorare non debent.* Ventilant Augustinum, hac censura sacras notantem imagines. *Noui* (inquit) *picturarum adoratores.* Denique affirmant Gregorium vetuisse sacras imagines hactenus adorari.

Iren. l. 1. c. 24. Epiph. hær. 78.

Ambr. de obitu Theod.

Hier. in c. 3. Daniel.

Greg. lib. 9. ep. 9.

Nota, hæreticos, quando citant Concilia nobis contraria, semper ea referre, quæ reprobat Ecclesia Sancta velut illegitima, & quando Patrum sensa nobis obiiciunt, illa nihil officere; siquidem intellecta malè produnt hæresis ingenium, cuius est, vt imponat, & illudat asseclis erroris sui, Scripturæ sacræ Patrumque loca omnia deprauare. Hoc ergo tibi altè semper insideat, si quando Patres carpunt imaginum cultum, hunc damnare solùm, qui defertur eis more Gentiliū, qui sua simulacra loco Numinis adorabant. Ita Carpocratem arguit Irenæus, non quòd haberet in honore imaginem Christi, sed quia eam sacrificiis excoleret, vt Epiphanius, & Augustinus aiunt. Increpauit item Epiphanius Collyridianos; non quòd essent benè affecti erga Deiparæ imaginem, sed quia habebant eam pro Dea, cui solennes hostias immolabant. Ambrosius supra monet crucem non adorari propter se, sed propter Christum, qui in ea pependit. Quamuis enim ipsum lignum honoremus; non eatenus tamen vt lignum est, sed quatenus ingerit oculis animæ fidelium Redēptorem humanæ salutis, ergò vili hoc stipite cruciatum.

Carpocratis cultus erga sacras imagines quare malus.

Epi. hær. 19. Aug. hær. 7.

B.V. Maria à quibus adorata.

Emendicasse suum cultum à Christo crucem, liquidius asserit Ambrosius, hoc tenore: *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum leuauit, & collocauit, vt crux Domini in Regibus adoretur.* Hieronymus vbi dicit, eos, qui deuouere sua obsequia Deo, non debere adorare imagines, loquitur de statuis Regum, qui sua simulacra voluere sacris honoribus affici, iuxta morem Nabuchodonozor, cuius tres pueri statuam colere detrectarunt. Vbi prudens lector obiter aduerte fidem æmulorum nostrorum, qui Hieronymum succensentem in cultores imaginum Regum, diuertunt ad censuram sacrarum imaginum: in eis qui abiecere fidem Christi stare nequit humana fides. Augustinus vbi inuehitur in picturarum adoratores, hos profectò notat, qui excedunt; ita & Gregorius, quando vetat imagines instar Numinis adorari.

Ambr. de obitu Theod. Crux quantū honorata.

Aug. lib. de morib. Eccl. cap. 36.

Deus & hunc imaginum cultum multis miraculis voluit esse ratum, & hoc maximè argumento fides erga sacras imagines abundè viget. Primò, occurrit miraculum herbæ anonymæ, quæ surgebat ex basi statuæ Christi sacræ ab hæmorroissa muliere, quam sanauit Christus. Hanc herbam vidit Eusebius, qui affirmat eam valuisse ad mala corporis omnia propulsanda. Ait Sozomenus Iulianum Apostatam inuidisse huic imagini, eamque

Euseb. lib. 7. hist. c. 14. Iuliani statua fulmine euersa. Sozom. lib. 4. hist. c. xx.

eamque suo mouisse loco, cui suam statuam substituit, remque Deo inuisam fuisse, sicut omnibus enituit: namque repentinus de cœlo ignis illapsus in statuam, comminuit illam exsecto capite huius impij simulacri.

Athanasius, Gregorius Turonensis, & Rhegino commemorant aliud prodigium sacræ imaginis quæ confossa telis à Iudæis, perfusa fuit sanguine, qui curauit ægros quamplurimos.

Imago Greg. Naz. benefica.

Zona. in vita Mich. Balbi.

Constantinus item Sabbatius mutus, vt mente precatus est ad imaginem S. Gregorij Nazianzeni expeditè loquutus est, esto pater eius Michaël Balbus Imperator imagines sacras esset acriter insectatus. Auctor est Zonaras. Malè cessit ei, qui statuam Deiparæ comminuit saxis in eam coniectis; siquidem B. Virgo dormienti sacrilego exprobrauit iniuriam ab eo acceptam, sic in eum inuecta: *In caput tuum hoc fecisti.* Post inuectiuam lapis illisus capiti iconoclastæ, totum eius corpus comminuit, & post ictum euigilans, & eiulans ille perditus expirauit. Historiam hanc recenset Paulus Diaconus. Est & locuples historia, quam recenset Damascenus de Saraceno, qui sagittam emisit in imaginem S. Theodori, quæ percussa misit sanguinem. Cùm autem adstantes Saraceni non resipuissent hoc miraculo, breui omnes postea tempore perierunt.

Imago Deiparæ cōminuta suū percussorem necat.

Paul. Diaco. l. 21. rerum Rom.

Damasc. or. 3. de imaginib.

Ecclesia Sanctorum Reliquias piè veneratur

§. V.

Ex SS. Patribvs, Ex Ivre Canonico, Et Ex Historia.

Ex SS. Patribvs. Reliquiæ SS. quid prosint.

CAdauera veterum Romanorum solita spirare gratum odorem, antiqua fuit parœmia, cui data fuit ansa à virtute Heroum, quorum merita recensita talem spargebant fragrantiam, vt omnes accenderent ad eorum sectanda vestigia, magno Reipublicæ commodo egregia quæque facinora fortiter exantlando. Ecclesia potiori ratione potest vsurpare vetus illud adagium, memorando sacras Reliquias Sanctorum; illa nimirum ossa bonum odorem afflant eis, qui refricant animo vitam eorum, quos in memoriam reuocant Reliquiæ, virtutum omnium quas in praxim reduxere viri sancti maxima monumenta. Illa fuit Chrysostomi sententia, Martyrum sepulchra refricare pios eorum omnes actus, ac proinde mutas esse parænéses, quæ cunctantes homines vrgent, vt se accingant ad virtutes, quas professi sunt generosi hi athletæ, quorum Reliquiæ venerandæ iacent in tumulis, quibus Christiani piè sæpius aduoluuntur. Rursus illæ Reliquiæ sūt instrumēta Dei ad miracula; præterea veneramur eas tanquam exuuias amicorum, & pignora patronorum, qui nostras agunt causas apud Deum: denique magni fiunt à nobis ea corpora, quæ scimus certò fore supra omnia aliquando sidera collocanda.

Chrys. lib. de S. Babyla Mart.

Reliquiæ SS. quare colātur.

Sanctorum Reliquias haudquaquam inconsideratè colit Ecclesia, sed Scriptura sacra præeunte, suum hunc cultum semper exhibuit illis Sanctorum exuuiis. Moyses discessurus cum populo ex Ægypto, t[illegible] inde ossa Patriarchæ Ioseph, & ea honorificè habuit. Non est ergo nouum ossa Sanctorum transferre sicut nostrates hæretici mentientes egregiè, turpiter insusurrant. Corpus item Moysis in honore fuit; quippe Deo duntaxat conscio sepultum est. Rursus Helisæi ossa suo attactu suscitarunt exanime corpus. Non ergo Deus contemnit ossa Sanctorum, in quorum gratiam edit miracula. Iosias etiam Rex Idolorum fana solo adæquans, cùm cremasset ossa sacerdotum effossa, iussit ossa Vatis sancti seorsim reponi & seruari. Denique Ecclesia superstite Petro vidit Pauli sudaria, & semicinctia infirmorum corpora sospitare. Ætate suppar Apostolis Clemens, eas sic commendat Reliquias. *Eorum qui apud Deum viuunt, ne Reliquiæ quidem corporum sunt inhonoratæ.* Iustinus adiicit à Reliquiarum virtute peti reuerentiæ locuples argumentum. *Sanctorum* (inquit) *corpora, & sepulchra Martyrum, & dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanationes.* Nota, Iustinum vixisse secundo sæculo, quo Caluinus ait stetisse ritus Apostolorū integros & sinceros in prima velut Ecclesiæ lanugine, in qua erroris nescia pubescebat.

Exod. 13.

Deut. c. vlt.

4. Reg. 13. Reliquiæ Sāctæ curant morbos.

Act. 19.

Clem. lib. 6. const. Apost. cap. 29.

Reliquias dæmones horrent.

Iustin. q. 28.

Quanti fecerit ossa Polycarpi Episcopi Ecclesia illa Smyrnensis, cui præfuit, hac eius epistola compertum est. *Nos Diui Polycarpi ossa potiora lapillis pretiosis, auróque puriora, ex cineribus sublata, eo loco reposuimus, qui illis erat consentaneus, & decorus.*

Eccl. Smyr. ad Pont. Eccl.

Reliquias afflare fragrantiam sāctitatis, accipe ab Athanasio. *Legatarius Antonij benedicti, qui tritum palliū cum melota imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tanquā magna hæreditate ditatus, latātur per vestimentū recordatur imaginē sāctitatis.* Basilius item honorificè meminit Reliquias hoc cōtextu. *Pro legis Iudaicæ ritu, si qui moriebātur, horum morticina habebantur abominationi: cōtra mors si cuipiam arrogatur pro Christi nomine, pretiosa censentur Reliquiæ Sanctorū eius. In priori Lege dicebatur sacerdotibus: Non contaminabitur super vllo mortuo. Nunc è diuerso Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus sanctificationis particeps.* A cultu delato Reliquiis Sanctorum ab incunabulis Ecclesiæ, Gregorius Nazianzenus in Iulianum sacrilegum inuehendi rationem accipit, vtique luculentam. *Non* (inquit) *victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti Ioannē illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, quibus præclari honores, & festa constituta sunt, à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur; quorum vel sola corpora idem possunt quod anima sancta, siue tangantur, siue honorentur: quorum vel sola sanguinis gutta, aut exigua passionis signa, idem possunt quod corpora.*

Athan. in vita Anto.

Basil. hom. in Psal. 115. Reliquiæ Sāctæ sanctificāt suos cultores.

Greg. Naz. inuectiua 1. in Iulian.

Reliquias Sanctorum reuerentiam conciliare loco, qui recondit eas auctor est Chrysostomus, affirmando Romam à Petri & Pauli sacris ossibus honorari. *Celebro Romam* (inquit) *non propter copiam auri, non propter columnas, sed propter illas Ecclesiæ columnas Petrum, & Paulum. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre puluerem corporis illius qui adhuc in Christo deerant adimplentis, Stigmata illius gestantis? Puluerem inquam oris illius per quod Christus locutus est, per quod lux emicuit; quouis fulgore clarior. Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia. Hoc corpus vrbem hanc munit.* Rursus ille

Reliquiæ sāctæ conciliāt honorem loco vbi iacēt.

Chrys. ho. 32. in ep. ad Ro.

Reliquias Petri & Pauli laudat Chrysostomus.

ille sic extollit Reliquias ab effectu, quem sortiuntur in nobis, virtutis affectum nostris mentibus ingerendo. *Sanctorum* (inquit) *non modo corpora, sed ipsi loculi, & momenta spiritualis gratia conferta sunt. Nam si in Elisæo id contigit, vt defunctus sepulchrum eius attingens, mortis vincula dissoluerit, & ad vitam rursum redierit; multo magis id fiet hoc tempore, quo gratia fluit vberior, quo spiritus maior est vis: vt si cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutem hauriat, & eam ob caussam Reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, vt nos ad se eorum imitatione perducat; vt sint nobis velut portus quidam, & idoneum solatium eorum malorum, quæ assiduè nos affligunt.* Hactenus Chrysostomus.

Chrys. in laude S. Ignat. Reliquiæ sanctæ sunt validum præsidium.

Non est hic prætereunda fides Damasceni erga sacras Reliquias, quarum se præbuit eximium encomiasten, & tutorem. *Christus* (inquit) *Sanctorum Reliquias, velut salutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suauissimúmque vnguentum profluit. Nec verò quisquam sermonis huic fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex aspera, & solida rupe, atque ex asini maxilla ad sedandam Samsonis sitim, Deo ita volente prosilijt, eritne cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum Reliquiis suaue vnguentum scaturire? Minimè certè, ijs quidem, quibus potentia, honorque; quo Sanctos suos afficit, perspectus, & exploratus est. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, vt quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur. Verùm hi in mortuorum numero minimè habendi sunt. Ex quo enim ipsemet vita, ac vitæ auctor inter mortuos ascriptus est, eos, qui in spe resurrectionis, fidéque erga eum, diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquam appellamus.* Hæc ille. Singulare fuit etiam obsequium Patrum Latinorum circa relicta nobis hæc pignora Sanctorum, quæ habuere velut viuida membra Christi, sicut est in comperto Pij I. Pontificis epistola. *Cura* (inquit) *Sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curauerunt Apostoli Stephanum.*

Damasc. l. 4. orth. fid. c. 16.

Reliquiæ SS. non sunt mortuorum, sed viuentiũ.

Reliquiæ SS. sunt membra Christi.

Pius I. ep. 1. ad Iustũ Epi.

Ambrosius argumenta dedit luculenta suæ pietatis erga sacras Sanctorum exuuias. Inuentis quippe sacris corporibus Sanctorum Geruasij & Prothasij Martyrum, non potuit ille piam, qua gestiebat, lætitiam ore tacito cohibere. Namque suum sensum stylo elimato reuelante prodit. *Eruuntur* (inquit) *nobiles Reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cælo trophæa, sanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales. Succedant victimæ triumphales in locum vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui ipsius redempti sunt Passione. Condamus ergo Reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inuehamus.* Quare sacras Reliquias excoleret Ambrosius, ille luculentam rationem affert. *Si* (inquit) *dicas mihi: Quid honoras in carne iam resoluta, atque consumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis? honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & Dæmones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christum honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.* Hactenus Ambrosius, & equidem eloquenter.

Ambr. l. 9. ep. 86. Reliquias quare colimus.

Reliquiarum mirum encomium.

Ambr. ser. 39. de SS. Naz. & Celso. Reliquiæ sunt semina æternitatis.

S. Hieronymus etiã acutè suum zelum accẽdit contra nebulonem hæreticum, Sanctorum Reliquiis iniurium, in quem sic acriter inuehitur: *Ait Vigilantium os fœtidum rursum aperire, & putorem spurcissimum contra Sanctorum Martyrum proferre Reliquias, & nos, qui eas suscipimus appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur. O infelicem hominem, & omni lacrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens non intelligat, se esse Samaritanum, & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent! Honoramus Reliquias Martyrum, vt eum cuius sunt Martyres adoremus; honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Si non honorandæ sunt Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius?* Denuo pugnâ instauratâ durè habet eumdem hæreticum, quia ille momum agens habebat ludibrio Reliquiarum cultum, hæc derelicta nobis chara Sanctorum pignora subsannando.

Hier. ep. 53. ad Riparium. Reliquiarum honos in Deum redundat.

Præstat audire Hieronymum declamantem in furciferum hominem, quia hæc eius censura notat Caluinistas hæreticos, nostri sæculi dedecus & scandalum, quos vt furias infernus euomuit, & residuas omnium hæreseum fæces, quibus hæc nostra ideo miseranda tempora conspurcauit. Sic ergo sua tela Hieronymus intorquet in Vigilantium hominem diabolo afflatum. *Hæc* (inquit) *sunt verba blasphemiæ Vigilantij: Quid necesse est, te tanto honore non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Quid puluerem linteamine circumdatum adorando osculatis? Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias; Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi. Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustrat. Quis enim, ô insanum caput! Martyres aliquando adorauit? quis hominem putauit Deum? De barathro pectoris tui cœnosam spurcitiam euomens audes dicere? Ergo cineres suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, semperque præsentes sunt: ne fortè, si aliquis peccator aduenerit, absentes audire non possint. O portentum in terras vltimas deportandum! Rides de Reliquiis Martyrum, & cum auctore huius hæreseos Eunomio Ecclesiis Christi calumniam struis, &c. Sentio, sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est puluere, imò hodiéque torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur, &c. Do consilium, ingredere basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis: inuenies ibi multos socios tuos, &*

Lib. aduers. Vigil. c. 2.

Reliquiis SS. olim magnus fuit honor exhibitus.

Cap. 3. Reliquiarum elegans defensio.

Cap. 4.

nequaquam cereis Martyrum: qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus combureris, & tunc fateberis, quod nunc negas, & tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, liberè proclamabis. Hactenus ille sacras Reliquias à deploranda viri impij rabie vindicauit.

Augustinus egit quoque suas partes consulendo pium etiam cultum deferri Reliquiis Sanctorum, quas sic commendat, commemorans eos, qui cum epistolis ad quendam illa sacrosancta pignora deferebant. *Portant* (inquit) *Reliquias beatissimi & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quam conuenienter honorare debeatis.* Leo Papa sacris Reliquiis encomium insigne fecit, ita fatus: *Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicij?* Ait ille, craticulam Laurentij honorem sibi illo tempore vendicasse. Gregorius item hortatur omnes ad hunc Reliquiarum cultum, Palladium sic compellans: *Quia reliquias Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon Laurentij, & Pancratij Martyrum, cum veneratione præbuimus, hortamur vt cum reuerentia eas suscipere & collocare auxiliante Domino debeatis.*

Aug. ep. 103. ad Quintian.
Leo serm. de S. Laurent.
Greg. lib. 5. ep. 50.

Ex Iure Canonico.

Concilia etiam coacta toto orbe terrarum, congruum cultum detulere sacris Reliquiis. Secunda Synodus Nicæna vocat Reliquias fontes salutares, vnde bona nobis influente Deo plurima deriuantur. Decernit esse deponendum clericum, & laïcos excommunicandos, qui Reliquias Martyrum non vt res sacras habent. Præterea Reliquiarum influxu reuerentiam conciliari templis, insinuat Synodus illa suo hoc Canone. *Quæcunque templa consecrata sunt absque Reliquiis Martyrum, in iis fieri statuimus Reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Qui autem templum consecrat sine sanctis Reliquiis, deponatur, vt qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit.* Concilium Gangrense congregatum ante mille ducentos annos, tremendo ferit anathemate detrahentes sacris Reliquiis, & præsertim inuehitur in hæreticos Eustathianos contra sacras Reliquias impiè debacchantes.

Conc. Nic. II. act. 3 & 7. Item Can. 7. Reliquiæ necessariæ ad consecrationem Ecclesiarum.
Conc. Gang. Can. vlt.

Si ab Oriente placet, ad Occidentem diuertere siste Carthagini, & disces celebratum Concilium, quod decernit euertendas aras, quæ fuerunt absque Reliquiis antea dedicatæ. In Hispania Concilium Braccarense III. sanxit, in publica supplicatione sacras deferri Reliquias ab Episcopo, aut sacerdotibus vt à præeunte plebe honoribus congruis excolantur. In Gallia Concilium Epaunense sanxit, ne sacræ reliquiæ reponerentur in Ecclesiis, vbi non erant clerici ad psalmodiam destinati. Credidit namque sacra Synodus illa, malè haberi Reliquias, vbi sacerdotes vt elingues ad gloriam Dei, Sanctorumque decus, psalmorum obsequio minimè iubilabant. In Germania Concilium Moguntinum celebratum tempore Caroli Magni vetat, ne corpora Sanctorum transferantur de loco in locum sine Concilio Episcopi, & obtenta sacri Concilij liquida facultate. Concilium Lateranense coactum sub Innocentio III. seuerè cauit, ne inconsulto Papa, quis Reliquias exponeret, vt hac præuia cautela nemo plebi imponeret, substituendo veris Reliquiis alias vtique reprobandas.

Conc. Cart. V. can. 14.
Conc. Bracca. III. can. 5.
Conc. Epaun. can. 25.
Conc. Mogun. can. 51.
Conc. Lateran. can. 62.

Imperatores item in hoc argumento pias condidere leges, quibus itur obuiam reuerentiæ, quæ debetur illis sanctis exuuiis. In his occurrunt Honorius, & Theodosius ita sanctarum Reliquiarum gratia decernentes. *Nemo Martyres distrahat nemo mercetur.* Leo quoque Imperator, ne fieret iniuria Reliquiis seuere cauet, ne in loca sacris rebus ingloria deferantur. Ecce piam sanctionem. *Neque monachi, neque quicunque alij cuiuscunque status, aut fortunæ in ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem Crucem, & Sanctorum Martyrum Reliquias illicitè inferre conentur.*

Ex Iure Civili. leg. Nemo. Cod. de sacr. Eccl. Cod. de Episc. & cler.

Ex Historia.

Anteuertere suo exemplo legem Leonis, alij Imperatores, qui reposuere sacris ædibus Reliquias magna populorum frequentia exceptas. In his Hieronymus recenset Constantinum, & Arcadium, quos obiicit Vigilantio hæretico, qui ore proteruo sua conuicia iactabat in sacras Reliquias, in quas obtrectator hic impiè declamabat. Sic Hieronymus interrogat Vigilantium transfugam ad castra Eunomij hæresiarchæ. *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij, illorum se sentire præsentiam confitentur. Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portauerunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem viuentémque Prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent.*

Hier. l. cont. Vigil. 2. Reliquiæ magno concursu populorum exceptæ.

Edidit & insigne suæ pietatis exemplum Theodosius iunior Imperator, obuiam eundo sacris Reliquiis Sancti Ioannis Chrysostomi, quas piè veneratus, orauit Sanctum, vt illatam ei necem ab Eudoxia matre & à patre Arcadio Principe condonaret. Quanta verò sacræ Reliquiæ prodigia ediderint, res orbe toto scita; ac proinde satis erit ad complementum sectionis huius, & in gratiam Sanctorum, quos commendo meis scriptis, aliqua recensere. Auspicabor à dæmone superato sacris Reliquiis Sanctorum, vt Sozomenus ait. Erat, inquit ille, loquax dæmon edens oracula in Daphne, vnde dicebatur Apollo Daphnæus. Iulianus in Persica expeditione suum hoc consulit oraculum, iuxta cuius delubrum Gallus Iuliani frater reponi iusserat loculum, vbi reconditæ erant Reliquiæ Sancti Babylæ Martyris; & sociorum eius. Iulianus dæmonem vrget, vt prædicat, prosperus necne foret exitus belli in Persas. Sed Iuliano gratis vrgente, dæmon responsa reddere cunctabatur. Tandem Principis apostatæ mens obstinata vicit diaboli propositum: quippe simulacrum Apollinis hoc respondit; scilicet Babylæ Martyris ossa suis imponere

Reliquiis S. Chrysost. quantum bonos exhibitus. Theod. l. 5. c. 36. Eccl. hist.
Sozom. l. 5. cap. 18.
Reliquiæ obstant dæmoni loquaci.

imponere finem oraculis Iulianus te compertа vocat Christianos, & indicit inde citam Reliquiarum translationem, vt ea peracta dæmon posset imponere consulentibus, & ementita veri specie ambages vt antea comminisci. Præter Sozomenum, Theodoretus hoc recenset trophæum erectum de dæmone à Reliquiis Sanctorum.

Theod.l.3. Eccl.hist.c.9.

In hoc etiam argumento placet recolere contextum Euagrij describentis capsam, qua Reliquiæ Sanctæ Euphemiæ Martyris includuntur. *Est* (inquit) *in ipsa capsa ad leuam velut transenna exigua, paruis ianuis obsirmata, per quam ferrum oblongum, spongia circumligatum, ad Reliquias vsque immittunt, quod quidem vbi circumtorserint, spongiam plenam sanguine retrahunt, plenamque cruentis guttis côcretis plurimis. Tanta est autem guttarum concretarum inde extractarum copia, vt piis Imperatoribus, sacerdotibus omnibus ibi congregatis, & vniuersa populi frequentia abundè satis suppetant, tum ad participandum, tum ad mittendum cæteris fidelibus per orbem vniuersum, illarum rerum cupientibus fieri participes. Cùm aliquis eò loci accedit, vbi sacra capsa, in qua recondita sunt sanctissima illa Reliquia reponitur, tam fragranti completur odore, vt alij omnes odores, quibus homines vti solent, ab eo longè superentur. Nam neque odori florum, qui ex pratis colliguntur, similis est, neque illi, qui ex rebus suauissimè olentibus capitur, neque talis, qualis conficitur ab vnguentario: sed peregrinus est, & præ cæteris eximius, ex ipsius Martyris Reliquiis vim & virtutem illam ei tribuentibus efflatus.* Hæc ille.

Reliquiarum S.Euphemiæ miraculum. Euag.l.2.c.3.

Reliquiæ suauem odorem spirant.

Mortuos suscitatos attactu sacrarum Reliquiarum, dignatos etiam optata lucis vsura cæcos, & alios liberatos à pluribus angustiis, si sine teste dico, non silebunt hæretici, qui figmenta dicent ea miracula. Itaque operæpretium est vnum depromere auctorem, & testem cui annuant. Is erit Augustinus, etiam à Caluino maximè commendatus. *Ad aquas* (inquit) *Tibilitanas Episcopo afferente Proiecto Reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magna multitudinis concursus, & occursus. Ibi cæca mulier, vt ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: Flores, quos ferebat, dedit; recepit, oculis admouit, protinus vidit. Memoriam memorati Martyris, quæ posita est in castello Synicensi, eiusdem loci Lucillus Episcopus populo præcedente, ac sequente portabat: fistula cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui Medici, qui eam secaret operiebatur manus, illius pia sarcinæ vectatione repentè sanata est. Sanctimonialis quædam in vicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cùm ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata est, quæ antequam reuocaretur illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est. Rursus ibidem apud nos Irenæi cuiusdam collectarij filius ægritudine extinctus est. Cumque corpus iaceret exanime, atque aliis gementibus, & plangentibus, exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit.* Hactenus Augustinus.

Aug.l.22.de ciuit.c.8.

Reliquiæ S. Stephani mortuos suscitarunt.

Vt liquidior adstruatur Reliquiarum cultus, non erit abs re retundere quosdam hæreticorum impetus. Obiiciunt, Moyse extincto Deum corpus eius in loco mortuorum inuio condidisse, quasi ad exemplum, vt sic Sanctorum Reliquiæ subtraherentur populis, qui vtplurimum superstitione inducti assuescunt facilè cultui peregrino. Respondeo, Iudæos fuisse pronos supra modum ad idololatriam, in quã ne diffluerent adorato corpore extincto Mosis, Deus hoc abscondit. Cùm verò procul absit illud periculũ à Christianis; frustra fremunt hæretici, nos reuocare ritum Gentilium, aliud omnino extraneum ab ipso Numine venerantes.

Deuter. cap. vltimo.

Denuo insurgunt inducentes Christum, qui acriter inuehitur in Iudæos, qui ornabant sepulchra Prophetarum. Ecce censuram. *Profectò testificamini, quia consentitis operibus patrum vestrorum, quia illi Prophetas occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Si ergo Deus (inquiunt) Sanctorum Prophetarum sepulchra vetat ornari, ad quid intempestiuus honos Sanctorum ossibus exhibetur? Respondeo, hallucinari hæreticos dum affirmant Christum damnasse ritum ornandi sepulchra Sanctorum; tantùm enim abest vt reprehenderit hunc ornatum, quinimò potius hunc laudauit: ab illo namque bono opere, quod patrabant Iudæi se demonstrando pios erga monumenta, quibus erant Prophetæ reconditi, Christus eos esse malos, & hypocritas impios arguebat. Se namque patrum simulantes declinare scelus, in quod incurrêre necem inferendo viris sanctis, eo intento pios se fingebant erga sepulchra Vatum occisorum, cùm deteriora tamen animo conciperent. Etenim Christo omnium Domino & satori Prophetarum tendebant insidias, vt eum cruci affigentes interficerent, detestata patrum facinora congruis actibus æmulantes. Cùm ergo malus sit pessimus se mentiendo bonum, Iudæi arguendo patres suos ob immane scelus necis Prophetarum, quos colebant pretiosa mole & structura sepulchrorum, ita bonos se fingebant: sed hæc species ementita boni, imponendo plebi incautæ, Deum non fefellit, qui scrutando corda nequam, Iudæos aduertit esse malos, atque feros; morte Christo illata patrum crimina superantes. Itaque Christus hic non sepulchra vetat ornari Sanctorum, sed damnat hypocrisim, quæ hoc velo pietatis illudit oculis: & reuera necem Christi meditantes hi Iudæi testatum fecere patrum se vestigia sectari, imò patres suos excedere malitia, in Prophetarum summum & Dominum inaudito prius scelere sæuientes.

Luc.11.

Sepulchra SS. olim ornata.

Christum non damnasse morem Iudæorum erga sacras Reliquias reconditas in sepulchris ornatis, sed æmulationem, qua feruente necem ingloriam crucis ei aptabant, abundè liquet ex Patribus, è quorum choro prodit Ambrosius ita fatus: *Ædificatione tumulorum, sceleris eos, qui occiderunt, arguebant, & similium æmulatione factorum, se quoque declarabant paternæ iniquitatis heredes: non igitur ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur.* Concordat item Chrysostomus hoc contextu. *Non quia ædificant, nec quia patres suos accusant,*

Ambr. in cap. 11. Luc.

accusant, vt illis dixit; sed quoniam ita facientes, & ita dicentes patres suos condemnare audebant, cùm ipsi peiora committerent.

Denique nostrates hæretici, in quos se lethale virus Vigilantij transfudit, instant Hieronymum damnasse morem Ecclesiæ, quæ cereos accendit ante sacras Reliquias: siquidem Vigilantio irridente ritum illum, non obstitit Hieronymus, sed ille plebis inscitiam, atque zelum credidit esse satius accusare. *Confiteor* (inquit) *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Respondeo Hieronymum arguisse zelum indiscretum ignaræ plebis, quæ credidit illustrari Sanctos lumine cereorum. Vrgebat enim Hieronymum Vigilantius, ita ludens ironicè: *Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant vilissimis cereolis illustrari.* Ille retundens hunc impetum ait, esse nimis credulos homines, quibus hoc insedit, animas Sanctorum accensis cereis illustrari. Si verò secus accenduntur cerei, vt deferatur honos Sanctorum Reliquiis, ille probat indicem hunc honoris. *Scandalizabantur* (inquit) *quondam & Apostoli, quod periret vnguentum; sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus egebat vnguento, nec Martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honorem Christi fecit, deuotióque mentis eius recipitur; & quicumque accendunt cereos secundùm fidem suam, habent mercedem, &c. Illud fiebat idolis & idcirco detestandum est; hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est.* Adiice, cereos non accendi velut sacrificia, sed in signum lætitiæ, qua gestimus, Sanctorum merita recolentes. Præterea omnes agnouerunt in igne typum gloriæ, & honoris, ideoque sibi voluere faces accensas præire Romani Principes, vt ex Herodiano liquet. Ergo decet Sanctos ille typus gloriæ, quam significat cereorum ignis, insinuans imperium Sanctorum. Denique beatas illas mentes corpore exutas viuere in æternum vitâ miseriarum nesciâ, præfato cereorum lumine protestamur.

Hier. lib. in Vigil.

Cereos ante reliquias accendere est laudabile.

Ignis multa significat.

Herod. l. 1.

Pars Secvnda Homiliæ.

Ad quid nos sollicitent dies festi, Ecclesia consecrata, imagines, & Reliquiæ Sanctorum.

§. VI.

Qua ratione dies festi sint colendi.

Ex SS. Patribvs, vtroqve Ivre, et historia.

INdubium est Philosophiæ effatum: vnumquodque esse propter suam operationem; quippe nihil prorsus in rerum natura vacat. Cùm ergo dies festi sint instituti, sectionis huius erit pensum inuestigare Dei intentum instituendo dies festos. Ne te lector studiose morer, compendiosè dicam, Deum decernendo dies festos, eos aliquid in nos voluisse boni operis exercere. Nota, dies festos esse bonos, & de ratione boni esse, vt appetitum excitando suam actionem exerceat; quippe bono quisquis afficitur, ille boni actionem in se excepit: Cùm itaque sint festa bona, & sancta, quisquis benè affectus est erga dies festos, & optat eos obseruare sicut par est, hunc esse decet bonum & sanctum. Si quis verò secus faxint sanctitatis incurij, illis festa sanè perperam indicuntur. Ad conciliandam sibi sanctitatem debitam diei festo conducet meminisse legem de die festo latam. Ecce diuinum oraculum: *Die Sabbati afferetis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba, quæ ritè funduntur per singula sabbata in holocaustum sempiternum. In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum.* Vt contingebant omnia Iudæis in figuram, quidquid est agendum in die festo, typis hic descriptis graphicè lineatur.

Festa quomodo sint celebranda.

Numer. 28.

Sabbatum primò notat singulos quosque dies festos, ipso Deo teste, cuius est edictum hoc. *Sabbata mea custodite.* Duo agni immaculati nos hortantur ad sanctitatem corporis & animæ sectandam: panis oleo conspersus insinuat opera misericordiæ, vt & eleemosynæ: liba quæ funduntur ingerunt fletus & lacrymas animæ pœnitentis. Et quia sanctitas illibata gratis inquiritur sine vitiorum excidio, meminit Scriptura sacra duo animalium genera mactanda, quibus omnium vitiorum caterua satis innuitur. Dum namque iubet in holocaustum offerri vitulos & arietes, qui symbolum præ se ferunt superbiæ, atque lasciuiæ omnigenæ, sordidam omnem vitiorum colluuiem in die festo Deus præcipit emundari. Aduerte Deum arietes, & vitulos velle sibi in holocausta dari: nempe sicut de holocausto nihil omnino manet residuum, quia igne totum consumitur; ita die festo, sic vitia omnia sunt extirpanda, nihil vt supersit postridie, quo peccetur, iuxta Vatis eloquium. *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Id est, contritio peccatorum animo concepta die festo fortiter obstabit, ne dæmone susurrante die postera delinquamus. Sabbati lex præfata benè quadret necne diebus etiam nostris festis, res est nobis hîc seriò perpendenda.

Leuit. 19.

Festa sibi qualia sacra vendicent.

Consulendi sunt in eo argumento Patres, an mea sensa probent. Dixi duos agnos immaculatos denotare dies festos esse obseruandos, corporis sanctitate simul adscita cum defæcata animæ puritate. Damnat hæc cautela curas plurimorum, qui de corpore saginando die festo summam sui negotij constituunt, quasi verò dies festi pro viscerum distensione forent cælitus instituti. Corporis sanctitati, & non saginæ cauet Bernardus hoc contextu. *Non ignoratis, sæcularibus id moris esse, vt diebus festis festiua sibi conuiuia parent: & quantò fuerit solennitas clarior, tantò splendidius epulentur. Quid ergo? Nonne & his, qui conuertuntur ad cor, cordis deliciæ sunt quærendæ, & spiritualibus spiritualia comparanda? Dignum est enim vt prius anima saturetur, quod hæc portio sine dubitatione, & sine comparatione sit potior, præsertim cùm Sanctorum solennitates manifestum sit ad animas magis, quàm ad corpora pertinere. Nihil itaque dubium, quin gratior eis sit, & multò acceptabilior illa festiuitas,*

Ex SS. Patribvs.

Festa ad epulas quibus inseruiant.

Bern. serm. 1. de fest. omn. Sanct.

festiuitas, qua intenditur epulis animarum, quàm sit ea, qua celebratur à sacularibus, curam carnis perficientibus in desiderijs voluptatum.

Spirituales esse debere cibos, qui corpus & animam reficiunt die festo, patet hoc effato Patris Ambrosij. Sic Sanctus ille die festo nobis epulas instruit: *Natalem* (inquit) *beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Quis enim talium virorum solennitatem non magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solennitate non magnos sibi exhibeat apparatus, vt quò plus expenderit, plus se Apostolos confirmet amare? Veruntamen non opus est proprio sumptu ad refectionem nostram: nam natali suo Sanctus Petrus ipse nos reficit.* Hactenus Ambrosius, insinuans, Sanctorum virtutes, quas oportet recensere die festo, parare dapes opiparas animæ simul & corpori, quæ festa celebrantes alunt, si facta tamen Sanctorum, quæ meminere die festo, actibus etiam æmulis assequantur.

Ambr. ser. 67.

Plinius assentator euehit cælo tenus Imperatorem Traianum, eò quòd ad acuendos legnes Romanorum animos traduxerit in arenam pugiles magnanimos, gratia gloriæ aucupandæ vitæ incurios, quam populo spectante sæua inter vulnera prodigebant. Ecclesia quotannis ad excitandas vecordes fidelium mentes strenuos Olympionicas obiicit, Sanctos videlicet, qui anheli ad gloriam æternam corpore sauciato plagis, pro asserenda fide Christiana suam generosè vitam cum exhausto sanguine profuderunt. Vnde quia animo triumphante necem fortiter obiere viri illi infracti; illa, qua excessere, dies non mors sed natalis dicitur; quippe cælo nati sunt, & coronæ, quando ex hoc migrauere solo, vbi tot agones illæsis viribus exantlarunt. Hoc Ecclesiæ intentum Chrysologus ingerit animis, ita fatus: *Natalem Sanctorum cum auditis, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terra de carne, sed de terra in cælo, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas, de mundanis risibus, ad coronam & gloriam. Tales natales dignè Martyrum celebrantur. Cum ergo huiusmodi festiuitas agitur, noli æstimare quòd in solis prandiis & profusioribus epulis natales Martyrum celebrentur; sed imitandum tibi proponitur, quod in memoriam Martyris celebras. Idcirco ergo natales Martyrum annua celebrantur lætitia, vt quod semel actum est, per omne annum in memoria maneat deuotorum.*

...in. in Pa... ...g. Traiani.

...esta SS. ad ...uid nos ex... ...tent.

Chrysol. ser. 129.
Natales dies SS. quinam sint.

Panis oleo conspersus, quẽ die festo sibi Deus offerri indixit, non indiget nomenclatore, typum qui huiusce panis explicet: namque nemo nescit, comite vnctione panem significare eleemosynam, quæ reuera dies festos sanctificat, quando miserante manu tergit angustias egenorum, in quos largiter erogatur. Conducere ad festa ritè celebranda pias eleemosynas Augustinus ait, ita monens: *Nos ergo, fratres dilectissimi, vt tam sanctam festiuitatem non solùm corporali, sed etiam spiritali cum gaudio celebrare possimus, secundùm vires nostras ad dandas eleemosynas, & ad tenendam cum omnibus pacem nostros animos preparemus.*

Aug. ser. 21. de Sanct.
Festis diebus est eleemosyna eroganda.

Hanc & disertè curam pauperum commendauit Esdras, qui esto die festo dapes pingues indulserit vt lætemur; annuit illa lege tamen, vt pauperum inediam, epularum parte congrua subleuemus. *Dies* (inquit) *est sanctificatus Domino Deo nostro. Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domini est.* Nota, verum Sanctum a dici festi sanctitate suos hortari, vt copiosè stipem erogent; quasi diceret: Indulgentia diuina solet influere largius in animas, quando vacat corpus, id est, die festo. Vt ergo Dei influxum conciliare queat anima cautè sibi consulens, influat in pauperes, illos opportunè suis opibus adiuuando.

2 Esdr. 8.

Præterea codice sacro ritus ille recolitur, quo die festo liba Deo sacra deorsum effunduntur. Dixi supra, fusos hos liquores indicare fletus animæ contritæ, quæ vt recurrente solemnitate sibi redditur, & alta sui indagine deprehendit noxas, quæ hactenus effugere suam notitiam, vt plerumque accidit ex concione Dei verbo audito, anima exosa suos mores abit in lacrymas indices & præcones animi pœnitentis. Alludit eo Augustinus. *Ab ipsis*, inquit, *Sanctorum Martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solennitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Quisquis enim animo versat ea, quæ Martyr in agone suo supplicia pertulit, ne peccaret; ille memor quàm peccauit, errata sua flere parum credens, Martyr erit indicendo sibi supplicia condigna, quibus perpetrata crimina castigentur. Etenim iuxta salutare Dei consilium eruet oculos, atque manus abscindet, vnde fuit ansa mali, vt illo velut martyrio spontaneo, quo stante fletus pro cruore fluunt celebrando dies festos Martyrum, pro parte sua fiat eorum æmulus, dura pœnitentiæ supellectile corpore macerato. Hunc fuisse ritum Sanctorum celebrare festa procul ab omni lasciuia & gula, clamat Augustinus. *Natalitia*, inquit, *Sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemur eos, qui præcesserunt.* Concolor item Hieronymus ita fatur: *Nobis solicitius prouidendum est, vt solennem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus. Quia valde absurdum est nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse ieiuniis.*

Festa SS. imitatione sunt colenda.

Aug. ser. 47. de Sanctis.

Pœnitentia est martyrium.

Aug. in Psal. 88.

Hieronym. epist. 19. ad Eustoch.
Festo die Missam audire est de præcepto.

Demum antiquato ritu Iudæorum, Missa loco sacrificij suffecta, diem festum sanctificat, & hoc de præcepto: alia namque citra crimen præterire potes in die festo; Missa secus non audita scelus inurit & lethale viro, penes quem nullus obex extitit ad hæc sacra mysteria animâ attentâ compositóque sicut decet corpore frequentanda. Ecclesia solicita de fidelium salute cauet, ne quis id committat, vt die festo sacrum omittat. Ecce canon. *Missas die Dominico sæcularibus audire totas speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Quòd si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* Est ille canon Concilij Agathensis, cui concordat & iste canon Concilij Aurelianensis I, *Cum ad celebrandas Missas in*

Ex Ivre Canonico.
Can. Missas.
Can. Cum ad de consecrat. dist. 1.
Conc. Agat. c. 47.
Conc. Aurel. 1. c. 28.

Dei nomine conuenitur populus non ante discedat, quàm missa solennitas compleatur.

Festis diebus fugienda sunt omnia iudicra.

Concilium Triburiense celebratum ante annos octingentos, clarè dies festos Sanctorum meminit, cum die Dominico. Ecce legem.

Can. Qui die de consec. di. 1.

Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, vigiliis & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum. Et quia spectacula edita die festo solent homines abstrahere à Missa, Concilium Carthaginense ferit eos, qui Missa derelicta malunt obmisso Dei cultu hisce ludis turpibus indulgere. Ecce canon.

Conc. Cart. IV. can. 88.

Qui die solenni, prætermisso solenni Ecclesiæ conuentu, ad spectacula vadit, excommunicetur.

Ex Ivre Civili. Leg. Dies fest. § finali Cod. De feriis.

Suam & Imperatores impigram adhibuere curam, ne theatra die festo zelum fidelium rebus ludicris occuparent. Ecce legem. *Ne religiosi dies otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula: & si in nostrum ortum aut natalem celebranda solennitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ, proscriptionem patrimonij sustinebit, si quis vnquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cuiuscunque iudicis apparitor, prætextu negotij, crediderit hac qua lege statuta sunt temeranda.*

Rursus ad opera misericordiæ significata pane conspersо oleo referre potes canonem, qui hortatur omnes Missæ adstantes aliquid de suo proferre penu, vt oblatione sua Deum sibi concilient. Ita iure Canonico cautum.

Can. Omnis de consec. dist. 1.

Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysem dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis sanctorum patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex vsu sanctorũ patrũ debent.

Ad coronidem discursus huius de festis Sanctorum superest probare, nouum non esse ritum Christianis indictum, celebrare dies festos. Ad hunc Ecclesiæ Sanctæ morem adstruendum conducunt exempla Patrum, qui floruere primis sæculis, quæ Caluino placent, vt & hæreticis, soboli virulentæ serpentis huius; quippe solent illi desertores, quando negant aliquid insolitum Ecclesiæ, ad illa prima sæcula prouocare. Ecce morem, qui vt ait Clemens inualuit primo sæculo, quo & ipse Papa fuit.

Clem. Roman. l. 8. constit. Apost. c. 33.

Serui, inquit, *diebus Apostolorum vacent, magistri enim vestri fuerunt ad docendum vos de Christo. In die Stephani protomartyris item vacent.* Fuit ergo moris Ecclesiæ adhuc enascentis segregare dies aliquot, vt corpore feriante Dei beneficia recolerent, & Sanctorum merita celebrarent.

Ex Historia. Euseb. lib. 4. vitæ Constant. c. 23

Festa coli voluit Constantin. Imp.

Constantinus Imperator huiusce ritus conscius, statim atque sacris fidei nostræ mysteriis initiatus est, seuerè cauit, ne quis profana die festo perageret, suumque procul hoc edictum misit ad Præfectos, qui ad remotissimas terræ plagas suspiciendo præfecturæ munere fungebantur. Præstat Eusebium audire rei huius testem. *Etiam*, inquit, *ad ipsos gentium Præfectos Imperatoris nutu & voluntate edictum perlatum est, vt illi perinde Dominicum diem venerarentur. Iidem consecratos Martyribus dies honore prosequebantur, & festorum solennitates in Ecclesiis celebrabant; quæ omnia secundum Imperatoris voluntatem gerebantur.* Nectarius item auctor eiusdem sæculi ait, Christianos coluisse diem festum Sancti Theodori magna gestientes lætitia, cuius vt etiam pauperes essent participes, exuberante manu stipem egenis omnibus erogabant. Sic ille:

Nectarius in narrat. de S. Theod. c. 8.

Festa simul cum eleemosynis.

Cum intellexissent Christiani irritam fuisse machinationem furiosi Iuliani, hymnum gratiarum actionis glorioso Martyri Theodoro exhibentes, lætum ac splendidum festum ei celebrarunt, frumentumque coquentes, & pauperibus distribuentes fecerunt eorum salutem manifestam omnibus.

Theodoret. li. 3. hist. Eccl. c. 14.

Theodoretus item meminit solennis festi, quod quotannis erat Antiochiæ. *Iuuentinum*, inquit, *& Maximianum Martyres strenuos pietatis athletas Antiochia venerata est, & magnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vsque diem quotannis festo publico eos honorifice celebrat.* Fuisse dies festos institutos ab Apostolis luculenter ait Damascenus.

Damascen. orat. 1 de imaginib.

Celebritates, inquit, *Sanctorum tolli non possunt, cùm sanctus Apostolorum, & diuinorum Patrum chorus eas fieri iubeat.* Quàm etiam religiosè Patres latini dies festos habuerint, ipsi satis superque clamant. Ambrosius ita die festo suos alloquitur.

Ambros. serm. 67.

Natalem beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Nota, Patrem hunc sanctum velle die festo dapes diuersas instrui, pro partium diuersitate, quibus constat homo: animas quippe monet ali sacro pane; sicut & in signum lætitiæ singularis, caro cibo lautiore pasta, solet epulis indulgere. Illa sua parænesi voluit Ambrosius fortè reuocare morem illum inductum ab Apostolis, qui die festo sacras instruxere dapes eis, qui festa sicut decet volebant excolere.

Festa dapes quales in festum veteri. Can. Apost. 10.

Illi proceres Ecclesiæ, de animæ refectione magis solliciti, quàm de sagina corporis, instituere preces, & sanctam communionem die festo à singulis quibusque fidelibus publicè frequentari. Ecce canon.

Can. Omnes de consec. dist. 1. Festo die Missa integra audienda.

Omnes fideles qui conueniunt in solennitatibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant. Qui autem non perseuerauerant in oratione vsque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes conuenit communione priuari.

Condiendos esse dies festos dapibus hisce sacris Hieronymus insinuat isto breuiloquio.

Hieronym. epist. 19. ad Eustoch.

Festus est dies, & natalis Beati Petri, festiuius est solito condiendus. Rursus ipso Hieronymi tempore sanctum hunc inualuisse morem celebrandi dies festos Sanctorum, ille notat, eumque probat tanquam cælitus institutum. Ille velut præscius hæreseos quæ in festa suum infernale virus euomuit, ita fatur:

In cap. 4. ad Galat.

Dicat aliquis: Si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos; nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati obseruantes, & parasceuem, & diem Dominicam, & pro varietate regionum diuersa in honorem Martyrum tempora constituta? Ad quod simpliciter respondemus, non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros.

Augustinus item locuples est testis, non esse recens hoc statutum; ille nimirum pietatem

Festa sanctorum quare colant Christiani. fidelium erga dies festos meminit, & commendat, obiter subiiciendo pium celebrandi festa ritum; quippe monet quid debeant Christiani peragere diebus indictis, vt Sanctorum merita recolantur. *Populus*, inquit, *Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria.* Rursus idem. *Passionis Sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus recolentes, quid patiebantur, & intelligentes, quid intuebantur.* In gratiam eorum quibus saltare placet in choreis die festo, meum calculum adiicio, hos saltus aprobando, modò fiant vt Richardus ingerit. *Corporalis*, inquit, *saltus est totum corpus à terra suspendere; spiritalis saltus, spiritum, & totum quod spiritus est à terrenis alienare.*

August. lib. 20. contra. Faust. Manic. cap. 21.

In Psal. 63.

Festa quos saltus & choreas admittant.

Ecclesias consecratas esse Religiosè frequentandas, præsertim diebus festis.

§. VII.

Tépla quare fiat sancta.

ESto Deus vt immensus orbe toto sit diffusus; nemo tamen orthodoxus ibit inficias, esse loca magis accepta Deo, ratione ritus alicuius ibi conciliantis singulare Dei præsidium. Huius generis esse sacras ædes, res est indubia singulis quibusque bonis: illas namque manus Pontificum, sanctiore ritu præeunte, Deo rerum omnium Domino consecrarunt. Sanctas esse domos illas ita Deo consecratas multiplici argumento patet. Primò preces & verbum Dei sanctificant illa, quibus applicantur, iuxta verax hoc Pauli effatum. *Nihil abiiciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* At templa preces & benedictiones varias Episcopi habuere sibi aptatas; ergo nefas est aliquid detrahere templis insitæ sanctitati. Secundò maior inest virtus Episcopis ad consecrandas Ecclesias, quam illa Salomonis, qua Deo suum deuouit templum. Sed pius ille Regis affectus erga Deum suffecit ad conciliandum Deum illi loco; Deus namque Regem sic affatus est: *Exaudiui orationem tuam, & sanctificaui domum hanc, quam ædificasti.* Deus ergo pluris faciens Antistites Ecclesiæ, quàm Regem Salomonem (Præsules quippe Deo sunt deuincti multis titulis) erunt Ecclesiæ nostræ templo Salomonis etiam sanctiores.

3. Reg. 9.

Sanctum aliquid quomodo fiat. Leuit. vltim.

Templa consecrata esse sancta liquet tertiò, ex eo quòd omne Deo dedicatum est sanctum, vt Moyses ait. *Quidquid semel fuerit consecratum Domino, sanctum sanctorum erit.* Quartò locus rerum sanctarum est sanctus, vt constat illo Dei effato. *Locus in quo stas, terra sancta est.* At in Ecclesia consecrata plures sunt res sanctæ, sicut sunt crux, Reliquiæ Sanctorum, & præsentia corporis Domini in Eucharistia: sunt igitur huiusmodi templa sanctissima pluribus argumentis. Hæc sanctitas præcipuè, quàm afflant templa consecrata, debet allicere Christianos, vt conueniant illuc procul dubio futuri participes eius sanctitatis, qua templa consecrata micant. Quidquid namque subit templum vt Deo sit deuotum, illud habet à templo ratos & indubios sanctitatis ibi traditæ characteres.

Exod. 3.

Templa suos inhabitantes efficiunt sanctos.

Influere sanctitatem in ea, quæ concludit templum, Christus ait hac censura notans Pharisæos. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet: Stulti, & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?* Benè ergo suis alumnis consulit Ecclesia, quando die festo cauet, ne quis absit ab Ecclesia. Etenim conuenientes eò fideles implent præcipuam præcepti partem, quæ hoc negotium indicit hominibus, videlicet vt sanctificent diem festum. Huic edicto morem gerit ille, noua quicunque sibi sanctitatis adiicit incrementa. Cùm ergo suos inhabitantes Ecclesia sanctificet, operæ pretium est eos Ecclesiam frequentare, quibus hoc animo constans propositum insedit, sanctificare diem festum; siquidem nemo magis sanctificat illum diem, quàm qui sanctus efficitur. Vt ergo fiat sanctus homo, frequens adeat Ecclesiam, quia sanctitas influit in omnes illic sese Christo Domino deuouentes.

Matth. 23.

Heu heu, hîc cum Psalte lugere libet, *Defecit Sanctus*, nempe rarus ille est, qui frequentet vti par est Ecclesias: *Viæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad solennitatem.* Diceres Ecclesias esse loca inuia, & ominosa suis incolis: namque foro, & plateis maior inest frequentia; & inde mali labes, quæ Christianos inficit obnoxios iræ Dei, in hæc tandem iniqua capita sæuientis. Ingemit ita Vates impiis illis hominibus, qui præferunt Ecclesiæ consecratæ forum, & plateas, *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit & facta est quasi lignum.* Quasi diceret: Nazaræi, id est sanctificati, scilicet Christiani, quos albedo sacra fecit in Baptismo puros, & in quos gratia vberior influxit, dum frequenter intéressent Ecclesiæ sacris, vbi anima vt cæruleo quasi colore affecta, velut cœlestis efficitur; statim atque vale dixere sacris ædibus, vt in triuiis & plateis ambulones essent, hasce notas sanctitatis conquisitæ piis in cœtibus Ecclesiæ turpiter abiecerunt.

Psal. 11.

Thren. 1.

Thren. 4.

Quàm sit ille verax planctus Ieremiæ conditio huius sæculi miseranda probat: quippe maior est hominum frequentia in compitis, atque foro, quàm in templis, quorum viæ desertæ lugent. Sed ille recessus à templo notas inurit fœdas transfugis ad diaboli castra; vbi vitio inualescente pudet hos errones, & desertores Ecclesiæ, non instar diaboli nigricare. Vtque sonat platea mores laxos & profanos; ita suos illa næuos affricat his omnibus, qui corpore errabundo vitam agunt in hoc otioso foro, vbi deperditur illud omne pium; & sanctum, quo dispescitur à reprobis & Gentibus anima Christiana.

Christianos, quos frequentata prodit atque probat esse tales Ecclesia, hos platea negat

Dei nomine conueniunt populus non ante discedat, quàm missa solennitas compleatur.

Festis diebus fugienda sunt omnia ludicra.

Concilium Triburiense celebratum ante annos octingentos, clarè dies festos Sanctorum meminit, cum die Dominico. Ecce legem.

Can. Qui die de consec. di. 1.

Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, vigiliis & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum. Et quia spectacula edita die festo solent homines abstrahere à Missa, Concilium Carthaginense ferit eos, qui Missa derelicta malunt obmisso Dei cultu hisce ludis turpibus indulgere. Ecce canon. *Qui die solenni, praetermisso solenni Ecclesia conuentu, ad spectacula vadit, excommunicetur.*

Conc. Cart. IV. can. 88.

Ex Iure Civili. Lege. Dies festos § finali Cod. De feriis.

Suam & Imperatores impigram adhibuere curam, ne theatra die festo zelum fidelium rebus ludicris occuparent. Ecce legem. *Ne religiosi diei otia relaxantes, obscoenis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula: & si in nostrum ortum aut natalem celebranda solennitas inciderit, differatur. Amissionem militiae, proscriptionem patrimonij sustinebit, si quis vnquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cuiuscunque iudicis apparitor, praetextu negotij, crediderit hac quae lege statuta sunt temeranda.*

Rursus ad opera misericordiae significata pane consperso oleo referre potes canonem, qui hortatur omnes Missae adstantes aliquid de suo proferre penu, vt oblatione sua Deum sibi concilient. Ita iure Canonico cautum. *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysem dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis sanctorum patrum liquidò apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex vsu sanctorũ patrũ debent.*

Can. Omnis de cons. dist. 1.

Ad coronidem discursus huius de festis Sanctorum superest probare, nouum non esse ritum Christianis indictum, celebrare dies festos. Ad hunc Ecclesiae Sanctae morem adstruendum conducunt exempla Patrum, qui floruere primis saeculis. quae Caluino placent, vt & haereticis, soboli virulentae serpentis huius; quippe solent illi desertores, quando negant aliquid insolitum Ecclesiae, ad illa prima saecula prouocare. Ecce morem, qui vt ait Clemens inualuit primo saeculo, quo & ipse Papa fuit. *Serui, inquit, diebus Apostolorum vacent, magistri enim vestri fuerunt ad docendum vos de Christo. In die Stephani protomartyris item vacent.* Fuit ergo moris Ecclesiae adhuc enascentis segregare dies aliquot, vt corpore feriante Dei beneficia recolerent, & Sanctorum merita celebrarent.

Clem. Roman. l. 8. constit. Apost. c. 33.

Ex Historia. Euseb. lib. 4. vita Constant. c. 23. Festa coli voluit Constantin. Imp.

Constantinus Imperator huiusce ritus conscius, statim atque sacris fidei nostrae mysteriis initiatus est, seuerè cauit, ne quis profana die festo perageret, suumque procul hoc edictum misit ad Praefectos, qui ad remotissimas terrae plagas suspiciendo praefecturae munere fungebantur. Praestat Eusebium audire rei huius testem. *Etiam, inquit, ad ipsos gentium Praefectos Imperatoris nutu & voluntate edictum perlatum est, vt illi perinde Dominicum diem venerarentur. Iidem consecratos Martyribus dies honore prosequebantur, & festorum solennitates in Ecclesiis celebrabant; quae omnia secundum Imperatoris voluntatem gerebantur.* Nectarius item auctor eiusdem saeculi ait, Christianos coluisse diem festum Sancti Theodori magna gestientes laetitia, cuius vt etiam pauperes essent participes, exuberante manu stipem egenis omnibus erogabant. Sic ille: *Cum intellexissent Christiani irritam fuisse machinationem furiosi Iuliani, hymnum gratiarum actionis glorioso Martyri Theodoro exhibentes, laetum ac splendidum festum ei celebrarunt, frumentumque coquentes, & pauperibus distribuentes fecerunt eorum salutem manifestam omnibus.*

Nectarius in narrat. de S. Theod. c. 8. Festa simul cum eleemosynis.

Theodoretus item meminit solennis festi, quod quotannis erat Antiochiae. *Iuuentinum, inquit, & Maximianum Martyres strenuos pietatis athletas Antiochia venerata est, & magnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vsque diem quotannis festo publico eos honorificè celebrat.* Fuisse dies festos institutos ab Apostolis luculenter ait Damascenus. *Celebritates, inquit, Sanctorum tolli non possunt, cum sanctus Apostolorum, & diuinorum Patrum chorus eas fieri iubeat.* Quàm etiam religiosè Patres latini dies festos habuerint, ipsi satis superque clamant. Ambrosius ita die festo suos alloquitur. *Natalem beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum laetitia celebrare.* Nota, Patrem hunc sanctum velle die festo dapes diuersas instrui, pro partium diuersitate, quibus constat homo: animas quippe monet ali sacro pane; sicut & in signum laetitiae singularis, caro cibo lautiore pasta, solet epulis indulgere. Illa sua paraenesi voluit Ambrosius fortè reuocare morem illum inductum ab Apostolis, qui die festo sacras instruxere dapes eis, qui festa sicut decet volebant excolere. Illi proceres Ecclesiae, de animae refectione magis solliciti, quàm de sagina corporis, instituere preces, & sanctam communionem die festo a singulis quibusque fidelibus publicè frequentari. Ecce canon. *Omnes fideles qui conueniunt in solennitatibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant. Qui autem non perseuerauerant in oratione vsque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiae commouentes conuenit communione priuari.*

Theodoret. li. 3. hist. Eccl. c. 14.

Damascen. orat. 1 de imaginib.

Ambros. serm. 67.

Festa dapes quales instrui velint. Can. Apost. 10.

Can. Omnes de cons. dist. 1. Festo die Missa integra audienda.

Condiendos esse dies festos dapibus hisce sacris Hieronymus insinuat isto breuiloquio. *Festus est dies, & natalis Beati Petri, festiuius est solito condiendus.* Rursus ipso Hieronymi tempore sanctum hunc inualuisse morem celebrandi dies festos Sanctorum, ille notat, eumque probat tanquam caelitus institutum. Ille velut praescius haereseos quae in festa suum infernale virus euomuit, ita fatur: *Dicat aliquis: Si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos; nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati obseruantes, & parasceuem, & diem Dominicam, & pro varietate regionum diuersa in honorem Martyrum tempora constituta? Ad quod simpliciter respondemus, non eosdem Iudaicae obseruationis dies esse, quos nostros.*

Hieronym. epist. 19. ad Eustoch.

In cap. 4. ad Galat.

Augustinus item locuples est testis, non esse secus hoc statutum; ille nimirum pietatem fidelium

Festa sanctorum quare colant Christiani.

Aug. lib. 20. contra Faust. Manic. cap. 21. In Psal. 63.

Festa quos saltus & choreas admittant.

fidelium erga dies festos meminit, & commendat, obiter subiiciendo pium celebrandi festa ritum; quippe monet quid debeant Christiani peragere diebus indictis, vt Sanctorum merita recolantur. *Populus, inquit, Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria.* Rursus idem. *Passionis Sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus recolentes, quid patiebantur, & intelligentes, quid intuebantur.* In gratiam eorum quibus saltare placet in choreis die festo, meum calculum adiicio, hos saltus aprobando, modò fiant vt Richardus ingerit. *Corporalis, inquit, saltus est totum corpus à terra suspendere; spiritalis saltus, spiritum, & totum quod spiritus est à terrenis alienare.*

Ecclesias consecratas esse Religiosè frequentandas, præsertim diebus festis.

§. VII.

Tẽpla quare fiat sancta.

ESto Deus vt immensus orbe toto sit diffusus; nemo tamen orthodoxus ibit inficias, esse loca magis accepta Deo, ratione ritus alicuius ibi conciliantis singulare Dei præsidium. Huius generis esse sacras ædes, res est indubia singulis quibusque bonis: illas namque manus Pontificum, sanctiore ritu præeunte, Deo rerum omnium Domino consecrarunt. Sanctas esse domos illas ita Deo consecratas multiplici argumento patet. Primò preces & verbum Dei sanctificant illa, quibus applicantur, iuxta verax hoc Pauli effatum. *Nihil abiiciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* At templa preces & benedictiones varias Episcopi habuere sibi aptatas; ergo nefas est aliquid detrahere templis insitæ sanctitati. Secundò maior inest virtus Episcopis ad consecrandas Ecclesias, quàm illa Salomonis, qua Deo suum deuouit templum. Sed pius ille Regis affectus erga Deum suffecit ad conciliandum Deum illi loco; Deus namque Regem sic affatus est: *Exaudiui orationem tuam, & sanctificaui domum hanc, quam ædificasti.* Deus ergo pluris faciens Antistites Ecclesiæ, quàm Regem Salomonem (Præsules quippe Deo sunt deuincti multis titulis) erunt Ecclesiæ nostræ templo Salomonis etiam sanctiores.

3. Reg. 9.

Sanctum aliquid quomodo fiat. Leuit. vltim.

Exod. 3.

Templa consecrata esse sancta liquet tertiò, ex eo quòd omne Deo dedicatum est sanctum, vt Moyses ait. *Quidquid semel fuerit consecratum Domino, sanctum sanctorum erit.* Quartò locus rerum sanctarum est sanctus, vt constat illo Dei effato. *Locus in quo stas, terra sancta est.* At in Ecclesia consecrata plures sunt res sanctæ, sicut sunt crux, Reliquiæ Sanctorum, & præsentia corporis Domini in Eucharistia: sunt igitur huiusmodi templa sanctissima pluribus argumentis. Hæc sanctitas præcipuè, quàm afflant templa consecrata, debet allicere Christianos, vt conueniant illuc procul dubio futuri participes eius sanctitatis, qua templa consecrata micant. Quidquid namque subit templum vt Deo sit deuotum, illud habet à templo ratos & indubios sanctitatis ibi traditæ characteres.

Templa suos inhabitantes efficiunt sanctos.

Matth. 23.

Influere sanctitatem in ea, quæ concludit templum, Christus ait hac censura notans Pharisæos. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet: Stulti, & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?* Benè ergo suis alumnis consulit Ecclesia, quando die festo cauet, ne quis absit ab Ecclesia. Etenim conuenientes eò fideles implent præcipuam præcepti partem, quæ hoc negotium indicit hominibus, videlicet vt sanctificent diem festum. Huic edicto morem gerit ille, noua quicunque sibi sanctitatis adiicit incrementa. Cùm ergo suos inhabitantes Ecclesia sanctificet, operæ pretium est eos Ecclesiam frequentare, quibus hoc animo constans propositum insedit, sanctificare diem festum; siquidem nemo magis sanctificat illum diem, quàm qui sanctus efficitur. Vt ergo fiat sanctus homo, frequens adeat Ecclesiam, quia sanctitas influit in omnes illic sese Christo Domino deuouentes.

Psal. 11.

Thren. 1.

Heu heu, hîc cum Psalte lugere libet, *Defecit Sanctus*, nempe rarus ille est, qui frequentet vti par est Ecclesias: *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solennitatem.* Diceres Ecclesias esse loca inuia, & ominosa suis incolis: namque foro, & plateis maior inest frequentia; & inde mali labes, quæ Christianos inficit obnoxios iræ Dei, in hæc tandem iniqua capita sæuientis. Ingemit ita Vates impiis illis hominibus, qui præferunt Ecclesiæ consecratæ forum, & plateas. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit & facta est quasi lignum.* Quasi diceret: Nazaræi, id est sanctificati, scilicet Christiani, quos albedo sacra fecit in Baptismo puros, & in quos gratia vberior influxit, dum frequenter interessent Ecclesiæ sacris, vbi anima vt cæruleo quasi colore affecta, velut cœlestis efficitur; statim atque vale dixere sacris ædibus, vt in triuiis & plateis ambulones essent, hasce notas sanctitatis conquisitæ piis in cœtibus Ecclesiæ turpiter abiecerunt.

Thren. 4.

Quàm sit ille verax planctus Ieremiæ conditio huius sæculi miseranda probat: quippe maior est hominum frequentia in compitis, atque foro, quàm in templis, quorum viæ desertæ lugent. Sed ille recessus à templo notas inurit fœdas transfugis ad diaboli castra, vbi vitio inualescente pudet hos errones, & desertores Ecclesiæ, non instar diaboli nigricare. Vtque sonat platea mores laxos & profanos; ita suos illa næuos affricat his omnibus, qui corpore errabundo vitam agunt in hoc otioso foro, vbi deperditur illud omne pium, & sanctum, quo dispescitur à reprobis & Gentibus anima Christiana.

Christianos, quos frequentata prodit atque probat esse tales Ecclesia, hos platea ne-

...di re- ...ba est cō- ...tiatio.

gat esse probos, & fideles; ideoque vagos & inertes videndo viros, nemo dicet oues illas errabundas & palantes esse gregis Christi, qui quas errare videt in platea, negat esse suas oues: candor quippe gregem Christi, qui pascitur verbo Dei in templo, discernit à diaboli grege, cuius pascua sunt plateæ, suas sordes aspergentes huic pecori denigrato. Quisquis ergo Dei tutela cupit protegi, ille sacras sese in caulas eius recipiat, id est, in Ecclesiam; illic enim adstantes vberior alluit gratia; nempe Deus illic preces exaudit citius, quàm aliàs in loco profano fusas, iuxta votum Regis Salomonis, ita Deum olim anhelo animo deprecantis. *Deus meus aperiātur quæso oculi tui & aures tuæ intenta sint ad orationem, quæ fit in loco isto.* Quotannis Ecclesia refricat illa vota Regis huius pacifici in gratiam cuiusque domus sacræ. *Exaudi*, inquit, *preces populi tui, & præsta, vt quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur.*

2. Paralip. 6.

Cùm igitur Ecclesia sit Synagogâ antiquatâ Deo potior, certum est non cassa fore vota Deo oblata sacris in ædibus; erunt namque voti compotes hîc fideles, Deo ratione loci propitio cœlitus annuente. Quippe Deus se obstrinxit, oppigneraüitque suam fidem in gratiam templi consecrati; siquidem promissa Regi Salomoni post consummatas ædes sacras etiam porriguntur ad omnia templa Deo eidem nostro sicut & Salomonis Domino dedicata. *Audiui*, inquit, *orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij. Si clausero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: & ego exaudiā de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

2. Paral. 7. Templa faciunt vt citius oratio ibi facta exaudiatur.

Rursus fidelium vota suum citiùs in templo consecrato pium sortiuntur effectum, quia speciali Angelorum & Sanctorum tutela locus ille gaudet: siquidem quidquid intra templi septa Deo deuotum est, illud habet Angelos ad tutamen, vt magno sui detrimento Heliodorus expertus est; vt enim reconditas in templo gazas tentauit ille manu sacrilega transferre, Regis vt præcepto satisfaceret, de cœlo plagis durè sibi inflictis ob immane nefas, sensit Angelos esse sacræ domus atque gazæ ibi conditæ protectores. Vnde suo discrimine edoctus homo, domus Dei expilator, vltorem esse Deum templi dixit, affirmans illic esse potens quidpiam obstans, ne quid iniurium templo foret. *In loco illo*, inquit, *est verè Dei virtus quædam: nam ipse, qui habitat in cœlis, visitator & adiutor est loci illius.*

Templa custodiunt Angeli.

2. Mach. 3.

Præterea Deus esse sibi cordi sacras ædes, præ aliis vsquequaque locis, longè latéque palàm fecit, quando templo Salomonis illapsus est, vt hic textus eloquitur. *Cùm complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta, & victimas, & maiestas Domini impleuit domum.* Vnde sicut vbique Deus stipatur Angelis; ita sacris ædibus adstans præsentia corporis sui in Eucharistia, illic habet Angelos & sequaces, hominum eò confluentium precibus intendentes. Gregorij Magni æuo quoque Deus incubuit templo recens consecrato, vt Gregorius ipse refert. *In magna inquit serenitate aëris super altare Ecclesiæ nubes cælitus descendit, suoque illud velamine operuit, omnémque Ecclesiam tanto terrore ac suauitatis odore repleuit, vt patētibus ianuis nullus illuc præsumeret intrare.* Demum intimam Angelorum præsentiam in templis arguunt illæ voces auditæ in templo Ierusalem, instante ruina illius impiæ ciuitatis. Iosephus ait, excidium templi illius orbe toto famosissimi præcessisse voces illas: *Migremus hinc*; quas fuisse voces Angelorum Custodum templi, crediderunt omnes industrij illius sæculi coniectores. Angelos inuigilare sacris ædibus auctor est Chrysostomus.

2. Paralip. 7.

Templum Ierusalem reliquere Angeli.

Dialog. c. 30.

Ioseph. l. 7. de bello Iud. cap. 12.

Chrysost. ho. 1. in verba Isa. vidi Dominū.

Cùm itaque frequentes adstent Angeli precantibus in templo, parum illic potest dæmon; eius enim impetus Angeli frangunt, & orantes adiuuant. Adde templo consecrato, minus illic dæmonem posse, quàm alibi; nam pellitur inde ferus hominum hostis, vt Episcopus insinuat, quando suum pastorale pedum intorquet in clausas Ecclesiæ consecrandæ fores, quibus reseratis ille Reliquias Sanctorum in Ecclesiam illam introducit, eam ita Deo rerum Domino deuouendo. Vnde sicut nemo potest duobus dominis seruire; ita domus vna Deo sacra nequit esse fœdis peruia dæmonibus, quos Episcopo Ecclesiam consecrante scimus excessisse foras: quippe Deum, & immundos spiritus in vnum eumdemque locum non coïre sacro res est codice decantata.

Nec celebres & probatæ desunt historiæ, quæ confirmant hanc dæmonum de Ecclesia consecrata fugam. Sigebertus ait ante octingentos annos, dum Coloniæ solenni & recepto ritu sacraretur Ecclesia, nocte præcedente sacra solennia, auditas fuisse voces querulas dæmonum, dicentium se diuina cogi virtute sedes deserere, quibus hactenus insederant: subdit auctor eos in signum mœroris acerbi concepti de capessenda fuga instanti, crebros & altos gemitus edidisse. Constat item, Gregorio Magno teste, repurgata Ecclesia Arianorum, & consecrata more nobis insolito, dæmonem vel inuitum exiuisse foras, excitato prius horrendo strepitu, indice furoris, quo pellendus hostis exarserat. Vtque fuga foret certior, illa fera fœdaque bestia habitum induit consonum indoli suæ obscœnæ; prorupit enim & excessit acceptâ prius immundâ porci specie grunnientis.

Templa cōsecrata fugit dæmon.

Ex HISTORIA.

Sigebert. in chron. anni 871.

Gregor. l. 9. Dialog. c. 30.

Templo cōsecrato pulsus est dæmō porci specie.

Cùm ergo minor sit dæmonum virtus ad tentandum homines in templis, vnde foras eos Angeli protrudunt; Deo gratiores erunt illæ preces, quæ funduntur in templis, quàm quæ in loco profano fiunt. Nam esto Deo sint acceptæ preces in quocunque loco fiant, quando sicut par est atque decet instructæ sunt, illæ tamen

Tēpla quare conducant vt homines exaudiantur.

tamen aliis præstant, quas emittit homo Deo supplex Ecclesiæ consecratæ sacris altaribus aduolutus. Maior enim est illic gratiæ influxus ex præsentia Dei in Eucharistia: Patronus item Ecclesiæ dedicatæ suos ibi clientes adiuuat: demum reuerentia, quam sibi conciliat sanctitas templi, homines aptat ad cautelas, quas exaudiendæ preces exigunt. Vt ergo sibi Christiani consulant, die festo debent præsertim Ecclesiam frequentare sacram Sancto, cuius illa die merita recoluntur. Sanctus quippe suo hoc natali die excipit benignè suos omnes cultores, quos in Ecclesiam suam videt conuenire sicut in palatium suum, vnde procul arcentur apparitores, & lictores omnes; sunt enim templa consecrata die festo velut asyla, quibus dæmon vim inferre nequit: ideoque tuti sunt fideles, qui de meliori fruge soliciti, in gratiam cum Deo redire volunt; siquidem hos in Ecclesia dedicata sitos, ægrè valet dæmon à concepto bono opere reuocare.

Tēpla qualē reuerentiam exigant.

Non præfata debent homines excitare solùm vt orent in templis, ob commoda, quæ resultant; sed & etiam conducunt vt quisque sicut æquum est se in Ecclesia consecrata gerat, iuxta Vatis oraculum. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* In quem locum Basilius ita commentatur: *Audiant hæc Psalmi verba, & confusi suppudescant ij, qui in templo prolixissima intertexunt colloquia. Quid dicit Psalmus? Qui in templo Dei est, non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obscœnis rebus plenos sermones pronuntiet, sed in templo eius quisque dicet gloriam. Assistunt Angeli verba describentes, adest & Dominus affectus intrantium considerans. Preces cuiuslibet Deo manifesta sunt. Alius ex affectu tantùm orat, alius scitè ac prudenter cœlestia quærit, quidam perfunctoriè, nec acri attentione summis labris verba loquitur, cor autem eius longè est à Deo; etsi etiam orat, carnis tamen prosperam valetudinem, corporis bona, insuper diuitias, & gloriam quærit humanam. Oportet autem nihil horum committere in templo, vt sermo Dei docet, sed in templo eius quisque dicat gloriam. Cœli enarrant gloriam Dei, Angelorum opus laudare Deum, omnibusque cœlestibus exercitibus vna hæc cura, gloriam transcribere creatori. Reliquæ item creaturæ omnes, siue terrestres, siue rationales, siue rationis expertes, demumque inanimata, seu voce, siue gestis, aut aliqua significatione, summum omnium conditorem Deum extollere, ac prædicare videntur. Homines verò miserabiles relictis ædibus suis ad templum concurrunt, quasi emolumenti quicquam inde laturi, cùm tamen nec accommodent aures verbis Dei, nec suæ intelligant conditionem naturæ, nec peccato quopiam praeoccupati mœrore afficiuntur, ac ne tum quidem contristantur, cùm ad memoriam quæ commisere recurrunt. Nullo corripiuntur diuini iudicij metu, adeò vt sibi arridentes domum orationis in locum vertant effusissimæ loquacitatis, minus obtemperantes Psalmo huic contestanti, ac dicenti; in templo eius omnes dicent gloriam. Tu autem non solùm dicis, sed alteri cuipiam impedimento es, eumque tibi vni reddis attentum, dum obstrepero tuo clamore obtundis personantem Spiritus Sancti doctrinam. Vide ne cùm hinc emigraueris, loco mercedis recipiendæ pro diuinis laudibus, vnà cum iis, qui nomen Dei execrantur, & blasphemis vocibus incessunt, condemneris. Lingua psallat, mens sensum eorum, quæ dicta sunt, scrutetur, vt psallas spiritu, psallas, & mente. Non enim gloriâ Deus indiget, sed vult te dignum reddi, vt gloriam, & laudem promerearis. Quod enim seminat homo, hoc & metet, semina diuinæ laudis sementem, vt coronas, honores, laudes, in regno cœlorum metas.*

Ex SS. Patribus.
Basilius hom. 6. in Psal. 28.

Templa Dei laudibus dedicata.

Templa à multis quomodo profanantur.

Tantùm abest vt Christiani in templo Deum glorificent, quinimò magis ibi offendunt, vbi de offensa perpetrata debent eum facere propitium: quippe domum Dei faciunt speluncam latronum; deprædatur enim illic animas dæmon, eas occupando rebus profanis, quas vt opportunè gerant homines plerumque solent nulla Dei prorsus habitâ ratione sacras in ædes temerè conuenire. Ideoque Chrysostomi censura quadrat huic sæculo nequam & incurio templis, vbi deploranda fiunt à profanis hominibus vsurpantibus falsò nomen Christianum. Ita luget Chrysostomus nequitiam sæculi sui, cui tempora nostra mali adiiciunt etiam incrementũ. *O infelicitatem*, inquit, *nostram, ô nos omni lacbrymarum fonte plangendos! domus Dei facta est spelunca latronum. Ista est domus de qua dicitur, in Ieremia: Nunquid spelunca leanæ facta est domus mea mihi?* Impietas est leæna vorax absorbens animas non incurias duntaxat salutis suæ, cuius spem totam abiecere viri omnes impij, sed & etiam inuidens saluti aliorum, qui confluunt in templa, Deum idoneis ad hoc precibus exorantes.

Ierem. 7.

Chrys. hom. 13. in Mat.

In sacrilegas illas inuehitur animas Chrysostomus, stylo qui effusa bile sapit acerbum, vt par est censorem. *Quod*, inquit, *de pauperum contemptoribus; seorsumque edentibus Paulus aiebat: Nunquid domos non habetis ad manducandum? An Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Idem mihi cum his quoque, qui hîc tumultuando, clamando, omnia complent, expostulare permittetis. Quid enim, domos ad nugandum non habetis? Ecclesiam Dei contemnitis, si quis est, qui modestus, qui tacitus esse velit, corrumpitis. Atqui iucundum colloqui cum familiari? Esto sanè, non veto, sed domi, sed foris fiat. Ecclesia enim non disceptandi, sed discendi locus est. Nunc autem à foro nihil differt, & si non sit temerarium dictu, fortasse nec scena ipsa adeo prostitutis scortis petulantiùs, quàm quæ hîc mulieres congregantur, sese comunt, & sine dubio non paucos etiam hîc solicitant homines intemperatos. Si quis corrumpere matronam conatur, locum hunc maxime idoneum putat. Emere quid aut mercari lubet, magis idonea Ecclesia est, quàm forum. Sæpius enim de his rebus hîc, quàm in ipsis officinis loquuntur. Dicere vis malè, audire mala vis, etiam hoc frequentius hîc, quàm foris. Ciuilium, domesticorum negotiorum sermonem quæris, non est cur ad iudicium accedas; sunt enim hîc, qui accuratius adeò etiam ista tibi exponant. Omnia denique faciliùs hîc, quàm Ecclesiam deprehendas. Si silere non potes, exi, ne aliis obstes.*

Homil. 35. in 1. Cor.

Templa malis sunt occasio peccatorum.

Rursus ille scelus defiet, quod & vsquequaque viget in nostris Ecclesiis, quas comparare queas thuribulis filiorum Aaron, qui diuinæ

diuinæ legis immemores, igne ſacro derelicto ſua thuribula profano foco ſuccenderant: quod fuiſſe ſcelus immane Deus oſtendit, igne deſurſum illapſo crimen vlciſcens: vt qui igne inconceſſo ſtipati Deum conuenerāt violantes ita ſacram templi ſupellectilem; altero ſtatim igne vindice plecterentur. In hæc diſcrimina homines incurrunt hodie, cùm eo præſertim animo confluunt in templa, ſuos vt paſcant oculos obiectis in Venerem pronis. Lingua prurit illis, & libidine accenſa nihil niſi impura fatur; luxuria ardente calent oculi & ſcintillant; flagrante demum corpore toto luxuria, ignem profanum obſcœni homines inuehunt in templum, quia illic eorum corda focis æſtuant impudicis Hoc ſeuerè notat Chryſoſtomus. *Multi*, inquit, *ad formas mulierum aſpiciendas in Eccleſiam veniunt, deinde non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditus non euertuntur. Hæc enim non fulminibus ſolum, ſed etiam gehennæ ſupplicio digniſſima. Verùm Deus cùm longanimis & miſericors ſit, vt in pœnitentiam te adducat, iram ſuam interea retinet. Quid facis, homo, mulierum ſpeciem curioſius in Eccleſia perſcrutaris nec horreſcis ſanctum templum Dei afficiens contumelia? Proſtibulumne tibi videtur Eccleſia, & foro ignobilior? Nam in foro erubeſcis, etiam times, ne quis te videat mulierem ſectari; in Eccleſia verò Dei, cùm ipſe Deus te alloquatur, & ab iſtis deterreat, eo ipſo tempore maximè fornicatione atque adulterio vteris, quo tibi magna voce intonatur, vt ab his fugias, nec horreſcis, nec ſtupes. Sanè multò melius eſſet cæcos, aut aliter ægrotos eſſe, quàm ita oculis turpiter abuti.*

Chryſ. hom. 74. in Matth.

Templa quibuſdam ſunt occaſio libidinis.

In Eccleſia conſecranda ritus obſeruati, elimatè docent ea, quibus ſe aptare debent Chriſtiani, quando moras pietatis causà ſacris in ædibus nectunt. Sex præſertim ſunt notanda piis fidelibus, quando domus aliqua Deo & eius obſequiis addicitur. Primò cinis aſpergitur: ſecundò lumen accenditur iuxta cruces: aqua luſtrali tertiò cuncta madent: quartò thure fragrat Eccleſia: quintò cruces oleo vnguntur: ſextò demum reliquiæ Sanctorum altaris loculo reconduntur. Vt horum omnium nil omnino vacat, ita perutilis eſt ſignificatio, quæ multiplex eſt, & moralis. Cinis eſt animæ pœnitentis index, quæ ſe in templo debet ſiſtere Deo in modum publicani, qui ſibi malè conſcius, & pœnitens factus, ab ipſo templi aditu proſtratus humi, huic vni negotio attendit, ſcilicet vt Deum inflecteret. Cerei accenſi animam ſolicitant, vt examinis ſerij luce ſuam omnem ſupellectilem luſtret, in memoriam reuocando prius facta, quorum notitia veniam anteuertit. Idcirco lumen iuxta cruces accenditur; quippe ſui notitia exquiſita crucis influxum citò capit. Luſtralis aqua notat lacrymas conſequentes examen conſcientiæ: in thure fragrans atque flagrans ſignatur oratio, quæ animæ repurgatæ ſapit: vnctio gratiam ſignificat, quæ influxit in animam, quæ ad eam ſe accinxit iuxta ritum hunc præfatum. Denique Reliquiæ Sanctorum animam hortantur, vt ipſa ſit ſancta, vitam Sanctorum æmulis actibus imitando. Quiſque ritus illos aptare poteſt iuxta ſibi inſitam ſapientiam; eſt namque penu rerum moralium locuples atque latè patens. Cæterum vt hæc omnia prælibata ſonant animæ pœnitentis inſignia, vt lacrymas, orationem, & gratiam; pudere debet Chriſtianos ita ſui oblitos in templis, vt diceres eſſe ſacras ædes idonea crimini perpetrando loca: & illic delinquendi tanta libido viget, vt templa Deo ſubirato ſæpe diro fulmine perſtringantur.

Templi cōſecrati ritus quidnam ſignificent.

Chryſoſtomus eruditè docet ad quid teneatur homo ſitus in templo. *Quid facis*, inquit, *homo? Non promiſiſti ſacerdoti, qui dixit: Surſum corda, & dixiſti: Habemus ad Dominum. Non revereris, & erubeſcis? Et illa ipſa hora mendax inueniris. Papæ, menſa myſteriis inſtructa eſt, & agnus Dei pro te immolatur, ſacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, Seraphim adſtant ſex alis faciem tegentia, omnes incorporea virtutes pro te cum ſacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt; & non confunderis, neque tibi Deum propitium facis? Centum ſexaginta octo horas habente hebdomada, vnam, & ſolam horam ſibi ipſi ſegregauit Deus, & hanc in opera ſæcularia, & in ridicula inſumis. Annon vides eos, qui corruptibili ac terreno Regi aſſiſtunt, quàm ſint immobiles. Ex ipſis documentum accipite, homines, & ſic aſſiſtite Deo, quaſi ad terrenum Regem acceſſuri. Multò magis cœleſti Regi cum timore adſtare oportet.*

Chryſ. ſerm. 1. ex 25. variis.

Tēpla qualē reuerentiam exigant.

Bernardus eodem ſpiritu afflatus, horrore totus concutitur, penſando ſacræ Dei domus excellentiam, quam colligit à Dei præſentia, & ab Angelis, quorum clientelæ ſacræ domus à Domino committuntur. *Verè*, inquit, *Dominus eſt in loco iſto, dixit Iacob dormiens, cùm vidiſſet Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Miratur gratiam, & dignationis magnitudinem expaueſcit. Quàm terribilior eſt iſte locus, quàm euidentius, certiuſque Dominus eſt in loco iſto, vbi nimirum non modò duo, aut tres, ſed tam multi in ipſius congregati nomine perſeuerant. Terribilis planè locus & dignus omni reuerentiâ, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli ſancti frequentant, quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur. Verè Dominus eſt in loco iſto, vbi in eius nomine homines ſimul & Angeli congregantur. Teſtantur ſacræ literæ in Paradiſo olim poſitum Adam, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Sic ſecundus Adam in Eccleſia, in loco iſto, in horto deliciarum ſuarum, ſiquidem deliciæ ſuæ eſſe cum filiis hominum, in loco iſto vt operetur, & cuſtodiat. Porro Angeli aſcendentes ſunt in loco iſto. Aſcendentes, vt videant faciem Patris; deſcendentes, vt prouideant nobis. Quid ergo nos? Quomodo hic eſſe debemus, in quanta reuerentia ſtare in loco iſto, vbi Deus eſt operans, & ſeruans aſcendentes, & deſcendentes?*

Bernard. ſer. 6. de dedicat. Eccl.

Templi reuerentia vnde colligatur.

Eſto nefas ſit in Eccleſia conſecrata vanis attendere, cùm profana ſuis quandoque locis agi poſſint citra metum aut ſuſpicionem piaculi; illa tamen iniuria facta ſacris ædibus atrocior eſt, ſi illa fiat quando ſacris altaribus adſtat ſacerdos in tremendo Miſſæ myſterio: ſiquidem obſtrepere tunc temporis, & cachinnari, quod plerique ſolent, illud in Chriſtiano prodit impietatis multiplex argumentum.

Templa petunt altum ſilentium.

Ambros. lib. 3. de virginib.

gumentum. Quid de sacrilegis illis hominibus sentiat Ambrosius, collige ex eius hoc discursu. *Maxima*, inquit, *est virtus tacendi præsertim in Ecclesia. Nulla te diuinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoneas, vocem premas. Conseruabat enim Maria, vt legimus, omnia in corde suo, quæ de filio dicebantur, & tu cùm legitur aliquid, quo Christus aut venturus annuntiatur, aut venisse ostenditur, noli fabulando obstrepere, sed mentem admoue. An quidquam est indignius, quàm oracula diuina circumstrepere ne audiantur; cùm gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferant? Vnde illud exemplum proditur. Alexandro sacrificante Macedonum Rege puerulum barbarum, qui ei lumen accenderat, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu, tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret. Frequens sermo est, cùm plurima ranarum murmura religiosæ plebis auribus obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, vt conticerent, ac reuerentiam sacræ deferrent orationi, tunc subitò circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt.*

Constantia mirabilis pueri.

Missa honorata à ranis.

Qualem debent conciliare nobis reuerentiam imagines, & Reliquiæ Sanctorum.

§. VIII.

Ex Historia et ex SS. Patribus.

Seneca moriens quid amicis reliquerit.

SEneca moriturus Centurionem, quo vrgente necem oppetebat, enixè rogat det tabulas, vt instante fato suos hic adstantes amicos conscriberet. Hanc gratiam austerus homo inhumanè negat, iubendo mori intestatum virum hunc magnum, qui ægrè ferens ingratam huius hominis indolem conuersus ad amicos ait: Esto vobis opes & prædia non relinquam quandoquidem Nero vetat; concedo tamen aliquid vtilius, nempe vitæ meæ imaginem linquo, quæ virtutis studium & amorem ingeret grato sæpe animo refricata. Memores estote, quibus studiis æuum hoc omne suo fine concluserim. Senecam habete vobis iugiter astantem, ita nihil Philosopho indignum excidet. Si per inuios & asperos virtutum calles ire piget, natura mollibus assueta subire durum iter hoc cunctante, series tota vitæ meæ occurrat, & mitiora fient omnia acerba, quæ stipant omnium virtutum agmen: demum si cunctis amor diuturnæ vitæ satus horrore mortis aliquando quatit, in memoriam reuocate meum hunc agonem: vt namque vita mea tota vobis conciliabit virtutum omnium praxim; ita fugax hoc æuum spernetis memores mortis huius à me fortiter oppetitæ.

Cornel. Tacit. lib. 15. annal.

Suspicor, & detestor in hoc philosopho decedente typhum superbiæ: quasi verò fas sit cuipiam in humanis seipsum proponere in exemplum virtutis omnimodæ. Ecclesiæ negotium est imagines exponere, ad instar quarum fideles se componant. Itaque Ecclesia Sancta Deo afflata plures Sanctorum imagines appendit templis, vt familiaris hæc pictura mores & vitam Sanctorum ab obliuione tutam faciat, & spectantes imaginem Sancti efficiat virtutis eius inclytæ sectatores. Etenim est cuiusque viri Sancti imago loquax, & inducens ad sequelam, vt Paulinus ait hoc rescripto: *Rectè*, inquit, *in loco refectionis humanæ Martinus pingitur, qui cœlestis hominis imaginem perfecta Christi imitatione portauit, vt deponentibus in lauacro terrenæ imaginis vetustatem, imitanda cœlestis animæ occurrat effigies.* Quisquis ergo die festo Sancti alicuius aspicit ornatam eius imaginem, ille reuoluat animo virtutes, quarum obsequio Sanctus hic effectus est, & ita typum finget, ad cuius id eam aptare debet omnem contextum vitæ suæ. Sanctorum imitatio est præcipua ferè ratio, quæ induxit Ecclesiam ad appendendas eorum imagines, & in hac imitatione sita in virtutum praxi indefessa, dies festi maximè commendantur.

Paulin. Nol epist. 12. ad Seuer.

Vt Christianos aliquando suæ impietatis pudeat, vt & incuriæ de celebrando die festo; operæ pretium erit recensere ritus insolitos Eleusi ciuitati, non procul ab Athenis. Vrbs illa memor frumenti à Cerere accepti, sacra solennia instituit in honorem eius, & hæc ab vrbe Eleusi dicta sunt Eleusina sacra, quibus ea se puritate accingebant vt illa adire nefas esset homini aliquo crimine sauciato. Ideoque Nero malè sibi conscius ab his abstinuit, alioquin arbitratus iram se Numinis incursurum. Ita Suetonius referens fuisse Neronem perterritum præconis voce, malos arcente ab illis sacris, quorum festo instante suos quisque mores aptabat ad meliorem frugem, vt ex Cicerone liquet. *Sacra*, inquit, *Cereris summa maiores nostri religione confici, ceremoniaque voluerunt.* Liuio auctore, duo iuuenes Arcananes, quòd non initiati sacris Cereris Eleusinæ fanum subiissent, interfecti sunt, festa velut Cereris aspernati. At secus Antoninus Philosophus Imperator editurus innocentiæ & virtutis emeritæ specimen indubium, adiit illa sacra. Tantùm abest, vt illic ore salaci turpia vel profana loqui mos esset, vt Christianis impiis insolitum est, quinimò taciti omnes adstabant sacris, vt Iustinus ait. Et hinc Aristophanes ea sacra vocat ἄῤῥητα ἱερὰ, id est, non dicenda sacra. In his vina Venusque procul, teste Alexandro, quasi dies ille festus à vitiis omnibus abhorreret. Illic certæ puritatis insigne fuit alba vestis, quam meminit Ouidius.

Eleusina sacra malis prohibita. Eleusina sacra quænam sint.

Ex Antiqvitate

Sueton. in Neron. c. 34.

Cicer. orat. pro Cornel. Balbo.

Liuius 4. Decad. l. 1.

Capitolinus in vita Antonini.

Iustin. l. 5.

Aristophanes in nubibus.

Alex. ab Alex. l. 6. dier. Genial. c. 19.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa quibus niueâ velata corpora veste,
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

Ouid. Met. lib. 10.

Sanctus Augustinus, Lactantius, & Lilius Gyraldus, hos meminere dies festos Eleusinos; vnde rubore debent suffundi omnes impij Christiani, omne scelus perpetratum die festo impune fore quasi festi ipsius titulo prætexentes. Innocentia, quæ fortè fuit pridie, illucente die festo labe criminis inficitur. Inter sacra loquax, & circumstrepens populus, ne adstantes altaribus ministri religiosè suas obeant vices. Vina, Venusque suas hîc partes agunt, & has præcipuas: siquidem ebrietas, & omnia obscœna vigent. Alba demum vestis, quæ gratiæ candore nitet, inualescente die festo multiplici vitio deturpatur.

August. l. 7. de ciuit. Dei. cap. 20.

Lactant. l. 1. falsa relig. cap. 21.

Festa Eleusina qua pietate coli solita.

Iii

Socrat. l. 1. c. 33. Ionas Aurel. lib. de cultu imagin. Bernard. ep. 241. Peregrinationes ad loca sacra. *Luther. in respons. ad Ambr. Catar. Calu. l. 4. inst. c. 13. §. 7.*

In sacrilegos tantùm inuehor, & non in deuotos, quorum non omnino semen excidit. Et reuera Deus si non reliquisset nobis hoc quantumcumque rarùm semen, sicut Sodoma fuissemus. Christiani ergo, quibus adhuc mica pietatis inest die festo, sacras imagines, & Reliquias Sanctorum colunt, & inuisunt inolito more primis Christianis, qui etiam longum carpebant iter, vt Sanctorum tumulos honorarent. Quia debacchantur in huiusmodi peregrinationes ad loca sacra Martyrum Eustachius apud Socratem, Claudius Taurinensis apud Ionam Aurelianensem, Henricus Tholosanus apud Bernardum, Lutherus, & Caluinus; credo mearum esse partium refellere calumnias, & imposturas horum desertorum Ecclesiæ; peregrinationes, quæ deuotè fiunt ad tumulos Sanctorum, ab omni superstitionis specie vindicando.

Occurrit primò Dei mandatum explicitum, de peregrinatione facienda die festo instante, vt in designato loco preces funderent, & illic essent sacrorum participes. Ecce legem. *Deut. 16.* *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomē eius ibi. Tribus vicibus per annū apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit: in solennitate azymorum, & in solennitate hebdomadarum, & in solennitate tabernaculorum* Fuisse ritum hūc ad amussim textus huiusce legis obseruatum, constat historiis vtriusque testamēti. Ecce tibi vetus exemplum. *1. Reg. 1.* *Ascendebat Elcana de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo.* En de recentiore penu Euangelij peregrinationes ad loca sacra. *Luc. 2.* *Ibant parentes eius*, id est Iesu, *per omnes annos in Ierusalem, in die solenni Pascha.* Rursus. *Ioan. 12.* *In crastinum autem, multa turba, quæ venerat ad diem festum, &c. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo.* *Actor. 8.* Item à longe venit. *Vir Æthiops eunuchus potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem.* Ergo gratis insurgunt hæretici in peregrinos ad loca sancta.

Hebræorum templo Deus Ecclesias nostras substituit, & hinc illæ sibi vendicant cultum olim deferri solitum templo Salomonis, vbi in arca Mosis reliquiæ perpaucæ, virga, scilicet, & cœlitus acceptæ legis tabulæ conditæ seruabantur. Est in confesso nobis esse sacras ædes instructas sanctioribus Reliquiis, quarum princeps est Eucharistia, reali corporis Christi præsentia insignis. Item in pluribus aris sanctæ iacent Reliquiæ, corpora videlicet Sanctorum, quos patronos habent omnes, qui ad venerandas eorum exuuias aduoluti, benefica ipsorum suffragia supplices emendicant.

Peregrinatio Origenis, & Helenæ. Ex HISTORIA. *Eusebius lib. 6. histor. Eccles. 12. Lib. 3. vita Const. c. 4.*

Fuisse morem Ecclesiæ pubescentis, id est, non procul ab incunabulis, pietatis ergò sacras Martyrum exuuias inuisere, longo prius itinere suscepto voti causâ, patet ex historiæ multiplicis abundante penu. Scribit Eusebius, Origenem oraculum æui sui, se contulisse Romam, religionis causâ solùm. Adiicit & Helenam matrem Constantini, quæ peregrina sagax & deuota inuisit omnia loca sacra, quibus insedit Christus, illic in mortali corpore conuersatus. Idem Eusebius approbat & praxim illam iam communem adeundi religiosè sacras Reliquias. *Lib. 13. de præpar. Euang. c. 7.* *Nos*, inquit, *Christiani vera pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta ipsorū accedimus, votaque ipsis facimus, tanquā viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum adiuuari profitemur.* Basilius & ipse fama super æthera notus, ita suum calculum adiicit illi cultui, qui Sanctorum Reliquiis à pluribus exhibetur. *Basil. regularum fusius disputat. respons. 40.* *Nullam*, inquit, *aliam ob causam adesse decet Christianos ad Martyrum conditoria, aut istis contigua loca inuisere, quàm orandi causa, & vt Sanctorum constantiæ admoniti, in qua illi ne pietatem amitterent, ad necem vsque fortiter perseuerarunt, ipsi quoque ad similis fortitudinis æmulationem incitentur.*

Solennis item fuit peregrinatio, qua perfuncta fuit Eudoxia coniux Theodosij Imperatoris. *Eudoxiæ peregrinatio.* Illa voto se obstrinxit, conscio Imperatore, sacra se Palæstinæ loca inuisuram, si collocatam in matrimonio filiam cerneret. *Socrates, lib. 7 c. 46.* Vt sponte vouit, ita suis stetit illa pollicitis, nullo prorsus discrimine viæ longioris atque difficilis pietatem atque zelum huius fœminæ inclytæ remorante. *Peregrinationes miraculis approbatæ.* Munificentiam erga sacras ædes, quas in Palæstina vidit Eudoxia, Socrates enuntiat. *Theodoret. lib. 8. Græcarum affectio.* Frequens miraculorum editio ad peregrinorum aduentum, Theodoreti sæculo effecit, vt populi certatim confluerent ad tumulos Sanctorum vt ad pharmaca salutaria contra duras angustias morborum, quibus conuenientium corpora vexabantur.

Alio item prodigio Deus abunde palàm fecit, quàm gratè vota suscipiat hominum, qui habitu peregrino loca Sancta inuisunt. *Cedrenus in Theodosio.* Cedrenus auctor est, Theodosium Magnum Imperatorem zelo Dei percitum, depositis infulis imperij, plebeio habitu se contulisse Ierosolymam, & ignotum subiisse sacras ædes S. Anastasiæ, vbi lucernæ omnes extinctæ Theodosio subeunte limen templi, subitò cœlitus accēsæ sunt; sacrista mirans prodigium, Theodosium adduxit ad Ioannem Antistitem, qui vt Deo reuelante nouit Principem, beatum eum dixit, eò quòd spretis aulæ deliciis, loca sancta humili habitu visitasset. *Ruffin. l. 2. a p. 28.* Ruffinus etiam meminit eundem Theodosium aliquo bello graui ingruente loca sacris Reliquiis insignia sæpius adiisse, preces vt Sanctorum ita sibi conciliaret. Quippe pius Imperator hoc sciebat, Sanctorum Reliquias esse valida præsidia, ad quæ confidēter quisquis se recipit; ille tutâ velut ex arce ridet omnes hostiū impetus irruētes.

Non erit ingrata descriptio pietatis fidelium tempore Prudentij, qui Poëta fuit quarti sæculi, id est Ecclesia nondum infecta labe, quam Caluinus ait postmodum irrepsisse. *Prudentius hymno 11. de S. Hyppolito.* Sic ille pius Poëta canit in gratiam Romanæ plebis, & aliorum fidelium, qui peregrini cryptas Martyrum inuisebant.

Mane salutatum concurritur, omnis adorat.
Pubes, eunt, redeunt, Solis ad vsque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul, & peregrinos,
Permistim populos religionis amor.
Oscula

Peregrinorum multitudo loca sacra visitantium.

Oscula perspicuo figunt impressa metallo:
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.
Iam cum se renouat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio festa refert.
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quaue celebrando vota coire Deo?
Vrbs augusta suos vomit effunditque Quirites,
Vna, & Patricios ambitione pari:
Confundit plebeia phalanx, vmbonibus aquis,
Discrimen procerum, pracipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis,
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum:
Indigena, & Picens, plebs, & Hetrusca venit,
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Haret & in magnis densa cohors spatiis.
Augustum tantis illud specus esse cateruis
Haud dubium est, amplà fauce licet pateat.

Ex SS. Patribus. *Chrys. hom. 2. in epist. ad Ephes.* Peregrinationes à Chrysostomo laudatæ.

Quàm eloquenter illa loca sancta Patres commendarint, longum esset recensere: satis erit aliquos referre, suam sententiam de visitatione locorum, quæ diximus, explicantes. Occurrit Chrysostomus, ægrè ferens, se distentum cura pastorali, quæ obstabat, ne Romam iret Petri vincula venerari. *Nihil est*, inquit, *illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem & horrent dæmones, venerentur Angeli. Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanum, ac validum, non recusarem hanc peregrinationem suscipere, vt solùm viderem catenas, vt carcerem, in quo fuit vinctus.* Idem venatur hinc insigne decus Sanctorum, quorum sepulchra Regum palatiis eminent: nemo namque vadit ad regias pietatis ergò. At ex Sanctorum sepulchro fragrat odor, qui remotos etiam allicit ad cultum, illic conditis ossibus exhibendum.

Homil. 66. ad popul. Antioche. Reliquiæ Sanctorum diabolo terribiles.

Chrysostomus elimatè sacras reliquias hinc extollit. *Christus*, inquit, *tunc omnem terrarum orbem traxit ad se adorandum, cùm mortuus fuisset. Et quid de Christo loquor, cùm & discipulos, postquam obierunt, tunc effulgere fecit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca, & sepulchra, & tempora perenni memoria celebrari curauit. Itaque què regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque huius spectaculi gratià peregrinati sunt. Futuri namque iudicij vestigia & signa Sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.* Caluinus ergo procax est, & conuiciator impudens, quando vocat præstigias, & abusum, Christianorum vota facta locorum causà, quibus sanctæ Reliquiæ traditæ reconduntur.

Peregrinatio ad loca sancta est antiquissima.

Hier. ep. 17. cap. 6.

Hieronymus ait, à Christi Ascensione pium hunc inualuisse ritum, pergendi ad loca, quibus Reliquiæ Sanctorum, aut Christi Domini facta conciliauere decus, & reuerentiam. *Longum est*, inquit, *nunc ab Ascensu Domini, vsque ad præsentem diem, per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Ierosolymam, putantes se minus religionis, minus habere scientiæ, nec summam vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.* Rursus ille probat, exemplo beatæ Paulæ, inuisendo & lustrando loca sacra sicut par est, ad pietatis augmentum animas excitari. *Paula*, inquit, *cuncta loca Ierosolymis tanto ardore ac studio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulchrum, resurrectionis lapidem osculabatur, quem ab ostio monumenti amouerat Angelus, & ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas lambebat fideli ore. Quid ibi lacrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Ierosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat.*

Peregrinatio ad loca sacra pietatem Paulæ excitauit.

Hier. ep. 27. cap. 3.

Vt votum emittitur de meliori bono; ita votum peregrinationis obeundæ ad loca sancta ligat & obstringit animam pœnis æternis, si immemor illa voti, cunctatur reddere quod promisit. Idcirco suum stylum acuit Hieronymus in hominem, qui vnà cum coniunge vouerat in Palæstinam ire, quò cùm perrexisset vxor, ille deses, atque vecors dissimulando moras nectebat, quas Hieronymus eum acriter carpendo leuat, vt quantocyùs ad loca sacra conuolet adhortatus. *Redde*, inquit, *quod præsente Deo spopondisti. Incerta est vita mortalium, ne antè rapiaris, quam tuam impleas sponsionem. Coniugem imitare, quam docere debueras. Proh dolor! fragilior sexus vincit sæculum, & robustior vincitur à sæculo. Tanti dux fœmina facti est, & non sequeris eam, in cuius salute candidatus es fidei? Tu vagaris in patria, imò non patria, quia patriam perdidisti: ista in locis venerabilibus resurrectionis, & crucis, & incunabulorum Domini Saluatoris, in quibus paruulus vagiit, tui nominis recordatur, téque ad se orationibus trahit, vt si non tuo merito, saltem huius salueris fide.*

Peregrinationis votum obligat.

Hier. ep. 46. ad Rusticum.

Peregrinatio cuiusdã fœminæ commendatur.

Ex præfatis facilè est inferre, dies festos quomodo quisque debet excolere: quippe parum est corpori ferias indicere, si spiritus errat in opere, quod incumbit ei die festo. Est autem huiusce negotij summa penes templa, sacras Reliquias, & imagines Sanctorum, quibus dum Christiani cultum, qui decet exhibent, festa ritè peragunt, atque suo sic munere perfunguntur. Cæterum est huc reuocandum symbolum aliàs à me perstrictum, Villaua auctore, qui depingit porcum hærentem in limine templi, hoc titulo adiecto. NON MIHI SANCTA LICENT. Nempe nefas est animalia immunda inducere in templa, piis duntaxat peruia Christianis. Itaque Christiane memor huius picturæ, caue ne animà fœdà & spurcà suem referas: namque tibi tunc obscœno sicut porco nihil est commune cum singulis quibusque rebus sanctis. Igitur siste gradum, ò immunde. NON TIBI SANCTA LICENT. Abluere lauacro pœnitentiæ, de porco fias agnus, gratiæ diuinæ candicantis obsequio, & tutè sacra omnia frequentabis.

Ex Symbolis. *Franc. Villaua l. symbol.*

HOMILIA IN PROCESSIONE ob flagella Dei.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT corporis sollicita natura sagax, illi consuluit, duos concedendo motus æquè beneficos; ita solers vtrumque motum concessit & animæ, cuius cura potior est Deo, quàm corporis terrâ sati, in quam ideo humana corpora resoluuntur. Duplex ille motus, est accessus, & recessus. Accedit homo ad ea, quæ conducunt ad vitam propagandam; vt secus is recedit à noxiis. Anima, cui affectus obsequium pedum præstant, habet & hos impetus discolores: quippe petit bonum amore percita, malum verò fugit vt noxium.

II. Deus humanæ conscius indolis, vt homines vitiis assuetos ad virtutis cultum transferat & inducat, vitiis pœnas vtique acerbas & æternas apposuit, quarum intuitu atque metu declinet anima suaues illecebras, quæ homines incautos in vitiorum præceps & abruptum agunt, acerbè demum flagello vindice castigandos.

III. Quia pœna æterna parùm afficit impios, vt refugas meditationis inferni; Deus cauere volens hominibus incuriis de salute sua, explicat, & infligit aliquando sua flagella, luem scilicet, bellum, atque famem, ita bonis atque malis prouidens. Namque boni gratiæ incremento dura passi proficiunt, & mali fiunt concussi diro turbine cautiores. Hoc vt probaui priore parte istius homiliæ.

IV. Dico secundò, Dei vltoris misericordiam conciliari multifariam, & præsertim publicis supplicationibus, indictis ieiuniis, sed præcipuè pœnitentiâ, si sit illa suis numeris omnibus absoluta.

PRÆFATIO.

Si irruèrint super nos mala, gladius iudicij, pestilentia, & fames, clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, saluosque facies. 2. Paral. 20.

ANtequam Hippocrates, & alij proceres Medicinæ suis Libris remedia præscripsissent ægris, omnes, quorum dubia salus erat, adibant ædes Æsculapij, vbi pendulæ prostabant tabulæ, vnde quisque suo morbo idonea referebat pharmaca: siquidem omnes, qui malè habuerant, scribebant ibi quanam arte redux eis sanitas restituta fuerat; ita suo exemplo, & præstituto modo benè habendi, ætati posteræ consulturi. Sacra Scriptura nobis ita cauet: omnia namque mala, quibus in peccata Deus desæuit, & remedia opportuna, quibus homines subiratum Deum fecere propitium, sunt recensita sacro codice, vt eo consulto inflictæ nobis flagella mitiora fiant, aut imitantibus nobis eos, qui pœnitentes conciliauere sibi numen, desinat ira Dei, adhibitis pharmacis opportunis. In hæc hodie tempora ingrata deuenimus. Classico personante furit miles, & gladio exerto necem infert obuiis omnibus, in quos incurrit, sanguine

Æsculapij templū ægris asylum.

perfusa rubet terra; submissa face flagrant ædes, & dum flamma vorax longè se effundit, vrbes integras incendia absorbent: si quid verò fugit aciem gladij, illud omne cadit peste populante plagas, quæ bello ingrauescente gemunt. Est enim belli germana lues; etenim dum corpora occisa iacent & inhumana putrent, hinc aer inficitur, & noxium hunc spiritum ducentes homines enecantur. Illa bina sibi mala sociata, fames excipit: sublatis enim agricolis bello, & peste, terra spinis & tribulis hirsuta negat pastum, quem inculta nequit effundere, nulla prius semente impregnata cibis idonea. Quàm sit societas hæc implexa mali omnimodi, hæc tempora iniqua probant, & obstringunt vt ex Scriptura sacra duris angustiis istis remedia congrua, & salutaria pharmaca conquiramus. Nullum plagis hisce magis opportunum est remedium, quàm illud olim vsurpatum à Rege Iuda Iosaphat, qui vt accepit coiuisse plures gentes, vt conscripto exercitu numeroso totam Palæstinam inuaderent, quam infestabant armis, quibus erat impar Rex Iosaphat; ipse nihilo segnior effectus tempestiuè sibi & populo consuluit, sacrâ sicut Scripturâ liquet. Vt eius exemplo malis nostris eamus obuiam ne gliscant, & nos in extremum discrimen adducant, opera pretium est hoc salutare Regis consilium ex sacro codice recensere. Ecce rei gestæ seriem. Venerunt nuntij, & indicauerunt Iosaphat dicentes: Venit contra te multitudo magna, de his locis, quæ trans mare sunt,

Flagella Dei plerumque simul sunt.

&

& de Syria, & ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi. Iosaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda. Congregatusque est Iudas ad deprecandum Dominum, sed & omnes de vrbibus suis venerunt ad obsecrandum eum. Cúmque stetisset Iosaphat in medio cœtu Iuda, & Ierusalem, in domo Domini ante atrium nouum, ait: Domine Deus patrum nostrorum, &c. Si irruerint super nos mala, gladius iudicij, pestilentia & fames stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua inuocatum est nomen tuum, & clamabimus ad te in tribulationibus nostris & exaudies, saluosque facies. *Summa precum fuit vt Deus hostium iamiam instantium vires frangeret, concessamque plagam illam Palæstinæ totam Hebræo populo conseruaret. Non cassa fuere vota, Deo largiente plura, quam peterent. Æmulemur & nos industriam populi huius afflicti, animo contrito sacras adeamus ædes publicas indictis eo intento supplicationibus. Sed vt nostra accepta Deo sint vota, prius illa Deiparæ Virgini commendemus.* Aue Maria. 2. Paral. 20.

INesse duos motus oppositos appetitui, res est comperta, fide quotidianæ experientiæ. Voluntas quippe bono apprehenso sequax eò fertur; malo secus instante fugax ab eo procul abit. Voluntas dum accedit amat, dum recedit odit, & vterque motus Deo satore nobis insitus est, imò Deus vtrumque ciet motum; amorem namque boni sicut & odium mali iubet, quando bonæ & malæ species nostris oculis obuersantur. Etenim prima rudimenta, quibus est initiata salus nostra sunt hæc. *Declina a malo, & fac bonum.* Psalm. 36. Iustitia quippe tota vertitur in hoc duplici cardine. Obstetricem agit Deus, vt voluntas nostra duos motus illos exerat: vt nimirum accendatur amor boni iniuncti, id est, virtutis omnigenæ; Deus seipsum bonorum omnium summam in præmium exponit, vt voluntas illecta Dei pollicitis, ei imperanti citiùs obsequatur. Et quia species ementita boni stipat voluptates, Deus in vilia voluptatum mancipia flagris acriter incussis aliquando sæuit, vt oculi, quos decepit species adulterina boni, deposito errore malum agnoscant, & eo innotescente mutet affectum voluntas edocta malas esse voluptates, esto suis illecebris sensibus arrideant: flagella nempe visum acuunt, cui deliciæ obscœnæ suam caliginem turpiter offuderunt. Itaque intorta nobis hæc flagella petunt ab afflictis odium mali, quod habitu peregrino crediderc bonum: sicut enim deliciæ omnes conciliant sibi sensus, in omnia corpori amica pronos; ita delusus homo dat incautè manus voluptati, quæ suadet esse bonum illud, vnde caro suauiter afficitur. Vt ergo malas esse voluptates homines ediscant, Deus in eos malè sibi conscios animaduertit, quia voluptati nimium indulserunt. Vt est conscientia propheta verax, Deo flagellis castigante, manum eius vltricem agnoscit statim, & refundit in crimina perpetrata, suas omnes angustias, & pertæsa vitam noxiam, quæ hæc dura sibi sciuit flagella, supplex aris aduoluta Numen orat, vt obliuione terat omne nefas retroactum, oppignerando fidem suam pro sanctiore vita in posterum ineunda.

Flagella homines erudire patet exemplo obsessæ ciuitatis Bethuliæ, quæ vt præsensit castra feri Holofernis, ingenuè est confessa, sibi hæc imminere mala, quia deliquerat. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes: Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Tu quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te.* Judith. 7. Et quia pœnitentia sarta tecta pœnas adserscit, ne pœnitens videatur imponere, Bethulienses ieiuniis atque ciliciis confessa sua scelera castigarunt. *Prostrauerunt se super terram mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes.* Ibidem. Imò ante hostis accessum. *Clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus, ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare operuerunt cilicio.* Cap. 4. Cinis, cilicium, lacrymæ, & ieiunia arcta clamant, pœnitentiam, quam egere ciues Bethuliæ, fuisse suis omnibus numeris absolutam. Rursus illa tota sensibus ingrata supellex pœnitentiæ assumpta Deo flagellante probat, cælitus irrogata mala, luem scilicet, atque famem, & bellum conducere ad detestanda vitæ iniquæ piacula, quamuis inundante flagello Dei non desint homines, qui in peiora ruunt facinora: quippe Deus corripiens hîc homines hoc intendit, videlicet vt ab insolito vitæ nequam genere conuertantur.

Hoc itaque erit argumentum istius homiliæ. Dicam primò, flagella Dei infligi pro communi omnium salute, licet aliqui deuient ab hoc fine. Secundò explicabo quibusnam processionibus, & cautelis declinare queant homines omnia acerba mala sibi desuper intentata.

Pars Prima Homiliæ.

Deus incutiendo flagella, bonum & salutem hominum omnium intendit & procurat.

§. I.

Ex Theologiâ, SS. Patribus, Historia, et Symbolis.

PHilosophiæ rudimenta sonant, effectum assimilari suæ causæ; siquidem causa suum exerens effectum, illi suam inurit effigiem, saltem quantùm ille potest capere effectus. Et esto vilis sit effectus comparatione suæ causæ; tamen in illo micat semper aliqua scintilla lucis, vnde foras prodiit: & sic coniector industrius & peritus, effectu quolibet inspecto, citò causæ illius ingenium & naturam callidus auguratur. Cùm ergo Deus sit causa rerum omnium, quæ emergunt, operæpretium est vbique assignare duo, quæ præcipuè Psaltes in Deo commemorat, Misericordiam scilicet, & iudicium. *Misericordiam* (inquit) *& iudicium cantabo tibi Domine.* Psalm. 110. Misericordiam infert Angelicus Doctor ex eo, quòd res eductæ de nihilo, Deum misericordem esse probant; quippe nihil miseria magna est, vnde Deus eripuit omnia, quæ condidit, eis gradum entis aliquem affingendo. Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 21. art. 4. Iustitiam verò Dei Doctor idem colligit ex passionibus cuiusque entis: etenim ab vnoquoque ente fluunt omnia, quæ conducunt ad perfectionem eius, ita vt querelarum nulli omnino rei ansa detur. Ego aliunde venor iustitiam, & misericordiam Dei, & vtramque dico in

flagellis ab eo inflictis, ipso Sole licet pellucido clarius emicare.

Iustitia & misericordia sunt in omnibus operibus Dei. *Psalm. 144.*

Itaque bimembris erit hæc pars, iuxta duo attributa Dei, quæ elucent in flagellis, peste, fame, & bello. Iustitia dum castigat acerbè, prodit se scelerum vltricem. Sed vt *Miserationes eius sunt super omnia opera eius*; ita magis elucet misericordia diuina flagris, quæ infligit: etenim anima castigata, sui compos effecta, malis corpori inustis, Deo cælitus influente, sua vitia detestatur. Itaque dum corpore afflicto patet iustitia diuina necans carnem, ab ortu suo morti obnoxiam, flagella tamen dum ad pœnitentiam inducunt homines, eis maiora bona conciliant: nempe vita fugax præcisa Deo plectente scelus commissum, flagelli patienter excepti obsequio commutatur cum vita æterna, quia anima flagellata mores suos adiuta Dei gratia reformauit.

Flagella Dei conducunt ad salutem animæ.

Iustitiam ergo Dei in flagellis ostendamus, & demum probabimus, illa mala omnia aspera, quæ quandoque premunt homines, esse Dei gratias, atque dona, quorum beneficio consulitur hominibus, qui citra Dei flagella forent deteriores gliscente malo, cuius intuitu eos defunctos censura diuina flagris æternis, vnà cum diabolo manciparet. Hæc est iustitiæ summa, Reddere cuique suum, bona bonis, mala malis. Vnde scitè fatus olim Publius. *Bonis nocet, qui malis parcit.* Iudex ergo prudens, & Rex amans æqui, singulos quosque suis cancellis sic concludet, vt supplicia congrua irrogata malos coërceant, bonis verò, & de Republica benè meritis condigna præmia decernantur. Cùm igitur sit in confesso, Deum esse primam iustitiæ normam, quam qui participat ille nomen habet iusti, & equidem iustè, quia ad amussim essentialis iustitiæ se componit; necesse fuit, vt flagella malis incuteret, ne reprobi impunita fore sua crimina crederent, aut saltem de iustitia diuina velut dubia disputarent.

Iustitia diuina reprobis est dubia. *Iob 21.*

Esset nec ne ambigua Dei iustitia, ille petit, quem Iob introducit ita fatum. *Vt quid impij viuunt, diuitiisque veterascunt?* Dubium hoc etiam anxisse viros sanctos, ex Dauide liquet confesso suum animum in iustitia diuina, quasi facta sibi dubia titubantem. *Penè* (inquit) *effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum: in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Eò vergit & quæsitum Ieremiæ. *Quare via impiorum prosperatur?* Chrysostomus ait præfatos hosce viros sanctos dubitasse quidem non de iustitia, sed de modo, quo tenorem illa suum seruat in hac impiorum cum bonis huius sæculi varia contextura. *Ambigebant* (inquit) *isti, sed non accusabant Deum, aut eius iustitiam taxabant. Sed alius quidem aiebat: Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa. De alio etiam, cùm tanta passus esset, scriptum est: Nihil stultum contra Deum locutus est. Idipsum quoque Ieremias prouidens dixit: Iustus quidem tu es Domine, hoc est, Scio à te omnia fieri iustè, modum autem ignoro, quo fiunt.*

Psalm. 72.

Ierem 12.

Ex SS. PATRIBVS.

Chrys. lib. de pro. Dei. Psalm. 35.

Comperta Dei iustitia sæuientibus vsquequaque flagris, nutantes animos non confirmat adæquatè; quia Deus esto plagis animaduertat in peccantes, impunè tamen plures agunt in omne nefas proni, dissimulante Deo plectere delinquentes. Et ex aduerso boni viuunt ingloriè; quasi verò Deus sit inscius actionum, & virtutum, quas tota vitæ contextura pij omnes eius aura suauiter afflati fortiter exantlarunt. Ancipites animos erigit industriè Chrysostomus. Hoc contextu. *Deus nostra omnia non vno modo solitus est disponere; sed cùm sit misericors, ac potentia affluens, plures nobis salutis vias scindit. Cùm itaque plures sint, qui futuri iudicij rationem admittere pertinaciter renuant, velut in tabula iudicij futuri imaginem ostendit, cum punit malos, bonosque remunerat: si enim in his hic omnino puniretur malus, vndique honoraretur bonus; plurimi ex his, quibus resurrectionis ratio impossibilis videtur, virtutem velut malorum causam aspernarentur, ac fugerent, vitium verò velut bonorum lucorumque omnium causam sequerentur. Si rursum hic iuxta merita singuli reciperent, superfluam iam falsamque existimassent resurrectionis rationem. Ne ergo ingens vulgarisque turba, ex contemptu deterior fieret, nonnullos hic peccatores vlciscitur, & quosdam pro rectè factis in oculis omnium præmiat, vt ex eo quòd non id omnibus facit, resurrectionis afferat fidem; ex eo verò, quod ante iudicium quoque malos aliquos supplicio afficit, profundissimo quasi somno sepultos excitet. Nam & malorum quidem punitione, plurimi timore corriguntur, ne patiantur eadem. Ex eo autem, quod non omnibus pro merito hic retribuitur, cogitare compelluntur, huiusmodi præmia in aliud tempus esse reseruata. Nunquam enim profectò cùm iustus sit Deus tot sperneret, siue malos impunitos ex vita migrare, siue bonos hic innumeris incommodis & cruciatibus affici, si non vtrisque varia in futuro sæculo præmia pro meritis præpararet.*

Iustitia diuina quare quosdam puniat in hoc sæculo.

Chrys. vbi supra.

Boni in hoc sæculo cur præmientur.

Reprobi quare in hoc sæculo affligantur.

Boni omnes quare non in hac vita præmientur.

Reprobi omnes quare non puniantur in hac vita.

Luculenta sanè ratio est hæc Chrysostomi, & apta satisfacere dubiis hominibus, quos impiorum secunda fortuna malè afficit erga Deum, vt vindicta secus excepta cogit Deum vt par est atque decet omnia moderari. Claudianus in his aliquando fuit, vt hac eius ingenua confessione liquet.

Claud. l. in Ruffin.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annique meatus,
Et lucis, noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci.
Qui variam Phœben alieno iusserit igne
Compleri, Solemque suo, porrexerit vndis
Litora, tellurem medio librauerit axe.
Sed cùm res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Relligio: causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortunâ, non arte regi, quæ Numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia veri.
Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
Absoluitque Deos.

Prouidentia Dei se in malorum punitione prodit.

Ciceronem etiam in varia deliria traxit magna Dei in castigando mora, vt & multiplex ærumna pios quosque discrucians. *Telamon* (inquit) *vno versu totum locum conficit, vtrum Dij homines negligant. Nam si curent, benè bonis sit, malè malis; quod nunc abest. Debebant*

Cicer. l. 1. de natura deor.

illi

Boni viri multi malè perierunt apud Gentiles.

illi quidem omnes bonos efficere, siquidem hominum generi consulebant: sin id minus, bonis certè consulere debebant. Cur igitur duo Scipiones fortissimos, & optimos viros in Hispania Pœnus oppressit: cur Maximus extulit filium Consularem? cur Marcellum Hannibal interemit? cur Paulum Cannæ sustulerunt? cur Pœnorum crudelitati Reguli corpus est præbitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed hæc vetera, & alia permulta propiora videamus. Cur avunculus meus, vir innocentissimus, idemque doctissimus, P. Rutilius, in exilio est? cur sodalis meus interfectus domi suæ Drusus? cur temperantiæ prudentiæque specimen ante simulacrum Vestæ Pontifex Maximus est Q. Scæuola trucidatus? Cur etiam antè tot ciuitatis principes à Cinna interempti? cur etiam omnium perfidiosissimus C. Marius tam feliciter septimum Consul domi suæ senex est mortuus? Anaxarchum Democriteum à Cyprio tyranno excarnificatum legimus. Zenonem Eleatem in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari soleo, Platonem legens. Videsne igitur, Deorum iudicio, si viderent res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tamdiu viueret.

Prouidentiam Dei quare quidam negarent.

Ne ergo detur ansa dubitandi, an Deo inconsulto bona & mala alternent impetu fortuito, quandoque Deus irascitur, & gladium stringit in homines, qui suæ salutis incurij indulgentes genio pessimè deliquerunt. Etenim in hominum nequam crimina repetita crebrò sunt refundenda mala, quibus opprimimur, & id iuxta Vatis oraculum. *Secundum magnitudinem operis, & visitatio eorum.* In eas iniqui sæculi fæces incidimus, vt fas sit affirmare, nostro ferè omnium vitio deplorata quondam à beato Saluiano fœda nimis tempora recurrisse. Vnde Deus vt est sibi constans nos increpat, & castigat sicut olim populum, qui ad idola diffluxerat. *Non parcet oculus meus* (inquit) *super te, & non miserebor, sed vias tuas ponam super te.* Quia flagella crepant, & hæc vrbs abundè plagis sauciata gemit, operæpretium est vindicare Deum ab omni iniustitiæ nota, & id describendo mores hominum, quos lacessit ira Dei, coacta in hæc nefanda capita desæuire. Hoc præstabo sequens Saluianum, eadem censura notans hoc sæculum, qua suum ille nobis exposuit. Prima mali labes est charitas extincta. Etenim omnes à se etsi loco non absunt, affectu absunt. Quis se proximis suis proximum reddit? quis hoc est animo, quo vocatur? quis tam propinquus corde, quàm sanguine, cuius non sensum liuor inuasit? cui non prosperitas aliena supplicium est? quis non bonum alterius, malum suum credit? Parum alicui est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix. In hoc res est deuoluta scelus, vt nisi quis malus fuerit, saluus esse non possit à virulento dente detractoris, cuiusque boni viri vitam impiè depascente.

Isai. 15.

Ezech. 7.

Salu. l. 5. de prouid.

Mundi vitia describuntur.

Mundi status egregiè lineatur.

Omnium hominum inductione facta gliscit vsquequaque scelus, & sese in omnium sortes insinuat. Pauperculos homines, ditiorum immania tributa premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortium, nec alia causa est, quod sustinere non possunt, nisi quia maior est miserorum sarcina, quàm facultas. Solutionem sustinent diuitum, & indigentiam egenæ plebis, sub importuno nimis onere fatiscentis. Querulus hoc æuo diues sub exacto tributo gemit, nescius se pauperem fore, quia crudelis & inhumanus excepta diu vsura gazas aliàs expilauit. *Quid est aliud dignitas hodie multorum* (inquit Saluianus) *sublimium, quàm proscriptio ciuitatum, aut quid aliud quorumdam præfectura, quàm præda. Nulla maior pauperculorum depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione satietur. Reddunt miseri dignitatum pretia, quas non emunt, commercia nesciunt, & solutionem sciunt, vt pauci illustrentur, mundus euertitur; vnius honor, orbis excidium est.* Rursus ille gemit eos, qui dedere nomen suum religioni, veste tenus esse tales, & referre mores hominum impiorum. *Multi* (inquit) *sub specie religionis vitiis sæcularibus mancipati, qui scilicet post veterum flagitiorum probrosa crimina titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conuersatione alij, sed professione tantùm, nomen demutauere, non vitam, & summam diuini cultus habitum magis quàm actum existimantes, vestem tantùm exuere non mentem. Nam taliter fermè omnia agunt, vt eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere, nec tam prius pœnituisse, quod malè vixerint, quàm postea, quod se promiserint benè victuros. Præposterum est, quod agunt. Non est conuersio, sed auersio.*

Salu. l. 4. de prouid. Magistratuū scelera.

Lib. 5. Religiosi discoli quales.

Si ad alios hominum status animo diuertimus, quid putas occursare nisi immane scelus, hominum ferè toto genere sauciato. *Quid est* (inquit ille) *vita negotiantium, quàm fraus atque periurium? quid curialium, quàm iniquitas? quid militantium, quàm rapina.* Vtinam hæc tempora, quæ nos decurrimus, & lugemus, ob sublata vitiorum repagula, cum illo detestando Saluiani sæculo minimè concordarent. Crimine ab vno disce labem quæ inficit hanc ætatem. Non peccare satis est in choreis, & cauponis, adhibentur adhuc Ecclesiæ consecratæ velut idoneus valde locus sceleri perpetrando. Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud quàm exacerbatrix Dei? Quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum: facilius inuenias reos malorum omnium, quàm non omnium. In hanc improbitatem morum propè omnis Ecclesiæ plebs redacta est, vt in cuncto populo Christiano genus quodammodo sit sanctitatis minus esse vitiosum. Nouum monstri genus eadem penè omnes iugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt, in ipsis penè hæc orationibus suis, ac supplicationibus moliuntur, & dum verbis mala præterita plangunt, sensu futura meditantur, ac sic oratio eorum rixa magis est criminum, quàm exoratrix. De oratione ipsa exeunt condemnati, & oratio eorum fit in peccatum, malorum quæ nos vndequaque premunt euidens incrementum.

Ecclesiæ à reprobis occupantur vt peccent.

Iniquitatis eò deuentum, vt omnes pudeat esse bonos, virtutum praxis vitio datur, & pietas ignobilem facit; statim atque pium quidpiam conscientia dictauerit, illud eliditur in semine, ne bono proposito pubescente, in benè culto solo animæ virtus adamata bonis actibus adolescat. Diceres etiam homines inuitos esse malos, ne viles habeantur à reprobis, quorum pars est tanta, quanta potest esse maxima: vnde verax est hoc Ioannis effatum. *Mundus totus in maligno positus*

Mūdus quare malus.

1. Ioan. c. 5.

positus est. Reuera malus est mundus, quia illic boni habere locum nequeunt. Vt infecta cloaca putet mundus; & inde assurgunt tot vapores, id est crimina, vt multa Deo præbeant mittendorum in nos fulminum argumenta. Quid miraris si cædimur, miseriæ nostræ, infirmitates, euersiones, & penè improbæ seruitutes, arguunt nos esse malos, iustum verò esse Deum probant. Nil mirum si deteriora quotidie patimur, qui deteriores quotidie sumus: quamlibet aspera, & aduersa patiamur, minora patimur, quàm meremur. Quid querimur, quòd durè nobiscum agit Deus, multo nos durius cum Deo agimus, vim facimus eius pietati, & misericordiæ; nam cùm iterum admittamus ea, quæ solicitauere Dei iram, vitio nostro noua tormina refricantur.

Vt est infinita Dei misericordia, ita procax & proterua hominum indoles obstare nequit, quin inter flagella Deus appareat misericors, atque pius; namque ferit ad instar industrij medici, qui corpori infirmo parat medelam, & salutem, ipso licet inuito, membra putrida resecando. Audi Chrysostomum ita fatum: *Tunc anima purgatur, cùm affligitur, tunc maiori fruitur auxilio, cùm ampliore eget subsidio, gratiámque meretur copiosiorem. Quin & ante præmia à Deo proposita, magna bona consequitur. Siquidem & fastum detrahit, ac socordiam omnem extirpat afflictio, & ad tolerantiam exercet, quàm sint viles res humanæ detegit. Etenim Hebræorum populus, cùm malis affligebatur, suspirabat, ac Deum precabatur, & magnum fauorem sibi cælitus conciliabat, cum verò incrassatus est, resiliit. Rursum Niniuitæ quando securitate fruebantur, ita Deum exacerbauerunt, vt minaretur totam se funditus euersurum ciuitatem; cùm verò humiliati sunt, plenam demonstrarunt Philosophiam. Dauid quando suspiciendus erat, & admirabilis? Nonne quando tentationibus exercebatur. Absalon verò, nonne quandiu patrem fugeret, moderatè se gerebat. Vbi autem reuersus est, tyranni animum induit, ac parricida factus est. Porro quid Iob? Hic quidem clarus extra afflictionem fuit, clarior tamen post afflictionem extitit.* Profectò Deus ita nobis consulit his flagellis, vt etiam occidendo, vitam intendat, gratiam videlicet, qua anima instructa, vitæ æternæ conscia est. Illud orat Vates. *Sanctifica eos in die occisionis.* In quem locum ita commentatur Origenes. *Tormenta sanctificationem vocat eorum, qui torquentur.* Vt medicina sana dicitur, quia sanos efficit homines; ita malum pœnæ, quia sanctificat homines, qui eo malo sibi consulunt, sanctificatio congruè nuncupatur.

Chrys. hom. 26. in epist. 1. Cor. 1.

Flagella Dei nos meliores efficiunt.

Tribulatio sanctificat.

Ierem. 12.

EX HISTORIA. *Hier. ep. ad Marcell.* Marcella fit sanctior ærumnis.

Hieronymus in eo argumento refert historiam & hanc opportunam, fœminæ videlicet, quæ aliàs stipata fuit honoribus primis huius sæculi, quos vt abiecit, sanctioris instituti causâ, vitam egit in ærumnis equidem acerbis; sed eas ita suæ saluti aptauit componendo se totam ad nutum Dei affligentis, vt duras angustias effecerit instrumenta inclytæ sanctitatis. Hanc heroinam vir præfatus adhortatur vt æquo sit animo castigata Dei manu, quæ feriendo sanat. Sic ille: *Non ignoramus, venerabilis soror, tuam præteritam in sæculo gloriam. Nam etiam vidimus te in tempore illo, quo domum tuam regalis affinitas ambiebat, eminentem in his honoribus, qui destruuntur: quia & ipsi quoque à Deo altissimo tribuuntur. Attamen caduci, & fragiles sunt, cuius figura vt vmbra præterit. Vnde impensius admiramur gratiam, quæ tibi data est, & magnificamus in te Dominum, qui te in laboribus hominum posuit, & salutifero paternæ pietatis verbere visitauit, vt in paucis vexatam, in multis benè disponeret, teste Apostolo: In hoc mundo corripimur, ne cum hoc mundo damnemur: Quem diligit Dominus, corripit, & flagellat; castigat autem omnem filium, quem recipit. Vnde Apostolus potens fit in infirmitatibus suis. Vnde raptus in tertium cælum, ne magnitudine reuelationum extolleretur, Domini gubernatum moderamine, refert appositum Angelo Satanæ in stimulum carnis suæ, id est, in tribulatione corporea, vt deprimeretur salubriter, ne inflaretur inaniter. Confidens esto, filia, sicut esse cœpisti, & gloriare in præteritis passionibus tuis. Itaque cuncta, quæ passa es, sicut intelligis vulnera quidem corporis tui, sed & remedia animæ fuerunt. Tibi donatum est, non indurari pia castigatione, sed corrigi.* Hactenus ille.

Flagella malos faciunt deteriores.

Vtinam, & hæc quæ patimur flagella Dei suum in nos sortirentur intentum, & inde foret cautior vnusquisque, vnde flagris à corripiente Deo rerum Domino castigatur. Ast omnino secus est; nam flagella gratis tundunt nos, quorum malitia callum obduxit. Iumenta, & pecudes sectione curantur; statimque vbi aut cremata, aut dissecta fuerint, vitiatorum corporum labes in locum demortuæ carnis viua succedit: nos vrimur, & secamur; sed nec ferri sectione, nec cauteriorum adustione sanamur: imò quod est grauius, ipsa medicina malum exasperat, dum flagellati ad peccandum homines inualescunt. Sicut in sentinam profundæ nauis colluuiones omnium sordium; sic in mores nostros, vt in nequitiæ voraginem fluxere vitia omnia, & cùm febris incendio & belli face corpora reproborum exarserint, haudquaquam sanata sunt vitia peccantium.

Carthago flagellis Dei facta peior. *Saluian. l. 6. de prouid.*

Scaturigo mali omnimodi ciuitas est, plena quidem turbis, sed magis turpitudinibus; plena diuitiis, sed magis vitiis; certatim & conglobatim homines in peccata ruunt, alios videas rubere vino nimio epoto, alios de abdomine tantum solicitos. Quid inde? cædes, blasphemiæ, periuria, conuicia, & pro colophone mali, omnes luxuriæ facibus inardescunt. Horremus ignauiam Carthaginis, quæ deterior est facta flagris impetita. Irruebant in muros eius Barbari, Saluiano auctore, & Carthago tota insaniebat in Circis, luxuriabat in theatris; alij foris iugulabantur, alij intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiua hominum, pars intus captiua vitiorum; fragor extra muros, & intra muros præliorum, & ludicrorum; confundebatur vox morientium, voxque bacchantium. Et cùm hæc omnia fierent, quid aliud talis agebat populus, nisi vt cùm Deus eum perdere adhuc fortasse nollet, ipse Deo vim inferret, vt extorto fulmine pessum iret.

O Vrbs N. hodie afflicta, ne Carthaginem carpas; mutato nomine de te fabula narratur. Iam dudum inundante Dei flagello ruis, nec omnino curas malorum adhuc instantium, & peiorum ansam eruere, crimina videlicet, quæ quotidie refricata Deum vrgent, vt gliscente malo, dura manus eius armata flagris in perniciem nostram,

nostram, duriùs ingrauescat. Corruêre mores nostri, nec vlla nos surgendi solicitudo premit. Perimus antequam pereamus. Adeò cæca caligine cæcutimus, vt cùm nullus perire velit, nemo tamen agat ne pereat. Totum incuria, totum vecordia, si quid in hac vrbe viget, illud omne malum est, cuius summa sopor est, & incuria remedij, iuxta sacri codicis hanc censuram. *Sopor Domini irruerat super eos.* Sopor quidem à vitiis infunditur, vt perditio subsequatur. Quid tam perditi luxus est, quàm in luctu res desiderare luxuriæ, aut quid amentius, quàm in malis esse, nec animo refricare mali labem, quæ inquinat. Parum est pestem sustulisse natos, charos, atque ciues, & belli incendio conflagrasse domos; sed in hoc vniuerso rerum excidio, in iacturam mentis incurrisse, ita vt de salute æterna nemo recogitet, illud reuera malum est tale, vt nesciat incrementum. O vrbs N. attrita flagris, memor esto croci, & ab herba disce tibi parare remedium contra malum imminens. Crocus ideo pedibus calcatur, vt vegetior assurgat, vnde fuit herbæ illi lemma hoc inscriptum. PVLCHRIOR ATTRITA RESVRGO. O ciuitas indurata malis, grauiora caue, videlicet animæ iacturam indubiam, nisi PVLCHRIOR ATTRITA RESVRGAS, & cultiore morum disciplina malum æternum effugias, ita tibi prouidè consulendo.

1. Reg. 26.

Ex Symbolis. Ferrus p. 2. Theat.

Faxit Deus, ne hoc scomma tibi quadret, quo Salomon configit impios de sua salute prorsus incurios. *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius.* Gregorius ita suum stylum acuit in hos, quos non cautiores efficiunt flagella Dei. *Contra hos* (inquit) *Propheta Domino conqueritur, dicens: Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Hinc est, quòd Dominus dicit: Interfeci, & perdidi populum istum, & tamen à viis suis non sunt reuersi. Hinc rursum ait: Populus non est reuersus ad percutientem se. Hinc voce flagellantium Propheta Ieremias conqueritur dicens: Curauimus Babylonem, & non est sanata. Babylon quippe curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur, quando mens in praua actione confusa, verba correctionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redire contemnit. Hinc captiuo populo Israelitico, nec tamen ab iniquitate conuerso, Dominus exprobrat dicens: Versa est mihi domus Israël in scoriam; omnes isti facti sunt mihi æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis. Ac si apertè dicat: Purgare eos per ignem tribulationis volui, & argentum illos vel aurum fieri quæsiui; sed in fornace mihi in æs, stannum, & ferrum, & plumbum versi sunt, quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt. Vnde alibi dicitur: Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. Ignem quippe nobis tribulationis admouet, vt in nobis rubiginem vitiorum purget. Sed nec per ignem rubiginem amittimus, quando & inter flagella vitio non caremus. Hinc Propheta iterum dicit: Frustra conflauit conflator; malitia autem eorum non sunt consumpta.* Hactenus Gregorius in nos inuectus, hocce Dei flagello factos minimè cautiores.

Prou. 27. — Greg. 3. part. pastoral. — Ierem. 5. — Ierem. 15. — Isai. 9. — Ierem. 31. — Ezech. 22. — Ezech. 24. — Ierem. 6.

Christiani de sua salute soliciti, fiunt post flagella Dei intorta cautiores.

§. II.

Ex SS. Patribvs, Historia, et Theologia.

Exoleuit, & damnata putet opinio Democriti, & Epicuri, qui imposuere suis sequacibus, affirmantes esse Deum incurium rerum humanarum, ac proinde casu omnia succedere. Illa Deo detrahit sententia detestanda, suos assertores agens in præceps, dum credunt mala sibi inflicta nihil conducere ad salutem, quia Numine inconsulto, plagis, iisque duris, in hoc sæculo cruciantur. Diluitur hoc commentum auctoritate primò sacræ Scripturæ, cuius hoc est oraculum. *Tu pater gubernas omnia prouidentia.* Item. *Sapientia attingit à fine vsque ad finem, disponens omnia suauiter.* Secundò ratione liquet illa Dei prouidentia. Nam cùm omne agens agat propter finem, tantùm porrigitur ordinatio effectuum ad finem, quantùm diffunditur causalitas Dei, qui est agens nobilissimum, nihil temerariò, & sine fine intento prodens in medium. Ergo cùm singula quæque Deum habeant vt auctorem, & causam; illa proculdubio à Deo dirigente suo fini præintento ab æterno, congruo prorsus medio coaptantur. Vnde, quia Deus vult omnes saluos fieri, & omnia Deo ordinante nobis accidant, est in confesso mala pœnæ irrogata viam sternere ad salutem; qualis namque finis est, talia sunt media. Inde piis quibusque patet hominibus patientiæ in aduersis locuples argumentum. Rursus omnia propter semetipsum condidit Altissimus; ergo debent omnia dirigi ad eum, vt in finem suum: quippe nihil omnino potest sese fini à Deo præstituto subducere. Ergo sicut mali de flagello inflicto sumunt ansam incidendi in iudicem punientem in æternum; ita boni de sua salute soliciti, in flagello castigante patrem agnoscent, & ad eum sese recipient, perpetrata crimina miserantem.

Prouidentia Dei probatur. — Sapient. 14. Sapient. 8. — Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 23. art. 2. — Patientiæ in aduersis habendæ ratio.

Quæ fortuita mala nobis sunt, & videntur esse casu, illa Deo ordinante cedunt in bonum eius, qui cæditur, aut aliorum, qui ex cæsi pœna sibi consulunt. Quàm sit hæc contextura rerum benè disposita, & quàm clarè Dei prouidentia se diffundat, & insinuet speculanti seriem rerum, quæ orbe toto fiunt, Seneca longè latéque probat hoc discursu, prouidentiam Dei ipso Sole clarius adstruente. *Superuacuum* (inquit) *est ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum cursum fortuiti impetus esse, & quæ casus incitat, sæpe turbari, & citò arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terrâ marique gestantem, tantum clarissimorum luminum, & ex dispositione lucentium? non esse materiæ errantis ordinem hunc: neque, quæ temerè coierunt tanta arte pendere, vt terrarum pondus grauissimum sedeat immotum, & circa se properantis cæli fugam spectet: vt infusa vallibus maria molliant terras, nec vllum incrementum fluminibus sentiant: vt ex minimis seminibus nascantur ingentia. Ne illa quidem, quæ videntur confusa, & incerta, pluuias dico,*

Senec. l. quare bonis viris mala accidant. — Prouidentiæ Dei exempla multa in natura.

nubesque, & elisorum fulminum iactus, & incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, & alia, quæ tumultuosa pars rerum circa terras mouet, sine ratione, quamuis subita sint accidunt: sed suas, & illa causas habent non minus, quam quæ alienis locis conspecta miraculo sunt, vt in mediis fluctibus calentes aquæ, & noua insularum in vasto exilientium mari spatia. Iam verò si quis obseruauerit nudari littora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet cæca quadam volutatione modo contrahi vndas, & introrsum agi, modo erumpere, & magno cursu repetere sedem suam, cùm illæ interim portionibus crescunt, & ad horam, ac diem subeunt ampliores, minoresque, prout illas lunare sidus elicuit, ad cuius arbitrium Oceanus exundat, suo ista tempori reseruentur.

Illa Dei prouidentia, quæ se in præfata rerum plurimarum recensione prodit, haudquaquam in hominum moderatione vacat; imò magis elucet in humanis, quia vt homines editi sunt in gloriæ æternæ adipiscendæ finem, ita Deus quidquid hominibus ingruit, accommodat illi fini, sicque verax est titulus præfixus huic sermoni, Christianos videlicet, de salute solicitos, post flagella Dei intorta fieri cautiores. Vt veritas ista liquidior eniteat, illam ista conclusione magis aperio, Christiani omnes aut boni sunt Deoque grati; aut secus vitiorum contagio infecti. Si boni sunt, profectò fient meliores in aduersis, frustra graui ærumna quatiente robur animi, quo maximè beatæ vigent illæ mentes. At contra nequam si sint homines in angustia positi, illo salutari rerum acerbarum igne vitia decoquuntur.

Itaque veritas ista biceps est astruenda modis omnibus, quæ possunt illi conciliare fidem. Auspicemur ab ærumnis, quæ quandoque bonis ingruunt. Res est scita sacro codice. *Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum.* Huic effato quadrat & illud: Omne receptum recipitur ad modum recipientis: Ergo bonos quando lacessit afflictio, illi inde virtutis incrementa sumunt, quia se quibusque duris aptant mente suæ conscia bonitatis. Vt omnia sana sanis; ita prodest sanctis quidquid in eos decernitur. Idcirco Ioannes audiit instante die extremo mundi, cùm deſæuiet Antichristus, flagella ab eo inflicta cessura benè bonis, quia pressuris ibunt in cumulos gratiæ, vt ex aduerso mali peiores afflictione fient; namque suppliciis tentata fide deficient, futuri transfugæ, & Christianæ militiæ desertores. Illud abundè patet hoc Angeli effato, signante diem iudicij, quo imminente omnia susque déque ruent: *Qui nocet* (inquit) *noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Quasi diceret: Ingrauescente malo pœnæ, deteriores inde fient mali; at ex aduerso gazæ iustorum gratiis intumescent.

Rom. 8.

Flagello bonos & malos afficiunt exitu inæquali.

Apoc. 22.

Ex SS. Patribvs.

Aug. enar. 2. in Psal. 31.

Conspirant omnes Sancti Patres in gratiam huius veritatis. Prior occurrit Augustinus agens causam iustorum, quos ait afflictione sibi inflicta ditescere; quippe valent pressuræ acceptæ patienter ad virtutum fœnora colligenda. Sic ille: *Diriges mansuetos in iudicio; mansuetos, non erigentes ceruices aduersus domitorem suum, patientes flagella, & frena, postea sic domiti, vt sine flagello ambulent, & sine freno & chamo viam teneant. Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit, quoniam misericordiam dabit, qui legem dedit, legem in flagellis, misericordiam in consolationibus, &c. Gloriamini omnes recti corde. Recti corde gloriantur in tribulationibus; nam non est magnum gloriari in gaudiis; rectus corde etiam gloriatur in tribulatione, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Cuicunque aliquid accidit, dicat: Dominus dedit, Dominus abstulit. Ecce rectum cor. Sicut Domino placuit, ita & factum est. Sit nomen Domini benedictum. Ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Nec te sine flagello speres futurum, nisi fortè cogites exheredari. Flagellat omnem filium. Vbi te volebas abscondere? Omnem, & nullus exceptus, nullus sine flagello erit.*

Flagellati iusti gloriantur.

Flagella non à diabolo procedunt, sed à Deo decernente. Flagella sunt vel ad pœnam, vel ad disciplinam.

Aiebat idem Augustinus, neminem debere sine pœnitentia decedere, esto sibi non esset malè conscius: Delicta enim quis intelligit. Item expedit cum tremore suæ saluti attendere; iudicia namque Dei, vt sunt inuia cognitioni nostræ, ita debent terrorem incutere; quia nulla licet peccata nobis inesse probabilis insideat opinio, fortè malum aliquale latet, quod ne ærumnis æternis afficiat, est flagellis congruis expiandum. Rursus, anima defæcata licet non sit indiga pœnitentiæ, quando plagis atteritur, & illas æquo sustinet animo; illa sibi gloriæ magnum pondus appendit, & magno velut prodigio duo pugnantia & aduersa sibi coire facit: quippe metit ex bello pacem, ex morte vitam, ex iniuriis atque conuiciis immortale decus, delicias ex acerbis, & ex inglorio vinculo libertatem.

Pœnitentia etiam à iustis frequentanda.

Flagella quare æquo sunt animo excipienda.

In hoc campo latè spatiatur ærumnarum amans Chrysostomus, dum expendit has sonoras Pauli voces. *Ego Paulus vinctus Christi.* Paulum ait vinculorum obsequio consciuisse sibi maiorem gloriam, quàm ex raptu suo ad tertium cælum, aut ab Apostoli dignitate, plerisque aliis eminente. *Vinctus* (inquit) *Christi. Nam nihil ita splendidum, vt esse vinctum propter Christum. Illustrius est vinctum esse propter Christum, quàm siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse. Si quis diligit Christum, is nouit, quid sit quod dico. Hic itaque prius habebit optione data, vincula ferre propter Christum, quàm cælos inhabitare. Quouis auro splendidiores, quouis diademate regali illustriores manus has illis ostendit. Non enim caput ita splendidum reddit imposita corona, margaritis conspicua, vt catena ferrea, quæ propter Christum fertur. Etiamsi nullam mercedem haberet res ista; hoc tamen solum magnum est premium, hoc multa retributio, quod ista mala propter dilectum feruntur. Hæc sciebant, qui reuertebantur gaudentes à conspectu concilij, eò quòd digni habiti sint pro nomine Iesu contumeliam pati. Quod si quis mihi vniuersi cæli, vel huius catenæ copiam, & optionem daturus esset; catenam hanc ego planè elegissem. Deinde si aut cum Angelis mihi standum esset sursum, aut cum Paulo vincto; carcerem vtique praeoptassem. Ad hæc si quis me, aut in numerum, & ordinem cælestium potestatum, aut talem ligatum fecisset; talis vtique ligatus esse voluissem.*

Ephes. 4.

Chrys ser. 8. in epist. ad Ephes.

Vincula pro Christo, quàm sint gloriosa.

Non

Vinculorum Pauli encomia.

Non ita beatum dico Paulum, quòd in Paradisum raptus, atque quòd in carcerem coniectus est. Non ita beatum æstimo, quia verba audiuit ineffabilia, atque quod vincula sustinuit. Non ob id adeò beatum illum prædico, quòd in tertium cælum raptus sit, atque propter vincula. Quod enim ista reliquis sint maiora, audi eum ipsum quomodo glorietur: Neque enim dicit, Hortor vos ego, qui ineffabilia verba audiui, sed hortor vos ego vinctus in Domino.

Itaque si occurrit aliquando pati pro Christo, vt quando Catholicos hæretici perduelles rebellando petunt, & diuexant, obuersetur animo elegans illa beati Chrysostomi meditatio. Dum namque furunt impij, & singulos quosque bonos malè habent; illi esto boni sint, quandoque cadunt animo, quia flagella vidět non reprobos tantùm, & homines flocci, sed & etiam Sanctorum innoxia corpora verberare. Reuera fuit æquus æstimator ærumnarum, quas sæpe piis hominibus Christi causâ mali suscitant: vt par est magni fecit eas Chrysostomus, reputando decus & gloriam omne malum, quod in odium Christi siue religionis orthodoxæ contra bonos & fideles à reprobis eorum æmulis excitatur. Tunc etenim sunt veneranda mali pro Christo inflicti instrumenta, quibus conciliatur honos tantus, quantus esse potest maximus. Illæ nimirum pœnæ, & pro Christo plagæ susceptæ sunt tituli potiores, in quorum gratiam gloria æterna cedit eis, quos durius excipiunt illa irrogata mala, Dei ergò, quæ sunt proinde habenda sicut infulæ dignitatum.

Chrys. vbi supra.
Vincula pro Christo res inanimæ venerantur.

Audiendus iterum Chrysostomus. *Admiraris* (inquit) *Paulum tum potissimum, quando nihil illi, quæ manus adhæserat detrimenti adferebat vipera? Nil mireris; catenam quippe illam reuerebatur. Imò & vniuersum illum mare veneratum fuerat; nam tunc quoque vinctus erat. In Scripturis me non tantùm delectat miracula patrans, quantum malè affectus, flagellatus, ac miserabiliter tractatus. Beati estis cùm vobis maledixerint homines dixit Christus. Quòd si malè propter Christum audire, adeò facit beatos; quid non faciet, etiam malè affici? Erat Petrus honoratus ista catena. Erat enim* (inquit) *vinctus, ac traditus militibus, & dormiebat; ita erat hilaris, ac nihil prorsus immutatur, & grauis illum habebat somnus. Dormiebat minima cura, ac solicitudine, eratque inter milites, & veniebat ad eum Angelus. Hic si mihi quisquam dixisset; elige vtrum velis: Vis esse Angelus Petrum soluens, an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem esse, propter quem & Angelus descendit, &c. Commotus est carcer vincto Paulo, solutaque sunt omnium vincula. Atqui non est ista vinculorum natura, sed contraria: nimirum vinctum in munitione & cautione detinendi, non illi ianuas carceris laxandi. Verum quorumuis simpliciter vinculorum non est natura; est autem eorum, quæ Christi nomine feruntur. Procidit ad pedes Pauli, & Silæ custos carceris: at neque illud faciunt vincula quæuis, quæ non eos, qui ligauerant, ante pedes ligatorum, sed è contrario ligatos istis subiiciunt.* Cœpere plures immania tormenta pati pro Christo, qui turpiter à fide Christiana defecere, quia pro Christo malè affici gloriosum esse, suo animo iam nutante minimè reuoluerunt.

Matth. 5.

Act. 12.
Vincula pro Christo recreant.

Act. 16.

Vincula pro Christo soluunt vincula peccatorum.

Flagella bonos commendant.

Esto tarus hodie sit hostis, Christi causâ bonis imminens; non hoc tamen obstat, quin bella, lues, & dira fames æquè bonos atque malos acerbè cædant. Quid ergo rei, & quid opus? Nonne bonos pigebit esse bonos, quandoquidem gratiâ diuina gratis videatur eos afficere? Absit ab homine probo tale delirium: quippe mala omnis fortuna bonos impetendo probat, & quantùm possint omnia aduersa produnt, & constantiæ illorum æterna parant gloriæ inclytæ monumenta. Tantùm igitur abest, vt dum incurrunt in acerba probi viri, aliquid illis depereat, quinimò lucis & gloriæ maior cumulus eis accedit, ipso etiam Seneca Gentili auctore conscio, quem recensere libet, vt Christianis cùm aduersa premunt ignauis, & cunctantibus sese componere ad arbitrium Dei exercentis animas, inde pudor amplior offundatur.

Accipe effata viri, animo infracto quæque aspera decoquentis. *Inter bonos* (inquit) *viros, ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? imò etiam necessitudo, & similitudo: bonus Dei discipulus est, æmulatorque, & vera progenies, quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor; sicut seueri patres durius educat. Itaque cùm videris bonos viros acceptosque Deo laborare, sudare, per arduum ascendere; malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum preparat.*

Amicitia est inter Deum, & bonos.
Senec. l. quare bonis viris mala accidant. c. 1.

Flagella probant filios Dei, & à malis discernunt.

O vocem homine Christiano dignam! videlicet, Deum præparare sibi angustiis & pressuris homines, quod quamuis Christiana fide quisque sciat; nemo tamen ambit ærumnarum obsequio Numini coaptari. Pergit Seneca. *Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Vt tot amnes, tantum supernè deiectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis fontium non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita aduersarum impetus rerum viri fortis non euertit animum. Manet in statu, & quicquid euenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, non sentit illa sed vincit, & alioquin quietus placidus contra incurrentia attollitur. Omnia aduersa exercitationes putat. Quis autem vir modo erectus ad honesta, non est laboris appetens iusti, & ad officia cum periculo promptus? Cui non industrio otium pœna est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimus quibusque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, vt totis contra ipsos viribus vtantur. Cædi se vexarique patiuntur, & si non inueniunt singulos pares, pluribus simul obiiciuntur. Marcet sine aduersario virtus. Tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit patientia ostendit. Sciat licet idem viris bonis esse faciendum, vt dura ne difficilia non reformident, nec de fato querantur. Quidquid accidit boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum feras interest. Non vides quantò aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt. At matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiter amat. Operibus, inquit, doloribus*

Idem cap. 2.

Fortitudo animi egregiè descripta.

Virtus aduersis rebus eruditur.

Virtus quomodo probetur.

Tribulatio est amoris Dei in nos euidens argumentum.

doloribus ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur.

Miror reuera sanam hanc doctrinam resonare stylo viri nescio nostræ disciplinæ, quos initiat, erudit etiam ad fortiter aspera omnia superanda. Nescit namque deses esse Christiana fides, odit inertes, & assueta rebus arduis audacter incurrit etiam in dæmonum ictus, secura Deum stare à partibus athletarum, qui dedere nomen suum religioni orthodoxæ, quæ acerbis alit eos, qui ipsius dogmata profitentur. Concors iterum occinit Seneca. *Languent per inertiam saginata: nec labore tantùm sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit: sed etiamsi ceciderit, de genu pugnat. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos esse, atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quantò id honestior fecit. Non sunt ista, quæ possunt Dei in se vultum conuertere, sed puerilia, & humana oblectamenta leuitatis. Ecce spectaculum Deo dignum ad quod respiciat intentus operi suo. Ecce par Deo dignum: Vir fortis cum mala fortuna compositus, vtique si & prouocauit. Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi. Non licuit enim illi se experiri. Malè Deus de illo iudicauit. Indignus visus est à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauissimum quemque refugit, quasi dicat: Quid ego istum mihi aduersarium assumam? statim arma submittet. Non opus est in illum tota potentia mea; leni comminatione pelletur: non potest sustinere meum vultum. Alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam iudicat gladiator, cum inferiore componi, & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna, fortissimos sibi pares quærit; quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque, & rectissimum aggreditur, aduersus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, nisi mala fortuna non inuenit.*

Sener. vbi supra.
Voluptas eneruat animos.
Prosperitas ignauos facit.
Prosperitas Dei subtrati indicium.
Fortitudinis animi exempla.
Flagella sanant animam.

Rem ille miram adiicit, & in schola Christiana natam: scilicet aduersa esse saluti amica. Scriptura sacra crebrò illud mentibus ingerit; ægrè tamen quisque capit illud consilium, naturâ bonis assuetâ, ab acerbis omnibus abhorrente. *Pro ipsis* (inquit) *est in exilium proiici, in egestatem deduci, liberos, coniugem efferre, ignominia affici, debilitari. Si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro, & igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaueris tecum, remedij causa quibusdam, & radi ossa, & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ sine totius pernicie corporis hærere non poterant; hoc quoque patieris tibi probari, quædam incommoda pro his esse, quibus accidunt: tam, quàm quæ laudantur, atque appetuntur, contra eos esse, quos delectauerunt, simillima cruditatibus, & ebrietatibus, & cæteris quæ necant per voluptatem.*

Senec. ib. c. 3.
Tribulatio est salutaris.

Ne hæc dixisse gratis, & ad fastum putes Senecam, suo exemplo ratum fecit, illatam iniustè necem fortiter oppetendo. Morte instante petens tabulas, vt hæredem conscriberet, passus est repulsam, iussus fato ad arbitrium suum sumpto mori: facultates vtique amplas iniquè sibi ereptas à tyranno eadem constantia illibata tulit, qua mortem tanto viro indignam turpiter irrogatam. Ideoque placet ad sugillandam Christianorum socordiam inducere Philosophum hunc gentilem patientiæ exempla nobis enarrantem, si fortè queat inde robur aliquod adiicere mentibus in ignauiam fractis, & animos erigere otio sordido collabentes.

Senecæ constantia in morte.
Corn. Tacit. l. 15. annal.

Ecce tibi viros fortes. Fortuna nihil Regulo nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt cutem claui, & quocunque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tantò plus erit gloriæ. Feliciorem ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & morosæ vxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lenè resonantium quæritur? Mero se licet sopiat, & aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat, tam vigilabit in pluma, quàm ille in cruce. Sed illi solatium est pro honesto dura tolerare, hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimia laborantem, magis his, quæ patitur, vexat causa patiendi.

Senec. vbi supra.
Reguli constantia.
Mæcenatis vita voluptuosa.

Malè tractatum Socratem iudicas, quòd illam potionem publicè mistam, non aliter quàm medicamentum immortalitatis obduxit, & de morte disputauit vsque ad ipsam. Malè cum illo actum est, quòd gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto venarum vigor constitit. Quantò magis huic inuidendum est, quàm illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, suspensam auro niuem diluit? Hi quidquid biberint remetientur tristes, & bilem suam regustantes. At ille venenum lætus, & libens hauriet. Prospera in plebem, ac vilia ingenia deueniunt. At calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est. Miserum te iudico, quia nunquam fuisti miser, transisti sine aduersario vitam. Nemo sciet quid potueris, ne tu quidem ipse: opus est enim ad notitiam sui experimento: quid quisque posset, nisi tentando non didicit. Itaque quidam vltrò se cessantibus malis obtulerunt, & virtuti ituræ in obscurum, occasionem, per quam enitesceret, quæsierunt.

Socratis constantia.
Prosperitas ignauis accidit.
Aduersa produnt quid simus.

Gaudent magni viri aliquando rebus aduersis, non aliter, quàm fortes milites bellis. Auida est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura sit, cogitat: quoniam & quod passura est, gloriæ pars est. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint, qui integri reuertuntur ex acie, magis spectatur, qui saucius redit. Ipsis Deus consulit, quos esse quàm honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè fortiterque faciendi. Calamitas virtutis occasio est. Illos meritò quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Quicquid illis inciderit, nouum veniet. Magis vrgent sæua inexpertos. Graue est teneræ ceruici iugum: ad suspicionem vulneris tiro pallescit: audacter veteranus cruorem

Virtutis quæ sit indoles.
Prosperitas miseros facit.

cruorem suum spectat, qui scit se sæpe vicisse post sanguinem. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. Erratis enim, si quem iudicatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio, quisquis videtur dimissus esse, dilatus est.

Aduersa quare bonis accidant.

Quare Deus optimum quemque, aut mala valetudine, aut luctu afficit. In castris quoque periculosa fortissimis imperantur. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco deiiciant. Nemo eorum, qui exeunt dicit: Malè de me Imperator meruit, sed, Benè iudicauit. Idem dicant, quicunque iubentur pati, timidis, ignauisque flebilia. Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantùm humana natura posset pati. Cùm omnia, quæ excesserunt modum, noceant; periculosissima felicitatis est intemperantia. Mouet cerebrum, in vanas mentem imagines euocat, multum inter falsum ac verum mediæ caliginis fundit.

Prosperitas quæ mala parit.

Hanc rationem Deus sequitur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquid tu inuisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem, publicè verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros, ac semianimes rogant perseuerent præbere vulnera vulneribus. Quid mirum generosos spiritus durè Deus tentat. Nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos, & lacerat fortuna, patiamur. Non est sæuitia, certamen est: quò sæpius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens vsus agitauit. Præbendi fortunæ sumus, vt contra ipsam ab ipsa duremur: paulatim nos sibi pares faciat. Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit.

Lacedæmonij quare suos cædunt pueros.

Boni viri laborant, impendunt, impenduntur, & volentes quidem, non trahuntur à fortuna, sequuntur illam, & æquat gradus, si scissent, anteissent. Ecce vocem Demetrij. *Hoc vnum, Dij immortales de vobis queri possum, quòd antè mihi voluntatem vestram notam non fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis? sumite. Non magnam rem promitto, citò totum relinquam. Vultis spiritum? Quidni? nullam moram faciam, quominus recipiatis, quod dedistis. A volente feretis quidquid petieritis. Quid ergo est? maluissem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuistis: sed ne nunc quidem aufertis, quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nil patior inuitus, nec seruio Deo, sed assentio.* Quale quæso robur Philosophus ille nobis explicuisset, si eo pollens, atque fidei mysteriorum conscius, ad hæc nostra flagris inflictis acerba tempora denenisset.

Resignationis exéplum mirabile. Demetrij resignatio apud Senecam lib. vbi supra.

Si lenimen quæris singulis quibusque malis, quæ sanctos etiam viros exercent: non erit abs re potens aliquod toxicum adhibere. En medelam. *Omnia mala Deus à bonis remouit, scelera, flagitia, & cogitationes improbas, & auida consilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam. Ipsos tuetur, ac vindicat. Nunquid hos quoque à Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum etiam sarcinas seruet. Remittunt ipsi hanc Deo curam, externa contemnunt. Democritus diuitias proiecit, onus illas bonæ mentis existimans. Quid ergo miraris, si id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando sibi vult accidere? Filios amittunt viri boni. Quidni, cùm aliquando & ipsi occidant? In exilium mittuntur. Quidni, cùm aliquando ipsi patriam non repetituri relinquant? Occiduntur. Quidni, cùm aliquando sibi ipsi manus inferant? Quare quædam dura patiuntur? vt etiam alios pati doceant. Nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere: Quid habetis, quòd de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi, & animos inanes velut longo fallacique somnio lusi. Auro illos, argento, & ebore ornaui: intus boni nihil est. Isti quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi nitent, & imponunt: cùm aliquid incidit, quod disturbet, ac detegat, tunc apparet quantùm alta, ac vera fœditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa mansura: quantò magis versaueritis, & vndique inspexeritis meliora, maioraque. Permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire. Non fulgetis extrinsecus, bona vestra introrsus obuersa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui lætus: intus omne bonum posuit. Non egere felicitate, felicitas vestra est. At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu, quia non poteram vos istis subducere, animos vestros aduersus omnia armaui: ferte fortiter. Contemnite paupertatem: nemo tam pauper viuit, quam natus est. Contemnite dolorem, aut soluetur, aut soluet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum dedi. Contemnite mortem, quæ vos aut finit, aut transfert.* Hæc Seneca suggerit opportunè, bonos omnes erudiens esse malis cùm accidunt fortiter occurrendum.

Senec. ibid. cap. 6.

Iusti q̃ũm hic mala patiuntur.

Diuites sunt vacui quo ad bona animæ & pleni sordibus.

Mundi felicitas fallax.

Virtutes sũt vera bona.

Religiosi felicitas.

Iam variant argumenta, quibus ad patientiam sunt inducendi homines, qui ob crimina perpetrata luunt. Quippe malos omnes exagitat illud, quod commisere malum, nec mens iniqua potest seipsam ferre, suum memorando scelus, quo tortore maris angitur, quàm flagellis: quippe mala, quæ lancinant animas malè sibi conscias, sunt grauiora plagis, quibus contusa corpora lacessiuntur. Quisquis ergo sibi hoc negotium indixit, aliquid solatij impertire viris impiis, quando Deus in eos durè animaduertit, ille parum proficiet ex præfatis à Seneca remediis, refricando bonos vsquequaque viros ali duris, & acerbis: namque malus & vitiis obnoxius animus scit planè Deum alia ratione bonis viris, & aliis vitiorum contagio infectis in hoc sæculo prouidere. Itaque statim atque Deus flagello exerto cædit feriendo malos, sunt eis refricanda mala, quibus consciuere sibi pœnas: inde fiet vt conscientia sauciata Deum satagat conciliare sibi more Persarum, qui Rege iubente flagris excepti, osculantur hæc flagella, quibus afflicti sunt, & in argumentum animi sese recipientis ad meliorem frugem, gratias agentes post verbera tortorum pedibus aduoluuntur.

Reprobi

1. Reg. 31.

Reprobi de sua salute prorsus incurij stimulo infixo recalcitrant, & fræno abiecto ruunt in præceps. Ita Saul exercitu suo fracto, Dei immemor, ipse sibi mortem consciuit, extremo suæ animæ detrimento, exerto suo vltori gladio nequiter incumbendo. Ita nequam ille latro, qui pendulus è cruce Deum potuit inflectere ad misericordiam; factus est pœnâ sibi iustè inflictâ deterior. Etenim dum tormenta virum hunc iniquum plecterent, ille nihilo melior effectus, in acerba Dei odia exarsit; & latro licet alter ex aduerso monita salutis ingereret, ille malis inflictis obduruit, & impœnitens fato cessit, impiè blasphemando.

Ex Historia. Theophan. in Maurit. an. 600.

Ast, vt præfixa sonant titulo verba, viri omnes de sua salute soliciti, cautiores post flagella intorta fiunt; agnoscunt enim in Dei manu castigante curam patris, qui vt oculo perspicaci filios suos aberrare videt à cæli tramite, inito vitiorum calle; eos fræno iniecto cogit iter virtutis arripere, & ne impunè fugam acceperint, reduces plectit, peste, fame, & bello, ita gehennæ æternæ illos supplicio modico subducendo. Mauritius Imperator morte fortiter oppetita litat isti veritati. Etenim vt grauiter ostenderat, permissâ Regi barbaro nece militum plurimorum, quos ære paruo potuit redimere; ita lubens excepit à iustitia diuina sibi pœnas inflictas: Ille nimirum à seruo suo Phoca rebellante captus exauthoratus est, & extremo supplicio affectus, visis antea constanter vxore sua fortè mali conscia, & innoxiis filiis obtruncatis.

Mauritij Imp. mors constans.

Agnouit ille Dei manum, ac proinde supplex eam adorans, ei se plectendum aptauit totum, nihil omnino sonans præter has voces: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Vtque sui animi ad arbitrium Dei compositi specimen egregium daret, noluit annuere consilio, quod ei suggessit in carcere nutrix eius filij, quem vltimum susceperat ex vxore. Nutrix illa sibi crudelis & impia, vt perhumana foret Mauritio, eum admonuit à Phoca peti filios omnes Mauritio ipso Imperatore satos, vt hoc regale genus totum extingueret, se verò paratam esse proprium filium ætate supparem sufficere filio Mauritij, vt eo cum filiis occiso, filius hic superstes alternante fortuna, rerum denuo potiretur.

Resignati animi magnum exemplum.

O animum constantem, & totum ad Dei nutum effictum? Noluit Imperator assensum præbere huic oblatæ sibi gratiæ. Peccaui, inquit, & multorum hominum strage perpetrata rubet mens mea malè sibi conscia, res est iniqua meum sanguine alieno scelus diluere. Propter me excitata est tempestas hæc, vt sedetur, illa, meum necesse est sanguinem fundi totum. Itaque nutrix alma, viuat filius tuus, vt ille meus, quem recondis, gladio vltore mei criminis immoletur. In Phoca desertore Deum agnosco vindicem, qui indulgere volens impio facinori digno malo æterno, ferit in hoc sæculo: Malè mihi consulerem, si detrectando malum istud breue subire, plagas alias eligerem infligendas in Inferno, vnde manus Dei propitia me reuocat hoc flagello, quod animo proinde grato excipio, salutare mihi hoc decretum Numinis adorando.

Ita suam salutem ille ratam fecit afflictus egregiè, quam dubiam effecerat in solio, vnde solo affixus est, abiecto necis genere sublatus è medio, futurus in cælo maior, quàm fuerat in solio, vbi quia rubiginem & sordes peccatorum contraxerat, fornaci accensæ Deus eum applicuit, vbi flamma repurgante rubigo detersa est, & gratia diuina redux hominis afflicti ærumnas æterno gaudio compensauit.

Vt argento eliso sonus inest acutior, & gratior, quàm sit plumbo, quod leui contusione cedit ictibus, & mollescit, nullo ferè sono edito, nisi obtuso, & ingrato; ita boni dum cæduntur, memores sunt peccatorum, & pertæsi vitæ retroactæ, voces edunt gratas, & sonoras, sicut ex Mauritio illo Imperatore liquet, qui malleo contusus acerbæ angustiæ, nullas omnino voces edidit, præter istas: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Sic moriendo Dei iustitiam voce nitida commendauit. Homines verò mali, quos nulla peccatorum pœnitentia solicitat, dum plectuntur horrenda clamant, & in Deum censorem blasphemando furunt. Qui namque suæ salutis incurij sunt, illi etiam Saluatori sunt iniurij, quando ferit; & ita boni à malis ingruente pressura, voce dissona secernuntur.

Psalm. 118. Voces sunt diuersæ bonorum & malorũ cum affliguntur.

Fauet Ambrosius. *Vulgus*, inquit, *hominum sua delicta non repetens, iniustè se putat tolerare, quæ patitur. At verò vir iustus, iustitiam Domini prædicat, quod meritis suis digna patiatur. Clamat Ieremias in luti voragine turpi, cum necandus illuuie mergitur: Iustus es Domine. Hebræi adolescentes, cùm propter virtutem deuotionis, & fidei gratiam, fornacis ardentis ambirentur incendiis, clamabant: Iustus es Domine. Daniel quoque Propheta secundò in lacum missus leonum, recta omnia in conspectu esse Domini, imperterrito clamore iactabat. Ionas inclusus vtero bestiali, anhelandi spiritus vix habens commeatum, clamabat de ventre ceti cum voce laudis, & confessionis. Dauid cùm fugeret à facie Absalon pulsus regno clamabat: Iustus es Domine. Abraham cum immolandus à se vnicus filius posceretur, paternæ pietatis affectum temperabat dicens: Iustus es Domine. Non enim poscis alienum, sed tuum reposcis, ipsum tibi restituo, quem dedisti. Hunc imitatus Iob filiis extinctis, patrimonio amisso ait: Nudus egressus sum, &c. Sit nomen Domini benedictum. Omnes ergo iustum Dominum prædicemus. Qui damno aliquo feritur, aut funere filiorum, dicat: Iustus es Dominè & rectum iudicium tuum. Quid enim nostrum amittimus? Clamat Apostolus: Quid habes, quod non accepisti? Iustus Dominus in periculis, iustus in damnis, iustus in vltionibus est, non solùm quia vnusquisque iustè culpa sua pœnas luit, verùm etiam, quia dum vnus punitur, plurimi corriguntur. Ananias & Saphira in Actibus Apostolorum fraudati pretij agri crimen admiserunt, quos morti addixit Deus, ne quis impunè misericordiæ suæ munus fraude contaminare perfidia arbitraretur, & vniuersos ad fidei studium iusto terrore componeret. Pharao cum populo suo fluctibus mersus, mundanæ conuersationis exemplum est, ne quis Dei populum persequatur. Potuit eum Deus voluntati suæ facere obedientem. Sed eius pœnâ omnes voluit emendari. Ideoque dicit ei Dominus: Ad hoc ipsum te suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Non vtique Dominus suæ laudi, sed nostræ correptionis incrementa quærebat.*

Ex SS. Patribus. Ambros. octon. 18. in Psalm. 118. Ierem. 12. Dan. 3. Patientiæ mira exempla. Iustus est Deus in flagellis.

Ella

Esto Deus diligat iustitiam, & iudicium; misericordiâ diuinâ tamen plena est terra, quia virga licet percutiat, sic influit in percussos, vt illi nequando cadant animo, gratiæ impertitæ baculo teneantur. Ne ergo Dei intentum vitio nostro suo effectu cadat, erudiamur ita malis huius fugacibus, vt declinemus ea, quæ cruciando malos, atque suæ salutis refugas, nullo vnquam termino concludentur. Eo animo paterno Deum homines corripere flagello breui, vt se malis æternis eripiant, elimatè docet Augustinus. *Potasti nos*, inquit, *vino compunctionis. Non enim erat peremptio perimens, sed medicina vrens. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Per tribulationes temporales, significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni.*

Tribulatio temporalis liberat ab æterna.

August. in Psal. 59.

Ex Historia.

Nicephorus lib. 17. c. 3.

In eo argumento fuit famosa plebis Antiochenæ conuersio; quippe vitio inundante Deus Antiochiam sic concussit, indignante terra ciues iniquos ferre suis scapulis, vt hiante solo parum abfuerit, quin vrbs tota foret præda voraginis altæ, quam perpetrata plebis huius crimina reserarant. Ciuibus impiis terra denegante suum auxilium, concutiendo domos conscias scelerum populi huiusce Deo hactenus iniurij, illi consuluere cælum, qua ratione salus vrbis posset esse rata. Ruinis cautior facta suis ciuitas illa nequam, conscriptum nomen Iesu foribus omnium ædium appendit, vt quæ fuerat inusta notis vitiorum, pœnitens facta, Deo se tandem, eius appenso domi nomine, consignaret. Procul dubio terra fuit iniqua plebi iniquæ, vt illa Deo miserante æquior facta vteretur æquiore cælo. Terra fremens, & velut auulsa suo cardine, vrbis agitatæ muros euertit, vt illa mores suos erigeret. Terra nutans homines edocuit esse fugax atque labens hoc sæculum, ac proinde parum dignum, cui sua penderent obsequia, ideóque cælo loco solido & constanti esse vota nostra omnia mancipanda.

Iesu nomen salutare vrbi Antiochiæ.

Pars Secunda Homiliæ.

Contra flagella Dei, processiones, seu publicæ supplicationes Ecclesiæ, multum valent.

§. III.

Ex historia Iure Canonico et Ciuili, SS. Patribus, et Antiquitate.

Alcuinus lib. de diuin. officiis c. 23.

Gallia lupis olim infestata.

Galliâ infestatâ lupis editis in vindictam criminum, quæ gens hæc oblita Dei commiserat, coacto Viennæ concilio Episcoporum regni afflicti, vt iretur obuiam inhumanæ cladi luporum, qui gregatim irruentes in oppida, mactabant homines obuios; Mammertus Viennæ Antistes salutare dedit consilium, cui annuêre Patres adunati, arbitrantes Mammertum sanctitate conspicuum, suggessisse remedium opportunum contra stragem extremam, Galliæ populis imminentem. Præsul ille Deo charus instituit, vt sicut agmine facto lupi adducebant homines in discrimen vitæ; ita plebi afflictæ gratum esset, per cuneos, atque globos ad Ecclesias procedere, & sic contra feros bestiarum incursus opem Dei deposcere. Itaque triduo toto ante Ascensionem procedente plebe, Deus propitius effectus est; lupis homicidis in varias orbis oras distractis, & virtute precum ad meliorem frugem receptæ plebis aliò deportatis. Vt tempestiua fuit illa processionum institutio contra malum gliscens in perniciem regni, Gallia tota Viennam imitata tribus diebus ante Ascensionem processit orans, & inde nomen Rogationum exortum est, scilicet à Deo rogato palàm, populo per turmas recitante preces, & adeunte sacras ædes, vt ita Dei iram compesceret, nimio peccatorum cumulo proritatam.

Rogationes quando & quare fuerũt institutæ.

Sidonius Apollinaris eodem sæculo quinto florens, quo Mammertus, ait, in vsu fuisse preces has publicas ante decretum illum à Mammerto ritum; sed adeo laxas, & tepentes, vt Mammerto detur honos illius instituti, quia dissolutæ plebis ignauiam vt corripuit acriter, ita fletus & ieiunia indixit illo triduo, vt media opportuna malis arcendis à populo supplicante. Ecce Sidonium. *Rogationum solennitatem primus Mammertus pater & Pontifex reuerendissimo exemplo, vtilissimo experimento inuenit, instituit, inuexit. Erant quidem prius, quod salua fidei pace sit dictum, vaga, tepentes, infrequentésque, vtque sic dixerim oscitabundæ, supplicationésque sæpè interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ, ad quas vt nil amplius dicam, figulo pariter atque hortulano non oportuit conuenire. In his autem, quas supra fatus summus sacerdos, & protulit, & contulit, ieiunatur, oratur, psallitur, fletur.*

Sidon. Apol. l. 5. ep. 14.

Supplicationes quo ritu sint faciẽdæ.

Fuisse precum harum æmulos & cæteros Galliæ populos Sidonius idem ait, has valuisse dicens contra flagella Dei. Ecce rei liquidam historiam ex epistola Sidonij ad Mammertum, quem sic compellat. *Sole inuectarum te auctore rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis, instituendisque populus Aruernus, etsi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari, & ob hæc circumfusis necdum dat terga terroribus. Non enim latet nostram oscitationem primis temporibus harumsce supplicationum instituta ciuitas cælitus tibi credita per huiuscemodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur. Nam modò scenam mœnium publicorum, crebris terræ motibus concutiebantur: nunc ignes sæpe flammati caducas culminum cristas superiecto fauillarum monte tumulabant. Cùm tu inter ista, discessu primorum, populariúmque, statu vrbis exinanito, ad noua celer veterum Niniuitarum exempla decurristi. Primum paucis nostri ordinis viris indicis ieiunia, interdicis flagitia, supplicia prædicis, remedia promittis, exponis omnibus nec pœnam longinquam esse, nec veniam. Doces denunciata solitudinis minas orationum frequentiâ amoliendas: mones assiduitatem furentis incendij aqua potius oculorum quàm fluminum posse restingui: mones minacem terræ motuum conflictationem, fidei stabilitate confirmandam; cuius confestim sequax humilis turba consilij, maioribus quoque suis fuit incitamento, quos cùm non piguisset fugere, redire non puduit. Qua deuotione placatus inspector pectorum Deus fecit esse obsecrationem vestram, vobis saluti, cæteris imitationi, vtrisque præsidio. Denique illic deinceps non fuere damna calamitati, vel ostensa formidini. Quæ omnia sciens populus iste Viennensibus tuis & accidisse prius, & non accidisse posterius, vestigia tam sacrosanctæ informationis amplectitur sedulò, petens vt conscientiæ tuæ beatitudo mittat orationum suarum suffragia, quibus exempla transmisit.* Hoc contextu Sidonius

Lib. 7. ep. 1. ad Mammertum.

Processiones quare institutæ.

Vienna olim afflicta Dei flagellis.

Flagella Dei quomodo compescẽda.

Ii

nius egregiè salutare nobis Rogationum explicat institutum.

Itaque Gallia edocta suo experimento, preces has publicas, seu processiones placare Deum, vltrò lubentíque morem hunc excepit, ad hoc eam excitante sacro Concilio Aurelianensi primo, cuius ecce canon. *Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solennitate soluatur: per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat. Quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis vtantur.* Hispanis, vt Gallorum æmulis placuit iste canon, & ô vtinam gens vtraque pace belloque clara suum omnem zelum conuerteret ad Dei cultum, qua contentione valet maxima propagandum.

EX IVRE CANONICO. *Concil. I. Aurel. c. 29.*

Ne ergo foret Hispania destituta precum publicarum præsidio, in Concilio Toletano cauit, ne prætermitterentur vnquam processiones illæ, quibus Litaniæ, cateruatim procedente plebe, publicè decantantur. En decretum Concilij. *Religiosissimi Principis nostri deuotionem, & nostrorum consacerdotum, primo anno regni sui constitutionem cum magna reuerentia & veneratione suscipientes, quam constat iam in omni regno suo annuâ vice celebrari, placuit etiam nostra assensione firmari. Proinde vniuersalis auctoritate censemus Concilij, vt hi dies Litaniarum, qui in Synodo præmissa sunt instituti, eodem tempore, quo iussi sunt excoli, annuo recursu, omni obseruatione habeantur celeberrimi, vt pro illis, quibus nunc vsque simul implicati sumus delictis, sit nostra explicatio ante oculos Dei omnipotentis.*

Concil. Tolet. VI. cap. 2.

Iustinianus Imperator inuigilando bono Reipublicæ capitis supplicium indixit ei, qui in processione procax ordines inuerteret, aut obstaret supplicare plebem. Adeò credidit immane scelus hoc, Princeps ille curam orbis habens, impedire plebem accinctam, vt in processione Deo supplicet; quippe Deus esto subiratus, vitiorum hominum intuitu, sæpe tamen ab adunati populi precibus exoratur. Ecce spiculum lethale caput eius feriens, qui malè se gesserit erga morem illum sacrũ. *Si*, inquit, *hæc sacra ministeria turbauerit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur. Hoc ipso & in Litaniis, in quibus Episcopi, & clerici reperiuntur custodiendo.* Imperator eadem capitis pœnâ cauet processionibus, qua venerando Missæ sacro. Rursus vt supplicationibus publicis concilietur honos amplior, ille legem tulit, qua seuerè vetat, vsurpare preces has solennes, & procedere, Episcopo & clericis incõsultis. En principis edictum. *Omnibus laicis interdicimus Litanias facere sine sanctis Episcopis, & qui sub eis sunt reuerendissimis clericis. Qualis enim est Litania in qua sacerdotes non inueniuntur, & solennes orationes faciunt?*

Processionẽ turbantis pœna mortis.

EX IVRE CIVILI. *Authen. 123. de sanctiss. Episcop. c. 31.*

Ibidem c. 32. Processiones non debent fieri sine Ecclesiasticis.

Nota, fuisse morem procedendi tota comitante plebe, & resonante Dei laudes antiquissimum, nec Mammertum Viennensem Antistitem instituisse preces publicas, sed tantùm assignasse dies Rogationum, & abstinentiâ indictâ magis commendasse ritum illum processionum, qui vt languebat tepente plebe, & charitate ferè emortuâ, eum consulendo plebi ieiunium & lacrymas, instaurauit. Adhuc Ecclesia enitente ex incunabulis ille ritus inualuit, ipso etiam teste Dionysio Areopagita, qui seriem qua procedebatur olim recolit hoc contextu. *Iuxta eundem Synaxis medium eorum, qui necdum initiati sunt absoluuntur ordines, vbi scilicet præcessit Pontificis circum omnem phani ambitum redolens thure profectio, Psalmorúmque modulatio.* Tertullianus quoque memor est huiusce pij instituti, dicendo Dei timore affulgente plebem cautius procedere. *Vbi*, inquit, *metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura solicita, apparitio deuota, processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.*

EX HISTORIA.

Dionys. Eccl. hierarch. c. 4.

Tertul. lib. de præscript. aduers. hæret. c. 43.

Frustra renitente Apostata Iuliano, preces has solennes frequentare plebi Christianæ visum est opportunum, & quàm sæpe, vt ait Socrates, commemorans illam processionem factam in gratiam reliquiarum Sancti Babylæ Martyris. Sozomenus item aliam refert eiusdem generis in honorem Sancti Meletij, Antiochiæ magno plebis concursu ab eius vrbis clero & populo celebratam. Theodorus ait, Imperatorem Martianum peditem adstitisse sacris his precibus, quas in processione fundebat Ecclesia. Erga sacras processiones deuotio præsertim incaluit, aliquo ingrauescente malo, lue videlicet, aut bello. Contra luem, quæ internecione Romam populabatur, Gregorius Magnus celeberrimam illam processionem instituit, qua pergente Papa præfatus Angelum vidit recondentem gladium suum humano sanguine desudantem. Gregorius Turonensis obseruat Cæsar-Augustanos, in arcta obsidione neci iam proximos, instituisse preces has publi[illegible] indutos ciliciis, & ieiunos circumferentes tunicam Sancti Vincentij Martyris, & [illegible] atratas, & cinere aspersas, neglectâ comâ sacris hisce precibus adstitisse. Non fuisse preces has irritas, & placuisse Deo processionem illam, agnouit, plebs illa voti compos effecta, hoste sua conuasante sarcinulas, & vrbe solutâ castris, quæ vallo circumducto ciues adduxerant in discrimen perditæ libertatis.

Socrat. lib. 3. Eccl. hist. c. 16

Sozom. l. 7. c. 10.

Processioni olim Martianus Imp. pedes assistebat.

Theodor. l. 1.

Processio contra pestẽ à Gregorio Magno.

Paul. Diacon. l. 3. de gestis Longob. c. 28.

Processio facta Cæsar-augustæ.

Gregor. Turon. l. 3. hist. Franc. c. 29.

Quæres quonam argumento fuit Ecclesia inducta, pias vt processiones indiceret? Vna mihi occurrit ratio, & hæc petita à Christi Domini pollicitis. Ille verax Dominus atque sibi constans semper ait, se fore medium inter eos, qui vnanimes in ipsius Christi sacrosancto nomine conuenirent. Vt ergo plebs afflicta Deum sibi concilier, concors procedit orans, confisa preces consciâ charitate fusas, fore Deo gratiores eis, quas quisque seorsim nectit: quò namque maior incandescit amor, eò etiam oratio illa flagrans charitate Deum fortius inclinat ad petita sacris illis precibus erogandum. Huic rationi excogitatæ fidem facit Leo Magnus. *Plenissima*, inquit, *peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio. Si enim duorum vel trium Sanctorum pio consensus omnia quæ poposcerint Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti? Magnum est in conspectu Domini, valdéque pretiosum, cùm totus Christi populus iisdem simul instat officiis, & in vtroque sexu, omnes gradus, omnes ordines, eodẽ cooperãtur affectu: cùm indeclinando à malo, ac faciendo bono par cunctorum & vna est sententia: cùm in operibus seruorum suorum glorificatur Deus, & totius pietatis auctori in multarum gratiarum actione benedicitur.*

EX SS. PATRIBVS. Processiones quare Deo gratæ.

Leo Magn. ser. 3. de ieiunio sept. mensis c. 3.

Sed

Processiones sint stipatæ bonis operibus.

Sed aduerte, ritum hunc non valere, nisi sit stipatus eis cautelis, quas consulere Patres Sancti, dum meminere preces has publicas: quippe parum imò nihil conducunt illæ preces ore tenus factæ; nempe Deus habet exosa vota, quæ perfunctoriè fiunt, nec flagella ponit, quibus angimur, nisi pulsatus oratione suis omnibus numeris absoluta. Eamob rem Augustinus indicendo plebi processiones, hoc monebat, videlicet, vt quisque sibi inuigilans cautè bonis operibus attenderet. *Nullus*, inquit, *sibi de industria occupationes inquirat, per quas se de Ecclesia conuentu subducat. Sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus ieiunando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non requirit. Abundant, & nimium abundant negligentiæ, quas per totum anni spatium congregauimus: & ideo vel in istis diebus: quod ad nitorem, vel purgationem animæ pertinet, agere studeamus.*

August. serm. 173. de temp.

Processiones quænam inutiles.

Peste depascente Romam, Gregorius Papa malis iturus obuiam, decernendo preces publicas, & septem processiones, præfatas etiam cautelas adhibuit, arbitratus irritas fore preces has solennes, si non ieiunio, fletibus, atque bono alio multiplici opere stiparentur. Vt enim contraria alternant in eodem subiecto, nec aduersa simul coëunt; ita mala opera perpetrata, bonis operibus sunt diluenda, priusquam fusæ preces ex omni parte sui Deo arrideant. Ne ergo gratis indicta fiat processio, & ne quis concepto suo voto cadat, refellente Deo preces, anima peccatorum labe infectâ satas, hac præuiâ cautelâ suas quisque preces emittat, vt satagat ante bonis actibus insudare. Ecce Papæ Gregorij consilium. *Fratres charissimi contrito corde, & correctis operibus, crastina die primo diluculo, ad septiformem Litaniam deuota mente cum lacrymis veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præsumat, quatenus ad Sanctæ Genitricis Domini Ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala quæ fecimus deploremus: vt districtus iudex, dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat.* Hæc ille Papa sanctus, quo consultore Roma Deum ad miserandum cautior effecta bonis actibus inclinauit.

Gregor. lib. epist. 2.

Ne quid in hoc de processionibus argumento desit, non erit abs re procax hæreticorum ingenium confundere. Vt impij desertores illi defecerunt ab Ecclesia Sancta; ita impios omnes Ecclesiæ Sanctæ ritus damnant, & eludunt, conclamantes esse noua commenta mores illos omnes, à quibus abhorrent illi transfugæ, osores, & nescij pietatis. Lutherus, qui copioso mero potus, nihil omnino nisi coquinam & obscœna sapit, inuehitur in processiones, fortè quia non eunt in cauponam, quò ille lubens epulo concederet. Centuriatores etiam eodem, quo Lutherus cacodæmone afflati, hunc procedendi ritum damnant, & comminiscuntur processiones fuisse quidem Tertulliano charas, sed hinc eum audiuisse malè apud Ecclesiam, idcirco in Tertullianum acriter inuehentem.

Luther. in postilla maio. Dom. 5. post Pascha.

Centuriat. 3. cap 10. in Tertul.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Vt est hæresis inimica veri, non ego falsa moror, vnde parant in nos spicula missa gratis. Constat enim inualuisse morem hunc processionum ante diem natalem Christi, vt plurium nationum inductione, necnon & exemplo palàm fiet, vt hoc à nouitate ritu vindicato procax atque loquax impudens hæresis obmutescat. Auspicemur ab Hebræis, quorum vt cura Deo fuit præcipua; ita ritus, qui ad Dei cultum pertinent, in eas cælitus influxerunt. Prima processio recensita sacro Codice instituta fuit à Mose initiante sacris Hebræorum gentem, consuetudine Ægyptiorum in idola pronam. Moses ergo viam carpens vndequaque feris hostibus obsitam, populo indixit, vt arcâ Dei præcedente, piè & deuotè procederet, asseuerans indubium atque præsens auxilium Numinis affuturum. Huic diuino cultui indicto morem gessit illico gens Hebræa, sicut hac veridica Scriptura liquet. *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens castrorum locum. Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cùm incederent. Cúmque eleuaretur arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. Cùm autem deponeretur, aiebat: Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israël.* Illa processione sibi populus consuluit, hostibus qui instabant terrore nimio consternatis.

Processionũ prima institutio ab Hebræis.

Num. 10.

Processionũ efficacia.

Solennis altera sub Iosue Antesignano fuit decreta processio, sortita finem subitò, cuius intuitu Deo auctore fuit indicta plebi. Quippe Dei indicto audiens populus, vt processit circum vrbem Iericho, iuxta modum præstitutum à Domino (non enim inordinatè fiunt processiones) virtute sacri huiusce ritus iam celebris apud illam gentem, corruere citò muri territæ ciuitatis. Ne videar imposuisse, sacrum refero contextum. *Dixit Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manu tua Iericho, & Regem eius, omnésque fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in iubileo, & præcedant arcam fœderis: septiésque circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis. Cúmque insonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis.*

Iosue 6.

Tertia processio, quæque fuit celeberrima, illa est, quam Dauid instituit, vt adduceret arcam Israël; eò namque totus Israël accurrerat, vt ex Scriptura sacra patet. *Congregauit Dauid cunctum Israël à Sihor Ægypti vsque dum ingrediaris Emath, vt adduceret arcam Dei de Cariathiarim.* Non tumultuariò processisse plebem, sed concinnè Deo fundendo preces, insinuat textus, illa penes quem processio describitur. *Porrò*, inquit, *Dauid, & vniuersus Israel ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & psalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis.*

1 Paral. 13.

Præterea ingruente malo aliquo gentis Hebrææ cladem minitante, fuit moris Hebræorum conuenire simul, vt facta processione Deum inflecterent ad præuisa mala procul atque scito citius amandanda. Eò præsidij sese recepit abundè mœrens Rex Iosaphat, cuius angustias & pressuram supra recensui. Vt namque vidit esse se suosque impares hostibus, qui exercitu numeroso cladem Hebræorum animo conceperant, de conciliando Deo prudenter atque salubriter indictâ plebi processione publica cogitauit. Ecce sacri Codicis historiam. *Iosaphat dedit con-*

2. Paral. 20.

silium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consonâ dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. Cùmque cœpissent canere laudes, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & Montis Seir, qui egressi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt.

Processionũ preces quales & quomodo debeant fieri.

Vt enascens Ecclesia gente fuit Hebræa sata, sicut ex omnium Apostolorum cœtu patet; ita pium hunc processionum morem retinuit, atque piè celebrandum instituit, decretis ad hoc editis, vt ordinatè preces inibi fierent, atque nihil incongruum, aut contra pietatem à confluentibus populis ederetur. Huc pertinet ille canon Synodi Laodicensis coactæ ante mille & ducentos annos. Sanxit illa. *In processionibus non connectere, id est, ex diuersis versibus & sensibus libri vnum canticum minimè coniungere, sed singulorum Psalmorum ordinabiliter fieri debere de medio lectionem.* Inualente ritu gentilium Christiani procedentes ea præcipuè cantica pangebant, quæ simulachra gentium impia sugillabant. In his illa fuit nominata plebis Antiochenæ processio, in qua frequens & sæpe decantata fuit censura Vatis regij in idola, & cultores illorum: quippe voces Psalmi ferientes idololatras, in quibus ibi Iulianus erat, sæpius insonabant. *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

Socrat. l. 3. hist. Eccl. c. 16. — *Psal. 113.*

Processio vbi puer raptus est in aëra.

Quidquid obganniant hæretici, nostras processiones esse meras omnino nugas, hoc non obstat, quin Deus illas adiecto suo miraculorum calculo comprobarit. Paulus Diaconus, & Michaël Glycas insigne meminere prodigium. Referunt illi, Theodosio imperante, totam Constantinopolim adductam fuisse in discrimen vitæ, ob frequentes terræ motus, qui adegere ciues, vt fugerent nimio terrore perciti in agros, extra concussæ mœnia ciuitatis. Proclus Patriarcha volens afflictæ plebi consulere, processionem indixit, cui & interfuit ipse pedes Imperator plebeio amictu. Populo effuso in lacrymas, & flebili voce Deum interpellante, puer subitò raptus est in aëra, vnde voces has audiit. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Quas ei Deus iniunxit referre Proclo, vt ipse daret operam illas annuntiare plebi; namque fore, vt inquies hactenus terra sibi constaret, illis cælitus allatis vocibus vsurpatis. Patriarcha morem gerente Deo, hasque plebe consternatâ preces adhibente, iugis ille motus terræ desiit, & populus sponte redux, securus ibi stetit, vnde fuga sibi consulens vltrò recesserat. Non ergo ritus est anilis, vt volunt hæretici, neque nouum institutum censuræ obnoxium, procedente plebe Deum facere propitium, quandoquidem ipse Deus illo prodigio pueri sursum euecti illa plebis adunatæ vota publica confirmauit.

Paul. Diac. l. 14. var. hist. Mich. Glycas par. 4. Annal. — Oratio breuis cælitus allata.

Processio vbi crux visa fuit conflagrare. — *Euagrius lib. 4. c. 25.*

Rursus alio miraculo Deus esse sibi cordi processiones ostendit; nam Thoma Episcopo Apameorum procedente cum Christiana plebe, crux erecta facis instar conflagrare visa est, Euagrio teste, qui & hanc recolit historiam, & prodigium quod ipse vidit refert: vnde liquet adesse Deum precibus, atque votis, quæ præsertim ingrauescente Dei manu, procedente plebe fiunt, Ecclesia charitate percita coëunte. Meminit & alterius signi Metaphrastes, scribens in publica processione motam fuisse & secutam nemine impellente sacram arcam reliquiarum; Sancto, cuius erant exuuiæ venerandæ, quasi causam agente plebis, quæ de placando Deo solicita processerat. Me tempus deficeret, si hoc negotium mihi indicerem, omnia recensere mira, quæ ad stabiliendos hosce ritus processionum cælitus acciderunt. Itaque supersedeo, scrutaturus religionis imò superstitionis antiquatæ mores.

Metaphras. c. 14. de gestis Cornely. Processio vbi arca reliquiarũ nullo mouente sequuta est.

Processionũ causæ olim apud Romanos.

Prisca gentium Roma ritum processionum habuit in fastis, & frequentem, arbitrata ferè præcipuam esse religionis partem, quia supplicationes illæ concludebant omnia, quæ ad Dei cultum pertinent: præter enim vota & preces, quàm plurimæ hostiæ mactabantur. Causas supplicandi Liuius annumerat: in his pestem ait fuisse causam perurgentem, vt & tenebras media luce diei exortas, aut aliquod signum cæleste minans, atque mala portendens hominibus, vt cometa, facesque nouæ, quibus instans & certa clades attonitis atque metu suspensis populis indicatur. Talia signa mali præambula memorat Ouidius, arbitratus ea præsignasse necem Iulij Cæsaris.

Liuius 4. Decad lib. 10. Cometę sunt signa infausta.

Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris.
Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes,
Terribilésque tubas, auditáque cornua cælo,
Præmonuisse nefas Solis quoque tristis imago,
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.

Ouid. l. 15. Metam.

Suetonius, Tacitus, Cicero affirmant olim illas malè audiisse faces, quas Lucanus ait regnis esse sæpius ominosas.

Sueton. in Nerone c. 36. Tacit. l. 14. Cicer. l. 2. de natur. Deor. Lucan. l. 1.

Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentémque polum flammis, cæloq; volantes
Obliquas per inane faces, crinémque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometem.

Dion idem affirmat, vt & Virgilius, qui multa præscita dicit fuisse mala ignium obsequio, qui desuper exarserunt.

Dion. in Vespas.

Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.

Virgil. l. 2. Georg. in fine.

Processiones Gentilium olim quàm solennes.

His ergo Roma notis iræ Dei instantis perterrita, supplicationes indixit, & has celeberrimas, quas enucleatim describere, Liuio insedit. Ait primò Romam consternatam ferias indixisse, vt mens apta foret sacris rebus attendere, ab aliis vtique profanis negotiis animo dissoluto. Secundò, sacris eo intento statis operam dabant. Tertiò, tribus lectis stratis, videlicet Ioui, Vulcano, & Mineruæ, credidere Deum fieri propitium, quasi lectisternia facta Deum inflecterent, aut fortè quia lecto quies, quam poscebant à subirato Numine, designatur. Hæc lectisternia vsurpata Diis Gentilibus inclinandis ad fausta, dicunt præter Liuium, Valerius Maximus, Seruius, Augustinus, & Censorinus. Quartò demum Roma supplex procedebat accincta rebus, quæ conducunt ad Dei cultum: Pontifice etenim Maximo præeunte, tribus omnes aderant, Patricij videlicet, Equites, & Populus, ordine quique suo Numini supplicantes. Vtque Deus est puritatis amans, agmina puerorum stipabant hanc magnam hominum frequentiam. Hi infantes coronati, atque manu laurum præferentes, sonorâ voce melos in honorem Dei & hoc persuaue plebis procedentis auribus ingerebant.

Liu. 5. Dec. l. 2. — Lectisternia Deorum quid. — *Valer. lib. 1. c. 1. Seruius in l. 12. Æneid. Aug. l. 3. Ciuit. c. 17. Censorin. de die Natali.* — Processiones puerorum olim.

Aliud quoque genus processionis Romæ fuit insolitum, ex Liuio, referente Romam omine infausto malum aliquod portendente, moris habuisse plures virgines ornare, Deos ita facturas

Liuius 3. Dec. lib. 7. Processio olim virginum. *Alex. ab Alex. dier. gen. l. 5. cap. 27.*

æquiores procedendo palàm, & vrbe tota Deos elogiis eximiis decantato carmine prosequentes. Alexander item ait, agricolas, & pastores, vt frugibus & pecori consulerent, habuisse suos procedendi modos. Agnâ namque coronata præcedente, pecus, agri, messis, tertiò lustrabantur. Inconditæ atque ruri assuetæ plebis multitudo sequens hostiam agebat tumultuatim & inconcinnè choros, modulis atque sonis agrestibus fistulâ resonante. Rusticæ processionis huius summa fuit, vt victima cæsâ, Deo, cui res sacra fuit facta, preces istas funderet populus ille agrestis; vt scilicet arua sata fruges ederent, & gleba ferax culta sui cultoris diligentiam & spem non frustraret: intempestiuos vt ille Deus siccaret imbres, grandines inde procul arceret, vt & aëris intemperiem omnem gregibus immunem. Denique rustica plebs congregata Deum orabat enixe, vt pastores, agros, agricolas, & omnia pecora tutarentur.

Processio olim pastorum.

Alex. vb. sup.

Subdit idem Alexander, Græcis etiam inoleuisse morem illum procedendi, supplicando palàm, & carmine vetusto Deum orandi, vt ipsos seruaret incolumes. Etenim de sanitate sua Græci maximè solliciti, quidquid eis in votis erat, quodque Diis suis effusa prece volebant esse notum, credidere satis aperire recentiro solo nomine sanitatis. Esto malis quibusque instantibus olim indicta fuit supplicatio; vna tamen stata fuit milite conscripto, & iam bello indicto, quam Rex Seruius Tullius instituit ex Plutarcho. Milites omnes armis instructi, & lauro coronati procedebant in campum Martium, vbi sub diuo rem diuinam & lustrale sacrum facere moris erat, hostiâ immolanda prius adducta ab homine boni nominis, sicque rebus aptatis, qualis exercitui armato foret exitus omina captabantur. Ita Liuius, Dionysius Halicarnasseus, & Cicero, cum Varrone.

Processio olim tempore belli. *Plutarch. in Bruto.*

Liui. 1. Dec. lib. 1. Dion. Hal. l. 4. Cic. l. 1. de diuin. Varro l. 4. Ling. Lat.

Macedones & gratum hunc habuere ritum; hostia namque cæsâ, & diuisâ in duas partes, quas hinc & inde disponebant, inter vtramque totum traducebant exercitum, hac processione bonum omen arbitrati se conciliare sibi, vt auctor est Curtius. Iuxta morem Macedonum Persas suos Xerxes lustrauit, inhumanâ tamen hostiâ. Quippe refert Herodotus, Xerxem indignatum quòd Pithius Lydius vacationem militiæ petiisset pro suo filio natu maximo, eum discerpsisse medium, & inter huius lanienæ reliquias truces, iussisse sua agmina pertransire.

Processio olim Macedonum. *Q. Curt. l. 10.* Processio inhumana Xerxis. *Herodot. l. 7.*

Priscis etiam temporibus vsitata fuit processio naualis, cuius meminere Gyraldus, & Appianus. Hic postremus ait, Cæsarem in hac nauali processione ritum hunc seruasse. Circumstetere naues omnes instructæ milite armato, sacerdote suis infulis ornato sacra faciente Diis pelagi. Explicatis extis hostiæ, eâ sacerdotes scaphis vecti circa naues ter deferunt vnà cum ducibus adnauigantibus, partem extorum in mare mittunt, alteram verò sinunt in ara iuxta litus posita concremare. Virgilius processionis huius nauticæ preces ait fuisse tales.

Processio nautica. *Gyral. syntag. 17. de deis gent.*

> *Dij quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,*
> *Vobis lætus ego candentem in littore taurum*
> *Constituam ante aras voti reus, extáq; salsos*
> *Proiiciã in fluctus, & vina liquentia fundam.*

Processionis nauticæ preces. *Virgil. 5. Æneid.*

Liuius eadem ferè vota commemorat fuisse Ducis huius famosi Scipionis, quando suam classem simili processione nautica perlustrauit. Sic ille: *Scipio è prætoria naue silentio per præconem facto; Dij Deæque, inquit, qui maria terrásque colitis, vos precor, quæsoque, quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi populo, plebique Romanæ, sociis, nominique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium, auspicium, terra, marique, amnibus que sequuntur, benè vertant, eáque vos omnia benè iuuetis, bonis auctibus auxitis, saluos incolumésque victis perduellionibus, victores spoliis decoratos, prædâ onustos, triumphantésque mecum domos reduces sistatis, inimicorum, hostiumque vlciscendorum copiam faxitis: quaque populus Carthaginensis in ciuitatem nostram facere molitus est, ea vt mihi populóque Romano in ciuitatem Carthaginensium exempla edendi facultatem detis. Secundùm eas preces cruda exta cæsâ victimâ in mare proiecit, tubáq; signum dedit proficiscendi.*

Processio nautica Scipionis. *Liui. 3. Dec. l. 9.*

Scipionis oratio ante bellum.

Idem auctor scilicet Liuius supplicationes triduo indictas ait Romæ, ob frequentes terræ motus. Coronati omnes, & tremuli, ratione motus insoliti, Numini supplicarunt. Quotannis olim veteres Galli procedebant vrbe tota, ritu prorsus inhumano. Nam hominem vno anno cibis opiparis benè pastum circumducebant in magna plebis frequentia, & arbitrati cum homine miserando sua se mala foras extrudere, atque simul opprimere, saginatum hunc hominem, in eum missa truci saxorum grandine, trucidabant. Ita Gyraldus, & Lactantius Statij interpres, in hos versus.

Processio triduana olim quare indicta. *Liuius 4. Dec. l. 4.* Processio olim Gallorum inhumana.

Gyral. Synt. 17. Lactant. in lib. 10. Theb.

> ——— *Et tandem matri data flere potestas,*
> *Lustraléinque feris ego te puer inclyte Thebis,*
> *Deuotumque caput, vilis ceu mater alebam?*

Hic sponte, lubentique prætereo supplicationes decretas à diuersis, ob res lætas; hic namque solùm lugubria tracto. In quibus habere locum potest illa processio fieri solita Romæ, ad expiandam vrbem, in qua vt illa foret aptior ad placandum Deum consternatæ plebi iratum, Vestales etiam virgines assistebant. Sic eam Poëta refert.

Processio ad lustrandam Romam.

> *Mox iubet, & totam pauidis à ciuibus vrbem*
> *Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro:*
> *Longa per extremos pomœria cingere fines,*
> *Pontifices sacri, quibus est permissa potestas:*
> *Turba minor sequitur, ritu succincta Gabino:*
> *Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,*
> *Troianam soli cui fas vidisse Mineruam.*

Lucan. l. 1. Pharsal.

Postrema demum processio luctuosa fuit in funere Heroum, quos belli sors iniqua tulit: namque mœrens exercitus procedebat in orbem circa rogum accensum, in quem arma, seu paludamenta viri demortui mittebant, vt & aliam suppellectilem. Imò chari quique Ducis extincti accenso rogo dabant enses suos & clypeos, & ita funus honorantes Heroi mortuo parentabant. Ecce ritum huius processionis.

> *Ter circum accensos cincti fulgentibus armis,*
> *Decurrere rogos, ter mœstum funeris ignem*
> *Lustrauere in equis, vlulatúsque ore dedere.*
> *Spargitur & tellus lacrymis, sparguntur & arma,*
> *It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.*
> *Hinc alij spolia occisis direpta Latinis*
> *Coniiciunt igni galeas, ensésque decoros,*
> *Frenáq; feruentésq; rotas: pars munera nota,*
> *Ipsorum clypeos, & non felicia tela*
> *Multa boum circa mactantur corpora morti,*
> *Setigerósque sues, raptas ex omnibus agris*
> *In flammam iugulant pecudes, tum littore toto*
> *Ardentes spectant socios, semiustáque seruant*
> *Busta: neque auelli possunt, nox humida donec*
> *Inuertit cœlum stellis ardentibus aptum.*

Processio circa rogum Heroum mortuorum. *Virgil. l. 11. Æneid.*

Quid morale nobis insinuent Processiones, & qua pietate debeant exerceri.

§. IV.

EX SS. PATRIBVS, EX HISTORIA, ET ANTIQVITATE.

Processiones à Christo quando institutæ.

AFflata Deo sancta parens Ecclesia, ita suos ritus attemperat, vt decernendo Deum coli, sensibus obuiis obsequiis, animos ad altiora vehat, vtpote certa Deum non corpore solo sibi vota petere reddi. Verbi gratiâ supplicationes illæ, quæ præeunte clero, & procedente plebe fiunt, indicuntur ad erudiendas animas, alioquin processiones illæ velut otij argumenta forent inania corporis ambulacra. Vt ergo nihil in processione vacare probem, earum exordium, ab eorum auctore peto, scilicet à Christo, sicut Rupertus, & equidem benè obseruat. *Vt processio*, inquit, *ageretur ex mystica Euangelij auctoritate tractum est, scilicet ex eo, quod Angeli mulieribus præcipiunt dicentes; Ite dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: & ipse Dominus occurrens illis exeuntibus à monumento, cùm tenuissent pedes eius, & adorassent eum: Ite, inquit, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.*

Rupert. Tuitien. lib. 7. de officiis Eccles. c. 20.

Quod verò caput draconis ante crucem olim ferebatur, quod & adhuc viget alicubi, sic explicat Radulphus auctor nominatus ante quingentos annos. Crucifixus, inquit, in processione velut victor, & triumphans procedit ante Crucem, præfixum palo caput draconis effertur. quippe draco victus à Domino crucifixo, solo capite execto viget: namque caput peccati illabentis in animam est suggestio, quæ sola Dæmoni permittitur. Sed inde nulla labes influit in animam, insinuanti sese obtruncato illi capiti resistentem. Tandem plebs congregata Crucem subsequitur, ita suam professa fidem, vtpote confitendo Cruci se debere vitam, illam scilicet æternam, ad quam soli Christiani tanquam Christi Cruce sati ius habent quo reuera freti, iure velut postliminij, ad vitam illam nesciam interitus possunt vsquequaque votis omnibus anhelare.

Radulphus Ardens in vig. dia Ascens.
Processiones quare cum cruce fiant & capite draconis.

Sensus ille allegoricus est, esto verax sit, & conducens ad stabiliendam fidem. Ecce tibi moralem alterum prædicandum populis, quando se accingunt ad processionem. Primum quod occurrit est nomenclatura ritus, quem expendo. Vox illa, processio, dicit secessum ab vno loco, & processum ad aliquam Ecclesiam, sicque monet, vt derelicto modo vitæ iniquæ, quam egimus hactenus, adeamus Ecclesiam, vt confessionis obsequio repurgata peccatorum colluuie sectemur aliud sanctius institutum. Ad quid enim illa pedum processio, si prona deorsum corda iacent. Profectò gratis indicitur illa processio, quæ corpore duntaxat ad Deum progreditur, inspectura sacras ædes, corde rerum diuinarum incurio, vitiis omnibus irretito.

Processiones quid morale nobis insinuent.

Eò vergit illa parænesis seu exhortatio Gregorij Magni peste depascente Romam. *Oportet*, inquit, *fratres charissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa, quam patimur, pœna dissoluat. Repentina singuli cede vastantur, nec languor mœrorem præuenit, sed languoris moras, vt cernitis, mors præcurrit: percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Vnusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quidquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Ad Deum corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui ait: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Nullus de iniquitatum suarum immanitate desperet: veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit, & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus, citius ad precem iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tanta animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus: ea namque quæ ingrata solet esse hominibus importunitas, iudicio veritatis placet, quia pius & misericors Deus, vult à se precibus veniam, qui quantum meremur non vult irasci: ait enim per Psalmistam: Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui admonet vt inuocetur.*

Ex SS. Patribus. Greg. Magn. apud Greg. Turon. lib. 10. histor.
Processio vt sit meritoria, quid requirat.
Misericordia Dei quanta.
Orationes Deus vult exaudire.

In processione cruces erectæ monent, non sufficere propositum vitæ sanctioris, sed opus esse crucis obsequio, & imitatione; nam peccata in confessione absoluta manent adhuc obnoxia pœnis, quas pœnitens vltro luet, vt procedendo de virtute in virtutem, quod etiam processio significat, æterna demum gloria potiatur. Necessariam esse crucis & pœnitentiæ suppellectilem ad hoc vt processio nostra Deo magis arrideat, Concilio Moguntino liquet, vbi decretum est Christianos in posterum ituros ad processiones nudis pedibus, cilicio amictos, & cinere aspersos, ita sui mœrorem animi protestantes. Et quia cassa perit pœnitentia, sine socia charitate Deum, & proximum conciliante nobis, in processione binos incedere mos est, vt opportunè monet Bernardus ita fatus. *Meritò sane bini, & bini procedimus. Sic enim ob commendationem fraternæ charitatis & societatis vitæ missos à Saluatore discipulos Euangelia sacra testantur. Turbat processionem, si quis solitarius curat incedere, nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus.*

Conc. Mogunt. cap. 33.
Processiones olim in cinere, & cilicio.
Processio fit à binis, & binis, & quare.

Vt non est bonum nisi benè fiat; ita gratis instituitur aliqua processio, nisi adiectis his cautelis proximè designatis. Superiori sectione duas, & præcipuas Ecclesiæ processiones recensui, & quæ in exemplum successere toti Ecclesiæ. Ordine prima fuit instituta à Mammerto, contra lupos populantes oras Galliæ. Secunda indicta fuit à Gregorio Magno, contra luem omnes Italiæ populos infestantem. Vtraque processio stipata fuit lacrymis, ieiunio, nuditate pedũ, & flagello plagis inflictis, vt colligere est ex Sidonio Apollinari & Gregorio Magno supra laudatis. Ad instar illarum se effinxit Theodosius Imperator, quem ita Ruffinus cõmemorat. *Theodosius præparatur ad bellũ, non tam armorũ, telorumque, quàm ieiuniorum, orationumq; subsidiis, nec tam excubiarum vigiliis,*

Ex Historia. Sido. Apol. l. 7. ep. 1. ad Mamert. Greg. Magn. l. 11. ep. 2.
Processio Theodosij Imperatoris quàm austera.

lijs, quàm obsecrationum pernoctatione munitus: circuibat cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum, & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. Christianis item in Palæstina feris hostibus obiectis hoc cœlitus affulsit consilium, auctore Guillelmo Tyrio. Decreta nimirum fuit processio, facta nudis pedibus, in cinere, & cilicio; exercitu Christiano valente magis contra Saracenos, quàm obiecto diris illis & acerbis fidelium hostibus milite Christiano.

Guillel. Tyrius l. 8 c. 11. Processio facta à Christianis contra Saracenos.

Ad arbitrium suum hæretici canes latrent in nos vt auctores instituti noui, nostrasque pœnas irrideant, quas vltro luimus, quando palàm procedimus ingruente malo; suo susurro tamen & latratu non obstabunt, quin Scripturæ sacræ morem geramus, vnde sacer ille ritus influxit in nos, ita Dei regulis obsequentes. Ecce vetus oraculum. *Canite tuba in Sion: vlulate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum, & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium.* Vnicuique seriò & attentè locum illum perscrutanti omnia occurrent, quæ in praxim hodie à Christiano populo reducuntur. Nota, Deum iubere sisti paruulos, & lactentes, non quòd ætas illa Dei nescia, & rationis expers idonea sit merito, sed vt insinuet hocce typo ætatis innoxiæ, se placari innocentiâ, quâ expunctâ nequit esse Deo gratum, quod gerimus; siquidem noxia mens inimica Dei inepta est ad Deum, quem exosa fugit, condignis actibus inflectendum.

Ioël. 2. Processionum norma ex Scriptura sacra.

Eò fortè aspexit industria Gentilitas, assueta typis inuoluere arcana sua. Esto namque Deum, vt par erat non colerent, imò neque agnoscerent hi gentiles, quos carpimus ob idola; tamen ab Hebræis ad eos influxere ritus multi, vnde suis sacris multa, quæ conducunt ad Dei cultum optimum, adiecerunt. Vt non extra metas discurram, & sistam in processionibus. Primò cura fuit illis, & præcipuè Romanis ex Liuio, vt in supplicationibus publicis omnia coïrent, quæ ad puritatem comparandam & ostendendam proficiunt. Nam pueri insontes laureatis manibus, & coronati publicè supplicabant. Equidem benè laurus, & corona simul in infante, nam puritas est digna lauro. Secundò lites arcebant & iurgia die processioni indicto, & tunc litigare nefas ex Cicerone, & Ouidio, qui adiicit Romanos temperasse sibi tunc ab omni prauo colloquio vltra lites longius amandatas.

Liuius, 3. Dec lib. 2. Processiones puerorum, quid significent. Processiones litibus & iurgiis finem imponebant.

Prospera lux oritur, linguisque, animisque fauete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die
Lite vacent aures, insanáque protinus absint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.

Processiones vetant praua colloquia. *Ouid. l. 1. Fastor.*

Illis iurgiorum induciis designauere pacem, atque concordiam: etenim animus inquies ineptus est ad pacem cum Deo, id est, eius gratiam adsciscendam. Tertiò vinctis adimebant manicas, & compedes, vt auctor est Liuius, arbitrati die processionis debere dari copiam procedendi omnibus, & indecorum esse diem, qua proceditur, aliquos videre duris & ingloriis vinculis impeditos. Suspicor inde nobis ingeri relaxandas esse iniurias: nempe læsus quisque suis æmulis insidias, nodosque patat. Quisquis ergo supplicare Deo intendit, exploret vtrum suos omnes inimicos absoluerit; ingrata quippe Deo est processio, quam facimus derelictis inimicis nostris in vinculis. Frustra preces, & vota Deo facit omnis, quem vltionis cupido premit: orat ille gratis & perperam, qui ab inimico suo refugit exorari.

Liuius. 1. Dec. lib. 5. Processionum tēpore soluta vincula.

Ait Alexander, Athenienses fecisse suas olim supplicationes circumferendo vasa aurea, & argentea dedicata Diis suis. Sanctiore ritu procedit Ecclesia deferendo thecas aureas & argenteas Reliquiarum, ita suos admonendo symmystas, & fideles vt illibatæ Dei gratiæ obsequio, auri & argenti speciem atque puritatem frequentatis virtutum actibus æmulentur. Rursus Ecclesia Sanctorum Reliquias inserendo thecis aureis, & argenteis, nos hortatur ad Reliquias alias, quas Ambrosius insinuat hoc contextu. *Virtutes sunt Reliquiæ Sanctorum.* Si ergo vitam nostram composuerimus ad amussim eius, quam egere Sancti, profectò tales erimus, quales aurea vasa pios homines esse suo symbolo præfigurant.

Processiones in quibus vasa aurea. *Alex. ab Alex. l. 5. genial. c. 27.* Reliquiæ Sanctorum sūt virtutes. *Ambros. in Psal.*

Sed heu tantùm abest, vt cautelæ supra recensitæ nobis adsint, scilicet puritas infantium, & charitas siue concordia, quæ relaxat iniurias, quinimò sumus ex diametro oppositi virtutibus illis, sine quibus cassæ preces sunt, quas in processione Deo fundimus, Si nos igitur, aduersa premunt, & in nostrum mala caput ingeminant, non causemur tardam esse Dei misericordiam, sed hæc flagella solùm in nostra vitia refundamus. Diceres ex professo sacram Scripturam exigere à nobis cautelas omnes, quas ex antiquitate notas dixi conducere, vt processiones nostræ Deum inclinent, faciantque nobis eum propitium. Sunt conditiones illæ implexæ, & ita sibi innexæ, vt frustra tibi vnam aptes aut alteram, si videaris incurius atque deses ab aliis abhorrere. Verbi gratiâ, ieiunium indicitur pridie processionis, vt corpore ieiuno, & afflicto, preces alacrior anima anhela Deo offerat. Huic ieiunio indicto facit satis plebs Christiana plagis concussa, petens inducias. Sed si ieiunando, nudisque pedibus incedendo, lites exerceat, atque parum curet concordiam, & de puritate nihil solicita sit, habeatque manus plenas sanguine, id est, vsuris, quæ sunt plebis egenæ cruor, vota Deus atque crebras processiones talium hominum auersatur.

Processiones quare Deum nō inflectūt.

Ecce Dei querelam, & censuram contra genus hoc hominum, quorum ieiunia flocci facit. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum, & cinerem sternere? numquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne*

Isa. 58. Ieiunia non sunt grata Deo, quæ vitia comitantur.

Oratio vt exaudiatur qualis esse debeat.

onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dices: Ecce adsum. Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest.

Vides hoc contextu, Deum velle pœnitentes esse stipatos omnibus his cautelis, quas supra memini, & alioquin cassas esse cleri atque plebis processiones. Præterea aduerte Deum inuehi in loquentes quod non prodest, hac inuectiua notans homines incurios obseruare silentium in processione decens: quippe nequit dici supplicatio, sed profana plebis deambulatio, si procedentes homines non supplicant, sed verba secum habent à salute sua penitus aliena. Vt dulcè sonant argentea vasa; ita voces, atque preces idoneas edunt ad placandum Deum homines, qui argentea, & aurea puritate nitent. Sicut autem vasa luto compacta sonum edunt obtusum pulsata; sic homines impij, peccato velut cœno graues, in processione voces ingratas egerunt, suumque satis indicant ingenium sordido luto satum, de terra solùm inter se loquela prorsus luteâ colloquentes.

Verba vel impia pios, & impios indicant.

Processiones debent fieri à tacitis.

O quantùm à seipsa distat plebs Christiana! Olim tacita & elinguis in processione Deum orabat mente magis quàm voce canora, sciens abundè preces ab anima sola attenta fusas, esse Deo longè gratiores eis, quas duntaxat lingua sonans edit. Erat tunc plebs Christiana velut aurum, & reuera vasa aurea tunc erant in processione nitentia, sicut Athenis olim; sed proh dolor! hodie plebe Christianâ mali seu vitij cœno infectâ, in processione vasa lutea traducuntur. Vnde quadrat eis iste verax Ieremiæ planctus. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.*

Ierem. thren.

Processiones aliqui frequentant vt ab aliis videantur.

Rursus hodie perfunctoriè processiones illæ fiunt, hominesque pudor illò trahit, quò it plebs adunata, magis ita more insolito attracta, quàm amore Dei. Antistite absente rari conueniunt: namque litant oculis hominum & ipsi homines, qui Præsulum, & Magnatum beneuolentiam captare volunt assistendo sacris processionibus, sic ementita specie pietatis. Hinc ipso Ambrosio censore malè audiit plebs Mediolanensis, in quam sic ille animaduertit: *Comperi, fratres, quòd per absentiam meam ita rari quique in Ecclesiam veniatis, ita pauci admodum procedatis, quasi me proficiscente mecum pariter veneritis, & quasi cum necessitatibus ego protrahor, vos mecum traxerit ipsa necessitas.*

Ambros. serm. 83.

Processionibus multi ægrè assistunt.

Tertullian. l. 2. ad vxor. cap. 4.

Tertullianus item deflet, suo tempore multos prætexisse rerum familiarium obstacula, ne processiones, aliaque sacra huiusmodi munia frequentarent. Vt namque vafer & astutus est dæmon; ita cautè pia quæque opera obstat nequando fiant, vel si quandoque fiunt, satagit aspergere næuis, & maculis, vnde fiant opera illa Deo ingrata, & mercede cadant, quam Deus illis impendit, qui constanter atque sicut par est comite gratia diuina bonis actibus intenderunt. Ecce locum Tertulliani. *Si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adueniat.*

Pertinet etiam ad morale institutum recolere, ita Deum aptare sua flagella, vt illa malis seu peccatis respondeant, vnde Deus prouocatur ad iram. Obscœna libido labem inurit animæ, fœdo corporum contagio. Opponitur illi malo pestis, quæ in inguine præsertim extuberat, inde plagam auspicata, vnde solent accensa face luxuriæ corpora conflagrare. Auaritia est auri sacra fames, qua anima stimulata vorat & absorbet opes in omne nefas præceps atque prona, modò lucri spes tantisper affulgeat. Illa cupido boni alieni sollicitat auaros ad vsuras, & furta, quibus illorum gazæ tument, in pauperum perniciem. Huicce malo nodo Deus cuneum aptum parat, nempe famem; qua ingrauescente nihil omnino prosunt opes Midæ, & auari iuxta gazas inutiles illa alia fame rabidi moriuntur. Denique si rara est concordia fratrum, quos natura satos eodem parente fecit, erit & parua concordia Christianæ plebis, quam iurgia quotidiana scindunt in varias partes. Vnde lites, iniuriæ, verbera, pugnæ, cædes, aliaque mala, quibus adigimus Deum, vt ipse nobis acerba bella suscitet & indicat, concessæ pacis hactenus fœdere dissoluto.

Flagella Dei referuntur ad tria genera peccatorum.

Pestis quare homines inficiat.

Fames quare homines afficiat.

Bella quare lacessunt homines.

Cùm ergo Deus inuitus, & coactè flagris agat nobiscum, & infligendo plagas hoc intendit, vt tædeat nos vitæ nostræ, si que flagella manu excidant, quid moramur? vnde veternum contraximus? & quid obstat quominus operam demus redire cum Deo in gratiam, castigando manu nostra mala, quibus plectendis ille sua flagella quatit in nos parum solicitos de æterna nobis gloria procuranda. Si virga nihil nos incussa moueat, saltem olla metum incutiat; quos namque flagella duros & proteruos inueniunt, hos olla foco æterno accensa coquet, & torrebit, omni spe veniæ obtinendæ postmodum interclusâ. Vtramque vidit Ieremias, virgam scilicet, & ollam: primò quidem virgam, & hanc vigilantem; namque Deus verberando nobis inuigilat, vt mundemur. Olla demum obiecta Vati significat, homines incurios pœnitentiæ, & virgâ intortâ nihil proficientes, esse velut desperatos, cum damnatis in æternum bullienti ollæ Inferi mancipandos. Ita ferè Hieronymus. *Vigilat,* inquit, *virga, cuncta populi peccata considerans, vt percutiat, & corripiat delinquentes. Vnde, & Apostolus scribit peccantibus, quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Ista est virga, vel baculus, de qua Dauid loquitur: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Pulchréque posuit, consolata sunt. Ad hoc enim Dominus corripit, vt emendet. Et quomodo nux siue amygdalum amarissimum habet corticem, & testa durissima cingitur, vt detractis austerioribus, & duris, fructus dulcissimus reperiatur; sic omnis correptio, & labor amara videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos. Vnde & vetus illa sententia est: Literarum radices amaræ, fructus dulces. Postea subdit: Quid tu vides? Ollam succensam ego video: Quoniam, qui noluerint percutiente virgâ emendari, mittuntur in ollam aneam, atque succensam, de qua plenius Ezechiel,*

Ierem. 1.

Hieronym. l. 1. in cap. 1. Ierem.

Virga vigilans quid sit.

Virgam quare olla subsequatur.

Ezechiel, quæ à facie Aquilonis accenditur. Vt sublatâ causâ, cessat & effectus inde fluens; ita peccatorum colluuie exsiccatâ, vapor ille non assurgit, vnde Deus illa fingit, quæ solet in impios fulmina contorquere. Præter Gregorium, & Mammertum, qui indicta processione modum fecere plagis, quæ tollebant homines è medio, multis adhuc historiis constat, illas desiisse plagas statim atque vitæ iniquæ finem imposuere mali, sicque perpetrata crebrò eorum crimina desierunt. Quodque parit magnam pœnitenti fiduciam, Deus ipse suam oppignerando fidem asseruit, se flagello sæuiente malum omne procul abacturum, si homines, qui peccando sibi consciuere malum, abnegato ritu pessimo, cui assuevere prius, sese receperint in meliorem frugem, Deumque sibi, vt beneficus adsit, animo facti impij pœnitente votisque omnibus inuocarint.

Flagella Dei quando cessent.

2. Paral. 7. Ecce Dei pollicita. *Si clausero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauerò & præcepero locustæ vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum; conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis; & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit.* Ista Deus pollicita præuenit antiquitus: quippe plagis afflictos Hebræos in Ægypto sic eripuit his flagellis, vt persequentes Ægyptios populum ad Deum conuersum pelago vindice suffocarit.

Non obstante recidiua plebis sæpe sæpius diffluentis ad idolorum cultum, qui delinquentes iræ Dei fecit obnoxios & captiuos gentilium; vbi erroris Hebræos pœnituit, statim Deo miserante redux hic populus ad propria rediit sospes, & incolumis, sese Deo semper effingente talem, qualem actione sua populi meruerunt. Vt peccauit Dauid, ecce luem, sed instante Regis pœnitentia Deus supersedit. *Immisit Dominus pestilentiam in Israel de manè vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit. Dixit autem Dauid ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Sequuti sumus errantem, sequamur pœnitentem, vt ira Dei, quam accendêre crebra diu scelera, compescatur. 2. Reg. 24.



HOMILIA DE IVBILEO, SEV DE Indulgentiis.

SVMMA HOMILIÆ.

I. EST huius homiliæ series tota penes vocem, & res significatas nomine Iubilei. Eamobrem auspicor hunc tractatum à gratia quondam concessa plebi Hebrææ toto anno Iubilei, & clarè probo, Ecclesiam, quæ Synagogâ Deo potior est, habere suo Iubileo gratias ampliores eis, quæ in Hebræorum obsequium sacro codice recensentur.

II. Exordio expedito, peto priori parte, quid sit Iubileus, & dico vocem esse deductam à verbo iubilo, esto nomen יובל *Iobel* aliud planè sonet Hebræa dialecto. Discussâ vocis anatome exquisitâ, totus sum in perscrutanda Indulgentiarum essentia, & obiter perstringo ritus olim insolitos apud exteras gentes, quæ aliquam speciem Iubilei quotannis in miserorum gratiam expresserunt.

III. Enodatis illa priori parte præcipuis difficultatibus, quæ ad Indulgentias pertinent, explico Iubilei effectus altera sectione homiliæ. Hos effectus elimatè venor ex gratiis indultis olim Hebræis, & eas omnes apto Christiano Iubileo, cui satis superque has omnes quadrare probo, etiam prædiuite adiecto fœnore gratiarum. Demum hoc Iubilei pensum concludo, notans astutam dæmonis industriam Iubileo iniuriam. Nempe palàm facio causam, quæ irritas facit omnes Indulgentias, & hanc ostendo esse pudorem intempestiuum, qui elingues efficit homines, quando sistuntur sacerdoti. Hanc verecundiam carpo velut noxiam, & concludo monens, quæ sint vitanda piis, qui Indulgentiæ gratiâ profecerunt.

PRÆ

PRÆFATIO.

Canes buccina, sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse enim est Iubileus. Leuit. 25.



VBA suo clangore typum belli semper expressit, iuxta Vatis hoc effatū. Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Gens Hebræa pacis amica magis, quàm belli, festa sono tubæ indixit, sicque tubæ Hebris fuerunt indices & belli, & festorum. Quippe tubæ clangor aperuit Iubileum, & ad profligandos hostes, Hebræorum agmina concitauit. Ab hac duplici significatione sacra non abhorret Ecclesia, quando suum auspicando Iubileum, prædicatores conducit, vt sonora tubæ illa plebi significent Indulgentias, quas annus ille vehit, animas restituens in integrum, & præuia confessione Deo reddens, à quo antea defecerunt. Eo intento quidem prædicatores ante plebem clangunt, vt admoneant omnes, qua ratione queant effici compotes gratia, quæ influit in animas illo tempore Iubilei. Rursus intendit Ecclesia, has suas animare tubas, vt bellum vitiis indicant: quippe sacri Iubilei obsequiis, vitiorum quæ hactenus inualuerant agmina prosternuntur. Sortiuntur mystica illa tubæ effectum, cuius meminit Scriptura, tubam Iosue commemorans. Cùm (*inquit*) insonuerit vox tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis. *Callidus hominum hostis dæmon captiuas animas Babylonem duxit, & ibi vinclis obscœno vitiorum carceri mancipauit. Illic acerbè gemunt omnes, quos vitia addixere diris diaboli nexibus, nec omnis industria humana valet homines illos eripere vinculis illis iniuriis libertati, qua ceciderunt animæ hominum, qui diabolo suadente fœdis deliciis, atque voluptati omnigenæ turpiter indulserunt. Frustra muros vitiorum indoles humana quatit. Namque supra vires hominum est Babylonis mœnia diruere: quippe potest homo seipso peccare solo, sed citra Dei obsequium, & specialem gratiæ Dei influxum exire nequit extra muros Babylonios, & ad statum gratiæ pristinæ remeare. Ad sonitum tubæ, idest; præconis Dei resonantis cadent muri; nam Deo miserante plebi desuper illabetur gratia sollicitans animas ad contritionem & confessionem peccatorum, quæ Babylonis mystica mœnia construxerunt. Itaque hodie ego tubam agens, ad arma voco vos omnes. Ego tubâ Iubileum aperio, & vt fax belli conscribo viros expeditos ad prælium. Arietabo in muros Babylonis, & hi Deo stante à partibus nostris concussi Iubilei virtute ruent, hoc præstante Deo, & impetrante Deipara, quæ propitia nobis aderit Angelicis precibus aduocata.* Aue Maria.

Prædicatores sūt Euāgelij tubæ.

Iosue 6.

Babylon est figura status peccatorum.

SIngulari prærogatiua Deus liberalis, in gratiam Ecclesiæ Sanctæ manus explicuit, quas parcus antea contraxerat pro Synagoga satis indiga gratiarum. In confesso nimirum est, Deum duntaxat concessisse typos, & figuras Hebræis, in Ecclesiam verò sacras influxisse dotes has reales, & sinceras, quas Synagogæ typi, & figuræ rudes alias adumbrarunt. Hac præuia, & constante veritate potest vnusquisque coniicere, quàm sint pretiosa dona, quibus Ecclesia Sancta præit Synagogæ, cuius potiora dona nostris comparata, leues tantùm vmbras referunt. Exempli gratiâ, magni facta fuit virtus illa sacerdotibus impertita, lepram dubiam discernere, & quandoque detergere. Cùm ergo sacerdotes Ecclesiæ præpolleant illis Hebræorum, est pluris facienda sanè virtus, qua præualent ad animas expiandas. Ita quoque liquere potest nostri Iubilei gratia indulta piis quibusque fidelibus: quisquis enim recolet gratias indultas Hebræis anno Iubilei, ille coniiciet appositè, quid nostro Iubileo detur hominibus, quia vt præmisi, Synagoga cedit Ecclesiæ, & Iubileus Hebræorum conferebat bona solùm temporalia, ac proinde nihil supernaturale sunt adiectum hominibus conscijs huius obsoleti gratiâ Iubilei.

Vt erat gens Hebræa rudis, & assueta typis corporeis; ita fuit impos assurgere ad arcana nobis explicita: idcirco Deus eam erudiit, vsurpando typos, & figuras sensibiles, vt illis elementis se aptaret ad altiora mysteria, quæ Christus erat aperturus aliquando suis sequacibus. Vt anno Iubilei, multa Deus indulsit beneficia temporalia seruis & liberis ære alieno pressis, quibus inferre licet gratias spirituales, quæ Christianos afficiunt, quando sicut par est ad Iubilei lucra se componunt cautelis præuiis, quæ ad comparandas illas gratias assignantur. Ne hæc lucra gratis indicta sint, de industria texui istam homiliam. Priori parte dicam, quid sit Iubileus, seu Indulgentia, & qua ratione quisque se aptare debet ad hoc vt Iubilei compos esse queat, & non excidat gratiis Iubileo pollicitis. Altera parte recensebo dona & effectus Iubilei nostri, & monebo quibus sit abstinendum, ne iacturam gratiarum, quæ influxerunt obsequio Iubilei, anima patiatur.

Diuisio homiliæ.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quid sit Iubileus, seu Indulgentia.

§. I.

EX LINGVIS, ANTIQVITATE, IVRE CANONICO, SS. PATRIBVS, ET HISTORIA.

VT rarior vua tumet in vineis vbi frondes & pampini luxuriant; ita rerum inopia sese nominum quæstione nimis effusa prodit. Itaque paucis inuestigo nomen seu vocem Iubilei, & Indulgentiæ, ne prolixior oratio in anatome discutienda vocum nectat importunas in hoc argumento moras, atque rerum etiam selectarum pro hac subiecta materia ingloriam arguat egestatem. Dico ergo, Iubileum esse vocem deriuatam à verbo, iubilo, quod gaudium singulare notat, & exultationem præcipuam. Vox Hebræa יובל *iobel*, qua vtitur Moses, multis imposuit, quia significat cornu arietis & buccinam: dicunt enim Iubileum ita dictum, eò quòd cum huiusmodi

Iubilei vox vnde deducitur.

huiusmodi resonans arietina buccina designaret. Bellarminus, qui hanc refellit opinionem, suam ei substituit, quæ mihi non probatur. Ait ille, vocem Hebræam Iobel deduci à verbo יבל *iabal* quod significat germinare, & Iubileum ita fuisse dictum, quod ille annus esset germinans, & fœcundus. Pace viri tanti dixerim, à scopo aberrat. Primò terra vacans illo anno, non sata fruges haudquaquam edebat. Secundò si libertatem, & debita relaxata fruges ille appellat, nequit Iubilei nomenclatura peti à metaphora, cum Iubileus aliunde queat iuxta sonum & literas congruè nuncupari.

Hæc igitur esto mea sententia. Iubileus Hebraicè non dicitur Iobel à cornea buccina vt Rabbini volunt, nec à verbo Iabal quatenus germinare sonat, vt vult Bellarminus; sed est participium verbi Iabal, quod significat ducere pompaticè, & cum mora sicut erat ille sonus buccinæ Iubilei tempore resonantis. Sicque sonus ille, iubilum atque lætitiam sua productione notans, Iubileum denominat. Idcirco Moses sonitum tubæ indicem Iubilei vocat תרועה *theruha* id est, iubilum, seu exultationem, qua & voce Dauid vtitur, vbi nos vertimus iubilum, & exultationem. Vnde patet, sonum illum, qui longiore suo tenore parit animo lætitiam, & quem Hebræi Iobel appellare queunt, Iubileo hunc titulum indidisse.

Iubilei vox est Latina nō Hebræa.

Latini verò, vt præfatus sum, non deduxere vocem Iubilei à radice Hebræa: alioquin à Iobel dicendus esset Iobeleus, & non Iubileus. Vox illa latinitate donata est, & deducta à verbo iubilo; namque fuit argumentum ingens lætitiæ clangor ille tubæ reuocantis ad libertatem seruos, & omnium, qui erant ob æs alienum in nominibus aliquorum, debita relaxantis. Si ab Hebræo Iobel ad Latinos deuenisset illa Iubilei nuncupatio, Græcus interpres, qui perfectè sciuit Hebraicè, religiosè vocem illam vsurpasset, sicut & Euangelistæ fecere voces amen, Pascha, thabbittha Kumi, Golgotha; sed pro Iobel septuaginta interpretes Leuit. 25. has substituere voces, ἀφέσεως σημασία, id est, remissionis significatio, vnde patet, benè coniecerim necne, quando dixi vocem Hebræam Iobel esse participium verbi Iabal, vt significat ducere longiusculè, & cum pompa, cùm vox illa notans Iubileum dicatur hominibus indicere significationem remissionis, quæ erat Iubilei tempore copiosa.

Iubileus figura fuit Euangelij.

His amplius immorari credo nodos esse in scirpo quærere. Ad rem. Iubileus Hebræorum quinquagesimo quoque anno libertatem seruorum adstruens, & debita condonans, proculdubio nota fuit Euangelij, cuius obsequio exulans hominum natura redux restituta fuit sedibus, vnde pulsa diu luxit, concessa remissio criminum, & dæmonis omnia vincula dissoluta. Præscius ita Vates induxit Christum auspicantem prædicationem Euangelij. *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino.* Allusione facta ad remissionem illam, quæ fiebat olim in Iubileo Hebræorum, Ecclesia annum illum, quo debitè confessis pœna remittitur, Iubileum vocat; quippe relaxata scelerum pœna secum argumenta vehit plurima iubilandi. Et quia indulgentiæ maximæ conceduntur anno recurrente Iubilei, mos inualuit, vt nomine Iubilei significemus omnes indulgentias, quæ tantæ sunt, quantæ possunt esse maximæ, licet extra consuetos annos eas Pontifex indulgeat, ad quem vnum in terris tantùm pertinet, eas hominibus singulares gratias impertire.

Isai 61.

Iubilei & Indulgentiæ differentia.

Nota, licet Iubileus Indulgentiam significet, non esse tamen voces illas synonymas; etenim haud adæquatè notant gratiam factam ab illo, penes quem est facultas indulta nobis condonare pœnas, atque supplicia decreta reis, qui sese summâ Dei iniuriâ fœdis & implexis peccatorum nexibus obstrinxerunt. Indulgentia, nomen est genericum, cui Iubileus instar speciei subiicitur. Iubileus enim Indulgentia est, sed omnis Indulgentia non est Iubileus; plures namque sonant gratiæ, audita voce Iubilei, quàm Indulgentiæ: quippe nomen Indulgētiæ singulis quibusq; licet leuibus culparū seu pœnarum veniis affingitur: at Iubileus index est atque sonus integræ libertatis.

Indulgentia quid sit.

Aliter vsurpant Indulgentiæ vocem profani auctores. Primò lenitatem, & disciplinæ seuerioris incuriam, quæ animos ad delicias inflectit, hoc Indulgentiæ nomen significat. Ita Quintilianus. *Molis* (inquit) *illa educatio, quam Indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit.* Secundò, vox hæc accipitur pro comptula, & eleganti facie. Sic apud Statium. *Egregia tanta indulgentia formæ.* Quintilianus item. *Placet, vt si filio obtigerit indulgentior facies, vultus erectior, refugiat mater amplexus.* Tertiò sumitur indulgere, pro cupiditatibus obsequi. Inde phrasis, Genio indulgere. Eò respicit illud Virgilij.

Quintil. l. 1. cap. 3.

Statius lib. Thebaid. Quint. decla. 18.

Indulge hospitio, causasque innecte morandi.

Æneid. 4.

Indulgentia verò sacris auctoribus remissionem significat. Vbi namque dicit Isaias. *Prædicare captiuis Indulgentiam.* Lucas Euangelista scribit. *Prædicare captiuis remissionem.* Paulus Apostolus, pro permissione vocē Indulgētię substituit, ita fatus: *Hoc autem dico, non secundum imperiū, sed secundùm Indulgentiam.* Nos hic Indulgentiam accipimus pro remissione, sicut & accipitur à Sanctis Patribus, quando commemorant Indulgentias datas olim pœnitentibus in gratiam Martyrum. Inualuit quippe ritus olim, vt Episcopi relaxarent pœnas indictas hominibus publicè pœnitentibus, quando id Martyres conclusi carcere flagitabant. Ecclesiâ pulsi pœnitentes libellos supplices offerebant illis Martyribus, qui miseratione moti scribebant Episcopis, vt hos eiectos in gratiam reciperent. Vt autem Præsules magnifaciebant, sicut æquum & par erat, Christianos hos Martyres, qui discrimine vitæ ratam suam fecere fidem; dum libellos supplices recipiebant inscriptos nomine Martyrum, sponte pœnas indictas pœnitentibus intuitu perpetrati criminis indulgebant. Et illa pœnæ iniunctæ remissio facta, quia sic placitum erat Martyribus, vocata est Indulgentia, vt videre est apud Tertullianum, & Cyprianum. In eo etiam sensu Hieronymus, & Augustinus vsurpauere nomen Indulgentiæ, pro remissione.

Isa. 16.

Luc. 4.

1. Cor. 7.

EX ANTIQVITATE Indulgentia data olim in gratiā Martyrum qui erant in carcere.

Tertul. l. de Mart. Cypr. ser. de lap. & ep. ad Iubaianum. Hier. in cap. 4. Danielis. Aug. in Ps. 101.

Aduerte Dei tantùm esse, culpas dimittere, & Christum inde Deum sesemaximè probasse, quia sæpe sanaturus ægros, peccata seu perpetrata crimina relaxabat. Cùm ergo Papam audis Indulgentias concedere, hoc habe pro comperto, solam tunc remitti pœnam residuam post absolutionem culpæ, virtute sacramenti. Principes etiam

quandoque

quandoque suis indulgent subditis condonando pœnas, quas meruere suis deliquiis: & hæc remissio est sortita quoque nomen Indulgentiæ; quippe codex iuris habet leges, & titulos, Indulgentiæ nomine prænotatos. Ita Codex Theodosianus, & alter Digestorum tomus.

Codex Theod. l.9. tit. 38. de Indul. crim. leg.3. & 4. Leg. Encium. ff. ad S. C. Turpil. Leg. indulg. Cod. de generali abolit.

Thrasybulus legem amnistiæ tulit.

Græcis olim, & Romanis vsitata fuit illa remissio. Thrasybulus Athenis pulsus ingloriè cum plerisque viris innoxiis, quos tyrannorum rabies illic regnantium fecerat extorres, parua quidem sed lecta manu militum conscripta, iugo tyrannorum suos contribules absoluit, reddiditque suam patriam (scilicet Athenas, hactenus oppressas) pristinæ libertati. Sed quia fortè parum erat excussisse iugum tyrannorum, nisi reduces exules inflecteret ad veniam iniuriæ acceptæ ab eis, qui stetere prius à tyrannorum partibus; ille libertatis atque iuris antiqui assertor, legem tulit, qua seuerè fuit cautum, ne quis iniuriæ veteris memoriam animo reuolueret, vt à se prius vrbs distracta feris odiis, oblita lites atque discordias antiquata fœdera refricaret. Illa remissio offensarum reuera fuit Indulgentia, quam ab obliuione iniuriarum Xenophon vocat ἀμνηστίαν.

Xenoph. l.4. rer. Græcar.

Indulgentiarum olim species quædam Romæ.

Famosa fuit & Indulgentia, quam Pompeius olim indixit omnibus Romanis consciis belli, quod Sertorius desertor & perduellis intulit patriæ. Fracto namque Duce rebellium Sertorio, Pompeius agens pro Republica contra Sertorium, inter eius spolia reperit arcam, vbi erant reconditæ arcanæ quædam epistolæ scriptæ Sertorio à multis Romæ degentibus, ac proinde reis, quia stabant à Sertorij partibus. Pompeius ne in discrimen venirent hi Romani, quibus indulsit, epistolas omnes nemini ostensas publicè concremauit.

Saturnalia festa Iubilei speciem portendebant.

Habuit & olim Roma ritum, quo expressit aliquam Iubilei imaginem. Nempe vetus Roma eodem mense, quo Papa suum Iubileum aperit, id est Decembri, celebres habebat dies Saturnales, quibus erat seruitutis remissio: serui namque velut dominis pares & æquales intererant sacris, & æquato iure rerum, deposita seruitutis effigie, vnà cum dominis opiparè instructis epulis assidebant. In Christiano Iubileo viris olim seruituti peccatorum obnoxiis fit copia libertatis, qua prius exciderant, si pœnitere velint: iisdem abiectis exuuiis ingloriæ sortis, scilicet peccati, fas est discumbere cum Christo vescique pane Angelorum, qui dominis duntaxat & liberis apponitur; aliis verò obstrictis peccatorum vinculo denegatur. Vnde dies Iubilei Christiani præstant Saturnalibus, quorum meminere Solinus, Plutarchus, Macrobius, & Athenæus. Mensis huius libertatem seruis indultam meminit Horatius, eam vocando libertatem mensis Decembris.

Solin. c. 3. Plut. in comparat. Numæ & Lycur. Macrob. l. 1. Satur. c. 12. Athen. l. 14. cap. 17.

Sesatis olim data libertas quotannis in Saturnalibus.

Iamdudum ausculto, & cupiens tibi dicere seruus
Pauca reformido. Dauusne? ita, Dauus, amicum
Mancipium domino, & frugi, quod sit satis, hoc est,
Vt vitale putes. Age libertate Decembri
Quando ita maiores voluerunt, vtere, narra.

Iniuriarum in Saturnalibus olim remissio.

Horat. l. 2. Serm. Sat. 7. Alex. ab Al. l. 2. c. 22.

A Græcis, & maximè Atheniensibus hunc defluxisse morem ad Romanos ait Macrobius, qui in eo argumento refert versus L. Acij veteris poëtæ. Adiicit Alexander rem, quæ speciem nostri Iubilei aliqualiter exprimit; videlicet in Saturnalibus fuisse remissas iniurias, atque libertates compositas, vt concordi voto ciues Numini supplicarent. Habuere rudem etiam imaginem Iubilei, Babyloni, apud quos Sacea festa fuere seruis adeò propitia, vt quinque dies agerent non in libertate solùm, sed & in dominio. Etenim serui abiectis humilibus seruitutis indiciis, vt sunt centones, & laceræ vestes, acceptis nobilibus insulis dominis imperabant. Ita Berosus, Ctesias, & Athenæus. Persis & hunc placuisse morem scribit Strabo, probans & in Persas Iubilei nostri speciem influxisse. Baron Sinopæus ait: apud Thessalos Peloria festa idem præstitisse in gratiam seruorum, vt apud Cretenses Hermæa festa, sicut annotat Carystius. His adiice panagyra festa apud Troëzenos, qui seruis instruebant epulas, vt auctor est Athenæus. Vtque libertatis imago foret expressa magis, illò die festo nefas erat dominis cum turba seruorum lætantium epulis assidere.

Festa Sacea qualia fuerint.

Beros. l. 1. rerum Chald. Ctesias l. 2. rer. Persicar. Athen. l. 14. cap. 17. Strabo l. 11.

Festa Peloria.

Festa Hermæa.

Baron. Sinop. or. de Thessal. Caryst. in comment. histor. Athen. vbi supra.

Esto duro sit assueta iugo vilis seruorum indoles; attamen illa nequit seruare diu inglorium hunc tenorem, nisi domini aliquando seruis indulgeant. Vt autem illa Indulgentia seruis concessa magis proficeret, illam indixere die festo, sic seruos obstringendo Deum venerari cultiori modo, concessâ pietatis ergò seu religionis intuitu quadam ementitâ specie libertatis. Est laudanda sanè mica illa humanitatis, quæ exosa diuturnam seruitutem fuit industria ad excogitandas inducias, vnde leniretur acerbitas sortis iniquæ, in quã sæpe solent miseranda sua mancipia crudeles & inhumani prorsus domini condemnare. Illa tamē momentanea seruitutis remissio non accedit ad gratiam, qua gaudemus; quippe leuis illa fuit, & ad moram libertas indulta mancipiis: at nos in Iubileo vinculis æternis absoluimur, quæ nemo mortalium haudquaquam sacris initiatus explicare potest. Imò neque Iubileus Hebræorum integram libertatem adstruens non accedit ad nostrũ Iubileum: namque plebi Hebræorum corporum libertas indulta fuit illo anno. Sed Christianis obsequio Iubilei gratia conceditur, qua in æternam libertatem animæ vindicantur.

Iubilei quæ sit excellentia.

Illa libertatis animarum excellentia parta Iubileo fiet liquidior ex definitione Iubilei, quatenus cum Indulgentia conuertitur: siquidem Iubileus Indulgentia est, licet omnis Indulgentia non sit Iubileus. Itaque, *Indulgentia propriè est absolutio iudiciaria, annexam habens solutionem ex thesauro.* Est hæc bipartita descriptio Indulgentiæ, ac proinde duo importat. Primum est absolutio iudiciaria, quæ probatur his textibus. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Item *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Hos textus ad potestatem iudiciariam pertinere clamant omnes, nemine refellente.

Indulgentia quid sit.

Matth. 16.

Matth. 18.

Adstipulantur & canones. Nempe Papa Alexander ait, neminem posse concedere Indulgentias nisi propriis subditis, quia (inquit) Iudex proprium tantùm subditum absoluere potest. Rursus Gregorius VII. in multis epistolis concedendo sacras Indulgentias, vocem absolutionis sæpe sæpius vsurpauit. Tertiò pro defunctis non conceduntur Indulgentiæ, nisi per modum suffragij, quia illi non possunt iudicialiter absolui. Quartò si non esset necessaria iurisdictio ad Indulgentias cõcedendas, quicũque vellet alteri applicare suam satisfactionem, ille dici

Ex Iure Canonic.

Cap. Quod autem. De pœnit. & remission. Alex. III.

dici poſſet Indulgentias alteri conceſſiſſe: Sed hoc eſt inauditũ: Ergo rata manet concluſio diffiniẽs, Indulgentiam eſſe abſolutionem iudiciariam.

Indulgentia eſt abſolutio & ſolutio.
Clem. VI. in Extrauag. Vnigenitus.

Alterum, quod in Indulgentiæ deſcriptione ſonat, eſt ſolutio ex theſauro, quæ dicit applicationem theſauri Eccleſiæ. Probatur illa ſolutio auctoritate Clementis VI. qui hanc explicitè docuit. Accedit & ratio: Quippe Papa licet in hoc orbe gerat Dei vices; non ita tamen Deum refert, vt abſolutè queat & ad arbitrium ſuum ſine vlla compenſatione condonare hominibus culpas, vel pœnas, quibus ſunt obnoxij in foro Dei: ſed ita iudex à Deo conſtitutus eſt, vt poſſit relaxare quidem nomine Dei culpas, & pœnas, ſic tamen vt iuſtitiæ diuinæ fiat ſatis. Hoc, exemplo quotidiano patet; ſiquidem ſacerdotes, cùm in ſacramento Pœnitentiæ abſoluunt reos pœnitentes à culpis, & ab aliqua parte pœnæ temporalis, non id faciunt ſine compenſatione, ſed applicant pretium ſanguinis Chriſti, ne qua fiat iniuria diuinæ iuſtitiæ. Igitur eo planè modo cùm Prælati Eccleſiæ ſuos abſoluunt ſubditos à debito pœnæ temporalis ſubeundæ, id faciunt applicando ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum. Illa nimirum hic inconcuſſa valet Apoſtoli ſententia. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio peccatorum.*

Theſauri Eccleſiæ applicatio eſt neceſſaria ad Indulg.
Hebr. 9.

Quandoquidem theſauri Eccleſiæ mentio incidit, operæpretium eſt explicare, penes quid ſit hoc locuples & ſpirituale penu. Hoc itaque primò ratum eſto, ſcilicet, omne bonum opus habere duplex pretium, meriti videlicet, & ſatisfactionis. Vtrumque vide hoc textu Iob. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Dum à morte tutos efficit, ſatisfacit; dum verò vitam æternam adſtruit, hanc meretur, vt Chriſtus ipſe ſuo calculo comprobauit. Ait namque fore beatos homines, qui vt par & æquum eſt erogauerint egenis ſtipem. *Percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.*

Eleemoſynæ virtus.
Iob. 4.
Matth. 25.

Accedunt & Sancti Patres, agnoſcentes vtrumque pretium, meriti ſcilicet, & ſatisfactionis. Perſtringam aliquos duntaxat, & raptim. In gratiam ſatisfactionis, ad quam opera bona valent, accipe Chryſoſtomum ita fatum: *Non eſt peccatum, quod non poſſit purgare eleemoſyna.* Adiice Cyprianum. *Eleemoſynis, atque operibus iuſtis, delictorum flamma ſopitur.* Concordat Auguſtinus. *De quotidianis, breuibus, leuibuſque peccatis, ſine quibus hac vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit.* Demum Cyprianus vnico contextu meritum & ſatisfactionem ait bonis actibus impertiri. *Qui* (inquit) *ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus, & adiutus à Domino, quam contriſtauerat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec iam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.*

Opera bona ſunt meritoria & ſatisfactoria.
Ex SS. PATRIBVS.
Chryſ. ho. 25. in Acta Ap.
Cypr. ſerm. de eleem.
Augu. c. 71. Enchir.
Cypr. ſerm. vlt. de lapſis.

Aduerte ſecundò, boni operis meritum non poſſe applicari alteri, quia inde ſolùm quis meretur, vnde benè operatur. Ergo nequit alter eſſe dignus præmio vnde bonum opus non patrauit. Præterea non poteſt homo ſpoliari proprio merito quantumuis oret pro alio, vel ieiunet, vel eroget eleemoſynam. Ergo nemo poteſt communicare meritum, vt paſſim Scriptura ſacra ſonat. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet.* Si ſingulos quoſque beat merces propria, nemo fidat meritis alienis. Tertiò nota, poſſe ſatisfactionem applicari; nam illa eſt compenſatio pœnæ, vel ſolutio debiti: at poteſt quis ita pro alio compenſare pœnam, vel debitum ſoluere, vt ille ſatisfeciſſe dici queat: ſed ille nequit eodem bono opere pro ſe & pro aliis ſatisfacere. Duo hæc præfata poſſunt illuſtrari exemplo vernaculo. Nam poteſt ciuis proprio ære diſſoluere debitum eius, qui erat in nominibus alterius; ſed ille nequit eâdem numero pecuniâ debitum diluere quod contraxit, ſed ad hoc pecunia alia numeranda. Rurſus homo nequit efficere propitiis meritis, vt alius homo ſit dignus Magiſtratu, quod ad iuſtitiam diſtributiuam pertinet: cùm tamen proprio ære queat eum eripere debito creditoris, ita vt dici poſſit ſatisfeciſſe, ſi pro eo debitum ſoluit, quod pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. Itaque nemo poteſt meritum proprium, cui debetur præmium ex iuſtitia diſtributiua alteri applicare, eſto queat ſatisfactionem, quæ ex iuſtitia commutatiua exigitur pro diluenda pœna debita crimini perpetrato.

1. Cor. 3.
Meritum nõ poteſt pro alio applicari.

Ex præfatis inferimus, eſſe gazas, ſeu theſaurũ ſatisfactionũ Chriſti, & Sanctorum, & hunc theſaurum Eccleſiæ non poſſe vllis Indulgentiis, ſeu Pontificum gratiis exhauriri. Etenim Chriſti Paſſio fuit pretij infiniti, vt abundè liquet ex Scriptura. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Ad hûc etiam theſaurum pertinent ſatisfactiones B. Mariæ Virginis, & Sanctorũ qui egregia opera ſatisfactoria fortiter exantlarũt. Has ſatisfactiones Chriſto, & Sanctis ſuperuacaneas applicari poſſe aliis, quos luenda ſibi depoſcit aliqua pœna tẽporalis, probatur primò ex hoc ſymboli Apoſtolorũ articulo. *Communionẽ Sanctorum.* Docemur enim inde fideles eſſe inuicem membra, & quaſi viuum quoddã corpus. Vnde ſicut mẽbra animata ſe inuicẽ iuuãt; ita fideles inter ſe bona ſua cõmunicant, præſertim cùm ea, quæ vni ſuperflua ſunt, alteri neceſſaria, vel valde vtilia eſſe poſſunt. Fauent & hi textus Apoſtoli. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Item. *Omnia ſuſtineo propter electos.* Demum. *Ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.*

Theſaurus Eccleſiæ quid ſit.
Ioan. 1. c. 2.
Satisfactiones SS. communicantur.
Coloſ. 1.
2. Timot. 2.
2. Cor. 12.

Iam eſſe penes Eccleſiam facultatem applicandi hunc theſaurum, qui conflatur ex paſſionibus ſeu ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum patet hoc ipſius Domini effato. *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Eſt enim generalis hæc facultas, nec vllis concluſa carceribus, ſicut iſta ſunt. *Quorum remiſeritis peccata.* Siquidẽ hæc ad peccata ſolùm porrigitur, ſed alia facultate quæuis ſiue culpæ ſiue pœnæ vincula diſſoluuntur. Hæc Chriſti verba dedere Petro poteſtatem abſoluendi à peccatis in ſacramẽto Pœnitentiæ, item & diſpenſandi in legibus, in votis, & in iuramento, quando ſubeſt cauſa rationi conſentanea: & hoc poſtremum ius diſpenſandi poteſt extra ſacramentum Pœnitentiæ, quando Papæ libet, & ratio exigit, exerceri.

Matth. 16.
Theſaurus Eccleſiæ poteſt applicari à Papa.

In ipſis incunabulis Eccleſiæ reducta fuit ad praxim hæc poteſtas applicandi paſſiones Chriſti, & Sanctorum, concedendo Indulgentias, vti fecit Apoſtolus Paulus, ita ſuam commemorans Indulgentiam. *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à Satana.* Ad hanc conceſſionem coiere tria ne-

2. Cor. 2.
Indulgentias Paulus conceſſit.

cessaria ad hunc Ecclesiæ Thesaurum validè dispensandum. Primum est in concedente Indulgentiam auctoritas, quam Paulus insinuat, ex persona Christi, indulgendo viro Corinthio incestuoso. Alterum est, Pietas in causa: nam periculum erat, ne nimia seueritate Pauli, qui hominé illum nequam eiecerat extra Ecclesiam, & qui pœnitentiam iniunctam ferè totam exegerat, Corinthij malè sentirent: ergo rogatus ab eis Apostolus piè indulsit. Tertium est. Charitas in suscipiente: etenim audierat Apostolus, hominem censura perculsum adeò fuisse & contritum, vt præ mœrore vitæ discrimen incurrerit, quod planè fuit influentis gratiæ euidens argumentum.

Indulgentia vt sit valida tria requirit.

Ex Historia. *Tertul. l. ad Mart. c. 1.*

Historia etiam priscorum Ecclesiæ temporum suffragante liquet, in vsu fuisse ritum illum concedendi Indulgentias, vt memini supra ex Tertulliano, & Cypriano; quorum iam textus habe. Tertullianus ita suos Martyres adhortatur: *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueuerunt, & ideo etiam propterea in vobis habere, & fouere, & custodire debetis, vt si fortè & aliis præstare possitis.* Rursus Cyprianus obseruata SS. Martyrum indole, quæ prona fuit ad misericordiam, scripsit eis vt cautè suas preces, seu epistolas commendatitias darent pœnitentibus, qui Indulgentias ab Episcopis freti Martyrum precibus extorquebant. Sic ille: *Petitiones, & desideria vestra Episcopo seruent, & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectent, &c. Oro vos quibus possum precibus, vt Euangelij memores, & considerantes quæ & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint, quàm solliciti in omnibus fuerint, vos sollicitè & cautè petentium desideria ponderetis, vtpote amici Domini, & cum illo postmodum iudicaturi, inspiciatis actum, & opera, merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne si quid abruptè, & indignè, vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.* Item alibi refricando pacem, seu Indulgentias in gratiam Martyrum concessas pœnitentibus, hæc subiecit. *Pœnitenti operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus, & petierint Martyres, & fecerint sacerdotes.* S. Gregorius ille Magnus iuxta ritum Ecclesiæ concessit Indulgentias diebus stationum, vt Guillelmus Altisiodorensis, & beatus Thomas aliàs aduerterunt.

Cypr. l. 3. ep. 15. apud Pamel. ep. 11.

Indulgentia cautè debet concedi.

Serm. vlt. de lapsis. Guil. lib. 4. Sum. Theol. tract. 6. c. 9. Thom. 4. sent. dist. 20.

Ex Ivre Canonic. *Concil. Nicæn. can. 11. Conc. Ancyr. can. 5. Conc. Laodic. can. 2. Antonin. 2. part. histor. 16. c. 1. §. 23. Abbas Vrsp.*

Indulgentiæ olim concessæ in Conciliis Generalibus. *Ex vita S. Bern. l. 3. c. 4.*

Extant & canones editi de Indulgentiis priscis etiam Ecclesiæ temporibus. Concilium I. Nicænũ statuit, vt hi, quorum pœnitentia seria & non sera foret, possent ab Episcopo aliquã Indulgentiam obtinere. *Licebit* (inquit) *Episcopo de his aliquid humanius cogitare.* Negligentiores verò iubet Synodus illa sacra pœnitere toto tempore definito. Concilium Ancyranum editum ante Nicænum idem decreuerat, sicut & Concilium Laodicenum coactum paulò post Nicænum. Concilium generale Claromontanum, quod anno MXCV. celebratum est, audiuit ab Vrbano II. dari Indulgentiam plenariam his, qui ad conficiendum bellum sacrum sese fortiter accingebant. Harum meminit Indulgentiarum B. Antoninus, vt & Abbas Vrspergensis eas refert, quas concessit Paschalis II. in Concilio Generali Lateranensi. Quod fidem maximam Indulgentiis conciliat, B. Bernardus Indulgentias concessas ab Eugenio III. in gratiam belli sacri prædicauit, & earum virtutes adiecta miraculorum gratia confirmauit: Sanctus item Franciscus famosam illam Indulgentiam cœlitus obtinuit, quæ & hodie viget in Ecclesia sita prope Assisium. Denique Sancta Brigitta, quanti sint meriti Indulgentiæ, quæ Romæ prostant didicit ipso Christo Domino reuelante.

Ex Chro. Minor. in vita S. Franc. Reuel. S. Brigit. l. 6. c. 102. & 105.

Satisfactio pro pœnis debitis probatur. **Ex SS. Patribus** *Tertul. l. de pœnit.*

Quia obstrepunt hæretici esse commentum, posse Deo satisfieri quando sumus obnoxij pœnæ, non erit abs re recensere Patres, qui cum Ecclesia concordes id affirmant. Paucos laudare satis erit. Tertullianus ita sentit *Qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, per aliam pœnitentiam pœnitentiæ diabolo satisfaciet.* Ergo fides illorũ temporum erat posse Deo satisfieri obsequio pœnitentiæ. Cyprianus item hoc concludit ita fatus: *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus.* Consonat & Pacianus encomiastes pœnitentiæ. *In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet.* Accedit Augustinus, cui multum se deferre scribit Caluinus, qui vtinam legisset, & expendisset seriò textum hunc Augustini. *Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, accipiat suæ satisfactionis modum, & id agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum.* In eadem fide tenax alibi sic scribit. *Non sufficit mores in melius mutare, nisi etiam de iis, quæ facta sunt satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Denique Damianus hoc Patrum agmen sic concludit. *Ne tibi blandiaris, si grauiter peccanti lenior pœnitentia à mansueto vel dissimulante dictatur, cùm in purgatorii ignibus perficiendum sit quidquid hic minus feceris.* Hinc collige, Passiones Christi & Sanctorum nobis applicatas posse Deo satisfacere, cùm nostris passionibus concedatur hæc facultas à Sanctorum Patrum textibus assignatis.

Cypr. ser. de lapsis.

Pacian. in parænesi ad pœnit.

Aug. hom. 50. lib. 50. hom. cap. 11.

Ibid. c. 5.

Damian. s. 2. de S. Andr.

Ne autem incassum promulgetur Indulgentia, & irrita sint conamina fidelium, qui se aptant ad hanc indulgentiarum gratiam, duo sunt obseruanda. Primum est, necesse esse, vt qui Indulgentiæ compos est, sit in statu gratiæ, seu charitatis, quia Indulgentia, cùm remittat reatum pœnæ temporalis relictum post remissionem culpæ, proculdubio requirit, vt culpa sit iam remissa, ac proinde sit anima in statu gratiæ constituta. Præterea absurdum est, cogitare pœnam huic dimitti, quem culpa coinquinat. Denique vox ipsa Indulgentiæ concludit, eã esse indignos omnes, quos inficit culpa lethifera: namque nomen Indulgentiæ insinuat paternam lenitatem in filios Dei adoptiuos, quales sunt fideles in gratia: ergo gratiâ tantâ cadunt omnes peccato mortali obnoxij, vtpote Dei hostes, & Christianæ militiæ perfidi desertores. Adiice, plerumque finem Indulgentiæ concessæ non posse attingi extra statum gratiæ, vt quando promulgantur Indulgentiæ, vt concilietur Deus hominibus, in quos flagella sua intorsit, scilicet bella, famem, & pestem: etenim indicta bona opera, preces, eleemosynæ, ieiunia, si in lethali peccato fiant, Deum non inflectunt. Sunt ergo peccata mortifera omnia confessione præuia repurganda.

Indulgentia requirit gratiæ statum in eo qui lucrari vult eam.

Alterũ quod requiritur est, vt is qui cõpos esse vult

vult Indulgentiæ, perficiat omnia, quæ bullæ tenor iniungit fidelibus. Nam concessio conditionata non valet, nisi conditio impleatur. Ita S. Thomas, qui & statum etiam gratiæ prærequirit. Ad hoc facit commune effatum: Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant.

Thom. in lib. 4. sent. d. 20.

De Indulgentiis pro Defunctis.

§. II.

Defunctis etiam prodesse Indulgentias, iis videlicet, quos Purgatorij flamma coquit, & expurgat, est in confesso apud omnes orthodoxos, quia constat animas defunctorum posse iuuari suffragiis viuentium, id est, eleemosynis, precibus, ieiuniis, & sacrificio Missæ. Quòd si sanctæ preces, & Missæ prosunt defunctis per modum impetrationis, nulla plane potest reddi ratio, quare ieiunia, & eleemosynæ non prosint per modum satisfactionis. Ratio auxilij, quod impenditur animis defunctorum, petitur à vinculo charitatis, cuius obsequio fideles omnes viui, & defuncti, vnum corpus, & vnam Ecclesiam componunt. *Neque enim* (inquit Augustinus) *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi.* Itaque nihil obstat, quin possit vnusquisque suas satisfactiones offerre Deo pro defunctis, vt membris eiusdem corporis, quod est Ecclesia. Et hæc facultas vnicuique data, cadit & in Ecclesiam, ac proinde Papa potest applicare pro defunctis satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ sunt in thesauro Ecclesiæ, cuius Papa est legitimus dispensator. Accedit & Ecclesiæ praxis; nam Paschalis I. ante annos septingentos Indulgentiam pro defunctis concessit, vt Gabriel annotauit. Concordant in hoc Theologi, & Canonistæ.

Indulgentiæ prosunt defunctis.

Aug. l. 20. de ciu. c. 9.

Gabr. lect. 57. in can. Miss. Thom. in 4. sent. dist. 45. q. 2. ar. 3. Cap. Quod autem de pæn. & rem.

Aduerte, datas Indulgentias pro defunctis, non prodesse eis per modum absolutionis iuridicæ, sed per modum suffragij, vt abundè liquet ex constitutionibus Alexandri VI. Clementis VII. Iulij III. & aliorum Pontificum, qui has inseruere voces literis, quas voluere scribi, quando suas has plenarias gratias indulserunt. Quid verò voces istæ sonent, non omnes capiunt, imò graues quandoque viri, & doctores hallucinati sunt, arbitrati Indulgentias prodesse defunctis per modum suffragij, quia Missæ, preces, eleemosynæ, & alia huiusmodi suffragia oblata Deo pro defunctis conducunt ad iuuamen, & libertatem animarum, quæ Purgatorij carcere concluduntur. Sed hoc reuerà absurdum est; nam citra Papæ Indulgentias, omnia bona opera oblata Deo pro defunctis prosunt illis, & hæc commoda percepta ab eis virtute bonorum operum, non sunt Indulgentiæ; quia ad Indulgentias concedendas requiritur iurisdictio, & potestas; ast in bono opere quod Deo offertur in gratiam defunctorum, stat ratio suffragij.

Indulgentia per modum suffragij quid sit.

Sed rursus obserua, illa bona opera pro defunctis edita posse Deum duobus modis inflectere, vt soluat animas in Purgatorio nexibus igneis alligatas. Primò, bonis operibus, vt sunt sanctæ preces, & Missæ vis est impetratoria gratiæ, quam animus anhelus efflagitat. Secundò, quia pœnam aliquam importat editio bonorum omnium operum, inest eis facultas satisfactoria, cuius beneficio, pœnæ post culpam remissam debitæ relaxantur. Cùm igitur audis Papam concedere Indulgentias pro defunctis, per modum suffragij, si à viuentibus præstantibus quod Papa iniunxit applicentur animis defunctorum, intellige bona illa opera præcepta à Pontifice, quando Deo offeruntur pro defunctis, non conferre illis Indulgentiam vt sunt impetratoria, sed vt sunt satisfactoria, & quasi edita ab ipsis defunctis, qui reuera sunt aliquid nostri, cùm sint & membra eiusdem Ecclesiæ, cuius & nos sumus. Vt ergo nos editione boni operis Papa dignatur indulgentiæ gratia per modum iuridicæ absolutionis; ita defunctos liberat per modum solutionis, editione boni operis alicuius à viuente homine perpetrati. Illa tamen satisfactio insita bono operi iniuncto pro defunctis, esto iuuare queat animas, non est hæc quæ dicitur Indulgentia, sed illa, quam Papa profert ex thesauro Ecclesiæ; illa quippe velut ampla nihil patitur obstaculi, quo quis dubitare queat, valida sit, necne solutio, quæ ad tribunal iustitiæ appenditur in gratiam animarum.

Suffragia pro mortuis qua ratione prosint.

Nota, Papam solum posse concedere Indulgentias pro defunctis, vt doctè & prudenter ait Nauarrus. Nam quamuis Episcopi habeant facultatem dispensandi Indulgentias subditis suis secundùm mensuram præscriptam à Sancta Sede Apostolica; illa tamen facultas est restricta ad subditos, ac proinde nequit proficere defunctis, qui in Purgatorij ingrato carcere cruciantur. Cùm ergo penes Papam solùm absoluta sit potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ; ille vnus est, atque solus, qui has Indulgentias suscipiendas pro defunctis dare potest.

Indulgentias pro defunctis quis dare possit.

Naua. de Iubil. notab. 22. num. 4.

Aduerte secundò, Papam non pro arbitrio suo posse liberare animas Purgatorij, sed ex S. Thoma peti ad hoc causam iustam, nec sufficere vtilitatem quam defuncti percipiunt, nec etiam satis esse Dei gloriam, quæ ex hac defunctis concessa potest gratia redundare. Etenim illa peior est cõditio defunctorum, quàm viuorum; nãque degũt in loco districtæ iustitiæ, reddituri vsque ad nouissimum quadrantem: at viuentes æuum agunt, quo crebros misericordiæ Dei influxus percipiunt. Si ergo cadunt gratia & beneficio Indulgentiæ viuentes homines, quando talis Indulgentia sine rationabili causa datur, potiori ratione nequit esse rata Indulgentia pro defunctis, nisi causa iusta Papam sollicitet ad has gratias erogandas. Si sola Dei gloria, quæ redundat ex redemptione defunctorum à pœna, satis esset; Christus omnes animas liberasset. Cùm ergo Deus satius duxerit mancipare diris suppliciis animas, quàm illas eripere, oportet rem, cuius intuitu conceditur Indulgentia, esse Deo gratiorem, quàm sit executio iustitiæ castigantis animas in Purgatorij carcere conflagrante.

Indulgentia pro defunctis causam iustam requirit.

Thom. in 4. sent. dist. 45. q. 2. a. 3.

Tertiò is, qui pro defunctis Indulgentias suscipit, exquisitè debet adimplere bonum opus iniunctum: quippe datur Indulgentia primariò & directè viuentibus, qui possunt præscripta bona opera perficere; defunctis verò datur secundariò, & indirectè, prout in gratiam defunctorum hi qui sunt superstites indicta bona opera perficiunt, quæ Apostolicis literis imperantur. Sequitur hinc, prærequiri statum gratiæ in eo, qui suscipit Indulgentias pro defunctis; nempe Deus ab anima malè sibi conscia & rebelli pensum reatus pœnæ non suscipit, nisi fuerit illa plenè ab omnibus culpæ vinculis

Indulgentias pro mortuis suscipiens debet esse in statu gratiæ.

vinculis absoluta. Excipitur ab hac regula sacrificium Missæ, quod esto nequam sit sacerdos, neque viuos nec defunctos frustrat ope sua.

Indulgentiæ quibus defũctis prosint. *Aug. l. de cura pro mort. c. 1. & Ench. c. 109. Caiet. tract. 16. qu. 5. de Indulg.*

Est obseruanda demum sententia hæc Augustini. *Suffragia non prodesse omnibus mortuis, sed illis tantùm, qui in hac vita meruerunt, vt sibi prodesse possent.* Caietanus infert inde, solis defunctis Indulgentias prodesse, qui dum essent in humanis, studuere Deo satisfacere, & aliquam etiam gessere curam defunctorum. Vtinam attenderent ad hanc sententiam plerique Christiani desides & ignaui ad pœnitendum, & incurij defunctorum animas adiuuare. Citra tamen peculiare Dei iudicium, vniuersa tenet Ecclesia, suffragia particularia, & Indulgentias, quæ suscipiuntur pro defuncto aliquo singulari, huic prodesse soli. Ita Paschalis I. ante septingentos annos concessit, vt qui tot Missas celebraret pro anima patris, vel matris, aut alicuius defuncti particularis, has à se determinatas animas eriperet, dummodo fieret res sacra in sacello S. Zenonis, quod est in Ecclesia S. Praxedis Romæ. Item Alexander VI. Clemens VII. & alij Pontifices indicendo Iubileum, aiunt disertè suas Indulgentias etiam extendi ad defunctos, pro quibus suscipientur à viuentibus. Accedit & auctoritas illa grauis Augustini, qui scribit Ecclesiam vsurpare quidem communia suffragia pro defunctis, vt quibus illa desunt auxilia, quæ cognati amicique suis impendunt defunctis, his suffragetur Ecclesia communis omnium parens. Vnde liquet, Indulgentias pro defuncto singulari susceptas vti par & æquum est, sortiri effectum, ad quem propitium viuentes sese iniunctis & impletis actibus accinxerunt.

Augu. l. de cura pro mort. c. 4.

Pars Secunda Homiliæ.

Quosnam effectus fideles colligant ex Iubileo.

§. III.

Ex Sanctis Patribus.

Anima beneficio Iubilei soluta vinculis pœnæ residuæ post culpam iam remissam in Sacramento Pœnitentiæ, tot inde bona capit & commoda, vt vnico contextu aut nomine illa recensere nemo queat: quippe nimis magna congeries gratiarum, quæ ex Iubileo fluunt in animas, vno duntaxat effato aut vnica conclusione nequit arcto velut alueo contineri. Itaque præcipuos effectus Iubilei perstringam, non prætereundo metas: namque legam hos effectus ex Scriptura, dum Iubilei Hebræorum mentionem facit. Ecce legem Iubilei. *Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Iubileus. Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque redibit ad familiam pristinam; quia Iubileus est*, &c. *Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia*, &c. *Si paupertate compulsus vendiderit se sibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit: vsque ad annum Iubileum, operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem, & ad possessionem patrum suorum.*

Leuit. 25. Iubilei Hebræorum leges.

Ex contextu prælibato satis superque patet, primum effectum Iubilei esse sanctificationem. Est autem sanctificatio, translatio status profani in eum, qui hominem totum Dei mancipat obsequio. Vnde res etiam inanimes, vt sunt vestes sacerdotales, dicuntur sanctæ, quia cultui Numinis addicuntur. Fit autem sanctificatio per gratiæ iustificantis illapsum beneficio sacramenti pœnitentiæ, quod tempore Iubilei frequentatur sæpius à Christianis, à quo Iubileus dicitur. *Annus remissionis cunctis habitatoribus terræ.* Non enim Iubileus absolueret à pœna, nisi sacramentum pœnitentiæ reatum culpæ inficientis & ligantis animas antea dissoluisset. Accedente Indulgentia ad sacramentum pœnitentiæ, fit anima sancta, quia iusta: namque Deo ob culpam & pœnam plenè satisfecit beneficio Iubilei, & sacramenti, vbi fidelibus contritis, & confessis, Passionis Christi satisfactiones & merita dispensantur.

Sanctificatio quid sit.

Anima gratiæ influxu redux æternæ vitæ compos efficitur, ac proinde suæ patriæ redditur, vnde fuit exul ante Iubileum, obnoxia seruituti dæmonum, & peccati. Hunc gratiæ statum expressit Apostolus verbis, quæ alludunt ad hæc propitia, atque benefica tempora Iubilei. *Nunc* (inquit) *liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero, vitam æternam.* Iubileus libertatem à peccato adstruit, quam excipit sanctificatio, sicut & hanc vita æterna consequitur. Namque prius est absolui à peccato, & ablui, quàm sanctum seu mundum esse, sicut Apostolus insinuat, ita commemorans absolutionem à peccatis. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Chrysostomus hunc versando locum, Iubilei fructus enumerat appositè ad intentum meũ. *Valde* (inquit) *apposite ad eos pudore suffundendos subinnexit dicens. Cogitate à quantis malis vos Deus eripuit, quantam sua benignitatis & clementia vobis exhibuit experientiam, & demonstrationem, & neque vsque ad solam à malis liberationem vos est remuneratus; sed longè amplius suam prouexit beneficentiam, etenim mundos fecit. Nunquid hoc solùm? Nequaquam: Sed & sanctificauit. Atqui vel à peccatis esse liberatum magnum est donum: nunc autem etiam bonis impleuit innumerabilibus.*

Roman. 6. Absolutionẽ à culpa multæ gratiæ cõsequuntur.

1. Cor. 6. Ex SS. Patribvs. *Chrys. ho. 16. in 1. Cor.*

Sicut olim in Iubileo Hebræorum vltra debita relaxata, bonorum etiam aliorum fiebant compotes illi, quos grauabat æs alienum; ita & in Iubileo nostro pœnitentes, post absolutionem à culpa, & pœna, præclaris etiam animæ dotibus illustrantur. Eò vergit illud Ambrosij. *In eo iustificatio Dei est, si non ad indignos, & obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos videatur & iustos sua munera transtulisse.* Quàm sit speciosa talis anima Iubilei obsequio, post depositas criminis exuuias, paucis explicat Augustinus. *Natura* (inquit) *cùm à suo conditore iustificatur; à deformi forma, formosam transfertur in formam.* Ad quem verò apicem excellentiæ assurgat anima, luculenter ait Gregorius ille Nyssenus, hoc tenore. *Qui cor suum ab omni creatura, & vitiosa affectione expurgauit, in sua ipsius pulchritudine, diuina natura imaginem intuetur.* Hieronymus asserit, hanc formam animæ detersæ in stuporem cogere spectatores. *Nunc* (inquit) *mundus factus es in lauacro, & de te dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?*

Ambr. l. 6. in Lucam. Gratiæ Dei effectus in anima.

Aug. l. 15. de Trinit. c. 8.

Greg. Nyss. orat. 6. de beatitud.

Hier. lib. 2. cont. Pelag.

Alter

Alter effectus Iubilei verbis istis exprimitur. *Non seretis, neque metetis.* Id est, hoc anno toto quies erit à terrenis, corpore victitante cibis, quos Deus ipse manu prouida populo suo Iubilei tempore comparauit. Ita planè se res habet cum anima compote facta boni, quod influit in eos, qui Iubileo Christiano gaudent. Nihil illis & sæculo; namque dato libello repudij Mundo, cuncta, quæ prius anxiè conquisita sui iuris effecerant, penitus abiecerunt. Hæc omnia mente præsaga vidit Isaias, sic compellans hominem sincero animo pœnitentem. *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Ierusalem ciuitas sancti, quia non adiiciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus, & immundus.*

Pœnitens anima respuit omnia quæ prius amauerat.

Isa. 52.

Hunc locum pertinere ad animam, quæ se recepit ad meliorem frugem, & abiecit omnem mundi supellectilem, Hieronymus scribit in hoc oraculum optimè commentatus. *Si (inquit) surrexerit anima post ruinam, & induta fuerit fortitudine sua, & gloria, nequaquam vltra transiet per eam incircumcisus, & immundus. Hoc significat, quod Paulus Apostolus dicit: Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli, cum infideli? quis consensus templo Dei cum idolis? Quæ ad animæ statum vniuersa referuntur. Quod si per pœnitentiam pristinum robur acceperit, vocatur habitaculum sancti, & fit templum Dei, & nequaquam immundus transit per eam, &c. Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem, solue vincula colli tui, captiua filia Sion. Anima, quæ vitiorum polluta sordibus, candorem pristinæ conuersationis amiserat, dicitur, vt excutiat puluerem, qui adhæsit pedibus eius. Neque enim fieri poterat, vt quæ prostrata subiecerat ceruices suas transeuntibus, dixeratque, humiliata est in puluere anima nostra, non imaginem terreni acceperit. A qua nos reuocat Apostolus dicens: Sicut portauimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis, &c. Excutitur puluis, de quo scriptum est: Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam, vt soluantur vincula colli nostri, & nequaquam audiamus: Neruus ferreus collum tuum, sed cum sponsa mereamur audire: Quàm pulchræ sunt genæ tuæ! sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Et iterum: Circumdedi armillas manibus tuis, & monile collo tuo, vt graui onere liberati, & recipientes ornamenta pristina, captiui esse cessemus, redempti ab eo, qui venit captiuis prædicare remissionem.*

Hier. in cap. 52. Isa.

2. Cor. 6.

Pœnitentia sanctificat animas.

1. Cor. 15.

Psal. 29.

Cant. 1.

Diceres hoc contextu Hieronymum hoc indixisse sibi negotium, vt describeret Iubilei effectus à me antea delibatos. In Iubileo Christiano prostare Dei dona pretiosissima, & vltrò dari porrigentibus manum præscius Isaias sic describit. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis pecuniam, properate, emite, comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* Quem opportunè locum Hieronymus ita suis illustrat commentariis, vt quadrare queat Iubilei effectibus, quos & sacro codice perscrutamur. *Hac aqua (inquit) gratiam Spiritus Sancti significat, de qua Propheta mystico sermone resonabat. Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Et iterum. Apud te est fons vitæ. Qui ipse de se loquebatur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas continere non possunt. Præcipitur fidelibus ne timeant, si argentum fortè non habeant, sed audiant Apostolum dicentem, Gratia salui facti estis. Mirumque in modum emunt aquas absque pecunia, & non bibunt eas, sed comedunt. Ipse enim, & aqua, & panis est, qui de cœlo descendit. Qui prouocat nos ad bibendum, non solùm vinum, sed & lac, quod significat innocentiam paruulorum. De quo lacte dicebat Petrus. Quasi modò geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite, &c. In lætitia egrediemini, & in pace deducemini, vt audiatis ab Apostolo: Gratia vobis, & pax. Montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Montes & colles intelligere possumus Sanctorum animas, quæ pro varietate virtutum montes appellantur & colles, gaudebunt super pœnitentibus, & mentis lætitiam saltibus indicabunt. Pro saliuncula ascendebat abies, & pro vrtica crescet myrtus. Hoc est, mala vertentur in bona, & pro vitiis nascentur virtutes; id est, pro iniquitate iustitia, pro temeritate fortitudo, pro luxuria temperantia.*

Iubileus offert magnā copiam gratiarum.

Isa. 55.

Hier. in cap. 55. Isa. Psal. 41. Psal. 35. Ierem. 2. Ephes. 2.

1. Pet. 2. Rom. 1.

Sancti sunt montes & colles.

Pœnitentia mutat vitia in virtutes.

Vt concors est & consonum suaue melos Prophetarum; ita Vates Ezechiel consonat Isaiæ, explicando dona Dei, quæ influunt in animas diuinæ gratiæ conscias, obsequio sacramenti Pœnitentiæ, quod frequenter adeunt Christiani tempore Iubilei. Ita Deum inducit Ezechiel. *In die, qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, & habitari fecero vrbes, & instaurauero ruinosa, & terra deserta fuerit exculta, dicent; terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis, & ciuitates desertæ, atque destitutæ, & suffossæ, munitæ sederunt. Et scient gentes, quia ego Dominus ædificaui dissipata, & plantaui inculta.* Et hunc pertinere locum ad statum gratiæ, in quem pœnitentes Deo miserante cedunt, Hieronymus elimatè docet, ita fatus: *Cohortatur errantes, vt confundantur, & erubescant in viis suis, & restituantur in vrbes Ecclesiæ, & omnia, quæ in eis corruerant, ædificentur, & ad pristinas redeant cærimonias, & terra deserta reuertatur in pristinum statum, omnesque mirentur, & dicāt. Terra illa inculta, terra deserta, in qua omnes quondam periere virtutes, nunc facta est, quasi hortus voluptatis & paradisus Dei, & ciuitates quondam desertæ, quæ Deum hospitem non habebant, & destitutæ erant à Spiritu Sancto, & suffossæ incredulitate, munitæ erunt fide Christi, vt sciant omnes in circuitu, quòd Dominus ædificauerit animas dissipatas, & plantauerit in eis atque conseuerit cunctarum virtutum arbores, & ipse rebus præstiterit, quæ sermone promisit.* Quàm sit Propheta verax, pollicitus ex persona Dei virtutum praxim eis, qui sese receperint in meliorem frugem, multa patet inductione hominum pœnitentum quos vt aliquando data Indulgentia absoluit à culpa, & à pœna, statim excepit virtutum omnium praxis, quæ cautiores effectos pœnitentes copioso gratiarum imbre cœlitus inundauit.

Ezech. 36.

Hier. in cap. 36. Ezech.

Pœnitentia animas restituit in integrum.

Rursus egregiè describit Oseas admirabilem sortem animarum, quæ abiurata vili conditione peccati, sese totas Domino consecrarunt. Sic ille: *Vt Libani ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* Esse Vatis intentum describere statū frugiferum ad quem pœnitentes assurgunt, Hieronymus liquidò confirmat hoc

Osee 14.

hoctenore. *Dixerat Dominus: Ero quasi ros. Israel germinabit quasi lilium, quia cum nos Dominus suo rore resperserit, & siccitatem pectoris nostri suis pluuiis irrigarit, germinabimus, imò florebimus vt lilium, imitantes Saluatorem nostrum, qui dicit in Cantico Canticorum: Ego flos campi, & lilium conuallium. Et loquitur ad sponsam suam, quæ non habet maculam, aut rugam: Sicut lilium in medio spinarum, sic amica mea in medio filiarum. Cúmque creuerimus in Domino, mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantùm radices in ima demergunt, vt nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Et ne putaremus de infructuosis arboribus Dominum loqui; sanctum virum, & conuersum ad Dominum, oliuæ frugiferæ comparat. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini. Ex quo fructu vulnerum mitigatur tumor, languentis membra requiescunt, in tenebris lumen accenditur, vnguntur in agone certantes. Hæc oliua habebit odorem quasi Libani, vel thuris, vt possit dicere: Bonus odor Christi sumus. Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea. Quia qui conuersi fuerint ad Dominum, accipient conuersionis suæ premium, vt sedeant in vmbra eius, & dicant: Sub vmbra eius requieui, & sedi, & fructus eius dulcis est in ore meo.*

Hier.l.3 in c. 14. Ose.

Cant.2.

Oliuæ quare comparetur vir iustus.

Psal.51.

Vltimus tandem effectus Iubilei Hebræorum erat, vt vnusquisque suam domum atque familiam repeteret, & quasi postliminio restitueretur in integrum, exuto cuiusuis inglorio seruitutis iugo, & ab omnibus importunis æris alieni nexibus absolutus. Illo salutari beneficio pauperes antè dira inedia consumpti pascebantur opiparè; extorres, & sub dio omnibus cœli iniuriis expositi, reduces ad proprias ædes antiquo suo tegmini reddebantur. Sed esto Deus abundè fruges, oleum scilicet, frumentum, & vinum Hebræis concederet anno Iubilei; illa tamen cuncta dona sunt infra bona, quæ Ecclesia Christiana metit, quando Deus influit in animas contritas, & confessas Iubilei gratia promulgata. Credo Vatem eò respexisse, quando suum hoc deprompsit oraculum. *Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo, & dixit: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eo.*

Ioel.2.

Hæc bona dari largiter Ecclesiæ Hieronymus apertè docet hoc contextu. [*Postquam sacerdotes pro populo deprecati sunt, & dixerunt: Parce Domine populo tuo, fecitque populus quod præceptum est, vt sanctificaret ieiunium, prædicaret curationem, congregaret multitudinem, sanctificaret Ecclesiam, eligeret senes, paruulos, & sugentes vbera congregaret, & egrederetur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, & nequaquam carni & voluptati, sed animæ & fletibus inseruirent, zelatus est Dominus terram suam, quam prius quasi alienam contempserat, & passim fuerat locusta vastante populari, & in tantùm pepercit pœnitentibus, vt eis diceret: Quoniam omnes fruges vestras, locusta, bruchus, rubigoque vastauit, ideo dabo vobis frumentum, & cætera, quæ Propheta describit, & vltra non tradam vos captiuitati. Mittam tibi frumentum, dicitur animæ, quæ agis pœnitentiam, frumentum de quo scriptum est? Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, & vinum, quod lætificat cor hominis, & oleum, quod exhilarat faciem, vt vetus tristitia peccatorum, frumenti, vini, & olei, id est, virtutum lætitia temperetur, tantamque habebunt bonorum omnium abundantiam, vt repleantur eis, atque saturentur.*] Hactenus ille.

Hier.in c. 2. Ioel.

Pœnitentibus quanta bona Deus impertiat.

Gratiæ inhabitantis signa.

Quia plerumque nutat animus anceps & dubius, Indulgentiarum compos extiterit necne; non erit abs re recensere notas inhabitantis gratiæ, quas Bernardus enunciat, vt inde sciat vnusquisque sibi consulere, prout consultor ille monet, & equidem opportunè. *Tres sunt* (inquit) *qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Iacebamus captiui, dedit Deus sanguinem proprium in redemptionem; aquam simul produxit de latere suo in ablutionem, misit deinde de excelso spiritum suum, qui adiuuaret infirmitatem nostram. Vis ergo nosse an hæc aliquid operentur in te, né fortè reus sis sanguinis Domini quem euacuas quantum in te est, sed & aqua ipsa quæ debuerat mundare, in sordibus permanentis iudicium damnationis accumulet; spiritus quoque, cui resistis, non liberet maledictum à labiis suis? Quis est autem qui testimonium habet effusi non sine causa sanguinis Christi, nisi qui continet à peccatis? Seruus enim peccati est, qui peccatum facit, vt si deinceps continere potueris, & iugum abiicere miseræ seruitutis, certissimum sit signum redemptionis, quam operatur sanguis Christi. Verùm non sufficit peccatori continentia, si non adsit pœnitentia. Habet ergo ab aqua testimonium, qui laborat in gemitu suo, lauans per singulas noctes lectum suum. Sed quid erit, quod longo catenarum vsu, & carceris habitatione crudeli contracti sumus, atque collisi, defecimus in via vitæ? Inuocemus spiritum viuificatorem, & adiutorem; confidentes, quia dabit Pater spiritum bonum petentibus. Sanè superuenisse nouum spiritum, conuersatio noua testatur. A sanguine, aqua, & spiritu habes testimonium, si contines à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.* Itaque sese vnusquisque seorsum conueniat, & exploret an habeat has expressas à Bernardo notas, ad quarum trutinam sincerè debet appendi promulgati gratia Iubilei.

Bern.ser.2. in oct.Pasch. 1.Ioan.5.

Sanguis, aqua, & spiritus quomodo testimonium dẽt in terra.

Esto luculenta satis sint omnia hæc præfata super Iubileo, & Indulgentiis, cardo tamen omnis Indulgentiarum vertitur in Confessione sicut par est facta. Namque sicut clangore tubæ Iubileus olim cœpit; ita typo tubæ lineata confessio fidelis, & completa nobis copiam facit gratiarum, quas larga manu Deus impertire solet eis, qui adimplent ingenuè omnia, quæ expressis à Summo Pontifice Iubilei literis iniunguntur. Confessionis tuba Iubileum aperit; nam superstite culpa nequit pœna reo dimitti. Vt ergo rata sit atque proficua Indulgentia illa Iubilei, diploma solet omnes obstringere ad Confessionem, ne contritio præsumpta gratis & incassum irritas & inutiles faciat Indulgentias, quas residens in anima culpa lethalis assolet eneruare. Itaque, Christiane, tibi si consulis, clange tuba, & equidem ea contentione quanta potes maxima, vt omnia peccata cogas ad exitum. Vt namque ritus Hebræorum erat ad simplicem tubæ sonum non mouere castra, sed ad prolixum; ita confessio decurtata nihil proficit,

Confessio ante Iubileum est necessaria.

proficit, vt peccatorum agmina mota cedant, & traducta queant pœnitentiæ gladio profligari.

Num. 10. Confessio sit integra. Ecce legem tubæ prolixæ ad castra cienda sono. *Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel. Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu, & pari vlulatu tubæ leuabunt tentoria qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc modum reliqui facient, vlulantibus tubis ad profectionem.* Non vnico duntaxat, sed repetito prolixo tubæ clangore vides agmina commoueri. Ergo tibi hoc alto semper insideat animo, confessionem illam esse sacrilegam, & peccato nouo obnoxiam, quæ non est tantùm prolixa, quantùm sunt agmina, & eam valere solùm, qua resonante foras exeunt omnia crimina perpetrata.

Amb. l. 2. de pænit. c. 7. Hac præuia confessione scelus dilui, disce Patrum sententiis. *Fleamus ad tempus* (inquit Ambrosius) *vt exultemus in æternum. Timeamus Dominum, praueniamus eum confitendo peccata nostra, corrigamus lapsus nostros, emendemus errorem. Ille enim iustificatur, qui proprium crimen spontè agnouit: dic, inquit, iniquitates tuas, vt iustificeris: Iustus enim in exordio sermonis, accusator est sui.* Confessio Deum inclinat ad misericordiam. *Nouit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam, non vt puniat, sed vt ignoscat: non vult vt insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Preueni accusatorem tuum. Si te ipse accusaueris, non timebis accusatorem; si detuleris ipse, & si mortuus fueris, reuiuisces.* Esse Iubileum auspicandum à confessione, probat disertè locus Augustini versantis hunc Psalmi textum. Psal. 99. August. in Psal. 99. *Introite portas eius in confessione.* Sic ille. *In portis initium est. A confessione incipite: inde Psalmus in confessione, ibi iubilate. Intrate portas eius in confessione, intret grex in portas, non foris remaneat. Et quomodo intret? In confessione porta, id est initium confessio tibi sit.*

Rursus ille prolixius adstruit confessionis necessitatem, & vim, qua pollet confessio, ad scelera repurganda. Dum namque Vatis hoc oraculum promit. Psal. 84. Confessio est porta qua transeundum est, vt ad Deum accedatur. *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.* Ita commentatur. *Veritas de terra orta est, confessio ab homine. Homo enim peccator eras. O terra quando peccasti, audisti: Terra es, & in terram ibis. Oriatur de te veritas, vt respiciat de cælo iustitia. Quomodo ergo orietur à te veritas, cùm tu peccator sis, cùm tu iniquus sis? Confitere peccata tua, & orietur de te veritas. Si enim cùm sis iniquus, dicis te iustum, quomodo à te orietur veritas? Si autem cùm sis iniquus, dicis te iniquum, veritas de terra orta est. Attende illum publicanum, qui nec oculos ad cælum audebat leuare, sed percutiens pectus suum aiebat: Deus esto mihi peccatori propitius.* Confessio initium est iustificationis. *Ecce veritas de terra orta est, quia confessio à peccatore facta est: vnde descendit iustificatus in domum suam. Quia orta est veritas de terra, iustitia de cælo prospexit, vt descenderet iustificatus Publicanus. Et vt noueritis, quia veritas pertinet ad confessionem peccatorum, ait Ioannes:* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quomodo ergo veritas de terra oritur, & iustitia de cælo prospiciet, audi illum dicentem: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata. Quæ iustitia de cælo prospexit? Tanquam Dei dicentis; parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit; ignoscamus, quia ipse agnoscit: conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad eum liberandum. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Veritas de terra orta est, confessio peccatorum ab homine, & iustitia de cælo prospexit, id est, à Domino Deo data est iustificatio confitenti, vt ipse agnoscat, impium pium se fieri non posse, nisi ille fecerit, cui confitetur.* Confessio & Dei iustitia quomodo concurrant. *Vt autem explicaret, quid est, iustitia de cælo prospexit, subintulit: Dominus dabit benignitatem. Nos ergo respiciamus nos, & si nihil in nobis inuenerimus nisi peccata, oderimus peccata, & desideremus iustitiam. Cùm enim cœperimus odisse peccata, iam ipsum odium peccatorum, similes nos incipit facere Deo, quia hoc odimus, quod odit Deus. Cum ergo cœperis odisse peccata, & confiteri Deo, confitens illi peccata tua, mereberis ab illo delectationem.*

Demum ille consultor optimus explicat industriè, qua ratione Deum incliuet ad miserandum confessio, & quomodo confessionis eiusdem obsequio, iustus homo fiat, qui ante fuit iniustus, nulla Dei neque legum habita ratione, suo vt effræni & petulco genio turpiter indulgeret. Ita Augustinus. Ibidem. *Deus suauitatem iustitiæ faciendæ dabit tibi, vt incipiat te delectare iustitia, quem primò delectabat iniquitas, vt qui primò gaudebas de furtis, quæras donare non habenti, iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos: iustitia illa est, qua est in confessione peccatorum: iustus enim debes esse in te, vt punias te.* Iustitia prima hominis quænam sit. *Ipsa prima est hominis iustitia, vt punias te malum, & faciat te Deus bonum: quia ergo ipsa est prima hominis iustitia, ipsa sit via Deo, vt veniat ad te Deus, ibi illi fac viam in confessione peccatorum. Ideo & Ioannes cùm baptizaret in aqua pœnitentiæ, & vellet ad se venire pœnitentes de suis prioribus factis, dicebat hoc: Parate viam Domini.* Iustitia prima viam facit Deo. Matth. 3. *Præcedat ista iustitia, vt confitearis peccata, veniet ille, & visitabit te, quia ponet in via gressus suos; est enim iam vbi ponat gressus suos. Ante autem quam confitereris peccata tua, intercluseras ad te viam Dei; non erat, qua ad te veniret. Confitere vitam, & aperis viam, & veniet Christus, & ponet in via gressus suos, vt te informet vestigiis suis.* Hactenus Augustinus, qui vt probè norat, prima iustitiæ exordia esse sita penes ingenuam peccatorum confessionem, non illa solùm confessus est sacerdoti, sed libello confessionum edito & publicato palam peccata sua omnia testificauit.

Confessio animas lætificat. Ne confessionis encomia luculenta ab Augustino recensita fidem minuant, quia ille vitæ retroactæ pertæsus ingemuit acerbè donec vixit, alios accipe Sanctos encomiastas huius sacramenti, citra cuius obsequium conscientia iniqua cadit beneficio Iubilei, quia vt præfatus sum, Indulgentia non cadit in animas implexas inglorio lethalium vinculo peccatorum. Hieronymus explicando locum illum Psalmi. Psal. 75. *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Ita litat encomiis, quæ magna decent confessionem. Hieron. in Psal. 75. *Cogitatio hominis ad confessionem pertinet peccatorum, reliquiæ verò sunt ipsius confessionis æterna remuneratio, quia indultis sibi peccatis, velut in die festo spiritali lætitia perfruatur.* Rursus explicando locum

hunc

Psal. 36. Hieron. in Psal. 36.

hunc Psalmi. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Sic enarrat. *Quomodo dicit, Reuela; Numquid aliquid nescit Deus? Non. Sed tu, quod habes in corde, patefacere debes Deo in sermone. Per confessionem tuam. Confitere ei actiones tuas, & spera in eum semper, & ipse tibi dimittet peccata tua, & spera in eum quod possit remittere delinquenti, & ipse faciet. Quid faciet? Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, id est in pleno splendore gratiæ suæ.*

Confessionis integritatem impedit mala verecundia.

Quia est Iubilei & Indulgentiæ summa penes confessionem ritè factam, dæmon omnem astutè mouet lapidem, vt homines inde foras abstrahat, & ad hoc conducit pudorem, quo verecunda rubet facies animæ pœnitentis. Intempestiuus ille pudor elingues efficit homines, iam aduolutos pedibus sacerdotum, vt ibi recenseant acta sua, & sic de pœnitente facit sacrilegum ob iniuriam, quæ fit Sacramento Pœnitentiæ, ob confessionem illam mutilam silentio noxio decurtatam. In hos malè verecundos homines declamat Bernardus, eos sollicitando suum hoc lethale silentium deponere, & integrè confiteri.

Bern. serm. 1. de Circun.

Sic ille. *Christus etsi non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec vestigium quidem vllius vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impij non sic, non sic agit peruersitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum gloriamur.*

Pudor in confessione noxius.

Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium & verecundum pariter & austerum sine vlla necessitate suscepit. Nos è contrà inuerecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est, malè proni in vulnera, peius in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari: nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itane, sano opus est medicina, & non potius malè habentibus. Iterum ille vehementer carpit, & damnat hunc pudorem, qui

Pudor quando sit salutaris.

præpedit linguam in confessione velut inimicum gratiæ. Nam esto pudor quandoque coërceat peccandi libidinem; ille tamen, cùm homines in confessione facit tacitos, efficit irrita sacramenta.

Bern. ser. 12. ad milites templi.

Audienda est ergo viri sancti censura, quæ sugillat hunc pudorem. *Est (inquit) pudor adducens peccatum, & est pudor adducens gloriam. Bonus pudor est, quo peccasse, aut certè peccare confunderis, & omnis licet humanus arbiter absit, diuinum tanquam humanum tanto verecundius reuereris aspectum, quantò & verius, Deumque homine cogitas puriorem. Huiuscemodi procul dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certè admissum & pœnitendo punit, & pœnitendo expellit. Quod si quispiam confiteri confunditur, id quoque vnde compungitur, talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conscientia perdit, quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus, obstruso labiorum ostio, non permittit exire: cùm eum potius exemplo Dauid dicere oporteret, & labia*

Oris apertio quare Deo sit commendanda.

mea non prohibebo, Domine tu fecisti. Qui & seipsum redarguens, puto super hominum stulto, & irrationabili pudore. Quoniam tacui, inquit, inueterauerunt ossa mea. Vnde & optat ostium poni circumstantiæ labiis suis, vt oris ianuam, & aperire confessioni, & defensioni claudere noris. Denique & apertè hoc ipsum orans petit à Domino, sciens, quia confessio, & magnificentia opus eius. Et quod videlicet nostram malitiam, & quod æquè diuinæ bonitatis & virtutis magnificentiam minimè tacemus, magnum quidem geminæ confessionis bonum, sed Dei est donum. Ait itaque. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Quamobrem sacerdotes cautè necesse est ad vtrumque vigilare solicitos, quo videlicet delinquentium cordibus, tanto moderamine verbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo confessionis exterreant: sic corda aperiant, vt ora non obstruant.

Quia Bernardus apprimè norat præcipuam dæmonis industriam esse penes hunc pudorem inurendum hominibus, cùm accedunt ad salutare remedium confessionis; ille suam quoque curam adhibuit, ne intempestiuus iste pudor obsiter, quin pœnitentes enuntient hæc peccata, quæ confessa ruborem homini offundunt. Iturus obuiam illi discrimini beatus hic consultor explicat, in quod præceps miseranda ruit anima, cunctando sua crimina confiteri. Vt est magni ponderis, & momenti consilium huius Sancti, proderit eius sensa autea recensere. *Quatuor (inquit) sunt,* Bernard. lib. sententiarum.

Confessionem quatuor sunt quę impediunt.

quæ impediunt confessionem, pudor, timor, spes, desperatio. Quosdam enim impedit pudor, qui scilicet pro sola confusione dicere erubescunt peccata, quæ commiserunt. De quo per Salomonē dicitur: Est confusio adducens peccatum. Quo contra de his, qui confitentur, iterum dicitur: Est confusio adducens gloriam. Quos etiam commendat Propheta dicens: Confessionem, & decorem induisti. Et alibi: Confessio, & magnificentia Psal. 103. Psal. 110.
opus eius. Alios impedit timor: timent enim si cōfiteantur, ne grauis eis pœnitentia iniungatur, & hos arguit Iob dicens: Qui timet pruinam, irruet Iob. 6.
super eum nix. Sunt autem nonnulli, qui in hoc mundo aliquid adhuc concupiscunt, nec putant se adepturos quod desiderant, si hominibus quales sint innotescant. Horum confessionem impedit spes, id est, cupiditas potiendi desiderij, talibus Dominus comminatur in Euangelio: Væ prægnantibus in illis diebus, & nutrientibus. Matth. 24.
Sunt autem alij, qui solum hoc timent, quod est peccatorum confessionem: quia ab istis abstinere minimè poterunt. Et his obest desperatio, quibus illud aptari potest: Peccator, cùm in profundum venerit malorum, contemnit. Fit verò nonnunquam, vt hæc omnia simul confessionem impediant. Sed qui quatuor his malis premitur, rectè iam in monumento iacet, & velut ille Euangelicus quatriduanus fœtet. Scriptum est enim: A mortuo velut Ioan. 11.
qui non est perit confessio. Quòd si is mortuus est, Eccl. 17.

Confessionis fuga mortis est indicium.

qui non confitetur, vtique reuixisset, qui confitebitur. Veniat Iesus, & dicat mortuo: Veni foras. Dicatur ergo illi, quem pudor afficit: Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quod si fortè pudor est tibi, vni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita conscientia tua patebit? Hæc itaque tria proponenda sunt contra pudorem, scilicet consideratio rationis, reuerentia intuentis, comparatio maioris confusionis.

Confessionis pudor quomodo arceatur.

Ex SYMBOLIS. Ioan. Ferrus part. 2. Theat. symbol.

Ex præfatis confessio sincera potest lineari cribro, velut adæquato typo, cui adaptare placet titulum appositum cribro symboli, quod recenset Ferrus. PVRIORA SECERNIT. Quippe cribro

fæces

fæces & sordes omnes ab electo & laudato semine disgregantur. Ita proculdubio confessio sarta tecta foras eiicit omnes animæ sordes, quæ ore hiante & patulo in confessione cadunt ante sacerdotem; gratia verò Dei, quæ influit in animam, sola manet post eiectam peccatorum colluuiem illo cribro mystico repurgatam. Qui refugit subire cribrum confessionis, quæ PVRIORA SECERNIT, ille velut sordidus & impurus in cloacam Inferi protruditur. Hic tacitus prætermitto quali cautela debet frequentari confessio, & quàm altè secum anima contrita debet discutere & explorare omnes suos actus, vt eorum fideliter serie recensita Deus hanc absoluat ore sacerdotis, in cuius aures peccata confitentis hominis infunduntur.

Confessio cribro comparata.

Bern. in ser. de S. Andr. Psal. 31.

De hoc argumento satis erit hanc Bernardi sententiam. *De confessione audi Psaltem. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. Dixi, hoc est in corde proposui, non coactus, non compulsus, sed spontaneus. Iniustitiam meam, ait, non alienam, aduersum me arguens & accusans. Pro huiusmodi confessione, remisisti Domine impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Hac primum germinat in corde ad iustitiam: post hac nascitur in ore ad salutem. Primus eius gradus est cognitio peccati. In hac cognitione videndum est, quid egeris ambulans in passione desideri, sicut & gentes qua ignorant Deum. Considerandum, quàm merueris ignem æternum, qua amiseris bona. Horum consideratione perterritus transi ad pœnitentiam vltricem vitiorum, altricem virtutum: pœniteat te, quòd tot & tantis miseriis, & flagitiis inuolutus, iacueris in luto miseria, & luto facis. Dole quod creatorem offendisti, cuius legem calestia, & terrestria, preter te indefessa statione conseruant. Et tu in tanta Republica Dei, tu solus peregrinus es, & Imperatoris decreta non curas. Confitendum est ita, vt idem sit in corde, quod sonat in ore.*

Confessione peracta sicut decet, & obseruatis cōditionibus Iubileo iniunctis, anima compos fit Indulgentiæ concessæ, ita vt si è viuis excederet, nullo nouo crimine sauciata, cælos peteret, vtpote omni reatu pœnæ & culpæ penitus expurgata. Luculenta probat hoc historia petita ex Chronicis Minorum. Instante die secunda Augusti, sacra Indulgentiæ plenariæ, quæ conceditur omnibus visitantibus Ecclesiam Deiparæ Dominæ Angelorum prope Assisium sitam, multi fideles vtriusque sexus se accinxere bono huic operi. In his fuit mulier anhela boni huius spiritualis: hæc stipata viris & fœminis vt illa piis, eò contendit, & vnà cum aliis Indulgentiam hanc suscepit. Dum verò socia turba redux propria repeteret, mulier hæc deuota vita cessit, & paulo post excessum suum mandatumque funus terræ, sociis apparuit, cosque fecit de sua gloria certiores.

EX HISTORIA. Ex Chron. Minor. in vita S. Franc. Indulgentiæ plenariæ animas in cælū transmittit.

Prostat & ibidem historia commemorans obitum hominis Christiani, qui morte instante virum probum & amicum enixè rogauit, vt adiret Assisium recurrente die præfatæ Indulgentiæ, eámque sibi mortuo apparet. Eo intento conscripto testamento penu congruum indixit amico, ad impensas itineris. Ille suam oppignerando fidem annuit, sed mortuo elato parum polliciti memor fidem fregit, & id magno mortui detrimento. Namque luens in purgatorio Defunctus acerba supplicia, sistitur in somnis amico suo incurio stare pollicitis, hunc acriter increpat, & arguit perfidiæ. Anno reuertente die indicta viam carpit amicus hic superstes, præuia confessione sibi Deum conciliat, & Indulgentias nomine defuncti suscipit, & reditum animo meditatur. Necdum cœptum iter confecerat, quando defunctus dormienti specie corusca visus ei, de Indulgentia plenaria ipsi aptata egit gratias immortales.

Vnum est hic obseruandum, nullas omnino Indulgentias remittere debita, quæ nos proximo obstringunt. Quippe fures nullum planè sibi comparare queunt fructum ex Indulgentiis, si rapta suis dominis haudquaquam restituunt, si non obstet inopia, aut impossibilitas, quæ duo non his Iubilei legibus adstringuntur. Ita detractores, qui læsere famam alicuius enormiter, cantare debent palinodiam, & illata famæ dispendia calumniis & susurris subitò resarcire. Qui neglexerit has cautelas, certò sciat, nihil Ecclesiæ sanctæ gazas prodesse sibi. Nam, vt præfatus sum, Indulgentia pœnarum supponit absolutionem à culpa, à qua non est ille liber, qui cunctatur in gratiam redire cum proximo, cui ablata debet restituere, siue penes famam, siue penes opes, iuxta vetus hoc effatum: Non remittitur furtum, si non ademptum domino referatur.

Indulgentia qualia debita non remittant.

Aliud est inculcandum & seriò, scilicet esse cauendas omnes ansas incurrendi in iacturam lucri facti anno Iubilei. Occasiones peccandi intelligo, & refricandi prisca facinora, iam detersa. Nempe nihil proficit medicina data ægro, qui vt conualuit, virulentis vtitur esculentis. Hic, prædicator, amplum habes campum inuehendi in Christianos hypocritas, qui ementita pietatis imagine se componunt in viros probos illa die, qua fingunt se aptare sacris Indulgentiis, sed ea elapsa, prius vitæ nequam ineunt institutum. Augustinus hoc agmen claudet ita fatus: *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Pulchritudinem amas? Vis esse pulcher? Confitere. Non dixit pulchritudo, & confessio, sed confessio, & pulchritudo. Fœdus eras, confitere, vt sis pulcher. Peccator eras, confitere, vt sis iustus. Fœdare te potuisti, formosum te facere non potes. Qualis autem est sponsus noster, qui fœdam amauit, vt faceret pulchram? Non venit vocare iustos, sed peccatores. Quomodo non erunt peccatores? Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Confitentur enim peccata sua, vomunt mala, que auidè vorauerunt, non redeunt ad vomitum suum sicut canis immundus, & erit confessio & pulchritudo.* Faxit Deus vt experimento suo sentiant omnes, & faciant id quod prudenter ingerit Augustinus.

Indulgentiā suscepta cauenda est recidiua.

Confessionis & pulchritudinis consortium. Psal. 95. August. in Psal. 95.

HOMILIÆ



HOMILIÆ DOMINICALES COMPOSITÆ SINGVLARI ratiocinandi modo, adiectâ multisciâ suppellectile omnium scientiarum.

PRÆFATIO.



NCYCLOPÆDIA, Id est, scientiarum omnium nexus in orbem ductus, quidpiam interminum & circulare sonat. Huius tituli tomos aliquot edidi, nec animo insedit mouere manum de tabula, quin plures adhuc libros omnium iuris effecerim. Namque anima multis imprægnata tomis non fatiscit. Vt parcam sumptibus eorum, quos æris inopia deterret à serie longa voluminum, quæ excudo, & compendiosè consulam præconibus sacris; duobus primis Tomis meæ Moralis Encyclopædiæ conclusi homilias in Euangelia Quadragesimæ, & Festorum. Volumina hæc prima sui editione emersêre mediocri mole, illâ videlicet, quam nuncupant. *In Quarto*. Illa homiliarum contextura polymita flosculis omnigenæ scientiæ nacta est Lectores adeò propitios, vt grandior nunc assurgat, aura hominum prospera ventilata. Altera nimirum hæc editio vt mole grauiore tumet; ita & ditior est multis titulis aucta, adiectis etiam homiliis in Euangelia de Dominicis à me hactenus illibatis.

Non spatiatus sum in his homiliis fusiore stylo: non enim hoc mihi pensum indixi, vt consulerem omnes scientias, vt eis imponerem omnigenam coronidem. Præcipuum intentum huius argumenti de homiliis Dominicarum, fuit annuere votis plurium, qui me sollicitarunt, vt aliquid de meo penu suppeditarem concionatoribus, quorum plerique diebus tantùm Dominicis sermonem habent ad populum, facti elingues aliis diebus festis. Itaque in gratiam illorum prodit ista congeries homiliarum, succincta methodo, cui breuitas haudquaquam obstat quin sit compages dilucida & idonea satis ad erudiendos animos, hos præcipuè qui laborant in structura concionis. Quippe series ista omnis homiliarum ita compacta est, vt singulæ quæque suas diuisiones habeant, & vnaquæque diuisio praxim aliquam moralem, in qua vertitur cardo præcipuus homiliæ. Vnde licet breuiloqua sit hæc contextura; potest tamen adiicere noua lumina præconibus sacris, quibus illustrati se accingent ad maiora audendum. Vt namque pluries accidit facula illucente in tenebris homines incurrisse in margaritas; ita fortasse fiet, vt mei modici luminis obsequio, multi meliora concipiant, quàm sit hic contextus homiliarum, iuri publico consecratus.

DOMINICA

DOMINICA I. ADVENTVS.

HOMILIA PRIMA.

SVMMA HOMILIÆ.



T homo eſt ſui iuris, ita & ad arbitrium ſuum viuit; nec Deus vllam ei vim infert, ſed prouidet rebus eius congruis mediis, ita ſe aptando indoli hominum, vt conſcia prouidentia Dei præſtitutum ſibi finem ſuauiter homines aſſequantur.

Illam Dei prouidentiam adſtruit iſta Homilia diuiſa in duas partes.

§. I. Priori parte dico, malis hominibus prouideri ſignis in Sole & Luna, & explico, quid illa ſigna clament.

§. II. Demum primum illud punctum concludo, probans illa ſigna terrifica prouocare homines ad reſipiſcentiam.

§. III. Altera verò parte oſtendo, Deum nobiliore modo cauere bonis, quàm iniquis, vt videre eſt, inſtante die Iudicij, cùm Crux lucida deſuper illucebit.

§. IV. Huic ſecundo puncto finem impono ſollicitans homines ad Crucis àmplexum; quia cùm opes, & dignitates, aliaque mundi lumina deficient, Crux rutila coruſcabit.

PRÆFATIO.

***Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium.* Luc. 21.**



T omnia ſenſibus obuia edita ſunt in hominis obſequium; ita etiam ſunt ſonora, & hominem ſollicitant ad penſum Deo debitum exoluendum. In rebus autem merè corporeis illa, quæ principem locum tenent, magis vocales ſunt, Deique ſcita ſonãt liquidius. Solis defectus præſagit mortem Domitiani. *Vnde patet, quidpiam ſingulare peti ab hominibus, quando loquaces cæli minantia ſidera nobis obiiciunt: ſi namque nihil elingue eſt in hoc rerum vniuerſo, ſed omnia ſuo modo fantur, quo res erit præſtantior, eò etiam grandiore tono ſingulos quoſque homines de ſuo ritè obeundo munere compellabit. Quid ergo putas hominibus ingerere ſigna in Sole, Luna & ſtellis, quæ meminit Chriſtus?* Philoſtrat. in vita Apollony. *Profectò illud idem quod Apollonio Thianæo ſuggeſſit Sol nigreſcens. Ille nimirum Philoſophus obſeruata Solis facie ſubpallida, paulatim lumine fatiſcente, coniecit inde necem Domitiani Imperatoris, qui eodem temporis articulo ſicarij gladio confoſſus occubuit. Eadem ſanè coniectura manet Solis & Lunæ deliquium inſtante die Iudicij. Nempe dehiſcentis mundi ruinam omnes hinc colligent cælitus eruditi. Cùm ergo queant tenebræ ſe Soli & Lunæ offundere, occurramus illi ſiderum defectioni, conſulentes nobis aliunde. Huiuſce voti compotes erimus, ſi Chriſtum habeamus inſtar Solis, & Mariam veneremur vt Lunam, crebrò eam ſic affati.* Aue Maria.

Leg. 3. ff. de Regul. Iuris. LIbertatem hominis Ius Ciuile ſic adſtruit. *Eiuſdem eſt nolle, cuius eſt velle.* Huic veluti fundamini libertatis hominum tota ferè incumbit congeries legum aliàs editarum. Irritæ namque leges eſſent, ſi homo liberi neſcius arbitrij, non eſſet ſui iuris. Quomodo enim quiſque obiectâ malè ſuadâ illecebrâ reſilire poſſet, & vellicante voluptate non annuere corpori titillanti? Itaque Deus liberæ conſulens hominum indoli, leges indixit, vt mali cautiores facti ſe reciperent ad meliorem frugem; boni verò ſibi conſtantes, in tenore ſuo ſiſterent vſquequaque. Vtque ſuis legibus aliqualem reuerentiam conciliaret Deus, vſus eſt creaturis omnibus vt miniſtris ad prouocandos homines, & ſuadendam obedientiam, quam depoſcunt ſanctiones hæ diuinæ. Verbi gratiâ, imminente ſupremo mundi fato, ſigna in Sole, & Luna terrorem incutient malis: Crux verò rutila coruſcans in cælo, ſolamen erit iuſtis. Terrore Deus reprobos vult inducere ad pœnitendum: vt & Cruce bonis ſuggerit in die Iudicij fore coruſcantes animas, quæ Crucem, id eſt, omnem pœnitentiæ ſuppellectilem æquo animo baiularint. Porro hæc omnia ſigna clamant, prouidentiam Dei eſſe ſollicitam de ſalute, & bonorum, & malorum: ſiquidem ad vtrumque genus hominũ pertinent ſigna in Sole & Luna, & Crux.

Dicam primò, Deum, vt par eſt, prouidere malis, congruis ſignis, quorum effectus oſtendam eſſe ſalutem animarum, quæ ſunt vitiis irretitæ. Diuiſio homiliæ.

Secunda parte probabo, hanc Dei prouidentiam nobiliore modo curam iuſtorum agere, & ſcrutabor quid illa Crux lucida ſignificet illo lumine, quod ante diem iudicij hominibus omnibus illucebit.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Deus congruè malis hominibus prouidet mentione factâ ſignorum, quæ erunt in Sole & Luna.

§. I.

HOmines quidam incauti, & illotis, vt dicitur, manibus attrectantes Auguſtinum, ſuſpicati

suspicati sunt, prouidentiam Dei non se porrigere ad malos, sed eos genio suo indulgentes, Deo quasi inscio; & incurio abire in præceps. Sic enim ait Augustinus. *Prouidentia est summum bonum, à quo pendent cætera bona.* At reprobi homines respuunt omne bonum. Rursus prouidentia Dei est ratio ordinis rerum in finem, sed reprobi omnem prætereunt ordinem; ergo à prouidentia Dei homines impij secernuntur. Sic arguunt illi, qui malè sentiunt de prouidentia Dei circa malos. Si staret illud argumentum, plerique Sancti, & hi magni nominis, vt Paulus, Augustinus, & alij gemerent in inferis, quia Deo & sibi ipsis iniqui aliàs extiterunt. Vnde cùm à peccatis reduces exilierint, illa sortis mutatio prodit singularem Dei prouidentiam, quæ cauit illis hominibus à Deo tunc penitus alienis.

Prouidentia Dei quid sit. *August. lib. 83. quæst.*

Ex THEOLOGIA. S. *Thom. 1. p. q. 22. a. 2.* Reprobi homines pertinent etiam ad Dei prouidentiam.

Illam Dei prouidentiam porrigere se ad malos etiam homines hac ratione Theologica palam fit. Cùm omne agens intuitu finis alicuius agat; tantùm se extendit ordinatio effectuum in finem, quantùm patet causalitas primi agentis. Hinc fit in operibus singularis alicuius agentis, vt aliquid prætereat finem intentum, quia aliqua exotica causa sese immiscuit huic operi præter intentionem agentis. Cùm ergo Dei causalitas sit infinita; nullus planè effectus erit in rerum natura, qui possit effugere finem intentum à primo illo agente, sicque quidquid participat esse, illud subditur diuinæ prouidentiæ, quæ etiam est sollicita de reprobis, vt pertinentibus ad hoc rerum omnium vniuersum, & quibus vtitur Deus ad exempla misericordiæ quando conuertuntur, secus verò si proterui in sua sibi constant nequitia, Deus inde facit vasa iræ, iuxta illud Salomonis. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.*

Prou. 16.

Ex PHILOSOPHIA. Cognitio hominis ortum habet à sensibus. *Arist. lib. 3. de anima textu 39. Lib. de sensu & sensibili. Lib. 1. Physic.*

Vt autem miserationes Dei super omnia opera eius, misericordia Dei maximè elucet in cura, quam adhibet ad salutem hominum impiorum: licet enim mundo vergente ad occasum, & die Iudicij instante, iustitia Dei gladio exerto reprobis immineat, signis etiam in Sole & Luna clamantibus Deum esse subiratum: minimè tamen abest illinc misericordia; sed congruè prouidet impiis, eos sollicitans ad meliorem frugem, his ostentis. Etenim operæ-pretium fuit adhibere signa externa, vt homo illis veluti rudimentis eruditus morem Deo gereret: siquidem homo coalescens ex corpore & anima, indiguit signis afficientibus vtramque partem, corpus scilicet & animam: nihil etenim sese in intellectum insinuat, quod non præluserit in sensibus, saltem secundùm aliqualem sui partem, vt & de Chymæra patet, quam etsi fictitiam concipimus; tamen est compacta partibus, quarum idea nostros sensus ferijt aliquando. Ad hoc pertinet hoc Philosophi effatum, *Intelligentem necesse est phantasmata speculari.* Cui subiice & hoc eiusdem axioma. *Omnis nostra cognitio ortum habet à sensu.* Deus ergo adhibendo signa corporea, se aptat hominum indoli, qui ad spiritualia non assurgit, nec prope iam futura cauere potest, sine beneficio signorum, quæ deforis affricantur.

Signa in Sole & Luna quare à Deo adhibeantur.

Quàm autem congrua sint illa signa in Sole & Luna & stellis, accipe. Deus vt plurimum se talem forinsecus exhibet nobis, quales & nos sumus erga Deum; ita peregrini habitu se obtulit discipulis euntibus in Emmaüs, quia peregrinabatur ab eorum mentibus. Cùm ergo omnium peccatorum præludia petantur à sensibus occupatis circa species sensibiles, quæ sunt signa rerum; Deus etiam signis & ostentis agit cum homine, illis prodigiis vtens vt ministris ad obsequium vel ad pœnam hominum imprudentum. Ita Tertullianus. *Hinc prima iudicij, vnde delicti origo, hinc Deus irasci exorsus, vnde offendere Deum indu-ctus.* Quasi diceret, Deum animaduertere in homines signis in Sole & Luna obscuratis, quia species rerum sensibilium intellectui tenebras offuderunt. Eò spectat querula vox Psaltis. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.* Id est, miseranda est iniqua hæc hominum sors; illa nimirum, qua seipsos damnant ad indaginem rerum inanium; qualia sunt omnia, quibus incauti omnes homines occupantur. Si namque plurium hominum vota æqua lance penses, nihil planè tibi solidum occurret; sed deprehendes esse inanes hominum curas, & versari in imagine rerum. Verbi gratiâ, sciscitare ab aliquo Veneris amasio, quare depereat mulierem? Responsum edet illud, quod in simili argumento dedit Samson: scilicet. *Placuit oculis meis.* Nempe formosa imagine illectus amor inani specie, veluti congruo fomite percellitur. Si ab auaro petis, quidnam præcipuè in votis habeat? Respondebit, nummos, id est, signatam pecuniam, cui Principis imago insculpta est. Et reuerà aurum substantiâ suâ non influit in animas, sed suam duntaxat speciem ingerit, sicque. *In imagine pertransit homo, sed & frustrà cõturbatur.*

Tertull. lib. de patientia.

Psal. 38.

Iudic. 14.

Amor hominis fertur tantùm in species rerũ.

Ita sanè irrita sunt hominum vota, quia feruntur in signa rerum, id est in species seu imagines: hinc fit vt frustra desudet homo velificans imagini, sectatus vmbram, corpore derelicto. *Thesaurizat & ignorat.* Nempe fugaces rerum species illudunt oculis, & dum putat homo arcula sua recondi gazas prædiuites, illo suo ergastulo nihil concludit præter oculorum ludibria: atque ita dum thesaurizat, ignorat, & hæc ignorantia est socia tenebrarum, quibus offusis nigricat intellectus. Concionator, hic siste, & increpa delirium illud, quo laborant omnes mundi asseclæ, qui spreto solido & summo bono, id est, Deo, vilibus occupantur. Illud subinde refrica, compellans impium. *In imagine pertransis homo, sed & frustrà conturbaris. Thesaurizas, & ignoras.* Quid miraris gloriæ humanæ lucidum iubar? Sol ille obscurabitur, & Luna hæc non dabit lumen suum. Nihil omnino ratum fixumq; est in hoc volubili sæculo, vbi omnia in gyrum acta properãt ad occasum.

Quia igitur signis offendimus, Deus opportunè adhibet signa in Sole & Luna, vt reuocet ab errore, qui sese nostris mentibus interserit, dum credimus mundum fore perpetuum, in eo quidpiam solidi suspicantes. Et hoc arbitror esse Dei intentum in his signis, quæ hodie recolit Ecclesia. Vt nimirum Deus occurreret imprudentiæ, qua quisque deuouet affectum suum mundo vt rei perenni, detrahet Soli & Lunæ lumen insitum, vt inde sciant homines instare ruinam mundi, & sic desinant amare periturum. Mihi in hac sententia præit Gregorius, ita fatus. *Dominus ac Redemptor noster, paratos nos inuenire desiderans, senescentem mundum, quæ mala sequantur denuntiat, vt nos ab eius amore compescat.* Et procul dubio nullam huius sæculi supellectilem perennare Deus voluit, ne si diuturna foret, conciliaret sibi vota hominum, qui etiam mundo fatiscenti sua deuouent

Mundus quia periturus non amandus.

Ex SS. PATRIBVS. *Greg. hom. 1. in Euangel.*

Idem hom. 4. in Euang. Mũdus Deo postponendus. Deus quare sequendus.

uent obsequia, vt Gregorius stupet. *Superba*, inquit, *mens nostra adhuc non vult sponte deserere quod quotidie perdit inuita. Ecce mundus iam in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret: fugientem sequimur, labenti inhæremus.*

Aug. Solilo. cap. 13. Mundus clamat deficio.

Illa timosa naue vectum se aliquando luget Augustinus illectus sensuum illecebris, quibus vt diu indulsit, voluptas illa fugax nihil nisi tædium & pœnitendi argumentum liquit. Ecce reducis animæ suspiria. *Domine vita mea beata, fac vt miseriam meam confitear tibi, ex quo ab vnitate bonitatis tua, summo & vno bono temporalium rerum multiformitas lapsum me per carnales sensus dissipauit, & ab vno in multa diuisit, & facta est mihi abundantia laboriosa & egestas copiosa, dum aliud & aliud sequebar, & à nullo implebar, dum non in me inueniebam te incommutabile & singulare indiuisum vnum bonum; quod consecutus, non egeo; quod consecutus, non doleo; quod possidens, satiatur totum desiderium meum. Heu miseria super miseriam, cùm misera anima mea à te refugit, cum quo semper abundat & gaudet & sequitur mundum, cum quo semper eget & dolet. Mundus clamat, deficio: tu Domine clamas, reficio; & miseria mea praua magis sequitur deficientem, quàm reficientem.*

Seneca quare mundum contempserit. *Senec. ep. 110.*

Hoc rerum omnium deliquium animo versans Seneca, professus est altum contemptum mundi. Ecce propositum tenax Stoici Philosophi. *Quid miraris, pompa est? ostenduntur res ista, & non possidentur; & dum placent, transeunt.*

Mundi fugax indoles egregio symbolo lineata.

Hoc volatile ingenium mundi bellè explicuit Ægidius in suis iconibus symbolicis. Pingit ille candelam extinctam leuiusculo flabro venti, hac epigraphe adiecta. SPLENDOR EVANESCENS. Non inficior, opes, gloriã, dignitates, & præclaras animi dotes esse rutila mundi lumina satis micantia; sed morte afflante est omnis ille SPLENDOR EVANESCENS. Et hæc defectio nauseã debet ingerere potius quàm cupidinem. Imminere finem mundi Deus suggeret hominibus nigrescente Sole, nec quisquam dubium faciet ingruentem occasum rerum inferarũ, cùm videbit ipsa etiam sidera dispendiũ pati. Ita ominantur Medici ęgro mortem, quando lumen oculos deficit, & totus faciei habitus immutatur. Ecce præsagium Hippocratis in ea disciplina viri summi. *Si oculi lumen refugiunt, aut peruertuntur, & quæ in ipsis alba esse debent rubescunt, fueritque aspectus horridus, obscurusque, atque vniuersa faciei color mutatus: hac omnia signa mala perniciosaque putanda sunt.* Hæc etiam signa quadrant mundo in extremis; nam sidera, quæ sunt oculi mundi huius, horrida tenebrarum aspergine fœdabuntur. Ecce Ioelis præsagium. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magna, & horribilis.*

EX SYMBOLIS. *Ægidius Sadeler lib. 3. iconum Symbolicarum.* Signa mortis instantis. EX RE MEDICA. *Hippocrat. lib. 1. præsagior. præs. 13. Ioel. 2. Galenus in lib. 1. præsag. Hippocrat.*

In signis, quæ præludunt morti, Galenus nigrorem faciei recolit, vt præcipuum præambulum mortis; quia, inquit, nigricans hæc facies arguit, sanguinem excidisse calore viuido, quo corpora vegetantur. Sidera nigrore infecta clamant lethale frigus hominum cordibus insidere, frigescente videlicet charitate. Rursus illa siderum horrida facies admonebit homines iræ Dei in procinctu.

EX IVRE CIVILI. *Lege 17. de pœnis Cod. Theodosij.*

Vt enim Iure Cæsareo infulis exuitur Consul, & deponit purpuram excepturus capitis sententiam si peccauit, vt in Eutropio Consule fuit factitatum; exuetur orbis suo veluti cingulo, quando cæli Zonæ lucidæ tenebrescent. Sed quamuis illa signa sonent iram Dei accensam piaculis hominum; non tamen abest inde miserantis Dei benignitas, homines sollicitans ad gemitus: si namque Deus nollet flecti ad misericordiam, nequaquam præmitteret illa signa; sed hominem ex improuiso adortum in præceps ageret æterno igne vindice cruciandum.

Dei flagella nihil nisi misericordiam spirant.

§. II.

Quare homines arescent præ timore videntes signa in Sole, & Luna.

HOminis iniqua propensio in nefas, eum vrget ad peccandum, nisi cautè suis actibus inuigilet. Vnde cùm maxima hominum pars sit suæ salutis incuria, rarus est, qui non morem gerat malesuadæ indoli; & hinc magna criminum congeries, quæ tandem aliquando in cumulum assurget cælo tenus, & tunc sidera nigricabunt. Arescent tunc homines præ timore, & id meritò: qui nempe nullo prorsus gratiæ humore madet, aridus est. Epulis quidem & mero desudabunt homines, cùm cæli indignantes alium habitum induent: æstuabunt igne Venereo frigente charitate; & vt sæculo Noë inundans ira Dei conclusit impios, ita & siderum horror repentinus homines diuersimodè afficiet. Alij quippe satagent facere sibi Deum propitium, alij verò secus desperabunt oppressi pondere vitiorum.

Daniel. 5.

Congruam accipe figuram huius tragœdiæ. Rege Baltasar liberali haustu bibente vinum, & sua simulacra miris elogiis celebrante, ira Dei repentina cælitus intonuit, & Regem adeò perculit, vt impos ferè sui tantùm non animo defecerit. Ecce compendium historiæ. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, &c. In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus scribentis hominis contra candelabrum. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius turbabant eum.* Iniquus mundi habitus hodiernus aliqualem ideam nobis suppeditat eius status, qui crebrior erit in vltima mundi periodo. Homines tunc effrænes, & laxatis vitio habenis, sese in voluptatum omnium cœno sordido volutabunt. Dum autem illi velut scarabei fimo assueti suas versabunt fæces, manus Dei non in candelabro, sed in Sole scribet capitis sententiam, arescentibus hominibus præ timore.

Misericordia Dei eminet aliis operibus vbi iustitia vindex sæuit.

Verum enimuerò ebulliens ira Dei non concludit homines alio modo quàm sustulit Regem hunc Chaldæum, quem ideo præmonuit, vt caueret. Illa nempe memorata toties signa in Sole & Luna, licet aptata sint in hominum nequam caput; spirant tamen misericordiam Dei, qui punire volens cunctatur, vt longiores protrahendo moras, homines pœniteant. Et sic iustitia non obstat, quin misericordia superexaltet iudicium.

EX MATHEMATICA. *Schonerus Origanus de signis & Planetis.*

Non erit hic abs re meminisse nugas Astrologiæ, quas plerique suspiciunt velut oracula, & quibus, vt fateor, nullam planè fidem adhibeo, eas tantùm traducens ad ornatum, & leuandum fastidium, quo laborant plerique lectores cupidi rerum, quas habuere hactenus illibatas. Illa igitur disciplina loquax notat, Solem & Lunam existentes in signo Libræ, diri ominis esse nato in hac constitutione cæli, quia, vt garriunt, Libra est signum violentum, vtpote exaltatio Saturni, qui stipatus falce depingitur. Si tamen is planeta, id est, Saturnus, eodem temporis articulo cum

Sole & Luna decurrat domum seu signum Libræ, non adeò maleficus erit, quin in gratiam Libræ vbi sortitur exaltationem suam, præclaras animæ dotes impertiet fœtui edito hoc momento.

Ecce nugacis disciplinæ asserta, quæ suos garrulos adoratores habent, qui ex hoc placito cælicæ Matheseos probant, Solem & Lunam in signo Libræ præsente Saturno, mala & bona simul præsagire. Liquidior est illa sententia appensa ad trutinam morum: quippe libra notat iustitiam. In eo signo coïbunt Sol & Luna in die Iudicij, vbi falx Dei erit accincta ad multa capita demetenda. Tamen illa omnis funesta supellex esto minax sit, & altè tonet; non obstat, quin misericordia præualeat. Namque Deus dat metuentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus: & quia superexaltat misericordia iudicium, misericordia etiam tunc erit in exaltatione sua, & nihil eam remorante gladio vindice præualebit. Imò non in die tantùm Iudicij signa illa horrenda proderunt multis: sed & singulis quibusque sæculis, quæ ab incunabulis Ecclesiæ iam fluxerunt, plerique dyscoli homines composuere suos mores in melius, signa illa horrida recolentes, & sic misericordia Dei fulmina Iudicis anteuertit.

Misericordia Dei superexaltat iudicium.

EX SS. PATRIBVS.

Hier. lib. 7. in Ezech. c. 23.

Calix quid significet in Scripturis.

Hanc misericordiæ Dei dignitatem, Prophetæ congruis lineauere typis, insinuantes Deum etiam in flagellis hominum, eorum attendere sanitatem. Ecce in eo argumento singularem loquendi tropum vsurpatum ab Ezechiele carpente Iudam, quod tribus illa fuisset conscia idololatriæ aliarum tribuum Israël. *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua. Hæc dicit Dominus: Calicem sororis tuæ bibes profundum, & latum.* Quid illa sonet metaphora Hieronymus aperit, ita commentatus. *Calix sæpe accipitur pro pœnis, atque suppliciis, vt est illud: Calix in manu Domini vini meri plenus misto; bibent omnes peccatores terræ. Et ad Ieremiam loquitur Deus: Accipe calicem vini meri de manu mea, & potabis omnes Gentes, ad quas ego mittam te, & bibent, & voment, & insanient. Sicut enim quædam dantur cathartica, vt noxius humor, qui inest corporibus, egeratur: sic Dominus dat calicem tormentorum meracissimum, vt quidquid fellis, amaritudinisque est, auferat à peccatoribus, & pristinæ eos restituat sanitati.* Eò etiam spectat illa locutio, qua Ezechiel ita Deum inducit, homines impios increpantem. *Non parcet oculus meus super te, & non miserebor, sed vias tuas ponam super te.*

Ezechiel. 7.

Quomodo hæc censura minax, atque tonans concludat misericordiam, eruditè docet Hieronymus, ita versans illum textum. *Quod dicit: Non parcet oculus meus super te, & non miserebor, quasi clementissimus Medicus incidere cupiens putridas carnes, & cariosa vulnera adurere cauterio, non parcit vt parcat, non miseretur vt magis misereatur, ne quid putridum viuas carnes sua vicinia corrupturum remaneat in corpore. Percutit autem Dominus, quem diligit, & castigat omnem filium, quem recipit. Cuius intelligentia est: Ego percutiam, & ego sanabo: omnis enim medicina ad tempus habet amaritudinem; sed postea fructus doloris sanitate monstratur. Tale quid & per Amos loquitur Deus. Quoniam vos cognoui de vniuersis tribubus terræ, idcirco vlciscar super vos omnia peccata vestra; & vias, inquit, illius, totiusque vitæ egressum, abominationesque, & maculas ponam in medio eius, vt ante oculos peccatricis, quæ pro sanitate punitur, pristina peccata ponantur. Cumque hoc feceris Dominus, scient qui cruciati sunt, quòd ipse sit Dominus. Causas seueritatis, & austeritatis Dei, quòd non parcat oculus eius, nec misereatur, subiecit dicens: Vias tuas dabo tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt, vt sentias, quæ fecisti, & videns abominationes tuas, vel in conspectu tuo, vel in medio omnium positas, emendes errorem pœnitudine, recedens à pristinis operibus. Cùm oderis, quæ fecisti, tunc sentias, quòd ipse sit Dominus, qui ideo percutit, vt emendet.*

Hier. lib. 2. in Ezech. c. 7.

Flagella Dei nos prouocant ad pœnitentiam.

Hanc Dei industriam Psaltes enuntiat dicens, eo intento cædi homines, vt Deo litent. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me.* Vbi Augustinus hæc scitè aduertit, Deum inducens sic loquentem. *Ad hoc permisi diem tribulationis fieri tibi, quia si non tribulareris, non inuocares me. Cùm tribularis autem, inuocas me, eximam te: cùm eximam te, glorificabis me, vt iam non discedas à me. Obtorpuerat & friguerat, & dicebat: Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. Inuenit tribulationem, tanquam aliquid vtile; putruerat tabe peccatorum suorum, iam sine sensu remanserat; inuenit tribulationem, tanquam sectionem, & vstionem. Alius damno affectus plangit, alius orbitate percussus luget, alius patriâ exulans mœret, alteri vinea grandinata, & attendit ad labores suos. Plangunt hæc omnes, & dolent, & tribulationes sunt istæ; inuocent Dominum, potest vel docere tolerandum, vel sanare toleratum.* Itaque tonet cælum, Solis & Lunæ lumina deficiant, grassetur lues in populo, fames acerba depascat homines, aliaque magis acerba ferociant, vti præambula diei huius horrendi, indicti ad supplicia æterna reprobis indicenda. Totus tamen ille fragor à Deo inducitur, vt caueamus, & ex natura mali inflicti deueniamus in notitiam criminis, quo commisso fuit anima sauciata.

Psalm. 49.

August. in Psalm. 49.

Tribulatio nos ad Deū ducit.

Vt practica sit hæc conclusio de misericordia Dei prouocante nos flagellis congruis ad pœnitentiam, quisquis in discrimen aliquod incurret, is seipsum exploret, quonam piaculo sibi tales peperit angustias. Verbi gratiâ, classicum insonat, igne, & ferro via sternitur ad mortem immaturam. Cogita, te bellum indixisse Deo, qui idcirco in te militem conscripsit, vt prosternat te superbum impiè rebellantem. Dira fames tuam fortè familiam vexat: & hoc fortè in pœnam panis aliàs pauperi denegati. Recensita signa in Sole & Luna terrorem incutiunt. Vide, an intellectus tuus Solis vices gerens, ea sit caligine offusus, quam vitia aspergunt. Rimare sedula indagine, an voluntas tua æmulans varia momenta Lunæ, parum sibi constet in virtutum praxi, & verum facultas illa inconstans pertæsa virtutis obsequium, vitiis adhærescat. Anima sic erudita leget è spinâ rosas, & proliciet oleum de saxo durissimo, cautior facta flagris. Imò reprobis incutiis suæ salutis, quam Deus intendit plagis inflictis, misericordia tamen adhuc emicat; quia probi homines consulunt sibi, visa ruina hominum impiorum. Ita Dauid. *Lauabit iustus manus suas in sanguine peccatoris.* Id est, cautior erit, quasi pœnâ lotus iniqui hominis. Ita Augustinus. *Iustus quando videt pœnam peccatoris, proficit ipse, & mors alterius proficit ad vitam alterius.* Tu

Flagella Dei aptantur peccatis hominum.

Quid sit meditandum in flagellis Dei.

Flagella hominum impiorum proficiunt iustis.

Psalm. 57.

August. in Psalm. 57.

Tu vides talem vindictam, laua illic manus tuas, de cætero mundius viue. Attende impium flagellatum, & morientem, & purga te à peccatis; ita lauas quodammodo manus tuas in sanguine peccatoris.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Deus nobiliore modo prouidet iustis, quàm impiis.

§. III.

Prouidentia Dei magis elucet in cura iustorum, quàm impiorum.

TAmetsi Deus vbique sibi concolor est; nemo tamen inficiari potest, prouidentiam eius elucere magis connotatiuè in iustis, quàm in reprobis. Cùm enim prouidentia in Deo, sit ratio ordinis rerum in finem, & finis hominum sit gloria Dei, & salus animarum; cùm Deus efficaciter arcet à bonis obices ad gloriam illam, nostro concipiendi modo liquidiùs his prouidet quàm reprobis, quos quidem congruis stipat auxiliis, & gratiis sufficientibus, sed quæ finem hunc beatum minimè sortiuntur. In mediis institutis ad salutem iustorum, insigne erit signum Crucis in cælo rutilans, quando deficiet lumen Solis, & Lunæ. Vnde & signorum planè dispar erit effectus. Mali nimirum homines malè sibi conscij arescent præ timore, & capite inclinato, indue iniqui animi, alta trahent suspiria. Iustis verò crux desuper irradians ineffabilis lætitiæ præsentissimum suggeret argumentum. Vnde Christus eos sic affatur. *Leuate capita vestra, appropinquat enim redemptio vestra.* Quasi diceret. Orbis prope iam dissoluendi fragor haudquaquam vos terreat: siquidem eius ruinæ ad vos non pertinent; tota illa lethalis catastrophe reprobis indicitur, vtpote quibus nihil in cælo est. Vos verò manent alia stipendia: quippe mihi sub crucis labaro militastis. Crux illa vos eò vocat, vbi iam rutilat, & coruscat. Sidera nigricant impiis, quia Sol gratiæ occidit eis; vobis verò splendida crux de cælo affulget, quia luminis huius radius scilicet gratia micat in anima vestra.

Luc. 21.

Crux baiulata à iustis, eos vicissim euehet ad cælum.

Crux illa corusca vt lucidum iubar illucens erit magno solamini probis hominibus, qui inde magnum spei capient argumentum. Qui nempe hactenus Crucem baiulauere suis humeris, ab eadem scient sese in cælum postmodum euehendos: sicque pij omnes illo Crucis intuitu vt clauo trabali figentur adeò tenaciter in Dei obsequio; vt inde nequeant diuelli. Itaque Dei prouidentia longe nobilior est connotatiuè circa bonos, quàm circa malos, quia præstantius est confirmari in gratia, quàm ad gratiam deperditam externo aliquo symbolo prouocari. Rursus illa prouidentia dignior est, quæ finem primarium attingit. At prouidentia moderans momenta vitæ piorum hominum, ita appendit ea ad trutinam vitæ æternæ, vt tandem aliquando dignandi sint illo fine primario intento à Deo, qui vult omnes homines saluos fieri. Et quamuis reprobi etiam inuiti ad gloriam Dei pertineant, quam faciunt palàm probantes Dei iustitiam, quæ singulos quosque homines afficit pro rei dignitate; ille finis scilicet damnatio, non est volitus à Deo, voluntate antecedente; sed duntaxat consequente. Namque nemo editus est à Deo, vt damnetur: sed omne hominum genus à prima editione sua destinatum est ad gloriam, actu voluntatis antecedentis, quæ vt non est efficax, ita non sortitur effectus indubios, qui in iustorum prædestinatione liquent: sicque patet, quàm digniores sint effectus prouidentiæ in iustis, quàm in malis; quandoquidem nefarij homines subtrahunt se gloriæ æternæ, ad quam pij omnes homines euehentur.

Vt stante mundi regno, probi quique fuere positi in signum ad sagittas nebulonum; ita mundo fatiscente & instante regno Dei, cælum stabit à partibus iustorum contra nefarios homines. Crux lucida vexillum erit præcedens agmina Angelorum, qui bonorum iura tutabuntur, non contra homines tantùm, sed & aduersus Principes & Potestates, cateruas scilicet dæmonum, qui tunc maximè desæuient in homines, vtpote conscij sæculi pereuntis. Sed eorum impetus omnes frangentur irradiante Cruce, & conducta in obsequium hominum, qui sese totos Cruci ex animo deuouerunt. Non eo inficias, iustos & ab Antichristo, & ab aliis dæmonum asseclis passuros insultus acerbos, & plurimos; sed omnia hæc discrimina sortientur finem illum, quem meminit Damianus, dum recolit præpotentis cuiusdam nobilis vim illatam Monachis cuiusdam diuitis Abbatiæ. Nobilis ille gazis Ecclesiæ illius inhians conscripsit militem, instruxit copias; & armata manu perrexit contra viros innoxios. Vbi armorum fragor auditus est ab Abbate viro sancto, signo dato collegit omnes Religiosos, & Cruce præeunte occurrit agmini cataphracto. Ad Crucis aspectum miles obuius exhorruit, & abiecta sua omni panoplia venerabundus procidit ad pedes hominum, quos Crux illa gemmis præfulgida tutabatur.

Crux est labarum iustorum.

Crucis virtus egregiâ probatur historiâ.

EX HISTORIA.

Petr. Dam. epist. ad Firminum Episcop.

Hic profectò erit exitus belli, quod reprobi indixere malis: præualuere quidem nequissimi homines in corpora beatorum; eis insultantes, & hinc purpureus Martyrum chorus; sed mundo vergente ad occasum, & properante die Iudicij, cùm Angeli collecturi bonos & malos Crucis signum desuper irradians ostendent; dæmones ipsi, & eorum stipendiis militantes impij corruent, & terga dabunt, iustis interea lætum pæana canentibus. Mœrebunt iniqui homines, obiecta sibi Cruce, quia in ea fixere Christum: boni verò secus gestient, quia crucifixere suam carnem, Christi intuitu, cui crucifixo iugiter adhæserunt. Crux obtendetur vt gladius singulis quibusque probis, vt eo armati repugnent, & triumphent. Vbi Dauid Goliam occidit gladio; quo accinctus in Dauidem processerat; gladius ille vindex iniuriarum Dei, tholo templi appensus est, velut anathema, id est, donum Deo sacrum. Sed vrgente discrimine, Dauid illum gladium repetiit, & eo se accinxit. Cruce adhibita, mundus in Christum processit, qui & eo ligno occubuit; sed & suo occasu vicit principes hominum hostes, carnem scilicet, mundum, & Angelos omnes apostatas, rectores tenebrarum harum. Inde gladius ille, videlicet Crux cælo inserta est, vnde sæpius apparuit, vt armaret baiulos suos, sicut sæpe sæpius expertus est Constantinus Imperator, qui numerosas fudit acies, signo Crucis substituto labaro Imperij.

1. Reg. 21.

Si itaque, ô iusti, crebræ angustiæ facessunt negotium, mementote Cruces illas aliquando fore rutilas & micantes, ac proinde esse argumentum salutis æternæ, quæ singularis prouidentiæ Dei beneficio nusquam melius quàm Crucibus adstruitur.

Parænesis ad baiulandam Crucem, vt ipsa vicissim nos ad cælos euehat, instante die iudicij.

§. IV.

Erasmus lib. Adagiorum.

MAlo semper omini fuit sessoribus suis equus Seianus; quia quisquis ei insedit, malè periit. Vnde & ille Seianus equus abiit in prouerbium, pro re ominosa suo possessori. Simili propè fato voluptates suos dignantur amasios, & cultores: nempe manet sors iniqua reprobos, qui sectati sensuum illecebras, Crucem Christi turpiter abiecerunt. At secus bono semper omini fuit Crux baiulis suis: illa nimirum velut expedita nauis traiicit omnes, qui eam impensè colunt, & eos tutò deponit ad littus optatum gloriæ æternæ. Has dispares hominum sortes abundè meminit codex sanctus, ita sugillans supremum impiorum fatum. *Ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde.* Ioannes autem audiit opprobria, quibus erunt obnoxij voluptuosi omnes. Hos & dæmones ipsi figent hoc scommate, singulos quosque ita increpantes. *Væ væ, omnia pinguia, & præclara perierunt à te.* Iustorum verò status felix & malorum expers in die Iudicij describitur hoc tenore. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, & florebit lætabunda: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri, & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontem aquarum.*

Impij instãte Iudicio extremo gement.

Isai. 24.

Apoc. 18.

Isai. 3.

Cùm igitur discolor æternitas sit futura in bonis, & prauis hominibus, totumque discrimen sit petendum ab amore, & odio Crucis; illi reuera prudenter consulunt sibi, qui cum Cruce commercium ineunt, quandoquidem illa sola vehiculum est, quo scanditur ad gloriam, cuius aditus frustra tentatur ab exosis Crucem. Quippe nefas est præterire ordinem à Deo præstitutum, vt deuenire queat ad congruum sibi finem. At medium indictum homini adulto ad consequendam gloriam, est disciplina Crucis. En edictum, quod cælitus insonuit. *Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Rursus finis hominis supernaturalis non potest attingi mediis merè naturalibus, ac proinde nequit homo solo ductus arbitrio deuenire ad gloriam. Ergo debet stare in mediis à Christo Domino recensitis. Quorum vt Crux est compendiosa magis via ad beatum illum statum; ita & est toto pectore & votis omnibus amplexanda.

Crux est cõpendiosa via ad gloriam.

Luc. 16. Crux est medium à Christo præostẽsum.

Crucem suos sequaces in cælum dirigere luculentâ patet historiâ Ioannis Silentiarij, qui furente persecutione vidit lucidam Crucem serena nocte de cælo descendere, & audiit vocem suggerentem, vt lucem illam sequeretur, si vellet suæ saluti consulere. Ille nihil cunctatus, Cruci adhæsit: quæ eum ad monasterium Sancti Sabæ duxit, vbi vitam egit virtutum omnium studio polymitam. Quod autem illic in hominem sanctum se composuerit, & inde cælis insertus sit, totum hoc fuit Crucis negotium. Tria hîc obseruo scitu dignissima. Primum est, lucidam illam Crucem de cælo in terras missam, ebulliente dira persecutione. Alterum est, Crucem illam præbuisse ducatum ad agonem, & palæstram, & non in Iocum vbi cancellatis otio brachiis, & torpescente manu corpora feriantur. Tertium est, Ioannem Silentiarium Crucis obsequio cælicolam factum. Profectò non est quòd inuideamus gratiam hanc præstitam præfato illi Sancto, cùm eadem & nos vehamur naui. Si namque Tyranni non hac tempestate furunt in nomen Christianum; alia sæuit persecutio, vtique acerbior: vitia nempe ferociunt, & salutem animæ quotidie in discrimen vocant, suasore mundo, & dæmone susurrone. Si hoc tempore opaco peccati caligine offusa flagellis cædimur, & ærumnis quatimur; molestiæ illæ omnes sunt Cruces lucidæ & cælestes, quia nobis cælitus infliguntur. Non suadent omnibus vt adeant claustra religiosa; sed omnes sollicitant, vt religiosè viuant vitiis abdicatis. Proculdubio quisquis ingruente aliquâ acerbâ angustiâ Deo suggerenti aurem præbuerit, is impiger erit sequax Crucis, nec vllæ Cruces erunt eius humeris importunæ.

Crux suos sequaces in cælum dirigit.

EX HISTORIA.

Cyrillus in vita S. Sabæ.

Ioannes Silentiarius Crucis obsequio rectà tẽdit in monasterium.

Crucis effectus quam sint animæ salutares.

Itaque, ô pij omnes assueti bonis operibus, magnifacite omnem pœnitentiæ supellectilem, scilicet ieiunia, orationes, vigilias, & alia omnia aspera carni: siquidem illæ omnes angustiæ, Cruces sunt, baiulos suos & sequaces ad sidera dirigentes. Ea omnia, quæ corpori ingrata sunt, esse Cruces, & equidem salutares, egregiè docet Hieronymus, ita monens. *Attende, quod in hac vita dicitur homini: Tolle Crucem tuam, & sequere me. Cruciatur autem caro, cùm mortificantur membra nostra, quæ sunt super terram, fornicatio, immunditia, luxuria, auaritia, &c. de quibus idem dicit. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hic etiam de seipso dicit. Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo: & in alio loco. Scientes, inquit, quia vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, vt euacuetur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Quamdiu ergo id agunt opera nostra, vt euacuetur corpus peccati, quamdiu exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur de die in diem, tempus est Crucis. Hæc sunt etiam bona opera quidem; tamen adhuc laboriosa, quorum merces est requies. Sed ideo dicitur, spe gaudentes, vt cogitantes requiem futuram, cum hilaritate in laboribus operemur. Hanc hilaritatem significat Crucis latitudo in transuerso ligno, vbi figuntur manus. Per manus enim opera intelligimus; per latitudinem hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias, per altitudinem verò, cui caput adiungitur, expectationem retributionis de sublimi iustitia Dei, qui reddit vnicuique secundùm opera sua; in his quidem, qui secundùm tolerantiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem. Itaque etiam longitudo, qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat, vnde longanimes dicuntur, qui tolerant. Profundum autem, quod terra infixum est, secretum sacramenti præfigurat.*

EX SS. PATRIBVS.

Hieron. epist. de celebratione Paschæ, tom. 9.

Crucẽ Christi qua ratione debeamus tollere.

Crux Christi hilari animo baiulanda.

Crucis ita nostris humeris impositæ Augustinus meditans vberes prouentus, & gloriæ æternæ argumenta, quæ consequuntur animas Christo crucifixas, sic admirabundus effunditur. *O Crux, cuius tantus ac talis decerpitur fructus! Hic fructus ligni huius verè plantatus est secus decursus aquarum, dedit hoc lignum fructum in tempore suo. Dabit & cùm apparuerit de cælis ille, qui visus est super terram, cùm præcedente ipso Crucis signo iam fulgido venerit de supernis: tunc resurgent corpora sepultorum, tunc*

Aug. ser. 101. de tempore. Crux erit gloriosa in die Iudicij.

tunc exultabunt Sancti in gloria, qui nunc de sui Regis ac Domini Cruce non confunduntur, sed potius gloriantur.

Nota, ipsis etiam sideribus detrahendum lumen suum, vt Crux sola rutilans irradiet. Vt sciant inde omnes, lumen indeficiens gloriæ æternæ esse effectum Crucis. Rursus extincto lumine Solis & Lunæ, Crux erit omni sidere lucidior quia in supremo mundi deliquio, lumine suo cadent opes, & dignitates hodie præfulgidæ; & Cruces tantùm, id est, bona opera rutilabunt. Emicant ad momentum diuites, & mundi huius proceres, dum pœnitentes Crucis baiuli latent in opaco. Sed hi alternis ludent: mundi nimirum fulgentes asseclæ, ingloriam patientur defectionem lucis ementitæ; iusti vero decocti ærumnis, & assueti Cruci, quæ ipsis iugiter incubuit, æterno lumine radiabunt. Hæc alto animo versans Bernardus, ita fidelem, quemque hortatus est. *Sequere Dominum ascendentem Crucem, exaltatum à terra, vt non solùm super te, sed & super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, vniuersa quæ in terra sunt, deorsum aspiciens, & despiciens, sicut scriptum est: Cernent terram de longè. Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nulla aduersitates deijciant, absit tibi gloriari, nisi in Cruce Domini tui Iesu Christi, per quem tibi mundus crucifixus est, vt quæ mundus appetit, Crucem reputes, & tu crucifixus mundo, illis quæ mundus Crucem reputat, toto inhæreas amore.*

Bern. serm. 4. de Ascensione.

Crucis amore debet homo affici.

Huc reuocare lubet opportunum symbolum, cuius meminit Camerarius, dicens oues in Ponto carere felle, quia multo victitant absynthio, cuius maximè est illa terra ferax. Pingit ille ouem caulibus absynthij saturatam hoc lemmate. DVLCESCIT AMARVM. Iusti nuncupantur oues à Christo, vt hœdi nomine reprobus quisque recolitur. Iusti Crucis absynthio abundè pasti, vitam in hoc sæculo ærumnosam trahunt. Sed cùm Crux fulgida illucebit in supremo die, tunc DVLCESCET AMARVM. Nempe baiuli omnes Crucis, immemores amaroris pœnitentiæ, ineffabili suauitate æternæ gloriæ perfruentur. Hîc prædicator vrge tuos auditores ad decerpendos fructus pœnitentiæ, subinde repetens hoc symbolum. Verbi gratiâ, sic affare vilia voluptatum mancipia. O gulose, quid arcta reformidas ieiunia? Dicis inediam esse absynthium. Ita est, sed DVLCESCET AMARVM. O luxuriose, cùm ingero tibi studium castitatis, virtutis huius amor amarè tibi sapit: sed si sapis, castior eris, & in die Iudicij DVLCESCET AMARVM.

Ex SYMBOLIS. *Camerarius lib. Centuriarum.*

Crux in die Iudicij illabit dulcedinem.

Demum sic coronidem impones isti concioni, scilicet vsurpando voces Esdræ prouocantis populum ad magnā celebritatem. *Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, vt fiant tabernacula.* Virtutum praxis est mons perarduus; egreditur ad montem omnis, qui se accingit ad studium, & stadium hoc virtutis, cuius actus operosi sunt frondes, & rami Crucis idonei ad æterna tabernacula nobis in gloria concinnanda.

2. Esdr. 8.

DOMINICA II. ADVENTVS.

HOMILIA SECVNDA.

SVMMA HOMILIÆ.



VT Ioannes vox sonora fuit, vtpote clamans, quonam apparatu Christo esset omnibus occurrendum, suspicor Ioannem in vinculis audientem opera Christi, à quo etiam laudis eximiæ præconium singulare accepit, nobis significare gratiam esse in vinculis, id est, omnia, quæ gratiosa sunt, debere aliquo vinculo coërceri.

§. I. Priori parte istius homiliæ dicam, Deum quædam assignasse rebus quibusque optimis vincula, & iustos esse in vinculis mandatorum Dei, & quandoque ærumnarum.

§. II. Adiiciam, in his vinculis iustos audire, & imitari opera Christi.

§. III. Secunda parte homiliæ ostendam, eos, qui declinant vincula Dei, incurrere in vincula diaboli.

§. IV. Demum concludam, eos malè suis cauere rebus, qui se Dei vinculis eximunt, vt suauius viuant Nam eorum defectio infidelis, à Deo vinculis & flagellis asperè castigatur.

PRÆFATIO.

Ioannes in vinculis audiuit opera Christi. Matth. 11.

Vinculum tessera libertatis.



Itta purpurea, quam Rahab meretrix appendit fenestræ suæ, fuit species quædam vinculi apti ad vinciendum caput, & brachia. Et licet primo intuitu vincula libertati officiant; illa tamen vincula coercitoa fuere indicta à Iosue huic prudenti fœminæ, in gratiam accepti beneficij, cuius & ipse memor, dum solo adæquaret vrbem illam, & internecione ciues deleret, saluam fecit Rahab, cuius ædes erant signatæ præfata hac vitta pendula de fenestris: sicque fuit vinculum hoc tessera libertatis.

Iosue 6.

O beata vincula, vita condonata symbola! Sed his longè potiora fuere vincula Ioannis, quæ eum fecere conscium arcanorum Christi. Quippe. Ioannes in vinculis audiuit opera Christi, *qui hunc præambulonem suum, dignatus est*

est explicita professione diuinitatis suæ, quam prodigiis propè infinitis editis adstruebat. Ita probant ab æterno Deo Patre satum, sicut in tempore natum è Virgine, cui litamus Angelico affatu. Aue Maria.

Psalm. 18.

SI creaturæ omnes sunt loquaces, & suo modo sonant, vt de cælis ait Psaltes. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Nihil profectò elingue & tacitum erit in Ioanne; qui fuit vox clamantis in deserto; sed erunt in hoc præcone Dei cuncta vocalia, & sonora. Itaque arrigamus aures, vt discamus quid præfata Ioannis vincula sacra clament. Ioannes dictio Hebræa est, significans gratiam, seu misericordiam יוחנן *iochannan.* Radix nominis huius proprij est חנן *chanan*, quæ significat parcere, & misereri. Dicere igitur, Ioannem esse in vinculis, perinde est, ac affirmare, gratiam esse in vinculis alligatam, & vincula esse argumenta misericordiæ Dei. Hoc erit argumentum istius homiliæ, quam sic diuido. Prima parte dicam, præclara omnia esse suis vinculis coërcita. Et quia *Ioannes in vinculis audiuit opera Christi*; ostendam eos, qui Dei vinculis implexi sunt, non audire tantùm, sed & etiam facere opera Christi. Secunda parte dicam, eos, qui abiiciunt vincula Dei, incurrere in diaboli nexus, vbi procul sunt ab operibus Christi. Demum concludam, faciendo palàm, illa diaboli vincula facere homines obnoxios multis angustiis, vinculis, & flagellis, quæ, Deo plectente piacula, reprobis infliguntur.

Diuisio homiliæ.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quicquid præclarum est, illud est in vinculis.

§. II.

Pulchritudo quid sit.
EX PHILOSOPHIA.

IN gratiam tituli huius iactatur effatum istud Aristotelis. τὸ κάλλος ἐστὶ συμμετρία τῶν ἄρθρων, id est, Pulchritudo, seu gratia sita est in commensuratione partium. Vt autem illa symmetria conducat ad pulchritudinem rei, partes eius debent adinuicem modo congruo colligari. Ideoque malim dicere, rerum gratiam attendi ex colligatione debita partium benè affectarum, potius quàm in commensuratione. Demus enim, hominem esse venusta facie; si tamen eruantur oculi eius, & præscindatur nasus, partes illæ agglutinatæ genis non facient hominem illum pulchrum, quia non sunt in vinculis à Deo institutis, vt exurgat illa pulchritudo, ad quam conspirant membra congruè colligata. Nonne & Philosophia modum aliquem inuestigat vnionis, sine quo materia & forma non coïrent in compositum. Vnde & fas est dicere, compositum constare sibi, quandiu materia & forma suis vinculis vniuntur. Secùs verò ea omnia, quæ benè coalescunt nexibus implexa, pessum eunt abrupto ligamine: siquidem corruptio nihil aliud est, quàm dissolutio formæ à materia, cōtrahente vincula subeuntis formæ locū eius, quæ scisso vinculo disperiit. Adeóque est necessaria hæc vnio, vt citra illam frustra collaborent materia & forma ad effictionem compositi, quod vnum esse nequit sine vnione, quæ diuisa implectit, vnit, vt vinculum materiæ & formæ: sicque liquet veritas axiomatis huius: *Omne vnum est indiuisum.*

Vnionis necessitas ad hoc vt partes coalescant.

Arist. lib. 5. Metaph. c. 6.

Hinc sic arguo. Quò quidpiam erit magis indiuisum, illud etiam erit eò amplius vnum, ac proinde magis participabit rationem entis; quia ens, & vnum conuertuntur, & velut alternis in nomenclatura ludunt. Ergo ea, quæ maximè colligata sunt vinculis, eo fine diuinitus institutis, illa etiam sunt suis numeris omnibus absoluta. Vt contra, ea quæ vnione cadunt, & velut ægrè ferunt vincula, corrumpuntur. In re Medica liquidior est illa sententia de sospitate rerum sita in vinculis. Principes namque corporis partes, cerebrum, cor, & hepar, mutuis quasi nexibus alligantur: & stante hoc implexu, vita viget, quæ statim extinguitur, si aliquo lethali fato illa vincula dissoluuntur. Cerebrum fons & origo neruorum, sua hæc ligamina deorsum mittit, quibus vt vehiculis suos spiritus animales impertit cordi, & hepati. Cor scaturigo arteriarum, quæ illic ebulliunt, hanc suam sobolem sursum vehit, & his veluti vinculis cerebri tunicas inuoluit, quæ sic desudant sanguine defæcato, quo & cerebrum alluitur, & congruo pascitur alimento. Hepar, vbi venæ sua habent incunabula, canales illos sanguine fœtos traiicit in cor, primò ad pastum, & secundò ad rudimentum sanguinis arterialis, vnde spiritus vitales in cordis valuulis efformantur. Quamdiu suas ritè vices obeunt illa ligamina, tamdiu est sarta tectaque salus animalis.

EX RE MEDICA.

Fernel. lib. 1. Physiologia.
Cerebrum, cor, & hepar mutuis nexibus implectuntur.

Quid moror in terris, in sidera prorumpendum.

Nonne Deus, rerum omnium caput & causa exemplaris, dicitur esse in vinculis? Nempe in mysterio ineffabili sanctissimæ Trinitatis, Spiritus sanctus dicitur nexus Patris, & Filij. Vnde effluxit hoc Bernardi effatum. *Est Spiritus ipse indissolubile vinculum Trinitatis, per quem sicut Pater & Filius vnum sunt; sic & nos vnum sumus.* Ipsis etiam Angelis nonne sunt assignatæ sedes, seu ordines, quibus vt vinculis alligantur? Cæli in vinculis suæ sunt intelligentiæ, ad cuius arbitrium gyrant, nec latum vnguem deuiare queunt. Nacta sunt etiam suum elementa locum, vbi quieta sunt. Porrò hoc rerum omnium vniuersum dicitur Græcè κόσμος, id est, ornatus; quia omnia, quæ edita sunt, vltro subiere vincula, quibus inserta sunt. Idcirco meruere cælitus approbari. Nempe vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Homo solus haudquaquam hocce Dei præconio dignatus est, quia bonitatis eius summa erat attendenda penes vincula, quibus eum Deus sibi congruè sociarat. Vincula hæc fuere momenti exigui, & conflata vnico præcepto abstinendi ligno scientiæ boni, & mali. Quamdiu morem gessit huic præcepto, Ioannes fuit in vinculis, id est, gratia Dei fuit comes indiuidua Adami, sacris Dei nexibus irretiti. Sed vbi à Deo defecit, vincula pertæsus, & incurios præcepti sibi indicti; excidit illa gratia, cuius beneficio erat compositus ad similitudinem Dei; & cælo, & paradisi solo pulsus, in multa corporis & animæ discrimina incurrit, factus multis vitiis obnoxius, quorum causam & maculas Propheta perstringit hac censura. *Scito, & vide, quia malum est & amarum reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam, &c. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith,*

Spiritus sanctus vinculum Trinitatis.
EX THEOLOGIA.
S. Thomas 1. parte.
Bern. serm. 1. in octaua Pascha, de tribus testimoniis.

Mundus quare dicatur κόσμος id est ornatus.

Ierem. 2.

maculata

maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part. 2. Theatri.*

Vtinam æmularetur homo indolem accipitris, qui optime satur, quandoque se subtrahit vinculis Domini sui, à quo luculenter pascitur. Sed vbi sui iuris diu errauit impastus, vrgente inediâ repetit domum & vincula, satius ducens esse in vinculis, & viuere ad arbitrium prouidi heri, quàm suo dictamine foras discurrere, & iugiter esurire. Prostat de hoc eius ingenio pictura in theatro Ioannis Ferri, qui effinxit accipitrem pedaria lora repetentem, hoc titulo inscripto. VLTRO AD VINCVLA REDIT. O homo transfuga, & desertor damnate ad bestias, pecorum ritu venans omnes sensuum illecebras, disce vel ab aue, qua ratione redux fieri possis, & restitui in gradum pristinum. Rursus profitere Dei obsequium. VLTRO AD VINCVLA REDI. Memor esto vnde excideris, prima opera fac, insere colla Dei iugo, morem gere legi indictæ tibi, eritque tunc Ioannes in vinculis; id est, gratia Dei, cuius expers eras, denuo influet in te, & reddet infulis, quas imprudenter indulgendo vitiis exuisti. Si detrectas subire lorum illud salutare Dei, tuo quidem arbitrio viues errabundus, sed malè pastus, & vt Cain, vagus super terram eris, quasi deuotus diris, & diaboli ludibrium.

Mãdata Dei sunt speciosa vincula. Vinculo carens vas immũdum est.

In sortis huius iniquæ figuram est edita lex ista. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, erit immundum.* Ligatura desuper est mandatum quod nos Dei deuincit obsequio. Itaque quisquis sese expediit ab hac ligatura desuper, ille immundus est, ac proinde Deo ingratus, vtpote nescius gratiæ, quæ est semper in vinculis. Sunt autem vincula hæc ad honorem, & non ingloria; sicut olim cingulo aut torque dignari, erat honoris & gloriæ maximum argumentum. Vnde cinguli frequens memoria in Codice Iustiniano, vbi priuari cingulo mulcta est, & hæc indecora. At nemo dixerit, cingulum, & torquem, quia referunt imaginem nexuum, atque vinculorum, esse res penitus indecoras. Ita in summis Dei beneficiis Ecclesia hoc reponit, scilicet vt arctis mandatorum vinculis sit Deo suo iugiter alligata. Habes Ecclesiæ vota in Canone Missæ, vbi in oratione ante sacram Communionem, anima anhela in Dei obsequium tota effusâ in preces, Deum sic deposcit. *Fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te nunquam separari permittas.* Quod perinde est ac dicere. Adeò strictis nexibus ligame tibi, Deus; vt nusquam hæc vincula dissoluantur.

Numer. 19. Mandata obseruata faciunt mundos.

Ex Ivre Civili. Vincula tessera honoris.

Tribulationes sunt plerumque argumẽta sanctitatis hominum afflictorum.

Præter hæc vincula mandatorum, quibus arctè Deo deuincimur, sunt & alia vincula, quæ sortiuntur eumdem effectum; ea videlicet, quæ Ioannes hodie subiit: videlicet ærumnæ, quibus hoc insitum est, obstringere Deo tenaciter animas, si æquo animo perferantur. Non etenim in his tantùm vinculis est gratia, sed & gloria: siquidem gloriosum est pro nomine Iesu contumeliam pati, & Heroum tantum est his vinculis vt cingulo & torque Dei affici, vt videre est in Iob & Tobia viris emeritæ sanctitatis. Nimirum Angelus ita Tobiam affatus est. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Iob ante suas angustias vtique grauissimas hoc à Deo dignatus est elogio. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit similis ei in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Vnde quia Deo maximè grati erant illi duo viri, Deus arctius eos sibi adstrinxit vinculis ærumnarum; & id ad incrementum gratiæ, quæ copiosa influit in animas, quæ vt ædes Rahab, illo vinculo charitate rubeo designantur.

Tobiæ 12.

Iob 1.

Homines in vinculis Dei, audiunt & faciunt opera Christi.

§. II.

Audire, Hebræis, Græcis, & Latinis perinde est ac obedire שמע *schamangh*, id est, audiuit, est radix dictionis משמעה *mischmengha*, quæ obedientiam significat. A verbo ἀκούω, id est, audio, fit vox ὑπακοὴ, obedientia. Latinis, dicto audiens, idem est, ac obediens. Cùm itaque dico, in vinculis audiri opera Christi, perinde est ac homines, qui æquo animo subeunt vincula, id est angustias, obedire operibus Christi. Opera autem Christi, quibus impigrum debemus obsequium, sunt ea, quæ vt operosa clamant, & inuitant ad sequelam Christi: cruces videlicet & vincula ideo assumpta vt sequaces Christi hoc veluti cingulo & torque ornati, essent prorsus ab hoc sæculo segregati. Ecce luculentum in eo argumento Petri effatum. *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Cùm ergo Christi agones, homines prouocent ad patientiam; illi duntaxat audiunt opera illa Christi, qui eisdem cum Christo vinculis exercentur. Vtque suis angustiis Christus meruit corporis sui gloriam; ita afflictiones patienter habitæ à fidelibus, conducunt ad gloriam vtique sempiternam.

Audire perinde est ac obedire.

1. Petr. 2.

Christi agones nos ad imitationem prouocant.

Quisquis itaque premitur his vinculis ærumnarum, recolat animo illud celebre effatum Chrysostomi dicentis, se malle esse cum Paulo in vinculis, quàm cum Paulo rapto ad tertium cælum; quia cùm raptus est, Dei debitor fuit hac singulari gratiâ acceptâ; sed vltro & sponte subeundo vincula, Deum sibi debitorem fecit, vtpote pro nomine Iesu pugil strenuus decertans fortiter in agone. Vnde vt imitatus est Christum patientem; Christus etiam Paulum fecit participem gloriæ Passionis suæ. Vt enim mors Christi mortuos fecit redhiuos (plura namque corpora, quæ dormierant, surrexerunt) ita & vincula Pauli vinctorum in carcere vincula dissoluerunt, conscio Luca comite Pauli, qui hoc prodigium sic recenset. *Subitò terræ motus factus est magnus, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt.* Quem locum alto reuoluens animo Chrysostomus ita fatur. *Vides naturam vinculorum vincula soluentem. Nam vt mortem interemit mors Domini; ita ligatos soluerunt vincula Pauli.*

Paulus beatior in vinculis, quàm raptus ad tertium cælũ, & quare.

Act. 16. Tribulationis æquo animo acceptæ vis magna.

Sed omnem gloriam superat illud encomium Christi in gratiam Ioannis, cui hunc honoris titulum affinxit Christus, sciens eum esse in vinculis. *Inter natos mulierum non surrexit maior*

Ex SS. Patribvs. *Chrysostom. expendens, Act. 16.*

Tribulationum maxima sunt cómoda.

Ioanne Baptista. Si ab ortu suo magnus fuit ille Dei præco, quantùm putas fuisse adiectum virtuti eius, merito vinculorum. Beatior sane fuit sudore suo baptizatus in vinculis, quàm cum Christum alienis aquis scilicet Iordanis flumine baptizauit. Prædicator, hîc locuples argumentum tibi prostat adhortandi probos homines, vt non iniquo animo ferant opprobria, contumelias, & quascumque iniurias, quæ accidunt; Christo Domino ita moderante momenta vitæ nostræ, vt opportunè bonis consulat, decernendo molestias, quibus decocta carne, anima vegetatur. Accipe Paulum expertum commoda vinculorum. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.*

2. Cor. 12.

In eo themate fusè & eleganter spatiatus est Chrysostomus commemorans vincula Pauli, quæ tot celebrat encomiis, vt nequeant recoli, quin animum sollicitent ad effectum ærumnarum, quandoquidem est adeò opima seges meritorum, quæ ab afflicta anima demetuntur. Vt sit hoc præconium familiare, placet illud describere, vt futurum vsui præconibus sacris, qui inde versus elicient idoneos ad conciliandum assensum hominum, vt se componant ad arbitrium Dei, quandoque probis & probatæ virtutis hominibus vincula decernentis. Ita Chrysostomus. *Ego Paulus vinctus Christi. Inquit vinctus Christi; nam nihil ita splendidum, vt vinctum esse propter Christum, vt catena sint sanctis illis manibus circumdata. Vinctum esse propter Christum, illustrius est, quàm siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse. Si quis Christum diligit, is nouit, quid sit quod dico. Si quis erga Dominum ardet, is nouit, quæ sit vinculorum virtus. Hic itaque prius habebit optione datâ vincula ferre propter Christum, quam cælos inhabitare; quouis auro splendidiores, quouis diademate regali illustriores manus has illis ostendit. Non enim caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, vt catena ferrea, quæ propter Christum fertur. Si quis Christum diligit is nouit hanc dignitatem, hanc intelligit virtutem, agnoscit quantùm sit illud; quod humano generi largitus est Deus, nimirum ligari pro eo. Etiamsi nullam mercedem haberet res ista; hoc tamen solum magnum est premium, hoc multa retributio, quod ista mala propter dilectum feruntur.*

Encomia vinculorum Pauli.

Chrys. ser. 8. in epist. ad Ephesios.

Tribulari pro Christo gloriosum.

Magna sanè sunt hæc perorata in laudem agonum, quos quis fortiter obit intuitu Christi, cui suo sanguine litare peruile est atque gloriosum. Sed ne ista encomia suspicionem facerent pigmenti Rhetoricæ, Chrysostomus ærumnas perpessus in gratiam Christi, ita appendit ad trutinam æquæ æstimationis, mentione facta catenæ Pauli. *Si quis mihi, vel vniuersi cæli, vel huius catenæ copiam & optionem daturus esset; catenam hanc ego planè elegissem. Deinde si aut mihi cum Angelis standum esset sursum, aut cum Paulo vincto; carcerem vtique præoptassem. Ad hæc si quis me, aut in numerum & ordinem cælestium potestatum, earum etiam quæ sunt prope thronum Dei, aut talem ligatum fecisset; talis vtique ligatus esse voluissem. Nihil hac catena beatius: nihil melius, quàm malè affici propter Christum. Non ita beatum dico Paulum, quòd in Paradisum raptus, atque quòd in carcerem coniectus est. Non ita beatum æstimo, quia verba audiuit ineffabilia, atque quòd vincula sustinuit. Quod enim ista reliquis sint maiora, audi eum ipsum, quomodo glorietur. Neque enim dicit, hortor vos ego, qui ineffabilia verba audiui. Sed hortor vos ego vinctus in Domino. Potius mihi habetur, malè affici pro Christo, quàm honorari à Christo.*

Tribulationes pro Christo quîti æstimatæ à Chrysostomo.

Chrysost. vbi supra.

Tribulationes pro Christo beatificant animas.

Vinculorum virtus & dignitas quanta.

Quodque magis prodit virtutem patientiæ probatæ in angustiis propter Christum, idem Sanctus ait, bestias virtutem illam in homine revereri. Sic ille. *Non erant ita præclara manus Pauli, quando claudum illum in Lystris erigebant, ac quando vinculis erant circumligatæ. Admiraris Paulum, tum potissimum, quando nihil illi, quæ manui adhæserat, detrimenti afferebat vipera? Nihil mireris; catenam quippe illam reuerebatur. Imo & vniuersum illud mare veneratum fuerat; nam tunc quoque vinctus erat, &c. In Scripturis me non tantùm delectat miracula patrans, quantùm malè affectus, flagellatus, ac miserabiliter tractatus. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, dixit Christus. Quod si malè propter Christum audire, adeò facit beatos; quid non faciet, malè etiam affici? Erat Petrus honoratus istâ catenâ. Erat enim, inquit, vinctus, ac traditus militibus, & dormiebat, ita erat hilaris, ac nihil prorsus immutatus, & grauis illum habebat somnus, & veniebat ad eum Angelus. Hic si mihi quisquam dixisset; elige vtrum velis; vis esse Angelus Petrum soluens, an Petrus seruatus. Petrus vtique maluissem esse, propter quem & Angelus descendit.* Ita Chrysostomus, qui vt æquus rerum æstimator, æqua lance pensans mala pro Christo patienter excepta, hæc recolit vt summum bonum, cuius obsequio, Deo optimo maximo sociamur.

Patientiam bestiæ etiam reuerentur.

Chrys. ibid.

Quid ergo mirum si hodie Ioannes in vinculis præconem habuit Christum, cuius agones & ipse pro iustitia moriens anteuertit. Sed inquies: Ad quid molestiæ inflictæ pro nobis hominibus, ad quos præmia & coronæ potius pertinent, quàm flagella? Argumentum illud multos ancipiti cura distraxit, homines scilicet nescios arcanorum Dei. Scrupulum hunc sic diluo. Quidquid est in hoc rerum vniuerso, bifariàm considerari potest. Primò vt pars totius. Secundò vt aliquid totum. Si res illa spectetur vt pars, quidquid illi accidit, debet ordinari ad illud, ad quod ipsa etiam pars dirigitur, id est, ad bonum totius. In eo sensu, cùm quis innocens, vt Ioannes ab Herode male afficitur, ille tunc edit egregia specimina constantiæ, patientiæ, & amoris in Deum, alios homines ita sollicitans ad virtutum praxim. Rursus illa sua virtute probat, bonum posse educi à malo, & non solùm bonum à bono, & ita duplex esse bonum in toto hoc vniuerso, quod proinde melius est, vtpote coalescens ex pluribus bonis. Vtque bonum est, corruptionem vnius esse generationem alterius, in qua species veluti rediuiua propagatur; ita fuit congruum, vt ex Ioannis afflictione discipuli eius in Christo fuerint regenerati: quippe detentio Ioannis in carcere fuit argumentum delegationis hodiernæ, cuius beneficio discipuli præcursoris fuere initiati sacris fidei mysteriis.

Tribulationes quare malè afficiūt bonos.

Homo potest considerari vt pars vniuersi, vel vt aliquod totum, ideoque duplici titulo affligitur.

Itaque vides, quàm plurium bonorum ferax fuerit illa Ioannis afflictio. Vt namque fuit pars vniuersi, vir ille magnus debuit etiam pro viribus conspirare in bonum aliarum partium, quod

quod & abundè præstitit in vinculis, suâ patientiâ prouocans alios ad virtutum praxim, & obsequium Christi. Si verò Ioannes attendatur vt aliquod totum, scilicet aggregatum ex corpore & anima, tunc afflictio est illi perquàm vtilis, vt Ioanni sic spectato, carceris obsequio, decreta est palma Martyrij longè potior vita: ita & sanctis omnibus vincula proficiunt ad gratiæ Dei maximum incrementum. Quippe Deus viros emeritæ virtutis solido cibo pascit, & erudit angustiis, vnde & eis vincula sunt nexus amoris sacri: ideóque placet eis affingere symbolum Batauorum, qui vt moliti sunt iniquam suam defectionem à Rege Hispano, in icone sculpserunt vincula nodis arctissimis colligata, hoc titulo circumscripto. NEC VIRIBVS VLLIS. Desertoribus illis vincula fuêre symbolum vnionis, quæ ad hæc vsque tempora perseuerat. Melius sanè consulitur innocenti, cui vincula accidunt: siquidem inde Deo charior fit, nec ab eo distrahetur carnis illecebris, susurro diaboli, suasione mundi, NEC VIRIBVS VLLIS.

Tributationes nos Deo arctè deuinciunt.

EX SYMBOLIS. Latius lib. numismatum.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Qui declinant vincula Dei, incurrunt in vincula ingloria diaboli.

§. III.

PRouidus pastor, consulturus vitulo lasciuienti in pratis, eum ligamine reducit in stabulum, ne si longius erret, incurrat in auidas lupi fauces. Ita Deus prouidit hominibus, decernendo funes & vincula, scilicet mandata salutaria, quæ obstant, ne luxurians animus indulgeat impetigini carnis, quæ in manicas & compedes diaboli inducit homines imprudentes. Dei vincula commemorans Psaltes edidit hoc suaue melos. *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Hebræis ingressis terram Chanaam, tendere funes fuit signum hæreditatis adeundæ: nempe Dei instituto decreta fuit illa terra Hebræis vt hæredibus Abrahæ, cui promissa fuit opima hæc mundi plaga. Ita quando moderante Deo vices hominum, aliqui funes explicantur, siue hi sint mandata Dei, siue molestiæ aliquæ acerbæ; illa hæc vincula clamant, nobis viam sterni ad præclaram hæreditatem, quam quisquis cunctatur adire metu vinculorum, nolens morem gerere legibus indictis, ille desipit: nam in alia vincula decidit indecora. Homo nimirum incurius obseruare Dei edicta, & detrectans subire Dei iugum, infinitis propè vitiis inuoluitur, quibus vt strictis nexibus in æternum dæmoni mancipatur. Nemo namque, Deo excepto, potest soluere lora voluptatum, quibus Angelus ille refuga & callidus hominum hostis reprobos irretiuit.

Psalm. 15.

Mandata Dei sunt funes homini salutares.

Itaque imprudenter agit ille, qui detrectans gloriosa Dei vincula, vt liberiore ritu viuat, dæmonis iugo premitur indecenti. Nempe potius est vitam componere ad arbitrium legis Dei, quàm ex præscripto viuere voluptatum, quæ semper accinctæ sunt vinculis, & amaroris aspergine ingrata suos amasios inficiunt, vt luculenter Salomon enuntiat, inducens meretricio fuco fœminam comptam, adolescenti sua vincula prætendentem. Ecce affatum pellicis industriæ. *Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro salute voui, hodiè reddidi vota mea, idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre & reperi. Intexui funibus lectulum meum, &c. aspersi cubile meum myrrha, & aloë & cinnamomo. Veni inebriemur vberibus, &c. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum: statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, &c. Nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Totus hic discursus reuocatus ad examen sedulæ indaginis, est laqueis intertextus. Et reuerà voluptas non in vno fune duntaxat illudit homini, sed infinitis prope funibus implectit stratum suum, ita vt homo sequax illecebræ, nequeat sese ab his nexibus expedire.

Voluptas vinculis accincta.

Voluptatis egregia descriptio.

Prouerb. 7.

Præter hæc vincula quæ præpediunt animas, de quarum hîc salute agitur, vocata in discrimen, meretrix illa funibus instructa meminit myrrhæ & aloës, quia voluptatis extrema amarore pessimo condiuntur. Qui ergo iugum mandatorum Dei imprudens excutit, vt se vinculis eximat, ille sibi ipsi fucos facit: quippe transfuga consolans ad castra voluptatis, non deponit vincula, sed mutat, & seipsum damnat ad vincula grauiora. Locupletes sunt testes sortis huius iniquæ Nabuchodonozor & Samson ingloriis vinculis obstricti, quia suo genio nequiter indulserunt. Samson inuitis parentibus Dalilæ adhærens, & fractus eius illecebris, pro amoris intempestiui stipendio nihil nisi laqueos tulit, nec sæpius ab ea vinctus resipuit; donec tandem Deo pertæso delirium hominis mente capti præstigiis perfidæ mulieris, vinctus est laqueis, à quibus se nequiit expedire, morte sua luens quod fecerat imprudenter. Nonne & Nabuchodonozor detrectans obsequium Dei, & velut excutiens iugum eius, vt nescius vinculi libertatem suam adstrueret, Deo subirato castigatus est ferreis vinculis alligatus? Ecce sententiam dictam in caput hominis sibi pessimè consulentis. *Alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris sit pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.*

Voluptatis extrema amara.

Voluptatis ingenium in Dalila & Samsone li[...] neatum.

Iudic. 16.

Daniel. 4.

O sortem ingloriam hominum, qui dirupêre sacra ligamina præceptorum Dei, vt exleges & expediti suis voluptatibus citius indulgerent. Ceciderant eis funes in præclaris, cùm ad Dei nutum sese componebant: beata hæc vincula torquatos equites effecerant; sed vbi exuerunt has infulas, vt nomen suum darent illecebris sensuum, exciderunt illicò libertate filiorum Dei, & vt vilia diaboli mancipia ferreos & æreos compedes induerunt. Quodque deterius est, illi desertores militiæ Dei statim atque subiêre iugum diaboli, hominem exuunt, & pecorum ritu viuunt. Itaque reprobi duplex dispendium patiuntur. Vnum libertatis, quæ sola est sarta tectáque penes Dei filios adoptiuos. Alterum est humanæ mentis: quippe nemo it inficias, hominem vitio dementari. Concionator, hîc immorare vt in argumento, quod est præcipuus cardo, in quo vertitur indubia hominum salus. Eruditè proba, esse duriora vincula voluptatum, funibus mandatorum Dei, quibus si eo nomine solùm se subducunt homines, quia nolunt nexibus irretiri, profectò

Voluptatis vincula duriora nexibus mandatorum Dei.

profectò potiori ratione debent vitia declinare. Etenim singula quæque vitia præpediunt homines laqueis, in quos si incurrunt, hi ægrè admodum poterunt explicari.

Si vis obiter declamare in vitia sigillatim, habes prælibatos textus Salomonis,& historiæ Samsonis, qui libidinem notant stipatam funibus indecoris. De opibus Cyprianus loquitur, vt de vinculis arctè vincientibus diuites. Sic ille. *Miser non intelligit sibi esse speciosa supplicia, & auro se vinctum possideri magis, quam possidere diuitias.* Contra vanitatem mulierum explicitus est & citra metaphoram locus iste Ambrosij. *Delectantur compedibus mulieres, dummodo auro ligentur. Non putant onera esse, si pretiosa sunt: delectant & vulnera, vt aurum auribus inseratur. Non refert, auro corpus oneretur an ferro, si ceruix premitur, si grauatur incessus, nihil pretium iuuat. Vos peiores, quàm qui publico iure damnantur, illi optant exui, vos ligari.* Cùm ergo Deum offendere sit eius soluere gloriosa ligamina, vt dura & ingloria vincula dæmonis induantur; si sapiunt homines in vinculis Dei, audient opera Christi, & à ferreis manicis atque compedibus vitiorum satagent sese pro viribus expedire.

Opes sunt laquei. *Cyprianus.* Vanitas mulierum carpitur ex eo quòd catenulis aureis onerantur. *Ambros. lib. de Naboth.*

Reprobi abiicientes Dei vincula, asperè à Deo castigantur vinculis & flagellis.

§. IV.

NIhil rerum humanarum dispares & alternas vices æquè notat, ac discolor fortuna Michaëlis Balbi,& Leonis Imperatoris. Michaëlem Leo indecorè & magno despectui habebat, vtpote carcere opaco conclusum, & vinculis ferreis alligatum. Ipse verò Leo rerum apicem nactus impiè vitam agens impunè regnabat, singulis quibusque probis hominibus iniurius, imò & Deo, de fide Christiana sentiens indecorè. Nefarius Imperator vegeta ætate & valetudine integra petitus à sicariis tollitur è medio, & æmulus eius Michaël Balbus eductus è carcere solio imponitur, & conclamatur Imperator, nihil remorante ferro, quo ipso etiam in solio tenebatur. Res profectò insolens, videre coronam, sceptrum,& vincula concordare. Nemo namque citò ex humili solo ad solium euectus est, vt Michaël ille Balbus, cui caput diademate redimitum fuit, eo etiam tempore, quo eum manicæ & compedes onerabant.

Ex Historia. *Historia Imperialis, in Michaële Balbo.* Michaël Balbus ex vinculis ad solium Imperij euectus.

Quod stupemus in historia vt rarò contingens, illud in moralibus est vernaculum, & quotidie accidit. Innumeri namque homines obstricti vinculis Dei, id est, ne latum vnguem prætereuntes mandata indicta, imò & gementes sub vinculis hominum impiorum, quæ subeunt æquo quantùm possunt animo, cùm fatis cedunt, vocantur à solo ad cælum & solium, coronâ gloriæ æternæ redimiti. In his Ioannes è vinculis in sinum Abrahæ translatus est: vt secus infiniti propè sues Epicuri de grege ex voluptatum cœno, vbi volutantur, morte repentina affecti æternis ignium vinculis addicuntur. Hi suo occasu fidem faciunt oraculo Psaltis ita occinentis. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Vt enim Christus fecit flagellum è funibus, quos nundinatores in templum intulerant, vt conuasarent suas sarcinulas; ita ille idem omnium Dominus & æquus iudex, impiorum hominum delicias nectet in laqueos, quibus in fasciculos, omnes reprobos alligabit. Quodque malorum omnium summa est, laquei ignis, sulphur,& spiritus procellarum non concludunt pœnas omnes, sed dumtaxat partem efficiunt calicis, quo potantur illi, qui salutaria Dei vincula detrectarunt.

Psalm. 10.

Deus verò suos excipit, vt Alexander habuit Porum Regem Indiarum. Is iure belli cessit in partes Alexandri, qui eum vinculis strictum iussit sisti sibi. Eo coram posito, petiit Alexander à captiuo, quomodo secum vellet agi. Porus haudquaquam degener in vinculis, audiens sibi optionem dari sortis nouæ, respondit Alexandro, velle se haberi, vt Regem decet. Placuit Alexandro regius animus in vinculis, ideóque eum restituit solio & auito regno. Eum sese Deus etiam exhibet erga probos omnes, quos habet in vinculis & mandatorum,& ærumnarum, eorum hæc vincula plectit in coronas,& virgas aptat in sceptra & supremæ symbola dignitatis. Vt ex diametro Reges impios, qui abiecêre sua vincula, id est, præcepta ferreis onerat vinculis,& morte ingloria dedecorat, vt videre est in Sedecia Rege Iuda, cuius accipe ex codice sacro fatum hoc supremum. *Apprehensum Regem duxerunt ad Regem Babylonis in Reblatha, qui locutus est cùm eo iudicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit eum in Babylonem.* Ecce quàm malè cesserit illi Regi defectio eius à Deo, qua dum exuit iugum Dei, se aptauit iugo Babylonis, quod excæcatus subiit, catenis etiam ferreis alligatus.

Pori Regis Indiarum regius animus in vinculis.

Regis Sedeciæ punitio. 4. Reg. 25.

Sed quid memoro pœnas Sedeciæ in argumento rebellionis hominum, cùm omnium pœnarum fons & origo sit peccatum, quod vt in Adamo abrupit vincula, quibus adhærebat Deo, posteri omnes perduellis huius hominis fuerunt ad infinita propè pœnarum vincula condemnati. Quod probè callens Imperator Iustinianus, vt aduertit flagella Dei totum ferè terrarum orbem durius excipere, vt occurreret illi malo populanti suum Imperium, legem tulit, qua homines induxit præcipuè ad obsequium præceptorum Dei, quæ tunc impiè violabantur; admonens homines, ebullire mala, ob facta irrita mandata Dei, quibus ipse Augustus, vt nouum grauitatis pondus adiiceret, diros etiam cruciatus indixit eis, qui incurij legum Dei, vitiis indulgerent.

Flagellis Dei occurritur obseruatione mandatorum Dei. Ex Iure Civili. Mandatorũ Dei obseruatio commendata iure Cæsareo.

Digna planè est illa sanctio Cæsarea, quæ etiam in Ecclesiis ex pulpito prælegatur, vt discant impij, in quæ acerba vincula incurrunt, cùm nolunt cum Ioanne in vinculis Dei, opera Christi & audire, & congruis actibus imitari. Ita decernit Imperator. *Quoniam quidam diabolica instigatione comprehensi, & grauissimis luxuriis semetipsos inserunt, & ipsi natura contraria agunt: istis iniungimus in sensibus accipere Dei timorem, & futurum iudicium, & abstinere ab huiusmodi diabolicis & illicitis luxuriis, vt non propter huiusmodi impios actus ab ira Dei iusta inueniantur, & ciuitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim à diuinis Scripturis, quia ex huiusmodi impiis actibus, & ciuitates cum hominibus pariter perierunt.*

Nouella 77. cap. 1. Peccatis hominum ciuitates euersæ.

Blasphemi puniendi.

Et

Et quoniam ad hæc quæ diximus, quidam & blaſphema verba & ſacramenta de Deo iurant, Deum ad iracundiam prouocantes: iſtis iniungimus abſtinere ab huiuſmodi & aliis blaſphemis verbis. Si enim contra homines facta blaſphemia impunita non relinquuntur, multò magis qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere. Propterea igitur omnibus hominibus huiuſmodi præcipimus à prædictis delictis abſtinere, & Dei timorem in corde accipere & ſequi eos, qui benè viuunt. Propter talia enim delicta, & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt, & propterea admonemus abſtinere à prædictis huiuſmodi illicitis, vt non ſuas perdant animas. Sin autem & poſt huiuſmodi noſtram admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis: primum quidem indignos ſemetipſos faciunt Dei miſericordiâ. Poſt hæc autem, & legibus conſtitutis ſubiiciuntur tormentis. Ita Iuſtinianus Imperator.

O voces dignas maiori Imperio quàm terreno! O curam animarum ſimilem ei, qua percitus aliquando Ioannes noſter docebat, genimina viperarum, vt fugerent à ventura ira, vtique pœnitendo. Rurſus accipe infelicem ſtatum hominum, quos diaboli vincula præpediunt. Hi vt è regione opponuntur illis, qui ſunt in vinculis Dei, & illic audiunt opera Chriſti; ita etiam in duris his catenis acerbi tyranni, nihil planè audiunt præter ſuſurrum diaboli, ſuggeſtiones carnis, & ſuaſiones mundi, quibus annuens anima, & tandem adducta in reprobum ſenſum, dæmones imitatur, quorum participans miſerandam ſortem, eaſdem etiam cum eis pœnas aliquando luet, iuxta Chriſti Domini ſententiam. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Quiſquis in vinculis ſanctis imitatur opera Chriſti, is etiam cohæres eius erit; vt ſecus eum, qui vitiorum vinculis implexus æmulatur indolem & opera dæmonum, ſemper delinquendo, etiam acerba manent tormina reproborum, quæ & plerumque in hac vita malis cælitus infliguntur. Hinc Canones ſancti argumenta petunt ſollicitandi homines ad meliorem frugem, vt ſubeundo gratis vincula Dei, ſeſe illius flagris eripiant.

Matth.25.

Ex Ivre Canonic. Flagella Dei prouocantur peccatis hominum. *Can. Non poteſt. §. Reuera 23.q.4.*

Ecce textum canonicum. *Reuerà, ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt: nam conſilia ſeparationis inania ſunt & pernicioſa, atque ſacrilega, quia impia & ſuperba ſunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos. Turba autem iniquorum, cùm facultas eſt in populis promendi ſermonem, generali obiurgatione ferienda eſt: & maximè ſi occaſionem, atque opportunitatem præbuerit aliquod flagellum deſuper Domini, quo eos appareat pro meritis vapulare.* In eo etiam themate ſcitu digniſſima eſt obſeruatio Hieronymi admonentis, vitio noſtro flagella accelerari, quæ erant tardius infligenda. Hanc animaduerſionem Gratianus inſeruit codici Iuris Canonici, vbi hunc Canonem facit. *Prædixerat Ieremias ſeptuaginta annos deſolationis templi, poſt quos rurſus veniret populus in Iudæam, & ædificaretur templum, & Ieruſalem. Quæ res Danielem non facit negligentem; ſed magis prouocat ad rogandum, vt quod Deus per ſuam promiſit clementiam, per horum impleat preces, ne negligentia ſuperbiam, & ſuperbia pariat offenſam. Denique in Geneſi legimus centum viginti annos pœnitentiæ conſtitutos ante diluuium: qui quia tanto tempore, hoc eſt centum annis, noluerunt agere pœnitentiam, nequaquam expectat, vt & viginti alÿ expleantur; ſed infert ante quod poſtea fuerat comminatus. Vnde ad Ieremiam dicitur ob duritiam cordis populi Iudæorum: Ne ores pro populo hoc, quia non audiam te. Et ad Samuel: Vſquequo tu luges ſuper Saul? & ego abieci eum. In cinere igitur & ſacco poſtulat impleri quod promiſerat Deus: non quòd eſſet incredulus futurorum; ſed ne ſecuritas negligentiam, & negligentia pareret offenſam.*

Canone, prædixerat, de pœnitentia, diſt.1.

Hieron. c.9. Daniel.

Ex præfatis, ô prædicator, poteris eruditè auditores inducere ab obſequium Dei, eos admonendo, nihil omnino in rerum hoc vniuerſo eſſe ſine vinculis. Quiſquis enim abiicit vincula Dei, ſtatim excipitur catenis æreis vitiorum & dæmonum; vt & ſecus, quiſquis ſe expedit à catenis vitiorum & dæmonum, ille ſuas manus inſerit vinculis Dei, id eſt, mandatis congruis ſeſe actibus exercendo. Vnde cùm illa conditio ſeruorum Dei longè potior ſit eâ, cui ingemunt impiÿ onuſti mendicitate, & ferro, ſatius eſt multò cum Ioanne ligari nexibus ſacris, & illic gaudere conſolatione Chriſti, quàm dæmonum iugo premi, & turpibus occupari. Quia autem peccatorum nodus eſt indiſſolubilis, dic in eo nodo eſſe imitandam induſtriam Alexandri Magni, qui vt audiit Imperium Aſiæ promiſſum illi, qui explicaret tricas nodi Gordij, ille exerto regio gladio ſecuit nodum illum. Nullâ profectò induſtriâ humanâ poteſt homo dæmoni addictus, illius abrumpere ligamina; ſed Chriſtus gladium venit mittere, cuius acie ſolui poteſt ille nodus peccati, quo arctè diabolo deuincimur. Gladius ille, pœnitentia eſt, gladius anceps prouidens libertati corporis & animæ, & faciens hominem conſcium regni cæleſtis. Hic eſt gladius ille, quem à teneris vnguiculis ſtrinxit Ioannes pœnitentiæ prædicator, hoc gladio accinxit peccatores ſollicitos de ſalute ſua. Illis enim rogantibus, qua ratione ſeſe eriperent iræ Dei, quam ab ipſo Ioanne audiebant imminere; ille ait. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quiſquis morem geret huic optimo conſultori, is eum ſequetur, ſubeundo vincula Dei, & deponendo catenas diaboli; & demum ſimiles expertus agones, æterna præmia conſequetur.

Nodi Gordij diſſolutio portendebat Imperium.

Luc.3. Pœnitentia nos eripit flagellis Dei.

DOMINI

DOMINICA III. ADVENTVS.

HOMILIA TERTIA.

SVMMA HOMILIÆ.



IOANNES in vinculis tacitus ostendit proximâ homiliâ, gratiam esse vinculis alligatam, hodie ille Christi præco, eum indigitat dicens, Deum stare medium, & tamen ignorari ab his, quos dignabatur illâ sui præsentiâ.

§. I. Hac ego homiliâ ostendam primò, Christum vendicare sibi medium hominis, id est, cor pluribus argumentis.

§. II. Subiiciam hanc Christi, præsentiam afficere animam gratiis infinitis, quibus stipatur ille gratiæ auctor, & largitor.

§. III. Secunda parte istius homiliæ dicam, eos, qui abegere Christum è cordibus suis, fecisse se diabolis obnoxios: cùm etenim vacare nequeant corda nostra. Si Christus abest, dæmon adest.

§. IV. Demum concludam, eos malè sibi consulere, qui diabolo se deuouent, vt laxiorem vitam agant: nam dæmon acerrimus hominum hostis, omnium malorum summam secum vehens, diris suppliciis afficit animas transfugas, quæ à Christo Domino defecerunt.

PRÆFATIO.

Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis. Ioan. 1.

Calanus monuit Alexandrum vt maneret in medio regni sui, ne remotæ prouinciæ rebellarent.



CAlanus Gymnosophista famosissimus, volens imponere modum votis Alexandri Magni, anheli ad totius orbis Imperium, conuenit Principem illum armorum gloriâ inclytum, & proiecto corio sicco bouis ante Alexandrum, circumambulans pede pressit omnes oras seu limbos corij huius, cuius extremitas illa semper assurgebat, qua erat è regione huius, quam Calanus pedibus atterebat. Tandem vbi se sæpius in gyrum egit industrius ille Philosophus, nec potuit obstare, quin corium illud aliquali sua parte altius, ita cæteris emineret, stetit in medio, sicque compescuit illas inquietas pecoris exuuias. Christus eadem propè industria cauit hominibus. Quia enim hominis animus inquies est, nec vsquequaque potest constare sibi, vtpote vacans semper indagini rei alicuius nouæ, Christus stetit in medio, cor humanum vendicans sibi vt congruam sedem, cui est placitum insidere. Hoc hospite dignatus homo, suâ omnia colligit vota, nihil nisi Deum spirans; & beatam hanc animam fortem magni facit Isaias, sic congaudens. Magnus in medio tui Sanctus Israël. *O Christiani, conueniamus nosmetipsos, & videamus, an Dominus ille cordium amasius, medius nostrûm stetit, vt si deseris sit, eum conquiramus in penitiore recessu eius cordis, vnde nusquam abiit, nec recessit, iuxta præsagium Psaltis.* Deus in medio eius non commouebitur. *Mariam intelligit, quam nos Angelorum ritu sic affamur.* Aue Maria.

Isai. 12.

RErum omnium natura sensibus inuia fugit intellectum, in quem nihil sese prorsus insinuat, quin aliquali idea sui adumbrata præluserit in sensibus. In quibus oculi obuias quasque species corporum ebibentes magnum idearum cumulum traiiciunt in animam, cui sic datur copia scientiæ, cuius alioquin expers anima caligaret. Sed quia spiritus oculis minimè peruij nequeunt hisce fontibus intellectum afficere; Deus aliunde cauit hominibus, aures eis affingendo, quibus vt infundibulis rerum omnium etiam spiritualium ideæ animis instillantur. Illa autem omnis infusio specierum fit beneficio nominum, quæ ex instituto significant: condixere nimirum homines, vt sermones essent velut internûntij animæ, cuius penitiora etiam vota nominum obsequio, hominibus aliis innotescunt. Vt igitur homines dignarentur aliquâ Dei notitiâ, & in Deo coëunt omnes præcipuæ rerum omnium dotes: illa perfectionum omnium summa ad Deum pertinens non potuit aperiri paucis, nec vna dictione tantùm auribus insonare. Idcirco Theologi peculiarem quæstionem instituunt de nominibus Dei, quæ multa commemorant, vt discant hinc alta de Deo sapere homines, hisce pluribus de Deo vocibus assueti. Ex THEOLOGIA. *S. Thom. 1. p. q. 13. art. 1.*

Tota autem ilias nominum Dei refunditur in duas classes: alia quippe absoluta sunt, alia verò relatiua. In absolutis nomen hoc, Deus, primas occupat, sicut & in relatis vox illa, Dominus, principem locum tenet. Deus Hebraicè יהוה *Iehouah* perinde est, ac Ens entium; nempe deducitur illud nomen à radicali היה *haiah*, quæ significat esse. Hoc nomine discit homo, totum illud quod est, esse Dei beneficio, à quo omne quod est, habet vt sit, cui

Quare Deo multa nomina affingantur.

Dei nomina absoluta, & relata.

cui benè sit, Deo scilicet ipso fugiter influente. Vox verò, Dominus, dicitur אדני *Adonai* à nomine אדן *eden*, quod est basis, seu fundamentum. Hoc maximè nomine sollicitantur homines ad Deum semper attendere, vt ad fundamentum, cui tota hominum moles superposita pessum-iret, si vel ad morulam sese subtraheret illa basis.

Hæc illa duo nomina pertinere ad Christum, Ioannes compendiosè ostendit, Iudæos sic affatus commemorans Christum. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Vt enim Deus intima quæque permeat & scrutatur, medius nostrûm stat, nobis etiam inuitis. Quatenus verò Dominus est, deuincit sibi medium nostri, id est, cor, quod vt sibi quoque conciliet dæmon, omnem suam adhibet industriam: ideóque necesse est, cor nostrum à Deo rerum omnium Domino, aut ab Angelo nequam hominum hoste callido possideri. Priori parte istius homiliæ dicam argumenta, quæ suadent vt deuoueamus cor nostrum Christo. Deinde subiiciam commoda, quibus ditatur anima, cui Christus insidet. Secundâ verò parte dicam, quomodo sese diabolus in cor hominum insinuet, & dicatur medius nostrûm stare. Demum dicam strages, quas edit dæmon cordis intima populatus.

Ioan. 1.

Diuisio homiliæ.

Pars Prima Homiliæ.

Quibus argumentis debeat Christus medius nostrûm stare, id est, in cordis intimo residere.

§. I.

Deus est rerum omniū centrum.

VT lineæ omnes referuntur ad punctum, quod est in meditullio circuli; ita & omnia, quæ in hoc orbe prostant, diriguntur ad Deum, vt ad finem: siquidem omnia Deus edidit propter semetipsum, nec ab eo scopo deuiare queunt homines: si nempe Deo iniurij, & detrectare volunt eius dominium, sic vasa fiunt iræ, idonea ad faciendam palàm iustitiam Dei; si verò litant Deo congruis obsequiis, aptantur in vasa misericordiæ, vtrobique Deo proposito in scopum, ad quem vndique collimatur. Itaque eruditè lineamenta Dei ducens industrio suo penicillo Trismegistus ait, Deum esse circulum, cuius centrum erat vbique. Quasi diceret, res omnes esse veluti lineas, quarum centrum est Deus, vtpote earum omnium principium & finis. Cùm ergo centrum medium sphæræ sibi vendicet (centrum quippe, & medium synonyma sunt) Christus Deus, ac proinde centrum hominum, petit ab eis medium, scilicet cor, quod Hebraïcè dicitur קרב *Kereb*, id est medium, à radice קרב *Karab*, id est, appropinquauit: nam medium æquè accedit ad omnia extrema. Si ergo deuoueamus cor nostrum Christo. *Medius nostrum stetit, quem nescimus.* Non est enim nostrum plenè scire Christum, quamdiu degimus in humanis.

Deus quare deposcat medium, id est cor.

Cor quare dicatur medium.

Suarum esse partium hoc medium hominum Christus ait, quem Salomon inducit sic hominem alloquentem. *Fili mi, præbe cor tuum mihi.* Hoc medium ad se pertinere Christus ait apud Ezechielem, vbi hæc sua explicat symbola protestatis. *Faciam in medio tui iudicia.* Hebræi subodorantes in medio quid diuinum, habuere locum medium vt præcipuam honoris sedem. Eamobrem dictante Deo, Saul inauguratus Rex Israël, congruum hunc dignitati suæ locum dicitur accepisse. Ita sacer Regum textus *Stetit Saul in medio populi, & clamauit: Viuat Rex.* Iudicum sedes erat constituta in medio portę, ad quod alludens Psaltes ait. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Et Isaias congratulans populo Hebræo dignato Christi consortio, & applaudens eis, qui suo cordis hospitio Dominum excepturi erant: sic congaudet. *Magnus in medio tui Sanctus Israel.* Christus vt Dei Filius medius est in personis mysterij ineffabilis adorandæ Trinitatis, ac proinde memor suæ æternæ generationis, hominem totum dum deuincit sibi, præcipuè medio delectatur, id est, corde, quod reuera Christi est titulis omnibus, qui excogitari queunt ad adstruendam legitimam rei alicuius possessionem. Præcipui tituli sunt, hæreditas, donatio, emptio, & iure armorum in bello iustè indicto acquisitio. Nullum namque dominium est legitimum, nisi adstipulentur ei ali qui ex titulis explicatis. Cùm ergo tituli omnes præfati cor humanum Christo deuoueant; debet ille Dominus medius nostrûm stare, & ad arbitrium suum nostris cordibus insidere.

Prou. 23.

Ezech. 5.

1. Reg. 10.

Psal. 81.

Isaie 12.

Quibus titulis cor humanum pertineat ad Christum.

Ex Ivre Civili. *Leg. Quoties Cod. de rei vindicatione.*

Christus vt Filius Dei iure hæreditatis possidet ea, quæ Patris sunt. Titulo donationis quidquid terminis finium terræ concluditur, illud omne est possessio Christi, vt testis est Psaltes, sic Deum Patrem inducens loquentem in gratiam Christi. *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Iure belli legitimè indicti pertinemus omnes ad triumphum Christi, qui alligans fortem, id est, diabolum, vasa eius omnia diripuit, & vinctos homines soluit, qui vt sequaces sunt Christi, ita etiam victoriæ eius sunt maximum argumentum: Eò spectat ille Pauli iubilus. *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu.* Oppressi iniquo diaboli iugo mortui eramus, sed vbi victor ille rupit vincula nostra, illico rediuiuos fecit, & præcipuam sui triumphi partem, vt meminit Apostolus hoc contextu. *Vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Demum iure emptionis homines cedunt in ius Christi, qui seipsum tradidit in pretium. Vnde sacrilegium facit omnis, qui se Deo subtrahit, & detrectat obsequium Christi, iuxta illud Pauli. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri. Empti enim estis pretio magno: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

Leg. Nunquā ff. de acquirendo rerum dominio.

Psal. 2.

Matth. 12. *Christi sumus titulo victoriæ.*

Coloss. 2. *Christi sumus titulo emptionis.*

1. Cor. 6.

Nihil profectò liquidiùs in eo themate promi potest; prælibatus enim textus perinde sonat, ac discursus iste. Christiani hoc satagite, vt Christus medius vestrûm stet, quasi in propria sibi sede magno pretio comparata. Quod autem Paulus aduertit homines nescire sua membra esse templum Spiritus Sancti, affine est huic Ioānis Baptistę. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Quæ verba suppeditant locuples argumentum declamandi in homines immemores gratiæ illius, quâ dignantur

Christi sumus titulo emptionis.

tur à Deo, cùm hominum corda facit sacrarium suum.

Ex præfatis, Christi ius in hominum corda ratum fixúmque est; sed titulus ille suauior est, quo amore præuio hominum corda demeruit, amorem etiam hominum æternâ gloriâ dignaturus. Esto, simus impares huic gratiæ; Christus has solas expetit sibi vices rependi ab homine, quas Hebræi Iosuë Duci suo hilares exoluerunt. Ecce pensum exhibitum Heroi Magno, qui typum gesserat nostri Iesu. *Dederunt filij Israel possessionem Iosuë filio Nun in medio sui, iuxta præceptum Domini, vrbem quam postulauit.* (Iosue 19.) Quando stabit Christus medius nostrûm, dabimus illi possessionem in medio nostri, vrbem quam postulat, scilicet cor nostrum, & id iuxta præceptum Domini. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.* (Deut. 6.) O prædicator, hîc luge ingratos hominum mores, qui cunctantur aperire Deo pulsanti ad ostium cordis, cuius aditum permisêre reprobis affectibus. Declama in Dei desertores, vsurpando Psalmum istum. *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* (Psal. 78.) Dic, Christianos viuere ritu infidelium, Deum à corde suo turpiter abigendo.

Deus inhabitans hominum corda, ditat animas.

§. II.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 2. de anima textu 1. Gratia dat animæ esse diuinum.

NVllas patitur instantias hoc Philosophiæ effatum, quod Aristotelis præconio sæpius insonuit in Lycæo. *Forma est quæ dat esse rei.* Ea sententia licet ab Aristotele vsurpata sit in gratiam formæ substantialis, quæ est scaturigo omnium entium, quæ compositum afficiunt; fidem etiam sibi facit in formis accidentalibus, à quibus etiam compositum emendicat modum essendi congruum formæ, qua deforis accingitur. Verbi gratiâ, Christus inhabitans animam, gratiam Dei impertit illi. Vnde cùm gratia sit ens supernaturale realiter inhærens animæ, homo instructus hac deificâ formâ statum accipit & diuinum, iuxta illud Petri. *Efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* (2. Pet. 1. Pœnitentia dealbat.) Reuera nequit compendiosè magis adstrui cumulus bonorum omnium, quæ præsentiam gratiæ consequuntur. Quidquid enim sub Deo eminet in naturæ bonis, illud omne infra gratiam est, cuius hoc singulare priuilegium est, homines euehere ad consortium diuinæ naturæ, per participationem indultam à Deo illis omnibus, qui gratiæ infulis illustrantur. Eò spectat illud Pauli encomium de gratia, qua stipatur anima. Sic ille. *Gratia Dei vita æterna.* (Rom. 6. Gratia Dei omnia tergit peccata.) Quisquis enim in gratia finali decesserit, æternùm viuet, nihil cum remorante peccato, si quod vnquam commiserit. Ita Basilius. *Quid niuis & lanæ albedinem adæquare potest, quid tamen elui non potest, quam coccinum, & tamen qui ista condidit, ait: Si peccata vestra fuerint vt colores, qui elui nequeunt, ad puritatem niuis mutabuntur, si lauemini & pœnitentiam agatis.*

Ex SS. Patribus. Basil. hom. de pœnit. Vestes albæ datæ neophytis, quid portendebãt.

In figuram effectuum, quos sortitur ille Christi illapsus in animam, quam gratia afficit, priscis Ecclesiæ temporibus neophyti, id est, Christiani adulti sacris aquis tincti, induebantur albis, vt candore extrinseco nitela animæ sese omnibus explicaret. Ab ea meditatione non abhorret Ambrosius, compellans animam recens initiatam sacris hisce mysteriis. Sic ille. *Accepisti vestimenta candida, vt esses indicium, quod exueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina, de quibus Propheta dixit: lauabis me & super niuem dealbabor.* (Ambr. lib. de initiandis cap. 7.) Præter hunc albicantis animæ statum, Paulus commemorat animas eo gratiæ apparatu conspicuas, ita esse compositas ad nutum Dei, vt placeant ei. Placere autem Deo, Sancti omnes reposuêre semper in præcipuis animæ bonis. Ecce Pauli in subiecta hac materia sententias præcipuas. *Deo per omnia placentes, immaculati, irreprehensibiles.* (Coloss. 1.) Rursus ille conscius effectuum gratiæ. *Sicut electi Dei, sancti, & dilecti.* (Coloss. 3.) O beatam animæ sortem, vt sit electa, sancta, & dilecta!

Esto diues sit illa supellex, qua ditatur anima, cui insedit Christus; plerique tamen meditantes, præcipua seruorum Dei stipendia capi tantùm in altero sæculo, desiderant & in hoc æuo aliquid sensibile & secundum, ne aduersæ fortunæ flabris impetitus homo cadat animo, asperis tantùm & duris calibus assuetus. Deus & his annuit plerumque votis, fauendo cœptis egregiis suorum fidelium, vt expertus est Iustinianus Imperator, qui, dum viguit apud eum Dei cultus, duos Reges Vvandalos, & Gothos duxit in triumphum. Sed fulgore illucentis gloriæ excæcatus, vbi à Deo defecit, factus iniurius Papæ Vigilio, ingloriè à Gothis habitus est. Nam Româ captâ à Totila, Italia penè tota cessit in ius Barbari huius à Deo conducti vt sacrilegos ausus Iustiniani retunderet, & Imperium eius victore gladio decurtaret. Sed vt afflictione caligantes oculi fiunt peruij radiis obiectæ lucis; ita Iustinianus inundante flagello Dei; suas tenebras tersit, & agnouit vindicem Dei manum, ideóque pœnitens facti, conciliato sibi Papa Vigilio, leges latas in dedecus Ecclesiæ, factus seipso cautior, antiquauit. Eo sic redeunte in gratiam cum Deo, fuit & fortuna redux: siquidem Imperator misso Narsete Romam cum numeroso exercitu, recepit vrbem hanc mundi caput, quia ipse Iustinianus benè exceperat Vigilium caput Ecclesiæ. In argumentum integræ victoriæ, Narses misit Constantinopolim claues vrbis deditæ, Deo sic moderante facta belli; vt Iustinianus, qui claues Petri in Vigilio Papa suspexerat, claues vrbis suæ Romæ factus ipse vigil atque prudentior, sibi redditas aspiceret, ereptas Totilæ potestati.

Gratia Dei ex hoc etiam sæculo multa prospera inducit.

Ex Historia. Iustinianus Imperator varias sortes expertus Româ capta à Totila. Vigilij Papæ Deus causam agit contra Iustinianum.

Narses Romæ claues mittit Constantinopolim.

Narses admiratus alternantis fortunæ vices compositas ad modum vitæ Iustiniani, cui omnia prosperè afflabant, cum Deo litabat, & secus erat sors iniquior, quando defecerat. Narses, inquam, Præfectus militiæ, eruditus illo exemplo proposuit, Deum facere sibi propitium, vt sic suis rebus consuleret, & omnia prosperè succederent. Eo intento suum exercitum purgauit exauctoratis militibus impiis, ne eorum contagio vitiis diffluens exercitus iram Dei in omnia capita prouocaret. Ita Procopius. Optimè reuera cauit sibi Narses demerendo Deum; à cuius enim partibus est Deus, ille est extra teli iactum, gratia nempe panoplia est, cui est impar omnis dæmonum armatura.

Narses viros impios abigit procul à suo exercitu.

Procopius lib. 3. de bello Gothico.

Animam esse veluti cataphractam, quando instruitur gratia, audi à Chrysostomo. *Si, inquit, Dei gratiam nacti sumus, nullus nobis præualebit; sed nos potentiores omnibus erimus. Quando amicum & beneuolum habemus Deum, etiamsi in deserto fuerimus,*

Gratia Dei est fortis armatura.

Ex SS. Patribus. Chrysost. hom. 46. in Genes.

fuerimus, multò securiores viuemus, quàm ij, qui in ciuitatibus versantur. Maxima enim securitas, & inexpugnabilis murus est gratia Dei, &c. In Dauid & Saule discamus, nihil fortius esse munito supernâ gratiâ; & nihil infirmius eo, qui hac priuatus est, etiamsi innumeris circumdetur exercitibus. Vidit Dauid instructam aciem contra alienigenam Goliath, & omnem populum iuxta Saül formidine perculsum, Regémque ipsum in summo constitutum periculo. Vidit eum & ait: Quis est hic alienigena incircumcisus, qui exprobrat exercitum Dei viuentis? Posteà cùm videret trepidationem eorum, qui cum Saul erant, inquit: Quid dabitur viro, qui percusserit eum? Et magnum animi robur his verbis ostendebat, omnes in admirationem adducens. Hæc vt cognouit Saül, misit & vocauit eum, & vt vidit ætatem eius, vilipendit eum. Deinde cùm didicisset ex eo, quomodo cum vrsis egisset, qui gregem suum inuaserant, vt non spectaret Rex ad vtilitatem eius, sed ad supernum auxilium, quo adolescens inermis, viris armatis; & pastor, exercitibus fortior erat. Armis Saül induere eum volebat; indutus autem ea ferre non potuit, vt virtus Dei nudè monstraretur; sed acceptâ perâ pastorali, & silicibus, contra carneam illam turrim egressus est. Vide, quomodo alienigena vilipendebat illum; sed hic fundâ statim in fronte percussum deiecit, & festinanter educto illius gladio, caput eius amputauit. Vidisti admirabiles & inopinatas res, armatum ab inermi deiectum; à pastore, militia peritum. Quare & ob quam causam? Quia hic quidem habuit supernam gratiam se adiuuantem; ille autem eâ carens, in huius manus venit, &c. Gratia est nostra armatura solida & inexpugnabilis; hæc, nostra magna diuitia; per hanc & Ismaël, quamuis adolescens, & in solitudine, rerúmque omnium inopia, statim creuit, & in Gentem magnam factus est; quia Deus erat cum puero.

Dauid gratia Dei armatus præualuit in arma Goliæ.

Dauid quare Saulis arma ferre non potuit.

Gratiæ Dei effectus.

Fusiore hoc discursu Chrysostomus adstipulatur meæ sententiæ, suadenti possessionem gratiæ eo maximè nomine, quòd sit probatissima & impenetrabilis armatura. Adiicio præter validum hoc munimen, plurium etiam bonorum prouentum consequi gratiæ influxum in animam; ita vt cùm Christus medium nostri occupat, anima statim ditior inde fiat, iuxta illud Iobi effatum. *Si reuersus fueris ad Omnipotentem ædificaberis.* Quem locum Hieronymus enucleans, ita commentatur. *Si te factorum tuorum pœniteat, ædificaberis, id est, quotidie vallatus diuinâ custodiâ munieris, gloriámque perditam reparabis, dabit pro terra silicem. Hoc dicit: Si propitiatio eum Dei, in præceptis eius firmissimè stabilierit, non terrenis rebus & carnis voluptatibus operam dabit, sed magis ad fortitudinem virtutum proficiet, per quam possit ad affluentes cælestium diuitias peruenire. Quòd si in saxo fortitudinis bonæ conscientiæ tuæ positus fueris, sensus diuinæ sapientiæ tibi velut torrens aureus abundabit; ideò ait: Et pro silice torrentes aureos, eritque Omnipotens contra hostes tuos. Cum feceris voluntatem eius, habebis eum defensorem tui. Tunc super Omnipotentem deliciis affluens, & eleuabis ad Deum faciem tuam, deliciis vtique spiritualibus repleberis, & eleuabis ad Deum faciem tuam; liberam faciem, frontem ad deprecandum Deum attolles, siue iam non reã, neque incuruatam deorsum mala conscientia, eriges ad Deũ animam tuã;*

Leuit. 22. *Hieron. in c.* 22. *Iob.* Pœnitentia nos munit auxilio Dei.

Gratia Dei maximis animam deliciis afficit.

Nota, Hieronymum hoc contextu dicere delicias, quibus afficitur anima dignata Christi præsentia, esse spirituales, id est, ab omni fæce voluptatis noxiæ repurgatas. Ac proinde delicias illas animam sic affectam euehere ad aliqualem partem sortis inuidendæ beatarum mentium. Non tamen inficiatur Hieronymus, aspirare nobis etiam secundam auram sæculi huius, quando Christus medius nostrûm stetit. Nempe Deus cultores suos plerumque bonis etiam dignatur, in hoc æuo, vt videre est in Ezechia Rege, quem sic Scriptura commemorat. *Fecit Ezechias, quod rectum coram Domino, & prosperatus est.* Imò Deus ipse prouocauit homines ad gratiam suam, alliciens eos spe boni alicuius temporalis. Ecce typum orationis benè suadæ, quam Deus adhibuit, vt sibi hominum animos arcto fœdere deuinciret. *Si in præceptis meis ambulaueritis, apprehendet messium tritura vindemiam; & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra.* Stetit Deus hisce pollicitis, sub præfato Rege Ezechia, vt iubilans aiebat sacerdos Azarias, ita fatus. *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eò quòd benedixerit Dominus populo suo.*

Gratia Dei plerumque vehit secum temporalia bona.

Ezechiæ Regi quare multa prosperè cesserunt.

Leuit. 26.

2. *Paral.* 31. Mandata Dei obseruata bonis cumulant iustos.

Offer & tu, Christiane, Deo tuas primitias, scilicet cor tuum, quod est primum viuens, & ad votum omnia tibi cedent: Quod si cunctaris hospitio cordis excipere Christum, scito fore tibi omnia ingrata. Cæterùm Christus medius nostrûm stans, hoc suo statu benefico præstat; scilicet vt homo sibi constet, qui alioquin inquies errat, affectum suum deuinciens rebus vt plurimum indecoris. Si quis ergo resilire cupit ab ea sorte instabili, quæ homines agit in gyros perpetuos, is seriò satagat inducere Christum in cor suum: nempe fruens illo summo bono, alia omnia bona fastidiet, quibus cor suum antea deuouebat. Audio, multos querula voce instare, se quotidie cor suum consecrare Deo, & Deum velut incurium huius oblationis respuere sacrum illud. Sentiunt multi tale dispendium, & Deo vtuntur aduerso, nescij causæ, quæ remoratur Christi ingressum apud eos. O fideles, attendite arcanum, quod reseratum vtinam efficiat & me & vos etiam cautiores. Tota mali labes est penes nos, quorum est fraus omnis: nimirum particulâ tantùm cordis amatur Christus diligendus ex toto corde, totis viribus, & tota mente nostra. Vnde respuit illam particulam cordis zelotes hic Dominus, vbi aduertit varios etiam affectus illicitos nostris cordibus insidere.

Amor Dei nullius amoris alterius admittit societatem.

Quisquis itaque volet demulcere Deum, is pro symbolo accipiat picturam, quam Ferrus in theatro suo symbolorum subiicit oculis in tabella, vbi est acus magnesia, cuius ingenium est gyrare semper, donec sistat fixa in intuitu stellæ, quæ propius ad polum vergit. Titulus symboli est iste. RESPICIT VNAM. Quasi diceret, acus illa, cui affrictus est magnes, induit naturam lapidis huius, cui cum polo magna est affinitas; ideóque licet in gyrum agatur acus, & stellas attendat omnes, quando circumagitur, fixa tamen acus, repudiatis aliis stellis, RESPICIT VNAM. Illam videlicet, cuius tantùm intuitu sibi constat. Hoc symbolo vtitur anima de sua salute sollicita.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus p.* 2. *Theatri.*

Amoris symbolum egregium.

Amor in Deo solo fixus est quietus.

Licet enim amor eius videatur affici rebus quibusque obuiis aliqua bonitate conspicuis, cauta tamen voluntas RESPICIT VNAM; rem videlicet summam, nempe Deum. Suo namque dispendio edocta anima quietis impatiens est, quando rebus afficitur infra Deum: sed vbi sortita Deum anima velificatur illi soli, tunc stat, æmulata beatarum mentium statum, quæ Deo duntaxat iugiter adhærescunt.

Ex SS. PATRIBVS.

Hoc itaque sibi pensum imponat anima, scilicet cor suum vni Deo vendicare, præuio repurgio rerum omnium, quarum affectus deuiat ab amore Dei. Etenim iuxta Isaiæ effatum. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest.* Quæ verba monent, non cor posse variis affectibus occupari, vt explicat Hieronymus decurrens illum locum. *Hæc* (inquit) *verba illum habent sensum, quem in Apostolo legimus: Non potestis calicem Domini bibere, & calicē dæmoniorū, non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ idolorum; & alibi. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? quis consensus templo Dei cum idolis? Loquitur autem sub metaphora mariti pudicissimi, quæ adulteræ dicit vxori: Vnus lectulus me & adulterum capere nequit, & pallium breue maritum & mœchum cooperire non potest. O igitur Ierusalem, si vis meis complexibus copulari, abiice idola, & mundi delicias: amor enim meus, & mundi cohærere non valet.*

Isaiæ 28.

Hieron. lib. 9. in c. 28. Isa.

Amor Dei alio amore impeditur.

Vt ergo medius nostrûm stet Christus, & gratias secum vehat, quas impertit suis amasiis, alta rimemur indagine obices, quorum intuitu cunctatur Christus, & adscitis veluti scopis euerramus omnes affectus exoticos, ne qui in cordis intimo delitescant. Quia magni momenti est hoc arcanum, & plerique hallucinantur, eorum etiam, qui adblandiuntur sibi titulo pietatis; accipe à Gregorio, quo studio debeat inuigilare sibi anima, ne affectu suo dignetur res alias infra Deum. Sic ille. *Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse sine delectatione anima nunquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis. Et quantò altiori studio exercetur ad summa, tantò maiori fastidio torpescit ad infima; quantóque acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit à summis: vtraque enim simul & æqualiter amari non possunt. Vnde Ioannes sciens, inter spinas amorum sæcularium, supernæ charitatis messem germinare posse, priusquam æterni amores semina proferant amorum sæcularium, spinas eradicat dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: ac si apertè dicat. Vtrique se amores in vno corde non capiunt, nec in eo sedes supernæ charitatis pullulat, in quo eam spinæ infimæ delectationis necant. Delectari ergo in Deo homo malus non valet, quia in eius mente desideria superna non prodeunt, quam spinæ terreni amoris premunt.* Ita Gregorius.

Gregor. l. 18. Moral. c. 8.

Cor hominis non capit duos amasios.

Ego peregrinos affectus arbitror esse vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Christi; & obstant, ne Christus cordis humani vineâ delectetur.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Cor, in quod non influit Christus, cunctatus illuc introire, à dæmone possidetur.

§. III.

DÆmon acerba versans odia in Deum, vt cælo nequit eum pellere, nititur impedire quin subeat hominum corda, omnémque mouet lapidem, ne Christus medius nostrûm stet: fitque vtplurimum voti compos, homini affricans species rerum, quarum affectu delinitus homo, libellum repudij dat animæ æterno suo sponso, vt luxurians ad arbitrium suum possit genio suo turpiter indulgere. Ratio autem, quare dæmon obstet, ne Deus se in corda hominum insinuet, est, vt ipse irrepat in homines, & ita suos adoratores habeat, sic ementito cultu, fruens deitatis gloriâ concupitâ. Hoc igitur esto ratum, videlicet cor humanum, à quo Deus abest, habere diabolum vt sessorem. Malos namque mores non faciunt, nisi mali amores. Vnde cùm non vacet amor in anima amantis, & affectus hominum iugiter æstuet, si anima rebus afficitur, quæ Deum abigunt, eo solo fit reproba cedens in ius diaboli: nullus quippe medius assignatur status in adultis alius, à damnatione, aut salute. Si itaque sua industria dæmon arcere Deum potest à corde humano, illico sui iuris facit cor illud Christo Domino suffuratum.

Dæmon Deo pulso de cordibus, illa subit.

Amor Dei debet esse practicus.

Vt huic hominum discrimini occurrat Deus, vult poni vt signaculum super cor nostrum. Hebræa habent, vt sigillum חותם chotham. Concinnunt & Græca θές με ὡς σφραγῖδα. Id est. Pone me vt sigillum. Sigillum illud, est amor inducens in animam similitudinem Dei. Plinius ait Deorum imagines fuisse sigilli nomine nuncupatas. Ennodius hanc sigilli vocem adhibuit pro numinis imagine. Sic ille. *Sigilla numinum votis imaginata facientum.* Cùm ergo Christus vult imponi hominum cordi vt sigillum, vult imaginem suam in cordis intimo circumferri. Hanc autem conflare Dei imaginem, est amoris industria singularis. Ita Bernardus. *Pone me vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum. Ac si dicat, pone me memoriale tuum in corde, & brachio, id est, in cogitatione, & opere; & vt deposita imagine terreni hominis, cælestis imaginem portes, attendens diuinæ dilectionis argumenta, quæ refelli non possunt.*

Cant. 8. Sigilla olim dicebantur imagines Deorum.

Plin. lib. 34. c. 8.

Ennodius dict. 11. in dedicat. basilicæ Apostol.

Bernard. opuscul. de charit. c. 28.

Caligula vecors Imperator haberi volens vt Deus, caput statuæ Iouis amputauit, vt capitis sui figuram imponeret, & sic concupitis frueretur honoribus. Eò insaniæ deuenit Angelus apostata, qui voluit esse similis altissimo. Ille nimirum desertor impius, vt vidit in homine imaginem Dei virtutibus adumbratam, eam expunxit; & suam, id est diabolicam effigiem affrictis vitiis introduxit. Hanc diaboli nequitiam meminere Canones hi subiecti. *Princeps vitiorum omnium, dum vidit Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitiâ ornatum, temperantiâ compositum, charitate circumdatum, primos parentes illis donis, ac tantis bonis spoliauit, insuper, & peremit. Namque cùm homini abstulisset pudicitiam, continentiam, charitatem, immortalitatem, dominio suo eum obstrinxit, & Adā amissa charitate malus inuentus est.* Calente in hominibus charitate, Deus medius

Caligula ambit diuinos honores. Suet. in Caligula.

EX IVRE CANONICO.

Can. Princeps de pœnitentia, dist. 2.

Imago Dei & diaboli in homine, penes quid attendatur.

eorum stetit; sed extincto amore, diabolus in cor irrepsit, sua illic imagine firmiter obsignata. Quæ in eo sita est, vt homo vitiorum fœda aspergine conspurcatus, eâ cadat iustitiâ, quæ ingerit similitudinem Dei, vt fert iste Canon. *Similem Dei esse, est habere iustitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum.* Ad hunc Dei typum Adam effectus est; sed vitio superinducto diaboli imaginem induit, vt Canon iste luget. *Illa anima benè picta est, in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretiosa est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum depictus fuit. Sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestris effigiem.*

Can. Simile de pœnitentia, dist. 2.

Can. Illa anima de pœnitentia, dist. 2.

Christus quando inhabitet hominũ corda.

Ex præfatis, necesse est, Deum, aut dæmones inhabitare hominum corda. Cùm enim vacare nequeat amor, & quales sunt amores, tales etiam mores inurantur: quisquis amore Dei percitus æstuat, ille Deo gaudet; vt secus ille, qui mundi huius capitur illecebris, vitio suo diaboli tyrannidem patitur importunam. Vt ergo Christus medius nostrûm stet, procul abigendæ sunt omnes dæmonum cateruæ, quod nequaquam fiet, nisi sordidæ vitiorum fæces sedulò repurgentur. Quippe viget adhuc in ordine ad mores hoc præceptum. *Agrum tuum non seres diuerso semine.* Quasi diceret. Caue ne anima tua sata virtutum germine, simul excipiat aliqua semina vitiorum. Nempe Deus, & dæmones non concordant. Vnde quia Deus toto stipatur virtutum choro, & dæmon vitiis accingitur: si vitia sese cordibus affricant, illa etiam sacris filiorum Dei infulis exuentur.

Leuit. 19.

Quas strages edat dæmon in anima, quam sibi vitij alicuius obsequio mancipauit.

§. IV.

Peccatum multis cladibus animam afficit.

PEripatetici versantes locum illum Aristotelis. *Contrariorum est eadem disciplina* multos ei sensus affingunt. Primò dicunt, contraria ad eamdem pertinere scientiam. Vt quia Medicorum est agere de sanitate, eorum etiam erit agere de morbis. Secundò, explicant illud axioma de qualitatibus fluentibus à subiectis contrariis: ita vt ignis aquæ contrarius, habeat qualitates ex diametro oppositas, calorem scilicet, & siccitatem; vt sic ex aduerso respondeat aquæ, cui proprium est frigere, & innato humido desudare. Sic illi scholiastæ Aristotelis. *Quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito.* Iuxta illam veridicam sententiam, facile est adstruere veritatem tituli huius puncti, sic arguendo. Deus, & dæmon velut è regione positi, sibi aduersantur. Ergo cùm Deus medius hominum stans, omnium bonorum agmen secum vehat; necesse est, dæmonem, cùm subintrat animas, malorum omnium iliadem ferre. Nec vllas prorsus patitur instantias illa consequentia: siquidem quisquis à bono defecit, & in malorum omnium caput incurrit, ille damnatus est ad sortem maximè deplorandam. Huius generis iniqui est status infelix animæ, quæ gratiâ Dei excidit, & se diris deuouit. Quas in hac anima strages edat dæmon, luculenter ostendit Vates querulus, ingemendo ciuitati Ierusalem direptæ ab hostibus.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 3. Metaph. text. 3.

Ecce compendium excidij, quod patitur anima à diabolis expilata. *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici, &c. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit Gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.* Anima, Deo abdicato, incurrit etiam in odium Angelorum, & dæmone subeunte recessum cordis, pessum eunt pretiosæ omnes gratiarum dotes, quibus locupletata fuit anima, quando Christus Dominus insidebat. Et ne multis excurrat oratio, tanta clades est illa, quanta potest esse maxima. Cùm enim mali alicuius grauitas attendatur ex priuatione boni, & bono infinito cadat anima, à qua Deus procul abest; erit proinde infinitum damnum, in quod incurret homo patiens gratiæ deliquium, & factus vile diaboli mancipium.

Thren. 1. Peccati strages in anima descriptæ.

Sed quia animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt; operæpretium erit, reprobis ingerere alia etiam mala temporalia, quibus plectuntur impij desertores. Namque ita rebus præsentibus afficiuntur homines, vt æterna parum curent. Est itaque recensenda series malorum, quæ imminent transfugis post defectionem suam à Deo, & conuenienda conscientia hominum nequam, petendo ab eis, an in peccati ipsius exordio non experti fuerint dæmonis amarorem: ea siquidem est peccati indoles, quæ pus, & sanici apud Hippocratem ita fatum. Περὶ τὴν γένεσιν τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι. Id est. *Dum pus conficitur, dolores atque febres incidunt.* Ratio doloris petitur ex solutione continui quoad qualitatem; omnis enim corruptio debitam temperiem soluit, & ita molestiam parit. Quidquid mentiatur homo, eas etiam subiit aliquando vices, insinuante sese vitio in animam: vt enim à Deo se abstraxit, statim animus inquies, iniquè tulit illud diuortium, faciens ita fidem huic effato Isaiæ. *Cor impij, quasi mare feruens.* Cui loco lucem hanc prætendit Hieronymus. *Iniquorum corda fluctuabunt, quasi mare feruens, & quiescere nunquam poterunt. Sicut igitur mare feruens quiescere nunquam potest, sed redundant fluctus eius, & reuoluuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & in se fracti lutum efficiunt, quod pedibus conculcatur; sic impij habentes cor vt mare, æternæ conculcationi subiacebunt, quorum nullum est gaudium, & nulla pace requiescunt.*

Synderesis in ipso peccati exordio animam discruciat.

Ex Medicina. Hippocrates lib. 2. Aphorism. 47.

Isaiæ 13.

Ex SS. Patribus. Conscientiæ iniquæ inquies est habitus. Hieron. lib. 6. in c. 13. Isaiæ.

Ille etiam habitus inquies ita describitur ab Augustino. *Domus nostra interior, cor nostrum est. Hanc domum quisquis habet malam, pellitur ab illa foris. Quis enim in corde premitur malâ conscientiâ, quomodo quisquis ab stillicidio exit de domo sua, aut à fumo, non ibi se patitur habitare: sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest, tales foras exeunt à seipsis, animi intentione, & de his, quæ foris sunt, circa corpus delectantur, quietem in nugis, in spectaculis, & aliis malis quærunt. Quare foris voluerunt sibi benè esse? Quia non est illis intus benè, vnde gaudeant in conscientia sua.* Adiice & præfatis hæc Gregorij Magni eloquia. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille insidias suspicatur. Habet iustus quasi arcem quamdam fortitudinis, simplicitatem suam. Vnde per Salomonem dicitur: Secura mens, quasi iuge conuiuium. Quasi enim continuatio refectionis est ipsa*

August. in Psal. 100. Conscientia impij plena terroribus.

Gregor. lib. 15. Moral. cap. 12. Synderesis descriptio.

ipsa tranquillitas securitatis. At contra mens praua, semper est in laboribus, quia aut molitur mala, quæ inferat; aut metuit, ne sibi hæc ab aliis inferantur.

Peccatum vnius sæpe multis adfert perniciem.

Instabis, impios obduxisse callum, & exultare in rebus pessimis, ac proinde esse leuioris armaturæ argumentum petitum à synderesi vitia castigante. Respondeo, raros esse, qui seipsos tortores effugiant: nam conscientia nobis semper inuigilans nihil præterit impunitum. Præterea rei familiaris inopiâ plectuntur iniqui, & si qua dignitate eminent, fato plerumque immaturo ingloriè deponuntur. Quodque magis prodit peccati malitiam, vnius quandoque piaculum perniciem multis adfert, vt Canone isto liquet. *Sed illud non otiosè transmittendum est, quod vno peccante, ira Dei super omnem populum venit.* Illa clade percussa est Ierosolyma, ob scelus Achaz Regis impij, qui abdicato Dei cultu adorauit inania simulachra. Ecce synopsim historiæ. *Achaz, spoliata domo Domini, & domo Regum, ac Principum, dedit Regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. Insuper & tempore angustiæ suæ, auxit contemptum in Dominum, ipse per se Rex Achaz, immolauit Diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dij Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi; cùm è contrario ipsi fuerint ruinæ ei, & vniuerso Israel. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei.*

EX IVRE CANONICO. Can. Sed illud, distinct. 45. 2. Paralip. 28. Peccatum cedet in ruinam peccantibus. Peccati lethales effectus in anima.

In hoc homine nefario sese satis explicat series omnis malorum, quæ excipiunt hominem post defectionem suam à Deo, vt se diabolo obstringat. Primò spoliat domum Dei: nam vbi dæmoni peruium fecit hospitium cordis sui, gratiis omnibus exuitur; & tantùm abest, vt à dæmone quidpiam boni accipiat, quinimò potius homini nequam omnia in peius cedunt, licet eo intento à Deo defecerit, vt suauius æuum agat. Omnia vasa domus Domini pessum-dat, cùm sacramentis abutitur; quippe ea sunt vasa gratiæ; & dum diuturna arbitratur affore voluptates, citissimæ ruinæ locum præbet. Et quod malorum omnium caput est, vbi dæmon medius hominum steterit, illico claudit ianuas templi. Id est, ita suis cauet rebus, vt omnem adimat copiam homini adeundi templum Dei, vt illic redeat in gratiam Dei. Licet enim crebro Deus animam sollicitet ad meliorem frugem; illa tamen respuit meliora consilia, dæmone obstante, ne morem gerat Deo, optima suggerenti. Hoc dixi malorum omnium caput. Nam vt Romanis erant olim pacata omnia, clauso Iani templo: ita diabolus ad arbitrium suum, & nemine reluctante possidet animam, cui occlusit fores templi. Id est, vbi anima Dei sacra abiecit, vt pro votis se volutet in cœno voluptatum, salus eius est eo ipso nomine deploranda.

Diabolus quàm studiosè se in anima conseruet, quam inuasit.

Obstinatio est effectus vltimus peccati.

Quàm iniquum sit, & lethale dæmonem habere in medio sui, supremo suo discrimine Roma confessa est, quæ floccipendens edicta Theodosij iunioris, qui omnem suam operam contulerat, vt vrbem hanc faceret immunem ab idolis; tandem obsessa ab Alarico Rege, vt se extremæ cladi subtraheret, seipsam opibus exuit, vt hostem induceret. Siquidem tantum fuit auri pondus, quo se Roma redemit, vt operæ pretium fuerit confringere idola, vt inde conflaretur pecunia hosti danda, ne in Romanorum capita desæuiret. Itaque idola, quibus Roma litarat, aspernata Christum, & arbitrata diaboli cultum fore sibi propitium; hæc, inquam, simulachra fuere in ruinam: nihil enim dæmon aliud quàm exterminium adfert suis cultoribus, sicut & experta est Serena vxor Stilichonis viri summi, sub Honorio Imperatore. Mulier hæc ad omnem fastum composita, collo suo appendit prædiuites gemmas, olim diabolo deuotas, vtpote insertas simulachro Rheæ, sicque monilia hæc mulierem illam superbam dæmoni desponderunt. Qui vt malè habet omnes animas sibi obstrictas, coniugem hanc Stilichonis laqueo suffocauit.

EX HISTORIA. Romanæ vrbis punitio ob idola quę colebat sub Theodosio iuniore. Zozimus, lib. 5.

Serena vxor Stilichonis malè periit. Zozim. lib. 5.

Hoc loquere prædicator, & ostende quàm potius sit fouere Christum in medio nostri, cùm is hospites suos dignetur numeroso agmine gratiarū.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

HOMILIA QVARTA.

SVMMA HOMILIÆ.



VT homo coalescit corpore & anima, & actiones sunt suppositis congruæ à quibus effluunt: in humanis actibus aliquid corporale & spirituale lucet, nihilque edit homo defæcatum, quin etiam aliquid corporeum secum vehat; vt in eius intelligendi modo liquet: quippe anima dependet obiectiuè à rerum simulachris, quæ ipsi mediis sensibus obuersantur. Ioannes indulgens infirmæ hominum indoli, inducturus homines ad pœnitendum, pœnitentiam arbori comparauit.

§. I. Dicam ergo priori parte istius homiliæ, hominem pœnitentem esse arborem, & præcipuè figurari in palma.

§. II. Adiiciam numerum, & figuram fructuum pœnitentiæ.

§. III. Secunda verò parte, ostendam virtutem beneficam illorum fructuum.

§. IV. Demum concludam, fructus illos non debere incautè vsurpari sed addito condimento, ne sint insipidi, & nauseam ingerant animæ pœnitenti.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. Luc. 3.



HOMO incautè carpens fructum arboris prohibitæ, se suamque progeniem morti obstrinxit: & quia extinctum hominem facere rediuiuum erat negotium supra vires rerum omnium editarum; Deus ipse consuluit rebus animæ deploratis, vt ille artifex qui fecerat, idem recreante manu reficeret. Itaque vt concolor esset medicina morbo, gratia sua latices abundè fudit, vt huius fluminis impetu allueret homines, quos defecerat viuidus omnis gratiæ succus, igniti dæmonum sibilis exsiccatus. Homini, deficiente salutari hoc humore, Deus aliam prouidit arborem, in antidotum primæ. Illa est pœnitentiæ arbor, cuius opimi fructus adeo salutares sunt, vt congruè vsurpati omne virus sanent. Arboris huius viuificæ ideam Ioannes obiicit nobis, ita fatus. Ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum, tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni, &c. Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium. Et omne maledictum non erit amplius. Nota, Ioannem recensuisse fluuium de throno procedentem, antequam recoleret lignum vitæ: quod namque salutare est & viuidum in pœnitentia, illud totum est à sede Agni, id est, à Christo Domino cælitus influente. Arbor illa singulis quibusque mensibus cultori suo fructificat, pœnitentia siquidem nescit inducias, & qui pœnitentiæ ritibus initiatus est, ille orat, vel ieiunat, aut misericordiæ operibus studet; denique apprimè eruditus in virtutum praxi, procul à feriis pœnitet incunctanter. Hodie Ioannes Baptista prouocat nos ad hanc arborem, quæ sustulit omne maledictum, & sanitatem Gentibus impertiuit. Eua mater viuentium dedit homini lethalem fructum, ideòque parens morientium fuit, adeamus veram matrem viuentium, vt gratiam impetret decerpendi fructus pœnitentiæ. Illa alma parens est Maria, quam Angelorum more conuenimus dicentes. AVE MARIA.

Apocal. 22.

Ex PHILOSOPHIA.

PHilosophiæ apex Aristoteles adumbrare volens animam sensibus externis inuiam, vocauit eam ἐντελέχειαν, id est, actum seu perfectionem corporis organici: homo namque totum est anima & corpore coalescens. Ab hoc composito fluunt actiones hominis; adeóque tenax & intima est societas illa, vt anima nihil prorsus agat inscio corpore, neque intelligat sensibus inconsultis. Vnde circumfertur istud axioma. *Intelligentem necesse est phantasmata speculari.* Intellectus enim possibilis, est intellectionis impos in hoc æuo, & pro rerũ ordine præstituto à Deo, nisi asciscat sibi formas, aut species intelligibiles, quibus ad intelligendum debet informari. Cùm autem Angelorum ritu homo concreatas haudquaquam habeat species rerum, sed sortitus sit intellectum nudum, & omnium nescium idearum, datus est ei intellectus agens, qui eas producit in intellectu possibili, qui nec ipse potest species illas depromere, nisi has exerat à phantasmatibus, quæ non sunt res ipsæ sensibiles, sed rerum sensibilium imagines, & corporea simulachra, quæ eruuntur à sensu interiori, & concurrunt cum intellectu agente, ipsum determinando velut obiectum. Quia igitur anima indiget obsequio imaginum sensibilium, vt assurgat ad res superioris ordinis, data sunt ei phantasmata, à quibus dependet, non vt ab organo, sed vt ab obiecto, quod consciis sensibus sese insinuat in animam, vbi ab intellectu congruè defæcantur. Huic intelligendi modo humano Ioannes se aptauit, cum prouocaturus homines ad pœnitentiam, sic eos affatus est, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Anima indiget speciebus ad hoc vt intelligat.

Aristot. l. 3. de anima tex. 30.

Intellectio fit beneficio phantasmatum.

Ille pœnitentiæ præco res omnibus obuias, scilicet arbores menti ingessit, vt hoc vernaculo arborum typo erudiret homines, quomodo sese deberent accingere ad conciliandum Deum, beneficio pœnitentiæ. Huic ego loquendi tropo inhærebo, & dicam priori parte istius homiliæ, hominem pœnitentem esse arborem. Subiiciam, tres esse fructus illius arboris. Secunda verò parte ostendam virtutes & commoda fructuum pœnitentiæ. Demum concludam, quâ cautela, & quo condimento sint vsurpandi fructus illi, vt sint proficui.

Diuisio homiliæ.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Pœnitentis hominis cum arbore multiplex affinitas.

§. I.

INnotuit Græcis affinitas tanta hominis cum arbore, vt dicatur ab eis homo arboreus, ἄνθρωπος δενδρώδης. Hoc de suo penu Plato adiecit, videlicet hominem esse arborem inuersam, quia radices cœlum versus porrigebat, vnde & pabulum emendicat. Homini probo quadrat illi animaduersio: quippe talis è regione cœli altas radices agit; homo verò nequam radices deorsum mittit, & adeò tenaciter terræ adhæret, vt nihil nisi terram sapiat, pertæsus ea, quæ pertinent ad cœlum: nempe animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus. Scriptura sacra secuta metaphoram istam, ita recolit impios. *Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Vocat arbores infructuosas in ordine ad gloriam, quia si quos fructus edunt arbores illæ iniquæ, illi non apponentur mensæ beatorum: nam in cœlis reproborum opera minimè recensentur. Vt toti adhæsere solo terreni homines; ita eorum fructus sub terra, id est in inferis collecta, obiicientur eis ad æternum opprobrium. Dicuntur arbores illæ eradicatæ, quia radices suas altè depresserant, vtpote in telluris intimo radicatæ.

Hominis cũ arbore comparatio. Homo arbor inuersa.

Iudæ v. 12. Homines reprobi altas radices agunt in terra.

Iustorum verò dispar est omnino ratio: hi nimirum vix terram tangunt, ideóque describuntur positi iuxta decurrentes aquas, ac proinde feraces fructuum. Ita Dauid hominem probum suis veluti coloribus induit. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Suspicor hîc Psaltem depinxisse hominem pœnitentem, qui perenni lacrymarum fonte iugiter alluitur, ad instar palmarum, quæ iuxta duodecim

Psal. 1. Exod. 15.

fontes Helim erant: nulla siquidem arbor est, cum qua melius componi queat pœnitens, cuius cum palma affines accipe qualitates.

Pœnitentia deforis austera.

Palma deforis horrida, & cortice austero præ aliis lignis obiicitur oculis: ita & pœnitens impexus, & vestitu incurio & aspero prodit animum suum procul ab omnibus sensuum illecebris. Hoc habitu Ioannes præconem egit pœnitentiæ. Quippe ex Marco.

Marc. 1.

Erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel siluestre edebat.

Pœnitentis, & palmæ cõparatio.

Hoc cultu nescio voluptatum, & spirante vitam duris ritibus assuetam, Ochozias Rex cognouit Eliam esse, qui dura nuntiarat; vt enim audiit, virum illum esse Zona pellicea accinctum, ex habitu & figura coniecit; virum illum esse Eliam Thesbiten, vitiorum censorem acerrimum. Palma abhorret à fimo; ita & pœnitens refugit cuiusque voluptatis pinguia volutabra. Palmarum folia sunt aptata in modum gladij; ita & pœnitens accinctus est eo gladio, quem venit mittere Christus, nulla fœdera pacis initurus cum sæculo isto nequam. Quisquis enim pœnitentiæ nomen suum dedit, is semper est gladio exerto, vt amputet in se noxij habitus surculos emergentes. Hoc gladio pœnitentes resecare solent pedes & manus, si quando animam in scandala inducant.

Palma quandoque decocta æstu feruido, finditur vsque ad medullam, præter aliàs etiam rimas, quæ desudant. Dum pœnitens animo reuoluit iniqua facinora, quæ patrauit, sacerdotum genibus aduoluitur, & illic prostratus os suum sic aperit in confessione, vt etiam cordis sui medullam prodat, explicando vota sua & affectus abditos, quibus aliàs se obstrinxit. De ratione nimirum integræ pœnitentiæ est, non actiones tantùm extrinsecas, sed etiam cogitatus, seu affectus noxios in confessione verbis congruis aperire. Habet & suas anima rimas, dum pœnitet; oculos videlicet, qui largo fletuum imbre madent. Dicitur enim lacryma, quasi lac in rima, quo lacte tenella pascitur anima recens initiata sacris pœnitentiæ. Palma nulli cedit oneri, sed deorsum inflexa vi aliqua illata, statim sursum erigitur. Eâdem armatur constantiâ anima pœnitens, quam deorsum inclinare tentant illecebræ fortiter abdicatæ. Huc reuoca exemplum Augustini alibi recensitum, cùm memini agones Augustini, cui voluptates inolitæ se adeò præstitère importunas, vt ægrè admodum sese ab eis fecerit expeditum; & hoc beneficio pœnitentiæ, quæ nullis cedit oneribus.

Ex Historia.

Habes hoc tomo, & secundo, & tertio luculenta exempla, quibus probare potes, hominem pœnitentem esse superiorem pœnis omnibus indictis ad sua crimina detergenda.

Theodosij pœnitentia.

In his principem locum tenet is, qui inter Principes summus fuit, scilicet Theodosius Imperator, qui durè acceptus ab Ambrosio, & pulsus Ecclesia, ob cædem Thessalonicæ factam, mulctam sibi indictam à Præsule æquo animo tulit, exemplo suo probans, nihil prorsus esse impossibile animæ pœnitenti.

Mauritij Imperatoris pœnitentia.

Æmulum huius se præstitit alter Imperator, nomine Mauricius, qui Deo castigante crimen, cuius erat ille reus, pulsus imperio, deuenit in potestatem serui sui Phocæ rebellantis, à quo occisus est, visis coram se suis filiis obtruncatis. Vir ille pœnitens facti, totum se ad Dei nutum effinxit, onusque illud graue subiit alacriter. Potes adiicere Pelagiam, Thaim, Mariam Ægyptiam, aliasque famosas mulieres, quæ malè audierunt; & initiatæ ritibus pœnitentiæ, nulli se oneri pœnitentiæ impares ostenderunt.

Cant. 7.

Pœnitentiæ effectus.

In arboribus illud præcipuè conuenit palmæ, quòd scilicet est recta semper, & non intorta, vt plerisque aliis arboribus accidit. Vnde in Canticis animæ electæ habitus ita describitur. *Statura tua assimilata est palmæ.* Hoc etiam sibi peculiare vendicat pœnitentia, videlicet animam aliàs deorsum inflexam, cùm peccauit, sursum erigit, componit ad amussim mandatorum Dei, quibus vt morem gerit, redit in gratiam cum Deo, fitque iustitiæ compos, ac proinde conscia rectitudinis palmæ, iuxta illud Psaltis.

Psal. 91.

Iustus vt palma florebit. In palmis agnoscitur aliqualis sexuum discretio, ita vt mas semper inclinetur ad palmam generis fœminini. Maius sanè prodigium est Deum ad pœnitentem animam cœlitus inclinari. Etenim quotiescumque gemit peccator, toties Deum ad se inflectit. Eamobrem Ioannes vbi aduertit homines malè sibi conscios pœnitere, ait illis.

Luc. 3.

Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Quasi diceret, ô homines nequam, hactenus iacuistis in obscœna vitiorum colluuie procul à Deo, iam pœnitentiæ præsidio erecti, Deum ad vos fortiter inclinastis.

Pœnitentia nulla crimina præterit impunita.

Palma fuit olim symbolum victoriæ, & hoc etiam typo pœnitens homo gaudet: siquidem prostratus olim à numeroso agmine vitiorum, victoriam insignem refert, dum se componit in pœnitentiæ rigidum institutum. Nulli namque vitio indulget pœnitens animus, sed omnibus bellum indicit, & de his triumphum agit. Alioquin est adulterina pœnitentia, quæ à quibusdam resilit, alia verò crimina præterit impunita.

Ex Iure Canonic.

Can. Fratres, de pœnit. dist. 5.

Eò spectat iste Canon. *Falsam pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur: aut cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio.* Talis pœnitentia irrita est, vt & Canon iste clamat.

Can. Ille, de Pœnitent. dist. 3.

Ille pœnitentiam dignè agit, qui, quæ commisit, sic præterita mala deplorat, vt futura non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lauet laterem crudum, quia quantò magis lauerit, tantò magis lutum facit. Vt ergo sarta tectaque sit pœnitentia, nullum prorsus debet excipere vitium, nec præterita crimina refricare, ne in censuram incurrat Canonis huius.

Can. Irrisor, de pœnitentia dist. 3.

Pœnitentia falsa quæ.

Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reuersus ad vomitum, est pœnitens ad peccatum. Multi enim lacrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam, & affectum pœnitentiæ non habere constat, quia inconstantia mentis, nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc verò reuiuiscente vsu ea, quæ fleuerant, iterando committunt. Isaias dicit. Lauamini, mundi estote. Lauatur itaque & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit. Lauatur, & non est mundus, qui plangit quæ gessit, nec tamen deserit, sed post lacrymas, ea quæ fleuerat repetit. Quisquis ergo vult habere dotes palmæ typi victoriæ; is pœniteat, vt Canones isti clamant.

Quot

Quot sint fructus pœnitentiæ, & quales sint.

§. II.

Dactyli quid significent. Ex Philosophia. *Arist. lib. 2. de cœlo, tex. tu 17.*

IN fructibus palmæ nihil omnino vacat, sed nomen & qualitates aliquod arcanum habent, pertinens ad pœnitentiam. Nominantur hi fructus dactyli, fortè quòd similitudinem digiti præ se ferunt: nam δάκτυλος perinde est ac digitus. Illa nomenclatura clamat, pœnitentium actiones debere esse valde operosas, & alias omnino ab eis, quas exerunt homines nullis vnquam vitiis obnoxij. Quod & probari potest isto Philosophi effato. *Vnumquodque est operationis suæ gratiâ.* Vnde sic arguo. Vt se res habet ad esse, ita & se habet ad operari. Sed esse pœnitentis est aliud ab esse hominis nunquam sibi malè conscij. Ergo discolor esse debet vtriusque ritus in agendo, ita vt digiti velut impressi rebus arduis, oculis ingerant opera pœnitentum. Alioquin, si non eminent actiones bonæ, poterunt dici quidem fructus virtutum, sed non fructus digni pœnitentiæ, quales olim Ioannes pœnitentiæ præco congruus expetebat. Ita Augustinus. *Sunt fructus digni virtutum fructus, qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores expostulat, vt sic pacetur Ecclesia, vt pacata dolore & gemitibus, mortuis impetret veniam.*

Pœnitentiæ fructus qui sint. Ex SS. Patribus. *August. lib. de pœnit.*

Vt ergo nobis constet de fructibus pœnitentiæ, sunt conueniendi Patres, vt discamus quid sit pœnitentia. Quippe ex Gregorio. *Pœnitentiam agere dignè non possumus, nisi modum quoque eiusdem pœnitentiæ cognoscamus.* Cuius ideam hanc suggerit Ambrosius. *Pœnitentia est, & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Quia autem planctus ille, non in auras tantùm abit, aërem diuerberans suspiriis, sed se prodit consonis actibus discretè punientibus iniquè facta; Augustinus operæpretium pœnitentiam sic censuit adumbrare. *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse.* Et ne pœnitens aliquando sibi ferias indiceret, hæc subiicit Augustinus. *Continuè dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo quod commiserit peccando. Pœna enim propriè dicitur læsio, quæ punit & vindicat quod quisque commisit. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet.*

Greg. Hom. 34. in Euan.
Ambr. serm. de Quadrag.
August. lib. de vera & falsa pœnit. cap. 8.
Ibidem c. 19.

Pœnitentiæ opera quare indicta. Pœnitentiæ fructus quot sint.

Illa iugis pœna indicta pœnitenti satisfacit iustitiæ Dei: licet enim Deo condonante reatum peccati, culpa diluatur; gratia tamen cœlitus illapsa non obstat, quin anima pœnitens sistenda iudici, pœnis adhuc congruis obstringatur. Quas vt prudenter effugiat, vltro subit onera & mulctas, quibus se subtrahit gladio sæuienti. Pœnæ autem mulplicantur pro ratione obiectorum, quibus iniuria fuit anima delinquendo. Vnde quia peccator Deum offendit, seipsum, & proximum, ideò fructus pœnitentiæ ad tres classes reducuntur. Nimirum oratio, ieiunium, & eleemosyna respiciunt adæquatè obiecta, quæ peccator contumeliâ affecit. Verbi gratiâ, nefarius homo deficiens à Deo, superbè in hunc rerum omnium Dominum insurrexit. Si pœnitet, erectum hoc supercilium iam deponit, & humili oratione fusa pronus conciliat sibi Deum, quem distentus typho nimio prouocarat.

Vide Dauidem reducem Deum ita conuenientem. *De profundis clamaui ad te, Domine.* Dæmonis æstu percitus homo rapitur ad excelsa, quando peccat: sed statim atque pœnitet labitur ad profunda, Deum humiliter deprecans. Rursus homo illectus suauitate voluptatum, gratiâ Dei excidit, sibique proinde fecit iniuriam tantam, quàm potuit maximam, in se perimendo bonum, quod potuit esse æternum. Noxiæ huic illecebræ ieiunium decernitur, vt congruum antidotum: nomine ieiunij intelligo quidquid facessit negotium carni, vt sunt vigiliæ, cilicium, durius stratum, & cætera id genus supplicia decreta carni, vt quæ delinita fuit dulcedine voluptatis, ad pristinum gratiæ statum redeat amarore. Demum proximus quandoque læditur, & id multifariàm; vt in propria persona, eum feriendo; vel in bonis fortunæ, ea iniquis artibus abstrahendo; aut in fama, illius bono nomini detrahendo.

Psal. 129.

Pœnitentiæ opera opposita peccatis.

Illis omnibus dispendiis occurrit eleemosyna multiplex. Tot enim eius genera sunt, quot restituendi modi. Vt qui reuocando notas infamiæ, quas inussit proximo suo falsa dicens, iam consulit eius famæ; ille genus eleemosynæ insignis impertit homini, quem traduxit. Qui verò turgentes habet loculos malè partis, & ignorat dominos legitimos opum, quas congessit; ille absoluit pensum suum, si æs illud alienum liberali manu in pauperes erogauit. Ex præfatis liquet fructus omnes pœnitentiæ concludi optimè numero ternario, vt Augustinus insinuat hoc contextu, vbi delineat agones strenuos hominum pœnitentum. *Ponat se omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente paratus sit facere, pro reparanda animæ vita, quæcumque faceret, pro vitanda corporis morte, & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam vt Deus. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Semper deprecetur Deum, certus de venia, qui omnibus modis, & sine tædio dubius rogaret potestatem terrenam. Abstineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrij commisit illicita. Semper offerat Deo mentem, & cordis contritionem, & deinde quod potest de possessione, tunc quod offert, securus offerat. In iudicio enim cordis considerandα est eleemosyna tribuentis, nec iam considerandum est, quantum, sed qua mente, qua affectione dat, quod potest.*

Pœnitentis hominis quale debeat esse propositum.

August. lib. de pœnitentia. Pœnitentiæ perfectæ descriptio.

Cùm audis ab Augustino, debere pœnitentem abstinere à licitis, cogita ieiunium & alia corpori ingrata: eleemosynam, & orationem textus satis superque clamat; sicque fructus pœnitentiæ ternario numero concluduntur. Potest & pœnitenti aptari partitio fructuum arborum, quas frugiferas excolimus. Partem fructuum volucres secum rapiunt in æthera. Pars alia matura deorsum cadit in manus hominum, qui arborem succutiunt. Reliqui verò fructus adhærent arbori tenaciter. Ita & in serie fructuum pœnitentiæ, pars rapitur ab Angelis; qui sunt volucres cœli, deferentes ante thronum Dei hominum vota & orationes humili & anhelo corde fusas. Pauperes quandoque importuni, ita homines suis precibus exagitant, vt plerumque ab inuitis stipem extorqueant; sicque fructus aurei, & maturi cadunt in manus, eo intento iugiter explicatas. Denique horrida & austera suppellex

Pœnitentiæ fructus colliguntur ex partitione fructuum qui apud nos sunt.

pœnitentiæ

pœnitentiæ hominem pœnitentem stipat, & eum solum afficit, vt ieiunia, cilicia, aliàque austera, macerandæ carni cœlitus instituta.

Alij, quibus opimus ager vberem fructuum prouentum adfert, collectos fructus in tres diuidunt cumulos, quorum vnum Deo dicant, dando Ecclesiæ primitias. Alios verò cumulos diuidunt cum amicis. Fructuum pœnitentiæ pars Deum spectat, scilicet oratio. Alia pars pertinet ad amicos, scilicet pauperes, quos facimus nobis amicos de mammona iniquitatis, vt recipiant nos in æterna tabernacula. Portio denique tertia superstes cedit in vsus animæ pœnitentis, ieiuniis, & aliis acerbis pœnitentiæ ritibus assuetæ.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Quàm salutares sint effectus fructuum pœnitentiæ.

§. III.

Pœnitentiæ fructus quàm sint salutares.

PAlma licet cortice aspero & foliis in similitudinem gladij aptatis nihil nisi horridum ingerat oculis; fructus tamen edit persuaues singulari quadam dulcedine conditos: imò in re Medica dactyli vtiliter sæpius vsurpantur. Etenim electuarium diaphœnicum pro basi sua (vt loquuntur Medici) dyctalos habet: vnde & nomen accepit à fructibus palmæ, nempe palma Græce φοῖνιξ nuncupatur. Olim diaphœnicum à Medicis imperitis fiebat ex dactylis in aceto maceratis: sed Fernelius hanc methodum damnans, quia horridum saporem præ se fert, sic decreuit parari electuarium illud. *Recipe pulpa palmularum mundatarum ex hydromelite cocta, & cribro creta, penidiorum recentium libram semis ana: amygdalarum expurgatarum ℥ iij sem. contusis & permistis omnibus adde mellis expumati libras duas*, &c. Mellita illa descriptio electuarij nuncupati à palmæ fructu notat suauitatem fructuum pœnitentiæ, quos Epicuri de grege sues fastidiunt, velut insuaues, & aceti aspergine ingratos, sic ab esu & vsu fructuum illorum homines abstrahentes.

Ex MEDICINA. Fernel. lib. 7. Methodi medendi.

Pœnitentiæ fructus perquã suaues.

Non inficior, primo obtutu palmam suggerere acerbum quidpiam & horridum; sed illa omnis suspicio austeritatis illi perit, qui fructuum eius dulcedine recreatur. Vecordes amasij voluptatum horrent, facti obuiam homini pœnitenti; habitus nempe austerus, macilentus oris habitus, caput impexum & cætera crucem clamant. Cruces quidem vident, sed non vnctionem. Vidi ego plures etiam tyrones in pœnitentiæ disciplina, ea suauitate delinitos, dum fructus illos carperent, vt nihil prorsus iniucundum saperent in vigiliis, ieiuniis, prolixis orationibus, & aliis argumentis pœnitentiæ, quæ horrore afficiunt homines mancipia vilia voluptatum. Eaque suauitas ita capit neophytos, vt præcipua directorum cura sit nimium hunc ardorem restinguere, corpora ne fatiscant. Videndus in eo themate Climacus enarrans historias, quæ superant hominum fidem.

Climacus gradu de pœnitentia.

Suauitas illa fructuum palmæ vnctuosa est; hæc qualitas oleaginosa misericordiam sapit: quisquis enim pascitur his dactylis, is abundè vngitur misericordia Dei, & experitur in se virtutem illam, quam Fernelius diaphœnico affingit,

Fernelius vbi supra.

sic commendans illud electuarium. *Diaphœnicum bilem, crudamque pituitam, atque etiam lentam clementer expurgat, compositis atque etiam diuturnis febribus, & morbis ex cruditate ortis, & colico flatulentoque dolori aptum.* Quidquid amarum residet in anima vitiis obnoxia, illud illico secernitur beneficio pœnitentiæ, vt experiuntur omnes, qui pœnitentiæ fructibus assuescunt. Quamuis enim diris antea stimulis agerentur conscientiæ malè sibi consciæ; animus eorum inquies vbi se accinxit ad sacra pœnitentiæ, composuit feros æstus, quibus antea ferebatur in præceps & abruptum desperationis. Quàm sit gratum illud synderesis seu bilis importunæ repurgium, norunt omnes, qui procellosâ olim conscientiâ, iam placidâ perfruuntur. Cùm audis, secerni bilem; cogita, cum stimulis consciẽtiæ protrudi foras etiã omnia crimina perpetrata. Pœnitentia nimirum suis omnibus absoluta numeris, scopas inducit in animam; quæ proinde emundatur à cunctis fæcibus; nullas enim patitur sordes anima pœnitentis. Imò ex Augustino, licet pœnitens immemor sui denuo peccet; pœnitentia repetita suos exerit effectus, vtique salutares.

Pœnitentiæ fructus sunt cathartici, id est, purgatiui.

Accipe ex Doctore illo emerito virtutem pœnitentiæ. Sic ille. *Instant perfidi, qui sapiunt plusquam oporteat; non sobrij, sed excedentes mensuram. Dicunt enim: etsi semel peccantibus post baptismum valeat pœnitentia; non tamen sæpe peccantibus proderit iterata: alioqui remissio, ad peccatum esset incitatio. Dicunt enim; quis non semper peccaret, si redire semper posset? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, si semper pœnitentibus subueniret, & etiam ei placere peccata, quibus semper præsto est gratia. Errant autem, imò constat ei multum peccata displicere, qui semper præstò est ea destruere. Si enim ea amaret, non ita semper destrueret, sed conseruaret, atque, vt sua munera, foueret. Semper destruit peccata, quæ inuenit, ne soluatur quod creauit, ne corrumpatur quod amauit, &c. Quòd autem Dominus multos cæcos, & diuerso tempore illuminauerit, & multos debiles confortauerit, ostendit in diuersis illis eadem sæpe peccata dimitti, vt quem prius sanauit leprosum, alio tempore illuminet cæcum. Ideo etiam tot sanauit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos, ne desperet de se peccator: ideo non scribitur aliquis nisi semel sanatus, vt quisque timeat mergi peccato. Videmus adhuc quotidie in Ecclesia sæpe febricitãtes, sæpe lãguidos, sæpe passionibus captos, sæpe liberari, vt appareat toties opus miserantis, quoties confessio fit pœnitentis. Quomodo enim corpus, quod vilius est, & ab ipso dissimilius sæpe sanaret, & animam digniorem, & redemptam, non toties liberaret? Medicum se vocat, & non sanis, sed malè habentibus opportunum. Sed qualis hic Medicus, qui malum iteratum nesciret curare?*

Ex SS. PATRIBVS. August. lib. de pœnitentia.

Pœnitentia potest sæpius & vtiliter repeti.

Vt Fernelius ait, diaphœnicum valere ad secernendam bilem, & lentam pituitam, & ad sedandum dolores acutos colicæ passionis, dissoluendo flatus, quibus viscera distenduntur; ita & pœnitentia salutaris est, etsi condonata olim vitia refricentur. Hanc singularem pœnitentiæ vim demiratur Augustinus. *In tantum (inquit) hominum iniquitas aliquando progreditur; vt etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel grauiora committant.*

August. epist. 54. ad Macedonium.

mittant. Et tamen Deus facit etiam super tales oriri Solem suum, nec minus tribuit, quam antea tribuerat largissima munera vitæ, & salutis. Prægrauata corpora humore noxio, cùm beneficio pharmaci opportunè indicti suas deposuere fæces, vegetiora fiunt, etsi medicamen viscera contorserit. Profectò pœnitentia reprobis vtilior est: quippe licet ingrata sit sensibus; congruè tamen adhibita facit animas illico rediuiuas. Vnde & stuporis argumentum accipiunt Sancti omnes, meditantes hominum ignauiam, qui cunctantur vsurpare remedium illud curandis omnibus vitiis institutum.

Basilius homil. 13. inter varias, tom. 1.

Sic Basilius huiusmodi homines increpat *Si quis Medicus commentus, ac machinis quibusdam te iuuenem è sene reddere susceperit, ad eam profectò diem omni studio venire curares, in qua ætati florida te restituendum videres. At nunc cum animam tuam, quam omni scelere contaminatam reddidisti, per pœnitentiam renouari denuntietur, tantum despicis beneficium, nec vltro properas, aut id pollicenti sis obuiam? Num non tanti muneris rem miram videre desideras? Quomodo vetus homo, ac secundùm desideria erroris corruptus, rursus in pubertatem, ætatisque florem reconcinnetur? Pœnitentia igitur est captiuorum, & æris alieni remissio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, cæli iter, regni cælestis reconciliatio, adoptionis gratia. Tantis itaque ac talibus bonis, miser, potiorem ducis voluptatem? Noui enim tuam cunctationem, atque pigritiam. Ipsa enim facta, etsi taces, contra clamant. Mitte, inquis, supersede, interim carne ætatisque flore abutar, in luto voluptatum, porcorum more, volutabor, manus sanguine fœdabo, alienum auferam, dolosè ambulabo, peierabo, mentiar. Tunc denique cùm satur ero, malis desistam, ac pœnitebo. Si ergo res honesta est peccatum, hoc vsque ad extremum custodi. Si patranti turpis ac nocens, quid in eo perseueras, quod perniciosum est? Nullus enim bilem euomere quærens, maiorem eam ex mala intemperantique diæta reddere cogitabit. Corpus namque malis grassantibusque purgari humoribus, ne morbus conualescat, est opus.*

Pœnitentiæ encomia & effectus admirabiles.

Peccata morbis comparata.

Congrua sanè est metaphora Medicinæ ad recensendos effectus pœnitentiæ: omnia siquidem peccata reducuntur ad tria capita, quæ notantur à Fernelio recolente, ad quid diaphœnicum sit vtile. Nempe malorum omnium summa est penes superbiam, luxuriam, & auaritiam. Superbia flatuosus est morbus, quem discutit diaphœnicum pœnitentiæ: nam oratio, vt præfatus sum, hominem prosternit, & sic humilitate typhus deprimitur. Adiecit Fernelius, purgari bilem electuario illo composito ex dactylis: bilis illa sitim excitans importunam, refert ingenium auaritiæ, quæ sitibunda sugit opes, in quas iugiter anhelat. Eleemosyna prudenter indicta secernit bilem illam, & restinguit sitim illam. Demum ait Medicus ille regius, pelli etiam præfato remedio lentam pituitam, qua stabulante fiunt corpora pigriora. Restagnans hæc pituita, fæcibus stomachum infarciens, est febrium putridarum parens, ac proinde notat libidinem, quæ obscœna colluuie respergit corpus hisce sordibus obnoxium. Ieiunio indicto lubricis, validè occurritur humori iniquo atque prurienti quo titillata ante corpora desudabant. Vnde si dæmon quandoque furit, & homines malè afficit, conductis prælibatis vitiis, videlicet, superbiâ, auaritiâ, atque luxuriâ; pœnitens anima fructus edendo dignos pœnitentiæ tempestiuè sibi consulet contra triplicem illam nequitiam, quæ tota diluitur oratione, eleemosynâ, atque ieiunio, pœnitentiæ fructibus vsurpatis.

Corona gloriæ pœnitentibus decernitur.

Esto salutare sit pharmacum illud descriptum à Fernelio ex fructibus palmæ; est tamen infra facultates, quibus præpollent tres fructus pœnitentiæ: nam hi Deo miserante salutem æternam animæ conciliant, cui proinde potes aptare symbolum à me in alio argumento alibi recensitum, cùm memini hominem depingentem tridentem, cui corona desuper imminebat, hoc titulo. TRINO RAPTA LABORE. Quisquis enim aspirat ad coronam gloriæ, tridente hoc armetur contra vitia, quæ gressus hominis audentis ardua remorantur. Superbiit homo, aliena rapuit, & in Venerem fractus obscœnè vixit: ita sauciatus nequit assurgere ad gloriam; sed oret, eroget pauperi stipem, & ieiunet; sic fiet voti compos; nam oratione, eleemosyna, ieiunioquè plagis omnibus occurritur, quibus anima vulneratur. Imò & corona gloriæ est hoc TRINO RAPTA LABORE. Non ergo deterreat hominem pœnitentiæ habitus exterior, cùm effectus eius adeò proficui ditent animam summo bono. Vtque alacrius anima deglutiat asperos fructus pœnitentiæ, commodum erit meminisse prostare dulcia acerbis, & ipsas etiam mundi voluptates carè à reprobis emi. Fauet & symbolum istud palmæ recensitum à Villaua. FRVCTVS QVIA DVLCIS ET ASPER. Quasi diceret, asperitatem palmæ dulcedine compensari. Si ergo aliquis tenetur cupidine suauitatis, qua pœnitens anima perfruitur; is fortiter se accingat ad austera omnia deuoranda.

Pœnitentiæ suauitas mista est austeritate.

Ex SYMBOLIS. Franciscus Villaua lib. symbol.

Hac suauitate inebriatus Augustinus oblitus est acerbitatem fructuum pœnitentiæ, vt videre est hoc contextu, vbi gestiens Deum sic compellat. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: laudet te cor meum, & lingua mea; & omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Quis igitur ego, & qualis ego? Quid non mali ego? an facta mea, & si non facta, dicta mea, aut si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem, Domine, bonus & misericors, & dextera tua respiciens profunditatem mentis meæ, & à fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Et hoc erat totum, nolle quod volebas, & velle quod volebas. Sed vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leui tuo iugo, Christe Iesu adiutor meus, & Redemptor meus? Quam subitò suaue mihi factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera & tu summa suauitas, eiiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi, & volutandi, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ Domino Deo meo.* Pluribus agit illic Augustinus commemorans delicias animæ pœnitentis, quas cautè notat non posse intelligi ab homine, cui deliciæ carnis & sanguinis illuserunt. Toto quippe cœlo dispescuntur ab inuicem voluptates corporis, & animæ. Si ergo dæmon suo susurro

Ex SS. PATRIBVS. August. lib. 9. confess. cap. 1.

Pœnitentiæ suauitas non percipitur ab homine carnali.

susurro quempiam conatur auertere ab esu fructus alicuius pœnitentiæ, quia acerbè sapit corpori, ille audacter respondeat dæmoni susurranti. FRVCTVS QVIA DVLCIS ET ASPER.

Pœnitentiæ effectus & encomia. *August. lib. de vera & falsa pœnitent.* Pœnitentia quàm sit salutaris.

Præter suauitatẽ illam, quam abundè meminit Augustinus, accipe & encomia eiusdẽ in gratiam virtutis fructuum pœnitentiæ. *Pœnitentia vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat, omnia redintegrat, omnia lætificat. Ignorans se, per hanc se recognoscit, quærens se, per hanc se inuenit. Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit creatori. Ista ouem perditam monstrauit quærenti, & decimam drachmam obtulit anxianti. Hæc dissipatorem filium ad patrem reduxit, & vulneratum à latronibus, custodi curandum reseruauit. In hac omne bonum inuenitur, per hanc omne bonum conseruatur, fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia, ipse ignis consumens. Super hoc bonum innixus, fortis esse poteris ad omnia bona, &c. Vt ostenderet Dominus, pœnitentiam non sterilem esse, sed digne fructificare, dixit; Facite fructus dignos pœnitentiæ. Qui enim maluit misericordiam, quàm sacrificium, non expectabat mortem peccatoris; sed vt conuersus viueret.* Macte igitur, Christiane cogitans de meliore fruge. Habes ad pœnitendum duo maxima argumenta, suauitatem scilicet, & salutem.

Quâ cautelâ condiendi sint fructus pœnitentiæ.

§. IV.

Pœnitentiæ fructus debent edi in charitate.

COquina tota intenta gulæ cupediis, cibos etiam insipidos mensis apposuit, & suaues fecit addito condimento; alias verò suaues escas condiendo fecit aptiores ad corpora vegetandum. Habent & cibi spirituales sua condimenta, vt sortiantur effectum, quem anima intendit. Verbi gratiâ, fructus pœnitentiæ non incautè carpi debent, nec imprudenter edi, alioquin virtute cadent, qua maximè possunt. Prima cautela obseruanda est, fructus omnes pœnitentiæ debere coctos edi, ne si assumantur crudi, dentes hominum obstupescant. Coctio illa petit ignem charitatis; ita vt dicere, fructus pœnitentiæ coquendos esse, perinde sit, ac affirmare, orationem, ieiunium, & eleemosynam debere frequentari ab anima nescia peccati lethalis, quia non proficiunt ad gloriam bona opera à reprobis exantlata. De hoc luculentum est hoc Psaltis effatum. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Tres simul fructus pœnitentiæ meminit ipse Deus, monens, eos esse prorsus acerbos, & quasi ineptos ad conciliandam gratiam, si in statu peccati ab impiis vsurpentur. *Psal. 65.*

In eo argumento locuples est textus iste Isaiæ, vbi querula voce gemunt quidam, quia Deus eorum orationes, vota, & eleemosynas, atque ieiunia præterierat vt irrita. Tota responsionis diuinæ summa fuit, displicere Deo opera quæ adiuncta habent crimina lethalia. Ecce dialogum. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum suum caput, & saccum, & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam.* Nihil elimatius in eo themate recenseri potest. *Isaia 58.* Voluntas propria bona opera inficit.

Pœnitentiæ fructus singuli suas habẽt cautelas.

Singuli quique fructus sua etiam condimenta petunt, præter charitatem, qua feruida concoquuntur. Oratio, verbi gratiâ, vult accingi attentione atque perseuerantia: frustrà enim lingua preces multiplicat, si à Deo procul animus abstrahatur. Cùm enim oratio sit ascensus mentis in Deum; ille non orat, qui descendit animo ad terrena, quæ reuoluit. Ieiunium ad hoc vt sit vtile & Deo acceptum, debet esse discretum, & non adeò extremum, vt corpus omnino deficiat: domari quippe debet corpus, & non penitus enecari. Itaque discretio sit ieiunij condimentum, nec ad arbitrium suum inediam sibi pœnitentes indicant, sed directoribus suis morem gerant: maioris enim est momenti ieiunare ad nutum superioris, quàm suo dictamine cibis omnibus abstinere. Sic enim condiendæ sunt eleemosynæ vt discretè fiant. Non enim probo, coniugatos ita effundi in pauperes, vt suorum sint filiorum immemores, & nullam eorum curam agant, eam omnem deponentes penes prouidentiam Dei. Quasi verò Deus teneatur edere miracula ad nutum hominum imprudentum. Quia rari sunt homines impingentes in hos scopulos; non est in errorem illum asperè declamandum. Oratio sit attenta. Ieiunia sint discreta.

Præcipuus eleemosynæ cardo vertitur in hoc, vt scilicet eleemosyna fiat de bonis benè partis & Dei solius intuitu, ne aura popularis ventilet illum fructum pœnitentiæ, & corrumpat. Eò spectat illud effatum Salomonis. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua.* Quem locum ita versat Hieronymus. *Multi multa pauperibus, sed de aliena substantia ac frugibus, quæ vi vel fraude rapuerant, tribuunt. Multi largiuntur de suo; sed largiendo Dominum non honorant, quia fauoris humani, & non amore superni inspectoris faciunt. Qui ergo proficuum sibi eleemosynæ fructum fore desiderat; & de suis propriis, & in conditoris honorem tribuat.* Homo pœnitens illo ritu, multis à Deo gratiis afficitur, ex Ieremia sic prophetante. *Benedictus vir, qui confidit in Domino.* Id est, qui pœnitentiam agit, benedictus est vir. Nam בטח batach significat confidere, & pœnitere; quia qui pœnitet, habet fiduciæ maximum argumentum. Pergit Vates. *Erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando*

Eleemosyna fiat de bonis benè partis & ad Dei gloriam. *Prouerb. 3.* *Hieronym. lib. 1. in cap. 3. Prouerb. 10. 7.* *Ierem. 7.*

Cant.7.

aliquando desinet facere fructum. Dixi, pœnitentem esse palmam fructiferam, ad hanc palmam Sponsus Canticorum alludit dicens. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructum eius.*

Pœnitentiæ ritus belle figuratus in festo tabernaculorum. Leuit. 23.

Idea hæc pœnitentis, quam expressi sub symbolo palmæ, refricat memoriam festi tabernaculorum à Deo instituti hoc ritu. *Erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Sumetisque vobis die proximo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, &c. & lætabimini coram Domino Deo vestro, celebrabitisque solennitatem eius septem diebus per annum, &c. Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis septem diebus. Omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis.* Pœnitentia eo fine indicta est homini, vt eius obsequio sibi æterna tabernacula constituat: atque ita qui pœnitet, vt par est, is se accingat ad obseruandum ritum festi tabernaculorum. Mensis septimus, & dies septem assignati festo illi suggerunt, esse sacramenta frequentanda pœnitenti: quippe numerus ille septenarius concludit omnia sacramenta. Non est itaque subeunda pœnitentia, vt virtus est dicens habitum animæ pertæsæ suos actus nefarios, & proponentis facinora sanctiora: sed est vsurpanda pœnitentia, vt est Sacramentum coalescens ex contritione, confessione, & satisfactione. Quæ tria quadrant his, quæ palmulis adiiciuntur à Fernelio describente electuarium anteà recensitum. Ille commemorat amygdalas. Arbor illa fructum profert ad modum cordis compositum. Folia eius figuram linguæ delineant. Flores quintuplici sectione discriminati manum referunt explicatam. At tria hæc, cor, lingua, manus, significant contritionem, confessionem, & satisfactionem, quibus constat pœnitentia, vt est Sacramentum.

Fernel. lib.7. de methodo medendi.

Pœnitentia vt virtus, est alia à pœnitentia, vt est sacramentũ.

Quisquis igitur vult prouidere sibi æterna tabernacula, recolat hunc numerum septenarium, id est, pœnitentiam eatenus sectetur, quatenus est Sacramentum. Sumat die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, id est, pœnitens non cunctetur foras educere fructus pœnitentiæ, sed ipso momento quo pœnitere incipit spatulas palmarum explicet. Spatulæ palmarum sunt folia in modum gladij concinnata. Vnde pœnitentem sumere spatulas palmarum, perinde est ac gladium mortificationis exerere, vt rescindat omnes iniquæ indolis surculos emergentes. Habitat in vmbraculis ille quem pœnitet, vtpote procul ab æstu vitiorum, quibus anteà conflagrabat. Demum. *Omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis.* Id est, quisquis pertinere volet ad populum Dei, ille celebrabit hoc festum pœnitentiæ. Nam ex Augustino, licet conscientia non reclamet; nemo tamen sine pœnitentia debet è viuis excedere. Quippe rami pulcherrimæ huius arboris scilicet pœnitentiæ, ea facultate valent, qua poterat arbor illa commendata Æneæ à Sibylla, monente vt carperet ramum aureum, si tutò vellet contendere ad Elysios campos, omnibus intios, qui sine ramo carpunt iter

Pœnitentiæ partes figuratæ in amygdalo.

Elysios campos adire nefas sine ramo aureo. Virgil. lib. 6. Æneid.

ducens ad stationem beatorum. Sic illa Vates Æneam affata est meditantem adire viam hanc præfatam.

Accipe quæ peragenda prius; latet arbore opaca
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus sacer, hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudũt conuallibus vmbræ.
Sed non antè datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo auulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.
Ergo altè vestiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu: namque ipse volens, faciles que sequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.

Pœnitentiæ rami sunt aurei, primò propter eleemosynam, quæ & ipsa recolitur inter fructus pœnitentiæ. Secundò dicũtur aurei, quia animam ditant affluxu omnium gratiarum. Vno auulso non deficit alter ramus: quia pœnitens nullum sibi modum imponit pœnitendi; sed vberes semper, & affatim profert fructus pœnitentiæ. Qui vltro volentes facilesque sequuntur eos, quos Deus illâ gratiâ dignatur, vt pœniteant. Alioquin frustra prædicator omnes suos contendit neruos, vt inducat homines ad decerpendos illos fructus: hoc enim non fit viribus vllis, sed duntaxat Christo Domino miserante, cuius & nos operæ-pretium est æmulari exemplum, in portando ramo pœnitentiæ. Ille nimirum acerba omnia, & duriora passus, egregium virtutis huius specimen edidit, vtpote subiens austera omnia munia pœnitentis.

Pœnitentia non viribus vllis suadetur sed Deo tantum miserante frequentatur.

Faxit Deus vt Christiani omnes, audito hoc Christi exemplo, erga eum afficiantur sicuti milites Abimelech erga ducem suum, qui præciso ramo, suum omnem exercitum prouocauit ad simile facinus, & obsequio ramorum de Sichimitis egregiè triumphauit. Ita sacer textus. *Abimelech audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arrepta securi, præcidit arboris ramũ, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videritis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium succenderunt: atque ita factum est, vt fumo, & igne, mille homines necarentur.* Christus forti animo ascendit montem Caluariæ, baiulans sibi Crucem arborem pœnitentiæ. Quid moramur, & quid obstat, quin morem geramus Duci nostro sic hortanti. *Quod me videritis facere, citò facite.* Siue quod perinde est. *Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Si nos aliqua cupido triumphandi tenet, certatim ramos pœnitentiæ succendemus, vt æmuli Ducis huius, victoriæ reportatæ, cum eo præmia partiamur.

Abimelech præcisis ramis triumphat. Iudic. 9.



DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

HOMILIA QVINTA.

SVMMA HOMILIÆ.



VBI liquida viget rerum omnium notitia, illic prouidentia deuiare nequit, sed congruè omnia disponit, & dirigit ad finem consonum vnicuique rei. Cùm ergo Deus sit omniscius; eius etiam est, prouidere rebus, appositè decernens idonea media ad finem assequendum. Non est in Deo desideranda illa prouidentia: quippe lucet, & radios suos diffundit orbe toto. Præcipuum huius prouidentiæ argumentum ad homines spectat, vtpote editos ad supremum finem, id est, ad participandam gloriam Dei. Ne autem media instituta ad hunc finem viderentur esse incongrua, Christus ipse ea subit.

§. I. Itaque prima parte istius homiliæ dicam, vitam Christi totam fuisse in gladiis, & ærumnis; quia angustiæ sunt media aptissima ad æterna præmia consequenda.

§. II. Subnectam, afflictiones seu cruces gloriam Christi propagasse.

§. III. Secunda vero parte homiliæ ostendam, sinceros Christi discipulos æquo animo subire ingruentes molestias, vtpote variis Crucibus assuetos.

§. IV. Demum concludam, angustias conducere ad gratiæ & gloriæ incrementum.

PRÆFATIO.

Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Luc. 2.

Neroni prædictum imperium.

CARRVLI quidam Astrologi inspecto themate cœli eo momento, quo Nero primam lucis vsuram accepit, male ominati sunt matri eius. Quippe nugaces illi iactantes, se conscios esse rerum futurarum, dixere Neronem fore Imperatorem, sed matricidam. Mulier illa velut assurgens in cothurnos, & distenta flatu superbiæ, vtpote anhelans ad titulum matris Imperatoris dicitur exclamasse. Occidat, dum imperet. Amans, & simul amens illa mater incuria fuit vitæ sua, vt suo sanguine litaret gloria Principis inhumani. Sanctum sanè fuit propositum Deiparæ Virginis: illa siquidem quadragesimo die à partu suo, accepit à Simeone Vate annoso, filium suum fore prapotentem, ita vt penes se haberet imperium mortis. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum. Sed vt læta omnia infausto exitu nigricant, subiecit Simeon, filium & matrem aliquando eodem doloris gladio penetrandos. Non infremuit fortis & impauida Heroina; sed meditans gloriam Christi positi in resurrectionem multorum, floccifecit vitam suam, vt velificaretur gloria Christi Redemptoris, cui sciebat, gladium illum, id est, Crucem debere adiicere locuples incrementum. Cùm itaque res sint socia, Crux, & Maria, nefas est loqui de Cruce, Mariâ insalutatâ. AVE MARIA.

VT prouidentiæ negotium est, singula quæque in finem dirigere; ita & ad eam pertinet aptare media congrua præstituto fini. Cùm ergo Deus hominem ediderit ad participandam gloriam suam, operæ-pretium fuit eum instituere mediis idoneis ad finem illum, ne ab eo summo bono imprudens anima deuiaret. In his mediis principem locum tenent ærumnæ, quibus hoc æuum omne respergitur. Si namque ad arbitrium hominum omnia prospera succederent, fortè afflati secundâ nimis aurâ, cœli immemores, & perciti iniquo amore huius sæculi, aliò transfretarent. Huic præfato discrimini Deus egregiè cauit, probè nimirum callens, quàm facilè delinitur homo rebus factis ad illecebras sensuum, ne his immoraretur animus suæ salutis incurius, læta omnia tristibus interpunxit. Eo intento rosa spinis armata ferit cultores suos, si manu incautâ carpitur. Ita & media æstate plerumque dies serena, cui prælusit aurora ridens, tristior efficitur, quia mugiente cœlo Sol rutilus aëre desudante, & concusso flabris, densis nubibus opacatur. Item placido sæpe mari ludunt nauigia quæ subita tempestate oborta cito citiùs absorbentur. Et ne spatier inductione factâ per singula; satis erit applaudere Vati, cuius est hoc effatum.

——— Nulli sincera bonorum
Sors vnquam est concessa viro.

Vita hominum quare mista sit ærumnis.

Quo argumento discolor illa rerum contextura vitam hominum afficiat, eruditè docet Gregorius, ita fatus. *Electis suis ad se pergentibus Dominus iter asperum fecit; ne, dum quisque vita præsentis requie quasi amœnitate via pascitur, oblectatus in via obliuiscatur quod desiderabat in patria.* Noluit Christus excipi à lege illa indicta generi humano, sed vitam egit multis angustiis, intertextam. Idcirco hodie gestientibus cunctis Christo inducto in templum, Simeon mente præscia

Gregorius lib. 23. Moral. c. 15.

præscia dixit, vitam pueri huius fore gladijs obnoxiam; & eumdem infantem, cui tunc applaudebant omnes, liuidos etiam multos æmulos habiturum. Sic ille Mariam affatus est. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur; & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Lucas autem scriba sacer, sic hanc concludit historiam. *Vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilaam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autē crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* — Luc. 2.

Quare autem discursum de ærumnis concludat, mentione facta incrementi, suspicor ego hanc esse causam, quòd scilicet aduersa æquo animo tolerata ditent animas, adiecto eis magno cumulo gratiarum. Et hoc erit argumentum homiliæ istius. Dicam prima parte, totam Christi vitam fuisse in gladijs, id est, in laboribus, atque molestiis. Adijciam, creuisse apud homines Christum hisce angustijs, orbe toto Crucis gloriâ propagatâ. Secunda verò parte dicam, sinceros Christi discipulos esse positos in signum, cui contradicatur, & totos esse in gladijs. Demum imponam colophonem isti homiliæ ostendendo, quantùm adijciatur gratiæ his, qui mortificationis & ærumnarum gladijs accinguntur. — Diuisio homiliæ

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Vita Christi tota fuit gladijs, id est ærumnis, obnoxia.

§. I.

DAVID, Simeon, & Ioannes Apostolus commemorantes Christum, meminêre gladij, tanquam rei inseparabilis à Christo, quem Psaltes sic compellat. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Quasi diceret, gladium decere Christum eo nomine, quòd sit potentissimus. Simeon non femori Christi imponit gladium, sicuti Regius ille Vates, sed animam eius peruadit gladio recensito. Ioannes demum eumdem Dominum ait fuisse sibi obiectum hoc habitu. *Habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Accinctus est gladio super femur, antequam gladius exiret de ore eius. Nam antequam prædicaret, venisse se mittere gladium, & non pacem, ille fuit ærumnis grauibus assuetus, vtpote in laboribus à iuuentute sua. Iustinus ait in quadam familia pueros omnes ab vtero matris attulisse figuram gladij corpori inustam. Christus ipso momento natiuitatis suæ, aëris hyberni iniurias sensit, & vltrò excepit quidquid acerbum fuit, cùm penes eum esset nasci regijs in ædibus, & foueri pānis illi tenellulæ ætati congruis. Et ne ad dolorem acutum deesset ministerium gladij, expertus est quàm fuerit importunus carni gladius circumcisionis. Poulò post extorris coactus est solum vertere, petitus insidijs Herodis in cædem pueruli nequiter anhelantis: vigilijs, inedia, nuditate, & strato duro à teneris vnguiculis erudiuit corpus suum, & quasi exerto gladio rescidit omnia, quæ cōducunt ad suauitatē vitæ. Parum nāque fuit Christo, non peccare; sed præterea hoc sibi pensum imposuit, vt — Christi vita tota in gladiis. — Psal. 44. — Luc. 2. — Apocal. 1. — Christus quare vitam egit gladiis obnoxiam.

experiretur agones, qui faciunt ad coronam gloriæ demerendam. Non quòd anima Christi gloriæ esset expers: nam ipsi Verbo vnita ab instanti suæ creationis conscia fuit gloriæ huius, qua nunc perfunditur; sed vt suo exemplo homines dirigeret ad gloriam.

Theologica ratione liquet intentum Christi subeuntis in corpore suo famem, sitim, frigus, calorem intensum, aliaque ingrata sensibus. Ille nimirum causa fuit exemplaris prædestinationis nostræ, vt Thomas, Bonauentura, Alensis, & Scotus, principes genij scholæ clamant. Affirmare autem, Christum esse causam exemplarem nostræ prædestinationis, perinde est ac dicere, gloriam Christi & eius merita esse exempla gloriæ, ad quam prædestinati sumus, & meritorum nostrorum, quæ conducunt ad salutem. Proinde Deum prædestinare homines, nihil aliud est, nec fuit, quàm statuere ab æterno, vt homines pro suo quique modulo imitarentur merita Christi in hoc æuo, & gloriam in futuro, vt sic essemus ad similitudinem eius compositi, iuxta illud Pauli. *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Rursus, quod primum est, & præcipuum in vnoquoque genere, est mensura cæterorum. At Christus est primus prædestinatorum. Ergo erit specimē & exemplar, ad quod reliqui componentur. Cùm ergo ad gloriam assequendam occurrant obices propè infiniti, atque adeò vita nostra iugis sit militia; operæpretium fuit Christum gladio accingi, & eo prosternere cateruas dæmonum, vt & resecare delicias, quas mundus carni affricat. Alioquin homines inepti ad bellū illud, Marte iniquo cum carne, mundo, & exercitatissimo hoste Angelo refuga decertassent. — Ex Theologia. — Thom. 3. p. q. 24. art 3. — Bonauent. in 3. lib. sent. dist. 11. a. 1. — Alex. Alensis. 3. p. q. 3. mem. 5. — Scot. in lib. 3. sent. d. 19. — Rom. 8.

Circumcisio fuit Christo belli rudimentum, & pubescente ætate virtutum omnium praxis, fuit genus fortioris armaturæ. Demum Passionis acerbæ supremi agones, Christi & inclytæ matris eius corda velut ancipiti gladio permearunt. Exerto fuit semper gladio inuictissimus ille Imperator, nunc facessens corpori suo negotium, aliàs increpando mundum, & in fugam dæmones semper adigendo. Habuit gladium accinctum & strictum, à se resecando omnia corpori suauia. De ore eius exijt gladius vtraque parte acutus, quando homines erudiuit ad mortificationem carnis & animæ, cuius affectus sunt sæpius errabundi. Denique in Passione gladius animam eius pertransiuit.

Romani prælium inituri cum Hannibale Duce veterano, abiecêre suos acinaces, & aptauêre sibi gladios Iberos. Erat hoc genus gladiorum anceps, & accommodatum ad feriendum punctim & cæsim, Romanis anteà incognitum, vt vult Suidas. Sed vt angustiæ omnes suggerunt congrua euasionis argumenta: bellum hoc Punicum omnium grauissimum Romanos adegit ad hanc armaturam nusquam aliàs vsurpatam. Ita & Christus erudire volens Christianos ad congressum cum dæmone pugile vetusto, & peritissimo, arma sibi cudi voluit idonea ad victoriam absolutissimā de mundo, carne, & diabolo reportandam. Eius omnis armaturæ summa fuit penes Crucem, qua punctim stimulans Angelos apostatas, adegit eos ad fugam ingloriam capessendam, vt ipse victor ait. *Ecce princeps huius mundi eijcietur foras.* Vsus est & cæsim hoc gladio, resecando semper à se suauia omnia, quæ delectāt sensibus affricata. — Romani quādo vsurparunt gladios Iberos. — Suidas in voce μάχαιρα. — Ioan. 12.

Crux est fortis armatura.

Ex SS. PATRIBVS.

Huius panopliæ virtutem asseruit hoc contextu. *Confidite, ego vici mundum.* Quasi diceret. Ne terreamini ad occursum hostium, quos ex aduerso feros, & fortissimos intuemini. Meam armaturam assumite, accingimini gladio, quo exerto vici; id est, baiulate Crucem meam. Quàm strenuè se gesserit ille Imperator, hoc doloris gladio instructus, paucis enuntiat Basilius ita fatus. *Conturbati sunt montes in fortitudine eius. Principes sæculi huius, montes dicuntur conturbati in Christi fortitudine, quam ipse in agone, quo decertauit per Crucem contra eum, qui potestatem mortis habebat, ostendit; & velut generosus quispiam athletes exutus vestibus, principatus ac potestates vicit, ostentuique illos habuit confidenter, atque in ligno de illis triumphauit.* Huius & gladij virtutem magni facit Chrysostomus, hoc tenore. *Sola Christi Crux est, quæ dissoluit tenebras, & regnum dæmonum dissipauit, & omnes terrores malignantium abstulit. Decuit splendorem Crucis obcæcare infideles, & illuminare credentes. Crux sanctitatem prouidit.*

Basil. homil. 12. in Psalm. 45.

Chrysost. homil. 3. de Cruce.

Cruce dæmones omnino profligati.

Luculenter etiam in eo argumento spatiatur Origenes; probans, quidquid in orbe valet, illud referre figuram Crucis. Sic ille Crucis encomiastes. *Crux Christi nostra victoria est, illius patibulum noster triumphus, gaudentes leuemus hoc signum in humeros nostros, victoriarum vexilla reportemus, immortale lucrum portemus in frontibus nostris, cùm dæmones viderint, contremiscant: qui aurata capitolia non timent, Crucem timent. Qui contemnunt sceptra regalia, & purpuras Cæsarum, & dapes, Christiani sordes, & ieiunia pertimescunt. Denique in Ezechiele Propheta, cùm Angelus, qui missus fuerat, omnes occidisset, & interfectio cœpisset à Sanctis; illi tantummodo sospites reseruantur, quos. T. Tau littera, id est, Crucis pictura signauerat. Exultemus itaque, fratres charissimi, & ad Crucis similitudinem sanctas in cœlum leuemus manus. Cùm sic nos dæmones armatos viderint, opprimentur. Quando Moyses erectas habebat manus, vincebatur Amalech; si paululum illa conciderent, inualescebat. Antennæ nauium, bellorum cornua sub figura nostra Crucis volitant. Aues quoque ipsæ, quando in sublimiora euehuntur, & pendent per aëra extensis alis imitantur Crucem. Sed & tropbæa ipsa, & victoria triumphorum ornata cruces sunt; quas non solum in frontibus, sed & in animabus quoque nostris habere debemus, vt cùm sic fuerimus armati, calcemus super aspidem & basiliscum.*

Origenes homil. 8. de Epiphania.

Crucem dæmones timent.

Crucis figura in nauibus volucribus, & triúphis adumbrata.

Christus, penes quem fuit optio mortis, vltro voluit occumbere moriturus hoc gladio triumphali, ad quem pertinet hodierna prophetia Simeonis. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Ita Saül suo regali gladio incubuit. Simili fato voluit imponere colophonem vitæ suæ Phaces Atheniensis, quem Plutarchus celebrat ob Lesbum insulam adiectam ditioni Atticæ. Is pro concione, spectante corona ciuium suorum, gladio suo stricto pectus suum aperuit, ratus gloriosam esse mortem partam gladio triumphali. Christus vltro subiit mortem, vtpote oblatus, quia ipse voluit; sicque fidem fecit præsagio annosi Vatis, Deiparam de hoc instante gladio præmonentis.

Luc. 2.

Plutarchus in Nicia. Phaces Dux Atheniensis mortem sibi consciuit.

Crucis obsequio fuit orbe toto Christi gloria propagata.

§. II.

Ex SS. PATRIBVS

PEriti Medici industria est, de vipera, quæ virus infudit, præsens antidotum elicere. Sed longè potior extitit peritia Christi, qui de Cruce sibi ad ignominiam composita, gloriam sibi texuit immortalem. Vnde non citra mysterium est, quòd Lucas post Crucem prædictam puerulo Iesu à Simeone, statim subiecit eiusdem pueruli incrementa. *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia.* Quippe prodigium Crucis fuit, esse argumentum gloriæ insignis Christo Domino crucifixo. Stupet in hoc velut ostento Leo Magnus, ita exclamans. *O admirabilis potentia Crucis! ô ineffabilis gloria Passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi! Traxisti enim Domine omnia ad te; & cùm extendisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit.*

Luc. 2.

Crucis ignominia in gloriá versa.

Leo serm. 8. de Passione Domini.

Eiusdem Crucis amasius Chrysostomus, eleganti oratione pangit encomia illius gladij triumphalis. Quippe prudenter obseruat, euanuisse quidquid in Cruce fuit inglorium, & Crucem Passione Christi insignem, esse gloriæ & triumphi maximum argumentū. Sic ille. *Dominus pepēdit in Cruce; & nos festiuitatem eius nimia lætitia celebremus, vt discamus, Crucem totius spiritualis gratulationis esse substantiā. Etenim ante ipsū vocabulum Crucis, pœna fuit, sed nunc ad gloriam nuncupatur; antea condemnationis ferebat horrorem, nunc salutis indicium est: Crux enim nobis totius beatitudinis causa est. Hæc nos à cæcitate liberauit erroris, hæc è tenebris reddidit luci, hæc debellatos quieti sociauit. Hæc alienatos Deo coniunxit, hæc longè constitutos, Deo proximos præsentauit, hæc peregrinantes ciues ostendit, hæc discordiæ amputatio est, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium largitio abundans, istius causâ nec aulis regalibus habitare prohibemur, quia aditus iam videtur inuentus; nec ardentes sagittas diaboli formidamus, quia fontes inuenimus, quibus earum flamma facilè possit extingui, ideo viduitate carnimus, quia sponsus expectatus aduenit.*

Chrysostom. homil. 1. de Cruce.

Crux gloriæ tessera.

Crux beatitudinis causa.

Rursus ille decurrens eamdem aleam, multus est in elogiis assignandis Cruci, qui tituli omnes redundant ad gloriam Domini crucifixi. Vnde effundi in laudes Crucis perinde est ac celebrare Christum, qui sic omnipotens & Saluator omnibus innotescit. Itaque veridica est illa propositio præfixa clamans, propagatam fuisse orbe toto gloriam Christi, Crucis obsequio. Quisquis enim laudibus effert Crucem, is etiam litat Domino crucifixo. Accipe noua laudis argumenta, edita à Chrysostomo. *Si nosse (inquit) desideras virtutem Crucis, & quanta possum ad eius laudem dicere, audi: Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrænatio diuitum, destructio superborum, malè viuentium pœna, aduersus dæmones triumphus, deuictio diaboli, adolescentum pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, nauigantium gubernator, periclitantium portus, obsessorum murus, pater orphanorū, defensor viduarum, iustorum*

Crucis tituli quàm multi, & gloriosi.

Chrysost. homil. 4. de Cruce.

Crux omnia est omnibus.

iustorum consiliarius, tribulatorum requies, paruulorum requies, virorum caput, senum finis, lumen in tenebris sedentium, Regum magnificentia, scutum perpetuum, insensatorum sapientia, libertas seruorum. Hæc ille, plura congerens eo intento, vt Crux laudibus eueheretur.

Ex Theologia. Thom. 3 parte q. 49. art. 6.

Ad probationem conclusionis, quæ adstruit incrementum gloriæ Christi, facit illud Theologiæ effatum alibi recensitum; videlicet, Christum Crucis opprobriis meruisse suo corpori dotes gloriæ, quibus accinctus postea triumphauit. Audiendus in eo themate Angelicus Doctor, cuius ecce ipsissima verba. *Cum aliquis sibi ex iusta voluntate subtrahit quod debebat habere, meretur vt sibi amplius superaddatur, quasi merces iustæ voluntatis. Et inde est, quod sicut dicitur Lucæ 14. Qui se humiliat exaltabitur. Christus autem in sua Passione seipsum humiliauit infra suam dignitatem, quantum ad quatuor. Primò quidem, quantum ad Passionem, & mortem, cuius debitor non erat. Secundò quantum ad locum, quia corpus eius positum est in sepulchro, & anima in inferno. Tertiò, quantum ad confusionem, & opprobria, quæ sustinuit. Quartò, quantum ad hoc, quòd est traditus humanæ potestati, secundum quod ipse dicit Pilato: Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper. Et ideo per suam Passionem meruit exaltationem quantum ad quatuor. Primò quidem, quantum ad resurrectionem gloriosam. Vnde dicitur in Psalmo. Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Secundò, quantum ad ascensionem in cœlum: vnde dicitur Ephesiorum 4. Descendit primum in inferiores partes terræ: qui autem descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos. Tertiò quantùm ad consessum paternæ dexteræ, & manifestationem diuinitatis ipsius, secundùm illud Isaiæ. Exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde, sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius. Et Philippensium 2. dicitur. Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt scilicet ab omnibus nominetur Deus, & omnes ei reuerentiam exhibeant sicut Deo. Et hoc est quod subditur: Vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Quartò, quantùm ad iudiciariam potestatem: dicitur enim Iob 36. Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies.* Hactenus Thomas.

Passione sua Christus qualem meruerit gloriam.

Ioan. 19. — Psalm. 138. — Isai. 52.

Itaque orthodoxa est & catholica propositio affirmans, Crucem fecisse ad incrementum gloriæ Christi. Si plura desideras in hoc argumento, consule me, secundo Tomo in homilia Exaltationis Sanctæ Crucis; item hoc primo Tomo, vide homiliam Ascensionis, & vtrobique metes opimam segetem rerum, quæ ad præsens faciunt institutum.

Pars Secvnda Homiliæ.

Sinceri Christi discipuli positi sunt in signum cui contradicatur, & toti sunt in gladiis.

§. III.

Ex Historia. Iuliani industria ad obstringendum sibi fidem militum.

Ivlianus in Gallia salutatus Augustus à Romanis militibus, vt eorum fidem sibi arctius obstringeret, exegit ab eis obsequium solennis iurisiurandi sacramento ratum, idque ritu singulari. Ille nimirum milites adegit iurare in nomen suum, & singulos quosque gladio suæ ceruici adiecto verbis conceptis sub dira execratione, sese ipsi Iuliano, & sua omnia deuouere. Ita Ammianus Marcellinus, subindicans Iulianum agnouisse in gladiis diuinum aliquid idoneum ad sanciendum fœdera sempiterna. Ionathas etiam in argumentum amoris indiuidui, fœdus initum cum Dauide fixum credidit, gladium suum dando fideli huic amico suo, vt habes hoc contextu. *Inierunt David & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad balteum.* Christus eodem ritu suos initiauit discipulos: quippe eos accinxit gladio, quem venit mittere in mundum, & quo ipse instructus, de mundo, carne, & dæmone triumphauit. Gladius ille, Crux est. Vnde quisquis proposuit dare nomen suum Christo, ille debet se aptare ad ærumnas, & ad omnia, quæ facessunt corpori negotium. His enim molestiis Christus vt forti armatura instructus, pugnandi, & vincendi indubia præstitit argumenta.

Gladius assumptus ad iusiurãdum. Ammian. Marcell. l. 21.

1. Reg. 18. Crux gladius est Christi.

Iulianus conclamatus Augustus, gladios militum voluit esse signaculum sacramenti, in quod iurauerunt. Ita & Christus discipulorum suorum fidem oppigneratam sibi, voluit esse ratam & ratam Crucis gladio recensito. Sic nempe suos affatus est. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Vtque sibi semper constitit Christus, eumdem etiam tenorem seruauit inaugurando Paulum infulis militiæ Christianæ. Et quia in illa strenua disciplina Paulus debebat præcipuas obire vices; expedito etiam gladio, antesignanum illum Dominus insigniuit. Etenim hunc magni nominis Apostolum, ad magnos agones destinauit, vt procera foret Crux præcipuæ congrua dignitati. Ecce inaugurationis Pauli seriem atque rationem, ipso etiam Christo assertore. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Id est, quia Paulum ad grandia destino, ideo etiam consonas ei apto Cruces. Vt enim Goliath primus inter Philistæos optimo etiam gladio vtebatur, quem sibi Dauid reseruauit, expertus quàm valeret; ita qui in discipulis Christi principem locum tenent, illi toti sunt in gladiis, vtpote decocti variis angustiis. Eamobrem filiis Zebedæi anhelis ad præcipuas regni cœlorum sedes, Christus calicem suæ Passionis obiecit: quasi diceret, regnum illud multa habere, quæ obstabant, ne peruium esset hominibus, ac proinde solùm à forti gladio vtentibus, fortiter occupari.

Matth. 16. Christus instituit & suos discipulos adiecta Cruce.

Actor. 9.

Paulo quæ graues Cruces à Domino præparatæ.

Paulus adscitus in militiam Christi, & probè callens, qua cautione suos Christus milites conscriberet, Timotheum suum deuouens illi disciplinæ hortatus est ad molestias omnes æquo animo subeundum. Sic ille. *Tu assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.*

2. Timoth. 3.

Et omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Dignus planè Paulus, qui pingatur gladio armatus, quia totum æuum actum in disciplina Christi duxit ille variis gladiis & Crucibus interpunctum.

Instabit fortasse quispiam: Ad quid tot gladij, & ærumnæ? Nonne dedecet bonitatem Dei, vendere laboribus gloriam æternam, quam potuit dare gratis hominibus editis ad æterna gaudia capessenda? Quòd si adeò delectant Deum gladij: numquid sufficiebat ille gladius, qui pertransiuit animam Christi morientis in gratiam nostri? Hanc ego diluo instantiam respondendo, eam esse legitimam, si spectetur homo in statu naturæ integræ. Intempestiua namque fuisset pœnitentia, homine constante sibi in obsequio ritè exhibito Deo rerum Domino præpotenti. Sed vbi homo transfuga Dei partes deseruit, ad diaboli castra transiens, & sic bellum Deo indixit, illico deuentum est ad gladios. Diuina nimirum iustitia suum gladium exeruit, vltura suas iniurias, & defectionem hominum, qui conscij rebellionis Adæ luerunt pœnas piaculi eius. Vt ergo fiat satis Deo, operæ-pretium est stringere gladium, & eo plectere rebellantes, in quibus caro primas tenet iugiter insurgens in spiritum, cui est semper iniquis motibus importuna. Vnde cùm deessent dyscoli homines, & dæmones, qui homines lacesserent, & inducerent ad peccandum; vna caro sufficeret ad facessendum nobis negotium, vtpote suo ingenio animam à Dei cultu nequiter abstrahendo. Ne igitur succumbat homo bello, quod caro Deo & animæ indicit; prouidus ille Dominus gladio accingit suos omnes discipulos, quibus eò grauiores incumbunt Cruces, quò ampliores sunt dignitates, ad quas electi illi milites euehuntur.

Cruces homini necessariæ, & quare.

Ex Historia. Gladius à summo Pontifice quibus mittitur Andreas Doria accipit gladium à Paulo III. *Paul. Iouius lib. 34. hist.*

A Christo edocta Ecclesia hunc morem seruat, quando graue bellum ingruit contra infideles: siquidem Papa solenni ritu gladium benedicit, & dicat ei, qui præficiendus est copiis fidelium. Ita Paulus III. acuit animos Andreæ Doriæ Ducis famosi. Cum enim delectus esset præfectus classis armatæ Caroli V. parantis expeditionem in Barbarussam Turcam, præfatus Pontifex Summus gladium prædiuitem misit ad Ducem illum, vt tesseram victoriæ imminentis. Ita Paulus Iouius. Itaque si quando ingruunt angustiæ, non debent illæ animos deiicere, sed potius erigere, vt argumenta amoris Dei, qui cingulum militiæ suæ dat eis, quos dignatur aliquali parte Crucis suæ, eos in ministrorum suorum numero, afflictionum tesserâ, recensendo. Audi Apostolum conscium huius arcani. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, &c. Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris.* Diceres Paulum de industria selegisse graues omnes angustias, vt inde hominibus faceret armaturam, iuxta illud Chrysostomi. *Monstrat Paulus, quòd tribulationes sunt arma, non solùm non decentia, sed & munientia, & fortiores reddentia, dextrorsum, & sinistrorsum. Sinistra vocat, quæ videntur iniucunda; quia plerique hanc opinionem habent.*

2. Cor. 6. Cruces seu tribulationes sunt arma fidelium.

Ex SS. Patribus. Chrysost. homil. 12. in ep. 2. Cor. 6.

Gladios, Cruces, id est molestias esse amoris Dei argumenta, & notas indubias, iustorum Psaltes ait isto versu. *Multa tribulationes iustorum.*

Psal. 33.

Quem locum Basilius ita expendit. *In omnibus, inquit, Paulus, tribulati, sed non angustiati; ideo Dominus discipulis suis dicit: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Ex quo, si quandoque in morbis, in corporis mutilatione, orbitatibus, plagis, ignobilitate, omni denique rerum inopia, & egestate, iustos homines constitutos videris, reminiscere verbi huius, quòd multæ sunt tribulationes iustorum, & ex omnibus liberet eos Dominus. Qui autem dixerit, quod virum planè iustum tribulatio non deceat; nihil aliud dicit, quam athletæ non conuenire aduersarium. Athleta enim minimè certans, quas habebit occasiones sibi coronas comparandi?* Ille idem versans locum illum Psalmi. *Laborauit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Ita spatiatur piè, & eruditè suo more. *Si vis hæc verba de hominibus iustis intelligere, reminiscere Iob dicentis: Homo natus est labori. Item Apostoli de se testantis: Abundantius omnibus his laboraui. Et rursum: In laboribus abundantius. Qui igitur in hoc mundo laborauit, hic viuet in finem. Qui verò in deliciis & in omni genere vitæ solutioris degit, præ teneritudine, ac mollitie purpuram, & byssum induit, seque quotidianis epulis lautioribus oblectat, laborem pro paranda virtute fugitans; is nec in futuro illo viuet, sed semotius, & ex longiore interuallo vitam videbit in camini flammæ cruciatus. Qui verò pro virtute, innumeris agonibus desudarit, & vt eam assequeretur, multis laboribus tortus, nimisque examinatus: hic est, qui viuet in finem. Quàm multa in afflictione passus est Lazarus pauper? Quàm multis laboribus attritus Iob contra aduersarium certando? Qui igitur per Deum redemptus est, is quidem in hoc sæculo laborauit; at labore perfunctus viuet in finem: hic planè non videbit interitum, cùm viderit sapientes morientes. Qui angustam & sudoribus plenam viam, præ leui & solutiore elegerit, is æternum corruptionem non videbit.*

Tribulationes sunt propriò iustorū. *Basilius homil. 5. in Psal. 33.*

Psal. 43.

Basil. homil. 13. in Psal. 43.

Tribulatio vindicat animas ab interitu æterno.

Habent itaque pij homines quòd lætentur, si quando durius excepti, in gladios & Cruces incurrunt; siquidem tunc in militiam Christi cœlitus adsciscuntur. Vt namque Dominus ille asperis assuetus fuit à teneris vnguiculis; ita & acerbis suos tyrones voluit erudiri. Idcirco Patres sancti, quibus constitit de intento Christi, exauctorarunt eos, qui in mollitiem tracti horrent, vbi vocabulum Crucis insonuit. Hos nimirū omnes censuere ineptos ad sequelam Christi, qui nolunt accingi gladio Ducis huius. Nemo quippe potest sensuum illecebris, & Christo Domino militare.

Magna gratiarum incrementa manent eos, quos graues & assiduæ afflictiones exercent.

§. IV.

Hallucinans olim antiquitas assueta næniis, quas Poëtæ occinebant, esto plura crediderit falsa, aliqua tamen vera suarum fictionum abdidit inuolucris. Prisca nimirum ætas Gentilium, quidquid de Deo suspicata est, illud omne texit ambagibus, arbitrata diuinis arcanis conciliari reuerentiam, si vulgo imperito subtraheretur eorum notitia, tegmine fabularum. In his occurrit commentum insigne faciens ad probationem tituli huius puncti, cuius est probare, gladios seu afflictiones, cùm ingruūt esse argumenta amoris

Afflictiones esse proficuas docuere Gentiles egregia historia.

amoris Dei, & magnum homini cumulum adiicere gratiarum. Sic itaque nugatur antiqua Gentium Theologia. Ait, conuenisse Deos in gratiam Pelei, & iniisse consilium de dono singulari viro huic emerito cælitus erogando. Opinionum summa fuit, esse decernendum Peleo gladium ea virtute conspicuum, vt eo stricto funderet acies, fortissimum quemque hostem obuium sibi confoderet, & cataphracta agmina penetraret. Quod si pacata forent omnia, noluere Dij vacare suum illum gladium; sed illi hanc affinxere virtutem, vt si quando Peleus venatione suum recrearet animum, gladio hoc exerto feras omnes occideret, in quas incurreret. Itaque pace & bello clarus fuit is Peleus beneficio gladij desuper accepti, qui & in prouerbium abiit. Nam forma adagiali, Pelei gladius vsurpatur, pro re valde proficua.

Peleus à Diis gladium accepit.

Gladius Pelei quid significet.

Erasmus in adagiis.

Quid hoc gladio subaudierit illa ætas obsoleta, nemo satis aperuit; ideoque latens inibi mysterium, mearum est partium enodare. In gladio subodoror afflictionum typum, & affirmo, angustias omnes non casu hominibus accidere, sed singulis quibusque piis hominibus desuper impertiri, idque ad incrementum gratiarum eius, qui vt par est, vtitur hoc gladio. Siue enim palàm mundus & dæmones insurgunt, animam reuocando à diuinis; anima gladij huius, id est Crucis obsequio vincit. Si verò carò facit angustias, insurgendo feris motibus; anima cauere sibi debet, ieiuniis, vigiliis, precibus assiduis, strato austero, aliisque huiusmodi gladiis idoneis ad compescendos æstus corporis importunos. Sicque liquet, gladios esse tesseras amoris Dei, & maximè conducere ad compendia gratiarum, quibus fit anima ditior in aduersis, quàm in prosperis.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 2. Theat.*

Vnde placet animæ ærumnis adscribere symbolum, cuius ideam obiicit Ferrus in theatro suo. Pingit ille hyppopotamum, id est, equum marinum, qui dum ægrotat, consulit sibi secando venam, affricando corpus acutæ arundini, cuius punctione reclusa vena sanguinem fundit, quantum sufficit ad reducem sanitatem. Tabellæ lineanti huius animalis industriam ille adiecit titulum istum. Ex vvlnere salvs. Quasi diceret: Esto plaga molesta sit corpori; proficua tamen est, vtpote præuia sanitati. Si quando igitur ingruunt angustiæ, se sic anima vrgebit ad patientiam. Macte & æquo animo subi plagam istam, quandoquidem fies alacrior ista molestia: namque Deo moderante vices nostras, ita comparatum est, vt fiuat Ex vvlnere salvs.

Tribulatio ad salutem est instituta.

Ex Medicina. *Duret. in lib. 2. Coac. Hippocrat. c. 23. praenot. 1. Hippocrat. lib. 2. Epidimi.*

Apoplexiæ quænam sit causa.

Medicorum disciplina salutaris, hac cautela prouidet ægris, quorum etiam salus est deplorata; siquidem ex Dureto, apoplexia nata intercluso spiritu vitali, soluitur sectione venæ, quia obstructarum venarum libertas detractione sanguinis comparatur. Eò spectat istud Hippocratis oraculum τὸ ἄφωνον ἐξαίφνης γενέσθαι, φλεβῶν ἀπολήψιες ποιοῦσι ἢν ὑγιαίνοντι τοῦτο ξυμβῇ ἄνευ προφάσιος ἢ ἄλλης αἰτίης ἰσχυρῆς φλεβοτομεῖν χρὴ τ βραχίονα τ δεξιὸν τὴν εἴσω φλέβα. Id est. *Quod quis repentè obmutescat, in causa est venarũ interceptio, si benè valenti accidat, non præuisa, ac sine aliqua fortiori causa. Ergo venam secare oportet interiorem cubiti.* Nemo sanè redux à faucibus mortis medicum carpet qui sectionem venæ indixit, cuius beneficio sospes vtitur integra sanitate. Ita nec quispiam sanæ mentis ægrè feret angustias, cùm maximè Deus illas adhibeat, vt dubiæ animarum saluti optimè consulatur.

Non salutare modo, sed & honorificum est accipere à Deo gladios, id est molestias siue Cruces, quibus homo animaduertat in eamem vtplurimum iniuriam Deo. Sic vti molestiis veluti gladiis, hoc est habere ius gladij, & merum Imperium, vt probat Vlpianus ita fatus. *Imperium aut merum est, aut mistum. Merum est Imperium, habere gladij potestatem ad animaduertẽdum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur.* Ius hoc permissum Præsidi prouinciarum, quia is personam Imperatoris gerebat, vt idem annotat Vlpianus isto paragrapho. *Qui vniuersas prouincias regunt, ius gladij habent.* Appositè ad hanc obseruationem iuris Romani Hieronymus, versum illum Psalmi. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*, ita reddidit. *Nimis afflicti sunt amici tui Deus.* Neminem vel leuiter tinctum notitia Hebræi idiomatis latet vtramque versionem esse sinceram, quia radicalis כבד *cabad* significat honorare, & affligere. Sed nullus adhuc innotuit mihi, qui vt par est, aduerterit arcanum insigne latens sub huius cortice radicalis: scilicet verbum hoc כבד *cabad* in coniugatione Kal, id est leui significare, affligere; sed in coniugatione Pihel, id est forti, quæ secundæ radicali affingit punctum forte dagesch, perinde esse ac honorare כבד *cibbed.* Illa quidem animaduersio grammaticalis neminem peritorum fugit, sed abditum mysterium neminem fortè sui conscium habuit. In re aliis inuia, vice fungar Oedipi.

Imperium merum quid sit.

Ex Ivre Civili. *Leg. 3. ff. de iurisdictione.*

Leg. 6. ff. de officio Præsidis § Qui vniuersas.

Tribulationes grauissimæ & fortes, sunt prælodia gloriæ.

Ecce reclusum arcanum. Afflictiones sunt in duplici differentia, leues videlicet, & graues. Si leues, profectò hominem redigunt in ordinem: nemo quippe caret leuibus angustiis, ac proinde homo leuiter afflictus dici nequit à Deo singularibus infulis honoratus. Nam eius afflictio coniugatur in Kal, id est, in coniugatione leni & simplici. Si verò grauior angustia lancinet animam variis Crucibus interpunctam, illa afflictio coniugabitur vt Pihel. Id est in coniugatione forti, quæ secundam radicalem puncto afficit. Huius autem puncti virtus est vt corroboret, & duplicet secundam radicalem. Verbi gratiâ כבד *cabad* in coniugatione Kal, id est leui, habet in secunda radicali beth lene, quod sonat vt u consonans, ita vt sit dicendum *cauad* & tunc verbum hoc Hebræum significat affligere. Sed in coniugatione Pihel, id est, forti, punctum adiicitur in meditullio literæ beth, quæ duplicatur obsequio huius puncti literam roborantis, dicimus enim כבד *cibbed.*

Tribulationes æquo animo acceptæ hominem fortificant.

Quia lingua Hebræa multis fœta mysteriis est scaturigo arcanorum iis, qui alta indagine rimantur apices, atque minutias huiusce idiomatis: idcirco lubens meam explico sententiam eo nomine placituram Hebræis, quia noua est, & hactenus illibata. Præcipuus itaque cardo, in quo vertitur arcanum istud, est, angustias illas, quæ adeò graues sunt, vt non corpori tantùm affricentur, sed & secundam quasi radicalem hominis, id est, animam punctione sua confodiant, hominem roborare; quia ærumnæ magni momenti æquo animo exceptæ, litant fortitudinis & gratiarum omnium increméto. Insigne robur adiici fortitudini animæ, cui infirmitas aliqua facessit negotium, Paulus egregiè significat hoc contextu. *Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor,*

1. Cor. 12.

Tribulationes dum carnem decoquunt animã corroborant.

Nn 4 tunc

tunc potens sum. Profectò nihil expressius laudari potest in hoc argumento. Si de meo nempe penu dixissem, infirmitates procurare robur, perperam fortè laborassem ad conciliandam fidem illi paradoxo; sed obstetricante Scriptura sacra, quisque suum præbebit assensum illi conclusioni, quam & Iob adstruit ita fatus. *Tabescet caro illius, & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Quasi diceret, vt ossa tegmine carnis abscondita non apparent, nisi caro penitus auellatur; ita nec animæ fortitudo liquet, quin molestiæ alicuius obsequio carnalia omnia decoquantur.

Iob. 33.

Ex SS. Patribus. Greg. lib. 2. Moral. c. 18.

Ab hac mea sententia Gregorius non abhorret, ita commentatus in præfatum illum locum Iob. *Nemo (inquit) vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improuidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Cùm ergo flagellis prementibus omnis exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Quid autem hoc loco carnis nomine, nisi ipsa delectatio carnalis, accipitur? Quid per ossa nisi virtutes animæ designantur? Tabescit ergo caro, & ossa nudantur; quia dum flagellis argumentibus carnalis delectatio exterminatur, ea quæ dudum quasi sub carne latuerant, virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quantùm profecerit, nisi inter aduersa cognoscit. Vnde alias scriptum est: In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius: quia videlicet vnusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantùm perceperit in aduersitate perturbationis ostendit. Tabescat ergo caro, vt nudentur ossa; Flagellis enim Domini, pinguedo carnalis delectationis atteritur: sed virtutum nostrarum ossa patefiunt. Decus nostrum exterius, ipsa huius mundi aduersitate fœdatur; sed quid intrinsecus in nobis lateat, ostenditur. Cæsis namque Apostolis denunciatum est, ne loquerentur vltra in nomine Iesu, suisque aduersariis cum fiducia responderunt: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. Ecce inter aduersa validius fidei robur emicuit: ecce concisa est integritas carnium, sed patefacta sunt ossa virtutum. Hinc scriptum est de eis: Quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se. Tentati sunt quippe aduersitate plagarum; sed digni inuenti sunt nuditate ossium. Tanquam aurum in fornace probauit illos. & quasi holocausti hostiam accepit illos. Sed quia non solùm detegitur robur fortitudinis, sed etiam cognoscitur infirmitas humanitatis; tentatus ostendit, quantùm de Deo profecerit, & quantùm de semetipso infirmus sit: ideo subditur: Appropinquabit corruptioni anima eius.* Hactenus ille.

Psal. 41. Tribulationes ostendũt si profecimus.

Act. 5.

Tribulationibus reficit anima.

Cùm caro & spiritus rixentur adinuicem, nequit spiritus assurgere ad diuina nisi corpore fatiscente. Vt ergo anima vegetior ad superna attendat, excipiendæ sunt alacriter omnes molestiæ, quibus detergitur impetigo carnis: illâ nimirum pressâ malis ingruentibus, spiritus inualescit. Audiendus denuo Gregorius, sic discurrens opportunè ad præfata. *Æternitatis (inquit) præmia præstolantes, vires ex aduersitatibus sumunt, quia crescente pugna, gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Sic itaque electorum desideria dum premuntur aduersitate, proficiunt: sicut ignis flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. In eo namque ostendimus, quanta ad Dominum cupiditate flagremus, si non solùm ad eum per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera, & dura transimus. Hinc namque Propheta in Psalmis dicit: Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum. Ceruus enim, cùm montium iuga conscendit, quaque aspicit aspera, quæque se obiiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque vllo cursus sui obstaculo in superioribus eleuatur. Ita etiam electorum mentes, quæque sibi in hoc mundo obsistere atque obuiare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more ceruorum, despectis terrenorum sentibus, in superna se erebunt. Hinc rursus dicit: In Deo meo transgrediar murum. Murus quippe est omne, quod itineri nostro obiicitur, ne ad eum, qui diligitur, transeatur. Sed murum transgredimur, cum præ amore supernæ patriæ, quæque in hoc mundo fuerint obiecta calcamus. Hinc per eumdem Prophetam dicit Dominus certanti animæ: Exaudiui te in abscondito tempestatis, probaui te ad aquas contradictionis. Absconditum quippe tempestatis est, cùm in corde contrito cogitationum, tentantium fluctus intumescunt. In abscondito ergo tempestatis auditur, quia clamor deprecantis est hæc ipsa tribulationis fluctuatio. Quia verò omnino non desunt, qui bona quærentibus suadere peruersa moliantur; aqua contradictionis sunt populi resistentes. Et quia tunc probatur desiderium, cùm aliqua ei aduersitate resistitur; rectè dicitur: Probaui te ad aquas contradictionis.* Ita Gregorius.

Greg. lib. 26 Moral. c. 10.

Psal. 17. Tribulationes ostendũt quo quisque amore Deũ prosequatur.

Psal. 17.

Psal. 80.

Populus est aqua contradictionis.

Vt gladius alicui porrectus non est armatura tantùm, sed etiam est honoris & gloriæ argumentum; ita Cruces, seu angustiæ non adiiciunt tantùm ad fortitudinem animæ, sed præterea ei cedunt ad gloriam. Sic sibi benè ominatus est Attila Rex Hunnorum, ad quem cum pastor attulisset defossum casu gladium; ille hinc assurrexit in spem Imperij totius terrarum orbis. Fidem fecere præsagio plurimæ prouinciæ ab hoc Principe subiugatæ. Multi suspicantur, sibi casu ingruere molestias; sed aberrant: namque Deo librante vices & momenta vitæ nostræ, siquando molestiæ nos lacessunt, illud est ad gloriæ æternæ locuples incrementum. Ideóque Paulus consulens hominibus afflictis, eos hortabatur ad intuitum gloriæ æternæ, quam solent conciliare Cruces. Ea meditatione recreatus Apostolus habebat angustias veluti semina præmiorum. Sic ille. *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Gladius qui omen dedit Imperij.

Ex Historia.

Attila porrecto sibi gladio omen accepit Imperij orbis terrarum. Bonfin. lib. 3. decad. 1.

Tribulationes sunt semina triumphorum. 2. Cor. 4.

Scythæ olim suspicati quidpiam diuinum in gladio, eum pro numine coluerunt, vt refert Herodotus. Ad gladium strictum homines mactabant, quorum sanguine respergebant hunc gladium loco numinis adoratum. Reuera quisquis vitam agit in gladiis, ille Dei consors propius ad Christum accedit, atque adeò est pluribus honorum infulis excolendus. Vt secus ille vitam ingloriam agit, qui genio indulget nescius ærumnarum. Ita militi probro vertitur, deponere cingulum, cui gladius appenditur. Hac iniuria Philisthæi Iudæos sub iugum missos affecere, omnes eis gladios adimentes. Hac industria dæmon sibi homines obstringit: ille nimirum ærumnarum omnium horrorem ingerit, & voluptatis omnigenæ cupidinem facit, vt eos sibi in æternum deuinciat.

Scythæ adorauerunt gladium vt numen.

Quisquis

Quisquis itaque volet cauere iugum diaboli, is audacter incurrat in gladium illum qui pertransiit Christum & Mariam. Id est æquo animo Crucem tollat, imò vltro occurrat angustiis, quibus pruriens carnis tergitur impetigo. Qui sic faxit, gladio stricto semper incedet, imitatus Polynicem, qui datis induciis vt colloqueretur cum fratre suo Eteocle, Thebas ingressus est gladio exerto, timens insidias, vt meminit Euripides. Infinitis propè stipamur hostibus, anhelis in perniciem animarum: quid cunctamur aptare gladios? Anceps belli euentus dubiam nostram salutem facit. Itaque æmulemur audax facinus Christi, qui ab incunabulis incurrit in gladium circumcisionis. Pudeat nos adultos & grandæuos gladium abiicere, quo Christus vtens, tenello corpore triumphauit.

Polynices quare exerto gladio Thebas intrat.

Euripides in Phaniss.

DOMINICA PRIMA
POST EPIPHANIAM.
HOMILIA SEXTA.
SVMMA HOMILIÆ.



SI quando crudus Euangelij textus occurrit, præco verbi Dei multo labore desudat, vt inde desumat argumentum idoneum ad digerendam homiliam suis omnibus numeris absolutam. Non eo discrimine laborat historia hodierna pueri Iesu amissi in die festo à parentibus, arbitrantibus eum esse inter notos, & cognatos. Series rerum hîc gestarum suppeditat prædiuitem materiarum supellectilem, ad texendam concionem de modo, quo Christus amittitur, & inuenitur.

§. I. Prima parte homiliæ dicam, sæculares excidere gratiâ, & Christum abigere in die festo, id est, luxuriante fortuna, cùm omnia fausta sunt, & ad arbitrium succedunt.

§. II. Huic dispendio occurram, insinuans Christum inuentum post triduum, à dolentibus parentibus, inueniri etiam ab afflictis post tres partes pœnitentiæ, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio.

§. III. Secunda parte ostendam Ecclesiasticos in hanc iacturam Dei deuenire, ob notos & cognatos, quia cum eis diuidunt sacras Ecclesiæ facultates.

§. IV. Concludo, ab his Christum reperiri duntaxat in templo, si videlicet templo restituant facultates inde abstractas, & si frequentes adstant sacris ædibus, diuini officij pensum Domino persoluentes.

PRÆFATIO.

Remansit puer Iesus in Ierusalem. Luc. 2.



SACRO codice commendatur mulier industria, qua amissâ drachmâ, omnem mouet lapidem, vt offendat & incurrat in drachmam deperditam. Ita Christus. Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas, & vicinas dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram. *Præfatæ huius fœminæ solertiam Virgo Deipara superauit. Illa nimirum amissâ gemmarum omnium ditissimâ, & pignorum charissimo, videlicet puero Iesu, qui remanserat in Ierusalem, à matre dissitum magna intercapedine soli. Mœsta parens nulli omnino parti defuit idoneæ ad inueniendum Christum. Satis superque fuit mulieri memoratæ lustrare domum, intra cuius septa drachma diffluxerat. Sed Maria operæ-pretium fuit carpere longum iter, vt leuaret iacturam, quam patiebatur pretiosi monilis. Vtque fuit maximè sollicita de puero amisso, omnes obeundo vias suo intento propitias; Deus etiam votis eius annuit dirigendo gressus illius in templum, vbi puer medius erat in consessu hominum doctiorum. Congaudeamus itaque matri, quia inuenit drachmam quam perdiderat. Non mihi satis est congaudere Virgini, quòd fuerit facta voti compos; ideòque vos, ô auditores, conuoco vt vicinos, vt vnanimes aduoluamur Virgini congaudentes, & hoc suaue melos vsurpantes.* Aue Maria.

Luc. 15.

HIstoria hodierna adeò locuples est, & fœcunda, vt non sint aliunde petenda mysteria ad texendam concionem. Rei summa hæc est. Instante die festo, tota parentela Christi contendit Ierosolymam, pietatis ergo. Sed redeuntibus inde parentibus, & eis existimantibus Christum esse inter cognatos, remansit puer Iesus in Ierusalem; sicque parentes eius hoc charum pignus amoris toto triduo perdiderunt. Exquisita autem perquisitione facta, post tres dies inuentus est Christus in templo. Itaque Christus amissus

amissus est in die festo, derelictus à parétibus inter notos, & cognatos, & tandem post tres dies à flentibus, atque dolentibus, Maria & Ioseph, in templo repertus est. Vnde hoc præclarum exurgit argumentum homiliæ; scilicet, eos omnes, qui Christum amittunt, esse laicos, vel clericos, id est, sæculares, aut peculiari voto obstrictos Dei obsequio, vt sunt Ecclesiastici & Regulares. Si sunt sæculares, illi Deum amittunt in die festo, seu in prosperis; nec reperire possunt, nisi post tres dies actos in lacrymis. Qui dies sunt tres partes sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritio, confessio, & satisfactio. Si verò Regulares seu Ecclesiastici sint illi, qui iacturam Dei patiuntur, illi vtplurimum Deum perdunt inter notos & cognatos: quia patrimonium Christi diuidunt inter notos & cognatos, ita sacris opibus abutentes. Isti homines sacrilegi in templo tantùm reperiunt Christum: illa nempe via superest eis ad reducem Dominum. Vt qui nimio amore effusi in cognatos abegere Deum, suos omnes colligant affectus intra templum Dei, restituentes templo & pauperibus opes, quas in affines & cognatos nequiter erogarunt.

Diuisio homiliæ.

Prima igitur parte dicam, sæculares fieri procul à Deo, & gratiâ excidere, cùm eis afflant omnia fausta, & prospera. Adiiciam, illos homines malè sibi conscios posse Deum reuocare peracto triduo pœnitentiæ, facto scilicet accurato examine vitæ suæ, animâ congruo dolore percitâ. Secunda verò parte ostendam, Ecclesiasticos à Deo recedere, dum inter notos & cognatos, longiores trahunt moras, aut eis indiscretè largiuntur opes Ecclesiæ. Demum concludam, Christum reperiri ab Ecclesiasticis, si expediti ab affectu suorum, templo iugiter assuescunt.

Pars Prima Homiliæ.

Sæculares Deum procul abigunt in die festo, id est, gratiâ Dei excidunt, quando omnia fausta arrident.

§. I.

Sponsa Canticorum, cælesti suo amasio deperdito, quæsiuit eum in lectulo, sed incassum: ille nimirum sponsus animarum nullo molli lectulo concluditur, sed in laboribus à iuuentute sua enutritus, haudquaquam cōuertitur ignauis hominibus, imò longè ab eis dissitus elongatur. Cùm enim Deus accedat, & recedat pro ratione affectuum animæ: si ij sint Deo concolores, ille est propitius hominum votis, suum faciens in anima sacrarium; At secus elabitur ex anima, si quando sui oblita mollibus assueuit. Ideóque Christus compositus ad omnes tempestatum omnium iniurias, dixit se esse florem campi, vtique obnoxium brumæ æstibus, & grandini, ne eum sponsa suspicetur velle sese duris subtrahere, corpori consulendo.

Christus quare dictus flos campi.

Ex SS. Patribvs. Bern. ser. 47. in Cant.

Mihi in hoc argumento fauet Bernardus, sic præludés. *Dominus Iesus, ipse flos horti, virgo virga virgine generatur, idem flos campi, martyr, martyrum corona; martyrij forma. Denique foras eductus est, extra castra passus est, in ligno eleuatus est, spectandus hominibus, subsannandus ab omnibus. Ipse enim thalami flos, spectaculum, & exemplum totius beneficentiæ, quemadmodum ipse Iudæis protestatus est, dicēs. Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo. Etenim Scriptura de eo; Qui pertransijt, ait, benefaciendo, & sanando omnes. Si igitur hec tria Dominus, quæ fuit causa, vt è tribus se campi florem maluerit appellare? Profectò vt eam ad tolerantiam animaret, cui nouerat imminere, siquidem vellet piè viuere in Christo, persecutionem pati. Id se ergo lubentiùs profitetur, ad quod potissimum vult habere sequacem: atque hoc est, quod aliàs dixi, quoniam semper & illa appetit quietem, & ille incitat ad laborem, denuncians ei, quòd per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum. Vnde cùm noua in terris Ecclesia nouiter desponsata sibi, redire ad Patrem disponeret, dicebat ei: Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Item: Si me, aut persecuti sunt, & vos persequentur. Potes & tu in Euangelio multa colligere huic denuntiationi malorum perferendorum similia. Ego flos campi, & lilium conuallium. Illa ergo monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat. Nec putat quicquam persuasibilius fore illi ad ineundum certamen, quàm si seipsum certantis aut exemplum proponat, aut præmium. Ego flos campi. Sanè vtrumuis in hoc sermone datur intelligi, vel quòd videlicet pugnantis forma, vel quod gloria triumphantis. Vtrumque es mihi, Domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patientis. Vtrumque fortiter prouocat ac vehementer accēdit. Tu doces manus meas ad prælium, exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam, tua coronas præsentiâ maiestatis, siue quia pugnantem te specto, siue quia te expecto non solùm coronantem, sed & coronam. In vtroque mirabiliter tibi me allicis: vterque funis violentissimus ad trahendum. Trahe me post te, libenter te, sequor, libentius fruor. Ego flos campi. Qui diligit me, veniat in campum, non refugiat mecum & pro me inire certamen, vt possit dicere: Bonum certamen certaui. Et quoniam non superbi vel arrogantes, sed humiles potius, qui de se præsumere nesciunt, martyrio idonei sunt; addit, se etiam lilium esse conuallium, id est, humilium coronam, specialem gloriam futuræ exaltationis ipsorum, huius eminentia floris designans.* Hæc Bernardus.

Christus est multus in exhortandis hominibus ad mala sustinenda.

Christus ad patiendum est exemplū.

Crucis ferendæ Christus est exēplum, & præmium.

Christus quare dictus lilium conuallium.

Nota, florem campi, & lilium conuallium dicere omnia contraria diei festo, in quo præfatus sum, amitti Dominum Iesum: Dies enim festus, vt supponit pro fortuna secunda, clamat omnia peramœna, quibus non est ille rerum Dominus assuetus. Præterea animus intumescit, quando omnia succedunt ad arbitrium eius, ac proinde patet quàm procul sint à Christo viri omnes mundi huius asseclæ, voluptatis amasij, & solliciti duntaxat de suo corpore saginando. Et reuera si recenseas argumenta, quibus ducuntur homines vt à Deo deficiant, videbis omnia concludi vna cupedine voluptatum. Quod perinde est, ac dicere, affluxu voluptatum homines à recto virtutum tramite deuiare. Si rationem Theologicam desideras, hanc arbitror esse indubiam, videlicet Deum amitti, quando imprudens anima ab eo auertitur: At anima auersatur Deum, quando conuertitur ad creaturas. Ergo cùm voluptas & sensuum illecebræ potēter hominem alliciant, & suopte ingenio homo deorsum inclinet; homo à Deo turpiter abstrahitur, animâ deliciarum vinculis irretitâ. Si vis liquidius argumentum petitum à Theologia, accipe. Deum & peccata non coire, propositio est

Christus quomodo ab anima amittatur.

Ex Theologia.

Christus amittitur in prosperitate.

est in confesso apud omnes. Cùm igitur nimia prosperitas & deliciæ affluentes maximè sollicitent homines ad peccandum; ille afflatus fortunę æquioris est Deo iniurius, qui proinde secedit ab anima sese in voluptatũ cœno sordido volutante.

Prosperitas est suspecta.

Opportuna est Medicorum obseruatio in subiecta materia de prosperitate nimia præcauenda. Illi nimirum aiunt, suspectam esse sanitatem, quæ summa est: nam vt natura nequit constare sibi, ita nec sanitas illa potest esse diuturna; ideóque ferè prænuntia est morbi ingruentis. Reuocandus est aphorismus Hippocratis alibi recensitus, ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ᾽ ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν αὐτῷ τίῳ οὐδὲ ἀτρεμέειν. *Athletarum euexia, quæ ad summum euasit, periculosa; hic enim bonus status quiescere nequit.* Ingemendi maius est argumentum animæ, ad cuius arbitrium fortuna ludit; morbus enim eius deterioris est longè conditionis, quàm corporis. Eò Seneca allusit ita fatus. *Magni animi est, magna contemnere, mediocria malle, quam nimia: illa enim vtilia, vitaliáque sunt. At hæc eò quòd superfluunt nocent: sic segetem nimia sternit vbertas: sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem nimia non peruenit fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpet: quia non tantùm in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt, quorum impotentiæ atque insanæ libidini, ob hoc vnum possis ignoscere, quòd quæ fecere, patiuntur.*

Ex Medicina. *Hippocrat. lib. aphor. 13.*

Senec. ep. 39. Prosperitas hominem frangit.

Voluptas hominis est inimica.

Rursus ille declamans in perniciem, quam adfert nimia prosperitas, paucis multa suggerit animo reuoluenda. Sic ille. *Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspero vngula est: in molli palustrique pascuo saginata citò subteruntur: fortis miles ex confragoso venit, segnis est vrbanus; nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. In primo deficit puluere, ille vnctus, & nitidus.* Quàm sit vitiorum ferax nimia prosperitas eleganti figura patet: illa videlicet, quam subiicit iste versus. *Non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, habitauitque Chananæus in medio Ephraim, vsque in diem hanc.* Ephraïm vox Hebræa perinde est, ac frugifer, & fœcundus. Hi profectò, quibus pro votis omnia fructificant, non exterminant Chananæum, id est, vitia non extirpant, quia bene valente opimo corpore vitiis omnibus assuescunt. Fitque vt frugiferis hominibus suos mores iniquos affricent Chananæi, & impiorum animos induant omnes asseclæ voluptatum.

Senec. ep. 52.

Iosue 16.

Prosperitas in vitia inducit.

Non incongruè referri potest huc lex illa Constantini, decernentis grauiores imponi census eis, quibus fortuna lautior aspirarat. Ecce Principis edictum. *Quoniam tabularij ciuitatum, per collusionem potentiorum, sarcinam ad inferiores transferunt; iubemus, vt quisquis se grauatum probauerit, suam tantùm pristinam professionem agnoscat.* Profectò ditiores & luxuriantis fortunæ amasij grauiora cæteris tributa vitiorum diabolo pendunt, idque vtplurimum. Obserua tamen, me diuites hîc nuncupare illos, qui cor apponunt diuitiis, Deo penitus abdicato. Ille nimirum genius est auræ mundi propitiæ, vt eos quibus afflat, infatuet, & inducat homines ad peccandum: atque ita nimia prosperitas est veluti præambula damnationis, quæ imminet, vt indicat iste Canon. *Cauendum nobis est, vt si fortè aliquid boni agimus, in præsenti sæculo remunerationem accipiamus; ne fortè dicatur nobis: Receperu n mercedem suam. Nisi enim diues iste aliquid boni egisset, vnde in præsenti sæculo remunerationem accepisset, nequaquam Abraham ei diceret: Recepisti bona in vita tua.*

Ex Ivre Civili. *Lege 1. Cod. de censibus lib. 11. titul. 57.*

Prosperitas nimia est argumentum damnationis.

Ex Ivre Canonico. *Can. cauendum de pœnitentia, dist. 3.*

Non est prætereundum symbolum opportunum excogitatum à Camerario, qui delphino tripudianti in mari adiicit has voces indices & præscias effectus huius tripudij. Metvenda procella. Eo nempe est ingenio delphinus, vt gestiens exiliat ingruente tempestate. Ecce genuinam ideam hominis, cui omnia lauta & læta aspirant. Is rerum omnium copia distentus exultat, & iubilans cogit omnes sensuum illecebras in chorum voluptatum. Sciscitaris, quid illæ iuges choreæ præsagiant? Metvenda procella. Namque tenor ille iugis gaudiorum, extrema tristia sortietur. Ita lætis omnibus exordiis malè ominatur Iob, seriem texens bonorum, quæ magno affluxu refluunt apud nefarios homines. Sistendus est Iob ita fatus. *Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortiuit; vacca peperit, & non est priuata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum noluimus.* Cùm igitur occurrerit aliquis amasius fortunæ genio indulgens, & suæ salutis incurius, huic ingeme, vtpote procul à Deo posito, cui libellum dedit repudij, vt nemine obstante, posset ad arbitrium eius anima fornicari. Et ne infida prosperitas tibi imponat, recole præfatum symbolum. Quando nimirum lætis afficimur, Metvenda procella; illa scilicet, quæ homines inducit in vitiorum omnium præceps, & inde in barathrum, vbi piacula igne æterno vindice castigantur.

Ex Symbolis. *Camerarius lib. centuriarum.*

Delphinus tripudians, est index procellæ instantis.

Prosperitas nimia metuenda.

Iob. 21.

Prosperitas est vitiorum omnium parens.

Nec ferè alio intento Christiani ad prospera anhelant, nisi vt velificentur omnigenæ voluptati: ideóque huiusmodi iniquam hominum indolem carpit Augustinus hac censura. *Cur afflicti rebus aduersis de temporibus queremini, Christiani, nisi quia vestram luxuriam cupitis habere securam, & perditissimis moribus remota omni molestiarum asperitate affluere? Neque enim propterea cupitis habere pacem, & omni genere copiarum abundare, vt his bonis honestè vtamini, hoc est, modestè, piè, sobriè; sed vt infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur, secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sæuientibus peiora sint hostibus. Scipio enim iudicio totius Senatus vir optimus, istam vobis metuens calamitatem, nolebat æmulam tunc Imperij Romani Carthaginem dirui; & decernenti vt dirueretur, contradicebat Catoni, timens infirmis animis hostium securitatem, & tanquam pupillis ciuibus idoneum tutorem, necessarium videns esse terrorem. Nec eum sententia fefellit; reipsa probatum est, quàm verum diceret. Deleta quippe Carthagine, magno scilicet terrore Romanæ Reipublicæ depulso & extincto, tanta de rebus prosperis orta mala continuò subsecuta sunt,*

Ex SS. Patribvs. *August. lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 30.*

Carthagine stante, Roma sibi cauit; sed ea diruta deliciis diffluxit.

sunt, vt corrupta diruptaque concordia, prius sauis currentibusque seditionibus, deinde malarum connexione causarum, bellis etiam ciuilibus, tanta strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditas proscriptionum, ac rapinarum ferueret immanitas; vt Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hostibus, crudeliora paterentur à ciuibus.

Ita & profectò grauior est iactura, quam patiemur in prosperis. Quid enim deterius homini potest ingruere, quàm Christum abigere, & sese totum dæmoni, & vitio deuouere. Hoc itaque ratum esto, felicem esse in hoc sæculo, malo semper omini verti: quia ex Seneca. *Res est inquieta, felicitas; ipsa se exagitat, mouet cerebrum, alios in aliud irritat, hos inflat, illos mollit, & totos resoluit.*

Prosperitas res est inquieta.

Senec. epist. 36.

Christus amissus ab homine diffluente delicijs, post triduum pœnitentia inuenitur à flentibus.

§. II.

SPONSA illa toties commendata sacro epithalamio, frustrata suis votis quærendo suum dilectum in lectulo; fuit hinc erudita, Deum odisse delicias omnes, eo veluti typo lectuli designatas. Idcirco cautior effecta circuiuit ciuitatem, incurrit in vigiles, qui eam vulnere inflicto, chlamyde spoliarunt. Superatis tandem illis angustijs, occurrit ei sponsus, quem toto pectore deperibat. Namque Deus mollia exosus, vt procul abest ab homine voluptati immerso; ita secus adest & incumbit animæ rebus asperis assuetæ. Huiusce effati locuples exemplum suppeditat historia hodierna. Christus nimirum amissus in die festo, repertus est præterito festo à dolentibus. Sic enim Maria eum est affata. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*

Cant. 5.

Christus adest afflictis.

Luc. 2.

Quare autem rebus afflictis atque deploratis Deus sese propitium præstet, illud arbitror esse, quòd tunc homo suo ipsius discrimine edoctus agnoscit inopiam mundi huius, qui stare nequit pollicitis, quibus credulos animos antea dementauit. Vnde agnitâ mundi perfidiâ delusus homo, abiurat deuotum mundo obsequium, & reditum cogitat ad Dominum rerum omnium, à quo transfuga defecerat. Vt fiat hæc pœnitens anima redux, tridui viam carpit, obeundo partes omnes pœnitentiæ, quæ illo ternario numero concluduntur. Prima dies tota est in meditatione vitæ retroactæ, vt eo accurato criminum scrutinio, sibi ipsi contritus animus innotescat. Primam hanc diem, cui Deus illuxit, reclusâ notitiâ iniqui status, in quo degebat homo nequam, altera dies excipit confessioni sacra. Illa dies tota agitur in recensione peccatorum sacerdotis auribus instillata. Tertia demum dies satisfactioni impenditur, & hæc imponit colophonem sacramento pœnitentiæ.

Aduersitas quare homines cautiores efficiat.

Pœnitentiæ obsequio Deum inueniri.

Ex SS. PATRIBUS

Huiusmodi pœnitentiæ obsequio Deum inueniri, & hominem illi summo sociari bono, res est indubia Sanctis Patribus, qui pœnitentiæ amarorem condiunt hoc dulcore, id est, spe certa Deo iugiter adhærendi. Ita Hieronymus. *Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat, pericula maris spes lucri delectat, dolorē medicinæ spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem. Pœnitentiam agit, qui vult bono æterno adhærere.* Nota, triduum pœnitentiæ esse lacrymis aspergendum. Vbi enim Psaltes ait. *Præoccupemus faciem eius in confessione.* Statim subijcit. *Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Quasi diceret, illam confessionem maximè placere Deo, quæ largo fletuum imbre desudat, vt bellè ait Augustinus hoc contextu. *Fortè de peccatis vestris, quæ vos longè fecerant à Deo, solliciti estis, faciamus sequentia, & ploremus coram Domino, qui fecit nos. Ardes fortè conscientiâ delicti? lacrymis extingue flammam peccati, plora ante Dominum securus, plora ante Deum, qui te fecit: non enim opus manuum suarum contemnet in te. Ploremus ante Dominum, qui nos fecit, lacrymare ante illum, confitere illi, præueni faciem eius in confessione. Quis enim es tu, qui illi ploras, & illi confiteris, nisi quem fecit? Non parua fiducia est ad factorem res facta, & non quomodocumque facta, sed ad imaginem & similitudinem suam. Quoniam ipse est Dominus Deus noster. Vt autem securi ante illum procidamus, & ploremus, quid sumus? Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.*

Hieronym. in cap. 1. Marc.

Psalm. 94.

Lacrymæ nos ad Deũ ducunt.

Aug. in Psal. 94.

Illud lacrymarum profluuium mordax acerbitate sua tergit omnes deliciarũ reliquias: quippe solùm asperis dulcia castigantur. Ne ergo redux homo æternis supplicijs obstringatur, flendo diluat quod intempestiuè gestiens gaudendo fecit. Hoc consulit Augustinus, sic hortatus hominem pœnitentem. *Præcipitare, homo miser, in profundum mæstitia, qui sponte præcipitatus es in barathrum horrendæ nequitia, obuoluere in tenebris inconsolabilis luctus, qui volens prouolutus es in voragine tam sordidi fluctus. Necessarium est flere peccatorem, vel hic, vel in futuro. Si non sum dignus oculos ad cælum leuare orando coram te, Domine Deus; certè sum dignus plorando eos cæcare. Respira, ô peccator, respira aliquando, & fuge ad ipsum Deum, quem offendisti; fuge, inquam, ab irato ad placatum.* Nota, ad Deum reuocandum, conducere angustias, quæ ingruunt: illæ nimirum vt quidpiam asperum secum vehunt affrictæ homini; omnem deliciarum sensum adimunt, ac proinde sollicitant homines ad conciliandum Deum, qui plerumque vtitur hoc medio ad homines abstrahendos à vitijs, qui nimiâ indulgentiâ Dei obsequium turpiter abiurarunt.

Lacrymarũ amaror tergit deliciarũ dulcedinem.

August. lib. de contritione cordis.

Hanc hominum defectionem notat Isaias obseruans, afflictionem consuluisse eis, quos venia indulta fecerat imprudentes. Sic ille. *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti: numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Quem locum Hieronymus expendens ita commentatur. *Sæpe misertus es gentibus, id est, humano generi, & exercuisti in eas incredibilem clementiam: numquid te cognouerunt, numquid glorificauerunt nomen tuum? nonne è contrario à te longè recesserunt? securitas enim negligentiam, negligentia contemptũ parit. Domine, in angustia requisierũt te, quia indulgẽs sæpe, contemptus es, nec glorificatus, sed è cõtrario omnes a tua scientia recesserũt; propterea, Domine, percute eos, vt in angustia te requirant, & in tribulatione murmuris doctrina tua sit eis. Quando tantum pondus malorum incumbet eis, vt*

Tribulatione reuocãtur ad Deum homines.

Isai. 26.

Hieronym. in cap. 26. Isai.

Tribulatio est doctrina erudiẽs nos.

nec

nec clamare quidem audeant confidenter, sed dolorem suum silentio deuorent, iuxta Septuaginta: in tribulatione Propheta Domini recordatur, iuxta illud, quod in Psalmo dicitur: De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. Septuaginta habent: in tribulatione paruâ, doctrina tua nobis. Si autem parua tribulatio docet, & emendat, & corripit; quantò magis & magna, cùm admonemur conditionis nostræ, & Dei potentiæ recordamur?

Psalm. 117.

Ne ergo cadas animo, Christiane, cùm premeris angustiâ; sed recole, tempus ærumnarum esse congruum ad propitium faciendum tibi Deum reducem, quem luxuriante prosperitate turpiter abegisti.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Ecclesiastici vtplurimum Dei iacturam patiuntur inter notos & cognatos, vtpote vocantes eos in partem opum Ecclesiæ.

§. III.

Peccatum sese insinuat in omnes hominum sortes.

SI sanctitas loci, & eminentia status, aliæque nobiles animæ dotes obstarent, ne quis fieret peccatis obnoxius, Angelus in cælo non peccasset, neque Adam in paradiso nequiter à Domino defecisset. Quid ergo mirum si homines in clerum, id est in sortem Ecclesiæ adsciti deuient aliquando, cùm sint naturæ infra Angelicam, & exciderint iustitiâ originali, qua instructus Adam facili negotio poterat hostis callidi ignita iacula præcauere. Non est laborandum in probatione thesis huius, & afferendis exemplis, cùm plerique ministri Ecclesiæ sui gradus immemores, statum illum hodie faciant inglorium. Vt ergo adstruam veritatem tituli huius puncti, ego duas facio classes Ecclesiasticorum. Vnam scortantium, & volutantium sese in colluuie sordida vitiorum. Alteram eorum, qui abhorrent quidem à vitiis, & aliqua virtutis edunt specimina, sed nimio cognatorum amore capti, sacris opibus abutuntur. Prima classis in ordinem redacta est: nam horret animus recensere inter ministros Ecclesiæ, dyscolos homines; apostatas, desertores, & transfugas potius congruo nomine nuncupandos.

Superest altera classis, ad quam spectat hic titulus. Sed ne refricem alibi dicta, consule me secundo Tomo istius Encyclopædiæ, & lege homiliam de S. Martino Pontifice Turonensi, vbi fusè decurro thema propositum, & rationes ingero, quare labantur in hoc præceps viri alioquin doctrina & pietate conspicui. Nullum omnino statum Ecclesiæ secernit historia, vbique næuos deprehendit; & vtinam hæc censura modum imposuisset gliscenti adeo errori, vt videatur deesse remedio locus, quia rarus est hodie innoxius; atque ita licet dicere, quamplurimos Ecclesiasticos perdere Christum inter notos & cognatos, seu potius detrectare obsequium Christi, ob cognatos, quia opes impendendas in obsequium Christi, in cognatos ab eis nequiter eroganturr.

Ecle-tri-'s af-

Præfatis à me in laudata homilia de S. Martino adiicio rem notatu dignissimam; scilicet, ministros Ecclesiæ non solùm amittere Christum, sed & etiam perdere cognatos, quibus iniquè diuidunt opes pauperi largiendas. Possem libertate veteris comœdiæ multos recensere nepotes Præsulum, qui luerunt pœnas amoris incongrui Antistitum patruorum immatura morte. Sed absit, vt aliquam ignominiæ labem vlli inferam: ideóque petam exempla à multis sæculis obsignata. In his occurrit Berta nobilis fœmina vxor Comitis Richuuini, cui iniqua sorte cesserat villa Iuliaca ditionis Ecclesiæ Rhemensis. Dormienti huic fœminæ adstitit Sanctus Rhemigius olim Præsul Ecclesiæ, cui fuerat iniquis artibus subtracta villa hæc, & asperè obiurgatam mulierem monuit, vt inde secederet, quia locus ille non erat sæcularium, sed ministrorum Ecclesiæ. Vt est fœmininum genus auidum, fœmina hæc auara sanctum Rhemigium spreuit semel & iterum admonentem. Tandem ille Antistes tertiò increpans fœminam illam suæ salutis incuriam, pedum suum pastorale in eam fortiter intorsit, dicens: Noluisti lubens hinc abire, sed alienis manibus mortua deferreris. Illa fortiter icta, soporem soluit, & sic intumuit, vt his omnibus enarratis, cesserit fatis, præclarum iustitiæ Dei specimen editura. Ita Hincmarus.

Ex Historia.

Berthæ nobilis fœminæ mors immatura ob bona Ecclesiæ vsurpata anno 843.

Hincmarus de translatione S. Rhemigy.

Hoc, præco Dei, inculca, monens Ecclesiasticos, eos malè suis cognatis consulere, quando ditant eos opibus Ecclesiæ: noxiæ namque fiunt facultates Ecclesiæ illis hominibus, ad quos non pertinent. Si alta mente perpenderent hoc effatum veridicum Prælati, qui stipantur magna caterua cognatorum, eos citò citius abigerent, in eorum locum pauperes aduocando. Alio item exemplo Deus probauit, quàm malè sibi caueant illi, qui inhiant opibus institutis pro sacris Ecclesiæ ministris. Scribit Osbertus, Calnæ in Anglia Concilium prouinciale fuisse scissum in duas partes, quarum vna pars sanxit, esse vsurpanda bona Monachorum; altera verò rem illam vt impiam detestata est. Altercantibus impiis, Deus palàm fecit à cuiusnam partibus staret. Nam aula Concilij dehiscente contriti sunt omnes pessimi consultores. Alij verò propugnatores opum Ecclesiæ, fuere superstites, derelicti in trabe, quæ sola fixa remanserat. Si Deus votum retinendi iniustè bona Ecclesiæ sic durè excepit, quid fore arbitraris de cognatis, quibus bona Ecclesiæ erogata cedunt in præsentissimum vitiorum omnium argumentum?

Vsurpatores bonorum Ecclesiæ puniti diuinitus anno 979.

Osbertus in vita S. Dunstani.

Ecclesiastici, qui prodigendo sacras opes, amisere Deum, restituant templo facultates, & castigent affectus erga suos, frequentesque adsint ædibus sacris, & sic Deum reperient.

§. IV.

DE restitutione facultatum Ecclesiæ, quando malè impenduntur, ago ex professo Tomo tertio huius Encyclopædiæ. Rursus Tomo secundò fusè probo, quàm Ecclesiasticis noxius sit amor cognatorum, cùm eorum intuitu diffluunt Ecclesiæ facultates. In illo itaque Tomo secundo decurre homiliam de S. Martino Pontifice Turonensi, & locupletem inde leges supellectilem ad punctum istud vltimum instruendum. Quia verò dixi, Deum conciliari Ecclesiasticis, si reddant Ecclesiæ opes aliò translatas,

de nouo penu historiam adiiciam vnde licebit illud coniicere.

Henricus II. Imperator à Deo castigatus ob iniquè collatum Episcopatum.

Henricus II. Imperator, iuuenis accepit ab adolescente fistulam argenteam, qua pueri solent aquam eminus aspergere. Fistulam hanc accipiendo Henricus oppigneraiut fidem suam, se facturum Episcopum adolescentem illum, si ipse aliquando foret Imperator. Stetit pollicitis; nam inauguratus euexit ad Episcopatum fistulæ largitorem. Postea decumbens graui morbo, tacitus & impastus triduum totum egit, supremum velut agens spiritum; sed Deo miserante redux, ait se triduo toto passum tortores, qui fistula illa argentea flammas emittebant vindices piaculi à se perpetrati, & has tandem extinctas à iuuene, qui calice aureo largas fudit aquas. Is erat Beatus Laurentius, in cuius æde dono dederat Henricus ille calicem insignem aureum. His enarratis Imperator coacto Concilio iussit deponi Episcopum, vt iniquis artibus initiatum. Quisquis prodigente manu sacras fudit opes, si demum eas reddat Ecclesiæ, sic profectò occurret malo cælitus ingruenti. Est mihi ad manum luculenta seges ex SS. Patribus, qui in Præsules inuehuntur, si suorum amore perciti spoliant Ecclesiam; ego tamen cautè supersedeo, quia labes illa tanta nequit dilui, nisi speciali Dei influxu tanta crimina miserantis.



DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

SVMMA HOMILIÆ.

INDOLIS humanæ corruptela adeò malè affecit hominem, vt propensio eius in malum ægrè queat sanari; licet sospitator hominum Christus huic discrimini nostro infinitis ferè pharmacis obuiarit. Opportuni huius Medici dicta & facta omnia collimarunt in scopum hunc præfatum reparandæ salutis, à qua defecerant impij desertores. In luculentis Domini factis, prodigium, quod ordine principem locum tenet, est conuersio aquæ in vinum, quando vinum nuptiarum desiit, solâ tantùm aquâ superstite ad bibendum. Itaque bipartitæ fuerunt illæ epulæ, disparem sortitæ finem. Nempe priores instructæ à sponso Galilæo fuere quidem opiparæ; sed non suffecerunt inuitatis, quos defecit vinum modicè recreatos. Alias epulas apposuit Christus, propinans quidem aquam; sed illa depositâ naturâ suâ, conuersa est in vinum optimè defæcatum.

§. I. Priori parte dicam, mundum suos amasios primo apparatu pascere luculenter, atque carnaliter, conducta videlicet tota serie voluptatum.

§. II. Inferam ex præmissis illis opiparis pessimam conclusionem, qua terminantur epulæ mundi; has siquidem excipiunt lacrymæ, morbi, rixæ, & æterna tormina damnatorum.

§. III. Secunda parte ostendam, Deum nos prouocare lacrymis, & austeris initiis.

§. IV. Sed probabo, stipendia beatarum mentium excipere illa rigida rudimenta.

PRÆFATIO.

Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Ioan. 2.

Epulæ Cleopatræ, quàm luculentæ. Plutarch. in Antonio.

IN serie epularum, quas solennes ventilat antiquitas, illæ principem locum tenent apud infideles, quas Cleopatra instruxit, Antonium suum amasium exceptura. Triumuir ille luculenter habuerat Reginam illam in omnimodum luxum compositam: quippe delicias omnes oris in fercula congesserat, vt magnificentiæ famam, & præmia reportaret. Conduxerat enim omnes gulæ cupedias, quæ coeuntes in hoc conuiuium condixerant. Cleopatra nolens cedere luxurianti epuloni, omnes Antonij sumptus vno ferculo superauit. Illa nimirum testatura suam indolem magnificam, margaritam apposuit aceto dilutam, quæ vnico haustu deuorata pluris erat, quàm diuites sumptus ab Antonio computari. Antonius carnes apposuit, quas humana potuit industria facere delicatas; sed illa in viscera congesta nimio affluxu defierunt in pituitam vtpote indigesta, repletione nimia corpore desudante. At Cleopatræ apparatus simplex, vnico diues obsonio, aceto acerbo palatum afficiens, sed pretiosâ margaritâ viscera recreabat. Christi & mundi epulæ dispares sortiuntur eumdem ferè finem. Etenim mundus adiposa fercula suppeditat; sed hæc ominosa malè conuiuas afficiunt, quia dapibus ingestis temerata valetudine

Epularum Christi, & mundi differentia.

valetudine stomachus intumescit. Sicque madent aquâ lacrymosâ mundi conuiuia, pinguibus obsoniis incepta, & pessimo semper omine terminata. Ast è regione Christus instruit epulas, quibus aqua apposita totum facit apparatum; sed illi frugali præludio succedit vinum lætificans corda. Adice, diabolos vtplurimum adesse conuiuiis mundi, vbi vigent ructus & crapula, quibus omnino carent epulæ Christi, vbi Deipara suâ præsentiâ reficit epulantes. Non sunt itaque frequentandæ tales epulæ, Mariâ insalutatâ. Aue Maria.

HIstoria sacra licet vsquequaque ferax sit arcanorum, quæ pertinent ad mores hominum informandos; non vbique tamen illa tenorem eumdem seruat: quippe manu parciore refert aliquando sua mysteria; aliàs verò diues fundit capita pinguiora. Cuius generis est textus hodiernus, in quem peritus commentator incurrens nihil ieiunum debet metuere, cùm hîc res sit de epulis opiparis. Quibus de industria Christus adfuit, vt singularem illic personam agens suggereret aliquid idoneum moribus excolendis. Bipartitæ fuerunt epulæ hodiernæ, aliæ instructæ ab homine vernaculo, quem sponsum vocat textus. Disparis longe rationis fuerunt epulæ paratæ Christo Domino proposita fercula decernente. Prioribus epulis apposita sunt congrua inuitatis obsonia, quæ nidore suo appetitum conciliare possent: adiectum est & ad delicias, & sedandæ sitis gratiâ, vinum optimum vtique defæcatum. Illæ tamen epulæ non diu constitere sibi sartæ tectæ; nempe vini penuria, quam conuiuæ passi sunt, conuiuium illud fecit inglorium, prodens inopiam pauperis instructoris. E regione Christus alias planè vias iniit, vt suos conuiuas exciperet: ille nimirum auspicatus est ab aqua; & hanc non ipse apposuit, nec hausit antè, sed illam ab aliis haustam voluit adhiberi. His minimis auspiciis hoc Christi conuiuium nemini cupidinem fecit: aqua namque peregrinum quidpiam est, si res sit de epulo lautiore, & splendido componendo. Sed vt diuina opera nacta plerumque parua exordia, assurgunt ad incrementa, quæ superant omnem hominum fidem; ita & Christi mensa limpidâ tantùm aquâ diues, adstantes epulones statim lautius excepit, exquisitissimo vino eorum pectora recreando.

Series hæc rei gestæ in nuptiis Cana Galilææ suggerit mihi discrimen, quod interest inter eos, qui se cibis ingurgitant, & alios, qui, vt par est, sobriam vitam agunt. Huius homiliæ priori parte dicam, mundum nihil nisi carnem, & vinum proponere suis amasiis: sed subiiciam, momentaneum esse quod delectat: nam mundus suos inebriat, & ad summam inopiam redigit inescatos. Eius siquidem pompam & fercula lauta excipiunt lacrymæ & catharri, sicque deliciæ in aquam desinunt; quia eas fletuum imber, inutilis sudor, & noxius humor exuberans, congrua gulæ stipendia consequuntur. Secunda parte dicam, homines frugi, sincerum Dei profitentes obsequium, ab aqua incipere, id est, parcè & sobriè suum æuum agere; sed multa inde commoda reportare. *Diuisio homiliæ.*

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Mundus suos sequaces inescatos multa carne grauat, & inundante vino potatos inebriat.

§. I.

EX PHILOSOPHIA, EX SS. PATRIBVS, ET ANTIQVITATE, ET HISTORIA.

ARistotelis est effatum veridicum. *Omne viuens quandiu viuit, necesse esse nutriri.* Cùm enim ille calor accensus à natura, quo totum corpus exæstuat, depascatur humidum radicale, operæ-pretium est has ruinas alimento congruo reparari. Alioquin natura fatiscens inediâ, pessum-ibit. Sed vt omnia corpora non sunt apta ad nutriendum incendium; ita nec indiscriminatim quibusque animalibus ad cibum omnia ministrantur. Namque videre est, leones, lupos, & canes esse carniuoros; aues verò semine pasci vario, & armenta boum in pascuis virenti gramine saginari. Vnde rei rusticæ amantissimi, & scriptores multi sunt in seligendis pabulis aptis animantibus, quorum sospitate ditescunt homines solliciti de rei familiaris incremento. Ad delectum pabuli facit istud axioma. *Iisdem nutrimur, quibus constamus.* Quippe necesse est conuenire alitum, & alimentum, vt in vno corpore coalescant. Hoc Philosophico præambulo liquet assertio tituli, cuius veritatem adstruo. Nempe sequaces mundi inescari carne & epoto liberali manu vino iugiter inundari. Cùm namque eorum præcordia cacodæmone afflata malo igne flagrent, iuxta illud Ioannis. *Totus mundus in maligno positus est.* Id est, in malo igne, qui depascit quidquid viuidum in corde madet; mundus illis suppeditat, vnde accensa foueant incendia. Huic intento fomites idonei sunt, instructæ epulæ vino defæcato, & dapibus exquisitis. Hoc sulphure namque viget ignis ille infernalis, quo mundus exæstuat. *Mundi asseclæ sunt carnales.* *EX PHILOSOPHIA.* *Arist. lib. 2. de anima, text. 47.* *1. Ioan. 5.*

Nomine mundi sæpe sæpius inculcaui Patres intelligere homines animales. Est autem animal corpus viuens sensibile. Et hinc homo ille animalis est, qui solis sensuum capitur illecebris. Vt enim porcus ille gregis Epicuri totus sensualis est; nihil nisi sensuale sonat, ac proinde petit tale sibi quidpiam exhiberi. Sicque fidem facit dicto Philosophis trito. *Iisdem nutrimur, quibus constamus.* Vt secus homines procul à colluuie corporea, & nescij contagij vitiorum, dicuntur spirituales vt Deo Patre sati, & nequaquam degeneres fastidiunt delicias, & spirituali tantùm pabulo recreantur. Eò collimat Paulus ita fatus. *Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* *Mundi nomine intelliguntur homines animales.* *Homo animalis quid sit.* *1. Cor. 2.*

Hac indole opaca carnales Ephesij interrogati à Paulo Apostolo, accepissent Spiritum sanctum necne; ita responderunt. *Sed neque si* *Actor. 19.*

Spiritus Sanctus est, audiuimus. Eiusdem profectò farinæ sunt, qui dedere manus mundo: interrogati de Spiritus Sancti illapsu, nesciunt quid loquaris, vtpote duntaxat epulis, dicterijs, atque salibus assueti. Quòque magis homo deuincitur mundo, eò deterior etiam est habitus eius, vtpote totus carni immersus, iuxta Philosophi dogma sæpe resonans in Lycæo. *Quod maximè est tale, cateris causa est, vt talia sint.* Vnde cùm mundus ex Ioanne nihil aliud planè sit, quàm superbia vitæ, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum; Apostolo assertore nihil inspirare potest præter carnalia, sicque maximè carnalis erit ille, qui totus erit mundi, sancto & spirituali obsequio Dei turpiter abdicato.

Arist, lib. 2 Metaph. c. 2.

Mundus est carnalis.

EX SS. PATRIBVS.

Eo potissimum nomine Patres Sancti in mundum inuecti sunt, quòd videlicet hominem degenerem incuriumque Dei efficiat, vt carni implexum subijciat, & Spiritui Sancto eripiat vt querulus ait Christus *Pater sancte, mundus te non cognouit.* Quæ verba Basilius sic expendit. *Mundum hic appellat, non eum, qui constat è cœlo & terra, sed insincerissimam innumerisque mutationibus obnoxiam vitam. Ac de seipso loquens; adhuc modicum, inquit, & mundus non me videbit. Rursus eos, qui carnali materialique vita deuincti sunt, & oculis tantùm expandunt veritatem, mundum appellans. Eadem dixit de Spiritu Sancto, Spiritum, inquit, veritatis non potest mundus accipere, neque videt illum, neque nouit eum. Mundus, hoc est carnis cupiditatibus dedita vita, velut oculis imbecillis non ferens Solis radios, Spiritus gratiam non recipit. Mundus ergo non potest Spiritum Sanctum capere: sed qui mundum odiunt. Vnde Isaias ait: Qui stabiliuit terram, & qua in ea sunt, deditque spiritum populo, qui est super illam, & spiritum calcantibus eam. Nam qui conculcant terrena, usque superiores euaserunt, digni prædicati sunt dono Spiritus Sancti.*

Basilius lib. de Spirit. sancto, c. 22.

Isai. 42.

Mundus qui Deú non cognouit, quis sit.

Vt spiritus inuij sunt corporeis oculis, quibus sensibiles tantùm species affricantur; ita & mundi sequacibus ea solùm cordi sunt, quibus carnis impetigo prurit, & benè pasta corpora titillantur. Mundus apprimè doctus quodnam ingenium sortiti sint homines iniquæ voluptatis amasij, congruis eos pascit obsonijs. Nempe Dei sensum omnem obliterat, & ingerit magnam salutis incuriam, nihil nisi vinum, dapes & epulas insusurrans. Ideóque frustra prædicatur amor Dei mundi sequacibus, iuxta illud Bernardi. *Mundus non videt Deum. Nam qui diligit mundum, non est charitas patris in eo. Valde sibi aduersantur adinuicem amor mundi, & amor Dei. Si amor mundi habitat, non est, quò intret amor Dei. Amor Dei hominem reuocat à mundo, & amor mundi hominem à Deo. Vnus deijcit, alius extollit: vnus possessorem suum deijcit in infernum, alius sublevat, & transmittit in cœlum. Amor mundi totum mundum quærit, & nunquam satiatur. Imò cùm plus habet, plus cupit semper habere. Amor Dei vnum cupit solum habere semper, illo contentus est, nihil aliud iam possidere peroptat. Amor Dei nihil aliud quærit, nisi solum Deum.*

Amor Dei, & amor mūdi non coeūt.

Bernard. serm. 9. de cana Domini.

Mūdus quare non videt Deum.

Gulæ effectus.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Mundi industriam esse deuincire dapibus homines, plurium nationum ritibus adstruitur. Priores Hebræi occurrunt, qui quoties pertæsi sunt Dei cultum; deuoluti ad mundi obsequium; statim dapibus & epulis inhiarunt. In his priores occurrunt Sodomitæ, quos obscœni mores fecere procul à Deo. Hi mundo & carni addicti, nescij prorsus rerum cœlestium, perpetuis semper & opiparis epulis indulserunt. Ecce censuram vrbis nefandæ, quam Deus ipse commemorat hoc contextu. *Hac fuit iniquitas Sodoma, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et eleuata sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas.* Nota, quibus gradibus in præceps Sodomitæ viri pessimi corruerunt. Primò superbia eis ad abruptum viam strauit. Siquidem afflans hæc pestilens aura Deo subtraxit homines illos, ad gloriam indebitam ingrauescente typho nequiter assurgentes. Itaque desertores illi Deo abiurato professi sunt obsequium mundi, à quo statim lautè excepti sunt in gratiam defectionis suæ. Et hinc. *Saturitas panis, & abundantia, & otium.* Et Israëlitæ deficientes à Deo, vt vitulum colerent, in stipendium sacrilegij sui epulas acceperunt. Ecce impij facinoris historiam. *Surgentes manè obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare & bibere.* Populus ille declinans ad idola, subinde ritum didicit mundi, qui est, bibere, manducare.

Ezech. 16.

Sodomorum iniquitas vnde initium cepit.

Exod. 32

Quia familiaris est mundi cum Ægypto comparatio, accipe figuram genuinam, qua titulus adstruitur, clamans mundum sua mancipia carnibus inescare. Populus Israël parum sibi constans in deserto, recolens Ægypti delicias, flagrare cœpit desiderio carnium, & fastidire manna, panem compositum manibus Angelorum. Nempe totis castris murmur istud insonuit. *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man, &c. Quis dabit nobis escas carnium? benè nobis erat in Ægypto.* Vides Ægyptum carnibus obsitam, & omnes Ægypti municipes inolito sibi nidore carnium maximè recreari. Inundante Nilo tellus hæc opima madet, ac proinde viret semper luxurians in gramina pascuis idonea, quæ conducunt ad pecudes impinguandum. Vnde cùm illic abundè lasciuiant arietes, vituli, capræ; carnes semper ad manum sunt ad opiparas epulas instruendas. Quia voluptates in mundo ebulliunt, & quasi inundantes deliciæ, eum ferè totum alluunt; mundus malè pastus eo lacte pubescit, & hoc titillante cibo luxurians, & in vitia compositus, grandior adolescit. Itaque mundus indole carnali dum prætendit carnes suis amasijs, de suo penu promit congrua sibi stipendia; dumque desertor Dei mundo addictus fit carnalis, res est vernacula: nam surculus suo stipiti conformatur.

Dei obsequio derelicto, statim carnalia desiderātur.

Num. 11.

Mundi, cum Ægypto cōparatio.

Eamobrem eruderanti monumenta vetera plurium nationum, ille ritus mundi semper occurrit, quo pertæsos homines virtutum praxim carni & vino turpiter assueuit. Miseranda fuit in hoc themate sors Spartanorum, qui rigida stante disciplina Lycurgi, coquos abiecere delicatos: sed vbi strenuos deposuerunt animos vt viuerent ad arbitrium mundi, sub Lysandro; statim in delicias fracti carnibus indulserunt. Vtriusque sortis meminerunt Ælianus, & Plutarchus. Memoranda fuit Xerxis astutia, qui vt Babylonijs omnem ansam eriperet rebellandi, sanxit

Lacedemonij viuentes ad arbitrium mūdi carnales effecti sunt.

Ælian. lib. 4. variar. histor. cap. 7.

Plutarch. in Lysan.

Sylla luxum inuexit Romam. *Macrob. l. 3. Saturnal. c. 17.* Claudius Cęsar carnes à popinis amandauit.

sanxit eos viuere ex præscripto mundi, luxuriando scilicet, & opima conuiuia frequentando. Nonne Roma degeneres animos induit felicitatem Syllæ participans, vt luget Macrobius? Sylla nempe cruore rubens ciuium Romanorum,& ipse in delicias fractus, vt populum conscium sui luxus efficeret, in vrbem inuexit epulas, & esculenta coquinæ artibus exquisita. Et quia recruduit illa labes Reipublicæ, Claudius Cæsar iturus obuiam ignominiæ Romani nominis, carnes à popinis omnibus amandauit. Arbitratus est Cæsar, non coire carnes, & gloriam: ac proinde volens consulere fatiscenti Imperio, vetuit in popina prostare dapes, quarum esu poterat Romanorum gloria decurtari. Sanctionis huius meminere Suetonius, Dióque Cassius.

Suet. in Nerone, cap. 16 Dio Caß. lib. 60.

Quia deliciæ insolitæ semper animum sollicitant, lex illa Claudij eo sublato grauis visa fuit quibusdam parasytis: sed Vespasianus eam suo calculo fixit; denuò carnes è popina tollens, Romanæ sic gloriæ litaturus. Inde sobrius ille Princeps Xiphilino historico maximè celebratur Consule me, tertio Tomo, & decurre Euangelium Dominicæ primæ Quadragesimæ. Illic in sensu morali memini leges sumptuarias ex Macrobio scitu dignissimas, quibus mundi ingenium & epulæ castigantur. Athenienses ne petulco more luxuriantis mundi viuerent, creauere Magistratus frugales, scilicet Oenoptas, quorum erat epulas lustrare, & cauere ne conuiuæ vino nimio desudarent. Hos præfectos epulis memorat Athenæus.

Vespasianus popinas reformat. *Xiphilinus in Vespasiano.* Oenoptæ apud Athenienses qua les erant Magistratus. *Athenæus l. 10. dipnoso. cap. 7.*

Ex Historia. Vinceslaus quare indignus Imperio. *Historia Imperialis sub ann. 1376.*

Huc appositè reuocari potest audax Gregorij XI. Papæ facinus. Is constanter obstitit electioni Vinceslai in Imperatorem, quia epulo & compotator erat; dicens, nihil prorsus Imperio dignum esse expectandum ab eo, qui sub gulæ erat imperio. Dixissem ego, illum esse indignum imperare mundo, qui seruus eius erat, vtpote totus mundi luxui mancipatus. Qui namque vacat epulis, & vino multo madet, ille mundo deuinctus est, atque adeò iuris alieni, in quem cadere nequit imperium; cùm sit vile mancipium mundi, cui seruire, arguit indolem indecoram.

Epularum mundi exitus infaustus eas infames facit, vtpote desinentes in lacrymas.

§. II.

Ex Theologia, Ex Mathematica, Et ex SS. Patribus.

Ex Theologia.

Iustitiæ Dei distributiuæ negotium est, supplicia decernere reis, vt & præmia bene meritis de virtute. Hac propositione ratâ & fixâ, multa manent mala homines epulis assuetos. Cùm enim homines editi sint ad gloriam Dei participandam, vt vltimum suum finem; Deo maximam iniuriam faciunt, postponentes illum vilibus esculentis. Non enim mundi cultores vtuntur cibis ad propagandam vitam, sed ad delicias, votáque sua omnia dirigunt ad saginam. Et hæc est summa nequitia, beatitudinem suam appendere ad trutinam ventris, nullique litare Deo præter abdomini. Et quia gliscit in dies illa labes, Deumque petit, illum faciens inglo-

rium; sæpe sæpius epularum catastrophe fuit sanguine cruentata.

Huiusce rei luctuosæ locuples exemplum præbent Hebræi illi, qui memores carnium Ægypti prætulerunt illas Angelico pani, quem Deus cælitus apponebat. Flagrauere desiderio carnium illi transfugæ, pertæsi cultum Dei: annuit eorum votis Deus, suæ sic futurus vltor iniuriæ. Nam volucres in castra immisit vtique copiosè, ita vt helluones illi velificantes abdomini tantas ingesserint carnes, quantas capere potuit ergastulum ventris. Sed has gulæ cupedias excepit mors illata, & Deo vindice repentina. Ecce synopsim tragœdiæ. *Ventus egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum, qui parum, decem choros, & siccauerunt eas per gyrum castrorum. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est locus ille, sepulcra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat.*

Epulas excipit semper luctuosa catastrophe.

Num. 11.

Gula suos epulones necat.

Illæ equidem solennes fuerunt epulæ dapibus cælitus illatis; sed quò intempestiua gula fuit conuiuantium, eò magis etiam deploranda clades postea subsequuta. Cùm namque petatur peccati cuiusque grauitas ab affectu; & gula cibis obstringat hominem totum; totus etiam instanti subditur vltioni. Crebræ recensentur codice sacro cædes post epulas, vt valde idoneas ad homines extinguendos. Nonne ieiunans fœmina Iudith temulentum sustulit Holofernem? Nonne benè pastus Aman ex conuiuio fuit alto stipiti crucifixus? Nonne Absalon anhelans in cædem fratris sui Ammon, credidit epulas aptas ad horrendum hoc facinus impiè perpetrandum? Numquid & dæmon industrius ad procurandam hominum ruinam, totam prolem Iob viri sancti perdidit epulis attendentem. Sic enim nuntius eorum excidij, & dapes meminit & fata simul. *Filiis tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Denique lethales epulæ fuerunt Simoni Machabæo, quem sacer textus ita recolit. *Simon perambulans ciuitates, quæ erant in regione Iudææ, & sollicitudinem gerens earum, descendit in Iericho, ipse & Mathathias filius eius & Iudas, &c. Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificauit, & fecit eis conuiuium magnum, & abscondit illic viros. Et cùm inebriatus esset Simon, & filij eius, surrexit Ptolemæus cum suis, & sumpserunt arma sua, & intrauerunt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quosdam pueros eius & fecit deceptionem magnam in Israël.* O mortem ingloriam, & indignam viro virtutis sancto codice commendatæ!

Epulæ cruentatæ.

Iudith. 13.

Esther. 7. Epulæ iram Dei conciliant.

Iob. 1.

1. *Mach. 16.* Simonis Machabæi mors.

Epulæ & deceptio comites.

Haudquaquam sanè vacat mysterio illud, quod scriba sacer animaduertit: videlicet, eum, qui magnas epulas instruxerat, fecisse deceptionem magnam, cùm magni nominis hominem dapibus illectum infideli gladio trucidauit.

dauit. Christiane, nusquam excidat animo illa obseruatio; sed quotiescumque vocaris ad grande conuiuium, suspectum habe illum apparatum, & time mundi perfidiam. Nempe. *Bonum vinum primum ponit, & cum inebriati fuerint homines, tunc quod deterius est, apponit.* Quid deterius excidio animæ, cui à mundo dapibus illuditur? Itaque deterius illud quod apponit mundus, post meri haustum duo dicit; mortem scilicet, atque perfidiam.

Ioan. 2.

EX MATHEMATICA.

Hipparchus lib. 2. enarrationum ad phenomena Arati.

Gula quot mala secum vehat.

Appositè ad hoc Hipparchus nobilis Mathematicus ait, constellationem, cui nomen Lupus, oriri cum vigesimo tertio gradu Scorpij, ad vigesimum primum Sagittarij, sicque tria, videlicet Lupus, Scorpius, & Sagitta, simul ab ortu sunt. Quid hæc sidera portendant in genere morum, accipe. Tria hæc ominosa sunt, & infausta: nempe Lupus gulam & epulas significat: nam carniuorum hoc animal nullum gulæ modum ponit, nec finem mactandi facit, donec quæque obuia iugularit. Scorpius insidiarum, atque deceptionis symbolum est: ille nimirum brachia explicat ad amplexum; sed vbi aliquem leniter palpat, statim arcuata cauda ferit, & lethale virus instillat corpori sauciato. Sagitta necem clamat; spiculum namque refert extrema hominum fata, seu mortem vi illatam deforis intentatam. Itaque dicere Lupum, Scorpium, & Sagittam simul eniti, & influere, perinde est, ac dicere, epulas habere socias insidias, rixas, cædes, aliaque multa mala, quæ iaculi symbolo lineantur. Perniciosus ille influxus bellè describitur à rerum omnium indolem nacto Salomone, qui sic de Lupo, id est, vino, & ferculis ominatur. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?*

Prouerb. 29.

Gula lupo comparata.

EX SS. PATRIBVS.

Basilius sermone de ingluuie & ebrietate.

Ammon, Simon Machabæus, aliique supra recensiti fidem faciunt illi præsagio, in perniciem eorum, in quos influit ille vorax Lupus stipatus scorpiis, & sagittis. Audi feræ huius ingluuiem, & cupidinis epularum clades. Ita Basilius. *Si quis corpus suum epulis luxuriari siuerit, atque omnibus quotidie adimpleri, immitis veluti quædam fera, violento postea illius in terram raptu simul ingurgitatus, iacebit incassum gemens. Itaque in Domini tandem conspectum adductus, cum permissa illi terrestris huius peregrinationis fructus ratioque ab eo exposcetur, illam reddere minimè valens, longum lugebit, atque in perpetuus versabitur tenebris, voluptatem ipsam, eiusque illecebras, miris incusans modis, vtpote quæ salutis oblatam occasionem furtim eripuerint. Venter infidelissimus conciliator est, custodiæ non satis fidæ promptuarium, qui quidem multis apud se depositis, quod damnosum est, detinet; quod depositum est, malè custodit. Quæ igitur in esum atque potum a nobis excogitata sunt, & quæcunque præter necessitatem machinata sunt deliciæ, & diuitiæ lasciuientes, in obsequium ea omnia parantur ingrati ventris, nulliusque rei continentis, vbi primum dies illuxerit, etiamsi perpetuò in eum infundas: quæ sanè quandam exiguam infusa sola gustu, transeundo voluptatem adferentia, statim vt molesta & superflua fastidimus, quasi diutius ipsis visceribus si insederint, in summum vitæ discrimen adducamur.*

Gula in quot discrimina nos adducat.

Scriptura sacra breuiloqua compendiosè refert dispendia illa omnia prælibata. Illa siquidem damnans imprudentiam Noë, sic perorat. *Bibens vinum Noe, inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.* In hoc discrimen incurrunt omnes helluones & epularum plus quàm par est amantissimi; illis enim omnia dispereunt præclara, quibus antea tegebantur. Primò mente seu ratione cadunt, qua sola præeunt bestiis. Præterea cibus largiore manu ingestus vino adiecto noxius est, vtpote detrahens integræ sanitati; vtque præfatus sum, rixæ suas agunt vices in illa tragœdia, quam Bacchus instituit: namque furunt homines, & digladiantur vino nimio vapescente. Rem velut acu tetigit Basilius ita fatus. *Si quis vini plus hauserit, certatur: rixæ atque certamina oboriuntur, contendentium se mutua ebrietate superare. Atque qui eis illud constituit certamen, diabolus est: victoriæ autem præmium, & palma, peccatum est. Nam qui meri plus infuderit, is de omnibus victoriam reportat. Contendunt enim omnes inter se alios vincere, seipsos verò vlciscuntur. Omnia stultitia, omnia confusione plena sunt. Qui in eo superantur certamine, ebrij sunt, famuli deridenti. Ipsa iam defessa manus est, nihil amplius potest os suscipere, disrumpitur crepatque venter, neque malum tam cessat. Miserum corpus naturali robore exolutum, vndequaque perfluit, intemperantiæ violentiam sustinens. Miserandum proculdubio spectaculum, constantis atque integræ ætatis vir militiæ dare nomen apprimè idoneus, sese erigere pedibusque suis incedere non valens, domum vehiculo deportatur. Vir, qui hostibus terrori esse deberet, stantibus in foro puerulis ridendi præbet occasionem. Humi absque ferro prostratus, sine hostibus trucidatur: vir armiger in ipso ætatis flore à vino miserè consumitur, ab hostibus pati quæcunque libuerit paratus. Quis horum tibi malorum auctor? quis eas tibi struxit insidias? Conuiuium tibi pro acie constituisti: iuuentutis florem nimio vino extinxisti: atque quempiam vt amicum, ad prandium vocas, dimittis verò quasi mortuum, vitam eius vino sepeliens obruensque. Qua re à brutis differs, ô homo? nonne rationis munere? quo quidem à tuo conditore accepto, cæteris animantibus imperas atque dominaris. Is igitur, qui hoc se sensu per ebrietatem priuauit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Genes. 9.

Gula nudat hominē omnibus corporis & animæ dotibus.

Basilius vbi supra.

Ebrietas quò hominem adigat ingloriam.

Ebrij hominis egregia descriptio.

Vides hoc discursu, hominem assuetum epulis spoliari præclaris quibusque corporis & animæ dotibus, dum fit mentis inops, suamque temerat vino nimio sanitatem. Rursus inescatus homo variis obsoniis, multoque desudans mero, pudorem omnem exuit, corpusque nudat Venere stimulante. Sicque clades epularum porrigitur ad morbos corporis & animæ, toto homine sauciato. Audiendus tertiò Basilius ita fatus. *Satietas quamplurimis mortem attulit, atque præterea in causa fuit, vt nulla post hac re fruerentur. Naturalis enim illa vis atque facultas gubernatrix animantis, moderatos leuesque cibos facilè concoquit, eiusque qui alitur, naturæ accommodat: at ciborum profusiorem copiam, & varietatem cùm excepit, exceptamque ad extremum conficere minimè potuit, varia inde procreat morborum genera. Lasciuientis iniuriæ initium est satietas: voluptatem enim & ebrietatem, variaque ciborum condimenta, omne intemperantiæ*

Basil. ibid.

Gula creat morbos.

perantia belluinae genus consequitur. Hinc homines, velut equi amore foeminarum insaniunt, propter ingeneratum temulentorum animis, ex nimiis comessationibus oestrum. Hinc prodigiosae naturae commutationes, eorum qui in masculo quidem foeminam, in foemina verò masculum requirunt. Ex crassiore namque cibo veluti fuliginosae quaedam exhalationes densae nubis instar sursum missae, à Spiritu sancto ingenerata menti lumina perrumpunt. Ne igitur somnis, & balneis, mollioribusque stratis tuo corpori blandiaris, illud semper dictum in ore habens. Quae vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Quid excolis quod paulò post corrumpetur? quid teipsum obesas, & tumenti vndique carnis mole obuoluis? An ignoras quod quantò pinguius tibi corpus efficis, tantò molestiorem animo carcerem extruis? Corporearum enim virium abundantia, spiritus saluti impedimento est. Oportet itaque, quae necessaria sunt ventri subministrare, non quae iucundissima, vt solent hi, qui mensae instructores sibi quosdam, atque coquos excogitantes, nullas non terras, nulla non maria perscrutantur, vt veluti difficili ac moroso cuidam domino tributum pendant, perpetuo miseri negotio, nihilque minus graue ferentes, quam qui aeternis inferorum cruciatibus torquentur, planè ignem dissecantes, cribróque aquam gestantes, atque perforato haurientes dolio, ac nullum vnquam suorum laborum finem reperientes. Hactenus ille censor rigidus epularum.

Gula mentis aciem obtundit.

Gula facit tributarios homines omnibus terrae plagis.

Longa malorum ilias, quam recenset ille, probat epulas mundi desinere in aquam. Quippe lacrymae, sudor, & exuberans pituita sunt reliquiae conuiuij, vbi genio & dapibus indulgetur. Et haec inundans aqua typum habet in diluuio, quo totum ferè genus hominum absorptum est: Christo nimirum assertore, extrema mundi fata multis praeeuntibus malis castigabunt homines, multo vino, varióque ferculo conuiuantes. Ita praescius hic Dominus. *Sicut factum est in diebus Noë, ita erit, & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant; vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Lot. Edebant, & bibebant; emebant, & vendebant; plantabant, & aedificabant: qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem, & sulphur de caelo, & omnes perdidit: secundùm haec erit, qua die Filius hominis reuelabitur.* Non est refundendum illud oraculum in extremam mundi periodum. Etenim singulis quibusque diebus vacatur epulis, & conuiuantibus multis helluonibus ingruit diluuium: nam catarrho subsequente dapes nimias, & lacrymis obortis ob rixas, vndique desudatur. Vnde appositè dixi, epularum mundi exitum infaustum, eas infames efficere, & desinentes in lacrymas, quibus vilia mundi mancipia adscitis vndequaque vino & ferculis inundantur.

Luc. 17.

Gulam sequitur diluuium & quale.

PARS SECVNDA HOMILIAE.

Christiana disciplina prouocat homines ad Dei delicias, austeris & rigidis initiis.

§. III.

EX THEOLOGIA, EX SS. PATRIBVS, ET EX HISTORIA.

TItulus reparatoris hominum non fuit in Christo magni nominis vmbra; sed reuera fuit veridicus interpres meritae dignitatis. Quippe tenor institutus à Christo, ad instaurationem nostram satis superque clamat, illud insigne nomen reparatoris hominum haudquaquam fuisse Domino iniustum à garrulo assentatore, velut inane ementitae gloriae simulacrum. Ille nimirum sospitator hominum, iisdem artibus procurauit salutem nostram, quibus eam curauerat ante lapsum. Nempe frugali victu initiauit hominem, decernens aquam ad potum, & epulas instruens fructibus & gramine. Praeterea, ne indoles humana labem contraheret ex otio. *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Itaque frugalitas, & labor fuere cardines praecipui, in quibus tota hominum salus prouidè vertebatur. Nam esto vigente iustitia originali concupiscentia carnis non facesseret homini negotium importunum, quia spiritus Deo soli litans corpori praeualebat; Illa tamen concupiscentia carnis insita radicitus inerat hominibus, sed non inquies & eatenus insolescens, vt postea fuit homine rebellante. Quantumuis enim stetisset homo Deo gratus; caro tamen congruis illecebris affricta gratum sensum indubiè percepisset. Gratia namque Dei hominem afficiens, naturae indolem non expunxit. At ex naturae instituto vnaquaeque potentia gratis & vltro fertur in obiectum suum: homo igitur in beato statu naturae integrae titillari potuit sensuum illecebris, gratia prutiginem illam minimè temorante. Tantaque potuit obiici carnis illecebra; vt delinitus homo cupediis deforis sese insinuantibus in animam, excideret gratiâ sibi caelitus impertitâ.

Adae salutem, qua industria Deus curauit.

Genes. 2.

EX THEOLOGIA.

Gratia Dei non destruit concupiscentiam.

Concupiscentia quid sit.

Huius concupiscentiae perniciem sensit Eua, quae male suada propensione gustus ad gulae cupedias carpsit vetitum pomum, in quo suspicata fuit delicias proprias ad vescendum. Ecce fumus imprudentis animae. *Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Hoc contextu notatur impetigo seu concupiscentia gustus, & oculi effusi in obiectum, cuius erat visus noxius interdictus. Nonne & suasio elegantissimae mulieris, vt praepotens illecebra Adamum fregit, concupiscentiâ consciâ erroris? Illo igitur Adami lapsu, in confesso est concupiscentiam fuisse nobis congenitam: coïre namque potest cum gratia concupiscentia haec, adscito moderamine rectae rationis, vt Seraphicus Doctor suggerit eruditè. Idcirco intestinus hostis occultè militans, & quasi per cuniculos hominem sollicitum reddere debuit, ne turpiter occumberet, appetitus sensitiui nexibus irretitus. Vt homini sua omnia constarent sarta tecta, nullosque intercereret obices ad salu-

Genes. 3.

Bonauent. in lib. 2. sent. dist. 32.

Abstinentiae effectus.

tem illa deorsum vergens naturæ propensio; Deus homini lautioribus epulis interdixit. Quippe caro saginata recalcitrat, & abdomine distento coarctat spiritum. Ille frugalis indictus homini cibus, & cultura iugis paradisi obstabant, ne caro vegetior insurgeret in animam, prætereundo fines sibi à Deo rerum Domino præstitutos.

Differentia concupiscẽtiæ naturæ in vtroque statu scilicet innocentiæ, & peccati.

Quamdiu morem gessit homo legi indictæ, nullis planè fuit concupiscentiæ noxiæ stimulis actus, obstetricante iustitia originali: sed vbi suspicatus est interdictum sibi pomum esse cibum lautiorem, & concupiscentiæ pomi indulsit; fractis quasi repagulis in animæ perniciem foras prodiit appetitus. Æqua nimirum dispensatione Dei homo incurrens ponere modum concupiscentiæ, quam Deus animæ subiecerat, iniquum sensit & irreconciliabili bello spiritum infestantem. Proinde dispar est ratio concupiscentiæ naturæ integræ, & eiusdem Adami vitio sauciatæ. Sospite natura, nihil aliud fuit illa concupiscentia præter imbecillum appetitum carnis ad omnia, quæ conducunt ad delectationem eius. Dixi, appetitum illum fuisse imbecillum, quia beneficio gratiæ seu iustitiæ originalis, qua dignabatur homo, erat velut hebes ille languidus appetitus. Ast vbi animâ suas deserente vices, homo passus est deliquium iustitiæ originalis, concupiscentia exuberans, & extra præscriptum alueum discurrens hominem totum vitiis inundauit. Ideoque malè audit apud Theologos nomen concupiscentiæ, quia ex S. Bonauentura concupiscentia dicit appetitum immoderatum boni commutabilis. Et hæc immoderata cupido raptans animam ad assequutionem boni alicuius infra Deum cum eius iniuria, ita vt bonum increatum deteriori bono cedat, hominem obstringit peccato lethali. Aliàs eo solo nomine dicitur immoderata cupido illa concupiscentia, quia non perfectè rationis legibus obsecundat. Tunc citra peccatum vellicatur homo ad illicita, licet hæc prurigo quandoque validè sollicitet hominem ad obscœna opera perpetranda. Vnde, quia facilis est transitus à sensu ad consensum, suspecta fuit semper concupiscentia quibusque probis hominibus, quibus idcirco cura fuit, eaque quàm maxima noxium illum appetitum congruis actibus edomare. Etenim animæ segnius quàm par est inuigilanti sibi, periculum imminet ab immoderata concupiscentia, quæ idcirco fomitis peccati nomine designatur.

Bonauent. vbi supra.

Ex SS. PATRIBVS. Cõcupiscentiæ bellum debet esse irreconciliabile. *Cassian. lib. 7. cap. 15.*

Prudenter hunc agonem Cassianus insinuat ita monens. *Non est nobis aduersarius extrinsecus formidandus. In nobismetipsis hostis inclusus est: intestinum in nobis quotidie geritur bellum: deuicto eo, omnia quæ forinsecus sunt, reddentur infirma, ac militi Christi vniuersa pacata erunt, & subdita.* Idem apprimè eruditus in his, quæ pertinent ad spiritualem illam luctam carpit eos, qui vitij sui argumenta petunt ab obiectis extrinsecis, & causatur se deforis agitari. Sic ille. *Aliorum vitio stimuli commotionum non nobis excitantur, sed potius nostro, qui reconditas in nobismetipsis habemus offensionum causas, ac semina vitiorum, quæ cùm mentem nostram tentationum imber alluerit, in germina confestim fructusque prorumpunt.* Esto sit animus inquies, inuigilans sibi contra iuges insidias appetitus sensitiui; diuina tamen dispensatione molestiam illam patitur homo futurus ignauior, si hunc gestientem ad arbitrium suum concupiscentiæ spicula minimè lacesserent, & pungerent incunctanter. Ita pugil ille præfatus. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Habes & hic pugnam insitam quodammodo corpori nostro, dispensatione Domini procurante. Quod vniuersis congenitum, concretumque deprehenditur quomodo non credendum sit arbitrio Domini non nocentis, sed consulentis insertum: causam verò huius belli, id est, carnis & spiritus hanc esse pronuntiat, vt non, inquit, quæcumque vultis illa faciatis. Ergo id quod procurauit Dominus, vt a nobis non posset impleri, id est, vt non quæcunque volumus illa faciamus, si impleatur quid aliud credi potest esse, quàm noxium. Et est vtiliter hæc pugna nobis dispensatione Creatoris inserta, & ad meliorem nos statum prouocans, & compellens, qua sublata procul dubio pax è contrario perniciosa succedet.*

Idem lib. 9. cap. 5. Vitiorum in nobis semina latent.

Cap. 7.

Concupiscentiæ molestiæ sunt vtiles vt excitent hominem.

Tentationes quomodo sunt vtiles.

Si ergo Deus hominem in statu naturæ integræ frugalibus cibis instituit, ad compescendum appetitum carnis, qui nondum insurrexerat in animam; operæ-pretium fuit, Christum, qui venerat reparare hominum ruinas, eamdem etiam industriam adhibere initiando homines sua cælica disciplina. Hoc abundè præstitit in nuptiis Cana Galilææ, vbi deficiente vino, suas ipse Dominus epulas instruxit, nihil omnino præter aquam apponens; illo veluti typo docens, debere esse hominem frugi, cui insedit dare suum nomen militiæ Christi. Suspicor item, prouidum hunc reparatorem primo Euangelij rudimento voluisse castigare gulam, vt primæ labis causam; & quia lethales animæ texit insidias, congrua fomiti pabula ministrando; eamobrem cùm ad primum miraculum edendum iussit aquam afferri in vasis lapideis; typicè ingessit mentibus nostris, qualia debeant esse exordia hominis hactenus lapidei, & inolitis vitiis obdurati. Aqua nimirum tessera frugalis vitæ monet pugilem Christianum, esse auspicandum à tenui victu bellum vitiis indicendum. Hoc quasi velitari certamine lacessebat corpus suum Apostolus, ieiuniis se accingens ad magis ardua facinora audenda, omnia videlicet dæmonum agmina superando.

Gulæ mortificatio prima fuit lectio Christi.

Ieiunia sunt rudimenta militiæ Christianæ.

In ea mente fuit Cassianus commemorans Pauli agones. *Pugnat* (inquit) *in ieiuniis, & afflictione carnali, non quasi aërem verberans, id est, continentiæ ictus porrigens; per quos non aërem vacuum, sed illos spiritus, qui in eo versantur, castigatione sui corporis verberabat. Et quia hæc certaminum genera superarat, & ditatus multarum coronarum stipendiis incedebat, non immeritò robustiorum incipit hostium subire luctamina, dicens: Iam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates.* Quasi diceret: Ego tyrocinium belli spiritualis feci, congrediens cum carne mea superata ieiuniis certamine singulari. Corpore prostrato me maiora manent prælia. Hoc igitur esto ratum, scilicet Christum parciore victu suos initiare athletas, vt eos ad potiores agones faciat aptiores. Tantùm enim concupiscentiæ minuitur impetus, quantùm lautioris cibi corpori subtrahitur. Eò spectat effatum istud Cassiani. *Nunquam poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria* gulæ

Cassian. lib. 5. cap. 18.

Gula primò coërcenda viro Christiano. Cõcupiscentia ieiuniis minuitur.

Cassian. lib. 5. c. 10. & 20.

gulæ nequiuerit refrænare. Interioris hominis castitas, huius consummatione discernitur. Eiusdem ponderis & momenti est & hæc illius sententia. *Qui gulæ superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo æstus concupiscentiæ carnalis valebit extinguere? & qui non quiuit passiones in propatulo sitas paruasque compescere, quomodo occultas, nulloque hominum teste prurientes, moderatrice discretione poterit debellare?* Hactenus ille.

Christianæ disciplinæ aspera rudimenta.

Cùm itaque Christiana disciplina suos sectatores informat aquæ potu, reuocat illos ad beatum vitæ genus, ad quod aptatus erat Adam; mensæ frugalis vsu, velut forti Panoplia cataphractus. Rursus illa aqua petita à Christo notat lacrymas, & sudores, aliamque pœnitentiæ supellectilem, qua præuia tantùm in discipulorum Christi numerum adoptamur. Vt namque pares paribus gaudent, ita Christus à carne abhorrens, sequaces petit nescios carnis, id est corpore ieiuniis terso, ac proinde animo defæcato. Conscius huius instituti Apostolus ita monet. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis.* Vnde cùm illa carnis extinctio secum vehat angustias, & sudores; præambula disciplinæ Christianæ dicuntur habere typum in aqua substrata primo miraculo Christi. Prostant & figuræ celebres in eo argumento, quibus abundè liquet, aspera esse primordia professionis, cui dedere nomen suum Christi Domini sectatores.

Gal. 5.

Prior occurrit Ruth mulier alienigena, vtpote Moabitis. Hæc humilitate sua sibi conciliauit gratiam viri præpotentis in Israël nomine Booz ataui Regis Dauid. Sed antequam deueniret ad nobiles hymenæos, eam sic affatus est Booz. *Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco, sed iungere puellis meis, & vbi messuerint, sequere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi: sed etiamsi sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas de quibus pueri bibunt, &c. Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Ecce genuinam ideam animæ anhelantis ad gratiam Christi. Eam pius ille Dominus secreto affatu sollicitat, vt iungatur discipulis suis in agro Euangelico metentibus opimos manipulos meritorum. Ea cautione tamen vt anima non referat segetem in horrea, quin biberit aquas de quibus pueri bibunt. Hoc perinde est, ac dicere, neminem æterna præmia demetere, quin perfusus aquis ærumnarum, agone multiplici & vario desudarit. Buccella intincta aceto clamat pœnitentiæ acerbitatem: sed his asperis initiis ad æterna gaudia deuenitur.

Ruth. 2.

Gloria æterna non decernitur nisi præuiis agonibus.

Ecce & aliam figuram appositè ad subiectam materiam. *Dauid fugit in speluncam Odollam. Quòd cùm audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illùc. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Nouercante fortuna, sors iniqua fuit Dauidi; sed hæc deploranda clades non obstitit, quin tota cognatio ei afflicto semper adhæserit. Imò plerique malè excepti, & afflicti, sese huic transfugæ Principi sociarunt. Eadem quoque naue vehuntur omnes sinceri Christi discipuli, & reuera fratres eius. Siquidem illi aduertentes Christum ærumnis confectum, felle & aceto potatum, hunc etiam vitæ ritum licet asperum ineunt, vt Christo afflicto comites adiungantur. Non est prætereunda figura populi Israël, quem eductum ex Ægypto noluit Deus suis arcanis instituere, quin prius aperto mari rubro transisset inter medios vortices pedibus illibatis.

1. Reg. 22.
Christi sequaces vltro asperis & acerbis delectantur.

Ex Historia.
Spartanorũ constantia in ætate impubere.
Plutarch. in Lycurgo.

Profanis etiam liquet historiis, homines virtutis arduæ à teneris vnguiculis æquo animo aspera omnia pertulisse. In his fuere famosi impuberes pueri Spartanorum, quorum præcox constantia flagris acerbis, & educto copioso sanguine tentabatur. Illo aspero rudimento iuniores homines eruditi, ad fortia audendum se aptabant. Tantumque profecere illis asperis initiis, vt nemo Spartanorum pro patriis legibus fortiter occumbere detrectarit. Vnde mulieres Spartanæ dicebant, se solas esse, quæ viros parerent, & fortiter educarent. Illa fuit responsio Gorgonis coniugis Leonidæ, cui cùm maritus multum deferret, audiit à peregrina fœmina sibi sic applaudi. Μόναι τῶν ἀνδρῶν ἄρχετε ὦ Λάκαιναι. Id est, Solæ viris imperatis, ô Lacænæ. Illa subiecit. Μόναι γὰρ τίκτομεν ἄνδρας. Id est, Solæ enim parimus viros. Fuit & illis in more positum statis diebus nudos exhibere pueros, vt si obeso corpore fierent, collectum adipem inedia congrua castigarent. Strabo meminit & Cretenses æmulatos illum morem in educatione iuuenum. Cicero paucis concludit illorum rigidum institutum. Sic ille. *Cretum leges laboribus erudiunt iuuentutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando.* In hoc themate res est scitu digna, quam meminit Cornelius Tacitus. Ait ille, Germanos pueros suos austeris moribus informare; vno namque vili amiculo tectos hyemare cogunt, & mox natos tingunt aquis Rheni fluminis, arbitrati rigida hæc incunabula multum conducere ad faciendos homines toto pectore fortiores.

Cretenses austerè pueros educabant.
Strabo L. 10.
Cicero lib. 2. Tuscul. quæst.
Cornel. Tacit. lib. de moribus Germanor.
Germani quam rigidè pueros educabant.

Vt generosos animos inspirarent suis liberis Lucani, Spartanorum disciplinam in suam Rempublicam inuexerunt. Ita Iustinus. *Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis, in syluis, inter pastores habebantur, sine ministerio seruili, sine veste, quam induerent, vel cui incubarent, vt à primis annis duritiæ parsimoniæque, sine vllo vsu vrbis assuescerent. Cibus his præda venatica; potus, mellis, & lactis, & fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur.* Famosa est in hoc argumento educatio Henrici Magni Regis Christianissimi. Is patre Antonio Borbonio Rege Nauarræ satus est, cuius antea pueri omnes educati suauiter, de medio sublati sunt præcipiti fato. Suam hanc sortem iniquam ægrè tulit pater orbus tot filiis. Sed socer eius Henricus Albretius potiens regno tulit iniquius illam cladem, vtpote dolens, regnum deuolui ad fœminas, prole omni mascula defungente. Mediis his querelis Ioanna prægnans enixa est puerulum, magno regni applausu, & præcipuè soceri parentis huiusce puerulі. Quem vt ille subriperet morti immaturæ noluit infantem hunc institui molliter, sed agresti ritu: suspicatus regiam prolem periisse, quia fuerat ab incunabulis, mollibus assueta. Itaque decernente auo puerulus, cui nomen Henricus, austerè ruri fuit cùm coloni liberis enutritus. Dumque per ætatem licuit, graue Martis onus subiens dedit nomen suum bellicæ disciplinæ. Hisce

Lucani quatione suos pueros educabant.
Iustin. l. 23.

Henrici IV. Regis Galliæ austera educatio.

rudibus

Andreas Favin. in histor. Navarr. sub ann. 1553. rudibus initiis consultum est sanitati Henrici, cuius valetudo frugalibus cibis obfirmata est, & corpus aptatum iniuriis omnium tempestatum. Hisce rudimentis asperis Heros ille Christianissimus, velut scalis idoneis euectus est ad solium regni orbe toto florentissimi, vbi rerum gloria famosissimus Rex ille Christianissimus, tyrocinij sui acerbi fructus perquàm suaues, & præmia reportauit.

Esto, luculenta stipendia concedantur eis, qui nullo intuitu gloriæ æternæ, rigidum vitæ genus obeunt, gloriam hominum hisce ritibus aucupantes. Quis hominum fidelium cunctabitur dare nomen suum Christo, initianti suos discipulos pane & aqua, id est, arctiore cibo, & duris agonibus, quos æterna vitæ interminæ gaudia consequuntur.

Aspera quidem virtus est initio, sed mitescit in progressu, suosque professores mirè lætificat.

§. IV.

Ex SS. Patribus, Et ex Historia.

Ioan. 2. PRæfixo huic titulo litat textus Euangelij, quod expendo, cuius en tenorem. *Vt gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Mundi asseclæ, virtutis initia speculantes esse velut obsita spinis, & importuna carni, repudiant praxim eius, & mirantur, vnde gestiant, atque serena facie sint virtutis impigræ professores. Quippe sciunt virtutis incunabula referre cunas Moysis, quæ immersæ flumini tinxerunt aquis illum puerulum elegantem. Nempe multo sudore madent virtutis exordia, ac proinde latet argumentum, quo suasore iubilant semper, & quasi peramœno vultu vernant virtutis arduæ sectatores. Architriclini, id est, epulones & parasiti mundo obstricti nesciunt, & mirantur, vnde vinum defæcatum propinetur virtutum amasiis; sed hi fideles virtutis omnigenæ cultores, qui hauserunt aquam, id est, qui sudarunt in contrahendis habitibus optimis, omnem suum iubilum refundunt in Christum Dominum, vt in gratiæ acceptæ cælitus assertorem.

Virtutis exordia sunt horrida carni. Virtutis horrida sentibus initia, & respersa sudore copioso refert Augustinus, vtpote tricas expertus difficiles, quando rupit iugum inglorium vitæ voluptuosæ, cui fuerat hactenus assuetus. Recensitâ molestiâ, quam facessunt rudimenta cultioris vitæ, subiicit suauitatem, qua recreantur homines, qui superatis anfractibus & salebris virtutis incultæ, se totos ei impigrè deuouerunt.

Ex SS. Patribus. Augustini angustiæ in sua conuersione. August. lib. 8. Conf. c. 7. 8. Augustinus reuera conscius, quantis lancinent aculeis animam virtutis inaspectæ calles inuij, sic suas meminit angustias passas à momento, quo vitiis conscripsit libellum repudij, vt totum se virtutis cultui manciparet. Ecce ærumnas multa sudoris aspergine madidas. *Quibus sententiarum verberibus non flagellaui animam meam, vt sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur, recusabat, & non se excusabat. Consumpta erant & conuicta argumenta omnia, remanserat muta trepidatio, & quasi mortem reformidabat restringi à fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem, &c. Insaniebam salubriter, & moriebar vitaliter, gnarus quid mali essem, & ignarus quid boni post paululum futurus essem, &c. Ego fremebam spiritu indignans turbulentissima indignatione, quòd non irem in placitum, & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant, & in cælum tollebant laudibus, & non illuc ibatur nauibus, aut quadrigis, aut pedibus. Nam non solùm ire, verùm etiam peruenire illuc, nihil erat aliud quàm velle ire; sed velle fortiter & integrè, non semisanciam hac atque hac versare & iactare voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente luctantem. Denique tam multa faciebam corpore in ipsis cunctationis æstibus, quæ aliquando volunt homines, & non valent, si aut ipsa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel resoluta languore, vel quoquo modo impedita sint. Si vulsi capillum, si percussi frontem, si consertis digitis amplexatus sum genu, &c.* *Cap. 10.* *Ego cùm deliberabam, vt iam seruirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram, ego eram qui volebam, ego qui nolebam, ego eram. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam. Ideo mecum contendebam, & dissipabar à meipso. Et ipsa dissipatio me inuito quidem fiebat; nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Et ideo non iam operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum, de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.*

Virtutis difficultas vnde sit petenda. Consuetudinis malæ mali effectus. Ante hominis lapsum etiam confragosum iter erat ad virtutem, suasque remoras sensisset homo viam virtutum carpens, etiamsi nunquam passus esset gratiæ deliquium. Nempe caro gratiæ illapsu non desinit esse caro, suis illecebris obnoxia, vt suo discrimine sensit Adam, qui illectus amore malè suadæ coniugis, à recto virtutis tramite deuiauit. Post Adæ ruinam, soboles eius in graue dispendium incurrit: nam quod homine stante fuit simplex propensio, seu appetitus sensitiuus; post defectionem, rixa fuit vtrique viris optimis importuna. Præterea si ad naturam sauciatam accedit repetitæ voluptatis viscosa consuetudo; contractus inde malus habitus rugis atque supercilio obducit virtutis faciem, quæ sic corpori redditur insuauis. Est illa sanè ratio omnis, quare virtus appareat hispida & horrida multis hominibus, & alio planè oris habitu, quàm nacta sit: quia videlicet molles amasij voluptatis assueuere deliciis, quarum suauitate virtutis obsequia omnia proscribuntur.

Sistendus iterum Augustinus recolens angustias, in quas à corpore facessente negotium spiritui, qui & ipse delinitus memoriâ illecebræ reformidans institutum vitæ tersioris, infinita prope noxia suggerebat. Ille animus inquies, suiipsius penicilli ductu, sic se graphicè delineat. *Ægrotabam, & excruciabar accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac voluens, & versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar, sed tenebar tamen: & instabas tu in occultis meis, Domine, seuerâ misericordiâ flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem, & non* *August. lib. 8. Conf. c. 11.*

abrumpere

abrumperetur idipsum exiguum & tenue quod remanserat, & reualesceret iterum, & me robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo iam ibam in placitum, iam penè faciebam, & non faciebam, nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam,& respirabam, & item conabar, & paulò minus ibi eram, & paulò minus iam iamque attingebam, & tenebam, & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, & vitæ viuere: plusque in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum: punctumque ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quantò propiùs admouebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem; sed non recutiebat retro, nec auertebat, sed suspendebat. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant: Dimittisne nos? Et à momento isto non erimus tecum vltra in æternum; & à momento isto non tibi licebit hoc, & illud vltra in æternum? Et quæ suggerebant in eo quod dixi, hoc & illud, quæ suggerebant, Deus meus, auertat ab anima serui tui misericordia tua. Quas sordes suggerebant? quæ dedecora? Et audiebam eas iam longè minus quàm dimidius, non tanquam liberè contradicentes eundo in obuiam, sed veluti a dorso mussitantes,& discedentem quasi furtim vellicantes vt respicerem: retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis, & transilire quo vocabar.

Consuetudo mala penè Augustini conuersionem impediuit.

Conuersionem peccata inolita remorantur.

Iactatus Augustinus hac tempestate diu, tandem aliquando mari deponente suos fluctus, appulit ad portum animi compositi in tranquillum habitum: ille nimirum genius est virtutis, vt post aliquale obsequium illi exhibitum demittat omne supercilium, atque suos dignetur suaui osculo professores. Quibus frigidâ potatis initio, vinum propinat optimum in progressu. Aqua nempe cruda in epulis Christi naturam induit vini defæcati. Ipse animarum sponsus in laboribus à iuuentute, sudore suum respersit corpus, antequam illud immortalitate, & æterna gloria recrearet. Quod perinde est, ac dicere, Christum aquam qua potatus est, mutasse in vinum, vt singulari typo fuit à Salomone præscio figuratum. Rex ille numinis flamine percitus, sic inducit Dominum hunc ruinas naturæ sauciæ reparantem. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Anima anhelans ad sacros hymenæos Christi properans in hortum eius, constanter accedat ad myrrham, & hanc demetat absque fastidio; quippe momentaneus amaror est, quem affricat virtutis acerbitas: sed ex diametro suauitas est perennis, quæ multa & æterna manet virtutis exercitæ sectatores. In argumentum dulcedinis huius Salomon meminit mel, fauum, & lac, vt innoxiæ symbola voluptatis. Inebriandos ait charissimos, vt sic insinuet omnem ærumnarum memoriam à mentibus expungendam. Quia vt ebrius nihil nisi vinum sapit; ita nec fideles conuictores Christi eodem felle pasti, quo & ipse, vinum postea deglutient inebrians, liberali manu à Christo Domino propinatum.

Christus acerba passus ante glorificationem corporis sui.

Cant. 5.

Illa indoles corpori ingrata, qua virtus stipata patet primo occursu, figuram sortitur ingenuam in leone, quem Samson Spiritus sancti illapsu effectus fortior enecauit. Ecce seriem historiæ. *Apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, &c. Post aliquos dies declinauit vt videret cadauer leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis. Quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem suum, & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt.* Non inficiamur, virtutem primo suo occursu septam esse veluti senticeto. Quisquis enim virtutis viam inuiam habet; de illa nihil nisi horridum sapit. Sed Spiritus sancti aurâ leniter afflante, homo aspirans ad meliorem frugem, animæquior factus se accingit ad deuotandas difficultates, quæ se virtutis initio comites adiunxerunt. Vtque robur Spiritus sancti præualet angustiis, quæ occurrunt in prima virtutum praxi; statim atque animam perflat æstus Spiritus sancti, illico superat omnes obices, virtutis cultum antea remorantes. Præterea inualescente obsequio virtutis, eædem difficultates instar sæui leonis horridæ, cadunt omni suâ ferociâ, & quasi conditæ mellis aspergine, diuinâ gratiâ condiuntur. Et illa suauis virtutum illecebra tanta est, vt professores eius fastidiant omnes sæculi cupedias, velut insipidas; arbitrati, solo opimo virtutis exercitæ succo dulcissimo animas congruè saginari. Quodque bonitatem cibi notat, studiosi omnes virtutis integræ, non suis vsibus tantùm dulcorem hunc impendunt, sed & Ecclesiam matrem suam illa etiam dulcedine pascunt, dum suo exemplo multa hominum corda sollicitant ad professionem rigidæ disciplinæ.

Iudic. 14.

Gratia Dei virtutis acerbitatem lenit.

Multa in hoc genere recensentur exempla Sanctorum, qui sæculo abdicato dedere nomen suum Christo: sed priscis Ecclesiæ monumentis silentio præteritis, occurrit exemplum & Capucinis & toti Galliæ venerandum. Illud est Reuerendi admodum Patris Angeli à Ioyosa Capucini, qui olim Pro-Rex Galliæ Narbonensis, Dux & Par Franciæ, Torquatus, Eques, Regibus Christianissimis perquàm charus, Socer Principis Montispenserij, regij stemmatis & sanguinis, mundi illecebras pertæsus concepit propositum Christo Domino militandi. Duxerat ille acies belli gloriâ clarissimus sub se generali præfecto militiæ, ac proinde nihil nisi generosum suo forti & æneo pectore volutabat. Statuto itaque repudio mundi, strenuus heros credidit esse è re sua seligere arduum vitæ genus, & dare nomen suum religioni profitenti studium virtutis omnibus suis numeris absolutæ. Non hæsit in delectu: namque Capucinorum ordo rigidus animum eius adeò perculerat ob egregia specimina virtutum illic edita; vt de alio instituto minimè cogitarit. Stupente igitur regno toto, vir ille magnanimus, quem stipabant tot & tantæ mundi dotes, multisque clarus infulis, omnem hanc luculentam sæculi illucentis supellectilem penitus abdicauit. Deposito mundi fastu, Christum pauperem induit & centones: hoc vili tegmine cataphractus & nudipes occurrit virtuti, eamque conclusam arce sua munitissima, scilicet claustro, fortiter adorsus est. Vt classicum insonuit, virtus in illa Capucinorum palæstra degens se totam explicuit illi neophyto, qui spectato seuero oris eius habitu,

EX HISTORIA. R. P. Angeli à Ioyosa vitæ compendium.

Capucini qua re præ cæteris electi à R. P. Angelo.

R. P. Angeli quàm seruida imtia.

habitu, minimè territus est; imò resumens animos, affectus suos composuit ad obsequium huius rigidæ disciplinæ.

R.P. Angeli indoles mollis in sæculo.

Habemus adhuc superstites tyrocinij eius seu nouitiatus socios, & sodales plusquàm quinquagenarios in eadem professione. Res est sanè plena deliciarum audire, quàm fortiter se gesserit ille Samson irruens in leonem, dente fero & exertis vnguibus insultantem. Profectò fuit res propè miraculum, videre hominem epulis assuetum longam inediam familiarem Capucinis crudo tantùm gramine recreare. Quodque fidem omnem superat præpotens hic Dynasta degens in sæculo, noctes agebat insomnes, nisi recumberet in cubili strato sindone delicata. Corpus namque fuit ei prorsus impatiens rerum, quæ cuti ingratæ sunt, vt solo attactu rei duriusculæ caro refuga formidaret. Attamen initiatus austero vitæ ritu Capucinis insolito, durissimo strato incubans nusquam succensuit in cubile ingratum, quasi esset iniurium somno, quem breuem carpunt rigidi Capucini. Deuoratis hisce difficultatibus, quibus vt vallo cingitur virtus, in extincti leonis ore reperit examen apum, & fauum mellis. Siquidem inediam, quam molestam primò tulit, adeò familiarem sibi fecit; vt creatus Prouincialis, emenso tractu quatuordecim leucarum feria vna sexta mensis Martij, quas omnes ferias Capucini rigidè ieiunant sine vllo obsonio, genu flexo humi, paupere prandio pasti, cui præiuit flagellatio publica, refricans memoriam Passionis Christi, cuius intuitu totas illas ferias Martij sic decurrunt. Huius feriæ, inquam, antelucanis horis surrexerat vir ille virtutis emeritæ, vt expeditis quatuordecim leucis interesse posset his epulis. Res ei pro voto successit: nam adfuit illi prandio, morem præfati subiens instituti. Sed vt conscius erat humanæ infirmitatis; sanxit, vt sociis suis consuleretur congruo pastu, dum ipse pane & aqua fessa leuaret membra. Stupentibus aliis, Magnatem illum humi pronum posse subsistere tam modicè pastum; ille vt opiparè exceptus animi sui alacritatem hilari & aperta facie præferebat. Ecce aliud facinus egregium.

Capucinorū ieiunia feriis omnibus sextis mensis Martij.

Feruor insignis R.P. Angeli.

Eius pietatis famâ percrebrescente, quidam Magistratuæ proceres eo salutato miserunt luculentum prandium, tempore quo communibus licet vti cibis. Emeritus ille Prouincialis vbi mensæ assedit horâ condictâ cæteris, hoc enim ei semper cordi fuit, vt vbique fratribus suis, cuiusque virtutis specimine edito præluceret. Vt vidit nihil sibi apponi, & cæteris viles escas ministrari; subrisit primò, suspicatus fratrem, cui incumbit disponere & assignare suas singulis quibusque portiunculas, non attendere personam suam, & sic sibi fore argumentum signandi ieiunium prandendo frugaliter. Sed dum hæc animo versat, videt ex ostiolo aperto transmitti fercula opima, & sibi apponi, vt sanxerant Optimates. Primo aspectu sobrius ille Pater exhorruit, & splendidas dedignatus epulas, abiit in lacrymas. Expectare omnes quid ex hoc intempestiuo fletuum imbre procederet. Eo namque fine pluit vt arua ritè disposita fœcundentur. Exquisitæ dapes, quæ obiectu suo fecissent aliis cupidinem sui, eò adegere virum illum magnum; vt non stomachum tantùm mouerint æstuante bile, sed & eiulans exclamaret: Heu heu, fratres, vbi iam sum, & vbi non sum ego! Apparatus iste sapit diuersorium & cauponam, non conuentum pauperum, quales esse nos professio nostra sollicitat. Non ego repudium mundo dedi, vt pristinas delicias, & cupedias gulæ denuo reuocarem. Nolo veste tenus agere Capucinum, talem præstare volo, qualem me credunt sæculi sectatores. Ne itaque imponam hominibus, auferte hinc fercula lauta, tollite totam hanc voluptatis supellectilem, vt incongruam sorti nostræ. Volo pasci pauperum ritu, frustra vrgetis vt procerum vrbis intuitu cibis vtar appositis; potior nempe mihi est integritas professionis meæ, quàm corporis mei cultus, prandio Capucinis insolito procuratus. Porro fleuit, querula voce damnauit epulas sibi instructas, & modico pane pastus surrexit dapibus illibatis.

Exemplum singulare abstinentiæ R.P. Angeli.

Epulæ lautæ quantùm displicuerūt R.P. Angelo.

Profectò suauior illi fuit panis Christi madens aqua, quàm Magnatum epulæ variis distinctæ ferculis. Expertus erat in sæculo degens, mundi delicias omnes & pompam totam desinere in aquam, illicque labore irrito desudari. Periculum fecerat, quàm suaue iugum Christi esset, proprióque experimento didicerat, epulas Christi ab aqua quidem incipere, vtpote secretas ab omni sensu carneæ voluptatis; sed eas suos afficere ineffabili iubilo conuictores. Idcirco magnanimus ille vir propositi tenax respuit epulas opiparas, mundi obsequio propositas, ne suffunderetur aquâ, id est, angustiâ, cuius aspergine madent omnes epulones, & parasiti, mundi dapibus assueti. In eo argumento celebratur hoc vulgare eius effatum, scilicet se vna die obsequij Christo exhibiti inter Capucinos maiori perfusum fuisse voluptate, quàm toto vitæ curriculo expenso in aula Regum, quorum aurâ propitiâ fuerat vsus præcipuis ferè regni infulis illustratus. Ea confessione fidem fecit Psalti recolenti delicias seruorum Dei. *Melior est dies vna in atriis tuis super millia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psalm. 83.

Christi iugum suaue fuit R.P. Angelo.

Ille vel vnus hoc sæculo vadem luculentum se præstitit effati huius, quod titulus astruit, monens virtutem initio rigidam, in progressu fieri mitiorem. Hic nempe suspiciendus heros dato libello repudij mundo, atque crepundiis eius, & superato negotio, quod facessunt omnia præambula cuiusque rigidæ disciplinæ, tot cælitus excepit gratiarum latices, vt animam eius lætitia perfundens etiam deforis appareret. In hanc æterni iubili sortem euectus hic strenuus Olympionica familiares habebat istas Augustini voces. *Domine ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tibi? responde mihi, & dic animæ meæ salus tua ego sum. Quis ego, & qualis ego? Quid non mali ego? An facta mea, aut si non facta, dicta mea, aut si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine, bonus, & misericors, & dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, & a fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Et hoc erat totum nolle quod volebas, & velle quod nolebas. Sed vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altóque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leui iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ, Christe Iesu adiutor meus, & Redemptor meus? Quàm suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat; iam dimittere*

Virtutis studium in progressu suauiter afficit professores suos.

Ex SS. PATRIBVS. Augusti. lib. 9. Confess. c. 1.

Peccatoris descriptio.

Virtutis suauitas gustata ab Augustino initio conuersionis.

dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas; eiiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber est animus meus a curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum, & garrio tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ Domino Deo meo.

Dixi, Samsonem in faucibus leonis extincti reperisse fauum, cuius dulcedine non pastus est tantùm, sed & parentes suos abundè pauit. Hoc tenore Pater Angelus aleam virtutis ingressus est, Nam primo agone fregit difficultates, quæ virtutem stipant, & pro stipendio pugnæ, à Deo dignatus est ineffabili alacritate animi, qua & parentem suam Ecclesiam mirificè recreauit. Etenim lectissima manus nobilium valè dixit mundo, idemque genus vitæ professa est, quod Angelus ille constanti animo sectabatur. Dumque pugil Christi æquo animo tulit angustias, quibus vt forti putamine concluditur virtus; hoc hilari & venusto sui oris habitu testatus innoxias animæ suæ delicias, plerisque cupidinem fecit vitæ, quam agebat, eosque fecit participes faui, cuius dulcedine suauiter pastus, etiam deforis exultabat. Tantùmque valuit illa suauitas, quam afflabat hic Angelus, vt ea pellexerit plerosque nobiles, quorum conuersione propagatum fuit in Gallia Capucinorum sanctissimum & rigidum institutum. Vt vetustas edax omnia obliterat, & obsoleta fiunt omnia tempore properante ad occasum, quo deducit omnia; ne posteris hæc subduceretur historia, lubens posui hoc R.P. Angelo monumentum.

Præfata recensio conciliat fidem dicto Chrysostomi, componentis illecebras mundi cum suauitate, qua Deus dignatur animas suo nomini consecratas.

Refricatur ille titulus, insinuans virtutem omnem acerbitatem deponere in progressu.

Ex Philosophia, SS. Patribus, Historia, Medicina, et Symbolis.

Ex Philosophia. *Aristot. lib. 2. Ethic. c. 39.* Habitus ad tria conducit. Habitus generati signû quale sit.

HOc solemne & veridicum Philosophi effatum circumfertur. *Signum habitus generati, est delectatio.* Dicitur namque habitus conducere ad tria, videlicet ad promptitudinem, firmitatem, & delectationem in opere. Ergo cùm habitus contrahatur repetitis actibus, virtutis habitus comitem habebit delectationem, cùm fuerit crebris actibus acquisitus. Huiusce suauitatis ratio est petenda à concupiscentia coërcita. Quò nempe minor est impetus appetitus sensitiui, eò minor est angustia, quam affricat animæ suis stimulis importunis. Vnde quia homo studiosus virtutis, retundit aculeos insitæ cupidinis, quæ hominem stimulat ad omnes sensuum illecebras, toties retundit hoc acumen, vt fiat tandem hebes, nec eo animus inquies amplius vrgeatur. Itaque subeunte locum vitij virtute acquisita, & extirpatis sentibus, hilaris anima virtutis edit specimina, quæ primo conamine fuerant aspera, corpore reluctante. Adiice, pluribus actibus egregiis editis consciâ gratiâ Dei, fieri augmentum gratiæ eiusdem, cuius influxu fit anima vegetior ad compescendos insultus noxij appeti-tus, quo sedato virtutum praxis mira suauitate conditur, & effera principia contracto demum virtutis habitu mitigantur.

Religiosorû vita suauior est quàm sæcularium.

Chrysostomus æquus rerum æstimator apprimè eruditus in illa virtutum omnium palæstra affirmat, omnes mundi illecebras esse infra delicias, quibus perfunduntur assiduè professores impigri cuiusque sanctissimæ disciplinæ. Apposité ad hæc, quæ prælibaui de Heroë & aliàs præpotenti Duce à Ioyosa. Sanctus ille censet, cœnobitas ex hoc sæculo beatiores esse Dynastis mundi, licet affluant eis opes, & sensuum illecebris diffluát vsquequaque. Ita Chrysostomus. *Quid præsentium rerum iucundum est? quid porrò voluptuosum? Videatis Monachorum, & crucifixorum vitam, quæ onerosior vobis, ac molestior solet videri, multò hac tenerâ, molli, & flexibili iucundiorem esse, ac magis expetendam: cuius rei vos ipsos audeo testes citare, qui in periculis nonnunquam vestris, ne in calamitates, & ærumnas incidatis, mortem optatis, & illos qui in montibus, & speluncis degunt, qui celerem vitam minimè negotiosam viuunt, beatos verè ex animo appellatis: quod eos qui in otio vitam agentes, in scena & orchestra diem & noctem peragunt, fecisse nonnunquam non ignoro. Nam etsi mille voluptatibus abundare videantur, quamuis delectationum flumina illis adesse credantur; multis tamen illinc amarissimis telis perfossi plerumque iacent. Nam si saltatricis alicuius amoribus captus quispiam fuerit, omni militia durius, omni peregrinatione molestius tormentum certè sustinebit, omnique obsessa ciuitate miseriores peraget dies. Sed illis interea omissis, & conscientia eorum, qui perpessi sunt, derelictis, agè de pluribus differamus, & tanto interuallo à iucundissima Monachorum vita distare inueniemus, quantùm inter tranquillissimum interest portum, & mare tempestuosum, atque incommodum. Perpende autem felicitatis illorum stabilimenta ab ipsis continuò diuersoriis. Forum enim, & orbis, & tumultus platearum fugientes, in montibus viuere maluerunt, vbi nihil sibi cum his sæcularibus rebus commune est, vbi nihil humanarum rerum perturbat; non mæstitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non insidiæ, non liuor, nô turpis amor, non aliud huiusmodi, sed quæ sunt futuri regni iam meditantur. Valles, & montes apud fontes, in solitudine ac tranquillitate habitantes, & cum Deo ipsi colloquentes: omni tumultu domus sua omnis vacat, & anima omni passione, & ægritudine libera, leuis, subtilis, & ipso tenuissimo aëre purior.*

Ex SS. Patribus. *Chrysost. hom. 69. in Matth.*

Virtutis assequutum est mira suauitate plenum.

Religiosorû vita suauior vitâ sæcularium.

Ita profectò colliquatur anima tanta suauitate in obsequio Dei; vt impar tantis illecebris, & velut impos sui, suspicetur auram sibi nouam cælitus aspirare. Hac aura perflati superiori sæculo duo Sancti magni nominis non potuerunt se capere, quia nimis abundè capti deliciis his diuinis non sufficiebant sibi. Hi Beati, & equidem præcoci felicitate, quantam capere potest anima mortis exuuiis implicita, fuere Franciscus Xauerius, & Philippus Nerius. Quorum prior immersus alto consolationis sacræ pelago, edita voce clamabat. Satis, Domine, satis. Quippe vasis capacitas erat infra copiam gratiæ, cælitus illabentis. Iisdem ferè stipendiis Deo militauit Philippus Nerius, quem gratiæ affluxus melle suauior adeò perculerat; vt inuitus raperetur in ecstasim. Hi reuera consen-

Ex Historia. *Ribadeneyra in vita B. Xauerij. Ex vita B. Philippi Nerij.*

fuere veridici Danidis eloquij affirmantis, homines, qui morem gerunt Deo, lætitia perfrui aliis inexperta. *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos: iudicia Domini vera iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.*

Psal. 18. Mandata Dei obseruata quàm dulcia sint.

Itaque iugis & feruida virtutum praxis est perennis scaturigo deliciarum, quarum ebullientes inde latices alluunt animas Deo rerum Domino arctiore vinculo consecratas. Vnde non est quòd virtutis amasij inuideant sortem Adami, dum constitit sibi. Quamuis enim dum habuit Adam sua omnia sarta tecta, placida sorte fruitus sit; Christi sequaces emeritæ virtutis euecti sunt in statum minimè pœnitendum, qui æqua lance libratus, in eo præstat Adami sorte, quòd illa fuit merum Dei donum; hic autem status discipulorum Christi arguit infractum animi robur, quo excidit Adam pulsus illecebra coniugis, à qua fuit miserè profligatus. Eò respexit Chrysostomus, componens Religiosos cum Adamo. Sic ille suos meminit cœnobitas. *Horum opus id scilicet est, quo Adam etiam ille ante peccatum exercitus, cum gloria indutus, & Deum liberè alloquebatur, & paradisi regionem magna beatitudine plenam habitabat. In quo enim isti peius se habeant quàm ille, quando ante inobedientiam, vt in paradiso operaretur, fuit constitutus? nulla illi sæcularis erat cura; nulla certè isti etiam vexantur. Integra ille conscientia cum Deo colloquebatur; non aliter isti, imò verò tantò liberius quàm ille id faciunt, quantò maiore fruuntur gratiâ dono spiritus elargitâ. At vellem, oculis domicilium eorum & disciplinam viuendi cernere velletis: verùm quoniam foro, & vendendi ac emendi opere occupati, non vultis, saltem particulam à nobis aliquam disciplinæ illorum libenter audiatis. Ista igitur orbis terrarum lumina in exortu Solis, imò verò multò etiam ante diem à lectulo surgunt homines integri, sobrij, vigilantes: nam nec grauedo capitis, nec rerum cura, nec tristitia, nec turba, nec aliud huiusmodi eos perturbat, sed tanquam in cælo Angeli versantur. Illico igitur postquam è lectulo splendentes & læti surrexerint, choro constituto, integra conscientia, omnes quasi ab vno consonantes ore diligenter hymnis Deum laudant, gratias pro vniuersis, tam propriis, quàm communibus beneficiis ei agentes.*

Adami in statu innocentiæ & Religiosi comparatio. *Chrysost. hom. 69. in Matth.*

Religiosæ vitæ descriptio.

Esto videatur illa comparatio esse magni momenti, vtpote gloriosa Religiosis; tamen quasi esset illis iniuria, Chrysostomus velut in cothurnos surgens, eosdem assimilat Angelis hoc contextu. *Illo Adam omisso, quid inter Angelos, & hunc Monachorum intersit chorum libenter interrogauerim, quid sic in terra cantans, & dicunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Amictus autem ipsis fortitudini suæ conueniens circumiacet. Non enim effœminatæ ac eneruæ per terram sibi vestes trahuntur; sed ita eis preparatæ sunt, vt beatissimis illis Angelis, Eliæ dico, Elisæo, Ioanni, ac vniuersis Apostolis: etenim aliis caprarum, aliis camelorum pilis confectæ sunt, multis coria solùm, & ea vetustate consumpta satisfaciunt. Hymnis verò iam decantatis, genibus flexis Deum vnanimes pro his orant, quæ nec in mentem quidem multorum facilè veniunt. Nihil enim præsentium petunt rerum; quippe quarum nulla omnino sibi cura est.*

Ibidem. Angeli cum Religioso comparatio.

Nota, Religiosos non his animæ deliciis affici, quia seorsim agentes emisere vota Religionis: siquidem plerique corpore secreti à sæculo, votis obstricti, pertæsi suam sortem, cui sunt impares, sæpe piacula noxia meditantur. Itaque tota suauitas Religiosi petitur ex sedula professione virtutis, cuius studium equidem tyronibus ingratum est, sed prouectis est suaue; vt contra voluptas initio pellicit ementita dulcedine vinum exquisitum propinans, sed demum suos amasios malè afficit, lacrymis & labore irrito desudantes. Libidinis illecebra, quæ principem locum tenet in serie voluptatum, luculenter adstruit præfatam hanc conclusionem meam: illa nimirum suaue virus instillat, momentanea delectatione demulcens animam; sed dulcor ille fugax in pessimum vertitur amarorem.

Luxuria quàm dirè excipiat suos amasios.

Huic argumento quadrat Hippocratis illa prænotio. Ἐξ ὀσφύος ἀλγήματος ἀναδρομαὶ ἐς καρδίην πυρετώδεες, φρικώδεες, ἀνεμέοντες λεπτὰ ὑδατώδεα, παρενεχθέντες, ἄφωνοι ἐμέσαντες μέλανα τελευτῶσι. Id est, *Frequens è lumbis anadrome ad cor, vnde febriunt ægri, & perhorrescunt, tenuia, & aquosa exomunt, nec sunt suæ mentis, voce capti, cùm nigra vomuerint, moriuntur.* Vides hoc oraculo Medicinæ, humorem maleficum è lumbis eniti ad cor, & illud totum accendere importuna febre, qua percita viscera perhorrescunt. Denuo aduerte, febris æstus & rigores in aquam desinere, qua perfusus æger fit elinguis; dein exuberante humore tetro decumbens homo nigra vomit, & inde fatiscente naturâ perit, hoc humore fero in cordis intima sæuiente.

EX MEDICINA. *Hippocrat. lib. 2. prænot. Coacar. c. 12. prænotione 12.*

Congrua sanè est hæc idea voluptatis præcipuè Venereæ: eius namque rudimenta sunt in lumbis, vbi est scaturigo humoris huius malefici, & iniurij castitati. Cùm pruritus ille libidinis cor permeat, sua statim spargit incendia, vnde febris enascitur amoris impudici, qui vt gliscit, horrore concutit animum memorem iudiciorum Dei. Illa quippe recolens, quàm grauiter offenderit, velut impos sui præ timore nimio perhorrescit. Hunc horrorem excipit frigidus sudor, id est, inutilis fletus, cui succedit vomitus nigricans, cùm voluptatis assecla desperans de salute sua, eructat blasphemias, & demum diductis inferni faucibus absorbetur. Ecce fatum iniquum, quod indubiè manet eos omnes, qui sese voluptatis inglorio cultui manciparunt.

Luxuriæ indoles, & effectus. Blasphemiæ sequuntur alia peccata. Ieiuni hominis symbolum.

Infelicem eorum sortem egregio symbolo perstrinxit Camerarius, cùm depinxit adiposum porcum iugulatum, hoc titulo desuper apposito. TANTVM FRVGI. Id est, Inter porcos illi soli necem effugiunt, qui sunt minimè pingues, vt & secus hi mactantur, qui benè pasti multo adipe distenduntur. Ita & sæuiente iustitiâ Dei in reprobos, omnes qui indulsere genio suo diras luent pœnas, quas effugient TANTVM FRVGI. Nempe frugalis vita, secreta ab omni voluptatum commercio, non habet quod timeat; illi quippe litant æterna gaudia Beatorum. Quisquis enim assidet mensæ Christi suas auspicatus epulas ab aqua proposita; is demum potabitur abundè perenni flumine voluptatis.

EX SYMBOLIS. *Camerarius lib. centuriarum symbolicar.*

CHRISTVS

CHRISTVS A MARIA MATRE ROGATVS PRIMVM EDIDIT MIRACVLVM, inde significans, Maria mediante nobis bona cælitus impertiri.

ARGVMENTVM ALTERIVS HOMILIÆ.

In hac verba:

Deficiente vino; dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent.

SVMMA HOMILIÆ.



NVALESCENTE fame, Vates Domini Elisæus epulas instruxit filiis Prophetarum; sed vitio pueri vnius decepti specie pomi colocynthidis, cuius frustula pulmento immersit, in amarorem ingratum fercula desierunt. Reclamantibus itaque pueris, Elisæus huic discrimini occurrit farris aspergine, velut pharmaco salutari. Ita codex sacer hanc recolit historiam. *Elisæus reuersus est in Galgala. Erat autem fames in terra, & filij Prophetarum habitabant coram eo: dixitque vni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum. Et egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes, inuenitque quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea quasi colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti; nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo sociis, vt comederent: cumque gustassent de coctione, clamauerunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere. At ille: Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ vt comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.* 4. Reg. 4.

Series illa rei gestæ adumbrat dispares epulas vtriusque parentis hominum, Euæ scilicet & Mariæ. Eua nempe pomi specioso intuitu delinita carpsit fructum illum inuitatis omnibus ominosum. Deo moderatore fuit instructa mensa conuiuij, & pro edulio appositum quidquid luxurians tellus in fruges & gramina parturire potest. Vnum duntaxat ferale pomum subtractum est mensæ illi; & quia vetitum est illud pomum inde fecit cupedinem sui, qua gliscente pruriere manus desiderio tollendi fructum cælitus interdictum. Vrgente prurigine fuit hæc mulier impos sui, & dente rebelli temerauit prohibitum sibi pomum, cuius frusta virulenta dedit viro, qui suo extremo discrimine sensit mortem esse in epulis ab Eua instructis.

§. I. Dicam priori parte istius homiliæ, Mariam procurasse nobis epulas, quas Christus animarum sponsus apposuit in antidotum apparatus compositi à fœmina homicida; sicque palàm faciam, Mariam fuisse velut ex diametro oppositam Euæ.

§. II. Et quia Eua luem inuexit; dicam, operæ-pretium fuisse, vt Maria data in remedium tanti mali dignaretur à Deo gratiâ singulari.

§. III. Secunda parte inferam, tot & tantas gratiarum dotes indices esse meriti Deiparæ, quæ multum potest apud Deum.

§. IV. Vnde & concludam, esse ad Mariam vota nostra omnia dirigenda.

PRÆFATIO.

Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Ioan. 2.

EMERITVM *facinus est periti Medici, volentis ægro consulere, de propinato ei veneno salutarem texere medicinam. Ad hanc peritiam assurrexit industria Andromachi. Ille nimirum, ita virulentas viperæ carnes attemperat, vt confectionem theriacalem efficiat multiplici pharmaco coeunte. Postera mundi ætate Deus illustre specimen edidit artis huius. Quippe sauciatis hominibus veneno, quod Eua suis epulis asperserat, Deus aliam fœminam* edidit,

edidit, scilicet Mariam, quæ Christum sollicitans demeruit epulas, vnde pastus homo redditus est illico pristinæ sanitati. Huius gratiæ insignis procuratæ à Maria typos Scriptura sacra præmiserat, commemorans Iudith & Esther fœminas valde beneficas Genti suæ, cui mors sæuior imminebat. Sed vt vmbra cedit corpori; ita supradictæ mulieres sunt infra Deiparam, quam Gens nostra sibi est experta magis propitiam. Hanc fide plena adeamus, dicentes. Aue Maria.

Psal. 144.
Bona nostra Dei dona sunt.
Mala seu peccata nostra sunt & respiciunt iudicia Dei.
August. lib. 10 Confess. c. 4.

DEipara Virgo in antidotum Euæ Dei miseratione sata probat hoc veridicum Dauidis oraculum. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Fuit namque casus Euæ Dei occultum iudicium; at Mariæ salutaris editio facta velut ex diametro prioris huius fœminæ, fuit misericordiæ & amoris Dei maximum argumentum. Quippe ex Augustino omnia bona nostra refundenda sunt in Dei dona; vt & mala nostra respiciunt abyssum altam iudiciorum Dei. Ecce Augustinum ita Deum compellantem. *Bona mea, instituta tua sunt, & dona tua: mala mea, delicta mea sunt, & iudicia tua.* Cùm igitur audis, miserationes Dei esse super omnia opera eius, intellige maiora in humanis elucere argumenta amoris & misericordiæ Dei, quàm iustitiæ. Verbi gratiâ, iustitiæ occultæ fuit, quòd Eua dæmonis afflatu nequitiam eius induerit: misericordiæ verò fuit, quòd influxit in Mariam plenitudo gratiæ singularis. Sed gratia Mariæ maior fuit, quàm nequitia Euæ. Ergo miseratio appensa ad trutinam iudicij præponderat, statque indubium Psaltis eloquium antea prælibatum.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Dei miseratione Maria edita est in antidotum Euæ, cuius illa ruinas prouidè reparauit.

§. I.

EX THEOLOGIA, ET EX SS. PATRIBVS.

Miserationes Dei super omnia opera eius.
Mariã Deus plus dilexit quam Euam.
EX THEOLOGIA.
Bonauent. lib. 3. sentent. dist. 32.
Maria fuit opus misericordiæ Dei.

IN themate quod decurro, non est prætereundum Theologiæ scitum mirabile, scilicet Dei amorem posse bifariam attendi. Primò substantiuè, secundò connotatiuè. Substantiuè amor Dei, idem omnino est, quod Deus Optimus Maximus. Hoc amore se & creaturas diligit vno æterno & simplicissimo actu, qui remissionis, aut intensionis est penitus impatiens. Vt misericordia pertinet ad amorem illum, non suscipit magis neque minus. Si verò res est de miseratione, quæ est actus connotans misericordiæ & amoris effectum, tunc Maria Virgo probat miserationes Dei esse super opera eius. Quamuis enim inscrutabilis sit abyssus illa iudiciorum Dei, quæ permisit lapsum Euæ; illa tamen misericordiæ dignatio, quæ Mariam affecit, amoris & misericordiæ effectum connotat ampliorem. Itaque Maria plus profuit ad salutem comite gratiâ, quàm obfuit Eua suâ nequitiâ. Illa nimirum Euæ malitia fuit à causa finita, scilicet natura diaboli contagio sauciata. Mariæ verò gratia instituta ad conciliandam Christi incarnationem fluxit à causa infinita, Deo scilicet hominum fata pessima miserante. Præterea causa supernaturalis efficiens potior est causa naturali deficiente, ideóque Mariæ gratia plus potuit apud misericordiam Dei, quàm Euæ malitia ad prouocandum iustitiam Dei in capita desertorum.

Mariæ gratia quare maior fuit nequitiâ Euæ.
Maria Euæ opposita.

EX SS. PATRIBVS.
Bernard. ser. in hæc verba. Signum magnum, &c.

Sistendi Patres, vt conclusionem istam adstruant. Bernardus vt totus Mariæ addictus, ita litat Deiparæ. *Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir vnus & mulier vna nocuere: sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum & mulierem vnam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum ita & donum; sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed vtilius omnino refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, Euam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est; sed bonum nobis non erat esse hominem solum. Congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane & potens mediator Dei & hominum homo Christus Iesus; sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata. Nam sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium: quia etsi didicit ex his quæ passus est, compassionem, vt misericors fieret; habet tamen & iudiciariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? Iam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: inuenietur equidem locus eius in hac recõciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorẽ istum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiã ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotũ & viris & mulieribus propinauit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: illa suggessit præuaricationem, hæc iniecit redemptionẽ.* Hæc Bernardus appositè ad meũ institutũ.

Reparatio hominis facta per virũ, & fœminam, quia ruina per vtrumque fuit.

Eua ferales epulas instituit, quibus totum hominum genus morti obstrinxit, proponendo viro fercula virulenta. Primo quidem apparatu delinitus homo gulæ indulsit, victus illecebra pomi & coniugis; sed delibatæ dapes initio gratæ, malè tandem hominem affecerunt. Siquidem tota conuiuij catastrophe desiit in aquam, & cinerem: homo quippe damnatus est ad vescendum pane, in sudore vultus sui; & insuper adiecta est illi sententia capitis, quàm dum subit, tota compages eius corporea pulueri mancipatur. Nemo hominum tentauit reparare ruinas, in quas incurrit omne genus nostrum, vel eo solo nomine miserandum, quòd erat impar restaurandæ cladi. Idcirco Sanctorum omnium ille nisus fuit, vt Deum inflecterent ad mittendum Medicum, qui decerneret antidotum salutare contra virus à prima fœmina propinatum. Eo Medico misso, nemo eum consuluit, vt par erat in gratiam hominum. Vna Virgo parens adfuit, eum opportunè sollicitans, vt propitius adesset homini decumbenti. *Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* Etenim homine patiente deliquium gratię, quæ est vinũ lętificans cor hominis, Maria impetrauit vt aqua vini naturam indueret. Nempe suis precibus obtinuit, vt lacrymæ & sudores hominũ aliquo cælesti solamine dignarẽtur.

Ioan. 2.
Maria obtinuit vt aqua nostra verteretur in vinũ.

Hæc

Hæc Dei dignatio prouidit hominibus eo ferè modo, quo dæmon suas struxerat insidias, fœminam adhibens ad perniciem nostram callidè procurandam. Angelus nequam adorsus Euam, venenum protulit, cuius aspergine cibus homini datus eum obnoxium morti fecit. Deus alium Angelum instituit salutis nostræ ministrum idoneum, cuius affatu Virgo fuit cælitus imprægnata. Accipe Tertullianum arcani huius interpretem idoneum. *Deus imaginem & similitudinem suam a diabolo captam æmula operatione recuperauit. In virginem enim adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ; vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in vtero ex diaboli verbo. Imò concepit. Nam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam Contra Mariam eum eaidit, qui carnalem fratrem Israel interemptorem suum saluum quandoque præstaret. In vuluam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, vt memoriam mali fratris redderet. Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quò homo iam damnatus intrauerat.*

Tertullian. lib. de carne Christi, c. 17. Mariam Verbum subiit contrarium verbo quod in Euam irrepserat. Mariæ partus contrarius fœtui, quem edidit Eua.

In hac alea oppositionis Euæ & Mariæ quamplurimi Patres spatiati sunt, & concordi tono Mariæ encomia suauiter occinerunt. Tertulliani ingenium æmulatus Cyprianus, sic erumpit in gratiam tituli quem expendo. *Mater Domini Iesu in illa muliere promissa est hac inimicitiis opposita serpentis. Ponam inimicitias inter te & mulierem, non certè dicit pono, ne ad Euam pertinere videretur; verbum promissionis est, quod transmittitur in futuram.* Tertullianum, & Cyprianum proceres Africæ secutus est Augustinus & ipse Afer, opponens Euæ Virginem Deiparam. Sic ille. *Causam inualescentis erroris, miraculum noui partus eiicit, & Euæ planctum Mariæ cantus exclusit: circumdat, id est, protegit virum Maria, Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo.* Illa parentis vtriusque oppositio, quam recolunt Sancti, spectat præcipuè salutem hominum primæ parentis vitio deploratam. Gratia nempe redux signata est ab Angelo, quando nuncupauit eam plenam gratiâ, & benedictam. Plenitudo pertinuit ad Mariam, benedictio verò influxit in homines hac noua matre inclyta recreatos. Concolor est mihi Chrysologus ita commentatus. *Angelus adiecit congruè: Benedicta tu in mulieribus. Quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera; tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est verè nunc mater viuentium per gratiam, quæ mater extitit morientium per naturam.*

Cyprian. lib. 2. in Iudæos. Maria serpenti opposita.

August. serm. 18. de Sanctis. Maria Euæ planctum tersit.

Chrysolog. serm. 140. Maria in quo benedicta.

Non ergo vacat mysterio, quòd primum signum editum à Christo Mariam habuit aduocatam, & id in epulis, vbi aqua mutata est in vinum. Hinc etiam virgo parens cœpit, vbi desiit Eua: siquidem hæc fletuum & sudoris aquis immersit omne hominum genus post epulas instructas viro suo imprudenti, cibo noxio sauciato. At Maria primis epulis, quibus adfuit, conciliauit Deum hominibus, ad aquam redactis; tantúmque valuit, quantùm opus fuit ad gratiam impetrandam. Quòd ergo Maria dicitur esse velut ex Euæ diametro, illud nostrâ interest, & non eius tantùm; nempe toti fuit humano generi salutaris. Breuiter Augustinus hoc perstrinxit, ita fatus. *Per fœminam mors, per fœminam vita; per Euam interitus, per Mariam salus.* Concors Epiphanius, & hunc suum calculum adiicit hoc tenore. *Beata Mater Dei Maria per Euam significatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium vocetur. A Maria verò hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret mater viuentium. Eua causa mortis facta est. Maria causa vitæ, per quam genita est nobis vita.* In hac catena Patrum non est prætereundus Chrysostomus celebrans illud antidotum Euæ hoc contextu. *Euam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit: sed seductio Euæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit à sæculo Saluatorem. Restauratur per Mariam, quod per Euam perierat. Per Christum redimitur, quod per Adam fuerat captiuatum. Redditur per Mariam vita, quæ per Euam fuerat interempta.* Alibi refricans illud idem argumentum, & sibi constans ita fatur. *Vbi primus hostis vulnus inflixit, illic Medicus adhibet medicamentum. Inde mors ingressus principium habuit, inde vita sibi aditum patefecit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. Aue gratiâ plena. Ne te pudeat, quòd mulier causa damnationis extiterit. Tu enim Iudicis, & Redemptoris mater extitis.* Hoc contextu vides, fuisse abundè consultum hominibus Virginis huius obsequio, quę sexus sui iniuriam abstulit, dum procurauit aquas acerbas verti in vinum, quod recreat omnes homines inuitatos ad epulas Christi. Suum & symbolum attulit Maximus Taurinensis hoc tenore. *Parturit fœmina salutem mundi, vt quæ exterat fomes iniquitatis, fieret ministra iustitiæ; & per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum.*

Maria incepit prodesse vbi Eua nocere desiit. Maria est ex diametro Euæ in omnibus.

August. lib. 3. de symbol. c. 4.

Epiphan. hæres. 78.

Chrysost. ser. de Genesi & interdictione arboris.

Idem oratione in Sanctæ Dei Genitricis annuntiatione.

Maximus Taurinensis homil. 6. de Natiuit. Christi.

In choro Patrum, qui singularem attulere lucem, encomiis Deiparæ, vt editæ in antidotum Euæ, Fulgentius iuxta sui nominis lumen, lucidum sanè iubar fuit irradians in gratiam Dei Genitricis, quam velut ex aduerso Euæ positam stylo suæ pietati congruo celebrauit. Ecce panegyrim viri benè affecti erga Mariam. *Facta est Maria fenestra cælestis, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen. Facta est Maria scala cæli, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos. Facta est Maria restauratio fæminarum, quia per ipsam a ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tria denique mala Euæ a tribus bonis Mariæ probantur exclusa. Nam Euæ dictum est: In doloribus & tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis sunt obnoxiæ fœminæ, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, seruituti. Maria autem è contrario, quàm præclarissimis tribus bonis, sublimetur ausculta, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim legitur eam salutasse: Aue Maria gratiâ plena, benedicta tu inter mulieres. Cùm dixit: Aue, salutationem illi cælestem exhibuit. Cùm dixit: Gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam. Cùm dixit: Benedicta tu inter mulieres, virginitatis eius benedictum fructum expressit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcumque perseuerauerit*

Fulgentius ser. de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris.

Eua quot malis fecerit fœminas obnoxias. S. Maria omnia mala sanat quæ Eua tulit.

uerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse. Venite virgines ad Virginem, & lætamini: ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Proiicite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores assumite.

Decurrenti libros Patrum multa huius generis occurrunt encomia, quibus Mariæ merita commendantur. Hoc nempe fuit eis congruum argumentum laudandi Deiparam, ostendere illam fuisse à Deo prouisa m hominibus, vt eos eriperet malis, quæ propè infinita prima parens inuexerat. Eò spectant hæc Yuonis Carnotensis eloquia luculenta. *Prima humani generis parens, quia serpentinæ persuasionis virus excepit, duplici maledicto succubuit, vt & cum viro mortem incurreret, & vt filios, quos carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret. Huius maledictionis omnes filiæ Euæ heredes successerunt, & omnes filios suos sub necessaria mortis condemnatione genuerunt. Sola hæc mater, quæ non sibilo serpentis, sed Angeli nuntiantis credidit verbis, benedictionem, quæ vtrumque maledictum excluderet, audire promeruit: Benedicta tu in mulieribus; quia nec per concupiscentiam carnis concipies, nec filium in dolore paries.* Carnotum vrbs benè affecta in Mariam, cui & se vicissim Virgo beneficam præstat, alium Præsulem habuit scilicet Fulbertum egregiè de hac Beata Virgine differentem. Quam præcipuè extollit eo nomine, quo & cæteri eius encomiastæ effusi in laudes eius, quia maculas omnes tersit, quas prima parens offuderat. Ita præfatus Antistes valde Mariæ addictus. *Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, cùm etsi omnium nostrûm membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cœlo est de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Hæc est enim, quæ sola meruit mater & sponsa vocari: hæc primæ matris damna resoluit: hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Hæc enim mirabili atque inæstimabili modo, omnium rerum & suum peperit Saluatorem.*

Yuo Carnot. serm. de Natiuitate Domini.

Carnotum vrbs benè affecta erga Mariam.

Fulbertus Carnotens. serm. de Assumptione B. V. Mariæ.

Bernardus, qui multis prosequitur encomia Deiparæ, sæpe refricat illum titulum laudis, qui petitur ab antithesi Euæ. Siquidem quasi coram esset illa prima parens imprudens, is vt consultor optimus illam sollicitat ad salutaria Mariæ præsidia mendicanda. Sic ille. *Curre Eua ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa Patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam. Quid dicebas, ô Adam: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, cùm occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentauit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis inuenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me.*

Bernard. homil. 1. super Missus est. Maria suæ matris Euæ abstulit opprobrium.

Bernardus hoc sermone allusit ad argumentum istius homiliæ recolentis dispares epulas Euæ & Mariæ. Nempe recenset, cibum appositum ab Eua, amarore ingrato perfudisse virum, qui porrectas sibi dapes glutiit imprudenter. Deinde subiicit, ab alia demum fœmina fuisse paratas epulas ineffabili suauitate atque dulcedine singulares. Sicque viri huius magni testimonio liquet illa conclusio, quæ huius homiliæ texuit argumentum. In hac celebri corona Patrum, præcipuum sibi locum vendicat Innocentius III. vtpote in supremo positus culmine dignitatum. Sic ille suum præbet suffragium. *Cum aurora sit finis noctis, & origo diei, meritò per auroram designatur Virgo Maria, quæ finis damnationis, & origo salutis fuit; finis vitiorum, & origo virtutum. Oportebat enim vt sicut per fœminam mors intrauit in orbem; ita per fœminam vita rediret in orbem. Et ideo quod damnauit Eua, saluauit Maria; vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.*

Innocent. III. serm. 2. de Assumptione B. Mariæ.

Pars Secunda Homiliæ.

Pars hæc secunda debet versari in describendo penu gratiarum, quæ affecere Deiparam. Vide primo tomo duos tractatus de Beatæ Virginis Mariæ encomiis, & inde diues gratiarum gaza tibi peruia ostendet, in quos meritorum cumulos assurrexit. Ne gratiarum Mariæ speculatio alta totum te indonatum abstrahat, ita contemplare dotes Deiparæ, vt eam obsequio æterno ei deuoto tibi concilies. Habes supra ritus atque modos demerendi Deiparam: Consule tractatus illos, & inde diues exurget homiliarum de Beata Maria Virgine contextura.

HOMILIA

HOMILIA SEPTIMA.

THEMA HOMILIÆ.

Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Ioan. 2.

SVMMA HOMILIÆ.



NVPTIIS celebratis in Cana Galilææ, adstitit duplex hominum genus: Christus videlicet stipatus suis discipulis, & alij homines sæculo mancipati. Mediis in epulis defecit vinum, atque ita conuiuium opiparè cœptum in aquam resolutum est; Christo sic erudiente suos discipulos, quænam esset differentia inter nuptias animæ Deo sociatæ, & eas, quæ sese huic fallaci sæculo deuouerunt.

§. I. Prima parte dicam, omnem hominem primùm bonum vinum apponere, id est, sæculares omnes, seu mundi asseclas vitam agere auspicatam à deliciis, quæ sunt vinum alliciens animas ad haustum voluptatum. Sed vt nuptiæ hodiernæ celebratæ sunt in Cana Galilææ, quæ mutabilitatem sonat: nam גלל *galal* perinde est, ac voluere; ita voluptates omnes sunt adeò volubiles, vt nequeant constare sibi, vtpote fugaces, & perpetuo in gyro.

§. II. Parum profectò esset, si voluptas momentanea nihil omnino ingratum haberet præter breuitatem, & præcipitem fluxum. Sed præterea hoc sibi velut insitum tenaciter habet, quòd scilicet tota resoluitur in aquas lacrymarum. Is nempe genius est mundi, vt cùm suos inebriauerit asseclas abundè potatos vbere voluptatis; postea apponat fel & absynthium, iuxta illud Mosis.

Deut. 32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrha: vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

§. III. Secunda parte ostendam, animam, quæ ad sacros Dei hymenæos aspirat, incipere ab aquis, id est, à lacrymis. Christus nempe in laboribus enutritus à teneris vnguiculis, asperis assueuit, ac proinde sequaces suos duris ritibus instituit.

§. IV. Demum imponam coronidem isti homiliæ, probans, animam, quæ iniit austeros virtutum calles, collecturam suaues laborum suorum fructus, quia æterna manent stipendia agones fortiter exantlatos.

Totum huius homiliæ contextum vide Infra, in homilia de Samaritana, quæ est in feria sexta Dominicæ tertiæ Quadragesimæ. Nolo nimirum transcribere quæ descripsi, ne importuna repetitione moles huius Tomi assurgat, oculis illudendo. Itaque si quando occurrit Euangelium aliquod in hac serie Dominicarum, quod alibi expenderim. æqui bonique consule, Lector beneuole, si te præmoneo vt consulas Tomos, vbi ex professo expendo argumenta talis Euangelij, cuius si refricarem materias, rem ingratam præstarent eis, quibus denuò ingererem repetitam cramben.



DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

HOMILIA OCTAVA.

SVMMA HOMILIÆ.



OCRATES arbitratus, ſpecula eſſe libros idoneos ad erudiendos homines, diſcipulis ſuis olim indixit ſpecula ex zonis pendula circumferre. Eo ferè intento Deus edidit omne quod peruium eſt humanis obtutibus. Quidquid autem orbe toto proſtat, amorem parit, vel horrorem. Multa nimirum ſpecioſa ſuis illecebris demulcent oculos, & animum inclinant, vt & ſecus infinita faſtidium ingerunt. In ſpecioſis, vt ſunt ſidera micantia, Deus gratiæ typum inſinuat, vt quæratur; in horridis vt eſt lepra, peccati indoles exprimitur, vt pro viribus ab homine caueatur.

§. I. Dicam prima parte iſtius homiliæ, affines eſſe cauſas & naturam lepræ, & peccati. Illic conſulam ignorantiæ plurium, qui imperitè de lepra diſcurrunt è pulpito, nempe in eo themate principes Medicos adhibebo.

§. II. Explicata indole luis huius fœdæ, malitiam eius aperiam, & componam cum peccati nequitia.

§. III. Secunda verò parte oſtendam, ſolius eſſe Dei curare lepram, & peccatum; & proinde inuehor in eos, qui peccant ſub ſpe pœnitendi in prouecta ætate

§. IV. Tandem impono coronidem iſti homiliæ, dicendo omnia remedia, quæ vſurpantur ad ſanandam lepram, facere etiam ad peccata omnia detergenda.

PRÆFATIO.

Cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus veniens adorabat eum. Matth. 8.



HRISTO hodie deſcendente de monte, toto ſtipante eum diſcipulorum choro, occurrit ei homo leprâ infectus, cuius vota omnia erant anhela ad Chriſti acceſſum, cuius attactu credebat ſe curandum. Hominis huius leprâ incruſtati fœdum miſeratus habitum Chriſtus, manum ſuam extendit, præcipiens vt mundaretur homo ille multa ſanie conſpurcatus. Serius illa tota typus eſt rei geſta, quando natus eſt Chriſtus. Ille nimirum de excelſo cœlorum, vt de alto cacumine montis ſe inclinans, deuenit in has orbis oras, magno comitante agmine Angelorum. Hominem reperit horridâ leprâ informem; quia illâ gratiâ exciderat, qua vigente compoſitus erat ad ſimilitudinẽ Dei. Hunc Domini aduentum præſtolabatur homo à multis ſæculis, vtpote certus ſe à nullo alio quàm à Chriſto Domino ſoſpitandum. Suſpirantis ægri votis annuit Chriſtus, eum tangens, quando hominem induit; ſed ne libero vim facere videretur arbitrio, noluit homini inuito ſanitatem impertire, imò exegit aliqualem eius opem, dicens: Mundare. Quod autem dicitur extendiſſe manum, hoc notat, redemptionem hominum fuiſſe negotium omnipotentiæ Dei, qui tunc fecit potentiam in brachio ſuo, vt habetur in cantico Mariæ, quæ & ipſa vocata eſt in partem ſalutis noſtræ, quando Angelus illam ſic affatus eſt. AVE MARIA. Luc. 1.

HOmo editus ad capeſſendam gloriam æternam, congruè dirigitur ad beatum illum finem, ſectando vias iuſtitiæ. At iuſtitiæ omnis ſumma hæc eſt: declinare à malo, & facere bonum. Præcipua nempe cura hominis iuſti eſt, conciliare ſibi gratiam Dei, & vitia præcauere. Quia autẽ anima corpori immerſa nequit capere decorem gratiæ, & fœtorem peccati; multa Deus condidit, quorum obſequio homo deuenire poteſt in gratiæ & peccati notitiam. Verbi gratia, ſerena dies, lætus cœli aſpectus, ſidera micantia, horti peramœni picti grata varietate florum, & eleganti ſpecie hominum vultus, voce ſonora clamant pulchritudinem gratiæ, hominemque ſollicitant, vt ſpecioſis gratiæ infulis induatur. Secus verò, fæces, ſentinæ, colluuies, volutabra, morbi, nobis ingerunt aliqualem ideam peccati. Sed in his vitiorum typis lepra principem locum tenet, nec alio fine crebrò ſancto Codice refricatur. Tanta quippe labes eſt morbi huius, quanta ſufficit ad inſinuandam peccati malitiam. Et quamuis ſit res decantata,

cantata, lepram & peccatum habere multa communia; præstabo fortè quidpiam gratum præconibus sacris, si in re communi deflecto à vernaculo loquendi modo, quem alij præter me interpretes vsurparunt. Erit autem hic contextus homiliæ. Prima parte dicam naturam lepræ & causas eius. Deinde subiiciam iniquos effectus mali huius fœdi. Altera parte ostendam, morbum illum esse sacrum, id est, humanis opibus superiorem, & omnia ferè remedia esse infra lepram. Demum concludam, quædam insinuando remedia quibus Medici arietant in hunc morbum. Quidquid autem lepræ affinxero, illud idem de peccato dictum volo.

Pars Prima Homiliæ.

Affines sibi sunt causæ & natura peccati, & lepræ.

§. I.

Diducent fortè supercilium prædicatores, dum me consulentes circa Euangelium hodiernum, viderint me conferre lepram cum peccato: quippe dicent, rem esse adeò decantatam, vt pudeat illam materiam ex pulpito refricare. Sed æqui bonique consulent, quando audierint me de industriâ id fecisse, vt tergam opprobrium, in quod incurrerunt infiniti propè concionatores, cùm de natura, causis, & effectibus lepræ voluerunt texere concionem. Nempe mirum est in quæ absurda offendant multi Theologi, dum se Medicos esse mentiuntur. Itaque nemini ingratum puto fore, si de erudito penu Medicorum discutio quidquid ad lepram pertinet, vt naturâ lepræ liquidiore factâ, queat illa labes cum vitio comparari. Primò occurrit nomen, seu vox morbi, cuius rationem inuestigo. Vox illa, lepra, Græca est, & propriè scabiem asperam significat. Inde deducitur verbum λεπριάομαι, id est, scaber fio. Vt autem significat morbum, de quo agimus, lepra à Græcis dicitur ἐλεφαντίασις quia lues illa fœda cutem hominis inficit in modum corij elephantis, quod maculis & tuberculis est distinctum. In nomine sic prælusisse satis; grauioris quippe scrutinij est aperire malitiam morbi, quem sic definio, consulto Fernelio.

Ex Medicina. Lepræ vox quid significet.

Fernel. lib. 6. Pathologiæ, cap. 19.

Elephantia morbus est venenatus in terrena substantia, totius corporis naturam immutans. Cùm terrenus humor venenatam qualitatem asciuerit, eam mox tum visceribus, tum partibus omnibus impertitur, quæ dein inquinata, terrenum quemdam ac melancholicum succum vel ex purissimis alimentis gignunt eiusdem veneni participem, quo partes imbutæ ac nutritæ tempore similem nanciscuntur naturam, fitque in eis elephantia totius substantiæ morbus. Neque verò hîc quod plerisque visum est, cutem solum, aut corporis summa; sed & intima quæque, ossaque ipsa inuadit, & obsidet, quod omnia impuro fruantur succo. Quamquam autem ipsa morbi qualitas ad totum corpus pertinet; præcipua tamen in iecore, atque in liene residet, quæ sua dein vitia corpori toti impertiunt. Elephantiam alij ab ortu, alij contagione, alij sponte propriòque vitio contrahunt. Ab ortu, qui ex elephantico parentum semine procreati sunt; atque si parentum alter cùm genuit elephanticus erat, fœtus quoque nascetur elephanticus: tanta est diuinæ illius procreatricis facultatis energia, vt in semine intemperato ac prorsus impuro consistens, corporis partes fingat, vel ex impura materia. Si nondum elephantiâ parens cùm genuit tenebatur, sed in eam duntaxat erat propensus; filius eâdem ætate, qua parens, elephanticus euadet. Contagione verò, siue accubitu, siue assidua vitæ consuetudine, lues hæc hominem adoritur, quòd ex elephantico perniciosa qualitas pariter cum humore transferatur in aliud corpus, sensimque irrepat in omnes partes. Proprio corporis vitio inducitur, cùm bilis atra plurimum exuberat, quæ sensim ac tempore venenata labe inficitur. Nam veneni speciem in nobis sponte gigni posse res est indubia. Exuberat autem bilis infecta, quando supra modum torrentur humores illi, quibus corpora coalescunt. Quocirca elephantiasi quàm maximè obnoxij sunt hi, quibus vel menses suppressi, vel varices, vel diuturnæ hæmorrhoides curatæ sunt; & illi, qui bubula, ceruina, asininàve carne vescuntur, cæterisque cibis glutinosis, atque crassis: hi denique, quibus vel iecoris ardor, vel victus calidior bilem flauam cumulauit, quæ diu cohibita degenerauit in atram. Quæ mala cum nonnisi florentis, aut etiam prouectioris sint ætatis, elephantia nec pueros, nec adolescentes sponte inuadit.

Lepra vsque ad ossa penetrat.

Lepræ labes præcipua in iecore & liene residet.

Lepræ causa est triplex.

Lepræ potissimum quinam subditi sint.

Lepra nisi sit congenita, non inuadit pueros.

Hippocrates mali huius originem petit à ventre, ita fatus. Ὁ αὐχμώδης χρὼς σημαίνει κοιλίην πονηρευομένην. Id est. *Squalida cutis, ventris labem significat.* In hanc prænotionem Ioannes Duretus, Ludouici filius, ita commentatur. *Vitia sanguinis aliunde non sunt, quàm à viscerum labe, qua τῇ κοιλίῃ auctor est complexus. Viscera igitur, aluina quidem omnia, imprimisque autem iecur, eam ob causam per initia non opprimuntur, quod facultatibus concoctrice, & secretrice corruptis, validam retinent expultricem, qua in corporis habitum sese fœda illa & putri colluuie exonerant: donec illa etiam, vt necesse est, postremo languescente, copiâ obruuntur, qua flaccida iam, indigena acrimonia multò antè exedebat. Ita per profluuium abeuntis, quasi per frusta hepatis, quæ purulentas Hippocrates appellat carnes subrubras, vinendi fit finis.*

Hippocrates lib. 3., Coac. tract. 4. c. 4. prænot. 49. Ioan. Duret. ibidem.

Ex præfatis historia lepræ in palam est, quoad nomen, naturam, & incunabula. Nunc operæpretium est morbo illi inglorio comparare nomen, naturam, & causas peccati, vt sarta tectaque sit propositio prima istius homiliæ, qua adstruo, affines esse causas, & naturam lepræ, & peccati. Lepra dicitur elephantia, nomine deducto à bestia, cuius veluti cutem induit ei, qui decumbit illo morbo infami. Ita & peccatum nomen habet à bestia, dicitur enim peccatum, quasi pecoris actum. Et reuera peccatum hominem infatuat, & redigit in ordinem bestiarum, iuxta tritum illud Psaltis elogium. *Homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quia similis simili gaudet; vbi homo naturam bestiarum induit ob peccatum, anima eius antea sacrarium Dei, transit in stabulum omnium bestiarum. Ita Vates Sophonias. *Accubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ gentium, & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari;*

Peccatum nomen habet à pecore.

Psal. 48.

Peccatum in hominem inducit mores pecorũ. Sophon. 2.

liminari; quoniam attenuabo robur eius. Hæc est ciuitas gloriosa, quæ dicebat in corde suo; Ego sum, & extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam sibilabit, & mouebit manum suam. Quasi diceret, animam aliàs speciosam, vtpote editam ad imaginem Dei, post defectionem suam, pecorum ritu vitam ingloriam agere; vitia namque homini affricant indolem bestiarum

Ex SS. Patribus. *Hieronym. in cap. 2. Sophon.* Peccatum facit hominem stabulum vitiorũ.

Audiendus Hieronymus, ita decurrens locum illum Sophoniæ. *Hoc in his, qui auditores sunt legis, & non factores, intelligi potest, qui frustra speciosos se esse iactant, cùm habitent in eis greges, vitiorum scilicet multitudo, & bruta animalia corpori seruientia, & omnes bestiæ terræ, quæ corda eorum comedunt, & chameleones, qui non habent vnum colorem, sed diuersis peccatis, nunc auaritiâ, nunc luxuriâ, nunc crudelitate, nunc libidine, nunc tristitiâ, nunc exultatione per momenta mutantur. Et herìcij in præsepibus eorum, animal spinosum, & plenum sentibus, & vulnerans quidquid contigerit. Sed & bestiæ cubabunt in foraminibus, id est, in cordibus eorum, & corui immundæ aues in portis eorum, vel in aure, vel in ore, quo aut loquantur semper, aut audiant mala. Omnis, qui transibit per eam sibilabit, & mouebit manus suas. Quòd si de Angelis intellexerimus, ita interpretabimur. Cùm transierint per eam Angeli, & non transierint in ea vt prius facere consueuerant; stupebunt & mirabuntur, & non eam fulcient & sustentabunt ruentem manu sua, & pertransient. Vel certè cum sibilo attollent manus, & quasi plangentes, in morem lugentium concrepabunt. Si autem de diabolo intelligamus, dicemus, per animam, de qua Christus recesserit, & quæ prius templum Dei fuerat, & esse desinit, transire serpentem, & sibilare in ea, & venena suæ malitiæ euomere.* Hactenus Hieronymus, appositè commemorans venena, cùm sermo est de peccato: diximus enim, elephantiam, seu lepram, esse morbum venenatum ex descriptione Fernelij, qui ait, morbum illum esse in terrena substantia, & totam naturam corporis immutare.

Angeli deserunt.

Peccatum facit animã terrenam & carneam.

Profectò omnia illa quadrant peccato, cuius lethale virus aspersum animæ omnem prorsus gratiæ humorem exugit, & animam degenerem in terram mutat, vtpote vitiis incrassatam. Fauet Origenes ita fatus. *Anima, quæ peccat, crassior efficitur. Talis namque est natura peccati, propter quod scriptum est: Incrassatum est cor populi huius. Sicut autem peccatum incrassescere facit; ita è contrario virtus subtilem reddit animam: & vt extorqueam quodammodo vocabuli nouitatem; omne, quod in ea corporeum est, abstergit, & perimit, & puriùs eam incorpoream reddit. Quòd autem crassescat, & vt ita dicam, carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo quòd scriptum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij Deus preparet, docet. Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam, animam eius. Est ergo opus Dei, vt tabescere faciat, & consumat omne, quidquid est crassioris materiæ, quæ circumdatur anima, vt extenuet & elimet prudentiam carnis, & ita demum animam ad subtiliorem cœlestium & inuisibilium reuocet intellectum.*

Origenes homil. 1. in Psalm. 38. Virtus animam spiritualé reddit.

Gratia Dei totum decoquit quod carnale.

Ex Hippocrate, præcipua lepræ labes residet in hepate. Hepar autem in moralibus, est prima sedes concupiscentiæ, vt vulgari hoc effato liquet. *Cogit amare iecur.* Ideóque sciscitanti, quo fato anima leprosa tota in luteam transiit, in propatulo est ista responsio, scilicet illam induisse naturam rei, quam Deo spreto turpiter adamauit. Hanc iniquam animarum sortem carpit Propheta, hac censura. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Et reuera peccatum est amor incongruus rerum conditarum, infra quas Deum ponit anima, cui variæ voluptatum species illuserunt. Vt lepra iecur amoris sedem primariò occupat; ita & peccatum præcipuè est in affectu, & rationali appetitu, cuius est consentire. Vt enim scabies, quæ cute tenus hominem inficit, & pruritum parit, non est lepra, nisi corporis intima permeet & depascat; ita nec peccati sensus titillans animam, non eam lethaliter inficit, nisi occupet & consensum.

Hippocrates vbi supra.

Amoris vis mira ad trãsformandum animam. *Osee. 9.* Peccatum quid sit. Peccatum est situm in consensu.

Vnde & editus est iste Canon. *Sed pensandum est, ipsa cogitatio, vtrum in suggestione, an delectatione, vel quod maius est, peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu: suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia & primò culpam serpens suggessit, Eua velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, vt inter suggestionem, delectationem, & consensum iudex sui animus præsideat. Cùm enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodè perpetratum non est: cùm verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci: si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpe contingit, vt hoc, quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cùm caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat, nec cõsentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Vnde & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris. Si autem captiuus erat, minimè repugnabat: quapropter & captiuus erat, & repugnabat. Igitur legi mentis eius, lex, quæ in membris est, repugnabat: si autem repugnabat, captiuus non erat. Ecce itaque homo est captiuus, & liber; liber ex iustitia, quam diligit; captiuus ex delectatione, quam portat inuitus.*

Ex Ivre Canonic. *Can. Sed pensandum, distinct. 7.* Peccatum suggestione, delectatione, & consensu trahitur. Peccati lex quomodo captiuet hominem.

Rursus lepra omnis in tres classes refunditur. Prima dicitur ab ortu, seu congenita sata cum corpore ducto à parente infecto lue hac pessima. Hæc ex aduerso habet peccatum originale, quod parentes nobis etiam inscijs instillarunt. Altera lepra est, quæ contrahitur contagione eorum, qui altè insitum virus communicant iis, quibus proximè coutuntur. Illa è regione habet pessimos hominum

Peccatum tribus modis contrahitur, ab ortu, contagio, & vitio peccantis.

hominum mores, qui à nefariorum hominum sociis contrahuntur, dum pudet cum impudentibus non esse impudentē. Vltima demum lepra est quæ hominem afficit proprio vitio corporis, in quo ebullit tostus humor degenerans in atram bilem. Huic lepræ velut ex diametro opponitur peccatum in multam ætatem protractum, quod impij hominis abiit in naturam.

Peccatum aliud originale & actuale.

Theologi breuius peccata enumerant, dum distinguunt in originale, & actuale: ita vt actuale concludat lepram ex contagione, & proprio corporis vitio contractam. Vtrumque hoc peccatum concluditur illo textu Iuris Canonici. *Carnis infirmitas dupliciter intelligitur. Est enim languor naturæ, qui carnis concupiscentia appellatur, quæ verius animæ infirmitas dici potest: sed ideo carnis infirmitas dicitur, quia accidit animæ corruptæ ex carnis communctione. Porrò alia est infirmitas quæ propriè carnis dicitur; quia elementorum, seu humorum concordia turbata, ipsa caro efficitur, & tandem dissoluitur. Similiter animi infirmitas duplex est. Vna quæ vitium appellatur, qua anima à Deo separatur; vt est ira, odium, & alia huiusmodi. Alia infirmitas animi: quæ cùm ipsa non sit peccatum; est tamen pœna, & causa peccati; vt est obliuio, & ignorantia. Furor autem cùm non sit peccatum; est tamen pœna peccati, vt febris, & cæteræ passiones, quas propriè carnis dicimus esse, quarum motus, id est ea, quæ illis perturbantibus fiunt, nulli imputantur ad pœnam.*

Can. Illud. §. Itaque 15. qu. 1.

Infirmitas carnis, quæ? Peccatum est infirmitas. Passiones non sunt peccata.

Quàm iniqui & concordes sint effectus lepræ, & peccati.

§. II.

Ex Medicina. Lepræ effectus maligni.

CVm ratio generica lepræ sit morbus, & morbus in perniciem hominis sese insinuet; quò grauior erit ægritudo, eò etiam peior erit clades imminens homini decumbenti. Hinc coniicere est, quàm iniqui effectus sint lepræ, & peccati; quia vtriusque radicis virulentæ malitiam participant omnes inde surculi procreati. Diceres, lepram & peccatum inundasse malis omnibus corpus & animam. Ne offendam in texenda serie effectuum lepræ, audi Fernelium regium Medicum ita recensentem. *Incipiente morbo, viuidus ille coloris flos perit, cutis decoloratior apparet, aliis quidem nigricans, aliis flauescens, aliis albicans: vnde nonnulli tres elephantiæ statuerunt pro coloris varietate, differentias: hinc densior, durior, asperiorque redditur, cùm scilicet iam multo est humore perfusa. Talis verò præcipuè conspicitur aut in facie, aut in manibus, aut in pedibus, natura quod ad licet vitia propellente in corporis extrema. In his sensus torpescit, frigusque perpetuum inest, maximéque in pedibus. Licet enim horum initio integer seruetur motus; stuporis tamen & frigoris sensus inest. Tum temporis verrucæ plurimæ succrescunt, non in manibus solùm, sed & in facie, & in reliquo corpore, peculiares verò in lingua radice. Pedes, manus, & facies tument, in hisque varia prominent tubercula, maximè verò in malis, quæ exuberant liuido tumore: labra inuertuntur; nares resimæ obstruuntur crassitie alarum, & rimis discerpta crustulas nigras atque cruentas excutiunt: oculi candidum flauescit, miraque crassitie quasi vngue obtegitur: supercilia prædura ac ferè callosa, atque etiam glabra. Ex his enim, quemadmodum & ex palpebris, & ex mento pili venenata qualitate imbuti defluunt, dum tandem horrenda euadat partium omnium deformitas. Manuum pedumque digiti siccitate dehiscunt, vnguesque finduntur, ac dilacerantur. Totius etiam corporis cutis arescit atque fœda siccaque scabie exasperatur, eaque interdum cum pruritu. Ipsa musculorum caro absumitur, ac sensim liquescit. Malo autem ingrauescente, præ stupore cutis sensus perit, manente motu, vt ne infixa quidem acicula dolorem moueat, neque inspersa feruidior aqua exurat: vox è gutture raucescit, respiratio difficilior euadit, spiritus totiusque corporis exhalatio fœtet, sordida virulentaque vlcera in manibus, pedibus, & plerisque locis excauantur, grauisque putredo omnia contaminat.* Hactenus ille Medicorum eloquentissimus.

Fernel. lib. 6. pathologia, cap. 19.

Lepra stuporem inducit.

Leprosi frigent pedes, & manus. Lepra faciē deformat. Lepra visum hebetat. Lepra sensū tactus adimit.

Peccati effectus comparati lepræ.

Profectò soboles illa lepræ cognata est proli iniquæ, quam malè fœta vitia genuerunt. Primò in lepra totus faciei habitus immutatur: moritur quippe viuax color, exasperatur horrida cutis, genæ tument, obstructæ fœtent nares, & vocis ingratæ spiritus olidus est. Ita furit peccatum malè habens animam. Primò nimirum extinguit lumen vultus Dei, quod est signatum super nos, & quo affulgente viuida fit anima, secus horrida dum gratiā excidente, decor eius penitus euanescit. Quidquid loquitur homo nequam, raucum illud omne sonat, & strepit indecorè. Putidæ nempe fauces nihil nisi fœtidum exhalant, vtpote assuetæ turpibus eloquiis, blasphemiis, atque conuiciis. Leprosi manus atque pedes frigent, hebes fit oculorum acies, insensibile corpus totum absumitur, & diffluente fœda sanie colliquatur. Ea etiam clade laborat homo reus peccati lethalis, torpent otio manus, nesciæ boni alicuius operis, & præclara quæque facinora detrectantes. Caligant oculi, quibus illecebræ fucos faciunt, obiecta specie voluptatum. Vtque lepra consummata est, quando infixos aculeos homo non percipit; sic peccatum altè mentibus infitum, omnem synderesis sensum adimit, & tunc impunè peccans homo, nequicquam reclamante conscientia actus est in malorum omnium præceps, dicique potest salus huius animæ deplorata. Eò spectat illud Salomonis effatum. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.* Denique vt liquatur, & præsum it caro leprosi; ita & peccator, quasi in nihilum abit, vitio præualente.

Peccatum homines insensibiles facit.

Prouerb. 18.

Esto luculenter agat de lepra Fernelius, commemorans incommoda morbi huius; alius tamen hoc morbo aliàs infectus, si Deo miserante redux esset, maiorem sibi conciliaret fidem, si in lepræ vitia declamaret. Nactus enim sospitatem corporis, & versans animo præteritam suam sortem iniquam, profectò laboraret inopiā verborum aptorum ad debacchandum in lepram. Ita Sancti, qui Deo propitio resilierunt ex alto gurgite peccatorum, præcipuè audiendi sunt, cùm recensent animæ ruinas abeuntis in nihilum; illis potissimum est adhibenda fides, quando meminere plagas, cæcitatem, & torporem, quibus obstringitur anima vitiis irretita. Itaque in hoc argumento est placidè audiendus Augustinus, passus incommoda ferè omnia vitiorum.

Peccati pernicies quanta sit.

Ex SS. Patribus. August. lib. Soliloq.

Sic ille memor infelicis quondam status sui, Deum

Deum compellat. *Nunc igitur toties nihil factus sum, quoties à te separatus sum; quia bonum, quod tu es, oblitus sum, & ideo malus effectus sum. Væ mihi misero, vt quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam? Si ergo nihil fui, cùm sine te fui, quasi nihil fui, & quasi idolum, quod nihil est; quodquidē aures habet, & non audit; nares habet, & non odorat; oculos habet, & non videt; os habet, & nō loquitur; manus habet, & non palpat; pedes habet, & non ambulat; & omnia lineamenta habet membrorum sine sensu eorum. Cùm igitur fui sine te, non fui, sed nihil fui: & ideo cæcus eram, surdus & insensibilis; quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum sentiebam, nec tenebras meas videbam; quia eram sine te vera luce, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi; vulnerauerunt me, & non dolui; traxerunt me, & non sensi; quia nihil eram. Ideo, Domine lux mea, inimici mei fecerunt quæcumque voluerunt, percusserunt, nudauerunt, polluerunt, corruperunt, vulnerauerunt, & occiderunt me. Inimici mei, Domine, considerauerunt me, & videntes me sine te, despexerunt me. Diuiserunt sibi vestimenta mea virtutum, quibus ornaueras me, sub pedibus suis conculcauerunt me, facibus peccatorum polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt me desolatum, & mœrore confectum. Ibam post eos cæcus, & nudus, & illaqueatus funibus peccatorum; trahebant me post se in circuitu, de vitio in vitium, & de luto in lutum, & ibam sine fortitudine ante faciem subsequentis. Seruus eram, seruitutem amabā. Cæcus eram, & cæcitatem desiderabam. Vinctus eram, & vincula non horrebam. Amarum, dulce; & dulce amarum credebam. Miser eram, nec cognoscebam; & hoc quia sine Verbo eram, sine quo factum est nihil, per quod omnia conseruantur, sine quo omnia annihilantur.* Hactenus Augustinus; & equidem ita opportunè, vt videatur allusisse ad lepræ incommoda, quibus corpora cruciantur.

Peccatum hominem annihilat.
Peccatum hominem facit insēsibilem.
Peccatum cæcitatem inducit.
Peccatum vinculis animam implexam tenet.

Lepra corpus inficiens, malè afficit animam, impotē suas exerere functiones in corpore deformato; ita & peccatum, vt gladius anceps, noxium est corpori & animæ, vt codice sacro patet, vbi Iesus Siracides ita peccati virus aperit. *Fili peccasti? non adiicias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri fuge peccata; si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes eorum, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta iniquitas omnis, plaga illius non est sanitas.* Eamobrem benè quadrat peccato symbolum à Ioanne Ferro depictum: illud est serpens biceps, nomine amphisbena, cuius ea est figura, vt vtroque suo corporis extremo virus instillet. Titulus picturæ hic est. AD LÆDENDVM BICEPS. Ecce typum malitiæ, quam peccatum affricat homini, qui mortis erat nescius antequam infectus esset hoc veneno, nec habebat animam vllo vulnere sauciatam. Hoc, prædicator, inculca egregiè, monens auditores decipi, si credant corpori suo consulere, quando genio indulgent. Fit enim vt decurtetur eis vita corporea, qui ea nequiter abutuntur; & sic peccatum occidens corpus & animam, est AD LÆDENDVM BICEPS.

Peccatum est noxium corpori, & animæ.
Ecclesi. 21.
EX SYMBOLIS.
Ioan. Ferrus part. 2. Theatri symbolorū.

Cautum erat olim vt leprosi fierent extra castra & consortium hominum, ne suo contagio luem suam aspergerent. Ita fideles omnes, quibus animæ sanitas est maximè cordi, nefarios homines odere cane peius, & angue; vt Christiani orthodoxi fecere olim palam. Cùm enim Ariani Eunomium quemdam suæ farinæ inaugurassent in Episcopum Samozatæ; eo intrante Ecclesiam, Catholici omnes protinus aufugerunt. Sustinuissent profectò fideles illi hominem leprosum in Ecclesia potius quàm nefandum hominem. Eo Præsule Ariano sublato è medio, suffectus est in locum eius Lucius eiusdem sectæ, & proinde desertor fidei, qui cùm mulo veheretur in platea ciuitatis, pueri colludentes pilâ, incautè pilam versus eam partem, qua transibat, fortiter impulerunt. Sed vbi obseruarunt pilam suam tetigisse pedes muli, quo vehebatur homo iniurius Christo, dubiam faciens diuinitatem eius, rogo accenso in foro, sæpius pilam illam traiecerunt per medias flammas, vt sic purificata foret. Si pueros adeò perculit odium hominum impiorum; coniice, qualis fuerit ea tempestate zelus hominum adultorum: nempe sic à natura comparatum est vt more seniorum se componant iuuenes immaturi.

Consortium hominum nequam est fugiendum.
EX HISTORIA.
Eunomius Arianus Episcopus, solus derelictus in Ecclesia à Catholicis.
Theodoret. lib. 4. c. 14.
Lucius Episcopus Arianus odio habitus etiam a pueris.
Theodoret. lib. 4. c. 14.
Sozomen. lib. 2. cap. 24.

Eodem etiam horrore perculsus est Sanctus Paphnutius in Concilio Tyri coacto. Is enim vt vidit Arianos præualere, & furere in Athanasium virum vtique sanctissimum, detestatus impios homines, apprehensa manu Maximi Episcopi Ierosolymitani ait. *Fugiamus hinc, non expedit nobis reprobis sociari.* Reuera probis omnibus arridet lepra magis, quàm peccatum, vt luculentâ probatur historiâ S. Ludouici Regis Christianissimi. Rex ille nobilem quemdam sibi familiarem nomine Ioinuillæum sic affatus est: Dic amabò, Ioinuillæe, quid sentis de peccato mortali? si tibi optio eius daretur & lepræ, quisnam esset animus tuus in procinctu & biuio illo? Nobilis ille nihil cunctatus ait: Profectò, ô Rex, mallem incurrere in peccatum, quàm in lepram. Horruit Rex hoc effatum, & iniquo proposito simul ingemuit, ita carpens hominis animum, non vt par erat de crimine sentientem. A vero aberras toto cœlo, Ioinuillæe; omni quippe lepra deterior est illa labes, quam peccatum lethale affricat hominibus; ideóque lepra mellem respergi millies, quàm fœdari vno lethali peccato. Ipse Ioinuillæus hoc recenset in vita S. Ludouici.

S. Ludouicus Rex Galliæ mauult lepra infici, quam peccato.
Ioinuillæus in vita S. Ludouici.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Opus est omnipotente manu, ad curam lepræ, & peccati.

§. III.

NAturæ inuius est regressus à priuatione ad habitum, ideóque cura lepræ est supra vires naturæ; homini namque sic affecto multæ desunt facultates, quæ extinctæ nequeunt vllo pharmaco reparari. Eamobrem toto ferè corpore desudante, lurido humore caro diffluens abit in secessum, vt præmonet Hippocrates, describens historiam morbi huius Ἐπὶ τουτέοισιν ἐξέρυθρα βαρχόπυα μάλιστα διέασι. Id est. *His purulenta carnes prærubra vtplurimum secedunt.* Esse deploratam vitam huiusmodi hominum, & supra Medicorum

Lepra consummata est incurabilis.
EX MEDICINA.
Hippocrat. lib. 3. coac. tract. 4 c. 4. pran. 49.

Medicorum artem, Deus liquidò insinuauit, decernens curam eiusmodi morbi esse negotium sacerdotum. Et hodie Christus in Euangelio manum suam extendens ad procurandam leproso homini sospitatem, illo typo docet, morbum illum non detergi, nisi beneficio Domini præpotentis. Tamen dummodo non sit inueterata lepra, ars Medica non desperat, & recenset, quosdam feliciter ope pharmacorum fuisse redditos pristinæ sanitati. Vnde tales leprosos censeo æquioris esse sortis, quàm homines malè sibi conscios. Quippe mortiferum vnum peccatum animam inficiens detergi nequit humanis, imo nec solis Angelorum auxiliis. Non enim est hominum, aut Angelorum, gratiam deperditam educere ex potentia animæ: siquidem est facinus exuperans omnes naturæ vires, ac proinde Deo soli conueniens. Etenim homo in peccato nequit mereri gratiæ influxum; in eo nimirum statu reus homo est Deum exosus, atque ita Deo displicet sicut inimicus. Angelus item vt sic est ordinis infra gratiam, quæ est supernaturalis: itaque nequit producere rem, quæ dignitate sua sorti eminet Angelorum.

Peccator nequit redire in gratiam cum Deo solis naturæ viribus.

Ex Theologia.

Vtinam præcones verbi Dei, hanc doctrinam, vt decet, hominibus ingererent, sic fortè consulerent errori, qui in dies gliscit: multi videlicet impunè peccant, proponentes pœnitere post aliquos annos. Quasi verò penes hominem esset ad arbitrium suum conciliare sibi gratiam, qua excidit. Tantum abest, vt qui offendunt voto concepto pœnitendi aliquando, pœniteant præfinito sibi tempore; quin imò id præstant vt nunquam pœniteant. Vnum namque peccatum est pœna alterius; fitque in pœnam peccatorum, vt homo meditatus pœnitendi propositum, non stet pollicitis, quia irritam fecit gratiam Dei eum cœlitus excitantem ad ineundam meliorem frugem.

Peccatum est sæpe peccati alterius pœna.

Ex SS. Patribus.

August. lib. 3. de libero arbitrio.

In hoc argumento consule Patres, & eos audies concordes in hac sententia, quam vellem omnibus explicari, ne homines in globos vitia cumularent, & ita fierent impotes ad pœnitendum. Prior in arenam descendit Augustinus contra nefarios, qui cunctantur morem gerere Christo Domino suggerenti meliora consilia. Sic ille. *Homo per peccatum in hæc incidit mala, vel vt non videat, qualis esse debeat, siue videndo, & non valendo esse se qualem debere esse se videt. Pœnā hanc esse peccati quis dubitet? Nec mirandum est, quod vel ignorando non habet liberum arbitrium ad eligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa enim est peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque, quo benè vti noluit, cùm sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire, quid rectum sit; & qui rectè facere, cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt reuera omni peccanti ista pœnalia, ignorantia, & difficultas. Sed approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Hactenus ille expertus angustias, quas patitur homo aliàs vitiis assuetus.

Peccatum in quas angustias animā adducat.

Peccati quam sint iniqui effectus.

Quia magni momenti est istud argumentum, denuo refricat illud idem doctor, arbitratus se præstiturum rem Deo gratam, si homines, distrahat ab illa sententia, quæ suggerit esse in nostra potestate situm pœnitendi ad nutum nostrum, ideóque hominem non debere cruciare se præcoci pœnitentia, sed frui bonis florente ætate, ne ingratum ducat æuum suum omne, asperos virtutum tramites obeundo. Sic ille. *Cogitandum est, prauaricatorem legis quam dignè deserat lux veritatis, qua desertus vtique fit cæcus, & plus necesse est, offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat. An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus: Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Vtique ista obscuratio, vindicta, & pœna iam fuit; & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, in plura, & grauia peccata collapsi sunt. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Grauis hæc pœna est, & ex hac pœna vide quò ierunt. Et mutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Ista fecerunt ex peccati pœna, qua obscuratum est insipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia licet pœnalia etiam ipsa peccata sunt, adiungit, & dicit: Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Ecce quemadmodum Deus grauius condemnauit, tradens illos in desideria cordis eorum, in immunditiam. Videte etiam ex hac pœna quid faciant, vt contumeliis, inquit, afficiant corpora sua in semetipsis. Et quia pœna est ista iniquitatis, cùm sit & iniquitas, euidentius commendat, dicens: Qui mutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori. Propter hoc, inquit, tradidit illos in passiones ignominiæ.*

Pœnitere nō est semper ad hominis arbitrium.

August. lib. de natura, & gratia contra Pelagian.

Peccatum exæcat animam.

Peccatum in quos errores abduxit Gētiles.

Rom. 1.

Chrysostomus Augustino suppar, multus est in adstruenda illa sententia, itavt valde delirent impij delictorum suorum cumulum aggrauantes, arbitrati se deposituros illam sarcinam peccatorum ad libitum. Audi in quam perniciem vitia deducant homines malis actibus assuetos. Ita Chrysostomus. *Annon est peccatum, & pœna peccati, vbi legitur: Dominus immisit eis spiritū erroris, vt faciant, quæ nō conueniunt, sicut seducitur ebrius? Annō est peccatū & pœna peccati, vbi Deo dicit Propheta: Quid errare fecisti nos de via tua, obdurasti corda nostra, vt non timeremus te? Annō est peccatum, & pœna peccati, vbi legitur de Gentibus, quas debellauit Iosue, quia per Dominum factū est confirmari cor eorū, vt obuiam irent ad bellū Israël, vt exterminarētur? Annon est peccatum, & pœna peccati, quod non audiuit Roboam Rex plebem benè monentem? quia sicut Scriptura loquitur, erant conuersi à Domino, vt statueret verbum suum, quod ei locutus est in manu Prophetæ. Annon est peccatum, & pœna peccati in quo scriptum est, Amasiam Regem Iuda noluisse audire Regem Israël benè monentem, ne procederet ad bellum? Sic enim legitur: Et non audiuit Amasias, quia à Deo erat, vt traderetur, quoniam quæsierat Deum Edom.*

Peccata peruertunt iudicium.

Peccatis alia peccata prouocantur.

Chrysostom. homil. de Adam & Eua.

Roman. 1.

Isai. 63.

Isai. 64.

Iosue 10.

3. Reg. 12.

2. Paral. 10.

2. Paral. 25.

Vt retrocedat oratio eò vnde auspicata est, lepra in suis incunabulis quando contrahitur vitio corporis, non omnem adimit spem sanitatis, sed si æstuante hepate torridus humor alluat totum corpus, & æger incurius sit Medicum consulere, qui incendium illud sopiat ingrauescens, humor ille mordax exedet carnes; & serpendò totum absumet corpus. Ita locus pœnitendi facilior est ei, qui in vitio callum non obduxit, quàm

Peccatum consuetudīne aggrauatur.

Peccati pondus hominē deorsum trahit.

illi, qui velut inolito sibi ritu, vitiis omnibus assueuit. Vnde petatur illa difficultas pœnitendi post repetita crimina, disce ex Gregorio, ita decurrente materiam, quam versamus. *Omne peccatum, quod citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est, & causa peccati; aut peccatum, & pœna peccati. Peccatum namque, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit, vt non solum peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe vitio, culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens dicitur, vt peius ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, iam non peccatum solummodo, sed peccatum est, & pœna peccati; quia iusto iudicio, omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedētis peccati merito, in alia etiam cadat. Non ergo immerito pœna peccati dicitur, quod iusta desuper irrogata cæcitate, ex præcedentis peccati vltione perpetratur, &c. Melius ostendemus si res ipsas ad medium deducamus. Effrænata ventris ingluuies, in feruorem luxuriæ plenitudinem carnis instigat. Perpetrata autem luxuria, sæpe aut periurio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum vltione puniatur. Ponamus ergo ante oculos, quod quidam voracitatis sibi fræna laxauit, qua voracitate superatus, adulterij facinus admisit; deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulteræ, ne ad iudicium traheretur, occidit. Hoc igitur adulterium inter voracitatem & homicidium positum, de illa videlicet nascens, hoc generans, peccatum est, & pœna, & causa peccati.*

Gregor. lib. 25. Moral. c. 9. Pœnitentia quæ differtur, est difficilior.

Peccatum vnum ad committenda alia peccata sollicitat.

Animæ vitiis assuetæ sospitatem esse reponendam inter prodigia Bernardus ait, dicens illud esse singulare Dei beneficium. Sic ille. *Vulneri vetusto & neglecto callus obducitur, & eò insanabile, quò insensibile fit. Denique dolor continuus & acerbus, diuturnus esse non potest. Nam si aliunde non extunditur, necesse est cedat vel sibi. Enimuerò citò aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem. Quid non inuertat consuetudo? Quid non assiduitate duretur? Quid non vsui cedat? Quantis, quod præ amaritudine prius exhorrebas, vsu ipso, malè in dulce conuersum est? Audi iustum, quid lamentetur super huiuscemodi: Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt. Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescat, iudicabis non adeò graue, paulo post & leue senties, paulò post nec senties, paulò post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in auersionem. Hinc tibi timeo semper, ne dilato remedio, dolorem non sustinens, periculo te irreuocabiliter desperatus immergas. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Et cor citò aut sanitatem debet habere, aut insēsibilitatem. Nemo autem duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo, iuxta Prophetā, cor lapideum, & dedit cor carneum.*

Bernard. lib. 1. de Consideratione. Peccata inueterata ægrè curantur. Obstinati cordis descriptio. Obstinati cordis salus est à Deo solo.

Quibus remediis tentatur cura lepræ & peccati.

§. IV.

Bifariam tentata fuit cura lepræ. Primò viâ indictâ à Deo in Scriptura. Secundò remediis arte Medica præstitutis. Primum illud remedium fuit simile ostento, vtpote superans omnes naturæ vires: quippe lepra fuit subdita arbitrio sacerdotis, & mundata sacris ritibus, atque piaculis, sancto codice recensitis. Præterea Medici credidere, carnes viperæ appositas in pastum, lepram detergere, si execto capite, & cauda abscissâ vipera comedatur. Huiusce rei periculum sæpe fecit Antonius Musa Medicus Augusti, quem eo nomine commemorat Plinius. Meminit & huius antidoti Cardanus. Simili ferè modo curatur anima: quippe duo concurrunt ad reducem gratiam, qua excidit homo lethali crimine præpeditus. Deus scilicet, & homo. Deus excitans liberum arbitriū, & homo consentiens propitio Domino reuocanti. Ita Chrysostomus. *Omnium bonorum affectuū, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitemur auctorem, & non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire. Per quem item fit, vt aliquid boni, & velle inueniamur, & facere. Quo vtique auxilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, & de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum; de imprudente fit prouidum. Tanta enim est erga omnes bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus. Nec otiosa nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores gratiæ Dei simus.*

Lepra olim subdita arbitrio sacerdotis. Leuit. 13. & 14.

Ex Medicina. Plin. lib. 30. cap. 3. Cardanus epistola ad Ioan. Scotum Episcopum. Chrysostom. homil. de Adam & Eua.

Prædicator, habes hic amplum spatiandi locum de confessione, cuius omnis ferè ritus explicatur in lege indicta leprosis hominibus, hoc contextu. *Quicunque maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum; contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.* Primò debet homo sibi malè conscius separari affectu ab omnibus, quæ inducunt ad peccandum. Secundò non vestimenta, sed cor contritione scissum satagat ostendere. Tertiò suas omnes sordes aperiat in confessione, captato antè secessu à turbis, vt solus vacare queat reduci sanitati. Si non sapiant hæc palato cupido rei nouæ, & animus ad inaudita anhelet; annuo votis, & in hoc lepræ argumento promo rem hactenus illibatam.

Leuit. 13. Leprosi habitus qualis debeat esse.

Confessionis egregia figura.

Lepræ spiritualis curatio.

Dixi ex Medicis, viperam amputato capite, & exertâ caudâ detergere lepram. Duo inde moralia exurgunt. Primum, esse serpenti antiquo caput amputandum, elidendo tentationes eius in ipso primo susurro mali, cauendo etiam à cauda, id est, à consensu. Aliud moribus componendis idoneum est, vitium consistere in extremis, & virtutem in medio: iuxta illud.

Virtus est medium vitiorū vtrimque reductū.
Accedit & ad vnū illud. *Dimidiū plus toto.* Vnde hoc decerno ad curādā leprā animæ; scilicet, vt resecātur extrema viperę & mediū assumitur ad leprosa corpora sospitanda; simili modo in moralibus esse extrema fugiēda, & ea sectanda, quæ mediocritatē sapiūt, penes quā ratio tota virtutis cōcluditur. Etenim mediū tenuere beati, & medio tutissimus ibis. Adiicit ars Medica, debere mediū illud viperę adsciscere sibi micas panis, vt hęc omnia admista pastillos, trochiscos, seu rotulas efficiāt aptas ad malè affecta corpora recreanda. Ego moraliter affirmo, virtutū praxim, quę in medio est sita, debere familiarē etiam habere vsum panis Christi, qui in altari refert rotulę speciem, vt anima ab omni lepra tersior emundetur.

Virtus in medio consistit.

Mediocritas est amica virtutis.

Eucharistiæ vsus curat lepram peccati.

DOMI



DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

HOMILIA NONA.

SVMMA HOMILIÆ.

VT pictor industrius crudo penicilli ductu speciem imaginis ingerit oculis sagacibus, & peritis; ita Christus statum Ecclesiæ quibusdam suis actibus adumbrauit. Verbi gratiâ, nauis hodierna vehens Christum atque discipulos, procellæ impulsu in varias acta partes figurat angustias, quas multiplices patitur Ecclesia.

§. I. Dicam prima parte istius homiliæ, affinia esse symbola maris, & mundi.

§. II. Dein probabo, impossibile esse saluari in mundo, viuendo iniquo sæculi ritu.

§. III. Secunda parte ostendam, Christum nos eripuisse periculis huius maris, beneficio nauis benè instructæ, quæ est Ecclesia Catholica. & Romana.

§. IV. Demum concludam, incassum sæuire mare in nauem Ecclesiæ, quia singularem eius curam agit Deus, quo moderante librantur momenta vitæ nostræ, & angustiæ dispensantur.

PRÆFATIO.

Matth. 8.

Ascendente Jesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.

Oleum mare sedat.

NESCIO an imponant nobis physiologi, qui hoc pensum indixere sibi, vt peruia facerent nobis penitiora naturæ arcana. Scrutatores illi accurati rerum abditarum affirmant, æstuante mari, ingrauescente tempestate, consulturos sibi nautas, si oleum multum in mare effundunt. Aiunt enim, pelagus insurgens deponere suos fluctus oleo refluente. Apostoli hodie hac vsurpatâ industria dubiæ suæ saluti occurrerunt: vbi nempe nauem suam videre peti fluctibus, in perniciem vectorum illa naue tumentibus, inuocauere nomen Domini Iesu, exclamantes. Domine salua nos perimus. *Merito nominis huius*, Facta est tranquillitas magna. *Nomen Iesu restantibus ventis insonuit, & composuit minaces vndas, reueritas oleum hoc effusum, iuxta illud Canticorum.* Oleum effusum nomen eius. *Itaque citra periculum possumus hodie trâsfretare; quippe fuso salutari hoc oleo, id est, resonante nomine Iesu, mare placidum sese naui nostræ sternet. Tutos igitur vehabam vos, nihil cunctante mari huius mundi; quia nauis Ecclesiæ, qua ferimur, est congruè instructa. Sed non est transfretandum, insalutata maris stella, Virgine scilicet Deipara.* AVE MARIA.

Matth. 8.

Cant. 1. Iesus est oleum, mare sedans.

CHristus infirmitati hominum consulens, voluit argumentis idoneis adstruere fidem diuinitatis suæ. In his adhibuit illud quod meminit David, ita stabiliens hanc dignitatem Christi. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Solius nempe Dei est propriâ virtute compescere pelagus intumescens. Hoc itaque suæ potestatis hodie specimen edidit Christus, coërcendo motus fluctuum, quibus agitata nauis Christiana dubiam faciebat salutem hominum, qui eo tempore transfretabant. Illo prodigio perculsi astantes suspicati sunt in Christo quidpiam supra hominem, vt aduertit Matthæus vnus eorû, qui vehebantur illa naue. *Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Vt causa vniuersalis plures eodem influxu sortitur effectus discolores, ita & Christus. Dominus vniuersi vno eodemque præclaro facinore multa intendit & suggerit homini meditanda. Verbi gratia, hodie ascendens nauiculam stipatus totâ discipulorum turbâ, in quibus erat Iudas, ideam obiecit sæculi huius, & totius Ecclesiæ suæ. Nam præter diuinitatem suam, quam eo miraculo ratam fecit, suos etiam discipulos erudiit, mundum hunc esse mare infidum, à quo se expedire nemo potest, nisi obsequio nauis, vbi Christus adest, qui sedat procellas omnes insurgentes in nauem fidelium. Prima igitur parte dicam, mundum esse mare diffamatum plurium animarum naufragio. Adiiciam, esse impossibile saluari in mundo, viuendo more sæculi nequam. Secunda verò parte homiliæ dicam, Christum prouidisse nauem, qua conclusi cauere possunt imminens aliis naufragium. Sed quia dæmon inuidet illis, qui saluantur; ille furit in nauem fidelium, vt dicam vltimo loco vbi agam de ærumnis, & procellis, quibus fideles homines agitantur, & vnde, Deo moderante vices & momenta suorum, sospites educuntur.

Psalm. 88. Christus sedando mare se Deum probauit.

Matth. 8.

Diuisio homiliæ.

Pars Prima Homiliæ.

Maris & mundi multiplex est & genuina comparatio.

§. I.

Ex Symbolis. Mundus quid sit.

INconstans habitus mundi huius ansam dedit Sanctis declamandi in eum vt in mare procellosum, quod licet aliquando placidum suas tumentes deponat aquas; eò tamen infidele magis est timendum, quò plus hominum corda sollicitat ad fidendum. Sed ne hallucinandi in nomine periculum sit, operæ-pretium est prænotare, nomine mundi intelligi vitam illam iniquam, qua viuitur in sæculo. Ita Hieronymus. *Quæritur, quomodo præsens sæculum malum dictum sit? Dicimus non tam sæculum ipsum, quod die ac nocte annis currit & mensibus, appellari malum, quàm ea quæ in sæculo fiunt. Quomodo sufficere dicitur diei malitia sua, & dies Iacob dicuntur pauci, & mali. Non quòd spatium temporis, in quo vixit Iacob, malum fuerit; sed quòd ea, quæ sustinuit, per varia eum exercuerint tentamenta, Vnde Ioannes: Mundus totus in maligno positus est. Non quòd mundus ipse sit malus; sed quòd mala in mundo fiant ab hominibus dicentibus; manducemus, & bibamus: cras enim moriemur. Infamantur & saltus, cum latrociniis pleni sunt, non quòd terra peccet, & silua; sed quòd infamiam homicidij loca quoque contraxerint. Detestamur & gladium, quo humanus effusus est cruor, & calicem, in quo venenum temperatum est, non gladij calicisque peccato; sed quòd odium mercantur illi, qui his malè vsi sunt. Ita & sæculum, quod est spatium temporum, non per semetipsum, aut bonum, aut malum est; sed per eos, qui in illo sunt, bonum dicitur, aut malū.* Hactenus ille rigidus mūdi cēsor.

Hieronym. in epist. ad Galatas.

Mūdus quare dicatur malus.

Mundus vt mare ventum, spumā & arenam habet.

Cùm igitur audis Sanctos inuehi in mundum, cogita mores hominum nequam, qui Deo abdicato, hoc vnum sibi indixere pensum, scilicet vitiis indulgere. In eo sensu mundus mare refert. Illic vanitas ventum delineat, quo perflante motus magni quatiunt homines alta sapientes, & ad prææltas infulas anhelantes. Nonne & spuma albicante desudat mundus, quando libidine diffluit? Denique mundi asseclæ hærent sæpius in arena, quando auaritia præpediti, insana cupidine auri miserè cruciantur, aureis quasi vinculis irretiti. Quidquid ergo mundus alliciens animas simulet, tria hæc cauenda sunt, scilicet superbia, luxuria, & auaritia, quibus vt triplici funiculo sequaces mundi omnes fortiter alligantur. Huius iniqui maris perfidiam expertus Hieronymus, vt naufragus Heliodorum monet, ne se committat illis fluctibus homicidis. Sic ille desudans aquis in quas inuehitur. *Ego, non integris rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo, sed quasi nuper naufragio eiectus in littus doctus nauta, timida nauigaturis voce denuntio. In illo æstu Charybdis luxuriæ, salutem vorat; ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scylla, ceu renidens libido, blanditur. Hic barbarum littus, hic diabolus pirata, cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi: licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispētur; magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis, expedite rudentes, vela suspendite, crux antenna figatur in frontibus: tranquillitas ista tempestas est.*

Maris pericula mundo communia. *Hieronym. ep. ad Heliodorū.*

Frequentia mundi discrimina, in quæ homo incurrit, petuntur ab obiectis, quæ illudunt sensibus. Homines nempe nequam suis sodalibus nihil prorsus ingerunt præter illecebras gulæ; aut Veneris incendia, aut demum eos sollicitant assurgere in cothurnos, & superbiæ typho inflatos ardua meditari. Vnde cùm homo deuius in hæc tria inclinet, & nouercante natura pronus sit in malum; facile submergitur implicitus illis vndis, ac proinde mundus appositè maris nomine nuncupatur. Audiendus in eo themate Augustinus ita fatus. *Hoc sæculum mare est: habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tentationum, tempestates tribulationum, habet homines veluti pisces, de suo malo gaudentes, & tanquam se inuicem deuorantes. Hic ambula, hoc calca. Calca mare, ne mergaris in mari.*

Mūdus amatus vt mare. *August. in Psalm. 39.*

Constans est Philosophorum opinio, Lunam præcipuè in mare influere, idque coniiciunt ex refluentibus vndis, redeunte Luna, & in eius luminis incremento. Luna typus inconstantiæ, hanc & mundo sortem instabilem affricat; nihil nempe suum in humanis tenorem seruat, sed omnia alternant, & vnda repellitur vndâ. Eamobrem pessimè sibi consulunt imprudentes huius sæculi sectatores, qui æternas stabilire sedes cupiunt in hoc mundo: quasi verò queant esse sæcula diuturna.

Impossibile est saluari in hoc sæculo, his qui ad arbitrium mundi viuunt, ac proinde fugiendum est sæculum.

§. II.

CIrcumfertur effatum Philosophi præcipui inter suos; scilicet esse facinus imprudentis hominis sese committere mari, quando aliter adiri potest locus, ad quem iter cœptum dirigitur. Gratis enim tentantur pericula, quibus occurri potest facili negotio. Probo consilium illud in moralibus. Nimirum damno consilium eorum, qui affirmant, viuendo in sæculo, sæculi more, posse homines ad æterna præmia deuenire. Delira est illa sententia, & procul à vero. Etenim vt pestilens aër suo contagio inficit; ita mundus nihil nisi lethale exhalans, eos omnes enecat, quibus inspirat suum viuendi ritum mortiferum. Si enim, Ioanne Apostolo assertore, quidquid est in mundo, illud omne est superbia vitæ, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum. Quis impunè deget in aëre tam noxio, qualis est hic maleficus aër, quem mundus à Ioanne dicitur expirare?

Aër circumstans morborum est causa.

Recole illud effatum Medicorum supra recensitum ex Fernelio. *Qui circumfusus est nobis aër, in intima quæque penetrans, nos etiam contagione immutat, neque nos solùm; verum etiam solidissima quæque, vt ligna, & lapides, & metalla, quæ aliter sicco, aliter pluuioso cœlo affici notamus. Tanta quidem vis est aëris per cuncta rerum meabilis: huius autem, quàm cæterorum vis maior, & efficacior ad morbos infligendos.* Nemo itaque poterit perniciem mundi effugere, si perfido illi sæculo coꝛeatur.

Ex Medicina. *Fernelius lib. 1. Pathol. cap. 13.*

Ex Hippocrate omnium ferè morborū prima rudimenta

Morborum causæ quales sint.

Hippocrates lib. 2. περὶ φύσιος.

rudimenta petuntur à victu & spiritu, quem ducimus. *Αἱ δὲ νόσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ εἰσαγόμενοι ζῶμεν. Morbi omnes partim à diæta nascuntur, partim à spiritu, quem ducendo viuimus.* Cùm ergo sequaces mundi malè inspirati sint, & noxiis vtantur cibis, vtpote saginati sensuum illecebris, & pasti omnigena voluptate; impossibile est non ægrotare animas, tot & tantis vitiis assuetas. Illa nimirum indoles est vtriusque appetitus, rationalis scilicet, & sensitiui, vt rationalis à scopo suo aberret, præualente alio appetitu. Hinc fit vt voluntas hominum nequam, non alliciatur spirituali bono, quia appetitui sensitiuo voluptates emētiti boni species offuderunt. Ex Aristotele: Ad hoc vt vnū agat in aliud, debet illi esse partim simile, & partim dissimile: simile quidē, quia omne agens intēdit assimilare sibi patiens: dissimile verò, quia nulla est actio similis in subiectum ex omni parte simile. Cùm ergo mūdi asseclæ toti animales sint, nihilque omnino spirent præter corporea, vltro ruunt in amplexus cuiusuis sensuum illecebræ, & obuiæ voluptatis.

EX PHILOSOPHIA.

Aristot. lib. 1. de Generat. cap. 7.

EX THEOLOGIA.

Ideóque liquet, esse facinus impossibile saluari eos, qui sæculi ritu viuunt, quod perinde est, ac dicere: impossibile esse hominem nequam, vt talis est, fieri conscium beatitudinis æternæ. Etenim nemo ad beatum illum statum euehitur, nisi titulo hæreditatis, aut præmij. Hæredes Dei sunt hi, qui filij at filij non sunt Dei, qui degeneres atque dissimiles, carni indulgent, viuentes pecorum ritu. Tesseras filiorum Dei Ioannes sic describit, commemorans Christum filium Dei, cuius æmulatione simus & nos filij Dei. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Ioan. 1.

Mundi sequaces quare excludantur à gloria æterna.

Profectò non recipit Christum ille, qui viuit ad arbitrium carnis & non Dei; atque ita nihil illi, & cœlo, vt cœlum est hæreditas filiorum Dei. Si verò spectetur illa beatorum sors inuidenda, vt est præmium; ita etiam secernit omnes mundi asseclas: præmium quippe dicit meritum; at stare nequit meritum cum peccato mortali, cui obnoxij sunt omnes, qui amore sæculi capti, sunt prorsus incurij legis Dei: nemo namque nescit, gratiam supponi ad meritum gloriæ æternæ, quæ ipsa est gratia consummata. Vnde quia non coëunt gratia & peccata, res est in confesso vilia mundi mancipia beatis sedibus exulare, & operæpretium esse, eum, qui vult prouidere sibi, fugere hoc sæculum, & meliorem frugē seriò meditari.

Mundi asseclæ mentiūtur se esse filios Dei.

Instabis fortè, dici Christianos etiam homines huius sæculi vitiis obnoxios; atque ita esse filios Dei, vtpote Christi sacro nomine recensitos. Respondeo, huiusmodi nefarios homines illudere aliis vsurpando nomen alienum, ideóque procul esse à gratia filiorum Dei. Etenim illa nomenclatura, id est, filij nuncupatio minimè contrahitur ad arbitrium, sed cautione, Cæsareo codice recensita. Ecce legem. *Non nudis adseuerationibus, nec ementita professione, sed matrimonio legitime concepti, vel adoptione solenni filij ciuili iure patri constituuntur.* Cùm ergo dyscoli homines non sint eiusdem naturæ cum Deo, nec ab eo inquinati vitiis adoptentur; fugiendi sunt vt deuoti diris. Ita nos sollicitat iste Canon. *Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis. Sed contactu cordis, non corporis. Quid est enim tangere*

EX IVRE CIVILI.

Filiatio quomodo contrahatur.

Leg. 14. Cod. de probationibus lib. 4. tit. 19.

Fugienda mala consortia.

EX IVRE CANONIC.

Can. Recedite 23. qu. 4.

immundum; nisi consentire peccatū? Sic est intelligenda fuga sæculi, quam sæpe sæpius ingerunt Sancti: alioquin piis omnibus esset secedendum in penitiores eremi recessus, si mali essent necessariò, corpore fugiendi. Itaque est opportunè Canon hic editus. *A malis semper corde disiungimini: ad tempus cautè corpore copulamini. Duobus modis non te maculat malus; si ei non consentias, & si redarguas. Hoc est non communicare, non consentire: communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur.*

Can. A malis 23. qu. 4.

Ille tamen Canon non obstat quin prudenter declinanda sint consortia hominum, quorū contagio itur in discrimen gratiæ Dei: quibusdam nāque vitiis arietatur fortiter in hominū mores. Ne igitur sese tibi affricet improbitas aliena; caue, & da libellum repudij malis omnibus consortiis, vbi periculum est gratiæ naufragandi. Eò collimauere Patres, dum suasere fugam sæculi, id est, primò voluere, vitia odio haberi; deinde hortati sunt ad fugam hominū, quorū contagio deterior quispiam esse potest. In sæculi ritus sic declamat Augustinus, vt in manicas, & compedes. *Vincula* (inquit) *huius mundi asperitatē habent veram, iucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. His ne tu inseras manus, & pedes, & collum: cùm & honoribus huiuscemodi affectas subiugari, & ambis inhærere, quò non modò inuitatus sed nec compulsus quidem ire debuisti.*

Mundi fuga quàm necessaria

EX SS. PATRIBVS.

Mundi vincula præcauenda.

Aug. Epist. 39. ad Licentiū, tomo 2.

De eo argumento, id est, de sæculi fuga texuit Ambrosius opus singulare, luculenter in illa decurrens materia, cuius accipe hæc fragmenta, quæ adstruunt meam sententiam affirmantem, nomine sæculi, vitia recenseri. Sic ille. *Frequens nobis sermo est de fugiendo sæculo: atque vtinam, quàm facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus. Sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites, animoque voluas. Quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Ad sæcularia nos reuocant cogitationes nostræ, mundana inserunt, illecebrosa intexunt, ipsóque in tempore, quo eleuare paramus mentem, ad terrena plerumque deiicimur. Nam quis inter tot passiones huius sæculi, inter tantas illius illecebras, tutum ac intemeratum seruare potest vestigium? Omnia vanitas, quæ in hoc sæculo sunt. Qui saluus esse vult, supra mundum ascendat, fugiat mundum hunc.* Rursus ille liquidiùs aperit, in quo vertatur præcipuus cardo fugæ sæculi, quam crebrò inculcat. *Fugiamus* (inquit) *hoc sæculum, & eius contagionem. Hoc est autem fugere, abstinere à peccatis, ad similitudinem & imaginem Dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad Dei imitationem secundùm mensuram nostræ possibilitatis.*

Mundi illecebræ quot, & quales.

Ambros. lib. de fuga sæculi, cap. 1.

Ibidē, cap. 4.

Mundum fugere quid sit.

Esse & declinanda iniqua consortia, clamat Patrum concors auctoritas. Suo discrimine cautior Augustinus ita fatur. *Procliuius ad imitationem malorum curritur, quàm ad virtutes bonorum animus excitatur; Sicut melli plurimo parum absinthij iniectum, velocem amaritudinem trahit, mellis verò etiamsi duplum iniiciatur, non poterit eius obtineri dulcedo. Exeundum ergo nobis est è medio malorū.* Ille itē ait, se inuenē

Consortia mala cauenda.

August. in lib. contra Fulgentium Donatistam.

commisisse furtum, quia societate malorum raptus est ad hoc iniquum facinus. Sic ille luget quantulumcumque piaculum. *Et illud ego solus non facerem, non facerem omnino solus. Ecce est coram te Deus meus, viua recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum istud, in quo non libebat quod furabar: sed quia furabar, quod me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis iniqua amicitia, seductio mentis inuestigabilis ex ludo, & ioco, nocendi auiditas, & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla vlciscendi libidine: sed cùm dicitur: eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.* Concordat Basilius damnans omnia commercia cum impiis, etiam prætextu necessitudinis, ratione contagij. Sic ille. *Reuera noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ huius lex & vis, vt per similitudinem, malitiam coniunctis indat. Quamobrem rectè in Prouerbiis dicit: Corrumpunt bonos mores colloquia praua; vt enim in pestilentibus locis sensim attractus aër, latentem corporibus morbum inijcit; sic itidem in praua consuetudine, & conuersatione, maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur. Idcirco nobis aduersus serpentem irreconciliabilis est indita inimicitia.*

Idem lib. 2. Confess. c. 9. Consortia mala inducunt ad peccandum.

Basilius homil. 9. ex varus, tom. 1. Amicitiæ cũ malis noxiæ.

Eadem metaphorâ aëris infecti Gregorius vtitur ad suadendam fugam & secessum illum, quem prædico, carpens familiarem consuetudinem cũ prauis hominibus. *Vnum est* (inquit) *pro quo vitari debet societas malorum, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant. Et cùm ipsi à sua malitia non mutantur, eos, qui sibi coniuncti fuerint, peruertant, &c. Sicut ergo perfecti viri peruersos proximos non debent fugere; quia & eos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem nunquam trahuntur; ita infirmi quoque, societatem declinare debent prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie, sumimus in mente, sicut flando & respirando aërem trahimus corpore. Et sicut malus aër assiduo flatu tractus inficit corpus; ita peruersa locutio assiduè audita, infirmantium inficit animum, vt tabescat delectatione praui operis, assiduitate iniqui sermonis.*

Gregor. homil. 9. in Ezechiel. Consortium malum est vt aër pestilẽs. Coralli mira natura.

Quisquis igitur masculæ virtutis habitum ambit, is æmuletur indolem corallij, quod mollescit in aquis, sed inde eductum illico solidatur. Vnde apud Ferrum symbolo corallij iste titulus apponitur. ÆTHERE DVRESCIT. O homo, aquæ multæ populi multi, & reprobi cœtus sunt mare amarum. Expedi te quàtocyus ab his aquis, & sic ÆTHERE DVRESCES. Alioquin si malis hominibus assuescis, hoc habe ratum, te scilicet fore mollem & ignauum ex consuetudine nebulonum, & virtutes tuas, si quas es aliquando nactus, vda mundi aspergine perituras. Ne igitur patiaris incassum fusos labores virtuti impensos; aquam deterge, qua desudant homines Deo iniurij, & plus nimio sæculi amantes. Vt Christianum decet, enitere & assurge ad ardua, vt sic ÆTHERE DVRESCAS, & fama super æthera notus, beatis aliquando mentibus adiectus, eorum choris & tu mundi nescius inseraris.

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus parte 2. theatri symbolorum.*

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Ad traiiciendum tutò mare sæculi huius, Deus prouidit hominibus congruam nauem Ecclesiæ.

§. III.

Deum velle omnes saluos fieri, est effatum indubium apud omnes conscios arcanorum Dei: ne autem illa voluntas Dei antecedens hiulca foret, vtque suum sortiretur effectum, operæ-pretium fuit, Deum cauere periculis, quæ hominem stipant expositum aquis sæculi fluctuantis. Cui namque bono illa Dei voluntas, si non esset propitia & benefica hominibus, occurrendo malis, quæ ingruunt vndequaque? Has & prouidi conditoris egit partes Deus, & id appositè. Namque suam aptauit opem discrimini hominum: siquidem mundus est mare ferociens, & in vortices suos inducens plerosque mortalium, qui incautè lethalibus hisce fidunt aquis. Illa nauis est Ecclesia, coëuntibus in hac metaphora Patribus vniuersis. In his ita Chrysostomus. *Nauem detrahamus, veli loco expandentes linguam, pro zephyro Spiritus gratiam inuocantes, pro temone clauoque Cruce gubernatrice vtentes. Nam mare quidem illud habet aquam salsam; hoc autem aquam viuam. Illic etiam sunt animalia rationis expertia; hîc verò animæ rationales. Illic qui nauigant, è mari in terram; hîc verò qui nauigant, è terra in cœlum appellunt. Illic nauigia, hîc eloquia spiritualia: illic zephyri flatus, hîc Spiritus præsentia: illic homo gubernator, hîc gubernator Christus.*

Ecclesia nauis est instructa rebus idoneis ad salutem.

EX SS. PATRIBVS. *Chrysostom. homil. 14. in cap. 6. Isai.*

Auctor operis imperfecti, versans Euangelium hodiernum, commemorans nauem, cui insedit Christus, pro comperto habet, nauem illam fuisse typum Ecclesiæ. *Non dubium est* (inquit) *nauem istam Ecclesiam figurasse, secundùm quod per Salomonem de ea Spiritus Sanctus loquitur, dicens: Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum, Id est, Ecclesia, quæ nauigantibus Apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu Sancto, prædicationis verbo vbique discurrit, portans secum magnum & inæstimabile pretium, quo omne genus hominum, vel potius totum mundum, sanguine Christi mercata est. Alio quoque loco Salomon retulit dicendo, inter cætera, vestigium nauis pelagisantis inueniri non posse, ostendens conuersationem Ecclesiæ non terrenam esse, vel sæculi, sed cælestem; dicente Apostolo: Conuersatio nostra in cœlis est.*

Auctor operis imperfecti homil. 23. in Matth.

Ecclesia cum arca Noë comparata.

Proceres Ecclesiæ credidere, nauem illam congruè componi cum arca Noë: quibus id titulis coniecerint, similitudinem illam stare vt consonam, accipe ex Hieronymo, paucis perstringente typum illum Patriarchæ Noë. Sic ille. *Arca Noë, Ecclesiæ typus fuit, dicente Petro Apostolo: In arca Noë pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt, quod & nunc nos similis forma saluos facit Baptisma: vt in illa omnium animalium genera; ita & in hac vniuersarum Gentium, & mores hominum sunt. Vt ibi pardus, & hædus, lupus, & agni; ita & hîc iusti, & peccatores, id est, vasa aurea, & argentea, cum ligneis & fictilibus commorantur. Habuit arca*

Hieronym. in dialogo contra Luciferianos.

nidos

nidos suos, habet Ecclesia plurimas mansiones. Emittitur de arca coruus, & non redit, & postea pacem terræ columba nuntiat; ita & in Baptismate Ecclesiæ, teterrimo alite expulso, id est, diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus Sancti nuntiat. Periclitata est arca in diluuio, periclitatur Ecclesia in mundo. Egressus Noë vineam plantauit, & bibens de ea inebriatus est: natus quoque in carne Christus Ecclesiam plantauit, & passus est. Nudatum patrem filius vnus irrisit, & alter texit; & Deum crucifixum illuserunt Iudæi, & honorauerunt Gentiles. Non solùm in Ecclesia morantur oues, nec aues tantùm munda volitant; sed frumentum in agro seritur, & inter nitentia culta, lappaque, & tribuli, & steriles dominantur auenæ.

Ecclesia hæreticorũ nauis est naufragio obnoxia.

Nota, hæreticos concrepantibus buccis dicere, suam Ecclesiam esse nauem, qua substrata gloriantur se securos velificari gloriæ æternæ. Sed quàm procul à portu sint, videre est ex absentia Christi longè positi ab hac naue: nimirum Christus non conuiuitur hæreticis, aut aliis hominibus Deo iniuriis, vt benè arguit auctor operis imperfecti, ita commentatus, dum componit nauem Ecclesiæ cum aliis nauibus naufragio obnoxiis. Sic ille meminit Ecclesiam. *Nauigat instructa fidei gubernaculo, felici cursu per huius sæculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros hominum Sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore Crucis, in qua Euangelicæ fidei vela suspendens, flante Spiritu Sancto, ad portum paradisi, & securitatem quietis æternæ deducitur. Et hæc nauis quamuis per hoc tempus vitæ, per has tentationes sæculi nauiget; non est tamen sæculi nauis, sed Dei. Est enim & alia sæculi nauis, non Dei, id est, collectio hæreticorum, quæ sibi huius nomen Ecclesiæ vendicat. Aduersum quam, diem iudicij futurum Isaias manifestè declarat, dicens: Dies Domini aduersus omnem contumeliosum, & superbum; & post aliquantulum ait: Et aduersus omnem nauem maris, id est, omnem Ecclesiam hæreticorum. De qua alibi idem Isaias retulit: Dirupti sunt, inquit, funes tui, quia non valuit arbor tua, inclinauerunt vela tua, & non laxabunt vela tua. Nauem verò hanc, maris esse dixit, quia huiusmodi Ecclesia non Dei est, sed sæculi, quæ licet habere in se prædicationem Dominicæ Crucis videatur; inualidam tamen hanc arborem eius ostendit, quia vbi non est veritas fidei, infirma Crucis assertio est. Vnde inclinata & laxata vela eius sunt ostensa, quòd nullo flatu Sancti Spiritus dirigantur. Et ideo huiusmodi nauis, hoc est Ecclesia hæreticorum, amisso veræ fidei gubernaculo, in naufragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari à Christo Domino non meretur.*

Auctor operis imperfecti. hom. 23. in Matthæum.
Ecclesiæ vt nauis est, elegans descriptio.
Isaie 2.
Isaia 13.

Ecclesia Romana sola est nauis Petri.

Nota, naues omnes alias naufragasse præter nauem Petri; quia illic tantùm adest Christus: nulla nempe hæresis diuturna fuit, nec esse potest. Sola Romana Ecclesia sede Petri insignis, atque solidata sub ducatu & gubernatione Christi stetit intemerata, & constabit sibi semper errorum impatiens, & dogmate fidei profitens illibatæ.

Ecclesia Romana nescia erroris.

Quia hæretici nolunt Ecclesiam Romanam cæteris eminere, nec Ecclesiam Catholicam ab vrbe Roma nominari, causantes illam nomenclaturam Ecclesiæ esse vsurpationem, & inuentum nuper Romanorum Pontificum: audiant illi tenebriones priscis etiam sæculis fidem Catholicam fuisse hoc vrbis Romæ nomine commendatam. Sic Cyprianus. *Nauigare audent ad Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem, &c. nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non potest accessum.* Quid contra possunt oblatrare canes? Accedit æui sui Theologorum apex, & magister Hieronymi Gregorius Nazianzenus, hoc locuples edens testimonium in gratiam Ecclesiæ Romanæ. *Vetus Roma habet ab antiquis temporibus rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere.* Eodem flamine percitus eius auditor Hieronymus ita velificatur Ecclesiæ Romanæ. *Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam, eiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiet, quàm prædicatum est.* His & superior gradu & ætate Lucius Papa & Martyr, sic extollit Ecclesiam. *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis, nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit.*

Cyprian. lib. 1. epist. 3.
Greg. Naz. in carmine de vita sua ante medium.
Hieron. lib. 5. Apolog. contra Ruffin.
Lucius Papa epist. 1. ad Episc. Gall. & Hispan.

Ecclesia Romana caput omnium Ecclesiarum.

Si plura desideras pertinentia ad eminentiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vide me tertio Tomo. Ibi fusè pluribus oraculis à me dignitas adstruitur Romanæ sedis, infra quam est quidquid eminet orbe toto. His adiice historiam à me tacitam hactenus, & quæ in proposito themate recludi debet, vt Romanæ Ecclesiæ auctoritas fiat illustrior. Anno salutis reparatæ quadringentesimo quinquagesimo primo, Leo Papa delegauit Chalcedonem Iulianum Episcopum Coënsem, Græcum genere, vt Legatum ageret & Præsidem in illo Concilio generali coacto auctoritate Leonis, & Imperatore Martiano deprecante. Illic Iulianus Episcopus vices agens Romani Pontificis Latinè locutus est, adhibito interprete Florentio Lydiæ Episcopo, licet ipse oriundus è Græcia, referre potuisset Græcè quæ Latino idiomate perorarat. Romanæ Ecclesiæ dignitatem supra Græcam eo facinore testatus est Episcopus ille Græcus, suæ Gentis immemor factus, vt vsurpato Romano eloquio memor esset Ecclesiam Romanam aliis omnibus eminere. Rei huius gestæ seriem texit Euagrius.

EX HISTORIA.
Iulianus Episcopus Græcus quare Latinè locutus in Cõcilio Chalcedonensi.
Euagr. l. 2. cap. 4.

Instabunt hæretici suspectam esse fidem Legati huius militantis Ecclesiæ Romanæ stipendiis; sed diluitur instantia hæc delira, auctoritate totius Concilij, vbi auditus est Iulianus homo Græcus, Latinè loquens tacitis omnibus Græcis Episcopis, & nemine reclamante. Omnes nempe tacitam habuere veritatem illam, scilicet Romanam Ecclesiam omnes alias anteire. Sed vt obstruatur os hæreticorum, & discant salutem esse penes nauem Petri tantùm, id est, penes Ecclesiam Romanam; audiant Imperatorem Græcum decernentem, orbe toto esse adhærendum Romanæ Ecclesiæ. Sic ille. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, &c. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti; reliquos verò dementes vesanosque indicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere.* Quasi diceret extra nauem Petri neminem posse sibi consulere, quia illic tantùm sanctitas emicat illibata. De ea singulari sanctitate Romanæ Ecclesiæ multis ago tertio Tomo.

Ecclesia Romana ab aliis omnibus sequenda.
EX IVRE CIVILI.
Leg. Cunctos Cod. de summa Trinitate; lib. 1. tit. leg. 1.

Nauis Ecclesiæ multis concussa fluctibus agitatur; sed Christo moderante sarta tectáque appellit ad portum, sequaces Christi efferens ad gloriam.

§ IV.

MVltos torsit ratio tempestatis hodie exortæ. Quippe laborant interpretes in indagine causæ, quæ impulit Christum, vt nauem suam exponeret pelago sæuienti: ita vt tempestate exorta salus hominum ea naue vectorum venerit in discrimen. Diluo nodum illum, dicens duplicem esse caussam procellæ; vnam, quæ respicit Christum; aliam, quæ petitur ab his, qui naue illa dubia vehebantur. Illa siquidem tempestas exorta est, vt ea sedata ad arbitrium Christi, proderet diuinitatem eius. Præterea mysticum quidpiam clamat hæc procella: scilicet Ecclesiam affligi ob iniquos homines; sicut illa nauis ob Iudam fortè iactata est, cuius perfidia ominosa fuit cæteris Apostolis. Ita ob crimen Ionæ orta tempestas, & ob scelus Acham castra Israël malè habita sunt. In eam sententiam abiit Ambrosius, quem accipe. *Non turbatur nauis, quæ Petrum habet: turbatur illa, quæ Iudam habet. Etsi multa illic discipulorum merita nauigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorem, ne per vnum fluctuemus plurimi.* Cùm ingrauescit hæc tempestas, est sedanda cadem cautione, qua prouiderunt sibi nautæ cum Iona refuga transfretantes. Hi nimirum audientes Ionæ defectionem, & incuriam rerum, quas in mandatis habebat, præcipitem dederunt illum in pelagus excandescens, & illico mare suas deposuit minaces vndas.

Flagella Dei quandoque redundant in bonos, ob crimina reproborum.

Ex SS. PATRIBVS. *Ambros. in cap. 5. Luc.*

Consortia malorum, malis nos faciunt obnoxios. *Ionæ 1.*

Sic occurrendum est flagellis Dei, quando desæuiunt ob horrenda facinora hominum impiorum: plectendi sunt nefarij, & quantocyùs iniqua capita deuouenda. Benè cessit Iustiniano Imperatori consilium illud de exterminandis impiis. Nam grassante lue Constantinopoli, & multos efferente, Imperator iturus obuiam internecioni instanti, multos Venere vaga infames homines gladio vindice sustulit, & constitutione nouella sanxit, vt inducta virtutum praxi omnes vitiis abstinerent. Et ne irrita foret sanctio illa magni momenti, Præfectos obstrinxit, & præcipuè Constantinopolitanum, vt sedulò eam populo commendarent. Ecce edictum salutare. *Quidam diabolica instigatione comprehensi, & grauissimis luxuriis semetipsos inferunt, & ipsi naturæ contraria agunt: istis iniungimus in sensibus accipere Dei timorem, & futurum iudicium, & abstinere ab huiusmodi diabolicis & illicitis luxuriis, vt non propter huiusmodi impios actus ab ira Dei iusta inueniantur, & ciuitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim a diuinis scripturis, quia ex huiusmodi impiis actibus, & ciuitates cum hominibus pariter perierunt, &c. Propterea igitur omnibus hominibus huiusmodi præcipimus à prædictis delictis abstinere, & Dei timorem in corde accipere, & sequi eos qui benè viuunt. Propter talia enim delicta, & fames, & terræ motus, & pestilentia fiunt: & propterea admonemus abstinere à prædictis illicitis, vt non suas perdant animas. Sin autem, & post huiusmodi nostram admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis: primum quidem indignos semetipsos faciunt Dei misericordiâ. Post hæc autem & legibus constitutis subiiciuntur, & tormentis. Præcipimus enim gloriosissimo Præfecto regiæ ciuitatis, permanentes in prædictis illicitis & impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, & vltimis subdere suppliciis, vt nõ ex contemptu taliũ inueniatur, & ciuitas, & Respublica, per hos impios actus lædi. Si enim & post hanc nostram suasionem, quidam tales inuenientes, hoc subterceláuerint, similiter à Domino Deo condemnabuntur. Ipse enim gloriosissimus Præfectus, si inuenerit quosdam tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerit secundum leges nostras: primum quidem obligatus erit Dei iudicio; post hæc autem, & nostram indignationem sustinebit.*

Flagella Dei cessant quando impij castigantur.

Ex HISTORIA. *Glycas, & Cedrenus in Iustiniano. Nouella 77.*

Correctio actiua obligat omnes, ad quos spectat regimen animarum.

Prædicator, hanc legem aptare potes omnibus, ad quos spectat regimen animarum. Dic, eos nocere bonis, quando malos habent innoxios; mone vt audacter in mare proiiciant eos, propter quos tempestas. Ingere hoc Bernardi effatum. *Satius est, vt pereat vnus, quàm vnitas.* Adiice, hanc esse viam compendiosam ad retundendam aciem gladij iustitiæ Dei, plectere delinquentes.

Rursus nauis hodierna fluctibus aspergitur, quia Christum vehit, & discipulos eius. Christus enim sese obnoxium fecit omnibus aëris iniuriis, sicut & hominum conuiciis, vt exemplo suo fideles ad patientiam sanctius erudiret. Nota, eos, qui dedere nomen suum Christo, iuges pati molestias à diabolo ægrè ferente sibi subtrahi prædam, quæ iam deuenerat in inferni fauces. Mundus etiam importunè quatit omnigenæ virtutis incunabula, ne pubescat: homines nempe nequam iniquo animo ferunt, se damnari à sodalibus suis ineuntibus cultioris vitæ ritum. Idcirco tenella Ecclesia hodie fluctibus impetitur, vt Christiani resciant vitæ sanctioris exordia auspicanda ab agone & ærumnis, quibus impares sunt illi, qui animis cadunt, & redeunt ad vomitum, repetentes vt sus lota suarum voluptatum sordida volutabra.

Virtutum praxis initio difficilis.

Tentationibus magnis obnoxij sunt omnes, qui resiliunt ab iniquo statu.

In hanc ignauiam facti Iudæi denuo coluere Lunam vt Deam & Reginam cæli: quia cultu eius abdicato, dum litauere Deo soli, variis ærumnis excepti sunt. Ideòque malè habuere Ieremiam, benè suada oratione reuocantem ipsos à sacrilego cultu Lunæ. Sic Ieremias meminit defectionem hominum impiorum. *Responderunt omnes viri Ieremiæ, scientes quod sacrificarent vxores eorum diis alienis: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus Reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, & Reges nostri, & Principes nostri in vrbibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & benè nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus; & gladio, & fame consumpti sumus.* Ne ergo suis desint partibus Christiani, voluit Dominus impuberem Ecclesiam assuescere ærumnis, vt ex his fidei rudimentis maturè sciant imitatores Christi, multo sudore æterna præmia comparari.

Luna adorata à Iudæis, sub titulo Reginæ cæli.

Ierem. 44.

Tentationibus cadunt ignaui homines.

Præterea singulari prouidentia Dei exercentur ærumnis sectatores Christi, vt decocta rubigine carnis fiat anima vegetior, & fastidiat illecebras

cebras

cebras omnes, quæ irretitos asseclas huius sæculi remorantur. Vtque hodierna tempestas concutiens nauem Christi, cessit ad gloriam Domini, fluctuum aspergine desudantis, ita Deo librante momenta vitæ nostræ, sic dispensantur ærumnæ, vt stipendia gloriæ ad molestiarum trutinam appendantur. Et reuera Sancti clariores fuere molestiis, quàm infulis dignitatum. Despumante mari acto validis ventorum flabris, affulgere solent nautis ignes, dicti Castor & Pollux, nuntiantes fore innoxiam tempestatem. Ita piorum hominum rebus afflictis, Christus adest propior, & corusca gratia illucens, inde capit magnum luminis incrementum. Imò quò magis ingloriè habentur Sancti à malis, eò plus eorum gloria assurgit; vt quò magis vndæ tument, eò etiam plus assurgunt naues: sicque omnis procella cedit in gloriam afflictorum.

Tribulationes cedunt ad gloriam Sanctorum.

EX HISTORIA. *Meletij Episcopi facinus egregium. Chrysost. hom. de S. Meletio. Iniuriis benefecit Meletius.*

In eo argumento prædiues historia est Meletij Episcopi Antiocheni, qui à Præside iussus exulare, & ab ipso Præside pulsus ciuitate, cùm ab eo foras truderetur, populus orta seditione furens in sacrilegum iudicem, saxis eum impetiit, illo turbine lapidum citius immolandum. Meletius sui immemor, in hoc periculo instanti, pallio suo Præsidem operuit, semetipsum obiiciens crepitanti grandini lapidum, ne inimicum suum inuolueret ille turbo: sicque iniuria affectus Meletius, æmulum suum eripuit populo sæuienti, clarior sanè turbido cælo, quàm sereno. Meminit hoc facinus alter Antistes, scilicet Chrysostomus, qui & ipse sua sede pulsus, illustrior est factus exilio, quàm suæ titulo dignitatis.

Ecclesia non mergitur angustiis.

Nauis hodierna sospes educta ad littus inuocato Domino clamat, neminem perire afflictum, si consulat Christum. Reuolue præterita sæcula, & recole angustias Ecclesiæ, deprehendes illam fuisse quidem variè tentatam, sed etiam hoc turbinum semine fœcundatam. Accipe Chrysostomum meæ conscium sententiæ. *Iactatur quidem nauis; at non mergitur. Poteras quidem & in tranquillo nauigare, verum non passus est gubernator; quò simul & nauigantium perspicias tolerantiam, & gubernatoris prudentiam plenius cognoscas. A quam multis oppugnata est Ecclesia, nec vnquam tamen victa? Quot tyranni, quot Duces, quot Imperatores? Augustus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, homines literis ornati, potentes, tot modis oppugnarunt teneram ac recentem; at non deiecerunt. Quin potius, qui oppugnarunt, silentur obliuioni traditi; illa verò oppugnata cælum transcendit. Neque enim id spectato, quòd in terris sita est Ecclesia, sed quod in cælo versatur. In cælo Ecclesia radices fixas habet potiùs, quàm in terra. Faciliùs est, Solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari. Est enim cælo honoratior Ecclesia. Quare conditum est cælum? Propter Ecclesiam. Ecclesia non est condita propter cælum: cælum conditum est propter hominem, non homo propter cælum.*

EX SS. PATRIBVS. *Chrysost. hom. 14. in c. 6. Isai. Ecclesiæ laus singularis. Ecclesia nequit obscurari. Ecclesia honoratior cælo.*

Totam Euangelij hodierni historiam pertinere ad statum Ecclesiæ consoni Patres aiunt, Ecclesiam à procellis, quas superauit, maximè commendantes. In his auctor operis imperfecti, ita commentatur. *Venti, nequitiæ spirituales intelliguntur, qui ad naufragium Ecclesiæ per diuersas sæculi tentationes, velut per fluctus maris desæuiunt. Dormire verò Dominus in hac naui tunc intelligitur, cùm ad probationem fidei, Ecclesiam suam pressuris, & persecutionibus mundi istius tempore permittit, Oratio verò discipulorum, & excitantium Dominum, & auxilium implorantium vt liberarentur, preces Sanctorum omnium intelliguntur, qui orta tempestate persecutionis, sæuiente diabolo, & Angelis eius, deuota fide, ac iugi oratione patientiam Domini velut de somno excitati, vt misericordiæ suæ auxilio, per timorem humanæ infirmitatis periclitantibus subuenire dignetur, quo increpatis ventis, immundis scilicet spiritibus, & mitigata omni sæculi tempestate, Ecclesiam suam in pace, & tranquillitate restituat, &c. Vnde quamuis infestatione inimici Ecclesia, vel sæculi tempestate laboret, quibusuis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia filium Dei habet gubernatorem. Inter ipsos enim turbines mundi, inter ipsas sæculi persecutiones, plus gloriæ, ac virtutis acquirit; dum in fide firma & indissolubili permaneat. Nauigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu per huius sæculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros hominum sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore Crucis, in qua Euangelicæ fidei vela suspendens, flante Spiritu Sancto, ad portum Paradisi, & securitatem quietis æternæ deducitur.*

Auctor operis imperfecti, hom. 23. in Matth.

Ecclesia Dei protectione secura flocci facit omnes angustias.

Ecclesiæ elegans descriptio.

Non est itaque quod metuant fideles illa naue vecti, licet impetantur æstibus importunis. Namque procella omnis exagitans nauem, est infra virtutem, qua regitur & protegitur illa nauis, tandem aliquando ad optatum cæli portum infestis & inuitis flatibus appulsura. Sistendus est etiam Ambrosius in hoc argumento, vtpote opportuna loquutus. Sic ille. *Nauem, Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum flatibus, id est, tentationum plagis, & verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, id est, huius sæculi potestas conatur ad saxa perducere, quæ etsi vndarum procellis sæpe vexetur; tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius, id est, in Cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus seruat Spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarum. Inde Montani latratum falsi carminis, tanquam Scyllam; inde Photinianum Charybdim. In ista naue Ecclesiæ est feliciter prætertimus; inde Arium archipiratam, qui nos per mare sæculi adinstar Pharaonis insequitur, non timemus illam stellam seruantes in cælo, quæ Magos perduxit ad Christum. De hac naui Ecclesiæ præcipitatum Marcionem mare absorbuit: inde Sabellius pirata nos non cepit; inde nobis Aquilo nocere non poterit; quamuis inde sint Antichristi violenta flabra ventura, sicut scriptum est. Ex Aquilone exardescent mala: inde syrtes gentilium, & periculosas hæreses, & scopulos euitamus, quos subiacens aquæ tenuis occultat allapsus, quia hæretici sub prætextu nominis Christiani, abscondita perfidiæ saxa fallaci confessione oris obducunt, in quæ homines impingunt, dum illis, quod Christiani sunt, credunt, &c. Hæc ergo nauis Ecclesia est, quæ etsi quotidie sæculum istud, tanquam aliquod pelagus sortitur infestum; nunquam eliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum.*

Ecclesia quantis procellis fuerit agitata.

Ambr. lib. 1. de Salomone, c. 3.

Ecclesia quibusnam auxiliis subsistat.

Ecclesiæ fidem multi hæretici non potuerunt extinguere.

Nota, periclitantes inuocato nomine Domini ereptos fuisse minantibus vndis, Deo sic insinuante,

Iesus, nomen est salutare. nuante, nomen IESV esse præsentissimum remedium contra pericula quæuis. Itaque debet esse fidelibus illa recensio nominis IESV familiaris: non est quippe nomen aliud sub cælo, in quo salus nostra resideat. Eamobrem Bernardus multus est, in suadenda deuotione nominis huius, ita singulos quosque homines adhortatus. *Nonne si inuoces nomen vitæ, confestim respirabis ad vitam;* Bern. ser. 15. in Cant. *cui in periculis palpitanti, inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum; cui in aduersis diffidenti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo.* Proderit habere Elegans oratio inuocans Christi auxilium. ad manum hanc Augustini oratiunculam. *Spes humani generis, Christe Deus de Deo, refugium nostrum & virtus, cuius lumen à longè inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stella* August. Soliloq. 35. *maris radius, oculos nostros irradiat, vt dirigamur ad te portum. Guberna, Domine, nauem nostram, tua dextera, clauo Crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas, sed unco Crucis, retrahe nos ab hoc pelago ad te solamen vnicum nostrum, &c. En ad te clamamus redempti tui, sed & nunc exules tui, quos pretioso sanguine redemisti. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè. In mari turbulento versamur. Tu in littore stans, aspicis pericula nostra: saluos nos fac propter nomen tuum. Da nobis, Domine, inter Scyllam, & Charybdim, ita tendere, & tenere medium; vt vtroque periculo euitato, salua naue & mercibus securi perueniamus ad portum.* Faxit Deus vt hæc oratio altè nostris mentibus inseratur.



DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

HOMILIA DECIMA.

SVMMA HOMILIÆ.



SI natura non deficit in necessariis, potiori ratione Deus in his, quæ spectant ad gloriam æternam, hominem accinxit mediis aptis ad beatum illum finem congruè sortiendum.

§. I. Dicam prima parte istius homiliæ, Deum inseruisse nobis quædam semina gloriæ æternæ, ingerendo singulis quibusque hominibus appetitum ad omne bonum.

§. II. Vt semina desudare debent imbre propitio ad germinandum; ita & homo indigus est gratiæ Dei, vt appetitus eius in bonum optimè dirigatur.

§. III. Secunda parte ostendam, diabolum inuidisse hominibus bonum semen, & substituisse incongruos appetitus ad vanam gloriam, opes instabiles, & cætera id genus.

§. IV. Quodque mali labem extremam notat; probabo, diabolum hæc semina iniqua sudoribus impiorum & assiduis eorum ferè lacrymis irrigare.

PRÆFATIO.

Inimicus homo superseminauit zizania. Matth. 13.



INGRVENTE tempore messis opimæ Philisthæi gestiebant, aptantes horrea sua ad componendos manipulos in vberes cumulos assurgentes. Sed excidère votis suis Philistæi, præcocémque suam damnauere lætitiam, passi iacturam messis instantis, quæ incendio subito conflagrauit. Etenim Samson acerbus eorum hostis incendiarias vulpes immisit in arua fœta spicis & igne accenso depastus est spem conceptam. In hoc discrimen incurrit Ecclesia. Namque Deus optima semente homines instruxit, & gratia irrorante aptauit ad subeunda horrea cælestia. Ast dæmon cautior omni vulpe, non faces quidem accensas immisit, sed bono semini superinduxit adulteratum semen, quo germinante fuit facies Ecclesiæ deturpata. Ecclesia nempe bonos & malos suis concludit aruis longè latéque spatiantibus. Deo miserante penes nos est seligere semen bonum, aut noxia zizania; vtriusque sementis indolem subiecta homilia mentibus ingeret, ne quis hallucinetur in delectu. Sed vt Booz noluit demetere sata sua, quin pia fœmina Ruth falcem suam in easdem cum ipso segetes immisisset; ita & ego vereor me accingere ad distinguendos manipulos vtriusque seminis, quin ante conduxerim Virginem Deiparam, vt cœpto sit opportuna labori. Illam adeamus. Aue Maria.

HOmo editus ad gloriam æternam capessendam, etiam accinctus est mediis idoneis, ad sortiendum illum finem sibi à Deo rerum Domino præstitutum. In illa supellectile mediorum, quæ hominem dirigunt ad gloriam, non inferiorem locum tenet appetitus homini insitus ad bonum generaliter sumptum. Tale quippe bonum propius accedit ad ideam beatitudinis, quàm vllum singulare bonum: etenim vniuersale bonum est suis numeris omnibus absolutum.

Dicam

Dicam prima parte huius homiliæ, illa hominis vota anhela in bonum, esse semen congruum cælo satum in mentibus nostris. Et quia semen nullo prorsus humore madens arescit inutile, germinis inscium; ostendam, Deum multis auxiliis excolere semina nobis cælitus impertita. Secunda verò parte explicabo diaboli technas, qui adulterãdo bonum semen, fecit vt in zizania difflueret. Tandem concludam, diaboli semen inductum in animas, facere illas obnoxias multis angustiis & lacrymis, quibus illicitæ voluptates vt largis imbribus alluuntur. Inde inferam, esse colenda Dei semina; & ea, quę diaboli sunt, penitus extirpanda.

Pars Prima Homiliæ.

Semina virtutum homini sunt insita à Deo.

§. I.

VT ad loca edita gressibus humanis inuia, scalis ascenditur; ita & deuenitur ad aliqualem notitiam arcanorum Dei, admotis veluti scalis, quas Deus eo condidit fine, & quibus vtentes vt par est, ad præfatam notitiam à Domino diriguntur. Scalæ illæ sunt res omnes conditæ in vsus hominum: sed quia ille apparatus rerum cancellis naturæ concluditur; Pelagianum esset affirmare res merè naturales suopte ingenio posse deducere hominem ad arcana Dei, ita vt hoc solo naturæ ductu queat homo arcana fidei penetrare. Cùm ergo creaturas audis esse quasi scalas euehentes nos ad agnitionem rerum cælestium; memor esto, scalas inutiles esse nisi erigantur, & eo modo creaturas omnes ordinis naturalis haudquaquam ingerere notitiam mysteriorum, nisi Deus affulgeat lumine singulari, cuius obsequio homo speculans indolem rerum omnium obuiarum, assurgit ad indaginem arcanorum Dei. Sic Deo reuelante Philosophi deuenere in cognitionem Dei, creaturis vtentes vt gradibus idoneis à Deo illustrante directis in hunc finem. Et hoc carpit Paulus, quia satis superque eruditi in his quæ ad Deum pertinent, non consuluere sibi velificantes gloriæ Dei, sed se totos vanitati ingloriæ deuouerunt. Ecce censuram Apostoli. *Reuelatur ira Dei de cælo, super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas; ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum.*

Gratiæ præuenientis necessitas.

Res naturales quomodo deducant nos ad Dei notitiam.

Roman.

Si irradiante Deo, inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; non erit difficile inuestigare bonum semen à Deo nostris mentibus insitum. Si enim ille prouidus hominum conditor, hominem instruxit mediis necessariis ad perfectionem naturalem, vt habitu primorum principiorum, cuius ope assentitur agnitæ veritati. Et quia homo defæcato intellectu non denominatur bonus, nisi voluntas exosa malum omne, hominem ad bonum aptet; Deus ad bonum omnigenum hominibus indidit appetitum. Quis ergo ibit inficias, hominem spectatum in ordine ad gloriam æternam, fuisse accinctum à Deo mediis idoneis ad hunc finem? Media hæc sunt semina virtutum omnium, Deo auctore sata in corde hominis: quamuis enim natura humana deliquium passa sit in Adamo, & gliscente mali labe prona sit in vitia; non adeò tamen extincta fuere semina virtutum, quin Deo irrorante non germinent. Quisquis itaque peritus ad diuina facinora anhelat ad cælestia, ille in cothurnos non assurgat, quasi proprio Marte suo conceperit impetus illos ad ardua & supra naturam conamina: huiusmodi nempe vota, & æstus magnanimi, non sunt hominum nisus, sed semina Deo propitio cælitus impertita.

Virtutũ omnium semina nobis insita cælitus.

Fortè eò aspexit prisca Gentium Theologia, historiâ ementitâ referens Pandoram accepisse à Diis pixidem, bonorum omnium semina concludentem. Vnde si qua cupido gloriæ te titillat exantlato fortiter aliquo facinore, ô homo Christiane, illico deterge pruriginem illam, vsurpato hoc versu Euangelij hodierni. *Domine nonne bonum semen seminasti?* Quasi diceres: Christe Deus, si quid enixus sum laude dignum, non habeo quod gestiam, vt de proprio partu: tua namque laus omnis, & te satore semen virtutis omnimodæ ditat & fœcundat animas nostras, ac proinde refundo in te gloriæ omnis omnia argumẽta.

Gloria Deo danda.

Semina virtutum, Deo satore, nobis insita non germinant, nisi gratiæ Dei imbribus alluantur.

§ II.

ARistoteles dedit argumentum locuples digladiandi Philosophis, quando hoc edidit axioma. *Habitibus vtimur, cum volumus.* Tartaretus ait valere hoc effatum quatenus habitus dicitur inclinare ad actum; non autem quòd verum sit ipsum elicere actum. Illa distinctio concolor est titulo meo, affirmanti non germinare semina bona nobis insita, nisi nouo Dei auxilio cælitus influente. Aluarez versans illud axioma præfatum, ait valere in habitibus supernaturalibus, qui diuinitus nobis infunduntur. Sic ille. *Ad vtendum prioribus, sufficit prædeterminatio causæ secundæ, & vniuersalis Dei concursus, cum operatione propria ipsius causæ secundæ: ad hoc autem, vt posterioribus vtamur, prærequiritur motio Dei efficax, præmouens liberum arbitrium, vt vtatur habitu ad operandum, vtque operetur bonum. Cum enim habitus diuinitus infusi, sint superioris ordinis, specialem continent rationem, ob quam potentia naturalis non vtatur iisdem habitibus, nisi diuino speciali auxilio moueatur, cùm videlicet res superioris ordinis rebus inferioribus minimè subiiciantur.* Hæc ille, & equidem optimè & appositè ad meam sententiam, quam alibi fusè probo petitis argumẽtis ab omnibus scientiis. Vide me quatuor Tomis istius Encyclopædiæ: consule Indices qui te dirigent ad paginas multas, vbi luculenter ostendo, hominem in se impotem esse ad ardua & egregia facinora, nisi cælitus adiuuetur. Adiicio illic non deesse Deum partibus suis; sed largos gratiarum imbres immittere, quibus aspersa semina virtutum nobis insita germinant, nosque faciunt conscios æternæ gloriæ, Christo Domino votis nostris cælitus annuente.

Habitibus quomodo ad arbitrium vtamur.

Ex Philosophia.

Aristot. lib. 3. de anima. et Comment. 18.

Tartaret. in 1. sentent. dist. 17. qu. 1.

Aluarez de Auxiliis diuini, pag. 891.

Gratia excitans requiritur ad bona opera.

PARS

Pars Secunda Homiliæ.

Dæmonis astu bonum semen adulteratum est, & homo degener in vitia praceps actus pessimè germinauit.

§. III.

Virtutes & vitia, res sunt conterminæ.

NOn malè ominatus est ille, qui dixit, facilem esse transitum virtutis ad vitiũ, quia res sunt conterminæ virtutes & vitia. Si namque modum virtus excesserit, abit in vitium; vt generosum & subtile vinum, cùm vapescit, transit in acetum. Dæmon industrius in hominum perniciem, probè callens, concolores esse veras virtutes, & fucatas, homini illusit, inclinans eius appetitum ad obiecta dissona, atque peregrina. Secundo isto Tomo refero technas callidi hostis, qui rimatus hominis ingenium & deprehendens singulis hominibus à Deo inditum votum anhelum ad beatitudinem, pro eo cumulo bonorum omnium substituit & ingerit boni species ementitas. Ecce quanam industria dementet homines æmulus ille sagax. Eatenus quidpiam est beatum, quatenus est perfectum: namque beatitudo rei cuiusque penes illud est, quod ei perfectionem affricat. Hinc homo suspicatus alicubi rationem beatitudinis, eò fertur ex animo; & impetu quanto potest. Quibus autem cancellis concludatur beatus ille hominum status, paucis explicat Philosophus ita fatus. *Beati dicendi sunt illi, quibus felicitas, & bona externa adsunt.* Hanc felicitatem demum suggerit homini consistere in diuinitate adumbrata; quò quis enim Deo similior, eò felicior, atque beatior erit. At Deus adeò excelsus est, vt infra illum sint omnia, quæ præalta cernimus aliis eminere. Non in hoc susurro virus latet: nam reuera beatitudo facit consortes Dei, & euehit in excelsum statum, cuius vt simus aliquando conscij, Deus indidit altos animos hominibus, vt despiciant, & veluti quisquilias habeant ea omnia, quæ mundus magni facit.

Beati qui dicantur.

Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 5.

Ille hominis animus, æquus æstimator sui, est bonum semen, Deo cultore satum; sed à dæmone adulteratur, quando hominem typho superbiæ distendit, vt aliis emineat veluti perfectior, & gloriam aucupetur. Itaque delirus homo arbitratus se assurgere in cothurnos, & euehi in culmen, dehiscit in abyssum: illa nimirum est pernicies superbiæ, vt extrema clade superbos omnes afficiat. Præterea beatitudo dicit affluxum & copiam rerum omnium, quæ conducunt ad beandum hominem: alioquin esset hiulca felicitas, si cupido rei alicuius facesseret negotium. Hinc cælitus homo vrgetur ad Deum optandum, quia penes eum solum est iuge bonum & indeficiens. Eamobrem Sancti hoc semine bono meliores effecti, Deum duntaxat flagranti animo deperibunt. In his Psaltes edidit hoc suaue melos sic occinens. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Satiabor cum apparuerit gloria tua. Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Deus Deus meus ad te luce vigilo: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Appetitus ille ad summum bonum vitiatur à dæmone, & deorsum inflectitur ad opes auidè conquirendas. Demum, quia beatitudo in fruitione boni gaudium & delectationem parit, spiritus ille nequam sensuales delicias Gulæ, & Veneris obiicit, quibus homines illaqueat: fitque nequitiâ desertoris Angeli, vt omnes impetus insiti nobis ad capessendam veram beatitudinem, deorsum inclinent, dæmone susurrante.

Beatitudo quibusnam rebus cõstet.

Psal. 72.
Psal. 16.
Psal. 83.
Psal. 66.

Beatitudinis ementitæ speciem obiicit dæmon.

Quare autem dæmon dicatur inimicus homo, cùm non sit eiusdem nobiscum indolis; illud arbitror fieri eodem titulo, quo Scipio dictus est Africanus, à deuicta scilicet Africa. Vnde quia Angelus refuga adortum hominem vicit, ab eo prostrato dicitur inimicus homo. Huius nequitiam detestatur Augustinus eo potissimum nomine, quòd iniqua aspergine fœdauerit omnia, quæ benè & valdè bona condita fuerant ab optimo conditore. Quod perinde est, ac indignari in Angelum Apostatam, quod bono semini superinduxerit zizania. Ita Augustinus. *Quid prauius? quid malignius? quid nostro aduersario nequius? Qui posuit in cælo bellum, in Paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni nostro opere zizania seminauit. Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignauiam, in conuersatione inuidiam, in gubernatione auaritiam, in correctione iram, in prælatu sine dominatione superbiam. In corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas: in vigilando mouet ad praua opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos mouet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem.* Hactenus Augustinus.

Ex SS. Patribus.

Dæmon quare dicatur inimicus homo.

August. ser. 4. de communib.

Diaboli quot sint insidiæ.

Vnusquisque semetipsum conueniat, & exploret, quonam flamine agatur: proculdubio deprehendet astutiâ diaboli fuisse bona semina suffocata, & eorum loco luxuriare sementem à diabolo inductam, quæ vsque adeò propagata est, vt Ioannes Apostolus videns ebullire semen noxium orbe toto, dixerit, quidquid in mundo est, esse superbiam vitæ, aut concupiscentiam carnis aut concupiscentiam oculorum. Vt namque vafer inimicus parentes nostros hoc malo semine infecit; illud & transiit ad posteros, sicque fuit miseranda proles illo mortifero germine sauciata. Vnde potest in hoc discrimine vsurpari sententia Hippocratis. Ὁ γὰρ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται, ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρός, ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός. Id est. *Genitura enim vndecumque procedit; sana quidem à sanis, morbida item à morbidis.* Ita & Poëta.

Peccato Adami posteritas fuit sauciata.

Ex Medicina.

Hippocrat. lib. de aere, locis, & aquis.

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor,
Sic patrũ in natos, abeunt cum semine mores.

Cùm ergo nobis sint congeniti morbi, sedulò cauendum est, ne quod insalubri semine contraximus, nostro tandem vitio recrudescat. Hæc effusa labes in nos parentum incuria cautiores debet efficere, ne pullulent hæc germina æterno salutis nostræ dispendio. Quamuis enim inclinatio in malum, non sit peccatum; si tamen illa trahat hominem in consensum, illa propensio spinas & tribulos illico germinabit. Idcirco tota series vitæ nostræ tempus est putationis; quia naturæ nostræ stipes vitiatus in Adamo noxia vbertate luxuriat in surculos iugiter enatescentes. Ac proinde, sagax Christiane, cura, ne propagines hæ tenellæ pubescentes, te feriante, tandem aliquando in arbusta nequiter adolescant. Familiarem habe istam parænesim Bernardi, quam alibi laudatam refricare placet; vt meo intento maximè propitiam, & salutarem illis, quibus erit cordi eam ad praxim impigrè reuocare.

Concupiscentia nos obligat ad iugem mortificationem.

Accipe

Ex SS.PATRIBVS.

Accipe consultorem optimum. *Quis ita ad vnguem omnia superflua resecauit, vt nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse; sæpe putandum est, imò si fieri possit, semper; quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus: subiugari potest, sed non exterminari. Scio, inquit, quia non habitat in me bonum. Parum est, nisi & malum inesse fateatur. Ait: Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, hoc facio. Si autem quod odi illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Aut te ergo si audes præfer Apostolo: nempe ipsius ista est vox, aut fatere cum illo, te quoque vitijs non carere. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non solùm putatione, sed & circumcisione. Alioquin verendum, ne circumquaque à lambentibus, vel potius à rodentibus vitijs, illa dum nescis, paulatim elanguescat, aut si supercreuerint, suffocetur. Vnum in tanto discrimine consilium est, obseruare diligenter, & mox vt renascentium capita apparebunt, prompta seueritate succidere. Non potest virtus cum vitijs pariter crescere. Ergo illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, & salubria surgunt: vtilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi. Putetur cupiditas, vt virtus roboretur. Nobis putationis semper est tempus, sicut semper est opus.* O consilium salutare fidelibus omnibus amplectendum!

Bernard. ser. 58. in Cant.

Iebusæus etiã inuitis nobis habitat intra fines nostros.

Putatione iugi opus est.

Vitia repullulant suppressa.

Iniqua diaboli semina multis lacrymis irrigantur, id est, vitia insolita reprobos multis ærumnis obstringunt.

§ IV.

Discolor aëris habitus pluuiam quandoque liquat in peramœnum rorem, aliàs verò obdurat in grandinem, quæ crepitans horrida salit in perniciem graminis enitentis. Ita Dei influxus pro vario semine distinguitur. Quippe Deus leniter influit in virtutes, quas iugiter alluit, largos gratiarum latices infundendo. Si verò vitia offendit, illo iniquo obiecto, durior influxus quatit capita malè sibi conscia, quæ decocta ærumnis, ex hoc æuo luunt pœnas congruas vitæ nefariæ, quæ improbo sudore madet, & acerbis fletibus irrigatur. Huius pluuiæ reproborum meminit Psaltes, hoc contextu. *Pluet super peccatores laqueos; ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Consona sanè pluuia, hæc est germini nequam, vt homines impij, qui fuerunt incurij excolere semen bonum, subeant angustias, quibus diabolicum germen obstringit cultores suos nequaquam impunè vitijs indulgentes.

Psal. 10.

Profectò non citra mysterium est, quòd Dauid recensendo pluuiam peccatorum, tria commemorat, scilicet laqueos, ignem sulphureum, & spiritũ procellarum. Suspicor ego, Vatem hoc versu denotasse pœnas, quibus nefarij homines plectũtur hic apposité ad eorum crimen: nimirum laquei, sulphureus ignis, & spiritus procellarum, pertinent ad tria præcipua capita vitiorum. Hæc sunt auaritia, luxuria, & superbia, quibus diabolo satore impræganta est terra, mali seminis fructus egerens insalubres. Laquei pertinent ad auaros, ignis sulphureus congruit igni Venereo, spiritus procellarum ambitiosos agit in gyrum; sicque consono supplicio singula quæque vitia castigantur.

Peccata in hoc æuo cõgruè puniũtur.

Quàm benè ominatus sim in expositione Psaltis, accipe ex inductione cuiusque sementis iniquæ. Dixi, laqueos manere cupidinem auri: mihi in hac sententia præiuit Apostolus inuehens in auaros. Sic ille. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Itaque benè conscio Apostolo assignaui laqueos auaris, quos & præterea eodem Paulo assertore manent aliæ ærumnæ graues. Concinit Ambrosius ita lugens fatum eius, qui cor habet illa lethifera semente satum. *Quid (inquit) boni est homini in hac vita, qui in vmbra viuit, nec expleri potest cupiditatibus suis. Et si repleatur diuitijs, fructum quietis amittit; quia cogitur custodire quod misera auiditate quæsierit, vt miserius eas possideat, cui prodesse non poterunt. Quid enim miserius, quàm vt custodia torqueat, quarum abundantia nihil prosit?* Laqueis obsitam esse vitam auari bellè Iob inducens Baldad Suhitem enuntiat. Sic ille. *Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta eius laqueo, & exardescet contra eum sitis. Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam. Vndique terrebunt eum formidine, & inuoluent pedes eius.*

1. Timoth. 6.

Auarus multis malis obnoxius.

Ex SS.PATRIBVS.

Ambr. lib. 1. de bono mortis cap. 1.

Iob. 18.

Textus ille sacer graphicè delineat hominem plus nimio cupidum auri. Nam præter laqueos, quibus implectitur, importuna sitis eius animum discruciat: quantò namque maior opum fit accessio; tantò plus æstuat auiditas, & formido amittendi diuitias impium exagitat. Gregorius decurrendo locum illum, ita commentatur. *Qui pedes in rete mittit, non cùm voluerit, eijcit: sic qui in peccatis se deijcit, non mox vt voluerit, surgit, & qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, & cùm expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet, obligatur. Sæpe namque contingit, vt quis huius mundi delectatione persuasus in eo ad honoris gloriam pertingat, vt ad desideriorum suorum effectum perueniat, & peruenisse se ad hoc quod expetijt, lætetur. Sed quia bona mundi non habita in amore sunt, & plerumque habita vilescunt; percipiendo discat, quàm sit vile, quod expetijt. Vnde reuocatus ad mentem exquirit, qualiter sine culpa fugiat, quod se cum culpa conspicit adeptum. Sed ipsa enim dignitas, quæ implicauit, tenet, & sine culpis alius fugere non valet hoc, vbi sine culpis peruenit. Immisit ergo in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat; quia cùm expedire nititur, tunc veraciter conspicit, quàm duris nexibus teneatur. Neque enim verè obligationem nostrã cognoscimus, nisi cùm euadere nitẽtes, quasi leuare pedes conamur. Tenebitur planta eius in laqueo, quia videlicet stringitur funis*

Auari via laqueis obsita.

Gregor. lib. 14. Mor. c. 8.

Peccator se solo expedire nequit à laqueo.

Mundi bona non habita sunt in amore.

Auaritiæ sitis est inexhausta.

funis in peccato. Subiungitur: Exardescet contra eum sitis; nam cum peruersa mens in peccatum se venisse conspicit, eò, de suo reditu desperat, ipsa iam desperatione acrius ad huius mundi concupiscentias æstuat. Fit desideriorum feruor in mente, & peccatis præcedentibus irretitus animus, ad maiora etiam delicta succenditur. Vnde & subditur: Et exardescet contra eum sitis. In eius quippe animo contra eum sitis exardescit; quia quò agere peruersa consueuit, eò ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire, est huius mundi bona concupiscere, &c. Hydropicus, quò amplius bibit, amplius sitit, & omnis auarus ex potu sitim multiplicat, qui cùm ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiscēdo plus appetit, huic sitis ex potu crescit.

Aurum fulmina intorquet. 1. Timot. 6.

Igitur appositè Dauid ait, pluere laqueos super peccatores, id est, super auaros, qui sine adiecto peccatores sunt, iuxta illud Pauli. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Potest huc deflecti historia Eugenij Tyranni, qui attentans Imperium, dubium fecit diadema Theodosij senioris. Ille perduellis numeroso milite conscripto, simulacrum Iouis fulminei erexit in Alpibus contra Theodosium rerum potientem. Illic Iupiter assurgens vibrabat fulmen ex auro solido fabrefactum. Fuit Eugenio malum omen hoc idolum: quippe rebellis homo affectans prædiuites auri gazas, quas expilarat vsurpans imperium, expertus est suo ipsius vitæ discrimine aurum fulmina prouocare. Namque fine inglorio defunctus fidem fecit symbolo à se edito, quo aurum erat conflatum, specie fulminis intorti à Deo. Miserandum eius fatum meminit Augustinus. Prædicator, hoc inculca; scilicet, opes esse fulmina, si appetuntur incongruè, aut adeptæ concluduntur iniquè loculis, pauperum vtique dispendio, vel etiam in vestium pompa, & epulis pessimè dispensantur.

EX HISTORIA. Eugenij Tyranni rebellio in Theodosium Imperatorem.

August. lib. 5. de Ciuit. Dei, c. 16.

Opes sunt fulmina.

Ad luxuriam pertinere ignem, quem recolit Psaltes, dicens pluere ignem super peccatores, ipsa nominis anatome clamat. Nempe luxuria perinde est, ac lux vrens. Et amor ille obscœnus semper exprimitur ignis metaphora.

Æneid. 4. Luxuria congruè describitur typo ignis.

Vritur infelix Dido ——.

Ille idem totam amoris tragœdiam auspicatur à nomenclatura ignis.

At Regina grauis iamdudum saucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Hieronym. li epistol.

Sanctiore tono Hieronymus occinens ita carpit hoc vitium. *O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna!*

Carolus nequā Rex Nauarræ viuus flammis absumitur. Histor. Nauarræ in Carolo.

Seposita metaphora pluit ignem Deus super Sodomitas conscios nefandæ libidinis. Carolus Rex Nauarræ nomine nequam, homo obscœna libidine infamis, dum corpus eius lue Venerea diffluens obuoluitur linteo, flamma subito exorta viuus eo igne vindice conflagrauit. Vladislas Rex Neapolitanus stupro illato filiæ Medici sui, ab eo sublatus est toxico, cuius ea fuit pernicies, vt Rex diro velut incendio miserè conflagrarit. His profectò quadrat ille locus Isaiæ, vbi Deus inuehitur in reprobos, hæc spicula intorquens. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Vt Tertullianus vocat summum ignium pœnam; ita & ego luxuriam, extremam animæ cladem reputo, quæ ex hoc æuo sæua incendia dæmonis experitur.

Histor. Neapol. sub an. 1414. Vladislai Regis mors dira. Isai. 50.

Experto illi crede, quem meminit Ferrus, referens amasij cuiusdam symbolum. Pinxit ille æstuans amore insano Phaëtontis currum igne accensum, hoc titulo apposito. PARS TANTVLA NOSTRÆ. Id est. Quamuis ardeat ille currus incendio magno; ille tamen ignis est infra flammas, quæ cordis mei intima depascuntur. Veneris affecla, sua clamat incendia; ne dubiam facito hanc fornacem, sed hoc animo tuo firmiter insideat, ignem pluere in omnes homines fœda libidine conflagrantes.

EX SYMBOLIS. Ioan. Ferrus part. 2. Theatri.

Basilius hoc peccatum caueri iubet, sicut incendium, eóque fine consulit occludi fores & fenestras sensuum, ne accendatur, anima Venere scintillante. Sic ille. *Si visus tanti ignis fomes est, audiamus eum, qui clamat: Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ iusta annuant, & ne corripiaris vna cum palpebris tuis, neque capiaris oculis tuis, &c. Quemadmodum ignem attingentes, ignis signacula suscipimus; & impossibile est, vt qui ignem contigit, puram ab vstoria ipsius efficacia manum ostendat, sed oriuntur bullæ, aut exorta in manu amara vlcera conspiciuntur: sic impossibile est, vt qui amatorium ignem attigit, purum ab huius signaculis tactum ostendat. Si enim quis candam serpentis solum attigit, & cum tanto spatio intermedij corporis caput ab illa distet: tamen ad contactum in cauda statim conuertitur, & si vbi digitus pedis nostri offendit, capilli in capite statim recti eriguntur, nimirum etiam vitiosus tactus, etiamsi in manu solum fiat, à capite tamen vsque ad extremos vngues, totum corpus ad voluptatis consensum, statim vbi sit attingentis signum, contrahit, &c. Illud omne, ex quo omnis species per sensus enascitur, custodiendum est incorruptum, quo eas, quæ ab oculis, & voce, & reliquis ad voluptatem motibus eminus emittuntur scintillæ, contrarijs temperantiæ flatibus extinguens, etiam simul rogum ex ipsis accensum prudenter extinguat. Vt stupa, vbi ignem olfecit, statim accenditur; sic fœmina masculi corpus contingens, statim habet latenter incensam voluptatis scintillam. Ideo Salomon ait: Quis ligabit ignem in sinu; vestimenta autem non combureth? aut ambulabit quis super prunas ignis; & pedes non combureth? Sic non sine damno discedes omnis, qui attingis mulierem.*

Sensus sunt fores & fenestræ, quibus sese luxuria insinuat.

EX SS. PATRIBVS. Basilius de vera virginitate ad Letoium Meliten sem Episcop.

Tactus impudici carpuntur.

Prou. 6.

Vltimus impetus pluuiæ, inundantis malum semen, est spiritus procellarum, pertinens ad superbos, qui vt diaboli spiritum ebiberunt, spiritu etiam diabolo affini congruè castigantur. Spiritus ille nequam circuit quærens quem deuoret. Ita & superbiens homo cacodęmone afflatus in gyrū agitur, & eius spiritus inquies voluitur ad arbitrium auræ popularis. Quippe res est ventosa & intermina superbia, illo potissimum nomine fugienda, Seneca monitore *Relinque* (inquit) *ambitum, timenda res est, vana, ventosa, nullum habens terminum. Confragosa in fastigia dignitatum via.* Hæc ille.

Superbia est ventosa.

Senec. Epist. 86.

Spiritum hunc procellarum, qui perflat animas hac iniqua semente, satas, id est, superbas, satis supérque notat gloriæ inanis ingenium. Illa nempe vana dicitur & ventosa, amica

Gloriæ mūdi caducitas.

scilicet turbinis & procellæ, homines euehens vt deponat. Si mea est suspecta fides, audi Gregorium. *Carnalis gloria, dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur: sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur; sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum dissipatur; sic ab infimis nebula ascendendo se erigit, sed exortus hanc Solis radius, ac si non fuerit, abstergit; sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur; sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluuijs excitatæ ab intimis certatim prodeunt, sed eò celerius dirupta depereunt, quò inflatæ citius extenduntur, cùmque excrescunt vt appareant, crescendo peragunt ne subsistant.* Demum ille rebus his manibus assimilans homines gloriæ inanis flamine distentos, sic concludit. *Stare nullo modo queunt, quia ipsa quoque fugiunt quibus innituntur; dumque temporalia diligunt, cum his ex temporis volubilitate percurrunt.*

Ex SS. Patribus. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 15.

Gloria mundi bullæ cōparata.

Etiam opportunus adest ille Iobi versus. *Abstulit quasi ventus desiderium meum:* Quem locum Gregorius enucleans ita fatur. *Ventus desiderium tollit, cùm res qualibet transitoria æternitatis appetitum destruit. Vnde adhuc congruè subinfertur: Et velut nubes pertransiit salus mea: nubes quippe in alto eminet; sed hanc ad cursum flatus impellit. Sic nimirum, sic sunt temporalia iniquorum bona, velut in alto quidem per honoris celsitudinem degere videntur, sed ad cursum vitæ quotidie quasi quibusdam mortalitatis suæ flatibus impelluntur. Salus ergo vt nubes transit, quia peruersorum gloria, quæ alta est, fixa non est.*

Iob 30. Gregor. lib. 20. Moral. cap 20. Gloria humana tempestas est.

Affectatam intempestiuè gloriam mundi esse tempestatem & procellam, multiplex adstruit historia Principum; quos turbo subitus extulit, quia ad rerum culmen superbiæ ventus euexerat. Vnum commemorare satis erit, cuius fato liquebit mea sententia veridica, de spiritu procellarum quatiente superbos homines. In hac tragica historia Maximus præcipuam personam agit. Fuit ille strenuus præfectus militum, apud quos auctoritate præualuit ipsi Imperatori Valentiniano, quem sicariorum gladijs tulit e medio. Itaque perduellis homo ascendit in solium, gradibus Imperatoris sui sanguine cruentatis. Sed vt prælta patent ventis; ille nequam afflatus vsquequaque populari aura fuit impos sui: vtque mole sua ruunt omnia, quæ modum excedunt; ita & Maximus in culmine diu stare non potuit, nimio rerum pondere oppressus. Nempe breues fuere moræ, quas impius ille duxit in solio, vnde rapuit eum coniurationis turbo, vices rependens sceleris in Valentiniano Principe perpetrati.

Ex Historia. Maximi Tyranni mors violenta.

Sidonius Apollinaris carpit Serranum, eò quòd se præstitisset encomiasten Maximi, & ostendit esse salebrosum iter ad honores, & crebris procellis obstringere mundi asseclas, ad importunos gloriæ fugacis turbines anhelantes. Ita suum stylum Sidonius acuit. *Non puto fortunatos, qui Reipublicæ præcipitibus ac lubricis culminibus insistunt: dici nequit quantùm fert per horas in hac vita miseriarum, vita felicium illorum, qui supergressi ius, fasque commune, summam beatitudinem existimant summam potestatem, hoc ipso satis miseriores; quòd parum intelligant inquietissimo se subiacere famulatui. Nam sicut hominibus Reges, ita Regibus desideria dominandi dominantur. Sit Maximus Imperator in exemplum: venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum. Quamdam potestatis immensæ vertiginem sub corona patiebatur, nec sustinebat dominus esse, qui non sustinuerat esse sub domino. Require in eo vitæ prioris gratiam, profectò inuenies hominem beatiorem prius fuisse, quam beatissimis æstimaretur: hunc cruentauit fortuna diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum vt scorpius vltima parte percussit.*

Superborum vita miserāda. Sidonius lib. 2. epist. 13.

Superbi inquieti.

Spiritus ille procellarum superbos exagitans, non eos perflat tantùm, sed prosternit: nempe Deus, humilibus vt dat gratiam; superbis sic resistit; ac proinde quadrare potest eis symbolum illud, quod recenset Villaua, pingens excelsam Pinum, reflante vento deiectam, hac epigraphe apposita, QVIA NESCIA FLECTI. Quasi diceret; eminens illa Pinus patulis diffusa ramis temerè voluit assurgere futura ludibrium venti, cuius impetu declinare nolens humili inflexione, sua ipsius superbia prostrata est: QVIA NESCIA FLECTI. Si ergo sciscitaris quare Deus excelsa superborū capita conterat; hæc vna ratio occurrit, QVIA NESCIA FLECTI. Vel vt sistamus in metaphora seminis diabolo satore iniecti: superbi omnes inquieto turbine afflantur, quia natura sementis huius, id est, superbiæ, spiritu procellarum, vt congruis imbribus irrigatur. Pluuia namque felicior non aspergit illud diabolicum germen; sed irrorat tantùm in gratiam humilium, apud quos bonum Dei semen optimè propagatur.

Superbi à Deo humiliantur. Ex Symbolis. Franc. Villaua lib. Symbolorum.

Superbiæ symbolum.

Ad superbos pertinet illa dira Dauidis imprecatio cōtra montes Gelboë, Saulis sanguine cruētatos. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos.* In his montibus occubuere cum Rege fortissimi quique proceres Israël; ideòque ferijt eos Dauid æterno maledicto, quod sterilitatem inuexit. Profectò superbia mons est, vbi desertor Angelus occubuit, suique casus effecit conscios quamplurimos homines, ingrauescente typho peritæ sos humilia, & intempestiuè nimis ardua sapientes. Sic superbos meminit Bernardus, illi adstipulans figuræ montium, quòd Deus præterit visitans rore suo montes qui in circuitu Gelboë sunt, & valles, quæ dehiscunt infra montes illos negatis imbribus infœcundos. *Deus, inquit ille, hos prætεrit, & despectis, descendit ad valles, vt valles abundent frumento. Porro illi è regione, æterna ariditate, ac sterilitate damnantur, sicut habes super illos imprecationem: Nec ros, inquit, nec pluuia descendant super vos. Atque vt noueris quòd ad Angelos, qui præuaricati sunt, sub figura montium Gelboë ista loquatur: Vbi, inquit, ceciderunt multi vulnerati. Quam multi in his maledictis mōtibus de exercitu Israël ceciderunt à principio, & quotidie cadunt! Non est ergo mirū si steriles & infructuosi permanent isti mōtes, super quos nec ros, nec pluuia descendit; quippe auctore gratiæ, & benedictionū largitore transilien te eos, & descendente ad valles, vt cœlesti imbre perfundant humiles, qui sunt super terrā, vt fructum afferant in patientia, &c. Omnes montes qui in circuitu eius sunt, id est, in circuitu Gelboë visitet Dominus; à Gelboë autem transeat: Diabolo nempe, qui per Gelboë designatur,* hinc

1. Reg. 1. Superbi figurati in montibus Gelboë.

Ex SS. Patribus. Bernard. ser. 54. in Cantic.

Superbi expertes roris gratiæ.

Superbi steriles.

hinc inde sunt montes, quos visitat Dominus: supra, Angeli; infra, homines. In pœnam siquidem suam, locum in aere isto medium inter cælum & terram de cælo cadens sortitus est, vt videat, & inuideat, ipsaque inuidia torqueatur, Scriptura dicente: Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet. Quàm miser, cùm suspicit cælos, in quibus innumeros montes intuetur diuina claritate fulgentes, diuinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia. Quam miserior, cùm respicit terram, montes nihilominus quam plurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, charitate speciosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cæli tanquam de saltu Sponsi quotidianam capientes benedictionem.

Dæmō inuidiā contabescit.

Reprobi sunt semē nequā.

Montes Gelboë nescij roris & pluuiæ, patuere tantùm fulmini & procellis. Ita & superbi, imò & hi omnes, qui fuere sati malo semine vitiorum, expertes sunt gratiæ Dei, & flagellis obnoxij sunt, iuxta illud Isaiæ. *Væ Genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt Dominum, abalienati sunt retrorsum.* Audis, semen nequam dereliquisse Dominum iugem bonorum omnium fontem: hinc conijce, roris inopia reprobos omnes esse homines arefactos, eósque acerba manere supplicia, notata illo maledicto, quod Vates intorquet ita fatus. *Væ Genti peccatrici.* Christiani Imperatores sese ad amussim Dei componentes damnauere semen omne diabolicum. In his Constantinus Imperator, vbi illucente fide sciuit discernere bonum semen ab iniquo, hoc sibi pensum indixit, scilicet eradicare sementem omnem noxiam, quæ orbe toto satore dæmone pullulabat. Hoc bellum in vitia auspicatus est, ab extirpatione cultus idolorum, fulmina sua vibrans in contemptores latæ legis, cuius en tenorem. *Placuit omnibus locis, atque vrbibus vniuersis claudi protinus templa, & accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificijs abstinere. Quòd si aliquid fortè huiusmodi perpetrauerint, gladio vltore sternantur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vendicari, & similiter puniri rectores prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint.* Vides non Deo tantùm vindicante peti malum semen; sed & ab his, qui in hoc æuo vices agunt Dei.

Isai. 1.

Constātinus Imperator bellum idolis indicit.

Ex Ivre Civili.

Leg. Placuit. Cod. De Paganis, lib. 8. tit. 11. lege. 1.

Non solùm tentauere semen euellere diabolo seminante aspersum; sed & Principes Christiani damnauere commercium omne cum satore sementis huius. Ecce edictum Imperatorum Theodosij, Gratiani, & Valentiniani. *Ne quis mortalium ita faciendi sacrificij sumat audaciam, vt inspectione iecoris, extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat; vel quod est deterius, futura sub execrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit supplicij cruciatus ei, qui contra vetitum, præsentium, vel futurarum rerum explorare tentauerit veritatem.* Paucis diabolici seminis nequitiam declarat iste Canon. *Humana impietas ei nocet, quem peruertendo inquinat.* Quasi diceret, zizania à diabolo inducta prouocare flagella Dei; nempe laquei, ignis, & spiritus procellarū, imbres sunt, quibus semen nequam, id est, reprobi homines irrigātur. Vt secus iustis Deus adest iugi gratiarum influxu, velut semini cuius

Dæmonum consultatio damnata.

Lege. 2. Cod. De Paganis.

Peccatum est auctori suo noxium.

Ex Ivre Canonic. Can. Homini 1. quæst. 4.

germen est maximè Deo cordi. Ita Isaias. *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Benedicit autem Dominus huic semini, cùm irrorat, & gratiæ eius inundant animas virtutum omnium germine cælitus impragnatas. Huiusmodi Sanctis hominibus applaudit Bernardus, sic cōgaudens. *Beati, qui torrente voluptatis huius potari interdum vel raro promerentur, in quibus etsi non continuè fluit, saltem per horas salit aqua sapientiæ, & fons vitæ, vt fiat in ipsis quoque fons aquæ salientis in vitam æternam. Et quidem huius fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, & sanè perenniter, & affluenter. In nostros autem montes, qui in terra sunt, vtinam interdum facta quasi inundatione saltus dare aliquos non despiciat, quibus sufficienter irrigati, nobis quoque, qui valles sumus, stillare vel raras guttulas possint, ne omnino aridi, & steriles remaneamus. Miseria & egestas, & omnino fames valida in regione illa, quæ nullis vnquam istiusmodi vel saltibus, vel instillationibus humectatur, præterfluente, & transiliente illam fonte sapientiæ.*

Isaias 61.

Iusti sunt semen bonum.

Bernard. ser. 54. in Cant.

Consolatio spiritualis quam suauis.

Prædicator, Paulus tibi locuples argumentum suppeditat egregiè concludendi istam concionem de duplici semine. Sic ille. *Quæ seminauerit homo hæc metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Iuxta hanc Pauli mentem singula cuiusque opera sunt semina illius, quæ quandoque Dei benedictionem, aliàs verò maledictum conciliant. Sic vrgere potes, ô Dei præco, tuos sollicitans auditores, vt resiliant à nefarijs actibus. Christiane, tuæ salutis immemor, quid tibi cum crapula, & epulis, quas quotidianas instruis? seminas in carne, & inde metes rheumata, podagram, ructus, vigilias, & viscera adiposa. Cùm titillante libidine Veneri vacas, seminas in carne; sed te profectò manet indubia corruptio socia luxuriæ. Nec corruptio solùm instat, & excipit malum semen; sed anima hac adultera semente sata maledicto æterno Domini deuouetur. Extremo sui discrimine vadem huiusce effati præbet Adam, qui vt malè seminauit, malè etiam à Deo exceptus est, & terram malis omnibus inundauit.

Gal. 6.

Opera nostra semina sunt.

Ecce seminis indolem, & synopsim maledicti. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes? maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi.* O homo decocte ærumnis, ne causare Dei subirati duriorem iustitiam; tota acerbitas angustiæ tuæ petitur à semine tuo, id est, ab opere nequam. Audisti vocem malè suadæ carnis, & illud omne maledictum, quo grauaris, est propago aspera & spinosa germinis infelicis. Egere spurium omne semen, compara tibi germen de meliori nota: & tuo experimento scies, Dei influxum esse iuxta rationem seminis, quod à singulis adhibetur. Ita Paulus. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Gen. 3.

2. Cor. 9.

Huc reuocare potes, & equidem opportunè, Laconicum apophtegma Spartani huius, qui peregrino stupenti austerum vitæ genus insolitum Spartæ subridens ait. HAC SEMENTE METIMUS LIBERTATEM. O dignā homine Christiano sententiā! si recitaretur homini dyscolo refugiēti ritum

Virtutū praxi libertas animæ comparatur.

ritum, quem sibi pœnitentes animæ præfixerunt. Non desunt etiam ista tempestate viri nebulones, qui subsannant ieiunia, vigilias, & aliam virtutis supellectilem. Hi sunt refellendi illo egregio effato, & carpendi hac censura. O vilia mancipia carnis, & peccati seminatis in carne, nec aliud vnquam præter laqueos & compedes perpetrato crimine demeteris. Seruitus ingloria summa erit messis vestræ; qui nempe facit peccatum ille seruus est peccati, imò tot dominorum, quot vitiorum. Nos verò secus, quando patimur inediam ieiunio indicto, quando aculeis cilicij detergimus pruriginem carnis, quando precibus in multam horam protractis insomnes ducimus noctes; bonum profectò semen seminamus. Qualem inde referamus prouentum, audite. HAC SEMENTE METIMUS LIBERTATEM. Illa responsio concinit Apostolo, qui supra fuit ita fatus, *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Seminare in spiritu, est mactare carnalia, rescindere crapulam, coërcere luxuriam, compescere iræ & furoris impetus, animam aptare precibus. Demum seminare in spiritu, est vitam agere prorsus ab omni carnis contagio defæcatam, & ita æterna præmia demereri. Fauet Apostolus hoc contextu. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Hoc bonum para semen, si qua te cupido tenet vitæ atque libertatis.

EX HISTORIA. *Plutarch. in apophthegmatibus Laconicis.*

Apophthegma egregium Spartani.

Galat. 6.

Rom. 8.



DOMINICA SEXTA
POST EPIPHANIAM.
HOMILIA VNDECIMA.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. *Matth. 13.*

SVMMA HOMILIÆ.



FAMOSVS ille Archimedes hoc vnum in votis habuit; scilicet reperire punctum extra terram, vbi figere posset machinæ suæ pedem. Hoc dato affirmabat se totam hanc terræ molem cælo tenus euecturum. Suspicor in hac propositione typhum, atque delirium: quippe Mathematicus ille petiit rem in cupidine sola sitam, nullàque hominum industriâ comparandam. Hoc assignare punctum extra terram facinus haudquaquam hominum est, sed diuinum, cui solus Christus potuit abundè sufficere. Punctum illud mirabile est humilitas, quæ cum reperitur in Sanctis, est punctum in terra; nimirum Sancti homines sunt illo parente sati, qui ea compagine concretus est, quam luculenter explicat hæc synopsis. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Fuit itaque mutanda sedes puncti huius, quod vbi in Christo apparuit humili & abiecto, statim humilitas emicans in homine hoc cælesti, ostendit punctum extra terram, cuius beneficio terra in cælum assumpta est. Namque in gratiam humilitatis Christi, Ecclesia cælo gaudet. Cùm igitur audis, regnum cælorum componi cum grano sinapis, quod esto minimum sit, assurgit tamen præ aliis oleribus, & stipitem mittit comosissimũ ex omnibus maximè cauliculis; recole quàm fuerint humilia principia Ecclesiæ Christianæ, quæ ab his incunabulis diffusa est orbe toto. Duo hæc sunt nobis à Christo commendata, prælibato typo seminis exigui: videlicet humilitas Ecclesiæ, & incremẽta, quæ humilẽ eius indolẽ exceperunt.

Archimedis industria ad terram sursum euehendam.

Genes. 3. Humilitas in Christo est punctum extra terram.

De humilitate sæpe sæpius egi tribus Tomis huius Encyclopædiæ, ac proinde supersedeo, ne quid nimis. Consule singulos quosque Tomos ex Indice. Inde metes segetem vberrimam rerum, quæ pertinent ad definitionem, necessitatem, effectus, & laudes humilitatis. De Ecclesiæ incrementis, & quomodo sola Ecclesia Romana sit orbe toto diffusa, diffusiore stylo egi ex professo Tertio Tomo, Feria Quinta cinerum, vbi expendi orthodoxè Euangeliũ Centurionis. Æqui bonique consule, lector, si non refrico hîc materias alibi recẽsitas. Nempe nouos tibi cudo Tomos, non recudo. Hanc mihi prouinciam demandaui, in hac serie homiliarum proponere argumẽta legenda tibi, sed non relegẽda. Cùm igitur locis prçlaudatis habeas prædiues penu rerũ, quæ pertinẽt ad humilitatẽ, & incrementũ Ecclesiæ; satis erit hîc suggerere diuisionẽ homiliæ meo more in duas partes subdiuisæ.

Humilitatis cum grano sinapis cõparatio.

§. I. Priori parte dicam exilia rudimenta Ecclesiæ, comparando humilitatem eius grano sinapis, quod minimum est, & subobscurum: inde probabo, humiles se minimos arbitrari.

Sinapis effectus præcipui tres sunt.

§. II. Subiiciam tres effectus præcipuos sinapis. Primus est displicere oculis, quibus nocet vt nomenclatura sonat παρὰ τὸ σίνεσθαι ὦπας. Humilitas est oculorum refuga, timens videri ne mercede cadat, quæ operosa manet facinora. Imò humilis egregia sua facta non attendit, vt opera proprio Marte sata, sed edita Deo cælitus influente. Hinc emersit celebre Augustini effatum gloriæ tantùm diuinæ litans. *Bona mea instituta tua sunt, & dona tua: mala mea delicta mea sunt, & iudicia tua. Propter nomen tuum, nequaquam deseras cœpta tua, & consumma imperfecta mea.* Secundus effectus est purgare cerebrum, ore pituita noxia desudante. Humilitas in os reuocat noxia quæque nihil nisi sua piacula referans, & alto silentio implectens, quidquid encomium sapit. Demum sinapi confert ad obsonia condienda: ita & virtutum omniũ condimentũ est humilitas, cuius deliquio nauseam pariunt Deo virtutes quantumuis emeritæ, proinde procul à gloriæ æternæ ferculis abigendæ. Vide Tertio Tomo Euangelium Feriæ quartæ Cinerum.

Aug. lib. 10. Conf. c. 4.

§. III. Secunda parte ostendam quàm cæteris caulibus emineat stipes, qui emergit ex gramine seminis exigui, quod in propagatione sua refert ideam Ecclesiæ discurrentis in omnes orbis oras, vbi virent propagines eius, Deo desuper irrorante.

Humilitas conciliat homini Angelorum satellitium.

§. IV. Demum concludam, arbustum seu fruticem sinapis non ita prouocare aues vt apricentur in ramis eius, sicut humilitas allicit Angelos, vt diuertant ad animam de se humiliter sentientem. Vt enim diaboli defectio cœpit à superbia; ita salus Angelorum penes humilitatem sua reposuit incunabula; ideoque suo satellitio stipant animas humiles, velut ad Angelorum indolem propius accedentes. De hoc multis ago supra, Tractatu de Angelis, Sectione prima; vbi probo, humilitatis obsequio homines æmulari statum Angelorum.



DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

HOMILIA DVODECIMA.

THEMA.

Simile est regnum cælorum homini patri-familias, qui exiit primo manè, conducere operarios in vineam suam. *Matth. 20.*

SVMMA HOMILIÆ.



REGORIVS enucleans parabolam, quam versamus, neminem latere voluit, Christum esse patrem-familias, qui de sua vinea sollicitus, opportunè cauit ei, conductis operariis idoneis & peritis. Sic ille. *Quis patris-familias similitudinem rectius tenet, quàm conditor noster, qui regit, quos condidit, & electos suos, sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos Dominus in domo? Qui habet vineam, vniuersalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Quòd autem Christus primò manè conduxerit operarios, illud mysterium insinuat vtique singulare, & aliis scriptoribus forsitan intentatum. Accipe arcanum, vel eo nomine placiturum, quia recens.

Greg. hom. 19. in Euang. Ecclesia est vinea.

Ecclesia lucem & opera sociat.

Christus commemorans Ecclesiam suam, sociat operarios & primo manè, velut res concolores: nemo namque sibi consulere potest positus intra Ecclesiæ septa, nisi beneficio lucis & operis. Primum manè dicitur illa lux, quæ nigrescentis cæli habitum dealbare solet præuertendo moras rutili sideris enitentis. Hoc primum lumen dico fidem, quæ prima lux est homini affulgens, & irradians in

Baptiſmo ante ortum rationis, quæ in homine vices eſt ſortita Solis. Haudquaquam lux illa nitet hominibus veterno, aut corpore ſolutis in lectulo. Id eſt, fides ſincera ſuiſque numeris omnibus abſoluta viros petit generoſos, & idoneos operi à Chriſto Domino præſtituto. Sicque fides & opera duo ſunt cardines præcipui, in quibus tota ſalus vertitur Eccleſiæ. Nemo quippe adultorum conſcius eſſe poteſt regni cæleſtis, niſi illucente fide, & vigente aſſidua virtutum praxi, quæ ſuperno fidei lumini ſuffragatur. Fides & opera ſimul.

De fide & operibus prolixum edidi tractatum Tomo tertio iſtius Encyclopædiæ, vbi nihil relinquo intactum in eo themate. Vide igitur feriam quintam cinerum, & decurre ſenſum orthodoxum Euangelij Centurionis, & præſtò erit, vnde plures texas conciones eius argumenti. Quomodo ex hac vbere materia ſit tibi texenda homilia induſtriè compoſita, diſces hac ſynopſi.

§. I. Prima parte dicam, fidem eſſe primum manè, quo inducimur in vineam Chriſti. Quidquid enim luminis ratio humana prætendit homini, illud omne opacum eſt, cum fide compoſitum: natura quippe ſola cæcutit in indagine rerum, quæ fidei lumine mentibus innoteſcunt. Eſt itaque fides primum manè, ſeu lux præcipua affulgens homini, quem Deus ſuis myſteriis initiat.

§. II. Subiiciam, patrem-familias exire primo manè, quod perinde eſt, ac dicere, liquidæ lucis influxum, qui nos dirigit in vineam ſacram, eſſe ſingulare Dei beneficium, & non animæ duntaxat opus, licet illa fidei articulis annuat. Namque aſſentiri propoſitis ad credendum, non eſt naturæ facilis arbitrium, ſed gratiæ Dei deſuper illucentis. Hinc fit vt plerumque doctiores homines ægrè admodum credant, iuxta ſcitum Chriſti affirmantis, arcana fidei eſſe abſcondita ſapientibus, & reuelata paruulis.

§. III. Secunda parte oſtendam, Chriſtum inſinuaſſe fidem, quia vt Chriſtus eſt Verbum caro factum; Verbum, inquam, ſpirans amorem, id eſt Spiritum ſanctum: ita fides eſt notitia amore flagrans, atque adeò operoſa: ſiquidem amor odit inertes. Præter materias locupletes, quas digeſſi in expoſitione orthodoxa Euangelij feriæ quintæ Cinerum, in tertio Tomo; accipe egregium ſymbolum, cuius meminit Ruſcellius. Pingit ille bouem medium inter aram, & aratrum, hoc titulo adiecto. *IN VTRVMQVE PARATVS.* Quaſi diceret. Ego ſum idoneus aris, & labori. Fidelis homo licet ſpeculetur ea, quæ pertinent ad aras ſeu ſacrificia, præbendo ſuum aſſenſum omnibus, quæ credenda proponit Eccleſia, in hoc themate prælibato. Hoc minimè tamen obſtat, quin hæc intemerata fides, vegeto niſu ſit arduis & ſanctis actibus aſſueta. Ex Symbolis. Fidei ſymbolum egregium. Hieronymus Ruſcellius lib. ſymbol.

§. IV. Demum concludam, fidelis animæ actiones debere componi adinſtar operum, quæ vinitor ſubinde repetit, fodiendo, ligando, & amputando vineam. Quid verò clament hæc opera, dico fusè in homilia de vinea, Infra, feria ſexta Dominicæ ſecundæ Quadrageſimæ.



DOMINICA SEXAGESIMÆ.

HOMILIA DECIMATERTIA.

THEMA.

Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. *Luc.* 8.

SVMMA HOMILIÆ.



PARABOLÆ editæ à Chriſto typis inuolutæ, non vſquequaque patent: ſed plerumque ſenſus à Deo intentus peritos quoſque fugit interpretes, neſcios quænam ſint arcana recondita talibus inuolucris. Huiuſmodi in loquendo tropi vſurpati à Chriſto ſunt diſcolores ſortiti Patres, quando decurrunt parabolas, & tegmine illo inuia myſteria lucidæ rationis ſuæ facibus inueſtigant. Illa tamen diſcors Patrum exegeſis, ſeu inter-

pretatio non deuiat ab intento Christi, penes quem fuit infinita propè sensa mystica tegere cortice literali. Illa parabola, quam versamus, excipitur à contextu earum, quas quisque ad arbitrium suum enucleat. Figura nimirum hæc, commemorans semen multimodè satum, sortita est Christum interpretem, quo assertore semen est verbum Dei, ac proinde nefas est alium sensum inducere, cùm de arcano parabolæ constet nobis, vtique auctore eius Christo Domino reserante. Ita Gregorius. *Lectio sancti Euangelij, quam modò, fratres charissimi, audistis, expositione non indiget, sed admonitione. Quam enim per semetipsam veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumat. Sed est quod sollicitè in hac ipsa expositione Dominica pensare debeamus: quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare diceremus; ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret.*

Greg. hom. 13. in Euang.

Ne igitur in censuram Gregorij incurram, explicabo parabolam istam de verbo Dei, & recolam dignitatem eius & effectus; insinuando, qua cautela semen hoc debeat glebis animæ commendari. Vide primo Tomo Euangelium Præsentationis Beatæ Virginis Mariæ, & consule sectionem in hæc verba. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Illic habes vnde ditior homilia exurgat in gratiam verbi Dei, cum semine comparati. Si causeris, esse molem illic indigestam, vtpote concretam, & sine diuisione; accipe anatomen congruam parabolæ de semine.

§. I. Prima parte dicam, verbum Dei prædicatum vt auribus insonat, vocari semen; quia vt semen virtute refert naturam eius vnde fluit: ita verbum Dei quidpiam habet affine Deo in humanis. Christus vt Verbum Dei, à Patre procedit via intellectus; vt homo verò, conceptus est de Spiritu sancto. Verbum Dei non humana est disciplina, sed est Deo auctore satum & Spiritu sancto percellente anhelitum oris foras emittitur. Eò spectant illa verba Petri. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Adiice, verbum Dei cordibus insitum, naturæ Dei conscios & & consortes homines efficere, iuxta illud Christi. *Deos dixit eos, ad quos sermo Dei factus est.* Rursus semen manuum obsequio mittitur in terram; ita & Christus plus opere seminauit, quàm sermone.

2. Petri 1.

Ioan. 10.

§. II. Subiiciam, rationem seminis non conuenire solùm verbo Dei deforis auscultato, sed & quadrare loquelæ internæ, qua Deus in penitiore recessu cordis vnumquemque sollicitat ad ardua facinora fortiter exantlanda. Inde ansam arripiam, refellendi susurros omnes importunæ carnis, qua malè suada, sensuum illecebræ facessunt negotium spiritui velificanti gratiæ. Subinde refricabo memoriam legis huius indictæ Hebræis. *Agrum tuum non seres diuerso semine.* Inculcabo, cauenda sæculi nequam dogmata omnia insana, quibus anima imprudens sata luxuriat in gramina virulenta. Consulam, sepiendas aures spinis, ne his patulis inseratur semen germinans spinas & tribulos.

Leuit. 19.

§. III. Secunda parte ostendam, semen hoc odisse terram incultam, & deposcere solum magna industria dispositum, itavt secernantur saxa, & sentes radicitus extirpentur. In lapide semouendo intellige, molliendam cordis duritiem, quæ irritum facit verbum Dei. Frustra quippe sacra eloquia tinniunt auribus obstinatis. In senticeto puta affectum præposterum opum, quibus anima frui vult & non vti, dumque sua vota dirigit in quisquilias vtique viles huius mundi, non attendit verbo Dei, vtpote varia rerum cupidine fortiter irretita.

§ IV. Præuiis his cautelis indubiè germinabit illud semen, id est, animâ ritè dispositâ, verbum Dei altè mentibus insidebit, dummodo vigil homo volucres abigat. Cassa nempe cura prior esset, si anima tædio laboris fracta auscultaret dæmoni susurranti. Itaque solers inuigilet homo sibi, & elidat prima capita tentationum diabolo renuntians, sicque fugabit aues iniurias semini germinanti.

DOMINICA

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

HOMILIA DECIMAQVARTA.

SVMMA HOMILIÆ.



Ecclesia prudenti consilio, vt è specula cauet hominibus, id est, gregi suo, ne lupus sese in caulas insinuet, & ore rabido iuguler oues sibi minimè prouidentes. Hanc almæ parentis solertiam arguit Euangelium hodiernum, vbi Christus seriem texit ærumnarum, quæ instabant tempore Passionis. Vt parum fellis amarore inficit fercula sacchara condita; ita commemoratio Passionis Christi validè restringit sensum obuiæ voluptatis. Bacchari nempe pudet animam, quæ meminit acerba supplicia Christo inflicta in gratiam hominum; illa nimirum recensio agonum eius, illam sollicitat ad vitij horrorem. Appositè ad intentum Ecclesiæ.

§. I. Prima parte huius homiliæ dicam, hoc Bacchanalium triduo homines conscriptos in vitij obsequium Christo illudere, & blasphemando eum sputis inungere, & quocunque piaculo, velut nouo attritu, eius vulnera vellicare.

§. II. Dein inuehar in extremam peccati perniciem, quæ impiis adimit omnem sen um sortis miserandæ, in quam suo vitio deuenerunt.

§. III. Altera parte palàm faciam caliginem, cuius aspergine cæcutit anima genio indulgens, & prauis actibus assueta.

§. IV. Tandem præmonebo animas de sua salute sollicitas, vt aures occludant susurro mundi, hocce triduo prouocanti ad luxum, & omnia noxia suggerenti.

PRÆFATIO.

Filius hominis tradetur Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Luc. 18.

Balthasar Regi Chaldæorum luxurianti, in mediis epulis apparuere tres digiti; indices mortis imminentis. Quo aspectu vir ille libidine intempestiua exæstuans, & largè epoto vino madens, stupidus inhorruit, & velut immemor illecebræ, quæ multa tunc temporis affluebat, suspicatus est malum omen inesse scripturæ, quam finxere digiti prælibati. Ea sanè Scripturæ cælitus inspiratæ vis est, vt expungat memoriam omnium voluptatum. (Scripturæ sacræ virtus.) *Hunc effectum præcipuè sortitur Scriptura illa, quæ sanguine Christi rubet: hac nimirum vbi Passionis ludibria, blasphemiæ, sputa, flagella, vepres, ferale Crucis lignum, & conuicia cætera recoluntur. Hoc veluti salutare pharmacum adhibet Ecclesia contra virus vitiorum, quod sua aspergine totum hoc triduum Bacchanalium inficit. Aures itaque propitias arrigite, Christiani, memores totam Passionis Christi tragœdiam esse vitij facinus exundantis. Fortè pigebit sociari scelestis hominibus consciis iniuriarum, quas suo contextu refricat Euangelium hodie prælibatum. Passionis felle volo condire delicias, quæ cupidinem sui faciunt amasiis mundi. Si hunc Christi amarorem concipitis, mundi amor omnis abortiet. Vt hæc Passionem Christi recensio altius insideat animo; est consulenda parens, quæ adstitit Cruci. Hanc demereamus salutatione Angelica.* Aue Maria.

HOminis instituendi gratiâ descriptum est Euangelium, quod Ambrosius ideo nuncupat, magisterium morum, & speculum conuersationis. Huic concinit Bernardus, aiens vnumquemque posse coniicere qualisnam sit, sacro Euangelij codice prælibato. Vnde creber ille est in suadenda lectione Euangelij. Ecce eius parænesim. *Euangelium, fratres, ob hoc scriptum est, vt legatur: nec ob aliud legitur, quàm vt rationabilem consolationem, vel desolationem exinde capiamus. Est enim sæcularibus consolatio vana de terrenarum affluentia rerum; vana nihilominus de earum penuria desolatio.* (*Bern. serm. de Dominica sexta post Pentecost.*) *At Euangelium speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit.* (Euangelij præclara epitheta.) *Sed quid dicit Scriptura? Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparatur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Nos autem, fratres, non sic, obsecro, non sic; sed consideremus nosmetipsos in ipsa, quam audiuimus, sacri Euangelij lectione, vt proficiamus ex ea, & corrigamus secundùm eam si qua in nobis deprehendimus corrigenda.*

Ecclesia conscia titulorum, qui sacrosanctum decent Euangelium, & præcipuè callens, illi conuenire rationem speculi, selegit hodie textum valde opportunum; quo reprobus hominum status egregiè & graphicè lineatur. Summa

Euangelij

Euangelij hæc est. Hodie in tremendo sacrificio prælectum est Christi colloquium cum Apostolis de Passione, quæ instabat. Lucas aduertit, auditores huiusce cruentæ historiæ nihil horum intellexisse. *Et ipsi* (inquit) *nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Christo recolenti agones suos, occurrit cæcus mendicans secus viam, quem inuocantem sospitatoris opem populus increpabat. Dominus ille miseratus habitum infelicem hominis, cui sese caligo iugis offuderat, iussit eum ad se adduci, cui supplici lucis vsuram protinus impertiuit. Illa synopsis Euangelij hodierni typus est eorum, quæ geruntur hisce Bacchanalibus. Nempe diebus his vitio deuotis Christus illuditur, flagellatur, atque conspuitur. Et in pessimæ labis incrementum, nemo capit iniuriam Deo factam; gliscente nimirum illecebra, ratio fit inscia rerum, quas decernit homo, ab insano voluptatum genio dementatus. In hanc damnatus, homo sortem cæcutit, quia secus viam positus procul est à mandatis Dei, quæ sunt via, accensa luce desuper affulgente, iuxta illud Psaltis. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Christo transeunte vir oculis orbus; qua potuit contentione vocis Dominum tentauit facere sibi propitium, inuitisque turbis Deum demeruit factus voti compos & luminis.

Luc. 18.

Præceptum Domini lucidum.
Psalm. 18.

Heu ex turbis tantis vnus recolitur Christo sisti volens: vigente voluptatum obsequio hoc triduo rarus erit, qui animo Deum recogitet, captus tædio peccatorum. Ex præfata recensione Euangelij accipe diuisionem homiliæ. Prima parte dicam, homines hoc tempore effusos in vitia illudere Christo, & quantùm in eis est, patientis olim Christi vulnera refricare: subnectam vitij colophonem, scilicet incuriam reuoluendi animo discrimen, in quod impegit homo, Deo nefariis actibus iniurius. Altera parte palàm faciam cæcitatem, quam vitia offundunt. Demum suggeram industriam detergendi caliginem illam mentis oculis importunam.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Homines in vitia effusi, illudunt Christo, acerba Passionis eius vulnera refricantes.

VT peccatum malorum omnium caput est; ita & animam malè sibi consciam pessimè afficit inurendo notas inglorias, eas scilicet omnes, quæ conducunt vt homo fiat omnibus abhorrendus. Primò namque Deo rebellis est peccator, vt sæpius aduerti ex radice Hebræa עוה *ng hauah*, quæ significat peccare & rebellare. Secundò vt abyssus abyssum inuocat; homo nequam ingrauescente peccato fit illusor, vtpote Deum habens loco ludibrij, ludens in re sacra, ridens omnia, quæ pertinent ad salutem. Et quasi parum esset illudere Deo, spretis eius obsequiis, homo nefarius adhuc eum conspuit, blasphemias vsque ad horrorem adstantium iugiter eructando. Demum non stat per hominem impium, quin denuo Christus adigatur Cruci. Ideoque sæpius apparuit Christus illo habitu, quo passus est, querula voce gemens, hominum vitio sua vulnera refricari. Cùm ergo in Passione sua Christus fuerit illusus, consputus, & occisus; homines impij reuocantes angustias Christi, ei illudunt, hunc conspuunt, & repetito crimine crucifigunt. Ideoque opportunè Ecclesia commemorat hodie ærumnas Christi; quia hoc triduo potissimum vitia luxuriare solent, & nundinæ peccatorum omnibus indicuntur. Ad inuidiam & certatim instruuntur epulæ, ad choreas etiam coguntur inuiti; & quidquid libidinis incendia suscitare potest, illud conducitur. Denique Bacchanalia proscripsere nomen virtutis, vt vitiorum omnium sobolem liberè propagarent.

Peccatum quid sit.

Bacchanalia proscripsere nomen virtutis.

Etenim si quis hodie pertæsus iniquum sæculi ritum, secessum cogitat, frequens adstare volens sacris; ille alios contribules suos patitur iniurios, hoc affatu: O homo singularis, omnia tempus habent. Quid igitur præcoci zelo studes, & intempestiuè vacas virtutis operibus, relaxandis animis tempore præstituto? Triduo elapso virtutis erit suas versare vices. Ita vigens voluptas insusurrat, & Deo illudens facit etiam homines illusores. Et hic est deploratus animæ status: desinit nempe locus esse remedio, quando mali sui nescius æger iniuriis Medicos insectatur. Animæ iocantis in vitiorum statu, sors planè miseranda est, & arguit illam deuenisse in extremam mali labem, vbi sensu cadit homo multiplici vulnere sauciatus. Cuiusque vitij tyrocinium ingratum est animæ nondum reatibus assuetæ, quia synderesis semper hominem vrget ad libellum repudij scribendum crimini desponsato. Sed vbi longiores inualuere moræ, & m[illegible] cœpit esse diuturnum, retunditur ille aculeus conscientiæ, qui crebra punctione fuit aliàs importunus. Refricato vitio synderesis hebes & obtusa cadit, & hoc omen pessimum est homini nebuloni. Ille nimirum habitus clamat, nihil omnino salutis superesse, sed esse omnia iniqua animæ huic gratis & impunè gestienti.

Synderesis extincta signum est omen homini nebuloni.

Ita & Hippocrate assertore, conclamatum est ægris, quos deficit omnis molestiæ sensus ingrauescente morbo; sic enim dehiscentis naturæ deliquium Medicis explicatur. Ecce ingruentis periculi præsagium. *Τὰ ἐν πονηροῖσι σημείοισι κουφίζοντα, δύσκολα.* Id est. *Quæ prauis cum signis mitescunt, contumacia sunt.* Prædicator, hic habes morale thema, vtique prædiues, declamandi in vernaculam hominum insaniam, qui quò tempore plus delirant & offendunt, magis animo gestiunt synderesis omnem sensum penitus abdicantes. Dic audacter, imminere fatum extremum. *Quia quæ prauis cum signis mitescunt, contumacia sunt.* Id est, lethalia: siquidem pharmaca prorsus omnia dedignantur. In his fuere famosi Sodomitæ, qui hanc imposuere suæ nequitiæ coronidem, vt Loth virum sanctum, benè suada oratione reuocantem ad meliorem frugem, impiè subsannarint. Nempe scelesti homines, appendentes iudicia Dei ad trutinam animalis ingenij sui, flocci fecere remedia, quæ indixit Loth monitor opportunus. Sed illic impunè Deo nequaquam illusum est: quippe sæuiente flamma cælitus emissa, ciuitas iniqua fuit funditus extirpata. Vide deliros homines ex codice sacro. *Egressus Loth, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto; quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis, quasi ludens loqui.*

Insensibilitas in morbis est lethalis

EX MEDICINA.
Hippocrat. lib. 1. Coac. præn. 51.

Sodomitæ illusores puniti.

Genes. 19.

Audiisti

Audiisti & vidisti illusores, accipe iam congruam ludibrio pœnam. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Profectò desipis, Christiane imprudens, si ita virenti ætate fidis, vsurpans licentiam luxuriandi impunè, & audiendi præcones verbi Dei, quasi ludicra prædicantes. Si tibi constas diu in hoc proposito, Deo iugiter illudendi; eadem te fata manent, quæ Sodomam: quippe Deus ex improuiso te adorsum feriet, & cremabit vniuersa terræ virentia: scilicet corpus tuum noua lanugine florens & pubescens, eàdem repentinæ mortis falce metet opes, quæ dum turgent in loculis, animum sollicitant ad seria omnia subsannanda.

Bacchanalia lineata præclaro textu Iob. *Iob. 21.*

Diceres, Iob de industria Bacchanalia nostra subiecisse oculis, & eorum exitum lugubrem graphicè lineasse. Sic ille recolit impiorum fata. *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens vt seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus eum?* Hæc sanè quadrant apposité diebus istis. Namque pleraque cœnobia hoc triduo effusa in pietatis opera prouocant homines ad vsum augustissimi Sacramenti, proposita largitione gratiarum Sanctæ Sedis Apostolicæ, iis, qui, vt par est, accesserint ad hæc sacra. Sed proterui homines gregarim vrbe tota choros agunt, & prædicatorem rident, eum sic impiè subsannantes. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Satis supérque temporis est, detonantes è pulpito præcones audire in Quadragesima, ac proinde iam declamatio in vitia est auribus importuna. Itaque, prædicator, hisce tuis pone modum votis; ea nempe cruda & immatura non sapiunt palato hominum, quos aliò laxa hæc tempora prouocarunt. Quid nos sollicitas ad orationem quadraginta horarum, vt obliti delicias, vni Deo velificantes, eius tantùm intemerata obsequia meditemur. *Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? & quid prodest nobis, si orauerimus eum?*

Illudere Deo est obstinati tantum animi.

Qualem verò sortiantur exitum blasphemæ voces hominum, qui in re seria sic illudunt, & toti sunt in abdomine saginando; præfatus est Iob hoc contextu. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Inde liquet, illudere Deo esse supremam vitij catastrophen æterno igne vindice castigandam. Eò alludit Theologia, cum obstinatum animum procul agit à salute, quia vbi anima vitiis inolitis obduxit callum, decocto pietatis sensu, & deposito affectu bonitatis, tunc peccat in Spiritum sanctum. At huiusmodi piaculum nulla vota neque delubra iuuant; quia eò malitiæ deuenit homo, vt illudere Deo ludum putet. Vt potentia tribuitur Deo Patri, & sapientia Filio; ita & bonitas est veluti tessera Spiritus sancti, quem ex professo petit homo peccans ex mera malitia. Etenim is cacodæmone afflatus, malo spiritu agitur, imò malus ipse spiritus est, vtpote ex diametro oppositus bono spiritui. Cùm namque ex Philosophia ea sint eadem inter sese, quæ coëunt in vno tertio; homo peccans ex malitia, diabolus est, eodem scilicet œstro percitus, quo & spiritus ille nequam, in malitia tenaciter atque iugiter obfirmatus. Cuius etiam malitiæ summa est hæc, vt Deo illudat ambiens adorari. Rursus ex Philosopho; aliquas exercere actiones ex voluntate firmata in bonum, maximè conducit ad perfectionem virtutis: siquidem illa tenax adhæsio in bono clamat bonum inolitum, cuius consuetudine satus habitus, affectui firmiter adhærescit. At secus peccare animo diris deuoto concludit omnem malitiæ summam, ac proinde tale nefas diabolicum est, nihilque spei salutaris, animæ patitur affulgere. Sortis huiusce miserandæ indubius index est animus illusor, intempestiuâ gestiens lætitiâ, cùm delinquit.

Ex Theologia. *S. Thom. 2. 2. q. 14. art. 1.* Ex Philosophia. *Arist. lib. 7. Ethic. c. 4.*

Ecce, auditores, quò vos deduxere tempora hæc Bacchanalia; illa nimirum vos exuerunt indole humana, vt diabolos efficerent, Christo Domino turpiter illudentes.

Extrema peccati pernicies est, suam grauitatem abscondere peccantibus, quos sic ira Dei incurios exterminat.

§. II.

Christi discipuli recèns initiati sacris Euangelij arcanis, circumtulere sensum adhuc corporeum, in rebus etiam pertinentibus ad salutem; teste Petro, qui tentauit Christum abstrahere à proposito patiendi, cùm audiit Dominum sese accingentem ad agones asperos Passionis, quæ instabat. *Assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Qui conuersus, dixit Petro: Vade post me, Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Id est, animalis homo es, ideóque non percipis ea quæ sunt spiritus. Eodem quo & Petrus deliquio laborauere cæteri discipuli, qui Christo recolente ludibria, sputa, & flagella, quæ passurus erat, *Nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Si tantillus adhuc sensus carnis residuus in Apostolis obfuit, quin caperent animo grauitatem iniuriarum Christi; in quas Iudæorum populus anhelabat. Quo animo fore putas impios, qui dato nomine Veneri, & Baccho adeò carnales sunt, vt dicere fas sit eorum animam esse instar adipis eliquatam. Profectò cadent omni sensu contumeliæ, qua Christus afficitur, vitio præualente. Sed hunc eorum insensibilem habitum, æternum excipiet opprobrium, auctore præscio Salomone. *Impius* (inquit) *cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.*

Matth. 16. *Luc. 18.* *Prou. 18.*

Illusores acriter castigati. Ex Historia. *Historia Belgica in Philippo.*

Celebris in illo argumento est historia vrbis Dinan in Belgio, quæ vt defecit à Philippo Duce Burgundiæ, hoc etiam scelus adiecit perfidiæ suæ: videlicet simulacrum finxit referens speciem filij Principis sui, id est Caroli, & hanc nobilis adolescentis effigiem alto patibulo rebelles turpiter appenderunt. Horruere crimen hoc vicinæ ciuitates, & qua potuere solertia hortatæ sunt vrbem perduellem ad resipiscentiam; sed hoc frustra, quia omne sanum consilium desipit illusori. Itaque properante fato vindice tanti piaculi, obsidione

obsidione arcta vrbs cincta capta est à Philippo, solo adæquata, & ciues omnes congruis extincti supplicijs. Eâdem fere naui vehuntur omnes, qui eò deuenerunt insaniæ, vt illudant Deo, surgente cumulo peccatorũ. Quantùm namque penes illos est à Deo deficiunt, & filium eius denuo crucifigunt. Vnde temerata Dei patientia sua repagula præteriens sæuiendo quatit capita reproborum.

Dinan vrbs rebellis euersa.

Ita malè excepti sunt Iudæi, Deo iniurij & Prophetis eius. Ideoque crimen ludibrij morte ingloria deleti funditus expiarunt. Ecce funus hominum nequam. *Vniuersi Principes sacerdotum, & populus præuaricati sunt iniquè iuxta vniuersas abominationes Gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalem. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo, & habitaculo suo. At illi subsannabant nuntios Dei, & parui pendebant sermones eius, illudebántque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio. Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem.*

2. Paral. 36.

Verbum Dei spretũ morti obstringit.

Vt causa perennante viget & effectus; ita hodie consciis hominibus iniuriarum, quas irrogauit populus ille Deo, dicetur & in eos eadem capitis sententia, similisque clades excipiet homines, vsurpatâ peccandi licentiâ vitiis indulgentes. O popule insipiens, fabula narratur de te, totáque hæc tragœdia recensetur à me præueniente tuam perniciem, vt pœnitentiæ obsequio occurras malo cælitus imminenti! Sed heu cassa parænesis erit; quippe Deo solitus illudere, mea etiam monita subsannabis! Accipe prophetiam ingruentis tibi mali prænuntiam, Isaia Vate. *Erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Ierusalem. Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos, &c. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cùm transierit, eritis ei in conculcationem.* Hæc ille reuera consulens omnibus malè sibi consciis hominibus; qui tamen suæ salutis incurij, eo ferè ritu viuunt, quo vos, auditores, quibus hodie res est potior Bacchantes sequi, quàm inito salutari virtutum calle Christum Dominum æmulari.

Isai. 28.

Pars Secvnda Homiliæ.

Ingrauescente peccato, cæcitate percutitur anima.

§. III.

CHristo peroranti in themate Passionis suæ cæcus occurrit, positus extra viam: & id fortassis in figuram status hominum, qui vitam agunt extra viam mandatorum Dei. His nempe caligo offusa lucis omnem vsum adimit: siquidem visio non fit nisi potentiâ benè affectâ, & lumine aliquo oculis affulgente. Sed temerata Dei iussa malè afficiunt rationem, iuxta illud. *Excæcauit eos malitia eorum,* & irradians gratiæ lùmen extinguunt. Itaque nigricant omnia reprobis statim atque præteriere edicta, quæ cælitus indicuntur. Vide infra homilias Quadragesimæ, ibi ex professo texui homiliam de cæco nato, Feria quarta Dominicæ quartæ Quadragesimæ. In eo argumento de cæcitate animæ ludunt principes scientiæ, quarum illic adstare choro potes, si tui est arbitrij memet consulere Feria prælibata.

Visio quomodo fiat.

Sapient. 2. Peccatum excæcat.

Impius iniquum patitur mundum, resilire volens à schemate nefario vitæ, cui hactenus assueuit.

§. IV.

ACcedente Iesu ad vrbem Iericho, cæcus garrulâ & resonante famâ sciens, Dominum hunc esse patratorem mirabilium operum, magna contentione vocis vota sua Christo eminus explicauit. Adstantibus importuna fuit vox hominis optantis sisti Christo. Ecce seriem historiæ. *Clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se.* Vt Christus illac transiit antequam cæcus eum inuocaret; ita anima vitiis excæcata, de lucis vsura reduce non cogitat, nisi Christo Domino percellente. Sed vbi præeuntibus, id est, aliis dyscolis hominibus votum innotuit animæ pœnitentis, omnem adhibent industriam idoneam ad propositum vitæ melioris in semine suffocandum. Mirum in quot spiras & voluulos intorqueat sese serpens tartareus, qui callidè suis gyris Adamum implexum effecit conscium defectionis suæ. Vos ego testes adhibeo, auditores. Nonne proterui homines ægrè ferunt, quod exosi Bacchanalia, dies istos seorsim agatis in ædibus sacris, procul ab epulis, vbi immodico desudant ora vino, & copioso adipe ingesto corpora saginantur? Quot scommata infigunt illi pietati, qua damnatis perditos illorum mores? quantis dicteriis atque salibus aspergunt secessum vestrum à choreis, & epulis? Macte tamen & constanter has præterite remoras, & flocci facite sycophantas illos homines increpantes. Pergite ad Christum pede quo cœpistis, memores virtutem impuberem ægrè pubescere afflatam aura populari, ac proinde pœnitentem debere refugam cauere frequentiam hominum impiorum.

Luc. 18.

Quomodo anima vitiis excæcata lucem recuperet.

Reprobi obstant ne pœnitentes perseuerent.

Accipe congruum in hoc themate consultorem, Bernardum scilicet, monitoris obeuntem in hoc argumento vices. Sic ille. *Periculosum est inter sæculi turbas agere pœnitentiam, vbi nimirum alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccandum alliciant, alij adulationibus in vanam gloriam, alij detractionibus in impatientiam animam eius deiiciant. Ostendat prudentia, quantas, & quàm importunas, præsertim in hac generatione nequam,*

Mundi consortium est cauendum.

Ex SS. Patribus. Bern. serm. 3. de Circumcisione.

nequam, opportunitates, & occasiones peccati offerat mundus, & ingerat; quam debilis sit ad illas humanus animus, maximè qui in peccati consuetudine sit enutritus. Eligat ergo de præsenti sæculo nequam fugere, dicens cum Propheta: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Quasi hoc dixisse parum esset, & ne deficiens, aut hiulca foret illa suasio; salutaris hic monitor alibi refricat illam mundi nequitiam, vt lectores suos efficiat à sæculo citiùs expeditos. Ita sapienter auribus insonat. *Est mundus iste positus in maligno. Quam nequam in omnibus sæculum præsens, quàm nequiter aduersus animam sæcularia desideria militare noscuntur. Sunt & principes mundi huius tenebrarum harum spirituales nequitiæ, aëreæ potestates, & inter eas callidior cunctis animantibus serpens. Transi peruigiles illas nequitias, quæ tam indefessè custodiunt, & obseruant, ne quis mundum possit euadere. Si te percusserint, si vulnerauerint; dimitte eis pallium, quod in Ægypto olim Ioseph adulteræ dereliquit; dimitte sindonem, vt cum Euangelico illo iuuene profugias nudus ab eis. Ita ergo sursum cor, sursum clamor, sursum desiderium, sursum conuersatio, sursum intentio, & omnis tua expectatio desursum sit.*

Idem ser. 10. in Psal. Qui habitat.

Mundi nequitia describitur.

Placet illa recensio pallij derelicti à Iosepho, vt se celerius eriperet vrgentibus Veneris inuolucris. Christiane, æmulare solertem iuuenis industriam; missam facito chlamydem, id est, mundi huius præclara omnia tegumenta, quibus fucos facit vtique suis asseclis imperitis. Audacter aspernare tricas, quas mundus obiicit tibi, ne procedas; defæcato mentis oculo attende Christum, te apertis vlnis cælitus expectantem. Ne incautum præpediat te sæculi perfidia; Bernardus iterum suggerit eius technas, & modum aperit extricandi. Ecce oraculum. *Vsitatum est satis, & tritum, sæculum istud merito cæcitatis & ignorantiæ suæ, Ægypti vocabulo nuncupari. Quod nimirum, quoties mutatione voluntatis egredimur, tria nobis occurrunt. Stimulus cupiditatum, qui velut mare rubrum sensum rationis nostræ tumidum, & procellosis vndis cogitationem inuoluit, & nisi virga discreti iudicij aquæ superiores ab inferioribus secernantur subruit funditus, & demergit. Sequitur cumulus tentationum, quasi alter Iordanis, alueus sui metas excedens, & terram corporis nostri eluto plenius occupans, nisi arca Testamenti impetus illius refrenet, & ipsum penitus arefaciat, & exsiccet. Sequitur aculeus molestiarum, qui cùm ingruerit quasi iterum Iordanis Elisæo occurrens, sumendum Eliæ pallium, & mediis fluctibus opponendum, vt quidquid nos temporaliter cruciat, Dominicæ Passionis sapore mutato, noua nobis suauitate dulcescat.*

Mundi insidiæ quales.

Bernard. lib. sententiarum.

Mundo quomodo resistendum.

Virtutes omnigenæ sunt pallium Christi, cuius obsequio retunditur impetus omnis dæmonis insurgentis. Et quia Passio Christi specimen est virtutis omnimodæ; prudenter hodie recolitur ab Ecclesia, vt Christiani audientes Dominum hunc suum illusum & ingloriè acceptum, æquo animo ferant, si vacantes bonis operibus hoc triduo ab impiis illudantur. Satius est nempe sequi Iesum, & hunc illusum, quam bacchari impunè, & suasore diabolo vitiis indulgere. In eo argumento placet symbolum, quo Academia Altorfina suis consuluit discipulis. Pinxit illa delphinum è scopulis præeuntem naui: hæc enim dicitur indoles esse piscis huius hominum amantissimi, vt præstò adsit periclitanti naui mediis in cautibus. Picturæ apponitur hic titulus: TVTIVS AD PORTVM. Id est, præeunte pisce hoc regio securior est nauium appulsus ad portum, quàm eo aliò diuertente. Christus dicitur à Sibylla acrosticè piscis; piscis reuera regius. Ille hodie commemorat angustias Passionis suæ, dum versamur in scopulis voluptatum, quæ toto hoc triduo solent hominum oculis obuersari. Cuinam dare manus operę-pretium est, auditores; Christo, an mundo? Profectò satius est mundi susurrum refellere vocãtem ad scopulos, & auscultare Christo Domino reuocanti. Sic TVTIVS AD PORTVM gloriæ æternæ salutis mercibus appellemus.

Christum sequi tutius est, quàm mundum.

EX SYMBOLIS. *Academia Altorfina lib. symbolorum.*

Si ergo reclamat mundus, & conatur animas inflectere ad sensum illecebræ, cauendi sunt scopuli vitiorum, & pellicientes susurri eius hoc sunt symbolo refutandi. TVTIVS AD PORTVM, Christo præeunte, deuenitur, quàm suasore mundo, cui auscultare perinde est, ac miserè naufragare. Noxia nimirum consortia deducunt homines in confragosa rupium, quibus illisa nauis nostra dehiscit in abyssum, vnde regressus superat omnes hominum nisus. Idcirco Iustinianus Imperator volens consulere sanctitati clericorum, credidit eis fore sua omnia sarta tecta, si edita lege clero praua consortia penitus inhiberet. Ecce edictum. *Certissimè credimus, quia sacerdotum puritas, & decus, & ad Dominum Deum, & Saluatorem nostrum Iesum Christum feruor, & ab ipsis missæ perpetuæ preces, multum fauorem nostræ Reipublicæ, & incrementum præbent: per quos datur nobis, & barbaros subiugare, & in dominium redigere illos, quos antea non obtinuimus, & quantò plus rebus illorum accedit honestatis, & decoris; tantò magis & nostram Rempublicam augeri credimus. Si enim hi prætulerint vitam honestam, & vndique irreprehensibilem, & reliquum populum instruxerint, vt hic ad illorum honestatem respiciens, multis peccatis abstineat: planum est, quod inde & anima omnibus meliores erunt, & facilè nobis tribuetur à maximo Deo, & Saluatore nostro Iesu Christo clementia conueniens. Hac igitur nobis speculantibus nunciatum est, quod quidam ex his non verentur tesseras contrectare, & adeo pudendum, atque ipsis etiam idiotis à nobis frequenter interdictum spectaculum participare, &c. Videntes autem de his factam nobis relationem, in necessitatem incidimus ad præsentem veniendi legem. Sancimus; neminem, neque diaconum, neque presbyterum, & multò magis neque Episcopum, audere de cætero, & post diuinam nostram legem, aut cubitare, id est, tesseris, seu aleis ludere, aut ita ludentibus communicare, aut conuersari, aut vnà recreari, aut vnà cum eis agere, aut eis testimonium perhibere, aut interesse plebeis huiusmodi spectaculis, quæ prius diximus, aut quid eorum, quæ in his prohibentur, facere; sed omni ab illa participio in posterum abstinere.* Hæc ille.

Clericis inhibita praua consortia

EX IVRE CIVILI. *Leg. 34 Cod. de Episcopali audientia, lib. 4.*

Si virtus sanctiorum hominum næuos contrahit, & proscribitur consuetudine hominum nequam; quales fore putas impetus, qui attentabunt in pietatem nondum repetitis actibus obfirmatam. Itaque, ô fidelis anima, recèns initiata virtutum praxi, caue cœtus bacchantium hoc triduo, ne fœta piis votis turpiter abortias. Si mundus perstrependo clamat, inualuisse morem

rem Bacchanalium, diluc instantiam hoc Canone recensito. *Mala consuetudo, quæ non minus, quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab improbis assumitur: & incipiunt præuaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ, pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuo celebrari.* Rursus intorque hoc spiculum ex Iure Canonico. *Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.* Christiane, minórne fides erit tibi pro Domino Iesu, quàm fuerit olim Vriæ pro suo Duce Ioab? Ille Vrias reuocatus ab exercitu, qui cingebat obsidione ciuitatem Rabba, opiparè exceptus est à Rege Dauid, qui suam omnem adhibuit industriam, vt Vrias domum suam repeteret, illicque voluptati operam daret, conscia coniuge Bethsabee. Esto suasore Rege valida fuerit illa tentatio sollicitans animum Vriæ; ille tamen præualuit, animo versans ærumnas obsidionis arctæ, cui instabat Ioab. Quippe suo Duce dura patiente, putauit miles hic strenuus, esse è re sua, cum eo diuidere molestias, nullisque indulgere sensuum illecebris.

Mala consuetudo vitanda.
EX IVRE CANONICO.
Can. Mala consuetudo, dist. 8.
Can. Veritate, dist. 8.
Vriæ fidelitas erga Ioab Ducem suũ.

Præstat audire ex Codice sacro susurrantem Dauid, vt constantiam Vriæ deorsum inflecteret; & quàm cautè miles ille intorta sibi voluptatum spicula declinarit. *Misit Dauid ad Ioab dicens: Mitte ad me Vriam Hetæum. Misitque Ioab Vriam ad Dauid. Et venit Vrias ad Dauid. Quæsiuitque Dauid, quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum; & dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egressus est Vrias de domo Regis, secutusque est eum cibus regius. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum aliis seruis domini sui, & non descendit ad domum suam. Nuntiatúmque est Dauid à dicentibus: Non iuit Vrias in domum suam. Et ait Dauid ad Vriam: Numquid de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? Et ait Vrias ad Dauid: Arca Dei, & Israël, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. Ait ergo Dauid ad Vriam: Manè hîc etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Vrias in Ierusalem in die illa, & altera, & vocauit eum Dauid vt comederet coram se, & biberet, & inebriauit eum: qui egressus vespere dormiuit in strato suo cum seruis domini sui, & in domum suam non descendit. Factum est ergo manè, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab: misitque per manum Vriæ, scribens in epistola. Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium, & derelinquite illum vt percussus intereat.*

2. Reg. 11.
Mundus egregiè figuratus in Dauide tentante Vriam vt voluptati operā daret.

Nota, Dauidem eo nomine pellexisse Vriam ad iura coniugij, vt sic tegeret adulterium suum cum Vriæ coniuge perpetratum. Eo etiam animo nebulones hodie prouocant pios quosque ad epulas, & choreas, ne pœnitentis animæ ritus arguat Bacchanalium mores perditos, & insanos. Nihil nempe adeò rubore suffundit animos in vitia effusos, quàm obuios habere homines emeritæ virtutis actibus assuetos. Dauid è castris Vriam vel inuitum abstraxit; ita & discoli adeò se importunos præstant deuotis Deo viris, vt plerumque reluctantes distrahant ab ædibus sacris, vbi adsistant Missæ, concionibus, & vacant precibus indefessis. Reuera castra Dei sunt hæc. Abstractos à Dei castris homines inscriptos sanctæ militiæ, mundi asseclæ tentant obsoniis allicere: quippe cibos lautiores mittunt, vt vel sic congruo victu videantur Bacchanalia celebrare. Sed esto probi quandoque cibos non respuant missos à voluptatum amatiis; non idcirco covtuntur eis, sed magnâ cautelâ adhibitâ declinant eorum consortium, & quo zelo valent vitia detestantur. Vrgentibus autem nefariis hominibus, & petentibus quare hoc triduo viri pij singularem agant vitam, & damnent vetus Bacchanalium institutum; constantis sibi animi responsio hæc est: Ecclesia hodie commemorat Passionem Christi, quem ex Euangelio inducit ita suos affatum discipulos. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis, tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum.* Absit hoc à me, vt resonante Passione Christi velim laxioris vitæ specimen edere incongruum nomini Christiano. Hodie professores omnes virtutis emeritæ Christum stipant, & ingemunt ei, quia illuditur, conspuitur, & flagris impetitur hoc triduo: volo & his sociari discipulis, abdicato cœtu hominum, qui sibi hoc indixere negotium, nouis veluti plagis Christo inflictis, corpus adhuc multiplici vulnere deformare.

Virtutis specimina edita damnant mala opera reproborum.

Passionis Christi memoria coercet peccandi libidinem.

Luc. 18.

Dauid deprehenso infracto animo Vriæ, molitus est immane nefas; morte nimirum præcoci sustulit hominem innoxium. *Scripsit Dauid epistolam: Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium, & derelinquite illum vt percussus intereat.* Ita vt Bacchantes hoc triduo aduertunt se deseri à probis hominibus, mirum est, quot dicteriis impetant eorum vitam innoxiam, vt sic percussa salibus intereat virtus cuiusque animæ pœnitentis. Verùm enim verò fremit mundus irrito conamine: siquidem homo memor hoc triduo Christum peti conuiciis, æquo animo patitur iniurias sibi illatas intuitu Christi. Anima nempe sacris addicta Dei obsequiis, non minore zelo percita est ad imitationem sospitatoris sui, quàm fuerit olim præfatus Vrias, cuius recolitur vox hæc æterno encomio celebranda. *Arca Dei, & Israël, & Iuda habitant in papilionibus; & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea?*

2. Reg. 11.

2. Reg. 11.

Prædicator, hinc desume argumentum, acriter castigandi mores perditos hominum, quibus hodie gratis & incassum Christi Domini Passio decantatur. Sic increpa ingratos animos. Ioab minimis obsequiis sic Vriam sibi deuinxit, vt patiente Ioab Vrias respuerit illecebras omnes. Et tu, Christiane, redempte Christi sanguine, fugis illi sociari in ærumnis, quas subiit in gratiam tui, qui in tesseram amoris reciproci deberes diras amantissimi Domini molestias semper animo voluere.

* * *

Passionis Christi memoria salutare est antidotum contra virus vitiorum, quæ nos sollicitant.

CONCLVSIO HOMILIÆ.

VSurpata fuit olim ista familiaris industria ad elephantes stimulandos ad prælium, vt sanguinis effusi species obiiceretur his bestiis in procinctu certaminis ineundi. Ita perculere procera hæc animalia præfecti militiæ Regis Antiochi, quos meminit hic contextus. *Comparauerunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt, & elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* Ecclesia Deo afflata hanc adhibet industriam, vt animos addat hominibus, qui hocce triduo vacare volent virtutis operibus. Suspicatur eos manere agones cum patronis Bacchanalium, qui iniquo ferunt animo, aliquos Christianos sese subducere turbis aliorum, qui laxatis verecundiæ repagulis hoc triduo vitiorum omnium nundinas indixerunt. Alma parens præscia fore validos impetus, qui virtutem quatient, operæ-pretium duxit animos fidelium erigere Passione Christi Domini recensitâ. Illa nimirum callens quàm efficax sit sanguinis Christi species obiecta fidelibus, rubentes hodie latices sanguinis huius obiicit omnibus, memoriam mortis Domini refricando. Arbitratur inde fore valentiores animos ad subeunda conuicia, quibus afficiuntur ab impiis omnes, quibus hoc animo insedit, videlicet virtutum omnium praxim, & secessum à turbis hoc effræni triduo profiteri. Quis namque mente reuoluens dira Christi supplicia cunctetur æquo animo occurrere molestiis, quæ lacessunt fideles æmulos huius amantissimi Domini effuso pro nobis sanguine desudantis.

1. Mach. 6.

Si qua præterea sensus illecebra, conductâ prurigine carnis, titillat animam; reuocatâ Passionis ideâ, voluptas omnis penitus euanescit. Experto crede Augustino prædicanti hunc beneficum effectum vulnerum Christi. Sic ille. *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei; & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri, filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus, non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis. Nil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors eius meritum meum, & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea: meritum meum miseratio Domini. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. Etsi misericordia Domini multa, multus ego sum in meritis. Quantò ille potentior est ad saluandum, tantò ego sum securior.*

Passionis Christi memoria compescit impetus vitiorum.
EX SS. PATRIBVS.
August. manuales, c. 22.
Passionis Christi memoria fuit remedium Augustini.

Profectò illa recensio cruciatuum Christi est expedita panoplia contra susurros omnes mundi atque vitiorum, quibus vtitur vt satellitio congruo ad animas callidè seducendas. Nemini nempe vacat epulari, luxuriari, choros agere, vigente memoriâ tormentorum Christi. Nam vt Iudæi audientes Reginam Esther conspersisse caput suum cinere, & induxisse sibi triduanam inediam, vt dictam capitis sententiam in Iudæos delinito Assuero Principe reuocaret; ipsi etiam confestim repudiatis omnibus illecebris, se accinxerunt ad impigrum studium virtutis emeritæ: ita & hoc tempore Bacchanali, pij quique homines meditantes Passionem Christi, in illa reperiunt locuples argumentum vitia omnia debellandi. Audiendus denuò Augustinus, vtpote cui valde fuit familiaris commemoratio Passionis Christi. Ecce salutare pharmacum contra perniciem cuiusque mali industriâ dæmonis instillati. *Non* (inquit) *possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit: quoniam peccata mea illam vincere non possunt. Claui, & lancea clamarent mihi, quod verè reconciliatus sum Christo, si eum amauero. Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intraui, & ibi requiesco securus. Qui timet, amet: quoniam Charitas foras mittit timorem. Nullum tam potens est, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quàm mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in Cruce & expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Saluatoris mei, & viuere volo, & mori cupio. Ibi securus decantabo: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Saluator noster caput inclinauit in morte, vt oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in eius amore compungimur.*

Passio Christi pharmacum contra vitia.
Aug. Manual. c. 23.
Passionis memoria remedium contra desperationem.
Psal. 29.

Fuit hoc vetus Persarum institutum, vt mortuo Rege faces extinguerentur, & in signum luctus vltrò assumpti omnia nigricarent. Nec citra piaculum quispiam habitu læto tentasset prodire foras. Eodem intento necem Christi hodierna die mentibus ingerit Ecclesia, volens extingui cuncta libidinis incendia, vt sunt choreæ obscœnæ, epulæ superfluæ, turpia effata, oscula, tactus, aspectus, & alia omnis fœda supellex Veneris inhonestæ. Annuunt hisce piis Ecclesiæ votis plerique homines diuino flamine perciti: vtpote compositi austero habitu pœnitentum. Et ne suo intento caderet Ecclesia, speciali Canone cauit olim vt clerus ab hoc die Quadragesimam velut auspicatò inciperet, vt sic præiret aliis hominibus prauis actibus occupatis. Ecce Canonem. *Denique sacerdotes, & diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Ecclesiastici gradus exornat, à Quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant, quo & aliquid ad pensum sanctæ institutionis adiiciant, & eorum qui in laicali ordine consistunt, obseruantiam sicut loco, ita religione præcellant.*

Clerici à Quinquagesima ieiunent.
EX IVRE CANONICO.
Can. Denique, dist. 5.

Esto carni sit amara voluptatum secretio; ille tamen sapor ingratus pœnitentiæ corrigitur frustulo tantùm Crucis iniecto, vt arte Medicâ ligna quædam aromatica pharmacis adiecta demunt malitiam remedij, sic congruè propinari. Eò spectat illa cautela Vatis legiferi, qui aquas amaras Maran maleficas vtentibus, iniecto stipite dulcorauit. Illud idem mysterium suspicatur Ambrosius ita commentatus. *Filij Israel peruenientes ad Maran, cùm præ amaritudine aquam haurire non possent, iniecto in eam per Moysem lignò dulcedinem suauiter potauerunt: austeritatem, quam noxia vnda gestabat, ligni abstulit sacramentum; hoc quidem in figuram factum puto*

Crux est pharmacum salutare contra vitia.
EX SS. PATRIBVS.
Ambr. ser. 45. Quadrag.

nequam enim amaram legem esse arbitror Veteris Testamenti, quæ lex prius quàm Cruce temperaretur Domini, erat immitis; iubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente: at verò vbi ligno Euangelicæ prædicationis est temperata, statim amaritudinem suam suauitate commutans, dulcem se cunctis præstitit ad potandum, vt ait Propheta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Dulcia sunt eloquia, quæ iubent: Si quis te percusserit in vnã maxillam, præbe ei alteram: Si quis aufert tunicam, relinque illi pallium. Nota, lignum Crucis esse velut summam prædicationis Euangelicæ, & hoc ligno acerba omnia mitescere: quippe pudet hominem suos humeros subducere Cruci, quam Christus subire hominum causâ minimè detrectauit.

Auditores, si hoc triduo ferociunt impij debacchantes in secessum vestrum, & propositum constans adhærendi Christo; versate animo Crucem, illam obiicientes eâ parte, quà maximè viget impetus dæmonis insurgentis. Ita Constantinus in acie directa contra Tyrannum iussit labarum Crucis procedere in cuneos fortiores, vt obiectu ligni salutaris inimica agmina superaret. Eo Marte Bacchanalia delentur hodie ab Ecclesia cælitus erudita. Prælegitur Euangelium Christi acti in Crucem, fit mentio Domini huius illusi, consputi, flagellati, vt ea supellectile agonum eius, minus negotij facessant vitia, crebris quandoque suis nisibus importuna. Si quis itaque deliros homines patitur iniurios, hanc ille Crucem alacriter tollat; futurus ita comes Christi, Crucem, spinas, & alia salutis nostræ grauia pondera baiulantis. Non dedignetur homo Christianus malè excipi, calles obeundo Christi; non detrectet subire Crucem, cuius tessera à teneris vnguiculis omnium fidelium frontibus obsignatur. Quid nempe prodest corpori signaculum illud inurere, si piget Christum crucifixum, quem Crux suggerit, imitari.

Crux à Constantino obiecta inimicis.

Fauet illa parænesis Chrysostomi. *Neminem pudeat horum salutis nostræ symbolorum, atque signorum, sed veluti coronam, sic læto animo Crucem Christi circumferamus, omnia enim, quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur: nam cùm regeneramur, Crux Christi adest, cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper, id victoriæ nobis insigne assistit. Quapropter, & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque, & mente, magno studio Crucem inferamus: id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis, atque humilitatis Domini signum est. Quando igitur Cruce te signas, magna tuam frontem arma fiduciâ, libertate animum munias; nec enim latent te, quænam sint, quibus libertati donati sumus. Paulus enim cùm ad capessendam veram hanc libertatem nos hortaretur, ad Crucis memoriam reduxit, dicens: Pretio empti estis, non sitis serui hominum. Pretium autem hic appellauit Crucem, quam non simpliciter digito in corpore; sed magna profectò fide in anima formare oportet; nam si eo modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cùm hastam viderit. qua lethale vulnus accepit, congredi tecum audebit.* Hactenus ille Crucis egregius encomiastes.

Chrysost. hom. 55 in Matth.
Crux adhibetur in administratione omnium sacramentorum.

Ne itaque Crucis commemoratio facta hodie prætereat cassa; è re vestra est, auditores, eius oneri submittere humeros vestros, aliàs inglorie iugo dæmonis assuetos. Hoc præstabitis insigne facinus, si reprobis hoc tempore choros agentibus, adipe lucidis, vinoque madidis; vos castè & sobriè victitantes, vt sequaces Christi decet, bonis actibus insudetis. Proderit meditari dispària fata, quæ excepere milites conscriptos à Dauide Rege, & Absalone eius filio perduelli. Absalon osculis, amplexibus, atque pollicitis populum conciliauit sibi, à quo & vicissim inauguratus est in Regem homo ille nequam, qui torum patris sui solio pulsi nefandos scelere maculauit. Tota tripudiante Ierosolyma, celebrata fuit turpis illa populi defectio à Rege suo Dauid, qui obortis lacrymis, & habitu miserando, sibi fugâ consuluit. Hoc tamen discrimen intercessit inter illos, qui varias secuti sunt partes, quòd scilicet illi pauci, qui stipauere Regem, fuere viri fortissimi, & lectissima militum manus; alij verò stantes à partibus Absalonis fuere quidem numerosi, sed inepti ad grandia facinora; siquidem virtus atque perfidia non coëunt. Quodque magis commendat fidem agminis regij, sors deploranda Regis arctiore nexu ei milites obstrinxit, quibus res longè potior extitit seruare fidem Regi etiam exauctorato, quàm luxuriantis fortunæ vices cum Absalone & aliis perfidis experiri.

Absalonis perfidia in Regẽ Dauid.

Quia hæc figura belle refert statum Bacchanalium, præstat illam referre integram ex Codice sacro, vt sic facta liquidior, intento meo quadret, & temporis hodierni speciem graphicè delineet, sicque fiat idonea moribus informandis. Sic sacra concinunt oracula. *Misit Absalon exploratores in vniuersas tribus Israël, dicens: Statim vt audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnauit Absalon in Hebron. Porrò cum Absalon ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes. Accersiuit quoque Absalon Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid, de ciuitate sua Gilo. Cùmque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalon.* Ecce quibus auspiciis mundus homines inducat ad defectionem à Deo, instante tempore Bacchanalium. Mittit exploratores in vniuersas tribus, homines nimirum conducit compositos in omne nefas, qui omnium fidelium animos inuestigent, sint in Bacchanalia proni necne. In hac serie exploratorum principem locum tenent, parasiti, aleatores, personati quique homines, & tripudia amantes asseclæ chorearum. Hi omnes tragœdias excitant imminente Quadragesima, imò & clangente buccina clamant esse rebus seriis ferias indicendas. Quod perinde est, ac dicere regnaturum breui Absalonem, id est nequitiam, gulam, & omnium vitiorum licentiam. Nescio quo fato plerique simplices & minimè mali homines auscultent hisce susurronibus, specie animos innoxiè relaxandi.

Absalonis industria ad dementandos homines.
2. Reg. 15.

Rebus ita compositis litatur illecebræ, victimæ aptantur in gratiam ventris; nempe instruuntur epulæ, exercentur ad saltationem pueri & puellæ, explicantur ad choreas splendidæ vestes, & variæ alearum tesseræ producuntur. Dum illa celebrantur profana Bacchanalium sacra, fit valida coniuratio in optimum parentem, videlicet Christum, & præualente vitio, mundi partes sequuntur infiniti propè homines, qui vt impunè genio indulgeant, obsequium Dei turpiter abiurarunt. Coniuratur autem in Christum, cùm impij desertores castra mundi petiût, & repudiato Dei cultu, sese præcipites agunt in spurcissimam

Bacchanaliũ descriptio.

vitiorum

vitiorum omnium colluuiem. Itaque ſequaces Chriſti, cùm audietis eſſe dandas inducias virtutum praxi, hoc triduo inſtituto ad inaugurandum infuſi Abſalonem, id eſt, ad remiſſionem animæ; cauete vobis,& aures occludite illi buccinæ perſonanti. Ille ſiquidem clangor iniurius eſt Chriſto, & in caput eius hominum corda ſollicitat, illique magna virtus ineſt ad ſimplicium corda noxiè penetranda.

Ecce præambulum tragœdiæ, pergamus ad alium actum ſacro Codice recenſitum. *Venit nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalon. Et ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem: Surgite fugiamus, neque erit nobis effugium à facie Abſalon: feſtinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij.* Ingraueſcente clade animarum, quas petulca vitiorum licentia in abruptum defert, Chriſtus ſuos commilitones vrget ad fugam cito citius ineundam. Non eſt quippe tutum conuiuiis nefariis hominibus, quorum commercio quidpiam labis & maculæ, eorum ſociis affricatur. Ideoque res eſt plena periculi probis hominibus adſtare hoc triduo ſpectaculis perſonatorum, & intereſſe ludis vbi promiſcuè viri & fœminæ deſipiunt. Proxima namque ruina manet eos, qui non declinant illa mala conſortia, nec effugium eſſe poteſt illi, qui cunctatur inire fugam, ad quam à Chriſto Domino prouocatur. Et reuera fugæ remedium præſentiſſimum eſt contra virus licentiæ effrænis, quæ mundi mancipiis hoc triduo permittitur. Igitur hac cautela tibi conſule, Chriſtiane. Surge, fuge, feſtina egredi, ne fortè tripudiantes, & aleatores occupent te incautum, & impellant ſuper te ruinam, à qua reſurgere diuinum eſt negotium non humanum.

2.Reg 15. Mundi fuga ſuadetur.

Ad maturè capeſſendam illam fugam maximè proiiciet recolere opportunam iſtam Ambroſij ſententiam, qua ſtimuli adiiciuntur pigris hominibus. Sic ille. *Qui fugit, velociter fugiat ne comprehendatur, velociter deprædetur hunc mundum, vt Hebræus Ægyptum. Qui parturit, pariat, ne onuſto, & degrauato iniquitatibus mentis vtero, fugere non poſſit, & fugiat non quaſi lactentem ferens, ſed quaſi expeditum, non paruulum geſtans, ſed perfectum in Chriſto exhibens. Fugiat non quaſi feriatus in ſabbatho, ſed tanquam operarius in negotio, nec tanquam ſterilis in frigore, ſed tanquam opimus in meſſe. Ideo enim dictum eſt: Orate ne fuga veſtra fiat hyeme, vel ſabbatho. Fuga hæc neſcit frigus timoris, contractionem ſollicitudinis, diſſolutionis otium, laſciuas ferias; ſed vita cæleſtis impigrum requirit viatorem. Deſertum fuga eſt bona, ad quod fugit Elias, Eliſæus, Ioannes Baptiſta. Fugit Elias mulierem Iezabel, & fugit ad montem Horeb, vt cognoſceret Deum plenius. Ita fugit ſæculum, vt nec cibum corporis exquireret, niſi quem aues detuliſſent miniſtræ. Quadraginta diebus ambulauit: vtique non mulierem fugiebat Propheta tantùm, ſed ſæculum. Fugiebat ſæcularem illecebram, & conuerſationis maculoſæ contagionem, & impiæ & præuaricatricis nationis ſacrilegium. Salomon quoque in mulieris illius ſpeciem corruptelam ſæculi huius exponit, & meretricias artes declinandas edocet. Hæc eſt mulier aliena, & fornicaria, à qua te vt caueas adhortatur. Nec declines in vias ſæculi cor tuum, ſed colloces illud in manu Domini, in qua eſt cor Regis.* Profectò qui ſecus faxit, id eſt, qui longiores in ſua fuga moras nectet, ille patietur impetus Abſalonis. Et hos impetus excipiet ruina deducens animam ad ſua ſuprema fata.

Ambr lib. de fuga ſæculi, c.6. Mundi fuga debet eſſe velox.

Mundi fuga in praxim reducta à Prophetis.

Dauide ſuadente fugam, quales ſe præſtiterint fideles eius ſerui, eſt tertius actus huius ſcenæ, cuius ecce ſpeciem adumbratam. *Dixerunt ſerui eius ad eum: Omnia quæcunque præceperit Dominus noſter Rex, libenter exequemur ſerui tui.* O vocem indicem animi benè affecti erga ſuum dominum! Vtinam Chriſtus Dominus in nobis hodie tales eſſet nactus ſeruos, qui ad arbitrium Domini ſeſe totos cito citiùs informarent. Hanc ego vocem à vobis efflagito, ô fideles amaſij Chriſti! Prouocat ille ad receſſum à turbis bacchantibus. Quid cunctamini votis eius annuere citum obſequium impigrè profitendo? Eia ſaltem corde tenùs concinite ſeruis Regis Dauid, conclamantes. *Omnia quæcunque præceperit nobis Dominus Rex noſter, liberè exequemur.* Hoc concepto propoſito illa animi præparatio reducetur ad praxim, Deo vrgente fugam ſæculi, animaque Bethſamine perſeita æmulam ſe præſtabit ſeruorum Dauid. Quid illi præſtiterint, audi. *Egreſſus eſt ergo Rex, & vniuerſa domus eius pedibus ſuis, & vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi, ſexcenti viri, qui ſecuti fuerant eum de Geth, pedites præcedebant Regem.* Parua ſanè manus militum illa fuit, ſed lectiſſima. Nemo ſiquidem vecors ſe comitem Regi afflicto adiecit; ſed omne robur regni fuit cum Dauide. Ita hoc triduo Bacchanalium Chriſtus abigitur à cœtu bacchantium, illuditur, conſpuitur, & virgis inflictis membra eius lacera cruciantur. Quiſquis ſpretis ſenſuum illecebris ſeſe illi comitem adiunxerit, profectò ille conſtantis animi neſcij voluptatis proferet argumentum.

Reſignatio præſentiſſima ſeruorum Dei. 2.Reg.15.

2.Reg.15.

Quiſquis Chriſto malè habito hoc tempore ſociari dignabitur, ille erit de domo regia, id eſt, de prælectis à Deo. Non eſt prætereundum inſigne amoris argumentum, quod præſtitit vir nobilis. Ecce facinoris admirandi contextum ex ſerie eiuſdem hiſtoriæ. *Dixit autem Rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiſcum? reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egreſſus es de loco tuo. Heri veniſti, & compelleris hodie nobiſcum egredi: ego autem vadam, quo iturus ſum, reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum miſericordiam, & veritatem, quia oſtendiſti gratiam, & fidem. Et reſpondit Ethai Regi, dicens: Viuit Dominus, & viuit Dominus meus Rex: quoniam in quocunque loco fueris, domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. Et ait Dauid Ethai: Veni, & tranſi.* Non deerunt dyſcoli homines, qui pœnitentes hoc triduo ita compellabunt. Heri nobiſcum fœdera iunxiſtis, eodem ſpiritu afflari anhelo in voluptates & Bacchanalium tripudia. Vnde emerſit ex improuiſo animus ille refuga deliciarum? Quis vos compulit egredi, inſalutato velut hoſpite, vt adhæreatis Chriſto tot hodie flagrorum ictibus impetito? Ad propria repedate, & fratres veſtros adducite, Chriſtianos ſcilicet omnes veſtri conſcios inſtituti.

Ethaï Gethæi amor inſignis erga Dauid. 2.Reg.15.

O anima Deo parte ſata, occurres illi ſuſurro diaboli, petito Chriſti ſuffragio, & ſic illum compellando Regem Regum. *In quocunque loco fueris Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus.* Mundus inſanat ad arbitrium

Crucis ſeu Paſſionis Chriſti imitatio.

suum, & deliciarum omnium floribus vernet, nullo remorante fastidio gestiat, atque tripudiet, tota illa voluptatum illecebrosa supellex animi propositum non inflectet, vt stem à partibus eius, tua iura, Christe Deus, impiè denegando. Esto nihil nisi flagra spires, & prætendas spinarum aculeos, vni tibi velificabo ex animo; potius namque mihi est stipare Regem afflictum, quàm tripudianti mundo rebelli turpiter ancillari. Pergit textus sacer. *Transiuit Ethai, & omnes viri qui cum eo erant. Omnésque flebant voce magna, & vniuersus populus transibat. Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus succedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. Venit autem & Sadoc sacerdos, & vniuersi Leuitæ cum eo, portantes arcam fœderis Domini, & deposuerunt arcam Dei.* Profectò fuit magno solamini afflicto huic agmini habere sacerdotes obuios, & salutarem arcam Domini præferentes. Præfatus sum, vigente Iure Canonico, clerum, id est, sacerdotes & Leuitas incepisse ieiunium à Quinquagesima, quod perinde est, ac stipare Regem Christum felle & aceto potum. Præterea haudquaquam res insolens est videre hoc triduo sequaces Christi cum eo transuadare audacter flumina lacrymarum. Illorum quippe nemo potest temperare sibi à lacrymis, dum recolit Christianos, hoc triduo dedisse libellum repudij virtutibus, & pudori, vt exundante vitio fas sit iniqua omnia perpetrare.

2. Reg. 15.

Eucharistiæ sumptio est magno solamini animæ pœnitenti.

Mœroris huius iniquum solatium est fœderis arca, sacra videlicet Eucharistia, quam sacerdotes quibusque pœnitentibus administrant. Dum namque reprobi suas hoc tempore prodigentes opes sese opiparis dapibus ingurgitant, Christi discipuli sectatores sobrietatis, carnis inediam vltro patiuntur, viuifico Christi corpore saginantur. Dumque nebulones suorum sodalium consortio gestiunt, iusti sacerdotibus, & Leuitis adstant, vtpote præsentes horis canonicis, blasphemias impiorum, laudibus, hymnis, & canticis congruè castigantes. Tandem luctuosa fuit catastrophe sortis antea rutilantis, qua perduellis Absalon diademate insignis cæteris eminebat. Vindice quippe Deo pendulus è quercu, triplici lancearum cuspide confossus decoram diri animam perditus exhalauit. Populus verò conscius defectionis eius partim gladio vitore occisus, partim in saltu, nescio quo fato, sublatus est è medio. Ita sacer textus. *Fuit ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos saltus consumpsit de populo, quam hi quos vorauerat gladius in die illa.*

Absalonis mors ingloria.

2. Reg. 18.

Hoc triduo auctores defectionis à Deo transfixas habent animas innumeris ferè spiculis, quibus animus inquies anxiè cruciatur. Consortes etiam piaculi eiusdem multiplex vitiorum gladius enecat. Sed omnis illa clades epularum, & aleæ non accedit ad extremam labem, quam saltus adfert.

Chorearum pernicies.

Declamatio in saltationes & choreas maximè vsitatas ante Quadragesimam.

DEficiente Absalone à Rege Dauid, & impunè delinquendi concessâ licentiâ, plerique gregarij homines defectionis iniquæ conscij sese rebellanti comites adiunxerunt. Quonam verò fato defectores illi perierint, satis superque clamat textus ille sacer, qui concurrentes acies sic describit. *Fuit ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos saltus consumpsit de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa.* Præfatus sum, totam illam tragœdiam rebellionis huius esse ideam Bacchanalium, vbi Deo bellum indicitur à reprobis, quorum maius exterminium fit in choreis & saltationibus, ibi potissimùm dæmone præualente.

Saltus quid sit.

2. Reg. 18.

Vt autem congrua sit allusio saltationis, & chorearum ad saltum vbi populi strages edita est, accipe quid sit saltus. Ex Varrone & Ælio, saltus est locus incultus propter syluas, vbi & pecori libera pascendi copia conceditur. Vnde & saltus ob ferarum pascua, venatoribus maximè commendantur. Hinc est illud Virgilij.

Varro de lingua Latina. Ælius lib. 2. significationū.

------ *Magnos canibus circumdare saltus.*

Virgil. lib. 1. Georgic.

Cui & adiice Ouidium memorantem saltus velut idoneos venationi.

Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos?

Ouid. epist. 5.

Quia plerumque latrones sese recipiunt in saltus, homines iugulandi gratiâ; ideo saltus vt infames, & damnosi malè semper omnibus audierunt. Sapitque prouerbium, dicere aliquem esse eductum de saltu. Eleganter illo adagio vtitur Plautus ita fatus. *Meque vt eum ex hoc saltu damni saluum eripiam foras.*

Plaut. Men. scen. 6. act. 5.

Suspicor ego, rebellem populum fugientem gladij victoris aciem, tumultuariò sese recepisse in saltum, vbi lacunæ, & dehiscentis terræ incultæ præcipitia inuia oculis ob senticeta transfugas absorpserunt. Fortè etiam plurimi, latitantes in saltu feras experti sunt vindices suæ perfidiæ. Quatuor ex præfatis attendam in saltu, quæ referam ad saltationes, & choreas. Primò dicam, saltus esse receptacula ferarum, & latronum. Secundò monebo, cauendos dæmones, qui vt canes venatici cingunt saltationes, & choreas. Tertiò lacunas aperiam, quas stabulans aqua defodit, cœno illic plurimo residente. Quartò concludam non posse caueri præcipitia, quæ infestant saltus, ac proinde satius esse citò resilire à senticetis illis, quàm inconsultè loca illa saluti inuia frequentare.

Dixi, saltus esse receptacula ferarum, & latronum; & hæc est definitio chorearum: illæ nimirum concludunt homines, qui caprearum more saltant, fortasse verius dixeris insanire. Ita Alphonsus Rex argutè lusit, visa fœmina saltatrice. Nempe casu deueniens in locum, vbi adunati plures homines mirabantur fœminam componentem suos saltus & incessus ad modulos periti tibicinis, finito tripudio, Alphonsus ait. *Sustinete paulisper, Sybilla suum reddet oraculum.* Id est, iamiam insaniet. Namque ritus ille fuit olim insolitus fœminis fatidicis, vt saltarent mente captæ, & sic præeunte insania, congruo carmine prophetarent. Cùm itaque videris homines in gyrum actos choreis affici, pronuntia audacter esse pecora, imò quidpiam infra pecus; quia quòd feles, simiæ, canes, & capreæ saltationi vacent, nemo ducit probro bestiis, quibus ita natura indulsit: homini verò res est prorsus ingloria, deposito velut rationis vsu in gyrum turpiter agi, & ita saliendo bestias æmulari. Non ergo ineptè dictum, choreas esse receptacula ferarum, cùm illic hominem exuant omnes, qui saltationi incumbunt. Adieci, latrones intimis sese saltibus abdere, vnde erumpunt

Alphonsi Regis dictū egregium in choreas. Panormit. in vit. Alphonsi.

Choreas agere insanire est.

erumpunt infesti viatoribus, qui se accingunt ad prætereundos saltus illos; ideo infames, ob discrimen animarum, quas prædones exerto gladio sustulerunt. Et hoc sanè quadrat saltationibus, & Choreis: illic enim frequentes adsunt Veneris asseclæ texentes insidias, easque multiplices inclytæ castitati. Lubricis hisce hominibus vtitur dæmon, vt canibus venaticis, qui puellas caprarum more lasciuientes in orchestra lacerant.

Chorearum mala.

Subieci, lacunas esse in saltu. Habet & saltatio suam colluuiem, vitiorum scilicet omnium fœtida volutabra. Nempe vigent illic obscœna colloquia, resonant blasphemiæ, detrahitur illic hominum famæ, vt & ibidem ebulliunt rixæ, & choreæ plerumque rubent effuso sanguine cruentatæ. Cùm itaque mala tot & tanta coëant ad choreas; res est operosa & præter hominem cauere voragines, in quas præcipites abeunt omnes impij saltatores. Ne declamationem istam suspiceris esse zelum & liuorem Capucini supra modum vitia detestantis, accipe censuram hominis, qui & ipse frequens adstitit hisce tripudiis. Ilic est Petrarcha, quem tandem aliquando pœnituit lectissimos quosque dies vernantis æui sui sæculo deuouisse. Sic ille inuehitur. *Ex choreis nihil vnquam nisi libidinosum, ac inane spectaculum, honestis inuisum oculis, viro indignum. Corpus animum regit, ac detegit, manuum iactatio, pes mobilis, oculus vagus, ac petulans tale aliquid arguunt in animo esse, qui non cernitur. Itaque cauendum valde est modestia cultoribus, ne quid effœminatum agant, aut loquantur. Occulti enim affectus, & pectorum latebræ sæpe paruis indiciis patescunt, motus, sessio, accubitus, gestus, risus, incessus, sermo, signa sunt animi. Dulcedinem ex choreis captas. O dulcedo ridicula! finge enim te choream ducere, & videre, atque ita stultas mulierculas, & viros mulierculis molliores in silentio circumferri, redire, ineptire, quid quaso vnquam absurdius, aut delirantius vidisti? Nunc motus inconditos, lyra sonus, aut tibia, hoc est, amentia vna aliam tegit. Non tam ibi delectatio præsens est, quàm sperata delectationis auspicium, Veneris praludium illud quidem, sono stupidas, ac misellas circumducere, atque vrgere, & stringere, ac specie vrbanitatis atterere. Libera ibi manus, liberi oculi, libera volant voces, pedum strepitus, & multorum cantus dissoni, & tubarum clangor, concursatio, & puluis, & quæ sæpe ludis additur hostis pudicitiæ, & amica scelerum nox ipsa. Hæc sunt, quæ timorem, ac pudorem pellunt, hi sunt libidinum stimuli, hæc laxamenta licentiæ. Et hæc est, ne me falli faciles putes, illa delectatio, quam simpliciter, & velut innocuè chorearum appellatione profitemini, & ludi tegmine crimen obnubitis.*

Chorearum damnatio.
Petrarcha Dialogo 24. de choreis.

Chorèç quare damnãdæ.

Credidit Petrarcha verè nasutus homo, in hoc lubrico nutare vestigia, & libidinem esse caput omnium rerum, quæ chorearum specioso tegmine delitescunt. Eamobrem rigidus ille censor, nec probauit saltationes, quæ à masculis fiunt seorsim à fœminis, & vicissim; quippe ratus est, huiusmodi ludos esse vitiorum noxia rudimenta. Sistendus ille sic declamans. *Etsi solos inter viros, seu solas inter fœminas hæc nonnunquam fiant; illic tamen separatim exercentur. Quidue congressi iterum acturi sint, simul discunt, ceu discipuli, qui magistro absente, quid eo reuerso loqui debeant meditantur. Tolle radicitus hanc speciem ingeniosam atque improbam; tolle libidinem, sustuleris & choream. Si delectant choreæ, propter aliud delectant, per se enim tota quidem insulsa res est, & plus tædij allatura quam gaudij. Nam quid omnino est aliud in gyrum volui, quàm excire vertiginem, sineque termino viam ire? Hic ludus multorum dedecorum causa fuit. Sæpe ibi matrona diu seruatum decus perdidit. Sæpe infelix virguncula ipso nuptiali die didicit, quod melius ignorasset.* Est sanè fides adhibenda viro huic ludicris olim omnibus assueto.

Petrarcha vbi supra.
Chorearum & libidinis nexus indiuiduus.

Inuectiua in saltationes & choreas.

EX ANTIQVITATE PLVRIVM NATIONVM.

Ex ANTIQVITATE
Choreæ à Græcis vnde nuncupatæ.

GRæcia arbitrata, nomenclaturam rerum esse sui iuris, congrua nomina inussit singulis quibusque rebus; ita probans se dignari Palladis influxu vtique singulari. Itaque Gens illa loquax & garrula, rimans præcipuum chorearum ingenium, subodorata est in ludicra illa iactatione corporis indolem hominum ebriorum. Eamobrem nomine consono tripudiare seu choreas agere dicitur Græcis, ὀρχεῖσθαι ἀπὸ τῶν ὄρχων, id est, à foueis, quibus vinearum surculi committuntur. In his vinearum ordinibus veteres Baccho litabant, chorosque ducebant ebriorum more, quibus vapescente vino corporis habitus inquies suggerit in gyros agi, & vario schemate commoueri. Benè, necne tripudia nuncuparint Græci, penes peritos iudicium esto. Ego meum calculum illi nuncupationi adiicio: nihil namque chorea sapit mihi præter ideam hominis nimio epoto vino crapulà desudantis. Adstipulatur Homerus dicens, saltationes fuisse appendices epularum. Luxus etiam ille sese insinuauit in Iudæam, vbi Herodes natalis conuiuij sui decus voluit esse inductæ saltatricis habitum indecorum. Vtque radicis virulentæ noxij sunt surculi; ita & saltantis puellæ tripudium lethale fuit Ioanni Baptistæ, in cuius illa caput saltatio noxia conspirabat.

Choreæ ebriorum hominum speciem referunt.
Choreç omnium appendices epularum.
Homerus lib. 8. Odyssea.

Illi ebrietatis suspicio in saltante fuit ominosa viro alioquin ingenuo scilicet Hippoclidi, qui cùm deperiret filiam Clistenis, & ab eo sponsionem accepisset instantis coniugij: iuuenis ille imprudens, intempestiuè saliens apud Clistenem futurum socerum suum, grauiter illum offendit illa indecora iactatione corporis: ideoque Clistenes eo repudiato dixit in illum sententiam istam. *Hippoclides hodie matrimonium malo omine desaltauit.* Ita Herodotus.

Hippoclidis mulcta ob saltationem.
Herodotus in Erato.

Roma Græciæ simia, vtpote ad cuius æmulationem se totam composuit, de choreis malè sensit, vt Cicero palam facit, carpens Gabinium virum Consularem eo quod saltasset. Scipio Æmylianus Romanæ disciplinæ rigidus assertor vetuit, ne pueri ingenui adstarent tripudiis ludicris histrionum. Quod facinus luculenter meminit Macrobius. Austerus ille ritus Romanorum viguit etiam sæculo Domitiani Principis effusi in omne scelus. Is nempe Senatu mouit Patricium, quia choreis nimium indulgebat. Censuram hanc Suetonius abundè commemorat. Nonne & Cato Murænam detulit, quòd saltasset in Asia, sic nomini Romano grauem inurendo

Gabinio probro datum quòd saltasset.
Cic. orat. in Pisonem.
Scipio Æmylianus damnauit choreas.
Macrob. lib. 3. Saturnal. c. 14.
Domitianus in choreas animaduertit
Suetonius in Domitiano, cap. 13.
Muræna delatus ad Senatum ob choreas.

rendo labem. Quem vt Cicero Catonis eriperet iniuriis, non ausus est Murænæ tripudium defendere, causas aliquas remissionis animi congruè prætexendo. Sed quia Catonem erat nactus actorem magni nominis; audacter crimen obiectum tentauit refellere, Patribus insinuans, illud graue scelus non cadere in homines probitatis eminentæ, cuius Muræna hactenus indubia dederat argumenta. Ita Murænæ causam egit ille Patronus eloquentissimus. *Nemo saltat sobrius, nisi fortè insaniat, turpium deliciarum comes est saltatio.* Quasi diceret: Memores estote, Patres conscripti, Murænam benè semper audiisse, nullique fuisse vitiis obnoxium, ac proinde piaculum ei obiectum, esse figmentum merum potius quàm verum admissi criminis argumentum. Sallustius etiam Semproniam matronam aliunde laudabilem notat, quòd fuerit nimiùm dedita saltationi. Sic ille. *Sempronia multa virilis audaciæ commiserat. Hæc mulier genere, atque forma, præterea viro, liberisque satis fortunata fuit, literis Græcis atque Latinis docta, psallere, cantare, & saltare elegantius, quàm necesse est probæ, quæ luxuriæ instrumenta sunt.*

Cicer. orat. pro Muræna.

Sempronia notata ob saltationem. Salust. in Catilinam.

Non sunt in hac alea prætereundi Ægyptij, quibus adeò putuere tripudia, vt seuerâ lege fuerint illis populis interdicta. Ne quis locus aliquando foret relictus tripudio, solenni fuit edicto cautum, ne pueri musicis incumberent, quia credidere, periculum chorearum ob accentus musicos imminere. Esto celebres sint illæ obseruationes peruetustæ, quæ chorearum studium damnant, potior est apud me ritus chorearum à diabolis adhibitus in Bacchanalium sacris, vbi Bacchantes saltatione obscœnâ pudori, & virtuti velut emortuæ parentabant. Non ergo mirum si declamo hodie contra ritum à diabolo inuectum; quippe fuit olim cautioribus mundi Gentibus improbatus. Præter Bacchas mulieres singulis quibusque trienniis insanientes in honorem Bacchi, dæmon habuit alios sacrificulos saltationes litantes sibi. De Bacchis circumfertur illud Ouidij, de Bacchis Ismariis, quæ crine exparso, thyrso instructæ, furibundæ circumibant Ismarum montem Thraciæ fœcundis vitibus oblitum.

Ægyptij dānauere choreas. Ex Diodoro Siculo, lib. 2. ca. 3.

Bacchæ mulieres quænam fuerint.

Vtque tuo motæ, proles Semeleya Thyrso.
Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ.

Ismarus mōs vitibus & quasi Baccho sacer.

Quid nomine Thyrsi Vates intelligat, variant interpretes. Thyrsus nempe duo significat. Primò, stipitem caulis cuiusque, id est, illud in herbis, quod in virgulæ modum surgit. Ita thyrsum Plinius vsurpauit. *Inuenimus* (inquit) *omnes thyrsos, vel folia lactucarum prorogare vrinas ..., ac recentes in patinis coquere.* In eo sensu, saltatrices hæ feminæ diffluente comâ, instructæ vario graminum stipite vagabantur. Præterea thyrsus est hasta aculeata hederis obtecta, quâ Bacchus armatur in tabulis, vnde & thyrsiger appellatur. Ita Seneca.

Thyrsus quid sit.

Plin. l. 19. c. 8

Candida Thyrsigeri proles.

Bacchus dictus Thyrsiger. Senec. in Medea.

His indubie hastis sese accingebant Bacchæ insana sua Orgia celebrantes. Vbi aduerte, illa sacra Bacchi peracta choreis, & petulcâ saltatione fuisse dicta Orgia, id est, furibunda, & insana ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est, à furore, & insania. Quasi saltare, & choreas agere perinde esset, ac furere, & turpiter insanire. Ideoque lepide Cicero conuicium Catonis in Murænam diluit, quem Cato saltatorem nuncuparat. Nempe probans Murænam non esse insanum, intulit inde Murænam ab actore iniuriò dici incongruè saltorem. Tyrsus, id est latens telum, quod implexa hedera protegitur, quatiebatur à Bacchis, sed in choreis Bacchanalium longè deteriora tela quatiunt fœminæ saltatrices. Namque salaces illæ mulieres exerto sinu, scintillantibus oculis ignea cuspide tela vibrant, quibus saltantium corda noxiè terebrantur.

Orgia sacra vnde dicta.

Habuerunt & choreæ sectatores alios scilicet Corybantes, eodem scilicet diabolo institutore satos. Fuerunt illi sacerdotes Cybeles, qui diabolico furoris æstro pereiti tympana pulsabant, crebrâ capitis & membrorum omnium iactatione corpora fatigantes. Dicti sunt Corybantes ἀπὸ τοῦ κορύπτειν, quod est, iactare caput. Et quia capitis illa iactatio familiaris saltantibus suspicionem facit insaniæ, κορυβαντιᾶν significat insanio, quosque furentes aduertimus, hoc Corybantes consonò tenera titulo nuncupamus. Corybantes Idam Phrygiæ montem incoluere primo, & inde in Cretam transfretantes, suis illic tripudiis & choreis docuerunt homines insanire. Meminit hos dementes homines Strabo. Pudiut & Romanos insana non celebrare sacra, quæ dixere Lupercalia, instituta in honorem Panos dei pastorum, cuius est arcere lupos. Eamobrem à lupis abacti Lupercalia sacra in fastis apposito nomine recensentur. Sacerdotes dij huiusce fictitij, nudi vrbe tota choros agebant, obuios quosque ferientes caprarum exuuiis, sed præcipuè lasciuiebant fœminis occurrentes. Fuerunt & Salij homines in honorem Martis vrbe tota salientes. Vtrosque Virgilius commemorat.

Corybantes quid olim.

Corybantes vnde dicti.

Strabo lib. 10.

Lupercalia sacra quænā fuerint.

Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos.

Luperci quinam fuerint. Virgil. 8. Æneid.

Esto Luperci sacerdotes fuerint; ille tamen ritus inglorius fuit, quo pudore deposito nudi saliebant. Ideoque notatur Antonius acriter à Cicerone, quod Lupercum egerit, séque tali tripudio fecerit indecorum. Vt omnia præcipiti cursu prætereunt; defecere Luperci, Salij, atque Corybantes, eorumque memoria penitus excidit, sola vigent hodie Bacchanalia, profectò iniuria nomini Christiano. Si namque probro datum est Gentilibus, quod saltassent, vt videre est in Antonio, & Muræna; nonne magis pudere debet homines Christianos, illis vacare tripudiis, quæ fecerunt aliàs Ethnicos indecoros? Huiusce nequitiæ grauitatem æqua lance pensabat Alphonsus ille famosus Rex, qui arguere solitus erat Gallos, quia eos choreæ atque tripudia maximè delectabant. Non est inuoluenda silentio mors Penthei Thebani Principis, qui à matre & sorore Bacchi choreas agentibus miserè laceratur. Eius iniqua fata luget Ouidius.

Alphonsus Rex, Gallos arguit ob choreas. Panormit. in vita Alphōsi.

Ita sanè saltatio nemini parcit, dumque vigent Bacchanalia, libidinis incendia neminem excipiunt. Sæpe mater filium deperit amore insano, sicut & sororis amore frater feruidus exardescit. Tot Bacchæ vibrant thyrsos, id est, tela latentia, vt satius sit illa declinare fugâ, quàm diu innoxium inter illa lethalia spicula commorari.

Pentheus à Bacchis laceratur. Ouid. lib. 3. Metamorph.

Inuecta

Inuectæ sunt choreæ in perniciem animarum.

EX SS. PATRIBVS, EX IVRE CANONICO, ET SYMBOLIS.

Ex SS. Patribvs.

CIrcumeunte lupo caulas, vt conclusas oues dente lethali mactet, concurrunt pastores & conclamant, sic suo clamore feros arcendo lupos; ita Patres Sancti Præsules Ecclesiæ, speculantes excidium animarum, quod inuexere tripudia, & choreæ; suspicati, lupum infernalem illos agitare choros, qua potuere solertia, in illa tripudia veluti noxia declamarunt. Quippe noluere lupum infernalem grassari in gregem Dei, quem profectò manet extrema clades, siquando vacat fidelibus hisce tripudiis atque saltibus indulgere. Quia dæmon inuius est hominum aspectibus, conducit mulierculas saltatrices, quas immittit in fidelium hominum frequentiam, sic animarum perniciem callidè procurando. Hoc dæmonis ingenium Basilio probe compertum fuit, idcóque cauit, ne incautè fideles tripudia hæc perdita frequentarent. Sic ille. *Fæmina lasciuæ, Dei timoris obitæ, ignis æterni minas nihili pendentes, abiecto seruitutis Christi iugo, capita honestis operta velaminibus impudicè detegentes, Deum, & eius Angelos despicientes, ad marium aspectum impudentes, diffusa comas, tunicarum luxum ostentantes, pedibus gestientes, oculo petulco, risu lasciuo, ad saltationem insanientes, iuuentutis intemperantiam in se prouocantes, aerem meretriciis cantibus, terram verò pedibus lasciuè saltando contaminauerunt, instar theatri cuiusdam adolescentium sibi turmas & cateruas circumsistentes.*

Mulierum impudentia in choreis.

Basil. serm. de luxu & ebrietate.

Choreæ fomites luxuriæ.

Alter etiam Præsul, scilicet Chysostomus, paucis concludit totam tragœdiam, dicens choreas esse. *Flabella vlnerum, quibus incendium concupiscentiæ accenditur.* Adiicio ego, flabra illa suum semper sortiri effectum in his, qui temerè sese choreis insinuant, nempe tripudiis adstare salacibus, perinde est ac Venere conflagrare. Itaque verius dixeris, orchestram, id est chorearum locum, esse fornacem luxuriæ potius quam fomitem Veneris æstuantis. Quonam verò flagrent igne chorearum asseclæ, non est alij scrutinij negotium discutere, audita hac Sancti Ephræmi sententia. *Choreas draco antiquus suis volumis edocuit.* Cùm igitur draco tartarea spiret incendia; in confesso est, æternis ignium globis homines petulcis hisce tripudiis deditos admoueri, quorum vstionem patiuntur ipso momento tripudij, libidinis igne sæuo depascente corda hominum imprudentum. Quódque demirere magis, Agrippa vile diaboli mancipium, vtpote homo magicis artibus infamis, hoc & testimonium veritati perhibuit contra tripudia, quibus hoc triduo tam auidè à dyscolis indulgetur. Sic Agrippa. *Saltatio est laxamen petulantiæ, amica sceleris, libidinis incitamen.* Fortè resciérat à dæmone, quo familiariter vtebatur, choreas gregatim homines accendere ad Veneris nefandæ turpia monumenta. Quisquis igitur à fornace cauere volet, is fugiat & choreas, vnde vt è clibano fumus & flammæ minaces exeunt, quibus accedentes illuc homines extinguuntur.

Chrysost. homil. 50. in Genesim.

Chorearum auctor quis fuerit.

Ephræmus.

Agrippa lib. de vanitate scientiarum cap. de choreis.

Chorearum & insaniæ nexus.

Ambros. lib. 3. de Virginib.

In hoc themate sistendus Ambrosius argutè tripudia perstringens. Sic ille. *Comes deliciarum est extrema saltatio. Ab hac virgines Dei procul esse desidero. Nemo enim, vt dixit quidam secularium literarum doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quod si iuxta sapientiam secularem, saltationis auctor est temulentia, aut amentia, quid diuinarum Scripturarum cautum exemplis putamus, cum Ioannes prænuntius Christi optione saltatricis iugulatus exemplo sit plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris amentiam; &c. An quicquam est tam pronum ad libidines, quam inconditis motibus, ea quæ vel natura abscondit, vel disciplina velauit, membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare ceruicem, comam spargere? Meritò inde in iniuriam diuinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundiæ potest esse, vbi saltatur, strepitur, concrepatur?* Hactenus Ambrosius apprimè doctus, ominosa semper esse tripudia suis cultoribus, quia in orchestram vitia ferè omnia condixerunt.

Diceres in choreis elucere nequitiam artis magicæ, cuius sectarij dum se in gyros agunt, & describunt in puluere circulos, excitant hisce præstigiis magna tonitrua, nimbos, & grandines in hominum perniciem, vt & segetum, quæ sic euocata grandine demetuntur. Chorearum petulca licentia haudquaquam dissimiles sortitur effectus, illa quippe Dei flagella sollicitat, & plerumque ciet iras, vnde tonitrua iniuriarum præambula imbrium sanguinis exundantis. In hoc argumento locuples est historia chorearum populi Israël, qui sacrilegio commisso in cultu vituli aurei, benè pastus, & vino madens, incurius iniuriæ Dei, tripudiis, & choreis turpiter indulsit, Dei subitati flagella sibi nesciens imminere. Ecce tragœdiam tripudij celebrati ante simulacrum vituli conflati in deserto. *Surgentes manè obtulerunt holocausta, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Lusus ille fuit chorearum, atque tripudij, vt benè ominatus est Moyses è monte redux. Is nempe rediens è monte & baiulans tabulas legis, inconditas populi voces audiens, suspicatus est inde choros atque tripudia populi desertoris. Pergit textus ille sacer. *Reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. Audiens Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysem: Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio. Cùmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valdè, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis: arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem.*

Choreæ in quo referant artem magicam.

Choreæ populi saltantis ante vitulum aureũ ominosæ.

Exod. 32.

Speculare amabò arcana recondita hoc contextu. Populus ille satur, multóque desudans vino choros egit, quia choreæ sunt temulenta proles Bacchi, quo vtplurimum saltantes perciti debacchantur. Choreas Scriptura sacra lusum vocat; quia quisquis choreis addictus est, ille ludit etiam in re sacra; diuina omnia & humana iura reputans velut ludibria. Quid ergo spei ad salutem superesse potest ei, qui sibi indixit seria omnia subsannare. Rursus. *Cùm appropinquasset ad castra; vidit vitulum, & choros.* Quare vitulum

Choreæ quare dicatur lusus.

vitulum meminit ante choros? Arbitror ego id ex composito factum, vt vel inde liqueret chorearum ingenium, quod est hominem quasi mente captum exuere ratione, vituli lasciuientis indolem affingendo. Et reuera cùm prata peramœna terunt pedes tripudiantium, qui gregatim choros ducunt, quisquis eminus aspicit, hos deliros hominum cœtus, suspicatur sibi obiici armenta, & non coronam hominum sapientum. Itaque codex sanctus recenset vitulum ante choros, quia homine exuto vitulum induit quisquis proposuit interesse choris, & eorum saltibus indulgere.

Choreæ homines mutant in bestias.

Præfatus sum, veneficos homines ciere tonitrua, suis descriptis in terra gyris, & iisdem præstigiis horridas atque maleficas grandines excitari. Vide hunc effectum in ominoso tripudio populi, quem carpo. Vt primùm Moyses aduertit populum in gyros actum ante simulacrum, sacro percitus œstro fregit tabulas legis, scripturâ Dei insignes. Ille tabularum fragor populis insonuit vt tonitru, cuius strepitum excepit grando comminuens sacrilegum vituli simulacrum. Nec hîc malorum finis: nempe fuit grando præuia nimbi sanguinei: siquidem Moyses præcepit tripudij & sacrificij iniqui piaculum vltore gladio vindicari. Ecce sententiam. *Videns ergo Moyses populum, quòd esset nudatus: spoliarat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat, & stans in porta castrorum ait: Si quis est Domini, iungatur mihi: Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum; ite & redite de porta vsque ad portam, per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa, quasi viginti tria millia hominum.* Sicque choreæ circuli fuere venefici, quos subsequutus est tabularum fragor, vt tonitru, præambulum pluuiæ sanguinis latices effundentis.

Quia Dei intuitu minimè percelluntur homines passi gratiæ deliquium, imbecillo argumento vtitur prædicator, qui auditores suos abstrahere tentat à choreis, quòd peccent, & grauiter Deum offendant, eo ludi genere debacchantes. Nihil quippe ducunt nefarij homines offensam Dei, ideoque operæ-pretium est arguere à pœnis, quæ vtplurimum Deo sæuiente tripudia consequuntur. In eo themate locuples est Scriptura sacra, vbi quoties fit mentio chorearum, statim excidia, verbera, cædes, vt huius insaniæ comites ingeruntur. Nam præter illud fatale tripudium, quod Moyses gladio vindice diluit, celebres fuere choreæ, quibus exceptus est Holofernes in Syria, Lybia, Mesopotamia, & Cilicia; sed illud omne tripudium excepere ruinæ vrbium, quæ in hos sese composuere choros, vt sacro codice recensetur. En contextum historiæ describentis rabiem Holofernis. *Tantus metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores, principes, & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis. Nec ista tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt: nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit. Præceperat enim illi Nabuchodonosor Rex, vt omnes deos terræ extermina-*

Chorearum & mortis nexus.

Iudith. 3.

ret, videlicet vt ipse solus diceretur Deus.

Ecce genuinam historiam Bacchanalium, quorum præcipua solennitas hoc triduo celebratur. Christiani suæ velut professionis immemores obserant aures Euangelio hodierno, quod est monumentum Passionis Christi, & quasi litarent vni tantùm Baccho, gregatim procedunt illi obuiam, facie obducta personato vultu, & corpore ornato vestibus ementitis. Conducunt tibicines vt ad modulos informent gressus suos, atque tripudia. Vtque nihil desit lasciuiæ, chori gyrant, vbi viri & fœminæ arctiore manuum nexu calent primò, & flamma inualescente mutuis ignibus incandescunt. Tantùm abest vt mitescat Bacchus illis obsequiis, quinimò deterior atque immanior sæuit. Nempe Dei sensum omnem tollit, vultque solus ille Bacchus hoc triduo celebrari, videlicet epulis, cantibus, & choreis; & in stipendium cultus exhibiti perimit animas factas infinitis prope vitiis obnoxias, & temerata sanitate corpora demolitur. Namque videre est post hæc Orgia, id est, sacra Bacchi, malè habere homines, vtpote ægro corpore nequeunte alacriter circumferre viscera saburrata. Itaque malè cauent sibi omnes, qui specie relaxandi animos Bacchanalia viuunt. Non enim hoc prælibato ritu consulitur animo, sed in perniciem eius omnia ferè vitia conducuntur.

Choreæ omnem Dei sensum adimunt.

Bacchanalia sunt noxia corpori, & animæ.

Alias etiam choreas sacra recolit historia, quibus & affingit congruum aliis exitum, cædes scilicet, & sanguinem, vt digna sanè præmia chorearum. Ecce synopsim historiæ. *Renuntiatum est Ionathæ, & Simoni fratri eius, quod filij Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba, filiam vnius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna. Et recordati sunt sanguinis Ioannis fratris sui, & ascenderunt, & absconderunt se sub tegumento montis. Et eleuauerunt oculos suos, & viderunt, & ecce tumultus & apparatus multus, & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius obuiam, illis cum tympanis, & musicis, & armis multis. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & residui fugerunt in montes, & acceperunt omnia spolia eorum, & conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum.* Præambula omnia chorearum læta virent oculis, & suaue melos tibiarum auribus insonat; sed vt momentanea sunt mundi tripudia, quæ delectant, sanguine effuso rixis obortis exitus infamatur.

1. Mach. 9.

Chorearum exitus tristis.

Gallica historia luculentum exemplum profert, quo carpitur infaustus ille chorearum ludus. Quidam nobiles excogitauere saltationem industriam, quam nuncupauere choream Satyrorum. In his personatus Rex Carolus VI. Christianissimus Satyrum egit eodem habitu, quo & cæteri muco induti. Sed vt mucus facilè accenditur, vnus è saltantibus incautè impingens in facem totus incanduit, flammaque velox reliquos inuoluit è quibus Rex semiustus matronæ nobilis veste obtectus effugit incendium, quò alij miserè perierunt. O! quàm ominosa fuit regno hæc chorea, cuius incendium pepercit quidem corpori Regis tegmine vindicati, sed è regione mentem eius afflicto alternante deliquio colliquauit. Inde malorum ilias effusa, quæ Galliam fecit theatrum tragœdiæ actæ in perniciem regni. Interdicto nempe Rege, Anglus & Burgundi cædibus omnia deuastarunt.

EX HISTORIA. Historia Gallica in Carolo VI. Choreæ noxiæ fuere Carolo VI.

O si daretur intueri flammas, quibus choreæ accensæ flagrant! sæua videremus incendia, quibus in fauillam redactæ animæ concremantur. Non ibi Satyri, sed dæmones adstant, qui choreas vt fomitem luxuriæ libidine accendunt. Res hæc est in Septemtrione liquidior, vbi dæmones habitu sensibili videntur noctu resonante tympano chorizare. Huius dæmonum tripudij memor est Olaüs.

Choreis dæmon adstat. *Olaüs Magn. l. 3. histor. Septent. cap. 21.*

Pomponius Mela recolens Æthiopiam, describit montem, cui nomen est θεῶν ὄχημα, id est, deorum vehiculum. Ait montem illum ardere globis ignium, & Faunos, & Satyros chorizantes videri crepitante cymbalo cursitare. Nota, coire flammas, dæmones, atque tripudia, ac proinde choreis addictos homines esse diris deuotos, & ignibus. Sua & fulmina intorsit Papa Zacharias, anathemate feriens Christianos assuetos hisce chorearum saltibus indecoris. Ecce Canonem cusum in capita dyscolorum. *Si quis Kalendas Ianuarias, & brumam ritu Paganorum colere, vel aliquid plus noui facere, propter nouum annum, aut mensas cum dapibus, vel epulis in domibus preparare, & per vicos, & plateas cantiones, & choros ducere præsumpserit, quod magna iniquitas coram Deo est, anathema sit.* Profectò nihil noui incutit ille Papa: nam ex se tripudia secernunt homines à Deo, eosin vitiorum omnium gurgitem inducendo.

Pompon. Mela l. 3. c. 10.

Dæmones chorizantes. Choreæ dânatæ sub pœna anathematis.

Ex Ivre Canonic. *Can. Si quis 26. q. 7.*

Reuocatur item ille ritus, vt nefandus olim condemnatus, quo parentes filios, & filias simulacro Moloch immolabant, cymbalis, & tympanis obstantibus ne vagitus audirentur pueruli concremati. O parentes incauti, cùm inducitis filias in choreas, illas accenditis igne libidinis, vt Moloch tripudij simulacro litent naufragâ castitate. Frustra instantias crimini prætexitis, affirmantes non peccari semper in choreis, & non eodem semper tenore momenta decurrere. Nempe ruina plurium facit fidem maledicto, quo infames sunt choreæ, eo potissimum nomine, quòd diabolis illic homines obstringuntur. Eamobrem placet choreis affingere symbolum illud, quo depicta gyrans lamina versatilis ex apice turrium ad arbitrium venti hoc titulo prænotatur. Circvit semper idem. Vbi nimirum homo tripudia frequentare cœpit, actus pestilentis auræ flabro concipit ignem luxuriæ, quo depascente præcordia. Circvit semper idem.

Moloch idolum chorearum. *Ierem. 32.*

Choreæ diaboli homines obstringunt

Ex Symbolis. *Ferrus parte 2. Theatri.*

Choreæ sũt circuitus impiorum.

Sistendus est Petrarcha vt opportunè locutus hoc contextu. *Quid omnino est aliud in gyrum volui, quàm excire vertiginem, sineque termino viam ire. Inter locales septem motus, quos Plato dinumerat, hos scilicet, antè, retrò, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum, ac circuitum, solus septimus infinitus est. Atque hunc ideo, qua perpetua sunt, hoc est cœlum seruat, & sidera, hunc in terris perpetuus agit hominum furor in cunctis ferè actibus, atque consiliis. Nec nullus Orpheus Ixioniam rotam sistit, sed visibilibus in choreis, vbi animorum volubilitas corporâ socum voluit. Et idcirco cùm de omnibus dici possit, de his propriè dicitur, quod scriptum est: In circuitu impij ambulant.* Eo temporis articulo, quo lasciuiens homo circumiuit in choreis, comet & momento factus est impius. Eosdem refricando gyros non fit hinc alius aut sanctior, sed in impietate sibi constans, Circvit semper idem, nec ad centrum rerum omnium Deum vnquam perueniet, iuxta illud Psaltis.

Petrarcha dialogo. 24.

Psal. 118.

Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non custodierunt.

Antidotum salutare contra virus chorearum,

Ex Historia, et ex SS. Patribvs.

Natura rerum alma parens istam suggessit apibus industriam, qua sibi consulunt contra valida ventorum flabra. Illæ nimirum pedibus apprehendunt lapillos, vt hoc pondere libratæ queant impunè ventis occurrere reflantibus. Non procul ab hoc astu fuit Ecclesia, furente Gentilium œstro. Cùm namque profana Gentium Sacra tripudiis, & choreis agerentur, hoc ritu vigente deliciis omnia vernarent oculis hominum, & omnigenæ musicæ melos auribus insonarent. Magnum sanè periculum instabat Christianis, & maximè tenellulis in fide, si quando chorizantes occurrerent, varias sensuum illecebras oculis aspergentes. Ingruenti quotidie discrimini obuiam iuit Ecclesia, consulens collo geri pendulum Euangeliorũ librũ, inualuitque mos ille vsque ad tempora Chrysostomi, qui & ipse hoc sanctum recolit institutum.

Euangelij liber olim collo appensus à fidelibus.

Chrysost.

Vt Euangelij summa est Passio Christi, penes quam humana fuit redemptio; ita & arbitror, Christianos obiecto sibi pendulo codice, qui meminit angustias Christi, præsentem semper habuisse memoriam agonum eius, & hanc ideam fuisse salutare remedium contra Gentilium tripudia, epulas, & susurros. Nemo namque fidelium adeò delirus est, qui vacare velit ludicris atque voluptati, Passionis Christi sacrâ memoriâ refricatâ. Fortè fluit inde sacer ille ritus, cuius est valde tenax Ecclesia, quæ decernit hodie in sacrificio tremendo legi textum, qui recenset Christum illudendum, & Cruci ingloriæ turpiter affigendum. Hæc Deo afflata parens credidit, Passionis Christi mentionem fore salutare remedium contra chorearum æstus, quibus importunè nouella fidelium germina verberantur. Christus etiam decernendo suos sequaces debere Crucem ferre, pondus adiecit, quo sic firmarentur contra varios vndequaque in peius insurgentes. Itaque Crucis intuitu, id est, meditatione mortis Domini Iesu, cuiusque mundi illecebræ fastidium concipitur, & proinde refuga spiritus in animam Panoplia Crucis armatam frustra intorquet spicula chorearum.

Sanguis Abel effusus clamauit de terra, Deum prouocans in impium fratricidam: sed sanguis Christi, quem hodie effusum obiicit Ecclesia, ea vocis contentione tonat; vt anima huic attenta fremat, aspernata tibiarum melos ebriæ resonantis. Si respersi cruoris humani aspectus horrorem conciliat, & eo obiecto, voluptatis sensus hebes ferè retunditur, profectò longè potiori ratione contra chorearum illecebras tibi hoc triduo consulet anima, Christi sanguinem meditando. In subiecta hac materia non erit extra metas & aleam discurrere, si refero historiam Victoris Martyris, qui merebat cingulo militiæ ornatus, Duce Mauritio præposito legioni Thebæorum, quæ lectissima manus fuit exercitus Maximi in Perfidus ille Imperator hanc selectam fidelium turmam tentauit vellet necne sacrilego ritu Iouis & Martis colere simulacra. Concors illa & animosa phalanx audacteꝗ

Christi sanguis voce tonat quæ obstat ne suaue melos audiatur tibiarum.

Thebæorũ legio martyr.

audacter abnuit, parata subire necem potius, quàm cultum vni Deo sacrum diabolis exhibere. Hac animi infracti constantiâ offensus Imperator, concepto furore totus incanduit, statuitque suorum Deorum iniuriam multo effuso sanguine vindicare. Et ne longiore mora teperet ardor zeli ebullientis, seorsim posuit omnes Thebæos, vtique fideles, & idolis iniurios, & ira pervrgente, dixit in eos capitis sententiam, qua sanctissimus ille militum manipulus fuit à reliquo infideli agmine trucidatus. Hoc edito facinore perduelli, & Cæsari perquàm grato, gestiens exercitus epulari cœpit, & agere choros, pæana canens, quasi de Deorum hostibus internecione deletis egregiè triumphasset. Et hinc sanè fuit semper genius mundi; exultare nimirum in rebus pessimis.

Victoris militis Christiani facinus egregiũ. *Eucherius in actu sancti Mauritij.*

Toto tripudiante exercitu, strenuus miles nomine Victor, & ipse Christianus in castra venit, & sciscitatus vnde iubilandi argumentum caperet acies tota gyrans in choreas, illi ostensa est edita strages in Thebæos, in cuius gratiam agmina chorizabant. Et ne hiulca foret festiuitas gestientis exercitus, milites illi truces Victorē quibus potuerunt illecebris ad epulas, & choreas, sua scilicet Orgia prouocarunt. Sed strenuus ille miles, oculis intentis in sanguinem Thebæorum, obortis lacrymis, & eiulans ait: Quid sanguini cum epulis & choreis? Quæ conuentio deliciarum, & furoris? Quasi verò queam proposito mihi Sanctorum sanguine lasciuire? Dein alta trahens suspiria, querulas hasce voces misit, quibus suam deflens absentiam, ita se feruidè compellauit: Vbi eras, ô infœlix, & nomine tantùm tenus Victor? Quæ te distraxere fata ab occasu militum Thebæorum, qui victoriam illam luculentam, quam sola voce præfers, fortiter effuso sanguine reportarunt? O vita superstes, quàm mihi ingrata putes prope suauem fragrantiam, quam afflant hæc corpora Martyrum gladio sacrilego vindice temerata! O barbari milites conscij facinoris impij! Nonne pudet saltare prostratis hostiis, & epulari opiparè, tot & tantis egregiorum hominum victimis immolatis? Frustra prætenditis gulæ cupedias, me incassum tentatis inducere in orchestram: mihi Martyrum mors obiecta sola sapit, meæque summæ deliciæ erunt strenuis Christi pugilibus meo sanguine parentare.

Mors sanctorum meditata obstat ne homo deliciis indulgeat.

Hisce vocibus obstupuit exercitus ille ferox, nescius antè, fidem Victoris eam esse, quæ fuerat & Thebæorum; idcirco furibundi pugilem hunc strenuum frustra illectum ad choreas, atque intempestiuas epulas gladio confossum cæteris adiecerunt. O Victorem! ô Olympionicam nomine suo dignum! vtpote dedignantem fieri consortem hominum nequam, & renitentem ante extincta Sanctorum corpora chorizare. Renuit ille efferri in saltus, qui homines in præceps agunt, vt potiore saltu pro Christo occumbendo sidera transiliret. Illa verax historia suggerit antidotum salutare contra virus, quod propinatur hoc triduo: siquidem Ecclesia proponente fidelibus Euangelium Passionis Christi, sanguis ille sacer effunditur, & velut oculis obiicitur, vt inde fiant animæ cautiores. Itaque susurros mundi, Christiane, coërcere potes eâdem industriâ, qua Victor occurrit insidiis, quas prætexebant eius fidei sinceræ milites infideles. Dixit ille, rem incongruam esse lætari, tripudiare, epulari, lasciuire, proposito sanguine Christiano. Et tu, Christi discipule, armare zelo quàm simili; & si quando nefarij homines se accingunt vt te inducant ad sua Bacchanalia, constantis animi specimen ede, sic retundens eorum illecebras, & impetus importunos.

Nomine tantùm tenus Christiani estis necne, ô dyscoli? Citòne mentibus excidit ille tenor Euangelij hodie prælecti; vbi iniuriæ, flagra, cædes Christi Domini recoluntur? Quid deliciis & Passioni acerbæ huiusce parentis amantissimi? Animóne vacare potest, intendere gulæ & ventri, & choreis, mentione factâ agonum Christi? Eóne pudoris deliquium venit, vt Christo proposito fixo stipiti inglorio saltare fas sit? An fortè decet audire Christum felle potatum, eâdemque morâ Christianum temulentum exundante mero calice debacchari? O Coribantes, ô Salij, ô Luperci, tripudia vestra clamant, vos flocci facere agones Christi, cuius pretium, & sanguinem vestris moribus abnegaris! Ad arbitrium vestrum velificamini gulæ, farcientes viscera delicatis obsoniis, estote frequentes in orchestra, choreis intenti, vt pro voto luxuriæ iam conceptæ, illic æstuante Venere conflagretis. Nihil profectò mihi & diaboli sacris: nempe iubilare pudet, & prorsus incongruum est epulari multiplicatis eduliis, mentione Passionis Christi auribus insonante.

Chorearum illecebræ quomodo retundantur. Passionis Christi memoria frangit tentationes mundi.

Ex SS. Patribus.

O amator Christi, refrica memoriam Passionis huius, confitens ingenuè te conscium angustiarum, quas ille æquo animo tulit in gratiam tui. Hæc sincera confessio indubiè tuum zelum acuet, ad macerandam ieiuniis carnem, cuius susurro illectus hunc amantissimum Patrem toties offendisti. Consule Augustinum, & hos eius mutuare affatus, directos ad Dominum è Cruce pendulum. Sic ille. *Quid commisisti, dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti, amantissime iuuenis, vt adeò durè tractareris? Quod scelus tuũ, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ Passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censura conditio, & ineffabilis mysterij dispensatio! Peccat iniquus, & punitur iustus. Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus, quod perpetrat seruus, exoluit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quò, nate Dei, quò tua descendit humilitas? Quò tua flagrauit charitas? Quò processit pietas? Quò excreuit benignitas? Quò tuus attigit amor? Quò peruenit compassio? Ego enim iniquè egi, tu pœnâ mulctaris. Ego facinus admisi, tu vltione plecteris. Ego crimen edidi, tu tortura subiiceris. Ego superbiui, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens, scelus inobedientiæ sumis. Ego gulæ parui, tu inediâ afficeris. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit ardor, te perfecta charitas duxit ad Crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subiisti equuleum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor deliciis, tu laniaris clauis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Mihi ridens congaudet Eua, tibi plorans compatitur Maria. Ecce Rex gloriæ: Ecce mea impietas, & tua clares pietas. En mea iniustitia, & tua liquet iustitia.*

August. lib. meditat. c. 7.

Passionis Christi causa fuit peccatum.

Profectò recrudescet animæ mœror, si reuoluit attentè voces querulas Augustini quæ non luxuriantis Rhetoricæ verba ostentant, sed cordis

amore contriti ingenua sensa produnt. Nemo sanè detrectare debet confessionem reatus sui, qui adegit Christum ad sputa, flagra, & mortem stipitis indecori. Ac proinde decet omnes illa confessio iniuriarum, quas incautè intulimus Christo. Proculdubio acerbus inde dolor emerget, qui totum hominem mœrore percitum subducet illecebris gulæ, & choreæ, quæ mundi asseclas solent hoc triduo turpiter inundare. Anima recolens dira supplicia, quæ Christo inflixit, gestiet hoc triduo illudi à reprobis, excipiés vltrò eorum scommata, vt sic aliquale rependat obsequium Domino patienti. Adijce, referri vices Christo crucifixo, cùm & homo suam baiulat Crucem, id est, carnem suam plectit inediâ, vigilijs, prolixâ serie precum, aliâque huiusmodi supellectile corpori importunâ.

Passioni Christi vices quo modo repédere possit homo.

Eò spectant & hæc anhela Augustini vota. *Quid Rex meus, & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Non enim inueniri potest in corde hominis, quod condignè talibus referatur premijs. Numquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio diuina? Nec est creatura moliri officium, quo iustè creatoris recompenset præsidium. Est autem, nate Dei, in hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat cum vitijs, & concupiscentijs. Et hoc cùm à te conceditur, quasi iam tibi incipit compati; quia & tu pro peccato meo dignatus es mori. Sicque per interioris hominis victoriam, te duce armabitur ad exteriorem palmam, quatenus deuicta persecutione spiritali, non vereatur pro amore tuo subyci gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, si tua complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus respondere creatoris. Et hæc cœlestis medicina, bone Iesu; hoc tui antidotum amoris.*

August. vbi supra.

Diceres, Augustinum de industria texuisse preces contra deliros hominum mores, qui maximè vigent, quando nebulones alijque huiusce farinæ viri Bacchanalium voluulis implectuntur. Quia tunc præcipuè mundus & caro fortiter arietant in corda seorsim à turbis posita. Opportunam hanc orationem, præfatis subdidit Augustinus. *Oro te per antiquas misericordias tuas, infunde vulneribus meis, quod resecta viperea contagionis bile, reintegret me incolumitati pristinæ, quod gustata tua nectare suauitatis, faciat me illecebrosa mundi toto affectu despicere, & nulla eius aduersa pro te formidare, memorque perpetuæ nobilitatis, semper fastidiam ventos huius transitorij tumoris. Nihil quæso sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nihil pretiosum, nihil præter te mihi arrideat speciosum. Vilescant (obsecro) absque te mihi omnia, sordeant vniuersa. Quod tibi aduersum est, sit mihi molestum, & tuum beneplacitum, mihi indeficiens desiderium. Tædeat me gaudere sine te, & delectet contristari pro te.* Hactenus ille, & equidem appositè ad hæc insana tempora, quibus viuitur indecorè.

Bacchanaliũ tẽpore maximè arietat mundus in homines.
Augustinus ibidem.

Victor ille miles strenuus, quem memini supra, viso sanguine Thebæorum totus incanduit amore martyrij, suamque luxit absentiam, qua subductus fuerat illi choro martyrum, quos Deus æterna gloria dignabatur. Ita fideles, qui Christi amore flagrant, dum animo versant Euãgelij textum, qui hodie auribus insonuit, & æqua lance librant Domini conuitia, stimulant sese, vt socientur ei in duro agone, quem fortiter exantlauit. Et quia Christus in Euangelio hodierno potissimum recenset opprobria Passionis suæ. *Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint occident eum.* Quia, inquã, opprobria fuere præcipui cardines, in quibus vertitur sũma Passionis Christi; idcirco tales discipulos ãbit, quibus insideat propositũ sibi illud ingloriũ specimen imitari. Illi pio fideliũ intento obstetricantur iniqua tempora, quæ nunc decurrimus: quippe probum esse Bacchantibus aliis vertitur opprobrio, resque fit obnoxia variis spiculis impiorum: His nempe putet fragrantia virtutis exercitæ, & quidquid seriò peragitur, illud est ludibrium eis, quibus vna est hæc cura, vitam scilicet incuriam agere eorum, quæ pertinent ad salutem.

Luc.18.

In hoc procinctu qualem se præstabit amasius Christi? hisne remoris opprobrij hominum cunctabitur sequi Christum despicatui habitum, v tpore illusum, consputum, & exceptum multis actibus indecoris? Minimè verò; sed anima Deo afflata, sitiet opprobria, illaque credet potissima capita gloriæ suæ, quia reuera gloriosum est, imò & præcipuum animæ decus, pro Christi nomine subsannari. Vt nimirum ignominia Crucis cessit ad gloriam crucifixi; ita illudentis mundi scommata, quibus configuntur homines probi, conducunt ad gloriæ illorum maximum incrementum. Fauet Ambrosius ita commentatus. *Opprobrium Christi non est verum opprobrium, sed gloria Dei. Crux enim Christi, Iudæis scandalum, Græcis stultitia. Illis ergo opprobrium, mihi virtus est, per quam aduersarium repello, sæculum vinco: mihi sapientia, per quam insipientiæ laqueos euado. Hoc opprobrium thesauris Ægypti Moyses prætulit: maius (inquit) æstimans Ægypti thesauris opprobrium Christi. Si opprobrium tuum gloria est, Domine Iesu, quanta est gloria tua? Tua igitur gloria participatione quid erimus, cuius sumus opprobrio gloriosi? Dorsum meum posui in flagella, maxillas meas in palmas, os autem meũ non auerti à confusione sputorum. Ecce opprobrium tuum, Domine, in quo est salus vniuersorum, in quo mundi redemptio, per quod opprobrium cœpimus non erubescere, qui erubescebámus; nõ confundi, qui confundebamur. Denique scriptum est: Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent. Hoc opprobrium auferri à nobis nolumus, opprobrium Crucis Domini Iesu, quo nostra auferuntur opprobria.* Hæc ille, qui & praxim egregiam subdidit, insinuans qua ratione queat homo cũ Christo diuidere opprobria. Namque parum esset meminisse probra; nisi contingeret illa congruis actibus imitari.

Passionis Christi opprobria gloriosa.
Ambr. in Psal. 118. versu 7. Hebr. 11.
Crux est gloriosa suis baiulis.

Sic ille. *Quoties benè facta crimini dantur quoties virtus opprobrio ducitur, quotiès ipsa ingrata est gratia, vẽdidit iustus facultates suas, dispensauit pauperibus; nihil sibi reliquit, cõtẽnitur plerumque in Ecclesia, quia diues esse desinit, sicut scriptum est. Si dederit vir omnes facultates suas in charitatẽ, cõtemptu contentus erit. Non ergo moueatur: Non enim mercedem huius sæculi, nec gratiam; sed vitæ quæsiuit æternæ.*

Virtus quò magis est desp cta, eò est gloriosior.
Ambrosius vbi supra.

Mundi opprobria, sunt Dei seruis gloriosa.

Non indignetur; quia homines pecuniis magis quàm operibus bonis deferunt. Nam si ei propter bonum opus in hoc sæculo deferatur, & huius studij fructum, hic adipiscatur, dicitur de eo: Percepit mercedem suam. Habet quidem opus bonum, & hic gratiam, sed breuis portio emerendæ salutis est. Serua futuris mercedem tuam, & istius sæculi opprobria incrementa mercedis tuæ indica. Cogita semper Apostolicum illud, quòd indigna sunt passiones huius temporis ad superuenturam gloriam. Nullis ergo iustus frangatur iniurijs, nullis moueatur periculis, nullis tentetur procellis, siue mors ingruat, siue vita, siue Angeli cœlorum: neque deiiciatur aduersis, neque extollatur secundis.

Itaque esto tibi, Christiane, facessant negotium homines celebrantes Bacchanalia, ad aspergendos sales armati; haud quaquam debent praxim remorari virtutis impigræ, cui te totum hoc opaco tempore deuouisti. Imò memor esto, virtutem, quò despicatior est apud homines, eò etiam à Deo plus luminis accipere; sicut Luna quà terram aspicit passa lucis deliquium in coniunctione Solis, alia parte lucidior est, ea videlicet, qua cœlum versus tota porrigitur. Non est prætereunda in hac alea, quam decurro, illa Medicorum cautio, si quando frequentandi sunt homines suspecti alicuius contagij. Moderatores illi sanitatis consulunt manibus teri fasciculum saluiæ, quam & Dioscorides ait conducere ad facilem partum. Nemo it inficias Bacchanalia esse tempestatem, qua terra lues inficit multos illo contagio pessum-euntes. Vt occurratur illi malo, cuius est homicida labes, Bernardi salutare consilium est hîc opportunum. Colligit ille alta meditatione omnes angustias Passionis Christi, & inde facit fasciculum myrrhæ, quo pectori admoto multa commoda reportantur. Saluia sic dicta est à saluando: illa nimirum adeò salutaris est, vt meritò prælibato hoc nomine censeatur. Sed impertita salus à saluia, corporea tantùm est, atque adeò infra salutem animarum, quæ fluit à Passione Christi, quæ idcirco debet saluia vitæ congruè nuncupari. Dioscoride assertore, saluia conducit ad facilem partum, quasi vice fungens obstetricis. Ita & Passio animo defæcato meditata confert ad animæ partum. Quisquis enim proposuit seriò virtuti incumbere, hoc triduo nequaquam abortiet, si Christi agones, ærumnas, & genus inglorium mortis, vt par est seriò meditetur.

Saluiæ virtus.

Dioscorides l. 3. c. 34.

Passio Christi fasciculus myrrhæ.

Sic ille. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi inter vbera commorabitur. Ibi enim est cor. Et vbi est cor, ibi dilectio; & vbi dilectio, ibi dilecti mansio. Nouit autem quicunque rectè sapit, quantùm Christianæ pietati expediat, quantùm seruum Dei deceat Sacrosanctæ Passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendũ suauiter in conscientia, ad recondendũ plenius per imitationẽ in memoria.* Sanctus ille amore percitus ærumnarum Christi nihil nisi Crucem anhelo pectore sitiebat, vnde precum eius summa fuit vrgere Deum, vt Crucem ipsius humeris imponeret. Ecce vota hominis æstuantis, cuius vt ebibas spiritum, familiares habe preces, quas in eo argumento beatus ille feruidus vsurpabat. *Inclina super seruum tuum suauem illam Crucem, quæ lignum vitæ est iis, qui apprehendũt eam: vt spero, currã alacriter, portabo infatigabiliter eam, quæ ab inimicis est, Crucem post te. Illam, inquam, diuinissimam Crucem humeris meis impone, cuius latitudo est charitas, cuius longitudo est æternitas, cuius sublimitas est omnipotentia, cuius profundum est inscrutabilis sapientia. Confige illi manus meas, & pedes meos, & totum Passioni tuæ conforma seruum tuum Domine.* Crucem non incumbere humeris peccantium liquidò Sanctus insinuat, eadem oratione vitia detestatus.

Bernard. sermone in cœna Domini.

Bernard. ser. de Passione.

Crucis quatuor dimensiones quænam sint.

Ecce viri intemerati repudium. *Da obsecro mihi continere ab operibus carnis, quæ odisti, & facere iustitiam, quam dilexisti, & in vtroque tuam quærere gloriam, & sinistram quidem meam clauo temperantiæ, dexteram verò clauo iustitiæ in illa sublimi Cruce fixas arbitror. Da menti meæ iugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum iactare in te, & dexterum pedem meum eidem ligno vitæ clauo prudentiæ affige. Da vt sinistram spiritus mei sensualitatem non eneruet labentis vitæ infelix felicitas: non conturbet præsentis vitæ infelicitas felix, & sinister quoque pes meus fortitudinis clauo in Cruce tenebitur. Vt autem aliqua similitudo spinarum capitis tui in me appareat, detur obsecro menti meæ, & salutaris pœnitentiæ compunctio, & alienæ miseriæ compassio, & stimulus zeli æmulantis, quod rectum est coram te, & ad te conuertar in ærumna mea, dum triplex configitur spina. Libet vt spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustui meo adhibeas. Licet vt per Scripturas tuas rationi meæ conferas gustare & videre quoniam florens hic mundus tanquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia eius aceto amarior. Ita Pater, in me fiat calix iste Babylonis amarus in omnem terram, non inani flore seducat, non falsa dulcedine inebriet, vt eos, qui tenebras lucem, lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Vinum myrrhatũ cum felle mistum suspectum mihi est, pro eo quòd ex eo tu bibere noluisti; quia nimiam acerbitatem inuidiæ, & nequitiæ indicabat. Tua viuifica morti tuum seruum, Domine, configura; faciens quidem in me vt moriar secundùm carnem, viuam autem secundùm spiritum iustitiæ. Vt autem integram crucifixi imaginem me portare glorier, illud quoque, quod post mortem tuam insatiabilis malitia impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum viuus & efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens vsque ad diuisionem animæ meæ, & producens ex ea tanquam de dextero latere meo vice sanguinis & aquæ amorem tuum Domine. Postremò, & munda sindone primæ stolæ spiritum meum inuolue, in quo requiescam egrediens, & ingrediens in locum tabernaculi admirabilis, & abscondas me donec pertranseat furor tuus.*

Ibidem

Cruci affigi qua ratione queat homo.

Calix Babylonis amarus.

Anima salutari hoc antidoto præmunita triduum istud aget, multos gratiarum cumulos in sua referens compendia. Frustra obuersabuntur ei sensuum illecebræ: namque recensita Passio Christi sartam tectamque tuebitur, vtpote vitiis omnibus illibatam.



DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

EVANGELIVM. Ioan. 20.

I. CVM serò esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

II. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

III. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

IV. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.

V. Respondit Thomas, & dixit: Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.

VI. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.

VII. Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.



SENSVS MORALIS Euangelij, cuius textus dispescitur in tot asserta moralia, quot sunt numeri prænotati.

I. VT animus inquies à se procul Deum eliminat; ita ex aduerso mitis, & placidus Deum sibi conciliat, sicut hodierna Euangelij lectione liquet, qua Christus inducitur adstans in media fidelium frequentia, pacem commemorans, illam videlicet, quæ sequaces Christi dispescit ab aliis, & est fidei nostræ tessera singularis. Præfatæ paci litant obserata fores; nempe sonant arctam & sedulam sensuum custodiam, cuius obsequio omnia homini constant sic quieto, vt secus homine in diuersas acto sedes, sincera quæque & decora patulis sensibus euanescunt.

II. Quodque magis commendat animæ pacem, gratia Dei comitem indiuiduam, est plurium aliarum dotum agmen, quo stipatur. Quippe sicut olim mundo recens edito, Spiritus sanctus placidis incubabat aquis; ita & in cunabulis Ecclesiæ concordes discipulos afflauit abundè Spiritus ille, cuius aura benefica consciæ omnes animæ vegetantur. Huiusce Spiritus effectus singularis est repurgium omnium peccatorum. Ille nimirum Spiritus, & animæ sordes non concordant. Rursus anima dignata benefico Dei afflatu, est & salutaris aliis hominibus, siquidem composita in specimen virtutis omnimodæ, obuios quosque sollicitat ad sequelam Christi, & tædium omnium peccatorum.

III. At quisquis hoc afflatu Dei minimè dignatus est, is etiam nescius est bonorum, quæ influunt in animas sacro & superno Dei flamine ventilatas. Quam iacturam magno sui dispendio passus est Thomas Apostolus; quia non adfuit eo temporis articulo, quo Christus insufflans, hoc suo anhelitu tenella Ecclesiæ germina recreauit. Ille nimirum Apostolus procul ab aliis discipulis in fidei discrimen incurrit, cunctatus dubia professione Christum credere rediuiuum.

IV. Sed vt naues, quæ placido mari steterunt immobiles, magno feruntur impetu quando propitiis ventorum flabris turgida vela tument; ita dubius ille discipulus compos effectus est fidei reducis, solo intuitu Christi denuo subeuntis sacras Apostolorum ædes, illo benefico hospite decoratas.

V. Concepta fidei præclarum specimen edidit Thomas; vtpote professus, Dominum Iesum esse Deum pariter & hominem, quæ confessio biceps, Dei scilicet & hominis in Christo, religionis nostræ præcipua refricat argumenta. Quæ nihil omninò debent oculorum suffragio, sed sunt Dei donum, & effectus gratiæ cælitus illabentis.

VI. Vt hanc fidem Christus adstrueret, edidit infinita propè prodigia.

VII. Cùm enim salutis humanæ rudimenta penes fidem sint; eò collimauit Christus, vt sarta tectáque fides esset, illa videlicet, quæ attendit Dei cum homine commercium, vnde bonorum omnium summa capit exordium, & vberrimi gratiarum latices emanarant.

HOMILIA PRIMA.

In hæc verba:

Cùm fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

EXORDIVM.

1. Cor. 3. PEruulgatum de homine effatum iampridem insonuit, assertore etiam Paulo Apostolo, scilicet hominem esse templum Dei. Et hoc equidem apposite dictum: nam sedulæ indagini occurrit multiplex affinitas templi cum homine. Impræsentiarum sufficiet aliqualem vtriusque ideam tincto ducere penicillo. Prima occurrit ipsa nomenclatura templi, quam deductam à verbo *contemplor* satis superque clamat vox consona dictionum. In huius vocabuli partem est adscitus homo, quem Plato editum credit eo fine, vt pertæsus infima quæque, supera contempletur. In conceptus sui gratiam Philosophus ille conducit vocem Græcam velut obstetricem idoneam suo intento. Quippe ait nomen ἄνθρωπος perinde esse, ac ἄνω τρέπω. Id est, sursum verto. Singulæ quæque partes templi, vt Deo sacræ, sollicitabant homines ad exhibendum Deo pensum aliquod; sed pars illa intima, cui nomen SANCTA SANCTORVM, hominem totum Deo tunc addictum orationis obsequio mancipabat. Ita & omnia, quæ hominis sunt, famulantur animæ, si assurgere velit ad superna. Nihil enim obstat, quin sensuum etiam suffragio congruè ad hoc vtatur anima cælitus erudita. Sed præcipuus huiusce rei cardo vertitur in penitiore cordis ergastulo: illo nempe sacrario mens conclusa procul ab omni strepitu feruidæ orationi vacat, totáque in Deum fertur votis anhelis, nullo prorsus eam obice remorante.

Cor est velut Sancta Sanctorum.

Summa rerum, quas Pontifex versabat in his penetralibus templi, erat Dei cum homine reconciliatio, vt pacatis omnibus, cuncta demum prosperè gererentur. Vna tamen præuia cautio fuit obseruanda, videlicet vt sequester hic sacerdos in tabernaculo degens nullius omnino consortium admitteret. Ecce legem. *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israël, donec egrediatur.* Hæc cautela nobis quidpiam mysticum insinuat, scilicet hominem, qui vult esse sibi pacata omnia, debere suos castigare sensus ne diffluant, vt sic plenius Deo vacet, cunctis animæ foribus obseratis. Etenim sicut Apostoli contra metum Iudæorum consuluere sibi præcluso omni aditu, sicque Deum conciliauere sibi, qui concordes discipulos pace sua dignatus est; ita quiuis animus inquies, cui insedit in meliorem sese habitum componere, hoc primò debet habere ratum, vt nimirum occludat omnes ianuas, quibus in animam irrumpitur. Quod vbi mente impigra præstiterit, fiet voti compos, illámque pacem concipiet, qua conclusos Apostolos affecit Christus, à sua Passione in gloria rediuiuus.

Leuit. 16.

Oratio sit attenta.

Hæc igitur esto contextura homiliæ. Dicam priori parte, sensus esse animæ fores, & explicabo curam, qua debent obserari fores illæ. Secunda parte dicam, in præmium illius impigræ custodiæ sensuum Christum propitium adesse homini, dignando cum pace vtrique salutari. Quæ sit autem indoles huius pacis, aperiam postremo huius concionis articulo.

Diuisio homiliæ.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Homo velut in statione positus debet suis inuigilare sensibus, ne eis peruiis hostes irrepant.

NVlli omnino rei ita fortuna indulsit, vt radicitus euulserit insita semina corruptelæ. Quidquid enim in hoc vniuerso sibi classem aliquam vendicat, illud idem suos patitur næuos, & sensim subeunte noxia qualitate corrumpitur, contra instantis fati perniciem frustra rerum omnium indole reluctante. Eò vergit illa sapientis sententia. *Contra malum bonum est, & contra mortem vita; sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi Duo & duo, & vnum contra vnum.* Perperam ergo sibi blanditur anima benè sibi conscia: quasi verò queat diu constare sibi, euentuum prorsus nescia sinistrorum. Inuita licet anima necesse est vt subeat sortem, in quam damnata est, quosque nequit hostes omnino prosternere, saltem tentet industriè declinare. Hoc præstabit si sibi prudens inuigilet, atque præcaueat, obstando ne quid inimicum prætereat sensus, qui sunt fores singulis quibusque rebus obuiis explicatæ. In hos neglectos aditus inuehitur Vates sic succensens. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos deforis iuuenes de plateis.* Quasi diceret, sensuum incuriam prouocasse mortem, vt in abditos recessus animæ grassaretur.

Eccles. 33.

Ierem. 9.

Querimoniæ illi fidem facit Adæ lapsus, qui totam etiam eius stirpem adhuc ruinæ suæ malis imparem. Quisquis enim alto scrutinio rimabitur vnde defecerit Adam; ille deprehendet, totam mali labem esse penes quinque sensuum ostia reserata. Quod reuera breui inductione liquet. Nam incautus homo fœminæ blandientis eloquium hausit patulis auribus, & inde virus lethale fuit his quasi fistulis instillatum. Perpulcher etiam pomi color fecit & oculis fucos, qui eius cupidine capti, fuere conscij criminis ab homine perpetrati. Tactus, gustus, odoratus, suas egere partes in illa tragœdia, nihilque vacat sensuum in temerato Dei præcepto. Vnde quia propagatur illa lues, & patulis sensibus mala irrepunt in animam; illæ dubiæ & infideles animæ fores sunt cautis vectibus occludendæ.

In huiusce rei typum, homine eiecto de Paradiso, Deus Angelum adhibuit pro foribus, qui gladio igneo atque versatili aditum loci peramœni Adamo exuli prohiberet. Gladius ille sonat vt classicum, bellúmque clamat & indicit, præmonens hominem quanam expedita armatura

Genes. 3.

armatura indigeat, ad custodiam animæ suæ fortiter adstruendam. Idipsum quoque aliàs insonuit, Christo Domino monitore, cùm ait. *Non veni mittere pacem, sed gladium.* Hoc namque loquendi tropo peritos admonuit, esse libertatem nimiam sensuum exerto gladio rescĕcādam. Et ne gladij vocabulum anceps aliquas ambages inueheret; Dominus ille consultor optimus, suam sententiam liquidiùs aperuit hoc verborum tractu. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, & proijce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus mittatur in gehennam.*

Quæ nam sit custodia sensibus adhibenda.

Matth. 10.

Matth. 5.

Illa oculi, & manus indicta resectione Deus sanxit effrænem sensuum licentiam esse sedulò compescendam, quia nos alioquin manet sors iniqua fati, quo periit Isboseth, sublatus è medio, quia sicariis peruius fuit aditus ad hominem incautum sui, & pessimè custoditum. Ecce synopsim tragœdiæ. *Venientes filij Remmon Berothita, Rechab, & Baana ingressi sunt feruente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit. Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater eius, & fugerunt. Cùm autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclaui, & percutientes interfecerūt, sublatoque capite eius, abierunt per viam deserti tota nocte.*

2. Reg. 4.

Sic malè disperiit Princeps, cuius ædes patuere nefariis hominibus. Eadem naue vehimur & nos, quādo delinquimus lethali peccato obnoxij. Quando nos altus peccati sopor obruit, & callidus hostis sese latenter insinuans opimam demetit segetem gratiarum; tunc profectò patent sensus, & neglecta eorum custodia animam fœdis actibus, & ictibus interimit. Habes hîc, Prædicator industrie, latum discurrendi campum, probando, peccatum nunquam hominem conficere sensibus inconsultis. Omnis namque voluptas se sensibus affricat, vt illita foribus adinstar olei, statim inficiat præcordia; & id iuxta Theologiæ moralis eloquium, quo stante peccati sensus animæ consensum iugiter anteuertit. Proderit conducere ex Philosophia rationes, quæ adstruent illam thesim, Verbi gratiâ, dices nihil omnino deficere & corrumpi, quin aliquo affrictu præluserint noxiæ qualitates. Vnde sicut impeditur rei cuiusque deliquium, si præludiis obuiam itur; ita sagax sensuum custodia cauet ab instanti animæ corruptela.

Consonant Patres Sancti, quando dicunt esse elidendam nequitiam in semine. Hoc igitur esto constans, videlicet animam, quæ referre volet speciem Paradisi, debere suis pro foribus excubare sollicitè, gladio accinctam, quo rescindat sensus in noxia diffluentes. Si exempla placent sensus edomiti, refer Democritum, qui sibi oculos eruit, ne obstarent animo Philosophiæ dogmata recolenti. Reuoca facinus egregium Sancti Alexandri Carbonadij, qui florente ætate formosissimus, metuens aliis, quos faciei decor obuius malè poterat afficere, totum oris habitum ingrato fuco obduxit. Locuples etiam fit mentio virginis sanctæ, quæ suos erutos oculos in disco, misit amasio, qui puellam deperibat ob aspectos eius oculos antea scintillantes. Quia statui solùm breues ideas proponere concionum; poteris, lector, ad arbitrium tuum in præfixa tibi à me themata commentari.

Singulares historiæ hominum qui se excæcarunt.

Pars Secunda Homiliæ.

Vigiles excubias animæ dignatur Deus copioso gratiarum influxu, & præsertim pace salutari.

Qvandiu aër ambiens, non officit fructibus Sole propitio concoctis vt par est, tamdiu etiam concordi qualitatum suffragio fruges illæ vigent in arbore superstantes. Ita homine obstante ne quid deforis animam temeret, illa pacato vtitur appetituum obsequio, & stipata cataphracto virtutum agmine conquiescit. Et hæc sanè fuit semper bellorum omnium causa, pax scilicet, quæ siquando nutat pulsa litigiis, districti ferri ope ti... r suo insidet cubo, multo vtrimque hostium sanguine delibuto. In gratiam pacis bellum indixit sospitator ille hominum, qui venit mittere gladium, quo quia accincti erant Apostoli, vt strenui Olympionicæ, Christus eos vt victores inuisit, & pace velut brauio congruo dignatus est. Anima namque sibi malè conscia irrequieto fertur æstu, & procul à Deo posita seipsam ferre nequit dissitis à se motibus exturbundam. Est autem anima sibi malè conscia, cùm neglectis sensuum ostiolis impegit in aliquod iniquum facinus, malè suada pellice voluptate. Quare verò pacis, & peccati simul impatiens sit anima, Theologi sufficienter explicant, in quibus corū apex Thomas ait, pacem & charitatem esse res indiuiduas. Vnde necesse est illam animam esse pacis expertem, quæ est nescia charitatis.

Thom. 22. q. 29. art. 3.

Rursus pax dicit vnionem vtriusque appetitus in homine. Est autem duplex ille appetitus in diuersa inclinans vtplurimum, ideóque rari censentur homines verè pacifici. Nam appetitus rationalis bono tantùm homini congruo illectus, & appetitus sensitiuus non concordant; quia hic posterior appetitus animalis hominē deorsum inflectit, sæpe etiam anima reluctante. Eamobrē appetitu sensitiuo voluptati addicto in statu peccati renitens alter appetitus, irrequietam facit animam, quæ si Dei tantùm litat obsequio, vterque concors appetitus efficitur, totumque hominem in Deum rapit, & afficit omni bono, cuius sola possessio animam beate potest, & facere sic quietam. Quoties enim animus anhelus appetet incongrua, toties stimulis actus à ratione infixis pœnas luet. Cùm itaque pax omnimoda maneat appetitus, quos gratia concordes fecit, & nequeat perennare gratia in anima citra impigram sensuum custodiam, prudenter homini vigiles excubiæ consuluntur. Has autem excipit bonorū omnium summa conclusa nomine pacis, quæ Hebræis perinde est ac perfectio: etenim illis eidem dictio, quæ pacem sonat, radicales literas habet, quæ perfectionem significant. Illo nimirum idiomate שלום *schalô* pax dicitur, & שלם *schalam* idem est ac perficere. Perfectum autem est id omne, cui nihil omnino deest. At nihil deest illi, cuius concordes appetitus non diffluūt in optata.

Pax quid sit.

Pacis & perfectionis affinitas.

Quis igitur ingloriâ fractus ignauiâ renuet dare nomen suum illi militiæ, quæ professores suos ditat hoc diuite donatiuo.

Per me non stat, ô Prædicator, quin congeras sensa Patrum, quæ commendant illam animæ pacem, vt vel sic excitentur homines ad affectum pacis, tot & tantis encomiis hactenus illustratæ. Non item aspernor argumentum à contrariis ductum, quo ærūnas aperies animæ damnatæ in graues angustias synderesis cordis intima lancinantis. Miserandus namque habitus est discordis animæ; illa nimirum scinditur in partes, & discolor effecta gyrat, nulla vnquam sincera gaudia degens in his æstibus expertura. Dices, adeò graues esse molestias animi, quem dira synderesis exagitat, vt plures sese præfocarint laqueo, mortem infamem hanc quid mitiùs arbitrati. In his Scriptura commemorat Achitophel, & Iudam perduelles homines, qui dato paci libello repudij, diris omnibus sua capita deuouerunt. Demum concludes, Deum adstare pacificis, & eos afflare suo spiritu benefico, quo aspirante, bonorum omnium gazæ prostant homini tanto flamine ventilato. At secus homo nefarius, quem dirus conscientiæ turbo quatit, diabolo vt sæuo sessore premitur, cuius & pestilens aura malè habet anima illo spiritu iniquo percitas; vt extremo sui discrimine Saul expertus est, in quem vt spiritus ille malus insiliit, hoc tortore sui impos effectus est, & tot tantisque malis actus, vt aliis sibique grauis morte tenus extiterit.

Synderesis morte ipsa grauior.

Homilia Secvnda.

In hæc verba:

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.

EXORDIVM.

Homo quare editus ad imaginem Dei.

MVltos olim torsit altum scrutinium rationis, quæ induxit Moysem vt diceret, editum esse hominem ad imaginē & similitudinem Dei. Vltrò lubensque prætereo multa Patrum oracula circa illud argumentum maximè luculēta. Pro indole compendij huius homiliarum vna satis erit ratio, quæ mihi occurrit congrua sanè textui, vnde deducenda est concionis huius integra contextura. Arbitror ego, Deum dixisse hominem esse componendum ad imaginem & similitudinem Dei, quia eo potissimum fine creatus est, vt referret Christum, qui à Paulo dicitur: *Imago Dei inuisibilis, primogenitus creaturæ.* (Colos. 1.) Itaque suspicor, hominē esse exemplar effictum, velut in prototypi speciem aliqualem. Consonat Apostolus ita fatus *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* (Rom. 8.) Vt conformitas illa liquidior esset, Christus illud idem pensum suis discipulis imposuit, sanciens, vt se totos componerent ex præscripto ipsius Christi; genuinam eius ideam congruis actibus æmulantes. Vice decreti est hoc eiusdem Domini effatum. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* (Ioan. 20.) Quę sic verba sonant. Ego hominum sator, Deo sic moderante, fui humanis rebus appositus, vt saluti omniū consulerem, factâ singulis quibusque copiâ amoris eius, quo æstuo in gratiam animarum. Ne ergo degeneres estote discipuli; sed impigrè sectamini seriem actuum, quibus incubui vacando saluti hominū, quam cōmendo vobis præmonitis hanc præsertim sospitatem corde feruido propagari.

Suspicor, Christum insufflasse, vt hoc velut spiritu accenderet ignem illum, quem ardere par est in pectore fidelium. Ex præfatis exurget homilia, cuius pars prior erit de missione Christi, totâ amore conspicuâ. Secunda verò parte dicam, vnicuique Deum mandasse curam de proximo suo, sicque omnes à Deo missos esse, vt salutem fratrum pro suo modulo procurarent. Diuisio homiliæ.

Pars Prima Homiliæ.

Christus in humanis degens, sollicitauit homines præcipuè ad amorem Dei.

ESto Dei consilium sit ineffabile, & viæ eius inscrutabiles omnem hominum indaginem fallant; non est inconcessa tamen copia omnis fandi de Dei intento, vbi Deus ipse sacri scrutinij peruia reddidit argumenta. Ideò non cunctabor asserere, præcipuam Dei in humanis curā fuisse, vt homines amorem illum conciperent, quo exæstuans Christus arsit, flammæ huius æstū ingrato Iudæorum animo minimè remorante. Suam sic mentem aperuit ille consultor optimus. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* (Luc. 12.) Hoc reuera Dei facinus fuit egregium, corda videlicet hominum accendere igne illo cœlitus influente. Quippe tale incendium haudquaquam concipitur fomite humano, nullaque prorsus vnicæ rationis inductione potest homo assurgere ad ea, quæ superant humana conamina in quo genere principem locum tenet habitus ille amoris Dei toties à Christo Domino commendati.

Congruum sanè fuit demandari Christo prouinciam excitandi sacrum hunc & supernum ignem; illæ nimirum partes sapiunt æternam illā relationem, quæ intercedit inter Verbum, & Spiritum Sanctum: ille namque Dei Filius est Verbum spirans amorem, id est, Spiritum Sanctum, qui à patre, & Filio procedit. Vnde cum ab æterno procedat amor à Filio, consonum planè fuit Filium mitti in has mundi plagas, quæ nesciæ amoris, & gelido frigore concretæ hactenus inhorrebant. Vt ergo humanis primò stipatus exuuijs apparuit Christus, scaturigo amoris enixè hoc egit, vt fomes illa lōgè latè que sua spargeret incendia. Et ne accensus amor aliquādo deficeret, cauit ille sacer incendiarius, quādo suos discipulos initiās ait, fidei Christianæ professores esse ab alijs hac amoris tessera secernēdos. Ecce characteres omnino nouos inustos à Domino singulis quibusque suis symmystis. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* (Ioan. 13.) Charitas est tessera Christianæ fidei.

Quare autem inductio ad amorem, præcipuū fuit argumentum concionum Christi, disce ab officio, quod gerebat. Illi à Patre fuit cura hæc indicta, vt scilicet extinctos homines dæmonis astu, denuo sospites efficeret vita cœlitus inspirata. Ne ergo deesset his partibus, Euangelium

lium auspicatus est à prædicatione amoris, vt inhorrentes frigore mortis homines sacris assuescerent ignibus. Vno namque charitatis obsequio duntaxat fieri potest anima rediuiua. Sicut enim caloris expers homo non superstat, sed concedit in cadauer; ita prorsus anima deliquium patitur inglorium vitâ cadens, si est nescia charitatis. Cùm itaque Deus disponat omnia suauiter, præstitutoque sibi fine nusquam excidat, & Christi missio reducem animarum vitam attenderit; operæpretium fuit, amorem vt congruum hunc intento maximè cõmendare. Quippe nemo finis vnquam compos efficitur inconsultis medijs: rato igitur & fixo, charitatem esse compendiosam & necessariam viam ad sospitatem animæ, illa fuit, & quàm maximè cordi Christo, ruinas hominum vt par erat & congruè reparanti.

Charitas necessaria est, vt fiat anima rediuiua.

Suspicor in Propheta typũ rei à Christo gestæ. Is fuit Ezechiel, quem præstat audire ex Codice sacro, sua sic promentem oracula. *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Et circunduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne viuent ossa ista? Et dixi: Domine Deus tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his. Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis.* Nota, reducis vitæ præsagium duo præuia distinxisse, auditum scilicet verbi Domini, & introductionem spiritus: Verbum Domini Christum significat missum in has orbis oras, vt in campum alto mortuorum aggere candicantem. Spiritus verò vitæ præuius intromissus ossibus amorem clamat, qui vt se insinuat animis antea extinctis; suscitat homines vtique vegetos, & aptatos ad discrimina quæque fortiter obeunda. Hunc amoris viuidum effectum meminit idque luculenter præfatus Vates ita pergens. *Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare, fili hominis, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. Et prophetaui sicut præceperat mihi, & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.*

Ezech 37.

Ezech. vbi supra.

Diceres, hoc contextu lineari seriem rerum, quæ gestæ sunt in Euangelio hodierno, quo consternati, & conclusi scribuntur Apostoli metu Iudæorum, in quos velut extinctos Christus vbi insufflauit, eis subitum robur addidit statim, & adeò fortes pugiles fecit, vt sicut leones ignẽ spirãtes egregiè Apostoli postea decertarint. Hæc quippe fratrum animosa phalanx, in cuneos immissa Gentium, fortiter irrumpens, & ignea tela vibrans, orbem ferè totum fidei subdidit, & induxit vt Christo Domino militaret.

Prædicator, hanc priorem partem ampliare potes à singulari encomio charitatis, in cuius gratiam missus est à Deo Patre Filius, qui & ipse fuit encomiastes amoris. Demum dices, illum ignem eò reuocare homines, vnde Dominus hunc eduxit; cœlo namque reponit animas, amore feruidas, vt illic æternum degant, vbi viget amoris incendiũ hactenus inextinctum, vt Isaias fatur hoc contextu. *Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.*

Isa. 31.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Christiani reciproci amoris æstu flagrare debent, si eis est animus missionem Christi congruis actibus æmulari.

TAmetsi Deus non sit indigus opis alienæ, vt dubiæ animarum saluti consulat; non incongruum tamen censuit, in partem huius egregij muneris homines aduocare. Syracides enim ait, esse vnicuique mandatum de proximo suo. Quod perinde est ac dicere, esse penes vnumquẽque munus optimi consultoris. Deo sic moderãte vices hominum, vt quisque pro modulo quoque suo possit obire munera redemptoris. Non quidem vt Christus, sed vt adiutor opportunus, qui congruis auxiliis adesse potest animæ titubãti. Vt ergo mutuis obsequijs propagetur humana salus, est libranda sanè ijsdem propè ponderibus, quibus eam appendit Christus, cuius omne negotium in gratiam hominum fuit amoris opus, eius viscera depascentis. Amantissimi huius rerũ Domini altè spiritum ebiberat Apostolus ille, qui hoc amoris œstro percitus, totus erat in procuranda salute animarum, ita fatus. *Charitas Christi vrget nos.* Quasi diceret: Eodem & nos amoris impetu quatimur, quo & Christus ciebatur agens in humanis, saluti omnium hominum incumbendo.

Eccles. 17.

2. Cor. 5.

Quisquis igitur indictas sibi partes implere volet, & præstitutum sibi à Deo pensum reddere fideliter; ille primò zelum acuat, & ita amore prudens illũ attemperet intuitu proximi, vt charitate feruidus incalescat. Sic namque fiet, vt spiritum quisque suũ alijs impertiat, sicut & Christus dignatus est Apostolos spiritu suo insufflando in eos. Quippe vacare nescit amor; sed semper anhelus omnem mouet lapidem, vt se beneficum præstet, iuxta illud Philosophi placitum: Amare, est velle bonum. Cùm ergo salus animæ præcipuum sit bonum, quod vellè possimus alijs; summus esse debet amor, qui tanto negotio iugiter insudabit. In hoc potissimum se Christus imitandum proposuit quando suos Apostolos instituens, ait. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Id est: Ego totus amore incandui, vt reduces animas cœlis adscriberem; hunc & vos ignem concipite, si æmulatores mei vultis aliis inseruire.

Ioan. vbi

Prædicator, tuum erit inuestigare vias, quibus ad hunc amoris apicem facili negotio scandere conceditur. In his proderit sedulò perpendere, quanti sit momenti hominum salus, in cuius gratiam Christus minimè cunctatus est vitã desũgi, mortem ingloriam fortiter oppetendo. Concepta rei grauitas inuitum etiam animum flectet, & inducet ad amorem illum, cuius obsequio præfata salus animarum impigrè procuratur. Et quia amoris ingenium est, arduis incumbere citra fastidium; erit è re tua ò prudens concionator, vrgere homines ad sectanda ea omnia, quæ huic argumento litant. Verbi gratiã, dices eos consulere saluti suæ, qui prouehunt consonis actibus alienam. Adiicies, eos sibi congerere bonorum omnium summam, qui proximi curam gerunt, eius salutem pro viribus adstruendo. Et secus ostende, esse planè sui incurios homines illos, qui neminem curant. Demum velut exquisitam faciens anatomen actuum humanorum,

recensebis ea, quæ præstare debet amor, qui de alijs sollicitus, Christo Domino collaborat. Exempli vice referes Apostolos, qui oratione iugi, consiliis, eleemosynis, suam præbebant opem iis etiam hominibus, quos iniquos religio à Christo dissita faciebat.

Homilia Tertia.

In hæc verba:

Thomas vnus ex duodecim non erat cum eis, quando venit Iesus.

EXORDIVM.

Concordi Physicorum suffragio vigent omnia dignata propitiis Solis aspectibus; vt ex aduerso marcidum est illud, quod natura nouercans abstulit radiis beneficis huius sideris hæc infima vegetantis. Certior est Dei influxus in animas; hoc namque rore perfusus homo vegetior est. Indoles quippe diuinæ gratiæ hæc est, vt eâ solâ superstite in homine, viuat anima; alioquin passa deliquium, hoc supremo Dei munere fatiscente. Gratia namque Deum vehit, quo adstante securus homo superstat saluis & integris rebus; vt secus anima seorsum posita, & subducta diuinis aspectibus propè dehiscit in nihilum, vtpote vitiis obnoxia, quorum lethale virus est animis inimicum. Hodierno Euangelij contextu Thomas in hanc ferè deuenit perniciem. Ille nimirum aberat, quando suos Christus discipulos inuisit: eamobrem dubius ille discipulus passus est iacturam fidei naufragantis. Hoc Thomæ discrimen ingens graphicè expressit Ioannes scriba sacer, ita exorsus. *Thomas vnus ex duodecim non erat cum eis, quando venit Iesus.* Quasi diceret: Tota mali labes, quæ affecit Thomam dubiæ fidei discipulum, petenda est ab eius absentia, quando Christus apparuit in media Apostolorum frequentia. Vnde desumo istius homiliæ inuentum. In hæc verba. *Thomas non erat.* Dicam priori parte, eum reuera non esse, qui à Deo procul est: siquidem peccatis obnoxia subsidit anima, & velut in nihilum abit, præcipuo Dei influxu, qui est à gratia, destituta. Secunda verò parte dicam, eum, quem Christus inuisit, gaudere prænobili modo essendi, & ditari bonorum omnium supellectile.

Quare Thomas fuerit in fide dubius.

Ioan. 20. Diuisio homiliæ.

Pars Prima Homiliæ.

In nihilum abit homo nequam, quia hunc malè sibi conscium criminis intercapedo procul à Deo dissitum amandauit.

Cuiusque rei status optimus attenditur semper, quando in gratiam eius sincerum iudicium expectatur. Verbi gratiâ, si tantilla labe facta sanitas expenditur hominis non ægri quidem, sed non viribus integris, medicus audacter pronuntiat non valere hominem illum, nec posse sanum censeri, quia est dubiæ sanitatis. Ita si quando ferenda est sententia de aliquo, vt decernatur an sit reponendus in aliqua rerum classe; statim ille appenditur ad trutinam entis præcipui, ex quo est metiendus homo, vt par est, & congruè describendus. Cùm ergo potissima ratio entis, quo Deus hominem afficit, petatur à gratia, hæc præsertim petitur ab homine inspiciendo accuratè, vt directa amussis, ad quam sunt singulæ quæque animæ reuocandæ. Itaque pessimum omen manet eos omnes, qui gratiæ Dei expertes, agunt æuum eo nomine inglorium, quod nullius omnino nominis sint apud æquos rerum æstimatores. Homo namque cadens gratiâ, cuius impetu solo in Deum fertur; statim ad infima deuoluitur, & id summo animæ detrimento. Hæc nempe tale dispendium passa quasi non est, vtpote demersa in abyssum nihili. Vnde iure potes asserere, non esse animam, in quam gratia Dei non influxit: quippe deest illi totum illud, cuius intuitu aliquid antea censebatur.

Anima Dei gratiæ expers nihil est.

Prædicator, habes præclarum locum ex Philosophia, vt probes, illum profectò non esse, qui gratia Dei excidit. Sic procedes. Nomen analogum inuectum simpliciter, pro digniore sonat. Ergo cùm quæstio est de homine, sit necne; in hac eius entis indagine, attenditur gratia, vt ens superioris ordinis, & non ens physicum commune cum bestiis. Quia igitur ens, verum, bonum, aliquid, res, & vnum, sunt voces synonymæ; homo cadens gratia, in supremi etiam boni discrimen incurrit, quo amisso talis anima, non est ens, aut aliquid, sed prope nihil; quia præfato superiori ente caret, quo superstite homo erat alicuius numeri, & existentis titulo dignabatur. In eo sensu Codex sanctus vsurpat vocem, *nihil.* Ecce in eo argumento locum Apostoli. *Si quis diligit Deum, hic est cognitus ab eo. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo.* Quod perinde est, ac dicere: Nos eatenus existere, quatenus à Deo cognoscimur scientiâ approbationis. Vnde cùm hæc in homine præsupponat gratiam, quæ est amoris sacri fomes; profectò nullius apud Deum nominis erit homo lethali crimine sauciatus. Quod autem ait Apostolus, idolum nihil esse, hoc pertinet ad eamdem thesim: cùm enim simulacra micam nec minimam habeant ementitæ deitatis; nullum planè queunt momentum entis sibi meritò vendicare. Quod namque Dei non est, nullius est, imò nihil, iuxta Bernardi sententiam, quæ decernit, eum esse nihil inter omnia, qui esse sibi vult & non Deo. Vsa est & hoc loquendi tropo Esther illa Heroina Hebræa, initiata sacris disciplinis, vtpote cælitus erudita. Illa nempe Deo supplex aduoluta, preces istas anhelo corde fudit. *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram.* Hoc contextu notat Esther & idola & Gentiles, quibus hoc commune est vt non sint; quia neque infideles, neque simulacra pertinent ad gratiam, cuius est nos inter entia optima recensere.

1. Cor. 8.

Esther. 14.

In hanc nihili inglorij mulctam damnatur homo suæ salutis incurius statim atque Deo dedit libellum repudij; nemo quippe Dei præsentiæ se subducens, vel momento potest gratiæ Dei habitum seruare congruis actibus illibatum. Etenim hic habitus est in genere effectuum, quorum existentia petitur à continuo influxu causæ, quo sistente deliquium patitur hic effectus, vt videre est in luce, quæ duntaxat emicat, irradiante corpore luminoso. Cùm quis ergo Deum abdicat, exuit & gratiam, quæ sarta tecta nequit vel modicum stare, nisi Deo iugiter influente. Prædicator, hic ansam cape hortandi homines, vt frequentes

Gratia continuum Dei influxum petit.

frequentes adsint vbi Deus ipse propitius colitur, & assolet prædiuites gratiarum gazas prodigus aperire. Huius generis amœna loca perquàm grata Deo sunt Ecclesiæ, vbi verbo sacro insistentibus doctis vsquequaque viris, vt & alia sancta facientibus adest Deus beneficus. Conclude priorem hanc partem, Theologicè demonstrando, summam omnium miseriam esse illam, qua ad abyssum nihili deuenitur. Cùm namque bonum & ens conuertantur, necesse est vt malum atque nihil coëant, & de nefario simul homine prædicentur. Si huiusce nihili atque mali perniciem explicare vacat, ad manum habes hoc commune effatum; scilicet, mali cuiusque grauitatem attendi ex pretio boni ex diametro oppositi. Vnde cùm gratiæ iactura Deum procul eliminet ab anima, necesse est hoc summo bono deperdito premi hominem diris omnino malis, ac proinde pati omnia acerba, vtpote fugi tormine cruciatum.

Pars Secunda Homiliæ.

Bonorum omnium summa manet eos, qui comites Christi, indiuiduo eius gaudent consortio.

Alcibiadis hoc fuit locuples encomium, vt bello indicto, quocumque diuerteret, eò etiam victoriam transmitteret, vtpote assuetam stare à partibus huiusce Ducis intrepidi, extrema quæque discrimina fortiter obeuntis. Adblandiens fortuna viro illi tantùm indulserit necne, fides esto penes historiam. Non illa tamen faciet inuidiam Christicolis; eorum namque beatior est sors, quàm hominum Alcibiade Duce pugnantium. Quippe fideles militiæ Christi adscripti, nihil nisi heroïcum spirant, & exantlare solent semper egregia facinora, sui Antesignani comite præfecturâ. Audi athletam, qui insultat acerbis quibusque hostibus, Deo moderante suos agones. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Nonne Ducis huius præsidio, Apostoli inermes reportauere victorias insignes de orbe toto armatis Gentibus occurrentes? Et ne multo annorum tractu obsoleta loquar, Nonne hodie iugis influxus Christi Domini, vt bonorum omnium seges vberrima sanctiora claustra beat, & componit in speciem mystici paradisi? Rom. 8.

Arridet illa Platonis sententia, quæ affirmat, gazas omnes præclaris etiam opibus fœtas, esse cæli quisquilias, & veluti sordes, quas accuratæ scopæ cælitum euerrerunt. Philosophus ille sagax voluit insinuare, bona quæque sæculi huius non esse solùm infra bona cælestia, sed prorsus indigna, quæ cum diuino aliquo munere componantur. Quisquis ergo Deum satagit sibi facere propitium gratiæ seu charitatis obsequio; ille boni omnimodi immergitur scaturigini, spargenti suos latices indefessè.

Prædicator, si exquisita ratione lubet adstruere intentum huius secundæ partis, cuius est probare, bonorum omnium summam manere illos, qui comites Christi, indiuiduo eius gaudent consortio, sic argues: Nemo Christo adhæret nisi amoris eius suffragio. Ergo cùm amare sit velle bonum, & bonum attendatur ex ingenio amoris: profectò amor Christi nihil nisi summa volet homini, quem afficit; quia serpere nescit amor ille summus, exosus humilia omnia & abiecta, quæ deuius hominum amor assolet in hoc sæculo deperire. Adiice, practicum esse amorem Christi, & parturire bona, quæ decernit animæ, quæ stipatur assiduè benefico Christi Domini comitatu. Vnde liquet, animam gratiâ Dei insignem bonorum omnium esse consciam vsquequaque. Cum namque Deus sit maximè in effundenda bona pronus, vtpote summè bonus, ac proinde se diffundens iuxta naturam boni, cuius est propagari gratis. Si nanciscatur agens illud subiectum idoneum in quod agat, profectò dotes illuc inuehet suæ consonas vtique bonitati.

Rursus ex Philosopho: illud est magis tale, quod accedit ad maximè tale. Ergo cùm Deus sit fons atque scaturigo boni omnigeni; qui quis erit particeps Dei, is & melior erit, & euadet in optimum, vt bonorum omnium latices assequutus. Dices, ô Prædicator, rationem cuiusque boni attendi ex conuenientia; quod enim alicui conuenit, hoc & ei bonum est. Hinc concludes, hominem bonorum omnium summam possidere Deo iugiter adhærendo. Siquidem omne bonum appenditur ad trutinam supremi eius boni, à quo habent omnia vt bona sint. Adiicies, Deum maximè conuenire homini, qui aliò deflectendo, gyrat, & inquies animum patitur errabundum. Habes in eo argumento Patres, qui toti sunt in vrgendis hominibus, vt Deo soli litent, aspernando bona hæc fucata, quæ imponunt animæ incautæ. Suppetunt & exempla, quibus hæc veritas adstruitur. In his occurrit Dauid, qui regio clarus imperio, & opibus auctus, flocci fecit illa bona, vt bonorum omnium summo, id est Deo, tenaci glutino iungeretur. Eius sunt voces istæ anhelæ. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis desiderium tuum.* Nota, dotem esse inconcessam aliis omnino bonis, vt scilicet impleant desiderium hominis. Illud nempe bonis omnibus inuigilat. Cùm ergo bonum infra Deum in natura desit, quod sit omne bonum; animorum in diuersa studia deflexio nullum propè modum faciet cupidini ementiti boni, cuius specie illectus animus irritatur. Itaque consulturus homo sibi, missa supellectile sæculi huius, Deum congruis demerebit obsequiis; quia penes illum tantùm est illa locuples gaza boni, quod vnum debet vota sibi hominum omnia deuincire.

Quare Deus sit bonum hominis.

Psalm. 72. Psalm. 26. Psalm. 102.

Deus solus implet animæ desiderium.

Homilia Quarta.

In hæc verba:

Affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus.

Exordium.

Vespasiano quondam epulis indulgenti manus adumbrata seorsim apparuit. Res hæc visa prope prodigium, induxit hominem, vt in re ancipiti consuleret peritos quosque inibi coniectores. Hi non hæsere diu, nec plures traxere moras in seria indagine veritatis abditæ specie præsagij. Etenim concordi velut oraculo, Vespasiano tunc Duci militiæ benè ominantes, dixere

Manus est symbolum Imperij.

dixere audacter, supremas Imperij infulas imminere. Siquidem cælitus emissa manus nihil nisi magna clamat. Vespasiano breui rerum potiente, adeptus apex indubium fecit omen, cui prælusit illa manus, quæ velut acta desuper illi Principi militabat. Eodem sanè manus obsequio, Thomas denuo Apostolatus infulas induit, quas propè exuerat, cùm discolor & dissitus ab aliis Apostolis eos suspicatus est hallucinari circa fidem Christi Domini rediuiui. Christus ope manus, illi dubio consuluit Apostolo, monens vt afferret manum, & in latus immitteret eius corporis antea extincti, cuius tunc vita redux oculis etiam conosciis apparebat. Annuente Thoma, & mittente manum in vulnere hiulco, latus apertum Christi, discussit omnem caliginem illam, quam dubius animus inuexerat, non sine discrimine fidei vacillantis. Statim enim atque manus Apostoli inserta est lateri Christi, ille nutans discipulus se totum effinxit & fixit ad arbitrium eius Domini reducis ad vitam, cuius fidem hactenus turpiter abdicarat. Obiurgatum hunc leniter Apostolum Christus suo reddidit obsequio præmonitum, ne foret incredulus. Quasi diceret; parum esse, citas explicare manus, nisi sincera fides adscita, decus & gratiam adiiceret manibus, egregiis actibus assuetis.

Ex præfatis desumo argumentum congruum homiliæ istius. Dicam priori parte, manus appositas lateri Christi esse necessarias ad salutem, cuius impos erit omnis homo adultus citra opera, quæ Christi sanguine purpurascunt. Habet namque bonum opus vim suam, & meritum à Passione Christi. Altera concionis parte dicam, esse fidem necessariam, ne laude digna facinora edita, mercede congrua defraudentur.

Pars Prima Homiliæ.

Adulti cuiusque hominis salus adstruitur operibus, quorum vis attenditur ex Passione Christi.

Manus in Scriptura quid significet.

Concolor Scriptura sibi, easdem subinde refricat ideas rerum, quæ conducunt vt sensa Dei non vernaculis omnino typis sacro Codice designentur. In his nomenclatura manus est frequens, vtpote occurrens passim, & vsurpata pro opere. Hæc cautela tamen est notanda sagaciter, vt si quando manus dicatur emissa cælitus, tunc opus referat arduum, & Deo auctore fortiter exantlatum. Præfatæ obseruationi fidem facit Dauid, orans vt cassi fiant impetus hostium deforis irruentium. Is nempe Deo aduolutus efflagitat manum desuper adiuuantem. Illa quippe manu cælitus impulsâ credit imbelles fore manus, quas acerbas explicuere liuor & rabies hostium infernorum. Ecce vota hominis anxij, & de sua salute solliciti. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.* (Psalm. 143.) Vt pertinaci nodo validior cuneus opponitur; ita Dauid vbi incurrit in discrimen adulterij, lethali hoc vulnere saucius, dæmonis astuti præcauendo manus, alias è cælo potiores à Deo Domino conquisiuit. Ad hoc enim vt homo frangat impetus hostium, quos iniquos patitur, validis indiget auxiliis. Is etenim impar congressui cum dæmone, mundo, & insita cupidine noxia, conciliare sibi debet manus cælicas impellentes. Illæ quippe notant arduæ virtutis exhibita specimina, ad quæ sese aptat homo, sollicitus de meliori sorte æterna, quam dubiam plerumque facit non aspernanda cohors hostium acerborum.

Bona opera egent Dei gratia vt edantur.

Prædicator, inde sumes argumentum adstruendi bona opera. Nempe dices, instare à tergo perduelles æmulos, eosque plures, quàm recenseri queant: ac proinde nostra interesse, vt partibus nostris manu valida consulamus. Dices, operæpretium esse, vt illa manus sit cælestis, quia dæmonis impetus cassa facit omnia hominum conamina; ideóque oportere auxilia esse superioris ordinis, qualia sunt bona opera edita impulsore Deo, & gratia cælitus influente. Ne aliqua vanitatis aura malis auibus afflans noxia sit operibus, tempestiuum erit præmonere homines, vt manus Deo suasore motas & accinctas ad ardua mittant in latus Christi: quippe vacant hominum facta, meritoque carent, nisi Saluatoris sint sanguine delibuta. Illa obseruatio conducet ad carpendam acriter vesaniam hæreticorum, qui nobis imponunt in argumento bonorum operum; quasi verò Romana fides hallucinans, & aberrans à scopo indicto, sit nescia veritatis. Illi desertores aiunt, se defecisse à nobis, quia peregrina dogmata inuteximus, quæ dedecent disciplinam Christi. In his annumerant istam blasphemiam, quam nobis affingunt; videlicet, opera bona solo nisu humano parta, citra supernum Dei auxilium, suopte ingenio esse cælestium conscia meritorum. Hoc Pelagij delirio nostrates hæretici Ecclesiam afficiunt toto cælo dissitam ab errore illo, quem sugillat profitendo, bonum quodque suas habere vires à Passione Christi, cuius merita in nos & nostra bona opera propagantur. Consule, lector, Tertium Tomum meæ Moralis Encyclopediæ, ex cuius penu leges sensa Patrum, Canones Ecclesiæ, & decreta Conciliorum, circa fidem bonorum operum, & meriti, quod effluit ex actibus elicitis Deo ciente manus nostras, & diuina gratia cælitus aspirante.

Meritũ operum est à Passione Christi.

Non erit abs re in subiecta materia æmulari industriam Medicorum, qui vt exquisitam faciant anatomen, scapello solent seorsim ea, quæ compagum hominis sunt, omnia dissecare. Proderit & singulas quasque voces expendere versus, quem decurro, vt serie verborum Christi agnitâ, fides Ecclesiæ pertinens ad bona opera, & meritum, nostris etiam æmulis innotescat. Ecce Dei voces. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus.* Primò Deus animam sollicitat, vt afferat manus: quippe Deo feriante, manus torpent, & sine gratia excitante, nemo suas explicare potest manus ad virtutis arduæ praxim impigrè profitendam. Secundò anima excitata manus exerens, & brachia, incassum niteretur, si meritorum omnium obstetrix Passio Christi non adesset; nimirum ex hoc velut aperto latere Christi, cuiusque meriti & gratiæ petitur argumentum. Inserta manus lateri Christi ingem fidei poscit opem, vt præfato Christi Domini sermone liquet, quo dubium discipulum affatus, subiecit operi bono fidem, hortando Thomam ne esset incredulus. Quod perinde est, vt dicere, detrahi meritum bonis operibus, quæ gratia Dei excitante fiunt, si sit animus infidelis.

Pars

Pars Secunda Homiliæ.

Sinceræ fidei deliquium detrahit omnem gratiam, & meritum bonis quibusque operibus.

Rom. 14. IN salebrosis Scripturæ locis reponitur iste Pauli versus. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Chrysostomus, Ambrosius, & alij non infimæ notæ Patres, quos iste locus exercuit, arbitrantur Apostolum hîc vsurpasse fidem pro conscientia dictante bonum aut malum esse opus, ad quod se accingit homo dubius an fas sit tale quidpiam operari. Consona satis est intento Pauli illa sententia. Etenim πίστις non solùm fidem Theogalem significat, sed & persuasionem ἀπὸ τῦ πείθειν, id est, persuadere. Vnde bona fide dicitur agi, quidquid fit conscientiâ dictante bonum esse, quod agitur. Esto sana sit illa coniectura & fortè assecuta mentem Pauli; alia interpretatio mihi occurrit, concinna magis & congrua titulo, quem præfixi in gratiam fidei necessariæ, vt sint bona opera sarta tecta. Itaque locum præfatum sic expendo. Omne quod non est ex fide peccatum est. Id est, quantumuis opus arduum moliatur anima infidelis, vitiosum erit illud, quia defectu fidei nulla potest esse actio suis omnibus numeris absoluta. Namque bonum omne est ex integra causa. Malum verò ex quolibet defectu. Cùm ergo defectus fidei sit insignis in anima, & operari sequatur esse: anima peccatis obnoxia, & fidei expers nihil prorsus aget vsquequaque bonum; sed aliquo vitio implexas semper exeret actiones. Est autem vitium illud ingens infidelis animus: nempe suum virus affricans ita bonis operibus, vt depereat illis præcipuum omne decus, scilicet vis æterna præmia demerendi.

Fides quare necessaria sit ad bonum opus.

Augustinus adest mihi propitius in eo sensu, quê affingo textui, qui facessit negotium. Is enim à Prospero Aquitano traducitur ita fatus. *Peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono. Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.* Discursus ille Augustini potest in gratiam meæ sententiæ Philosophiæ regulis adaptari. Etenim

Prosper. in sententiis excerptis ex Aug. sententia 106.

Philosophia obstetricante valet istud argumentum: Qualitas cuiusque finis innititur operi, iuxta commune effatum ingerens actiones specificari à fine. At nequit esse bonus omnino finis operis ediri ab homine infideli. Ergo talis actus minimè bonus est censendus, qui est expers congruæ bonitatis. Deuios esse tales actus elicitos ab hæretico & Gentili, ratio sic suadet. In moralibus bonitas attenditur ex relatione ad summum bonum, quod est Deus; ita vt eatenus bona tantùm sit actio, quatenus eius finis ad Deum dirigitur, qui est bonorum omnium summa. Ast animus infidelis Deum non attendit, vtpote nescius eius summi boni, ac proinde caret eo fine, qui affricat omnimodam operi bonitatem. Adijce locum istum Pauli. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Siquidem nemo Deo placet, nisi gratus; sed ingratus est omnis à Deo auersus, cuiusmodi est animus infidelis. Ille namque gratus esse Deo nequit, in quem gratia Dei non influxit. Cùm ergo fides sit gratiæ præambula; opus insciâ fide factum gratis appenditur ad trutinam meritorum. Itaque redux Apostolus ille, qui dubius in fide fuit, audiit à Christo fidem esse bonis actibus apponendam. Hoc quippe sonant illæ voces. *Mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus.* Hebr. 11.

Christi sui consultoris optimi voce benè suada Thomas velut initiatus iterum sacris fidei mysteriis, auspicatus est bona sua opera à professione fidei, vt videre est ex alacri confessione in Christo abditæ Deitatis. Vbi enim Dominus ille rediuiuus voluit sisti sibi Thomam, fidei ancipitis Apostolum, vt quintuplici vulnere aperti corporis ostia tentaret; ille obiectu carnis hiulcæ plagis, statim erupit in voces has subiectas. *Dominus meus, & Deus meus.* Sinceræ huius fidei obsequium ita Deum demeruit, vt reddiderit illum gregi, vnde palantem abegerat animus errabundus.

Prædicator, non te prætereat distinctio fidei, in viuam & mortuam, ne auditor incautus omnem gratiæ, & meritorum cardinem credat verti in fide sola nescia charitatis. Copiosa supellex in eo themate tibi prostat in tertio Tomo meæ Moralis Encyclopædiæ. Hunc euolue studio minimè pœnitendo.



DOMINICA II. POST PASCHA.

EVANGELIVM. Ioan. 10.

I. EGo sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

II. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit; & dispergit oues.

III. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

IV. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.

V. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.

SENSVS MORALIS

Euangelij, cuius textus dispescitur in tot asserta moralia, quot sunt numeri prænotati.

I. *Conspicua prelatorum omnium sors cæteris eminens, Christo etiam præcone sapit quid diuinum. Ex persona namque hominum, qui præficiuntur aliis, Christus ait.* Ego sum pastor bonus. *Illa vocum series animo præaltum quidpiam ingerit, & conducit ad diuina stemmata Prælatorum. Dubius enim Moyses, qua nomenclatura Deus innotescere posset hominibus, audiit cælitus hanc esse Dei notionem vtique singularem. Scilicet.* Ego sum, qui sum. *Quia esse citra influxum alterius ad Deum tantùm pertinet, qui est ens entium omnium scaturigo saliens indefessè. Cùm itaque ad Dei indolem beneficam aptetur homo inauguratus infulis præfecturæ animarum, operæpretium est, vt se effingat ad ideam eius prototypi, quem referre debet, commisso sibi gregi sedulò collaborans.*

II. Vigiles excubiæ, & cura solers animarum discernunt Antistites degeneres à sinceris. Nempe verus pastor de suis ouibus sollicitus illis inuigilat, & satagit vt lustrando caulas, illæ quantocyùs à fœdis vitiorum omnium fæcibus expurgentur. Ille verò, qui magno sui discrimine initiatur infulis, vt illis impar non omnino curat bonum opus, sed anhelus opes accumulat, & opimas auri gazas ouibus anteponit. Hic pastor reuera nequam salutis ouium incuriosus, hoc suo veterno, & sopore lupos sollicitat vt sese in caulas insinuent, & grassentur cruentâ gregis editâ laniená. Tantùm enim abest, vt pastor iniquus aliquando suis consulat ouibus; quinimò videre est eum prouocare lupos, vt petant iugulum gregis, & eo mactato eius adipe saginentur.

III. Tota mali labes inde sua petit exordia, quòd spurius pastor sibi hoc vnum indixit negotium, vt se nimirum pascat, & impinguet opibus vndequaque partis, curâ gregis penitus abdicatâ. Quasi verò salus ouium non obstringat eos, quibus est hoc pensum impositum à Deo Optimo Maximo, cui præcipuè est cordi sospes & integer ouium status, quem procurat anxium atque decens regimen animarum.

IV. Vt hunc pastoris affectum erga suum gregem Christus obstringeret, sanxit vt vtriusque, scilicet gregis & pastoris, alternaret amor. Pastor obit suas partes, quando vigil excubat in gratiam gregis; & oues abundè sibi consulunt, si pastori litant congruis obsequiis, ne cura sit irrita pastoralis.

V. Esto propè infinita sint munia pastoris optimi; nulli tamen defuit Christus, insomnes agens noctes, & dies impastos, ne in aliquod discrimen oues incurrerent. Imò cauit suo sanguine effuso gregi, quem dæmonis acerba rabies antea sauciarat. Quodque prodit curam impigram Christi in pastorem compositi, ille lupis se obiecit, morte sua sanciendo vitam gregis, cuius oues præcipuæ, scilicet animæ sanctæ, vocem pascentis audiunt; ita suis intentæ pascuis, vt & pastoris iussa capessant, ei congruis actibus obsequentes.

HOMILIA VNICA.

In hæc verba:

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

EXORDIVM.

Rerum omnium, quæ existunt, præfuisse ideas in Deo, constans est Theologiæ effatum. Est namque Deus causa exemplaris rerum omnium editarum. Sed esto ratum sit & fixum, res quasque suos habuisse typos in mente diuina; non inde tamen inferre licet, omnia entia referre Deum, & esse eisdem numeris omnibus absoluta. Etenim si quis vt par est accuratè discurrit per omnium entium classes, ille aduertet, esse quædam præ aliis effecta magis ad similitudinem Dei. In his primi occurrunt Prælati, seu pastores animarum, quibus æterna salus hominum à Christo Domino commendatur. Vt hos erudiret ille rerum Dominus pastorem induit, & sedulam curam agens animarum, morte spreta, id vitæ genus est sectatus, quod exquisitè debent omnes Præsules exhibere. Quodque magis commendat illum Præsulum statum, cuius est pascere gregem Christi; quod, inquam, est maximè singulare pastoribus, est ipsa nomenclatura communis Deo & hominibus. Vnde vt diuinitatem suam adstrueret Christus, hunc pastoris titulum vsurpauit. Diuino & Spiritu afflatus Psaltes Deum meminit vt pastorem. Ecce suaue melos Vatis diuino flamine peciti. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Quantùm cæteris sortibus emineat ille status dicam priori parte istius homiliæ, vbi agam de dignitate pastoris animarum. In hæc verba. *Ego sum pastor bonus.* Secunda verò parte recensebo præcipua pastoris officia vt liquidò constet ad quid Præsules obstringantur. Et hæc pars altera vice commentarij erit in has voces. *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.*

S. Thom. 1. p. q. 15. art. 2.

Psalm. 22.

Diuisio homiliæ.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Cæteris statibus eminet sors pastoris animarum.

Meditatus Assuerus, qua ratione virum aliquem præcipuo honore posset afficere; eum, qui primas tenebat in aula regia eo temporis articulo, scilicet Aman, adhibuit ancipitis animi consultorem. Ille tumens alta æstimatione sui, credidit sibi parari à Rege specimen aliquod eximij honoris, & nemini prorsus alteri inuigilare curas Principis Assueri. Turgens itaque typho superbiæ hic aulicus, & in gratiam sui ipsius dicturus sententiam, ita Regem adorsus est. *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere regium diadema super*

Esther. 6.

super caput suum, & primus de regiis Principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare. Ecce consilium, quod suggessit Aman velut instanti sibi excelsæ gloriæ consulturus. Sed quàm deuius aberrarit à scopo sibi indicto, Codex sanctus aperit hoc tenore. *Dixit ei Rex: Festina, & sumptâ stolâ, & equo, fac, vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.* Profectò fuit hæc omnium honorum summa, ad quam homo potest assurgere, scilicet indui regalibus, & infra se habere viros aliis omnibus eminentes.

Nomen Dei quale sit.

In hunc gloriæ apicem euectus est Pontifex, animarum pastor. Quippe Deus sua quasi regalia iuris eius facit, quando vocat eum in partem nominis sui, quod Moysis tantùm auribus insonuit, & quo præcone nobis innotuit, hactenus aliis hominibus illâ nominis huius gratiâ defraudatis. Ecce ex Scriptura sonum nominis, cuius & parte afficitur animarum pastor. *Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysem:* EGO SVM QVI SVM. *Ait: Sic dices filiis Israël:* QVI EST, *misit me ad vos.* Dum Christus ait ex persona pastoris. *Ego sum pastor bonus.* Nonne Dei nomen affingit huic statui, cuius præcipuè dignitas attenditur ex duabus his vocibus, EGO SVM? Illa nimirum dictio, EGO, pronomen est primæ personæ. Pastoris animarum nomenclatura sonat illud idem, quod persona tenens primas. Ipsi nempe Reges deferre solent summo Præsuli principatum. Sed quid compono Reges cum summo Pontifice, cùm Theodosius ille Magnus vtique Imperator fama super æthera notus humile obsequium præstiterit Ambrosio pastori licet infra summum Pontificem. Nonne primas etiam detulit Episcopis alter Imperator nomine Constantinus. Theodosio orante in choro dum sacra faceret Ambrosius, ægrè tulit Præsul hunc Principem subiisse chorum; ideóque misit vnum ex clericis, qui Theodosio indiceret esse foras exeundum, quia choris potior templi sedes ad ministros Ecclesiæ pertinebat. Nihil cunctatus Imperator morem gessit, choroque pedem extulit, suo exemplo clamans, Præsulum apices in his, quæ ad Ecclesiam spectant, summa etiam mundi huius culmina superare.

Exod. 3.

Quanta sit dignitas Prælatorum.

Theodosij reuerentia erga Ambrosium.

Ex vita Amb.

Eiusdem reuerentiæ in pastores animarum specimen edidit Constantinus & hic Magnus etiam Imperator, qui vt medius adstitit in magna frequentia Præsulum, quos Nicæna Synodus aduocarat. Is, inquam, veneratus hanc coronam, noluit assidere prius quàm vidisset omnes hos Pastores suis subiectis sedibus appositos; & sic eis deferendo primas prudenter ostendit, cuius sint ponderis & momenti infulæ Pastorales. Harum status, regimen animarum spectat, & pertinet ad salutem æternam. At sors Regum præcipuè attendit ad res politicas, atque adeò indigna est, quæ componatur cùm cura Præsulis, cuius est non terrena solùm, sed & cœlestia moderari. Igitur apposite Christus vsurpat hoc pronomen, EGO, dum Pastorem agit; nam vox illa sedes primas intimat, quæ pertinent ad Pastores animarum, sacras Dei vices iugiter obeuntes.

Constantini obsequium erga Episcopos.

Eusebius in vita Constant.

Prædicator, in eo argumento dignitatis Antistitum consule me primo Tomo meæ moralis Encyclopediæ, vbi dum expendo moraliter Euangelium de Natiuitate Christi, congero multa petita ex omnibus scientiis in gratiam Prælatorum. Hinc tibi locuples est demetenda seges, si quæ cupido tuum sollicitat animum addiscendi quantùm aliis emineat Pastor, quo excubante salus hominum seriò propagatur.

SECVNDA PARS HOMILIÆ.

De salute gregis sibi commissi sollicitus esse debet Pastor vsquequaque vigil.

PErtinens ad hunc titulum selecta rerum supellex est cusa tibi supra, vbi homilia de sancto Martino Pontifice, exquisita rationum serie probat, esse veritatem ab his omnibus ad quos pertinet excolendam.



HOMILIÆ IN TOTAM QVADRAGESIMAM.

PRÆFATIO.



NOLEVIT hoc sæculo ritus ille, vt quisquis aliquos ediderit libros in Scripturam sacram, ille in calce operis aliquam seriem concionum texat, quæ possunt edi suffragio rerum quas decurrit auctor, qui si deest huic indici, fit censuræ obnoxius, iniquiorem lectorem nactus. In eo tritum ab aliis callem, idque cum fœnore lectoris (quippe alij fragmenta cudunt ad conciones) ego integram Quadragesimam trado, non ex solis materiis primi & alterius Tomi compositam, sed plurimis adiectis aliunde rebus, singulis quibusque concionibus idoneis, quas nullibi meorum operum reperies. Non offero scopas dissolutas, & arenam sine calce, sed conciones, quas demorsi vngues tibi descripserunt. Quem hisce concionibus aggredior scribendi modum, hunc sequar aliis tomis pluribus excudendis. Nimirum aliquam proponam veritatem prædicabilem, quàm probare enitar ex Philosophia, vel Theologia: nulla namque alia scientia moraliter vsurpata quidpiam potest adstruere formaliter & sincerè. Ne tamen discursus, quo spatiatur ratio argumentis assueta, importunus sit, omnium ferè scientiarum ornamenta interseram, vt occurram nauseæ, quam parit ille discurrendi vsus asperior.

Cæterùm istæ conciones in totam Quadragesimam non me liberabunt ære quod contraxi, pollicitus alios Tomos in Euangelia Quadragesimæ. Nempe Deo dante & superioribus suo nutu fauentibus, duos tibi meditor & paro Tomos in Euangelia omnia Quadragesimæ, vnde vt è pancarpio fœto multiplici vbertate rerum poteris depromere quàm plurimas, & pro arbitrio tuo texere conciones.

FERIA QVARTA CINERVM.

SVMMA HOMILIÆ.

I. CVM Deus vtrobique infinitus sit, in misericordia scilicet, & in iustitia, penes se copiosum retinet penu, vnde depromat stipendia congrua meritis hominum. Tota autem hominum vita ad duo tempora congruè referri potest; nimirum ad Bacchanalia, & ad Quadragesimam. Dyscoli omnes effusi in sensuum illecebras magnum coaceruant sibi cumulum tormentorum, quem Scriptura sacra vocat thesaurum iræ Dei. De hoc thesauro ago priori parte istius Homiliæ, ostendens quæ incendia excitent hominum flagitia.

II. Dico secunda parte, Ecclesiam occurrere dispendiis, quæ intulere tempora voluptati impensa; siquidem ieiunio indicto homines prouocat ad virtutum praxim: prolixiores etenim sunt preces tempore Quadragesimæ, vt ieiuno corpore anima saginetur. Illa bonorum operum frequentia dum demeretur Deum, conciliat homini magnum thesaurum gratiarum. Sic tota hæc Homilia est de thesauris disparibus, quos componunt homines impij, & alij profitentes sanctius institutum.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Matth. 6.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 12.
Gryphi custodiũt thesauros.



LEMENS Alexandrinus ait Gryphos custodire ingentes thesauros sub terra reconditos, ita vt illa magna vis auri sit hominibus inconcessa, imò & lethalis omnibus his, quos intempestiua auri libido sollicitat; nam dum explorant abditas illas opes, incidunt in Gryphos, a quibus vngue & rostro miserè discerpuntur. Iniquior sanè est sors hominum, qui in terra thesaurizant: etenim eorum opibus incubant dæmones Angeli tenebrarum, qui etiam adimunt diuitibus liberiorem vsum suarum facultatum. Hi etiam thesaurizant huic sæculo, qui Dei immemores nihil nisi profana animo versant: illorum opera diaboli custodiunt, vt cum suis auctoribus ardeant. Multa hæc opera perpetrastis, auditores, hisce Bacchanalibus, nihil omnino diabolis excidit, vnde cruciatuum vobis cumulus augeatur. Satis pœnarum est, mutate animum & componite vos ad meliorem frugem, obedientes Christo, qui hodie ex Euangelio prælecto sic hortatur. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, *id est, ieiunate, orate, vacate piis operibus; hæ namque opes sunt, ad quas beati Angeli excubant, eas referentes in cœlum, quò etiam euehent talia factitantes, beandos aliquando in eo regno, cuius Reginam veneramur, dicentes.* AVE MARIA.

DEus est rerum omnium finis, cui se subducere nemo potest, qui enim misericordiæ sinum fugit, ille in iustitiæ manus horribiles cadit: habet namque Deus & misericordiæ gazas, & thesauros iræ, in quos mittit æs quodque congruum his thesauris. Homines dyscoli thesaurizant iram, deliciis atque voluptatibus; iusti verò bonis actibus coaceruant sibi cumulos prædiuites beatarum opum. Bacchanalia tempus sunt idoneum iræ Dei, quam vt auertat Ecclesia alma parens instituit Quadragesimam, velut antidotum criminum; quæ reprobi antea perpetrarunt: atque ita dies illi quàm maximè apti sunt ad thesaurizandum in cœlis. Habeo itaque hac concione duo probanda. Primum est, omnes sæculi illecebras parare mala suis sequacibus. Alterum est, bona opera iustorum componere in cœlo thesaurum furibus inuium.

Quadragesima est antidotum Bacchanalium.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Qui genio suo indulgent in hoc sæculo, thesaurizant sibi mala in futuro.

Ex SS. Patribus.
August. serm. 120 de tempore.
Thesauros parant sibi boni, & mali.

VT maiorem fidem faciat hæc mea diuisio concionis, auspicabor ab auctoritate Patrum, vt iacto hoc fundamine discursus huius stet series inconcussa. Audi Augustinum meo intento propitium. *Quidquid homo facit modo, in thesaurum mittit, sed nescit quid colligat, quomodo diuites, qui in thesaurum terræ mittunt; quasi sciant quid colligunt, sed nesciunt cui colligunt. Sic contra in thesaurum cœlestem boni quid colligant sciunt, mali quid colligant nesciunt. Bonus enim ponit in thesauro cœlesti omnia opera misericordiæ, quæ fecit circa homines, quibus subuenit, & scit quoniam fidelis est custos, qui illi seruat omnia quæ reponit. Mali verò, & ipsi mittunt in thesaurum, vt in thesauro omnia mala opera sua seruet illis Deus. Hoc est quod dixit Apostolus: Thesaurizas tibi iram in die iræ iusti iudicij Dei.* Hæc ille.

Thesaurus duplex.
Cic. 2. de oratore.
Thesaurus quid significat.
Plaut. Pseud. sc. 4. act. 1.
Idem in Asin. sc. 2. a. 2.
Mostel. sc. 1. act. 4.
Ex THEOLOGIA.

Thesaurus, ex prima institutione sonat ingentem cumulum opum, & metaphoricè significat cuiusque rei magnam congeriem, vt apud Ciceronem. *Thesaurus rerum omnium memoria.* In eo sensu, ille aceruus meritorum, qui exurgit ex quibusque actibus hominum, est thesaurus, bonus, aut malus, pro natura actionum, quas homines exantlarunt. Si merita mala sint, ea componunt thesaurum malum. Vnde Plautus ait. *Is mihi thesaurus iugis in nostra domo est, fletuum scilicet ac verberum.* Idem de homine qui egregiè vapularat. *In tergo thesaurum gerit*, id est, magnas plagarum reliquias. De seruis autem fugitiuis sic ille. *Thesaurum inde parant.* Ita vsurpo hanc thesauri vocem commemorans reproborum actus nefarios, quibus etsi genio indulgeant, grauia sibi mala tamen accumulant, vrgentes iram Dei. Cuius enim est amare bonum, eius est etiam odisse malum: at Deus amat bonos; ergo odit malos. Odisse autem in Deo non importat passionem, qua moueatur Deus; sed connotat malum quod Deus vult ei qui malus est. Vt namque voluntas nequit odisse bonum, ita & nequit amare malum. Est autem malum omne quod deuiat à summo bono, id est, Deo. Bonum illud apprehenditur intellectu & voluntate, vt animæ brachiis: reiicitur verò iisdem animæ potentiis, dum ruunt in amplexus alterius boni ementiti, vt sunt illecebræ sensuum, epulæ, libido & cætera, quibus anima dementatur, & quæ nequeunt esse vera bona, quia sunt hæc peritura sicut & nos, quibus hodie finem nostrum Ecclesia insinuat, vt moneat quærendum esse nobis bonum interminum. Annon adhuc insonat auribus vestris illa vox: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Id est, ô homo nulla te cupido sollicitet deliciarum: est enim omnis libido fugax, & animam facit obnoxiam iræ Dei, suas iniurias multiplici tormine vindicanti.

Bonau. in l. 3. sentent. d. 32.
Corruptio vnde fiat.

Ex PHILOSOPHIA.
Arist. l. 1. de generatione c. 4.

Vis nosse cui nos sorti addicant noxiæ voluptates? Consule Philosophos, illi affirmabunt, quidquid corrumpitur, corrumpi à contrario præualente, ideoque malum esse alicui id omne à quo corrumpitur. Verbi gratiâ, etsi ignis in se sit bonus, tamen malus homini est quando comburitur. Nam quidquid disconuenit alteri, hoc illi malum est. Collige hinc, omnes sensuum illecebras in animæ perniciem hominibus ingeri. Si vult sibi constare homo, debet operari secundùm formam ipsi insitam à natura quæ hominem discreuit à bestiis ex rationis vsu, ad cuius amussim voluntas sese componere debet, sicut & omnia corporis membra regere imperio despotico. Recta autem ratio postulat, vt homo animæ ductum sequatur & non carnis, quia forma humana rationalis est, non carnalis. Si igitur homo vegetatur sensuum ludibriis, & anima deorsum inflexa consentiat epulis atque libidini; procul dubio anima fracta in delicias corrumpitur, vtpote deficiens

Sensuum illecebris homo corrumpitur.

deficiens à primæuo statu suo, atque ita Deus odit talem animam, quia induit naturam pecoris, cuius est agi sensuum illecebris. Inde sugillat hominem Psaltes. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quare est pecudis indolem assecutus? Quia non intellexit, & recessit à recto rationis vsu, addictus sensui, pecorum ritu. Ergo sensuum illecebræ contrariæ homini sunt, quia eum in bestiam mutant, atque adeò sic corrumpunt, efficiendo hominem pronum in malum, quem tamen Deus bonum effecerat. Cùm igitur Deus corrupta non amet, & odium Dei connotet malum pœnæ, consonum malo culpæ, illa anima, quæ epulis vacat, aliisque se deliciis ingurgitat, magnam sibi pœnarum congeriem accumulat, vt fecêre reprobi illi, quos Deus diluuio extinxit, quia totum quod erat hominis expunxerant. Sic eorum funus explicat Codex sacer. *Cùm vidisset Deus terram esse corruptam: omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.*

Psal. 48.
Homo quare mutatus in pecus.
Genes. 6.

Corruptio hominum vnde orta.

Vnde arbitraris ortam illam hominum corruptelam? Non aliunde sanè, quàm à sensuum obsequio; homo namque sequens sensuum appetitum, in iniquam bestiarum sortem damnatus est, quas laniena mactat, quando multo adipe saginantur. Hic exitus manet eos, qui duntaxat abdomini inseruiunt & saginæ: vt enim adeps idoneum est pabulum ignis; ita & flammis æternis thesaurizant deliciæ hominem impinguantes. Sodomitas nonne absumpsit ignis, quia nimia pinguedine diffluebat vrbs, gulæ & Veneri intenta? Mundi interitum, qui thesauros iræ Dei ostendit, nonne voluptates, crapula scilicet, & obscœna libido pepererunt? Iisdem Dei iræ gazis fient obnoxij omnes conscij similis flagitij, ipso Domino Iesu monitore. *Sicut factum est in diebus Noë, ita erit in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes.* Vides igitur, voluptates hominem corrumpere, Deumque ad iram prouocare magno hominum dispendio, cui occurrit Ecclesia, monens has præcipuas sensuum cupedias esse cinerem & in cinerem reuersuras. Siquidem istæ voces: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris,* hoc ferè sonant: O homo deficit caro, nec deliquio eius occurritur alia carne, quia cinis est: bona alia igitur insectare.

Genes. 19.
Voluptates hominem corrumpūt.
Luc. 17.

Mel Ponti est noxium.
Ex Remedica.
Dioscorides l. 2. c. 85.
Dulcedo desinit in amarorem.
Duret. in Scholiis Holery c. de lctero.

Fauet & meo intento res medica, quæ res nimia dulcedine gustum afficientes reprobat vt noxias, & nimium earum vsum damnat. In his est mel Ponti equidem dulce, sed quod recensens Dioscorides hæc scribit: *Hoc qui ederunt, mente alienantur ac sudore diffluunt.* Nihil sanè aptius dici potest, quo deliciarum pernicies eniteat. Reprobi melle & saccaro viuunt, nihil negantes appetitui sensitiuo, sed hoc vile sensuum obsequium retundit aciē mentis, cuius ferè impotes, in aucupio suarum voluptatum multo sudore madent, & demum addicentur fletui sempiterno. Vulgare item est hoc medicinæ effatum. *Quod dulcescit in ore, bilescit in pectore.* Multa autem bile offusum hepar incandescit, & inde fit Icterus obstructis venis hepaticis, corpore toto sæpè febribus æstuante. Bilem quasi mouet Deo irato omne quod reprobis in hoc sæculo dulcescit: illa autem bilis, seu iracundia Dei, magna excitat incendia, quibus impij conflagrabunt. Idcirco Salomon opportunè clamat. *Qui mel multum comedit, non est ei bonum.*

Mellis vsus nimius est malus.
Prouerb. 25.

Ex Symbolis.
Ex lib. Sym. Acad. Altorfi.
Voluptas est homicida.
Voluptatis elegās Symbolum.

Egregio Symbolo prælibata hæc declarauit Academia Altorfina, pingens Syrenem speciosa facie cumulo ossium insidentem. Erant hæc ossa hominum, quos voluptas extinxerat. Inuitabat hæc mulier egregia adolescentem masculum ad affectum suum. Sed is etsi nutante vestigio pedem referens, & retrorsum abiens hæc clamabat: AT ME VESTIGIA TERRENT. Id est: O voluptas, thesaurizas quidem, sed morti: Gazæ tuæ nullo alio ære quam multo cadauere prostant. Ideoque mihi & tibi nihil in æternum erit. Optimè sanè sibi consuluit ingenuus ille adolescens, intentus ossibus emortuis, magis quam meretrici, quæ suis illecebris homines & dementat & extinguit. Ecclesia alma parens occurrit excidio suorum fidelium, quos hisce diebus elapsis, diabolus, mundus, caro, ad pleraque facinora impia prouocarunt. Ne deliciarum memoria menti illudat, hodie meminit mortem, cinere aspergendo capita hominum, vt renuant repetere carnis illecebras, quæ in discrimen mortis omnes homines adduxerunt. Si te igitur excitant ad nefanda, dæmones aut caro, audacter vsurpa hoc effatum: AT ME VESTIGIA TERRENT. Id est, cùm recolo eos, qui egêre vitam effœtam deliciis, occurrit eorum exitus, ita Dei sæuiente terribilis. ET HÆC ME VESTIGIA TERRENT. Obuius est mihi Samson, quem Venus emolliit, & postmodum excæcauit. Sese offert Ammon sorore sua constuprata infamis, ideoque vitâ luens hoc facinus abhorrendum, Ammone nequaquam cautior extitit eius fratricida Absalon, qui torum patris sui nefanda libidine polluens, pendulus è quercu excepit sententiam Domini vindicantis.

Iudic. 16. 2.
Reg. 2.

Voluptatis noxia exempla.
Ex Historia.
Theophan. in annalibus in Irene sub an. 797.
Raym. l. de progressu hæres. sub. an. 1547.

Quòd si noua placent. Hæc me etiam iræ Dei argumenta terrent: animo namque meo versans fata Constantini IV. Imperatoris, patet quàm increscat ira Dei nefariis actibus. Princeps ille diademate clarus, Baccho & Veneri litans, vegeta ætate sua abutens, eo cumulo criminum adauctus est, vt mater eius detestata impiam indolem filij sui, eum excæcarit pulsum turpiter imperio. Superiori sæculo Henricus VIII. Angliæ Rex libidine vaga semper inquies, thesauros suos vsurpatis Ecclesiæ opibus imprægnans, sibi etiam tantùm adauxit thesauros iræ Dei, vt detestandus Deo & hominibus expirarit edita hac voce: Omnia perdidimus. Salutare itaque est consilium Christi sic hortantis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Etenim hæc nimia cupido bonorum in hoc sæculo, magnam malorum iliadem congerit in futurum.

Matth. 6.

Ex Mathematica.
Ptolemæus l. de signific. siderum inerrantium.

Esto sensibus suæ illecebræ bonæ sint, & voluptas inde exurgat copiosa; deliciarum ille exortus nihil nisi infaustum parit. Est hîc opportuna obseruatio Ptolemæi affirmantis, illam constellationem, quam hædos vocant, suo exortu validas tempestates excitare, concurrentibus omnium ventorum flabris, vt æstuet mare in perniciem eorum qui transfretant. Hœdi delicias & libidinem clamant. Inde emergunt omnia iræ Dei flagra, quibus concutitur orbis. Agnouere hæc sibi instare mala ipsi reprobi, quorum apud Isaiam hæc est declamatio. *Comedamus, & bibamus,*

Ex SS. Patribus. *Chryſoſt. ho. 2. in 1. epiſt. ad Coloſſ.*

cras enim moriemur. Sciebant epulas, & alias illecebras gulæ comites indiuiduas eſſe indubia iræ Dei vindicis argumenta. Chryſoſtomus ſic expendit illum locum. *Ebrietatis hæc verba ſunt, deliciarum, libidinoſa intemperantia: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur: non cras, ſed quando hæc dicitis iam eſtis mortui.* Quaſi diceret; illa deliciarum obſcœna colluuies tametſi delectet, & vegetet carnem, vos iam fecit morti obnoxios, antequam vos hæc demetat falce ſua. Beatus Laurentius Iuſtinianus occinit Chryſoſtomo ita fatus: *Omnes Mundi promiſſiones ſeductoria ſunt, omnes blanditia venena, cuncta delectationis pocula mortalia, vitaque illius ſempiterna mors.*

Voluptuoſi iam mortui. *Lauren. Iuſtin. l. de lig. vita c. 1.* Mundi promiſſiones ſeductoriæ. Mors eſt antidotum voluptatum.

Eccleſia maximè conſcia ſecretorum Dei, ab eo edocta, luxuriam & crapulam omnium hominum diſpendio frequentari, hodie mortem & memoriam eius ingerit, has crebrò ingeminando voces: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Vt autem compeſcat gulæ laſciuiam, ieiunium generale indicit, ſic medelam afferens illis, quos gula & libido ſauciarant. Qui igitur hoc ſuo animo adiecerant, vt vacarent carni, ita cumulantes iræ Dei aceruum; audiant hanc Chriſti & Eccleſiæ parænesim. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Quadrageſima huic fœnori ſacro tempus valde idoneum eſt. Eamobrem, auditores, vos Pauli Apoſtoli zelo & verbis ſic compello: *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis.*

Matth. 6.

2. Cor. 6.

Pars Secunda Homiliæ.

Qui bonis operibus vacant, illi in cælis ſibi theſauros accumulant.

Ex Theologia. *Thom. quodlib. q. de paſſion. animæ art. 6.* Bonum animæ eſt id vnde fit illa melior.

QVomodo autem in cœlo exurgat nobis cumulus meritorum, quo componitur hic theſaurus, quem meminit Chriſtus Euangelio hodierno, audienda eſt Theologia ita erudiens nos. Mereri eſt aliquid ſibi acquirere pro mercede, quod quidem non fit, niſi cùm aliquid damus, quod eſt condignum ei, quod mereri dicimur: dare autem non poſſumus, niſi id quod noſtrum eſt, & iuris noſtri, vt ſunt actus noſtræ voluntatis, ſcilicet velle, amare: item & alij actus à reliquis potentiis eliciti, & à voluntate imperati, vt manducare, loqui, ambulare. Mediante gratia Dei illi actus adeò grati ſunt Deo, vt ei oblati mercedem æternam accipiant. Quò autem plura damus, plura accipimus. Vide ergo quales nundinæ proſtent in Quadrageſima. Omnia bona vel interna ſunt, vel externa: His orbari vt Deo melius ſeruiatur, hæc Deo donare eſt, & viciſſim ab eo mercedem Deo dignam recipere. Bona interna reſpiciunt animam, vel corpus. Præcipuum animæ bonum eſt id, quo fit illa melior, ſcilicet intellectus, & voluntas. Vtraque hæc potentia Deo addicitur ab eo, qui orationi vacat; attentio namque in Deum dirigit intellectum, & affectus elicitus obligat ei voluntatem. Hinc fit vt tempore Quadrageſimali Eccleſia ſit in orando prolixior; adiicit enim ſuis officiis Pſalmos graduales, pœnitentiales, litanias, aliaſque preces, quibus anima tota Domino mancipatur.

Bona corporis quænam ſint.

Bona corporis potiora, ſunt delectationes, quas concipit caro ſequens ductum appetitus ſenſitiui: hæ autem deliciæ carnis ad duos reducuntur appetitus; ad hunc ſcilicet, quo tenetur homo ad propagandam ſpeciem ſuam, & hic eſt libido. Alter verò appetitus carni propitius, eſt is, quo quiſque prouidet perennitati corporis ſui, obſoniis ſcilicet, & lautiore cibo, & hic appetitus cùm excedit, gula nuncupatur. Homo in Quadrageſima caſtigans corpus ſuum inedia, vtrumque appetitum domat, Deóque indicenti ieiunium obtemperans, & ſic refrænans appetitum ſuum, perquam acceptum obſequij ſui penſum offert Deo. Bona extrinſeca ſunt opes, & ſæculi pompa. Frequentibus eleemoſynis & humili habitu hæc etiam bona in Quadrageſima Domino conſecrantur. Merito igitur Eccleſia, hoc tempore ſalutari & opportuno ad theſaurizandum in cœlo, auribus noſtris ingerit hos verſus, qui in Quadrageſima ſæpius intonabunt. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: commendemus noſmetipſos in multa patientia, in ieiuniis multis, per arma iuſtitia virtutis Dei. Emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus, ne ſubitò præoccupati die mortis, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus.*

Quadrageſima vitiis omnibus it obuiam.

Ex officio Eccleſiaſtico Concil. Trid. Dom. 1. Quadrag.

Itaque congruum eſt tempus hoc vt ſanentur crapula & libido, & arceantur ab homine deliciæ inde emergentes, vt & Canone ſacro conſulitur. Ecce textum. *Fratres, non ſolùm debetis ab omni immunditia abſtinere, ſed etiam ab vxoribus propriis ſtudioſiſſimè contineatis. Nullus omnino vxori ſuæ ieiuniorum diebus coniungatur.* Vt autem ſit meritorius totus hic decurſus Quadrageſimæ, gratiam Dei quiſque ſibi conciliet, citra quam mercede cadit; qui continet, & ieiunat. Caueat item ne fœda alicuius vitij aſpergine contaminet bonorum operum ſeriem & contextum, ſi theſauro frui deſiderat, qui in cœlis multiplici bono opere comparatur. Ecce Canonem in eo argumento explicitum. *In hoc ergo ſæculo quaſi Quadrageſimam abſtinentiæ celebramus, cùm bene viuimus, cùm ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus abſtinemus. Sed quia hæc abſtinentia ſine mercede non erit, expectamus beatam illam ſpem, & reuelationem gloriæ magni Dei, & Saluatoris Ieſu Chriſti. In illa ſpe, cùm fuerit de ſpe facta res; accepturi ſumus mercedem denarium.* Denarius ille magnum theſaurum dicit, videlicet beatitudinem. Vt namque vltra numerum denarium non datur alius numerus; ſiquidem repetitur idem numerus, aut eiuſdem numeri partes. Verbi gratia, Viginti ſunt duo denarij. Quindecim eſt denarius, & ſemidenarius. Ita beatitudo, quæ datur in mercedem boni operis, eſt theſaurus, quo ditatur anima, omnium bonorum ſupellectile fruitura.

Ex Iure Canonic. *Can. Fratres 33. q. 4.* Quadrageſima iuſſa caſtè à coniugatis agi. Quadrageſima eſt tota vita iuſtorũ.

Can. Ieiunii. §. In hoc ergo de conſecrat. diſt. 5.

Rem velut acu tetigit Auguſtinus ita fatus: *Denarius qui accipit nomen a numero decem redditur, & coniunctus quadragenario fit quinquagenarius. Vnde cum labore celebramus Quadrageſimam ante Paſcha; cum lætitia verò tanquã accepta mercede Quinquageſimam poſt Paſcha. Nam huic tanquam ſalutari labori boni operis,*

Denarius quare beatitudinem ſignificet. Ex SS. Patribus. *Aug. tract. 17. in Ioan.*

qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis & felicitatis denarius, vt quinquagenarius fiat. Significauit hoc & ipse Dominus Iesus multo apertius, quando post resurrectionem quadraginta diebus conuersatus est in terra cum discipulis suis: quadragesimo autem die cùm ascendisset in cælum, peractis decem diebus misit mercedem Spiritus sancti. Hæc ille, inferens oportere decurrere numerum quadragenarium, qui est symbolum laboris, vt perueniatur ad quinquagenarium, qui est nota misericordiæ & iubilęi. Numerus ille quadragenarius pœnam clamat. Tot annos egere in deserto Hebræi, antequàm copia daretur eis terræ, lacte & melle desudantis. Quadraginta dies impleuit Elias, ante ascensum in montem Horeb. Quadraginta dies petiit Ionas vt Niniuitæ redirent in gratiam cum Deo. Hos dat & concedit tibi Deus, ô anima malè conscia, vt te pœniteat. Te ego hodie compello eodem sermone, quo Ionas affatus est Niniuitas. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Si impœnitens præteris istam Quadragesimam, te iniqua fata manent. Quippe hæ tibi tantùm moræ supersunt, quibus consulas tibi, & componas thesaurum in cœlo, quo fias beatior quàm possis esse in sæculo, vbi quidquid rutilat, quantumuis sit coruscum, patitur aliquando deliquium. Verbi gratiâ, epulo cibis exquisitis corpori suo thesaurizat adipem salutarem, & longius æuum. Ridet ieiunantes, quasi suæ sanitatis incurios: sed reuera hallucinatur helluo in terra & de terra thesaurizans, quia anni effodiunt illam sanitatem, cui litant obsonia: ægritudo demolitur hoc corpus, quod est gulosi hominis cura omnis & scopus, imò plerumque nimietas hæc ciborum est iniuria sanitati; ita vt animalis homo refuga ieiunij ne ægrotet, fiat infirmior, se totum abdomini mancipando. Aduocat enim mortem immaturam, quæ vt fur animam tollit, quam sensualis homo corpori credidit epulis alligari. Sic hos homines incautos perstringit Paulus. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, pax & securitas: tunc repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Vos autem, fratres, non estis in tenebris, vt vos illa dies tanquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei. Non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & cæteri; sed vigilemus, & sobrij simus.* Vide sobrietatem suaderi ab Apostolo, ne fur effodiat & subintret, vt furetur ea quæ reponimus in thesauros.

Quadragenarius numerus quid significet.

Quadragesimam sequitur quinquagenarius numerus misericordiæ deputatus.

Ion. 3.

Mors est repentina.

1. Thessal. 5.

Gula noxia est corpori.

Ieiunium est corpori salutare.

Vnde liquet eos sibi prouidere incautè, qui non ieiunant ne ægrotent, cum multo cibo grauentur corpora, quæ nimiùs escis sauciata ieiunio vegetantur. Itaque ieiunantes dum thesaurizant in cœlo, consulunt etiam suæ sanitati, sic bifariam thesaurizantes in cœlo, & in terra, vt aduerterunt Sancti Patres; in his accipe Chrysostomum ita fatum: *Nihil sic iucundum est, sicut cibus benè digestus, & decoctus; nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur: nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio: sufficientia quippe cum nutrimento, & sospitatem simul procreat, & voluptatem: abundantia verò morbum facit & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo facit ciborum; magis autem & multò peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat de hac vita pœnali; excessus verò ciborum consumit & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna.* Eadem ferè habet Hieronymus. *Cum variis nidoribus fumans patina; ad esum sui, expleta esurie, quasi captiuos trahunt. Vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur: multique impatientiam gulæ, vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Hippocrates in aphorismis docet crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleuerint, nisi cito ablatione sanguinis imminuantur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere. Vnde & Galenus vir doctissimus Hippocratis interpres, athletas, quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse: animasque eorum ita nimio sanguine, & adipe quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare.*

Ex SS. PATRIBVS.

Chrysost. homil. 29. in c. 12. epist. ad Hebræ.

Ieiunium acuit lumen animæ.

Hieron. in Iouinian. l. 2.

Gula creat morbos.

Sanitas exquisita non est diuturna.

Gula nihil tenue aut cœleste potest cogitare.

Igitur Quadragesima, instituta vt homo vacet ieiuniis aliisque bonis actibus, congruè nuncupatur thesaurizandi tempus, non animæ tantùm, verùm & corpori, cùm voluptate & deliciis corpora dissoluantur. Ideoque Augustinus sic hortatur: *Ecce, fratres charissimi, Deo propitio tempus Quadragesimæ venit, & ideo rogo, dilectissimi, vt dies istos corporibus salubres & animæ medicinales ita cum Dei adiutorio sanctè ac spiritaliter celebremus; vt obseruatio sancta Quadragesimæ non nobis iudicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos minus occupationibus implicamus, si castitatem seruare nolumus, si ieiuniis, & vigiliis, & orationibus non insistimus, ipsa nobis medicamenta conuertuntur in vulnera, & inde habebimus iudicium vnde potuimus habere remedium.* Hæc ille.

August. serm. 55. de tempore.

Quadragesimæ dies sunt animæ medicinales.

Homo longioris æui cupidus omnia inquirit idonea perennitati, ad quam iugiter anhelat. Et hinc ille cumulus opum, quas solent coaceruare senes, arbitrantes se mercaturos auro, vitam, quam exhausit longior ætas. Non damno thesaurizandi zelum, sed volo aptari rebus quæ maneant & supersint; nolo ego res fugaces & flocci hominès insectari. Opportunè Augustinus: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in eo, quia mundus transit, & concupiscentia eius. Quid autem permanet in homine, nisi quod quisque aut legendo, aut orando, aut bona opera faciendo, pro animæ salute, in thesauro conscientiæ suæ recondiderit? Infelix enim voluptas, infelicior cupiditas, atque luxuria, per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem. Abstinentia verò, vigiliæ, orationes, atque ieiunium, per breuissimas angustias perducunt ad paradisi delicias; quia non mentitur veritas, quæ in Euangelio dicit: Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam & asperam longo tempore laboratur: quia & isti post breuem tristitiam accipiunt vitam æternam, & illi post paruum gaudium, patiuntur sine fine supplicium. Et ideo, fratres charissimi, in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria anima nostra, ieiunando, legendo, vel orando, prouidere debemus.*

Ibidem

Mũdus quare non est amandus.

Voluptas amara.

Pœnitentia ducit ad vitam æternã.

Voluptas pœnis æternis obstringit.

Quadraginta dierum tulit inediam Elias ascensurus in montem Horeb, & nos detrectamus tenuem subire pastum vt sidera transcendamus. Paterfamilias etsi diues quandoque arcto pane pascitur, vt thesaurizet filio morituro, thesaurum

Dona ab Imperatoribus facta cuius sint generis.

thesaurum linquens furi obnoxium; & ieiunia refugimus factura nos conscios thesauri, qui Deum habet opificem & custodem. Quòd si Imperatorum munera, eius tantum fuere iuris, in quem collata fuerant, ipso etiam patre amittente ius, quo quæ filij sunt, sunt & patris. Thesauri quos Deus propitius, atque beneficus iustis seruat, longè aliis præstant, quidquid Imperatores de suis sanxerint donis, hac lege. *Si quis à Serenissimo Principe, vel à piissima Augusta, siue masculus, siue fœmina, donationes sit consecutus, vel consecuta, siue mobilium, siue se mouentium rerum; filiusfamilias tamen constitutus, vel constituta, habet huiusmodi res omni acquisitione absolutas, & nemini eas acquirat, neque earum vsumfructum pater vel auus, vel proauus sibi vendicet.* Nemo sanè vsurpare potest hos thesauros, quos Deus parat intentis virtutum praxi, thesauros vtique potiores illis omnibus, quos ventilans mundus incurrit in discrimen Regis Ezechiæ, qui thesauris suis excidit, quia eos Chaldæis ostendit. Furibus inuij sunt thesauri bonis operibus asseruati, hos prætulit gazis suis multo ære fœtis Andronicus Imperator, qui se abdicauit imperio vt totus intenderet alij thesauro in cælis adstruendo. Alexander V. Papa Romanum reserans ærarium, opes Ecclesiæ præmisit in cælum manibus pauperum, illic repperturus quod fuerat aliis aliquando relicturus.

Ex Ivre Civili. *Leg. Cum multa, Cod. de bonis.*

Ex Historia. *Cantacuzen. lib. 1. c. 50. Ciacon. in Alexand. V.*

Si facessit negotium hæc cura componendi thesaurum in cælis, hoc recole, scilicet plus cruciari homines in cumulandis opibus his terrenis, quàm vexentur probi ad diuites cæli gazas bonis actibus anhelantes. Et esto decoquenda sint quædam aspera & rigida, vice solaminis esse debet magnanimum effatum Agesilaï, cui cùm peregrinus homo diceret se mirari austerum vitæ genus, cui se Spartani obstrinxerant, vilioribus vtentes escis, & aurum aspernantes; ille ait: O homo, est quod stupeas in arduo viuendi ritu, quo dispescimur ab aliis Gentibus nimio cultui corporum assuetis. Sed quamuis victus asperior & contemptus opum sint quidpiam iniurium corpori, arrident tamen hæc operosa; quippe hac semente emimus libertatem, nemini subiicimur, aliis imperamus. O fideles Christiani! hodie indicitur nobis ieiunium, inducimur ad virtutum praxim plus solito, arcentur à nobis illecebræ. Aspera sunt hæc, non eo inficias. Sed hac semente emimus libertatem, vtpote nequaquam vitiorum nexibus irretiti. Imò & insuper ingentes opum cumulos in cælò componimus, quando virtutum semitas insectamur. Itaque hoc vestro animo insideat, vos nimirum diebus elapsis fuisse illecebræ sensuum obsequio captos, & quasi vilia carnis mancipia, fuisse procul à libertate filiorum Dei. Hodie proponitur modus ad reducem libertatem, scilicet ieiunia, eleemosynæ, preces. Hac semente emite libertatem.

Eleemosynæ opes in cælo recondit.

Plutar. in apopht. Pœnitentia libertatem conciliat animæ.

FERIA QVINTA CINERVM.

SVMMA HOMILIÆ.

I. HOMO prima editione sui à Deo constitutus est veluti Pro-rex, eum namque ille rerum opifex præfecit in dominum animantium: nec vlla mentio seruitutis reperitur in Scriptura, nisi post peccatum. Mulieri indictum est vt seruiat viro suo, & filio minori natu Noëmi graue iugum seruitutis impositum est, quia fuerat iniurius patri suo. Tametsi homo editus sit ad principatum, non ideo effugit dominium Dei, cuius reuera semper erat seruus. Sed eo discrimine Deo & mundo seruitur, vt serui Dei semper stent; necsit eis inglorium seruire Deo, vt dicam priori parte istius Homiliæ.

II. Secundâ verò parte ostendam ignominiam seruitutis, quæ penditur diabolo, & mundo, quibus seruire hoc iacere est, vti liquet in seruo Centurionis; qui decumbit æger, & malè torquetur. Dicam hîc miserandam esse sortem hominum, qui se incautè mundi obsequio deuouerunt.

PRÆFATIO.

Puer meus iacet in lecto. Matth. 8.

PVER quidam Ægyptius velut immemor patriæ suæ se tradidit viro Amalecitæ in seruum; sed Dominus ille inhumanus seruum hunc ægrotantem abiecit, & iacentem in agro dereliquit, vbi inuentus à Dauide, qui curã eius egit, postea sanatus est. En typum ingenuum mundi: multos ille adsciscit sibi famulos; sed vbi decumbere inceperint, mundus detrectat eorum curam, vnde & malè pereunt omnes sequaces mundi, cum his duntaxat benè agitur, qui abiurato sæculo, obsequio se totos consecrant Christo: hos omnes reficit ille pius Dominus, cui Centurio deuouens seruum suum qui iacebat, statim illum sanum recepit. *Nesciunt quippe iacere aut decumbere serui Christi: huic seruire, non stare tantùm, sed & regnare est. Ne igitur ægrotaret ille seruus, Centurio eum Deo Domino dedicauit, hunc ferè texens apud se sermonem; quem concinnat Chrysologus, inducens hominem sic loquentem:* Puer meus, meum dico quia iacet: puer meus qui iacet, surgat, vt sit tuus, meus quia paralyticus; vt tuus sit, iam sanetur. *Heu quam duris hactenus dominis seruiuimus, lassati sumus in via iniquitatis, viribus exhausti hinc iacemus: opera-pretium est quærere medelam nostro deliquio: hanc scilicet quam reperit Centurio consulens Christum, cuius nobis propitiam facimus matrem.* Aue Maria.

1. Reg. 30.

Mundi indoles est ingrata.

Mundi serui omnes iacent.

Chrysol. serm. 15.

Deus dictus Dominus post editum hominem.

INsignes Scripturæ sanctioris interpretes aduerterunt, Moysem non vocasse Deum Dominum, quando recensuit editionem rerum omnium, quas cœli suo ambitu concludunt; sed hunc honoris titulum ei affinxisse tantùm; homine creato: toto namque primo capite Geneseos, Deus vocatur Deus, non Dominus; at secundo capite Dominus dicitur à Moyse, homine recensito. *Formauit igitur Dominus Deus hominem.* Vox illa, *Igitur*, est dictio illatiua, inferens vnum ex alio, ideóque in hominis productione adiecta est, quasi diceret Moyses, Deus edidit sibi egregium seruum: Ergo Dominus est; seruus enim, & dominus sunt nomina correlata. Hoc suum dominium in hominé exercuit Deus, ipso exordij eius articulo, hac ei iussione indicta: *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc Dei imperio didicit homo, se Deo debere obsequium; vnumque Deum habere in Dominum; alias autem res omnes sensibiles, esse infra hominum genus.

Genes. 2.

Qualem autem homo sit Dominum nactus, audi ex munificentia Dei, sic hominem compellantis: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus.* Noluit Deus ignobili seruo vti, conuocans homines ad ministeria inglorìa; huic suo seruo mandat, vt crescat, & dominetur aliis sub se positis animalibus, subigat terram, cauens ne ab ea superetur ipse. Denique Deus seruum hunc in rerum omnium Vniuerso Proregem suum constituens, regiè duntaxat voluit occupari. Sed vbi homo Domini Dei sui immemor, ab eo defecit factus vile mancipium gulæ & carnis, edendo vetitum fructum, & sequendo fœminæ blandientis lethales illecebras, damnatus est ad lacrymas & sudorem, terrâ etiam in fœdifragum hominem spinis & tribulis insurgente. Huius miserandæ sortis hæres seruus Centurionis iacet in lecto referens infelicem hominum statum. Dicam primò, seruos Dei stare. Secundò, eos, qui mundo inseruiunt, iacere ærumnis confectos.

Genes. 1.

Prima Pars Homiliæ.

Qui Deo impigrè seruiunt, hi & recti & stantes assurgunt.

DE eminentia Regum est, non ingenuos modo habere seruos, à viliorum hominum fortuna distitos, sed insuper hoc satagunt Reges, vt ministros habeant nobili sanguine concretos, vt liquet in Chaldæo Rege, quem sic Scriptura sacra commemorat. *Ait Rex Asphenez præposito Eunnchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum; pueros in quibus nulla esset macula.* Ampliori fastu Alexander intumuit, qui non pueros adhibuit sibi seruos, sed Principes grandiores, quos & in supremo agone positus effecit Reges, vti legere est hoc contextu. *Obtinuerunt pueri eius regnum, vnusquisque in loco suo, & imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, & filij eorum post eos annis multis.* Hæc equidem pompa decet Regum statum, qui quò amplior est, nobiliorum etiam hominum exigit obsequia, quæ assolent etiam Reges gloriæ suæ congruo præmio compensare. Moriturus Alexander suis seruis distribuit regna vtique peritura. Sed Christus potiore regno clarus, scilicet æterno, pridie Passionis, Regni æterni participes fecit suos discipulos, eos sic affatus: *Ego dispono vobis, sicut & Pater disposuit mihi regnum.* Neminem quippe sibi adsciscit Deus in seruum, si in regiam indolem non assurgit: ideoque Codex sanctus ita Dei titulos aperit. *Princeps Regum terræ lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum.* Quisquis ergo Deum vult habere Principem, sit ille Rex terræ, id est, sit ipsa terra superior, stet erectus, & pondere rerum inferiorum pressus, deorsum non inclinet.

Daniel. 1.

1. Mach. 1. Serui Dei sunt omnes nobiles.

Luc. 22.

Apoc. 1. Serui Dei stant.

Aiebat Rex Nabuchodonosor, sedulò excolendos pueros de semine regio, *Vt possent stare in palatio Regis.* Hoc duntaxat Deus ab homine petit, scilicet vt stet. Hoc Paulus præco Dei ingeminat. *State ergo, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Et Psaltes ait stare Dei seruos. *Benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini.* State, erectum situm significat, & habitum expeditum; Stare, item dicit quidpiam superius loco vbi statur. Iam stare Dei seruos, audi ex Theologia. Deus hos tantùm habet in seruos quos amat, vt ipse ait Christus: *Iam non dicam vos seruos; sed amicos:* at Deus haudquaquam amat illud quod deuiat & recedit ab eo statu, quem vnicuique indidit Deus ipse, qui hominem rectum fecit. Si igitur homo non stet, & ad diuina non assurgat, imò incuruetur ad creaturas, non erit is, quem Deus edidit stantem, & superiorem rebus aliis infra cælos, atque ita Deum esse dominum suum non probabit, neque etiam à Deo in seruorum suorum numerum adsciscetur.

Daniel. 1.

Galat. 5.

Psal. 133. Serui Dei sunt, & amici eius.

Ioan. 15.

Ex Theologia. Serui Dei, vnde dignoscantur.

Rursus, Dei seruus colligitur ex voluntate Dei, cui si morem gerit homo, profectò est Dei seruus; at Dei voluntas est, vt quicunque sint eius, stent, sicuti Apostolus insinuat hoc tenore: *Stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.* Itaque stat qui adimplet voluntatem Dei, quam sic aperit Paulus: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Nemo igitur stat nisi sanctus, Deique gratia singularis est stare. Quippe homo nequit se in Dei obsequium componere, quin à Deo ad hoc erigatur, & ab eo accipiat aliquid, quo pertæsus hæc inferiora, in Deum exurgat: illud autem, quo Deus influit in animas, debet esse superioris ordinis, alioquin penes omnes homines esset solis naturæ viribus vltra naturam progredi, quod tamen est falsum; siquidem homó impos est eniti ad superiora, sine aliquo auxilio supernaturali, id est sine gratia, qua qui pollet, illo in Deum erigitur, & stat verè Dei seruus, qui in Deum totus effertur nulli creaturæ addictus, vnde quæ it pati moras obsequium, quo Deo suo Domino deuincitur.

Coloss. 4.

1. Thess. 4.

Thom. 1. 2. q. 110. a. 1. Serui Dei sunt recti.

Rectum esse, quid sit.

Dei seruos ex rectitudine conspicuos esse affirmat Sponsa Canticorum sic affata Deum: *Recti diligunt te.* Rectitudo autem ex Euclide, *est ab vno puncto in alium breuissima extensio.* Cùm igitur Dei seruus creaturas omnes prætereat, nulliusque teneatur affectu, vni Deo duntaxat intentus, à seipso in Deum effusus, sine vllo circuitu aut gyro, ille reuera rectus est, & stat. Ex Philosophia etiam liquere potest ista conclusio. Ea namque disciplina duas facit classes actuum, quos exerit homo. Si enim dictante ratione

Cant. 1.

Ex Mathematica. Euclid. lib. 1. elem. Geom. defin. 4.

Ex Philosophia. *Aristot. l. 1. Ethic.*

ratione aliquid homo exequitur, hoc Philosophia dicit actioné humaná, vtpote oriundam à forma, vnde homo à brutis dispescitur. Si verò secus quidpiam ab homine emanat, ratione inconsulta, id Philosophi vocant actionem hominis, emanantem quidem à supposito, sed non referentem formæ rationalis indicia. Quando igitur exigit Deus obsequium ab homine, actiones humanas postulat, & non eas, quas communes habet cum bestiis, vt manducare, dormire. Hoc Deus intendit, scilicet agat homo ex præscripto rationis. Nam eo fine editus est ille Dei seruus, & quamdiu se rationabilem præstitit, tamdiu in paradiso vt in Dei palatio stetit: sed vbi pecudes imitatus, sensuum ductum est secutus, accurrens ad lignum pulchrum aspectu, visuque delectabile; ab hominum statu delapsus est in pecorum sortem, atque adeò eiectus est è loco illo peramæno. Quisquis ergo ratione præeunte viuit, ille stat, & eum habitum refert, quo editus est homo ille, quem Deus suo obsequio consecrauit.

Serui Dei sub eo regnant. Ex SS. Patribus. *Ambr. lib. 2. de Iacob.*

O beatam seruorum Dei sortem! quandoquidem stant, & superiores sunt iis omnibus, quæ eminent infra cælos, vnde & Reges congruè nuncupantur. Illis eo nomine applaudit Ambrosius, ita Dei seruum affatus: *Quid te beatius, qui sub Deo Domino regnas?* Nonne id regnare est, omnes incongruos appetitus subdere rationis imperio, vt scitè ait Rupertus versans illum locum Ioannis Apostoli. *Princeps Regum terræ.* Sic ille: *Quorum vel qualium Regum terræ? illorum est Princeps iste, qui etsi non vulgo dicantur, sunt tamen reuera Reges terræ, quia terrenitatem suam regere, id est, carnem crucifigere norunt liberi à peccatis, serui autem iustitiæ. Ergo Regum iste Princeps est. O verè pulchrum, & gloriosum Principis huius principatum, qui omnes subditos sibi Reges facit!* Præierat Ruperto Gregorius ille magnus, isto effato. *Qui membrorum suorum motus benè regere sciunt, non immerito Reges vocantur.* Nec id fugere potuit Ethnicos homines, quorum vnus Cicero hæc ait. *Regium est, ita viuere, vt non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem vlli seruias, contemnere omnes libidines.*

Apoc. 1. Rupert. in c. 1. Apoc. Reges terræ sunt qui corpus domant.

Greg. lib. 11. Moral. c. 9. Regie viuunt, qui non seruiunt carni. *Cic. orat. pro Sylla.*

Dominum esse quid sit.

Fauet & lingua Græca vbi κύριος vox significans dominum, sonat etiam id quod est sui iuris, vt Tusanus aduertit, κύριος αὐτὸς ἑαυτοῦ, Dominus ipse sui, hinc deducitur aduerbium, κυρίως, id est, propriè. Vide igitur, ô homo, an sis tui iuris, & non alicuius illecebræ, si expeditus es, & nulli creaturæ obstrictus, dominus es, stas erectus, atque ita in seruorum Dei numerum adoptaris. O te felicem si stas, & beatiorem seruis Salomonis, quibus inuidebat Regina Saba, sic exclamans affata Regem: *Beati viri tui; & serui tui, qui stant coram te semper.* Ita equidem beatitudo nostra inde auspicatur, scilicet vt stemus: Gratia namque est gloria inchoata. Frustra Deum, vt Dominum iactas, si non stas. Christus enim se Dominum negat horum, qui ore suum obsequium clamant, sed opere diffitentur. Hos isto aculeo pungit Christus. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Seruus Christi quomodo possit esse homo.

Matth. 7.

Ex Historia.

Hoc igitur esto fixum, scilicet vnumquemque stando probare se Dei seruum, nec eum stare, qui alterius quàm Dei cultui mancipatur, vt celebri historia compertum est, qua Tribunus Olympius homo Ethnicus petens à Sempronio Martyre, quomodo censeri possit seruus Christi, audiit hæc à viro Sancto: O Olympi, si Domini Iesu spiras obsequia, abiura prius inania Deorum simulacra; non oculos fallat corusca species auri, quo rutilant hæc idola; ea quippe solùm ludibria oculorum sunt, & metallum sicut inanime, ita & impotens: Deum cole, qui spiritus est vtique viuax, & qui eos, quos perculit, dignatur vita nescitura finem, quod præstare nequeunt hæc tua simulacra. Sempronio morem gerit Olympius, & suada fide suos fictiles conterit Deos. Dum autem patraret egregium hoc facinus, ista vox cælitus illi insonuit: *Requiescet in te Spiritus meus.* O homo, qui Deum Dominum edita voce clamas, si deorsum inclinaris, captus affectu creaturæ, non stas, atque adeò Dominum negas, qui etiam morte tuas alternante vices, te seruum suum esse non probabit. Idola quæ pronus adoras, sunt fœminæ, quibus luxuriando litas. Aurea simulacra, quæ anhela vota tua tenent, sunt opes malis artibus comparatæ. Abdica ritus impios, assurge in Dei sanctiorem cultum, vt stare queas, & confestim de vili mancipio fies liber, ea libertate, qua soli gaudent serui Dei, cui seruire regnare est.

Baron. in Anna. sub ann. 259. Ex actis S. Steph. Papæ. Olympius de gentili Christianus effectus est.

Gratia Dei influit in eos qui peccata abiurant. Seruus Dei non seruit peccatis.

Ne causeris retroacta crimina, quasi sint nexus & obices iniurij libertati illi, qua gaudent stantes Dei serui, Nullum est nefas, quod remorari queat hanc gratiam, si totum te Deo abdicas & consecres. Vbi te in seruum Dei deuoueris, cessant alia dominia, ideoque editus est iste Canon. *Fraternitatem vestram de his oportet esse sollicitam. Et si de Iudæorum seruitio non solùm Iudæus, sed etiam quisquam Paganorum fieri voluerit Christianus, postquam voluntas eius patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Iudæorum venundandi facultas sit; sed is qui ad Christianam conuerti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vendicetur.* Alius item Canon prodiit ex Concilio Toletano hoc tenore. *Et si Iudæorum serui necdum adhuc conuersi ad Christi gratiam conualuerint, libertate donentur.* Nefas est enim eum seruire inimicis Christi, qui Christo se deuouit, & ab eo libertate donatus est, qua excipitur ab omnibus vilibus & turpibus obsequiis, ipso etiam Iure Cæsareo, quo manumissores nequeunt à liberis exigere turpia obsequia.

Ex Iure Canonico. *Can. Fraternitatem, dist. 54.* Christianus si fiat seruus, Iudæus aut Paganus fiat liber.

Can. Et si dist. 54. Christianus est nomen libertatis. Ex Iure Ciuili. *Leg. Libertos Cod. de obsequiis.*

Regina Saba videns ordines ministrantium, & habitacula seruorum Salomonis, animi deliquium passa est, non habens vltra spiritum. Æmulor ego charismata superiora, & sine dispendio beatorum, inuideo illis gloriam illam, quam mercati sunt, Christo Domino iugiter obsequendo Est sanè illis locuples argumentum benedicendi Deum, vt ait Psaltes. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini.* Sed maneat sua quemque beatum sors; habemus & nos vnde gloriemur, si solutis sæculi nexibus, & vitiorum omnium compedibus, Deo deuincimur. Exilio totus, & gestio iubilans, animo meo versans, quàm sit res grata seruire Christo; placet suaue melos, quod auribus meis insonat, hoc versu Dauidico. *O Domine quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Demirare obsecro quàm benè consulat nobis Deus, nos dignans habere in seruos; hoc

Psal. 133.

Psal. 115.

vnum

vnum præcipit, scilicet vt stemus, & hoc totum cedit in bonum nostrum; sicut & creaturis inseruire, illud est summa hominum pernicies: nam à Deo deficere, hoc peccare est; peccatum autem est casus, sed casus, comminuens hominem totum, cui aptare potes illud hodierni Euangelij effatum. *Iacet & malè torquetur.*

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Vilia diaboli mancipia ingloriè iacent in vitiorum cæno.

QVamdiu homo sub Deo Domino stetit, bonorum omnium agmine stipatus est; sed vbi diabolus eum deorsum inflexit, in flagella paratus est. Qui stans in Dei obsequio sanus & vegetus extiterat, dæmoni addictus iacuit æger, velut anima impote suas obire vices. Vt duæ sunt extremæ constitutiones hominis apud Medicos, sanitas scilicet, & ægritudo; ita & in moralibus, duo sunt status, gratiæ, & peccati, qui Dei, & mundi dominium referunt. Qui sanus est, ille stat, & pro arbitrio suo assurgit & exilit, & hic habitus est serui Dei. Qui verò ægrotat, ille iacet & malè torquetur, sic referens statum animæ, quæ à Deo defecit, vt creaturis adhæreat. Res hæc liquebit ex definitione morbi, quem sic describit Fernelius. *Morbus est affectus insidens contra naturam corporis. Affectus autem contra naturam, non modo naturæ limites excedit, sed & illi vim infert, eiusque vires & functiones manifestè interturbat; atque id modo proximè, modò alterius interiectu. Vt enim cùm actio aut non fit, aut malè fit, idque proprio alicuius partis vitio, verè læsam actionem dicimus; ita & cùm aliena rei interuentu id fit, vt dum calculus vel grumus vesicæ ceruicem obstruit, vrinæque profusionem cohibet, tum quoque vt impedita, ita & læsa actio dicenda.*

EX RE MEDICA. *Fernel lib. 1. Pathol. c. 1.* Morbus quid sit.

Eo ferè modo attenditur æquior, aut iniquus hominum status, ex eorum affectu. Si homo benè afficitur erga Deum, affectus ille congruit naturæ illius, cui competit ordinari in Deum. Ordinata autem anima in Deum totum hominem sanum facit: nam sic quæque potentiæ suas congruè vices obeunt. Voluntas, cuius est imperium in alias potentias, has compescit, ne sint rationi iniuriæ, frustra etiam reclamante appetitu sensitiuo, in quem ei est imperium politicum, sicut & despoticum in corporis membra, quibus vtitur tantùm ex præscripto rationis. Vtque affectus nos eò rapit, quò ferimur amore perciti; homo, qui se totum Dei obsequio addixit, stabit erectus, quia Deo adhæret, qui est summa omnium rectitudo. At secus ille, qui affectum suum obstringit creaturis, quasi detrectans subire dominium Dei, ille proculdubio malè afficitur: namque illius affectus est contra naturam, quæ cùm sit rationalis, hoc exigit ab homine, vt agat ex dictamine rationis. Est autem maximè consentaneum rationi, ei seruire, qui titulis omnibus dominium in nos habet. Ergo malè se habet homo, & valdè ægrotat, cuius animæ functiones ita læsæ sunt, vt iis vtatur ad voluptatem, & sensuum obsequium, Deo derelicto, cuius tamen seruus est multiplici nomine, vt monet Ambrosius. *Seruus es, quia creatus es; seruus es, quia redemptus es: & quasi Domino seruitutem debes, & quasi Redemptori.*

EX PHILOSOPHIA. *Aristot. l. 3. de anima text. 57.* Sanitas animę vnde colligitur.

Gratiæ effectus in anima.

Seruus Dei quibus titulis sit homo.

EX SS. PATRIBVS. *Ambros. lib. de Iacob.*

Hieronymus hanc ingrati animi indolem detestatur, ita excandescens: *Quid tam ingratum, quam aduersus eius viuere voluntatem, à quo ipsum viuere acceperis?* Hominis ægri omnia membra torpent, ideoque nequit stare homo ille decumbens. Longè adhuc deterior est status animæ, quæ detrectat dominium Dei, vt subeat durum & insuaue mundi iugum. Hæc prona iacet: talis enim est animæ compositio, seu habitus aut statura, qualis est affectus eius: at anima amans mundum, amat aliquid infra se, atque ita affectus mundi eam incuruat, & pronam allidit in terram, vbi iacet ægra: etenim voluntas domina facultatum animæ, subditur aliis potentiis, vt phantasiæ & sensibus, cuiusque illecebræ sensuum affectu pessimo sauciata. Hæc princeps potentiarum animæ, Deo subdita principatum gerens, vbi sensuum illecta cupediis afficitur illecebris, & suaue iugum Christi excutit, iam sensibus vtitur vt dominis, effecta vile mancipium carnis, cui aptari potest hæc querela Vatis, reprobis omnibus ingementis. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.*

Hieronym. Peccatoris quæ sit ingratitudo.

Thren. 1.

Homo sub Deo Domino, erat & ipse Dominus suorum appetituum, huiusque dominij hoc à Deo diploma acceperat. *Si benè egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit; sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quamdiu Achitophel adhæsit Dauidi legitimo suo domino, ea prudentia enituit, vt vice oraculi haberetur in Israël, *Consilium Achitophel, quasi si quis consuleret Deum.* Sed vir ille insignis, à Dauide deficiens vt rebellantis filij partibus adhæreret, eò deuenit, vt consilium eius spreuerit Absalon, qui sic illum adegit ad suspendium, Deo exaudiente preces Dauidis, ita exorantis: *Infatua quæso Domine consilium Achitophel.* Nihil homine beatius, dum Deo adhæsit; sed vbi rebellantium sensuum partes est secutus, factus est creaturarum omnium ludibrium, & quasi pendulus inter cælum & terram nescit quò se verteret, iuxta illud: *Impij in circuitu ambulant.* Congrua equidem pœna, vt iugiter gyrantes in orbem agantur, quia à centro impiè recesserunt.

Gen. 4. Seruus Dei homo quamdiu extitit, beatus fuit.

2. Reg. 16. Reprobi quare dicantur ambulare in circuitu.

Eo gyro veluti ad pistrini molam damnatus est homo, vt humile mancipium, quia recessit à Domino suo; imò vbi delicias transfuga ille quæsiit, nihil nisi asperum nactus est, iniuriam Deo illatam quauis etiam creatura meritò vindicante. Vt & Iure Ciuili cautum est, contra desertores hac lege. *Opprimendorum desertorum facultatem prouincialibus iure permittimus. Qui si resistere ausi fuerint, in his velox vbique iubemus esse supplicium. Cuncti etenim aduersus publicos latrones, desertoresque militiæ, ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum.*

Militiæ desertores quomodo puniendi.

EX IVRE CIVILI. *Leg. Opprimendorum Cod. Quando liceat vnicuique.*

Ex præfatis liquet quomodo iaceat & ægrotet seruus mundi. Iacet, quia voluntas eius humi repit, voluptatum præpedita compedibus. Decumbit saucius, quia læsæ sunt animæ functiones, appetitu sensitiuo reluctante obedire rationi, vnde & emergit in homine seruitus ingloria, sicuti insinuat Iustinianus Imperator hoc contextu. *Natura ab initio prodoxit liberos, & ingenuos. Bella verò & lites, atque libidines, & concupiscentiæ causam deposuerunt ad aliud schema.* Nemo itaque querulus alium incuset, si sua excidit libertate, & duros dominos quandoque patiatur:

Seruitutis origo vnde cœperit. Seruus diaboli quomodo fiat homo.

Nouella 89. cap. Quibus modis natural.

ExSS.Patribvs.
Ambr. l. de vita beata.
Bern. lib. de gratia, & lib. arb.

suo quisque vitio seruit, & alterius iuris efficitur. Hoc clamant Sancti omnes. *Neminem* (inquit Ambrosius) *iugo seruitutis diabolus possidet, nisi ei prius se vendiderit ære peccatorum.* Occinit & Bernardus. *Nostra voluntas nos mancipat diabolo, non eius potestas.*

Augustinus rem speculatur maximè congruam isti argumento, scilicet Deum in prima editione rerum nunquam meminisse dominij, nisi commemorando bestias; siquidem affatus est sic homines: *Dominamini vniuersis animantibus.* Vbi Augustinus hæc commentatur. *Conditio seruitutis iure intelligitur imposita pecori; nomen istud culpa meruit non natura.* Id est, quia homo naturam pecudis induit, seruus effectus est, vitio etiam eum subigente dominio sensuum, sicuti exprobrat Isaias, *Iniquitatibus vestris venditi estis.* Quibus? Tot dominis quot sunt sensuum illecebræ, in quas effusus homo, sese obscœnè versat in voluptatum omnium sordido volutabro; vnde efficitur inglorius, ipsô etiam Isaia assertore. *Hæc dicit Dominus ad animam contemptibilem, ad Gentem abominatam, ad seruum vitiorum.* Vt enim ait Seneca. Nulla turpior est seruitus, quàm quæ voluntaria. Cùm ergo non inuiti, sed vltrò homines vitiis inseruiunt, bene habentur contemptui, iniurij naturæ humanæ, quam nihili facientes, seipsos etiam ad nihilum impij redegerunt, vt & ipse Dauid expertus defleт. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.*

Aug. l. 1. in Genesim.
Seruitus initio indicta pecori, non homini.
Isai. 50.
Seruitutem induxit peccatum.
Isa. 49.
Peccatum facit animã contemptibilem.
Psal. 72.

Miserandus ille hominum status, ritè explicatur hac voce, *iacet*, quæ vulgo de cadauere vsurpatur, sicut libro Numerorum. *Iacebunt cadauera vestra.* De Holoferne obtruncato ait textus sacer. *Holofernes iacebat in terra.* Voce hac tumulorum titulus etiam componitur, hoc tenore. Hic iacet N. & hic vsus forte ex Scriptura deriuatus, vbi Liæ coniugis Iacob funus ita concluditur. *Ibi Lia condita iacet.* Igitur optimè hominum deplorandus habitus exprimitur, si dicas, Deo derelicto eos transiisse ad seruitutem, in qua iacent veluti putida cadauera. Tessera mortis est vox illa, *iacet*, Mors autem nihil est, sicut & peccatum. Eamobrem Regem Tyri Deus sic compellat: *Nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Quod mors est vitæ, id etiam seruitus est libertati, imò plerique censuerunt esse deterioris conditionis seruire, quàm mori. Hinc Cato & Cleopatra consciuere sibi mortem, ne seruirent. Hac etiam dictione, *iacet*, vsus est Salomon, volens aperire quàm dissita sit sors impiorum, & iustorum. Sic ille: *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum.*

Peccatum facit vt homo iaceat.
Num. 14.
Iudith. 14.
Genes. 49.
Ezech. 18.
Prou. 14.

Adeò proprium est hominum impiorum iacere, vt eorum etiam statuas erectas non tulerint populi, vt in Eutropio viro Consulari videre est. Fuit ille aliàs vir insignis, præcipuis infulis auctus, sed vitiis vsquequaque diffluens, quorum obscœna colluuies exasperans Imperatores Arcadium, & Honorium, illi hæc sanxerunt. *Omnes statuas, omnia simulacra, tam ex ære, quàm ex marmore, seu ex fusis, quàm ex quacunque materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locisque priuatis, ac publicis præcipimus aboleri, ne tanquam nota nostri sæculi, obtutus polluat intuentum.* Diceres & peccati contagium inuri simulacris; vt & ipsa iacere cogantur, quia iacent homines, quos figurant.

Ex Historia.
Cod. Theodos. leg. 17. de Pœnis.
Peccatum hominem omni honore spoliat.

Eâdem Censurâ animaduertit Respublica Veneta in Ducem suum Marinum Falerium, qui Dux creatus, mole ruit sua; oneri quippe tanto impar, voluit etiam illud transmittere ad suos, velut hæreditario iure, sicque effectum, vt qui debuit esse vindex & assertor Venetæ libertatis, acerrimus fieret vsurpator. Veneti iugum seruitutis exosi, subodorantes in Marino Falerio quidpiam exoticum, & abhorrens à pristina comitate, spirantique dominium, imminenti iugo cautiùs occurrerunt. Etenim proceres Reipublicæ stipante caterua armatorum: impij Ducis ædes cingunt, in eas arietant & irrumpunt, furentem hominem mali meriti Ducatu exuunt, & calente adhuc animo vindice suæ libertatis, cognitum reum lictori tradunt capite feriendum. Ex fastis erasum nomen eius, tituli omnes nobiles expuncti, & in ea serie Ducum Reipublicæ, quos Veneti ordine quosque suo habent, abest effigies Marini Falerij, & hiante lacunâ, vacua sedes eius ostenditur, nigrò obducta velo, hoc atro colore tetram hominis indolem adhuc præostendit illa sedes.

Eutropij statuæ euersæ.
Petrus Iust. in hist. Venet. sub anno 1354.

Suffragatur illa historia meo intento, scilicet eum iacere pronum, qui peccato se inclinat atque adeò nihil spirare, quod liberum hominem sapiat, sed potius damnari in ingloriam seruitutem, quæ eum facit multis flagitiis obnoxium. Non etenim iacet tantùm æger, sed & validè torquetur is, qui sæculo adhæret post Deum abdicatum. Quidquid enim alicui disconuenit, hoc illi tristitiam parit, vt videre est in dolore, qui est tristis affectus ex præsentia mali alicuius, quo afficitur corpus. Sed homini est quid maximè disconueniens, subiici creaturis, quas Deus hominibus inferiores edidit: nequit ergo earum dominium pati homo citra tristitiam, & animi angorem, qui excedit omnes corporis angustias, quia quò delicatior est pars quæ patitur, eò etiam magis exquisitus est sensus, qui inde exoritur, vt dolores vreterum & vesicæ acrius hominem vexant, quàm ipsa musculorum dissectio. Igitur anima, quæ est exquisitissimi sensus dirè torquebitur creaturarum dominio, quod est summum eius malum, quo priuatur summo bono, quod est dominium Dei.

Noli itaque animæ tuæ tormina recensere, ô reprobe, vt tibi quisque condoleat, tu te vltro flagellis obstrinxisti; nam excusso Dei iugo, cui multis eras titulis addictus, luis pœnas indictas seruo nequam. In his celebris est ritus Syracusæ in puniendis seruis dyscolis. Illic figura equi ferro candente mancipiorum fronti impressa, erat pœna vernacula & frequens, qua sic hæc vilia capita coërcebant. Siculi homines hac tessera denotabant seruos natos esse ad pœnam adinstar equorum. Appositè ad hoc institutum ait Salomon. *Flagellum equo, & virga dorso imprudentium.* Cùm igitur homo incurius honoris, in quem erat euectus vtens Deo vt Domino, vitio suo comparatus sit iumentis insipientibus, sequens impetum appetitus sensitiui, meritò factus est similis equo, qui fustibus exceptus malè torquetur. Alij apud Paulum Diaconum quasdam literas fronti exaratas circumferebant, suę perfidię testes; eos ille vocat minus integræ frontis homines. Has notas Synesius dicit, τῆς κακίας χαράκτηρας, *improbitatis characteres.* Omnes sanè ærumnæ hominum impiorum sunt characteres eorum defectionis, & perfidiæ. Nesciunt reprobi erubescere, quia nigricat eis facies exarata typis malitiæ.

Serui olim notati ferrò candente.
Ex Historia.
Alex. lib. 6. cap. 16.
Prouerb. 26.
Serui flagellati.
Peccatum quos characteres inurit.
Paul. Diac. lib. 12.

Si

Si multas deforis subeunt clades, grauiores anima intus patitur angustias, scilicet vermem, qui lancinat iugi morsu, & synderesim, quæ diuexans cor, nullas patitur inducias, ita vt liceat mundi seruo affingere symbolum Paradini, qui depingit leporem in circulo, vnde intus gladiis pungitur illud meticulosum animal hoc titulo adiecto. MALO VNDIQVE CLADES. Cui adiice illud Pauli effatum. *Foris pugna, intus timores.* O homo, sequere consilium Patriarchæ Iacob, qui pertæsus ærumnas, quas tulerat seruiendo Laban, consuluit sibi fugâ. Diu noctuque vrgeris, & gelu, & æstu: quid longiores adhuc nectis moras, seruiendo tam iniquo domino? Audi Christum exclamantem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum.* Mite equidem Christi dominium; dirum autem & asperum iugum mundi, qui vt Roboam adiicit noua tormina prioribus plagis. Centurionem imitemur qui consulens Christum, consuluit & seruo suo. Hoc Verbo sanatur omnis, qui sæculo seruit & torquetur anxiè. Audacter abdica carnis & diaboli principatum, vt huic Verbo iugiter adhærescas, & priores infulas regni recipias, vt monet Chrysologus. *Debet abiicere habitum seruitutis, qui se Regem credit diuinitus consecratum.* Erit opportuna huic intento, hæc Augustini oratio. *Tuum sit totum id quod viuo, & totus me totum tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea viuat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberasti, vt totum me possideres.* Amen.

Ex SYMBOLIS. *Parad. in lib. symb.*

Matth. 11.

Gratia Dei est seruitutis impatiens.

Ex SS. PATRIBUS. *Chrysolog. serm. 23.* *August. solil. 18.*



FERIA SEXTA CINERVM.

SVMMA HOMILIÆ.

I. INVALVERAT apud homines illa Pharisæorum sententia, quæ homines prouocabat ad vindictam antequam Christus legem amoris ore & opere promulgasset. Error ille propugnatores habuit acerrimos, videlicet mundum, dæmones, & carnem, qui homines antea dementarunt. Tres illos assertores vltionis exigendæ oppugnabo trifariàm, id est, tribus rationibus, quarum prima ratio petitur à iustitia, & Deum spectat, cui tenemur obsequi: at ille iubet condonari iniurias: ergo perperam quis insusurrat esse iniurias vindicandas.

II. Secunda ratio respicit proximum, & petitur à charitate, quæ inuigilare debet saluti eorum, quos debemus aliquando consortes habere gloriæ æternæ. Sed vltio quæritur in perniciem proximi: ergo est amandanda procul vt inimica professioni fidelium.

III. Tertia ratio petitur à commodis nostris, atque ita attenditur penes nos: nam quales fuerimus in proximos, talem etiam erga nos Deum nanciscemur.

PRÆFATIO.

Dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

IACTATVR effatum insigne Agesilai adhuc impuberis, cui cum decerneretur homo sophista in magistrum, puer ille ingenuus noluit audire hominem in vtrumque paratum, & de omnibus ambiguè disputantem. Eos tantùm (inquit ille) volo audire vt magistros, qui nullos faciunt animæ fucos, sed veris animum pascunt. Euangelio hodierno, duo magistri sua dogmata omnibus explicant. Prior & annosus sophista est, videlicet mundus simulans homines ad vindictam. Sic ille hortatur: Odio habebis inimicum tuum. *Doctrina hæc veternosa sequaces habet vtique reprobos, in ferarum morem compositos, qua illico sæuiunt in lædentes. Sophistæ huic opponitur Christus, cuius doctrina sanctior calitus elapsa suadens obliuionem iniuriæ acceptæ.* Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. *Quando Agesilaus renuit subdi sophistæ, ait se eos duntaxat velle magistros habere, qui & vices gererent patris. Vobis datur optio, ô fideles, sequendi Mundum, aut Christum. Videte an fatius sit adhærere mundo qui decipit, aut Christo qui patrem se vnicuique præstat prouidum atque beneficum. Apage hunc sophistam, & da manus Christo præconi amoris, qui hac concione scintillabit sub auspiciis eius quæ est mater pulchræ dilectionis.* Aue Maria.

Plutarch. in Apoph.

Magistri quales esse debent.

OBriguerat mundus amoris inopiâ, quando natus est Christus, vt insinuabat brumale tempus, quo nasci voluit, frigenti homini opportunam collaturus opem, venit Christus ignem mittere in terras, quo & ipse totus exarsit. Ante editionem Christi in humanis, hominum amor ita tepuerat, vt nihil amarent, nisi id quod reciproco affectu conciliabat eorum animos. Huic tepori occurrit amantissimus ille Dominus, in dextera cuius ignea lex flagrat: ita enim ille amore hominum incanduit, vt promiscuè amicos & inimicos amplexatus, pro eis vltro occubuerit, & eos lethali vulnere extinctos suo sanguine recrearit. Iraque Deus qui hominem assumpserat, vt suo exemplo consuleret aliis hominibus, homines omnes misit in fornacem amoris, vt eo igne decoctos,

Amoris lex à Christo lata.

decoctos, quasi Deos efficeret & filios Excelsi. Namque Paulo assertore. *Deus noster ignis consumens est.* Qui ergo voluerit participare naturam Dei, & filium eius se probare, ille igne amoris ardeat, quo etiam inimicos suos amet, & sic fiet voti compos, vt Christus ipse affirmat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est.* Profectò is, cui cor ebullierit eo amoris incendio, audiet à Domino illud elogium Psaltis. *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Vna hæc est tessera amoris, quâ solâ discipuli Christi ab aliis huiusce sæculi dispescuntur. Ideò in hanc amoris arcem arietant omnia, quæ coniurant in perniciem nostram, scilicet dæmon, mundus, & caro. Dæmone suggerente typhum superbiæ, intumescit homo nolens cedere inimico. Mundus ignauiæ ducit, æquo animo ferre iniuriam. Caro cuiusque mali impatiens excandescit læsa, appetitu sensibili protinus insurgente. Contra hos tres susurrones, Dæmonem, Mundum, & Carnem, opponam tres machinas, quæ eorum vim frangent, & amorem inimicorum adstruent. Nimirum suadebo diligendos esse inimicos. Primò ex iustitia, cuius est reddere vnicuique suum: at Deo debemus obedientiam: ergo ei præcipienti amorem inimicorum debemus morem gerere. Secundò ex charitate, quâ debemus omnium hominum saluti incumbere. Tertiò ex commodis, quæ resultant ex venia concessa inimicis. Prima ratio Deum spectat. Secunda proximos. Tertia nosmetipsos. Hæc erunt tria puncta.

Hebr. 12. Matth. 5. Psal. 81. Amor inimicorum quibus argumentis suadeatur.

Prima Pars Homiliæ.

Ex iustitia & charitate homines prouocari ad remittendas iniurias.

Feudum quid sit. Ex Iure Civili. Cuiac. in l. 1. de Feudis. Lib. 3. tit. 1. de Feudis. Ingratitudo quomodo puniatur. 2. Cor. 10.

QVamuis hominem Deus ediderit ad imaginem & similitudinem suam, liberum scilicet, & sui iuris; principes tamen animæ illius potentias, scilicet intellectum & voluntatem, dedit ei sub natura fœdi. Ex Cuiacio. *Feudum est ius in re, cuius acceptione, fidei dominis exhibendæ vinculo constringuntur homines.* Etsi pro arbitrio suo queat homo vti facultatibus animæ; tamen in signum memoris animi debet Deo rependere aliquod obsequium, quale indixerit ille rerum Dominus, alioquin feudo cadet, vt lex hoc contextu significat. *Non est alia iustior causa beneficij offerendi, quam si id propter quod beneficium datum fuerit, seruitium facere recusauerit.* Cùm ergo Deus homini intellectum & voluntatem præstiterit quasi in feudum, vtraque facultate vult sibi ab homine ministrari, non ad libitum hominis, sed vt Deus ipse decreuit. Verbi gratiâ, etiamsi intellectui non liquidò innotescant fidei mysteria prædicata à Christo; ille tamen vult ea credi, vt sic illa potentia suum præstet obsequium, iuxta illud Pauli consilium. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ita & à voluntate aliquid arduum petit, quod illa Deo suum pensum debitum exhibeat.

Res est vernacula hominibus, bona voluntate affici erga benefactores suos: Deus aliquid illustrius petit à suis sequacibus; nimirum vt beneuola voluntate suos prosequantur inimicos, suum sic testantes amorem in Deum, si quidquid vult Deus, & hoc ipsi velint: quippe in hoc dissiti sunt sectatores Christi à reliquo hominum vulgo, sicut & ipse Dominus ait: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Id est, vt Deus in ratione Dei perfectus est; ita & vos in ratione hominum estote perfecti. Perfectio hominis sita est in iustitia, cuius est suum cuique tribuere. Deo autem debet homo obedientiam, quâ se debet ad nutum illius componere: Ergo Deo debet homo morem gerere imperanti amorem inimicorum. Nec obiicias, esse rem operosam valde hanc, quam exigit Deus ab homine; nam ille idem Deus subministrat gratiam idoneam huic oneri, sicut ex Iure Cæsareo Dominus subdito suo tenetur succurrere, vrgente periculo; ita Deus ex fœdere inito cum homine, ei suppeditat auxilia necessaria ad arduum hoc facinus.

Matth. 5.

Nullum ego aliud volo argumentum validius, quo inflectatur animus ad veniam inimico concedendam. Deus hoc suadet vt tuas in amplexus hominis tibi iniurij; ne hoc facias ratione hominis iniqui; sed attolle oculos, & speculare Deum desuper hortantem hoc tenore: Macte, ô athleta Christiane, quid cunctaris humiliari inimico tuo? non illi inclinaris, sed mihi, qui hoc mando. Mundus, & caro insusurrant, vt sæuias, mihi crede meliora tibi suadenti. Vnus ille Christi intuitus sufficit vt expungas memoriam noxæ tibi illatæ ab homine forsan indigno misericordia tua.

Hoc argumento suasus est grandæuus quidam Senator Venetus, vt filium suum genuflexo salutaret, electum in Ducem. Cunctabatur ille senex ad filium accedere ex ritu Venetorum, qui singuli creatum Ducem humili corporis habitu venerantur. Filius è throno suo contemplatus moras, quas nectebat pater suus, quasi detrectans obsequium debitum infulis, pileum suum ducalem patri suo ostendit, cui assutus erat crucifixus aureus exquisitè elaboratus, & sic eum affatus est: O amantissime parens, quid me attendis vt filium tuum? attolle oculos & capiti meo videbis imminere Christum, illi vltro defer obsequium ad quod euocaris. Non mihi sed Christo. Deo redde pensum, quod mihi exhibere pudet canitiem tuam. Hac breui oratione animæquior effectus ille senex, corpus inflexit, veneratus hominem, cuius capiti vidit insidere Christum.

Ex Historia. Petrus Iustinia. lib. 1. Veneta sub Celso Duce.

Ea meditatione Stephanus alacrior fudit preces pro suis homicidis: namque oculos intendens in cælum, vidit Christum stantem & eminentem capiti hominum, quos sibi iniurios morte tenus experiebatur. Eamobrem memor mandati à Christo iniuncti de dilectione inimicorum, eas fudit preces, quas meminit Lucas eius encomiastes. Si quando igitur acceptam iniuriam animo versas, recole Christum inhibentem memoriam noxæ, & emendica supplex opem, qua possis extinguere bilem accensam, & accendere amorem, cuius ferè expers, inimico tuo factus es iniquior.

Mandata Dei nostram voluntatem sollicitant. Mandatis suis Deus adiicit gratiã.

Procul dubio aderit Christus tibi, in gratiam eius enitenti offensam dimittere. Fauet Augustinus. *Iubendo Deus velle tuum quærit; possideat* ipse

Ex SS. Patribus. Aug. lib. 1. de doct. Christ.

ipse qui præcipit: si enim lapis lapidi illisus, cùm sit vterque frigidus, emittit ignem; inimicitiarum ignes quam possunt conflare charitatem? Esto igitur nobis idem symbolum quod effinxit Ferrus, pingens silicem chalybi affrictum, & ea collisione scintillantem hoc titulo, INCENDIA SVRGENT. Quamuis obdurescat animus amoris impos; si tamen meminerit Christi, quando vrgebitur ictibus amoris, INCENDIA SVRGENT? Deo eliciente flammas è corde saxeo, sicut olim aquas de silice percusso.

Ex SYMBOLIS. *Ioan. Ferrus p. 2. Theat.*

Etiam ad amorem iniquorum nobis hominum sollicitat nos alia ratio petita à charitate, qua obligamur procurare, inquantum fas est nobis, salutem proximi; sumus enim alter alterius membra, & multi vnum corpus in Domino. Ideo vnicuique Deus mandauit de proximo suo, veluti de membro corporis eiusdem mystici, quod est Ecclesia. Nihil autem est quod æquè emolliat iram sæuientis hominis, ac patientia, quâ etiam adamantinus animus inflectitur, & gelidum cor amore flagrat: quemadmodum enim ignis alium ignem parturit; ita & amor alio amore vtplurimum excitatur. Hac industria Paulus ait posse inimicos nostros concipere hunc ignem. Sic ille: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo; sed vince in bono malum.* Christus ait esse diligendos inimicos, vt simus filij patris nostri qui est in cælis. Proprium autem filij Dei fuit, inimicis parcere, & eos amore suo redimere. Quisquis igitur parcit, ille filius Dei est, & proximi debacchantis agit redemptorem.

Rom. 12.

Luculentam in eo argumento historiam scribit Ephræmus diaconus. Ait ille, Episcopum Lampsacenæ Ecclesiæ, valde sollicitum de conuersione vici, cui nomen Tænia, vbi Gentiles ritui suo addicti ferre non poterant Christi cultum. Ait inquam, Præsulem hunc eò destinasse virum sanctum virtutis emeritæ, & probatæ, scilicet Abrahamum eremitam, quem initiatum sacris ordinibus præfecit illi vico, vt inauguraret eos, qui sacro allui vellent fonte. Pergit Abrahamus ille, futurus & ipse pater credentium, clam omnia euertit & comminuit idola Gentilium, qui suspicantes ludibrium illud fuisse ab homine Christiano excogitatum, multifariàm fustibus impetitum semiuiuum reliquerunt. Sed postridie inuentum in Ecclesia vbi fundebat preces pro eorum salute, durius adhuc excipiunt quàm pridie; nam vinculis onustum extra vicum eduxere lapidibus obrutum. Inde tamen noctu Deo miserante liber, rediit in Ecclesiam suam, Deum vrgens precibus & lacrymis pro conuersione illorum hominum impiorum. Tertiò vapulat, & atrocius habetur à populo illo, arbitrante Deos suos irrideri; tantis excipitur plagis, vt sanguine vndequaque diffluente, deliquium passus, creditus fuerit exanimis. Post recessum turbæ huius ferocis, iterum redditus est sibi homo sanctus corpore aperto plagis: vt potuit Ecclesiam adiit, quam in eodem vico Ecclesiæ Lampsacenæ sumptibus extruxerat: illic lacrymis & sanguine madens, preces ingeminans anxiè orabat pro salute suorum inimicorum. Tot Deum ad misericordiam vrgebant ora hiantia, quot illi Sancto vulnera sanguine desudabant. Pectore anhelo aiebat: Miserere Deus populi nescij quid faciat: indulge populo ignaro noxæ, quam contrahit refuga gratiæ tuæ. Ne reminiscaris crimina, quibus se obstrinxit: noli continere in ira tua misericordias tuas.

Ex HISTORIA. *Ephræm. & Surius in vita Abraha Eremita tom. 2. 16. Marb.* Patientia Abrahæ Eremitæ gentiles cõuertit.

Exempla magis suadent, quàm verba.

Audit populus ille furens sospitem esse Abrahamum, & orare in Ecclesia, credidit esse prodigium hominem tertiò petitum ad mortem ditam posse viuere. Confluxit itaque Gens impia in ædes sacras, vbi vir Dei tanta animi contentione erat effusus in preces pro suis homicidis, vt illi audientes sæpius resonare illas voces: Deus multæ misericordiæ miserere huius populi nescij quid faciat: Dimitte ei reatum, quo tibi est obnoxius seuerè plectendi piacula. Illi obstupuere tigres, & remittentes aliquid de sua feritate, propius accessere ad hominem agentem ipsorum causam apud Deum. Ille ex oratione redux comiter affatus Gentem illam, ait se incolumem à Deo seruatum, vt consuleret eorum saluti, & se immemorem iniuriarum paratum esse ad erudiendum totum illum vicum, quem si conciliaret Deo, æstimabat se magnum reportasse lucrum de plagis inflictis. Eo sermone populus abiit in lacrymas, Deo emolliente saxea corda Gentilium; plusque potuit amor inimicorum, & iniuriarum obliuio, quàm feruidæ conciones. Namque omnes Deo dedere manus, abdicantes impia simulachra. Nonne homo ille nescius iniuriæ, æmulatus Christi indolem beneuolam, & propitiam inimicis suis, reuera fuit filius patris sui cælestis? Nonne etiam vt homini fas est, egit redemptorem illorum hominum, quos suo amore redemit, & patientiâ suâ sic decoctos initiauit sacris fidei mysteriis. Ingenuè dicam argumentum, quo excidit mihi omnis iniuriarum sensus. Sic meipsum moneo: Si quas aliquando vices rependis homini iniurio, ignem gladio fodies, animum eius exasperans sermone duriusculo bilem accendes fortè tepentem, vnde ille ita inardescens euomet iniurias, Deúmque sic offendet, & ita fies conscius offensæ quam contraxit. Itaque satius est tibi vim inferre, & æquo animo ferre fratrem tuum importunum, & sic occurrere peccato, quàm & vicissim irasci, vnde etiam tu peccares. Plurimum semper apud me valuit ille cogitatus, & Deo propitio iugiter inualebit.

Iniuriæ patienter latæ conuertunt inimicos.

Iniuriarum vltio Deum exasperat.

Adiice, charitatem, qua amatur proximus in ordine ad Deum, non dispesci ab amore ipso, quo in Deum anima fertur, atque ita Deum amari quando amatur proximus, & valde intensiorem esse amorem illum Dei, si ferueat impetitus iniuriis, sicuti ignis ardens in viridi ligno acrior est eo, qui splendet in palea. Eamobrem hoc animo tuo insideat, Deum tibi amorem rependere, quando illius ergô inimicum amas; sicut & vindicem esse, si vindictam meditaris vlturus iniuriam. Vt Ludouicus XII. Rex Gallus multos Genuenses suspendio deleuit, quia Gallos Genuæ degentes occiderant; ideo numisma cudit vbi erat hasta galeæ incumbens, his vocibus adiectis. VLTOREM VLCISCITVR VLTOR. Reuera si iniuriis affectus cogitas vltionem. VLTOREM VLCISCITVR VLTOR. Scilicet Deus vindex malorum, quæ proximo tuo licet inimico paras. Quod namque caput est membris, illud idem est Deus omnibus hominibus, vt eruditè meditatur Augustinus, sic fideles adhortatus: *Omnes homines etiam inimicos vestros diligatis, non quia fratres non sunt, sed vt fratres sint. Corpus Christi vbi iacet, membra ipsius vbi laborant, ibi esse*

Hist. Gal. in Ludou. XII.

Lukius lib. numism.

Ex SS. PATRIBVS. *August. in epist. 1. Ioan. homil. 10.*

eſſe debes, vt ſub capite ſis. Audi Prophetam: Latum mandatum tuum nimis. Extende charitatem per totum orbem, ſi vis Chriſtum amare, quia membra Chriſti per totum orbem iacent. Si amas partem, diuiſus es, in corpore non es: ſi in corpore non es, ſub capite non es. Amat ille corpus ſuum: ſi tu te præcidiſti à corpore ipſius, caput non ſe præcidet à corpore ſuo. Sine cauſa me honoras clamat tibi caput deſuper, tanquam ſi velit tibi aliquis oſculari caput, & calcaret pedes. Debet plus clamare caput pro membris calcatis, quam pro ſe honorato. Dicis, oſculari te volui; ſed non vides, ô ſtulte, quia quod vis amplecti, per quamdam compaginem vnitatis, peruenit ad id quod calcas. Surſum me honoras, deorſum me calcas: plus dolet quod calcas, quàm gaudet quod honoras. Quomodo clamat lingua cùm calcatur? pes dolet, inquit, mihi: non dicit dolet pedi meo. O lingua, quis te percuſſit? quis te tetigit? Nemo, inquit; ſed coniuncta ſum iis quæ calcantur. Quomodo non vis vt doleam, quando non ſunt ſeparata. Hæc ille, inferens Chriſto inferri iniuriam, quando læditur inimicus, qui vt Chriſtianus, eſt portio gregis Chriſti, & membrum ſub Chriſto capite, pars corporis eius myſtici quod eſt Eccleſia.

Inimici quare ſint diligendi.

Amoris mandatum quàm late patens ſit.

Inimicos lædens Deum lædit.

Vbi ſupra.

Auguſtinus pergens in eadem theſi ait: *Dominus dicit diſcipulis: Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & Iudæa, & Samaria & vſque ad vltimum terræ. Vide quàm diſtendat corpus ſuum: vide vbi calcari non vult: Aſcendo, inquit, quia caput ſum, iaceo quia iacet adhuc corpus meum per totam terram. Caue ergo ne percutias, ne calces: iam non inuenies ipſum loqui in terra, ſed de cælo, quia membra ſua calcantur in terra: perſecutori enim Saulo dixit deſuper: Saule, Saule, quid me perſequeris? Aſcendi in cælum, & adhuc in terra iaceo: hîc ad dexteram Patris ſedeo, ibi adhuc eſurio, ſitio, & peregrinus ſum.* Nemo igitur iactet amorem ſuum in Deum, ſi expers ſit amoris in proximum, quamuis inimicum. Hoc namque eſt ſingulare amori, quod duo extrema petat: aliæ verò virtutes vni termino hærent tantùm. Verbi gratiâ, eleemoſyna attendit pauperem, vt miſeriam eius leuet; atque ita eleemoſyna non fit diuitibus. Sed amor etſi amicos primario afficiat; tamen eius etiam motus in aliud extremum fertur, ſcilicet in inimicos, ſicut egregiè inſinuat nobis dictio amorem præcipiens, videlicet, AMA. Quippe ea vox, ſi à dextra ad læuam, aut à læua ad dextram legatur, ſemper hoc ſonat, AMA: quaſi monens, eos eſſe amandos, qui à dextris ſunt, & à ſiniſtris, amicos ſcilicet & inimicos. Forſan & placebit alia obſeruatio; nimirum nomen hoc, AMOR, ſi legatur à læua ad dexteram, reddere hanc vocem, ROMA: vna namque eſt Eccleſia Romana, quæ cordi ingerit quantùm poteſt amorem illum, qui à læua incipit, vbi ſunt inimici.

AMA vox eſt quæ legitur à dextris, & ſiniſtris.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Propria etiam commoda ſollicitant nos ad condonandas iniurias.

QVamuis prælibata argumenta ſatis ſuperque valida ſint ad ſuadendum amorem in proximos quoſque inimicos; alia ſuperſunt longè maioris momenti petita à commodo, quod reſultat ex amore inimicorum; & hæc conſideratio eum ſpectat, qui ſe beneuolum præſtat. Hanc infra expediam, vbi oſtendero veritatem huius paradoxi, videlicet: Inimicos noſtros eſſe eo nomine diligendos quòd ſint maximè amici noſtri; & vtinam omnes caperent iſtam diſciplinam. Sic aſtruo intentum: Illi reuera amici ſunt, qui procurant noſtrum bonum, medio idoneo ad aſſecutionem illius boni: Cùm ergo inimici noſtri ſuis iniuriis atque moleſtiis reddant nos cautiores, quia inuigilant actionibus noſtris, vt ſi quid viderint deuium à virtute illud prodant, & aliis explicent: cùm eorum anguſtiæ nos compellant ad Deum conſulendum, & vacandum bonis operibus, vt inde liberemur; proculdubio illæ ærumnæ bonæ ſunt, quia vtiles; & inimici homines valde diligendi, quia bona hæc nobis omnia procurarunt.

Inimici noſtri amici ſunt.

Inimici noſtri bonum noſtrum procurant.

Huiuſce veritatis conſcius fuit ille ſanctus Eremita, cui alter degens in eius vicinia quotidie clam furabatur illud omne quod parauerat ad victum & veſtitum; quod ille æquo animo ferens, magnum meritorum cumulum fecit, alterius iniquitatem faciens æquitatem ſuam. Eamobrem inſtante morte, cùm omnes ſolitarij conueniſſent ad decumbentis locum; ille in ſupremo agone poſitus, circunſpiciens aduertit fratrem illum moleſtum ſibi: eius intuitu factus alacrior, totum ſe colligens procidit in pedes huius iniqui Eremitæ, & apprehendens manus eius, geſtiens oſculabatur eas, exclamans: O benedictæ manus quàm mihi extitiſtis beneficæ, quando exiguam ſupellectilem ſuſtuliſtis! veſtro præſidio cedet mihi in bonum illud omne quod cepiſtis; gratias ago immortales vobis, ſicut inſtrumentis, quæ Deus aptauit ad ſalutem meam aſtruendam.

EX HISTORIA. *Ex vitis Patrum.*

Fuit hoc facinus hominis non ignari; ſiquidem illud ſapit reconditam Theologiam, quæ aſſerit, Dei cauſalitatem porrigi ad omnia, quæ peruia ſunt diuinæ ſcientiæ: Deus enim nihil nouit extra ſe Phyſicum & reale exiſtens, cuius non ſit ille cauſa. Et cùm omne agens intendat aliquem finem indoli ſuę congruum, Deus qui eſt nobiliſſimum agens, nihil omnino edidit niſi nobiliſſimo etiam fine propoſito. Ergo in iniuriis & offenſis, quibus appetimur ab inimicis, cùm Deus concurrat ad phyſicam actionem, proculdubio intendit finem homini maximè congruum; ſcilicet beatitudinem, ad quam prouidentia Dei dirigit omne quod homini accidit. Cùm ergo Deus ſciuerit parari nobis & ingruere mala ab inimicis, nec ea voluerit impedire; cenſuit illa mala fore bona iis quibus imminent; Prouidentia namque Dei conſulit vnicuique ſuauiter. In ea duo ſpectantur. Primum eſt ratio ordinis rerum prouiſarum in finem, & in eo ſenſu Deus immediatè omnibus prouidet, quia in ſuo intellectu habet rationem omnium rerum, etiam exilium, & quaſcumque cauſas aliquibus effectibus præfecit, virtutem eis impertiuit ad hos effectus exequendos. Alterum quod rimatur Theologia in prouidentia Dei, eſt executio ordinis, cuius rationem Deus habet in ſuo intellectu: illa executio dicitur gubernatio, ad quam Deus aliqua media aſſumpſit ſuæ prouidentiæ ita aptata, vt nihil eam præterire queat: Deus enim inferiora gubernat per alias creaturas, non ex defectu potentiæ, ſed ex copia bonitatis, quæ etiam dignitatem cauſalitatis creaturis communicat. Idcirco illa media, à Deo præſtituta vt vnaquæque res finem ſuum aſſequatur, nequeunt eſſe mala; quippe Deus omnia

EX THEOLOGIA. *Thom. 1. p. q. 22. art. 2.*

Inimici à Deo permittuntur ad ſalutem.

omnia habet peruia quæ obstare possunt. Ergo cùm ad iniurias & mala, quæ ingerunt iniqui homines, Deus physicè concurrat, & hæ molestiæ non effugiant rationem prouidentiæ Dei; sanè Deus his ærumnis vim affinget beneficam, quæ conducet ad prouentum gratiarum, illi viro qui se accinget ad deuorandas audacter iniurias.

Non obstat iniquior animus maleuoli hostis, perniciem viri probi suo conamine procurantis. Namque ex Philosophia, cùm causa denegat virtutem suam alicui rei, causa prima non deficit, sed influit semper; & cùm separatur causa secunda à causato, quod sequitur ipsam, non excluditur causa prima; plus enim influit in effectum quàm causa secunda. Ergo etiamsi quandoque iniqui homines, quorum iniuriis vtitur Deus ad salutem nostram, deuient ab intento Dei; Deus tamen vt prima rerum omnium causa, quæ nihil vult esse noxium, sed edidit omnia propter se, non negabit influxum suum beneficum, quo res etiam creditæ noxiæ, cedent in bonum hominis, cui opportunus ille hominum parens consulit more medicorum, qui credulitatem stomachi purgant pomis Colocynthidibus: siquidem nacti hominem fructuum esu phlegmate redundantem, non potionem, sed catapotia decernunt, id est, pilulas, quia diutius potiones in stomacho commorantur & proliciunt à remotis partibus humorem noxium. Quia igitur homo deglutiit pomum vetitum, nec potuit decoquere fructum inconcessum, Deus remedia sensui ingrata indixit, amara vtique, & quæ diutius animis insiderent. Hæc sunt odia & inimicitiæ hominum inuidorum. Non quòd Deus quempiam excitet ad alium odio habendum; sed quia homine liberè alium persequente, Deus vtitur hoc odio ad correptionem alterius, qui debet adhibere cautionem, quam suggerit Dioscorides, monens Colocynthidi debere adiici myrrham ne nauseat. Myrrha in moralibus significat mortificationem voluntariam. Ideoque cautè versandum est inter iniurias; & odia non sunt detestanda, vt assolent homines, sed subeunda ad nutum Dei, & vltroneus ille assensus terget omne virus, quod quandoque latet sub ærumnis. Sic vides inimicorum maleuolos animos non nocere, si caueмus, meditantes Dei amorem in nos, conuertere in bonum illud omne, quo dispendium nostrum cogitat inimicus.

Ex Philosophia. Aristot. lib. de causis prop. 1.

Causa prima nunquam desinit influere.

Ex re Medica. Galen. lib. 6. Simplicium. Dioscor. lib. 4. c. 171.

Iniuriæ illatæ debent nos cautiores efficere.

Placet in eo argumento obseruatio Mathematica, affirmans Planetarum nequitiam corrigi à superiori sidere: semper enim stellæ illæ errantes subsunt alicui signo Zodiaci. Omnia autem signa Zodiaci in triginta gradus diuiduntur, & hi in tres denarios, qui sequuntur indolem diuersorum Planetarum. Verbi gratiâ in Aquario primi gradus decem pertinent ad Saturnum; atque adeò infausti sunt: sequens denarius est de iure Iouis; atque ita propitius est. Nec est vllum signum Zodiaci, quod in sua triplicitate non faustè influat in homines, etsi quandoque ex eo quidpiam defluat minus gratum. Inimici odio suo referunt stellas errabundas, quas planetas vocant. Esto mali ominis sint hi planetæ, & nihil nisi virulentum spirent; tamen eorum improbitas corrigitur à Deo, vt à superiori sidere, in quo duo sunt notanda. Vnum est malum pœnæ, quod Deus intendit in odio inimicorum; vult enim Deus hinc castigare aliquod abditum scelus, aut compescere superbiam, quæ fortè exurgeret, si hostium acerbitas nostra deliquia omnibus explicans, non eam reprimeret. Hoc reuera malum infligit Deus, scilicet pœnam, ad examen virtutis, aut ad correptionem. Sed etiam aliud bonum parturit hoc sidus superius, videlicet copiosum influxum gratiarum; ita vt si quid importunum, & facessens negotium pariat inimicorum vexatio, illud omne affatim compensetur vbertate gratiarum, quæ patientiam consequitur.

Ex Mathematica. Iulius Firmicus lib. 2. c. 4.

Iniuriarum tempora examina probationum sunt.

Sic videre est, inimicos nostros, esse amicos nostros, quia eorum acerbitas est nobis proficua, ideoque eo etiam nomine diligendi, cùm eorum merito fiat ingens accessio meritorum, Deo sic moderante mala, vt in bonum nostrum cedant, vt prudenter edocuit nos Dauid, qui ingloriè habitus à Semei homine nequam, ait: *Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Vbi Ambrosius hæc annotat: *Quàm moraliter Dauid docuit, quod iniuriarum vel periculorum nostrorum tempora, tentationum certamina & examina probationum sint, & ideo non sine Diuino ea irrogari iudicio. Exercetur bonus athleta conuiciis, exercetur laboribus, & periculis, vt dignus sit cui deferatur corona iustitiæ, & ideo ferenda sunt patienter, quæ putantur aduersa.*

2. Reg 16.

Ex SS. Patribus. Amb. in apol. Dauid. c. 6.

Qui patienter inimicum suum fert, & sibi prodest, & alteri, vt videre est in Iosepho qui venditus à fratribus, eâ iniuriâ eos redemit, & auctus fuit honoribus, Deo hæc omnia dispensante, vt ipse fratres suos consolatus ait: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me sicut imprasentiarum cernitis, & saluos faceret populos multos.* Hunc locum sic versat Ambrosius. *Quàm pia fraternitas, quàm dulcis germanitas, vt etiam parricidale excusetur commissum, dicens Diuinæ illud prouidentiæ fuisse, non impietatis humanæ: quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed à Domino missus sit ad vitam; hæc enim merces & vita Sanctorum, quòd etiam alios redemerunt.*

Iniurias inuictis inimicis Deus aptat ad gloriā.

Genes. 50.

Amb. lib. de Patriarc. Ioseph. c. 12.

Amor fraternus etiā mala excusat.

Vtinam omnes eum referrent fructum iniuriarum, quem vberem collegit Cantacuzenus Imperator, pulsus Imperio à Ioanne Paleologo. Non sæuiit in æmulum suum, non conscripsit exercitum, sed petiit montem Athos, vbi sæculo abdicato dedit nomen suum Christo, factus sic aptior regno cælorum, quàm fuerat imperio perituro. Coronam cælestem imminere illis, qui condonant iniurias, probauit Fridericus Rex Siculus, qui exutus infulis à Rege Gallo Ludouico XII. reliquum æuum priuatus egit in Gallia, cuso numismate, vbi erat corona è cælo pendula iuxta manum cremantem librum, hac voce apposita limbo numismatis. RECEDANT VETERA. Profectò ille, qui acceptas iniurias delet amoris incendio, diademate dignus est. Equidem coronanda est vox illa. RECEDANT VETERA. Dices, non esse hoc situm in nostra facultate, vt iniuriam illatam non sentiamus. Hoc non inficior; nec ego illud suadeo ne sentias, sed hoc hortor vt dissimules: sic ille prior impetus euanescet. Accipe textum opportunum Iuris Cæsarei. *Iniuriarum actio dissimulatione aboletur. Si quis enim iniuriam dereliquerit, hoc est statim passus ad animum suum non reuocauerit; postea ex pœnitentia iniuriam remissam non poterit recolere.*

Ex Historia. Histor. Imperialis sub ann. 1355.

Iniuriis sanctior est effectus Cantacuzenus Imperator.

Lukius lib. numism.

Iniuriæ dissimulatione abolentur.

Ex Ivre Civili. Leg. Non solum. §. Iniuriarum. ff. De iniuriis.

Cæterum

Cæterum totus rei cardo in eo situs est, vt veniam demus, si etiam nostra piacula nobis à Domino cupimus indulgeri. Irrita namque est pœnitentia citra remissionem iniuriæ. Hoc sonat iste
Ex Ivre Canonico. Canon. *Qui odium in corde gerit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat peruenire.* Hoc item
Can. Falsas. De pœnitentia dist. 5. animo verset ille qui memor est iniuriæ, eum, qui iniuriam refert, plecti eo modo, quo punitur
Iniuriarum vltor male sibi consulit. draco occidens elephantem. Hunc suis spiris inuoluens, dente quidem virulento necat; sed elephas sentiens lethale virus, cadens sua mole premit & occidit draconem iniurium. Vnde Camerarius texuit hoc symbolum. Pinxit hoc discrimen elephantis cum dracone, hoc titulo inscripto. Non impvne feres. Id est: Vicisti ô draco, sed in tui perniciem. Hoc inculco, ô Christiane: Quispam te offendit, expetes vltionem, & proximo tuo iniquus eris. Sed Non impvne feres. Dei namque iram concilias tibi, qui refundet in caput tuum vltionem, qua sæuiisti in proximum tuum. Etenim veridica Dei vox est: *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Cave.

Ex Symbolis. Camer lib. Centuriarũ.

Iacob. 2.



DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT in corpore humano spiritus animales variè percellunt membra; prout sanus aut æger est homo; ita in corpore mystico Ecclesiæ discolor est hominum motus, prout aguntur homines à bonis aut malis spiritibus. Dicam primò in quod malorum præceps hominem ducant Angeli nequam suis susurris. Aperiam dæmonum technas, quas etiam ausus est callidus ille assentator vsurpare, vt Christum pelliceret.

II. Explicatis dæmonum insidiis, dicam Deum alios eis opposuisse spiritus, qui inuigilant custodiæ hominum, qui cùm impares essent astutiis, quibus præualet diabolus, æquum erat Deum occurrere discrimini, quod homini instabat, si Deus diabolo non opponeret æmulos, alios videlicet Angelos, qui eiusdem naturæ sunt, & insuper gratiæ incremento fortiores sunt impiis illis spiritibus, qui frustra sollicitant eos, qui probitate morum sibi conciliant Angelos, quos etiam habent ministrantes, si se strenuos gesserint in agone, vbi res est de immarcescibili corona, quam diabolus scit strenuis imminere.

PRÆFATIO.

Reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei. Mat. 4.

DIVINVM quidpiam anhelauit semper victoria reportata, ideoque victoribus honor præcipuus habitus est, qui & Scriptura sanctiore probari potest, qua enarrat pæana decantatum Dauidi reduci ex discrimine, quod iniit cum Goliath. Quo tripudio exceptus sit ille athleta egregius commemorat historia illa sacra hoc contextu. Cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorósque ducentes in occursum Saül Regis in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saül mille, & Dauid decem millia. *Esto fuerit insigne facinus hoc Dauidis; est tamen infra operosum illud negotium, quod habuit Christus cum æmulo, cuius dum meminit Iob, ita fatur:* Non est potestas, quæ comparetur ei super terram. *Hostis ille acerbus; est diabolus, qui Adamo prostrato in horto, ausus est etiã insurgere contra alium hunc Adamum; sed præstantiorem primo. Angelus ille perduellis & desertor assurgens in spem victoriæ, arietauit in Christum semel, iterum, & tertiò, irrito tamen conamine. Quippe venit, vidit, & victus est, Christo non superstite tantum, sed etiam illibato. Hodie triumphanti Christo congaudent Angeli, & congruum pæana canunt. Nos congratulemur matri eius; hoc Angelico affatu.* Aue Maria.

1. Reg. 18.

Iob. 41.

VEteres Philosophi speculantes hominum discolorem habitum, & mores discordes à seipsis; in varias abiêre partes circa rationem actuum diuersorum. Alij dedere temperamento hominis, quòd idem aliàs nequam, postea frugi vixerit. Platonici, qui proximè accessere ad religionem Christianam, vt qui Scripturæ sacræ notitiam ebiberant ex commercio Chaldæorum, apud quos Hebræus populus exulabat. Hi inquam credidere; hominum actus variare pro impulsu diuersorum spirituum, quos Genios hi proceres Philosophiæ nominarunt. Hos Genios dixerunt esse in duplici differentia. Alios credidere bonos, qui hominem vrgerent ad virtutis amplexum, & ardua quæque opera perpetranda. His opposuere quosdam spiritus importunos, & molestos, quos dixere Deos Auerruncos, quibus consulere sacrificandum ne noceant. Hoc Scripturæ sanctioris stylum sapit, vbi videre est vtrosque spiritus bonos & malos, agentes hominem in diuersa. Verbi gratiâ in libro Tobiæ Asmodæus, spiritus nequam & noxius, suo halitu igneo accenderat septem iuuenes ad libidinem, & eosdem eo igne sulphureo flagrantes interemit. Ibidem alius Angelus nomine Raphaël, spiritus beneficus, Tobiã liberauit ab insidiis Asmodæi, eique consultor opportunus adfuit. Duas classes horum spirituum cõmemorat Euangelium hodiernum,

Genios varios credidere Gentiles.

hodiernum, vbi diabolus aggreditur Christum, vt eum agat in præceps,& eo profligato accedunt Angeli sancti adorantes Christum, & ei ministrantes. Hoc discrimen Christi cum diabolo faciet contexturam huiusce concionis, vbi agam primò de tentationibus diaboli. Secundo dicam quomodo Angeli custodes adsint suis clientibus.

Prima Pars Homiliæ.

In quos dæmon gyret anfractus, vt hominem tentet.

Ex Philosophia. *Ficinus in Plat. Theol. lib. 1. c. 2.*

ESse Angelos ipsa Philosophia adstruit ex hoc quòd effectus debet assimilari suæ causæ, in quantùm fas est ei: At Deus, rerum omnium causa, agit intellectu & voluntate, vtpote dissitus & secretus ab omni materia: Ergo debet dari in hoc rerum vniuerso aliquod ens à Deo editum, quod æmuletur esse Dei, & sit spiritus procul à materia, agens intellectu & voluntate. Alioquin totum hoc quod dicitur mundus deficeret, in eo quòd non referret causam suam, quæ est merè spiritualis agens citra vllum organum corporeum. Vt enim olim ædificia non censebantur esse perfecta & sarta tecta, si non eis imponeretur auis dicta colophon, vnde ortum adagium, *Imponere colophonem*, id est, aliquid inchoatum perficere. Ita orbi aliquid deesset, si non adiecisset Deus in apice mundi, id est, in cælis, aliquos colophones, seu aues spirituales, vt sunt Angeli sancti colophones, qui opus Dei sanctum & perfectum clamant. Itaque editi sunt Angeli, sed in sua editione non coière omnes in vnam sortem, sed in diuersas abière partes; nam quidam Deo adhæsêre, alij verò sequentes Angelum lucifugam, à suo Deo & Domino defecerunt. Hinc orta est differentia malorum spirituum, quos diabolos Scriptura vocat, id est, calumniatores, fortè quia Deo calumniam intulit, quando eum inuidiæ insimulauit, dicens homini, Deum vetuisse esum pomi, quasi inuideret felicitati hominum, quæ pendebat ex eo fructu decerpendo.

Angeli sunt colophones orbis. *Erasm. Chiliad. 1. Centur. 3. adagio 45.*

Desertor ille spiritus vbi vidit hominem suffectum in locum suum, in omnes se versans gyros excogitauit technas, quibus hominem elideret & faceret conscium noxæ suæ. Tandem voti compos hominem abegit è paradiso, totámque prosapiam eius damnauit, pluribus angustiis obnoxiam. Nec eius irarum finis fuit in Adamo: quotidie in rabiem acuitur ille Angelus perduellis, & præcipuè quando illi occurrit homo virtutis emeritæ; tunc maximè suum euomit virus, ne is occupet locum, quo excidit spiritus hic nebulo, ampliori ducens gloriæ decepisse probatos homines paucos, quàm multam populi colluuiem. Ideoque eum vidit coronatum Ioannes Apostolus. *Ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Diadema gestat, quia de Regibus triumphauit. Dauid, Theodosius, & alij pietate insignes Reges, præualente passione à diabolo victi fuère, etsi postea surrexerint.

Diabolus quare diadema gerat.

Apoc. 12.

Ille hominum hostis implacabilis, hodie animaduertens Christum in deserto; suspicatus in eo aliquid vltra hominem, totum se collegit, vt sidus hoc cauda sua, id est, consensu, vbi virus est, ad terram elideret. Quia ieiunium vidit, gulæ illecebras proposuit. Rursus ratione sanctitatis præcipuæ, qua Christus eminebat, gloriolæ inanis auram ei inspirare voluit, eum nominans filium Dei, quem tamen non credebat. Demum tota illa Scena accepit finem in gloria mundi præostensa, vt quem nec gula nec gloria deceperant, saltem diuites opum gazæ ad obsequium dæmonis inclinarent. Serpens ille biceps est vt amphisbæna, quam meminit Lucanus.

Amphisbæna serpés biceps. *Lucan l. 9.*

Et grauis in geminum surgens caput amphisbæna.

Quia vtrimque caput ei serpenti insertum est, circularis tractibus creditur incedere, ita vt obuiam factus homo, ægrè queat euadere amplexus illius anguis, qui se in gyrum versat corpore bicipiti. Dæmon spirituali & carnali tentatione gyrans, circumdat hominem totum, qui positus in his angustiis, vix emergit incolumis. Quomodo autem diabolus hominem tentat, rimare mecum. Scit callidus ille Angelus inesse homini appetitum ad beatitudinem, iuxta illud Philosophi effatum. *Beatus nemo inuitus euadit.* Quæ autem sit illa hominum beatitudo, explicat Aristoteles hoc tenore. *Beati dicendi sunt illi, quibus felicitas & bona ex terra adsunt.* Vt ergo ille vafer hostis homini illudat, obiicit ei felicitatis aliquod inane simulacrum. Primò beatitudo perfectionem dicit, ad hunc statum diabolus hortatur, inspirans ei altos animos, quibus aliis emineat veluti perfectior, & gloriam consequatur ab aliis, quæ est veluti tributum perfectis quibusque exhibitum. Sic insulsus homo credens assurgere in culmen, dehiscit in abyssum, superbia eum agente in præceps. Vt tentator Christum deliniret, sic præfatus est: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Credidit hominem hoc titulo compellandum, vt ebibito fastu, se totum ad pompam componeret.

Ex Philosophia. *Arist. l. 1. Ethic cap. 5. & l. 1. Ethic. c. 10.*

Beati qui sint dicendi.

Matth. 4.

Rursus de ratione beatitudinis est, vt ad sufficientiam affluant omnia, alioquin hiulca esset felicitas, vtpote deliquium passa. Vt autem suppetant omnia, appetitus excitatur in opes, vt in media congrua fini, ad quem anhelat homo beandus. Hinc auaritia emergit, quâ homo inducitur in diaboli laqueos, quos & Christo tetendit spiritus ille nequam, ostendens ei omnia regna mundi, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Demum ex Aristotele, felicitas nulla est sine delectatione, ad quam diabolus multifariam homines inflectit, & præcipuè cupediis gulæ, dum homo abdomini litat. Hanc etiam plagam voluit infligere Christo ille Angelus pessimus hominum explorator. Vide, ô homo incaute, in quos se volutulos contorqueat ille draco, qui etsi semel & iterũ fractus à Christo, non destitit eum aggredi quãtò nisu potuit. Heu quãtùm dæmonis incendia ardebunt in arido, si tẽtauit in viridi diabolus ebullire! Si voluit Dominũ Iesum adducere in discrimen, quàm sibi cauere debent infirma hominũ capita, ne hostis illius acerrimi insultibus elidantur!

Seriem technarum diaboli texit Cyprianus hoc contextu. *Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat*

Ex SS. Patribus. Cyprian. l. de mortalit.

Bellum homini est acre cum vitiis. Vitio vno superato alia insurgunt.

inflat superbia, vinolētia innitat, inuidia concordiā rumpit, amicitiā zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod Diuina lex prohibet; compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones quotidie animus patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cùm magis concupiscendum sit, & optandum, ad Christum subueniente velocius morte properare. Nihil sincerum homini sed fictitia omnia adiicit dæmon, æmulatus industriam Theophili Imperatoris nefarij, qui vt fideles distraheret à cultu imaginum, omnes Sanctorum icones abstulit, & fornicibus adiecit figuras bestiarum, quarum obiectu dediscerent homines venerari Sanctos, & eorum præclara facinora meditari. Ita callidus hominum osor, animos hominum distrahit à beatitudine æterna, vt bestiarum felicitatem, gulam, & Venerem decepti homines insectentur. Eo Marte etiam cum Christo congressus est. Non panem obtulit ad epulas, sed lapides obtulit ad pabulum: Non dedit regna Mundi, sed ostendit tantùm.

Ex Historia. *Hist. Imperial. sub an. 832.*

Theophilus Imperator bestias substituit in locum Sanctorum.

Quotidie homines sic dementat, faciens vnicuique fucos, vmbratiles delicias incautis obiiciens, ita vt liceat diabolo illusori affingere symbolum illud quod explicat Paradinus, dum pingit canem edulium optimum in aquam mittentem, vt vmbram solidi cibi morsu apprehenderet, quæ vmbra vbi cibo immerso euanuit, canis impastus fuit. Huic cani adscribit has voces: DELVSIT HIANTEM. Id est, vmbra fugax auidum canem sua specie fucata fefellit. Eo ferè modo dæmon videns penes hominem esse frui vera & solida beatitudine, ementita bona opponit, epulas scilicet, & sæculi gloriam, reuera inanem; homine sic occupato, & rebus fluidis impedito, deperit illi integra felicitas, & sic Angelus hic desertor DELVSIT HIANTEM. Huic technæ occurrit Psaltes occinens: *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Tota beatitudinis vestræ hæc suppellex vanitatem tantùm & mendacium sapit. Sensuum ludibria ingerit dæmon, & hominem pascit fumo, quem aliquando prostratum non fumo sed incendio castigabit.

Ex Symbolis. *Parad. lib. Symbol.*

Beatitudo mundi fallax.

Psal. 4.

Itaque tota diaboli virtus viget in industria & calliditate, quâ illudit nobis, animum à Deo auertendo, & occupando simulacris rerum inanium, quæ fuit astutia Theophili iconoclastæ, cùm loco Sanctorum suffecit bestiarum symbola. Et hoc est infelix diaboli cum homine pactum, vt licet egregia quæque promittat, vt felicitatem omnimodam, lætos dies, diuturnum æuum, corporis sospitatem; hæc omnia nullo probato ære soluat, sed duntaxat pecore substituto. Quid namque ille vafer nundinator animarum præstat nisi pecudum mores, quos affingit homini delinquenti? Verbi gratiâ, hoc tempore indicto Christianis vt Deum sibi concilient inediâ; homo soluens iniuncta ieiunia, vt ventri indulgeat, credit accipere à diabolo aliquam beatitudinem, cuius locô Angelus ille nequam hominem in lupum mutat, eum faciens helluonem. Aliis dum prætendit Veneris illecebras, libidine expleta, summa corporum gaudia pollicetur: crimine autem eo perpetrato nihil residui inde homo refert, præter hircorum indolem inhonestam. Gloriam se obstringit daturum ei, quem ad superbiam enutrit; sed euanescente eo apparatu gloriæ, homo in auem illico commutatur: quasi enim ales homo instructus pennis, dum vanus est, ad leuioris auræ popularis impulsum abit in aëra. Tota denique illa nundinatio animarum facta sub spe probatæ monetæ, concluditur tamen pecore accepto ab homine, qui eo pretio relato in suas animæ gazas, pecorum naturam induit, & eorum ritum suis actibus æmulatur.

Peccatum nos cum bestiis componit.

Nec est ab eo pacto resiliendi locus homini sic decepto, quia consensit beatitudinem sibi adimi, vt pecore fruetetur. Vnde agere potest Satan hac constitutione Imperatorum Diocletiani, & Maximiani. *Pretij causa non pecunia numerata, sed pro eo pecoribus in solutum consentienti datis contractus non constituitur irritus.* O insulsam impiorum hominum mentem, vt Deo abdicato, & abiecta beatitudine æterna, bestiarum gaudia nundinentur. Quid quereris, ô impie, te deceptum? vltro consensisti. Sensisse illecebram, non id noxa fuit: omnis rei iniquæ cardo fuit in consensu, vt explicat iste Canon. *In suggestione peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpe fit, vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat.* Vt hunc animæ consensum proliciat, tentationes aptat, iuxta naturam cuiusque hominis, imitatus eos, qui volunt aliquem perimere veneno cicutæ, virus eius diluunt vino, cuius natura est serpere in venas, & se insinuare in cor. Sic quod cicuta non fecisset sola, hoc citissimè facit adiuta vehiculo vini. Eo modo dæmon rimatus indolem animæ propinat virus idoneum suo intento; quo perimat hominis appetitum. Hoc scitè aduertit Gregorius. *Prius complexionem vniuscuiusque aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quò ergo aduersarius occultus facilè capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat. Quia lætitia voluptas iuncta est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facilè labitur; tristibus poculum discordiæ porrigit. Et quia elatos extollì laudibus conspicit, eos ad quæcunque voluerit blandis fauoribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus insidiatur.*

Ex Ivre Civili. *Lege Pretij causa Cod. De rescindenda venditione.*

Ex Ivre Canonic. *Can. Sed pensandū dist. 6.* Peccatum quibus gradibus consummetur.

Ex Re medica. *Dioscor. lib. 4. c. 74.*

Ex SS Patribvs. *Greg. lib. 29. Moral.* Diaboli astutia in explorandis hominum moribus.

Tota autem series tentationum diaboli ad tria capita reducitur, ea scilicet, quæ meminit idem Gregorius ita fatus: *Diabolus dicitur iumentum, draco, auis. Humanum genus tribus vitiis valdè tentat; luxuria, malitia, superbia. In eis igitur, quos excitat ad luxuriam, iumentum est; ad nocendi malitiam, draco est; ad superbiam, auis est.* Hodie in deserto Christum aggressus se composuit in iumentum, commemorans escas & ventris ingluuiem. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Auis speciem induit, ferens Christum supra pinnaculum templi, suggerens ei fastum & pompam, hortans vt mitteret se deorsum, facturus periculum suæ potentiæ. Demum draconem egit promittendo opes, quibus dracones inuigilant. Audi sibilum draconis: Hæc omnia tibi dabo. Igitur non est in hominis virtute situm, quin non obuium habeat Angelum hunc luci fugam; qui aliàs caput ferit superbiæ afflatu; solet quippe hoc vitium parere vertiginem. Si irrito conamine tentat caput, oppugnat ventrem gulæ illecebris, ægréque admodum potest homo

Idem lib. 33. Moral. Diabolus dicitur iumentum, draco, auis, & quare.

incolumis euadere, obuiam factus diabolo sæuienti.

Ex Theologia. Thom. 2.2.q. 165.art.1.

Non est quòd causeris in hoc esse incuriam prouidentiam Dei, quæ nobilissimum animal in eas permisit venire angustias, vt sit veluti ludibrium huiusce feræ immanis. Nequaquam: sanè est incusanda prouidentia Dei; siquidem eius est consulere singulis iuxta naturam vnicuique insitam. Est autem ille hominum status, vt à quibusdam lædi queat, vt & ab aliis adiuuari; lædi à dracone, & defendi ab Angelis. Hanc hominum sortem subiit ipse Deus homo factus, tentatus à diabolo, non quòd intrinseca fuerit tentatio illa, vt sunt nostræ: nihil enim potuit Christi appetitum vel leuiter immutare à bono in malum; vnde & cute tenus tantùm fuit illa tentatio, in qua suas omnes vires explicuit Satan, experturus quid posset in hominum omnium caput Christum. Quare autem copiam fecerit Deus diabolo tentandi homines, id petitur ex hominum indole, quæ vt ignaua est, stimulis indiguit, vt serpens animus assurgeret. At nihil æquè animos acuit vt tentatio; eâ namque homo fit cautior, omnia tuta timens, & solerti indagine explorans quid animæ congruat & noceat. Ita fit vt cedat ad coronam lucta, quæ permittitur ad certamen. Ita Augustinus: *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tentatione, quia profectus noster per tentationem fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.*

Diabolo quare Deus permiserit homines tentare.

August. in Psal. 60. Tentationum quæ sit vtilitas.

Magno etiam solamini est diabolum hortari tantùm, sed non compellere ad casum, vt benè aduertit Chrysostomus versans historiam tentationis Christi. Sic ille: *Non impulit, non tetigit, sed tantùm dixit: Mitte te deorsum; vt intelligamus, quòd qui obedit diabolo, ipse se deponit: diabolus enim suggerere potest, cogere non potest.* Concinit Augustinus. *Tantùm admittitur diabolus tentare, quantùm tibi prodest, vt exercearis, vt proberis, vt qui te nesciebas, à teipso inuenieris.* Adiice, Deum alios nobis prouidisse Angelos vtique beatos, qui obstent diabolo coniuranti in perniciem nostram. Illi quidem Christi partes non adiuuerunt in conflictu, quia Christus eorum Dominus est; ideo eorum præsentia fuit victori applaudens, & non adferens suppetias, vti liquet hoc contextu, qui pæana canit: *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Dispar planè est tentatio nostra, quæ vt intrinseca est arietans in intellectum & affectum, adminiculis eget, quibus se homo contra hostis sui abdita conamina tueatur.

Diabolus non cogit sed suadet. Chrysost. in cap. 4. Matthæi. August. in Psal. 61. Diabolus non omnia potest quæ nititur.

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 111. art. 3.

Sic autem se accingit diabolus ad certamen. Scit ille multiscius hominum æmulus, se non posse extorquere consensum ab homine inuito, atque ita eum facere peccato obnoxium, quod situm est in volitione libera. Scit, inquam, cautus ille sycophanta, hoc superesse sibi tantùm, vt suasione noceat. Suasio autem duo importat, scilicet notitiam rei, ad quam quis sollicitatur, & voluntatis propensionem in rem ipsam apprehensam. Notitia, quam ingerit diabolus vt homo peccet, fucata est semper: namque omnis peccans est ignorans; hominem verò incautum sic dementat. Scit eum indigere specie sensibili vt cognoscat, iuxta illud Philosophi. *Oportet intelligentem phantasmata speculari.* Astutus ille organa phantasiæ ita attemperat, vt simulacra obiiciant intellectui earum rerum, quas intendit Satan. Verbi gratiâ, dum animus speculatur speciosæ mulieris ideam, quam ingessit dæmon, componendo organa phantasmatum ad intentum suum. Si in ea speculatione defixus homo considerat mulieris speciem vt bonum sibi consonum, voluntas statim vltrò inflectitur ad consensum, & inde mali labes. Adiice corruptelam indolis nostræ inclinare hominem ad peccatum, carne vt plurimum in animam præualente.

Pars Secunda Homiliæ.

Quàm opportuni nobis adsint Angeli, diabolis vrgentibus nos.

Contra hanc dæmonum praxim Angeli adsunt, suam præstantes opem, ea qua fas est eis actione in intellectum & affectum, scilicet purgando, illuminando, & perficiendo. Quid sit autem illuminari ab Angelo, ita explicat Angelicus Doctor. Lumen vt ad intellectum spectat nihil est aliud planè quàm quædam manifestatio veritatis, ipso etiam Apostolo teste. *Omne quod manifestatur lumen est.* Vnde illuminare est aliis tradere manifestationem agnitæ veritatis, sicut Paulus insinuat. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo.* Sic Angelus illuminare hominem potest, explicando ei veritatem, quam ipse agnoscit. Cùm autem ad intelligendum duo concurrant, virtus intellectiua, & similitudo rei intellectæ; secundùm hæc duo Angelus rei agnitæ ingerere potest notitiam homini. Primò quidem roborando virtutem intellectiuam eius; vt enim virtus imbellis corporis imperfecti augetur vicinia corporis vegetioris, verbi gratiâ materia tepens incalescit, iuxta corpus magis calidum: ita virtus intellectiua hominis augetur ex conuersione Angeli ad hominem. Hoc etenim præstat in spiritualibus ordo conuersionis, quod facit in corporalibus ordo propinquitatis localis. Secundò Angelus insinuare homini potest veritatem rei agnitæ, ingerendo similitudinem eius, quam quia homo nudam excipere nequit, alio modo homini explicat, quàm superior Angelus alium illuminans inferioris ordinis. Quippe homini insitum est intelligere per conuersionem ad phantasmata, ideoque Angelus veritatem intelligibilem homini proponit sub specie sensibili. Præterea beati illi spiritus compescunt vim dæmonis volentis agere in organa phantasmatum, & sic hominem decipere, ei inurendo species boni alicuius ementiti.

Ex Theologia. Thom. 1 p. q. 106. art. 2.

Ephes. 5.

Ephes. 3.

Angelus quomodo hominem illuminet.

Angelus abhorret ab homine obscœno.

Sed vt apes cadaueri non insident, vtpote à fœtore abhorrentes; ita etiam Angeli procul sunt à reprobis, & præcipuè his qui iam fœtent ex diuturno habitu delinquendi, idque maximè si obscœni sint hominum mores. Tunc namque Angelus non custodem, sed vindicem agit, vt legere est in tragica illa historia Vdonis Archiepiscopi Magdeburgensis, quem ipsi Angeli decollarunt in propria ipsius Ecclesia Cathedrali, ob spurcitias, quibus inglorias fecerat infulas suæ præfecturæ. Adiice & vindictam, quam expetiit Angelus de muliere, quæ Virginem Deo sacram

Ex Historia. Ioan. Nauclër in Chronic. sub an. 940. Vdonis Episcopi mors horrenda.

Hieron. ep. 7. ad Lætam. Angelus plectit Prætextatã mulierẽ, quia Euſtochij virginis habitũ vanum fecit.

ſacram ornauerat habitu in libidinem compoſito. Sic rem enarrat Sanctus Hieronymus. *Prætextata nobilis mulier Euſtochij virginis habitum cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens virginis votum. Adfuit Angelus: Tunc (inquit) auſa es viri tui Hymetij imperium præferre Chriſto. Auſa es caput Virginis ſacræ attrectare manibus ſacrilegis. Ecce illæ areſcent, & poſt quintum menſem deduceris ad inferos; & ſi non pœniteat, marito & filiis orbaberis. Hæc ordine dicto acciderunt.* Hactenus ille.

Pſal. 37. Angelis recedentibus ab homine diabolus præualet.

Angelos recedere ab obſcœnis hominibus expertus eſt Dauid, & teſtatum ſacro Codice dereliquit, ita gemens: *Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Reuerà dolos & vanitates meditatur hoſtis ille acerbus animarum, deprehendens Angelos deſpicatui habere ſceleſtos. Tunc diabolus verſans phantaſmata rerum carnalium, pleraque ſimulacra obiicit indecora, quibus homo illectus, incautè omnibus aſſentitur. Et hinc odium Angelorum, quos habere propitios reprobi nequeunt: Nam de ratione beatitudinis æternæ eſt, vt beati induant voluntatem Dei, ita componendo nutum ſuum ad arbitrium Dei, vt nihil omnino velint diſſonum à voluntate Dei, quo viſo & apprehenſo, ſic in eum omnis affectus effunditur, vt totus amore ebulliat: amare autem eſt idem velle, & idem nolle. Ergo beati Angeli oderunt eos, quos exoſus eſt Deus, iuxta illud Pſalmi. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.*

EX THEOLOGIA. *Thom. 1 p. q. 62. art. 68.*

Pſal. 5.

Præterea ſicut amor aliqualem conuenientiam dicit; ita & vbi eſt diſcolor rerum habitus, ibi eſt diſcors animarum propenſio. Ideóque cùm reprobi ab Angelis ſint diſſiti toto cœlo; procul ab eis ſunt etiam beatæ illæ mentes, vt querulus Dauid gemit commemorans impium illum ſtatum, quo adulter & homicida fuit. Sic ille: *Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi.* Si quos præcipuè auerſantur Angeli, hi ſunt Veneris aſſeclæ, ſpurciſſimi homines, omnino alieni ab Angelis, qui ſunt carnis expertes, vtpote ſubſtantiæ intellectuales. Ideóque cùm libido omnem ferè rationis vſum expungat ab homine, non eſt quòd comites Angelos exquirat homo fœdus: impos rationis animam totam Venere depaſcente.

Pſal 87.

EX SS. PATRIBVS. *Greg. lib. 31. Moral. c. 31.* Luxuriæ quinam ſint effectus.

Audi Gregorium *De luxuria cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi; horror autem & deſperatio futuri ſæculi generantur.* Ex eo odio Angelorum enaſcitur ilias malorum, quæ excipit impios: nam odiſſe eſt velle alicui malum. Vide quomodo Angelus ſæuierit in duos illos ſenes obſcœnos, qui voluere Suſannam ſubiicere libidini ſuæ. Daniel ait eos fuiſſe veluti mente captos, libidine eruente eorum oculos; atque ita fuiſſe obnoxios gladio Angelorum, quorum eſt in vilia hæc capita deſæuire. Ita Daniel, vnum eorum affatus eſt: *Semen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timentes loquebantur vobis. Sed filia Iuda non ſuſtinuit iniquitatem veſtram. Nunc ergo dic mihi, ſub qua arbore comprehenderis eos loquentes ſibi. Qui ait: Sub prino. Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum, manet enim Angelus Domini, gladium habens, vt ſecet te medium, & interficiat vos.* Audis Angelum non libidinis inimicum modò, ſed vltorem, gladio diuidente. Nam ſpiritus ille odit quidquid fœdat imaginem Dei: nihil autem eſt magis contrarium diuinæ ſpeciei, quàm caro, iuxta Dei ipſius querelam hanc celebrem: *Non permanebit in homine ſpiritus meus, quia caro eſt.*

Daniel. 13 Angelus luxuriosos male habet.

Geneſ. 6.

Quiſquis ergo cupit demereri Angelos cuſtodes, ille à carne procul ſit: alioquin alio iniquo ſpiritu agetur, ſcilicet diabolo, qui amorem Dei omnem extinguens nihil niſi frigidum ſpirat, ſcilicet adipem, & omnes gulæ cupedias fomites luxuriæ. Eſt autem adeps ſanguis indigeſtus, & quaſi frigore concretus. Ita & in moralibus, qui de adipe & ſagina tantùm cogitant, probant ſe iniquo & frigido ſpiritu, id eſt dæmone, commoueri. His quadrare poteſt illud effatum Hippocratis, ψυχρὸν δὲ ἐκπνεόμενον ἐκ τῶν ῥινῶν, καὶ τοῦ στόματος ὀλέθριον κάρτα ἤδη γίνεται. *Frigida reſpiratio ex ore, & naſo admodum lethalis eſt.*

EX RE MEDICA. *Hippoc. lib. 1. præſag. c. 7.*

O Epulo & vile mancipium gulæ, nihil niſi pinguedinem ſpiras. O helluo, ieiunij irriſor, & violator Quadrageſimæ, ſpiritus ille frigidus te percellit, qui hodie auſus eſt aggredi Chriſtum hoc tenore: *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Pinguis illa & frigida reſpiratio lethalis eſt, & arguit feruentis ſpiritus, id eſt Angeli, abſentiam, & dominiũ ſpiritus alterius, quo cientur omnes incuſ ij Quadrageſimæ. Non eſt incongrua obſeruatio Aſtronomica circa Aquilam cœleſtem, quæ eſt conſtellatio ita nuncupata, habens quidpiam affine Angelis. Ex Columella, oriente Aquila, irrorat; ea verò occidente, omnia congelaſcunt. Rurſus ex Hipparcho Aquila oritur cum Ara & Cygno, duabus aliis figuris cœleſtibus, nec illi vllum eſt commercium cum ſtellis, quæ componunt conſtellationem hœdorum. Ea etiam dignatione animas hominum afficiunt Angeli, quos aquilas nuncupare non vereor, cùm aquilarum inſtar nubibus emineant. Quando nobis affulgent, anima noſtra veluti rore perfuſa viret. Geſtit homo, cui incubant hæ aquilæ, quæ occaſu ſuo horrida & frigida omnia prænuntiant. Cui autem occidant illæ aquilæ, diſce ex præfata Mathematica, quæ recenſens Aquilam oriri cum Ara & Cygno, inſinuat moraliter, Angelos tantùm adeſſe piis hominibus, & caſtis. Horum pietatem Ara refert, ſicut & Cygnus candore ſuo deſignat caſtitatem.

Matth. 4. Aquilæ conſtellatio oritur cum Ara, & Cygno.

EX MATHEMATICA. *Columel. lib. 11. cap. 11.* *Hipparch. lib. enarr. ad phænom. Eudoxi.*

Cui oriantur Angeli propitij collige ex vulgato eloquio lippis atque tonſoribus agnito; videlicet, Simile ſimili gaudet. Cùm itaque Angeli ſint corporis expertes; ſectandus eſt vitæ ritus, qui nos carne hac exuat importuna. Idoneum prorſus eſt tempus Quadrageſimæ, quo Chriſtiani abſtinent à carnibus, & crucem Chriſti votis omnibus amplexãtur. Indicto igitur ieiunio vacemus: tollat vnuſquiſque crucem ſuam, & hæc animam à carnis illecebris optimè defæcabit, & aptabit ad Angelorum conſortium. Namque illi aſſueuere cruci, quia illa homines expedit à rebus, quæ homines ſecernunt ab Angelis. Locuples eſt hiſtoria Procopij Ducis, qui cum aurificem clam conduxiſſet, vt crucem auream componeret, & ille opifex crucem affabrè factam tradidiſſet, apparuere effigies duorum Angelorum, in vtroque brachio crucis, Deo indicante Angelos gaudere eorum conſortio, qui ſeſe crucis obſequio deuouerunt. Conſonum eſt illud quod recenſet Nicephorus de cruce erecta

EX HISTORIA. *Ex actione 4. Cõcil. Niceni.* Angeli amãt eos qui crucem baiulãt. Procopij Ducis crux inuenta Angelis ſtipata.

Niceph. lib. 1. cap. 32.

erecta à Constantino in media vrbe sua. Quotannis tertiò descendebat Angelus media nocte circumiens illam crucem, magno lumine rutilus, adiiciens suaue melos, & suffitum. Nemini autem nisi innoxio & probato concessum est, illum Angelum intueri, neque audire melos.

O Epicuri de grege sues, non vobis inuigilant Angeli, sed his tantùm, quibus cordi crux est insita, & qui fortiter in discrimen veniunt cum diabolo, contorquentes in caput eius lapides, quos proponit ille asper inimicus, vt in obsonia conuertantur. Flocci etiam pendunt hi sequaces & baiuli crucis omnia regna mundi, præostensa ab hoste iniquo, certiores facti, se crucis obsequio euehendos ad Angelorum choros. FAXIT DEVS.



FERIA SECVNDA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. SCRIPTVRA sacra in recensione egregiorum facinorum, quæ perpetrauere Heroës, intendit erudire animas. Est namque Scriptura hæc fœta multiplici mysterio, idoneo ad animas instruendas. Huius generis est facinus arduum quod exantlauit Samson, qui declinans è via leonem occidit, in cuius faucibus postera die reperit examen apum, & fauum mellis, de quo comedit, & cuius dulcore captus, dedit & parentibus suis partem, vnde & ipsi fuere recreati. Ecclesia hodie Christum obiicit nobis vt leonem de tribu Iuda occisum. In ore huius leonis inueniuntur infesti apum aculei, quibus in die iudicij reprobos configet. Reperitur & mel, vt Beati supera gloriæ dulcedine saginentur. De necessitate huius iudicij dicam primò.

II. Secundò ostendam iudicij extremi memoriam esse homini adeò salutarem, vt eam maximè reformidet dæmon, qui omnem lapidem mouet, vt animum abstrahat ab eo cogitatu, qui etsi melle & aculeis vt dispari obiecto constet; hominem tamen reficit & saginat.

PRÆFATIO.

Congregabuntur ante eum omnes Gentes. Matth. 25.

ETSI nomine suo pacem prætulerit Rex Salomon; iustitiæ tamen non immemor, plerumque tulit sententiam capitis in iniquos, imò nec fratri suo Adoniæ pepercit, quem occidit, vt & Ioab, quem ad aras interfecit, vtpote reum læsæ maiestatis. Solennis est eiusdem sententia lata in Semei virum illustrem ex regia Saulis prosapia oriundum, in quem ita animaduertit: Tu nosti omne malum, cuius tibi conscium est cor tuum, quod fecisti Dauid patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. *Sed esto fuerint illa lethales sententiæ; hæ tamen animâ illibatâ duntaxat in corpora sæuierunt. Longè asperior erit censura, quâ feriet Christus impia capita: namque licet mitis & suauis sit ille Dominus, & oleum effusum nomen eius; tamē æquitatis etiam amantissimus est, ideòque decernit pœnas cōgruas vnicuique piaculo. Vnde necesse est tormina illa cruciare corpus & animam simul, quia vtraque hominis pars est conscia criminis. Eamobrem futurum est horrendum illud iudicium, quod concludet hominem totum, & homines omnes, sicuti clamat prælibatum Thema:* Congregabuntur ante eum omnes Gentes. *Quia nullus erit tunc misericordiæ locus, & iustitia primas obtinebit: conciliemus nobis Dei gratiam, adeuntes matrem misericordiæ, eam affati Angelico textu.* Aue Maria. 3. Reg. 2.

DEclinans è via Samson vt Leonis cadauer inspiceret, in feræ extinctæ faucibus mel inuenit, vt sic enarrat Codex sanctus. *Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis; quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via, veniensque ad patrem suum & matrem dedit eis partem, qui & ipsi comederunt.* Qui hodie declinant à negotiis profanis vt Christum cogitent eo habitu, quo in Euangelio proponitur, videbunt extinctum hunc leonem de tribu Iuda habere in ore examē apum, & fauum mellis, quo esurientes recreare possunt famem suam. Apes armantur aculeis; Christus in die iudicij reprobis asper & austerus occurret, & armatus in eorum perniciem, vt recenset Scriptura veridica *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* At iusti eo vtentur, vt suaui & mellito iuxta oraculum eiusdem Scripturæ prælibatæ. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.* Escâ repertâ in ore Leonis pascatur Samson, proponitur nobis hodie pinguior apparatus, vnde anima saginetur. Ille animarum cibus est duplex sententia proferenda ore Christi in die iudicij. Sanè virtutum adipe impinguatur homo, qui recolit hoc iudicium. In contextura huius concionis ipse ego eo opimo cibo refectus

Iudic. 14.

Sap. 5.

Iudicij extremi habitus egregiè lineatus in leone Samsonis.

refectus sum, dabo etiam partes, quas & vos comedatis. In duas portiones diuidam escas istas salutares.

Dicam primò necessarium esse vt orbis vniuersus à Christo iudicetur. Secundò ostendam, quàm vtilis sit illa meditatio iudicij, cuius memoriam dæmon delet quantùm potest.

Pars Prima Homiliæ.

De necessitate iudicij extremi.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. p. q. 21. art. 3.*

QVidquid est in hoc rerum vniuerso, illud à Deo editum est, qui omnibus creaturis inseruit misericordiæ & iustitiæ insignia, siue res considerentur in esse naturæ, aut morali. In esse naturali cuiusque rei, liquet misericordia Dei, quæ ex nihilo rem illam eduxit, vt participaret gradum aliqualem entis. Iustitia item elucet in eo quòd omnia edita sunt in numero, pondere, & mensura: Deus namque singulis quibusque rebus dedit quod iustum est, vt exerant actiones congruas naturæ suæ. Eadem speculatio locum habet in esse morali, quod attenditur penes vsum liberi arbitrij, seu voluntatis. Hoc esse pertinet tantùm ad Angelos & homines, quorum est velle & nolle. Diuinæ misericordiæ fuit, quod edidit hæc entia nobilia. Iustitiæ fuit, dare eis idonea ad agendum. Sed Euangelium hodiernum alio modo Iustitiam Dei inuestigat, scilicet provt decernit præmia bonis, & supplicia reis. Illi Iustitiæ dies vnus assignatur, ille scilicet, qui concludere debet omnia tempora, & qui ideo dies iudicij nuncupatur. Huius diei necessitatem sic adstruo. Quidquid rationale à Deo editum est, aut misericordiam eius prodit, aut iustitiam. Bonitatem Dei ostendunt illi, qui ea bonitate boni sunt, & merentur beatitudinem æternam: Iustitiam verò faciunt manifestam reprobi homines, luentes Deo pœnas mali perpetrati. Sed nemo condemnatur sine præuio iudicio, vt nemo coronatur absque ratione. Ergo dies est assignanda, quæ omnium merita discutiat, vt congruè iudicentur, & sic referantur ad gloriam Dei, quæ elucet & miserando, & plectendo. Non potest autem alia dari dies adeò opportuna illi iudicio, vt extrema dies, quia de re mutabili nequit integra ferri sententia, donec res illa fuerit consummata. Sed homines etsi mortui sint, tamen quandoque mala aut bona multa adhuc faciunt, quia dederunt ansam hæc & illa faciendi. Exempli gratiâ, Caluinus erroris argumentum est multis, atque ita malorum conscius est, quæ fiunt suasione pessimæ doctrinæ, quam disseminauit. Eamobrem expectanda est rerum omnium consummatio, vt plenum iudicium feratur de omnibus.

Iudicij extremi necessitas adstruitur.

S. Thom. 3. p. q. 59. art. 5.

In hac hominum discussione Christus aget Iudicis partes. Primò quia Iudicium hoc erit sensibile, vtpote faciendum de hominibus. Igitur eorum Iudex debet esse visibilis, is scilicet, qui est hominum caput Christus, cui etsi iudiciaria potestas conueniat ratione Diuinitatis, competit ei etiam ex merito: qui namque iniustè iudicatus est Dei iustitiæ faciens satis, reuerà meruit alios iudicare. Rursus iudicium integrum rei alicuius importat notitiam plenam rei iudicandæ. Ergo cùm ad verbum Dei spectet illud omne quod dicit aliquam notitiam in diuinis, Filij erit iudicare. Nam Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, cuius intelligentiam nihil est omnino quod queat effugere; atque ita non est quòd quispiam arbitretur eludere hoc forum quacunque industria cogitata. Nemo Iudici faciet fucos. Non erunt illic folia, quibus reprobi operire queant opera sua obscœna, sicut Adam & Eua operuêre foliis ficus nuditatem suam. Etenim cùm causa prima concurrat ad omnes effectus, & nihil planè fiat, in quod non influat causa prima; nihil prorsus Deo inscio facit homo, ad cuius actiones physicas & reales concurrit Deus vt agens primú, cuius actione omnia agentia reducuntur in actum. Ergo cùm omne peccatum materialiter dicat aliquod ens reale, vtpote emanans à voluntate, cuius volitio ipsa Deum habet cooperatorem physicè, Deum nihil omninò latere potest eorum quæ exantlat homo. Si bona sunt, eatenus tantùm bona sunt, quia ad Deum referuntur, vt in finem à quo suam bonitatẽ emendicant: actionem namque specificat finis. Actiò autem, quæ Dei bonitate bona est & Deo grata, ita Deũ demeretur, vt dignetur hominem fruitione Dei, eumque sic beet in æternum. At secus actio iniuria Deo, cum postponens creaturæ, iram eius & odium conciliat. In Deo autem odisse est velle malum. Quale autem malum reprobis infligat, colligere est ex ea sententia, qua feriet impia capita. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*

Ex philosophia. *Arist. lib. de causis prop. 1.*

Etsi alienum opus à Deo videatur, castigare reprobos; id tamen quàm maximè denotat perfectionem Dei, cuius est non duntaxat amare bonum, sed & odisse malum. At cùm Dei amor & odium non dicant affectum in Deo, sed connotent effectum, quo arguimus amorem Dei vel odium; operæpretium fuit omnibus ostendere, quàm bonus sit Israël Deus his qui recto sunt corde, faciendo vtique iustos participes regni cœlestis, & puniendo maleficos homines. Cùm ergo modo infinito faciat Deus quidquid agit, & nullus sit in Deo modus, sed vnum quid infinitum concludens omne quod est de ratione perfecti; vt odium, quo detestatur peccatum, esset homini conspicuum, pœnam æternam sanxit his qui perirent, vt saltem in extensione sua, pœna ostenderet odium Dei. Rursus cùm iustitia Dei non sit quid reale distitum à misericordia Dei, & vtrumque attributum sit Deus ipse æternus, & homo sit editus in ordine ad Deum; qui noluerit habere propitium, habebit sæuientem, & tamdiu quamdiu stabit ille finis, ad quẽ omnia diriguntur. Stabit autem Deus in æternum. Ergo & pœna valde congrua crimini erit perpetua, vt explicabit illa sententia, quæ concludet totam illam tragœdiam. *Ite maledicti in ignem æternum.*

Iustitia Dei plectens malos est perfectio in Deo.

Ex Theologia. *Bonau. lib. 2. sentent. dist. 32.*

Thom. 1. p. q. 13. art. 4.

Diem hanc suam præcipuè vocat Deus. *Vlulate quia prope est dies Domini, omnes manus dissoluentur.* Etsi omnes dies Domini sint, illa potissimum die Deus aperiet, quàm iustus sit in omnibus viis suis. Ad hoc operæ-pretium erit reuelare abscondita cordium. Ratio hæc est: Ideo est statuta dies illa vt decernãtur præmia & pœnæ, iuxta bonitatem & malitiam hominis iudicandi: Sed tota bonitatis & malitiæ series attenditur ex voluntario; nam qui inuitus malè agit, minus peccat eo, qui vltrò effunditur in malum: Ergo non tantùm actiones peruiæ oculis, sed abdita quæque in penitiore recessu cordis palàm fient. Crimina illa tacita in confessione, ne læderent aures sacerdotis, nefandæ libidines, & cogitationes impuræ,

Isa. 13.

impuræ, quas pangere horret animus, suos quosque auctores prodent, qui si erubuêre in confessione mutila, nequeuntes ferre vultum vnius hominis, etiam peccatoris; qua quæso fronte, Dei & Sanctorum intuitus ferent hypocritæ, quos ipsa conscientia arguet vtique detestandos, Deo reserante recessus animæ, pietatem hactenus ementitæ. Graphicè hunc stuporem delineat Amos. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combusta vultus eorum.* Hieronymus hunc suum calculum adiicit. *Inde ostenditur eos torqueri propria conscientia, & facies habere combustas, eo igne, quem sibi succenderant.* Compendiosè Augustinus. *Accusabit sciẽtia cõscientiã.*

Synderesis tortor crudelis.

Amos. 5.

Ex SS. PATRIBVS.

Hieron. in c. 5. Amos. August.

Hericius audiens latrare canes, & instare venatores, se in orbem gyrat, & totum cute sua tegit, quam in globum versat. Sed esto videatur esse animal illud absconditum, cutis hirsuta spinis animalculum illud imbelle prodit. Ita & reprobi in die Iudicij, etsi latere velint, non dabitur eis vlla copia latebrarum, quia peccatorum aculeis dirè torquebuntur. Hoc ait Psaltes. *Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circundabit me.* Bernardus maximum argumentum timoris inuenit in ea conscientiæ querela, reprobis importuna. Sic ille: *Cum dicetur de me: Ecce homo, & opera eius; reducam ante oculos meos omnia delicta, & peccata mea. Quadam namque vi Diuina fiet, vt cuique sua opera bona vel mala in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul & singuli & omnes iudicentur. Quod enim nunc confiteri erubescimus, tunc omnibus manifestabitur, & quidquid dissimulando palpamus, totum illic vindex flamma comburet.*

Psal. 48.

Bern lib. medit. cap. 2.

Conscientia omnium patebit in die iudicij.

Si quispiam hominum Regi iniurius, ferre nequit præsentiam eius quem offendit; & plerosque occuparunt angustiæ mortis, cogitantes se debere sisti Principi terreno; quid fiet homini nequam, cùm trahetur inuitus ad tribunal Christi? Nostro sæculo, in hac eadem vrbe, vbi hæc scribo, scilicet Parisiis, Cardinalis Pelueus ex diametro oppositus Henrico IV. Regi enitenti ad auitum regnum, vbi audiit tubas insonare Henrici ingressum in vrbem regni caput, eo timore perculsus est, commemorans quàm grauiter offendisset hunc Principem, cuius iam iuris erat, vt clangore hoc tubæ, quasi impos sui in febrim inciderit, quâ paulo post homo ille, etsi magnanimus, extinctus est. Alius item Cardinalis Volseyus, quo moderante Angliam, tota hæc regio à Deo defecit, vt audiit Regem Henricum VIII. sibi minus æquiorem esse effectum, & se ab eo peti ad examen vitæ retroactæ, assignatis iudicibus, qui vacarent indagini rerum quas gesserat; in morbum incidit, quo elatus probauit reos horrere omnia tribunalia.

Cardinalis Pelueus moritur timore perculsus.

Ex HISTORIA.

Hist. Gallic. sub an. 1594.

Cardinalis Volseyus moritur terrore perculsus.

Hist. Angliæ sub an. 1531.

Quis ergo impiorum hominum impauidè feret sonum tubæ occinentis aduentum Christi, ad examen omnium sese hominum accingentis? Anne aliquis poterit ferre Deum obiicientem sibi ingrati animi notas has, quas recenset Augustinus. *Plus iam iustus quàm misericors, seueritate iudicis, contempta misericordia reos incipiet accusare, & dicere: Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi imaginem nostram similitudinemque conferre dignatus sum, ego te inter paradisi delicias collocaui; tu vitalia mandata contẽnens, deceptorem sequi quàm Deum maluisti. Cùm expulsus de paradiso iure peccati mortis vinculis tenereris, virginalem vterum sine dispendio virginitatis pariendus introiui, in præsepio expositus, & pannis obuolutus iacui, infantiæ contumelias humanasque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet vt te mihi similem facerem pertuli; irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi; flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, vt tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clauorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, vt tibi gloriam darem; suscepi mortem tuam, vt in æternum viueres. Conditus iacui in sepulchro, vt tu regnares in cœlo. Cur quod pro te pertuli, perdisti? Cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuisti? Non te ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. Redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indesinenter occidis. Cur habitaculum, quod mihi in te sacraueram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculasti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram, afflixisti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo, quam illa, in qua tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Cùm essem impassibilis, pro te pati dignatus sum: sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in Iudice veniam, in cruce vitam, in suppliciis medicinam. Et quia post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari.* Hactenus Augustinus.

Ex SS. PATRIBVS.

Aug. ser. 57. de tempore.

Christus in die Iudicij reprobis exprobrabit. Passionis suæ meritum neglectum.

Longè equidem erit terror omnino alius hominum impiorum, ab eo, quo perculsi sunt Iudæi omnes vna die perimendi, eos persequente Aman. Tragœdiam hanc sic recenset Scriptura sacra. *Litteræ signatæ ipsius annulo missæ sunt per cursores Regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero vsque ad senem, paruulos, & mulieres vno die. Summa autem epistolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem. Festinabant cursores, qui missi erant, Regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.* Qualis autem edicti tenor fuerit, morti omnium Iudæorum capita deuouentis, audi. *Iussimus, vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes, reddant Imperio nostro pacem, quam turbauerant.* Eodem momento, quo Christus hominum Iudex feret sententiam mortis æternæ in impios, dehiscens terra reserabit os inferni, vt deuoret reos illos sine fine puniendos, quia turbauere pacem Ecclesiæ. Quippe fideles debent esse cor vnum, & anima vna, vt sint pacifici, & filij Dei nuncupentur. Quare autem mali malè dispereant, audi ex recensione criminum, quæ Iudæis Aman imposuit, ita affatus Regem Assuerum: *Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, nouis vtens legibus & cerimoniis, insuper & Regis scita contemnens, Et optimè nosti quòd non expediat regno tuo, vt insolescat per licentiam; si tibi placet decernere vt pereat.*

Esth. 3.

Esth. 13.

Esth. 3.

O homo nequam, insolescis voluptate diffluens, iniquis legibus vteris, Deo & proximo tuo iniuriis,

Ex IVRE CIVILI. *Nouel.8.c.12. Vt Iudices sine quoque suffr.* Accusare fas erat omnibus Præsidem Prouinciæ.

iniuriis, Dei scita aspernaris; sed illa die decernet vt pereas. Te accusandi fiet omnibus copia, sicut olim cuique ius erat accusandi Præsidem prouinciæ, expleto illius officio, vti sanxit Imperator Iustinianus hac Nouella. *Damus licentiam collatoribus detinere eum in prouincia, & omne quod dederunt ei, occasione furti exigere: sed etiam ipsos prouinciales, si senserint administratorum furtum, licentiam habere; magis autem necessitatem, hac referre nobis, vt cognoscentes, quia omnino auro vendidit iustitiam; prædictis eum subiiciamus pœnis, super quod etiam cælestibus suppliciis reus erit, transcendens iusiurandum, in quo acceperit administrationem.* Diabolus insurget, qui ab accusatione & calumnia nomen habet; sic Deum compellabit, vt meditatur Augustinus: *Æquissime Iudex, iudica illum meum esse per culpam, qui tuus noluit esse per gratiam; tuus per naturam, meus per miseriam; tuus per passionem, meus per persuasionem.* Non dæmones tantùm, sed & opera nostra reos esse reclamabunt. Ea est Bernardi meditatio. *Tunc quasi loquentia simul opera dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, sed tecum semper erimus, tecum pergemus ad iudicium.* Implebitur tunc illud eloquium Psaltis: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Ex SS. PATRIBVS. *August.* Synderesis ipsa nos accusat.

Bernard. lib. medit. c.2.

Psalm. 9.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Quàm sit vtilis assidua recordatio iudicij extremi.

SAnè illa die erit dulcis amator pœnitentiæ; pinguescet tunc anima, aliàs ieiunio macerata; ditescent eleemosynis suis viri misericordes; florebunt corpora, quæ fuere quondam lacera spinis vitæ sanctioris. At secus noxij homines in sæculo diuites summam rerum omnium ferent inopiam, sicut & inedia torquebuntur incurij abstinentiæ, & ieiunij contemptores, hîc de vna tantùm ventris ingluuie cogitantes. Deliciarum omnium flores, quibus luxuriantur impij, tunc vertentur in tribulos, quorum candentes igne aculei, reproborum pectora cruciabunt. Petent sibi dari moras, vt expient crimina perpetrata; sed incassum momenta petent, qui vita sua, vt datis induciis ad pœnitendum, vsi sunt ad bellandum contra Deum. Noxij quique homines iniquam experientur sortem Crisorij, quem sic Gregorius commemorat. *Vir in hoc mundo valde idoneus fuit, sed tantùm plenus vitiis, quantùm rebus, superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in requirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreuisset, corporali hunc molestia percussit. Qui ad extremum veniens, eadem hora, quâ iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit teterrimos viros, & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra eum raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare; & magnis vocibus inducias petere. Pauore autem tetrâ eorum imaginis huc illucque versebatur in lectulo: iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem, ibique aderant. Cùmque constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis vocibus exclamare: Inducias vel vsque manè, inducias vel vsque manè. Sed cùm hac clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo carnis suæ euulsus est.* Has quas petiit inducias habes, ô reprobe. Petiit ille momenta, vt confessione dilueret crimina, quæ tacens antea perpetrarat; tibi sospes integra vita conceditur, vt pœniteas. Quid moraris? Dies iudicij instat, mors à tergo est, insonant tubæ, quare non consulis tibi conciliando Deum, quem toties ad iram prouocasti?

Ex HISTORIA. *Gregor. lib.4. dialog. c.38.*

Crisorij mors horrenda.

Vtinam Christiani omnes cauerent sibi eadem industriâ, quâ in hac vrbe Parisiorum plerique hæretici consuluere sibi, quando Carolus IX. Rex indixit stragem illam, quæ impiorum hominum partes fregit, die sacra Bartholomæo Apostolo. Caluinistæ aduertentes Catholicos pileo suo affixisse cruces albas, vt ea tessera effugerent aciem gladij depascentis hæreticos; ipsi etiam aliàs exosi crucem, vt viderunt eam esse argumentum vitæ, prudenter assumunt crucem pileo suo, eaque cautelâ lanienæ erepti sunt; alios verò crucis inimicos gladius vltor absumpsit. Quadragesima crux est albicans, vita innoxia cruci albæ nos addicit, citra crucem nemo potest effugere acerbitatem diei illius Domini vindicantis. Bona quæquè opera, sunt cruces; nam fiunt carne reluctante, & illa lucta crux est, quam qui assumpserit, cautè se accinxit ad vadimonium; id est, ad comparendum.

Hist. Gallica Carol. IX. sub ann. 1572.

Crux tessera vitæ ab hæreticis assumpta Parisiis.

Ideo fortè crux in cælo apparebit præuia Christo Iudici, quia crucis suffragio sancti homines cælo adscripti diem hanc prouidè præuenerunt. Itaque, ô fideles, audiamus Petrum sic hortantem: *Tempus est incipere iudicium à domo Dei.* Incipit iudicium à domo Dei, quando ipsi homines seipsos diiudicant, & à se expetunt pœnas quia Domino peccauerunt. Vnde & ipsi ita Iudicati fiunt domus Dei. Nescio an eò spectet illud Bernardi eloquium. *Propter hoc ergo iudicium incipit à domo Dei, vt suos quos nouit Iudex, cùm venerit, inueniat iudicatos, & iam nihil de eis habeat iudicare.* Qui seipsos iudicare haudquaquam curant, alteri horrendo iudicio reseruantur, vbi omnia austera reprobis, nullaque salutis spes relinquitur, vti affirmat Ambrosius. *Quorum serum est iudicium, eorum salus longè est.* Qui viuentes in infernum descendunt, profectò morti præcipites non agentur in barathrum illud; quod concludet innumera propè capita condemnata.

Iudicium quare à domo Dei incipiat.

1. Pet 4.

Ex SS. PATRIBVS.

Bern. serm. ad milites templi c.8.

Ambros. in Psalm. 118. Iudicium serum malum omen.

Ratio autem cur homo commemorans iudicium extremum, fiat sanctior atque euadat mala, quæ manent impios in die illa, hæc est: Nemo peccat nisi suadente appetitu sensitiuo, qui bonum aliquod ingerit sensuale phantasiæ. Hæc simulacra illecebræ accepta à sensibus obiicit intellectui, qui deceptus à phantasia, offert voluntati phantasma delectabile, quo illecta voluntas effunditur in rem illam sensui gratam, parum curans an Deus offendatur: quippe princeps illa animæ facultas, scilicet voluntas acta phantasmate accepto à sensibus, illi adhæret, Dominum auersata. Et hoc est quod decantatum est sæpè sæpius, scilicet peccatum dicere conuersionem ad creaturas, & auersionem à Deo. Cùm audis conuersionem ad creaturas, intellige phantasmata placentia, quibus mens reproba iugiter occupatur.

Ex THEOLOGIA. *S. Thom. 1.2. q.75. art.2.*

Vt ne eus, cui illusit appetitus, discrimen euadat,

in quod incurrit incuria appetitus sensitiui, operæpretium est suggerere eidem phantasiæ alia phantasmata, quibus oppugnentur illecebræ omnes ad crimina prouocantes. Vt phantasia versante res obscœnas gratissimas appetitui sensitiuo, si tunc homo alia recolat simulacra horrenda pœnarum, quæ sequuntur consensum rei illicitæ, procul dubio voluntas ab his turpibus abhorrebit. Verbi gratiâ, quantum uis delicata fuerit esca oblata homini famelico, si hoc fixum habet in phantasia sua subesse virus aliquod illi obsonio, manebit impastus, etsi vrgente fame, vt de facto periit Carolus VII. Rex Galliæ, passus longam inediam, suspicatus veneni aspergine m. Itaque homo mente reuoluens diem iudicij, & mala, quæ tunc excipient homines genio indulgentes, cauebit à consensu rei noxiæ, ne fiat obnoxius pœnæ, cuius ideam animo versat. Hac industria vsi sunt proceres Græciæ, qui vt compescerent petulantes iuuenum animos depinxêre in templo Delphico varia pœnarum genera, quibus ad inferos credidêre animas dire laniari; vt iuuenes picturæ indaginem inquirentes conciperent odium earum rerum, quibus præostensis pœnis homines addicuntur. Ea namque est natura pœnæ inflictæ, aut infligendæ, vt qui eam meditantur, à nefariis actibus arceantur.

Carolus VII. Rex Galliæ moritur inedia.

Inferni pœnæ pictæ in templo Delphico.

Ex Historia. *Pausanias in Phocicis.*

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Non longè est ab eo versu textus iste canonicus. *Pœna delicto imponitur, vt malitia delinquentium non inueniat successorem, & exemplar puniti delicti retrahat alios ab offensa.* Consonat & hic versus eiusdem Iuris Pontificij. *Pœnæ imponendæ causa est, ne facti peruersitas transeat præsumptionis in exemplum.* Igitur illa iudicij extremi pia iugisque meditatio, hominem acuens ad virtutum praxim, benè animum pascit, vtique cibo præferendo melli, quo parentes suos pauit Samson. Hunc iudicij cogitatum suggerunt Sancti, vt valde idoneum ad excitandam nauseam cuiusque illecebræ. Accipe rationem. Appetitus sensitiuus nequit voluntatem inflectere nisi ingerat aliquid homini conueniens: sed dies illa extrema cogitata prodit, nihil inesse deliciis, nisi lethale & noxium, vtpote obstringens nos pœnis æternis: nam etsi voluptas carni conueniat; nocet tamen animæ, quæ potior est pars hominis, cuius est declinare id quod animam potest pœnis inferi deuincire. Fitque vt horror emergens ex pœna, cupidinem omnem tollat rei anteà concupitæ.

Pœnæ quare malis infliguntur.

Ex Ivre Canonic. *Can. 1 §. finali de Schismat. in Sexto. Cap. Quando §. Ne autem.*

Fauet effatum illud Hippocratis. Καῦσος ῥῖγος ἐπιγενομένου λύεται. *Febris ardens soluitur rigore superueniente.* Siquidem non coëunt frigus & ardor. Esto Venere accensa inardescat homo, si recolat mente diem iudicij, timor inde enascens illa restinguet incendia, vt expertus est Dauid ita fatus: *In me pertransierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.* Versum hunc sic expendit Gregorius. *Interni quippe iudicis postquam iræ pertranseunt, etiam terrores perturbant, quia iam aliud de damnatione patimur, & adhuc aliud de æterna vltione formidamus.* Chrysologus hominis impij cogitantis meliorem frugem sic describit statum: *Confusionem futuri iudicij pertimescit, in quo iam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum, & vbi reus plus de conscientia quam de gehennæ erubescit incendio.*

Ex Re medica. *Hippo. lib. 1. Coac. 141.* Febris ardēs soluitur rigore superueniente.

Ex SS. Patribus. *Greg. lib. 7. Moral. c. 3. Chrysol. serm 125.*

Timor ille enascens malè ominatur homini dubio an peccare debeat. Nam vt ait Hugo ille Cardinalis, *Pessimus est in dubiis augur timor; nam si qua lateant, peiora putat.* Sigismundus Rex Polonus credidit se fore sanctiorem hoc timore, cui assueuit excuso hoc Symbolo. Pinxit lampadem accensam incumbentem capiti emortuo, cui substratus erat liber, hoc lemmate adiecto. Ivs omne vivens poscit. Lampade, id est, vitâ extinctâ, erit caput tuum inanimum, aperietur liber conscientiæ tuæ, vnde proferetur sententia propitia aut lethalis. Cudit hoc numisma Rex ille post insignem partam victoriam de Moscouita; & ne rei gestæ egregiè pompa animum victoris erigeret, voluit reprimere fastum ex memoria instantis iudicij. Ne igitur pudeat imitari Regem illum, cùm ingruet aliqua illecebra sensuum, animum pulsans. Audacter obsiste voluptati pellicienti, & obiice lemma Regis. Ivs omne vivens poscit. Omnia subsunt Dei iudicio, si inique me gessero, nihil prorsus excidet futurum minime notitiæ Dei, atque ita fas est, vt innoxia quæque secter, impia detestando.

Iudicij timor in reprobos præcipue cadit. *Hugo Card. in c. 17. Sap.*

Ex Symbolis. *Lukinus lib. numism.* Iudicij extremi egregium Symbolum.

Ipsa signa cælestia, quæ quotidie circa nos gyrant, explicant luculentam ideam diei huius horroris atque lacrymarum. Ait Ptolemæus, decima nona die Septembris Solem subire signum Libræ, & eodem momento etiam oriri constellationem illam, quam Calicem vocant; paulò post exoriri Centaurum, & Hœdos, qui sunt stellæ excitantes procellas, quæ susque dèque versant mare, & aërem turbant. In die iudicij Christus Sol iustitiæ erit in Libra, quæ est signum æquitatis. Orientur Hœdi, & Centaurus, quando resurgent homines, hœdorum instar fœtidi, graueolentiam libidinis anhelantes. In hos diabolus vt centaurus insurget. Et hinc procellæ hactenus inauditæ. Quæ futura sit pluuia hæc, audi ex Propheta: *Pluet super peccatores laqueos; ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Calix ille, qui oritur cum Sole in Libra, significat crucem, quæ vltionem petet de reprobis, & vertetur eis in amarum calicem, eum, scilicet, quem meminit Cyprianus hoc tenore: *Quanta illud canticum sequentur lamenta? illius vltima tubæ clamor quam horribilis erit! Continuus erit, & superfluus lacrymarum decursus, incendia nudum corpus allambent, in proprio adipe frixa libidines ebullient, & inter sartagines flammeas misera corpora cremabuntur. Non miserebitur vltra Deus, nullum ibi refrigerium, nullum remedium.*

Ex Mathematica. Libræ constellatio oritur cū signis procellosis.

Psalm. 10. Iudicij extremi sententia in reprobis magnos gemitus excitabit.

Ex SS. Patribus. *Cyprian. ser. de Ascens.*

Huius diei memoria omnis excidit impiis, qui inde sibi maximam Dei iram conciliant, vt luget Psaltes. *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret.* Augustinus deploratam hominis esse ait sortem, cùm dubium facit hunc Iudicis diem. *Irremediabile periculum est, sic aliquem vitij & cupiditatis frena laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum.* Cæsarius Arelatensis hoc etiam opportunè monet. *Habet hoc infelix consuetudo peccandi, vt quantò amplius vnusquisque peccauerit, tanto minus peccata ipsa intelligat, & tantò eum plus peccare delectet, & veniat ad illud quod Propheta peccatoribus clamat: Non est Deus in conspectu eius, auferuntur iudicia tua à facie eius. Etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicij diē abscōdit obliuio.*

Psalm. 9.

August. in Psalm. 9.

Cæs. Arelat. hom. 29.

Ratio

Indicij extremi oblitio causa malorum omnium.

Ratio hæc est: Quò plus anima in sensus externos effusa est, minus etiam operatur ad intra, vt sunt intelligere, & meminisse. Nihil autem animam ad exteriora prouocat, & educit, sicut illecebræ sensuum. Eamobrem his addicta ridet eos, qui diem iudicij commemorant. Ho. notat Dauid inde querulus. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt.* Et hoc sanè est iræ Dei maximum incrementum, vt ait Augustinus. *Attendat charitas vestra rem tremendam. Increpatio strepitum habet. strepitus expergisci solet homines facere. Increpat Deus, & dormis. Magna ira increpantis.*

Iudicij extremi terror non excitat reprobos. *Psalm.75.*

August. in Psalm 75.

Ex Symbolis. *Camerar. lib. Centur.*

Vigeat igitur apud nos iugis illa memoria iudicij, cui etiam fauebit hoc symbolum Camerarij, depingentis papilionem se cremantem ad candelam, hoc titulo adiecto. Fugienda peto. Si quando te potens illecebra sollicitat, compesce appetitum hac voce. Fugienda petis. Quæ si vsurpas, non effugies iudicium Dei. O helluo, flagrans appetentia carnis vetitæ hoc tempore ieiunij. Fugienda petis. Quòd si piaculi alicuius culpa aliquem Dei iudicio obnoxium fecit, is præueniat iudicium Dei, puniendo in se quod incautè gessit. Non enim iudicat Dominus, quód pœnitens anima castigauit. Salomon eò collimauit hoc effato. *Cogitationes iusti iudicia.* Cui vtinam morem gerat vnusquisque, iuxta intentum Gregorij, qui sic meminit hominem pœnitentem. *Ipse est exactor qui exhibet, odit se qualem fuisse se meminit. Pœnitendo torqueamur, dum licet iudicare quod fecimus.* Hoc etiam ingerit Apostolus. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Sic vides, in potestate nostra situm esse qualiter iudicemur. Cave.

Voluptas petit fugienda, vt egregio symbolo patet.

Prou.12.

Greg. ad locum illum pr.12.

1.Cor.11.



FERIA TERTIA
DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.
SVMMA HOMILIÆ.

I. Commotio ciuitatis Ierusalem ad introitum Christi fuit veluti præuia alterius magni motus, quem in templo excitauit, dum oues & boues inde exturbauit, quia res planè iniuria Deo erat, sacras ædes commutare in stabulum. Tota hæc series historiæ hodiernæ ideam refert motionum, quas Deus excitat influendo in animas, quas è peccato reduces ad gratiam facit. Vox hæc, Ierusalem, significat visionem pacis, Anima genio indulgens, ementitâ pace gaudet, effusa in omnes sensuum illecebras, incuria Dei, & salutis suæ. Sed Deo illucente, tota concutitur anima, recolens illum statum iniquum, quo Deo ingrata vixit. Nimirum intellectus, voluntas, & potentiæ sensitiuæ illico reformantur. Has motiones explicabo prima parte istius homiliæ.

II. Secundò explicabo repurgium, quo dignatur animam Christus, in quam beneficus venit. Ea nempe auersata Christum, fuit sordidum bestiarum receptaculum, secuta iumentorum ingenium; sed Deo propitio, gratiaque subintrante animam, facessunt imò euanescunt bestiales ritus insoliti.

PRÆFATIO.

Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas. Matth.21.



Vo causa vegetior est, eò etiam potiores sortitur effectus, quos exerit prauia motione insigni, & congrua modo agendi insita causa, vti videre est in igne, quo auctore omnia commutantur. Deus noster ignis est consumens, idcirco eo intrante Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas. Vtque igne repurgatur aurum, stipula verò consumitur; ita hodie ad introitum Christi deteriores fiunt Pharisæi, pueri verò sanctiores, conclamantes in templo: Hosanna filio Dauid. *Christus stat ad ostium nostrum pulsans, & petens copiam fieri sibi aditus in cor nostrum. Hoc vnum præstolatur vt velimus: namque ad inuitos non accedit. Si introit in nos, commouebitur vniuersa ciuitas: etenim vniuersa animæ facultates addicta rebus nihili, inde resilient vt in Deum efferant sese, & hæc erit motio salutaris, lineata illo tripudio infantium, qui clamabant:* Hosanna filio Dauid. *Ne amantissimus ille Dominus animæ moras pertæsus abscedat, eamus in occursum eius, vt iubeat obuia omnium nostrum corda, & eliminet inde lethale virus, quo delinquens anima sauciatur. Quia autem matre suâ insciâ Christus non subintrat animas nostras, operæpretium est conciliare nobis affectum Mariæ, huius orationis obsequio.* Aue Maria.

Verbum mentis fieri nequit sensibile, nisi beneficio vocis corporalis, quæ vocale facit illud verbum antea reconditum imis animæ recessibus. Verbum Dei caro factum apparuit primò in stabulo prope bouem & asinum; & licet orbis

Verbũ mentis quomodo fiat sensibile.

orbis vniuersus summa pace frueretur, Christo nascente; tamen commota est terra, stupens ortum Regis hactenus inaspecti. In Oriente Magi suum pertæsi regnum venere Ierosolymam, inquirentes vbi natus esset ille Rex Iudæorum. Turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo. Non inscio Occidente editum est verbum illud canorum. Audiit Augustus natum esse Dominum mundi, ideo renuit titulum Domini oblatum à Senatu. Hodie, eodem Verbo Filio Dei introeunte ciuitatem, illa velut impos sui, & insueto turbine concussa nutat. Et hoc clamat textus ille. *Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic?* Quid in ea motione egerit Christus, subnectit idem Scriba recensens acta Christi: *Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiciebat omnes vendentes, & ementes in templo.* Non elingues sunt actiones Verbi huius sensibilis, vocales sunt & loquaces. Audio ex actione hodierna mysterium præcipuum, pertinens ad salutem animarum, & congruum apparatui quo editus est Christus in stabulo. Ierosolyma, vox Hebræa significans visionem pacis, animam notat peccatis obnoxiam, quæ gestiens in obscœna illecebrarum colluuie, pace fruitur ementita. Christus gratiam delineat, quæ homines euehit in sortem filiorum Dei. Quando hæc gratia influit in animam reatibus antea obstrictam, illa Ierosolyma tota concutitur; quippe intellectus, voluntas, & appetitus sensitiuus, suis abdicatis actibus, illico reformantur. Tota anima tripudians & dignata introitu Christi, ait: Quis est hic? quæ insueta gaudia me recreant, vnde mihi hoc bonum?

Matth. 2. *Plutarch. in Augusto.* *Matth. 21.* Gratia Dei in animas influēs quas motiones excitet.

Nec hîc beneficiorum finis: nam Christus ex ea anima eliminat omne quod bestiam sapit. Subiens animam, inuenit eam veluti stabulum; sed repurgatam facit eam templum suum, in quo ab ea adoratur mutato ritu, quo vota sua anhela velut incensum thus bestiis adolebat. Tota hæc historia conuersionis animæ prostat hoc gemino versu Psalmi. *Tollite hostias, & introite in atria eius, adorate Dominum in atrio sancto eius. Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit.* Dicam primò, quas motiones patiatur anima ad gratiæ Dei influxum. Secundò, gratiam pellere à nobis omnia quæ bestiam redolent.

Psalm. 95.

Pars Prima Homiliæ.

Gratia Dei cùm animam subit, præclaris sese actibus prodit.

Ex SS. Patribus.

Etsi homo citra gratiam dici queat factus ad imaginem Dei ratione animæ, quæ etiam in inferno non exuit rationem imaginis, etsi careat similitudine Dei, quæ attenditur ex gratia & virtutibus; vt Bernardus ait: *Imago in gehenna vri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri: similitudo non sic; sed aut manet in bono, aut si peccauerit anima, mutatur miserabiliter.* Quamuis, inquam, homo in puris naturalibus sit Dei imagine conspicuus; non eum tamen Deus filium suum vocat; nisi gratia ornetur, vnde petitur similitudo Dei, sicut aiunt Patres, in quibus accipe Basilium. *Per imaginem animæ mea impressam obtinui rationis vsum; verùm Christianus effectus, vtique similis efficior Deo.* Subscribit Hieronymus. *Notandum quod imago in creatione facta sit tantum; similitudo in Baptismate compleatur.* Adiice Chrysostomum. *Imaginem dixit ob principatus rationem; similitudinem vt pro viribus humanis similes fiamus Deo mansuetudine, & bonitate, &c.* Cùm ergo gratia Dei influit in animam, anima participat singularem rationem filiationis Dei, qua Christum subintrantem excipit, ad cuius aditum omnes facultates animæ commouentur. Ita vt de anima, quæ quieta computruit in suo volutabro, & posteà ad Deum conuertitur fas sit vsurpare illud ex Euangelio hodierno: *Intrauit Iesus Ierosolymam, & commota est vniuersa ciuitas.*

Bern. serm. 1. de annunt. Imago Dei in homine quomodo à similitudine Dei differat. *Basil. Hom. 10. in hexam.* *Hier. in c. 28. Ezech.* *Chrys. hom. 9. in Genes.*

Anima sanè, quæ assurgit in hanc dignitatem, vt sit filiationis Diuinæ conscia, nescit otium, sed se accingit ad ardua; & hinc ingens commotio. Gratiam hominem euehere ad filij Dei infulas, audi ab ipso Domino. *Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Quare autem filij sint accipe rationem. Filius ille dicitur qui ab alio productus est in similitudinem naturæ eiusdem; vnde ex lege Ciuili. *Filius & pater eadem persona censentur esse.* Adiicit Cuiacius, Augustum sanxisse, vt nomen filij vsurparetur tantùm de liberis hominibus, quia seruilis cognatio nulla est. Eamobrem liberi & filij idem sonant. Rursus adoptio naturam imitatur: nam est actio legis, qua qui mihi filius familias non est, ad vicem filij familias redigitur. Ergo cùm homo in gratia participet naturam Diuinam ex speciali influxu Dei impertientis gratiam, & eum adoptantis in filium; proculdubio homo Deo gratus erit Dei filius, iuxtà illud Apostoli: *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Hæc filiatio libertatem importat: namque. *Vbi Spiritus, ibi libertas.* Eamobrem anima passa iugum peccati, statim atque gratiæ Dei illapsum sensit, fit seruitutis impatiens, diripiens nexus omnes, quibus præpedita seruiebat illecebris. Non possunt autem comminui nexus, qui animam noxiam deuinciunt, quin commoueatur anima tota: etenim gratiam perficere animam res est in confesso apud Theologos. At animæ perfectio attenditur ex actione eius: quælibet enim res actione perficitur. Ergo gratia animam perficiens, eam retrahit à ritibus inolitis, & pessimis actibus, quibus eam sensuum illecebræ fecerant obnoxiam. Ideoque iugis est pugna inferioris appetitus cum superiore, dum caro suadet placita sensibus, & anima validè sensui reluctatur.

Psalm. 81. Ex Ivre Civili. *Leg. penul. §. 1. De bonis libertorum.* *Cuiac. in comm. ad tit. de minoribus.* *Ephes. 1.* *2. Cor. 3.* Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 4.* Gratia Dei omnē exuit seruitutem peccati. Perfectio animæ penes quid attenditur.

Itaque animæ facultates, quando resiliunt à pristinis actibus impiis, tunc maximè commouentur: quippe ex Aristotele, *Motus est actus entis in potentia, vt in potentia est.* Tres autem principes sunt species motus, ipso Philosopho auctore, quædam respiciunt locum, aliæ alterationem, vltimæ verò pertinent ad augmentum. Quò autem agentis virtus est potior, eò etiam vegetior est motus localis, fortior alteratio, & amplius augmentum. Sed gratiæ virtus est quàm maxima ad agendum: ergò etiam validè debet animam commouere. Primò facultas illa motrix, quæ despoticè membra mouet, vrget manus ad restituenda malè parta, pedibus indicit vt adeant Ecclesiam, & ori vt sacerdoti explicet seriem vitæ præteritæ. Cor angore atteritur, & plerumque alteratio tanta est, vt fletibus etiam corpora colliquentur. De augmento quantum sit accessione virtutum,

Ex Philosophia. *Arist. lib. 3. Physic. cap. 2. text. 6.* Motus quid sit.

virtutum, non est hominis pensum exprimere. Demum nihil omnino est in homine, quod sit motionis expers, quando à peccato ad gratiam transit. Vide in Zachæo specimen illius animi in meliora commutati. Primò alteratio in eo enituit, quòd Christum gaudens excepit in domum suam. Motus localis locuples fuit in restitutione quadrupli. Gratiæ augmentum Christo nomenclatore, id est interprete apparuit, ita Zachæum extollente: *Hodie salus huic domui facta est.* Christus quidem ingressus est domum Zachæi, sed prius animum eius subierat infundendo gratiam, cuius influxus tot motiones protinus excitauit.

Luc. 19.

Pœnitentia Boleslai Regis Poloniæ. EX HISTORIA. *Hist. Polon. in Bolesl. III. sub an. 1114.*

Celebris est illa commotio, qua perculsus fuit Boleslaus Rex Polonus, quem ob fratrem suum occisum adeo pœnituit, vt anceps quas à se expeteret pœnas, annum integrum egerit errabundus, varias orbis oras peragrans humili habitu, lustrando Ecclesias, indicto sibi annuo ieiunio, cuius obsonia fuere panis & aqua. Taceo eleemosynas, aliaque quæ Deum possunt inflectere ad veniam, & quæ gratiam produnt intimis animæ recessibus abditam. Esto salutares sint illæ mutationes, quas recensui; illa tamen magis placet, qua pars Ierosolymæ commotæ insigni lætitia gestiit: namque pueri iubilantes in templo clamabant: *Hosanna filio David.* O animæ gratia Dei insignes, vos ego testor vt mihi concinatis. Nonne inestabilis est illa commotio, qua tripudians anima ad introitum Christi, suo Deo & Domino collætatur. Grauεolentiam spirant omnes illecebræ, vt primùm Christus afflauit odorem suum.

Pet. Bizarius in hist. Genu. sub an. 1502.

Digna omnino dies quæ celebretur, qua Deus animam suo illapsu dignatus est, potiori agmine gratiarum stipatus, quam fuerit Rex ille Gallus Ludouicus XII. quando pompaticè Genuam ingressus est. Venerat Rex inclytus & præesse & prodesse, ideo se contulit ad mœnia ciuitatis, infirmiora loca lustrans, & muniens valido præsidio. Dehinc nouas condidit leges perquàm vtiles & Reipublicæ acceptas; ad quarum normam in posterum Genua regeretur. Demum Rex ille suo aduentu tam beneficus extitit illi ciuitati, vt decreto publico sit sancitum, quotannis faciendam memoriam introitus Regis Ludouici in illam vrbem, quæ ex Regis Galliarum præsentia tot & tanta beneficia perceperat. Quæso expende vnde tanta festiuitas vrbis inclytæ, & memoris gratiæ acceptæ. Duobus beneficiis res tota constitit, & in eo duplici cardine tota hæc vertitur historia; scilicet in præsidio collocato in imbelli quaque vrbis parte; & in legibus æquioribus sancitis: quippe duabus his cautelis prouidit vrbi vtroque tempore, pacis scilicet, & turbinis imminentis.

Ludou. XII. Regis Galliæ præsentia benefica Genuæ.

Gestiat ad arbitrium suum gratulabunda ciuitas, futura breui immemor amoris Galliarum Regis; vnde & suspendio suorum optimatum luit pœnas meritas: & notam indelebilis infamiæ contraxit apud posteros. Parum est quod accepit ab optimo Rege, si conferas ingentem vim gratiarum, quas Christus aduehit in animas, quas beat introitu suo. Ea fit commotio potentiarum animæ, vt pertæsæ illecebras omnes huiusce sæculi, in Deo duntaxat & de Deo gaudeant. Huius lætitiæ reprobis inuiæ luculentum habet exemplum Taulerus; qui cùm pauperem salutasset hac salutatione vernacula, Bona dies; Statim ille quasi indignans ait: Quid mihi fausta precaris? nulla mihi vnquam mala dies illuxit: cui namque affulget Deus, illi omnia secunda rident. Mihi Deus est omnia, & citra eum cætera anxium non faciunt. Vtrauis sors, æquior, aut iniqua mihi perinde est. Annon fuit magna commotio hominis huius, qui se totum in Deum iugiter effundebat:

Tauler. in institution.

EX RE MEDICA.

Ex re etiam Medica liquet quàm validè cieatur anima, quam præeunte gratia subit Christus. Nam assumpto pharmaco cathartico, natura eo adiuta medicamine insurgit in humores & semina morbi, & effecta vegetior, foras trudit omnia noxia: Ita gratiâ Dei influente, statim omnes animæ facultates indicunt bellum illecebris, quæ alias hominem incautum multo crimine sauciarunt. Opportuna potio propinatur ægro, vt aptior natura fiat ad exitum salutarem, atque viuificam, quæ vt plurimum est instantis præuia sanitatis; atque adeò typus congruus gratiæ, eò quòd imminente crisi laudabili, si qui sint vermes in viscere, pelluntur foras; vt etiam vermis conscientiæ moritur illis, quos dignatur Deus gratia salutari. Audiendus Hippocrates. χρήσιμον δὲ καὶ ἕλμινθας στρογγύλας ξυνεξιέναι, μετὰ τοῦ διαχωρήματος πρὸς τὴν κρίσιν ἰούσης τῆς νούσου. *Vtile etiam est teretes vermes vna exire cum excrementis, dum morbus ad crisim progreditur.* Vermis ille assuetus animæ fæcibus ægrè deducitur, & hinc magna commotio; cùm scilicet caro malè suada suggerit fore durum in posterum continere, ieiunare, reddere parta iniquis artibus, & ad virtutum calles arduos anhelare. O anima quam subintrat gratia, ne te ab incœpto deterreat illa corporis & animæ rixa; illa omnis controuersia seu animæ commotio salutis prænuntia est, vtpote eliminans vermes cum impura colluuie peccatorum. Etenim fieri nequit, quin commoueatur vniuersa ciuitas, intrante Iesu Ierosolymam. Nimirum anima concolor anteà vitiis, vbi de hoc fœdere rescindendo cogitat, graue experitur bellum sibi indictum à sensuum illecebris, & ab appetitu sensitiuo.

Vermis conscientiæ quomodo egeratur.

Hippocrat. lib. 3. Coacar. c. 3. præn. 3.

EX SS. PATRIBVS. *August. 8. confess. c. 5.*

Hos discordiarum æstus importunos sensit Augustinus sua discrimina sic recentens: *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido. Et dum seruitur libidini, facta est consuetudo. Et dum consuetudini non resistitur; facta est necessitas. Voluntas noua, quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem; Deus sola certa iucunditas; nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua, illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.* Audiisti præambula gratiæ, quæ ancipitem animum versabant in varia, accipe iam eumdem Augustinum, gratiæ illapsu percitum œstro meliore. *Vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ, Christe Iesu, adiutor meus, & redemptor meus? Quam suaue mihi subitò factum est, carere suauitatibus nugarum? & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas: eiiciebas, & intrabas*

Peccatum vinculis animam grauat.

Voluntates duæ in homine & hæ sunt discordes.

Idem lib. 9 confess. c. 1.

pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ, Domine Deo meo. Hactenus Augustinus.

Ex Mathematica. *Ptolem. l. de signif. stellar. inerrantium.*

Illa vehemens commotio non debet facessere negotium animæ enitenti ad sanctiorem vitæ morem: namque hunc turbinem consequitur copiosus gratiarum imber. Diceres cælos id etiam præsagire: nam in æquinoctio autumnali, quando Libra incipit emergere, ex tunc totum Virginis signum exortum est, nullâ sui parte delitescens; tunc Ptolemæus ait spirare Austrum, cuius ingenti flabro motus aër largo desudat imbre. Eo contextu pœnitens anima mouetur turbine multiplici, quem excitant dissonæ leges corporis & spiritus, quando apparere incipit signum Libræ, id est, quando æquitatis & gratiæ priores radios excipit anima. Illa statim induit Virginis statum, vni tantùm Deo adhærens. Aspirat Auster, videlicet Spiritus sanctus, cuius obsequio copiosus imber alluit animas, quibus gratia Dei rutilans irradiat. Esto torqueatur initio conuersionis dubius animus accedens ad æquinoctialem illam lineam typum iustitiæ lineantem; sedatur tamen ille omnis turbo inundante pluuia lacrymarum.

Pœnitentiæ, & lacrymarum nexus indiuiduus.

Ex SS. Patribus. *August. lib. 8. confess. c. 7.*

Audi in quas tempestates inciderit Augustinus, ita fatus: *Quæ non in me dixi? quibus sententiarum verberibus non flagellaui animam meam, vt sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur, recusabat, & se non excusabat. Consumpta erant, & conuicta argumenta omnia. Remanserat muta trepidatio, & quasi mortem reformidabat restringi à fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem. Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaueram cum anima mea in cubiculo nostro corde meo, tam vultu quam mẽte turbatus inuado Alipium, & exclamo: Quid patimur? Quid est hoc. surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis sine corde, ecce vbi volutamur in carne, & sanguine.*

Ibid. cap. 12.

Quid ex eo animæ fluctuantis turbine importuno colligere licet, nisi imbres, imò diluuia lacrymarum, quibus crebra suspiria & magni gemitus immerguntur. Ita sanè, & benè ominatus es, vel ipso eodem Augustino teste, qui sic pergit: *Vbi verò à fundo arcano alta consideratio contraxit & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et vt totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio. Solitudo enim mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur. Ego sub quadam fici arbore straui me, nescio quo modo; & dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum acceptabile sacrificium tuum.* Hæc ille.

Solitudo flentibus apta.

Pars Secunda Homiliæ.

Gratia Dei animam occupans, eliminat omne quod bestiam sapit.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2.*

Ex præfatis infer, animam peccatis assuetam, quæ nulla motione percellitur ad virtutum praxim, procul esse a gratia, & frustra concipere spem reditus sui in gratiam cum Deo, qui nusquam influit in animas hominum adultorum sine aliqua præuia motione. Etenim nusquam anima in Deum conuertitur, nisi liberum arbitrium à Deo moueatur gratia excitante, cui si assentitur idem arbitrium, gratia desuper illabitur in animam sic à Deo motam. Et hoc consonat illi effato Theologiæ affirmantis requiri ex parte hominis aliquam dispositionem ad gratiam, quæ si adest, statim eliminat oues, boues, & columbas, omnesque nundinas animæ cum rebus quibusque editis interrumpit. Nomine bestiarum intellige peccata; quippe omne peccatum habet aliquam affinitatem cum aliquo bruto animali. Idcirco Ioannes ille Baptista considerans virulentos Hebræorum animos, nuncupabat eos, genimina viperarum. Christus etiam sugillans callidam indolem Herodis hominis astuti, vocabat eum vulpem, vt ait Lucas. *Accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia.*

Peccatores bestiæ nuncupati.

Luc. 13.

Ex Philosophia.

Nonne & Psaltes dum recenset hominum lapsum, ait hominem non intellexisse, ideoque similem effectum esse iumentis insipientibus? Ratio hæc est: Homo & bestiæ in eo conueniunt quòd nihil agant nisi præeunte notitia, quæ à sensibus auspicatur. Homo ex obiectis sensui gratis & acceptis, eligit illa quæ sunt maximè consona rationi, & hæc electio inuoluit iudicium, quod est secunda operatio mentis, qua qui ritè vtitur, ille dicitur intelligere, id est, vti intellectu. Bestiæ verò secus oblato sibi obiecto non iudicant, nec sunt sui iuris, vt suspendant motum appetitus sensitiui; idcirco effrænes feruntur in placita quæque obiecta. Quidquid igitur homo facit peritus illecebris sensuum, illud agit bestiarum more. Ideoque Psaltes insinuare volens, quare homo comparatus sit iumentis insipientibus, hanc rationem vnam suggerit. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Id est, non vsus est intellectu, cuius operatio præcipua est intelligere; intelligere autem tria dicit, scilicet apprehendere, iudicare, & inferre vnum ex alio. Qui ea facultate animæ sic vtitur, vt benè iudicet, & inferat, ille à se eliminat omne quod pecudem sapit: nam non agitur dictamine sensus, sed ipse secus agit lumine rationis, qua affulgente homo nihil omnino facit indecorum. Ergo cùm gratia perficiat naturam, & singulas quasque animæ potentias, aliquo habitu naturali dignetur; nonne illa trudit foras quidquid deuiat à recta ratione redolens brutum.

Psalm. 48.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 68. art. 2.*

Gratia, inquam, naturam lapsam, eò euehit vnde acta est in præceps; & principes animæ facultates, scilicet intellectum, & voluntatem, afficit sacris habitibus fidei & charitatis, citra quos nemo Deo gratus efficitur: sicque vt anima superna cognitione accincta, & amore Dei affecta nequeat declinare in vllum peccatum, quod est pecoris

peccatis actum. Adiice, gratiam semper stipari donis Spiritus sancti, quæ tot sunt, quot peccata lethalia, quibus homo deorsum inflectitur in stabulum inglorium bestiarum. Septem autem illa charismata hominem sartum tectùmque faciunt, ita vt ad nihil cogi queat indecorum, etsi validè deforis vrgeatur. Quis sit autem genius illorum charismatum, Theologia sic referat: In homine duplex est principium mouens, vnum quidem interius quod est ratio, alterum exterius quod est Deus: omne autem quod mouetur, debet dispositum esse ad motum, quem imprimit causa mouens, & quo nobilior est causa, eò etiam nobilius debet disponi id quod mouendum est; vt discipulus, quem quis vult imbuere scientia exquisita, debuit disponi aliis scientiis idoneis ad altiorem disciplinam. Ita virtutes humanæ perficiunt hominem; & benè disponunt secundùm quod homo natus est moueri per rationem, in his quæ interius vel exterius agit. Sed quatenus homo mouetur à Deo, habet alios habitus infusos præstantioris ordinis, quam sint virtutes cognitæ Philosophis, & hi habitus sunt septem dona Spiritus sancti, quæ se habent ad promptè sequendum instinctum Spiritus sancti, sicuti se habent virtutes morales ad sequendum dictamen rationis. Vt autem rationis imperium viget in omnes vires appetitiuæ facultatis; ita & Dei instinctus mouere potest omnes animæ potentias. Eamobrem sicut sunt virtutes in omnibus animæ potentiis, quæ sunt principia humanarum actionum; simili etiam modo sunt dona Spiritus sancti in iisdem potentiis, videlicet in ratione & parte appetitiua. Ratio autem est practica & speculatiua, & in vtraque consideratur apprehensio veritatis, quæ pertinent ad inuentionem, & iudicium de veritate. Ad apprehensionem veritatis perficitur ratio speculatiua per primum donum Spiritus sancti, quod dicitur intellectus. Practica verò ratio perficitur altero dono, scilicet consilio. Ad rectè autem iudicandum, ratio speculatiua perficitur dono sapientiæ: ratio verò practica perficitur dono scientiæ.

Gratia naturæ reducit eò vnde excidit.

Gratia stipatur septem donis Spiritus sancti.

Spiritus sancti dona quid efficiāt in homine.

Ratio est practica & speculatiua.

Virtus appetitiua sua etiam charismata nanciscitur. Nam in his, quæ ad alterum pertinent, induitur dono pietatis, quo anima omnibus omnia efficitur. In his quæ pertinent ad proprium suppositum, virtus hæc appetitiua accingitur dono fortitudinis, quo irritos facit omnes impetus ingruentes. Denique hæc virtus adhuc perficitur dono timoris contra concupiscentiam, cuius ardor omnis extinguitur, cùm anima recolit Dei abdita iudicia, quibus sæuit in conscios criminum obscœnorum. Hoc timore libido Dauidis intepuit, vnde aliis eodem igne flagrantibus excudit hunc versum: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Patri suo Salomon etiam subscripsit, hoc tenore: *In timore Domini declinat omnis à malo.* Ergo cùm dona Spiritus sancti totam animam inuoluant, nec in ea sit vllus peccato locus: nonne gratia pellit foras bestias omnes, quæ stabulatæ sunt aliàs in anima, dum erat malè sibi conscia.

Psalm. 118.

Prou. 16.

Eo argumento Lithuania prouincia æmula Poloniæ probauit se esse Christianam, Rege Vladislao II. rerum potiente. Crediderant hactenus Lithuanij inesse quid diuinum serpentibus, quos ideò in delubris adorabant nescij fidei Christianæ. Rem impiam detestatus Vladislaus eorum Princeps, quotquot serpentes habere potuit, elisit coram Gente illa infideli, quæ admirata Deos suos impunè lædi & deleri à Principe Christiano, suspicato errorem inesse suis ritibus, amplexata est cultum Christi, qui vbi illuxit Lithuaniis, illi omnes coniurarunt in serpentes, quos omnes obuios extinxerunt. Hoc specimine pietatis suæ edito idonei fuêre sacris fidei mysteriis, quibus initiari, cum bestiis illis noxiis vllum amplius posthac habuêre commercium.

Lithuania qua ratione conuersa ad Christum.

EX HISTORIA.

Ioan. Herbur. in hist. Polon. sub an. 1388.

Serpentes à quibus adorati.

Commemorat Agathias ritum Persis insolitum, quem vtinam æmularentur fideles omnes Christiani. Ait ille, Persas instante aliquo solenni festo accingere se ad internecionem omnium bestiarum, quibus subest virus, atque ita in Perside non reperiri serpentes, bufones, scorpiones, quando solennis dies aliqua celebratur. Albo sanè notanda lapillo dies illa, qua Dei gratia influit in animam; namque delet animalia omnia venenata, id est peccata lethalia. Eamobrem si cuius anima veneno quopiam angitur, malè illi consulitur, quia est Dei gratiæ expers atque adeò damnatur ad bestias homo ille, tanquam vile mancipium omnium vitiorum.

Agathias.

Gratia pellit ex animā bestias.

Cum igitur gratia & vitia non concordent, voluit Christus hodie pellendo è templo bestias, illud ipsum ingerere mentibus nostris, scilicet tergendas animas nostras ab omni bestiarum ritu, vt eas adeat Christus, cui & bestiis nihil commune est. Heu si vnumquemque conuenirem eadem serie verborum, quibus Ezechielem affatus est Deus, fortè eadem quæ & ille Vates haberem obuia. Deus Prophetam hunc rapuit ad ostium templi deforis egregij, cum sic compellans: *Fili hominis, fode parietem. Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum. Et dixit ad me ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete, in circuitu per totum.* Plerique hodie ementito nomine Christiano se componunt in similitudinem templi, vt aduertit Psaltes. *Filia eorum composita, circumornata vt similitudo templi.* Sed si fas esset introspicere, quæ nefanda paterent oculis, quæ detestanda facinora timantibus explicarent sese. O hypocrita, fode parietem templi tui, & videbis simulacra reptilium, & aliarum omnium bestiarum, quibus anima tua prostat, versans non inuita ideas rerum obscœnarum. Etenim quisquis appetitui sensitiuo morem gerit, & agitur sensuum illecebris, quot actiones huiusmodi meditatur, ille tot peccata seu pecoris acta mente fouet, atque ita polluit sanctuarium Dei, quod profanas species non admittit, sed sanctas dumtaxat, quas ipse Deus homini adiecit, quando eum effinxit ad imaginem suam, gratiis & virtutibus exornatum. Opportunus adest iste Canon. *Illa anima à Deo depingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima benè picta est, in qua elucet Diuinæ operationis effigies. Illa anima benè picta est, in qua splendor est gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundùm hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretiosa est: secundùm hanc imaginem Adam ante peccatum depictus fuit, sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestris effigiem.*

Ezech. 8.

Psalm. 143.

Gratia Dei animā pingit egregiis coloribus.

EX IVRE CANONIC.

Can. Illa anima. De pœnit. d. 2.

Nota, Canonem inferre qualitatem picturæ Dei ex effigie diuinæ operationis, vnde & à contrario

Ex Historia. *Hist. sub Imperial. sub ann. 1352.*

trario sensu, ex modo operandi proprio bestiis colligere potes, animam, quæ tota effunditur in sensuum illecebras, esse depictam bestiarum ritu. Ea specie Conradus Rex Romanorum videns Parthenopem seu Neapolim sæpius excussisse iugum defectione sua. Ea, inquam, specie depinxit vrbem hanc rebellem; nam facta irruptione in eam ciuitatem, illam, vt par erat, durè excepit, & in rebellionis opprobrium erexit in platea ingens simulacrum equi fræno iniecto, cuius basi hos affixit versus.

Hactenus effrænis Domini nunc paret habenis.
Rex domat hunc equum, Parthenopensis equus.

Peccator in equum mutatus.

Eadem animaduersione Deus impios castigat; vitio namque suo hominem exuentes induunt indolem equi, quem diabolus fræno iniecto regit ad arbitrium suum. Eam ob rem cautè hortatur

Psalm. 31.

Dauid. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Congrua certè bestiarum figura affingitur illis, qui Deo minimè imaginem eius reprobis actibus

Ex SS Patribus. *Ambr. lib. 9. hexam. c. 8.*

expunxerunt. Audiendus in hoc themate Ambrosius ita fatus: *Pictus es, homo, & pictus a Domino Deo tuo, bonum habes artificem atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia.* Alibi declamans in figuram illam bestiarum sic hortatur.

Idem lib. 5. hexam. c. 7. Peccatum in homine oblitterat imaginem Dei.

Fugiamus hanc imaginem, quæ intrare ciuitatem Dei non potest, quia scriptum est: Domine, in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges, & non intrat indigna imago, & quæ intrauerit excluditur; quia non intrabit, inquit, in eam omne commune, & qui facit execrationem & mendacium: sed ille intrabit in eam, cuius in fronte Agni nomen scriptum est. Anima igitur nostra ad imaginem Dei est, in hac totus es, homo, quia sine hac nihil es. Hactenus Ambrosius.

Instabis, te nullam facere iniuriam Deo, quia imaginem illam, in qua conditus es, non erasisti, scilicet naturam, quæ est indelebilis. Ita planè, sed similitudinem, quæ sita est in decore gratiæ, atque in virtutibus, penitus abiecisti. Ideoque teneris hac

Ex Ivre Civili. *Lege Si imaginem. ff. De auro & argento.*

lege quæ statuit vt, *Si cui legata fuerit egregia pictura, & hæres tamen eraserit, aut fœdauerit hanc picturam, licet tabulam ei remittat, ad quem ex legato pertinet, soluat illatum picturæ detrimentum, quia is qui testamentum instituit, de tabula, id est, de ligno incuriùs, attendit ad picturam, quam in sui monimentum amico legauit.* Deus naturæ tuæ adiecit picturam gratiæ, quam fœdasti superinducens figuram bestiarum, sectando ritum earum, tuis sensibus obsequendo. Iugi oratione inuoca Christum, & voca in animam tuam, vt commoueatur tota hæc tua ciuitas, & inde eiiciat omnes bestias, gratia restituta. Quippe gratiæ Dei quadrare potest symbolum Ibis, quæ est

Ex Symbolis. *Ambros. lib. Symbol.* Gratiæ Dei elegans symbolum.

auis in Ægypto purgans illam prouinciam, occidendo animalia omnia virulenta. Hæc pingitur rostro lacerans serpentes, hoc lemmate apposito. Noxia pello. Ita & gratia vbi animæ insedit, exterminat omne virus, & delet omnia peccata lethalia. Itaque, Christiane, hoc vnum cura, vt gratia non excidas. Siquidem hæc Noxia pellit, & ad meliora compellit eos quos exornat.



FERIA QVARTA DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. EA luminis indoles est, vt quò magis rutilat, eò etiam plus oculis officiat, ratione petita à Philosophia affirmante excellens sensibile lædere sensum. Hodie Iudæi incurrerunt in hoc discrimen, pertinaci animo exigentes à Christo signa, quibus vt argumentis indubiis adstrueret doctrinam suam; quam etsi prodigiis anteà confirmasset, Scribæ & Pharisæi tamen vt dubiam improbabant: infidelis animi sui notas edidère conuenientes Christum, hoc impudenti affatu: *Magister volumus à te signum videre.* Etenim non coëunt fides & visus, vt ostendam priori parte istius Homiliæ, vbi improbabo delirium eorum, qui sensuum examini volunt subiicere ea quæ sunt fidei.

II. Secundò ostendam, præcipuam fidei tesseram esse signum Ionæ Prophetæ. Ille enim Ionas, nomine suo columbam significat, cui ingemere est pro cantu. Rursus Ionas pœnitens facti, suasione sua missus est in mare, vt moriens expiaret deliquium, quo Deum offenderat. Vnde is Propheta pœnitentiæ idoneum est symbolum. Qui ergo fidei suæ signum indubium præstare volet, is pœnitentiam agat, & exhibebit signum Ionæ Prophetæ.

PRÆFATIO.

Magister, volumus à te signum videre. Matth. 12.



Etsi annosa, viget tamen memoria temerarij ausus Philosophi illius, qui oculorum suorum periculo voluit inuestigare naturam lucis, intuendo Solem. Pertinax ille & insanus lumine captus congruas suo piaculo luit pœnas, vt qui lumen offenderat, non amplius lumen offenderet, id est, presentem haberet. Debuerat illi Philosopho sufficere lux, cui hactenus assueuerat; satis enim erat illa ad indaginem, cui studebat hic homo anxius de natura lucis. Extitit indoles iniquior Iudæorum, qui assueti signis & prodigiis editis à Christo, plerosque hominum addixerant obsequio Christi, & tamen ab eo alia signa petunt, hoc infideli effato: Magister volumus à te signum videre. *Sed dum tentant Christum, & se accingunt ad indaginem lucis increatæ, vt eam videre queant, percussi sunt caligine congrua suo facinori: nam nescij Diuinitatis Christi turpiter aberrarunt. Clausis oculis & manibus explicatis ad agendum se aperit Christus. Etenim fides vetat curiosos intuitus, & exigit opera, quibus vt validis argumentis Christus se probauit Deum natum ex Maria, quam oramus dicentes.* Aue Maria.

ANnosæ mulieris ridiculum facinus meminit Seneca, vir alioquin grauis. Ait: ille, vetulam hanc fuisse derepente lumine captam, nec induci potuisse vt crederet se esse cæcam; imò anxiè rogitasse vt candela accenderetur, quæ tergere posset caliginem, quam etiam omnibus esse offusam mulier hæc credebat. Hodierno Euangelio iniquior adhuc sors proponitur nobis, ea scilicet, qua Pharisæi petunt signum à Christo in argumentum fidei suæ. Erat ipse Christus positus in signum iuxta illud Isaiæ Prophetæ: *Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Et tamen cæci homines signum petunt, vt credant in Christum, qui non solùm erat signum, sed etiam signis & prodigiis enitebat. Vtinam hæc cæcitas damnata in Pharisæis, non fuisset ad nostra vsque sæcula propagata. Hæreticos prætereo; quorum esse totum caligo est. Res hodie mihi est cum Christianis, qui dogmata fidei suorum sensuum subdere volunt examini, vsurpantes Pharisæorum impudens illud effatum: *Volumus signum videre.* Illa videndi cupido in rebus fidei, fidem ipsam in discrimen vocat, & arguit animam infidelem, vt dicam primò, ostendens fidem non comparari visu. Secundò dicam; præcipuum signum fidei esse signum Ionæ Prophetæ. (Isai. 7.)

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Fides & oculi non coëunt.

PYrrho Philosophus Elidensis, considerans sensus errabundos vtplurimum falli in indagine rerum, nihil vnquam ausus est asserere vt certum, quia inquiebat sensus esse dubios nuntios & interpretes obiectorum. Ab eo Pyrrhonij Philosophi didicère speculari quidem & ambigere, sed nihil affirmare, arbitrantes sensus qui decipi possunt, nullam posse ingerere notitiam indubiam, ideoque professores illius sectæ dicti sunt, σκεπτικοὶ καὶ ἀπορητικοὶ, id est, considerⲁtores & ambigentes, quasi idem ferè esset, inquirere aliquid beneficio sensuum, & ambigere. Eamobrem dixere illi Philosophi nullam dari scientiam. Reuerà discriminis ancipitis ità omnia scibilia sunt, vt in ipso lumine cæcutiant summi Philosophi, & quod demireris amplius, in re pellucida qualis est lux. Sanctus Thomas ab Alberto Magno dissentit, etsi Philosophiæ primos radios acceperit ab Alberto, qui asserit lucem cælestem specie dissitam esse à luce sublunari. Nam lux sequitur naturam rutili corporis, vt præcipuus actus eius; quippe ex Aristotele: *Lumen est actus perspicui, ea ratione qua perspicuum est.* Ergo cùm Sol & ignis sint corpora diuersæ speciei, lux etiam quæ fluit ab eis erit specie dissita. Rursus ea, quæ sunt eiusdem speciei, mutuis se iuuant auxiliis, vt calor calori additus. Sed lux Solis in meridie lucem candelæ exhaurit, nec ab ea intenditur. Item corpora cælestia miros exerunt effectus, lucis obsequio, cuius vehiculo deorsum influunt. At ignis mediante luce nihil operatur, sed duntaxat caloris suffragio.

(Pyrrhonis opinio de scientia. — Ex Philosophia. — Thom. in l. 4. sent. dist. 44. q. 2. art. 4. Alb. Magn. 2. p. sum. q. de lumine. Arist. lib. 2. de anima c. 7. text. 69.)

Ex præfatis infero, fidem, quæ est lumen cæleste, & superioris ordinis, esse diuersæ speciei ab ea notitia, quam venatur homo, sensuum aucupio; atque adeò fidem non posse indagine sensuum adaugeri: quemadmodum lumen Solis splendida face accensa in meridie non accipit luminis incrementum. Igitur spissa caligine cæcutiunt hodie Pharisæi, videre volentes signa, vt fidem adhibeant mysteriis fidei, à Christo Domino prædicatis, quasi verò queat lux imbellis sensuum externorum fidei coruscos radios adaugere. Eadem caligine perculsi hodie Christiani scioli falcem suam mittunt in messem alienam. Agunt Theologos & tractant ea quæ sunt fidei; ea subiicientes sensuum indagini. Quàm autem sit incongruum petere à sensibus veritatem, quæ alio lumine prostat, audi ex ipsa fidei ratione, quam sic explicat Angelicus Doctor.

(Lumen quid sit. — Cognitionis nostræ obiectum duo habet.)

Cuiuslibet cognoscitiui habitus obiectum duo habet, scilicet id, quod cognoscitur, quod est veluti materiale obiectum, & id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti. Vt in quauis scientia materialiter scita sunt conclusiones, formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, quibus in notitiam alicuius conclusionis deuenitur. Sic in fide formalis ratio rei creditæ est veritas prima reuelata Ecclesiæ. Materiale verò obiectum non est Deus tantùm, sed ea quæque quæ ordinem habent aliquem ad Deum à quo reuelantur. Sic vides cognitionem quæ comparatur beneficio fidei non pendere à sensibus, sed à prima duntaxat veritate, quæ reuelatione nobis innotescit. Non eò tamen inficias, posse hominem alia cognoscere citra fidem. Etenim intellectus quandoque sufficienter mouetur ab obiecto suo, quod est verum, ex ipsa natura veri absque vllo discursu præuio. Vt huic propositioni, totum est maius sua parte, intellectus facilè assentitur, quia est thesis per se nota, sicuti oculus sanus nulla alia facultate indiget, vt videat lumen.

(Ex Theologia. S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. & 4.)

lumen. Rursus est alia notitia, quam ingerant oculi, vt cùm scimus albedinem disgregare visum, hoc didicimus oculorum beneficio. Sed nota, omnem cognitionem, qua illustratur intellectus petito lumine ab irradiatione sensuum, nihil conferre ad augmentum fidei, quia ratio formalis illius scientiæ est diuersa. Vnde quod scimus quia vidimus, illud ex fide non tenemus, quia in habitibus scientificis variat notitia, vbi ratio formalis est diuersa: atque ita cùm reuelatio facta Ecclesiæ sit ratio formalis fidei, perperam petitur à sensibus aliqua notitia, qua fidei articulis possit animus assentiri. Grauiter igitur errant illi, qui vt se industrios probent, abdita quæque mysteria tentant facere peruia sensibus.

Fides non est peruia sensibus.
Fides non nititur argumentis.

Ex SS. Patribus.

Contra hos declamant Patres. In his accipe Ambrosium. *Aufer argumenta vbi fides quæritur. In ipsis gymnasijs suis iam Dialectica taceat, piscatoribus creditur, non Dialecticis.* Accedit Hieronymus ita fatus: *Est fides, vt definit Apostolus, substantia rerum quas speramus, & index rerum quas non videmus. Credere & videre quis non debet?* Adiice his Augustinum, qui non vult quæri ratiocinationis obsequium, vt credamus. Sic ille: *Noli intelligere vt credas, sed crede vt intelligas.* Claudit agmen Summus Pontifex Gregorius ita decernens: *Diuina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Quatuor hi Principes Ecclesiæ Doctores agmine quadrato incedunt in Christianos dubiæ fidei, qui consulunt oculos, vt accipiat fides eorum obtutibus incrementum.

Ambros. l. de Trinit.
Hieron. ep. 5.
August. in Ioan.
Greg. hom. 26. in Euang.

Ex Re medica.

Sed quàm infidele sit oculorum scrutinium, videre est in re vernacula. Acutissimi hominum inter se litigant de re domestica, vt sunt venæ & nerui, quibus tota corporis humani compago subsistit. Plato ait, venarum originem esse in corde. At Medici omnes cum Galeno clamant, hepar esse fontem vnde series tota venarum emanat. Naturæ Genius Aristoteles ait se sensuum experimento didicisse neruos oriri à corde, vbi ex dissectione apparent innumeræ fibræ neruorum, quæ instar villorum, quos radices fruticum edunt, arguunt neruos inde suas accipere propagines, quæ toto corpore diffunduntur. Rursus cor est principium vitæ, inquit Aristoteles; ergo ab eo deriuantur nerui, quibus vt organis idoneis spiritus animales animant totum corpus. In Aristotelem insurgunt Medici omnes sequaces Hippocratis & Galeni, in quibus Fernelius, auitæ disciplinæ propugnator acerrimus, multas adiicit rationes experimento sensuum innixas, quas expende decurrens locum, qui tibi in margine prænotatur.

Plato in Timæo.
Scientiæ omnes parum habent certitudinis.
Arist. lib. 2. de partibus animalium. cap 10.
Fernel. lib. 5. Physiol. c. 13.

Rursus nostrates Medici, & hoc æuo summi, dissident inter se, de re, cuius decisio pertinet ad oculos. Vesalius, Fernelius, & Duretus septem neruorum paria agnoscunt è cerebro oriunda, quorum descripsere soboles. Sed Andreas Laurentius, & ipse Regius Medicus, sicut & illi, plures agnoscit coniugationes, quàm septem, & has affirmat se suis oculis inspexisse. Fernelius item & Duretus coæui, & meo iudicio rei Medicæ proceres, discordant in origine calculi, cuius rudimentum esse in renibus ait Fernelius, & probat oculorum indagine multa à seipso facta. Hoc tamen improbat alter, scilicet Duretus, haudquaquam impar Fernelio. Si in re adeò sensibili, vt sunt hominum cadauera, ipsi etiam caligant oculi peritorum, quali putas cæcitate suffundendos oculos, qui fidem suam ex sensuum ludibrio metiuntur.

Fernel. lib. 1. Physiol. c. 9.
Idem lib. 6. Patholog. c. 13.
Duret. lib. 3. prænot. Coac.

Quamuis Astronomiæ partes sint perpendere cæli gyros, & siderum ortus & occasus assignare, ita vt ne vel latum vnguem dicant se à legitimo puncto aberrare: tamen æuo nostro insurrexit in Hipparchum, & in Ptolemæum Astronomiæ Principes Iosephus Scaliger, arguens eos inscitiæ, & eorum sectatores. Sic ille: *Quid nunc hiscere audebunt, qui tam pertinaciter defendunt quod ignorant? Nam profectò non quòd sciant certò vllum sphæræ octauæ motum in consequentia esse, ita prædicant, sed quia ita pueri didicerunt, quæ senes dediscere pudet. Quidquid eruditorum est Astrologorum, concurrant huc, & omnes operas suas conferant, vt illum fabulosum motum tueantur. Nihil agent, satis eos summouebit Eudoxi & Eratosthenis, & totius vetustatis auctoritas: profectò furor est aduersùs hæc pertendere. Spero tamen neminem iam à vero aduersum fore, qui tantis tamque luculentis testimoniis confectus & depositus manus vltro non det, & ingenuè fateatur, se cum Hipparcho, & Ptolemæo, & cum omni Astrologorum natione socia liter, & pueriliter errasse.* Hactenus ille, qui multis imposuit magnitudine famæ suæ, multâ industriâ conquisitæ. Hunc notat vt delirum hominem R. Pater Petauius homo multiscius, omnisciæ Societatis alumnus emeritus, qui Scaligeri typhum reprimens, recensito illius textu ait: *Hæc ego integra descripsi, vt inanem hominis ἀλαζονείαν, & confidentiam in re ludicra, & falsissima, illius admiratores agnoscerent, ac quibus argumentis, imò nullis penitus adductus, tantùm nouitatis importare cælestium in rerum doctrinam instituerit.*

Ex Mathematica.
Sphæræ octauæ motus irridetur à Scaligero.
Dionys. Petauius l. 3. var. dissert.

Ipsi etiam famosissimi Ephemeridum contextores Maginus & Origanus, nostræ ætatis primas tenentes in ea disciplina, nonne se mutuis conuiciis exceperunt, quibus prolegomena fœtent Ephemeridum, quas vterque conscripsit, dum sese inuicem carpunt, quod vnus Planetam toto signo retrogradum scripserit, cùm tamen esset directus. Alius verò sugillat æmulum, quòd minutis pluribus aberrarit in planetis, suisquibusque cancellis assignandis, variisque allatis erroribus ambo se ebrios & asinos vocant, tragœdiam illam totam scandalo concludentes. Non defuit alter nomine Galilæus, qui asseruit plures esse planetas quàm septem, sicque quatiens Astrologiæ fundamina, meo suffragatur intento; videlicet ea omnia quæ sensuum aucupio acquiruntur, esse eiusdem rationis cum sensibus, quibus imponunt multa.

Ioan. Mag. & Dauid. Origan. in præfat. suarum Eph.

Apage igitur sensuum obsequium in his quæ ad fidem spectant, cùm etiam circa sua obiecta plerumque nutent. Christiane, si vis esse integræ fidei, ideo crede, quia sic Ecclesiæ Dei reuelatum est, & non quia acumine tui ingenij istud attigisti. Etenim si dubiam facis fidem Ecclesiæ, vt prouoces ad tribunalia sensuum quasi magis veridica, censeberis alienus ab Ecclesia, atque adeò infidelis. Accipe Canonem explicitum. *Alienus est, profanus est, hostis est; habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Falli nequit Ecclesia, vtpote innixa primæ veritati; ideo editus est Canon: *Quia ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se esse locum*

Ecclesiam qui non habet matrem, nequit habere Deum Patrem.
Ex Ivre Canonic.
Can. Alienus. 24. q. 1.
Can. Quia ex sola 24. q. 1.

Dominus

Ecclesia, & veritas sunt simul.

Dominus perhibet, de quo videatur. Lumine corusco rutilantis Ecclesiæ, id est fide, Deus percipitur, & ea, quæ Dei sunt, populis innotescunt. Ipsa Philosophia iam elinguis & muta silet, quæ aliàs exosa fidem sæpius eam aggressa est, armata garrulis argumentis. Sensus imbelles cessere fidei, vt stupet Ambrosius ita fatus: *Philosophi soli in suis gymnasiis remanserunt. Vide quam fides argumentis præponderet. Illi quotidie disputant, isti quotidie crescunt.* Idem alibi. *Hæc est Dialecticorum gloria, si videantur expugnare verbis, & refellere veritatem. Contra diffinitio fidei est, vt veritas non verba pandantur. Denique verba Philosophorum excludit simplex veritas piscatorum.* Breui sententia Gregorius probat, fidei partes non posse adiuuari sensuum obsequio; quia inquit: *Apparentia non habent fidem, sed agnitionem.*

Ex SS. Patribus. *Ambr. lib. 1. de fide SS. Trinit. Idem lib. de Incarn. c. 9. Greg. lib. 1. Pastor.*

Fidei, & Philosophiæ differentia.

Ex Symbolis. *Ioan. Fer. p. 2. Theatri.*

Fides rationis lumen vincit.

Hoc igitur esto symbolum sensus, illud scilicet Ioannis Francisci Iustiniani, qui pinxit ignem corusco Soli expositum, hoc titulo adiecto. OBLECTOR LVMINE VICTVS. Gaudeat sensus suam notitiam esse infra agnitionem, quæ habetur suffragio fidei, quam omnia lumina sensuum nequeunt adaugere. Fides namque augmentum capiens à sensibus, nomine tantum tenus est fides; siquidem illibata fides non inferiori rationis aut sensuum luce sed desuper illustratur. Ideoque eam Deus astruit & tutatur contra Sophismata hominum infidelium, vt ex subiecta liquet historia. Discordes extitere diu Catholici, & Albigenses hæretici circa fidem suam. Tandem suam omnem controuersiam detulerunt ad futurum prodigium, annuente S. Dominico, qui aderat discrimini. Conuentum est, vt accenso rogo publicè, liber vtriusque fidei in ignem mitteretur; & eum librum, qui superstes esset incendio, fore assertorem fidei indubiæ, eamque esse censendam fidem ancipitem, cuius librum depascens ignis, omnes sic articulos absorberet. Facto igitur ignis accensi periculo, liber hæreticus eo igne accensus est, & lumine auctus abiit in fauillam. At liber Catholicus iniectus in ignem resiliit. Instant hæretici vt rursus iniciatur; fideles nequaquam obstant, tertiò eumdem librum obiiciunt flammis, sed illæ velut impotes, volumen hoc sacrum sartum tectumque reliquerunt, fide sic Catholica præualente. Ita hoc ratum habe, videlicet fidem illam, quæ sensibus accenditur, flocci pendendam esse, quia lumine sensuum adaugetur. Illa namque fides est ordinis naturalis, atque adeò est redigenda in fauillam, vtpote peritura sicut & sensus; quæ enim se mutuò intendunt, & adaugent, sunt eiusdem speciei. At secus hoc tibi fixum esto, eam fidem, quæ resiliit à sensibus, nec ab eis accenditur, esse luminis alterius; scilicet altioris.

Ex Historia. *S. Antonin. 3. p. tit. 19. c. 1. § 4.*

Fidei Catholicæ veritas probata miraculo à S. Dominico.

Fidei symbolum egregium.

Ex Symbolis. *Ægid. Nadel. lib. Icon. Symbol.*

Nescio an eo collimarit Aloysius Estensis Cardinalis, qui pro symbolo assumpserat Prometheum, ignem de cælo surripientem, hoc lemmate. ALTIORA. Indicabat Eminens ille Cardinalis, nullam deorsum esse lucem, quæ superiori lumini queat assimilari. Cardinales animos indue, ô homo Christiane, ita vt tentatione prouocante fidem tuam, vt subeat iudicium sensuum, illico respondeas. ALTIORA, id est alia esse tribunalia, quorum edicta tuam stabiliunt fidem: quippe serpit illa fides, cui opus est sensuum suffragio, vt subsistat. Eamobrem maturè cautum est Iure Cæsareo, ne quis sibi arroget ius discutiendi dogmata fidei, de qua decernere, negotium est Ecclesiæ. Ecce legem. *Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cuiuscunque conditionis, de fide Christiana, publicè turbis coadunatis & audientibus, tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam & iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit.* Hæc fuit constitutio Marciani Imperatoris religiosissimi Principis, & coniugis Beatæ Pulcheriæ. Vt autem edita sanctio vigeret, eam sic conclusit Imperator. *Igitur si clericus erit, qui publicè tractare de religione ausus fuerit, a consortio clericorum remouebitur; si verò militia præditus sit, cingulo spoliabitur: cæteri autem huius criminis rei, siquidem liberi sint, de hac sacratissima vrbe expellentur, pro vigore iudiciario etiam competentibus suppliciis iniungandi; si verò serui, seuerissimis animaduersionibus plectentur.*

Ex Iure Civili. *Leg. Nemo cleric. Cod. De summa Trinitate.*

Fidei controuersiæ non sunt coram populis agitandæ.

Huius Imperatoris zelum ebiberat alter Imperator, videlicet Andronicus Comnenus, qui audiens Episcopum Euthymium disputantem de fide cum Ioanne Cinomono, excandescens ait: Parum abest quin vos in mare præcipites agam, quia eò prorupistis audaciæ, vt discussioni vestræ inconcussa Ecclesiæ dogmata subderetis. Vtinam nostrates scioli incidissent in tempora Andronici, ab eo didicissent quà religione accipienda sint decreta orthodoxa. Non ea fuissent libidine, quâ pruriunt, carpendi statuta Ecclesiæ, alioquin in eos vt spurios animaduertisset Andronicus Imperator. Congruè dixi spurios homines, illos qui fidem suam omnem à dubiis sensibus emendicant: etenim non sunt parentibus Deo & Ecclesia sanctæ satis. Ideo Christus increpans Pharisæos, volentes stabilire fidem suam sensuum fulcris, aiebat: *Generatio mala & adultera signum petit, & non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Anima infidelis, & addicta sensibus, Gens est adultera, vtpote gaudens consortio sensuum, cùm duntaxat vni Deo deberet iugiter adhærere. Hæc vox, *Signum petit*, vox est æquiuoca significans bellum & certamen: etenim nomen hoc, *Signum* bellum & classicum sonat. Itaque Iudæis vrgentibus, signum sibi dari quod viderent, benè ait Christus: *Generatio mala & adultera signum petit.* Petiit Iudæa signa, nolens habere Regem pacificum & potiorem Salomone. Noluit vti Christo Principe mansueto, eamobrem in sui perniciem Romanorum signa bellica prouocauit. Gens impia pacem respuit, qua potuit gestire credendo in Christum: petiit signa & prodigia, ideoque facta est in prodigium circumacta signis & armis Romanorum, qui tanti piaculi vindices extiterunt.

Fidei propugnator acer fuit Andronicus Comnenus Imperator.

Ex Historia. *Hist. imperial. sub ann. 1185.*

Fidei articulos in disputationem adduci vetuit Andronicus Imperator.

Signum vox est æquiuoca.

Noluerunt à Christo rogare quæ pacis sunt, petiere signa Iudæi infideles, & datum est eis signum Ionæ Prophetæ. Exorta est valida tempestas, totam Iudæam populante Tito, qui obsidione cinctâ Ierosolymâ, ea veluti naui conclusit Iudæos omnes conscios interitus Christi, & præcipites egit in mare rubrum, suo scilicet sanguine purpuratos. Hoc prædixerat Christus iisdem signa petentibus, ita affatus eorum ciuitatem: *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, &* coangustā

Hæretici discordias semper seminarunt.

Luc. 19.

coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te. Ea etiam fata manent eos, qui volunt signa videre, quibus adstruant fidem suam: hi signa petunt, scilicet bellum, rixas, atque tragœdias, & in discrimen capitis proprij, vt experti sunt Albigenses, quos vltor gladius omnes extinxit. Eodem adultero semine progeniti Caluinistæ signa petunt, dubiam facientes Eucharistiæ veritatem, qua panis transit in corpus Christi, oculis inconsultis. Petiere signa hi homines adulteri. Eorum antesignanus Caluinus, vir impius, atque fœdifragus, bibliis suis affingi voluit manum armatam gladio flammiuomo, titulo hoc inscripto. NON VENI MITTERE PACEM SED GLADIVM. Scelestus ille non eo animo, quo Christus ignem & gladium attulit, charitatem videlicet, & pœnitentiam, sed rebellionis gladium & vrbium incendia. Tamen hæc tempestas demersit hæreticos illos, quorum hodie reliquiæ sunt imbelles. Quod si quis eorum miseratus fatum iniquum quærat, vnde tanta mala & excidia vrbium impiarum, quarum caput est Rupella adæquata solo? huic quæsito Christus faciet satis. *Generatio mala & adultera signum petit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Id est, eorum flabris excitata est tempestas, ideo periere, quia Ecclesiam magno turbine concussarunt.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Illibatæ fidei argumenta vnde petantur.

ALiorum discrimine fias cautior, Christiane, qui vis videre signa. Signa petis, id est, bellum infers Ecclesiæ & Christo, bellum vtique cessurum in æternum animæ tuæ dispendium.

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Lucan. lib 1. Pharsal.

Inde arbitror emergere bellorum incendia, quibus hodie conflagrat orbis Christianus. Germania primam mali labem excepit, quia lacerà inibi fides homines in tot hæreses diuiserat, quot illic erant impia capita. Idem impietatis turbo omnes orbis oras eiusdem fecit conscias incendij, quod populatur regna, quia rara est illibata fides. Aliud signum pete, ô anima Christiana, videlicet signum Ionæ Prophetæ. Suspiriorum æstus veluti flabra validè te moueant, ita vt assurgens mare fletuum intumescat. Mitte te in mare lacrymarum, triduum totum age, id est, perage tres partes pœnitentiæ vt mare contritionis te euomat ad littus Ecclesiæ sospitem & integrum, veluti baptizatum. Criminum tuorum memoria iugis animo versata ita cor tuum afficiat, vt fas sit aptare tibi illud Ieremiæ. *Magna est velut mare contritio tua.* Hoc à te Deus signum exigit, quod vt præstes humiliter, ab eo pete idem signum: namque beneficus ille omnium parens, eadem quæ postulat sibi dari, vult etiam à se peti; nec petentes vnquam abeunt indonati.

Thren. 2.

Exhibete, auditores, signum Ionæ Prophetæ, vt fidem vestram faciatis indubiam, fructus facite dignos pœnitentiæ, mittite vos in mare fletuum, Deum conciliate bonis operibus, quæ præcones sunt fidei Christianæ: etenim vos fideles esse & Deo acceptos hæ tesseræ propalabunt. Fidem exigere bona opera, vt signa suæ præsentiæ, collige hoc discursu. Virtutes Theologicæ aliquam habent affinitatem cum personis Diuinis, ad quas referuntur, nec melius dignosci queunt, quàm speculando naturam Personæ, quam referunt. Ergo fides dicens assensum intellectus pertinet ad Verbum Patris: Verbum autem illud non est infœcunda cognitio, sed ab æterno amorem spirat, qui in Patre & Filio est nexus vniens ambos. Igitur fides æmulans processionem Verbi, non sistet in nuda notitia Dei, sed etiam excitans affectum ad amorem, charitate promptus inardescet. Eamobrem esse nequit perfecta fides & formata citra charitatem, alioquin informis dicitur illa fides. Posito igitur quòd anima aliàs reproba, iam redeat in gratiam cum Deo, inito fœdere de nouo ritu, & vita sanctiore. Debent omnes animæ facultates resilire ab iniqua & inuisa praxi. Verbi gratia, debet affectus odio habere quidquid amauit in animæ suæ perniciem. Voluptatem, quam concepit animus ex vitæ rei illicitæ, debet castigare affectu contrario, dolendo de perceptis illecebris. Odisse autem delicias, & contristari recolendo earum memoriam, hoc atterit cor, & dissoluit in lacrymas indices fidei, quæ affulget animæ pœnitenti, quæ tibi ingemit semper animo versans statum illum impium, in quo diu versata est Deo inimica. Hi gemitus, & larga lacrymarum profluuia sunt signa Ionæ Prophetæ. Iona vox Hebræa columbam sonat, cui canere ingemere est. Animæ, quas tædet vitæ suæ, sunt columbæ, suspiriis & fletibus assuetæ. Ratio gemituum hæc est: Anima, cui gratiæ lumen speciale assulsit, huiusce lucis beneficio seipsam cognoscit, & voluntas eius perficitur. Ergo cùm malus fuerit ille status, quo anima vitiis deuincta est, non potest non odisse illum statum, & tristari. Nam etsi tristitia sit affectus crucians ex præsentia mali: & peccatum absit ab anima pœnitente, in quam gratia influxit; tamen quia nemo scit, an amore vel odio dignus sit, anima se considerat vt obnoxiam iustitiæ Dei, atque adeò sua piacula recolens, ipsa sibi oneri est, veluti Deo iniuria. Vnde afficitur molestia, qua excitatur ad punienda delicta antea perpetrata. Vide Ionam recensentem se fugisse à facie Domini, ideoque eò animi angore percitum vt oraret nautas, expeterent pœnas à refuga: *Mittite me in mare.*

Ex Theologia. S. Thom. 1 p. q. 38. art. 1.

Virtutes Theologales habent aliquam affinitatem cum personis diuinis.

Iona 1.

Rursus anima conuersa ad Deum induit voluntatem Dei: in tantùm enim conuersa est, in quantùm à reproba sua voluntate auersa est. Cùm igitur Deus odio habeat impios, & odium Dei connotet aliquod malum pœnæ ei quem Deus est exosus, profectò necesse est, vt pœnitens anima non horreat tantùm pristinos actus suos nefarios, sed operæpretium est, vt infligat sibi pœnas congruas reprobis actibus, quos impiè perpetrauit. Audi Canonem idoneum. *Non sufficit mores in melius commutare, & a præteritis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, & ieiuniis.* Tres lædimus quando delinquimus, Deum scilicet facta auersione ab eo; nos etiam offendimus spoliando gratia, propter aliquas sensuum illecebras: Demum facimus iniuriam proximis nostris scandalo nostro, cùm debeamus eis exhibere specimina virtutum. Pœnitentia animam mactans dolore Deum placat: ieiunio corpus affligitur, luens pœnas voluptatis, quam percepit caro diffluens

Satisfactio pars est necessaria pœnitentiæ.

EX IVRE CANONIC. Canone. Non sufficit: de pœnit. dist. 1.

diffluens deliciis. Denique satisfit proximo eleemosynis, quæ redimunt peccata.

Ionas arbitratus est hiulcam esse & imperfectam suam pœnitentiam, quam ingenua confessione fugæ suæ auspicatus est, nisi adiiceret pœnam, quam ipse vltro elegit dicens: *Tollite me, & mittite in mare.* O mœrentes animæ, vos ego adhortor ad signum Ionæ Prophetæ, vt inde eniteat sinceritas fidei vestræ, cuius præcipua argumenta sunt penes gemitus & opera consona suspiriis, quæ produnt mœstitiam emergentem ex memoria noxæ perpetratæ. Hæc eadem signa Ionæ expetit Augustinus toto vitæ tractu. *Pœnitens semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccauit, erubescat, & dolorem cum vita finiat.* Bernardus id etiam suadet egregiè. *Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem: sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie ea postulas cum lacrymis.* Quod omnibus ille Sanctus consuluit, illud idem ipse persuasit Ludouico Iuniori Regi Galliæ, qui percitus ira, crudeli incendio perdiderat plerosque homines. Horrendum hoc facinus suis coloribus lineauit ille Sanctus, carpens acerrimè Regem conscium facti huius atrocis. Rex Bernardi censura accepta, eo mœroris se deiecit pœnitudine noxæ, vt impastus & insomnis, vitam pertæsus & regnú, propè impos sui iam nutaret. Quo audito conuenit Regem Bernardus censor ille asper, eum blandè consolatus ait facilem esse huius criminis expiationem, si vellet morem gerere consulenti. Eia, inquit Rex, intrepide obiurga, præsto sum ad omnia quæ suggesseris obsequia. Cui Bernardus: hoc vnum impono pensum, ô Rex, vt traiicias mare stipatus exercitu numeroso, & labores ad recuperandam Ierosolymam, sic fiet vt fideles se accingant bono huic operi, & eorum virtute redimas mortem, quam iniqua sorte percitus ira multis insontibus intulisti. Sanctus ille intento suo haudquaquam frustratus est; nam plerique ea expeditione piè defuncti cœlis adscripti sunt, qui alias domi miserè periissent.

Pœnitentiæ, & doloris societas indiuidua.

Ex SS. Patribus.

Aug. lib. de vera & falsa pœn. c. 13.

Bern. serm. 3. de ieiunio.

Ex Historia.

Paul. Æmil. lib. 5. de rebus gestis Franc.

Pœnitentia Ludouici iunioris Regis Galliæ.

Non fuit Bernardo satis audiisse à Rege pœnitente detestationem criminis, qua Deum sibi conciliare satagebat. Petiit insuper signum Ionæ Prophetæ, scilicet vt mitteret se in mare, & orientalem plagam contenderet; vt armis Ierosolymam reciperet. O homo, qui fidem tuam iactas: Exhibe signum Ionæ Prophetæ: Mittere in mare lacrymarum: oppugna generosis actibus cœlestem Ierusalem, quia vim patitur, & violenti rapiunt illam. Quare autem Deus signa petat, accipe hoc discursu.

Vnumquemque hominem edidit Deus in ordine ad omnes alios homines, quibus adunatis coalescit Ecclesia in vnum corpus. At sanitas cuiusque membri pertinet ad integritatem corporis, quod ex corruptione alicuius membri patitur dispendium; ita & in detrimentum Ecclesiæ fit aliquis Deo infidelis: sic enim perit illud membrum factum exanime infidelitate sua. Nam iustus ex fide viuit. Vt ergo membrum non sit iniurium corpori debet esse viuum. Sed viuere in animantibus est sentire & moueri: quippe ex Medicis spiritus animales, qui sunt veluti corporis & animæ nexus, subeunt neruos, quos ars Medica sensorios & motores vocat. Quasi eo solo intento spiritus animales à natura essent insiti, vt sentiret homo, & moueretur ad præclara. Adde & caloré illum naturalem, quo maximè sibi constat homo, suam explicare vim præcipuam, quando vegeti sunt spiritus animales, quorum vis potior sensibus exquisitis & liberis motibus aperitur. Ita & frustra quispiam iactat animam suam calere amore Dei, si calor ille non præclaris actibus veluti validis motibus exprimatur. Ideoque dicitur aliquod membrum ægrotare, quando impeditur actio eius, etsi plerumque citra dolorem acutum hoc fiat, vt quando affluxu pituitæ manus obriguit.

Ex re Medica.

Fernel lib. 4. Physiol. c. 11.

Sanitas animæ vnde colligatur.

In disciplina Christiana simile iudicium fertur de sanitate animæ. Non ex quouis calore naturali colligitur, sed ex eo qui omnes animæ potentias, & corporis membra mouet ad arbitrium Christi, qui vt sana sit compages Ecclesiæ, singulis quibusque fidelibus, vt par est, membris suis indixit vt viuant. Etenim non est Deus mortuorum, sed viuentium, id est, ad Christum Ecclesiæ caput & ad gloriam eius non pertinent impij, vtpote exanimes. Ergo vt quisque fidelium proficiat Ecclesiæ, vitam suam prodat sentiendo & mouendo. Sentit ille qui dolet de peccatis, insuper & mouetur quando dolorem suum probat pœnis sibi impositis, quarum assumptio est egregius animæ motus. Non sufficit solus animæ dolor de peccatis etsi quàm maximè Deo gratus. Sed etiam motus externi adiiciendi sunt ad eruditionem Ecclesiæ, cuius membra se mutuis obsequiis adiuuant. Cùm igitur actiones sint suppositorum, & suppositum dicat corpus & animam; homo fidelis debet Deo sensum animæ, scilicet dolorem ob nefarios actus. Proximo verò debet satisfacere pœnis corpori inflictis. Et hæc sunt signa Ionæ Prophetæ, quæ arguunt fidem indubiam discipulorum Christi, quorum pœnitentia contritione & externis actibus explicatur. HOC MEMENTO.



FERIA QVINTA.
DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.
SVMMA HOMILIÆ.

I. OMNIA quæ progressum aliquem sonant, duobus veluti punctis concluduntur. Cùm ergo oratio sit progressus animæ in Deum, duo maximè in oratione attenduntur, scilicet principium & finis. Vtriusque termini ideam idoneam suppeditat hodie illa Chananæa, cuius meminit Euangelium quod decurro. Fœmina illa anxia, Christo fuit importuna, deprecans illum in gratiam filiæ suæ, quam multiplex angustia

diuexabat. Vt Rhetores nullam auspicantur orationem absque præludio; ita nec oratio ad Deum fusa valet sine præludio Quale autem præambulum fuerit precum editarum à muliere Chananæa, audi ex Codice sacro. *Mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit.* Dicam igitur priori parte istius Homiliæ, eum qui orationis obsequio ad Deum enititur, debere egredi è finibus suis, idest, debere animo transcendere terrestria, vt attentione, qua par est, cum Deo colloquatur.

II. Secundò concludam, orationem debere eò collimare, quò directa est oratio Chananææ, quæ petiit expulsionem dæmonis à filia sua. Non enim anxiè debemus à Deo exigere bona temporalia. Sed præcipua cura nostra est occupanda in modis idoneis ad effugiendas & cauendas dæmonum insidias.

PRÆFATIO.

Mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit. Matth. 15.

Lacrymæ Agar quam fuerint efficaces.



TANTVM potuere fletus mulieris anxia nomine Agar, quam morte tenus perculerat situs puerili Ismaëlis, vt meruerit Angelum habere prouisorem, cuius obsequio & sibi filioque consuluit. Dignatio sanè Dei ingens fuit illa, matrem & filium eripere ærumnis, beneficio Angeli opportuni. Sed potior est multò illa hodierna gratia, quam recenset Euangelium quod decurro. Ibi mulier Diuinæ opis indiga solamen reperit, quod sedula deposcebat. Amantissimæ matris sobolem vexabat iniquum Dæmonium. Idcirco parens hac sedula ægre ferens spiritum illum nequam esse iniurium charo pignori, id est filiæ suæ, prona venerans Christum, etsi passa repulsam semel & iterum, ingeminat preces, Deum vrget, probè callens Christum fieri propitium precibus importunis. Fidem eius noluit esse irritam Christus; quippe annuit votis querulæ matris. Verè beata fuit hæc filia, talem nacta matrem. Tamen æquior est sors qua gaudemus, eadem vtentes matre qua & Deus, scilicet Maria, hanc oremus. AVE MARIA.

Deus à dando dicitur.

SVspicati sunt quidam vocem hanc, DEVS, deduci à verbo, do, ita vt à dando, Deus hoc nomine nuncupetur: quippe omnibus dat Deus affluenter. Res animæ expertes, & rationis impotes, à prima editione sua accepere formam cuius beneficio consulitur ipsis. At hac forma res singulæ quæque habent vt perfectæ sint, ideoque homine adhuc non edito Scriptura sacra commemorans bestiarum ortum, adiicit hoc testimonium: *Et vidit Deus quod esset bonum.* (Gen. 1.) At homine procreato Scriptura silet præteriens hoc elogium de nobilissimo omnium animali. Etenim homo haudquaquam instructus est ea omni supellectile, quæ conducit ad perfectionem eius omnimodam, quæ cùm sit supra animæ vires, Deus gratiæ illapsu, homini ostendit vnde bona ei congrua influerent, fecitque eum multarum rerum indigum, vt vel sic ad fundendas Deo preces hominem inopem erudiret. Præcipua namque charismata sanxit Deus non dare nisi præuiâ oratione fusa. Idcirco Apostolus speculans iugem hominũ inopiam, vt ei occurreret ita præmonuit: *Sine intermissione orate.* (1. Thess. 5.) Licet enim Deus affluat omnibus bonis; non effluit tamen, quin subiecta congrua nanciscatur. In idoneos autem gratiarum alueolos & canales se componunt qui sicuti par est inuocant Deum, iuxta illud Pauli: *Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum.* (Rom. 10.)

Deus quare velit inuocari.

Quare autem velit Deus inuocari, ratio hæc est. Exceptâ primâ gratiâ, Deus vult nos mereri pro modulo nostro quidquid nobis impertit; nihil autem est quo Deum magis demereamur, quàm oratio: quippe ea tres virtutes theologales concludit. Namque ea fit Deo, in quem credit orans anima, amore Dei acta, & sperans sibi Deum fore propitiũ; eamobrẽ est medium valde idoneum ad Deum inclinãdum, vt petita concedat. *Petite* (inquiebat ipsemet Christus) *& dabitur vobis.* (Luc. 11.) Quòd si qui assiduè sua vota Deo explicẽt orantes incassum, penuria gratiarum in eis arguit aliquem defectum insignem, quo claudicans oratio displicet Deo. Hoc monet Iacobus. Apostolus *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.* (Iacob. 4.) Est & alia bonorum omnium inopiæ, quia sumus incurij Deum consulere, quando imminent angustiæ, vt ait idem Apostolus. *Non habetis, propter quod non postulatis.* (Ibidem.) Vtrique discrimini occurret hæc concio suadens frequentem vsum orationis, & explicans qua serie & contextu debeamus Dominum exorare. Plerique congerunt innumeras ferè partes integrantes orationis. Duobus ego punctis lineam hanc concludam, videlicet principio, & fine. Accipiam mutuò illa duo puncta à principio & fine orationis fœminæ Chananææ, cuius egressus è finibus suis texet priorem partem concionis, vbi dicam orationem debere auspicari ab egressu à finibus nostris. Secundò ex eo quòd illa mater anxia petiit à Christo vt diabolum pelleret, qui vexabat filiam suam, dicam debere eò vergere orationes nostras, vt diabolum eliminent.

Lucæ 11. Orationes quare non exaudiantur.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Qua cautione debeat instrui oratio, vt non sint irrita vota deprecantis.

VOx illa, finis, bifariàm vsurpari potest. Primò significat causam illam, quæ alias omnes mouet, vnde & dicitur ab Aristotele causa causarum. Secundò finis terminum significat; vt cùm dicimus Deum posuisse mari fines suos, illud intelligimus, Deum præstitutisse terminos, quos Deo inuito pelagus insurgens præterire nequit. In eo sensu hodie vsurpatur nomen finis, cùm ait Scriba sacer, mulierem Chananæam egressam de finibus suis, vt conueniret Christum. Profectò mulier etsi nescia rei sacræ, congrua posuit fundamina orationis integræ & perfectæ, quæ hominem petit constitutum extra fines suos. Hominis namque in esse naturali, proprij fines sunt obiecta omnia sensibilia.

EX PHILOSOPHIA. Aristot. lib. 4. Physic. tex. 51. Finis vox est æquiuoca.

sensibilia, in quæ duntaxat anima ferri potest. Quippe ex Philosophia. *Oportet intelligentem phantasmata speculari.* Ratio est hæc. Nihil est in intellectu quod non præfuerit in sensibus, quorum notitia est veluti rudimentum omnis scientiæ. Si ergo in Deum vult efferri anima, debet omnia sensibilia transcendere, quia Deus non est sensibilis. Cùm igitur oratio sit ascensus mentis in Deum, vt congruè oret homo debet omnes fines suos transcendere; alioquin si degit adhuc in finibus suis, id est, animâ occupatâ ideis rerũ sensibilium, nulla erit oratio, sed animi errabundi cogitatio versatilis. Etenim nequit esse oratio illa operatio mentis, cui non competit definitio orationis, quæ est mentis ascensus in Deum. At ille qui spatiatur in finibus suis, id est, qui orando Deum animo etiam suo versat species sibi vernaculas, quibus assueuit, is inquam non ascendit in Deum, ideoque longè est ab oratione.

Oratio quid sit.

Rursus ex Aristotele, priuatio est vnum ex tribus principiis rerum quę sub cœlo fiunt. Priuatio autem non duntaxat negationem formæ, quæ imminet materiæ, significat, sed statum rei omnino alium ab eo, qui est quando quidpiam de nouo emergit. Verbi gratia, in ligno comburendo priuatio connotat lignum carens perfectè forma ignis, sicut & vicissim in igne est priuatio omnimoda formæ ligni. Ergo in anima orante, cuius exordium fuit priuatio orationis, cùm mens oratione informabitur, nihil omnino residui debet esse specierum, seu idearum, quæ hominis animum hactenus occupatunt, id est, homo orans debet esse omnino alius ab eo qui non orat; alioquin duæ veluti formæ dispares animum hominis occupabunt, Deus scilicet & creatura, sicque illa hominis actio non censebitur oratio, quia mens serpit humi, quæ debuit in Deũ celeriter euolare.

Arist. lib. 1. Physic. c. 9. Priuatio quid sit.

Adiice & rationem Theologicam, quæ directè adstruit intentum meum, videlicet animam debere exire è finibus suis, ad hoc vt exoret. Oratio est actio religionis & latriæ, atque adeò meritoria; sed nihil meritorium est, nisi debitè fiat & careat peccato: Ergo oratio vt talis sit, debet esse secreta ab ideis rerum profanarum, quas si mente recolat homo orans peccat, quia Deo iniurius est, & iuxta Psaltis effatũ: *Fit oratio eius in peccatum.* Nam peccatum est auersio à Deo, & conuersio ad creaturam: in hoc autem discrimen incurrit anima, quæ lubens euagatur, dum lingua laborat nescia quid proferat. Nimirum quasi Dei iniuria missum facit eum, vt spatietur in finibus suis, id est, vt reuoluat & consulat imagines rerum quæ sunt infra Deum. Contra hoc animæ deliquium excandescunt Sancti. Occurrit Basilius ita fatus: *Diuinum auxilium est implorandum, non remissè, nec mente huc vel illuc euagante, eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed etiam magis Deum irritabit.* Concinit Augustinus. *Psalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 83. art. 13.* Oratio est actus religionis. Oratio sine attentione Deum irritat. Ex SS. Patribus. *Basilius ser. de orando Deum.* *August. in regula.*

Locuples in eo argumento est Dei sanctio indicta Moysi oraturo. *Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem* Abulensis illum locum versans hoc subiicit: *Vt euagationem omnem Deus auferret, omnem causam sustulit.* In eo mentis ascensu, quem molitur anima se accingens ad orationem, debet exuere alias omnes ideas, quę quandoque comites nobiscũ ascendunt præter intentum Dei, qui nos seorsum assumet in collem thuris. Ducit Deus animas solas in solitudinem, egressas de finibus suis; alias vero, quæ non abigunt species importunas rerum, Deus reprobat, vt & iniquas earum preces. Egregia praxi vsus est ille Sanctus, qui æmulatus Abrahamum, nunquam ad montem orationis ascendebat, quin seruum & asinum reliquisset in ima crepidine montis. Ille est Bernardus, ante orationem ita se compellans: *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas; intentiones, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite ascendamus in montem, vel locum vbi Dominus videt, vel videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, labores, pœnæ, seruitutes, expectate me hîc cum asino corpore isto; donec ego cum puero, ratio scilicet cum intelligentia, vsque illuc properantes postquam adorauerimus reuertamur ad vos: reuertemur enim heu, & quam citissime.*

Exod. 34. *Abulen. in Exod. 34.* Orationis attentio præscripta à Deo. Orationis attentio Bernardo in praxim reuocata. *Bern. l. de amore Dei cap. 1.*

Qui animam suam eo apparatu accingit ad precandum, ille egressus est de finibus suis, & Deo plenè fruitur orans. Sed qui nulla prœuia præparatione, orationis opus aggreditur, ille anxius est, & torquetur multa rerum congerie, quæ orationis seriem interrumpunt, vt cautè aduertit Cassianus, ita fatus: *Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est vt orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Ex præcedente enim statu mens in supplicatione formatur. Eorumdem actuum, nobis orantibus, ante oculos imago prælùdens, ad priores faciet volitare discursus, & idcirco quidquid nolumus orantibus nobis vt irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere festinemus.*

Orationis attétio quare impediatur. *Cassian. collat. 9. c. 2.* Orationis attétio quomodo conciliãda.

Quàm debeat esse iugis attentio orationis ad Deum fusæ, paucis insinuat Psaltes ita canens: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* Fumus incensi recta in cœlum tendit, eo etiam modo oratio debet esse erecta, & recta. Est autem rectitudo ex Euclide: *Breuissima extensio ab vno puncto ad alium, in extremitates suas eos recipiens.* Vt ergo sit oratio recta, debet ad Deum extendi via quàm fieri potest breuissima, nullas faciendo moras in creatis quibusque rebus, vtpote duobus conclusa punctis, Deo scilicet & nobis. Rursus ex eodem Euclide. *Linea est longitudo sine latitudine.* Igitur oratio, quæ æmulatur rectitudinem lineæ in extensione sua ad Deum, debet breuiorem viam inquirere absque vlla latitudine qua se in læuam vel in dexteram partem inflectat. Alioquin si oratio sit diuisibilis in cogitationes de Deo, & in species rerum, quæ nobis etiam nesciis irrepserunt; illa sanè oratio non est perfecta oratio: & hinc effluxit solenne illud effatum, scilicet, Orationem illam, quæ aduertit se orare, non esse vsquequaque perfectam. Nam si aduertit se orare, eo momento ad se conuersa est anima, atque ita oratio eius diuisibilis est in cogitationem præhabitam de Deo; & in illam moram, in qua animaduertit se orare; nimirum in ea morula anima rediens ad se, ingressa est fines suos, quos illa tamen debuit præterire.

Psal. 140. Ex Mathematica. *Euclid. lib. 1. elem. Geomet. definit. 4. & 2.* Oratio quæ attendit se orare non est attenta.

Eamobrem vellem ego omnibus oraturis esse insitam indolem galli gallinacei, qui antequam matutino cantu occinat, sese suis diuerberat alis quasi excitans ad suauiorem cantum. Hinc vsurpatum est illud symbolum pictũ in theatro Ioannis Ferri, qui gallo alis explicatis adiicit hunc titulum. Excutit, inde canit. O anima, quæ assecuta es sæpius bestiarum ingenium, sequendo

Orationis attentio, cõciliãda exéplo galli gallinacei. Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part. 2. Theatri symbol.*

ſenſuum illecebras; noli iam dedignari accipere à gallo typum orationis in Deum Dominum aſſurgentis: Oratura excute omnia ſimulacra rerum, quæ te à Deo diſtrahunt, ſi vis aliquod edere ſuaue melos. Namque Deo gratior oratio omnia monimenta à Deo aliena EXCVTIT, INDE CANIT. Alioquin ſi Deum orante lingua, diſcolor ſit animus, mentitur oratio; ſiquidem mentiri eſt contra mentem ire: ille autem it contra mentem, qui recitans preces, mente & animo diuagatur.

Oratio attēta ſit in veritate. *Pſalm.* 144.

Suffragatur meo intento Pſaltes ita fatus: *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.* Si in veritate inuocantibus adeſt Dominus, profectò aberit ab eis qui inuocant ratione ementita veritatem. Poteſt opportunè huc transferri conſtitutio Zenonis Imperatoris, qui irrita voluit eſſe ſua omnia beneficia præſtita in gratiam ſupplicum, ſi conſtaret eos eſſe in ſupplicatione mentitos. Ideoque ſanxit fieri quæſtionem fidei precum, antequam quis frueretur gratia obtenta, vt ſcirent Præſides an preces veraces eſſent. Ecce textum legis. *Vniuerſa reſcripta, ſiue in perſonam precantium, ſiue ad quemlibet Iudicē manauerint, quæ vel adnotatiō, vel quæuis pragmatica ſanctio nominentur, ſub ea conditione proferri præcipimus, ſi preces veritate nitantur. Nec aliquem fructum precator oraculi percipiat impetrati, licet in iudicio adferat veritatem, niſi quæſtio fidei precum imperiali beneficio monſtretur inſerta.*

EX IVRE CIVILI.

Orationes ſolæ placent, quæ veritate nituntur. *Leg. Vniuerſa, Codice de diuerſis reſcriptis.*

Hoc itaque eſto effatum indubium, videlicet malè eſſe ominandum homini illi, qui peruicacis eſt ingenij & attenti quando ſæcularia tractat, & ſōnolenti cùm Deus eſt exorandus. Hunc hominem vigilem ad profana, & ſtertentem ad Diuina eadem fata manent, quæ inſtant illis ægris, quibus Hippocrates infauſta prænuntiat, ſi vigilent noctu, & dormiant interdiu. Sic ille: καθεύδειν δὲ χρὴ τὴν νύκτα, τὴν δὲ ἡμέρην ἐγρηγορέναι, τὸ δὲ ἐναντίον πονηρόν. *Dormire oportet noctu, vigilare interdiu, contrarium autem malo ſit ægri.* Ex mulieris Chananææ egreſſu de finibus ſuis, facilè fuit coniicere ſanitatem filiæ, pro qua Deum rogatura inſtabat. Profectò non fuit dormientis oratio, quæ fiebat clamore validō vrgente Deum, vt petita concederet. Ne ergo, Chriſtiane, orationi tuæ indormias; tēpus namque orationis diem ſapit, & non noctem. Animos inſomnes exigit oratio, hominem totum illuminans, vt Dauid inſinuat iſta parænesi: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Fauet & Bernardus orationem definiens commemorando lucem, hoc contextu: *Oratio eſt ſtatio illuminatæ mentis, ad fruendum Deo, quamdiu licet.* Si quis igitur ab hac ſtatione pedem retulerit, ille à luce in tenebras incidet, ac ſic illicò caligabit.

Vigilare noctu malum omen ægris.

EX RE MEDICA.

Hippoc. lib. 3. Coac. c. 2. præn. 16.

Orationis elegans definitio.

Pſalm. 33.

EX SS. PATRIBVS. *Bern. ſerm. de quatuor modis orandi.*

Ille aſſiduus intuitus Dei, quem oratio meditatur, facit vt voluntas etiam prætereat fines ſuos, exuendo affectum rerum omnium terreſtrium, vt amore Dei penitus incaleſcat. Fieri enim nequit, vt mens in oratione recolens Deum, non ardeat eo igne, quo Dauid incaluit hæc ſcribens: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Vt autem eo igne flagret homo, debet oraturus componere ſuam voluntatem ad affectum, quemadmodum diſpoſuit intellectum ad attentionem, id eſt, ſicuti intellectus ante orationem excuſſit ideas rerum omnium, quæ animam à Deo diſtrahunt; ita & voluntas debet deponere omnes iniquos affectus, vt ſe totum Deo in oratione deuoueat; ſiquidem oratio non ore tantùm, ſed præcipuè corde perficitur. Quippe elinguis eſt oratio, ſi cor ſit tacitum, vel hoc Canone teſte. *Nouerint etiam non eſſe vocem ad aures Dei, niſi animi affectum.* Anima prauis affectibus exuta, egreſſa eſt è finibus ſuis, habetque obuium Chriſtum, qui ſui copiam facit iis duntaxat, qui fines ſuos priſtinos abdicarunt, id eſt, non exauditur oratio, quam exhalat anima reatibus obnoxia. Et hoc eſt Prophetæ effatum: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

Pſalm. 38. Oratio eſt Deo grata animi affectu.

EX IVRE CANONIC. *Can. ſecundo Diſt.* 38.

Pſalm. 65.

Quare autem velit Deus hominem egredi è finibus ſuis, & reprobos exuere affectus ſuos, ratio eſt hæc Theologica. Exauditur oratio quando aliquid impetratur à Deo donante gratiam, quam demeruit oratio. At Dei donum connotat amorem Dei, qui nihil dat inuitus; atque ita dum dat aliquid, vult bonum illud ei, cui impertit tale bonum. Sed velle bonum eſt amare. Ergo cùm Deus iniquos odio habeat, homo reus ſtante reatu ſuo, Dei affectum non inflectet, quia Dei amor non fertur in malum, alioquin Deus vellet malum, & faceret illud: nam voluntas eius efficax eſt rerum quas amat. Rurſus non exauditur oratio, niſi ratione meriti eius: quæ enim non meretur exaudiri, inanis eſt & vacua. Sed radix meriti petitur a duobus, quorum vnum eſt merè naturale, alterum eſt ſuperioris ordinis. Etenim de ratione actionis meritoriæ eſt vt ſit voluntaria, & hoc eſt naturæ negotium, cuius eſt velle aut nolle. Secundò operæ-pretium eſt vt actio fiat ab anima charitate conſpicua, & hoc eſt ſupra naturæ vires. Vtrumque autem poſtulat animam ſpoliatā noxiis affectibus, quia nequit mens in Deum efferri, niſi voluntas imperet mentis aſcenſum; ſiquidem ea, quæ arduum opus important, indigent magna contentione voluntatis vrgentis animæ facultates ad quas pertinet egregium hoc facinus. Cùm igitur oratio ſit res operoſa, quæ hominē totū eripit è finibus ſuis; neceſſe eſt volūtatem eſſe repurgatam ab alio affectu iniquo, ad hoc vt imperet illū mentis aſcenſum. Et quia eo repurgio voluntas adhuc imbellis eſt, indiget charitate, quæ eſt virtus cœlitus effuſa in animam, vt voluntas antea tepēs vegetior fiat. Sed anima præpedita aliquo iniquo affectu, inepta eſt ad recipiendum influxum charitatis; ergo etiam erit inepta ad fundendas preces, quæ Deum conciliare queant: nam ſic non relinquitur tantùm in puris naturalibus, ſed ægra iacet, & impos ad agendum quidpiam inſigne. Etenim voluntas à Deo ſummo bono deuiās languet, ideóque infirmi ſunt impetus eius; & ſi quid aggreditur, illud omnino imbelle eſt & tepidum, atque ita Deum prouocans ad nauſeam potius quàm ad veniam. Hoc Deus ipſe affirmat ingenti faſtidio percitus, ob crimina Iudæorum, quæ ſic carpit: *Incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea. Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè, diſcite benè facere.*

EX THEOLOGIA. *Bon. in 3. ſent. diſt.* 33. Oratio debet fieri in charitate.

Orationes factæ cum peccandi affectu Deo nauſeam pariunt.

Iſai. 1.

Oratio-

EX HISTORIA. *Fauinus in Hist. Nauarræ sub an. 1253.* Theobaldi Regis amor in Blancam Reginam.

Oratio exigit ab homine affectum in Deum, vt superet obices, qui remorantur orantes; nam amanti nihil omnino facessit negotium. Vnde cùm amoris sit proprium, versare ideam amati, amor erit medium valde idoneum ad orandum, quia oratio debet hominem Deo sistere cùm precatur. Probari potest illa conclusio locuplete historia Theobaldi Regis Nauarræ, qui eo amore deperiit Reginam Galliæ viduam nomine Blancam, vt cùm videret præclusam omnem viam ad optatos hymenæos, hac industria est suum solatus amorem. Suo Marte cantilenas composuit in gratiam Reginæ adamatæ, in cuius elogia effusus Rex ille insigni amore percitus, totus erat in canendis laudibus carmine recensitis. Æquior sanè est sors eorum, quos agit Diuinus amor. Deus amantibus se sui copiam facit; tamen nigis illa præsentia Dei, qua fruuntur Sancti, non obstat quin clament & decantent semper laudes eius, vt videre est in Propheta memore suarum cantionum. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Sed quid memini prisca exempla, cùm hodierna historia sufficiat ad exemplum opportunum. Mulier Chananæa semel & iterum passa repulsam à Christo, mœrori suo modum fecit, retonando Christi elogia, ingeminans has voces: *Miserere mei, fili David.* Toties easdem has ed:dit voces clamore quàm potuit maximo, vt inde fuerit etiam Apostolis importuna, qui ideo eam acceperunt in suam clientelam, vt videre est hoc contextu. *Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.*

Psal. 118. Dei laudes canere signũ est amoris erga Deum.

Matth. 15.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Quale præcipuum debeat esse intentum sinceræ orationis.

SEd quodnam argumentum precum mulieris eruditæ in praxi orationis congruæ? Audi. *Miserere mei, Domine, fili David, filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Duo petit hæc mulier, scilicet miserationem Dei, & expulsionem Dæmonij. Sciebat illa cœlitus edocta, Dei proprium esse misereri, non in affectu, sed in effectu: Misericordia namque vt passionem animę miserantis sonat, in Deo non est; sed vox illa connotat effectum situm in expulsione miseriæ, quæ cruciat hominem supplicantem. Diuino afflatus Spiritu David celebrem Psalmum auspicatus est, quo pœnitentes Deum demereri solent. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Illa petitione anima totam se deprimit, & auspicatur accessũ suum ad Deum gressu opposito ei à quo cœpit Adam recessum suum à Deo; quippe ille superbiens procul à Deo effectus est. Ergo cùm oratio sit mentis ascensus in Deum, debet præire humilitas, vt hoc præambulo conciliet sibi Deum oratio, quæ misericordiam semper debet petere, vt indiga semper opis Diuinæ, citra quam cuncta nutant. Petere autem misericordiam Dei, est petere Deum ipsum, qui adeò hac petitione gaudet, vt ausim dicere alias omnes orationes esse ei ingratas, si conferantur cum hac oratione, quæ à Deo Deum petit.

Psal. 50. Oratio debet ab humilitate suum capere exordium.

Placet illa animaduersio Grammaticæ, quæ est rudimentum omnimodæ disciplinæ. Ait illa, orationem esse congruam, quando verbum debito sibi modo regit nomen. Si Verbum caro factum regit omne quod petimus à Deo, id est, si Deus ipse finis sit orationis nostræ, profectò nihil incõgruum faciemus aut petemus. Deus ipse igitur sit scopus noster, quando accingimus nos ad orandum, vt monet Isaias. *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet: Ecce adsum.* Si alias res infra Deum petis, non aderunt semper, quia plerumque noxiæ sunt iis qui talia petunt, nescij eorum quæ conducunt ad salutem suam. Eamobrem optimè hortatur Augustinus: *Noli aliquid à Domino extra quærere, sed ipsum Dominum quære, & exaudiet te, & dicet; Adsum: Quidquid dedero, vilius est quàm ego.* Concinit & Psaltes hoc versu: *Quoniam ad te orabo, Domine, manè exaudies vocem meam.* Non orat ad Dominum, qui aliquid extraneum à Domino quærit. Verbi gratia qui petit opes à Deo, vt suam leuet inopiam, ille sibi simulacrum constituit, in quod anhelat, iuxta illud Vatis. *Simulacra Gentiũ argentum, & aurum.* Ne ergo litet idolis anima; ante Deum solùm oret, memor huius effati Basilij: *Oratio non ad hominem, sed ad solum Deum vt ad scopum collimat.* Adiice & hoc opportunum eloquium Augustini. *Inuocas quidquid in te vocas. Porro si Deum propterea inuocas, vt veniat ad te pecunia, &c. Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum.*

Orationis nostræ finis sit Deus.

Isai 58. Oratio non à Domino, sed ipsum Dominum petat.

EX SS. PATRIBVS. *August. in Psalm 33. Psalm. 5.*

Psalm. 113. Orationis scopus Deus. *B fi.* *August. in Psalm. 85.* Oratio quãdo ver Deũ inuocat.

Qui Deum petit, ille dæmonum excidium petit; non enim coeuntur Deus & dæmones. Tamẽ qui Deum ipsum petit, potest etiam adiicere ad solamen suum vt Deus compescat impetus inimici. Ita David Deo inuocato petit exterminium hostis illius acerrimi. *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam. Auertantur retrorsum, & erubescant qui volunt mihi mala.* Quare autem velit Deus, vt duo hæc petantur, scilicet misericordia Dei, seu Deus ipse, & diaboli excidium, ratio hæc est, & Theologica. Quidquid nos ad Deum dirigit vt primũ principiũ rerum omniũ, illud est actus religionis: sed oratio nos in Deum euexit: ergo illa est actus religionis. Religio autem duo dicit, videlicet cultum Dei & seruitutem nostram. Cultus Dei excellentiam eius notat, quæ quia omnibus aliis eminet, singulares sunt actiones, quibus eminentiam Dei protestamur, vt sunt sacrificia, & adoratio. Seruitus debita, & qua nequit liberari homo Dei seruus, indigentiam hominum prodit, qui sũt obnoxij pluribus angustiis. Vt ergo oratio ritè fiat, debet præcipua religionis insignia præ se ferre; videlicet cultum Dei, & subiectionem hominum. Hæc duo præstat illa oratio Chananææ. *Miserere mei, Domine fili David: filia mea à Dæmonio malè vexatur.* Dominum vocat: ecce excellentiam dominij indicem. Procidit ad pedes eius: ecce cultum latriæ, etiam exhibitum ea voce, *Miserere mei.* Solius namque Dei est, nulla mutuatitia potestate depellere mala quæuis. In eo quod subiecit, filiam suam à dæmonio vexari, benè suam seruitutem probat: nam proprium est seruorum petere præsidium à dominis suis.

Psalm. 69.

EX THEOLOGIA. *Thom. 2. 2. q. 81. art. 3.* *qu. 83. art. 3.*

Deum eo velle ritu orari, liquido ostendit Christus eo exemplo, quod insertum est Codici sacro, vbi Apostolis schema dedit precum, dictans orationem Dominicam, cuius exordium hoc est. *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum.* Ille tenor excellentiam Dei clamat, cuius fruitionem petit anima

Matth. 6. Vita nostra quantis periculis obnoxia.

commemorans regnum Dei. Demum oratio illa perficitur hoc versu. *Sed libera nos à malo* Malus ille, est diabolus desæuiens in seruos Dei, qui eos etiam præmonuit assiduas esse tentationes huius vigilis inimici, qui nihil in orbe vniuerso intentatum linquit: inde Cyprianus miseratur iniquam vitæ hominum sortem, ita fatus: *Lata & spatiosa itinera vitæ lethalis, illic illecebræ, & mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, vt fallat: arridet, vt noceat: illicit, vt occidat.* Idcirco cautè consulit Gregorius. *In bonis operibus intenti, nisi contra malignos spiritus sollicitè vigilemus, ipsos irrisores patimur in pœnis, quos ad malum persuasores habemus.*

Ex SS. Patribus. *Cypr. de discipl. & habitu virgin. cap 9. Greg. hom. 37. in Euang.* Tentationes multas suscitat diabolus.

Deus prouidè homini cauit, subiiciendo eum Dæmonis examini, sic eum vel inuitum erudiit esse indigum opis alienæ, vt cui vires non sufficerent ad frangendos impetus Dæmonis insurgentis: atque adeo compulit eum ad orandum more eorum, quibus cùm imminent hostes validi, petunt suppetias à Principe præpotente. Orantibus Angeli adsunt, qui obeunt vices Legatorum ad Deum, preces nostras suo etiam suffragio munientes. Audi Archangelum Raphaëlem eo munere functum in gratiam Tobiæ senioris, quem sic affatus est: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ideoque etiam Angelis vt ministris vtitur Deus, vt beneficia conferat, sicuti videre est in Tobia iuniore, quem sanum duxit & reduxit Raphaëlis obsequio, qui etiam compescuit diabolum Asmodæum. Mulier etiam Chananæa habuit Apostolos aduocatos: hi namque miserantes feruida mulieris anhelæ vota, suas etiam adiecere preces eo intento, vt Christus dæmonium expelleret. Sic vrgebant Christum: *Dimitte eum, quia clamat post nos.*

Tob. 12. Orantibus adsunt Angeli.

Esto potens sit inimicus, vtpote Angelus, & spiritus acerbus hominum osor; tamen præualet oratio, quâ veluti panopliâ armamur, & diaboli telis efficimur inuij. Eamobrem deiectos hominum animos erigit Apostolus ita monens: *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Explicato etiam Canone admonemur, diabolos oratione assidua profligari. Ecce textum. *Est & aliud opus quod facit Moyses: ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit; orat, & donec ille orat, vincit populus eius: si relaxauerit, & demiserit manus; populus eius vincitur, & fugatur. Oret ergo sacerdos Ecclesiæ indesinenter, vt vincat populus, qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt Dæmones impugnantes eos, qui volunt piè viuere in Christo.*

Orationis virtus mira. *Ephes. 6.* Ex Iure Canonic: *Can. Si quis vult. Dist. 37.*

Accipe adhuc aliam rationem, quare à Deo debeamus instanter petere vt expellat Dæmonium. Ea oratio Deo gratior est, quæ potiora argumenta amoris in Deum exhibet. Ergo homo propria terrena commoda oblitus, vt Dei hostem diabolum exterminet, erit Deo acceptior orando vt abigatur Dæmon, quàm propitiis commodis inhiando. Adiice, non posse induci formam nouam in aliquod subiectum, quin tollantur obices. At maximus obex ad gratiam, est illud Dæmoniũ, quo singuli quique vexantur homines. Igitur hoc satage, homo, fugare Dæmonium, quo torqueris. Enitere & eò specta oraturus, vt tentationi non succumbas: Quisque enim suos patitur Manes. Suffragatur meo intento lex, qua aditus patet seruis ad Imperatorem orandum, si vindictam petunt necis domini sui; alioquin seruis tribunal adire nefas. Ecce rescriptum Imperatorum Diocletiani, & Maximiani. *Licet seruilis conditio deferendæ precis facilè capax non sit; tamen admissi sceleris atrocitas, & laudabilis fidei exemplum super vindicanda cæde domini tui, nobis hortamento fuit, vt Præfecto prætorio iuxta annotationis nostræ decretum demandaremus (quem adire cura) vt auditis his quæ in libello contulisti, & reos inuestigare, & seuerissimam vindictam iuxta legum censuram exigere curet.*

Oratio diaboli exterminium petat. Ex Iure Ciuili. *Leg. licet seruilis. Cod. De seruis.* Serui libellos supplices olim non poterant offerre.

Itaque nos Christiani, cùm simus serui Christi Domini, quem conscio Dæmone Iudæi occiderunt, hoc vnum in oratione debemus exorare, videlicet Dæmonis excidium, quia est Christicida; siquidem quotidie Christum eliminat è cordibus impiorum, sic eum denuo aliqualiter occidens, dum impedit eum viuere in anima reproborum. Hoc iugiter clama: *Miserere mei, Domine, anima mea à Dæmonio malè vexatur.* Hæc me adurit & vrget tentatio, cui si succumbo, filius tuus Christus Dominus occidetur: O præpotens Rex cœli & terræ, qui throni tui copiam facis etiam seruis vt orent & adorent, hoc vnum enixè efflagito, vt diabolum trudas sicarium, qui Domino meo Iesu insidias nectit, quibus eum pellat à me. Si ægrotas, pete à Deo vt fuget Dæmonium impatientiæ, vt hortatur Gregorius. *Deprecare vt patientiam tolerandi concedat, ne nimio tædio in impatientiã cor erũpas; & ea, quæ bene curari per plagã culpa poterat, crescat ex murmure.* Sic fies voti compos.

Ex SS. Patribus. *Greg. lib. 9. epist. 27.*



FERIA SEXTA
DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.
SVMMA HOMILIÆ.

I. SCRIPTVRA sacra recenset duas piscinas, quarum vna dicitur piscina superior, alia piscina inferior. Vtraque piscina participat aliquali modo ea quæ Euangelium hodiernum notat fuisse singularia in piscina probatica. Dicam priori parte, piscinã inferiorem esse typum voluptatis, quæ effusa sicut aqua, quinque porticus habet, quibus animam subit. Angelus nequam illas mouet aquas, dũ rerũ species refricat menti, vt incautè illudat.

Quidquid

Quidquid agit Deus in hominum commodum; diabolus hoc satagit æmulari in perniciem animarum, vt probo ex hac inferiori piscina comparata ad piscinam probaticam.

II. Secundò probo Deum, cui curâ fuit sanare corpora beneficio piscinæ probaticæ, fuisse magis animæ propitium, ad cuius sospitatem instituit aliam piscinam lacrymarum, quæ virtutem suam emendicant à quinque porticibus, quæ sunt quinque plagæ Christi, vnde copiosi gratiarum latices effluxerunt. Has aquas mouet Angelus custos, quando insusurrat odium retroactæ vitæ. Sanatur vnus, quando anima à terrenis secreta, Deo se deuouet. Nam qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur.

PRÆFATIO.

Est Ierosolymis probatica piscina.
Ioan. 5.

IORDANIS aquas fuisse beneficas Principi Naaman è Perside oriundo recenset sanctissima & veridica Regum historia, affirmans hominem hunc lepra incrustatum, fuisse mundatum statim atque fuit tinctus illis aquis propitiis. Euangelium quod expendo meminit aquas etiam valde salutares, scilicet illas, quarum aspergine curabatur qualibet ægritudo. Sed esto salutares fuerint illæ aquæ, quas memorat ille textus sacer, ego hodie alias effundam aquas magis adhuc animæ proficuas: quippe vbi scaturiunt illæ aquæ; illic etiam est bonorum omnium vberrima scaturigo. Non vos morabor, illæ aquæ sunt lacrymæ, quæ tergunt & abluunt omne quod fœdauit sordida colluuies noxiæ voluptatis. Has aquas meminisse nefas est, Maria inconsultâ, quæ stella maris. Itaque eam salutemus. Aue Maria.

Piscina quid sit. QVia pisces gaudent aquis, vt sorte sua, confluxus aquarum in vnum locum piscina appellatur. Et hinc nomen accepere stagnantes aquæ, quas meminit textus hodiernus, vocans piscinam locum illum, in quem confluebant aquæ iuxta templum, vbi lauabantur oues sacrificio destinatæ. Vnde illa piscina dicta est probatica à Latinis; qui alluserê ad nomen Græcum, προβατικὴ, ouis, quasi esset illa piscina ouina, vt deuota ouibus abluendis. Ideoque non probo, piscinam fuisse dictam piscinam per antiphrasim, eò quòd non essent in ea pisces; sicut bellum dicitur, quia minimè bellum, & lucus quia minimè lucet. Imò dicta est piscina, quia piscibus idonea, vt sunt omnes aquæ aliquod insigne spatium occupantes, vnde licet absint pisces; ius tamen habent in has aquas, vt in piscium elementum. Eamobrem Salomon vocat piscinas, coëuntes aquas in vnum alueum, vnde irrigabant hor-

Eccl. 2. tos. Sic ille: *Feci hortos, & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium.*

Scriptura sacra duas commemorat piscinas, vnam Ierosolymis, quam sic historia hodierna

Ioan. 5. delineat. *Est Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens: in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Hanc piscinam priori parte concionis huius, ego comparabo voluptati, quæ velut aqua quinque sensuum ostiolis sese insinuat in animas: multiplici morbo ideo decumbentes. Alterius piscinæ meminit textus sacer, cuius accipe seriem. *Venerunt Ierusalem,* 4. Reg. 18. *& steterunt iuxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via agri fullonis.* Hæc piscina duobus elogiis illustratur. Dicitur piscina superior, & in via agri fullonis. Posteriori parte concionis dicam, hanc piscinam superiorem esse lacrymas pœnitentiæ, quæ desuper influunt in animam, & illam non alluunt modò, sed abluunt, & eo candore dealbant, quem fullo nequit æmulari.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Diabolus ad lenocinium carnis piscinam instituit, vt leuet eius angustias.

QVia rationi præit auctoritas Scripturæ sacræ, audi eo oraculo voluptatem esse aquam. Voluptas aquæ comparata. *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi* Iob. 15. *aquam iniquitatem.* Et Dauid eo Psalmo, quo sic Deum affatur: *Deus tu scis insipientiam* Psal. 68. *meam, & delicta mea à te non sunt abscondita;* suæ insipientiæ causam præmisit, scilicet aquas, has nimirum quas voluptatis illecebræ in ipsius animam effuderunt, quando incautè aspexit nudam mulierem se lauantem. Sic ille: *Saluum me* Ibidem. *fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Consultò historia Regum meminit aquæ; quando recenset præludia voluptatis illicitæ, cui se immersit Dauid. Ecce textum. *Accidit vt surgeret Dauid de strato suo* 2. Reg. 11. *post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, viditque mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum. Erat autem mulier pulchra valde.*

Dices, incongruè comparari voluptatem cum piscina illa, quia erat à Deo instituta vt eniteret Dei bonitas in elargienda sanitate. Voluptas autem nihil nisi morbidum & ægrum sonat. Respondeo, Dæmonem quando vt simia æmulatur opera Dei, non intendere bonum quod Deus molitur hoc opere, sed omnia in hominum perniciem effingere. Verbi gratiâ, virga Moysis versa est in serpentem, vt eo signo Pharao daret manus Deo. Diaboli verò industriâ Magi ediderunt idem signum, sed eo fine vt Pharao ingloriū haberet Deum Hebræorum. Eo etiam modo idem nefarius hostis piscinam instituit; id est, effudit aquas voluptatum, specie quidem recreandi homines in angustia positos, sed reuerà vt eos perdat. Habet tamen hæc piscina iniqua & noxia hoc insigne vestigium bonitatis Dei, vt Voluptas comparata cum piscina probatica.

aliquando Angelus Dei moueat illas aquas, explicando reprobis; quàm fœda sit colluuies obscœna peccatorum, quam cùm experitur ille qui se immergit illis putidis aquis, statim inde pedem refert sanior & sanctior.

Aquam esse idoneum symbolum voluptatis credidit prisca ætas ingeniosa satis, dicens Venerem editam ex aquis, vtpote satam de spumante mari. Duo aduerterunt in aqua parente Veneris, commenti huiusce auctores. Primùm aquam facilè effundi, & se insinuare in corpora rimis hiantia. Alterum est eam aggrauare quidquid aquam ebiberit. Vtrumque horum pertinet ad piscinam diaboli, cuius aquæ quinque porticus habent, quibus subeant animam. Namque voluptates irrepunt in hominem, beneficio sensuum, quorum quintus quinque refert porticus. Hæ aquæ permeant hominem totum, & aggrauant eum infirmando, omnésque actiones, quas exerunt quinque sensus, ægræ sunt, & iacentes eo morbo, quo decumbit homo, voluptatis profluuio delibutus. Voluptatis nomine non intelligo quamlibet delectationem animæ aut corporis, sed eam tantùm quæ est illicita, & quam Plato appellat omnium malorum escam.

Venus quare dicta nata ex spuma maris.

Voluptas quid significet.

Ex Theologia. Thom 1.2.q. 75. art.1 q. 73 art.8.

Quàm autem intimè peruadat illa aqua totum hominem, disce ex hoc discursu. Illud se facilè insinuat in hominem, cui patent omnia ostia & aditus ad hominem, scilicet sensus, quibus conteris intratur in hominem. Sed delectatio corporalis habet peruios omnes sensus, & vim appetitiuam quæ est sensualitas, quæ raptatur in obiecta sensualia & paritura delicias. Ergo facili negotio voluptas subintrat animam. Et vt aliquis æger mittebatur in piscinam ad motum Angeli; ita appetitus rationalis, id est voluntas, sese effundit in voluptatis illecebras, dæmone mouente phantasiam, & ei illudente simulacris rei placitæ, vt epularum aut Veneris. Plerumque enim vis appetitiua inferior adeò validè concutitur à delectatione, dum inchoat, vt omnem rationis vsum præueniat, glisceente autem illecebra voluntas potenter illecta annuit, & sic omnem hominem mergit, qui dum assueuit deliciis, quinque porticus eius redundant ægris. Namque omnes sensus grata sibi tantùm inquirunt, appetitu rationali etiam contra deliquij sensuum, qui suas tantùm cupedias insectantur. Verbi gratia, oculi libidine scintillantes gestiunt intuitu mulierum, & sinus in luxuriam explicati. Aures patulæ hiant ad obscœna eloquia. Pruriunt manus auidæ tactus inhonesti. Gustus indicto ieiunio vetita appetit obsonia. Omnes autem illi appetitus, sunt ægri decumbentes in singulis quibusque porticibus.

Voluptas sensibus illudit.

Benè igitur Dauid huic piscinæ immersus, cogitauit Deum conciliare sibi, vtpote cuius beneficio duntaxat anima potest emergere, si præceps acta fuerit in hanc vitiorum omnium illuuiem. Benè, inquam, ille Deum consuluit sic exorans: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Reuerà vitiorum vt aquarum pondere ingrauescens homo, putido cœno immergitur, digno suaindole habitus sepulchro, videlicet fœtido volutabro. Limo profundi infigitur, quia non est substantia, id est, voluptuosus homo deorsum vergit, quia caret gratia, quæ eum erigebat. Gratia namque in anima easdem obit vices, quas vita gerit in corpore, vbi videre est corpus erectum, alacre, & accinctum ad agendum, vita comite, qua extincta grauedinem induit corpus impos emergere è limo, si mittatur in cœnum. Nimirum res medica in homine distinguit vim naturalem à vitali. Ait è iecore effluere virtutem illam naturalem, cui alendi & generandi cura est. A corde autem omni vim vitalem præstantioris longè ordinis, quàm sit vis illa alia naturalis. Et hoc maximè quadrat duplici hominis statui, videlicet naturali & supernaturali.

Psal. 68.

Gratia est animæ vita.

Ex re Medica.

Quomodo autem se habeant ad inuicem illæ duæ facultates, vitalis scilicet & naturalis, audiamus à regio Medico Fernelio. Sic ille: *Vitalis facultas animali succurrit & opitulatur, quod ei velut pabulum & materiam suggerat, ex qua demum spiritus profertur animalis. Cæterum hæc ipsa facultas vitalis non modo cæteras omnes, cum rudes adhuc & inchoatæ sunt, perficit, sed etiam easdem, quoad viuit animal, tuetur, & ad agendum perpetit. Est enim animantium vita, facultatum actionúmque omnium conseruatio. Hæc autem à corde cum spiritu caloreque defluit.* Sequenti capite conterens vim naturalem & alias facultates cum vitali, ita fatur: *In actionum autem & vitæ necessitate, omnium prima vitalis statuitur, quod non modo reliquis materiam sufficiat, sed illas etiam suscitet, perficiat, mutuóque complexu necatur, & foueat. Sine enim particula quauis & motum, & sensum habitura est, siue debet nutritionis commoda percipere, in eam necesse est spiritus & vis infinat vitalis, quæ si lædetur, mox vtrauque functio interpellabitur, scilicet naturalis, & animalis.* Demum mors ipsa definiri nequit sine mentione vitalis huiusce functionis extinctæ, vt legere est in eodem Fernelio. *Mors est vitalis roboris omniumque facultatum extinctio.*

Vitalis facultas quid sit. Fernel. lib. 5. Physiol. c. 16.

Vitalis facultas quam nobilis sit.

Mors quid sit.

Theologica etiam indagine homo considerari potest in esse naturali, quod est commune omni hominum genti. In eo statu generandi, epulandi, sentiendi, vires habet homo communes cum bestiis. Alio verò modo spectari potest in esse gratiæ, & hic status est superioris ordinis & vitalis. Tunc homo totus in Deum erigitur motu planè contrario ei, quo infixus est in limo profundi, cui totus adhæret, quia conuertitur ad creaturas, & à Deo auertitur. Adhærere autem creaturis, hoc est deorsum ferri, quia deest illa substantia, scilicet gratia, quæ nos ad Deum euehebat. Gratia profectò licet accidens sit, tamen effectiuè dici potest substantia; quippe dat homini subsistere & stare: at voluptas dat homini cadere & pessum-ire. Potestque vsurpari de anima in gratia illud Geneseos: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Nam gratia semper habet comitem Spiritum Sanctum, qui superiores efficit animas omni voluptate, eas sic efferens super aquas voluptatum, quæ absorbuêre aliàs orbem vniuersum, & quibus innumeri propè homines hoc sæculo suffocantur. Ideoque quisquis excidit illa facultate, quæ attollit hominem, necesse est vt agatur in præceps, & quasi eo casu elisus decumbat æger, velut hodiernus ille paralyticus, quia dissoluta compage omnium facultatum animæ, frangitur in otium, sicuti extincta vitali facultate friget corpus, & sibi ipsi aliàs viuo præponderat iners & ignauum.

Ex Theologia. Thom. 1. p. q. 75. a. 78.

Gratia quomodo dici queat substantia.

Genes. 1.

Audi ex persona reprobi querulum Iob. *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum? quare posuisti* *Iob. 7.*

posuisti me contrarium tibi, & factus sum, mihimetipsi grauis? Quò arbitraris eum deduxisse illam grauedinem? Non aliò sanè quàm deorsum, vbi subsistere ei negatum est, quia citra gratiam in limo profundi non est substantia. Sic ille gemens pergit Deum sibi facere propitium. *Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferes iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam; & si manè me quæsieris, non subsistam.* Adiice querimoniam Psaltis memoris illecebræ, qua in adulterium lapsus, irruit in piscinam diaboli. Ecce eius planctum. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Inundauerant aquæ voluptatum, quibus se addixerat Dauid, ideò supergressæ sunt caput eius, præpedientes vsum intellectus, quo feriante, anima ritum pecoris æmulatur. Sicque voluptate vt onere importuno & graui homines ingrauescunt.

Voluptas onus graue suis asseclis imponit.

Psal. 37.

Eamobrem Sancti omnes declamant in sensuum illecebras, quas voluptatem vocant, editam in perniciem hominum, quas vbi hæc piscina alluit, mergit & pessum-dat. Hoc hominum ingens malum sic describit Ambrosius: *Voluptas meretricio procax motu, incessu infracto per delicias, nutantibus oculis & ludentibus iaculans palpebris retia, quibus pretiosas iuuenum animas capit. Quemcunque viderit sensu dubio prætereuntem, in angulo domus suæ sermonibus adoritur gratiosis, faciens iuuenum auolare corda, domi inquieta, in plateis vaga, osculis prodiga, pudore vilis, amictu diues, genis picta. Etenim quia verum naturæ decorem habere non potest, adulterinis fucis affectata pulchritudinis lenocinatur speciem non veritatem; vitiorum succincta comitatu; nequitiarum ebrio circumfusa; dux criminum; verborum machinis, tinurum mentis aggreditur humanæ. Quid tam meretricium quàm voluptas sæcularis, quæ à fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta preludens, & penetrat citò, si tu in plateam prospiciens, id est, in publicas transeuntium vias, non in legis interna mysteria obtutum tuæ mentis intendas? Ea est profectò, quæ validioribus vinculis, velut cubile quoddam consociata nobis communitatis intexit, vt qui reclinauerit se, ligetur, & opprobriosæ fraudis velamine operit corporis sui stratum; ad sollicitandos animos iuuenum, absentiam viri, hoc est, incuriam legis obtexens.*

Ex SS. Patribus. Amb. lib. 1. de Cain & Abel. cap. 4. Voluptatis elegans descriptio.

Voluptas vinculis est stipata.

Voluptas incuria legis Dei.

Eo discursu Ambrosius liquidò ostendit, quomodo sese voluptas insinuet in animam legis incuriam, & non aduertentem omnem supellectilem voluptatis esse sensuum tenus, magno animæ dispendio, cui gehennæ incendia illecebræ accendunt, dum sensu illecto flagrat homo. Ideoque congruit illi pictura Satyri, qui nescius qualitatis insitæ flammis, in eas ruit quia pellucebant. Sed eas amplexatus serò sensit dispendium. Hoc titulo Camerarius rem describit. DAMNOSA VOLVPTAS. Imò etsi illa instanti sæculo non esset obnoxia, plectenda pœnis vtique æternis, satis superque noxia est suis sequacibus ex hoc æuo, quia hominem deprimit è cælo in cœnum: nimirum homo editus ad rimandas rerum omnium essentias, voluptatis insanæ illecebrâ dementatur, sicque hominem exuit, vt induat pecus. Etenim homo à bestia dispescitur, quòd cognitio eius sit discursiua; & appetitus rationalis; bestia verò non discurrit nec iudicat, sed apprehendit tantùm sensibus peruia obiecta, non ponderans quid eorum visus secum vehat: ideo non iudicans de futuris, validè fertur in id omne quod arridet illâ eadem morâ, quâ sensum ferit res illa grata. Vt autem homo sibi constet, & cognoscat modo animæ singulari, debet abstrahere rerum indolem à specie singulari, & matura indagine inquirere quid conferat hoc obiectum, & quid noxium & lethale queat ingerere, vt his sedulò inspectis concludat, an debeat appetitus eò ferri. Ille agendi ritus dicitur homini congruus, vt alter dicitur incongruus, & omninò alienus à ratione practica, quæ quod speculata est, illud actione probat fuisse rationabile. Ergo cùm voluptas hominis intellectum & voluntatem deuinciat sensuum illecebris, homo ille carens omni rationis vsu, est veluti paralyticus; quia licet ratione præditus sit, nullos tamen elicere actus potest, nam præpedita ratio sensuum illecebris, ægra iacet.

Ex Symbolis. Camerar. lib. Centuriatâ. Voluptas damnosa dicitur egregio symbolo.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 1. post c. 1.

Nota, non esse in hominum potestate, quantumuis emineant, impedire sensum obuiæ rei placitæ quæ occurrit; nec tamen ideò voluptatem se insinuare in animas sanctiores: aliud enim est ferire sensus, animámque pulsare; & aliud in animæ arcem penetrare. Sancti quidem habent quinque porticus, nimirum sensus; sed illic non sunt ægri, id est, non sunt iniqui habitus sensuales. Verbi gratiâ, esto oculi videant fœminas obuias; non tamen eo leui intuitu, igne Veneris inardescunt. Quamuis aures audiant verba obscœna; non hoc turpi gestiunt eloquio: licet escæ sapor afficiat gustum; anima ad sobrietatem vtitur illis, vt medio idoneo corpori vegetando. Sed vbi delectatio ita omnes præoccupat sensus, vt etiam illudat menti effusæ in hæc ementita bona, illic est pessima ægritudo, qua decumbit homo illapsus dæmonis in piscinam.

Sensûs sunt porticus animæ.

Has expertus angustias Dauid sic recenset. *Tota die contristatus ingrediebar: quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Infirma equidem valetudo est eius, cui ardent lumbi illudente illecebra. Si consulis Ambrosium, rem ille acu tanget, eodémque acumine voluptatem punget, ita fatus: *Spargit odorem suum voluptas, quia Christi odorem non habet. Thesauros demonstrat, regna promittit, amorus spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem. Bibite, inquit, & inebriamini, vt cadat vnusquisque, & non resurgat: ille apud me primus est, qui omnium est perditissimus. Ille meus est, qui suus non est: ille mihi gratior, qui sibi nequior.* Paucis Isidorus perfidiam voluptatis reserat, scilicet hoc tenore: *Voluptas est cum quadam lubrica suauitate ad illicita sordida mentis inclinatio.*

Psal. 37.

Ex SS. Patribus. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel c. 4. Voluptatis illecebræ multiplices.

Isidor. lib. Synon.

Hæc autem iniqua animæ propensio totum hominem nequam facit si consentit: quippe ex Philosophia, finis hominem mouet ad agendum, atque ita ei inurit bonitatem, aut malitiam suam. Ergo totus homo malus erit, qui voluptate motus agit, cùm ipsa voluptas sit summa in homine malitia, eum priuans non Deo tantùm, qui est summum bonum, sed & congruo statu suo compote rationis. Aristoteles eam sic definit: *Voluptas est motus quidam animæ, & affectio tota simul, sensibiliter in naturam proficiscens.* Tota animæ

Ex Philosophia.

Aristot. lib. 1. Rhetoric. Voluptatis definitio.

animæ affectio collimans in aliquod sensuale obiectum omnem etiam hominem sensuum mancipium facit, iacente ratione, vt paralysi dissoluta, quia fuit piscina dæmonis inundata.

Etsi dæmon, ficuti præfatus sum, tentet imitari opera Dei, in commodum hominum edita; hoc tamen intendit semper, vt hominem perdat suis technis & laqueis irretitum. Verbi gratiâ, diabolus voluptatum illecebras explicat homini, suggerens esse aliquando animos remittendos; sed semper ipsa voluptatis catastrophe lethalis est. Quotidiana exitia produnt qualis sit exitus obsequij quod præstatur illecebris, quas si aquas dixi motas ab Angelo refuga, hoc puta, scilicet eam aquæ motionem esse tempestatem & procellam, vnde iniqua fata manent homines, hoc noxium mare transfretantes. Pereuntis animæ in hac infami plaga se exemplum præstitit David hoc versu: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Psal. 68.

Ex Historia. Hist. Gall. in Franc. I. Voluptatis exitus est lethalis.

Historia suo prædiuite penu recondit multas tragœdias huiusce argumenti, quæ fidem faciunt, neminem ferè sospitem rediisse ex aquis piscinæ diabolicæ, easdemque fuisse fatales aquas, quas genio indulgentes homines elegerunt. Gallia vidit aquas meæ conclusionis testes, & solennes, Francisco I. rerum potiente. Rex ille degens Bononiæ, vt armatam classem videret è portu soluere, statuit in gratiam plurium nobilium, qui illuc confluxerant, parare celebres epulas instructas in præcipuis nauibus regiæ illius classis. Nobilia quæque capita conscripta sunt, & adscita ad hoc conuiuium instructum regia magnificentia. Rex multo nobilium agmine stipatus conuocarat etiam mulieres vsquequaque nobiles, vt hoc genus animo imbelli se componit totum in corporis cultum, vt quantò viris cedit ingenio, tantò etiam præstet eis egregia faciei forma atque venustate: mulieres in hanc diem condixerant, vt quidquid speciosum erat, tunc præstarent & prostarent. Principes huiusce classis naues ornatæ ad pompam conuiuij, auro rutilabant, & variâ erant picturâ polymitæ: omnia exquisito fragrabant aromate; iuge item & suaue melos auribus insonabat. Regia nauis, vt par erat, cingebatur aliis nauibus regni nobilitate fœtis. Fusum æquor in modum stagni placidum erat, quasi ad plenam aulæ regiæ voluptatem omnia conspirassent. Sed vt omnia læta huius æui nigricant omine infausto, in eo angulo regiæ nauis vbi condiebantur cibi, ignis præter intentum hominum serpens proximas tabulas accendit, & inde longè lateque patens incendium tormenta bellica explosit, quæ ore flammiuomo in vicinas naues igneos globos vt instantis semina necis immiserunt.

Francisci I. Regis Galliæ epulæ in luctum finitæ.

O insignem voluptatis blandientis perfidiam! In celeberrimo regni consessu & corona, consciis etiam elementis liberalis ingenij, quo Rex ille inclytus dignabatur aulam suam, tacito mari atque propitio periere multi in medio pelago conflagrantes. Quisque eorum potuit querula voce suo fato ingemere, dicens: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Psal. 68. Fortè fuit innoxia hæc voluptas; illius tamen conclusio funesta fuit. Esto perierint pleraque corpora igne vindice, potuit anima decocta illo incendio integrè repurgari, aquâ etiam maris reliquias omnes huiusce deliquij detergente. Sed cùm piscinæ diaboli vortices inuoluunt mancipia voluptatis; absorbent semper vtramque hominis partem, videlicet corpus & animam. Eamobrem sunt hæ peiores aquæ illis, quibus Noëmi tempore natura humana graue dispendium passa est, cute tamen tenus. Etenim pereunte corpore plerique abluti eo diluuio tersiores obierunt. At tametsi despument aquæ voluptatis, quas effundit ille Leuiathan gaudens aquis; Deus alias habet aquas, quibus emundet spurcitias in colluuie vitiorum lectas. Hæ aquæ sunt lacrymæ pœnitentis.

Pars Secunda Homiliæ.

Animæ sauciatæ diaboli perfidiâ Deus prouidet piscinam salutarem.

Nomine lacrymarum intelligo ipsam pœnitentiam, seu dolorem altè infixum cordi ob crimina perpetrata. Vt voluptas aquarum typo lineatur; ita & pœnitentia lacrymarum symbolo denotatur. Hæ dispares aquæ dissonas etiam piscinas efficiunt: diaboli piscina inferior est, & multo subsidente limo infamis, homines fœdans obscœna vitiorum aspergine conspurcatos. At secus alia lacrymarum piscina superior est, & in via agri fullonis. Dei est affluxus ille aquarum, ideoq; dicitur piscina superior in via agri fullonis, quia ex Gregorio: *Lacrymæ sunt iter ad Deum,* qui rore suo aspergens animas, facit eas omni fullonis opificio tersiores, vt David Deo sibi propitio periculum fecit, ita gestiens: *Asperges me hyssopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor.* Quid Dauidem commemoro, cùm ipse Deus institutor piscinæ superioris, adstruat virtutẽ eius detersiuam. Hoc Dei oraculum eructat Isaias hoc tenore: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruersè, discite benè facere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana, alba erunt.*

Lacrymæ sunt piscina salutaris.

Greg.

Psal. 50. Lacrymæ sunt iter ad Deum.

Isai. 1.

Omnis illa verborum series clamat, bona opera non habere vim dealbandi sine præuio hoc lauacro. Verbi gratiâ, detur adulter; profectò ille frustra quiescit agere peruersè, perperam discit benè agere, irrita sunt conamina eius ad virtutum praxim, si prius dolore reatus sui ablutus non est, & haudquaquam abstulerit malum cogitationum suarum ab oculis Dei, qui vult nos mergi in piscinam hanc, antequàm ritè dealbemur. Virtus hæc benefica lacrymis insita est, ab eodem principio vnde effluxit virtus influens in piscinam probaticam, vbi dicitur fuisse reconditum lignum crucis, quod emersit die Passionis. Nutat in me fides huiusce prodigij. Alij affirmant piscinam hanc probaticam emendicasse suam vim salutarem à sanguine ouium, quæ Deo sacræ lauabantur in piscina. In animum meum induco piscinam hanc fuisse figuram sanguinis Christi, qui quinque porticus habuit, id est, quinque insignes plagas, vnde alluit omne hominum genus, factum beneficio huiusce balnei rediuiuum. Idcirco ex hiante vulnere lateris Christi promiscuè sanguis & aqua deriuarunt, vt rescirent omnes, vim lacrymis inditam, vt detergant, esse à sanguine Christi, cui textera iniurius esset ille, qui salutem suam refunderet in lacrymas suas, Domini Iesu meritis inconsultis; Dei namque consilium

Piscina vnde suam virtutẽ sumpsit.

Lacrymæ vnde suam virtutem habent. Ex Theologia.

Thom. 3. p. q. 46. a. 4.

lium fuit, vt Passio Christi esset veluti pretium, quo liberaremur seruitute diaboli, pœnæ & peccati. Eodem etiam consilio statuit Deus in neminem adultorum hominum effundere pretium sanguinis sui, quin prius anima consuluisset aquas salutares pœnitentiæ, quibus influente Christi sanguine vegetamur.

Pœnitentia in eo sensu est piscina superior, in via agri fullonis, quia est via compendiosa ad gratiam, quæ licet sit qualitas supernaturalis dealbans animas, requirit tamen aliquid in homine physicum & præuium ad hoc donum, quod cùm sit in genere qualitatis, poscit à subiecto suo remotionem obicis. Ergo cùm voluptas sit maximus obex ad gratiæ illapsum, pellenda est illa qualitas inimica gratiæ. At contraria non excidunt nisi vrgente alio contrario: quippe non coëunt in eodem subiecto dissitæ qualitates, at ex Aristotele dolor est contrarius voluptati; sic enim ille Genius naturæ fatur: *Voluptas est motus quidam animæ, & affectio tota simul sensibiliter in naturam proficiscens, cuius contrarium est dolor.* Cùm igitur voluptas hominem totum malè afficiat, vtique ægritudine pessima; pœnitentia quæ est dolor voluptati ex diametro oppositus, hominem restituet integræ sospitati. Ea namque piscina lauando sanat, & plerumque vegetior est sanitas comparata, quàm quæ fuerat deperdita, vt comprobat iste Canon. *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit; atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amisit.* Ratio est quia quæ Dei sunt, validius exerunt suas actiones quàm quæ hominum. Eamobrem cùm pœnitentia à Deo sit instituta ad salutem ægrorum, ingementi animæ reddit cum fœnore sanitatem; ita vt ex lacrymis contriti hominis conijcere liceat illud idem, quod benè ominatur Hippocrates homini decumbenti morbo acuto, quem sedari affirmat, si copiosus, vt par est, effluat sudor. Sic ille: Οἱ δὲ ἱδρῶτες ἄριστοι μὲν εἰσιν ἐν πᾶσι τοῖς ὀξέσι νουσήμασιν, ὁκόσοι ἂν ἡμέρῃσι τι κρισίμοισι γίνονται, καὶ τελέως τὸν πυρετὸν ἀπαλλάττουσιν. *Optimi sunt sudores in morbis acutis, & qui accidunt diebus decretorijs, & perfectè sedant febrem.* Ita febriens anima percita dolore acuto & lancinante cor conscium admissi piaculi, si fletu copioso desudat, sanè hac lacrymarum piscina desudans, illico redditur pristinæ sospitati.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 1. Rhetoric. Voluptatis contrarium quale sit. Lacrymarum virtus.

Ex Ivre Canonico. Can. Fidelior, dist. 50. Sudores quinam sint salutares.

Ex Re Medica. Hippocr. lib. 1. præsag. Lacrymæ cor mundant.

Audiendi in hoc argumento Patres. Primus occurrit Cardinalis Bonauentura, hoc suo calculo insignis in gratiam lacrymarum, quas ita extollit: *Cor mundum facit effusio lacrymarum, quia dicitur: lauabo per singulas noctes lectum meum, scilicet conscientiæ.* Adijce Ambrosij elogia hæc: *Lauant lacrymæ delictum quod voce pudor est confiteri. Lacrymæ ergo verecundiæ consulunt, & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando: lacrymæ, inquam, tacitæ quodammodo sunt preces, veniam non postulant, & merentur, causam non dicunt & misericordiam consequuntur.* Accedunt & Canones sancti, affirmantes beneficio pœnitentiæ hominem plenè restitui ad omnia deperdita. Ecce Canon. *Ita est determinanda sententia vt necesse sit illos restaurari in locum honoris, qui per pœnitentiam, reconciliationem recepisse merentur diuina pietatis. Hi enim non immeritò consequuntur adempta dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur remedium vitæ.* Fauet etiam Ius Ciuile, quo Iustinianus Imperator cauet restitui bona omnia his qui à fide exciderant, si redierint ad sanam mentem. Sic ille: *Nec tamen pœnitentiæ locum in causa exclusis auferimus, & ex hoc. Nam si voluerint & postea ad rectam fidem Christianorum reuerti, qui per hoc hæreditate exclusi sunt, suas recipient portiones, ita vocandi ad hæreditatem, tanquam si rectè huius religionis extitissent, solis fraudati medij temporis fructibus.* Tempus quod egêre reprobi in crimine, non censebitur ad præmium; si tamen redierint ad meliorem frugem, fient compotes æternæ hæreditatis, à qua exciderant. Imò multiplici historia compertum est, pœnitentiæ piscinam restituisse etiam corpora quæ crimina sauciarant.

Ex SS. Patribus. Bonauent. lib. diatæ salutis, 5. cap. 31.

Amb. ser. 49. Pœnitentia restituit in gradum pristinum.

Ex Ivre Canonic. Can. Domino, dist. 50.

Ex Ivre Civili. Nouell. 129. cap. 3. de Samaritis. Pœnitentiæ dignitas.

Nicephorus opportunus adest, idoneo exemplo fauens meo intento. Ait ille, pictorem eximium ausu nefario pinxisse Christum Iouis habitu, sic immiscens sacra profanis. Noluit Deus esse impunè facinus iniurium Christo; nam illico exaruit manus operata nefas; ideo hoc suo discrimine edoctus homo ille reus, pœnitentia ductus conuenit Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum, cui gemebundus aperuit reatum suum. Eamobrem Deus miseratur iniquum hominis statum, beneficio piscinæ pœnitentium, curauit manum aridam, sanando simul animam. Egregius hìc se offert locus probandi peccata, perimendo animas, malè etiam afficere corpora. Sed de hoc fusè ago alibi. Vide igitur, ô Christiane, quàm pia & alma parens sit Ecclesia, filios suos saucios inducens ad piscinam pœnitentiæ, cùm sic animæ & corpori consulat.

Ex Historia. Niceph. Cal. list. lib. 15. hist. c. 23.

Non est incongrua Ptolemei obseruatio, notans eo articulo, quo Sol subest signo Libræ, spirare austros, & nubes in pluuiam colliquari, quasi pluuiæ lacrymarum essent comites indiuiduæ iustitiæ, cuius typus est Libra. Et hoc equidem verum est coïre lacrymas & iustitiam, vtpote concordes, nec aliam esse viam ad agrum fullonis: nemo namque sibi malè conscius vnquam dealbatus est, nisi suffragio lacrymarum, quibus si asperseris hominem pœnitentem, poteris ei affingere symbolum Sancti Caroli Borromæi, qui pingebat ceruum anhelum traijcientem aquas, hoc lemmate adiecto. Vna salvs. Sibi aquis consulit ceruus, quem pernix venator insequitur. Homini meditati fugam mundi Ecclesia hoc clamans ingeminat vsurpatum ex Canticis: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum.* Hi aquarum ope liberantur. Ita tu si sanctioris vitæ ritum meditaris, allue te aquis lacrymarum, quia illic tantùm Vna salvs.

Lacrymarum & gratiæ societas.

Ex Mathematica. Ptolem. lib. de signif. siderum inerrantium.

Ex Symbolis. Ægid. Sabel. lib. iconum symbolic. Cant. 8. Lacrymarum virtus egregio symbolo declarata.

DOMINICA



DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. SVFFRAGIO rerum sensibilium anima assurgit ad res sensibus inuias, vt sunt dotes beatarum mentium. Ideò Christus quàm maximè conscius indolis hominum, volens præbere Apostolis aliquam ideam gloriæ æternæ, tres præcipuos Apostolos assumpsit in montem Thabor, vbi transfiguratus ille Rex gloriæ, dedit Apostolis quædam specimina beatitudinis, vt dicam priori parte Homiliæ, vbi dicam Transfigurationem esse symbolum gloriæ, quæ aliquando excipiet agones nostros.

II. Secundò dicam comparari hanc gloriam tribus modis, quos designant tres illi Apostoli à Christo assumpti ad contemplandum illud insigne mysterium. Ioannes significat gratiam, quæ prærequiritur ad opera meritoria. Iacobus, qui nomine suo luctam clamat, agones insinuat, ad quos anima Deo grata se debet accingere, ne excidat gratia. Petrus nomine suo, quod indicat saxeam firmitatem, denotat constantiam, citra quam cætera pessum-eunt; ad quid enim gratia animam exornat, cui bono strenuis agonibus exercetur homo, si perseuerantia desit, cui duntaxat diadema decernitur.

PRÆFATIO.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum. Matth. 17.

RERVM *omnium vbertate & gloria insignis Salomon, specimen edidit singulare suæ maiestatis in eo throno, quem sic Scriptura sacra delineat.* Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duas manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas, Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde; non est factum tale opus in vniuersis regnis. *Hæc equidem pompam sapiunt; sed sunt vmbra tantum gloriæ illius, qua perfusus vertex montis Thabor insueto lumine coruscus hodie rutilauit. Nempe illic Christus facie in modum Solis lucidi composita præfulgidus illuxit, veste præ ebore nitido candida amictus. Adfuêre illi mysterio præcipua capita legis antiquatæ, Moyses & Elias, duo vtique leones, qui Pharaoni & Achab Regibus impiis fortiter obstiterunt. E duodecim leunculis, id est, Apostolis, tres Principes assumpti sunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes, vt in crepidine throni adstarent. Deo sic erudiente nos, non patere aditum ad gloriam, nisi leonibus id est strenuis, quorum Regina Maria Virgo est mira virago. Hanc veneremur.* Aue Maria.

3. Reg. 10.

SPeciali sanctione cautum fuit, vt Pontifex Hebræorum in limbo sacerdotalis suæ vestis aureas campanulas affingeret, Deo sic insinuante, vocalem debere esse incessum Pontificis, ipsius etiam habitus fimbriâ tinniente. Quippe quò quis eminet, eò etiam magis assurgere debet actibus egregiis, omnesque suas actiones ita componere, vt loquaces sint, & erudire queant spectatores suos ad virtutum praxim. Vnus fuit Christus verè Pontifex, qui eò collimauit, vt actione magis quàm loquelâ suos sectatores ad virtutum omnium seriem informaret. Hinc emanat celebre hoc effatum: *Omnis Christi actio, nostra instructio est.* Ipso suo gressu loquebatur Dominus ille & Sacerdos summus: nihil namque elingue potuit prodire à Verbo Dei, cuius hodierna actio mysteriorum ferax, animum meum sollicitat ad indaginem plurium arcanorum, quæ ego vobis hodie eodem Christo propitio reserabo. Nihil intactum sinam eorum, quæ meminit Euangeliũ quod decurro. Ne autem moles indigesta capi nequeat, partiar ego in quatuor frusta totam historiam. Primò dicam, Transfigurationem in monte Thabor esse typum gloriæ nostræ, quæ sita est in re, infra quam sunt omnes creaturæ. Secundò dicam, ad hanc gloriam deueniri tribus mediis, quæ signantur nomine trium Apostolorum, quos assumpsit seorsim. Etenim hodie potissimum aliquid insigne edocuit suo hoc ascensu in montem, in quem hos tantùm euexit discipulos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, quorum vocabula significant gratiam, pugnam, & firmitatem. Igitur vbi ostendero nos editos esse ad ardua & excelsa, scilicet ad gloriam, dicam gratiam esse necessariam ad hunc ascensum. Tertiò, ostendam, gratiam illam nos prouocare ad pugnam. Demum explicatâ hâc luctâ, quæ lineatur in Iacobi nomine, concludam nihil inscio Petro fieri à contendente in montem

Pontificis Hebræorum vestis quare tintinnabulis fimbriata.

Thabor,

Thabor. Etenim frustra est gratia, & irrito conamine enititur, si non perseueret, firmitatem Petri iugiter æmulata.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Beatitudo apposité lineata in monte Thabor, & in adstantibus illi mysteriis.

Beda lib. interpret. nomi. Hebraor. Thabor vox Hebræa quid significet.

VEnerabilis Beda Hebræarum dictionum nomenclator ait vocem hanc, *Thabor*, sonare idem ac, *veniat lux*. Eius sententia præponderat, etsi alij velint vocem illam significare puritatem. Etenim vox illa componitur futuro תבוא *tabo* & אור *or*, id est, veniet lux. Vnde idoneum desumo argumentum, comparandi beatitudinem cum Monte Thabor, vbi Christo lumine circumfuso adstitère Moyses, Elias, & Principes Apostoli, quibus lineatur omne hominum genus conscium beatitudinis Christi. Moyses refert statum naturæ: nam ante editionem legis, homo solius naturæ legibus vtebatur, nondum Decalogi tabulis exaratis. Elias legalem hominum sortem notat, sicut & Apostoli signant Euangelij sectatores. Ad has tantùm classes beatitudo pertinet, benè signata his vocibus, *Veniet lux*, quæ consonæ sunt dictioni Hebrææ, quamuis Beda vertat, *Veniat lux*. Malo ego inhærere genuino sensui, qui verbum venio, בוא *bo*, clamat habere in futuro personæ tertiæ, תבוא *tabo*, veniet. Veniet equidem illa lux, Deo dante, sed non venit; nec irradiare potest in hoc imo rerum inferiorum statu. Beatitudo namque eminet omnibus quæ appetitum alliciunt in hoc sæculo prurientem, ideoque congruè editi montis symbolo designatur. Quippe beatitudo hominis est penes id, vnde homo specificè distinguitur ab aliis. At ratione formæ suæ dispescitur ab aliis rebus: ergo ab illa forma, quæ est anima, debet peti illa beatitudo; si quæ enim est hîc voluptas suis illecebris carni illudens, non est beatitudo nuncupanda. Etenim beatitudo est bonum perfectum, cuius fruitione non est appetitus inquies: Sed nihil est in rerum hoc vniuerso infra Deum, quod appetitus anheli æstus sedare queat. Ergo dum errabundus appetitus gyrabit in creatis, longè erit à felicitate, quam alternantibus votis iugiter aucupatur. Siquidem creaturæ omnes nihil omnino dare queunt homini, quod non sit minus homine, atque ita rei illius possessio hominem beare nequit; non fiet enim homo perfectior accessione rei, quæ est inferioris ordinis. Ergo ille adeundus est mons Thabor lucidus, vtpote superno lumine rutilus, quia inferiora hæc omnia plena deliquiis hominem cute tantùm tenus beant.

EX THEOLOGIA. *Thom. 1.2.q. 2. art. 8.* Beatitudo hominis vnde petenda sit.

Beatitudo sita in perfectione intellectus.

EX PHILOSOPHIA. *Arist lib. 10. Ethic. c. 7.*

Rursus ipso etiam Aristotele conscio, beatitudo hominis sita est in perfectione hominis vt homo est, id est in perfectione intellectus, quo homo rationalis appellatur: frustra enim corpus integrum est, si cæcutiat intellectus. Sed perfectio potentiarum petitur ab earum actibus, ideoque colligimus eminere intellectum vnius hominis præ altero, quia perfectiùs intelligit. Quale autem est obiectum intelligibile, talis est intellectio. Ergo vt omni & debita sibi perfectione polleat intellectus, debet occupari circa supremum intelligibile: vnde Aristoteles ait hominis beatitudinem esse contemplari Deum; benè, si & amorem adiecisset. Sola namque contemplatio non sedat appetitum, qui suo tantùm obiecto adæquato satiari potest. Hoc autem obiectum est bonum infinitum, concludens omnia bona, vt videre est in Salomone, qui omnia bona adeptus, quæ quis in hoc æuo suâ industriâ comparare potest, damnat tamen vt hiulca, & mutila, nuncupans omnia vanitatem. Alia appetit adhuc Rex ille indigus boni alterius. Ergo cùm Deus tantùm præstare queat homini bonum quod concludit bonorum omnium summam, illi duntaxat bono est homini iugiter insistendum. Deus etenim totum hominem cingit & circumdat, ita vt eum beatitudine dignetur adinstar coronæ. Inde iubilandi thema accepit Psaltes, ita fatus: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius, &c. Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum.* Compendiosè Augustinus hanc veritatem astruit, hoc contextu: *Vt vita carnis, anima est; ita beata vita hominis Deus est, de quo dicitur in Psalmo: Beatus populus, cuius Dominus Deus eius est.*

Beatitudo hominis est Deus.

Psal. 102.

EX SS PATRIBVS. *August. lib. 19. de ciuit. Dei.* *Psal. 143.*

Itaque, ô homo incaute, caue ne rutila huius mundi ludibria oculis tuis imponant, quasi essent obiecta idonea ad beandum. Vera lux veniet tandem aliquando, sed non venit, nec venire potest aliunde, quàm vnde effulsit illa, quæ hodie illuxit in monte Thabor cælitus illustrata. Sed nota, luminis huius abyssum non esse sine crepusculo: quemadmodum enim Soli præit tenue quoddam lumen, dealbans cælos & aërem purgans, antequam lux rutila irradiet, & illuminet orbem totum; ita priusquam gloria animam plenè illustret, Deus præmittit gratiam, cui assuescit anima, antequam hoc corusco lumine gloriæ perfundatur. Nam gratia est gloria inchoata; & gloria gratia consummata. Ideo fortè Dominus hodie Ioannem assumpsit, ascensurus in montem Thabor: Ioannes namque gratiam significat, qua comite tantùm scanditur ad gloriam, ad quam dicitur homo ascendere, vt sciat, progressum ad gloriam non esse humani conaminis, sed supernæ virtutis, quæ hominem eleuat & accingit ad illam gloriam, egregio & condigno facinore comparandam. Hominem autem eleuari, & Deo largiente fieri idoneum ad opera quæ gloriam mereantur, hoc totum est gratiæ negotium, cuius necessitas sic adstrui potest.

EX THEOLOGIA. *Tom. 1.2. q. 111. a. 3. ad 2.*

Beatitudo quomodo concilietur.

Quidquid sub cælo viget, illud vnum est; nam res & vnum & aliquid conuertuntur. Ipsum autem hoc vnum, est pars totius vniuersi, atque ita non est nobilius ipso vniuerso, quantauis dignatione naturali præstet hæc pars, sicuti caput nobilius non est ipso homine. Ergo cùm hoc rerum omnium vniuersum sit ordinis naturalis, & homo sit pars vniuersi, homo etiam erit ordinis vniuersi, scilicet naturalis, qui est determinatus ad vnum agendi modum congruum essentiæ, quam vt nemo transilire potest, ita & nequit exercere actiones, quæ superent suam formam, sicuti aqua naturaliter nequit calefacere, neque terra sursum vehi. Ergo cùm gloria æterna sit superioris ordinis homini naturaliter incogniti, operæ-pretium fuit affingere homini aliquid reale, quo homo eleuatus supra vernaculum rerum ordinem, inferiora hæc omnia transcenderet, vt ad regna cælestia totis nisibus anhelaret. Itaque Deo miserante, gratia homini accessit, quæ

Thom. quodlibet. 9. ad q. de gratia 1.

EX PHILOSOPHIA. *Albert. Mag. lib. de prædicamentis.*

EX THEOLOGIA. *Thom. vbi suprà.*

quæ est donum Dei animæ inhærens, vnde homo Deo gratus efficitur dignus vitâ æternâ, iuxta illud Pauli: *Gratia Dei vita æterna*, id est, inchoatiuè; siquidem gratiâ affulgente alicui, statim gloriæ & lucis æternæ eidem radius incipit illucere. Inde Apostolus gestiendi argumentum cepit, ita fideles enascentis Ecclesiæ surculos affatus: *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.*

Rom. 6.

Coloss. 1.

Quidam hallucinantes arbitrati sunt, gratiam nihil aliud auribus insonare præter acceptationem Diuinam, sine vllo rei singularis influxu. Sed hoc erroneum est: quippe Deum acceptare aliquem, vel diligere (quod perinde est) est velle ei aliquod bonum. At Deus non vult alicui bonum supernaturale, quale est gloria æterna, quin sit dignus illo bono. Sed proprio conamine nequit homo esse dignus illo bono. Ergo eo ipso quòd Deus aliquem voluntate sua ordinat ad vitam æternam, influit in animam eius, & aliquid ei præstat, vnde fiat dignus vita æterna, cuius impos est homo, nisi iustus sit, id est, nisi gratiâ Dei conspicuus eniteat, quæ est meta Dei dignatio, vt benè Augustinus astruit, hoc discursu. *Iustus homo, magnum aliquid est. Sed tamen iustus homo, gratia Dei est iustus homo. Nam quid est homo, nisi quod memor es eius? Vis videre quid est homo? Omnis homo mendax. Cantauimus: Exurge, Domine, non præualeat homo. Quid est non præualeat homo? Nonne Apostoli erant homines? Nonne Martyres homines erant? Quid est ergo: Exurge, Domine, non præualeat homo? Si omnis homo mendax; exurge veritas, non præualeat falsitas. Homo ergo, si vult esse aliquid boni, non sit de suo proprio. Si enim de suo esse voluerit, mendax erit. Si verax esse voluerit, de Dei, non de suo erit.* Hactenus ille, eruditè probans, hominem proprio Marte non posse assurgere ad opera digna cedro. Sic liquet, Ioanne inconsulto, id est absque gratia, non posse hominem peruium habere montem Thabor, & citra gratiam esse imbelles omnium hominum ausus, ad gloriam enitentes.

A

Ex SS. Patribus. *Aug. ser. 31. Domini in Euang. Luc.*

Iustus homo quid sit.

Gratiâ Dei est iustus homo.

Hominis infirmitas ad bonum quanta sit.

Ne autem gratiæ ementitæ species aliqua fucata nobis imponeret, Ioannes fratre suo Iacobo comite ascendit montem. Iacobi nomen Hebræum est, sonans luctam seu certamen. Et hoc quam maximè quadrat indoli gratiæ, quæ vegeta est, & assueta laboribus; gratia namque odit inertes. Ratio hæc est. De natura gratiæ est vt faciat nos Diuinæ naturæ consortes, excitans affectum ad diuina, media charitate, & acuens intellectum lumine fidei. Ergo animæ affectus inardescens ad consequendum bonum summum, erit moratum impatiens. Vt autem amor omnes remoras ad gloriam pellat, pleraque debet subire discrimina, quibus tantùm exantlatis ad æterna præmia deuenitur. Tot autem sunt obices remorantes gressus animæ properantis ad gloriam, quot sunt noxij corporis appetitus. In hos gratia validè insurgit, vt in hostes suos, iuxta illud: *Inimici hominis domestici eius.*

Ex Theologia. *Thom. 3 p. q. 2. a. 10. ad 1.*

Matth. 10.

Tota etiam hæc lucta philosophicè potest adstrui hoc discursu. Ex Aristotele: *Bonum apprehensum mouet affectum*, qui si in aliam rem fertur amoris consciam, à qua etiam ametur homo, ille affectus dicitur amicitia, quæ ex eodem Philosopho redamationem dicit. Ergo Deus qui animæ illucet irradiante gratia, ab anima apprehensus, illico diligetur. Sed amare est idem velle & idem nolle. Igitur cùm Deus velit nos fortiter obstare & resistere malo; quisquis erit in gratia, ille eam faciet egregio opere manifestam. Nempe vnumquodque est propter suam operationem. Itaque hæc esto tessera indubia gratiæ Dei. Si quempiam videris castigare corpus suum inedia, vt Deo iniurium quando epulis indulget, & abdomini seruit; hunc audacter affirma esse Deo gratum. At secus homine sese ingurgitante indicto ieiunio, fas est asserere, vile hoc adipis & saginæ mancipium esse à gratia Dei penitus alienum; atque adeò longè à monte Thabor, id est, à gloria, quæ non rutilat ignauis hominibus, sed masculis & strenuis, qui corpore suo macerato, comparant sibi gloriam, cuius obsequio idem corpus particeps erit gloriæ, quæ hodie enituit in corpore Christi, insueto lumine rutilanti.

Amicitia quid sit.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 3. de anima text. com. 49. & 54.*

Gratia Dei suggerit corporis mortificationem.

Iustorum & impiorum dispares hominum classes Paulus sic distinguit, vt & ego dispescui, scilicet actibus congruis, & dissonis. Sic ille ingemuit querulus Apostolus: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus; quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Ecce iniquam eorum sortem, quos ignauia fregit, & damnauit ad otium, vitiorum omnium germen. Quàm autem sit discolor habitus eorum, quos gratia erexit in spem gloriæ, quam Transfiguratio commemorat, audi eumdem Paulum, qui sic pergit: *Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia.* Nota has voces, *secundum operationem.* Corpori namque nostro claritas non accedet, nisi præuia operatione, iuxta illud Ioannis. *Beati qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream.* Nota, Ioannem, vbi audiuit vocem recensentem bona opera, vidisse nubem candidam, veluti thronum, cui Christus Dominus insederat. Eò etiam spectant Christi cum Moyse & Elia colloquia de instanti agone Passionis. *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Vt autem insinuaret Deus, ærumnas, agones, & ardua facinora esse semina gloriæ æternæ, nube lucida inuoluit adstantes illi colloquio de pressuris, quas sciebat sibi Dominus imminere. Suumque Deus calculum adiecit, præcipiens vt quisque iniret calles, qui Christi filij sui sanguine desudabant. Accipe à Matthæo præcone hodierno synopsim historiæ. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.* Id est, ipsum acerba subeuntem discrimina non pigeat imitari.

Philip. 3.

Ibidem.

Apoc. 14.

Opera bona maximè conducunt ad beatitudinē.

Luc. 9.

Matth. 17.

Christo recensente iniurias atque molestias sibi instantes, & obeundas in argumentum amoris sui, Deus hunc proclamat esse filium suum vtique prædilectum; quia amoris indubij sunt indices, operosa certamina in gratiam amati fortiter exantlata. Nescio an eò spectarint veteres hi Germani, quos meminit Tacitus. Hi depereuntes aliquam virginem, pridie nuptiarum mittebant amasiæ

Ex Historia. *Cornel. Tacit. lib. de morib. Germanorũ.*

amasiæ suæ gladium, scutum; aliámque armorum supellectilem in pignus amoris: fortè vt indicarent se in gratiam puellæ nulla pericula detrectare. Eodem argumento probauit amorem suum in insulam Melitam Eques insignis nomine Degaras. Ille grauis annis, vtpote veneranda canitie conspicuus, videns vrbem insulæ caput cingi obsidione à Turcis nomine Solymanni, qui Rhodum anteà fortiter oppugnarat. Ille, inquam, imiles impauidus arcem, quæ imminebat vrbi, propugnandam accepit contra omnes impetus hostium acerborum. Sed cum iugi explosione tormentorum mœnia fatiscerent, & assiduo belli pondere fessus miles animo iam caderet, cogitans deditionem arcis, voluit Generalis Magister Equitum educere sospitem hunc strenuum præfectum arcis, ideoque epistolà industriè missà mandauit, vt arce derelictà sibi consuleret. At ille: Nequeo, inquit explicare nobilius specimen amoris mei in meam professionem, quàm pro ea fortiter occumbendo. Dixit, iuit obuiam hosti irruenti, multos sua etsi senio nutante manu confodit, non tam victus, quàm agmine insiliente oppressus, & suo sanguine laureatus.

Gladius missus sponsæ in pignus amoris.
Ioan. Baudin. lib. 16. cap. 10. histor. Melitæ.
Mors generosa equitis Degaræ.

Vtinam Christianos eadem cupido gloriæ cælestis teneret, quæ perculit præfatum Equitem, non incurium gloriæ, quæ hoc etiam æuo consequitur arduas actiones. Crebrior esset virtutum praxis, & sese liquidius gratia hominum oculis explicaret. Nam vt Ioannes & Iacobus eodem parente sati fuère fratres; ita semper Dei gratia, & opera fraternisant. Non enim gratia influit tantùm ad remissionem peccatorum, sed etiam ad hoc vt vegetior anima fiat ad agendum. Qui secus dixerit, audiat qua censura feriatur à Concilio Mileuitano, cui interfuère SS. Augustinus & Anselmus, nobilia Ecclesiæ columina. Ecce Canon. *Quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus atque valeamus; anathema sit.*

Gratia Dei adiuuat ad mandatorum obseruationem.
EX IVRE CANONICO.
Can. Quisquis. De Consecrat. dist. 4.

An non ideò etiam Moyses adfuit illi mysterio, vt notaret gratiam non stare citra auctoritatem legum. Obseruare autem leges, hoc est strenuè se gerere. Viget enim lex in membris legi Dei sæpius importuna. Hoc pretio, scilicet legibus obseruatis, aiebat Imperator Iustinianus prostare gloriam, atque præfecturas. Hoc eius est effatum cùm legem tulit de Prætoribus. *Oportet eos manifestè scire, quòd si mundos semetipsos constituerint, & Dei auxilium habebunt, & nostra placatione non frandabuntur, & longior eis dignitas erit. Quis enim benè & rectè agentem amouere velit?* Et secus, quis rectitudinis omnino nescium & impiè agentem promouere velit in montem Thabor. Nefarius homo derelictis Ioanne & Iacobo sistet in radice montis, vbi dehiscente terra agetur in præceps, puniendus eà mulctà, qua animaduertit Dominus ille, quem meminit ipse Christus, reprobum hominem commemorans, hoc contextu: *Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis.* Hypocritis hæc noxia est, simulare gratiam nullo genuino opere confirmatam.

EX IVRE CIVILI.
Nouell. 13. c. 5. De Prætoribus populi.
Operum bonorum merces.
Matth. 24.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Frustra quis se accingit ad gloriam, nisi in hoc proposito perseueret.

SEd nota, parum esse subeuntì cliuum montis Thabor stipari comitatu Ioannis & Iacobi, nisi & Petrum studeat aduocare. Petrus suo nomine firmitatem sonat, quam nisi quis adiecerit gratiæ efficaci, ille non pertinget ad cacumen montis, vbi arcana Dei abdita reserantur. Tres illi Apostoli, Petrus, Iacobus, & Ioannes tria designant quibus homo constat, scilicet animam, potentias eius, & corpus: Ioannes animam sonat, quia gratia ex Sancto Thoma non insidet animæ potentiis, vt virtutes, sed in ipsa essentià animæ radicatur. Iacobus qui luctam significat, corpus notat, in quo præcipuè viget appetitus sensitiuus, facessens homini negotium. Demum Petrus, qui firmitatis seu perseuerantiæ est index, rationem indicat, etenim perseuerantia est perfectio rationis inducentis firmitatem contra nauseam, quæ plerumque remoratur virtutum praxim. Hæc tria Deus petit. Et ratio hæc est. Gloria datur adultis, ratione meritorum. Ergo debet esse quædam proportio meriti ad gloriam; quæ cùm hominem totum beet, exigit ad meritum omnem quoque hominem, qui gratià, pugnà & perseuerantià concluditur. Rursus inanis est & imbellis ille motus, qui non terminum assequitur præstitutum à motore. Sed terminus gratiæ est accessus ad gloriam, cuius impotes sunt, qui etsi aliàs Deo grati; tamen à gratia turpiter exciderunt.

EX THEOLOGIA.
Thom. 1. 2. q. 58. art. 3.
Perseuerantia quare sit necessaria.

Huic discrimini occurrit Paulus ita fatus: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Vacua est gratia, quæ defecit deuians à termino. Aberrauit autem gratia à congruo suo scopo, quando non perseuerauerit vsque in finem. Eamobrem perseuerantiæ suæ conscius Apostolus idem ait: *Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vanum laboraui.* Gratiam, opera egregia, & perseuerantiam, liquet esse annulos, qui alternis nexibus implexi catenam texunt similem illi, quam delirio poëtico Homerus commemorat, dicens Iouem homines in cælos attrahere catenà aureà. Esto series virtutum omnium sit catena rutilans auro & diues gemmis; si tamen ille annulus absit, qui vt fibula affingit cælo alias omnes virtutes, inutilis est catena vtpote decurtata. Ille annulus est perseuerantia, penes quam Christus salutem hominum reposuit. Nam recensens ipsos etiam Martyrum agones; vni tantùm perseuerantiæ addicit diadema decoris & gloriæ, sic suos erudiens Apostolos: *Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient; & eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finē hic saluus erit.* Vides non Martyrio laurū decerni citra perseuerantiam.

2. Cor. 6.
Perseuerantia carens gratia est vacua.
Philip. 2.
Matth. 10.
Perseuerantiâ carens Martyrium coronâ cadit.

In alio etiam contextu rerum quibus amor Dei perficitur, reponitur illa virtus extrema, vt qua duntaxat virtutum omnium tenor tirè consummatur. Sic Legisperitus ait, applaudens Christo: *benè Magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex*

Marc. 12.

totâ animatua, & ex tota fortitudine. Nomine fortitudinis, intellige perseuerantiam: fortitudinis enim duo sunt actus, scilicet aggredi & sustinere. Aggredi est audaciæ, vbi non est tanta ratio fortitudinis, quanta est in sustinendo, quia quisque audaciam simulare potest, aut etiam explicare aggrediendo aliquem virtutis imparis, & infirmæ, aut æqualis. Et hoc non est facinus æquè arduum ac sustinere, quia ex Aristotele: *Fortitudo est magis circa timores reprimendos, quam circa audacias.* Ergo cùm sustinere, quod est perseuerantiæ, sit opus fortius quàm aggredi, quod est audaciæ; ille non fortiter agit, qui non perseuerat, atque ita Deum non amat ex tota fortitudine sua, quam potissimum sustinendo probat magis quàm aggrediendo, triplici ratione. Primò quidem, quia sustinere videtur aliquis à fortiore inuadente. Qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris. Difficilius autem est contendere cum fortiori, quàm cum imbelli. Secundò ille qui sustinet patitur instantia pericula: ille verò qui aggreditur, ea præuidet vt futura. At præstat non moueri à præsentibus, quàm à futuris. Tertiò sustinere importat diuturnum aliquod tempus, sed quisque aggredi potest ex subito motu. Maioris autem est momenti, diu manere immobilem repugnando, & obsistendo fortiter, quàm subitò moueri ad quidpiam arduum. Aristoteles annuit ita fatus: *Quidam sunt prauolantes ante pericula; in ipsis autem discedunt. Fortes autem e contrario se habent.*

Ex Philosophia. *Aristot. lib. 3 Ethic. cap. 9.*

Fortitudo penes quid attendatur. Perseuerantia est actus fortitudinis.

Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 8.

Quòd autem Ioannes & Iacobus debeant & Petrum adsciscere, id est, quòd gratia, & opera quæque præclara debeant habere comitem firmitatem seu perseuerantiam, disce hoc discursu. Ex Philosopho, virtus est perfectio quædam potentiæ, ad cuius vltimum pertinet. Vltimum potentiæ est nobilissimus actus eius, atque ita virtus respicit nobilissimũ actum. Non est autem actus ille potior, quem exerit potentia citra difficultatem; sed ille potissimum est insignis, & præstans, qui in editione sua facessit negotium; ideò Aristoteles ait ad rationem virtutis pertinere, vt sit circa difficile & magnum bonum. Igitur quia multi occurrunt obices & insultus, quorum conamine virtus plerumque labat; ipsa indiget firmitate vtique singulari. Sileo illud tritum axioma: *Bonum ex integra causa.* At de ratione virtutis est, vt sit diuturna: perseuerantia namque est pars velut integralis omnigenæ virtutis; quippe eius inopiâ, virtus omnimoda deliquium patitur, vt cautè monet Bernardus hoc effato: *Prorsus absque perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saul cùm esset paruulus in oculis suis, Rex est super Israël constitutus; non perseuerans in humilitate, & regnum amisit & vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis deuotio perseuerantiam retinuissent, nec is profectò priuaretur sapientia, nec ille viribus.* Etsi ad Deum virtutibus accedatur; tamen ad Deum rerum omnium centrum pertingit vna duntaxat perseuerantia.

Lib. 7. Phys. text. 18.

Lib. 2. Eth. cap. 3.

Ex SS. Patribus. *Bernard. ep. 129. ad Ianuenses.* Perseuerantiæ laudes.

Fauet huic thesi Mathematica Euclidis, cuius est hæc veridica propositio. *Si intra circulum plurimæ rectæ lineæ ceciderint, diametram eius lineam omnium longissimam, eique propinquiores remotioribus longiores esse necesse est.* Id est si in circulo multæ transuersæ lineæ fiant, illa erit longissima, quæ pertranseundo centrum, circulum in duo segmenta diuidet. Ita in virtutibus, quæ sunt veluti lineæ quæ decurrunt circulum vitæ, illa virtus propiùs accedit ad gloriam Dei, quæ longitudinis plurimum habet, & hæc est perseuerantia, quæ in diuisione corporis & animæ peruenit ad Deum omnium rerum centrum.

Ex Mathematica. *Euclid. lib. 3. elem. geomet. prop. 14.*

Præcipuam longitudinis rationem, perseuerantiam vendicare sibi ait Bernardus ita fatus: *Longitudo trunci in lilio, quæ in altum erecta est, virtutem longanimitatis insinuat, quæ perseuerare volentibus summè necessaria est.* Subscribit & Bonauentura, hoc breuiloquio: *Perseuerantia est permanentia in bono, diuturna, sine finalis.* Quid autem est permanere in bono, fine tenus; nisi lineam quam fieri potest maximam extendere, atque adeò ad centrum congruè peruenire?

Ex SS. Patribus. *Bernard. lib. de Passione Dom. cap. 24.* Perseuerantia quid sit. *Bonau. 3 p. Centiloq. sect. 43.*

Opportuna est & in eo argumento res Medica, quæ ad sanitatem reducem ait non qualemcumque crisim sufficere, sed eam quæ contra humores pugnat quantùm necesse est. Hinc ortum hoc Medicorum dogma: *Nullum paucum criticum.* Namque natura debet in expulsione noxij humoris, constare sibi & non satiscere, ne si ferietur, subsidens humor prauus, factus illa morâ deterior, inualescat. Ideo Hippocrates ait, eam esse bonam crisim, quando excernuntur, *Qualia oportet, quando, qua parte, & quantùm opus est.* Alioquin Medici ἄπιστον infidelem vocant illam crisim, quæ etsi laudabiliter incepta, desiit imperfecta. Ita & in moralibus non incepisse sed perfecisse virtus est. Exordia quidem egregia debita laus manet; sed præmiis non dignatur homo, nisi laboribus congruè consummatis. Ideò Bernardus eruditè monet: *Inchoantibus præmium promittitur, sed perseuerantibus datur, sicut scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Idem eodem libro versans hanc adhuc materiam, ita pergit: *Non quæruntur in Christianis initia vel exordia, sed finis & perseuerantia. Paulus Apostolus malè cœpit sed benè finiuit. Laudatur initium Iudæ; sed finis vitæ illius condemnatur. Vnde beatus Gregorius: Virtus boni operis perseuerantia est; incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur.*

Ex re Medica. Crisis bonæ qualitates. *Hippocrat. lib. 1. Epid.*

Perseuerantiæ necessitas adstruitur. Ex SS. Patribus. *Bernard. lib. de modo benè viuendi ser. 6.*

Ibid. ser. 20.

Egregio symbolo rem totam definiit Cardinalis Cigala, qui pingebat manum pulsantem ad portam, hoc titulo. DONEC APERIATVR. Hoc itaque propositum nobis insideat, scilicet standi in gratia, & pugnandi validè, DONEC APERIATVR nobis cælum, quod à violentis tantùm & perseuerantibus rapitur. Vt induamus strenuos animos suadet Transfiguratio Christi, cuius conscij fuêre duntaxat viri generosi Moyses & Elias, priscæ legis proceres; Petrus, Iacobus, & Ioannes, nobilia columina enascentis Ecclesiæ. Et vtinam ad nos spectet illud Isaiæ vaticinium, equidem salutare eis, qui fient hoc eius eloquio cautiores. Sic ille: *Ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius.* Tota illa familia recensita in monte Thabor, est domus Dei

Perseuerantiæ symbolum. Ex Symbolis. *Ægid. Sadeler. lib. iconum symbol.*

Isaiæ 2.

Dei Iacob, scilicet Dei pugnantium, qui & Deus exercituum alibi nuncupatur. Non fert ignauos Deus ille viuax; docuit nos hodie vias suas, gratiam, certamina, atque firmitatem: faxit idem Dominus vt in his semitis ambulemus. AMEN.



FERIA SECVNDA DOMINICÆ SECVNDÆ QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. TExtus hodiernus plerosque sciolos induxit in salebras, & difficiles angustias, dum præscientiæ Dei abyssum permeare voluerunt. Quippe in duas abiere classes illi, quos hæc abyssus absorbuit. Nimirum alij credidere, notitiam rerum exilium esse Deo iniuriam; atque ita dixere, Deum non attendere actiones hominum. Contra istud delirium disputabo priori parte Homiliæ, probando Dei notitiam pertingere omnia, ad quæ ipsa Dei virtus effectiua porrigitur.

II. Secundò aggrediar alios disparis omnino ingenij, eos scilicet qui affirmant, præscientiam Dei tollere libertatem; ita vt hodie Christo dicente Iudæos morituros in peccato suo, Iudæi illi eâ libertate exciderint, qua dicitur homo esse accinctus, vt gloriæ æternæ stipendia mereatur: conciliabo igitur præscientiam Dei, & liberum hominis arbitrium. Deinde notas aliquas subtexam, quibus inferri poterit damnatio aut salus animarum; non quidem affirmatiuè & indubitanter, sed moralibus coniecturis: nullius namque est deplorata salus, quamdiu degit in sæculo, viatoris habitu.

PRÆFATIO.

In peccato vestro moriemini. Ioan. 8.

IN celebri illo delubro Apollinis erat antrum, quod quicunque subibat, fatidicus credebatur à Gente illa plus æquo credula. Inde emergentes oracula dicti sunt hominibus passim obnixis eructare. Habet quid præstantius abyssus illa inscrutabilis præscientia Dei, hominum omnium fata singula discernentis. Eam abyssum hac concione tentare aggredior, futurus equidem veridicus, etsi discussurus hominum sortem, saltem illam quæ imminet impiis, de sua salute prorsus incuriis. Res est plena discrimine, conciliare arbitrium hominis & præscientiam Dei, ita vt hæc alteri vim non faciat. Mearum erit hodie partium ostendere, stare libertatem arbitrij, nihil eam remorante præscientiâ Dei, ita vt Iudæorum ruina tota fuerit Deo eam minimè procurante, etsi fuerit præscius eorum excidij. Hic sanè labyrinthus tot gyros & anfractus habet vt ægrè quis inde se expedire queat nisi consulta virgine Maria, quæ non filum sed filium suum accommodans, id est Dei sapientiam, deducet ex his salebris. Eam consulamus. Aue Maria.

QVamuis Euangelij verba pacifica sint, vtpote prænuntia pacis; hodie tamen nihil nisi lethale sapit Euangelij textus, neque aliquid iniquius homini portendere potest quàm quod prælibata verba sonant: *In peccato vestro moriemini.* Indubiè sortita est effectum suum veridica illa sententia, quæ etiam incautis errandi ansam dedit, dum credidere scientiam illam Dei imposuisse nefariis illis hominibus necessitatem peccandi, & præclusisse modos resiliendi ab illo iniquo statu quem carpebat Christus. In his sunt Caluini sycophantæ nebulonis asseclæ, affirmantes liberum arbitrium & præscientiam Dei non coire; atque adeò hominem non esse sui iuris, vt non peccet si Deus præsciit eum esse peccaturum. Alij vt prisci Philosophi, credidere quidem hominem liberum, sed negauere Dei scientiam porrigi ad actiones hominum, vtpote minutiora hæc præscientiâ Dei noscere dedignante. Eorum dogma ebiberat Virgilius ita fatus. Prouidentia Dei à quibus negata.

Scilicet is superis labor est, eà cura quietos
Sollicitat. *Lib. 4. Æneid.*

Eiusdem farinæ fuit Cicero, arbitratus Deum inscium eorum quæ homines acturi sunt; quia alioquin homines non essent sui iuris; atque ita vt homines efficiat liberos facit eos sacrilegos, vt ait Augustinus. Itaque oppugnandi sunt Philosophi, & contra eos adstruenda est scientia Dei pertingens etiam exiles quasque res, imò & peccata. Secundò agam in nostrates hæreticos, stabiliendo liberum arbitrium, cui ostendam Deum non esse iniurium, etsi præscius sit eorum facinorum, quæ sibi constans atque sui compos homo liberè perpetrabit. Demum aliquas subiiciam notas, quibus vt scintillis emicat ignis inferni, quo debent aliquando reprobi conflagrare. Dei igitur partes ago contra Philosophos. Deus est ens intellectuale perfectissimū. Ergo & ei perfectissima scientia quadrat; perfectio namque intellectus Præscientia Dei adstruitur. Ex PHILOSOPHIA. *Arist. lib. Phys. text 2. comment. Auerroes ibidem.*

in actione consistit, id est, in cognoscendo; at perfecta rerum cognitio concludit causas omnes, vsque ad prima principia: & hoc Aristoteles probat. Quippe vt res plenè innotescat, debet cognosci in tota latitudine entis; at de ratione entis sunt actiones singulares, quas exerit homo. Ergo Deus hominem cognoscendo ab æterno, etiam præscius est rerum quæ faciet, alioquin notitia Dei minor esset ea, qua homines pollent, atque adeò Deus non esset vsquequaque beatus, quia in aliquo deficeret, sicut Empedocli Aristoteles obiicit. Quod autem cognoscat etiam mala, liquet, quia qui aliquid nouit, ille scit distinctionem eius ab alio; at prima distinctionis ratio est in affirmatione, & negatione, ideoque necesse est, vt qui affirmationem scit, sciat & negationem; & quia priuatio nihil aliud est quàm negatio subiectum habens, vt ait Philosophus, & alterum contrariorum semper est priuatio ex Aristotele in Physicis: eo ipso quòd cognoscitur aliquid, statim cognoscitur eius priuatio, & eius contrarium; vnde cùm Deus liquidò noscat omnes affectus suos, prout ab inuicem dissiti sunt, nouit etiam negationes, & omnes contrarietates in eis repertas. Eamobrem cùm malum sit priuatio boni, & omne bonum à Deo sit, Deum non latet cognitio eorum quæ rebus à seipso editis aduersantur. Ipsa etiam vox, θεὸς Deus, reducta creditur ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι à considerando, & prisci Ægyptij Deum linearunt sceptro erecto, cui oculus imminebat. Insinuantes esse de regia maiestate Dei, vt omnia perlustraret.

Arist. lib. 1. de anim. tex. 8. & 3. Metaph. tex. 15. Commen. 4. Meta. tex. 4. lib. 1 Physic. tex. Commentat. 63.

Pierius lib. 33 Hierogly. c. 5.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Præscientiam Dei non inferre vim libertati arbitrij humani.

QVia nemo hæreticorum dubiam fecit scientiam Dei, prætereo textus Scripturæ sacræ, & versus explicitos, huius scientiæ Dei liquidos assertores. Paulus in stuporem affunditur commemorans illam Dei notitiam. *O altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei!* Scientia autem illa concludens omnia, & libertas arbitrij non discordant. Et hoc mihi probare incumbit contra hæreticos huius æui, qui dyscolis hominibus, vt à fide deficerent, fecere copiam impunè peccandi, affirmantes præscita à Deo præpedire libertatem agentium, nec posse hominem eo aduerso flumine niti, id est, non esse penes liberum arbitrium, vt non peccet homo, quem Deus præsciit esse peccaturum. Vnde inferunt, in homine libertatem esse magni nominis vmbram cùm homo à præscientia Dei coarctetur. Sic ego tueor hominum iura, quæ fiunt controuersa à maledicis & transfugis hominibus. Dei innoxia est scientia, nec immutat naturam rerum, alioquin esset erronea illa scientia: nam sicut se res habet ad esse, ita ad cognosci. At homo editus est sui iuris, ex Codice sacro, cuius hic est textus. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.* Ergo quidquid videt ab homine faciendum, Deus videt illud eo modo quo fiet ab homine. Sed homo liberè faciet quidquid aget: Deus igitur videt hominem liberè facturum; alioquin non videret rem sicuti futura est, & sic illa Dei scientia non imponit necessitatem rei futuræ, vt fiat, & futura sit. Nec ideò Iudæi in peccato suo mortui sunt, quia Christus eos præmonuit de hac iniqua morte, quam sibi proprio arbitrio consciscebant. Sed idcirco eos monuit ille pius Dominus, quia ipsis non inuitis erat hoc futurum. Ita Sancti Patres, in quibus accipe summa capita, videlicet Hieronymum, & Augustinum, quorum prior ita fatur: *Non ex eo quòd Deus scit futurum aliquid, idcirco est futurum, sed quia futurum est, Deus cognouit, quia præscius futurorum est.* Concinit Augustinus. *Sicut in memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.* Vnde hoc argumentum texi potest. Vt se habet memoria nostra ad præterita, ita & Dei præscientia ad futura: vtriusque paritas in eo sita est quòd memoria obiiciat homini res præteritas vt præsentes, & præscientia Dei res futuras explicat vt adstantes. Cùm dico paritatem, non intelligo omnimodam, quæ nulla est inter Deum & hominem. Sed demonstrationis gratiâ Augustinus comparat memoriam hominis cum præscientia Dei. At homo commemorans, verbi gratiâ, mortem Absalonis, quem pendulum è quercu Ioab confodit, non est conscius huius mortis hac sua memoria reuocante rem aliàs perpetratam: nam munus memoriæ est, fideliter referre præterita, & nihil positiuum adiicere quod imponat eis necessitatẽ vt ita facta sint. Ita & præscientia Dei, quando futura versat, vti præsentia, nihil eis affingit, quo necessariò debeant euenire. Quippe de ratione præscientiæ est, habere res peruias quæ futuræ sunt, nulla eis qualitate inusta, vnde necessariò emergant. Etenim illa Dei scientia simpliciter intelligens res, non est causa rerum, alioquin res omnes fuissent ab æterno, quia Deus eas præsciuit ab æterno.

Roman. 11.

Eccl. 15.

Præscientia Dei non tollit libertatẽ arbitrij.

Ex SS. PATRIBVS. *Hieron. in c. 26. Ierem. August. lib. 3. de lib. arbitr.*

Præscientiæ Dei & nostræ memoriæ quædam affinitas.

Ex THEOLOGIA. *Thom. 1. p. q. 14. art. 8.*

Rursus si Dei præscientia inureret aliquam necessitatem rebus, eò solò quòd eas Deus præuiderit; Deus ipse non esset liber in actionibus, quæ ad extra sunt. Verbi gratiâ, Christus non esset liberè passus, sed coactè, & necessariò ipse Deus induisset humanam naturam, quia hæc omnia ab æterno præuisa sunt. At ex delirio Caluini, Dei præuisio facit vt res necessariò eueniant. Ergo nihil agit liberè Deus, quia præscit se editurum talem creaturam. Vides in quos anfractus ille error Caluini deducat eos qui à fide turpiter aberrarunt. Vt autem lis ista tota dirimatur, operæpretium est aduertere multa Deum cognoscere, quæ tamen non vult fieri, nec vnquam fient; alia verò quæ vult absolutè fieri tempore à se præstituto. Prima illa notitia dicitur sciẽtia simplicis intelligentiæ, cui omnia nuda & aperta sunt, quæ ad Dei potentiam absolutam spectant. Nam Deus non se adæquatè cognosceret, nisi etiam eadem sua scientia concluderet omnia quæ procreare potest. Notitia autem illa, quæ voluntatis arbitrium vehit, dicitur scientia approbationis, & hæc est causa rerum quia eas parturit. Sed Deus non approbat mala, quibus se reprobi obstringunt. Ergo non est causa malorum quæ impij perpetrabunt.

Præscientia Dei nullam affert necessitatẽ rebus præscitis.

Huius Theologiæ conscius Apostolus sic explicat operandi ritum, qui ad Deum spectat. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Hugo Victorinus ita hunc locum discutit, vt affirmet tria requiri in Deo, vt quidpiam operetur ad extra. Primum est sapientia, qua disponit. Alterum est voluntas, quæ mouet & imperat. Vltimum est potentia, quæ operatur. Sicque palàm fit Deum

Ephes. 1.

Deus operatur secundũ consilium voluntatis suæ.

Deum non esse causam rerum sola scientia simplicis intelligentiæ; sed res omnes emergere sapientia dirigente, voluntate imperante, potentia exequente. Cùm Paulus ait Deum operari secundum consilium voluntatis suæ, in operatione notat potentiam; sicut sapientiam in consilio, & imperium in voluntate. Vnde si quid horum trium desit alicubi, illud planè à Deo non est: At Deus nullo consilio voluit peccatum; etsi præscierit fore multos qui peccabunt: Ergo illa scientia, à qua abest voluntas, nihil adimit homini de libertate, quæ ei data est in prima editione rerum.

EX PHILOSOPHIA.
Aristot. lib. 2. de cælo, textu cõmentar. 18.

Etsi elinguis esset Scriptura sacra, ipsa ratione adstrui posset illa libertas arbitrij in homine. Namque ex Aristotele positis extremis in rerum natura, consequens est vt ponantur & media. Sed in hoc vniuerso datur vnum extremum, scilicet Deus agens ex nihilo & liberè; est & aliud extremum agens ex aliquo, & necessariò, vt sunt agentia merè naturalia, vt ignis, qui è ligno facit ignem. Ergo ad orbis integritatem fuit procreandum agens aliquod, operans liberè ex aliquo. Illud agens medium inter Deum & agentia naturalia est homo sui iuris. Rursus ex Aristotele, *consilium est eorum tantùm, quæ in nobis sunt.* Ergo cùm homo consilium ineat de humanis artibus, profectò in eius potestate situm est quo modo agat. Et hoc est libertatis arbitrij non modicum argumentum. Frustra enim Deus inhiberet fieri mala: perperam hortaretur ad sequelam boni; essent irritæ tot & tantæ parænefes ad virtutum praxim, si penes hominem non esset referre pedem à barathro, & eniti ad apicem boni.

Aristot. lib. 3. Ethic. c. 3.

Liberum arbitrium probatur.

Item nulla decernitur punitio ei, qui coactè fecit, vim inferente domino, cui omne obsequium debet. Ergo cùm Deus seuerè damnet reos, nullam eis indixit necessitatem ad peccandum, ex eo quòd præsciuit eos peccaturos. Quippe homo est sui iuris, vt testatur Codex veridicus, commemorans hominis indolem hoc contextu: *Potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Caluinus excandescit, Græcos fuisse vsos hac voce αὐτεξούσιος, id est, sui iuris, quando hominis mentio occurrit. Sed non aduertit Paulum liquidiùs rem illam expressisse scribendo Corinthiis, cuius textum Græcum maioris fidei volunt esse hæretici, quàm vulgatum illum, quo à sæculo vsa est Ecclesia. Sed audiat Apostolum Græcâ dialecto adstruentem liberum arbitrium hoc tenore. Ἐξουσίαν ἔχων περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, id est, *potestatem habens propria voluntatis.* Quia Caluino illa loca facessunt negotium, & concludunt intentum nostrum; excogitauit subterfugium dignum equidem homine delirante. Esto, inquit, homo editus sit iuris sui; tamen vbi à gratia excidit, libertas illa expuncta est, nec alio se modo habere potest, quàm eo qui à Deo præscitus est, emortua omni facultate resiliendi à peccato. Audite insaniam. Eadem præscientiâ Deus vidit Adamum peccaturum, & alios omnes, quos criminum nexus implexos tenent. Sed illa præscientia Adamum sua libertate non exuit; quare ergo spoliabit reliquum hominum genus, nactum eandem indolem, quam Adamus sortitus est?

Eccles. 31.

1. Cor. 7.

EX SS. PATRIBVS.
August. lib. 1. contra epist. Pelagij.

Non esse extinctum liberum arbitrium hoc Adami deliquio probat Augustinus hoc effato: *Liberum arbitrium vsque adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent omnes; maximè qui cum delectatione peccant.* Quomodo autem concordes sint præscientia Dei & libertas hominis, omnes non capiunt. Namque animum torquet illa cogitatio. Si Deus ab æterno vidit te moriturum in peccato, irrita sunt omnia bona illa opera, quibus te accingis ad gloriam demerendam. Etenim nequit aliter se habere quod ab æterno præuisum est, atque ita satius esset genio indulgere, quàm incassum pœnitentiæ asperos inire calles, quorum decursus patiens quandoque remoras, reprobos non euehit ad gloriam, præscientia Dei reluctante. Caietanus ipse multiscius, ingenuè confessus est in eo argumento nutasse animum suum, vt occurreret deiectioni, quæ mentem deorsum inclinat, quando permeare tentat abyssum illam arcanorum Dei: hoc autem remedio ait ille se iuisse obuiam dubiis instantibus. Esto, inquit, non penetrem abdita Dei, mihi satis est credere, etsi non liquidò capiam. De fide est hominem non percelli ad noxia, eum vrgente præscientia Dei: huic veridicæ thesi præbeo assensum meum etsi reclament instantiæ, quæ arietant in contensum. Optima sanè industria, & affinis ei cuius obsequio alius item Cardinalis & doctor summus diluit technas dæmonis insurgentis. Ille fuit Bonauentura, fama super æthera notus, cui circa illam materiam Angelus refuga fuit sæpius importunus. Animum eius inquieto conamine lancinabat hic susurro, vt referret pedem ex virtutum calle, obiiciens ardua quæque opera deperire ei, quem Deus ab æterno non præsciit fore beatum: non etenim esse volentis, neque currentis, sed Dei miserentis; atque adeò esse supersedendum, & feriandum potiùs quàm plura perperam intentare. Acrior instabat hostis, & inualescens tentatio lacerabat animum Sancti, qui factus multa oratione vegetior, ita occurrit instantiæ. Non est mearum partium indagine noxia rimari, an Deus ab æterno mihi sua præscientia beneficus extiterit. Vni tantùm rei incumbo, scilicet virtutum praxi, certior effectus illucente fide Deum vnicuique reddere iuxta opera sua. Sic se expediit ille Sanctus.

Præscientia Dei concordat cum libero arbitrio.

Ex Chronic. Minorum in vita S. Bonauen.

Hac etiam cautela obuiam ito dubio illi facessenti negotium: nam nemo reprobus efficitur, influente præscientia Dei, sed crimine percellente in præceps. Dei namque præscientia est speculum sine macula, referens omnia modo vnicuique congruo. Paulus quando fuit hostis acerbus fidelium, in eo speculo erat iacens, & deformis. Sed vbi resipuit, speculum retulit eum stantem & erectum. Non quod speculum fuerit immutatum, sed quia Paulus ipse fuit immutatus. Speculum mihi obiectum etsi graphicè me referat, eo habitu quo sum; nihil mihi tamen affingit, vnde cogat habere me eo statu quo explicor in speculo. Sed potius is sum in speculo qui sum meo ipsius arbitrio. Ita Deus me talem vidit ab æterno, qualem sponte mea me facio; nec est quod causemur præscientiam Dei quasi nos in tartara propellentem. Ipsi sumus nobis argumentum ruinæ. Audi me opportunum consultorem. Fortiter age, æmulare opera Christi, virtutis studium protrahe, & sic habebis tibi propitiam præscientiam Dei, iuxta illam regulam Iuris Canonici. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* Non ex præscientia Dei iudicaberis, sed ex iis tantùm, quæ nomine tuo atque arbitrio fuerint exantlata.

EX IVRE CANONIC.
Regul. 9. De Regulis Iur. in Sexto.

Pars Secunda Homiliæ.

Quibusnam signis electi & reprobi alijs innotescant.

SEries historiæ hodiernæ tenebras omnes discutit, quæ sese offuderant isti materiæ tot dubiorum salebris & sentibus hispidæ. Nimirum Christus etsi præscierit interitum Iudæorum, dedit inducias vt possent illam perniciem declinare, monens eos perfidiæ potissimum crimine deuinciri. Sic ille: *Dixi vobis quia in peccatis vestris moriemini. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Pertinax ille animus subsannans omnia quæ consulebat Christus, dedit ansam illi omniscio Domino præsagire ruinam hominum impiorum. Esse autem quædam signa, quæ portendunt animarum ruinam, ipse Christus palàm fecit, hoc suo præsagio innixo signis, quæ iniquum eorum hominum statum satis superque resonabant. Tamen nullius est deploranda salus, si vita superfit. Vt autem quisque cautius inuigilet sibi, aliquas reserabo notas indices pessumi instantis interitus.

Ioan. 8.

Hoc primum esto argumentum animæ properantis in præceps, si dogma impium ebiberit, aduersata praxim sanctiorum operum. Ratio est hæc & Theologica. Ea est habitudo agentis & patientis ad inuicem, vt nulla detur actio sine contactu. Ergo cùm animæ iniquæ reditus in gratiam cum Deo sit actio, ea deposcit aliquem Dei & animæ contactum. Sed anima Deum non tangit nisi cognoscendo & amando, quibus fit conuersio eius ad quam sollicitatur à Deo sic hortante. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Igitur anima cuius cognitio aliquo deprauatur errore, & voluntas aliena est ab opere bono, Deum nescit, vtique procul ab eo posita, & malè affecta, vt sibi conciliare queat gratiam eius. Idcirco error in intellectu, & odium boni operis in affectu, sunt veluti maiusculi characteres, qui describunt sententiam animæ reprobatæ. Quia autem mens deuia à veritate plerumque imponit ementita fidem ingenuam, & sinceram, vt fecere Ariani in Concilio Nicæno; sunt inspiciendæ manus, an sint bonis actibus assuetæ. Nam si otio fracta fuerint brachia veluti truncâ manu, infer audacter eum, qui à laudabili actione vacat, etiam animo caligare: atqui ita dubiam esse salutem eius.

Thom. quodlib. quæst. De iustific. impij art. 3.

Zachar. 1.

Reprobationis notæ.

Ex Ivre Civili.
Nouel 42. c. 1. De depositione Anthimi.
Libri hæreticorũ prohibiti iure Cæsareo.

Comites esse manuum inertiam, & deuiæ mentis insaniam fidei iniuriam, ostendit Iustianus Imperator ea nouella constitutione, qua sanxit manum amputari ei, qui impia dogmata conscripsisset, & sic mulctatum pelli è regia ciuitate, & in solitudinem illico deportari. Ecce legem. *Sicut non licet Nestorij libros scribere vel possidere; sic nec dicta & scripta Seueri maneant penes aliquem Christianum, sed sint profana & aliena ab Ecclesia Catholica, igneque comburantur à possidentibus, nisi qui ita habent, velint periculum pati. A nemine ergo scribantur neque ad pulchritudinem, neque ad velocitatem scribentium, sciendo quia amputatio manus his qui scripta eius scripserint, pœna erit. Similiter autem & huic interdicimus omnino regiam ciuitatem ingredi, aut districtum eius, nec aliquam aliam de insignibus, sed in aliqua solitudine, & in silentio sedere.* Hactenus Imperator. Eâdem censurâ Deus ferit eos, qui malè sentiunt de fide; eorum manus veluti truncæ ignauiâ dissoluuntur. Ideóque nihil est illis, & regiæ ciuitati, id est cœlo, vnde certissimum est eos vt reprobos turpiter exulare.

Errorem autem in mente, & odium in affectu, esse principes notas animæ deploratæ, liquet hoc discursu. Reprobatio animæ est longissimus recessus à Deo; sed homo infidelis, & auersans omne bonum, maximè à Deo recedit: Ergo ille sibi est consultor iniquus, vtpote reprobatus. Quò autem ille deuenit, qui à Deo recedit, collige ex regula Euclidis. Ille ait lineas, quæ transuersæ fiũt in circulo, esse tantò breuiores, quantò magis à centro recedunt. Vnde illa linea, quæ maximè à centro recedet, tota immergetur extremo circuli, quia nequit vltra procedere. Lineam autem totam absorberi limbo circuli, hoc supponit eam esse reductam ad punctum, quia nihil tangit circulum nisi in puncto. Cùm ergo Deus sit centrum omnium rerum, homo intellectu & voluntate deuius à Deo, & quàm maximè remotus, deuenit ad extremum circuli, vbi perpetuo agitur gyro, iuxta illud Psaltis: *In circuitu impij ambulant.* In eo statu homo iniquus ad punctum redactus est, vt querulus Dauid ait, animo repetens iniquam sortem; quam incurrit factus adulter homicida. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Nescius est reprobus, se in similitudinem puncti esse decurtatum, & huic puncto esse quam vicina tormina damnatorum.

Ex Mathematica.
Euclid. lib. 3. elem Geomet. propos. 14.

Psal. 11.

Psal. 72.

Reprobi in puncto descendunt in infernum.

Huic figuræ ex Mathematica Euclidis moraliter expensæ, lucem adfert Iob. Nam sicut linea remotissima à centro circuli, absorbetur in gyro circuli, vbi ad punctum reducitur, ita impij, quorum est omnino deplorata salus, choreas agunt, eorum animus inquies vertitur in gyrum, quasi Ixionis rotam versans. Sed esto voluptuosum illud vitæ schema sensibus arrideat, & capiatur homo talibus illecebris; tamen illa felicitas incautis quibusque hominibus illudens, punctum est, & modicum quid, si comparetur ei Beatorum statui, qui iugis erit & æternus. Eamobrem Deus sic compellat iniquum hominem. *Ad punctum, in modico reliqui te.* Circuitus autem & puncti vide catastrophen in Iob. *Tenẽt tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Quia scientiam Dei impij respuunt, ideò à Deo recedunt: & quia à Deo recedunt, idcirco ad choreas pergunt, & ad punctũ & hinc ad inferna præcipites demergũtur.

Isai. 54.

Iob. 21.

Eamobrem prosperitas nimia fuit semper ancipitis salutis iudicium, quippe ea præpedit hominem, & remoratur ardua illa conamina, quæ Beatos dispescunt à reprobis. Sic tympana, cythara, & gaudia illicita hominem grauant & deorsum inclinant, vt videre est eo symbolo, quod cusum est in gratiam Ducis, quem meminit Ferrus. Pictura fuit aliger equus onustus palmis & coronis, hoc lemmate inscripto. Magnarvm pondere rervm deficimvs. O hominum genus incautum! Quid agimini in gyrum, ô mortales, quos amœna & speciosa seculi versant in varia! Magnarvm pondere rervm deficitis. Vtpote ad punctum redacti, iuxta illud Iob. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Hoc autem punctum, id est, hominum impiorum tripudia, tartara consequuntur. Et sicut ignis illecebræ, quales sunt camphora, sulphur, & alia irritamenta flammæ, à longè etiam ignem concipiunt; ita etiam reprobi

Ex Symbolis.
Ioan. Ferrus part. 2. Theatr.

Iob. 20.

reprobi ex hoc æuo redolent sulphur inferni, spirant ignem tetrum, eorum acta dæmonem clamant. Denique diceres impios præcoci pœna ex hoc sæculo conflagrare.

EX HISTORIA. *Cedrenus in Const. Copronymo.* Sacrilegi puniti igne sēsibili à Deo. *Venantius Fortun. lib. 3. vita S. Mart.*

Testes locupletes sunt impij Imperatores Copronymus & Leo, quorum prior igne inuisibili correptus clamans se perire incendio, malè disperiit, vt decebat hominem, Dei & Sanctorum imaginibus iniurium. Leo verò sacrilegus, expilatæ Ecclesiæ reus, vindice igne occulto depastus est, cuius carbones etiam deforis apparentes, hominem, vt par erat, dirè cruciarunt. Valentiani Imperatoris impietatem, qua malè excepit S. Martinum Antistitem, nonne subitus ignis emergens ex eius loco ostendit Deo displicere, & magnis addici incendiis eos, qui multo crimine litant Diis inferis? De Tiberio Cæsare iactant historiæ eum habuisse scintillantes oculos, quibus mediis in tenebris omnia discernebat. Sed omnia in reprobo scintillant: aures habet patulas obscœnis eloquiis, calentes oculos igne Venereo, quo flammas spargunt, & incendunt obuia quæque sibi, iuxta illud Poëtæ.

An nescis oculos esse in amore duces?

Quidquid attrectant hoc comburunt. Demum reprobas animas fas est nuncupare Vesuuium, vnde erumpunt ignes assidui, omnia populantes. Eius iniquæ indolis fuit Iulianus Cæsar, fidei desertor, & Christiani nominis osor acerrimus, quem cum attentè inspexisset in ephebis vir grauis, exclamauit terram inutile pondus sustinere, & alere monstrum, quod ruinam orbis ferè vniuersi, oris sui habitu portendebat. Adfuit cita fides præsagio; nam flammiuomus homo longè latéque sua sparsit incendia. Huic reprobo quadrant ea signa, quæ morituro affingit Hippocrates, compendiosè recensens præambula, quibus ominari licet mortem imminentem.

EX RE MEDICA. *Hippocrat. lib. 1. præsag.* Obstinatio signum est reprobationis.

Sic ille Medicorum vertex moriturum pingit. Ῥὶς ὀξεῖα ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι ξυμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρά, καὶ περιτεταμένον, καὶ κεφαλῶν ἐόν. *Nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigida, & cutis circa frontem densa, & dura.* Nares acutæ hominem curiosum significant, qui vt nasutus & sagax aliis emineat, censuræ suæ subiicit etiam res fidei. Oculi concaui sunt indices animi memoris iniuriarum. Collapsa tempora arguunt hominem terrena meditantem. Aures frigidæ notant ægrè audiri ea quæ Dei sunt. Sed omnium signorum pessimū, est illud quod agmē claudit, scilicet frons dura: vbi namque peccator obduruit, nulla salutis est spes residua. Aliæ notæ etiamsi singulares sint & ominosæ, non adeò solenniter hominem damnant, sicut frons illa obdurata, cuius vbi fit mentio in Scriptura sacra, reprobos notat ille textus hac formula. Suo vtique summo discrimine sensit vim phrasis illius Pharao, quem sic pungit Codex sanctus. *Induratum est cor Pharaonis*, id est, excidit spes omnis resipiscentiæ in Pharaone. Dauid breuiloquio isto multa coarctat volumina. *Vespere decidat, induret, & arescat.* Hunc ego versum sic expendo. Tribus quasi gradibus extrema hominum pernicies concluditur. Primò homo cadit, idque semper tempore vespertino, quia gratiâ occidente alicui, ei mox se caligo multa offundit. Gliscente illecebra, casus ille qui fuerat actualis, in habitum transit, & hic habitus indurat animā, quæ dum allubescit crimini, arescit in ea quidquid erat viuax, atque adeò reducis animæ nulla protius est spes. *Exod 8.* *Psal. 89.*

EX SS. PATRIBVS. *Bernard lib. 1. de consider.*

Dixi duritiam esse veluti summam omnium signorum, quæ pessimè reprobis ominantur. Vadem aduoco Bernardum, qui non vadimonio deerit. Sic ille: *Quid est cor durum? Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur. Ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad Diuina: præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est, cui præteritorū præter solas iniurias nihil omnino nō præterit, præsentiū nihil non perit, futurorū nulla nisi forte ad vlciscendum prospectio, seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Itaque, ô fideles, vos compello eo Dauidis eloquio. *Si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Christi vox quotidie auribus vestris insonat; estote præstò Deo reuocanti; & cor vestrum adamantinum emollite, vt Deo peruium sit: nullâ namque viâ alia Sancti à reproborum agmine secernuntur. FAXIT DEVS. *Psal. 94.*

Obstinatio quid sit.

Obstinationis effectus.



FERIA TERTIA.

DOMINICÆ II. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. CHRISTO assertore sacerdotes sunt lux mundi: at nemo ponit lucernam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Ecclesia domus magna est, quam Deus multis lucernis illucentibus populo voluit illustrare. Has hodie lucernas posuit super candelabrum, dum Sacerdotes euexit super cathedram Moysis: nempe illa vox cathedræ quidpiam altum sapit, scilicet auctoritatem & doctrinam. Itaque vox illa, super cathedram, texet priorem partem istius Homiliæ, quæ erit de dignitate sacerdotum, vt rependatur eis cultus, merito congruus.

II. Secundò dicam, honorem esse quidpiam relatiuum ad excellentiam, ac proinde sacerdotes debere esse sollicitos, ne excidant eâ excellentiâ, quam impertit

pertit eis cathedra Moysis. Explicabo, potissimam sacerdotum doctrinam esse petendam à manibus & non à sermone, qui plerumque fallit, dum discolor actio sermonibus iniuria, sacerdotem esse hypocritam clamat, & eiusdem farinæ, in quam declamat hodie Christus, dicens sacerdotes Hebræorum impiis operibus sano dogmati derogare.

PRÆFATIO.

Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Matth. 23.

RES adeò sacra fuit cathedra Regis apud Persas, vt ei insidere nefas fuerit, quia creditum est, ea sessione detrahi quidpiam regiæ maiestati. Deus liberaliore manu titulos suos hominibus erogauit: nam hodie sua cathedræ decernit presbyteris, vocans eos in partem dignitatis eius, quæ Moysem fecit celebrem orbe toto. Eorum iudicio nemo potest eripi, neque declinare forum, in quo Dei ipsius partes agunt. Ipse Summus Pontifex quandoque memor se hominem esse, deponit tiaram, & procumbit ad genua sacerdotis, ab eo expectans sententiam beneficam. Reuera in eminens culmen assurgit dignitas illa sacerdotum, penes quos Deus ipse reposuit suum ius ligandi & soluendi animas alicui vitio mancipatas. In stuporem abit Gregorius ille doctrina insignis, Hieronymi olim magister, ita exclamans: O sacerdotes Dei, ô illustres animarum custodes, ô Deum hominibus conciliantes, ô mundi fundamenta! *Chrysostomus ait eos quotidie ore suo parturire Dei filium quando consecrant, atque adeò dici posse aliquali modo patres Dei. Nolo hos Dei patres recolere insalutata Matre.* AVE MARIA.

Cathedra Regis Persarum sacra.

CHristi Domini effatum est, aliquid abditum insonans. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Cùm ergo Deus sacerdotes accenderit vt lumina mūdi, iuxta illud elogium Saluatoris dignantis primos Ecclesiæ sacerdotes eo titulo lucis. *Vos estis lux mundi.* Has lucernas vt, par erat, euehit in editum locum, idoneum lumini diffundendo. Candelabrum eis congruum, assignat hodie, vnde queant omnibus illucere. Duo hæc, scilicet, eminens locus, & candelabrum, textu præfixo isti concioni graphicè lineantur. Quippe cùm audis, *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi,* Prima dictione, *Super*, animum tuum subeat idea insignis excellentiæ, quæ in sacerdote nitet. Nomine verò cathedræ, cogita candelabrum consonum luci spirituali, quo debent hæc lumina coruscare. Itaque totius Euangelij hodierni summa hæc est. Sacerdotes aliis hominibus præire dignitate, & ad eos pertinere scientiā illustrare omne hominum genus. Dicam igitur primò, quàm cæteris præstent sacerdotes, vt inde fiant populi cautiores in referendo honore, quem deposcit dignitas illa sacra. Secundò expendam, quæ sit doctrina conueniens cathedræ, cui sacerdotes insident, vt & ipsi caueant sibi, ne inglorium munus suum efficiant moribus incongruis. Aggrediamur ergo dogmata prælibata.

Luc. 11.

Matth. 5.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quàm emineant sacerdotes, & quonam cultu digni sint.

NOn fuit minor Dei cura in his quæ pertinent ad salutem animarum, quàm quæ eminuit in hominum corpore sospitando. Sed ad integritatem corporum, alia superiora corpora effecit, scilicet cœlos, affingendo eis insignes & viuaces qualitates, quibus influunt in hæc inferiora, corpora saginando, Nihil namque spirat in hoc rerum ergastulo, nisi precariò, & veluti accepta stipe à cœlis, qui liberali manu omnia aspergunt suo influxu: vt Aristoteles ipse probat. Eâdem prouidentiâ Deus Ecclesiæ suæ consuluit, creando homines, quibus adiiceret virtutem insignem, vnde in alios emergeret quidpiam salutare. Rursus si corporea compages huius vniuersi eo ordine disposita sit, quo nihil melius effingi potest; profectò Ecclesia, quæ potior est tota corporum omnium congerie, suo etiam ordine sibi constabit. At ordo attenditur penes prius & posterius. Ergo in Ecclesia debet assignari quædam prioritas, ratione cuius quidam præeant aliis. Alioquin esset rerum omnium quæ ad Ecclesiam spectant series indigesta: neque dici posset Ecclesia terribilis vt castrorum acies ordinata.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 2. de generat. comment. texta 56.

Qui autem sint qui præcellant aliis, ipse Dominus aperit quando constituit sacerdotes *Super cathedram Moysis.* Etenim sunt præcipua capita, & veluti cœli, quibus beneficiis cæteri homines Dei influxum participant. Meo hoc intento suffragatur Antistes ille summus Gregorius, dum prædicantibus ait esse insitam vim quandam affinem cœlis. Sic ille: *Scriptum est: spiritus Domini ornauit cœlos. Ornamenta enim cœlorum, sunt virtutes prædicantium.* Sed ne in superbiæ typhum assurgerent sacerdotes, subiicit ille, insinuans eos habere à Deo omne illud quo eminent, & influunt in cæteros. Pergit Gregorius. *Quot ergo sunt bona prædicantium, tot sunt ornamenta cœlorum. Hinc rursus scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt. Verbum enim Domini Filius est Patris Sed eosdem cœlos videlicet Sanctos Apostolos, vt tota simul Sancta Trinitas ostendatur operata, repente de Sancti Spiritus diuinitate adiungitur: Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cœlorum ergo virtus de spiritu sumpta est; quia mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Spiritus Sancti fortitudo solidasset.*

Ex SS. Patribus. Greg. hom. 30. in Euang.

Doctorum dignitas.

Prætetea excellentiæ eorum accipe aliud argumentum petitum ex puris Theologiæ fontibus. Ex Dionysio, & Augustino: Causa productionis rerum est bonitas ipsa Dei: voluit namque Deus bonitatem suam quibusdam affingere quantùm fas est vniquique creaturæ. At Diuina bonitas duplici perfectione nitet. Vna est qua Deus absolutè bonus est. Altera verò qua influit in res, prout eas educit è nihilo, vel est earum causa. Huic Dei bonitati congruebat, vt vtroque modo elucceret in creatis, scilicet res edita non duntaxat

Ex Theologia. Thom. quæst. 4. q. de process. art. 8.

dumtaxat à Dei bonitate haberet, quod esset, & bona esset, sed insuper hoc haberet, vt largiri posset alteri aliquod esse nouum, & aliquam bonitatem. Vt Sol cùm diffundit radios suos, non solùm facit corpora illuminata, sed illuminantia, eo tamen ordine seruato, vt illa quæ magis accedunt ad naturam Solis, vt sidera, dum plus accipiunt lucis, plus etiam virtutis accipiant, quàm cæteris impertiant. Vnde in hoc rerum omnium contextu, creaturæ superiores ex influentia Diuinæ bonitatis habent non solùm quòd in seipsis bonæ sint; sed etiam quòd influant in alias, vt videre est in superioribus Angelis, qui & perfecti sunt, & alios etiam perficiunt. Ita & in Hierarchia Ecclesiastica, quia Deus sacerdotibus dedit ius singulare in animas, vt reduces eas facerent, & conciliarent eis gratiam à qua exciderant; necesse est ex eo influendi modo singulari, inferre sacerdotes esse propiores Deo, atque ita in statu superiore cæteris, quia magis participant Dei bonitatem.

Sacerdotum dignitas quanta.

Sacerdotes accedunt ad sortem Angelorum.

Idonea sanè comparatio sacerdotis & Angeli petita à Paulo, qui vult mulieres in Ecclesia velare caput suum propter Angelos Dei, id est, propter sacerdotes, vt explicat Tertullianus, & hoc superior Dionysius eruditus in schola Angelorum, quorum choris interesse, ei fuit insolitum, dum adhuc esset hoc corpore præpeditus: nemo namque Angelorum indolem melius aperuit. Ille ait sacerdotes ad eorum dignitatem accedere, ita fatus: *Dat habitum, & efficaciam gratiæ sacerdotibus dignam, id est, vim Diuini sacerdotij, ex qua ad sanctum sacerdotij munus & officium venientes, ipsi ad naturas illas cœlestes, quæ nobis præstant, propius accedamus.* Parum est esse Angelos, sed & Deos ipsa Scriptura nuncupat, vt benè aduertit Gregorius, qui Imperatorem Mauritium eo argumento hortatur ad cultum eis exhibendum, ita ei scribens: *Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citiùs indignetur; sed excellenti consideratione, propter eum cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat; nam in Diuinis eloquiis sacerdotes aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur. Et per Moysem de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad Deos, id est, ad sacerdotes. Et rursus scriptum est: Dijs non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et Propheta ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos aut Deos ipse etiam appellat Deus.* An non ad sacerdotes pertinet illud Dei effatum: *Ecce constitui te super Gentes, & super regna.*

Ex SS. Patribus. *Dionys. lib. de Eccles. Hierarc. c. 1.* *Greg. lib. 4. epist. 31.* Sacerdotibus Principes etiam reuerentiam debent. Sacerdotes Deus vocat Angelos.

Ezech. 3.

Sacerdotes quare supra Regum dignitatem.

Ipsa etiam Gentilitas sacerdotes summo honori duxit: nam Roma, pulso Tarquinio, exosa vocem seu titulum Regis, tamen hoc nomen retulit in Flamine, qui dicebatur Rex sacerdotum. Nonne & Deus indicat esse quid regium insitum sacerdotio, qui affinxit vnctionem, quæ fuit olim tessera inaugurandi Principis ad regnum. Eò allusit Petrus, ita fatus: *Vos Gens sancta, regale sacerdotium.* Ambrosius probat regiam potestatem esse infra sacerdotium, quia est indiga obsequij sacerdotum. Sic ille: *Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla & Principum submitti genibus sacerdotum; & osculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communiri.* Ea dignitas congruum sibi honorem deposcit, iuxta hanc regulam scripturæ: *Cui honorem, honorem.* Honor autem est cultus exterior, quem alicui exhibemus in signum conceptæ excellentiæ. Ergo cùm dignitas illa sacerdotalis sit summa, congruis etiam dignari debet honoribus. Celebris est in eo themate sententia Constantini, apud quem querulæ sententiæ delatæ, notantes vitam sacerdotum, non potuere Principi minuere reuerentiam, qua sacerdotes prosequebatur.

1. Pet. 2. *Ambr. lib. de dignit. sacerdot. c. 1.* *Rom. 13.*

Huius facinoris meminit Gregorius Papa, adhortans Imperatorem Mauritium eo exemplo, quod ita recenset: *Cùm piæ memoriæ Constantino Principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens: Vos Dij estis à Deo constituti: Ite, & inter vos causas vestras discutite, quia non dignum est, vt iudicemus Deos. In qua tamen sententia sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa.* Eiusdem reuerentiæ est facinus audax Martini Episcopi, vocati ad conuiuium Maximi Imperatoris. Rem sic quasi oculis subiicit Seuerus Beato Martino charus. *Victus vel ratione vel precibus ad conuiuium venire, mirum in modum gaudente Rege quod id impetrasset. Conuiuio autem aderant, veluti ad diem festum euocati, summi atque illustres viri, Præfectus idemque Consul Euodius, vir quo nihil vnquam iustius fuit, Comites duo summa potestate præditi, frater Regis, & patruus: medius inter hos Martini Presbyter accubuerat; ipse autem sellula iuxta Regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium (vt moris est) pateram Regi minister obtulit, ille sancto admodum Episcopo potiùs dari iubet, expectans atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet, nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesque qui tunc aderant, ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret.* Sanctus ille orbe toto notus, non cunctatus est Presbyterum præferre Principi, & nos vilia capita, sacerdotio debitum pensum reddere detrectamus. Imò & dente virulento corrodimus vitam sacerdotum, quibus nefas est detrahere.

Ex Historia. *Greg. lib. 4. epist. ad Mauritium.* Episcopos quantum honorarit Constantinus Imperator.

Seuerus in vita Sancti Martini cap. 23.

Sacerdotem S. Martinus plus honorat quam Principem.

Nolo indemnes aut impunes facere sacerdotes, patronum agens eorum criminum; sed volo eorum iudicium esse penes quos oportet, & non omnibus copiam dari, cuiusque Presbyteri mores impiè demordere. Et vtinam vigeret hodie in foro conscientiæ nouella illa constitutio Iustiniani Imperatoris, qui nefas sanxit discuti à laicis crimina sacerdotum. Ecce legem. *Si verò Ecclesiasticum sit delictum, egens Ecclesiastica castigatione & mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis prouinciæ Iudicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire ciuiles Iudices; cùm oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium, per Ecclesiasticam mulctam, secundum sacras & Diuinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.* O hominum nequam mores improbos! vir summus iste

Ex Iure Ciuili. *Nouell. 83. cap. 1. Vt clerici apud proprios Episcopos.* Sacerdotum crimina à quibus iudicibus sint discutienda.

sæculo,

sæculo, suas subiicit leges Ecclesiæ, quæ vetat Presbyteros subire examen laici tribunalis; & tamen nefarij quique homines in Presbyteros impunè hodie debacchantur. Damnat Deus hunc maledicum morem singulari ritu, quo noxas sacerdotum voluit expiari. Ita Deus sanxit. *Omne sacrificium sacerdotum igne comburetur, nec quisquam comedet ex eo.* O fideles, comburite igne charitatis si quid peccauerit homo sacris initiatus. Quid dente insano teritis vitam Presbyteri? Iniurij estis Deo quando comeditis sacrificium illud in lege prohibitum. Deus ideò cauerat comburi hostiam pro peccato sacerdotum, ne si quis comederet ex eo sacrificio, inde ansam acciperet sacerdotis piacula recensere.

Leuit. 6.

Sacerdotum peccata non sunt diuulganda.

Ex SS. Patribus. *Hieron. lib. epistol.*

Placet breuiloquium istud Hieronymi. *Ne detrahas gradui, per quem factus es Christianus.* Huic ego subiicio symbolum Pythagoræ. Ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ *Ne tangito gallum album.* Reuera sacerdotes sunt galli, non ob coronam quam gestant in capite, sed quia alios cantando excitant ad Dei laudes, quibus intenti sunt, suaue melos insonando. Stertentes etiam reuocant à somno peccatorum, quo pressi altè mergebantur. Hos ergo gallos adeò beneficos percutere linguâ maledica nefas est. Pierius ait olim ominosam fuisse salis euersionem, & veteres credidisse aliquod portendi malum ei, qui sal euertisset, quod fuit semper fœderis & amicitiarum nota. Christus suos sacerdotes affatus ita eos compellat: *Vos estis sal terræ.* Quid ergo, Christiane, sal hoc sermone iniurio euertis? *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Si Presbytero detrahis, sanè indignus eris qui à Presbytero absoluaris: quippe miserationum Dei alueos & canales præcludis tibi, quando declamas in Christi Domini sacerdotes, qui seuerè vindicat iniurias, quibus à reprobis impetuntur.

Pierius lib. 3. Hieregl.

Matth. 5.

Ex Historia. *Ann. 1617.* Sacerdotibus iniurius homo morte repentina sublatus è medio.

Vltionis huius argumentum indubium vidi, quod & ego elapsis quindecim annis postea in eadem vrbe celebri prædicaui, vtpote testis rei orbe toto celebrandæ. In ea ciuitate, vbi ego iam religioni adstrictus adolescens degebam, vir erat iocis assuetus; & vt hoc hominum genus plerumque miscet sacra profanis, creber erat ille facetus homo in dicteriis, in sui ipsius perniciem compositis. Sed Dei vltio, etsi sera, certa tamen inuigilans noxis, tandem testata est hos lepores esse blasphemias. Nam cùm lepidus ille mimus stipatus aliis multis sycophantis cœnam & iocos ad multam noctem produxisset, mero calens, & effusus in scommata, singulos quosque pungentia, audiit ex vico campanulam suis auribus insonare. Petiit à symmistis & sociis impij sui ritus, quid signaret intempestiuus ille sonus campanulæ stertentibus importunæ? Vnus adstantium ait, illac transire sacerdotem, qui Sacro-sancti corporis Christi viaticum homini in extremis posito deferebat. Ad hæc homo ille Presbyteris iniurius, diffluens in cachinnos ait. O sacerdotes, gens importuna ægris, ego vos arceo à cubili meo, si quando decumbens venero in discrimen vitæ. Alia item eructauit multa homo ille blasphemus, cuius sermones impios pertæsi adstantes, se in suas ædes singuli quique receperunt. Sed expetente Deo pœnas, nefarius ille homo, qui sospes, & integris viribus vtpote virente ætate lecto se dederat, vt vino suo indormiens stertetet diu, manè repertus est exanimis, immutato oris habitu in similitudinem eorum hominum, qui vitæ suæ imponunt de inglorio patibulo colophonem.

Ea historia prudentior factus, memor esto præfati consilij à me ex Hieronymo recensiti. *Noli detrahere gradui per quem factus es Christianus.* Imò æmulare curam, quam capitis sui singula membra gerunt, cui vni student à quo vno neruos recipiunt, & spiritus animales. Hepar sanguine suo alluit caput & nutrit. Cor cudit in valuulis suis spiritus vitales, vt in capite fiant animales; & si qua moles capiti deforis immineat, sese humeri & manus opponunt, vt capiti consulant, quo sospite membra cætera recreantur. Profectò apposita est Presbyteri atque capitis comparatio, deducens nos in secundam partem concionis huius, vbi cathedra sacerdoti erigitur vt doctori, iuxta illud Prophetæ: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam.* Vnde dici queunt capita populorum, quia & sentiendi & mouendi vim insinuant populis, dum ebibunt sanam doctrinam, quam sacerdos disseminat.

Ex re Medica. *Fernel. lib. 1. Physiol. c. 9.*

Malac. 2.

Pars Secvnda Homiliæ.

Caueant sacerdotes ne vitio suo excidant honore debito dignitati.

Qvàm congruè dixerim sacerdotes esse capita, ratione scientiæ, audi ex breuiuscula descriptione capitis auctore Fernelio, qui caput cerebrum vocat. Sic ille: *Cerebrum humanæ mentis arx & domicilium, cogitationum rationisque sedes, motus omnisque sensus fons & origo, corporis summam partem tenet, sursum spectans, cælo proximum. Vt enim huius vniuersitatis parens, mensque illa rectrix in cælo, excelsissimo loco consedit; ita decebat cerebrum nostræ mentis arcem summo corpore collocari.* Nonne sacerdotij decernere est, quæ ad rationem fidei pertinent; vnde & summi sacerdotij dignitas, sedis nomine nuncupatur. Nimirum Apostolica sedes signat summum omnium sacerdotem. Et Christus hodie præcipuas partes sacerdotum recensens ait esse sessionem. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ.* Ideò caput cogitationum rationisque sedes benè delineat Sacerdotem, cuius est sedere, & docere, vt religiosè ait Constantinus Imperator, qui ingrediens aulam Concilij Nicæni, ad quod confluxerant præcipua orbis capita, annuente Summo Pontifice, vt vidit Episcopos omnes sibi assurgere, noluit ille pius Princeps ipse sedere, quin sacerdotes omnes antea consedissent. Indignum ratus eos stare, penes quos est *Cogitationum rationisque sedes.* Hoc plenum veneratione facinus æmulatus est Theodosius Imperator, pietate suppar Constantino, qui filios suos Principes, Honorium, & Arcadium videns sedere, Magistro suo Arsenio stante, versans eas vices, voluit deinceps stare Principes, & sedere Arsenium, sic damnans rem hactenus indecoram.

Fernel. vbi supra. Cerebri humani descriptio.

Ex Historia. *Euseb lib. 3. de vita Constantini c. 19.* Episcopis stantibus sedere renuit Constantinus Imperator.

Canones sancti cathedræ Ius reponunt penes sacerdotes, & in hac vrbe Sacro-sancta facultas Sorbonica, aliis eminens orbe toto celeberrimis, neminem euehit ad Doctoratus apicem, nisi initiatum sacris, rem ingloriam arbitrata, si suę facultatis arcana reponeret penes prophana ingenia, quibus non competit cathedris insidere. Quia memini Iuris Canonici, sacerdoti Ius cathedræ decernentis, accipe textum. *Quis dubitet, sacerdotes Christi,*

Sacerdotes dicti Regum Patres.

Ex Ivre Canonic. *Can. Quis dubitet dist. 96.*

Christi, Regum & Principum omniumque fidelium patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus magistrum, sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum sua potestati subiicere, à quo credit, non solùm intra, sed etiam in cælis se ligari posse & solui. Quare autem sacerdotibus competat Ius Christianos edocendi (de his enim qui foris sunt, nihil ad nos) accipe rationem.

Ex Theologia.

Eiusdem est agentis dispositiones ingerere, cuius est procurare nouam formam alicui subiecto. Ergo cùm sacerdotis sit administrare sacramenta, quibus gratia influit in animas; eius etiam partium erit disponere animas ad gratiæ illapsum, quantùm homini fas est. Cùm namque peccatum sit conuersio ad creaturam, & auersio à Deo; homo deuius fieri nequit redux ad Deum, nisi dato libello repudij creaturis, quibus se totum addixerat. Ad hoc autem vt homo se subducat illecebris, in quas hactenus effusus est, indiget insigni lumine, quo præeunte vias ineat ad Deum recta deducentes. Lumen in his quæ ad animam spectant, dicit notitiam; & hæc præsupponit aliquem, qui prætendat illud lumen, sincero aliquo dogmate hominem illustrando. Etenim affectus specie rerum intellectus ægrè admodum abducitur ab his, atque ita ad conuersionem hominum opus est validis argumentis. Namque affectus ille noxius haudquaquam exuitur, quin prius lucida rationum series irradiet. Vnde cùm sit sacerdotis animas Deo conscio & auctore erudire; operæpretium est ei decernere cathedram, id est, Ius docendi. Alioquin dum caligabunt impij homines & indocti, ratione eorum imperitiæ, erit semper eis via inuia pœnitendi.

S. Thom. 1. 2. q. 118. art. 3.

Sacerdotum est ius docere.

Ex Historia.

Sacerdotibus suis voluit à sæculo Deus hæc iura esse illibata. Pharaoni nonne Aaron sacerdos Ius dixit? Annon Samuël, & hic sacerdos, Regem Saül mouit regno, quia sacerdotis munia impius vsurparat? Nunquid Elias Regi Achab fortiter obstitit, euerso Baal sordido simulacro. Sacerdotibus Euangelij facta est Iuris accessio, qua cessere etiam sacerdotibus Imperij apices. Scitum est quàm durè exceperit Ambrosius Theodosium Imperatorem, cuius & nurum Eudoxiam aspera censura castigauit Chrysostomus. Sancti Ludouici Regis Galli viget adhuc cultus & pietas in sacerdotem, quo vtebatur à confessionibus. Huic Rex semotis arbitris tantùm deferebat, vt aperto capite acciperet ab eo monita salutis, multaque deferret obsequia, quæ priuatus quisque referre alteri æquali homini cunctaretur.

Theodor. l. 3. cap. 17. Sacerdotes quinam arguerunt Imperatores noxios.

Socrat. lib. 6. cap 16. Sacerdotes honorauit S. Ludouicus Rex Gal.

Cùm igitur docere, hortari, & monere sint partes sacerdotis; sedulò debet Presbyter incumbere studiis, ne censeatur indignus munere quo fungitur, & ea censura feriatur, qua animaduertit Esdras in filios Berzellai, quorum mentio ingloria fit hoc contextu sacro. *Filij Berzellai quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio.* O sacerdotes, scriptura genealogiæ vestræ, est Scriptura sacra, hanc quærite labore improbo; Codices sancti sunt tituli sacerdotum, qui lectione iugi, & impigro studio comparantur. Qui nescius erit literaturæ sanctæ, ille indignus est sacerdotio, vtpote censendus cum Gente exotica & ignara rerum cælestium. Si hodie reuocandi essent ad examen plurimi sacerdotes, & eis indiceretur vt proferrent scripturam genealogiæ suæ, multi sanè ignari sacerdotium abdicarent.

1. Esdr. 2. Sacerdotum genealogia qualis.

Paucis Deus in lege veteri ostendit, cui rei vacare debent homines sacerdotio inaugurati. Ecce Dei sanctionem. *Scient singuli, cui debeant oneri mancipari.* Vt autem sciant, debent vacare literis, vt his, quantùm fas est Presbytero, quantocyùs imbuantur. Alioquin imperitos Canones sancti non admittunt initiandos. Accipe Canonem. *Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere, quia literis carens, sacris non potest esse aptus officiis.* Adiice hoc effatum Concilij Toletani. *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum doctrina.*

Num. 4. Sacerdotium non conferendum ignaris.

Ex Ivre Canonic. Can. Illiteratos Dist. 38. Can. Ignorantia. Dist. 38. Ignorantia mater errorum.

Aliquos reperire est sacerdotes profanis libris solùm intentos. In hos declamant Sancti, vt sacerdotio iniurios. Audiendus Isidorus. *Ideo prohibentur Christiani figmenta poëtarum, qui per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiua libidinum. Non enim solùm thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta capiendo.* Etsi præcipua sacerdotum studia pertinere debeant ad Scripturam sacram; non stat tamen per Hieronymum, quin aliis scientiis dent operam, dummodo hæc scientiarum omnium notitia suum præstet obsequium moribus excolendis. Sic fatur Hieronymus. *Si quis artem grammaticam nouerit, vel dialecticam, vt rationem rectè loquendi habeat, & inter falsa & vera diiudicet, non improbamus. Geometria quoque, & Arithmetica, & Musica habet in sua scientia veritatem; sed non est scientia illa, scientia pietatis. Scientia pietatis est nosse legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere, Apostolos non ignorare. Grammaticorum autem doctrina etiam potest proficere ad vitam, dum fuerit in meliores vsus assumpta.* Sed esto sacerdos calleat omnes disciplinas; si impiorum ritu vitam agit vitiis obnoxiam, incurret in discrimen sacerdotis Heli, qui è cathedra sua deorsum cadens, eliso capite disperiit. Namque cathedra indignus est ille sacerdos, qui moribus iniquis expungit pia dogmata quæ dederat, plusque nocet peruersè agendo, quàm prosit, si doceat eruditè. Et hoc luget Gregorius hac querela: *Nemo in Ecclesia nocet amplius, quam qui peruersè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.*

Ex SS. Patribvs. Isido. lib. de summo bono cap. 3. Libri Poëtarum Gentilium olim prohibiti Christianis.

Hier. in c. 1. ep. ad Titum. Disciplinæ quænam discendæ.

Gregor Papa part. Pastor. cap. 1. Sacerdotes iniqui quantum noceat.

In hos sacerdotes Canones seuerè desæuiunt, præcipientes compesci nefas, quod in dies gliscit, dum conniuent illis, ad quos censura pertinet. Audi decretum Pontificis. *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe cùm possis deturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Ne tacitus videar vobis annuere, ô sacerdotes inglorij, non possum cohibere zelum, qui me viget, vt inuehar

Ex Ivre Canonic. Can. Error. Dist. 84.

in vos tanquam in adulterini fœtûs abortiuum. O viperarum genimina, quare vtero matris vestræ facessitis negotium? Quare Ecclesiam ignominia afficitis, dum filiorum impia facinora vergunt in dedecus matris. Esto doceatis de suggestu, & ore garrulo enarretis populo ea quæ Dei sunt; dissonę tamen manus vestræ diruunt omne quod lingua loquax ædificat. Eamobrem vobis affingo symbolum quod prostat in theatro Ferri, qui pingit illud crepitaculum ligneum, quo vtitur Ecclesia triduo Passionis, quando campanæ omnes obmutescunt. Huic auribus importuno ligno adiicit has voces, CREPITAT, DVM SONORA SILENT. Quando diffluis illecebris, ô sacerdos, & ore pompatico te grandiloquuum præstas, profectò CREPITAS DVM SONORA SILENT. Manus namque tuæ, quæ operando loquaces debuerunt esse, tacent ore grandia perstrepente. Hoc vnum à te exigit dæmon vt garriat lingua, & manus penitus obmutescant. Scit draco ille vafer cæteros impelli ad ruinam, cum sese præcipites agunt in abyssum illi, quos aris obstringit professio singularis. Ideo crebrior est in tentandis sacerdotibus, imò vsque ad aras.

Sacerdos malus bona docens cui similis sit. Ex Symbolis. Ioan. Ferrus part. 1. Theatri.

Fauet Mathematica cælestis, quæ in globo imaginum cælestium locat Aram, quæ est sidus septem stellas habens, inter Scorpium & Sagittarium. Ara sacerdotes facit obnoxios telis Angeli refugæ, qui, vt Scorpius, quandoque arcuato ictu virus instillat. Eadem Mathesis ignem ardentem in illa ara locat. Quàm multi sacerdotes hodie etiam in ara ardent igne libidinis, quos aliquando Deus percutiet ad instar filiorum Aaron, qui igne profano litare olim attentarunt. Eratosthenes ait, Sagittam & Aram simul oriri: heu quot hodie sacerdotes ad aras accedunt, animo transfixo telis, & his indecoris. Sed etiam ad solamen piorum hominum, cum Ara simul oritur & Cygnus, suo candore notans esse etiam sanctos sacerdotes, quorum indolem assequemur, si audiamus Ambrosium sic hortantem. *Sobriam à turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, ac detritæ viæ orbitas declinemus: quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentum, inuiam operibus imperitorum.* FAXIT DEVS.

Ara vt est sidus, elegans descriptio. Ex Mathematica. Clauius in spharam. Ioan. Sacrobosco. Eratosthenes ad Arati Phænomena.

Ex SS. Patribus. Ambr. epist. 2. ad Irenæum. Sacerdos qualis esse debeat ex Ambrosio.



FERIA QVARTA DOMINICÆ II. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VNAQVÆQVE res nondum nacta suum finem, semper est inquies, vt videre est in omni re dissita à suo termino, & præcipuè in homine edito ad fruitionem Dei, quo quia plenè gaudere nequit in hoc sæculo, nutat semper errabundus in gyrum. Data opera Deus hominem effinxit anhelum in bonum, vt dum laborat in indagine boni, summo queat bono adhærere aliquando. Ille boni appetitus animam excitat ad orandum, vt Deus annuat votis, quæ in bonum collimant; Deus tamen offenditur, si preces aliqua peritura sonant. Eo nempe liberali ingenio Deus est, vt semper æterna gestiat impertire. Et hoc dicam primò, monens à Deo tantùm esse petenda cælestia.

II. Secundò dicam, non exaudiri preces, nisi ad Deum fundantur ea ratione, quæ Deum demereri potest. Nihil autem magis Deum inclinat, quàm ærumnæ æquo animo acceptæ. Christus eas calicem suum nuncupat, cuius amara potio etsi ingrata sensibus, tamen est animæ salutaris.

PRÆFATIO.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Matth. 20.

Pori Regis in vinculis animus regius.

PORVS Indiarum Rex iure belli ab Alexandro Macedone captus cautè detentus est. Rogauit eum Alexander quomodo vellet excipi; ille ait: Vt Regem decet, videlicet opiparè & regiè. Responsio hæc sublimem animum spirans, & ad excelsa anhelans victori arrisit: nam eum reddidit regno suo, ratus rem ingloriam ratus hominem deprimere, quem regius animus extollebat. Nihilo sanè Poro inferior vxor Zebedæi; nam prona conueniens Christum, filiis suis regna petit. Annuit eius petitioni Rex ille Regum, decernens vtrique filio regnum Dei, regnum omnium sæculorum. Et ne caderent regno, adiecit modum quo fierent compotes voti, scilicet vsum calicis sui. Calicem meum bibetis. *Fac & nos, Rex magnifice, participes calicis huius, quo largè potati, fiunt consortes gloriæ æternæ. O beatos filios, qui nacti sunt matrem adeo sollicitam de gloria prolis suæ! Non tamen illis inuideo matrem tam anxiam; habemus namque potiorem matrem, facturam sanè Deum nobis beneficum, si petierit nobis regnum Dei. Mater illa*

illa est Virgo Mater Dei, & mater nostra. Hanc veneremur. Aue Maria.

OMnium rerum est inquies status extra centrum. In rebus inanimis hoc flamma probat desinens in acumen, quo sursum vergit, vbi est sphæra ignibus assignata. Mobilitas illa præcipuè viget in homine, quem inclinantem in varia multiplex stimulat appetitus. Vnde & illi aptare potes illud Danielis: *Vir desideriorum es.* Potior tamen hominum propensio, qua velut in gyrum aguntur, ea est ambitio, seu appetitus ad gloriam. Eamobrem dæmon indolis humanæ conscius, vt sibi affectum hominis conciliaret, sicque suaderet esum pomi, mentitus est instare gloriam, si non cunctaretur vti fructu illo prohibito. Credulus homo anhelans ad gloriam, annuit, factus inglorius eo facinore, quo se credidit honorandum. Tota hæc mali labes non stetit in prima hac fœmina delinquente, sed gliscente contagio virus effusum in posteros, omnibus propemodum hominibus præcocis gloriæ indidit appetitum, cuius hodie specimen dedit altera mulier, scilicet vxor Zebedæi, mater Iacobi & Ioannis. Hæc alma parens anxia de commodo filiorum petit à Domino vt assignet eis principem locum in regno suo. Sic illa explicat vota sua mensuræ nescia: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Non est sanè quòd mulieri indignemur, Deum orat, & de Deo, licet ignara rei quam anxiè postulabat. Si aliquod eius orationi deliquium inest, hoc habet ex traduce, vtpote infusum ab Adamo & consorte eius Eua, vt ait Ambrosius, ita fatus: *Considerate Eua illius primæ mulieris hæredem, transfusâ in omnes immoderatæ cupiditatis successione labentem, quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum insolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam suo Christus cruore diluerat. Hæreditario igitur mulier delinquebat errore.* Intempestiuæ huic appetentiæ honorum volens Dominus occurrere, præsciens Iacobum & Ioannem teneri cupidine gloriæ, quam eorum mater debebat ipsis suo suffragio procurare. *Assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis & condemnabunt eum morte.*

Danie l. 9.

Ambitio homini familiaris.

Ambitio peccatum hæreditarium.

Ambr. lib. de fide ad Grat. cap. 3.

Matth. 20.

Eo breuiloquio Christus damnauit has quæ instabant preces sedulæ matris, vtrique filio optantis gloriam singularem. Quippe præscius ille Dominus videns errare mulierem, cogitantem Christum hoc in sæculo diademate coronandum, atque ideò quæsituram filiis suis insignes infulas, & præcipuos titulos dignitatum, ait illis esse ascendendum Ierosolymam, ea mentione ascensus illos erudiens, omnia vota nostra debere assurgere ad gloriam supernæ Ierusalem, cuius aditus tantùm peruius est illis, quos illuc euehunt cruces, ærumnæ, & egregia quæque facinora fortiter exantlata. Eamobrem mulieri enixè efflagitanti honores pro vtroque filio, indignans Dominus ait: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quasi diceret illud idem ab Apostolo vsurpatum: *Æmulamini charismata meliora.* Id est, nolite vilia petere, accingite vos ad cælestia, eamdem ineuntes viam, quam ego præuius agone multiplici demonstrabo. Hi duo sunt cardines, in quibus tota religio vertitur. Scilicet à Deo petere cælestia, vt dicam primò. Alterum est bibere calicem Christi, id est, æquo animo pati molestias, quibus væneunt præmia æterna.

Ambitio nostra debet ad cælum assurgere.

1. Cor. 12.

Pars Prima Homiliæ.

Deo iniuria est oratio, quæ caduca tantùm postulat.

VEridica sanè est ista propositio: Omnis peccans est ignorans; idem planè referens quod Christus ingeminat, cùm carpit Apostolos, de gloria hac fugaci sollicitos, vocans ignaros rei postulandæ. *Nescitis quid petatis.* Etenim nescius est veri boni ille, qui non æterna votis omnibus aucupatur. Ratio hæc est. Scientia est cognitio rerum per causas; sed qui in creaturas effunditur vt in bonum sibi congruum, ille non probè callet naturam causæ talis boni, atque ita inhians illi bono nescit quid petat, nec aliunde peccatur nisi ex eo fonte: nimirum hallucinans anima capitur illecebris, quas auidè inuestigat vt consona bona, cùm tamen omnia bona, quæ infra Deum sunt, hominem non satient, vtpote decurtata. Sic homo inscius peccat, etsi blandiatur sibi adeptus vilia crepundia, qualia sunt munera prosperæ fortunæ, quæ si vt bona præcipua versat animo suo cupidus homo, reuerà mentis eius cæcutit oculus, ideoque nescit quid petat ambiens hæc terrena. Quippe ignorat causam rei ardenter animo concupitæ. Etenim ex Aristotele. *Causa est id quod reddimus, cùm propter quid res quæque ita se habeat, inquiritur.* Particula hæc, *propter quid*, latè vsurpata causam efficientem notat, strictè verò pertinet ad finalem. Qui has duas causas ignorat, ille caligat in indagine boni, nec, vt par est, afficitur rebus obuiis, quæ etsi bonæ sint, non tamen eatenus bonæ sunt, vt debeant hominem totum penitus occupare. Verbi gratiâ, honores ex Philosopho præmia sunt virtutis, quibus accenditur homo ad ampliora specimina virtutis exerenda; non tamen honor est bonum vltimum hominis quo beari debet: nam illud bonum est perfectio hominis; honor autem hominem non perficit, sed est index alicuius perfectionis homini insitæ. Ergo qui petit honores huiusce sæculi, vt bonum idoneum ad beandum hominem, ille nescit quid petat, sicut nec ille qui à Deo opes emendicat, arbitratus gazas multo auro fœtas hominem facere Deorum consortem. Etenim vberes illæ facultates media sunt ad alia bona comparanda, vt sunt victus & vestitus. Item opes congruè dispensatæ pauperibus, conducunt ad gloriam æternam. Sic tota earum bonitas est penes vsum legitimum, & non penes possessionem. Itaque ille tantùm scit quid petat, qui opes petit vt media ad salutem, quibus pauperum leuet inopiam, Ecclesiarum reparet ruinam, aliaque id genus adimpleat munia pietatis. Quippe res scitur adæquatè quando cognoscitur, quo fine à Deo edita sit. Cùm ergo Deus omne hoc vniuersum fecerit vt homini inseruiat, & non secus vt ei famuletur homo. Profectò ille nescit quid petat, qui aliquid infra cælos petit.

Peccans quare sit ignorans.

Ex Philosophia.

Causa quid sit.

Arist. lib. 2. Physic. c. 3. text. 28.

Non inficior tamen esse petenda bona ista quæ prætereunt, vt sunt sanitas, bona fama, facultatum integritas; sed ea cautione petenda sunt, vt si secus faxit Deus, æquo animo repulsa sem-

per habeatur. Ideoque melius ſibi conſulunt illi, qui quaſi incurij mediorum, ad vltimum ſuum finem Deum iugiter anhelant, intenti gloriæ æternæ, iuxta exemplar vnicuique à Deo præſtitutum in oratione dominica, vbi enixè petuntur ea quæ pertinent ad regnum Dei, antequam fiat vlla commemoratio panis quotidiani. Fauet illa dictio, *Quid*, poſita in increpatione Chriſti. *Neſcitis quid petatis.* Nam vox illa, *Quid*, in Academia quidpiam eſſentiale ſonat, ſicut vox hæc, *Quale*, ſignat aliquid aduentitium ſeu accidentale omnino extrinſecum rei. Ergo cùm nullum bonum ſit, cui bonitas ſit à ſeipſo, & non aliunde, Deo excepto; Deus vnus erit illud vnum quid, ab ipſomet Deo anxiè poſtulandum. Aliis rebus infimis inuſta bonitas eſt precariò, atque ita accidentalis eſt, poteſtque adeſſe & abeſſe, ideoque qui deperit illa bona obnoxia deliquio, neſcit quid petat, quia non in *Quid*, ſed in *Quale* tendit.

Ex Theologia.
S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 5. ad 2.

Quare autem Deus velit à nobis peti bona æterna. Ratio eſt hæc Theologica. Oratio eſt actus religionis & latriæ, nos ad Deum dirigens. Ergo cùm de ratione finis ſit vt præſtet mediis quibus in finem enitimur; res in oratione petita debet eſſe nobilior illa actione, qua in Deum euehimur. Sed ſanitas, honor, & opes, res caducæ, ſunt infra dignitatem orationis. Ergo ne fiat iniuria orationi, aliquid à Deo petendum eſt, quod orationi præſtet. Illud autem eſt gratia, vel gloria æterna: ideoque alia omnis oratio deuia ab hoc fine, neſcia planè eſt rei quam petit, ſuumque decus ignorat oratio, quæ Deo præterito rogat alia, vtplurimum à Deo penitus aliena. Rurſus bonum non eſt bonum niſi benè fiat, id eſt, eo ordine, quem ſibi vendicat actio illa bona, Ergo cùm natura orationis ſit vt animam ſurſum vehat; ſanè illa oratio eſt immemor ſui, qua cunctatur anima nacta remoras; id eſt, hæc oratio hominem non attollit, quæ ideò fit vt homo ſanus diteſcat & emineat in hoc ſæculo; ſunt namque hæc omnia nexus qui præpediunt animam, & obſtant ne aſſurgat ad præclara. Adiice, actiones ſpeciem emendicare ſuam à fine, ideoque orationem non eſſe bonam, quæ deorſum inclinat: inclinat autem deorſum oratio, quæ à Deo petit opes, & alia eiuſdem claſſis, vnde homo impeditur à diuinis quibuſque negotiis. Sicque liquet veritas effati à me propoſiti, quod tale fuit: Omnis peccans eſt ignorans, cui Chriſtus ſuo etiam eloquio fauit, increpans Apoſtolos verſantes animo res inanes. *Neſcitis quid petatis.*

Oratio quæ it debet æterna tantùm à Deo poſtulare.

Oratio ex Tobia quid à Deo poſtulare debet.
Tob. 4.

Prælibatis à me lumen adiiciunt exempla precum, quas recenſet ſacer textus, vnde habemus Tobiæ conſilium de formula orandi. Sic ille filium ſuum erudiit: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in eo permaneant.* Hoc ſanè eſt aliquid petere. Etenim qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Petere autem adhæſionem illam, hoc eſt petere *Quid*, nimirum rem congruam intento Dei, qui vult ipſe oratione peti, & non alia à ſeipſo, vt Dauid præmonuit. *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me.* Vbi Auguſtinus hoc aduertit. *Aliud eſt aliquid inquirere à Domino, aliud eſt ipſum Dominum inquirere.* Crediderim ego fieri Deo iniuriam, cùm aliquid infra Deum exigit oratio, ideo intempeſtiua, & quaſi Dei auribus importuna. Mihi in ea ſententia propitius eſt

Pſalm. 33.
Ex SS. Patribvs.
Auguſt. in Pſalm. 33.

Caſſianus, ita fatus. *Nihil caducum vult à ſe, nihil vile æternitatum conditor implorari. Munificentia eius maximam irrogabit iniuriam quiſquis æternis prætermiſſis petitionibus tranſitorium aliquid & caducum ab eo maluerit poſtulare, & offenſam potius quàm propitiationem iudicis ſui vilitate orationis incurret.* Ne ergo repulſam patiatur oratio incongrua, audi Auguſtinum ſic hortantem: *Ora beatam vitam; quid enim te aliud oportet orare, niſi id quod cupiunt boni & mali, ſed ad quod non perueniunt niſi boni.*

Oratio caduca petens Deo diſplicet.
Caſſian. Collat. c. 23.
Aug. epiſt. ad Probam.
Oratio quid à Deo debet petere ex Auguſtino.

Eſto non modica virtus inſit orationi, ad demerendum Deum, non tamen penes eam Chriſtus repoſuit regni cælorum adeptionem, ſed adiecit vſum calicis ſui, id eſt cruces, & corporis animæque moleſtias æquo animo acceptas. Ideoque coronari voluit ſpinis, vt ad eruditionem noſtram, illa corona ſuo ſanguine deſudaret. Vt vel hinc reſcirent homines, coronas non proſtare, niſi ſanguine & agone fortiter acquirantur. Eo pretio nundinatus eſt regnum Siciliæ Carolus Germanus Sancti Ludouici Regis. Is accepit à Summo Pontifice regnum illud, ea lege, vt in illud armis irrumperet, & rerum potiretur, Manfredo homine ſpurio debellato. Cunctabatur Princeps inopia remorante conamina illius. Hoc vbi aduertit coniunx illius, multa ſupellectile auri & gemmarum diues, mundum hunc muliebrem vendidit, vt cenſeretur inter Reginas mundi. Nam magnam vim auri colligens, conſcripſit exercitum numeroſo milite grauem, cuius obſequio Carolus regni compos effectus eſt, multo tamen vtrimque ſanguine effuſo. Regina hæc vocabatur Beatrix, nomine ſuo beatitudinem ſpirans, cuius vmbram auidè ſectata eſt, dum venalia fecit monilia ſua, vt hinc optato regni diademate & ſymbolo cingeretur. Non pudeat, ô fideles, æmulari mulieris ingenium & facinus operoſum. Si beatitudinis æternæ nos cupido tenet, ſi aliquale deſiderium coronæ animas noſtras ſollicitat, miſſas faciamus opes, & omnia quæ ingerunt obliuionem rerum cæleſtium. Denique ſi ambimus infulas regni, non ſunt imbelli animo diſcrimina detrectanda. Non eſt ſanguini parcendum: quippe rubent ſanguine coronæ potiores, vt appoſitè effati ſunt coniectores illi, qui Lyſimacho augurati ſunt regnum; quia cùm graue vulnus in capite accepiſſet, eo vulnere curatus eſt ab Alexandro, accipiens diadema vice ligaminis, quo ſtetit ſanguis ille copioſus, qui & diadema cruentauit.

Ex Historia.
Summontius in hiſt. Neapol.
Caſ. Noſtradam. in hiſt. Prouinciæ ſub ann. 1265.
Regnum Siciliæ quomodo comparauit Carolus Andegauenſis.
Regni inſtantis omen habuit Lyſimachus ex vulnere.
Quint. Curt. de geſtis Alexandri.

Opportuna etiam eſt ſpeculatio illa Medica, quæ aduertit, cor humanum cingi tripla corona, quarum prima dicitur vena coronalis, aliæ verò duæ, arteriæ coronales. Natura ſic edocente, ſanguinem vtriuſque vaſis, venæ ſcilicet atque arteriæ, diademata parturire. Non equidem fortuitus eſt contextus ille coronarum trium, quarum ſeries ſupremas cordis oras inuoluens, hoc loquitur, videlicet cor noſtrum ſua omnia debere explicare vota, vt potiatur aliquando coronis, quæ ſanguine multo væneunt. Debere autem reſpuere alias coronas, quæ multiplici roſa vernant, quia his vt reprobis vilia capita coronantur. Quippe eorum eſt vox redolens animam quæ diffluit illecebris. *Coronemus nos roſis.* Ipſa coronarum forma deſinens in acumen clamat, multifariam angi & pungi eos, qui ambiunt coronari. Nam vt corona multos patitur æmulos, & æmuli multi vndique inſurgunt, ne alius concupitum

Ex Re Medica.
Andreas Laurent. l. 6. Anatom. c. 10.
Corona triplex cor humanum cingit.
Sapient. 2.

concupitum diadema referat; operæpretium est, cum quem corona suis infulis ornat, varia discrimina subitle. Idcirco Dominus hodie sermonem texens de ascensu suo in Ierusalem, illicò subiecit angustias suæ passionis, vt reticerent Apostoli, agones & coronas esse res indiuiduo nexu implexas. Et ne anceps cura coronarum distraheret animos eorum, sollicitos qua ratione queant diademati comparari; ait Iacobo & Ioanni, calicis vsu eos fore compotes gloriæ suæ, nec quempiam posse coronas alio pretio quàm sanguine nundinari.

Corona æterna sanguine demerenda.

Quare autem gloriæ illi æternæ debeant præire certamina, angustiæ, & plurima corpori ingrata, ratio hæc est. Corona gloriæ conceditur adultis hominibus ratione mercedis; merces autem supponit meritum. Sed ratio meriti multa importat ardua facinora, quæ sunt obeunda, vt meritum inde exurgat. Ergo vt mereamur gloriam, debemus nos accingere ad pleraque operosa negotia: nam Beati dicuntur populus accinctus, id est, semper paratus ad prælium. Ita eos recensuit Propheta. *Requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* Quàm autem graue negotium facessat carni natura meriti, audi ex Theologia. Meriti radix tota petitur à duobus, videlicet à charitate & à voluntario. Charitas facit vt res volita Deo sit accepta & beneplacens. Voluntarium verò elicit actum charitatis, quæ in puerulis Baptismo initiatis est in habitu tantùm, nullo actu exercito adhuc erumpente foras. Vt autem actus aliquis sit meritorius debet versari circa ea quæ Dei sunt, tanquam ab eo præcepta, vel præostensa veluti media congrua fini nostro, id est, beatitudini æternæ, qualia sunt orationes, eleemosynæ, ieiunia, castitas, cæteraque id genus. Sed hæc homo obire nequit citra discrimen & hoc continuum carnis & animæ, quarum sunt semper discordes & dispares appetitus. Verbi gratiâ, dum in orationem se componit anima ascensura in Deum, multa obstant rerum inanium simulacra, quibus obruitur animus, atque ita impos efficitur ad vacandum orationi, quæ requirit mentem omnino defæcatam. Si ergo anima velit efficaciter in Deum assurgere, cautè exuet aliarum omnium rerum curam, vt Deo soli intenta vacet, & validè obstabit ne irrepant ideæ aliæ à diuinis penitus alienæ. Et in eo haudquaquam est opus homine leuis armaturæ, vt frangat tædium quod exurgit ex continua illa corporis & animæ rixa.

Ex Theologia.
Corona æterna quare detur solùm certantibus.
Habac. 3.
Thom. 1. *p. b.* 95. *art.* 4.
Meriti radix vnde sit.
Opera bona aliquam habent difficultatem.

Si verò res est de eleemosyna eroganda, caro suggerit illecebras, vt epulas, vestium pompam, & alia, quibus comparandis idoneæ sunt opes pauperi consectatæ. Mundus ait esse fouere ignauiam egenorum, si eis piorum hominum stipe consulatur. Velle autem quod caro nolit, & dispergere in pauperes aurum quod collegit anxia mundi cura, hominem id lancinat & cruciat. Grauior est pugna, quam subit homo ieiunus & castus: quo namque grauiora conamina insurgunt, eò etiam victoria potior est. Sed nihil æquè hominem sollicitat, ac esca & libido, quibus continuò vrgetur homo vt aculeis, quorum acumen retundere, res est operis ardui. Ad escæ cupedias illicit ille calor, qui depascit humidum radicale indigum opis petitæ à cibis, vnde resarciat illud quod calore insito deperit: Venerem autem accendit cibus, quo vt fomite scintillat ignis luxuriæ. Itaque cùm nequeat homo viuere impastus, & ciborum reliquiæ diffluant in obscœnam colluuiem, iugis erit pugna, quæ lacesset hominem si contineat & ieiunet: atque ita corona, quæ decernitur ieiunio & castitati, non est citra portionem calicis Christi, qui his argumentis voluit probare amorem nostrum. Cùm enim amor vnionem dicat, nemo adhærere Deo potest, quin se ab eis expediat quæ Deo sunt iniuria. Deo autem non conueniunt illecebræ mundi, & carnis, ideoque eis est bellum perpetuum indicendum. Et quia plerumque præualent illecebræ decipientes hominem, sæpe insciis nobis imò & inuitis ingruunt molestiæ, & ærumnæ graues, quibus impetitur caro, & angitur animus, Deo sic prouidè omnia moderante. Nihil enim adeò expeditè diluit nexus cuiusuis illecebræ, vt ærumnæ, quia sic animus liberiori impetu in Deum fertur. Ratio hæc est.

Amor Dei quibus probetur argumentis.
Amor vnionem dicit.

Homo bifariam se habet in agendo: aut sequitur appetitus sensitiui ductum, aut dictamen rationis. Si rationis lumine ducitur, vitam agit supparem Angelis, vtpote Deo gratam, à qua tantùm diuellitur appetitu sensitiuo suadente voluptatis vsum. Si ergo deliciarum omnium experientia tollitur, & appetitus sensitiuus langueat imbellis, profectò integra erit ratio, & eius obsequio Deo propior erit homo Igitur ærumnæ, & omne quod facessit negotium & quasi extinguit appetitum sensitiuum, quam maximè conducunt ad coronas, quas etiam cælica Mathesis obseruat esse turbini obnoxias. Ait enim Ptolemæus, vndecima die Octobris, matutino tempore emergere coronam; sic enim appellat sidus illud, in quo in orbem coëuntes stellæ, coronam referunt rutilante gemma prædiuitem. In eo autem coronæ exortu aduertit ille peritus in re Astronomica concurrere ventos & eorum flabra versare mare turbine multo, & tunc hyemem asperitatem rigoris sui explicare hominibus, qui transfretant. Eosdem etiam patiuntur æstus, omnes quibus irradiat corona æterna; multi occurrunt obices ex parte dæmonis, mundi, & corporis. Quippe etiam ipso assertore Christo. *Inimici hominis domestici eius.* Quidquid hominem vexat, turbo est, vtique dispergens & dispescens animam à corpore, quia molestiæ dum illecebræ sensum tollunt, consulunt animæ; quæ sic angustiarum vt maris aspergine abluta tersior emundatur. Vt primùm anima audit mentionem fieri coronæ æternæ, statim insurgunt motus, qui hominem in varia distrahunt. Dum namque mens recolit quàm aberret à gloria illa adsciscenda sibi, & cogitare incipit regressum ab impio & inolito ritu, ingens procella totum concutit hominem, & animo meditante meliorem frugem, & corpore reluctante. Hæc corporis & animæ rixa consequitur coronæ exortum, id est, prima rudimenta vitæ Christianæ. Sed vbi prouectior anima enititur ad coronam demerendam, maiora manent eam certamina, ea scilicet quæ subiit Christus, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Eamobrem Iacobo & Ioanni ait: *Calicem meum bibetis.* Vocat suas passiones, eas quas obeunt homines in gratiam beatitudinis. Primò quia eo decernente ingruunt angustiæ, & nihil Deo inscio accidit nobis. Secundò quia à Passione Christi habent, vt diademа mereantur.

Homo bifariam se habet in agendo.
Ex Mathematica.
Ptolemæus lib. de significatione stellarum inerrantium.
Matth. 10.

Pars Secunda Homiliæ.

Cælestia ærumnis prostant.

QVare autem molestias omnes nomine calicis recenseat Christus, illud petendum est à Symbolo calicis. Calix duo significat, videlicet iniquitatem, & pœnitentiam. Iniquitatem quia reprobi dicuntur bibere sicut aquam iniquitatem. Ideò anima vitiis omnibus obnoxia, depingitur à Ioanne instructa calice aureo, & habitu singulari, quo signatur agmen omnium peccatorum. Sic ille: *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem, & mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius in fronte eius scriptum: Mysterium: Babylon magna mater fornicationum.* Tota hæc pompa redolet omnem vitiorum colluuiem. Nomine muliebri censetur illa anima, cuius ideam lineat Apostolus. Etenim anima diffluens illecebris nihil habet in se masculinum, sed est tota imbellis atque fœminina, imò & bestia, vnde & bestiæ dicitur insidere, id est, pecudum more in inertiam frangi. Et hoc notat illa sessio symbolum ignauiæ, quæ habet capita septem, dum septem peccata lethalia impunè perpetrat. Hæc tamen acedia non obstat, quin suppetant vires ad conterendas tabulas Decalogi, vnde & dicitur habere cornua decem, vt decem præcepta legis comminuat. In purpura & gemmis superbiæ typhus assurgit. Nomina blasphemiæ clamant inuidiam, quæ acuit linguam, vt detrahat & crebrò nomen Dei frustrà & iniuriè vsurpet, vnde & ita calet notata blasphemiis in quas despumat lingua excandescens. Luxuria fœtet in voce fornicationis, vt & gula seipsam prodit cùm dicitur ebria. Sic vitiorum omnium contextus graphicè exprimitur nomine calicis aurei pleni abominatione: siquidem suauiter ebibitur iniquitas auro cincta, quia auaritia aurum multum colligit illecebris.

Calix duo significat.

Apoc. 17.

Vt calicis huius perniciem fugerent Apostoli, Christus alium calicem inuexit, scilicet passiones, quas primus ebibit notatas in felle & aceto. Non tamen omne poculum hausit, sed suis sequacibus partem idoneam vnicuique reseruauit, & id in medelam lethalis haustus, quem homo à dæmone, mundo, & carne accepit: habent namque ærumnæ vim medicam, quæ occurrit ægris, vt fusè probat Augustinus, hoc contextu. *Si noluimus obtemperare medico vt non ægrotaremus, obtemperemus vt ab ægritudine liberemur. Dedit nobis præcepta medicus sanis, dedit præcepta medicus, ne medico indigeremus. Sani præcepta contempsimus, & experimento sensimus, in quantam perniciem nostram præceptum illud contempserimus. Ægrotare iam cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis sumus, sed non desperemus. Quia enim ad medicum venire non poteramus, ipse ad nos venire dignatus est. Non contempsit saucium contemptus à sano. Non destitit dare alia præcepta languenti, qui prima custodire noluit ne langueret, tanquam diceret: certè experimento sensisti verum me dixisse quando dixi: Noli tangere hoc. Sanare ergo tandem & reminisce. Ecce porto infirmitatem tuam. Bibe amarum Calicem; tu enim tibi fecisti: præcepta illa mea, quæ sano data sunt, tam dulcia, contempta sunt. Cœpisti laborare, sanari non potes nisi amarum calicem biberis, calicem tentationum, quibus abundat hæc vita, calicem tribulationum, angustiarum, passionum. Bibe, inquit, bibe vt viuas. Et ne responderet ei languidus: Non possum, non fero, non bibo; prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus.*

Ex SS. Patribus.

August. de verb. Dom. in Euang. secund. Matth. serm. 18.

Calicem nobis ægris Deus decreuit.

Calicē amarum sibi propinauit homo.

Nota, nos in tria discrimina incurrisse peccando, quibus it obuiam calix passionum. Primò anima ægrotauit. Secundò eo animæ deliquio præualuit caro. Demum procul à Deo abacti sumus. Primæ labi occurrit calix, prout pharmacum adfert. Hinc Medicis decernere potionem, idem est ac diluere catharticum, quo fæces noxiæ secernuntur. Caro viuacior effecta calice Christi extinguitur, iuxta vetus symbolum calicis apud Græcos, apud quos in more positum erat ex poculo dare cicutam nefariis hominibus, quo etiam genere mortis Socrates è medio sublatus est, qui hausturus lethale poculum ait: ego propino Anito & Melito. Hi duo viri nequam erant æmuli Socratis, quem apud populum vt reum detulerant, obtentâ in eum capitis sententiâ. Illis Socrates propinauit volens deglutire lethale virus, id est, eos ad simile poculum mente præscia prouocauit. Nam Socrate extincto, hi duo iniqui delatores, eodem poculo vindice perierunt. Christus morti addictus est, damnationis eius conscia carne nostra, cui moriens propinauit. Macte, ô fideles, quos pœnitentia sollicitat ad sanctius vitæ institutum; caro quidem vos seduxit, & velut anima sternente præualuit, æquo animo accipite mala quæ ingruunt, morbos, iniurias, & iacturam rei familiaris. Imò & carni facessite negotium, inediâ & modico victu, & operosa virtutum praxi. Hoc calice caro extinguitur & anima recreatur.

Peccatum in quæ nos discrimina adduxit.

Calix à Socrate propinatus Anito, & Melito.

Voluptas figurata in Babylone illa confusionum matre, inebriauit nos calice suo pleno suauitate; Christus vt resarciret hominum dispendia felleo calice propinauit nobis, iuxta illud assertum Iuris Canonici. *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Libero arbitrio inebriati sumus calice Babylonis, vnde tanta animæ pernicies. Vltrò etiam accipiendus est ille calix passionum Christi, vt contracta nostris piaculis debita dissoluantur. Ea namque virtus eius calicis est, vt animam vegetet, & non modicum gratiæ adferat incrementum, vt hoc carmine lusit Beatus Prosper.

Ex Ivre Canonico.

Cap. Omnis.

Obligatio quomodo dissoluatur.

Tribulatione splendescit homo probus.

Ex SS. Patribus.

Mens etenim recta, & puri sibi conscia cordis,
Hoc plus splendescit, quò magis atteritur.

Prosper. Epigram. 52.

Nonne & Iob auctus est gratiis, beneficio calicis huius, vt notat Gregorius. *Iustus Iob ante flagella extitit, sed iustior post flagella permansit, & laudatur à Dei voce, postmodum creuit ex verbere.* Rursus calix fœderis est tessera, imò & aliàs nuptiarum; ait enim Alexander, eum riualem, cui puella desponsanda propinasset, fuisse in sponsum eo signo poculi designatum. Ita & in sacris, calix Iosephi abditus in sacco Benjamin, nota fuit amoris præcipui. Imò & Deus à Dauide calicis nomine recensetur. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Fieri namque participem calicis Christi, hoc est, habere inhabitantem

Greg. lib. 8. Moral. c. 1.

Calix est fœderis nota.

Calix est amoris signum.

B. Thom. à Villa-noua conc. de S. Iacobo.

tantem Christum, cuius amoris in nos calix ille est specimen singulare, vt affirmat Thomas à Villa-noua, ita fatus: *Hoc signum amoris, hoc indicium æternæ hæreditatis, si me hic fecerit consortem sui calicis.* Adiice & Tertullianum, sic monentem: *Quin insuper gratulari, & gaudere nos decet dignatione diuinæ castigationis.* Eamobrem placet symbolum quod excudit Ægidius apud Typotium, pingens calicem, hoc titulo, INSONTIBVS. Iustis namque dumtaxat calicem suum dicat in argumentum instantis gloriæ.

Tertul. lib. de patient. c. 11.

EX SYMBOLIS. Ægid. Sadel. lib. 1. symbol.

Calici & gloriæ esse quidpiam affine expertus ille pincerna, qui vt coniectori suo retulit se in somnis adstitisse Regi, & calicem obtulisse, veridicus augur illicò subiecit: *Recordabitur Pharao ministerij sui, & restituet te in gradum pristinum.* Erat hic pincerna arctò clausus ergastulo, cùm dormienti simulacrum calicis occurrit. Vtilior sanè erit nobis vsus calicis Christi, si insomnes nanciscatur nos conuiuas, Christi poculum fellis & absynthij minimè detrectantes.

Genes. 40.

Denique hæc esto postrema ratio petita à Iure Cæsareo: Christus nos hæredes instituit, ea cautione, vt calicem passionis & ærumnarum ebibamus. Si ergo nolumus excidere ea opima hæreditate, hilariter hunc calicem amplectamur. Ecce textum legis ab Antonino Imperatore latæ. *Conditioni, sub qua testamento matris tuæ hæres instituta es, si non paruisti, locum habet substitutio.* Audi ex Damiano hoc calice in gloriam homines euehi. *Diuina dispensatio ad hoc suos temporaliter verberat, vt perpetuis eos flagellis abscondat. Ad hoc premit, vt eleuet; ad hoc secat, vt sanet; ad hoc deiicit, vt exaltet. Qui enim bona agit, & mala suscipit, quidquid sibi iusta retributione in terra subtrahitur, hoc illi in cœlo multiplicius cumulatur.* Hoc itaque calice inebriamini. Amen.

EX IVRE CIVILI. Lege Conditioni. Cod. de Institution.

Dam. lib. 8. epistol. 6.

Calix est quid præuium ad gloriã æternam.



FERIA QVINTA DOMINICÆ II. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT plerique morbi diffluunt à parentibus in prolem; ita & Adami vitia totam ferè prosapiam suo contagio fecêre sauciam. Vitiorum omnium caput fuit superbia, cuius est caput attollere, rari sunt quos non infestat illa labes, & qui nolint assurgere supra coæquales suos. Et quia diuitiæ conducunt ad comparandos honores, & vestium pompam; insana cupido diuitiarum plerosque sollicitat ad coaceruandas opes, quarum suffragio intentum habeant, scilicet aliis emineant, quasi præesse hominibus sit abditæ deitatis argumentum. Diues quasi diuus multo auro tumet, & tumor hic est lethalis, vt ostendam priori parte, quæ funus aget diuitis epulonis, cuius excidium probat, auaritiam deducere homines in abruptum.

II. Secundò recensebo Lazari angustias, & supremum funus exceptum ab Angelis. Vnde probabo, idoneum medium ad salutem peti ab opum floccipendio. Nimirum paupertas hominem expeditum facit à nexibus, qui diuites irretiunt, obstando ne homines variis rebus impliciti cælestia quandoque recolant.

PRÆFATIO.

Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Luc. 16.

MVLTI Hebræorum pertæsi mannã Angelorum escam, cœpêre flagrare inglorio desiderio carnium, vt se pro arbitrio suo ingurgitarent. Deus suam ulturus iniuriam, annuit votis hominum, quos ventris ingluuies in hoc vitæ discrimen adduxit. Quippe ministerio venti vehementis in media eorum castra infinita propè volatilia adduxit, quæ vbertim occisa à carniuora plebe, parata sunt ad epulas, quibus dum inhiaret gulosus ille populus, saniens ira Dei multa millia extulit. Etenim misit ignitos serpentes, quorum morsus virulenti igne abdito homines accendebant. Constat quidem nobis de internecione corporali, qua populata est castra illa conscia criminis à me pralibati. Sed piè crediderim multos in eo agone Deum demeruisse contritione praula, ideoque dico eorum sortem esse præferendam illi, quam hodie enarrat Christus, dicens hominem prædiuitem, & distento abdomine epulas eructantem, sepultum esse in inferno, vbi perenni flammâ colliquatur adeps, quo pinguior effectus est, cùm Lazarus impastus emarcuit; inde diuite beatior, quia est iam consors Christi & Mariæ, quam veneror, dicens: Aue Maria.

ETsi quandoque curentur plagæ, quæ altè aliqua membra permearunt; tamen vertente Luna, plaga etiam obducta cicatrice malè afficitur;

citur: quippe huic sideri vis est indita singularis versandi humores. Cùm Adam diuinitatem appetiit, grauiter ictus est à dæmone, qui eodem impetu totam hominis prosapiam pessimo vulnere sauciauit. Nimirum gloriæ appetitus singulos quosque stimulat homines, quamuis Christus dignatus sit suo sanguine vulnera hominum illinire. Chymici argento indidêre nomen Lunæ, arbitrati Lunam dealbare materiam, quæ concrescit in argentum. Validè prurit appetitus, quando hæc Luna vertitur, id est cùm ei argenti species obiicitur: quippe arbitratur homo, in cumulo argenti esse recondita semina deitatis, quia omnia argento væneunt. Vnde creduntur opes esse compendium omnigeni boni, & dicitur diues quasi Diuus. Itaque quando hominis animo rutilat argentum, chymica hac irradiante Luna, appetitæ deitatis plaga recrudescit. Eamobrem immodicus amor opum anxiè sollicitat hominem, cui ab auiditate auri, auari nomen affingitur. Græcis illa auiditas dicitur φιλαργυρία, id est, amor argenti. Deus præscius malorum, quæ magna vis argenti vehit, imis terræ visceribus abdiderat hoc metallum, vt noxium malè vtentibus; sed auaritia, cui nihil inuium est, penitiora quæque rimans terræ viscera, eruit hoc lethale virus in sui perniciem, scilicet vt pretioso amictu insolescerent homines, litarent Veneri libidine accensa, seruirentque abdomini, epulis indulgentes. Ille est contextus vitæ ditiorum hominum, sicut & historiâ hodiernâ liquet. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Dispendium quod incurrit homo auarus, liquet ex sorte, quam subiit iniquus iste diues, quo pereunte pauper Lazarus inopiâ sibi consuluit, factus Angelorum consors. Bibit diues ille epulo calicem Babylonis, factus & ipse Babylon magna mater fornicationum. Sed cecidit Babylon illa magna, & facta est habitatio dæmoniorum. Nam *mortuus est diues & sepultus est in inferno.* Dicam primò immodico amore opum perire homines. Secundò rerum inopiam maximè conducere ad salutem.

Aurum quare imis terræ visceribus absconditum.

Luc. 16.

Pars Prima Homiliæ.

Quam noxia sit homini immodica auri cupido.

CVIusque rei ruina petitur à defectu illo, vnde peruertitur. Nam rei peruersio est summum malum eius, quod eatenus est malum, quatenus deficit à bono. At bonum omne in tantùm est bonum, in quantùm seruat modum à Deo sibi præstitutum, à quo si iam deuiat, iam non est bonum. Etenim de ratione boni est, vt sit in modo & specie. Ergo cùm opes sint à Deo institutæ, vt media quædam vtilia ad salutem corporis & animæ, ille peruertitur qui eas plusquàm par est amat, arbitratus in eis esse summum bonum. Et inde potissimum arguitur malum quod ingerunt opes, dum speciem bonorum omnium induunt, oculis illudentes. Dum enim animus anhelus in opes, fertur in eas vt in vltimum finem, toto cælo aberrat, vtpote in Dei locum sufficiens auri & argenti inania simulacra. Ideoque Paulus auaritiam notat, vt quàm maximè iniuriam Deo, quia Deo debitum obsequium pendit auro & argento, cùm amorem suum omnem effundit in thesauros, vt in beatitudinis summam & indubium argumentum.

Ex Theologia.

Thom. quodlib. q. de auarit. art. 2.

Opes quando sunt noxiæ.

Quàm sit fœda colluuies emergens ex immodico opum cultu, compendiosè perstringit Apostolus hac breuiuscula parænesi. *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus.* Commune quidem est omni peccato hominem à Deo auertere; sed auaritia validiùs hominem distrahit, quia quantumuis exurgat cumulus opum, hominem non satiat, nec vllum fastidium ingerit auri possessio. Aliæ verò omnes carnis illecebræ, suas habent inducias, quibus homini parcunt. Verbi gratiâ, homo nimio cibo ingesto, & distento abdomine eructans crapulam, non capitur epulis, quia satur est, & hebes feriatur appetitus. Item homo immodica libidine in Venerem fractus, corpore effœto minus vrgetur stimulis luxuriæ, quæ vtplurimum satiata fœtet. Sed in auro & argento cuncta placent, omnia rutila & corusca semper irradiant, ideoque nulla fastidij ansa auaro porrigitur, cui eamobrem certa pernicies dicitur imminere.

Coloss. 3.

Quare autem homo arctissimè vinciatur auro & argento, & quare ægrè admodum auari resipiant, ratio hæc est petita à Philosophiæ fontibus. Quò plus aliquid participat rationem boni, eò etiam validiùs vrget & concutit appetitum. Ergo cùm auarus credat inesse opibus eminenter bonum omnigenum, eo etiam affectu prosequitur opes, per quem sibi vendicat omne bonum. Quippe credit ille auri auidus, beatitudinem esse penes congeriem auri & argenti, quia comparatur opibus omne quod beare potest hominem in sæculo, scilicet honores, epulæ, libido, & rerum omnium opulenta supellex. His omnibus vt cancellis suis felicitatis ratio concluditur, etiam iuxta mentem Aristotelis, qui hoc deposcit, vt sit sarta tectaque felicitas, videlicet vt sit perfectum quoddam bonum, per se sufficiens, & cum delectatione. In tantùm autem res creditur esse perfecta, in quantùm eminet, & excellit. Ideoque honor index excellentiæ appetitur vt bonum homini conueniens, quia excellentiam prodit rei quæ excellit. Hoc bonum acquiritur opibus, nihil namque non vænale est. Sufficientia, quam requirit Aristoteles, vt felices sint homines, est etiam in opibus, quæ & stipantur illecebris, quæ delectatione afficiunt corpus, vti videre est in diuite nequam, in dedecus hodie recensito. Ne iniquus ille homo opibus grauis æuum ageret inglorium, induebatur purpura & bysso, vt hac vestium pompa quæreret gloriam. Et vt diuitiæ scelerum sunt feraces; textus Euangelicus memorans epulas quotidianas, satis superque notat libidinem, & omnium vitiorum agmen, quo stipantur epulæ plus nimio frequentatæ.

Ex Philosophia.

Opes quare auidè appetantur.

Arist. lib. 1. Ethic. c. 2.

Itaque auarus implexus tot vinculis nequit suos diluere nexus, atque ita nequit eniti ad superna, vt probauit ille adolescens, qui importuna auri sarcina pressus, Christo adhærere cunctatus est, vt meminit Lucas. *Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest, omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. His ille auditis, contristatus est; quia diues erat valde. Videns autem Iesus illum*

Luc. 18.

illum tristem factum dixit: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Nota eum abiisse procul à Christo, etsi ille eum vocauerit ad se dicens: *Veni & sequere me.* Quò enim quis ditior est, plus etiam à Deo distitus est. Et hoc bellè demonstratur ex figura Mathematica, scilicet ex triangulo erecto in formam pyramidis. Tres lineæ componunt hanc figuram, duæ coëunt in puncto, sed dum deorsum se demittunt à se inuicem recedentes, incidunt in lineam transuersam, quæ dicitur basis trianguli. Quò autem longior est linea basim constituens, eò etiam magis duæ collaterales lineæ recedunt à superiori puncto à quo processerunt. Ita anima & corpus à Deo vt à rerum omnium puncto processerunt. Deo ita statuente, duæ illæ lineæ in hoc æuo deorsum vergunt, & aliqua substantia indigent, qua vt basi in hoc sæculo fulciantur. Sed si nimium diffundatur illa basis, rerum copia & diuitiis, profectò animæ & corporis distantia à Deo erit summa. Namque anima tumens superbiet, & corpus libidini & epulis inhibebit. Vide hodie fastum in purpura & bysso; libidinem autem & reliquam luxuriæ supellectilem in epulis assiduis. Demum quantùm diuitem hunc elongauerit à Deo linea illa profusior, id est opima rerum omnium seges, patet isto eius epitaphio. *Mortuus est diues, & sepultus in inferno.*

Opes desideratæ supra modum hominé à Deo segregant.
Ex Mathematica.
Euclid. lib. 1. elem. geomet. prop. 44.
Luc. 16.

Allusit ad hanc demonstrationem Matheseos Præsul Saluianus, dum hæc dictauit. *Quantùm tibi copia accessit, tantùm tibi disciplina recessit, & prosperitas venit quæstuum cum magno fænore detrimentorum. Quantò Ecclesia ditior multitudine, tantò vegetior deuotione; latior corpore, angustior mente, eademque & in se maior, & in se minor, nouoque pene & inaudito genere processus & recessus, crescens simul & decrescens.* Diues ille nebulo, in hoc quidem sæculo longè latéque spatians, rerum omnium vbertate dilatatus est. Sed vbi mors diuitis & Lazari vices alternauit, ille aliàs ditior, in arcto positus est, perpetuo carceri mancipatus. Vnde & manus mendicas aperuit, petens à paupere erogari sibi stipem.

Opes & virtutes non sunt simul.
Ex SS. Patribus.
Saluian. lib. contra auarit. c. 1.

Congrua sanè etiam Iuri Cæsareo pœna mulctatus est epulo. Hoc Iure serui transfugæ ad Barbaros, damnantur ad metalla, vbi egestate & ærumnis conficiuntur, licet in auri fodinas vitam agant. Ecce edictum Imperatoris Constantini. *Si fugitiui serui deprehendantur ad Barbaros transeuntes, aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur.* Auarus homo supra modum auidus opum, Deum auersatur, atque adeò refuga est, vtpote transiens ad partes infideles. Etenim infidæ sunt omnes sæculi facultates. Pes cupidis opum amputatur; quia nequeunt inire viam cæli. Damnantur ad metalla; præcipua namque negotia diuitum, sunt versare nummos, quorum anxietas eos efficit infelices. Nempe nequit opum suffragio beari homo in hoc sæculo, quia beatitudo hominem perficit; illud autem quod perficit, debet esse perfectius eo quod perficitur. Sed opes longè inferiores sunt homine. Rursus diuitiæ sunt fugaces, & tamen de ratione beatitudinis est, vt semper sibi constet. Ea fuit mens Augustini, cuius sensa cape. *Quaramus quid sit hominis optimum, quod profectò deterius esse quam ipse homo non potest. Quisquis enim quod seipso est deterius sequitur, fit & ipse deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Id est, beatum esse, ad tale bonum peruenisse quo amplius non potest. Hoc igitur si est, tale esse debet, quod non amittat inuitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id amplectique voluerit. Quisquis autem de bono quo fruitur non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest?*

Ex Iure Civili.
Leg. Si fugitiui. Cod. de seruis fugitiuis.
Serui transfugæ quomodo puniantur.
Ex SS. Patribus.
August. lib. 1. de morib. Eccles. c. 3.
Bonũ optimum hominis quale sit, cui inhærere debet.

Illa diuitum anxietas, qua torquetur inquies eorum animus, metuens opibus ne excidant, fidem fecit isti effato. *Semper auarus eget.* Reuerà egenus est in hoc sæculo, quia nescit vti diuitiis. Pauperior item erit in inferis, vbi indigus aquæ, ad solamen eam petet à paupere, repulsam passurus in æternum, quia pauperes ipse à mensa sua repulit impastos. Id sanè consonat æquitati, vt diues impius, qui manum aliàs pauperi clausit, negans debita egeno stipendia, eamdem aliquando manum explicet stipem flagitans ab inope. Similem passus est catastrophen Rufinus præpotens homo Consularis, & immensa cupidine auri vir famosus, orbi maleficus, omnium hominum optimis insidians. Ille, vt diuites omnes auro intumescunt, voluit indui purpurâ & bysso; siquidem de imperio vsurpando cogitauit. Sed vt sordidum est hominum genus; vir auarus luit pœnas congruas crimini: quippe amputatum est ei caput, & execta manus dextera, quam milites ostiatim circumferebant in ludibrium hominis nefarij, petentes aliquid dari homini, quem nimia vis auri egenum effecerat. Profectò manus impia pauperi, debuit in pœnam noxæ penitus exturpari.

Auaritia Rufini.
Rufini superbia punita.
Ex Historia.
Hist. Imperial. sub ann. 395.

Diues epulo Lazaro pauperi supplex aduoluitur, & incassum, vt fusè & eleganter expendit Chrysologus sermone de diuite, quem tu consule. Præteriit pompa omnis figurata in purpura & bysso, nobili amictu exuitur ille qui non est miseratus nudum Lazarum. Hodie multos Deus exuit facultatibus suis, quia & illi fortè prius alios exuerunt. Ita actum est cum Basilisco Imperatore, qui eiecto Zenone, sitiens aurum, populis extitit grauis, multo ære imposito, quo Romani Imperij sanguinem exugebat. Non tulit exercitus hominis auidi crudelem indolem; ideò eum vinctum tradidit Zenoni æmulo eius, à quo actus est in desertum, vbi exul & inops fame disperiit. Sitit in inferno diues, qui Lazaro impius denegarat micam panis. Eadem sors manet omnes, qui simili ritu pauperes abigunt, dum genio indulgent, epulis vacant, se totos Baccho & Veneri mancipantes. Ideoque placet eis affingere symbolum istud recensitum in theatro symbolorum, vbi depingitur serpens mutatus in draconem, quia multos alios serpentes absorbuit. Titulus iste illi adiicitur. ALTERIVS ME PRÆDA SAGINAT. Serpens namque nisi serpentem comederit, non fit draco. Auarus etiam non ditescit, nisi pauperum substantiam ore vorati & patulo deglutiat. ALTERIVS HVNC PRÆDA SAGINAT. Fit inde draco assumens alas, nimirum ambit magistraturæ infulas, quibus aliis satagit eminere. O auare, rerum oblite tuarum, dum pauperum facultates adiicis tuæ, efficeris quidem draco; cum altero etiam dracone, scilicet diabolo, puniendus. Non ideò concessæ sunt opes, vt earum ope tumeas fastu, aduocatis purpura, bysso, & reliqua supellectile, qua homines se componunt vt pompaticè incedant. Electus es à

Hist. Imperial. sub ann. 477.
Auaritia Imperatoris Basilisci punita.
Auaritia crudelis est.
Ex Symbolis.
Ioan. Ferrat p. 1. Theatri.
Auari symbolum.
Auari non dispensant opes vt Deus decreuit.
Diuites à Deo electi vt sint dispensatores.

Deo rerum potiente, non vsurpator opum, sed prudens dispensator. Non te itaque alterius præda saginet, sed potius inuigila, ne inediá marcescat aliquis egenorum.

Ex SS. PATRIBVS.
Leo serm. de collectis.
Isidor. lib. 3. de summo bono cap. 6.
August. in Psalm 147.
Diuitis superflua sunt pauperum.

Audi è choro Sanctorum Patrum Leonem Pontificem, ita resonantem. *Deus est merito rationem quæsiturus eorum, quæ non magis possidenda tradidit, quàm dispensanda commisit. Muneribus ergo Dei iustè & sapienter vtendum est, ne materia boni operis fiat causa peccati.* Accedit Sanctus Isidorus, suum hunc calculum adiiciens. *Nesciunt impertire pauperibus, & inde magis augent delicta, vnde redimere debuerunt.* Augustinus suo more acutè rem discutit, hoc tenore. *Quæ superflua iacent, aliorum sunt necessaria; superflua diuitum sunt necessaria pauperum. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur. Quidquid nobis Deus plus quam opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmittit. Quod si non dederimus, res alienas inuasimus.* Cùm auribus auarorum hominum insonant illæ veridicæ sententiæ Patrum, obiiciunt filios suos debere præire pauperibus; quia charitas ordinis conscia vult præferri filios alienis, neque esse æquum suis detrahere, vt exteris suo peculio consulatur.

Amor filiorum qualis esse debet.

Illa instantia plerisque hominum imponit, etsi pauperibus iniuria fit, & faciat diuites obnoxios pœnæ inflictæ diuiti nequam. Luculenter hanc diluit instantiam Episcopus Saluianus, pauperum partes agens. Sic ille: *Non vllus est filiorum amor, quàm quem ille docuit, qui ipsos filios dedit, neque possunt pignora magis amari, quàm si in eo ipso à quo data sunt, amentur. Psalmo septuagesimo septimo: Mandauit patribus nota facere ea filiis suis, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Videtis quas parari opes à parentibus filiis Deus iubeat: non graues metallo aureo saccos, habentes quidem multum ponderis, sed plus tamen iniquitatis. Non superbas ac præeminentes excelsis vrbibus domos, non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aerio habitatore fastigia, non denique fundos interminabiles, & notitiam sui possessoris excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, & vicinitatem iniuriam putent. Non hæc Deus præcipit, nec in seruilia terrena procurationis officia curam patriæ pietatis extendit. Pauca sunt quæ mandauit, sed salutaria; scripto breuia, sed beatitudine sempiterna, scilicet ponere in Deo spem suam. Cùm enim Deus viuorum sit, non mortuorum; rectè illa parari iussit filiis suis, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur.* Hæc ille, cui etiam subscribit Hieronymus, applaudens virgini Eustochio, quia mater eius Paula suas omnes facultates in pauperes erogarat. Sanctissimæ matris filiam nobilem sed pauperem ille sic affatur: *Secura esto, Eustochium; magna hæreditate ditata es, pars tua Dominus.*

Saluian. lib. 1. contra auaris. cap. 1.

Parētes quæ bona debent comparare suis filiis.

Hier. epist. ad Eustoch.

In eodem argumento multus est Saluianus: quippe cùm tenax opum amor patres sollicitet ad congerendum opes filiis suis, validis oportet concutere rationibus amorem illum, ne noxius sit & filiis atque parentibus. Ita pergit ille: *Parentes per ea quæ æterna sunt æternos esse filios suos faciant, & ad conquirendam sibi beatitudinem, ea quæ naturaliter caduca sunt, bonis operibus in æterna conuertant. Quid ergo æstuas paterna pietas? quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? Nihil maius filiis præstare potes, quàm si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo, vt filio tuo terrenos thesauros recondas, nulla re eum facis ditiorem, quàm si filium tuum thesaurum Dei feceris.* In eadem verba iurauerat antea Cyprianus, ita fatus: *Præuaricator & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas. Quid studes terreno magis quàm cælesti patrimonio filios tuos diabolo magis commendare quàm Christo? Bis delinquis, & quod non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quod doces filios tuos patrimonium plus amare quam Christum.* Hactenus ille, cui ego subiicio, sanctius esse & vtilius filiis copiosam erogare stipem pauperi, quàm parare gazas multo auro fœtas. Sanctior est eleemosyna, ipsâ filiorum curâ, vtpote à digniore principio emergens: nam Dei ergo prouidere pauperi, illud est gratiæ negotium; at torqueri, vt filio consulatur, anxietas est naturæ, quæ etiam in bestiis sollicita est de edito fœtu. Vtilior etiam est eleemosyna hæredibus, quia eis Deum conciliat, iuxta illud Chrysostomi consilium vtique salutare. *Vis filios in tuto relinquere, relinque eis Deum debitorem.* Qui secus faxit, ille non prouidet filiis suis, sed facultates suas congerendo dilapidat, quia Deus non fit propitius illi homini congreganti.

Sal. lib. contra auar. c. 3.

Thesauri quales a parentibus filiis sunt parandi.
Cyprian lib. de eleemos.

Parētes proditores sunt, si male consulunt filiis suis.

Ex HISTORIA.
Theophanes in Maurit. sub an. 600.

In eo genere locuples est historia Mauritij Imperatoris, qui congressus armata manu cum Gagane Rege Abarorum, turpiter in fugam actus est, Gagane præualente. Tepente belli œstro Gaganes desiit occidere Christianos; sed eos iure belli captos in vnum omnes coëgit locum, arbitratus se inde habiturum magnam vim auri ab Imperatore Mauritio, quem credebat fore sollicitum de captiuis. Itaque caduceatorem mittit, qui componat de pretio captiuorum. Vno duntaxat nummo aureo singuli quique censiti sunt à Gagane Principe Barbaro, vt exile hoc pretium Mauritium inflecteret ad hoc auri pondus. Imperator attendens ad filios suos, quos plures habebat, segnior effectus ad largiendam vim auri petitam à victore, negauit hoc pretium. Ideò Barbarus indignatus indolem auaram Mauritij, omnes Christianos detentos in castris exerto gladio iugulauit. O detestandam auri famem, quæ vexauit Principem Christianum alioquin optimum! ille enim recensetur in his qui piè vixerunt. Et tamen premente auaritia, & cunctante manu appendere pretium redimendo militi congruum, conscius effectus est crudelis illius fati, quod hi Christiani omnes milites obierunt. Serò sui compos effectus est Imperator; vbi namque audiit miseram suorum sortem, pœnitens facti se accinxit vt hoc insigne piaculum dilueret. Deum supplex votis anhelis sollicitat, vt congruas expetat à se pœnas, nec esse patiatur hoc impune deliquium. Adeò assiduus fuit in oratione, vt Deo miserante, voti compos effectus sit; sed has Deo prius luit pœnas. In eum insurrexit Dux militum nomine Phocas, sæuus & impius; ille captum Imperatorem coniicit in vincula, filios eius omnes congregat, & indignè exceptos, ipso Mauritio inspiciente, iugulat,

Auaritia Mauritij Imperatoris punita.

iugulat, & demum patrem ipsum (scilicet Mauritium) extremo supplicio afficit, hoc vnum subinde repetentem: *Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.* Noluit Imperator modicam vim auri impendere redimendo militi, qui ideo crudeliter obiit, postea alternante fortuna vices, ipse eadem sorte sublatus est. Crediderat multa opum congerie cauere filiis suis; & tamen hæc congesta auri copia, ruina eorum fuit. Sic ille reus effusi sanguinis innoxij, suo & filiorum sanguine luit pœnas, in præteritum facinus Deo vindice sæuiente.

Auari parentes male suis cauent filiis.

Non est quòd obsoletas priscæ ætatis consulamus historias, quæ confirment homines pauperi graues, vt filios suos auro grauent, sic eorum ruinam prouocasse. Frequentes hodie sunt tragœdiæ tales. Noui ego familias opulentas in extremam defluxisse inopiam, quia filij Veneri & Baccho litantes, effuderunt opes, quas pater iniquus in pauperes noluit erogare. Eo ferè aluco fluunt opes malè partæ, videlicet auari homines nanciscuntur filios, qui volunt indui purpura & bysso, & epulari quotidie splendidè, & auri residui reliquias Veneri deuouere. Nemo est planè qui non sedulus hoc obseruet, scilicet hoc gurgite auari cuiusque hominis copias absorberi. Hæc igitur esto firma conclusio, immodicum opum affectum, esse damnationis æternæ præsagium, simile illi vnde Hippocrates malè ominatur ægro. Εἰ δὲ τοὺς πόδας γυμνοὺς εὑρίσκοιτο ἔχων μὴ θερμοὺς κάρτα ἐόντας, ϗ τὰς χεῖρας, ϗ τὸν τράχηλον, ϗ τὰ σκέλεα ἀνωμάλως διερριμμένα, ϗ γυμνά, κακόν, ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει. *Si nudos pedes, nec admodum calidos, & manus & collum & crura dispergat inequaliter, malum est, significat enim inquietationem.* Profectò affectus qui sunt animæ pedes auaro frigent, etsi æstuet amor opum cor depascens. Manus dispergit ad malè parta, & collum protendit ad epulas. Demum in varia iactatur homo, quem inquies auri cupido vexat.

Ex Re Medica. *Hippocrat. lib. 1. præsag. cap. 4.*

Pars Secunda Homiliæ.

Egestas patienter habita maximè conducit ad salutem.

Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2.*

O Quàm beatior innoxia pauperum sors, & aptior cælo comparando. Ideò dicti sunt beati pauperes, vtpote quorum est regnum cælorum. Ad hos namque pertinet illud regnum in quos gratia amplior influit; sed vberior est ille gratiarum influxus in pauperes, quàm in diuites, quia se melius accingunt ad gratiam amplexandam. Ratio hæc est. Vbi potiores sunt obices ad gratiam recipiendam, ibi etiam est potior apparatus; sed à paupere absunt præcipuæ remoræ, quæ hominem præpediunt. Duo autem sunt quæ remorantur gratiæ influxum. Primum est intellectus versans simulacra rerum terrestrium. Alterum est affectus rebus placitis irretitus. Tenetur his vinculis homo auarus; assiduus est in cogitatione lucri, versans animo suo modos idoneos ad rei familiaris incrementum. Præpeditur etiam omnis affectus eius, iuxta Christi Domini verax eloquium. *Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Ergo cùm pauper sua sorte contentus non vrgeatur curis huiusce sæculi, nec amore teneatur opum, erit eius anima vegetior, vt Deum recolat expedita mente, & in eum feruido affectu citiùs efferatur. Si namque principes animæ facultates liberæ sint, gratia Dei non cunctatur, sed influit. Rursus illud quod à Deo institutum est ad augmentum gratiæ, sortitur intentum Dei, si nihil obstet ex parte hominis. Ergo cùm parcitas à Deo sit instituta, vt medium congruum ad beatitudinem acquirendam; si non inuitus patitur inopiam homo egenus, certè non deerit illi Deus, cuius manus explicata replet omne animal benedictione.

Matth. 6.

Vidimus ex præfatis, opes esse semina vitiorum. Ergo ex regula contrariorum contemptus opum secum vehet omnium virtutum agmen. Consonat Hebræa dialectus, cui vox עני *gnani* pauperem sonans, deducitur à radice ענה *gnanah* exaudiuit, vnde deducitur nomen ענו *gnanau* significans humilem, modestum & mansuetum. Quod perinde est ac si lingua illa primitiua affirmaret, paupertatem esse veluti fermentum, ex quo tota virtutum consportio exurgit. Paupertatis amatij Sancti Patres annuunt huic Hebræorum intento, dum paupertatem miris euehunt encomiis. Ita Chrysostomus. *Paupertas est manuductrix quædam in via, quæ ducit ad cælum, vnctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus.* Eodem spiritu actus Ambrosius, hæc ita fatur. *Voluit a paupertate Dominus ordiri sermonem beatitudinis, tum quia sicuti malorum omnium radix est cupiditas; ita Euangelicæ perfectionis origo est, rerum omnium interuentium contemptus, & voluntaria paupertas: tum quia in diuitiis & honoribus mundus ponit suam felicitatem, conueniebat vt reiecto eo, quod maximè homines sectabantur, contrarium illius primo loco induceretur, & ab eo inciperet beatitudo iudicio diuino, vbi ærumna reputabatur humano.* Adde Augustini suffragium aliis consonum elogiis. *Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inueniri: cælum enim quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum? Vt ad regnum cælorum veniret diues possessione sua obtinere non potuit; nunc obtinet, vt contemptu perueniat.* Diuiti epuloni grauem vitiorum sarcinam composuère diuitiæ, quarum infelix prosapia, est peccatorum omnium sordida colluuies. Lazaro verò patiens inopia peperit omnium bonorum felix pancarpium. Iniqua soboles opum hæc est, purpura, byssus, & epulæ, quas excipit Venus indecora. Vnde diuitiæ supra modum concupitæ faciunt gehennæ obnoxios suos possessores, dum paupertas virtutum omnium prosapia homines indigos accingit ad regna cælestia, vbi in tuto positi ridebunt insaniam diuitum, à quibus fuerant in hoc sæculo subsannati. Et hoc equidem erit graue supplicium diuitum, videre in gloria mendicos homines, quos velut inglorios anteà contempserunt. Chrysologus arbitratur diuitem in inferno magis vri gloriâ Lazari, quàm suo incendio.

Paupertatis tituli & encomia.

Ex SS. Patribus.

Chrys. ser. 18. in epist. ad Hebraos.

Ambr. lib. 7. in Luc.

Paupertas initium beatitudinis.

Aug. ser. 18. de verbis Apostoli.

Paupertati quare nihil est ditius?

Alternare vices pauperum & diuitum, locuplete exemplo liquet, deducto ex Panonia, quæ vidit olim hominem virtutum omnium nexu & etiam stemmate prænobilem, sed rerum omnium adeò indigum, vt obsoleta veste eaque cinerica vteretur diebus festis, & profestis, ita vt Regi Bohemiæ Ottocaro esset ludibrio vir ille nomine Rodulphus Comes Hapsburgensis, ob incuriam

Ex Historia. *Hist. Imperial. sub ann. 1273.*

incuriam suam in veste illa renouanda. Sed quò Rodulpho minor opum cura, maior inerat aliunde solertia virtutum, quarum fama perculsi electores Imperij, creauere Cæsarem hominem, cuius detrita vestis fuerat antea ludibrio Regi Bohemiæ, qui vt vocatus ad tribunal noui Imperatoris, penfurus obsequia, quibus Imperio tenebatur Gens Bohema; adfuit Rex ille quondam iniurius Rodulpho. Vbi autem rescitum est in aula aduenisse Ottocarum auro gemmisque rutilum, vt sese demitteret ante Rodulphum insidentem throno, iussit Imperator adferri sibi easdem humiles vestes, quas spreuerat Ottocarus, dicens: Hodie Ottocari Regis pompa omnis & opes meam inopiam honorabunt, quæ quia me euexit ad tribunal, par est eam parcitatem dignari throno, & inde videre Regum gazas sibi supplices inclinari. Fuit sanè magna Dei dignatio, videre hominem antea modicæ sortis tenere primas, & Regem antea illudentem, pronum in ima crepidine throni, quo Rodulphus cæteris eminebat.

Paupertati diuitiæ pendunt obsequium.

Plerique diuites hodie sugillant inopes ridéntque modestiam, quæ nitet in vestibus; sed instat illa dies, qua spontanea & religiosa paupertas euecta ad cælos, videbit infra se omnem supellectilem hominum prædiuitum ignibus addictorum. Luculentus est testis diues ille iniquus, cuius byssus & purpura de tartaro reclamauere Lazarum gaudentem in sinu Abrahæ, & flocci facientem preces diuitis olim iniurij pauperibus. In incrementum pœnæ sic Abraham affatus est hominem hunc damnatum: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* O reprobe, qui rides indicta ieiunia vt ore camiuoro abdomini inseruias, recordare simili piaculo helluonem hunc diuitem in infernis multiplici tormine cruciari. O anima Deo addicta, si quæ te nausea sollicitat ineundo pœnitentiæ calles asperos, & ingratos, si inopia quidpiam horridum & incultum sapit: Recordare Lazarum illo agone æterna præmia meruisse. In augmentum solaminis hoc memento, Deum esse pauperum prouisorem, dæmonem verò diuitum iniquorum; nam malè parta vnde epulentur quotidie splendidè fuere suasore diabolo comparata. At Deus opes quæ Dei sunt, id est, facultates Ecclesiæ vult impendi pauperibus & non luxui Prælatorum. Ecce Canonem. *Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget & subueniat in necessitatibus.* Alter Canon hunc subsequens hic est. *Gloria Episcopi est pauperum inopiæ prouidere, ignominia sacerdotis, est propriis studere diuitiis.* Vtinam præpotentes hodie Præsules attenderent istum adhuc textum Iuris Canonici *Qui bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt.* Agit ille Canon de bonis Ecclesiæ, nam sic incipit. *Quoniam quidquid habent clerici, pauperum est.* Vias iniquas ad arbitrium suum sectentur impij damnandi cum diuitibus, nos, ô pij sequaces Christi, vias rectas iugiter insequamur. Hoc cautè Chrysologus ingerit, ita monens. *Sicut sunt nobis in dextera parte virtutes; ita nobis pars vitiorum in sinistra. Tumor, iactantia, insistunt nobis & imminent à sinistris: sinistra est, quæ nobis animarum prælia semper indicit, & ne virtutes in effectum veniant elaborat. Fratres, in hoc sæculo fugiamus quæ à sinistris sunt, si in futurum à dextris desideramus adstare.* Faxit Devs.

Luc. 16.

Aurum habet Ecclesia non vt seruet.

Episcopi prouidere debent pauperibus.

Ex Ivre Canonic. Can. Aurum. Can. Gloria. 12. q. 2. Can. Quoniam 16. q. 1.

Ecclesiastici quomodo debent dispensare bona Ecclesiæ.

Chrysol. ser. 9.



FERIA SEXTA
DOMINICÆ II. QVADRAGESIMÆ.
SVMMA HOMILIÆ.

I. DEvs amorem suum testaturus in homines, vsus est typis & figuris rerum, quæ delicias insinuant. Verbi gratiâ, dicturus quàm gratiosa sit anima sibi constans in obsequio Dei, comparat illam vineæ, vt rei editæ ad delicias. Dicam primò affinitates animæ cum vinea.

II. Secundò ostendam illam comparationem animæ cum vinea hominem erudire ad laborem eumque impigrum: quippe vinea solertiam indefessam vinitoris sollicitat, nec est vlla tempestas anni quæ vacet à cura vineæ, quam si incultam modico tempore quis relinquat, botros immaturos & acerbos edit indices ignauiæ vinitoris. Eo symbolo Christus acuere voluit hominum diligentiam ad culturam animæ, cui si quis assiduus inuigilet, ille vuas demetet, similes illis quas textus sacer commemorat, dum recenset pincernam Pharaonis postliminio rediisse ad priores infulas, somnio præuio, quo credebat se vuas premere manibus musto desudantibus. Illæ vuæ fuêre argumentum præsagij, quo Ioseph pincernam hunc carceri mancipatum certiorem fecit de Rege propitio, quo decernente erat rediturus in gratiam & honores quibus exciderat. Ita anima sedula in virtutum praxi, parturiet botros qui erunt indices gloriæ imminentis. Si verò desidiâ defluat, spinæ insurgentes talem animam suffocabunt.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

Homo erat pater-familias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei. Matth. 21.



STYAGES *Rex Persarum audiit aliquando, filiam suam Mandanem somniasse emergere ex vtero suo vineam, cuius palmites longè latéque discurrentes orbem vniuersum opacabant. Conuocati sunt Magi & arioli omnes discussuri prodigium, vt si quod inde malum omen immineret, Rex prouidus cautè consuleret sibi. Hoc hominum genus compositum in assentationem, audacter ait Regi, filiam hanc fore matrē potentissimi Regis, cuius fama erat peruasura omnes orbis oras. Cyrus editus hac parete fecit fidem præsagio, vtpote rerum præclarè gestarum gloria famosissimus. Diceres vineam esse felix præsagium dummodo impigrè excolatur. Fauet hodierna parabola, quæ vineam sonat, & ideo pertinet ad animas Dei obsequio obstrictas, quæ non solum omnes mundi plagas obtegunt sua fœcunda propagine, sed & insuper euehuntur ad cœlestia. Hæ florentes vineæ dederunt odorem suum, lubet illic immorari, & lustrare has vineas annuente matre vinitoris Christi.* AVE MARIA.

Vinea prodiens ex vtero Mandanes quid præsagiit.

SEnsuum ferè omnium illecebris vinea luxuriat, nimirum virore suo oculis placet, suaui fragrātia florum odoratum recreat, mollitie pampinorum leniter afficit tactum, demum botris suis alluens gustum, adeò arridet homini, vt inde rideat & lætetur, ipso etiam Dauide cōscio sic psallente: *Vinum lætificat cor hominis.* Eamobrem deliciæ omnes in vinea coëuntes, eam fecere symbolum cuiusque rei perquàm gratæ, & id præcipuè Iudæis, quibus anxia vinearum semper cura fuit, fortè quia Deus sub vineæ typo amorem suum in Synagogam testatus est, eam de Ægypto transferens in Iudæam, vbi adinstar vineæ vtrique feracis multo stipite spatians creuit in immensum, vt gestiens ait Psaltes. *Vineam de Ægypto transtulisti eiecisti Gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* Concinit Psalti Isaias hoc versu. *Vinea Domini exercituum, domus Israel est. & viri Iuda germen eius delectabile, & expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas.* Cùm Dei deliciæ sint esse cum filiis hominum, amantissimus ille omnium hominum parens Ecclesiam suam recensuit hoc amœno vineæ symbolo, quod etiam Euangelio hodierno recolit ita fatus: *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam & sepem circumdedit ei.* Sensum huius vineæ aliò diuertere quam ad animas, piaculum est: Christi namque intentum fuit illâ vineæ parabolâ pungere Iudæos, quorum vinea non fecerat fructum congruum curæ Domini vinitoris. Nolo itaque deuiare à sensu Domini Iesu, alium inuehendo sensum, ideóque vineam istam ego expendam de homine fideli, cui cùm vinea dicam pleraque esse communia. Secundò explicabo vnde immineat ruina huic vineæ, id est, quare anima quondam Deo grata deficiat, & inculta fiat spinis obnoxia.

Psal. 103.

Vinea synagogam significat.

Psal. 79.

Isa. 5.

Matth. 21.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Animæ cum vinea multiplex inest affinitas.

QVod ad omnes pertinet, singulos quósque etiam spectat. Quisque ergo fidelis est vinea Dei, cùm tota Ecclesia, quæ est societas fidelium, vineæ nomine censeatur. Nec desunt Sancti, qui hac nomenclatura recolunt animam iusti. In his est Bernardus, hæc dictans. *Bona vinea iusti, imò bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis.* Præierat in eam sententiam Augustinus, homines vineas nuncupans *Est spiritalis vindemia, vbi Deus gaudet ad fructum vineæ suæ: colimus enim Deum, & colit nos Deus. Sed non sic Deum colimus, vt eum meliorem faciamus: colimus enim eum adorando, non arando; ille autem colit nos tanquam agricola agrum. Quod ergo nos ille colit, meliores nos reddit; quia & agricola agrum colendo facit meliorem, & ipsum fructum in nobis quærit vt eum colamus.* Igitur homo vinea est, quam Deus vt alter Noë primus plantauit, & eius amore inebriatus nudatus est in tabernaculo suo, vtpote in cruce aperto corpore omniū oculis explicatus. Etenim primus stipes seu origo huiusce vineæ fuit Christus, cuius palmites sunt cæteri hominum, quos singulos vt vineam suam anxiè curat & colit ille pater familias, vt expendit Bernardus, dum enarrat vineæ istius incrementum. Sic ille. *Nec mirum: Dei enim ædificatio est, Dei agricultura est. Ipse fœcundat, ipse propagat, ipse putat & purgat eam, vt fructum plus afferat. Quando nempe sua destitueret cura, vel opera, quam plantauit dextera eius? Non planè habenda neglectui, in qua Apostoli palmites, Dominus vitis, & pater eius agricola est. In fide plantata, in charitate mittit radices defossa sarculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lacrymis, rigata prædicantium verbis, & sic sanè exuberans vino, in quo est lætitia.* Hæc Bernardus.

Vinea est anima nostra.

Vineam nostram Deus excolit.

EX SS. PATRIBVS.

Bern. serm. 64. in Cant.

Aug. serm. 59. de verbis Domini in Euang. Ioan.

Bern. serm. 59. in cant.

Vineæ nostræ curam impigram Deus gerit.

Esto locupletes sint illæ relationes hominum ad vineas; mihi tamen fas sit aliquid de meo penu adiicere, ne videar loco concionis transcripsisse sensa Patrum. Tria sunt in vinea, quæ si coëunt in homine, ei profectò vineæ nomen affingent. Primùm est, vineas non inordinatè seri, sed componi adæquatis vnicuique stipiti spatiis, vt defossæ propagines tantùm terræ occuperit, quantùm satis est. Alterum est, vineam adeò proficere propagando se, vt suo omnes anteat arbores incremento. Vltimum est, vineam & stercore adhibito, ferro putatam lacrymari quidem, quasi diuisionem perciperet, sed hos distillatos imbres vnde resudat postmodùm in vina optima commutare. Hæc omnia confluunt in hominem Deo gratum. Primò illa æqualitas, qua dissiti sunt stipites ab inuicem, iustitiam notat, a qua anima nominatur iusta, vt benè aduertit Pierius hac serie. *Adminiculorum ordinis, iugationisque concinnitas, verè ac manifestè docent æqualitatem in Ecclesia seruari debere; vt sese nemo, quantumlibet diues & honoratus, extollat, nemo pauper animum despondeat, séque despectum atque contemptum esse vereatur.* Quòd sensibiliter vinea succrescat, hoc sapit augmentum gratiarum, quę exornant animā iustam; quia nullas vnquā sustinet inducias, vtpote exosā

Vinea, quare dicatur anima.

Pierius lib. 13. Hierogl. cap. 27.

ferias institutas ad virtutum praxim. Fossa, putatio, lacrymæ induentes naturam vini, significant humilitatem, mortificationem, & contritæ animæ agones, iugi aliquando lætitia à Domino præmiari.

Ex Theologia. Ierem. 2. Bonau. in 3. sent. dist. 32.

Quare autem vinea hæc mystica petat hominem iustum, crescentem, & instructum omni supellectile pœnitentiæ, disce hoc discursu. Anima ideò dicitur vinea Christi, quia amore speciali dignata est à Christo, iuxta illud Ieremiæ ex persona Dei. *Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum.* Amor autem specialis Dei aliquid in anima dixit, eam euehens supra naturam; alioquin dæmon esset vinea Christi, quia natura eius, vt Angelus est, homines antecellit. Illud autē quod hominem nobilitat, est gratia, comes indiuidua charitatis, quæ non quærit quæ sua sunt, sed Deo adhæret tenaci glutino. At Deo nemo adhærere potest nisi affectu, qui Deo addictus animam deificat; nam Deo tota induitur, ad illius tantùm arbitrium se componens. Ergo cùm Deus velit omnes esse sua sorte contentos, sanè is quem Deus vt vineam suam excoluerit peculiari influxu, nihil planè ambiet extra concessa sibi, & sic erit obseruantior æqui, vt secus illi, qui degeneres amisere titulum vitis, auspicati sunt ab iniustitia, prætereuntes fines suos & limites vnicuique stipiti præstitutos. Hoc Deus ipse querulus exprobat vineæ suæ desolatæ. *Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iustitiam, & ecce clamor. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ.* Ab hoc discrimine procul est vinea Domini; & hoc memento, ô anima Christiana, si anhelas ad titulum istum amantissimo patri familias perquàm gratum: Ne parulo appetitu abhorreas inconcessa tibi, sed animæquior vtere constitutis.

Isai. 5.

Itaque iustitia exordium est eorum, quæ animam afficiunt nomine vitis Dei, quæ nullas ideò moras in virtute facit. Ratio hæc est. Ex Iure Cæsareo: *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Iuris præcepta sunt hæc: honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.* Ergo anima iusta singulis quibusque diebus imò & momentis reddet Deo quæ Dei sunt, & proximo quæ ad eum pertinent. Verbi gratiâ cùm intellectus & voluntas principes animæ facultates à Deo sint, & subsistere nequeant, nisi Deo iugiter influente, perpetuum ei debent obsequium, cui homo deest si mente Deum non recolit, & affectu ei non fortiter adhærescit, Deum autem assiduè animo versare, & in eum amore singulari affici, hoc est congerere magnos tumulos meritorum, ac proinde gratiæ maximum incrementum: Omnes namque actus quos exerit anima Deo grata, si sunt ex habitu iustitiæ, Deum deuinciunt, atque ita gratiam animæ adaugent, quæ ad instar vineæ sensibiliter crescit.

Ex Ivre Civili. Leg. Iustitia ff. De Iustitia & Iur.

Iustitia quid sit.

Proficiunt iusti semper, & quare.

Rursus ex Philosophia: Delectatio perficit operationem; in his autem quæ sunt secundum naturam, est quædam voluptas. At agere ex habitu, quem quis induit, est naturale omni agenti, vt discurrere Philosopho, & loqui congruè perito Grammatico. Ergo homo insigni iustitia conspicuus non laborabit, sed alacriter opera iustitiæ proferet. Nam iusto iustè agere consonum est, quia operari sequitur esse. Et vt actus repetiti habitum altius animæ infigunt; iustus iustior efficitur assiduâ virtutum praxi, nullumque facit crescendi finem. Ideóque apposité lineatur in vinea, quæ in ratione incrementi omnes stipites antecellit. Est enim de ratione virtutis, vt sit interminata, nullas sibi præfigendo metas, ita vt libeat illi accommodare symbolum eius, qui pinxit flumen in fonte quidem exile, sed grandius in progressu, hoc titulo. Viresqve acqvirit evndo. Nempe virtus emergens imbellis est, & vt vinea recens mandata solo ægrè exurgit; sed vbi radices egit stipes viuacior in palmites & pampinos luxurians longè latéque effunditur. Etenim deuiare nequit virtus, sed semper sibi constat, & fit seipsa melior. Audi Augustinum *Omnium bonorum vel animi, vel corporis, nihil sibi virtus omnino proponit: Hac enim benè vtitur, & seipsa, & cæteris quæ hominem beatum faciunt bonis.* At semper, vt par est, vti bonis, illud est meritorium. Igitur homo iustus, qui perinde est ac homo virtute prædictus, multa gratiarum accessione iustior fiet, & ita prouectior assurget in cumulum gratiarum. Et vt gratiâ influente, anima vegetior fit, illa domat corpus aliàs Deo iniurium, ea castigatione putatur seu purgatur anima adscito præuio stercore in fossam congesto. Nimirum anima recolens obscœna sua facinora, quæ vt stercora fœtent, inde deprimitur & dehiscit in modū fossæ, statuit secum punire corpus tantis reatibus obnoxium. Dum autem meditata in praxim reuocat, & noxias quasque illecebras resecat, tunc emungit pampinos inutiles, & rescindit palmites superfluos. Hoc autem non fit citra lacrymarum stillicidia frequentia, quia mœret caro afflicta, & citra dolorem non diuellitur ab his quæ antea deperibat. Quid autem graue & molestum animæ aut corpori acciderit, duæ illæ hominis partes semper rectitudinis suæ consciæ nequeunt diuelli à rectitudine sua, & deorsum inflecti, iuxta regulam illam Euclidis, qua recta linea in duas subiectas rectas lineas parallelas incidens, facit in incisione earum angulos rectos, imò infinitæ lineæ rectæ in eas incidentes nihil nisi rectum efficient. Ita homo iustus, corpore & anima vtens vt lineis rectis, etiamsi vexetur in anima aut corpore, non discedit à recto suo schemate, nec vllos in se patitur angulos obtusos.

Ex philosophia. Arist. lib. 12. Metap. cap. 3.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus part. 2. Theatri.

Ex SS. Patribvs. August. l. 19. de ciuit. Dei cap. 9. Virtus omnibus bonis benè vtitur.

Ex Mathematica. Euclid. lib. 1. de elem. Geomet. postul. 5.

Tametsi aliquo lacrymarum imbre desudat anima putatione resecta, illud profluuium aliquando vinum suaue fiet, imò impræsentiarū est gratior potus Angelorum, ex Bernardo sic edocente. *Hoc certè vinum lætificat cor hominis, hoc constat & Angelos bibere cum lætitia. Denique gaudent in conuersione & pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitientes. Lacrymæ pœnitentium vinum eorum, quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suauitas conscientiæ.* Vinea edito loco aprico gaudet. Etenim apertos Bacchus amat colles, vt irradiante Sole decoquantur botri. Anima multa virtutum praxi assurgens in altiorem statum, Deo benefico vtitur, cuius perfusa radiis concipit vinum vtique præcipuum, Deo ipso illud infundente, vt ait in canticis. *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Cui autem singularis huius vini copiam faciat, audi ab anima compote illius gratiæ, quæ sic se accinxit ad illapsum gratiarū Dei. *Vinea mea corā me est*, id est, ego me circūspicio, & lustro assiduè. Hæc est valida sepes, seipsum semper attendere, vt & Sponsa Canticorum de se profitetur. *Posuerunt me custodē in vineis.* Itaque insignis, & sedula circūspectio petitur

Ex SS. Patribvs. Bern. ser. 30. in Cant. Lacrymæ pœnitentis sunt vinum Angelorum

Cant. 8.

Cant. 1.

petitur ab anima, qua veluti sepit se totam, ne quid iniurium in vineam irrepat: ab ea namque sepe, vineæ petitur integritas. Et hoc cautè monet Bernardus. *Vestra intererit filij, sua quemque vineæ prouidere, cum me disputante aduertit in quibus sibi & à quibus maximè sit cauendum. Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet. Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta inuenies, cuncta iacentia, cuncta inculta, & sordida. Non est vinea stulto. Quomodo vinea, vbi nihil plantatum, nihil elaboratum vspiam paret. Tota spinis sylueſcit & tribulis stulti vita, & vinea est. Etsi fuit, iam non est, redacta in solitudinem. Vbi vitis virtutis, vbi botrus boni operis; vbi vinum lætitiæ spiritalis? Per agrum hominis pigri transiui (inquit) & per vineam viri stulti; & ecce totum repleuerant vrtica & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Audis sapientem irridentem stultum, quòd bona naturæ, & dona gratiæ, quæ fortè per lauacrum regenerationis acceperat, tanquam illam, quam plantauit Deus, & non homo, primam vineam, in non vineam, negligendo redegit.* Hæc ille hortatus ad ea quę consulo, scilicet ad sartá tectamque sepem conseruandam, & extirpandos vepres, quibus vitis inculta & horrida deformatur.

Bern. serm. 6. in Cant.

Vinea iustorum benè culta est.

Vinea reproborum inculta.

Ad præmium & solamen vinitoris, botri vino tument, & torcularia multo desudant musto, cui præire sudores debent, vt hæc stillicidia veluti lacrymantis vineæ guttæ in vina dulcia commutentur. Tristia namque præambula excipit quandoque lætior exitus. Ita etiam peruigiles animos gratia vberior afficit, dum notitia sui amplior irradiat. At verò incurios sui bonorum omnium extrema inopia consequitur. Eò attendit Salomon ita fatus: *Date ebrietatem his qui in tristitia sunt, & vinum bibere his qui in doloribus sunt, vt obliuiscantur paupertatis, & dolorum suorum ne meminerint ampliùs.* Quem locum sic expendit Abbas Nesteros. *His qui pro pœnitudine actuum pristinorũ, mœrore ac tristitia deprimuntur, spiritualis sciẽtia iucũditatem velut vinum quod lætificat cor hominis, affluenter infundite, ne fortè iugitate mœroris, ac lethali desperatione demersi, abundantiore tristitia absorbeantur qui huiusmodi sunt. De illis verò, qui in tepore ac negligentia constituti, nullo cordis sui dolore mordentur, dicitur Prouerbiorum 14. Qui suauis & sine dolore est, in egestate erit.* Reuera floret vitis, & amœno virore vernat, & demum distentis fœta botris ferax est & locuples, si labore impigro fuerit anxiè custodita. Dormierat Petrus in horto, ideò vineæ illius inculta sepes ab ancilla confracta est. Socordiæ arguitur Dauid, aliàs sanctus, quia mulieris species incautè admissa sepem illius vineæ permeauit.

Prou. 31.

Cassian. collat. 14. c. 17.

Pœnitentes Deus mira suauitate afficit.

Pars Secunda Homiliæ.

Vnde immineat ruina animæ, vt vinea est.

Ex Historia. Melaniæ vita austera.

Tota illa sepis integræ ratio est penes intellectum obseruandum sententiis deuiis à communi sensu Ecclesiæ, ne gliscat ebibitus error in vineæ seu animæ perniciem. Item & animæ affectus cautè rebus infra Deum positis occludendus. Vtriusque facultatis animæ incuria desolata est vinea Melaniæ fœminæ sanctæ toti orbi celebri, & fama super æthera notæ, quam Sanctus Paulinus miris effert encomiis, ita fatus: *Vt ad perfectam Domini columbam recurram: Scito nunc istam tantùm in sexu infirmitatis virtutem Dei, cui refectio in ieiunio, requies in oratione, panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo & centone durus in terra sit mollis in littera, quà rigidi cubilis iniuriã mitigat lectionis voluptas, & sancta anima in Domino vigilare, requiescere est.* Audis elogium fœminæ sanctæ. Accipe iam quomodo neglecta sepes vineam hanc electam & Deo dilectam peruiam fecerit vulpeculis, quæ demolitæ sunt vineam illam. Cùm audis vulpeculas, cogita callidi hostis insidias, qui non aperto Marte sanctiores animas impetit, sed astutè explorat & demulcet. Nimirum astutiæ sunt prima rudimenta diaboli. Itaque vafer ille Angelus, vbi aduertit Melaniam multo virtutum vsu exercitam & decoctam, & ad egregia quæque facinora peruigilem. Non ausus est ingerere species rerum prædiuitum, quas mulier illa nobilis antea contempserat. Sed aduertens eam incumbere totam studio Scripturarum, sciens curiosam esse mulierum indolem, & cuiusque noui dogmatis auidam, eam spirituali necessitudine iunxit viris vtique doctissimis, Ierosolymæ degentibus, vbi & Melania quinquennium egit, exosa Romam vnde secesserat. In viris illustribus, quos adhibuit ad rimandos sensus abditos Codicis sacri, cæteris doctior erat Hieronymus, habitus tunc pro Ecclesiæ oraculo. Quia tamen ille nihil nisi omnibus notum piæ huic fœminæ decantabat; dogmata namque fidei omnibus prostant nihilque animæ fideli nouum produnt: mulier illa anhelans ad alia arcana & penitiora mysteria, imprudenter adhibuit alios interpretes, qui etiam ementitâ pietate & doctrinâ eminebant. Hi fuere Ruffinus, & Ioannes Episcopus Ierosolymorum, quos altè infecerat virus Origenis. Melania nacta viros indolis suæ conscios, errores eorum demirata est, vt mysteria recondita, insana deliria arbitrata esse lumina micantia. Ideóque se accinxit redire Romam, vt suasore Ruffino acceptam disciplinam fidelium auribus instillaret. Sparsa virtutum fama Melaniæ, Romam penè totam effudit in occursum eius, nesciam mulierem hanc malè sentire de fide, licet multo virtutum agmine stiparetur. Magno ciuitatis applausu excepta mulier, clam cœpit spargere suum lethale virus ebibitum à Ruffino, de quo Siricius Papa nolens malè ominari, segnior quàm par erat fuit in hac fœmina debellanda, vt luget Hieronymus, sugillans Hæreticos, qui tentarunt Ecclesiam mulierum obsequio dementare. Sic ille: *Quid volunt miseræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, & nunquam ad scientiam peruenientes.*

Paulin. ad Seuerum. epist. 10.

Pœnitentis animæ descriptio.

Melania seducta ob curiositatem.

Hieron. ad Ctesiphontem aduers. Pelag.

O anima Christiana fias Melaniæ discrimine cautior, sepi aurem tuam spinis, validâ sepe circunda vineam tuam, ne callidi hostis pateas insidiis, quibus arietat in intellectum, si voluntas Diuinis inhians fuerit à terrenis penitus aliena. Si autem voluntas hiat aperta variis affectibus, facilior ad veniam præbetur aditus, cum incautè quibusque rebus anima reseratur. Eo astu perdidit Alexandrum Medicæum Ducé Hetruriæ consobrinus eius Laurentius Medicæus, qui videns Alexandrum esse interdiu armato milite circunseptum, atque adeò inuium insidiis, simulâuit proxima indicta nocte, velle ei copiam facere mulieris

Hist. Flor. in Alexand. Medices.

mulieris perquàm gratæ. Alexander ea delinitus illecebra, serò custodes abiicit, ita suo destitutus vallo, & amota sepe, Laurentio proditori atque perduelli inerme latus obtulit lethali gladio fodiendum. Luculento sui exemplo nos erudit ille Alexander sublatus iniqua corporis & animæ sorte, hominem tantùm esse superstitem, quem integra sepes circumdat & protegit, eum verò qui suæ sepis incurius est, miserè disperire. Hoc itaque animo insideat vulpeculis occurrendum esse eo modo, quo fugatur Leo, cui faces obiectæ terrorem incutiunt, quo in fugam actus turpiter cedit.

Vinea nostra patet multis insidiis.

Ex Symbolis. Ian. Ferrus part. 2. Theatri.

Vnde Ferrus hoc symbolum fecit. Leonem pinxit, qui auersatus facem ait. FVGOR EX INTVITV. Nihil æquè diabolum fugat ac intuitus, & sollicita sui circunspectio. Hac sepe neglectâ, vulpeculæ vineam nostram subeunt & disperdunt, vt querulus luget Bernardus ita mœrens: *Quantis memini me patere insidiis illius, qui sagittat in occultis immaculatum? Quantùm nobis, ô vinea mea, furtiuis subreptum est machinamentis, eo ipso tempore quo vigilantius intendere cœpimus curæ & custodiæ nostri. Quot & quales piorum botros operum, aut præfocauit ira, aut tulit iactantia, aut fœdauit inanis gloria. Quanta ab illecebra gulæ, quanta ab acedia spiritu, quanta à pusillanimitate spiritus & tempestate sustinuimus.* Si hæc querela fuit hominis industrij. Nonne & fas erit nobis vsurpare eiusdem voce. *Quibus lacrymis rigabo sterilitatem vineæ meæ; Omnes palmites eius aruerunt præ inopia. Iacent sine fructu, eò quod non habeant humorem, Iesu bone, quos fasciculos fermentorum ex eis, in tuo quotidie sacrificio, vstio contriti cordis mei te teste absumit.*

Ex SS. Patribus. Bern. serm. 30. in Cant. Diabolus nos tentat vndequaque. Ibidem.

Examinis conscientiæ exemplum.

Ex Ivre Canonic. Can. Consideret. De pœnitent. Dist. 5.

Vt nobis quasi insciis in vineas nostras vulpeculæ subintrarunt, ita ritu contrario foras emittuntur. Qua autem industria capiantur, vide hoc Canone, qui eam artem docet. *Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione, Oportet enim pœnitere fornicantem secundùm excellentiam sui status. Consideret quantùm perseuerauerit, & defleat quòd peccauerit.* Totus reliquus textus in hoc est vt hortetur homines ad exquisitam indaginem culpæ quæ irrepsit, vt malum, quod incuriâ influxit, diligenti curâ adhibitâ effluat. Dices non esse insigne dispendium illud vinearum à vulpeculis, quæ vtplurimum suis abditæ cuniculis rarò exiliunt futuræ botris iniuriæ; atque ita non esse adeò laborãdum in sepe integra conseruanda, ideóque superfluam esse illam parænesim, quæ homines vrget ad insomnes vigilias, ne quid noxij in eas irrepat. Respondeo, diruta sepe, non intrare in vineam vulpeculas tãtùm, sed & apros, qui omnia vastant, siquidem acedia nõ peruias animas facit leuibus insidiis diaboli, sed diffluẽtes ignauia tradit Veneri depascendas. Sic aper seu porcus vineæ nostræ decus suo ostro repando fœdat. Eamobrem Psaltes inuehitur in ignauos abiicientes curam vineæ sibi à Domino commendatæ. Audi increpantem. *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.*

Psalm. 79.

Itaque tribus his gradibus pessum-it vinea Christi, scilicet anima Christiana. Primò acescit & friget in his quæ Dei sunt, inscia quo tenore gradiatur in via virtutis, non præcauens ansas peccandi. Et hoc est dissipare sepem, & exponi ruinæ, quam coluber intentat homini incurio. Secundò anima depositâ curâ rerum cœlestium, leues Dæmonum patitur insidias, quibus effunditur in obuias sensuum illecebras, eâ tamen cautelâ vt nolit peccare lethaliter. Hoc namque adhuc illi propositum tenax insidet, non excidere gratiâ, licet callidus hostis multas subinducat rationes, quibus velut inuolucris obtegit facinora quæ prætendit. Hoc tamen anima patitur astutiâ dæmonis, vt prætextu melius obsequendi Deo, curam nimiam impendat corpori saginando. Verbi gratiâ ieiunio indicto ait stomachum suum non ferre inediam, nisi insigni discrimine sanitatis, cibosque assignatos noxios esse sibi. His veluti cuniculis vulpeculæ, id est astutiæ diaboli, animas decipiunt. Bernardus has detegit vulpeculas ita fatus: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Quid hîc vos dicitis obseruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius discipuli perdere. Quemnam vos è duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat: hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel stomacho nocet. Profectò vnusquisque quod à suo magistro didicit, hoc in medium profert. Num in Euangelio legisti has differentias, aut in Prophetis, aut in literis Apostolorum? Caro & sanguis pro certo reuelauit tibi hanc sapientiam, non spiritus patris. Est enim carnis hæc sapientia. Sed audi quid de ipsa nostri medici sentiant. Sapientia, inquiunt, carnis mors est.*

Doctrina Christi alia est ab ea Hippocratis.

Ex SS. Patribus. Bernard. ser. 30. in Cant. Ciborum differentiæ non leguntur in Prophetis.

Demum aper ferus, porcus scilicet luxuriæ, inuadit vineam, quæ patuit anteà vulpeculis. Quippe anima incautè effusa in sensuum illecebras, facilè libidine accenditur. Ratio hæc est. Positis omnibus requisitis ad agendum, forma quæuis agit. Ideoque appetitus libidine caret post epulas, & in medio mulierum choro, quas homo frequens & incautus inuisit. Vnde emersit adagium sacrũ. *Vinum & mulieres faciũt apostatare sapientes.* Nam anima quæ defluxit in sensus, indolem sensuum induit. Sed sensus ebibita specie rei sẽsibilis eã nequeunt excutere, ita nec anima in mollitiem fracta valet resilire à voluptate, cui vltrò se addixit, vt eruditè Paulus ait. *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei nõ est subiecta, nec enim potest.* Itaque hoc habeto ratum, dæmonis omnem industriam eò tendere vt animas nostras efficiat pascua porcorum. Et hoc sanè est ingloriũm genus mortis, à porco animali sordido conculcari. Eo fine diabolus sustulit nobilem quemdã Raymundum Corrasium, qui inito fœdere cum dæmone, ab eo noctu audiebat omnia quæ gerebantur in remotissimis quibusque plagis, cui officio cùm sedulus esset dæmon, nec tamen videretur à Raymundo, quia noctu tantùm colloquebantur ambo: tãdem ei apparuit accepta specie porci, qui grunnitu suo eum ei terrorem incussit, vt inde decumbens ignobili fato defunctus sit. Ecce vltimam periodum colloquij cum dæmone. Quisquis ei auscultat, primò vulpis ingenium capit, posteà desinit in porcum.

Voluptas porci habitu necat.

Rom. 8.

Raymundi Corasij mors.

Ex Historia. Froissar. volum. 4. c. 13. sub. an. 138-.

Miserando illi fato se subducit ille, qui insomnes agit excubias, inuigilans sibi & arcens omnia quæ igni luxuriæ fomitem præbent. Vtinã omnes animos induerent Præfecti vigilum, cuius lex meminit hoc contextu. *Sciendum est autem Præfectum vigilum, per totam noctem vigilare debere, & coerrare calceatum cum hamis & dolabris.*

Præfectus vigilum, quo habitu debet incedere.

Ex Ivre Civili. Leg. Nam salutem §. Sciendum est ff. De officio Præfecti vigilum.

Etiamsi

Etiamſi ſenſus debeant eſſe vigiles & cauere ſibi, ne incurrant in noxia obiecta, vnde emergat animæ pernicies. Hæc tamen præcipua vigilandi cura pertinet ad affectum, cui incumbit illa præfectura vigilum. Dum namque amor Dei compeſcit errabundos ſenſus ne diſcurrant, tunc reuerà eſt Præfectus vigilum, & quidem calceatus vt temerè poſſit incedere mediis incendiis, vt explicat Cuiacius. Rurſus amor dolabris eſt inſtructus, cùm extirpat omne quod concipere poteſt ignem luxuriæ, ſicque calceatus cùm nulli animæ affectus ſeu pedes aperti ſunt creaturis, congruè occurrit incendio libidinis, quo ſolent omnes deſides animæ conflagrare. Hæ autem animæ, quas depaſcitur aper de ſylua, deſinunt eſſe Chriſti, & fiunt vineæ diaboli, qui petitas propagines è Sodomis illic accommodat, vnde deſudat lethale vinum, iuxta Moyſis præſagium. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: Vua eorum, vua fellis, & botri amariſſimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*

Amor eſt vt præfectus vigilum

Deuter. 32.

O Chriſtiane, quem libido ſollicitat ad conſenſum, hoc memento, carnis ſcilicet illecebras eſſe botros, ſapidos quidem guſtui dum eduntur, ſed tamen illicò mutari in fel draconum, dum repetita noxæ memoria lancinat animam, & velut horrore concutit, aſſidua ſynderesi viſcera diſcerpente. Hoc recole peccatorum citam eſſe voluptatem; vltionem autem termini neſciam perpetuas pœnas expetere ab anima libidine deturpata. Hoc item animo verſa, has pœnas temporales eſſe prælúdia mulctæ ſempiternæ, ita vt homini obſcœno quadret illa prænotio Coacarum Hippocratis. Αἱ ἐκ νώτου φρίκαι πυκναὶ καὶ ὀξέως μεταπίπτουσαι δύσφοροι. *Crebri ex lumbis horrores, cum cita caloris viciſſitudine calamitoſi.* Horrore riges cùm memor es iudiciorum Dei; hic ſanè horror è lumbis oritur, id eſt, cauſa timoris tui libido eſt, & tamen rurſus eodem Veneris æſtuas incendio; tibi inde calamitas æterna portenditur, à qua Deus tantùm te vindicare poteſt. Hunc ora vſurpans Dauidis eloquium iſtud. *Deus virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua.* AMEN.

EX RE MEDICA. Hippocrat. lib. 1. Coac. prænot. 8.

Pſalm. 79.



DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. HOMO dicitur editus ad imaginem Dei, quatenus Verbum Dei refert. Eſt enim Verbum imago Dei: ſiquidem in diuinis vox hæc, imago perſonaliter ſumpta, vni tantùm Verbo conuenit. Vt ergo diabolus imaginem Dei ab homine expungat, aufert ab eo verbum, adimens vſum loquelæ eius quæ hominem decet, & aliam inſpirat quæ hominem dedecet, puta ſcurriloquia, verba obſcœna, periuria, conuicia, blaſphemias, aliaque id genus, quibus homo expuncta imagine Dei, induit diaboli ingenium. Quippe Angelus ille nequam iniurius Verbo Dei, factus eſt ipſe mendax & mutus: Verbum namque Dei veritas eſt, & loquelæ ingenuæ rectitudo. Itaque dæmon ſuam affingens indolem hominibus quos obſidet, facit eos mutos, vt oſtendo priori parte iſtius homiliæ.

II. Secundò aperio, quàm inſignis ſit gratia illa, ad quam editus eſt Chriſtus, nobis loquelæ modulos adiecturus. Nempe operæ-pretium fuit adeſſe in humanis Verbum Dei, vt copiam loquelæ faceret illis, quos diabolus elingues effecerat. Hîc probo, eos qui deterſo pudore explicant ſua piacula in confeſſione, habere quod geſtiāt ratione beneficij huius reuera magni, citra quod peſſum eunt homines in cōfeſſione pudibūdi, qui fuère impudentes in crimine perpetrando.

PRÆFATIO.

Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.

TRVCIS cuiuſdam & immanis tyranni facinus impium circumfertur quod tale eſt. Ille dominio vſurpato armis exuit ciues, deinde vetuit ne in forum confluerent. Rurſus ſanxit perpetuum ſilentium in plateis, ne occurrentes ſibi homines colloquendo inuenirent modum deponendi iugum quo à nefario illo homine premebantur. Circumibat ciuitatem hic tyrannus ſtipatus armata manu, explorans an conuenirent homines miſcentes colloquia. Populus ægrè ferens ſibi ademptum loquelæ vſum, prodiit illacrymans atque gemebundus, tantumque inualuêre ſuſpiria, vt oppreſſi ciues recuperata voce cohortantes ſeſe, inuaſerint ædes ferocis huiuſce beſtiæ, quam diſcerpentes, priſtinam libertatē zelo vindice reuocarunt. Eodem omnino ritu dæmō ſataḡit propagare fines imperij ſui: quippe impios arcet à cœtibus Eccleſiæ, nolēs eos conuenire ad conciones & tremenda myſteria ſacrificij incruenti. Omnem armorum vſum vetat, cùm ieiunia, eleemoſynas, orationes longè ab impiis

ab impiis eliminat. Demum summa dominij Angeli nequam in eo sita est, vt omnem adimat loquendi copiam in confessione, ne consulto sacerdote reus excutiat iugum miseræ seruitutis. O vile mancipium dæmonij muti, supersunt tibi lacrymæ: ingemisce, & statim aderit Verbum, scilicet Iesus eiiciens dæmonium mutum. Hoc Verbo recipies copiam fandi, & confitendi turpia quæ tacitus abscondisti. Vt expeditè loquamur, consulamus matrem Verbi, scilicet Deiparam. AVE MARIA.

CHristus adhortatus suos discipulos, vt essent veridici, & omnem iurandi ritum deponerent, ita præmonuit: *Sit sermo vester: est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Hoc contextu Deus diabolum nomine mali significat, nempe omne malum coit in dæmone, qui à Deo quidem bonus effectus est, Angeli naturam participans; sed hæc optima natura deuians ab intento Dei, pessum-iuit: nimirum voluntas auersata Deum obduruit nescia flecti. Intellectus etiam ille, cui peruiæ rerum omnium editarum species insuserant notitiam omnigenam, factus est errori obnoxius, cùm credidit proprio Marte suo posse Angelum deitatis infulas vsurpare. Sæpius etiam errat ille Angelus lucifuga, quando ex rebus obuiis coniectorem agens, vult assurgere ad Diuina. Verbi gratiâ, suspicans Christum esse Deum, tamen aspernatus in eo humilitatis insignia, qualia fuêre nasci in stabulo, circumcidi ad instar peccatorum, obedire parentibus, & viuere precariò: spiritus ille assuetus altiora sapere, conclusit hominem illum non esse Deum, atque ita se accinxit ad congressum cum Christo, ausus in eum impia attentare. Defectione sua à Deo incurrit in malum culpæ, factus peccato obnoxius. Et hinc ilias hæc pœnarum, quibus addictus dæmon grauiora omnia mala pœnæ sustinet in æternum. Congruè igitur hoc vocabulo mali censetur diabolus, vtpote malorum omnium parens, & ad mala omnia condemnatus.

Matth. 5.

Iuxta adagium, Κακȣ̃ κόρακος κακὸν ᾠόν, id est, *Mali corui malum ouum.* A malo nihil nisi malum emanare potest. Malum autem in priuatione situm est, atque ita quidquid diabolus infert, priuatio est alicuius boni, vt videre est in homine illo muto, cui loquelæ vsum omnem ademerat dæmon, vt & videndi facultatem; quippe ex Matthæo mutus ille cæcus erat. Alij adiiciunt surditatem, quæ mutos omnes etiam consequitur. Denique typus ingenuus homo iste est animæ, quam possidet hic tyrannus, qui de priuatione sollicitus, homines exuit omnibus donis, quæ propitius Deus impertitur. Huius sui voti compos efficitur Angelus hic desertor, quando homines facit mutos. Sed has omnes eius technas diluit Christus Verbum Patris: non enim melius potuit pelli dæmonium mutum, quàm à Verbo; nam mutum esse dicit carentiam verbi. Primò igitur explicabo quanta sit animæ pernicies, cùm à muto dæmonio possidetur. Secundò dicam, quàm sit Deus animæ beneficus, faciendo ei copiam verbi, quo tacitum os anteà reseratur.

***

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Miserandus est animæ status, si ea est elinguis.

SVnt qui meditantur diabolum defectionis argumentum accepisse ex eo quòd Deus Angelis præostenderit se editurum hominem, & aliquando assumpturum naturam eius vniendam Verbo. Aiunt illi, diabolum credidisse sibi fore inglorium adorare Verbum carnis nostræ exuuiis inuolutum, ideoque apud se statuisse occidere hominem illum Deum factum, iuxta illud Christi recensentis Angeli casum, cui & se aptabant Iudæi volentes interficere Deum illum in similitudinem hominum factum, sicut ille eos increpans ait: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille erat homicida ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Si est ea sententia verax, qua diabolus mente recessit à verbo, ex hoc effectus est dæmonium mutum, vtpote nescium verbi. Sed quid opus est rimari hominum sensa, cùm ex Theologia probare queam, Angelum illum refugam factum esse dæmonium mutum. Audi sacra illius scientiæ oracula.

Diaboli defectio vnde cœpit.

Ioan. 8.

Angeli & homines creati sunt ad imaginem & similitudinem Dei. Ratio autem imaginis in eo sita est, vt repræsentet diuinam essentiam secundùm ea, quæ sunt propria intellectualis naturæ, vt sunt amare & intelligere. Ideò quia Angeli & homines editi sunt accincti intellectu & voluntate, æmulantes naturam Dei, cuius proprium est intelligere & amare, dicuntur imagines Dei, non quòd Deo per omnia sint æquales; nam æqualitas non est de ratione imaginis, vt videre est in speculo, vbi imago genuina hominis non est quid viuens, & homini æquale: sed quia Angeli & homines intelligunt, & amore afficiuntur; quantùm eis fas est, referunt naturam Dei, & sic sunt ad imaginem eius, & pro modulo suo assimilantur Verbo Dei, cuius est procedere à Patre per modum imaginis. Vt enim imago refert rem aliquam; ita & verbum mentis graphicè delineat rem intellectam. Eamobrem Filius à Patre procedens, vt Verbum dicitur imago Patris. Et quia primum in vnoquoque genere est causa cæterorum, Verbum dicitur esse causa exemplaris omnium rerum editarum. Vnde aliæ Dei imagines repræsentantes imaginem illam primitiuam, participant etiam naturam Verbi, cuius esse, est essentia intellectualis. Creaturæ illæ intellectuales sunt quædam verba Dei, quæ protulit. *Dixit & facta sunt.* Ideoque sua dialecto loquaces sunt illæ creaturæ. Nam verba sonora sunt, iuxta illud Psaltis. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Si autem res illæ deuient ab instituto Dei, & non intelligant & ament iuxta modum à Deo præstitutum, iam non sunt ad imaginem Dei, nec verbum eius resonant, quia de ratione verbi est, vt repræsentet res sicuti sunt. Ergo cùm Diabolus à Deo defecerit, & peccauerit in Verbum Dei, appetens similitudinem Dei, ita fatus: *Similis ero Altissimo*; Dum à verbo recessit Angelus, elinguis effectus est: Angelum autem esse elinguem puta idem prorsus esse ac dæmonium mutum.

EX THEOLOGIA.
Thom. 1. p. q. 93. art. 9.

Verbum Dei quare dicatur imago Patris.

Psal. 18.

Instabis,

Instabis, non periisse in diabolo facultates illas, vnde perituɾ ratio imaginis. Nempe in dæmone viget acumen, & adeo viuax est acies intellectus, vt ab ea facultate omniscia, nuncupetur dæmon, id est scientissimus, atque ita non esse dæmonium mutum, cùm tanto polleat acumine. Respondeo, diaboli intellectum posse considerari dupliciter. Primò secundùm naturalia. Secundò in ordine ad gratuita. Primo modo intellectus Angeli est semper in actu, & habet species concreatas rerum omnium editarum, in quibus veluti per principia vniuersalia conclusiones omnes vidit à prima editione sua, ideoque nulla caligo se offudit menti diabolicæ in his quæ ad naturam pertinent. Si verò res est de intellectu diaboli in ordine ad supernaturalia, in eum irrepsit graue malum. Nam ex Aristotele, malum intellectus est falsum, & ex eodem Philosopho. *Vbicunque potest reperiri potentia sine actu, ibi potest esse malum.* At Angeli intellectus fuit in potentia in his quæ sunt superioris ordinis, & quæ pertinent ad gloriam; indiguit enim singulari gratia, vt se aptaret ad gloriam. In eo statu Angelus nequam sua ipsius cupidine captus, Deo inconsulto anhelauit ad gloriam, arbitratus se suis posse viribus eò contendere. In eo delirio turpiter ille perduellis Angelus aberrauit. Anteà se Deo satum aspexerat, & ex relatione effectus ad causam agnouerat se esse infra Deum, & ita verax extiterat. Sed vbi assurrexit ad obiecta superantia vires suas, cæcutire cœpit, excæcatus nimia cupidine gloriæ, quam voluit tumidus vsurpare. Et tunc *In veritate non stetit.* Nempe mendax & erronea fuit eius intellectio, & sic in eo expuncta est ratio imaginis, quæ sita est in repræsentatione naturæ intellectualis Dei. At erroneus intellectus toto cælo aberrat ab illa Dei notitia. Ergo fuit natura mendax, recedens ab ea conformitate Dei, in qua conditus est. Non potuit autem natura mendax habere veritatem seu Verbum Dei, cui affiguntur illa tria, via, veritas, & vita. Sic Verbo Dei amisso, Angelus ille anteà canorus & vocalis, defecit in dæmonium mutum.

Diabolus nõ amisit naturalia bona.

Ex Philosophia. *Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 2. Lib. 9. Metaph. text. comment. 22.*

Ioan. 8.

Quòd hallucinatus sit Angelus ille nebulo suasore typo superbiæ, docet Sanctus Augustinus hoc contextu. *Ab initio suæ conditionis in veritate non stetit, & ideò nunquam beatus cum sanctis Angelis fuit, sue recusans esse subditus creatori, & sua per superbiam velut priuata potestate elatus, ac per hoc falsus & fallax, quia nec vnquam ad potestatem omnipotentis euadit. Et quia per piã subiectionem noluit tenere quod vere est, affectat per superbã elationem simulare quod non est.* Sic fallit, & fallitur, omnésque quos potest inducit in errorem suum pater ille mendacij, factus mutus in his quæ Dei sunt, sed garrulus & loquax ad hominum perniciem, & iniuriam Dei. Audi garrientem & mendacem in horto peramæno voluptatis, quem fecit theatrum miseriæ hominum. Dixit homini, eum fore Deum, si carperet fructum, cui etiam mentitus est inesse semina vitæ immortalis: *Nequaquam moriemini: Eritis sicut Dij.* Rabiem, quæ eum in homines exasperat, colligit Sanctus Ambrosius ex indole eius superbiente supra modum. Sic ille: *Qualis aduersus seruulum Dei potest superbus esse, qui aduersus Deum se exaltat, & dicit: In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam sedem meam, sedebo in monte excelso, super montes altos qui sunt ab Aquilone, ascendam super nubes, & similis ero Altissimo? Quid mirum itaque si grauare homines possit, qui pertinaci spiritu nec Deo cedit? Quomodo mensuram veritatis & fidei in homine reseruabit, qui sacrilegio impudentique mendacio, omnipotenti se Domino adæquandum esse promittit?*

Ex SS. Patribus. *Aug. lib. 11 de ciuit. Dei cap. 13.*

Diabolus quare mẽdax.

Genes. 3.

Ambros. in Psal. 118. Diaboli potentia ad ascendendũ est magna.

Diabolus gratiâ exutus voluit & priuationis suæ habere conscios homines. Namque vt Herodes moriens iussit interfici proceres regni sui, ne solus interiret; ita & ille homicida Angelus, interitus sui plerosque Angelos consortes fecit, vt & homines egit in præceps, eamdem eis affingens priuationem, à qua dæmon ipse accepit vt mutus esset. Nimirum expunxit in homine imaginem Dei, atque adeò eum procul fecit à Verbo Dei, cui comperit imago Dei. Quippe vafer ille hostis & lucifuga tenebras offudit intellectui, qui caligans credidit verbo diaboli & non Verbo Dei. At cæcutire & falsò intelligere, hoc non est referre naturam intellectualem Verbi Dei, cuius est res proponere vt sunt, quia concolores debent esse res & earum notitia, iuxta illud Aristotelis: *Vt se res habet ad esse, ita se habet ad cognosci.* Sed cum callidus hostis suasit homini vsum pomi vetiti, dicens eum fore Deum, & haudquaquam moriturum; alio planè modo se res habebant, atque adeò credulus homo mentienti diabolo assensum præbens, prauè intellexit. Intelligere autem prauè, idem prorsus est, ac non intelligere; siquidem nulla potentia fertur in priuationem sui obiecti. Verbi gratiâ, auditus non fertur in silentium, nec oculi dicuntur videre tenebras. Imò homo dicitur nihil videre, cum densa caligine nigricant omnia. Ita homo cui falsitas errorem affinxit, non intelligit: nam falsum est priuatio veri, quod est obiectum intellectus, qui dum errat, hominem à pecude discernit, iuxta illud Psaltis: *Homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Intellexit quidem homo auscultans diabolo; vnum namque intulit ex alio, & iudicauit esum pomi esse sibi congruum, quia eius beneficio credidit sibi Dei infulas imminere. Tamen quia totus ille contextus fuit erroneus, de eo homine caligante absolutè dicitur: *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Id est, quando referebat imaginem seu verbum Dei intelligebat, atque ita præditus verbo vocalis erat, & sonorus homo. Sed vbi erasa est imago Dei, subeunte falso, & cæcutiente intellectu, nulla planè fuit intellectio, ideoque homo delirus abiit in pecus, & diabolo præpediente vsum linguæ, mutus effectus est: etenim Deo clamante hominem post deliquium eius, elinguis Adam obmutuit. Vide quomodo dæmonium mutum in hominem irrepserat. Consule textum ruinæ Adami. *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini.*

Ex Philosophia.

Thom. in lib. 2. de anima lect. 13. text. 64.

Psal. 48.

Gen. 3.

Si Deo reuocanti occurrisset Adam pronus, & humili eloquio confessus fuisset recens piaculum, profectò Deum inclinasset ad veniam; sed obstante dæmonio muto, tacitus se abscondit, & hinc mali labes. Nam vt mutus orare nequit, neque confiteri noxas; homo reus, nec orauit, nec humili confessione deliquium tersit; sequutus ita diaboli vota, qui hoc silentium homini noxium callidus intendebat. Infelicis huius sortis particeps

effecta est tota Adami prosapia, prona ad tegenda crimina, & difficilis ad ea detergenda confitendo reatum suum, vt luget Dauid Deum deprecatus, vt hæreditario illo næuo mundaretur. Sic ille: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Psal. 140.

EX MATHEMATICA. *Schonerus Origan. lib. de iudiciis planet. c. de Mercurio.*

Fauet & Mathematica illa iudiciaria, quæ non est contemnenda in rebus physicis, non transiliens cancellos ei ab Ecclesia præstitutos, nihil prænuntians de eis quæ pertinent ad gratiam Dei, quæ non subiicitur astris, sicut nec liberum arbitrium. Peritissimi huiusce artis siderum inspectores obseruarunt, planetam Mercurij ex duodecima domo malè affectum significare, puerulum eo sidere infausto natum, fore mutum aut tardioris linguæ, quia domus illa duodecima est domus inimicitiarum, vnde planetæ malè affecti negant fœtui recens edito suos beneficos influxus, ideoque natum hominem fore linguæ minus expeditæ, quia est illi Mercurius iniurius, cuius est influere in linguam, vt eam faciat tersioris eloquij. Vide iam quàm meo intento quadret illa obseruatio cælicæ Matheseos. Omnes homines nascuntur filij iræ, atque adeò inimici Dei, & ita Verbum Dei est in domo inimicitiarum, quia auersatur vnumquemque hominem editum in peccato, atque ita negat influxum suum beneficum, qui in eo situs est, vt facilis lingua sequatur hominis arbitrium, resecando arcana quæ voluerit explicare. Nam cui Verbum Dei adest, adsunt & verba ad orandum & expeditè confitendum. A quo verò abest Verbum Dei, absunt & bona verba, ipso etiam Dauide conscio, qui in hæc incurrit discrimina, factus peccato obnoxius; sic ille: *Ego autem tanquam surdus non audiebam & sicut mutus non aperiens os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.*

Psal. 37.

Vt lupis inest vis quædam iniuria voci, vt iactat illud Poëtæ effatum: *Vox deficit ipsa: lupi Mœrim vidêre priores.* Ita & diabolo virus insitum est, quo loquelæ vsum hominibus adimit quando eorum animas subit dæmonium illud mutum. Ideò reprobi sunt ab oratione procul, arcente eos ab ea precum praxi dæmonio illo muto. Nunquam impij vacant sacris eloquiis, facessente eis negotium lingua tarda ad sermones pios, etsi aliàs velox sit ad obscœna verba sæpius eructanda. Sed extrema pernicies tacitæ linguæ est in confessione sacramentali: arguit enim illud silentium intempestiuum, esse in homine facinus aliquod horrendum, cuius recensio pudibunda, rubore perfundit ora cuiusque reprobi; eo autem silentio quo peccatum occultatur, anima perit veluti pure abdito suffocata. Ei sanè quadrat veridicum illud præsagium Hippocratis. Ἐμπυημάτων θανάσιμα δ' ἐστὶν ὅσα ἂν εἴσω ῥαγῇ. *Abscessuum lethales sunt illi, qui pus effundunt intrò.* Sanie immunda impij cor alluitur, quando admissi criminis sordida colluuies silentio abdita, foras non erumpit confessionis obsequio, sicque ex placito Hippocratis pus intro effusum lethale est, dæmonio muto ita effecto compote voti sui, quia dum obserat os hominis in confessione, anima illa silens noxas præcipuas fit sacrilega, atque ab eo crimine suo abdito suffocatur.

Diabolus quando mutos efficit homines.

EX RE MEDICA. *Hippocrat. coac. lib. 2. cap. 11. pr. 8.*

Pœnitentia sanitati restituit homine.

EX SS. PATRIBVS. *Chrysost. hom. 8. in cap. 4. Mat.*

Ad hoc Hippocratis effatum alludunt Sancti suasores confessionis ingenuæ. Ita Chrysostomus. *Sicut infirmus qui ipse venit ad medicum, ex parte iam sanus est. Sic & ipse peccator qui venit ad sacerdotem, & pœnitentiæ medicinam quærit, ex parte iam iustus est.* Eidem metaphoræ insistit Theophylactus, cuius ecce conceptus. *Vt quamdiu opertum est vulnus, medicationem nullam admittit. Sic & delictum cùm fuerit detectum, in lucem conuertitur; non enim peccatum dixerim, sed peccata patrantem; nam castigatus cùm fuerit delinquens & acrioribus verbis increpitus, & pœnitudine veniam consequitur, nonne omnes huius purgata sunt & abolita, quas anteà peccatorum mole obduxerat, tenebræ.* Adiice & his Origenem rei etiam medicæ similitudinem vsurpantem, vt ostendat quàm proficua sit explicatio peccatorum. Sic ille: *Sicut ij qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho grauiter & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur; ita etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Sic si homo ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi egerit causam.*

Confessio detegens peccatum, illud sanat. *Theophylact. in cap. 5 ep. ad Ephes.*

Origenes hom. 2. in Psal. 37. Confessio vomitus est salutaris.

Plerique dum in confessione silent, arbitrantur se consulere famæ suæ, cui inesse periculum à recensione peccatorum suorum malè ominantur. Sed planè secus accidit: Confessio namque mutila prodit hominem hypocritam, & graui aliquo facinore religatum, quod loquelæ omnem vsum ademit. Huius incommodi specimen locuples edidit frater Berengarij Comitis Prouinciæ, qui inuidens fratri suo gloriam principatus, cogitauit eum facinore atroci tollere de medio: ideoque nactus idoneum tempus fratricidio, hoc se crudeli piaculo obstrinxit, rem fore ignotam credens, quia semotis arbitris fuerat abditum scelus; quod ita Deo vindice proditum est. Homo ille anteà innoxius, erat expeditæ linguæ, sed vbi fratris sui cruore rubuit factus homicida, statim elinguis obmutuit, eoque prodigio tacitus omnibus hoc clamauit, se suasore dæmonio muto occidisse fratrem suum. Sicque silentio proditus est ille, quem lingua liberior citiùs excusasset. Ita fas est ominari de te, ô impie Christiane, cùm intempestiuè siles in confessione, celans sacerdoti nefarios actus, quos testibus insciis anteà perpetrasti. Quid in tui perniciem taces, & detrectas ingenuè confiteri? Tuo hoc sacrilego silentio arguo te occidisse fratrem tuum scilicet Christum, qui primogenitus est in multis fratribus; eum interemisti tot ad hoc scelus infandum conductis sicariis, quot crimina perpetrasti. Pudet item confiteri occidisse fratrem tuum, vsurpando facultates proximi tui iniquis artibus. Erubescis aperire adulteria, quibus animas dirè trucidasti. Demum ominosum est in confessione obmutescere; eo namque modo sacrilegus homo & impius explicatur. Ea item priuatio vocis hominem gratiis omnibus exutum clamat; siquidem auctore illo dæmonio muto, Adam qui obmutuit, cognouit etiam se esse nudum, nec ei nuditas hæc innotuit, nisi post depositas gratiæ infulas, vt legere est ex contextu sacro, referente colloquium Dei & hominis. *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me. Cui dixit Deus: Quis indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?*

Confessio mutila arguit hominẽ reprobum.

EX HISTORIA. *Cæsar Nostradam. in hist. Prouinc. sub an. 1001.* Berengarius Comes quare factus mutus.

Genes. 3.

Gratiâ

Gratiâ Dei circumamicti homines neſcij nuditatis ſuæ, tractabant ea quæ Dei ſunt; ſed vbi exuerunt ſtolam gratiæ, expoſiti ſunt ludibrio nuditatis, cuius pudori vt conſulerent, folia con-

Ibidem. ſuerunt. *Aperti ſunt oculi amborum, cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudes, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Collige hac ſerie hiſtoriæ aſtutiam Angeli verſipellis. Conuenit ille Adamum mediante fœmina recenſente grandia promiſſa de diuinitate inſtante, & vita immortali; & tamen omnis hæc ſermonum pompa deſiit in foliis. Plerumque ſimili modo magos dementauit dæmon, magnam vim auri pollicitus, quam cùm decepti homines crederent appenſam fuiſſe ſibi, nihil niſi folia colligebant. Cautè igitur inuigilare vobis, ô fideles, & recolite, omne commercium cum diabolo facere homines elingues & nudos abſque vllo fructu proficuo: quippe omnia diaboli pollicita mendacia ſunt, quæ in folia vtique noxia reſoluuntur.

Pars Secvnda Homiliæ.

Maximum eſt Dei beneficium, loquela animæ reſtituta.

VT tanto hominum diſpendio occurreret Deus, miſeratus hominum ſtatum infelicem, hominem induit, vt dæmonem exueret ſpoliis opimis. Et hoc Ioanne aſſertore didicimus.

1.Ioan.3. *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Etenim non potuit curari mutus niſi verbo. Ideoque in argumentum ſanitatis ſubiicit Lucas, hominem hunc anteà mutum edidiſſe ſermones indices ſuæ libertatis. *Et cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.* Benè igitur dicitur Chriſtus diſſoluere opera diaboli, vt aſſertor publicæ libertatis, quem dæmon ſuis vinculis obſtrinxerat. Signum autem libertatis eſt, poſſe aliquem ad tribunal Iudicis accuſare, aut teſtem agere congruum. Ecce edictum Imperatorum Honorij & Theodoſij. *Quoniam liberi teſtes ad cauſas poſtulantur.* Etenim ſummam ingenij libertatem veritatis aſſertio præſupponit. Hæc verò libertas animi non cadit in indolem humili aliorum obſequio mancipatam. Ideò hanc tulere legem Imperatores Diocletianus & Maximianus. *Eos teſtes ad veritatem iuuandam adhiberi oportet, qui omni gratia, & potentatui fidem religioni iudiciariæ debitam poſſint præponere.* Reprobi, quos diabolus mercatus eſt ære voluptatis, dum ſiſtuntur tribunali pœnitentiæ, adinſtar piſcium protinus obmuteſcunt. Et hoc eorum ſilentium in confeſſione, arguit eos non eſſe ſui iuris, ſed importuno diaboli iugo premi, vt præſcius Iſaias inſinuat monitorem agens. *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Quaſi diceret, ô anima, quid tacita in confeſſione ſiles præpedita vinculo, quo implexum collum tuum tuam omnibus explicat ſeruitutem. Siſtere verbo Dei, vt eloquia tua ſoluant hos laqueos ſilentij noxij, quibus indubio diſcrimine ſalutis tuæ turpiter irretiris. Libera ceruix ſeſe in confeſſione prodit, iuxta effatum eiuſdem Vatis, ita homines adhortantis. *Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.*

Libertatis ſigna. Serui non poſſunt accuſare.

Ex Ivre Civili. Leg.Quoniã. L.Eos teſtes. Cod. de teſtib. Teſtes eſſe debent probatæ fidei.

Iſaia 52.

Iſai.43.

Ex Theologia.

Quare autem Deus velit homines loqui, quos eripuit dæmonum ſeruituti, ratio hæc eſt. In omni opere Dei coëunt miſericordia & iuſtitia. Ergo cùm iuſtificatio impij ſit opus ſolenne, debent & hæc duo attributa maximè elucere. Miſericordia emicat in deterſione culpæ, quam nemo infra Deum poteſt expungere. Iuſtitia verò liquet puniendo tria vnde reus homo effectus eſt. Primum eſt ſuperbia, qua homo Deo iniurius genio indulgens intumuit, parui pendens ſtatuta Dei. Animus ille inſolens plectitur humilitate, quam contritio ſecum vehit, hominem inclinans ante Deum. Alterum quo deliquit homo, eſt delectatio, cuius illecebra homo ſuæ ſalutis immemor totus effuſus eſt in lethales delicias. Huic deliquio vindex apponitur dolor, quo angitur anima pertæſa ſcelus omne antea perpetratum. Tertium denique quod hominem exuit omni ferè rationis habitu, eſt impudentia qua detergitur ille pudor, qui color eſt virtutis, & in modum ſatellitis à natura conducti arcet ab homine quidquid redolet indecorum: quippe pudor eſt veluti ſepes, qua circumactus homo, eſt velut inuius actibus inhoneſtis.

Thom.1.p.q.14.art.4.

Huiuſce pudoris extincti Deus vltor congruas expetit pœnas ab homine conſcio ſceleris exantlati. Indictum ſupplicium genio culpæ quadrat: nimirum delinquentis impudentia homines lædit, quos non latet commiſſum piaculum, ideóque fuit ſancienda pœna congrua deliquio, quæ redderet hominibus pudorem antea ſuffuratum. Igitur in mulctam idoneam decreta eſt confeſſio, qua reuocatur pudor emortuus, & anima pudibunda luit pœnas quibus ſe obſtrinxit. Adeóque ingens eſt pudor, quem offundit confeſſio iniucunda, vt plerumque pœnitenti adimat copiam enarrandi turpia ſua piacula, quæ dum anima recenſet ſacerdoti idoneo, hoc ratum habe, fugatum eſſe dæmonium mutum, & Verbum Dei illapſum eſſe in os illud fœtum eloquio confitente reatum, quem reprobus alto ſilentio prius abduxerat. Hinc argue, animam illam eſſe ingenuam, & præſtanti robore, quæ præualet in pudorem, quo vt ſigillo valido præcipua quæque facinora à diabolis obſerantur.

Pœnitentia quænam ſit perfecta.

Prælibatam actuum ſeriem requiri ad perfectam pœnitentiæ rationem ait Chryſoſtomus hoc contextu. *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem, omnia libenter ſufferre. In corde eius contritio, in ore eius confeſſio, in opere tota humilitas: hæc eſt fructifera pœnitentia.* Aduocandus etiam Auguſtinus vt aſſertor eius effati, quod præmiſi affirmans omnia opera Dei coaleſcere ex miſericordia & iuſtitia, Sic ille: *Nullus debita grauioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcumque, etſi longè minorem quàm debeat, ſoluerit pœnam. Ita enim impertitur à Deo largitas miſericordiæ, vt non relinquatur etiam iuſtitia diſciplina.* Ne autem quiſque ſibi præſcriberet ſchema pœnitendi ad arbitrium ſuum, & confeſſionis ritum abdicaret, idem Sanctus explicat normam pœnitendi hoc tenore. *Agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia. Nemo dicat ſibi, occultè ago, apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælo. Ergo ſine cauſa data ſunt claues Eccleſiæ Dei: fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti: promittimus vobis quod ille negat, nonne vos decipimus? Iob dicit: Si erubui in conſpectu populi confiteri peccata mea.*

Ex SS.Patribvs. Chryſoſt.hom. de pœnitētia.

Auguſt.lib.de contin. cap 6.

Idem hom.49. lib.50 homil. Pœnitentiæ neceſſitas

Pœnitentia quænam ſit agenda.

Non erubuit palàm confiteri Raymundus Comes Toloſanus, ſpecimen editurus pœnitentiæ inſignis, vt dilueret immane piaculum quo ſe obſtrinxerat

Ex Historia. Hiſtor.Gallic. ſub an. 1208.

Pœnitentia Raymundi Comitis Tolosani. obstrinxerat occidendo Legatum Sanctæ Sedis Apostolicæ. Præpotens hic Dynasta in conuentu Præsulum sistitur nudus, reatum suum gemebundus aperit astantibus, veniamque deprecatur, quam tandem fugi lacrymarum profluuio & humili confessione demeruit. Hæc sanè ingenua est pœnitentiæ species, quæ vocalis debet esse & sonora, ne dæmonium mutum, nos elingues in suas secum partes trahat, pudentes confiteri reatum, quem contraximus impudentes. Nuda debet esse confessio, vt sua nuditate probat ille Comes confessurus crimen atrox quod deflebat. Sed heu plerique hominum secuti indolem Adami, etsi suæ nuditatis sint conscij, vrgente eos synderesi; consuunt tamen folia, quibus operiant suas actiones indecoras: nolunt enim ingenuè confiteri turpia; sed excusantes admissa facinora veluti foliis obtegunt, ne à quouis homine discernantur. Profectò hos dæmonium mutum sibi tacitos homines deuinxit silentio intempestiuo; nec vnquam homo obmutescens expediet se à diaboli illius iugo, quin opitulante Verbo referat verbis omnia crimina quæ opere perpetrauit. Illa nimirum recensio scelerum præire debet veniæ, quæ confessionem integram consequitur.

Fauent propositæ thesi Canones sancti, affirmantes homines reprobos pessimè sibi consulere, dum taciti detrectant explicare peccata sua in foro pœnitentiæ. Ecce Canon. *Porro illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsi habituri sunt & vltorem. Et quid eis prodest humanum vitare iudicium, cùm si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum, Deo retribuente, supplicium? Quòd si ipsi sibi iudices fiant, & veluti sua iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia.* Adiice & sequentem Canonem istum. *Faciliùs Deum sibi placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed vltro crimen cognoscunt, qui aut propriis illud confessionibus produnt.* Igitur, ô reprobe, quem lethali silentio deuinxit tibi dæmonium mutum, loquere vt te videam sanum & liberum: Dic tantùm, & verbo sanaberis. FAXIT DEVS.

Ex IVRE CANONICO.

Can. Porro. Can. Facilius, dist. 1. de pœnit.

Confessio mutila Deũ habet vltoré.

Confessio Deũ placat.



FERIA SECVNDA DOMINICÆ TERTIÆ QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT nihil est infra cælos sartum tectumque, aut omni ex parte beatum; anima etiam hominis participat rerum omnium statum minimè constantem sibi: namque esto sit immortalis, nusquam pessum abitura; tamen dum gratia, & peccata suas alternant vices in anima, illa suam tunc maximè sortem variat. Et vt in physicis natura ægrè fert mutationes illas, quæ ad extremas qualitates vergunt; ita & in moralibus anima, valetudine integra, non patitur transitum à gratiâ ad peccatum, sed statim ægra iacet & decumbit. Quomodo autem anima deficiat, ostendo priori parte istius homiliæ, vbi explico quænam sint principes partes animæ, ad quarum deliquium anima ægrotat.

II. Secundò facio palàm modum, quo anima reduce sanitate suum priscum statum recuperare potest, & id probo similitudine ducta à corporibus ægris, quorum vitiata temperies restituta salutem parit. Demum tota ista homilia decurrit in similitudine corporis & animæ: nimirum hoc mihimet pensum imposui; scilicet ostendere, animam in hoc referre ideam corporis, quòd suas etiam patiatur angustias anima sicut corpus, & sua etiam habeat pharmaca vt saluti dubiæ consulatur.

PRÆFATIO.

Medice cura teipsum. Luc. 4.



ANTE QVAM ars Medica coëgisset in libros suos aphorismos, quibus sanitas adducta in discrimen posset vtique reuocari; homines olim decumbentes, facti valentiores adibant Apollinis aut Æsculapij ædes, vt illic in tabulis de pariete pendulis conscriberent illa remedia, quorum suffragio redux fuerat valetudo, vt prælectis his cautelis, quisque in posterum sibi consuleret. Potiori longè cura Deus prouidit hominibus, quorum dubia sæpè salus vertitur in discrimen. Vnicuique cor affinxit veluti tabulam, cui inscripsit præcipua quæque remedia idonea ad sanandos ægros, id est animas

animas imbecillas, quæ Dei gratiâ turpiter exciderunt. Nemo namque est peccato lethali obnoxius, qui susurro suæ conscientiæ suggerente, non probè calleat illa remedia congrua morbo suo. Nimirum synderesis homini semper obiiciens repetita crimina, eum sanis stimulat aculeis, vt confessione diluat scelera, quæ semotis arbitris in abdito perpetrauit. Stimulus ille conscientiæ est insomnis animæ custos, qui cum decumbit homo reus, hoc iugiter ingeminat: Medice cura teipsum, id est, ô homo non es nescius ægritudinis tuæ, vtere remedio quod tibi etiam innotescit, beneficio Christi Medici, cuius matrem par est venerari Angelico afflatu. Aue Maria.

SEnsuum obsequio deuenit homo in cognitionem rerum Physicarum, quia anima corpori alligata, ab eo sumit species, quæ referunt indolem omnium obiectorum. Et licet res pertinentes ad gloriam & gratiam sint sensibus inuiæ; Deus tamen conscius infirmitatis nostræ sensibilia quædam homini obiicit, vt eorum intuitu anima capiat intentum Dei. Verbi gratiâ, Psaltes Diuino spiritu afflatus statum animæ Deo gratæ explicat nomine sanitatis, vt secus animam, quæ gratia excidit, notat vt infirmam.

Psal.6.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Ne autem quis cogitaret Prophetam loqui de re vernacula, id est, de valetudine corporea, sic alibi exorat.

Psal.40.

Ego dixi: Domine miserere mei; sana animam meam, quia peccaui tibi. Animæ recensio ostendit agi de aliquo insensibili, & peccati commemoratio arguit causam illius status imbecilli. Hoc ego loquendi schema sequar ista concione, vbi acturus de anima infirma, prima parte eam cum corpore comparabo cùm ægrotat. Secundò dicam, similes adhibendas esse cautiones ad animæ curam; & iisdem fere vtendum remediis, quibus corpora sospitantur. Duo itaque habeo probanda. Primum est, animam posse ægrotare. Alterum est, eam posse ad pristinam sanitatem reuocari.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quomodo anima queat ægra decumbere.

EX PHILOSOPHIA. *Arist.lib.9. Metaph.c.22.*

INdubium est Philosophi effatum: *Omne quod est in potentia sine actu, esse obnoxium malo.* Nam vel illa potentia respicit bonum aliquod congruum, & sic illa potentia dicit priuationem, quæ est malum quoddam. Si verò illa potentia respicit aliquod malum imminens, eo modo malum significat: nam subditum esse malo instanti, imperfectionem notat; & esse imperfectum, hoc est esse peruium malo. At homo degens in hoc æuo, est in potentia sine actu, ad statum in quo gratia amitti nequit. Ergo obnoxius est malo, illi videlicet quod consequitur gratiam deperditam.

Morbus quid sit.

Illud autem malum est ægritudo animæ, quæ definiri potest ex intemperie petita à morbo corporum infirmorum. Audi Medicum. *Morbus est affectus insidens contra naturam corporis; affectus autem contra naturam, non modò naturæ limites excedit, sed & illi vim infert, eiusque vires & functiones manifestè interturbat, atque id modò proximè, modò alterius interiectu.* Compendiosa illa descriptio graphicè delineat deploratum hominis statum, cùm decumbit anima lethali crimine præpedita.

EX RE MEDICA. *Fernel.lib.1. patholog.c.2.* Morbi effectus.

Hoc vt fiat palàm, duo sunt notanda in morbo. Primum est, morbum esse affectum contra naturam, & id deuiationem à sanitatis regula significat. Alterum prænotandum est, affectum illum vim inferre naturæ, vnde dolor emergit, & pars malè affecta fatiscens suas nescit obire vices, vtpote otio dissoluta. Verbi gratiâ, cum humore bilioso & mordaci alluitur neruus ille, qui ad aures porrigitur, referens inde sonos in arcem animæ, vt iudicet de his; tunc malè afficitur auris, vtpote incandescens, & assurgens in tumorem, qui concrescit ex affluxu peregrini humoris, qui dissoluit temperiem debitam auribus. Dissoluta temperies dolorem parit, quo tota illa aurium regio dirè & anxiè lancinatur. Demum tota illa morbi historia desinit in surditatem.

Simili ferè contextu anima infirmatur. Vt namque morbus est affectus contra naturam; ita & peccatum est auersio à Deo & conuersio ad creaturam. Auerti autem à Deo, & conuerti ad creaturam, hoc est affici contra naturam. Nam natura hominis est conscia rationis, & de ratione est adhærere Deo potiùs quàm bono fugaci. Malus ille animæ affectus vim infert voluntati, vnde enascitur dolor acutus: nimirum animus inquies sibi malè conscius diu noctuque angitur à vermibus, qui scaturiunt ex vlcere animæ, quæ putrescit. Demum tota illa tragœdia terminatur ad læsionem facultatis, quæ ægrè admodum exerere potest functiones suas, quia assueta malo, rem arduam credit redire eò vnde peregrè deuiauit. Si ergo facessit negotium virtutum praxis; argue læsionem potentiæ, scilicet voluntatis, in quam defluxit peregrinus humor, scilicet amor creaturæ, cuius effectus Deo iniurius malè affecit illam animæ facultatem, vim illi inferens, eam à Deo fortiter auertendo. Auersio autem illa, seu vis illata voluntati, non est citra dolorem acutum, qui cruciat animam: synderesis namque inuigilans animæ sanitati insurgit in omne noxium, magnásque in anima tragœdias excitat, siquando deuiat à recto tramite rationis.

Peccatum est morbus animæ

EX THEOLOGIA. *Thom. 2.2.q. 133.art.1.*

Peccati effectus malefici.

Quod enim dolor est corpori, illud est synderesis animæ, cui Deus dedit habitum, quo naturaliter cognoscit prima principia, & hic vocatur intellectus seu habitus primorum principiorum, cuius obsequio anima conclusiones deductas ab his principiis addiscit, & sic comparat sibi scientiam. Non defuit animæ idem Dominus, in his quæ ad operationem spectant; nam rationi affinxit quemdam habitum, qui animá inclinat ad prima principia iuris naturalis: hic habitus est synderesis, quæ nullo præuio doctore discernit inter bona facienda, & mala fugiẽda. Et vt ratio non fallitur circa prima principia speculatiua, quæ pertinent ad intellectum; ita nec synderesis vnquam decipitur circa actiones malas. Nam ex Philosopho oportet prima principia semper constare sibi, ideoque cùm synderesis sit habitus primorum principiorum operabilium, animam vexabit, si quandoque peccet, & hæc animæ anxietas est dolor arguens animam infirmari. Vnde cùm penes hominem sit, Deo influente redire in gratiam; hodie ex Euangelio vnicuique hoc proponitur adagium: *Medice cura teipsum.* Id est, ô homo, qui incuria tua malè afficeris, medico non indiges, qui exploret indolem morbi tui; synderesis ipsa satis superque monet animam tuam pessimè se habere. Ideoque cum cognitio synderesis sit practica, illa te assiduè sollicitat

Synderesis quid sit.

Thom.1.p.q. 79.art.12.

Aristot.lib.1. Physic.

sollicitat ad medendum animæ tuæ, quæ prona decumbit in fæcibus sui.

Si hac medendi sibi facultate careret anima, deterior esset hominum conditio, eâ quam miramur in bestiis Nempe illæ malè affectæ, naturæ ductu consulunt sibi medicamine congruo. Verbi gratiâ, mustela viperino dente sauciata rutam comedit, vt virus infirmet, quod vulnere inflicto vipera distillauit Hirundo pullos nacta cæcos, medetur eis herbâ chelidonia. Canis occurrit ægritudini instanti, gramine deuorato. Ceruus confossus telis, ad dictamum currit. Homo principatum tenens, in penitiore recessu animæ suæ habet apothecam pharmacorum omnium, quibus reuocare potest deuiam sanitatem, ideóque ei adagio isto obuiam itur: *Medice cura teipsum.* Eadem namque synderesis que refugit malum, hominem in bonum inclinat, & suggerit in quo sita sit ratio tota boni faciendi, cuius omnimoda praxis animam sospitem & integram esse prodit. Et ne hallucinemur in indagine sanitatis, audiendus est Fernelius, edocturus nos quidnam sit sanitas, vt ex relatione corporis ad animam, quisque valetudini suæ sedulus incumbat. Sic Fernelius. *Corporis partisve absoluta & exquisita symmetria, quæ ad summum peruenerit, summa est sanitas. Quæ ab hac paulum deficiens constitutio, nec actionibus nostris nocua est, nec animalis manifestè grauis, sanitas etiamnum est, at non perfecta.* Principes corporis partes sunt, hepar, cor, & caput. Eo ordine disponuntur illæ partes, vt hepar sanguinem defæcatum cordi suppeditet vt annonam idoneam principali illi visceri, vbi iterum decoctus ille sanguis factus indigena cordis, illic attenuatus vapescit in spiritum vitalem, qui arteriarum obsequio sursum fertur, & sese insinuat in cerebri ventriculos, vbi noua adiectione virtutis fit spiritus animalis, & vinculum animam corpori deuinciens. Quamdiu chylus in hepate rubet, ibi accipiens prima rudimenta sanguinis: cùm item cor vegetum spiritu animali fœtum cerebro suum exhibet pensum: demum cerebro minimè feriante in spirituum animalium genitura; corpori humano sua sunt sarta tectaque omnia. Vt secus si præcipuæ illæ partes sui oblitæ deflectunt ab intento naturæ, corporis status imbellis est, & decumbit homo velut in paralysim fractus.

Sanitas quid sit.

Ex re Medica. Fernel.lib.1. Pathol.c.5.

Ex corporea sanitate fas est colligere valentis animæ sospitatem: quippe ea habet tres veluti principes facultates, quæ si ritè suas obeunt vices, equidem valet, omniaque ei pro voto succedunt. Tres illæ nobiles potentiæ sunt, intellectus, voluntas, & memoria. Intellectus veluti fax illuminat voluntatem, proponens ei bonum verum, quod est obiectum illius. Memoria verò præterita reuocat tanquam præsentia, eo fine vt de scelere eam pœniteat, & de beneficiis agat Deo gratias immortales. Si debitum sibi tenorem seruant intellectus, voluntas, & memoria, indices sunt congrui integræ sanitatis. Vt namque ex Fernelio prælibaui. *Corporis partisve absoluta & exquisita symmetria, quæ ad summum peruenerit, summa est sanitas.* Ita & animæ exquisitus habitus est sarta tectáque sanitas eius. Est autem exquisitus animæ habitus, quando intellectus, voluntas, & memoria consonant in numero, pondere, & mensura. Et hæc symmetria eis quadrat, quando ad summum peruenerunt, id est ad Deum, qui est rerum omnium apex, & supremum culmen: posito enim congruo conamine potentiarum animæ, ponitur & gratia. Verbi gratiâ, si homo peccati contagio infirmus, in spem veniæ assurgens, in Deum direxerit intellectum suum, & deposito affectu rerum inferarum, amore Dei incalescat, & recolens admissa piacula dolorem concipiat congruum facinori; reuera ille sanus effectus est. Nimirum etsi prima gratia meriti nescia nequeat ab homine comparari de condigno; tamen quia dispositiones illæ prælibatæ à Deo ordinantur ad gratiæ illapsum, & frustrari nequit intentum Dei; idem Deus diues in omnes, qui inuocant eum, statim influet in animas vt par est dispositas. At nullo alio potiore ritu se anima accingere potest ad gratiæ illapsum, quàm deducendo principes suas facultates ad summum, id est ad Deum, eum meditando, & amando eo affectu, qui lacrymis alluat hominem memorem reprobi sui quondam status. Sic Deo in medio animæ constituto, tres illæ potentiæ debitam sibi Deo mensuram accipient, licet eædem facultates toto cælo à Domino primitus aberrassent.

Sanitas animæ vnde petatur.


Ex Theologia. Thom 2.2.q. 111.art.3.

Deus animas inhabitans, principes animæ potentias, intellectum, voluntatem, & memoriam, ad iustitiæ & rectæ rationis amussim dirigit, esto secus illæ potentiæ aliàs aberrarint.

DEMONSTRATIO MATHEMATICA.

Mathematica disciplina, penes quam est obliqua & torta suis regulis ita inflectere, vt redeant ad amussim. Illa inquam disciplina velut iustitiæ amica faces accendet, quarum obsequio conclusio nostra palàm fiet. Illa nimirum ostendet, qua ratione tres animæ potentiæ deuiæ & delusæ queant reduces iterum præstitutis à iustitiæ amante Deo regulis adaptari. Placuit oculis figuram subiicere, vt anima sensuum obsequio erudita, sibi consulat, & citiùs, & magis expeditè. Itaque similitudo petita à Mathematica Euclidis rem graphicè oculis subiiciet. Sic ille: *Figura intra figuram dicitur inscribi, quando ea quæ inscribitur, eius in qua inscribitur latera vnoquoque suorum angulorum ab interiori parte contingit.* Verbi gratiâ, Deus homini inscribitur quando tria animæ latera contingit, id est, cùm afficit intellectum, voluntatem, & memoriam; sic enim illæ potentiæ debitum sibi modum à Deo accipiunt. Idoneum est exemplum allatum ab Euclide, qui in medio trianguli inscribit triangulum, quo inscripto, ille prior triangulus dispescitur in tres triangulos, accipientes mensuram suam ab illo intrinseco triangulo, vt videre est in ista figura.

Ex Mathematica. Euclid.lib.1. elem. geomet. definitione 1.



Vbi triangulus, A, describitur intra triangulum notatum litteris, B, B, B, & ex ea descriptione exurgunt tres trianguli, in quorum area sunt hæ literæ, B, B, B. Hi autem tres trianguli commensurantur

Iustus homo triangulo comparatus.

surantur ab illo triangulo intrinseco. Vide iam quomodo hæc Deo & homini conueniant. Homo ob tres animæ suæ potentias triangulum refert: Deus item triangulus est, ob tres personas. Si igitur iste sacer triangulus, animæ insideat tangens eius tria latera, quæ sunt intellectus, voluntas,& memoria,statim exurgent tres alij trianguli commensurati sacro illi triangulo. Nam intellectus Deum speculans,primæ veritati incumbens, credet omnia quæ ad fidem spectant. Voluntas Deo adhærens, totam se componet ad arbitrium Dei. Memoria recolens notas suas, animam dolore conteret, vt Deum ita demereat. Sed Deum intelligere & meditari,Deum velle,& amare,dato creaturis repudio,Deum mente recolere aliàs offensum; vt ei satisfiat, hoc est habere tres triangulos conformes medio triangulo. Ergo illi animæ positæ in ea symmetria suarum partium competit perfecta ratio sanitatis, quâ gestiit olim Psaltes sic iubilans: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Inuigilans Deo intellectus antelucanis oris optimè mensuratur. Quæ autem fuerit mensura voluntatis eius, audi eo ipso iubilante. *In voluntate tua deduxisti me,& cum gloria suscepisti me. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum.* Sanè ille,cuius caro emortua est,& defecit, nihil prorsus à Deo alienum vult, & maximè Deo occupante cor. Demum quid animo suo reuoluerit idem Psaltes, & cuius rei memor extiterit,collige his versibus. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Memoria vitæ iniquæ Dauidem perculit & adegit ad regressum; quo rediit in gratiam cum Deo, cuius deinde beneficia commemorans, in gratiarum actiones sese effundebat.Gestientis animi accipe tripudia & voces indices. *Misericordias Domini in æternum cantabo.Confitemini Domino,quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Psal.61. Psal.72. Psal.118. Psal. 88. Psal.117. Psal. 115.

Itaque hoc ratum esto, animæ sanitatem exurgere ex symmetria facultatum, quarum mensura congrua petitur à Diuinis. Consonat huic effato Bernardus ita recensens animæ potentias.*Studeat vnusquisque ne dissideat ipse à semetipso; quoniam omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet: nec intrabit Christus vbi fuerint parietes declinati, & maceria depulsa. Sollicitè caueat anima, ne à se inuicem membra eius dissideant; id est, ratio, voluntas, atque memoria. Sit ergo sine errore ratio, vt benè congruat voluntati: talem enim voluntas amat. Sit & voluntas sine iniquitate,quoniam ratio talem approbat. Alioquin si sese indicas animæ propter voluntatis prauitatem; in eo quod per rationem probat,bellum intestinum est & discordia periculosa: quoniam voluntatem huiusmodi ratio semper suggillat; diiudicat, & condemnat. Sit etiam memoria sine sorde; vt nullum in ea peccatum remaneat, quod non pura confessione; & dignis fructibus pœnitentiæ deleatur. Alioquin conscientiam; in qua peccatum latet, & voluntas odit, & ratio execratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo; cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria fuerit inquinata.* Hæc ille.

Ex SS.Patribus. Bernard.ser. 2.de dedicatione Eccles. Templum Dei est anima.

Iusti anima quid sit.

Pars Secunda Homiliæ.

Anima morbida non est deplorata salus, vtpote reuocabilis.

Ex Theologia.

Anima quæ decumbit aliquo crimine sauciata, debet ad hunc anhelare statum, vt benè valeat. Posse autem animam ægram, reducem sperare sanitatem, id pertinet ad secundam partem huiusce concionis, quæ intentum illud ita adstruit. Si anima peccatis obnoxia nequit sanari, impossibilitatis ratio attenditur vel penes Deum,qui non vult dimittere grauia facinora,vel ex defectu remediorum,vel ex voluntate reprobi, quæ obduruit & impos est regressus. Sed neutrum horum obstat, quin anima infirma curari queat. Ergo nullius hominis impij est deploranda salus: quippe nihil est quod remorari possit influxum misericordiæ Dei, quæ est infinita, atque adeò exhaurit ingentes cumulos peccatorum.Nec desunt media idonea ad misericordiæ illapsum, nempe adsunt præstò sacramenta, quæ vt tubi & canales vehunt gratiam, quæ vegetat homines imbecillos.Demum homo in statu viæ quantumuis aberret, sui semper est iuris, vt retrogradus redeat eò, vnde à Domino deuiauit. Sic etsi dubia sit dyscolorum hominum salus, nemo est tamen ante obitum, damnationis æternæ fulmine feriendus: nam peccata quantumlibet immania hominis naturam non immutant. Sed de ratione hominis in hoc æuo est, vt non sit obstinatus in malo, & sit in potentia ad bonum. Ergo semper superest repedandi locus. Ideò Deus inuehitur in homines, qui senuerant in infirmitate sua, eos sic increpans: *Super contritione populi mei contristatus sum, stupor obtinuit me, numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix populi mei?* Mihi etiam animus obriguit eo stupore qui perculit Ieremiam, quia rari sunt ægri qui resurgunt ab infirmitate, qua decumbit anima, etsi ea non egeat medico qui exploret naturam morbi, cùm ipsa synderesis satis inuestiget causas, principia, & seriem omnem morbi. Vnde inualuit parœmia. *Medice cura teipsum.*

Thom. 1.2.q. 112.art.3.

Sanitas animæ à peccatoribus neglecta.

Ierem.8.

Ex re Medica.

Ne homo decumbens ancipiti animo distrahatur in varia remedia, operæpretium est scire, totam medendi rationem reduci in tres classes, quarum prima dicitur diæta,altera pharmacia,tertia demum chirurgia. Diæta cibis inuigilat, quales & quanti sint. Pharmacia decernit purgantia. Chirurgia extirpat membra corpori iniuria. Ecclesia diætam decernit, cùm indicit ieiunia. Conscientia pharmaciæ incumbit, præcipiens vomitorium in confessione. Sacerdos qui est à confessionibus,chirurgum agit,dum rescindit malè parta,& remouet ansas omnes denuo peccandi.Hippocratis est effatum. *Ducendum esse quò natura vergit.* Vt si multâ pituitâ desudans ventriculus alluit fauces,nimio humore refluente, confert prouocare vomitum; obstetricante naturâ remedio. Ita quando synderesis animam sollicitat vt euomat in confessione noxas, quæ hominem grauant, id omnino salutare remedium est,sua omnia crimina confiteri.O reprobe,quid consulis medicos, causatus te habere insomnes noctes,& morderi tristitia, quâ prævalente nauseat anima tua, fastidiens omnes seculi illecebras: *Medice cura teipsum.*

Sanitas animæ quomodo concilietur.

Hippocrat. lib.1.aphor.

Tu tibi medicus esse potes vtrique congruus. Nauseæ illæ frequentes ad vomitum prouocant; eo nempe modo secernitur abditum virus imo ventriculo. Orationes & ieiunia non compescunt vim lethiferam veneni antea propinati; necesse est vt proiiciantur foras, & dum cessat erumpere, mortem ægro prænuntiat.

Caroli V. Regis Galli remedium cōtra virus propinatum. Ex Historia. *Historia Gall. in Carolo V.*

Luculenta est historia Caroli V. Regis Galli quem alter Carolus Rex Nauarræ volens tollere de medio, noxij veneni aspergine infecit cibos eius, quorum esu decumbens Carolus sensit vim maleficam veneni lethiferi. Re delata ad Carolum IV. Imperatorem, ille miseratus sortem nepotis sui (erat enim auunculus Principis Galli) Medicum suum misit peritissimum, qui discrimine inspecto decerneret remedia reduci sanitati propitia. Adfuit opportunè Medicus, qui cognita veneni indole, nouacula brachium aperuit, vt altum vulnus sensu exquisito doloris, aduocans spiritus animales, eò etiam virus attraheret. Ne autem coïrent labia plagæ illius inflictæ, in eam quotidie corpus exoticum immittebat, vt hiulcum semper & apertum esset vulnus, quòd sic semper humore noxio desudabat. Eo beneficio Rex tamen conualuit, & audiit à Medico suo se fore incolumen quamdiu hiaret illa plaga, & velut ore aperto virus euomeret: instare autem sibi mortem, cùm cessaret ille effluxus: Non defuit fides præsagio; sospite namque Rege, plaga illa aperta virulento humore madens, foras emisit quidquid noxium erat sanitati. Sed vbi aruit plaga feriante fluore inolito, decubuit Rex properante fato, quo breui extinctus est.

Confessio virus foras pellit.

Dum reprobi genio indulgent, & libidini vacant, dæmon propinat eis lethale virus, quod longè latéque serpens peruadit animam totam. Occurrit Ecclesia, os reprobi aperiens, vt confitendo euomat crimina, quorum virus permeat omnes animæ potentias. Nam intellectus nihil nisi inhonesta versat, & affectus impudicè flagrat, sicut & memoria recolit assiduè turpia, quibus animus oblectatur. Si æger homo ore hiante foras trudit hoc venenum, illud in confessione eructans, profectò erit incolumis; sicut & secus est deplorata salus, si ore tacito celat nefanda, quæ commisit, & cruciant animam malè sibi consciam. Aridum os & elingue nolens aperire piacula, mortem animæ indubiam prænuntiat, iuxta illud Psaltis. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.* Puluerem mortis subiicit arenti virtuti, & linguæ faucibus adhærenti: nihil namque verius arguit imminentem mortem, quàm silentium in confessione. Et hoc non refugit impiorum notitiam; quisque enim probè callet esse confitenda peccata sua, quæ cùm præterit in confessione, ne pateant sacerdoti, hoc fit semper anima reluctante: etenim impius hoc semper susurro vrgetur: *Medice cura teipsum.* Quippe anima non est corpore deterior, cui natura consulit vomitu, si nimio humorum profluuio ventriculus turget. Eodem remedio consulitur animæ, dictante synderesi, quæ hominem sollicitat, vt ingenua confessione vomat omne quod animam grauat, si nolit summum experiri periculum, quod minatur Hippocrates illi, qui vomere dedignatur. Sic ille: ὐκ ἐμετώδως ἑλκόμενα φλαῦρα. *Quæ vomitorio modo non trahuntur, calamitosa sunt.* Frustra ergo expectat spatium pœnitendi ille qui confessionis salutare remedium frequentare detrectat. Calamitosa omnino est fuga illius vomitorij, quo solo occurritur veneno peccati, omnia charismata animæ depascenti.

Confessio mutila mortē conciliat.

Psal. 21.

Ex re Medica. *Hippocrat. prorrhet. 25. sect. 3.*

Igitur, ô homo qui decumbis, cura teipsum, & æmulare solertiam canis, qui lambendo vulnera sua, tergit illa, sanans se beneficio linguæ suæ. Vnde Ferrus hoc symbolum commemorat. Pingit canem exertâ linguâ hoc titulo. MIHI IPSE MEDEBOR. Si linguam hactenus in confessione tacitam exeris, facta recensione omnium noxarum tuarum, sic TIBI IPSE MEDERIS. Alioquin lingua labiis obserata silens, malefica est ementiens habitum pœnitentis. Macte itaque, ô reprobe, & confitendo cura teipsum. Simplex oris apertio, salutaris est animæ, dum facit palàm abdita piacula, vt affirmant Sancti omnes, in quibus hæc Ambrosius: *Curribus confessionis insidens, tendis ad veniam; accipe me tecum in hac cogitatione consortem, vt adiuncto communi comitatu, ad metas indulgentiæ properemus.* Subscribit Ambrosio Richardus ita fatus: *Omnia in confessione lauantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, mare fugatur, tranquillitas redit, spes reuiuiscit, animus hilarescit.* Aperire sacerdoti sua facinora, perinde est ac ea diluere, vt notat Cassianus, quem accipe. *Illico vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis proferatur iudicium, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus ac quodammodo dehonestatus abscedit. Tamdiu suggestiones eius noxia dominantur in nobis; quamdiu celantur in corde.*

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 1. Theatri.* Confessionis symbolum.

Ex SS. Patribus. *Amb. l. de pœnit. cap. 35.*

Richardus Vict. tract. de exterm. mali. cap. 5.

Cassian. coll. 2. cap. 10.

Esto salutaris sit humoris noxij deiectio; non tamen æger inde curatur semper, vt videre est grassante lue, quæ vtplurimum auspicatur à vomitu. At secus est in confessione: nam sacerdos visa deiectione, & agnito humore virulento, non arguit loquela ancipiti sanitatem, sed eam indubiè confert adhibito sacramento: quippe non nutante animo, sed affirmante ait, absoluo te, idque non inani sonitu vocum, sed practica voce sanans animam imbecillam. Nimirum absolutio sacramentalis est quædam manumissio; qua seruis libertas asseritur, & fit ius hominum liberorum. Ecce legem Iuris Ciuilis opportunam, latam à Iustiniano Imperatore, eam recensente in Nouellis constitutionibus. Sic ille: *Sancimus, si quis manu-mittens seruum, aut ancillam suam, ciues denuntiauerit Romanos (neque enim aliter licet) sciat ex hac lege, quia qui libertatem acceperit, habebit subsequens mox & aureorum annulorum & regenerationis Ius.* Denuntiare seruum ciuem Romanum, hoc erat eum absoluere à statu inglorio seruitutis, & facere ei copiam annuli. Eo iure gaudent omnes, quos absoluit sacerdos, exceptâ eorum confessione; facit eos ciues Romanos, adsciscens eos in numerum filiorum Dei, quibus tantùm conceditur vsus annuli, qui est tessera libertatis, vt videre est in prodigo illo reduce, qui pœnitentis habitu rediit in gratiam cum patre suo, à quo excepit stolam primam & annulum. Adiice & hunc Canonem in gratiam eorum, quos præuia confessio reddidit sanitati. Ecce textum. *Quantumlibet ergo mortui fœtor sit; abolentur omnia, vbi sacrum redoluerit vnguentum; & surgit defunctus, solui iubentur eius vincula, qui adhuc in peccato est, tollitur velamen de facie eius, quod veritatem gratia quam acceperat, obumbrabat.*

Confessionis integræ salutares sunt effectus.

Absolutio est manumissio.

Ex Iure Ciuili. *Nouell. 78. cap. 1. Vt liberti.*

Pœnitentia tollit erubescentiam omnem.

Ex Iure Canonic. *Canone Quantumlibet de pœn. dist. 1.*

Gratia Dei animā facit rediuiuam.

obumbrabat. *Sed quia venia donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non habet enim quod erubescat, cui peccatum dimissum est.* Adiice & alterum Canonem qui alludit ad sanitatem, quā gestit anima beneficio præfati illius remedij, scilicet confessionis, quā fit repurgium materiæ homini iniuriæ. Ecce oraculū. *Vbi vero peccator intelligēs vulnus suū, tradidit medico se curandū, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis.*

Can Importuna §. Vbi verò De pœn. dist. 1.

Pœnitentia misericordiā Dei conciliat.

Ieiunia sint discreta.

Post eiectam ventriculi colluuiem, non sunt ingerendi cibi citra delectum, ne grauedine sua fiat iniquior escæ nimia congeries; ideo peritissimi quique artis Medicæ, modicè pascunt eos, qui ab ægritudine ad sanitatem vergunt. Ita & in moralibus indicitur ieiunium illis, quos pœnitet vitæ iniquæ, vt arctiore cibo puniant turpia facinora, quæ assiduis epulis admiserunt. Audi Medicum famosum in his quæ ad animam spectant. Ille est Hieronymus, hæc decernens. *Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio satietatem fugiens. Nihil prodest biduo triduoque transmisso vacuum portare ventrem, si post pariter obruatur. Sint tibi ieiunia pura & continua, moderataque, id est, quotidie esurire, & quotidie prandere. Curat enim vulnera delinquentis, curatóque sanctificat ieiunium.* Etsi quandoque reclamet Medicina corporalis; benè suada tamen audienda est Ecclesiæ sanctio, indicens obsonij parcitatem, vt monet Ambrosius hoc contextu. *Contraria studiosè sunt Diuinæ cognitioni præcepta Medicinæ. A ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat.* Vt synderesis animam sollicitat ad vomitum, partes agens Pharmacopolæ; ita & Ecclesia Medici vices obit, statuendo diætam, quæ est ieiunandi modus. Ad hoc est instituta Quadragesima hoc Canone. *Quadragesima summa obseruatione est obseruāda, vt ieiunium in ea, nisi quē infirmitas impedierit, nullatenus soluatur.*

EX SS. PATRIBUS. *Hieron. ad Eustoch. de custod. virgin.*

Amb. ser. 22. in Psal. 118. Doctrina medicorum contraria est doctrinæ Christi.

EX IVRE CANONICO. *Can. Quadragesima de consecr. dist. 4.*

Sacerdotis est vendicare sibi munia Chirurgi, rescindendo malè parta, & lanceolis pungendo carnem, vt sanguis intercus & luridus emittatur. Debet namque Presbyter à confessionibus iniungere pœnitenti, vt restituat ea quæ iniquis artibus acquisiuit, vt Iure Canonico præcipitur, cuius est hoc decretum. *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur; non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Debet & anima conualescens recedere ab aëre graui & morbido, ne recens valetudo capiat inde detrimentum. Potior namque animarum iactura ea est, quam inuehunt mala consortia, quibus vt plurimum homines aliàs innoxij peruertuntur. In eas impegit cautes naufragus Ochozias, ideò reprobus quia impiis auscultauit. Accipe ex Codice sacro funus eius. *Ochozias fecit malum sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt consiliarij post mortem patris sui, in interitum eius; ambulauitque in consiliis eorum.* O homo, qui dedisti virtuti nomen tuum, vale dic omni impio consortio, vt totus adhæreas Deo, dissue fœdera inita cum reprobis, noli consulere carnem tuam de meliori sectanda fruge, dyscolos fuge homines impia quæque suggerentes: Procul esto, à choreis, epulis, aliisque cœtibus Deo iniuriis, alioquin conualescens anima pessum-ibit. Tanti est momenti ea occasionum deliquendi fuga, vt inde maximè commendetur probitas Tobiæ senioris, præcone etiam textu sacro, hoc tenore pietatem Tobiæ prædicante. *Cum omnes irent ad vitulos aureos, solus Tobias fugiebat consortia omnium, & pergebat in Ierusalem.* Impij omnes nō eunt ad vitulos, sed ipsi abeunt in vitulos, dum pecorum more viuunt ratione penitus inconsulta. O candidate gratiæ, secede ab hac vitulorum turba, si non vis incurrere in discrimen eius, qui ait: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Perge in Ierusalem, id est, in loca innoxia, vbi viget Dei cultus, vt incolumē agas vitam, integra sanitate. Hoc fac & viues. Si tamen aliquando præualet dæmon, tuo ipsius dispendio; recole ea quæ hactenus recensui, & hæc animo de praxi sollicito reuolue, tuncq; *Medice cura teipsū.* FAXIT DEVS.

Can. Si res aliena 14. q. 6.

Consortia mala necem animæ conciliant.

2. Paral. 22.

Tobiæ 1.

Psal. 21.

FERIA TERTIA DOMINICÆ TERTIÆ QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. DELIQVIO Adami tota eius prosapia dispendium ingens passa est, non in eo duntaxat quòd gratiā excidit, sed quòd facultates omnes corporis & animæ deorsum hominem inclinarunt. Voluntas ipsa præcipua facultatum animæ ægrè admodū erigitur ad superna, cùm autem dehiscit ad infima, suo pondere inflectit hominem totum, cuius potentiæ omnes sequuntur arbitrium voluntatis, quæ est veluti cor animæ, ad cuius erectiones instituta est correctio, sic dicta quasi cordis erectio: quippe solo adhærens cor correctione regitur. Cùm ergo vnicuique Deus indixerit curam proximi sui, in his præcipuè quæ pertinent ad salutem; ostendo priori parte istius homiliæ, quomodo omnes ad charitatis hoc munus obstringantur.

II. Secundò dico, qua cautione sit adhibenda correctio, ne delinquentis ani-

 mum

mum exasperans, censura acerba hominem iniquiorem efficiat. Etenim plerumque correctio ingrata est, suósque non sortitur effectus vitio Censorum, qui non humanè vulnera palpant, sed lacerant, sic ægrorum in se acuentes animos. At secus prudentia adhibita carpendo vitia, nefarios etiam homines conciliat, & studium virtutis ingerit eis, quibus antea nomen ipsum virtutis vt horridum & incultum exosum fuerat, & minimè recolendum.

PRÆFATIO.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe illum. Matth. 18.

Exod. 23. PRISCÆ *legis hoc fuit preceptum Iudæis indictum.* Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. *Vt ad hanc reductionem opus fuit virga, ita & hodie correctionis virga omnium hominum in manibus imponitur, vt si quando alij asinorum indolem induunt, feriantur cautè, vt reduces Deo Domino suo reddantur, anhelantes ad meliorem frugem. Hodie hanc ego arripio virgam, vt multos asinos dirè excipiam abditos leonum exuuiis. Nempe multi ementita specie hominum sanctiorum frequentes adsunt tremendis mysteriis, aliosque ritus sanctiores obeunt, pasti sacro edulio adorandi corporis Christi. Verum enimuerò sacrilegi homines peiores asinis sunt, in quos non cadit iniquitas. Faxit Deus vt asinam Balaam imitentur illi omnes nefarij homines. Hæc namque licet stupida bestia, viso Angelo minitante sibi exerto gladio, secessit à via iniqua. Hoc intendo ex censura quam molior; scilicet vt belluones pecorum ritu de abdomine tantum solliciti, pœnitentiam agant, & assuescant ieiunio indicto: & ne nimius sim in recensione vitiorum, quæ hominem exuunt, vt asinum induat; istam mihi hodie assumo prouinciam, nimirum acriter ferire reprobos, eos corrigendo: vt autem hæc mea cautior sit correctio, eam commendo ei, quæ nihil habuit quod corrigeret. Hæc est Maria.* Aue Maria.

Pierius lib. 41. Hierogly. c. 29. PRisci auctores subodorantes aliquid regium in virga seu baculo, sumpsere virgam pro symbolo præcipuæ dignitatis, vt videre est apud Pierium, cui & suffragatur Psaltes ita Deum affatus. *Virga directionis virga regni tui.* Virgam illam Augustinus explicat de correctione, cuius proprium est dirigere animas deuias, & quæ potissimum obstringit homines aliqua dignitate conspicuos, ad quos maximè pertinet alios corrigere, quibus præeminent. Alios etiam omnes speciali iure obligat hoc præceptum de corrigendis impiis, vt probabo prima parte concionis huius. Secundâ verò parte dicam, quâ cautelâ operæpretium sit corrigere delinquentes.

Psal. 44
August. in Psal. 44
Virga symbolum dignitatis.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quàm congruè instituta sit correctio.

CRediderunt olim Persæ, hominem natum ex connubio cæli & terræ, cumque habere è cælo animam, & è terra hanc quatuor humorum colluuiem, ex qua coalescit caro. In eo sensu cælum est veluti pater, & terra alma hominum parens, ideóque vt caro deorsum vergit, quia æmulatur ingenium terræ, vnde est progenita; ita & animus cælo satus debet semper assurgere ad excelsa, ne degener fiat iniurius patri suo. Igitur siquando animus immemor sui ad terrena inclinat, est continuò ad superna erigendus correctione idonea. Est enim correctio, quasi cordis erectio, ad quam tenentur omnes, quandò delinquentes impunè illis præsentibus aberrarint. Hæc conclusio adstrui potest Philosophico hoc discursu. Naturæ dictamen est, vt homines diligant se inuicem, vt animalia eiusdem speciei facilè congregantur. Amare autem aliquem, est ei velle bonum, ipso etiam Aristotele auctore. At ex eodem Philosopho, carere malo, habet rationem boni. Sic amoris etiam est, vt nolimus mala inesse alicui, ea pro viribus nostris expellendo. Quia autem bona voluntas nostra non est efficax, nisi homo beneuolus se accingat, ad rationem veri amoris pertinet, vt eum probemus erogando bona, & impediendo mala, quæ lædere amicos nostros possunt: quippe ex Aristotele præcipua amicorum munia sunt, impertire bona & impedire mala; alioquin est ementitus amor, vtpote lingua tenus. Ne igitur faceret fucos ille adulterinus amor, sic hortatur prædilectus Apostolus. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Est autem triplex hominis bonum, cui etiam triplex opponitur malum. Nimirum est bonum quoddam situm in externis rebus, quæ conducunt ad vitam corporalem. In eo genere boni sunt eleemosynæ, quibus tenetur homo subuenire proximo suo egeno, vt monet Ioannes. *Qui substantiam huius mundi habuerit, & viderit fratrem suum necessitatem habere; & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Eadem lege tenetur homo adiuuare proximum contra damna rerum temporalium, ipso etiam textu sacro conscio. *Non videbis bouem, & ouem fratris tui errantem & præteribis, sed reduces fratri tuo.* Aliud bonum est bonum corporis, hoc bonum quisque aliis, vt par est, procurare debet, & arcere mala lædentia corpus. Tertium bonum animam spectat, ideóque dicitur bonum virtutis, quod præ aliis bonis est optandum proximo, quia maximè pertinet ad rationem; quare homo ex charitate diligitur. Diligitur autem homo ex charitate, quia ad fruitionem Dei editus est. Vnde cùm virtutis suffragio fiat idoneus ad assequendum illum finem, tenentur omnes adiuuare proximos suos in Dei gratia propaganda, & in extirpandis vitiis, quæ sunt mala quibus animæ salus dubia fit. Aristoteles, cui in Physicis nihil inuiũ fuit, ait homines quosque legibus amicitiæ magis obligari ad arcenda vitia amicorũ, quàm ad depellenda detrimẽta rei familiaris, quia virtutes, quæ sunt veræ & cõstantis amicitiæ fundamina, vitio quatiuntur. Eò collimat ille versus sacer. *Vnicuique Deus mandauit de proximo suo.*

Ex PHILOSOPHIA.
Aristot. lib. 2. Rhet. cap. 4. lib. 9. Ethic.

Voluntas bona quando fit efficax.

Lib. 5. Ethic. cap. 1.

Ioan. 1. epist. 3.
Bonum triplex cui & opponitur malũ triplex.

1. Ioan. 3.

Deut. 22.

Arist. lib. 9. Ethic. c. 3.

Eccl. 17.

Huic præcepto de promouendo animæ bono auscultat correctio qua eluitur malum omne inimicum gratiæ, & virtutes idoneæ in animas ingeruntur. Hæc præfata insinuat Paulus. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes.* Quod si Philosophis placet diuertere ad Theologos, illi

Correctio cur sit facienda.

1. Thess. 5.

EX THEOLOGIA.
Tho. quodlib. quæſt. De correctione fratern. art. 1.
Prouerb. 3.

illi meo intento ſic fruebunt. Quicunque morem gerit pręcepto charitatis, ille debet Deo cōformari, vt ſuggerit Apoſtolus, *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Sed Dei dilectio correptionem vehit ex Salomone. *Quos diligit Dominus, corripit.* Ergo qui fratrem ſuum diligit, in amoris ſui argumentum debet eum corripere. Rurſus omnes ſumus vnum corpus in Domino, alterius ſinguli quique membra ſumus; atque ita malum membri vnius ad alia etiam membra porrigitur, ſi non citam præſtant opem, qua tergatur illud malum. Præterea vt in Phyſicis Deus dedit eſſe rebus, quæ ſic eductæ ſunt ex nihilo, & inſuper bonitate ſua adiecit rebus virtutem quamdam, qua res etiam ſibi ſimiles edunt, vt videre eſt in ſeminibus, vnde non tantùm Dei eſſe participant, ſed virtutem cauſandi circunferunt; ita in rebus ſuperioris ordinis, Deo non fuit ſatis impertire gratiam iuſtis, qua Dei naturam ſpeciali modo participant, ſed eis præterea addidit hoc decus inſigne, vt alios etiam adiuuarent ad gratiam Dei comparandam; ita vt eos, qui proximos liberant ab inolito ritu prauo, & ſuis correctionibus reuocant ad meliorem frugem, eoſque Dei ſiſtunt obtutibus anhelantes ad ſanctioris inſtituti tramites innoxios: hos, inquam, piſcatores hominum Deus hoc tenore afficit, vt ſint veluti cooperatores Dei, & quaſi redemptores animarum, quia licet vnus ſit tantùm Redemptor Chriſtus; Deus tamen ita diſpoſuit facere homines conſcios redemptionis, vt vtatur aliorum ope velut inſtrumentis, quorum obſequio reprobi ſe accingunt ad influxum gratiæ, quam Deus impertit his, qui non dedignantur obedire opportunis conſultoribus, dum corrigunt omne quod deuiat, vt aptent illud ad amuſſim à Domino præſtitutam.

Euangelio hodierno liquet illud meum effatum, ſcilicet eos qui corrigunt hominem delinquentem, eſſe veluti redemptores. Nempe ait Chriſtus ei qui corrigit fratrem ſuum: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* At lucrari fratrem ſuum, eſt aliquo modo eum redimere à vitiis: ea quippe eſt correctionis energia, vt hominem aberrantem deducat ad Deum vnde primitus aberrarat. Ideo Pſaltes commemorans virgam directionis, recenſet iuſtitiæ amorem, & iniquitatis odium. *Virga directionis virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Auguſtinus ſic expendit iſtum verſum. *Vis illi harere? Corrigere. Erit virga ipſius qui te regit, virga directionis. Inde & Rex à regendo dicitur. Non autem regit qui non corrigit.* Cùm correctione fraterna eatur obuiam malo, & bonum inducatur, illa nequit citra piaculum deſeri, vt ait Gregorius. *Qui non corrigit, reſecanda committit: & facientis culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare.* Auguſtinus non conſcium tantùm culpæ facit eum qui non corrigit, ſed peiorem eſſe affirmat. Sic ille: *Si neglexeris corrigere, peior eo factus es qui peccauit.* Ratio hæc eſt. Ille ad quem pertinet officium corrigendi, ſi tacitus pręterit crimen agnitum ſibi, fouet illud crimen, & peccantis conſors efficitur, & veluti cauſa ſcelerum ſubſequentium, quę ex hac radice noxia pullulabunt: ſuoque vitio facit, vt homo reus habitum contrahat, quem ille facili negotio potuit extirpare. Secundò aliam colligit noxam, quia deeſt officio ſuo in re graui, qualis eſt correctio.

Correctionis virga directionis eſt virga.
Pſal. 44.
EX SS. PATRIBVS.
Auguſt in Pſal. 44.
Gregor. In regiſt.
Auguſt lib. de verbis Domini ſerm. 16.
Correctionis incuria quot mala pariat.
EX MATHEMATICA.

Quanti ſit momenti congrua correctio, Pſellus homo Platonicus inſinuat, ex differentia triangulorum quos varios eſſe Euclides commemorat. Triangulus ille, cuius baſis, id eſt linea tranſuerſa longè diſcurrit, dicitur à Pſello idea dyſcoli hominis diuaricantis crura ſua, id eſt affectus ſuos, dum ſe effundit in varia obiecta, vtique inconceſſa. Quòd ſi longior illa linea decurtetur, & duo crura trianguli aſſurgant in menſuram baſis, ita vt cum ea faciant triangulum æquilaterum, ait ille talem triangulum eſſe ſymbolum correctionis, quæ homines componit in omnimodam iuſtitiam, iuxta præfatum Dauidis verſum, qui iuſtitiam virgæ conſociat. *Virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam.* Etſi correctio ſalutaris ſit, tota tamen eius vis benefica pendet ab auribus eius qui corrigitur, vt ipſe ait Chriſtus, ita fatus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Vnde exurgit in correctionis negotio duplex obligatio. Vna quæ reſpicit reum; alia quæ obſtringit eum, ad quem pertinet ius corripiendi ſontes. Ille qui deliquit, æquo animo debet audire cenſuram: alioquin eius deplorata res eſt; nimirum auris inquies animum arguit impotētem, imò & impotem ſui, cui ominandum eſt eodem omnino modo quo Hippocrates his, qui æſtuante febre excidunt audiendi facultate. Sic ille: ἐν ὀξεῖ πυρετῷ ὦτα κωφοῦσθαι μανικόν. *In acuta febre aures obſurdeſcere furioſum.* Furere reprobos & obturare aures præconibus verbi Dei vera dicentibus ait Pſaltes, & affirmat eſſe mortis inſtantis indubium præſagium. *Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium.* Quid inde fas eſt ominari? Nihil ſanè niſi noxium, & lethale. *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum, donec infirmentur.* Deus iræ ſuæ ſagittas dirigit in homines iniurios ſuo correctori, regitque in virga ferrea eos qui reſpuunt virgam directionis, quæ eſt virga regni; de qua ſic ſcribit Auguſtinus: *Accede ad virgam iſtam, Sit tibi Rex Chriſtus: regat te virga iſta, ne frangat te. Alios regit, alios conterit: regit ſpirituales, conterit carnales.*

Pſellus lib. de Dæmonibus.
Pierius l. 38. hieroglyph. cap. 46.
Pſal. 44.
Matth. 18.
Correctionis faciendæ duplex obligatio.
EX RE MEDICA.
Hippocr. lib. 2. Coac. cap. 3. prænot. 8.
Pſal. 57.
Virga Chriſti bonos & malos diuerſimodè regit.
Auguſt. in Pſal. 44.

Aures habere refugas correctionis, eſſe argumentum mortis æternæ, & furentis animi, collige ex prælibata prænotione Hippocratis, qui infert furorem & maniam in febriente homine ex grauedine aurium, & ratio hæc eſt. Si febrilis humor adeò maleficus eſt; vt vapore ſuo billioſo diſſoluerit neruum ſenſorium auris, procul dubio lædet organa potiora, nimirum accenſæ meninges adducent cerebrum in diſcrimen ſummo facultatum animæ diſpendio, ægro in furorem acto. Simili planè modo, homo nequam aſſuetus vitio, cùm eò proteruiæ deuenit, vt ſuperiori ſuo meliora ſuggerenti non auſcultet, profectò mali labes præpediit intellectum, qui captus ſenſuum illecebris nullum aliud bonum nouit melius, ideóque ſi quis tentat impium reuocare ab errore ſuo, ille furens protinus excandeſcit, vt ſtrenuus ſuæ illecebræ propugnator. Non ideo tamen ſuas debet deſerere partes Superior, aut Prædicator, nec rabies hominis impij quemquam debet remorari ab officio correctionis, exemplo Medici, qui non cunctatur aut deſiſtit à cura ægri, licet mente captus ſæuiat in curantem ſe, & ſollicitum de reduce ſanitate ſua.

Correctionis impatiens homo malè habet.
Correctio amoris eſt argumentū.

Eo exemplo vtuntur Sancti Patres, dum versant illud argumentum.

Ex SS. PATRIBVS. *Aug. epist. ad Bonifacium Comitem.* Correctio non negligenda: isto furat reprobus.

Audiendus Augustinus vt meo intento propitius. *Molestus est Medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelitas est. Si enim equus & mulus, quibus non est intellectus, morsibus, calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum vulnera contrectantur; & cùm inter dentes eorum & calces sæpe homines periclitentur, & aliquando vexentur; non tamen eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales reuocent ad salutem. Quantò magis homo ab homine frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest, quantùm sibi præstabatur beneficium, quando persecutionem perpeti querebatur.* Hoc ego consilio cautior hodie suggillare volo carniuoros homines, qui pios quosque ieiunantes ore pingui & eructante rident. Vidit Ieremias virgam vigilantem & ollam succensam versus Aquilonem. Vobis eadem ominor, ô gulosi, virga Dei vobis inuigilat, vt coquat in clibano inferni animas vestras, quibus sæpius adipe litastis & ollis ebullientibus, cùm cæteri Deum oratione & ieiunio demerebant. Prædicatorem dicitis esse importunum, cùm declamat in helluones, & cauponæ vernas seu mancipia. Aufferte ollam quæ despumat adipe colliquato, abstinebo à virga. Interim hoc pensate, ô fideles, non esse succensendum in eos qui corrigunt, etsi quandoque pungant: nam nihil nisi salutare spirant, quantumuis ingrata sint remedia, iuxta illud Basilij eloquium. *Medicus si labores & dolores addit; cum morbo non cum ægroto dimicat. Sic bonus Deus salutem omnibus per castigationem, arcum ac pœnam distribuens. Tu nequaquam Medico irasci debes, si ex membris hæc incidit, illa vrit, illa verò è corpore omnino separat, sed valde lucrifacis, & seruatorem eum vocas, quòd in parua corporis parte morbum curet, priusquam ad totum corpus perueniat. Quando dolor ob curam minimè leuitur, necessaria est inutilis membri alienatio, ne morbi eius continuatio cætera corporis vitalia percurrat. Eamobrem non cauterium, non Medicus, sed morbus est causa.*

Flagellando Deus quid intendat.

Basil. lib. Quod Deus non sit author mali.

Flagella Deus vt sanet.

Multi dicteriis lacessunt & Prælatos suos & præcones verbi Dei, quia debacchantur in reprobos: causantur prædicatori inesse clamandi libidinem, quam vt expleat, non concionem sacram recitat, sed satyram vomit. Audite, ô reprobi, quo intento Deus sanxerit virgam in Ecclesia asseruari. Ecce Dei edictum, cui morem gessit Moyses. *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum rebellionum filiorum Israël.* Nolite, ô dyscoli, esse Deo rebelles, & auferetur virga censuræ asperæ auribus ingratæ. Quamdiu vigebit vestra rebellio, sonitus etiam virgæ tamdiu vestris auribus insonabit. Faxit Deus vt in vobis correctio sortiatur effectum, quo dignata est virga Moysis, quam sic Codex sanctus commemorat. *Cùm eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Sæpe vos percussi, ô nefarij homines, caute duriores; nec tamen vllo lacrymarum profluuio desudatis, obduruere aures æmulatæ duritiem animi adamantini. Ideóque ad vos etiam pertinet illa Stephani increpatio, qua animaduertit in Iudæos, ita carpens illos: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* *Act. 7.*

Num. 17. Correctio à Deo instituta. Correctio facta sicut decet excitat lacrymas.

Ne impij fiant cautiores, suggerit dæmon omnem correctionem esse iniuriam, & detrahere aliquid honori eius, qui ab alio corripitur, sicque deliros homines ad iram sollicitat quando ab aliquo corriguntur, vt videre est in Saüle Rege, qui cùm moneretur à Ionatha filio suo, ne vltra sæuiret in Dauidem hominem innoxium, Saul oblitus se esse patrem, in filium suum insurrexit, vt eum confoderet. Accipe historiæ contextum ex Scriptura. *Respondens autem Ionatas Sauli patri suo ait: Quare morietur? quid fecit? Et arripuit Saül lanceam, vt percuteret eum.* Hæc sanè est canina rabies, furere in hominem beneficum, vt secus est argumentum magnanimi hominis, æquo animo pati correctorem, vt in Dauide speculatur Ambrosius ita fatus: *Quem mihi nunc facilè reperias honoratum ac diuitem, qui si arguatur alicuius culpa reus, non molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot Diuinis probatus oraculis, cùm à priuato homine corriperetur quòd grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit, culpæ dolore. Denique Dominum mouit dolor intimi affectus, vt Nathan diceret: Quoniam pœnituit te, & Dominus abstulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ, profundam Regis fuisse pœnitentiam declarauit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alij homines cùm à sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingrauant, dum negare cupiunt aut defendere, ibique eorum lapsus est maior, vbi speratur correctio. Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè vt homines corruerint naturæ magis fragilitate quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, vt non solum nullum attulisse detrimentum lapsus æstimentur, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse.*

1. Reg. 2.

Ex SS. PATRIBVS. *Amb. apolog. prima de Dauid. cap. 2.* Correctionis impotes sunt superbi.

Correctionem patienter ferunt Sancti.

Regium esse, censorem pati, plerique Reges exemplo suo fecére palàm. Prætereo decantatam in triuiis historiam Theodosij, quem asperè exceptum Ambrosius noluit ingredi sacras ædes, quin prius impium facinus expiasset. Refero nostrates historias vt feraces. Clotharius Rex Gallus volens consulere ærario suo, sanxerat vt tertia pars redituum Ecclesiæ væniret, vt inde vis auri appensa referretur in ærarium suum. Vbi sacrilegi edicti famam excepit Gregorius Turonensis Antistes, audacter adiit Regem, eum hac censura feriens: O Rex, in animum tuum induxisti spoliare Ecclesias, & vendicare tibi annonam pauperum, non hominibus tantùm iniurius es, sed Christo Regi Regum, qui & regiis infulis exuet te, si impij propositi tenax pergis Ecclesiæ reditus vsurpare. Ea ratione mitior effectus Rex, Præsulem honorificè excepit, irritumque voluit esse edictum suum.

Ex HISTORIA. Bona Ecclesiæ tutatus est Gregorius Turonensis.

Greg. lib. 4. cap. 9. Correctionẽ æquo animo tulit Clotharius Rex Galliæ.

Strenuum quoque est facinus Ludouici XII. Regis Galli, qui Carolo VIII. Regi infensus militem numerosum conscripserat, pacemque regni sua rebellione turbauerat. Carolus ei opposuit peritissimos Duces, scilicet Trimollium, & Sanzaium, quorum armis Ludouicus tunc Dux Aurelianensis fractus, venit postea in ius Caroli Regis, quo vltore luit pœnas Ludouicus ferreo ergastulo mancipatus. Deo tandem versante hominum vices obiit Carolus, in cuius solium euectus est Ludouicus. Expectare omnes quænam forent exordia regni eius, quem ipsi Galliæ proceres

Correctionẽ patienter habuit Ludouicus XII. Rex Galliæ. *Martin. Du Bellay in Lud. XII.*

dirè

diuè olim fuerant insecuti. Multi timuêre dominis Trimollio & Sanzaio, arbitrari memorem Ludouicum se factum ab his Ducibus, fore illis iniquiorem. Sed Ludouicus regios induens animos, in magno consessu nobilium præfatos dominos amplexatus, ait: Strenuè se gesserunt isti Duces aduersum me rebellem, eosdem experiar generosos effectus eorum Rex. O homo, quid causaris acerbitatem Prælatorum? illi tantùm durius agunt in peccantes; regiè viue & habebis eos tibi propitios.

Correctionem æquè tulit Ximenes. *Aluarez Gomez in vita Ximenis.*

Non est fraudandus laude sua Cardinalis Ximenes vir Hispanus animo præexcelso. Magnanimus ille Antistes publicè correptus est in concione, eò quòd indueretur veste adornata mure pontico. Prædicator nomine Contrera hac censura debuit cauere sibi à Præsule illo potentissimo, penes quem erant omnia iura regni, metumque auxit vir nobilis à Cardinali missus vt concionatorem adduceret in palatium, quo nutante vestigio pergens Contrera, lautè exceptus est à Ximene, qui eum opiparo prandio pauit, miris præconiis efferens maturinam illam concionem.

Correctionis beneficio magna sunt omnia.

Quid mirum si ingentes animi correctione gaudent, cùm nihil sub cœlo magnum sit nisi beneficio correctionis. Et vt auspicemur à Sanctis, nonne gratia Dei corrigente indolem morum effecti sunt Sancti. Ipsæ principes disciplinæ totæ sunt correctioni intentæ. Theologia qua parte speculatiua est, corrigit errores, quos hæretici fidei rebus asperserunt. Qua verò parte practica est, corrigit iniquos hominum mores, docens quinam sunt ineundi calles homini ad superos anhelanti. Philosophia æmula Theologiæ corrigit operationes intellectus in Logica, Priscorum Philosophorum errores corrigit in Physica, demonstrans eos vtplurimum in rerum naturalium indagine caligasse. Eadem disciplina in Ethicis seu moralibus hominem componit in meliorem frugem. Ars Medica in eum duntaxat scopum suos dirigit aphorismos, vt naturæ deuiæ corrigat habitum prauum. Leges omnes Canonicæ & Ciuiles ad correctionem editæ sunt, iuxta illud. *Ex malis moribus orta bona leges.* Hoc item ait Apostolus

1 Timoth. 1.

hoc contextu. *Scimus hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus.* Itaque cùm nefas sit viuere absque lege; homines etiam citra piaculum viuere nequeunt incorrecti, vt videre est hoc Canone

Ex Ivre Canonic. *Can. Non vos 5. b. 5.*

suadente correctionum praxim. *Non vos iudicetis esse maleuolos, quando crimen alterius iudicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos iudicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet secari, nonne crudeliter à te siletur, ac misericorditer indicatur? Quanto ergo potius debes manifestare crimen, ne deterius putrescat in corde?*

Correctio non est animi infensi argumentum. *Can. Non omnis 5. q. 5.*

Rationem institutæ correctionis sequens Canon sic explicat. *Non omnis qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius panis esurienti tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat; quam esurienti panis frangitur, vt iniustitia seductus acquiescat. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus ambos amat. Quis nos potest amplius amare, quàm Deus? Et tamen nos non solum docere suauiter; veriùs etiam salubriter terrere non cessat. Fomentis lenibus, quibus consolatur, sæpe etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adiungens.*

Correctio benefica est iis quibus applicatur.

Ex Ivre Civili. *Nouel. 7. in præfat.*

Leges Ciuiles eo etiam fine conditas esse insinuat Imperator Iustinianus, affirmans omnem suam curam eò vergere, vt praua omnia corrigantur. Sic ille: *Vnam intentionem hanc semper proponimus, omne quidquid prius imperfectum aut confusum videbatur, hoc expurgare, & perfectum ex imperfecto declarare.* Alius item Imperator, scilicet Marcianus, tanti fecit correctionem, vt sanxerit eos puniendos, qui conscios alicuius criminis occultant, eo pacto impedientes ne fiat correctio. Ecce legem.

Correctionis intentio qualis esse debet.

Leg. Si qui latrones Cod. de his qui latrones.

Correctionis incurius est fautor criminum.

Si qui latrones, seu aliis criminibus obnoxii in possessione degunt, seu latitant. Dominus possessionis si præstò est, aut procuratores si dominus abest, seu primates possessionis, vltrò eos offerant, aut si scientes hoc sponte non fecerint, conueniantur à ciuili officio, vt tradant prouinciali officio eos qui requiruntur, sub examine Iudicis arguendos, & pœnas post documenta congrua subituros. Si verò exhibere eos domini vel procuratores aut primates possessionis distulerint, tunc ad desinendos eos, adito rectore prouinciæ, omnia ciuilia dirigantur obsequia. Ea animaduersione Deus ferit Prælatos, Iudices, & Prædicatores, si segniores sint in corrigendo. Nimirum in eos agit Deus vt in fautores criminum, animamque reorum petit ab his, quibus eorum curam anteà demandauit. Ecce eiusdem Domini sanctionem:

Ezech 3.

Correctionem qui subtrahit luet Deo pœnas.

Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel; & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris; non annuntiaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia, & viuat; ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.

Mihi consulo, auditores, dum vobis minimè parco, carpens ingluuiem vestram Nolo ego Deum requirere de manu mea sanguinem vestrum, ideò corripio palàm ea quæ publicè perpetrantur. Nam quæ nescius arbitris occultè fiunt, ea non sunt mei iuris, vt ea prodam auribus auditorum. Et hoc spectat ad secundam partem huius concionis, quam paucis expedio, enarrando quàm prudenter debeat fieri correctio.

Pars Secvnda Homiliæ.

Quâ cautelâ delinquentes sint corrigendi.

Ex Philosophia. *Thom. quodlib. 9. De corrept. art. 2.*

Præcepta Dei sunt in duplici differentia, scilicet affirmatiua, & negatiua. Affirmatiua præcipiunt aliqua bona facienda, negatiua verò prohibent mala. Dispescuntur autem hæc præcepta in hoc, quòd negatiua obligant semper, hominemque ponunt in actu exercito, à quo resilire nefas est. Verbi gratia, hoc præceptum: *Non facies tibi sculptile vt adores illud*, nullas patitur moras, quibus fas sit colere simulacra. At affirmatiua licet hominem semper obstringant; non eum tamen adigunt actioni continuæ, sed congruas inducias impertiunt, vt videre est in præcepto de honorando patre, cui fit satis, si prout res tulerit, pater habeat in filium sua iura sarta tecta, id est, si filius à patre rogatus ei debita non neget obsequia. Cùm ergo correctio

Mandata Dei alia affirmatiua, alia negatiua.

 fraterna

fraterna ſit de genere præceptorum, quæ aliquod bonum præcipiunt, ea non eſt facienda ſingulis quibuſque momentis, ſed ea eſt frequentanda adinſtar aliarum virtutum, quæ ſuis ſtipantur cautelis, ſeu circumſtantiis, citra quas hiulca virtus eſt mutila. Etenim bonum non eſt bonum, niſi benè fiat. Vt autem bene fiat, multa ſunt aduertenda. Primum eſt qualitas peccantis, an ad nos aliquo modo pertineat, videlicet vtrum ſit filius, ſeruus, diſcipulus, aut ſubditus, quia tunc ex officio tenentur Patres, Domini, Magiſtri, & Prælati corrigere delíquia hominum ſibi ſubditorum. Alterum eſt tempus idoneum ſuggerendis monitis. Hoc autem tempus æquè hominem corrigentem ſpectat, vt & hominem corrigendum.

Correctio quando ſit facienda.

Huiuſce temporis hæc eſto differentia. Si quis ira incandeſcens euomat blaſphemias, aut fortaſſis mero copiosè hauſto deſpumet iniurias, erit importuna correctio, iuxta illud Pythagoræ. *Ignem gladio ne fodito.* Si namque iratus homo moueatur vltra, maiora exurgent incendia. Eſt ergo differenda correctio in tempus magis opportunum, cùm ſcilicet animus ille inquies ſui compos erit. Eâ cautela adhibita fregit proteruiam viri ſui, Beata Monica mater Auguſtini; aliæ verò matronæ nactæ viros iracundos plagis affectæ lugebant, quia maritos corrigere tentabant ebulliente bile. Rem præclarè enarrat Auguſtinus, ita commemorans matrem ſuam. *Nouerat hæc non reſiſtere viro irato, non tantum facto, ſed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratius commotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ, quarum viri mitiores erant, plagarum veſtigia etiam dehoneſtata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam. Cùmque mirarentur illæ ſcientes quàm ferocem coniugem ſuſtineret, nunquam fuiſſe auditum, aut aliquo indicio claruiſſe, quod Patricius ceciderit vxorem, aut quod à ſe inuicem vel vnum diem domeſtica lite diſſenſerint, & cùm cauſam familiariter quærerent, docebat illa inſtitutum ſuum, quod ſupra memoraui; quæ obſeruabant, expertæ gratulabantur; quæ non obſeruabant, ſubiectæ vexabantur.*

Ex Historia. Correctio quomodo facta à S. Monica viro ſuo. Aug. lib. 9. confeſſ. c. 9.

Hic plerumque parentes & domini peccant, importunè ſuos ſibi ſubditos obiurgando: eos namque exaſperant quia intempeſtiuè corripiunt, ideoque fiunt nonnullima peiora prioribus. In eo argumento æmulanda eſt peritia Medicorum, qui venæ ſectionem non decernunt, ſi ſit animus inquies, aut corporis ingens motio præceſſerit. Corpori tantùm placido hoc medicandi genus proponitur. Rurſus incalente zelo, nemo alium corripere debet, ſi fas ſit cunctari. Etenim plerumque charitas læditur præualente zelo indiſcreto. Hoc monet Auguſtinus. *Quidquid lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis: dilige, & dic quidquid voles.* Eodem ſpectat hoc Gregorij effatum. *Regat diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem: & ſic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta.* In hoc themate opportunus eſt iſte Canon. *Odio habeantur peccata, non homines, corripiantur tumidi, tolerentur infirmi, & quod in peccatis ſeuerius caſtigari neceſſe eſt, non ſæuientis pleƈtatur animo, ſed medentis.*

Ex SS. Patribus. Auguſt. lib. in ſnibus. Correctio animo irato facta nocet. Greg. lib. 5. Moral.

Ex Iure Canonic. Can. Odio diſt. 86.

Multæ hic occurrunt enodandæ quæſtiones, vt an inferior teneatur corrigere ſuperiorem ſuum, an correctio fraterna debeat præcedere delationem ad Iudicem, & aliæ difficultates graues ſunt in iſta materia, quas ego fusè expediam tertio Tomo meæ moralis Encyclopediæ, vbi ex profeſſo expendam Euangelia Quadrageſimæ. Iam ſat erit dicere neminem obligari ad correctionem fraternam irrogandam illi, quem ſemel & iterum expertus erit iniquo animo excipere conſilia. Ait enim Christus eum deferendum Eccleſiæ, ſi conſtet duos aut tres teſtes adhibitos non poſſe aduerſus eius vitia præualere. At ſi tanta eſt hominis nequam acerbitas, vt curari nequeat niſi extremo remedio, fruſtra tentat lenia pharmaca ille qui hactenus mitior oleum & operam perdidit. His deploratis hominibus potes adaptare verſum illum Pſaltis. *In ſalicibus, in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Salices ſunt arbores infœcundæ, quibus appenduntur organa, quando ſilet cenſor, nolens corrigere impios, qui inutiles ſunt ad faciendos fructus pœnitentiæ. Correctio eſt canticum Domini, quod non reſonat auribus impiorum.

Correctio lenitatem cum ſeueritate prudenter attemperet.

Correctio quibus eſt neganda.

Pſalm. 136.

Circumfert Laërtius lepidum apophtegma Zenonis Philoſophi, qui cùm multos corriperet adſtantes, vnum præteriit tacitum. Succenſuit ille, ita Zenonem affatus: Quare etiam non dignaris meos mores ſicut & aliorum componere in melius. Reſpondit Zeno, quia tibi non credo, id eſt, ſalici infœcundæ non appendo organa corrigentis. Penè animo exciderat referre ſymbolum, quo correctionis indoles & effectus proſtare queant. Hoc igitur eſto recenſitum à Ioanne Ferro, qui pingit ſaxum marmori affrictum, hoc titulo. CONFRICANDO POLIT. Profectò dum correctio ſe animis affricat, murmur & ſtridorem parit, ſed CONFRICANDO POLIT. Nimirum fit terſior anima, quam correctio prauia perpoliuit.

Correctio cui non facta à Zenone Philoſopho.

Ex Historia. Diog. Laër. lib. 7. cap. 1. Zenonis lepida reſponſio.

Ex Symbolis. Ioan. Fer. p. 2. Theatri. Correctio perpolit homines.

Vnum tamen eſt in correctione attendendum, ſcilicet vt ab eadem culpa vacet cenſor, quam vult in alio detergere, ne feriatur illo adagio vernaculo. *Medice cura teipſum.* Audiendi ſunt in eo agone Patres Sancti, in quibus Hieronymus vt idoneus conſultor occurrit, hæc inculcans. *Quomodo poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in ſimile delictum corruerit, aut qua libertate corripere peccantem poteſt, cùm tacitus ipſe ſibi reſpondeat, eadem ſe admiſiſſe quæ corripit.* Eadem ferè ſuggerit Gregorius. *Mundus à vitiis eſſe debet, qui aliena corrigere curat, quatenus tantò perſpicacius aliis fugienda videat, quantò hoc ipſe per ſcientiam & vitam celerius declinat, quia nequaquam purè in membro maculam conſiderat oculus, quem puluis obtenebrat; & ſuperiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent.* Beatus Pater Franciſcus alium quemdam egregium corrigendi modum inſinuat, dum ait vnumquemque cultioris vitæ ritum debere ſequi, vt reprobi ſolo intuitu piorum hominum, virtutis obuiæ frequens ſpecimen æmulentur. Ad omnes pertinet ille modus carpendi mores deuios à virtute. Vade igitur, ô Chriſtiane, & ſecuro veſtigio permea virtutum calles, ſi diu propoſiti memor es, habebis vitæ tuæ defæcatæ plurimos æmulos & ſequaces. FAXIT DEVS.

Ex SS. Patribus. Hieron. in ep. ad Titum. Correctio fieri debet ab homine innoxio.

Greg. lib. 6. Moral. Correctio parum prodeſt facta ab homine malè ſibi conſcio.

Ex Chronic. Minor. in vita S. Franciſci. Correctionis modus à S. Franciſco explicatus.

FERIA



FERIA QVARTA.
DOMINICÆ III. QVADRAGESIMÆ.
SVMMA HOMILIÆ.

I. PHARISÆORVM tanta fuit auri cupido, vt homines sollicitarent ad deuouenda templo bona sua, licet rerum omnium inopiam paterentur eorum egeni parentes, quos sic filiorum suffragio spoliabant. Auarum illud hodie ingenium carpit Christus, inuehens in immitem traditionem, vtpote iniuriam decalogo, qui indicat specialem cultum patris & matris. Itaque primò recenseo argumenta, quæ conducunt ad inserendam parentum reuerentiam, non in eo tantùm sitam vt eis rependatur honos capite aperto, & humili inflexione corporis, sed vt positis in egestate suppeditent sumptus necessarios ad transigendum istud æuum.

II. Secundò explicabo qua ratione debeant parentes filiorum suorum demerere amorem: & multifariàm probabo, mutuam esse obligationem parentum & filiorum, Deumque parentum incuriam castigare ingratitudine filiorum, qui vtplurimum insurgunt in parentes, quia illis dissimulantibus vitia filiorum, dum sunt impuberes, reprobi illi affectus in crimina nefaria postmodum adolescunt. Vt ergo parentum suorum senum curam agant filij in vegeta ætate, ipsi parentes maturè prouideant filiis suis, ne prauos habitus contrahant, imò potius se accingant ad virtutum praxim, vt non sensim vitia compubescant. Sic industria, quam parentes conferent ad salutem animæ liberorum, ingrauescente ætate postmodum in eorum commoda redundabit.

PRÆFATIO.

Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem, &c. Matth. 15.

Auaritia Pharisæorum faciebat filios impios in parentes.

SCRIBÆ & *Pharisæi acti stimulis auaritiæ, quæsituri argumenta, quibus sedarent sitim suam, & impunè saturi quæstum, suadebant populo sua bona deuouere templo Sic ementita specie pietatis faciebat filios impios & crudeles in parentes suos, quorum egestati minimè succurrebant, decepti à sacerdotibus præfantibus bona Deo addicta cedere in commodum sacerdotum, nec esse amplius iuris eius qui deuouit, aut parentū ipsius. Hi autem astuti Scribæ & Pharisæi suos abdituri fucos, affirmabant filiis offerentibus bona sua templo, oblationem illam prodesse parentibus, etsi aliunde egestate & inedia confecti miserè disperirent. In hos sacerdotes immites & parentibus iniurios, vtpote nescios pietatis, hodie Christus inuehitur, sextæ prælibato.* Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem; & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri; Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. *Hoc itaque Euangelio Christus est assertor pietatis in parentes, quibus natura dictamine deuincimur. Ego eius hodie sectatus ingenium, parentibus hac concione litabo, non immemor almæ omnium parentis Deiparæ.* Aue Maria.

Parentes habent aliquid diuinum.

ENumeratio mandatorum Dei in Decalogo ita recensetur, vt propositis quæ ad Deum spectant, & commemoratio parentum fiat antequam consulatur indemnitati reliquorum hominum. Quippe hoc præceptum, *Honora patrem & matrem*, præit istis, *Non occides, non furaberis*. Deo sic indicante, parentes esse medios inter Deum & cæteros homines. Nimirum in hoc Dei partes agunt, cùm procreant liberos. Cum aliis verò conueniunt hominibus, quia & ætatis & tempestatum iniuriis obnoxij sunt. Quà Deum æmulantur, præcipuum honorem a filiis suis exigunt: quà verò subduntur angustiis, filiorum suorum opem & obsequia sollicitant. Scribæ & Pharisæi assueti expilare domos, vt filiorum opes in sua marsupia congererent, suadebant eis deuouere templo suas facultates, ne parentes inopes eas in suos vsus conuerterent, metuentes sacrilegium si in rem Deo sacram impias aliquando manus iniicerent. Huic delirio hodie occurrit Christus carpens sacerdotum insanam cupidinem opum, & damnans illorum traditionem, velut ex diametro oppositam Decalogo, qui adstruit iura parentum in filios. Hodie ego Christi vices agam, ingerens quo cultu prosequendi sint parentes, quo pacto debeant filiorum suorum obsequia demerere. Mutua namque est obligatio liberorum & parentum. Debent parentes sedulam filiorum gerere curam, vt sic eorum affectum sibi deuinciant.

Duo

Duo hæc puncta concludent lineam istam totam. Auspicemur à cultu debito parentibus.

Pars Prima Homiliæ.

Quo cultu dignari debeant parentes suos liberi.

Ex Philosophia. *Boetius lib. de hebdom.*

NVlla in rerum natura veritas adeò rutilat, vt ea quæ est per se nota. Est autem veritas per se nota, quæ habet rationem primi principij, & ita rationi peruia est, vt in præbendo assensu suo non cunctetur. Verbi gratiâ, omnibus liquet ista propositio: *Omne totum est maius sua parte.* Vt ratio speculatiua habet sua prima principia indubia; ita & ratio practica habet suas notiones in ordine ad praxim, quas reuocare in dubium nemo potest, cùm earum veritas omnibus illuceat. Verbi gratiâ, nemo vnquam dubiam fecit istam thesim, scilicet esse fugienda mala & facienda bona. Item eum qui ab aliquo beneficium accepit, esse ei debitorem, & debitum tamdiu stare, quamdiu durat beneficium acceptum. Ex eo principio Aristoteles deducit hanc conclusionem; homines nullum posse parentibus vt nec Deo rependere æquale obsequium, quia beneficia ab iis accepta nusquam prætereunt, sed nobis ita affixa sunt, vt non desinant nisi nobiscum. Verbi gratiâ, quod simus homines, Dei & parentum nostrorum est beneficium; ideoque cùm relata sint naturâ simul, quamdiu erimus, debet & vigere debitum, quo obstringimur parentibus, à quibus hoc esse accepimus. Nam etsi anima à Deo immediatè fit; tamen nisi coaluisset corpus in vtero matris, Deus animam non creasset. Sicque parentibus debemus aliquali modo omne id quod sumus, atque ita in ratione debiti toti sumus, nec vlla relinquitur spes diluendi æs illud quod nascendo contraximus. Nam licet aliquod insigne beneficium conferremus parentibus, imò ipsam mortem obiremus, vt ipsi incolumes longius æuum protraherent; non idcirco par pari referremus, quia ab ipsis accepimus id, quo laudabile hoc facinus exantlamus.

Arist. lib. 8. Ethic. cap. vltimo.

Parentes quare sint honorandi.

Parentum ius in filios vnde sit petendum. *Pierius l. 17. hieroglyph. cap. 1.*

Parentum ius in filios ipsa etiam natura conscripsit in indole bestiarum, vt videre est in ciconiis, quæ effœtos parentes suos alunt in nidulo, eamdemque eis curam rependunt senibus, quam ab eis ipsæ iuuenes exceperunt. Vnde Imperator Hadrianus pietatem in parentes suos præferens Imperio suo, maluit gloriam venari ab affectu in parentes suos, quàm ab infulis & corona, idcirco numisma cudit in quo ciconia has edebat voces. Pietas Avgvsta. Et Ægyptij credidêre aquas sacras, quas tetigerat auis hæc amantissima pietatis. Sed quid bestias commemoro, vt earum disciplinâ cautior fiat homo, cùm eruditio sanctior vnumquemque sollicitet ad parentes honore præcipuo iugiter excolendos: sic ex sacris astruo intentum. In his quæ sunt ex charitate diligenda, aliquis ordo à Deo institutus est, iuxta illud Canticorum. *Ordinauit in me charitatem.* At ordo attenditur secundùm prius & posterius: & ex Aristotele, *Prius & posterius dicuntur iuxta relationem ad aliquod principium.* Cùm ergo Deus sit principium charitatis, quæ fundatur in communicatione beatitudinis, cuius Deus est causa, illud quod in creaturis magis accedet ad Deum, respectu nostri magis debet diligi ex charitate. At parentes sunt veluti principia & fontes, à quibus effluximus, & sic in ratione principij magis ad Deum accedunt. Ergo à nobis sunt præcipuo amore diligendi. Amare autem est velle bonum conueniens ei subiecto, quod amatur. Bonum parentibus idoneum est duplex, vnum spirituale & æternum; & alterum temporale. Bonum spirituale est beatitudo, in cuius communicatione attenditur charitas, se extendens ad omnia, quæ debent nobis in beatitudine sociari. His primò debemus hoc procurare bonum, qui nobis magis vniuntur, scilicet parentibus. Nam gratia non destruit naturam, sed perficit. Natura autem dictat amorem parentum, iuxta illud Ecclesiastici. *Omne animal diligit simile sibi.* At maior est similitudo filiorum & parentum, quàm sit aliorum. Nam præter naturæ vnitatem, quæ conuenit toti speciei, habent vnitatem sanguinis: filij enim parentum sanguine concreti, eiusdem substantiæ sunt ac parentes, qui dedere filiis prima rudimenta corporeæ compagis. Bonum temporale conueniens parentibus est duplex. Vnum in honore attenditur; aliud est in subuentione situm. Honor obedientiam sonat & reuerentiam. Obedientiæ specimen insigne dedit Isaac, qui ne deesset huic parti, se accinxit ad mortem subeundam, ita morem gerens patri suo Abrahæ armato exerto gladio. Reuerentiæ exemplum illustre præstitit Ioseph, audito aduentu patris sui Iacob properantis in Ægyptum. Quippe pius ille filius Prorex Ægypti, quasi incurius eminentiæ suæ, eò se depressit vt procul iret obuiam patri suo, in cuius amplexus ruens, eo pietatis obsequio tersit omnes eius molestias.

Parentum obsequium egregio symbolo commendatum.

Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 26. art. 1. Cant. 2.*

Parentes præcipuo amore diligendi.

Eccli. 13.

Honor obedientiam dicit & reuerentiam.

Parentibus obsequentes filij maximè laudandi.

Profanæ etiam historiæ feraces sunt exemplorum, quæ nos sollicitant ad parentes nostros iugiter excolendos. Libet aliqua recensere, præuia Valerij Maximi præfatiuncula. *Venite in manus nostras prospera parentum vota; felicibus auspiciis propagata soboles, quæ efficitis vt genuisse iuuet, & generare libeat.* Primus occurrit Ludouicus Pius Imperator, ea obseruantia insignis in parentem suum Carolum Magnum, vt eo superstite tenuerit vllas Principis obire vices. Et vt animum suum proderet alienum ab Imperio, cui Carolus erat impar, vtpote malè affectus, chiragrâ & podagrâ corpore dissoluto; noluit tamen Ludouicus iniussus patrem inuisere, ne crederetur ambire præcox Imperium, imò suadente patre, & vocante in partem Imperij, ille rerum omnium summam voluit esse penes patrem suum. De Decio simile etiam facinus prodit historia hoc contextu. *Decius Imperator cùm Decium filium suum imperiali diademate proponeret insigniri, renuit filius dicens: Vereor ne si fiam Imperator, dediscam esse filius. Malo non esse Imperator, & esse humilis filius; quàm Imperator, & filius indeuotus. Imperet pater meus, meum Imperium sit parere humiliter imperanti. Nam parentum affectum exuit, qui mole superposita filium extinguit.* O vtinam parentes omnes nacti essent tales filios! Dicam parcius: Vtinam decimus quisque filiorum, Decius esset.

Ex Historia. *Ex vitis Imp. sub an. 251.*

Parentis cultor extitit Ludouicus Pius Imperator.

Decij pietas in parentem.

Parenti quàm deuolerit Decius.

Obedire parentibus pius est quàm imperare.

In Caio Flaminio etiam emicuit reuerentia in parentem: cùm enim ille Flaminius esset Tribunus plebis, & inuito Senatu legem pro rostris vellet ferre de agro Gallico viritim diuidendo, nec fuisset territus exercitu conscripto, vbi tamen

Cic. lib. 4. de inuent.

Parenti qualem reuerentiam exhibuit C. Flaminius.

tamen è rostris audiit patrem imponentem sibi silentium, tacitus destitit ab intento. Non est prætereunda filia, quam meminere Plinius, Solinus, & Valerius, quorum iste rem sic ita delineat. *Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam, triumviro in carcere necandam tradidit. Quò receptam, is qui custodia præerat, misericordia motus, non protinus strangulauit. Aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret dedit, existimans futurum vt inediâ extingueretur. Cùm autem iam plures dies intercederent, secum ipse quærens quidnam esset, quod tamdiu sustentaretur: curiosius obseruatâ filiâ animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quæ tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad triumvirum, à triumviro ad Prætorem, à Prætore ad concilium Iudicum perlata, remissionem pœnæ mulieri impetrauit. Quò non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere seruandæ genitricis nouam rationem inuenit? Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quàm matrem natæ vberibus alitam? Putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes, prima naturæ lex esset.* Eodem etiam Valerio auctore alia filia nomine Pero, patrem suum Cimonem lactauit in carcere, leuans inediam, quâ erat Iudicis sententiâ periturus.

Plin. lib. 7. cap. 36. Solin. cap. de homine. Val. Max. lib. 5. Parentem alit in carcere filia lacte suo. Parentum amor est prima naturæ lex.

Ex Mathematica. Eu. lid. lib. 1. de elem. geom. propos. 30.

Ex præfatis, eodem iure patri & matri filij & filiæ debitores sunt, quia filij & filiæ eodem modo constituunt patrem & matrem in esse parentum. Hocque palàm fit ex Geometria, quæ describens tres lineas æqui distantes ab inuicem, reperit primam & tertiam esse sibi parallelas, quia linea secunda quæ est media æquè distat ab eis, vt demonstrat Euclides. Vnde sic arguo: filij & filiæ veluti linea media faciunt, vt pater & mater sint lineæ parallelæ; nam eodem parentum nomine recensentur ob filios & filias. Ergo filij & filiæ vtrique parenti naturæ legibus obstringuntur.

Luc. 2. Parentibus subditus erat Christus. Parentis curam in cruce habuit Christus. Ex SS. Patribus. Ambros. in Lucam. Chrysost. in c. 23. Ioan.

Suo exemplo Christus probauit pietatem in parentes: de eo namque ait Scriba sacer. *Erat subditus illis.* Item & in supremo agone aliis fœminis iuxta crucem positis nihil omnino dixit, sed suæ matris specialem egit curam. Vnde ait Ambrosius: *Non iniuriosè negligit matrem, nec mater negatur, quæ de cruce etiam agnoscitur.* Aduoca Chrysostomum ita fatum: *Docet nos Christus vsque ad vltimam respirationem, parentum diligentiam habere: quia enim aliis mulieribus distantibus nihil dixit, docet nos plus aliquid impendere parentibus.* Suam Deus facit iniuriam, eam quam filij parentibus inferunt. Si enim Deus ait Samuëli: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Cùm ius patrum in filios sit antiquius iure potestatis hominum in alios; Deus institutor huius iuris, erit etiam vltor iniuriæ illatæ parentibus. Vide quàm seuerè luit Cham, qui irreuerenter habuit patrem suum. Hac censura feriit eum Noë, audito piaculo eius: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.*

1. Reg. 8. Parentibus iniurij sunt maledicti.

Genes. 9.

Ex Historia. Hist. Gallica sub an. 873.

Habet & Historia Gallica quo terreat dyscolos filios aspernantes iura patrum. Rerum olim gestarum series meminit Ludouici II. Imperatoris, filium nomine Carolum patri suo iniurium correptum fuisse à dæmonio diro & sæuo, quo vindice non impunè tulit suam impietatem filius ille nequam. Eadem mulcta Deus hodie animaduertit in filios omnes, qui parentes suos habent inglorios; Deo permittente, diabolus eos in abruptum vitiorum præcipites agit, teste prodigo, qui vt à patre suo recessit, Veneri & Baccho litans, factus est libidinis & crapulæ mancipium. Suarum esse partium credidêre Imperatores coërcere petulcos filios, ampliato iure quod natura patri dedit: Quippe licuit patri in extrema necessitate constituto vendere filium suum. Ecce textum legis. *Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque, victus causâ, filium filiamque vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi eius seruitij habeat facultatem.* Hæc sanxit Imperator Constantinus, fortè vt filios adigeret ad suppeditanda necessaria parentibus, si nollent vrgente eos inopiâ venundari. Imperator Iustinianus explicitè cauit alendos esse à filiis parentes, qui etiam criminis causâ ceciderant omni censu. Sic ille: *Si vero contigerit ex prioribus nuptiis inculpabilibus filios esse ei, aut nepotes fortè, aut vlterius, paternam mox illi accipiant successionem: sua quidem potestatis patris supplicio facti; pascentes autem eum, & alia necessaria præbentes. Nam licet legum contemptor & impius sit, tamen pater est.* O vtinam degeneres omnes filij animo versarent illas voces humani Principis, paterno nomini consulentis, fortè modos ponerent querelis, quas texunt in patrem nimis tenacem & parcum. Dum namque cogitarent has voces, *Tamen pater est,* æstuantis animi motus illicò comprimerent.

Parenti iniurius filius à diabolo correptus.

Ex Ivre Civili. Leg. Si quis Cod. de Patribus. Parentes possunt vendere filios ex iure Cæsareo.

Nouell. 12. cap. 2. de incestis. Parentes ali debent à filiis.

Etiamsi tacitæ leges præteriissent hoc præceptum, vltio vernacula impietatis in parentes reuerentiæ sensum omnibus imprimeret: Deus namque solitus est filios ingratos, aliis etiam ingratis filiis tradere puniendos, iuxta illud effatum Thaletis Philosophi. *Quale præmium rependeris parentibus tuis, tale a liberis tuis expectato.* Nulli omnino Genti desunt historiæ testes vltionis huiusce impij facinoris; sat erit percensere Henricum IV. Regem Angliæ, qui perduellis in patrem suum insurrexit, & infulis exuit, regnandi libidine regnum aucupans immaturum, orbe toto horrente piaculum. Deo vindice hæc iniuria non impunis extitit: etenim insanus ille filius, qui sospite patre suo Richardo II. diadema assumpsit, leprâ infectus est, & decumbens vidit coronam suam sibi inuito rapi, & filio suo consecrari. Iidem Angliæ annales acriter percensent alium filium impium, scilicet Richardum, qui sæpius numeroso milite conscripto in patrem suum Henricum I. Regem rebellarat. Ille audita morte patris sui, ementita specie pietatis, funeri occurrit, vt mortuo parentaret, sed vbi accessit ad corpus exanime, illicò è naribus extincti patris copiosus effluxit sanguis, quasi accusans filium, qui sæpius insurgens in patrem suum, fuerat animo parricida.

Parentibus iniurij tales & suos experiëtur filios.

Ex Historia. Hist. Angliæ sub an. 1413. Parenti suo iniurius leprâ infectus.

Ibidem sub an. 1190. Parens mortuus coram filio iniurio mittit sanguinem.

Esto deficeret vltor impietatis in parentes; ipsi tamen Manes vindices Deum sollicitarent ad vindictam, quam demandat aliis filiis ingratis, qui vt viperini fœtus sæuiunt in parentem. Eam ob rem filiis patri suo iniuriis fas est ominari vt viperis matris vtero eroso nascentibus, scilicet Deo rependente vices crimini debitas, nacturos sobolem quæ pœnas expetet sceleris anteà perpetrati. Ita poteris affingere filiis ingloriis symbolum viperæ morientis, dum effundit prolem suam, à qua patitur eamdem iniuriam, quam ipsa intulit

Ex Symbolis.
Ioan. Ferrus p. 2 Theatri
Parentibus iniurij filij quo symbolo linecntur.

intulit matri. Huic picturæ Ferrus adiicit hoc lemma. HAC EST GRATIA PARTVS. Libet iam actiore stylo perstringere parentes querulos de filiis impiis. O parentes, quid causamini filiorum indolem ferocem & ingratam? Vestra est culpa omnis; nam illi accepêre à vobis typum animi ingrati, quem defletis. Memores estote vos fuisse parentibus vestris iniurios, ideoque filios vestros eruditos domestico exemplo, par pari referre. HAC EST GRATIA PARTVS. Itaque estote parentibus grati, ô filij, si gratitudinis conscios vultis habere filios. Recolite dignum Platone apophtegma, scilicet parentes grandæuos, etsi videantur graues & onerosi familiæ vestræ; esse tamen viua Dei simulacra, quibus honor exhibitus, bonorum omnium prouentum vberiorem adfert cultori suo.

Plat. lib. 11. de Legibus.

Parentis honor ab Ænea demonstratus.

Nescio an commentum sit quod de Ænea inualuit, videlicet eum incolumem mediis flammis traduxisse patrem suum senio confectum. Rei gestæ fides sit penes auctores. Sed nequeo prætetire symbolum editum in gratiam eius; nam titulus est huic concioni opportunus. Nimirum picto Æneæ, & traiicienti impunè flammas, veheri patrem suum inurmurant istæ voces. PIETATI CEDITE FLAMMÆ. Profectò pueros ingenuos & parentum cultores impigros vitiorum flammæ non exurunt. Et vt virtutes mutuo implexu gaudent, pietas in parentes non est destituta nexu aliarum virtutum, ideoque defuncti filij obsequentes, supposito hoc virtutum comitatu, nescient incendia inferni. Quippe assuetæ sunt hæ vindices. PIETATI CEDERE FLAMMÆ.

Ioan. Ferrus p. 2. Theatri.

Sed esto parentes filiorum suorum amorem multiplici titulo deuinciant; verum tamen impium est eos præferre Deo, cuius obsequium longè potius est eo, quo filij parentibus suis naturæ legibus obstringuntur. Nam amor filiorum in parentes est merè naturalis: at amor quo Deum deperimus vt finem nostrum, penes quem est beatitudo nostra, est superioris ordinis, quia ordinatur ad gloriam. Forte instabis, posse amari parentes in ordine ad gloriam illam æternam, procurando salutem eorum, & sic filios affici in parentes percitos œstro charitatis, quæ sic adiecta amori naturali, præualebit amori, quo Deus amandus est, quia plura reperiuntur argumenta amoris in parentibus, quàm in Deo. Respondeo, vtroque amore Deum præamandum: quippe parentes obiêre vices Dei, qui illis vsus est, vt mediis ad filios efformandos. Et cùm esse parentum sit ab alio, deueniendum est ad Deum, à quo vt omnium patre entia omnia deriuarunt. Hic autem rerum omnium parens, amorem naturalem vendicat sibi potiore titulo, quàm parentes, qui fuêre tantùm instrumenta editionis nostræ, & non causa primitiua. Si verò sit quæstio de charitate, Theologia sic adstruit primas esse Deo dandas. Quælibet amicitia respicit primò id in quo præcipuè reperitur illud bonum, in cuius communicatione fundatur affectus. Sicut amicitia politica potissimum respicit Principem, à quo totum bonum commune dependet. Amicitia autem charitatis fundatur in communicatione beatitudinis. Ergo cùm beatitudo sit in Deo essentialiter & primariò, in aliis verò duntaxat per participationem & accidentaliter; procul dubio laxis habenis anima in Deum effundi debet, nec decet pati remoras, quas intentare volunt parentes, quando abstrahunt filios à Dei cultu, & nolunt eos dare nomen suum religioni, obiicientes eos esse refugas debitæ pietatis.

Parentes qui honorat, ille benedictus.

Parêtes non sunt Deo præferendi.

Ex Theologia.
Thom. 2. 2. q. 26. art. 2.

Parêtes non debent impedire filios mūdi desertores.

Causam hanc factam à parentibus ancipitem diremit Christus ista sententiâ: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Sicque locus ambigendi nemini relinquitur. Canones etiam ipsi vt vindices & assertores dogmatum Christi, sic cauerunt. *Si verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Alio Canone hæc prostant. *Item non liceat parentibus liberos suos ad solitariam vitam transeuntes, abstrahere de monasteriis.* Hoc ego ideò præmoneo, quia crebræ sunt parentum querelæ ob filios suos militiæ sæculi desertores, & transfugas in castra Dei, vbi profitentur sanctius institutum.

Matth. 10.
Ex Ivre Canonic.
Parêtes percalcādi quādo sunt Deo infensi.
Can. Puella §. Si verò 20. q. 3.
Can. Non liceat. §. Item 19. q. 3.

Fauent Sancti Patres, quos audire præstat in hac lite Iudices æquiores. Primus occurrit Hieronymus, magna oratione adhortans Heliodorum, vt parentū vota prætereat, si remorentur obsequium Dei. Sic ille: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola: solum genus pietatis in hac re esse crudelem.* Egregiè hoc thema decurrit Bernardus ita fatus: *Sola causa, qua non licet obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus. Si me verè vt boni, vt pij parentes diligitis, si veram si fidelem erga filium pietatem habetis, quid me patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab eius seruitio, cui seruire regnare est, retrahere attentatis? Vere nunc cognosco, quia inimici hominis, domestici eius. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnosco parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem meum, atque vestrum, imò vniuersorum patrem. Alioquin quid mihi & vobis? Quid à vobis habeo nisi peccatum & miseriam? Hoc solum quod gesto corruptibile corpus de vestro me habere fateor & agnosco.*

Ex SS. Patribvs.
Hieron. epist. ad Heliodor.
Bernard. ep. 111.
Parentes obstantes ne filij sint religiosi acriter carpuntur.

Ipsa etiam Philosophia Deo militat, sic stabiliens intentum meum. Illic est maximum amoris argumentum, vnde maximus est bonorum influxus. Ergo Deus præferendus est parentibus, & potiori amore dignandus, qui ab eo plura accepimus, quàm ab vtroque parente. Nempe in confesso est apud omnes, causam primam præstare causæ secundæ in ratione influxus, atque ita effectum plura debere causæ primæ quàm causæ secundæ. Cùm ergo parentes sint tantùm causæ secundæ ortus nostri, & Deus sit causa prima; non est cunctandi locus, vbi erit quæstio, an Deus sit amore præcipuo diligendus. Si parentes quid impium insusurrant, tentantes amorem nostrum in Deum deorsum inflectere, eorum importunos æstus, hoc Bernardi eloquio refellamus. *Si negligitis salutem vestram, quid iuuat etiam persequi meam? Quare vos non potius sequimini me fugientem, vt non ardeatis? An hoc est vestri cruciatus leuamen, si me etiam perimatis: & hoc solum timetis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium præstare poterit? Quid ergo? ibo & consolabor lugentem matrem meam mei ad tempus visitatione, vt in æternum lugeam & me & ipsam sine consolatione. En potius exemplo Apostoli non acquiescens carni & sanguini vocem Domini audiam iubentis: dimittite mortuos sepelire mortuos suos. Et cantabo cum Dauid; renuit consolari anima*

Ex Philosophia.
Arist. lib. 8. Physic. cap. 5. textu. 42.
Bernard. ep. 111.

mea;

mea; & cum Ieremia: Diem hominis non concupiui, Domine tu ſcis. Quid enim? Funes ceciderunt mihi in præclaris, & cœleſtis hæreditas præclara eſt mihi, & terrena adulatur promiſſio, blanditur conſolatio carnis? Guſtato ſpiritu neceſſe eſt deſipere carnem. Affectanti cœleſtia, terrena non ſapiunt. Æternis inhianti, faſtidio ſunt tranſitoria. Hæc ille, erudiens nos, parentes eſſe odio habendos, ſi Deo ſint iniurij, & ſuæ iniquæ indolis volunt efficere conſcios & conſortes. Aliàs nemo it inficias, vnicuique indictum eſſe vt parentes colat.

Parentes & ſe & filios perdũt, ſi eos impediunt volentes dare nomen ſuum religioni.

Pars Secvnda Homiliæ.

Quâ induſtriâ parentes debent reuerentiam ſuorum liberorum demerere.

Priſcæ leges reciproco nexu parentes filiis etiam ſuis obligarunt, ſancientes liberos ea tantùm ratione deuinciri parentibus, quia eorum curam impigram geſſerunt, prout ætas tenera variauit, vt Seneca deſcribit. Sic ille: *Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad ſalubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fouent; & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura conſtringunt, & mox liberalia ſtudia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad vltimum audacem iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, ſi parum ſequitur, coactam applicant. Adoleſcentibus quoque ac iam potentibus ſui, ſi remedia metu aut intemperantia reiiciunt, vis adhibetur ac ſeruitus. Itaque beneficiorum maxima ſunt quæ à parentibus accepimus, dum aut neſcimus aut nolumus.* Si ergo parentes filiorum incurij ſint, ceſſat ille recurſus gratiarum, quas agere parentibus filij debent. Non hîc moneo parentes de præſtanda alimonia liberis; namque id leges cauent: ſed mearum eſt partium adhortari eos, vt eam filiorum curam gerant quæ homines decet. Nimirum ea corporum anxietas, quæ vexare ſolet parentes ſollicitos an benè valeant filij, infra hominem eſt, vtpote pertinens ad beſtias, quæ etiam & pullos & catulos ſolertia ſingulari curant in his quæ corpus ſpectant.

Senec. lib. 6. de benef. c. 24.

Parẽtes quibus officiis filiorum obſequiũ conciliauère ſibi.

Eſt huc reuocanda Philoſophiæ diſtinctio, quæ diſpeſcit in duas claſſes hominum actus: quippe alios dicit hominis actus, alios verò actus humanos. Actiones illæ dicuntur eſſe hominis, quæ ab homine emanant, nulla habita ratione intellectus & animæ diſcurſiuæ, vt ſunt manducare, ambulare. Si verò aliquid agit homo conſulta ratione, illud dicitur actio humana. Homo igitur, qui has ſuſcipit partes vt ſuos filios educet humano ritu, debet eorum perpolire ingenium, quo formaliter à beſtiis diſſiti ſunt, alioquin parentes intenti tantùm corpori filiorum, illis duntaxat pecudum more inuigilant. Hoc vnum peto, vt vrſarum more ſuos fœtus enutriant. Vrſa molem carneam informem enixa, tamdiu lingua lambit, vt rudimenta quædam membrorum enitcant, quibus natura ſuam præſtans opem, catulum vrſæ ritè delineat. Vtinam ſinguli quique parentes eâ cautelâ ſuis liberis prouiderent, vt teneris inſtillarent monita ſalutis, ſic exertâ linguâ polientes infantium animos, dum adhuc in biuio exiſtunt. Natura vnicuique hominum à teneris vngui-

Actus hominis ſunt in duplici differentia.

culis inſeruit prima principia, quibus ipſi etiam puerili vera à falſis, & mala à bonis cupiunt diſcernere. Hæc ſunt excolenda ſemina virtutum, initiando pueros catechiſmo: vt namque multo humore madet cerebrum infantium; ita & facilè rerum auditarum aut lectarum ei ſpecies inuruntur. Studeant itaque parentes illi tabulæ adhuc rudi ſelecta lineamenta adiicere, ne dum pubeſcent filij, reprobæ etiam ſpecies adoleſcant.

Socrates ludibrio habuit hos parentes, quibus hoc vnum intentum fuit, ſcilicet opes congerere vt filij diteſcerent. Ille eos ita carpit: *Qui filiis multis opibus proſpiciunt, vt autem boni & egregij euadant negligunt, ſimile quid agunt equos alentibus, quos belli diſciplinam non docent, multum vero pabuli exhibent. Sic enim equos habituri ſunt pinguiores, ſed rerum, quas præſtare oportebat, imperitos. Eodem modo peccant qui filiis multos agros comparant, ipſoſmet verò negligunt. Poſſeſſiones enim magni pretij æſtimationem habebunt; ipſi autem viles erunt, cùm contra oporteet cuſtodientem re poſſeſſa pretioſiorem eſſe. Ita ſi quis filium magni pretij hominem effecerit, quamuis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus eſt.* Eſto lingua idonea ſit ad culturam morum ætatis adhuc impuberis; præualent tamen exempla parentum, quibus aſſueti infantes, eos induunt animos, quos parentes inolita ſibi praxi ſæpius inſpirarunt. Ideoque cautè monet Iuuenalis.

Socrates apud Zenophontem.

Parentum cura de filiis qualis eſſe debet.

Parẽtes non peccare debent coram filiis.

Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos.
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Iuuenal. ſat. 14.

Puerorum innocentia magnum eſt reuerentiæ argumentum; nempe eorum puritas ſtipatur Angelis, quos graues experiuntur vltores hi, qui exemplo ſuo vitia affingunt huic ætati innoxiæ, indubiè ineunti calles tritos à parentibus. Vnde Scriptura notat fuiſſe veluti miraculum, pereunte Chore dehiſcente terra, filios eius non ruiſſe in præceps. Hoc prodigij loco recenſet Moyſes, ita fatus: *Factum eſt grande miraculum, vt Chore pereunte, filij illius non perirent.* Nimirum omnia parentum piacula facilè filiis affricantur. Si ergo, ô parentes, ſalutis veſtræ eſtis incurij, vitiis vſquequaque diffluentes, parcite tenellulæ ætati. Hîc zelo æſtuante incandeſcit animus commembrans perditos hominum mores, qui pueru-los vt pſittacos docent effutire turpia, vt aduenas hoſpites ſuos recreent hoc turpiloquio infantili. O barbari patres, vos ex diabolo patre eſtis, à quo lethale virus ebibiſtis, vt illud in puerorum animos inſtilleris, quos turpibus atque blaſphemiis aſſuetos, hoc impio ritu dæmoni mancipatis. Ideoque plerique infantes infra ſeptennium miſerè diſpereunt, quia parentes eos vitiorum veneno imbutos diabolo deuouerunt.

Num. 26.

Parentum mala exempla necant filios.

Præſtat audire Gregorium Magnum, cuius en contextum. *Nonnullis paruulis regni cœleſtis aditus à parentibus clauditur, ſi male nutriantur. Nam quidam vir cunctis in hac vrbe notiſſimus, ante triennium filium habuit annorum, ſicut arbitror, quinque, quem nimis carnaliter diligens remiſſè nutriebat, atque idem paruulus, quod dictu graue eſt, mox vt eius animo aliquid obſtitiſſet, maieſtatem Dei blaſphemare conſueuerat; qui in hac ante triennium mortalitate percuſſus venit ad mortem: cùmque eum ſuus pater in ſinu teneret, ſicut hi teſtati ſunt, qui præſentes fuerunt;*

Ex Historia.

Greg. lib. 4. dialog.

Blaſphemus puer à diabolo occiſus.

fuerunt, malignos ad se venisse spiritus, trementibus oculis puer aspiciens cœpit clamare: Obsta pater: Obsta pater. Qui clamans declinauit faciem, vt se ab eis in sinu patris absconderet. Quem cùm ille trementem requireret; quid videret, puer adiunxit, dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt, qui cùm hoc dixisset, maiestatis nomen protinus blasphemauit, & animam reddidit. Hæc ille Sanctus & summus Pontifex. O pater imprudens tibi, saltem caue filio tuo, téque ipsum sic compone, vt nihil animo eius, vitij tui penitus inuratur. Nimirum impuberes animæ patent parentum deliquiis, sicut & corpora eorum morbos trahunt.

Elephantia ab ortu pessima. Ex Re Medica. Fernel. lib. pathol. c. 19.

Audi Fernelium rei Medicæ peritissimum. *Elephantiam alij ab ortu, alij contagione, alij sponte, proprioque vitio contrahunt; ab ortu, qui ex elephantico parentum semine procreati sunt, atque si parentum alter cum genuit elephanticus erat, fœtus quoque nascetur elephanticus.* Quando diffluis voluptatum illecebris, ó incaute parens, tunc sanguine impuro coalescis, & soboli affingis vitia tibi insolita. Et ni in puero pubescentes vitiorum surculos amputes, hoc relicto te non infantem sed leunculum in tui ipsius perniciem enutrire. Multos namque vidimus patres malè habitos à filiis luere pœnas indultæ nimiæ libertatis. Hoc aliàs Iuuenalis ait parentibus.

Iuuenal. sat. 14. Paretes iniqui a filiis sui, castigantur.

Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem latè, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In cauea magno fremitu leo tollet alumnus.

Si verò secus pueros enutrias ad amussim legis, tu ipse primos carpes fructus bonæ educationis, honorem scilicet & reuerentiam: nam memoria tibi debiti cultus puero non excidet, cui & aliarum virtutum semina commisisti, nec vnquam in filiis poterit esse natura deuia, quam ad messes opimas congruæ disciplinæ vomere præparasti. Vt paucis multa concludam, talis esto erga Deum patrem tuum, vt tuo exemplo discant filij tui ingenuos sese liberos exhibere. Faxit Devs.

Parétes quales esse debeant erga filios tuos.



FERIA QVINTA
DOMINICÆ III. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT principem locum in qualitatibus calor obtinet, vt penes quem vita est reposita, sicut mors algorem sequitur; ita & amor præcipuam sedem occupat in choro affectionum animæ. Eamobrem quemadmodum calor in corpore deuians à debita temperie accendit hominem totum, qui febribus æstuat immodicis; ita & amor dum terrenis inhiat, si plus nimio afficitur, animam vrit incendio, quod maximum facessit negotium. Dico priori parte istius homiliæ, animam concipere febrem quando amor eius declinat à scopo sibi præstituto: nam vt febris est calor aduentitius accensus circa cor, ita & vitium est affectus contra ingenium naturæ integræ.

II. Secundò præostensa affinitate febris & peccati, infero concolores esse ritus, qui conducunt ad curam vtriusque febris, animæ scilicet & corporis. Idcircò consultis medicorum suffragiis, sensa Hippocratis refero congrua ad restinguenda febrium incendia, & probo eadem remedia esse idonea ad reparandas animæ ruinas, quas contraxit æstuante amore creaturarum, cuius fornax extincta parit salutem animæ antea decumbentis.

PRÆFATIO.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4.

IS est genius ærumnarum, vt Deum inclinent ad leuamen, ipsa etiam teste socru Petri, quam semivstam molesto febrium incendio Christus hodie inuisit. Ingruentes namque angustiæ æquo animo acceptæ sunt salutare repurgium animarum, quæ sic tersæ Deo cultiores occurrunt, afflictæ animæ condolenti. Quis non eo pretio mercari velit febrem, vt eâ patienter exceptâ, indubiâ Christi præsentiâ recreetur. Penes nos est eo dignari solamine quoties affligimur: quippe Deus se obstrinxit ad omnes tergendas ærumnas, hoc sacro eloquio: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. *Ideò nomenclaturam Medici accepit Christus, vt ægris opportunè consuleret, si se ad beneficia accingerent, quæ propitius ille Medicus impertit. Quoniam autem apparatu operæpretium sit demereri Christum, hoc est pensum istius concionis, quæ describit tabulas pendulas è delubro Æsculapij, emendicans inde remedia ad solamen eorum qui decumbunt. Sed obiter hoc dicam, melius nobiscum agi, quàm cum Petro, qui studuit sanitati socrus suæ, quæ febribus æstuabat. At nos matre gaudemus, quæ suis filiis ægris sedula procurat corporis & animæ sospitatem. Hæc est Maria, quam dignamur Angelico affatu, eam sic venerantes.* Aue Maria.

Psalm. 90.

Sanctiorum

SAnctiorum Canonum austeritas, homines sacris initiatos segregans à rei Medicæ peritia, fecit vt plerique hallucinentur dum decurrunt Euangelium hodiernum: quippe recensentes naturam febris & species eius, tot absurda effutiunt, quot ferè verba promunt, quia falcem suam mittunt in messem alienam. In has cautes non impinget ista Encyclopædia, vtpote nihil enuntians inconsultis fontibus cuiusque scientiæ. Itaque licet res sit decantata à multis sæculis, vitia esse animæ febres; & præcones verbi Dei hoc hodie declamare soleant: non fecero rem quibusque doctis ingratam, si idem versans argumentum, eruditè expendo negotium, de quo plerique disserunt imperitè. Mearum igitur partium erit prima parte concionis huius decernere quid sit febris animæ: & secunda parte adducere curam eius.

Pars Prima Homiliæ.

Esse animæ variarum febrium incendia.

COncolor est omnium Medicorum sensus in ratione generica febris, dum affirmant omnes, eam esse calorem præter naturam. Vbi autem præcipuè vigeat ille calor, non est omnium concors opinio. Quidam pro differentia partis affectæ, singulares assignant sedes huic calori importuno, vt hepar, lienem, mesenterium, ventriculum, & pulmones. Ratio eorum hæc est. Calor febrilis est accidentitius: ergo debet illi inhærere subiecto, à quo habet vt æstuet: sed subiectum illud sunt humores in recensitis illis vasis aut in venis incalentes: ergo febris illic accenditur. Et hinc effluxit illa celebris distinctio febrium, quas res Medica affirmat esse vel in spiritibus, vel in humoribus, vel in partibus solidis. Verumenimvero errarunt assertores huiusce sententiæ, non distinguentes causam ab effectu. Nimirum etsi enumeratæ partes malè affectæ sint, & prauo habitu suo febrim excitent; non ideò tamen illis insidet febris, licet incaleant sicut & reliquæ omnes corporis plagæ, dum accensa febris sua longè latéque spargit incendia. Itaque alius est clibanus assignandus, quo gaudeat febris decumbentis ægri corpore conflagrante. Fornax illa incandescens est cor, fons & origo arteriarum, quarum pulsus assurgit aut delitescit iuxta systolem aut diastolem cordis, cui admota fax febrilis facit vt spiritus & sanguis arteriarum ebulliant. Rem scitè explicat Fernelius, ita fatus: *Febris est calor præter naturam, è corde in omne corpus effusus. Etenim si vel æstu, vel balneis, vel exercitatione corpus incalescit, & mox agitatione sedata deferuescit, calorem hunc nemo febrem, vt neque morbum appellabit. Neque porrò calorem præter naturam, qui vel caput, vel brachium, vel crus solum occupat, quia non in omne corpus euadit. Neque si ex parte quapiam latè dimanet, sed neque si è calidiore iecore pariter cum sanguine & halitu prodiens, palmas atque plantas quasi exurat, aut etiam quoquò versum effusus omne corpus comprehendere videatur: non enim è corde prodiit. Vnus calor præter naturam, qui è corde per arterias, vna cum spiritu profluit, vniuersalis esse potest, vnusque promptè ac celeriter in corpus omne distribuitur. Solus igitur debet febris appellatione contineri, Adde iecore duntaxat affecto, non pulsum, sed naturales solum affectiones immutari, affecto verò corde vitæ principio, ipsi mox omnia consentire, omnesque peræquè partes, ne munus expleant, impediri. Itaque cum febris maximè vniuersalis morbus, omnes vbique functiones offendat, debet eius partis affectio censeri, quæ est ad omnium conseruationem vsumque necessaria, solusque calor præter naturam è corde in omne corpus effusus vera febris haberi.* Hæc ille opportunè ad intentum meum de animæ febri, quæ est affectus præter naturam cor depascens, & inde permeans totum corpus.

Ex Medicina.
Febris quid sit.
Febris sedes vbi sit.
Fernel. lib. 4. Pathol. c. 8.
Febris natura eleganter descripta.
Febris calor vbinam sit.
Febris omnes ferè functiones lædit.

Vt fiat liquidior ista discussio febrientis animæ, operæpretium est hoc rescire, scilicet amorem in anima easdem obire vices, quas gerit calor in corpore. Namque anima amore Dei viuit, vt & ægrotat, si amor ille à Deo deuiat, sicut & caro ægra decumbit, si calor naturalis præterit illum statum, quem sartum tectumque sibi vendicat corporis integritas. His præfatis; peccatum est animæ febris, quia est effectus deuius à regula homini præstituta cælitus. In omni etenim peccato, anima plusquam par est afficitur, ideóque ille affectus mouens excessum, febrem parit, quæ toto corpore diffunditur. Quippe ad voluntatis arbitrium percelluntur omnia membra, quibus voluntas iniquo affectu præpedita, indicens prauos affectus; illa nequeunt à voluntatis iussione noxia resilire. Et sic adstruitur intentum meum de illa animæ febre permeante omnes oras corporis. Etsi febrilis calor æstuet potissimum in corde vt in fornace præcipua, fomes eius est triplex; scilicet spiritus, humor, & partes solidæ; siquidem quidquid in homine est, illud tribus his cancellis totum concluditur. Ideoque nulla assignari potest febris, cuius alia sint rudimenta; siquidem tria hæc, spiritus, humor, & pars solida, sunt semina febris omnigenæ. Si spiritus accenditur, emergit febris ephemera siue diaria, ita nuncupata, quia vno die concluditur. Nulla diaria vt sic vnquam lethalis est, ratione pabuli tenuis quod vapescit, & subitò dissipatur. In moralibus illa febris est motus omnis præueniens vsum rationis, & hoc citra periculum noxæ lethalis. Sed si humor aliquis feruidus ebulliat; iam tot emergent febres, quot mixturæ humorum dari possunt. Et hinc varia illa recensio febrium in simplices & mistas, in continuas & intermittentes, tertianas & quartanas, quæ rursus in alias species dissitæ multas febrium ideas parturiunt. Ita si appetitu sensitiuo illecto concupiscentia inardescat, tot peccata exurgunt, quot sunt varia obiecta, quibus ille animæ affectus reprobus inflammatur. Demum si diutina febris longiore tractu serpens inuasit partes solidas, illa dicitur hectica, difficilè mobilis. Et hæc delineat prauam animæ consuetudinem; à qua ægrè admodum quisque se expedire potest.

Hoc Medici aduertunt; plerasque febres ita hominem adoriri, vt ementito calore naturali, eludant peritiam explorantis, licet ille calor sit præter naturam, atque adeò maleficus. Ita & vitia plerumque illudunt incautis, virtutum habitu vsurpato, quamuis omne vitium animam labefactet, vtpote animæ contrarium. Quàm benè autem conueniat natura vitij cum indole febris, audi ex Hugone, qui quasi alludens ad febrem, quæ est affectus præter naturam, ita fatur: *Vitium est affectus naturalis præter ordinem, & supra mensu*

Febris animæ quæ sit.
Ex Theologia.
S. Thom. 1. 2. p. q. 63. art. 1.
Peccati descriptio.
Febris materia triplex.
Vitium quid sit.
Ex SS. Patribus.
Hug. Victorinus.

Calor idem febrilis & naturalis.
Vitia discernere est maxima scientia.

mensuram; ordinem transgrediens, quando mouetur ad ea quæ non debet; mensuram excedens, quando mouetur plusquam debet. Nota ex Galeno calorem eumdem esse naturalem & febrilem, nec duos in febriente esse calores, sed calorem naturalem, cùm plus nimio intenditur, dici febrilem. Cùm ergo audis vitium esse affectum naturalem, ita intellige, vt amare sit homini insitum à natura, vt calere animali. Si autem decliuis amor deorsum vergens præterit ordinem, fit febrilis, & quandoque facessit negotium, vt deprehendatur in incunabulis: nam cautè vitia irrepunt, vt monet Hieronymus. *Summa tibi scientia, summa notitia sit, vitia virtutesque distinguere, quæ quamquam sibi contraria semper sint, aliqua tamen ex eis tanta iunguntur similitudine, vt discerni omnino vix possint.* Et hoc inculcat iste sacer Canon. *Sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, vt tenacitas, parsimonia, effusio, largitas, crudelitas, zelus iustitiæ, remissio, pietas videri velit.* Consonat & Hieronymus, alia exempla versans. Sic ille. *Quidam superbiam, libertatis loco ducunt, adulationem pro humilitate suscipiunt, malitiam prudentiæ vice amplectuntur, & stultitiæ nomen simplicitatis imponunt: atque fallaci ac pessima similitudine decepti, vitiis pro virtutibus gloriantur.*

Hier. epist. ad Demetriad.
Can. Sæpe Dist. 41.
Hieron. vbi supra.
Vitia virtutis speciem mentiuntur.

Ex Re Medica.

Pro diuersitate humorum, qui febrium fomites sunt, quatuor febrium classes decernuntur. Sanguis ebulliens synochum creat seu continentem; & hæc est luxuria. Bilis inardescens exquisitam tertianam progignit; & hæc ira est, quæ suas patitur inducias. Pituita exuberans atque viciata rudimentum est febris lethargicæ, caput & animum opacantis. Denique melancholia statutis quibusque periodis refluens & accensa quartanam parit, quæ est opprobrium Medicorum, quia humor ille tenax non facili negotio medicamine refellitur. Illa febris pertinax est auaritia, seu cupido tenax opes cumulandi. Quas verò molestias ingerant febres, audi à Medico regio. *Febrium symptomata quæ ferè solent grauissimè torquere, hæc sunt: sitis, linguæ ariditas & scabrities, deglutiendi difficultas, gustus deprauatus, cibi fastidium, nausea, vomitio, alui profluuium, singultus, syncope, animi defectio, oppressio, æstus immodicus, corporis iactatio, & eius velut contusio, lumborum grauitas, capitis dolor, vigiliæ, delirium. In intermittente verò febre rigor vehemens, sudor exuperans.* Similis propè est vitiorum omnium iniqua proles. Etenim animus nequitiæ illecebris irretitus iugem patitur sitim, semper inquies, omnia sacra fastidiens; & præsertim Eucharistiam, cui deglutiendæ impar est; blasphemiarum, turpiloquij, & iniuriarum in omnes frequens vomitio, patulas distrahit fauces. Perennis est luxuriæ focus, ipsas etiam medullas animæ adurens. Synderesis insomnes noctes facit, animumque horrore concutit, dum reuoluit eas quas reprobi luunt pœnas. Denique impij multo labore desudant, vtrique in perniciem suam, quia sibi nusquam faciunt satis, & ad concupita semper anxio animo percelluntur. Ideóque eorum vota nescitura modum maximè condemnantur, ipso etiam conscio Hippocrate, cuius hic est aphorismus. Πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. *Omne nimium bellum naturæ indixit.* Quisquis vltra modum deperit creaturas, ille naturæ suæ bellum indicit, Deum prouocando.

Febrium quatuor sunt classes.
Fernel. lib. 4. pathol. c. 19.
Febrium quænã sint symptomata.
Synderesis angustiæ dicta.
Hippocrat. l. 2. aphor. 51.
Seruitutis origo qualis.

Potest etiam huc reuocari illud Iuris Ciuilis effatum, auctore Iustiniano Imperatore. *Natura ab initio produxit liberos & ingenuos; bella verò, & lites, atque libidines, & concupiscentiæ causam deposuerunt ad aliud schema.* Reuera natura nos effinxit liberos, & procul à vitiis; quippe dominium omnium rerum infra cælos, fuit penes hominem, qui veluti Prorex inauguratus est: sed vbi regnandi libido eum excitauit ad ambiendas Dei infulas, Deo bellum indixit, & inde sua libertate cadens, vitiorum iugo pressus, mulctatus est ingloria seruitute multisque ærumnis affectus æger homo decubuit, qui integra valetudine antea præpollebat. Quod enim corpori sanitas est, illud idem est virtus animæ. Nimirum ex Aristotele. Virtus est quæ bonum facit habentem; bonitas autem rei est perfectio eius: & illud est perfectum cui nihil deest. Ergo homo virtutis expers malè afficitur. Omne autem malum est defectus. Sed deficere est infirmari. Ergò anima, quæ defecit à virtute, infirma est, vtpote multis deliquiis obnoxia. Primò deuiat intellectus, dum voluntati fucos facit, prætendens ei spurias illecebras, vt congrua bona. Voluntas irretita voluptatum cupediis, totum hominem raptat eò, quò impellit iniqua propensio. Sic hallucinante intellectu delirat anima, & voluntate aberrante lethalem syncopen patitur: fitque palàm illud Aristotelis eloquium, scilicet: *Esse in vitio magnam vim ad labefactandum principium.* Animâ sic affectâ, appetitus sensitiuus impunè inclinat in quæuis obiecta sensibus affinia; quia voluntas errore decepta amplexatur omne id quod blanditur. Illo autem affectu anima incalescens incidit in febrem eiusdem speciei, cuius est materia, circa quam versatur illiciti amoris incendium. Nempe est luxuria, si obscœnus amor ardet; auaritia est vbi auri cupido flagrat; plethora est seu omnium humorum nimia congeries, quando homo abdomini seruit. Vnde quauis colluuie exurgat febrilis æstus, ille subitò permeat hominem totum.

Ex Iure Civili.
Nouel. 89. c. 1. Quibus modis naturales.
Ex Philosophia.
Aristot. 2. Ethic. c. 6.
Peccatum quare sit infirmitas animæ.
Vitij malignitas quanta.
Libro 6. Ethic. c. 5.

Ptolemæus ait planetas quam maximè conducere ad morbos; & Laurentius, Medicus nostra ætate celebris, recenset morbos quos progignit siderum influxus iniquior. Ait ille, dominante Saturno eos qui decumbunt fieri tardos, & lethargos, vt & phreneticos, si in aspectu Martis malè habuerint. Quas autem strages edat Planeta Veneris influens in ægrotos, turpe est recensere. Esto planetæ influant in corpora, nihil tamen homine inuito queunt affingere animæ, quæ præcipuum influxum accipit ab obiectis, quibus si illecta capitur, consonis etiam febribus inardescit. Proceres Ecclesiæ, videlicet Sancti Patres, allusere ad naturam febris, dum recensuere quædam vitia, & præsertim libidinem, quam sic perstringit Ambrosius. *Sæuus criminum stimulus est libido, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat.* Vitium autem non esse in rebus editis à Deo, sed in affectu deuio, ait Augustinus. *Luxuria non est vitium corporum pulchrorum, vel suauium, sed animæ peruersè amantis corporeas voluptates.* In quæ discrimina illa febris suos ægros abripiat, disce à Hieronymo debacchante hoc contextu in animæ spurcitiam. *O ignis infernalis luxuria! cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna.*

Ex Mathematica.
Ptolem. c. 6. centiloq.
Andr. Laurent. lib. 3. de crisib. c. 4.
Ex SS. Patribus.
Ambros. lib. de Abel. & Cain.
Aug. lib. 14. de ciuit.
Luxuria non est vitium pulchritudinis sed animæ.
Hieron. lib. epist.
Luxuria ignis est infernalis.

Etsi ineunte febre rigor occupans ægrum sollicitet

liciter vt ſtragulis obtegat corpus; verumtamen præualente æſtu, febriens homo nudatur in lecto, procul amandans omne id quo antea tegebatur. Hæc eſt vltima cataſtrophe peccantium, & præcipuè eorum quos gula, Venus, & auaritia ſibi turpiter obſtrinxerunt. In incunabulis vitiorum reprobi quique latent, & ſatagunt clam peccare. Sed vbi ingraueſcit libido peccandi, exuuntur primò bono nomine, ſi quod aliquando contraxerant; nam habentur ingloriè ab omnibus: item ſpoliantur opibus, quæ vitio eas populante, perditè colliquantur. Ideoque auari malè ſibi conſulunt, dum iniquis artibus ſuos diſtendunt loculos: Deo namque vindice malè parta peſſum-eunt. Luxuriæ & gulæ reliquias, eſſe nuditatem, prodigus ſuo exemplo clamat, ſicut & Childericus Merouei Regis Gallorum filius, Bacchi & Veneris aſſecla. Ille regio nomine indignus, & duntaxat illecebræ & voluptati litans pellitur regno à Gallis, arbitrantibus fieri iniuriam nomini Gallico, homine impuro & helluone rerum potiente. Nimiam etiam auri cupidinem, intempeſtiuè ſatas opes conterere probat augurium Archiducis Matthiæ, qui & poſtmodum imperauit. Princeps ille bello & pace clarus congreſſurus acie explicata contra Mahometem III. Turcarum tyrannum, valido exercitu terribilem, vt qui conſcripſerat centum quinquaginta millia militum, Princeps, inquam, ille Chriſtianus numero Turcis longè inferior, ſed animo præſtantior, conceptâ ſpe victoriæ inſtantis, præmonuit ſuos, ne fracto exercitu Mahometis, incautè caſtra eius peruaderent, ea direpturi anheli ad ſarcinas prædiuites, quas ſecum Turcæ ſemper vehunt; ſed hoſtem fugientem victrice gladio confoderent, ne ſi in caſtra irrumperent, non plenè profligato exercitu inimico, iterum confluerent Turcæ & intentos prædæ inuaderent miſerè trucidandos. Peritus ille Imperator prudenter hortatus eſt ſuos, nedum ſtimulante auaritia putarent opes congerere, auro ſimul & vita caderent. Sed vt auaritia eſt immemor obſequij, primo conflictu hoſtis terga vertit, modica tamen ſtrage accepta, & victor exercitus anhelans ad prædam, noluit audire imperium Matthiæ cautè admonentis, eſſe feriendos fugaces homines, & non citò diripienda caſtra illa opulenta, ne ſuperſtes hoſtis acerbior immineret. Miles incurius imperij vtique ſalutaris, caſtra opulenta inuaſit inſtante nocte, multamque prædam tulit. Sed Turcæ, qui tenebrarum obſequio ſequentes ſe fefellerant, ominantes Chriſtianos eſſe ex opima præda graues auro & argento, nihil cunctantes reparato exercitu eadem nocte, in hos cupidos auri milites irruperunt, qui morte ſua luerunt crimen, quo ſe Duci ſuo peritiſſimo refragantes obſtrinxerant. Præcoces illæ opes noxiæ fuerunt ſuis dominis, quos non inopia tantùm, ſed & morte ingloria miſeros affecerunt.

Luxuria regno exuit Childericum.

Ex Historia.

Hiſt. Gal. in Childer. ann. 460.

Auaritia lethalis eſt auaris.

Hiſt. Imperial. ſub ann. 1597.

Auaritia eſt immemor obſequij.

Fauet illa animaduerſio Hippocratis, qui periculoſum ait eſſe ſucculentum illum habitum hominum præpotentum, quos plerumque affluxus nimij ſanguinis extinguit, vt morte ſua clamat Attila vir obeſo corpore, qui ſanguinis profluuio diſperiit. Quando auarus ſuas credit auro gazas diſtendi, tunc maximè ſpoliatur illis, Deo eadem nocte ab illo homine ſtulto animam repetente. Ecce compendioſam febrium hiſtoriam, cui ſubiicio therapeutices, ſeu curandi rationem. Hæc igitur eſto prima Hippocratis præſaga ſententia. *Εὐπνοίαν δὲ χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν εἰς σωτηρίην. Spirationis facilitatem exiſtimare oportet, habere magnam vim ad ſalutem.* Hoc enim arguit non irrepſiſſe mendum in thoracem, pulmones, aut diaphragma, & inferas partes, ſcilicet iecur, ventriculum, & lienem non malè affici; ſiquidem illis laborantibus ægrè admodum ſpirat æger, quia tumente hepate, & liene obdurato, premitur diaphragma, nobiliſſimum ebibendi ſpiritus inſtrumentum. Ita & in moralibus, anima quam ſynderesis inſimulat criminis alicuius lethiferi, ſi pertæſa ſcelus ſuum benè de Deo ominatur, concepta ſpe veniæ, illa reſpirandi fiducia ſalutaris eſt, vtpote index animi ad reſipiſcentiam emolliti: vt ſecus cor impœnitens obduruit, cùm deſperat.

Ex Re Medica.

Hippoc. lib. 1. aph. 3.

Hippoc. lib. 1. Præſag. c. 10.

Spirandi facultas eſt ſalutaris.

Contritio ſalutaris eſt.

Pars Secvnda Homiliæ.

Qua peritia curentur febriles animarum æſtus.

MActe igitur, ô anima vitiis implexa lethalibus, faucibus patulis atque hiantibus hauri ſpiritum vitæ æmulata Dauidis ingenium, cuius liberalis iſta fuit reſpiratio. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Siſtere Medico, ſcilicet ſacerdoti à confeſſionibus, & auſpicare à geſtu, quem primum edunt ægri conſulentes peritos quoſque rei medicæ. Hi vltro porrigunt manus, vt Medicus palpet eas, & exploret quo contextu arteria aſſurgat & debilitat, dicturus et pulſu naturam febris, quæ refugit Medici tactum, quaſi præſcia ſanitatis ægri, ſi dederit Medico manus. Ita hodie ſanata eſt ſocrus Petri, quam Matthæus ita commemorat. *Cùm veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem: & tetigit manum eius; & dimiſit eam febris.*

Pſalm. 42.

Sanitas animæ vnde incipiat.

Matth. 8.

Eâ induſtriâ pœnitentes curat Deus: vult eos manus ſuas explicare ſacerdoti Medico animarum, cui operæpretium eſt narrare crimen, id eſt opus iniquum, vt eliminet febrem, qua decumbit homo, alioquin innoteſcente morbo ſubitò periturus. Manuum expanſio ſcelus abditum prodit: nam iuxta edictum Conſtantini Imperatoris, pœna nebulonum hominum debet manibus inſcribi, & non faciei. Ecce edictum. *Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus; minimè in eius facie ſcribatur: cùm & in manibus, & in ſuris poſſit pœna damnationis vna inſcriptione comprehendi.* Itaque peſſimè cum reis agitur, quando complicant manus in confeſſione, arbitrantes poſſe ſacerdotes ex facie dignoſcere ſcelus, quo anima febriens æſtuat, & ægrotat. Porrige manum, ô ægrote, ſeriem texe, qua nefandos actus promas; nihil namque indubium Medicus ex tua facie tacita coniiciet: quippe ex Cicerone, Frons, oculi, vultus & ora ſæpe mentiuntur. Illa manuum explicatio confeſſionem ſonat, à qua ſemper ſanitas initium capit, iuxta illud Medicorum effatum pronuntians: Si quid in morbis acutis mouendum ſit, illud eſſe mouendum initio. Plerumque enim opportuna purgatio morbū ſoluit, iuxta illud Hippocratis oraculum petitum ex Coacis prænotionibus, ita nuncupatis, quia editæ ſunt in inſula Coo, vnde fuit Hippocrates oriundus.

Manibus inuſtæ pœnæ criminum.

Ex Ivre Civili.

Leg. Si quis Cod. de Pœnis.

Confeſſio ſalutis eſt initium.

Ex Re Medica.

Hippoc. lib. 4. Coac tract. 4. præn. 80.

Διαχώρημα καθαρὸν ἐπιγινόμενον, λύει πυρετὸν ὀξὺν, μεθ' ἱδρῶτος. Deiectio pura cum sudore febrem soluit.

Nota, Hippocratem adiicere sudorem deiectioni, quia morbi reliquias natura trudit corpore desudante. In ratione morum, sudor lacrymas seu contritionem notat, ideo confessio lacrymis madere debet, ne sit adulterina. Vtque Medici decernunt syrupos & apozemata, quibus attenuatur humor noxius & rebellis, vt idoneo medicamine proliciant fomitem febris; ita & nos præcones verbi Dei, frequentes sumus in hortando reprobos, vt lugeant iniquam suam sortem: prævia namque contritio, qua veluti desudat anima, sinceram deiectionem facit, atque ita febrem soluit. Sincera etiam deiectio restitutionem significat, qua ex arca pelluntur opes iniquis artibus aduectæ: valde enim parum est explicare manum Medico, & aperire morbum, si adhuc in viscere restagnet humor ille lethalis, quo stabulante æger adducitur in discrimen. Enimuerò bonum est ex integra causa: integra autem causa sanitatis, ad quam homo decumbens se accingit, in duplici cardine vertitur, scilicet in propulsione materiæ noxiæ, & in introductione æquioris status, atque temperiei. Propulsio noxiorum fit confitendo reatus suos, & restituendo malè parta. Deinde sanitas recreat hominem morbo antea fatiscentem.

Sanitas redux quomodo plenè fiat.

Febris quomodo curetur.

Plerique auari vrgente synderesi, confitentur se iniquo fœnore coëgisse diuitias in cumulos. Illa equidem confessio liberalis atque ingenua homini confert, sed non plenè euacuat; quia adhuc stabulatur humor in liene, refluens in hepar, & inde alluens venas, quæ hoc contagio infectæ, dirè excipiunt hominem quartana laborantem. Id est, si prædiues homo malè parta aperiat in confessione, mutila erit & imbecilla hæc peccati vomitio, si lateant in loculis opes noxiè comparatæ. Sequaces Paracelsi decernunt antimonium his febribus, quarum tenax humor ægrè admodum cedit remediis purgantibus. Nimirum hoc medicamen est minerale, potens ad proliciendos humores illos pertinaces, qualis est melancholia terrestri indole. Eodem remedio occurrit his, quorum gazæ turgent opibus alienis. Minerale eis indicitur, scilicet restitutio: namque ea validè humores ciet, & rei vsurpatæ repurgium salutare adfert. Frustra ægri tentant inedia pellere febres has quartanas, quibus terreus humor pabulum subministrat: præpotenti tantùm remedio proiicitur hoc glutinum. Pharmacum autem illud efficax est minerale, videlicet aurum restitutum. Ideò Canones sancti vetant absolui tales reos, etiam confitentes, nisi restituant. Ecce Canon commemorans hominem alienis bonis iniurium. *Nec absoluatur nisi prius damno cui intulit secundum facultatem suam resarcito.*

Restitutionis necessitas.

Ex Ivre Canonic. *Can. Pessimam §. Si quis ergo 23. q. 8.*

Satisfactio pœnitenti cur imponatur.

Nota ex Medicis mineralia ea cautela debere dispensari, vt si error sit in dosi, periculum inde immineat. Plerique restituunt, sed non sarta tectaque omnia. Eamobrem irrito conamine arietant in hanc febrem, cui etiam hoc singulare est, vt hominem totum aurugine inficiat, dum abit febriens in icterum. Tamdiu auaro affingetur aurugo, quamdiu alieno ditescet auro, quod erogare in pauperes non deterget auruginem: quippe eleemosyna debet fieri de meliori nota, & non de iniquis, vt monet iste Canon. *Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensatur, quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione malè accipit, vt quasi benè dispenset, grauatur potius quàm iuuatur.* Et licet eleemosyna sit minerale beneficium; debet tamen ea prudentia ministrari, vt nihil peregrinum habeat admistum, id est, non fiat de alienis, vt monuit Ermoaldum hominem prædiuitem Launomarus Abbas Gallus, qui cùm accepisset quadraginta nummos aureos ab Ermoaldo petente Deum orari pro se. Abbas hanc vim auri altari imposuit, Deum consulturus an hominis votum gratanter acciperet. Dum Sanctus ille altari adstaret, resciuit Deo reuelante, omnes nummos vno excepto esse nefariè acquisitos: idcirco eo solo asseruato, respuit alios, affirmans homini fœneratori mortem instare Deo vindice, & exaudiente vota pauperum, qui querulis suspiriis vrgebant Deum, vt pœnas expeteret à prædone.

Can. Non est 1. q. 1.

Eleemosyna non est quæ fit ex bonis alienis.

Ex Historia.

Surius die 19. Ianuarij.

Non est prætereunda alia febris longè lateque serpens, cuius incendio orbis ferè totus flagrat. Ea est luxuria, quam supra recensui, & cui debeo remedia decernere, ne desim parti quam suscepi. Febris illa continua est, nunquam eundem tenorem seruans: remittitur quidem, sed non intermittitur; tùm maximè flagrat, cùm homo obscœnus genio indulgens, vino madet, & ciborum nimietate distenditur: eo quippe sulphure fornax Veneris accensa viget, agiturque homo libidini litans stimulis importunis. Potissimum negotium, quod facessit illa febris impudica, petitur à lumbis, quos audi ex Fernelio grauari in febribus. Sic ille. *Lumborum dolor atque grauitas tum maximè fit, cùm peccantis materiæ pondus in venam cauam, aut in maiorem lumborum arteriam plurimum illabitur. Ea si pariter incenditur vehementius, renum lumborumque suscitat ardorem. Ex lumborum artuumque dolore, atque ex æstu, magna incidit corporis iactatio, qua id subinde modò in alterutrum latus, modò in pedes inquietum deuoluitur.* Hæc ille, quasi delineans luxuriæ molestias, quas ingerit amor impudicus, cui sagina pabulum idoneum suppeditans, grauat & alluit lumbos sordidâ colluuie. Eâ grauedine calent lumbi, qui subinde incremento ardoris accensi, hominem totum vrunt, & impudicè decoctum, in vtrumque latus perperam versant. Nimirum quamuis Venere vaga suos æstus temperare satagat; ea tamen non est positura modum illi incendio præcordia depascenti.

Luxuria cum febre comparatur.

Ex Remedica.

Fernel. l. 4. pathol. c. 19.

Hoc itaque opportunum esto præsagium, quod & sibi vices remedij congruè vendicabit, præsertim cùm sit Hippocratis. *Καῦσος ῥίγεος ἐπιγινομένου λύεται. Causon superueniente rigore soluitur.* Rigor symbolum est timoris, quo irruente membra quasi frigore congelascunt. Est autem timor, tristis affectus animæ meditantis graue malum instare sibi. Si quem igitur inhonesta libido sollicitat, hunc decet recolere pœnas, quas in inferno subeunt inglorij Veneris asseclæ, & statim diluetur illa indecora libidinis impetigo. Eo rigore soluebat Hieronymus æstus importunos luxuriæ, quos ei diabolus ingerebat: quippe animo suo iugiter versans sonum tubæ conuocantis homines ad iudicium, totus inde horrore rigens, sensum omnem libidinis amittebat. Rursus sectione venæ plerumque tepet sanguis feruore suo febrem concilians, ideoque salutaris est moderata sanguinis emissio. Ea industria libido

Hippoc. lib. de Coac. præn. 141.

Febris superueniente rigore soluitur.

Febris sanguinis emissione curata.

coërcetur

coërcetur à plerisque, qui flagellis repertis ictibus inflictis, sanguinem proliciunt, quo stillante effluit omne virus luxuriæ, fitque omnis pruritus hebes & obtusus.

Ex Historia. Hist. Imperial. sub ann. 1281. Virginitatis custodia plagis inflictis. Virgines Ptolemaidis facies deturpant, vt suo pudori consulant.

Hac cautela consuluere sibi virgines illæ moniales, quæ capta Ptolemaide à Sarracenis, facies suas lanceolis sectas sanguine deformarunt; sic eo oris habitu informi, se suo castissimo sponso Christo virgini conformantes. Sarraceni fractis claustri repagulis expleturi libidinem, salaces & petulci eò conuolarunt. Sed vbi aspexere vultus sanguine concretos & multiplici vulnere hiantes, pepercere earum castitati. Optimum sanè medicamen luxuriæ, aculeis cilicij & flagelli excitare doloris sensum, vt sic pruriens caro à Venere reuocetur.

Ex Re Medica. Fernel lib. 1. de meth. medendi, c. 1.

Parcitate etiam victus res Medica febrienti mederi solet, & præcipuè quando liberalior esca præiuit febri. Audi Fernelium. *Morbus omnis contrarius profligandus: contraria enim sunt morborum remedia. Remedium est, quod morbum depellit; quidquid autem morbum pellit, id illi vim infert; quod vim infert contrarium est: omni ratione igitur remedium morbo contrarium esse necesse est, omnemque morbi depulsionem, atque curationem contrariis peragi.* Cùm ergo opiparè pasta Venus incalescat; congruè ei decernitur inedia vt tepescat. Opportunè id consulit Hugo Victorinus ita fatus: *Duobus modis ignis extinguitur, scilicet dum subtrahuntur ligna, vel aspergitur aqua; sic luxuria flamma, dum subtrahuntur carnis incentiua, vel dum mens irrigatur lacrymarum affluentiâ, suffocatur ne noceat.*

Morbi omnes quomodo curandi.

Hug. Vict. lib. de carn. nupt. vitanas.

Febris hectica medullis insita, est inuia Medicis, vtpote remedij nescia; ita & peccandi libido in habitum versa hominem raptat in abruptum, dum consuetudo necessitatem facit. Cæterum monendus æger ne quidpiam tentet Medicis inconsultis; ne intempestiuè remedia admoueat, iuxta symbolum terræ lemniæ, cui ille titulus affingitur. DATA TEMPORE PROSVNT. Si confessionem & restitutionem excipias, non debent sine superiorum nutu alia pharmaca frequentari. Faxit Deus vt hæc animo non excidant. Amen.

Ex Symbolis. Pet. Lunst. lib. Hieroglyph.



FERIA SEXTA
DOMINICÆ III. QVADRAGESIMÆ.
SVMMA HOMILIÆ.

I. COLLOQVIVM Christi cum muliere Samaritana multa concludit mysteria, quæ singula decurrere non est breuis homiliæ negotium: propositionem vnam duntaxat ego seligam in argumentum discursus hodierni. Nimirum expendam quare Dominus sic compellarit mulierem: *Mulier si scires.* Dicam, Christum denotasse vnde potissimum ægrotaret illa mulier, quam inscitiæ arguebat; nam libido maximè præpedit intellectum. Ostensurus ergo Christus angustias, in quas Venus deducit sua mancipia, mulierem hanc adulteram carpit, vt ignaram boni quod ei imminebat. Igitur priori parte probabo luxuriam offundere tenebras intellectui hominis libidine præpediti.

II. Secundò demonstrabo, salutem animæ obscœnæ adeò esse deploratam, vt gratia redux non sit hominum negotium, sed Christi, qui noluit ideò committere Apostolis conuersionem fœminæ Samaritanæ, licet eis permiserit curam hominum, quorum corporibus dæmones insultarant. Hoc sibi facinus egregium Dominus ipse reseruauit: tanta quippe caligo luxuriæ est, vt solo Christi lumine dissoluatur.

PRÆFATIO.

Mulier si scires. Ioan. 4.



POPVLO Hebræo arente siti; & Deum demerente votis anhelis, Moyses desuper admonitus ad prægrandem silicem accessit, percussurus lapidem illum insignem, vt icta rupes veluti colliquata, in aquas flueret opportunas. Accepto Dei consilio Moyses percussit virgâ immane illud saxum, quod illicò desudans copiosos effudit latices, idoneos restinguendæ siti, quâ populus æstuabat. Esto illud sit singulare miraculum; hodie tamen textus Euangelij commemorat quidpiam illustrius: quippe obiicit nobis Iesum fatigatum ex itinere, & insidentem margini fontis, vt eâ sessione recrearet fessum corpus & ieiunum. Lasso Domino petra insignis obijcitur efformata in modum fœminæ. Ea fuit mulier Samaritana corde adamantino, & animo saxeo, sua libidine Deo iniuria, & suæ salutis incuria. Lacrymarum eius desiderio tenebatur Christus quando eam sic affatus est: Da mihi bibere. *Virga illa de radice Iesse toties impegit in rupem, quoties mulierem illam Christus suo impetiuit eloquio. Nec irrita fuere vota Christi sitientis: namque affatu suo petram emollit, dum mulier auscultans Christo cœpit insolitam lugere praxim, quâ sibi malè conscia sese fecerat obnoxiam multis reatibus. Hoc intendebat Dominus ille sitibundus,* Num. 20.

videlicet, vt sciret reprobum suum statum, quem vbi sui compos effecta animo recolnit, pudibunda flevit, eo prostmio recreans sitim Domini affulgentis, qui vberem mercedem pro potu reddidit, scilicet gratiam, cuius plenitudinem Angelus in Virgine demiratur, dicens: Aue Maria.

ANgelus refuga deuius à ſuo ſtatu primitiuo in veritate non ſtetit, ideóque parens mendacij effectus, ſuæ falſitatis voluit habere conſortes homines, quibus vt faceret fucos, ſerpentis ſpeciem induit, mulierem adorſus, cui ſcientiæ boni & mali cupidinem fecit, ſed præcocem: quippe hæc libido ſciendi omnia, fuit intempeſtiua, Deo recludente tantùm in gloria innumera propè abdita, quæ fugiunt oculorum aciem in hoc æuo. Itaque mentitus eſt Dæmon, quando mulierem incautam hac oratione dementauit: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Nimirum fœmina nequaquam fuit omniſcia, vt lenocinans Angelus aſtutè promiſerat; ſed in mulctam concupitæ ſcientiæ mulier hæc ignara & rerum ferè omnium inſcia caligauit, fecitque ſuum ſexum erroris ſui hæredem: nam vt ſcire virorum eſt; ita & neſcire fœminarum ſortem conſequitur. Hinc Pallas credita Dea ſcientiarum depingitur habitu maſculino, ne mulier inſoleſcat. Benè ceſſiſſent res humanæ, ſi ſola mulier errabunda deliraſſet, viro incolumi; ſed hoc animal petulcum ſeorſim ſuis ſeſe nequiit continere carceribus: etenim Eua ſerpentis afflatu virus concepit, quo ſauciata ſtatim ſcientiâ infuſâ cælitus excidit, & ne vna eſſet ignara, virum affata, ei offudit errorem ſuum; quo ebibito, homo ille omniſcius obducta caligine pectore opaco fuit, vt compendiosè ſonat verſiculus ille Pſaltis. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.* Non intelligere & errare perinde eſt. Huius ignorantiæ prima & infauſta auſpicia petuntur à fœmina, quæ decepta & in errorem abducta à Diabolo, virum etiam ſuo contagio ſimilibus ignorantiæ tenebris opacauit. Illa caligo prolem etiam inuoluit; ſiquidem multâ eaque denſâ ignorantiâ nigricat omne hominum genus, ſed præcipuè omnium fœminarum anima tenebreſcit: quaſi in partitione pœnæ, ceſſiſſet ignorantia in tribum imbecilli ſexus. Quodque deterius eſt, ſuum hoc hebes ingenium mulier affingit his omnibus hominibus, quos luxuriæ vinculis irretiuit. Congruè igitur hodie Chriſtus auſpicatur conuerſionem Samaritanæ, ignorantiæ illius tenebras abſtergendo, ita exorſus: *Mulier ſi ſcires.* Id eſt, ô mulier, ſi liquidiore ingenio eſſes, proculdubio gemebunda fleres inhoneſtos tibi mores inolitos, & querula componeres in melius illud æuum quod tranſigis indecorè. Duo itaque ſunt ob:eruanda ex contextu hodierno. Primum eſt retundi aciem intellectus illius, qui muliebri animo viuit impudicè. Et hæc erit pars prior huiuſce concionis. Alterum eſt, eum qui libidinis iniuriâ patitur deliquium rationis, quàm maximè indigere Chriſto, ſeu Verbo, in quo ſunt theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei. Vt enim mulier impudica Samaritana rationis indiga, à Chriſto tantùm curata eſt; ita & ingloria mancipia Veneris poſſunt tantùm ad meliorem frugem eo lumine reuocari. Hoc expendam poſteriori parte concionis.

Scientiæ cupido nobis innata.

Gen. 3.

Scire virorum eſt & non fœminarum.

Scientiarum Dea Pallas quare habitu maſculino depingitur.

Pſalm. 48.

Pars Prima Homiliæ.

Caligat acies intellectus eius qui flagrat libidine.

ACcipe igitur hoc diſcurſu quomodo libido hominem infatuet. Cuiuſque potentiæ integritas petitur ab actibus ingenuis, vt potentiæ viſiuæ acumen colligitur ex liquida viſione, qua minutiora quæque oculis peruia ſunt. Ita & rationis ſincerus habitus attenditur penes actus eius, qui ſunt indicare, & inferre vnum ex alio. Sed hos actus præpedit amor obſcœnus; nam mulierum obiectu adeò validè concutitur appetitus ſenſitiuus, cui expleta libido bonum congruum eſt, vt homo incautus vltrò manus det Veneri prouocanti, vtpote pollicenti bonum, cuius illecebræ ſenſum demulcentes homini imponunt, & blandiendo pelliciunt ad conſenſum, qui ab appetitu rationali exhibitus, magnum in homine deliquium arguit: hominis enim eſt agere, & non agi. Agitur autem, quando ratione inconſulta raptatur à ſenſibus, quibus ſtipata libido præpedit intellectum, quia eo contextu implexæ ſunt illæ duæ potentiæ, ſcilicet intellectus, & appetitus ſenſualis, vt vna earum facultatum intensè occupata, aliam ſecum trahat, iuxta indolem rerum omnium connexarum, quæ validioris impetum conſequuntur. Rurſus ſi quid eſt mali in carnis turpibus obſequijs, illud homini inuium eſt; nec fieri palam poteſt, niſi alta rationis indagine à ſenſibus abſtrahente. Sed homo ſenſibus alligatus ferias rationi indicit, quia vegetior eſt actio appetitus inferi, quàm diſcurſus. Ergo omnis, quem percellit cupido obſcœna, à ratione deuius eſt, atque ideò ignarus cenſeri poteſt, quia id præcipuè eum fugit, quod maximè callere debet: nimirum boni neſcius idonei ſibi beſtiarum ritu ſenſibus adhæreſcit, fidem faciens huic Ariſtotelis oraculo. *Peruertit iudicium vitioſitas, principiorumque inducit eorum errorem, vnde actiones & officia proficiſcuntur.*

Ex Philoſophia.

Luxuriæ quomodo excæcat ignis.

Ariſtot. lib. 5. Ethicor. c. 12.

Liquidiùs adſtruitur hoc dogma ex Theologiæ fontibus, vnde haurio iſtud ratiocinandi ſchema. Ille magis deuiat à tramite rationis, cui maior ineſt naturæ corruptio. Sed maxima ei corruptela affingitur, quem luxuria labefactat; quantò enim quiſque magis participat vitiatæ naturæ principia, tantò etiam eſt in hanc labem procliuior. At Adami proles incurrit in diſcrimen, & contrahit naturæ deliquium via generationis, vbi anima tota effuſa in delicias, ſuos inurit næuos fœtui quem pruriens caro progenuit. Ergo ille, quem Veneris impetigo magis ſollicitat, propior eſt principio corruptæ naturæ, quia iiſdem capitur illecebris quotidie, quibus fuere obnoxia corruptelæ incunabula. Quòd ſi illa libidinis exordia hominem eo ritu progenitum errori obſtrinxerunt, quanam putas caligine inuolui eum, qui longiore tractu vacat actibus inhoneſtis. Rurſus tota hominum proſapia cæcutire didicit ab Adamo. Ergo ſi peccatum hoc ab origine contractum tenebris animam texit, profectò crimen vltro admiſſum auctorem ſuum penitus excæcabit.

Peccatum omne peruertit rationem.

Ex Theologia.

S. Thom. 1. 2. q. 82. art. 1.

Et hoc probè clamat indoles ipſa peccati: dicitur enim auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam. Igitur vbi maior erit conuerſio ad creaturam.

turam, ibi etiam potior auersio à Deo, atque etiam peccati latior amplitudo. At nulla maior est hominis ad creaturam propensio, ea qua caro ad carnem hominem totum trahit actum variis stimulis intrinsecis & externis. Ergo etiam nihil validiùs hominem à Deo procul efficiet. A Deo autem recedere illud est erroris indubij quærere argumenta.

Luxuria rationis vsum præpedit.

Adiice, liberalem rationis vsum esse donum Dei, quod etsi spatiatur in cancellis naturæ, multum tamen confert ad animam ritè accingendam, vt idonea sit gratiæ. Vnde cùm Deus plerumque dona naturalia subtrahat in pœnam peccati; libido repetita Deum vrget ad hoc genus vltionis, vt homo inglorius rationis expers bestiis adæquetur. Ea rationis caligine percussi sunt duo illi senes impudici, quos Daniel carpens arguit cæcitatis. Sic ille. *Daniel.13.* *Exarserunt senes in concupiscentiam eius, & auerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum.* Omnibus hoc peccatis insitum est, vt cautè homines pelliciant, & prudentiam acuant, vt eius industria quisque fiat sui voti compos. Vna est luxuria, quæ omnem rationis vsum adimit, dum igne suo depascit animum, & redigit in fauillam. Dicitur namque luxuria, quasi lux vrens, cui quadrare potest illud Psalmi. *Psalm.57.* *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Omnia quippe opaca sunt ei, quem demulcet insana cupido carnis. Primo vesanus amor illudit oculis quos obducit, vt homo lumine captus deterso pudore impunè peccet. *Iudic.16.* Hoc discrimine oculorum Samson serò didicit Venerem homines excæcare. Nonne & Samaritana dementauit quinque viros; sua consuetudine obscœna? Huius eam criminis insimulauit Christus, *Ioan.4.* ita eam obiurgans: *Benè dixisti, quia non habeo virum; quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* Hoc scomma moraliter affingi potest omnibus luxuriæ sequacibus; sicque præco verbi Dei vnumquemque conuenire potest. O anima tota deuota Cupidine, quinque olim viros habuisti, scilicet quinque sensus; sed hi periere tibi, vt suum Veneri obsequium præstent. Aures obseratæ sacris eloquiis ad turpia recluduntur. Oculi eò tantùm vibrant aciem suam, quò abducit eos adblandiens caro. Assueuit gula deglutire cibos, qui foueant incendia vitiorum. Luxuriat tactus corporum contagio. Demum luxuriosa procorum cohors suaueolens aspergine sua recreat nares. Eo pacto quinque sensus rationis nescij & decliues Veneri mancipantur. Ille autem alius vir qui superest tibi, ô anima impudica, non est tuus. Hic est intellectus, quo insana cadis, quando incuria rationis, in volutabro spurcitiæ sordidè volutaris. Reuera non habes virum, quia quidquid masculum est & viuidum in homine libido emollit.

Luxuria quinque sensus inficit.

Luxuria perdidit Herculem.

EX HISTORIA. *Ouid. lib.9. Metam. Val. Max. l.8. cap. vltimo.*

Eò allusit historia dum recenset Herculem Deianiræ amore captum, induisse fœminæ chlamydem, vt eo habitu muliebri arrideret amasiæ. Verum enimverò mulier illa infidelis amanti suo, vt eum vidit in fœminam fractum, aspernata viri vesaniam, habuit eum despicatui. Quidquid in homine præstat, id omne carnis illecebræ expungunt: ideóque dicta Venus Verticordia, quia corda suis illecebris euertebat; vt suo damno expertus est ille, quem Propheta corripuit hac censura *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Illa libidinis indoles omnia pessumdans, fecit vt Romani exosi Venerem, noluerint eam recensere in sacris saliaribus, fieri solitis vt Deorum influxu Roma diu sarta tectaque perennaret. Nimirum tunc recolebant omnes Deos, vna tamen Venere præterita; quia non erat conseruatrix Imperij sed destructrix. Primam illius perniciem patitur intellectus, iuxta illud Agesilai. *Difficile est amare simul & sapere*, quia amore retunditur omnis acies rationis: vnde affinia sunt hæc duo vocabula, procus, & porcus; procus amasium sonat, & porcus voluptatem rationis deliquium inuoluentem. Procus ille equidem nanciscitur eosdem effectus, quos meminit historia Anastasij Imperatoris, qui alto somno immersus somniauit, se prosterni à procero porco; vnde perculsus euigilans factus impos sui, porcum illum à se visum memorans insaniuit. O hominum sortem ingloriam, qua à porcis elisi turpiter occumbunt! Nota Imperatorem in somnis prostratum fuisse à porco, ideóque casum eius optimè conuenire omnibus, quibus se libido affricat; hi namque omnes indormiunt cùm genio indulgent: quippe viles animos decet sectari impura, quibus humanæ indoli derogatur.

Daniel.13. Alexand. ab Alex. lib.1. cap.26.

Plutarch. in apopht.

Hist. Imperial. sub ann. 518. Porcus Anastasio Imperatori fuit mali omen.

Accipe ex Anglia historiam intento meo propitiam, & probantem luxuriam offundere caliginem animo lubricanti. Princeps quidam petulco ingenio visa virgine speciosa totus in amorem ebulliit, & vt lasciuiens ætas, quæ excipit impuberes annos frænorum impatiens, tota effunditur in obiecta placita sensibus, & præcipuè in Veneris illecebras; nobilis adolescens nomine Algarus occurrens virgini, quam feruido amore deperibat, voluit in eam manus impuras conijcere. Sed vt castitas omnia tuta timet; illa cauens insidias, fuga sibi consuluit. Algarus amoris alas induens, se accinxit ad virginem persequendam, cursu pernice inito. Deus virginis iniuriam vltus est: nam principis effræni oculi scintillantes libidinis æstu subitò caligarunt. Nec potuit hæc cæcitas abstergi alio remedio, quàm precibus virginis huius cultricis eximiæ castitatis. Quod extrinsecè passus est Algarus lumine captus in mulctam luxuriæ, illud idem patitur intellectus hominis impudici, qui reuera densis ignorantiæ tenebris obumbratur.

Andr. Chesneus in hist. Ang. sub ann. 740. Luxuria oculos ademit Algaro.

In eo argumento præstò sunt Sancti Patres, suaque vltro pangunt obsequia, vt propositionem meam adstruant, quæ affirmat voluptatis illecebras animo cæcutire. Primus occurrit Augustinus, hoc suo suffragio opportunus. *Præuaricatorem legis Diuina lux deserit veritatis, quâ desertus vtique fit cæcus.* Vnde sic arguo. In luxuria est maxima præuaricatio: ergo etiam cæcitas ingens: nam anima Deum veri luminis fontem auersata, carni adhærens, densa caligine lubricans excæcatur. Esse autem præuaricationem maximam luxuriæ, dixi fusè alibi, vnde inferre potes caligantis animæ miseriam. Adiice Hieronymum, de animæ cæcitate quam ingerit Veneris illecebra, plurima congerentem, è quibus hæc accipe. *Sicut vinum, cum quis biberit mentis sua impotem facit; ita voluptas & fornicatio peruertit sensum; animumque debilitat, & de rationali hominè brutum efficit animal.* In eo Sanctorum Patrum choro primas tenet Gregorius ille Magnus, ratione infularum Summi Pontificis. Sic ille. *Carnalis*

EX SS. PATRIBVS. *Aug. l. de natur. & grat. cap.22.* Peccatum omne excæcat.

Hier. lib.1. in Ose. c.4. Voluptas peruertit sensum.

Greg. lib. 4. dialog. c. 36.

Carnalis delectatio mentem quam inficit obscurat, vt videre veræ lucis claritatem non valeat: sed vnde inferius delectatur, inde caliginem ad superna patiatur.

Luxuria obstat, ne mens videre queat lucem.

EX PHILOSOPHIA.

Caietan. in lib. de anima c. 6. & 11.

Gregorij sententia vadem habet Philosophiam, quæ affirmat sensationem non fieri nisi anima attendat ad vnionem potentiæ & obiecti. Verbi gratiâ, si quis animo procul abstrahatur, non audit tamen ea quæ quis auribus insusurrat, nec videt ea quæ coram apponuntur. Cùm enim actiones sint suppositorum, & hominis suppositum sit finitum, nequit homo sufficere ad duas actiones, si earum ratio discolor sit, vt videre est in operatione mentis & sensuum. Nimirum vnius intensio est alteri iniuria. Ergo cùm delectatio comes indiuidua cuiusque illecebræ sensuum, animam totam exhauriat & veluti liquatam effundat, nequit eadem anima vacare rei omnino dispari, vt est intellectio. Itaque stata & fixa manet Pontificis sententia illa prælibata. *Vnde inferius delectatur, inde caliginem ad superna patiatur.*

Voluptas quare caliginem inducat.

EX RE MEDICA.

Res Medica non modicam lucem adfert huic themati, quando affirmat è lumborum regione vapores sursum vehi, quibus oppletum caput ingrauescit. Grauedinem autem illam Hippocrates vocat oculis ominosam. Dum namque incalescunt renes, ebullit humor illis incumbens, & efferuendo vapescit, sursumque fertur. Ideoque capitis contextura perniciem accipit ab humore, qui deorsum incandescit; siquidem nerui principes, qui sunt optici, patiuntur inopiam spirituum animalium, quos visuales vocant, & sic suo penso debito defraudantur. At feriante hoc spiritu in neruis opticis, caligant oculi, idque lumborum vitio, quos febrilis ardor accendit. Hanc cæcitatem morti instanti præire putat Hippocrates, hac Coaci prænotione. Ἐξ ὀσφύος ἀναδρομῆς πόνου ὀφθαλμῶν ἴλλωσις κακόν. *Ex doloriferi lumborum mali ascensu, oculorum peruersio malum.* Nota, caput eo contagio renum lædi, & dolorem, qui lancinat superiorem illam corporis plagam, vocari ascensum doloriferi mali, vsque adeo noxij, vt indubia oculorum peruersio consequatur. Luxuria in hoc discrimen omnino vocat rationem, suo namque incendio renes, vbi viget fomes vitij huius, hominem totum infatuant. Quod probè callens Iustinianus Imperator sanxit nullius esse iuris donationes coniugum, quia dum Venereus ingrauescit amor, ille impotes sui coniuges facit. Sic ille *Legislatores tales sciuerunt animorum affectus, vt etiam donationes constante matrimonio prohiberent, vt non concupiscentia magnitudine victi latenter paulatim coniuges semetipsos priuarent substantia sua.*

Hippoc. lib. 2. Coac. cap. 2. pran. 10.

Concupiscentiæ vis magna ad spoliandum.

EX IVRE CIVILI.

Nouel. 74. c. 4. Quib. modis naturales filij.

Præcipua hominis substantia est ratio, qua dissitus à bestiis accedit ad Angelos. Hac verò substantiâ feruore luxuriæ colliquatâ, homo recedit à choris Angelorum, vt dehiscat ad stabula bestiarum. Huiusce effati accipe assertorem luculentum. Ille est prodigus, qui dissipata omni sua supellectile viuendo luxuriosè pauit porcos, Venerem nactus æquè æstimantem sua obsequia. Etenim dyscolus adolescens & refuga, patri suo iniurius, dedignans natale solum vt procul abiret & caueret vigiles oculos censores vitæ suæ obscœnæ, dum se turpitudini addixit, æmulatus pecorum ritum, quem dum plenè ebibit assuetus volutabro, tunc tyrocinio expleto, in tesseram magisterij eius, fuit ei cura porcorum à Venere demandata. Vt namque similis quisque simili sibi gaudet; debuit homo sociari porcis, qui coruptu spurca colluuie infectus, delicias suas fecit sordida volutabra.

Vtrumque sexum concludit præfata hactenus luxuriæ pernicies: nimirum viri æquè ac mulieres cæcutiunt, si impudicè viuunt: quippe omnium hominum est concolor editio, prolem faciens consciam eius cæcitatis, qua prima omnium capita caligarunt. Est namque cæliceæ Matheseos regula, cuius & ego periculum feci in Senatore illustrissimo; vt fœtus editus ascendentibus stellis nebulosis hebete oculo sit. Diceres stellas illas subobscuras orientes simul cum puerulo, ei inuidere lumen, quo & ipsæ carent. Hoc autem sæpius obseruatum canonem fecit apud peritos huius disciplinæ, ipsa etiam annuente Theologia, quæ concinit S. Thomæ affirmanti corpora hominum esse iuris astrorum, quæ tamen non influunt in animas, iuxta illud Astrologiæ proloquium: attende causam quæ offudit tenebras cunctis hominibus. Parentes nostri iisdem quibus & nos tenebris obnoxij, in schemate natiuitatis nostræ inter creaturas primas ceu dominium tenent. Dominantibus illis stellis nebulosis editi sunt pueri nebulones, & nebulis obsiti, quibus tota hominum prosapia obtusiore intellectu, ignorantiæ tenebris opacatur. Præterea si quid luminis irradiat, homo inde habet vnde anima effluxit, id est à Deo; à parentibus autem in iniquitate procreatus infans, eorum libidinem participat, quà dum pubescunt, stimulantur ad obscœna; ac proinde spissis ignorantiæ nubibus obuoluuntur.

EX MATHEMATICA.

Origan. de sign. sic. stellarum fixarum in isag. ege Astrol.

S. Thom. 1. p. q. 70. art. 5. ad 3. q. 115. art. 1. lib. 2. q. 95. art. 5. q. 96. art. 2.

Hoc igitur esto symbolum viri & fœminæ, quos cæcus amor excæcauit. Eis ego affingo tabulam illam quam recenset Ferrus, pingens Pyramum & Tysben duos amantes eadem nocte simili fato sublatos, vt nugantur fabulæ. Huic picturæ auctor has inurit voces. VNA DVOS NOX PERDIT AMANTES. Optimè equidem noctem commemorat, vbi res est de amore obscœno, quia nusquam turpibus amasiis, gratiæ Dei vel rectæ rationis apertus dies illucescit. Caue igitur, ô anima tui compos, ne æmuli tui sexus illecebræ irrepant, quæ incautam rapient ad turpia. Enimuero tunc VNA DVOS NOX PERDET AMANTES.

EX SYMBOLIS.

Ioan. Ferr. p. 2. Theatri.

Luxuriæ nox duo perdit animam & corpus.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Anima libidine opacata, speciali Christi auxilio indiget.

QVia ergo luxuria pectori opaco offundit caliginem, Samaritana corusco lumine indiguit, vt tenebras dilueret, quas Venus asperserat. Tempestiuè adfuit Christus, qui in symbolo Nicæno lumen de lumine nuncupatur. Fecitque mulier fidem dicto præscio Prophetæ hæc præfantis: *Sedentibus in tenebris lux orta est eis.* Fœmina hæc assueta tenebris curari non potuit nisi beneficio insueti luminis affulgentis: Christus autem quà Filius Dei est, vendicat sibi rationem luminis. Est verò lumen, omne id quod manifestum facit. Sed Pater æternus fit sibi ipsi manifestus generando hunc Filium, qui ideo dicitur Verbum Patris, ad similitudinem verbi mentis nostræ, quod est terminus cognitionis nostræ actualis. Ideoque in donis Spiritus sancti, scientia, intellectus, sapientia, consilium, attribuuntur Filio, quia pertinens

EX THEOLOGIA.

S. Thom. 1. p. q. 34. art. 3.

Luxuriæ cura quàm sit difficilis.

pertinent ad modum generationis eius, scilicet ad cognitionem, quæ est operatio intellectus. Cùm igitur sensuales carnis illecebræ efficiant vt homo, scientiâ, intellectu, sapientia, & consilio excidat, pristino statui suo nequit reddi, nisi illius obsequio, à quo sunt illa charismata, quæ hominem effingunt ad imaginem Dei, quam Venus expunxit, & quam nemo reparare potest, præter eum qui est imago Patris, & cui nomen personale est, imago.

Eamobrem prouidus ille rerum Dominus volens Samaritanam initiare sacris fidei mysteriis, auspicatus est hoc contextu. *Mulier si scires.* Id est, ô mulier incuria & ignara tui status impudici, si tibi constaret de sorte tua ingloria, alias haurires aquas longè potiores istis incongruis ad maculas animæ detergendas. *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Ego quippe sum fons, vnde aqua iugiter manans, sola potest restinguere incendia libidinis. Itaque tuum cor adapta, vt huius aquæ latices excipiat, & fias inde tersior, ita tuis spurcitiis atque næuis turpibus emundata. Irradiante Christo & hæc præfante, sibi subitò mulier innotuit, & insperato perfusa radio, demirata lucem hactenus inaspectam, ait: *Domine vt video, Propheta es tu.* Sed quo lumine dignata mulier, nosti hominem hunc esse omniscium? Ad hæc illa effecta doctior Christi colloquio, sic respondet: Quidquid oculis obiicitur illud omne beneficio luminis innotescit: Sed lumen seipso peruium est. Homo iste corusco lumine irradians, nullius alterius lucis indigus est, idcóque vt mihi illuxit, illius respersa radiis, Solem hunc orientem protinus adoraui.

Ioan. 4.

Christus est fons.

Christus est lux.

Sed inquires fortè effectum primarium fulgoris è Christo emicantis, & perstringentis oculos huius fœminæ, viri alterius consuetudine abutentis? Ille effectus emicuit ipso sermonis exordio, quo ingenuè confessa est commercium inhonestum, quod cum homine lubrico perpetrabat: Christo namque suadenti vt vocaret virum, nihil cunctata palàm fecit abditum domi scelus; Ait enim: *Non habeo virum.* Id est, nihil in me virile elucet; quidquid olim rationis emicuit, illud totum extinctum est. O Samaritana, quid mentiris? Habes virum, & equidem optimum, scilicet Iesum sponsum animarum, quem ad castos hymenæos confessione præuia deuinxisti. Vt primùm cœpisti lugere deperditum decus continentiæ tuæ, inde puritatis crepusculum cœpit illucere tibi. Christo te deuoue, ô mulier, vt suo influxu resarciat dispendia luxuriæ tuæ. Ille est agnus castus, toties à te Medica decantatus, cuius ipsa etiam vicinia seu proximitas conciliat castitatem.

Christus est agnus castus.

Aduerte mysterium congruum meo intento. Samaritana procul à Christo luxurians non habebat virum. Sed vbi accessit ad Christum, facta sui compos, & recolens obscœnum suum viuendi ritum, virum nacta est, & hoc bifariam. Primò animo suo versans quàm turpiter antea se gessisset; & meditans aliud vitæ tersioris institutum, viriles induit animos, quales deposcit impigra virtutum praxis. Secundò mulier hæc exosa suos mores inglorios, vsa est Christo propitio, cui despondens animam suam, nullo postea indiguit viro, vtpote deuota casto sponso omnium animarum. Vbi anima solers & sedula pensat, quàm fœda sit facies luxuriæ, statim illecebras omnes Veneris aspernatur. Libido namque non irrepit nisi in animas incautas, & parum sollicitas de suo statu illibato. Ideoque molestia omnis luxuriæ abigitur Christum meditando; est enim ille lux, cuius beneficio omnia fœda turpibus innotescunt. Cognita autem spurca illuuie, animam tædet litasse Veneri, quam qui vel animo tantùm fouet, procul dubio eius nexibus irretitur. Qui verò primum eius susurrum spernit, ille se expedit à laqueis impudicis, vt monent Patres, in quibus accipe Cassianum, ita suadentem. *Debemus sollicitè serpentis obseruare noxium caput, ne reliquum eius corpus, id est, oblectationis assensus illabatur. Qui si fuerit intromissus, morsu virulento mentem interimet captiuatam.* Idem remedia contra luxuriam ingeminans, hæc subdicit. *Ea quæ in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus quidem coalescere incauta cogitatione patiamur, & in quibus humana cognitione confundimur, ne occulta quidem conniuentia polluamur.*

Peccati initia præcauenda.

Cassian. lib. 6. cap. 13.

Idem ibidem cap. 9.

Peccati cogitatio fugienda.

Ipsa impudica cogitatio citra opus inhonestum nos à Christo arcet. Et equidem credo Samaritanam tædio vitæ suæ captam se accinxisse ad gratiam, quam Euangelium hodiernum commemorat. Vt enim contrariorum contraria est disciplina; quisquis à libidine abhorret, ille se aptat ad Diuina commercia, quia illi interdicitur accessus ad Christum, qui redolet obscœnum. In huiusce rei figuram sanxit Moyses herniosos esse à sacris segregandos. Alia versio herniosos vocat ponderosos, quia viscera in scrotum decidentia grauant suo pondere partem illam, quæ facit huiusmodi morbidos indecoros. Vnde editus iste Canon. *Ponderosus verò est, qui turpitudinem non exercet opere; sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine grauatur in mente: qui nequaquam quidem vsque ad opus nefarium rapitur; sed eius animus voluptate luxuriæ sine vllo repugnationis obstaculo delectatur. Vitium quippe est ponderis, cùm humor viscerum ad virilia labitur, quæ profectò cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciuiam defluens, pondus turpitudinis gestat in corde; & quamuis praua non exerceat opere, ab his tamen non euellitur mente: nec ad vsum boni operis in aperto valet assurgere, quia grauat hunc in abditis pondus turpe.*

Ponderosus quid sit.

Leuit. 21.

EX IVRE CANONIC.

Can. Hinc etenim. §. Ponderosus Dist. 49.

Luxuria ponderosa.

Hoc itaque hodie discamus à muliere Samaritana, scilicet hominem mente captum & impotem sui, luxuriâ depascente animam, fieri reducem consuetudine Christi, penes quem sunt omnia quæ militant integræ castitati. Nam esto luxuria hominem feriat cæcitate, ratione exuat, & perenni incendio adurat; Christus beneficus occurrit omni discrimini, cui libido sua mancipia facit obnoxia. Si caligat acies hominis luxuriantis, Christus de se ait: *Ego sum lux mundi.* Si rationis vsu congruo excidat, Christus est verbum seu ratio. Vnde Hesychius ait Christum natum in stabulo, vt rationis vsum impertiret homini, qui ad bestiarum ordinem defecerat. Si demum æstuans carò liquatur igne luxuriæ, Christus est fons, cuius scaturigo sopire potest fornacem illam tartaream. Non sunt hæc pigmenta Rhetorica, sed facti experimenti veridica asserta, quibus & ego debeo meum calculum adiicere, ne ingrati in Christum animi notas incurram. Meas itaque obeo partes hoc ingenuè asseuerans, tepere omnes feruidos Veneris æstus accedendo ad Christum, &

Ioan. 8.

Luxuriæ remedium est frequẽs vsus Eucharistiæ.

& præcipuè in Eucharistia abditum, vnde irrorat in animas, quæ plus quàm par est, calent his æstibus importunis. Est namque ille cibus Angelorum, quia Angelos facit; illic enim sunt reconditæ omnes gratiarum gazæ, quas Christi Domini Passio demeruit, ideoque panis ille sacer est Passionis Dominicæ iuge monumentum. Si ergo anima recolens Christi agones, liberatur angustiis, quas facessit insita turpitudo, eadem etiam opportunè sibi consulet pasta sacris mysteriis, quibus recolitur memoria Passionis, qua vsus est Augustinus contra luxuriæ pruriginem. Sic ille. *Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi.* Ideò fortè hodie Scriba sacer narraturus Samaritanæ conuersionem, sic præludit: *Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Vt notaret, Christi agones & ærumnas extinctos homines facere rediuiuos.

Ex SS. PATRIBVS. *August. Manual. c. 22.*

Luxuriam compescit meditatio vulnerum Christi.

Ne igitur, ô anima tibi gratis, cunctare ad Christum accedere; æmulare indolem Samaritanæ: si libidinis æstu flagras, propera ad fontem, vt sopito incendio fias alacrior, & valeas ad æterna gaudia respirare. Amen.



DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. QVANDO Scriba sacer sigillatim recenset actionis alicuius editæ à Christo minutias, proculdubio aliquid inibi reconditum insinuat. Hoc ego probè callens totam historiam hodiernam in duas seco partes. Dico primò quid significet ille apparatus, quo Christus voluit epulones suos se accingere ad conuiuium illud, vbi dapes prodigente manu Dei fuere singulis impertitæ. Itaque explico quid animis nostris voluerit Christus ingerere, quando attrectauit manibus suis panem illum distribuendum, & cùm iussit inuitatos sedere super viride fœnum.

II. Secundò ostendo effectus illatum epularum, quæ non sedarunt modò famem, sed repleruntappetitum conuiuantium, qui in tesseram gratitudinis suæ voluerunt Christum rapere, & facere eum Regem. Inde argumentum desumo sollicitandi homines ad mensam Christi, vbi adeò lautè epulantes conuiuantur. Demum secundâ parte istius homiliæ recenseo, quem exitum habuerint epulæ illæ, quas instruxit Dominus ille, qui nos omnes ad fastidium & nauseam huiusce sæculi suo illo liberali munere prouocauit.

PRÆFATIO.

Vnde ememus panes, vt manducent hi? Ioan. 6.

GENS Hebræa assueta Dei vocibus in deserto totam annonæ suæ curam reposuit penes hunc Dominum, de nube lucida colloquentem. Non defuit Deus populo credulo, pempe dedit manna, cælicum panem, cui etsi modicè collecto tamen dabat Dominus incrementum. Tanti fecere Moyses & Dauid beneficium illud, vt sæpe sæpius eius meminerint; imò Deus ipse voluit panem illum in vasculo reseruari, vt Iudæorum posteris non excideret memoria gratiæ præstitæ illis tribubus Hebræorum. Non inficior fuisse insigne illud beneficium, quod duratione sua quadraginta annorum contextum absumpsit. Sed si fas esset inuidere, ego æmularer sortem illorum Hebræorum, quos Deus ipse non de nube, sed humanitatis nostræ abditus inuolucris pauit in deserto loco, posito trans mare Galilææ. Cibauit eos Christus pane, quem contactu suo viuificum fecit non corpore tantùm sed & anima tenus. Et vt eos faceret idoneos ad discubitum suarum epularum, præmisit triduanam inediam, vt præuiis ieiuniis & orationibus, mensæ Christi & Apostolorum populus assideret. Præuius ille apparatus hos conuiuas omnes benè affecit erga Christum, quem in tesseram animi sui grati, & memoris gratiæ acceptæ, voluerunt rapere, & facere Regem. Sed quid illis inuideo Hebræis gratiam, quæ est infra beneficium illud, quod à gratiarum actione nomenclaturam Eucharistiæ accepit. Ibi reficimur pane, cuius frumentum Virgine matre satum nos sollicitat ad colendam terram feracem huius seminis adorandi. Aue Maria.

SVaue melos auribus ingerens vox sonora musicis instrumentis non indiget, vt aliunde petitis illecebris animum demulceat; ita & historia ferax plurium arcanorum, alia omnia peregrina respuit ornamenta. Ideoque ne vos suspensos teneam & dubios, quænam sit futura materia

istius

ctius concionis; series tota historiæ hodiernæ erit argumentum quod decurram, & dispescam in duas partes, quarum prima erit de apparatu prævio ad grande illud conuiuium, secunda erit de multiplici effectu, quem Christi epulæ sortiuntur. Vtraque pars trimembris erit: Tria namque fuere veluti præambula ad insigne miraculum quinque millium hominum, pane modico refectorum. Christus Dominus manibus attrectauit panem quem porrexit. Secundò fecit homines discumbere. Tertiò historia commemorat viride fœnum à populo conculcatum. Christus suo attactu panem faciens opimum & fœcundum, notat hominem debere à Deo solo pasci. Discubitus insinuat animæ sessionem seu quietem necessariam, vt vnumquemque reficiant epulæ illæ sacræ. Demum viride fœnum pedibus & toto etiam corpore attritum, significat eum qui vult fieri conscius mensæ Christi debere omnia amœna & virentia istius sæculi conculcare. Tria alia, quæ subsecuta sunt epulas, ego recensebo posteriore parte concionis. Auspicemur à præfatis, & probemus singula quæque prælibata. Primum quod occurrit, est illa propositio affirmans hominem debere à Deo solo pasci, vt præostendit Christus, dum voluit manibus suis attrectare panem, quo cibauit populos hos sequaces. Sic astruo intentum.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quibus præambulis anima sese debeat accingere ad epulas Christi.

Ex PHILOSOPHIA. *Aristot. lib. 2. de generat. c. 2. tex. 10.*

Ex THEOLOGIA. *Thom. 1. 2. q. 112. art. 1.*

Eucharistia sola potest plene pascere homines.

Auerroes in l. 2. de anim. tex. 47.

ARistotele assertore, iisdem nutrimur quibus constamus: sed homo coalescit ex corpore & spiritu: ergo & nutriri debet alimento congruo, quo corporis & animæ dispendia reparari queant. Ad hanc autem annonam homini præstandam nemo sufficit, Deo excepto. Ergo à Deo solo homo pasci potest, ideóque indictum homini petere à Deo singulis quibusque diebus panem suum quotidianum. Quare autem creaturæ omnes sint impotes ad præstandum homini illud beneficium; ratio hæc est petita ex Theologia. Quidquid à creatura homo accipit, illud nequit esse nobilius eo quod influit: At nulla causa parturit effectum nobiliorem parente quo satus est: Ergo cùm homo ad animæ suæ pabulum indigeat gratia Dei, quæ transcendit omnes naturæ vires; consulendus erit Deus, vt occurrat hominum inediæ, quam si diu patiatur homo, sanitas ejus adducitur in discrimen, imò exhausto humido primogenio, coëunt esuries & vitæ deliquium. Ideoque alimenti indigus homo nutriri debet, ne fatiscat. Auerroës eruditè notat hominem non seruari tantùm beneficio alimenti, sed etiam augeri; quia congruè pastus homo assurgit in molem consonæ quantitatis: nulli namque animali natura dedit totum incrementum in incunabulis. Ita & homo Theologicè spectatus, etiamsi tinctus aqua Baptismali sit gratia Dei insignis, qua affatim nutritur anima; non ideo tamen nactus est complementum illud, cuius in prouectiore ætate potest fieri compos. Ideóque pubescente homine, noua fit adiectio gratiarum, & sic anima nutrita vegetior est, & quasi grandior effecta, virtutum praxi sibi insita dilatatur.

Eucharistia quare indigeant homines.

Eò fine cibantur homines, vt calore insito depascente humidum radicale, esca ruinas reparet, quas intulit ille calor. Simili etiam instituto Deus influit in homines, quos inquies peccati fomes ad ruinam sollicitat. Esto anima Deo grata sit sospes & integra; viget tamen in ea abditus igniculus depascens animæ vires, quas restaurat nouus gratiæ illapsus, quo qui caret homo, ille quasi inedia contabescit. Nota; omne alimentum supponere in homine calorem præuium, qui digerat escas mutabiles in aliti substantiam: inde collige gratiam Dei non influere in animam, nisi amore Dei feruida iugiter incalescat: quippe gratia omnium formarum sortita est ingenium. At formæ omnes non se insinuant in materiam, nisi substractis dispositionibus idoneis, quibus forma allicitur. Ergo anima debet se opportuno apparatu accingere ad gratiam. Præcipuus autem apparatus est amor seu charitas, quâ æstuans anima fit gratiæ Dei compos, sicque diuinó epulo opiparè vegetatur.

Omnes alij cibi noxij sunt, si se anima illis ingurgitet. Verbi gratiâ auarus auro pastus, & homo tumidus gloriolæ inanis aurâ afflatus, item & homo salax genio indulgens; hi, inquam, omnes malè habent, quia viuunt noxiis esculentis. Vt namque aliquid vtile sit homini, debet habere quid affine indoli humanæ, quæ spiritus & corporis vtramque naturam participat. Sed opes, libido, & omnis sæculi pompa, nihil omnino spirituale recondunt, atque ita grauedine sua hominem obruunt, si tales escas incautus degluriat, nimirum noxia alimenta magno hominis discrimine decoquuntur.

Cibi potusque vitia morbos creant.

EX RE MEDICA. *Fernel. lib. 1. pathol. c. 14.*

Fauet res Medica; cuius nomine Fernelius enarrat incommoda cibi incongrui. Sic ille: *Cibi potusque vitia gignendis morbis pabulum materiamque suggerunt. Si eius quod assumptum est valida vires indomita fuerint, nec prorsus ventriculi robore euicta; ea vel substantia, vel quoquouersum expirante vapore, in omne corpus permanabunt, ipsumque cor, & cerebrum, atque vniuersum corpus concutient. Sic sua sunt vnicuique cibo dotes, sua sunt incommoda.* Fauet Hippocrates, dum affirmat omnium argumenta ægritudinum peti à spiritu quem ducimus, & à cibis quos ingerimus. Ecce oraculum. Αἱ δὲ νόσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ εἰσαγόμενοι ζῶμεν. *Morbi omnes partim à diæta nascuntur, partim à spiritu quem ducendo viuimus.*

Hippoc. lib. 1. de natura.

Itaque se explorent ægri omnes, quibus pascantur eduliis, & tunc deprehendent vnde mali labes oriunda sit. Dæmon quidem escas palato sapidas offert, sed lethales; vitam suauiorem equidem reddit ille coquus epulis suis, sed æternis aliquando miseriis obnoxiam; vt videre est in gulosis, qui vino indulgent & oleis multo aromate conditis, aliquamdiu vegeto & obeso corpore luxuriant, sed serò pœnitentes lugent incautam ventris ingluuiem. Audi Fernelium. *Vt calx ad arboris radicem conspersa fructum accelerat; arborem verò perimit; ita calidius alimentum maximéque vinum, suscitato calore, spiritus facultatesque erigit, mortem verò maturat. Dum enim corporis calorem auget, substantiam minuit, dumque innati calidi spiritum & calorem halitu fouet; eiusdem substantiam, quæ est humidum primigenium dissipat, exorbetque omnem; vitam alacriorem, ac vegetiorem, sed tamen breuiorem facit.* Hæc ille appositè ad

Fernel. vbi supra.

Vini vsus immodicus est lethalis.

ad institutum meum, quo intendo probare Dei solius esse animas & corpora saginare. Nam Dæmon, Mundus, & Caro suis illudunt epulonibus; more Domitiani Imperatoris, qui conuiuas suos fucatis dapibus irridebat. Quam discolor sit Dei cibus ab escis mundi, audi ex historia.

Ex Historia. S. Lazar. in hist. Imperial. sub. an. 1331.

Cessit aliquando Liguria in ius Caroli filij Ioannis Regis Bohemiæ. Princeps ille Pro-rex illius prouinciæ, volens aliis prælucere exemplo suo, die solenni Resurrectionis Domini, communione sacra recreatus, ad multam diem sua in Deum protraxit obsequia, immemor epularum, quas lautissimas in palatio præpositi mensis instruebant. Perduellis homo, Principis vitæ iniquus, nactus opportunum tempus, virus effudit in dapes Caroli prandio constitutas, arbitratus Principem quantocyus sumptâ Eucharistiâ rediturum. Sed eò longiores protrahente moras & intento plus solito sacris his epulis; aulici nobiles (vt hoc est famelicum genus) ore hiante cibos lethales comederunt, Principe incurio harum epularum, quia opiparè à Deo exceptus fastidiebat escas, quas veneno homo perfidus aspergebat. Tandem absolutis precibus repetit ædes suas Carolus Deo pastus, & audit nobiles hos præfatos animam agere præcoci morte, quam dapes virulentæ concitarant. Habuit sanè Carolus vnde Deo grates ageret immortales; quippe salutares illi fuerunt Dei epulæ corpore & anima tenus: si namque fastidio captus escæ sacræ diuertisset ad gulæ illecebras, eodem fato occubuisset, quo & delicati illi cupediarum asseclæ, quos gula intempestiua miseros interemit. Vides quàm dispares sint epulæ Dei & mundi, cùm mors epulones mundi & conuiuij reliquias eodem recondat ergastulo, cùm Christi Domini mensa suos faciat sospites inuitatos.

Eucharistia sûpta vitam incolumem seruauit Carolo Principi Bohemo.

Ioan. 6. Eucharistia amore præuio debet sumi.

Matth. 5.

Nota, amorem seu calorem quo decoquitur esca Dei, benè conuenire cum illa sessione hodierna, quam indixit Christus, ita affatus Apostolos: *Facite illos discumbere.* Fortè eodem ritu discubuere turmæ, quo & aliàs, quando sequaces Christi, qui ad multa millia confluxerant, dispositi in quinquagenos mysticè consederunt. Numerus ille quinquaginta Iubileum sonat, id est, indulgentiam quam absolutam debent omnes concedere æmulis suis, si velint esse symmistæ seu conscij sacrorum Christi, cuius est hoc edictum. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

Ex Mathematica. Aratus lib. 3. de Phænomenis.

Reuocanda est huc illa obseruatio Mathematicæ cœlestis, quæ aduertit esse in cœlis constellationem, cui nomen Ara. Hæc in globo cœlesti depingitur igne accenso rutila, quasi illa disciplina de amore singulos quosque homines admoneret, suggerens desuper eum qui vult accedere ad aras, debere accingi flammis, seu æstuare amore in proximum, vt eodem discubitu concordes homines assideant sacræ Dei mensæ. Quadrat & antiquorum ritus qui in solennibus epulis, contiuantes singulis tesseris adnotabant, ne quis extraneus sycophanta dapes emungeret. Sequacibus suis Christus hanc præfixit notam, scilicet vt mutui amoris pensum sibi iugiter exhiberent. Eamobrem sacræ illi aulæ, vbi instruuntur epulæ Christi, affingo maiusculo charactere

Ex Symbolis. Eucharistia amoris ostium.

symbolum Ambrosij, qui depinxit hortum, ad cuius fores amor feruidus excubabat, hoc titulo adiecto. AMORIS OSTIVM, NON HOSTIVM. Quippe omnes quos inescant epulæ sacræ, communi consessu suo pacem enuntiant. Hoc recolite, auditores, facti cautiores diebus qui imminent: Nolite seorsim pasci corpore Christi, sed vnanimes inibi considete, memores aditum ad sacra illa mysteria esse AMORIS OSTIVM NON HOSTIVM.

Ex SS. Patribus.

Idipsum ingeminat omnis Sanctorum chorus amore flagrans, quo vult & omnes homines accendere. Occurrit Hieronymus ita fatus: *Ignoramus sine pace communionem.* Illi suppar Augustinus commemorans iurgia Iudæorum, qui dubiam faciebant fidem verborum Christi recensentis mysterium panis viuifici, caussam litigij hanc adfert, nimirum quòd discordes eorum animi capere non poterant mentionem panis pertinentis ad concordes animos. Ecce illius sententiam: *Litigabant Iudæi ad inuicem, quia panem concordiæ non intelligebant.* In typum mutuæ huiusce charitatis, Iudæi manna colligebant extra castra: namque à castris seu belli strepitu panis ille cœlicus abhorrebat, Deo sic præmonente fore aliquando panem cœlo satum, cuius copiâ soli pacifici essent habituri. Eò spectans Rupertus sic hortatur. *De castris exeundum tibi est, quicunque hoc minutum colligere contendis.* Eadem propè suggerit Damianus. *Si in te fomes inest liuoris & odij, non domicilium pacis, sed campus est certaminis.* Adiice & his Fulbertum ita consulentem. *Viscera charitatis extende, & sume panem vitæ, interioris hominis alimentum.*

Aug. tract. 26. in Ioan.

Exod. 15.

Rupert. lib. 3. in Exod.

Damian. ser. 72.

Ex Iure Civili. Leg. in excoctione. Cod. de excoctione.

Potest huc reuocari cura Imperatorum Arcadij & Honorij, qui vt consulerent militibus, neminem voluerunt excipi à coctione panum, ne frustra concessa videretur annona militibus incuriis rei frumentariæ, si farina decocta non coaluisset in panem. Hinc effluxit illa constitutio. *In excoctione buccellati quod deuotissimis militibus conuenit præparari, in translatione etiam annonæ, nullius excipiatur persona, videlicet, vt ne nostra quidem domus habeatur immunis.* Parum fuit Imperatoribus inseruisse Codici titulum De erogatione militaris annonæ, nisi & coctioni prouiderent, ita vt calente pane miles pro suo arbitrio vesceretur. Deus de salute omnium sollicitus, non prouidit tantùm dari deuotissimis suis sequacibus frumentum electorum, sed omnibus indixit, vt sedulò incumberent etiam coctioni. Panis autem ille sacer à Deo designatus, amore decoquitur, nec vllus excipitur ab eo penso charitatis, suis quibusque proximis exhibendæ. Et hoc genuine insinuat illa sessio seu discubitus hominum per quinquagenos, tacitè adhortans, vt supposito igne amoris, cordium clibanus accendatur, vt panis immissus congruè decoquatur.

Ex Iure Canonic. Can. Quia passus De consecr. d. 2. Eucharistia nos ad vnionem sollicitat.

Semotis figurarum omnibus inuolucris, Canones sancti volunt homines ebullire amore, dum frequentant memoratum illum panem. Epulones sanctos, Canones sic compellant. *Ecce quod accepistis, quomodo ergo videtis esse vnum quod factum est, sic vnum estote vos, diligendo vos, tenendo vnam fidem, vnam spem, vnam indiuiduam charitatem. Hæretici quando accipiunt hoc testimonium, contra se accipiunt, quia illi quærunt diuisionem, cùm panis iste indicet vnitatem: sic & vinum in multis racemis fuit, & modò vnum est; vnum est in suauitate calicis post pressuram torcularis.* Quando homo aliis

iniurius,

iniurius, ore sacrilego deuorat panem hunc, in suam ipsius perniciem pascitur esca pacis, factus alus iniquior. Nimirum ille cibus vnitatem clamat, & ille acerbus hostis nihil nisi classicum sonat. Pergit Canon. *Ita Dominus Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit. Qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.*

§. Ita Dominus, eodem Canone.

Quia ille in proximum amor debet esse à carnis fæcibus illibatus, benè in conuiuio Christi fit mentio fœni conculcati. Nempe est omnis caro fœnum. Epulæ Christi nesciæ sunt carnis, hordeaceo pane & modico pisce instruitur grande illud conuiuium, nulla ibi mentio vini & adipis; anima namque illic pasci debet, & non corpora saginanda. Quare autem animalis homo non sapiat ea quæ Dei sunt, ac proinde arceatur à discubitu symmistarum Christi, accipe rationem. Ille est hominis genius anceps atque versatilis, vt quocunque præludente obiecto, rapiatur homo velut auis ad aucupis illicium: quidquid enim sensus animo suggerunt quod placeat aut delectat, ad illud homo inclinat, præpedito sæpe rationis arbitrio, quia cùm omnis cognitio nostra initietur à sensibus, appetitus sensualis illectus à sensuum illecebris, rationis vsum sæpius anteuertit. Fitque præcipiti voto homo suæ salutis incurius, quia nihil aliud animo versat quàm quod voluptatis illecebræ ministerio sensuum ingesserunt. Cùm igitur homo nequeat sufficere ad dispares actus (quippe actiones sunt suppositorum, & suppositum corpus & animam simul inuoluit) debet homo fieri procul ab omni illecebra & obscœna suppellectile carnis, si vult dare suum nomen Christo, & sicuti par est cœlestibus inhiare. Namque cœlestia concupita hominem totum desiderant; non quòd homo ausibus naturæ fretus conciliare queat gratiam Dei citra peculiarem Dei influxum, vt delirauere Pelagius & asseclæ illius: sed ideo dicimus hominem debere omnes suos explicare nisus, vt illi facienti quod in se est, non deneget Deus gratiam, quam impertit eis qui se accingunt ad recipiendos eius influxus. Ne ergo homo illectus specie rerum carnalium deuiet à Christo, attritu pedum debet hæc omnia noxia conculcare. Alioquin in discrimen incurret quod subiere olim legati Caroli VI. Regis Galli. Hi à Rege missi in Scotiam, vt fœdere inito cum Rege Scoto deuincirent hos populos, factos iniquiores Anglis, quos etiat Carolus aggressurus. Hi, inquam, legati blandè accepti ab Anglis, prouincia sibi demandatâ velut immemores vacarunt epulis & choreis, Anglo ideò remorante eorum iter in Scotiam, vt intereà caueret sibi. Cessit ex voto ea Angli industria: cunctantibus enim Gallis, quos deliciæ incautos deceperant, opportunum tempus effluxit, & ita in Scotiam serò deuenerunt, vnde re infecta ad propria repedarunt. Vt autem proceres Galli resciuère ignauiam legatorum, quos remoratus fuerat Anglus variis illecebris, detestati hominum socordiam, eos reduces ingloriós durius exceperunt.

Animalis homo quare non sapit ea quæ Dei sunt.

Ex Philosophia. *Albert. Mag. de intel. lib. 1. tract. 1. cap. 1.*

Ex Theologia. *Thom. 1 2. q. 112. art. 1.*

Ex Historia. *And. Chesnam in hist. Angl. sub an. 1384.* Legati Caroli VI. Regis Galliæ decepti à Rege Angliæ.

Eadem omnino industria dæmon illudit omnibus hominibus, quos abstrahit ab epulis Christi. Lautè eos excipit, faciens eis copiam rerum omnium quæ esse possunt lenocinio sensibus, vt his veluti remoris hominem segreget à con-

Voluptas viam Paradisi occupat. Deliciis nos irretit diabolus.

suetudine Christi. Verùm enimverò licet affatim impij voluptati litent; eorum animus inquies non est satur, sed hiat semper anhelans ad inexpertas illecebras: quippe vni dumtaxat Christo conceditur, plenè reficere suos epulones, vt colligere est ex textu hodierno, vnde hoc habes: *Vt autem impleti sunt.* Et hinc infero nihil hiulcum esse in anima, quam Deus suo illapsu dignatus est. Pergit textus: *Dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Illa reliquiarum collectio, animos sollicitat vt memores sint beneficiorum Dei, ne excidant. Demum sic concludit illam historiam scriba sacer: *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit.* Hæc idea grati animi in Christum nos etiam sollicitat ad similia gratitudinis argumenta. Et hæc tria sunt expendenda mihi ista posteriori parte concionis.

Ioan. 6.

Pars Secunda Homiliæ.

Quomodo se gerere debeat anima saginata dapibus Christi.

In deuios homines eâ censurâ cautum est à mundi exordio, vt immemores rerum quæ imminent, afficiantur tantùm præsentibus, & hinc omnigeni mali labes. Nam cùm meritum sit quidpiam consequens egregium facinus, atque adeò habeat rationem rei futuræ, voluptas verò de præsenti sensus alliciat; homo rerum instantium incurius, dat illicò manus illecebris quæ demulcent. Perperàm tamen se deuouet homo voluptati, seróque sapit; nam querula semper anima noua petit, vtpote decepta. Audi epulonem, qui in inferis colliquato adipe clamat se sitire & indigere stillicidio aquæ, quo recreet linguam, cui stagna vini aliàs minimè suffecerunt. Ex aduerso speculare disparem Lazari sortem. Ille rerum omnium sensibilium indigus, Deo tamen plenus, eò enectus est, vbi prostant prædiuites bonorum gazæ, quibus homo ad satietatem vsque reficitur.

Quare autem nihil infra Deum, homini queat sufficere, dixi supra, quando scilicet recensui, nullum bonum creatum esse obiectum adæquatum voluntatis. Cùm namque illa potentia feratur in omne quod habet rationem boni, & sint infinita bona syncategorematicè; nullum est bonum editum quod omnino occupare queat affectum hominis errabundum. Verbi gratiâ affectus opibus inhians, stimulatur etiam libidine, quia opes dissitæ à Venere non iisdem illecebris afficiunt sensus. Esto libidini indulget homo diues, fortè nutat eius sanitas, ideóque illi insipidæ deliciæ non dulcescunt. Denique nulli sincera bonorum omnium sors contigit, quia, etsi bona omnia creata influerent in hominem, deesset adhuc appetitui humano quod optaret, quia quidquid in natura prostat, illud finitum est, atque ita deficit in ratione obiecti adæquati appetitus infiniti. Non est ergo vnde sibi blandiantur mundi asseclæ, cum æquior aura eis aspirat; siquidem lenocinia sẽsuum carnem demulcere possunt, sed anhelantis animæ lacunas nequeunt adimplere. Quare autem Christus hoc possit, audi. Potentia illa qua homo afficitur erga infinita bona, est quid creatum

Ex Philosophia. *Arist. lib. 1. Ethic. c. 11*

Deus solus homini potest sufficere.

creatum in homine. Ergo ille qui effinxit illum appetitum, potest illum reducere ad actum; alioquin daretur quidpiam creatum quod exhauriret omnem virtutem Dei. Illud autem quo anima ad sanctitatem afficitur, est ipse Deus, animam sibi consocians mediante gratia in hoc sæculo, & beneficio gloriæ in futuro.

Ex SS. PATRIBVS. *August. cap. 34. Manual.*

Abeo totus in stuporem, dum speculor homines Dei capaces, vilia puerorum crepundia iugiter insectari, & reputare lucrum si quid adiecerint rei familiari. O delitas hominum mentes! cor hominis est abyssus intermina, & tamen humanus amor rebus inanibus occupatur. Præstat in eo argumento referre sensa Augustini. Sic ille: *Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. Quid enim amas caro mea? Quid desideras anima mea? Ibi est quidquid amas, ibi est quidquid desideras. Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut Sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere poterit; erunt similes Angelis Dei: quia seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, potestate vtique, non natura. Si elongatur salubris vita, ibi erit sana æternitas & æterna sanitas, quia iusti in perpetuum viuent, & salus iustorum à Domino. Si satietas, satiabuntur cùm apparuerit gloria Domini. Si melodia, ibi Angeli concinent sine fine Deo. Si qualibet non immunda, sed munda voluptas, torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet seipsum eis sapientiam. Si amicitia, diligent Deum plusquàm seipsos, & inuicem tanquam seipsos, & Deus illos plusquam illi seipsos, quia illi illum & se inuicem per illum, & ille se & illos per seipsum. Si concordia, omnibus illis erit vna voluntas, quia nulla illis erit, nisi Dei summa voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, vt Deus suæ. Nam sicut Deus poterit quod volet per seipsum; ita poterunt illi quod volent per illum. Quia sicut illi non aliud volent, quam ille volet; ita ille volet quidquid illi volent; & quod illi volent, non poterit non esse. Si honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles supra multa bona constituet, imo filij Dei, & Dij vocabuntur, & erunt heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hactenus Augustinus, illa inductione bonorum omnium carpens hominum insaniam, qui in hoc æuo sarta tectaque gaudia iugiter aucupantur.

Deus est bonum in quo sunt omnia bona.

Dei perfectiones ab Augustino descriptæ.

Deus habet quidquid conciliare potest affectum hominis.

Deus solùs beare potest hominem.

Beneficia Dei hominem obstringunt ad gratiarũ actionem.

Itaque Dei solius priuilegium est sedare hominum sitim, siue hoc sæculum spectes, siue res sit de futuro. Hic Deus animam opiparè reficit. Primò homini adhuc in cunis gratiam impertit, mediante rore baptismali. Eidem homini pubescenti, si non deorsum vergit, multa charismata elargitur, quibus tersior eius anima vegetatur. Rursus dum adolescit homo prouectior, fit conscius mensæ vbi apponitur corpus Christi; & licet quotidie per morulam liceat cum Christo in ea mensa discumbere; aliæ sunt epulæ, scilicet iugis gratiarum influxus, quibus esuriens anima saginatur. Vtriusque mensæ reliquiæ sunt sedulò colligendæ: colliguntur autem, quando memores beneficiorum Dei, eorum seriem animo non ingrato recolimus. Reliquiæ cogitationum diem festum agunt, quando gratiæ acceptæ memoria vegeta hominem Deo deuincit. Illa beneficij accepti recensio sæpe animo repetita, prouocat ad grates continuas Deo rependendas. Est item fragmentum gratiæ acceptæ, quam si gratiarum actione compensamus, illa gratitudo est semen beneficij alterius desuper imminentis. Et credo hunc esse sensum moralem à Christo intentum, quando iniunxit esse fragmenta colligenda, ne perirent, vt hinc monuerit gratiæ prætentæ asseruari reliquias, eam recolendo eo fine, vt Deo benefico gratiarum pensum debitum exoluatur.

Ex SS. PATRIBVS. Gratitudo viam sternit ad noua beneficia.

Gratitudinis hoc præceptum hominibus impositum, non est onus importunum, sed potius est noua disciplina erudiens nos, qua ratione quisque possit Deo Domino fœnerari. Enimverò quisquis agit grates, quibus Deo obstringitur, ille reperit industriam eamque compendiosam acceptas gratias adaugendi. Sic olim Abbas Theonas. *Grata est huius fœnoris occupatio, quæ maiora dum soluitur argumenta conquirit, & non solum percipientem ditat, verùm etiam nihil imminuit largienti.* At secus ingratitudo est gratiarum omnium citissimum decrementum. Ita sanctus Bernardus. *Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica saluti: nihil ita displicet, Deo, præsertim in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitudo: vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet.* Hoc ingratitudinis ingenium speculãs Augustinus, hac oratione sibi cauit. *O quantum sumus tibi debitores, Domine Deus noster, tanto redempti pretio, tanto saluati dono, & tam glorioso adiuti beneficio! O quantum à nobis miseris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus, & glorificandus, qui nos sic amasti, sic saluasti, sic sanctificasti, sic sublimasti! Tibi nempe debemus omne quod possumus, omne quod viuimus, omne quod sapimus. Sed quis habet quicquam non tuum? Tu Domine Deus noster, a quo bona cuncta procedunt, propter te & nomen sanctum tuum, da nobis de bonis tuis, vt de bonis ac datis tuis seruiamus tibi, & in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes rependamus tibi pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ.*

Cassian. collat. 12. c. 2. Ingratitudo hostis est gratiæ.

Bernard. ser. 2. de sexta Domin. post Pentecost.

August. lib. med. c. 17. Gratitudinẽ nostram quot beneficiis Deus obstrinxerit. Beneficia Dei quot & quanta sint.

Vtinam non excidat mente hæc formula Deo rependendi grates. Ea nunquæ prolicit dotes nouas aliaque charismata, iuxta antiquorum proloquium, quo gratiæ mutuo amplexu gaudent, quia gratiarum actione alia gratia prouocatur. Eo etiam fine accipe aliam praxim Augustini, sic animi sui vota recensentis Deo. *Confitear tibi, liberator meus, toto corde meo, & recolam ad mentem meam omnia bona quæ fecisti mihi in iuuentute mea, in omni vita mea. Scio namque quod ingratitudo multum tibi displiceat, quæ est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans, & vrens omne bonum, obstruens fontem diuinæ misericordiæ tuæ super hominem, quia & mala mortua iam oriuntur, & viua iam opera moriuntur, & vltra non adipiscuntur. Et ego Domine, gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi, liberator meus, quoniam liberasti me: quoties iam me absorbuerat ille draco; & tu, Domine, ab ore eius extraxisti me.* Hæc ille longam seriem texens gratiarum, quas vnicuique Deus aliàs impertiuit.

August. Soliloq. 18. Ingratitudo est ventus vrens.

Misericordia nos ex ore draconis eripuit.

Echo fuit olim congruum gratitudinis argumentum. Est autem echo vocis editæ ab alio quàm cita redditio, ita vt enuntiata verba subitò reddat echo, imò & quandoque voce

Gratitudinis egregium symbolum.

sola

Ex Symbolis.

sola excepta fornice concamerata: in plures anfractus multiplex echo voces alias ingeminat gratiore sono; vt audiere Græci in illa Olympiæ porticu, quæ dicta fuit ἑπτάφωνος, quia illic voce refracta septies porticus illa reboabat. Habent cor & caput suas fornices & valulas, quibus excipiant beneficiorum Dei ingem memoriam, & hanc ore prodant agentes condignas, quantum fas est, Deo gratias. Allusit ad hos vocis inflexæ sonos ille, qui pro symbolo vsurpauit ista duo vocabula. Respondere paratus. Id est, sicut echo nullas præterit voces, quas non exquisitè referat; ità nec ego gratias recipiam sine gratiis ritè persolutis. O homo ingrate & immemor gratiarum Dei, hæc reconde alto tuæ mentis ergastulo: Cùm beneficia Dei reuolues animo tuo, esto Respondere paratus. Respondetur autem beneficiis Dei gratiarum actione, qua & recens gratia prouocatur. Vnde Bernardus hæc ait: *Felix ille qui ad singula dona gratia redit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur; omnino enim sola nos à profectu conuersationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodò amissum reputans dator quod ingratus accepit, cauet de cætero sibi, ne tantò plura amitteret, quantò plura conferret ingrato.*

Ioan. Ferrus p. 1. Theatri.

Gratitudo omnia bona refundit in Deum.

Bernard. ser. de dilig. Deo.

Hæc itaque esto genuina explicatio fragmentorum; quæ Christus sollicitè colligi demandauit. Nimirum fragmenta dispereunt quando gratiæ acceptæ memoria excidit; aut cùm memoria refricans animum, non eum sollicitat ad exhibenda sua argumenta non ore tantùm, sed & manuum tenus, sicuti eruditè ait Diaconus Agapetus, sic affatus Iustinianum Imperatorem: Θεὸς εὐχαριστίαν ζητεῖ παρὰ ἡμῶν, οὐ τὴν διὰ ῥημάτων ἀγαθῶν προφορὰν, ἀλλὰ τὴν διὰ πραγμάτων εὐσεβῶν προσφοράν. *Deus gratitudinem exigit à nobis, non qua verborum bonorum prolatione, sed qua rerum piarum oblatione peragitur.* Assidua virtutum praxis est iugis actio gratiarum, quam deposcit assiduus ille gratiarum influxus; quo vt epulis opimis anima saginatur: gratia namque est panis ille quotidianus, cuius inediâ deplorandâ reprobi marcescentes, inscij contabescunt. Vt huic discrimini eatis obuiam, auditores, gratitudo vestra nulla intacta beneficia prætereat; sed magnâ adhibitâ solertiâ colligite fragmenta ne pereant.

Agap. in pa. ranad Iust. Imp.

Gratitudo qualis à Deo exigatur.

Ne autem hæreamus in vado nescij gratiarum, quas operæ-pretium est Deo rependere; vt pro modulo nostro liberemur ære contracto; eosdem nos præbeamus in Christum, quos se præstitère populi hodie recreati pane salutari. Voluerunt illi Christum rapere, & facere eum Regem. Reuerà ille affectus fuit index memoris animi, quem par est imitari; & præsertim cùm nos omnes Deo potioribus multo gratiis obstringamur. Etenim non in solo pane viuit homo, qui corpore & spiritu concretus pabulo indiget, quo corpus & anima sospitentur. Hanc annonam procul dubio expetebat Iacob, quando emisit votum, quod Scriptura commemorat hoc contextu. *Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Iacob Deo se deuinxit perpetuo obsequio, quia ab eo pascebatur spiritu ratione custodiæ, corpore verò ratione panis. Quicunque hanc Iacob indolem beneficiorum memorem participant, sub Deo Rege viuunt, & Christi dominio tuti degunt. De eo namque Gabriel Angelus ita præfatus est: *Regnabit in domo Iacob in æternum.* O homo eadem qua & Iacob dignatus es gratiâ, Dei protectione gaudes, eodem etiam voto sociare Iacob. Voue impigrum obsequium Christo, quia animæ corporique tuo prouidet opportunè. Nonne audis creaturas omnes abdicare principatum, quem penes eas Deo iniurius reposuisti: Illæ omnes contitentur se nihil habere solidi, quo leuare queant animæ tuæ famem. Venus, aurum, honor, & reliquæ omnes illecebræ, singulæ quæque clamant illud Isaiæ. *In domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me Principem populi.* Quare igitur vltro, ô anima incauta, te creaturarum deuoues obsequio, cùm impotes sint præbere tibi annonam congruam indoli tuæ. Sit tibi Christus in Deum, & abiuta deliciarum omnium principatum, quo vigente, vitiorum omnium tyrannidi mancipaberis. Cui vt te subducas liberiore fruiturus aura, consule tibi eadem industriâ, qua Genuenses cauerunt olim Venetorum insidias. Accipe ex fastis Genuæ historiam veridicam.

Gen. 28.

Luc. 1.

Isaia. 3.

Genuenses & Veneti populi æmuli, diu æquo Marte tentarunt ancipites belli exitus: sed sorte propitia Venetis, Genuensium classis pessum-iit, Veneto milite præualente. Hac clade acceptâ, & exhausto ærario Genuensium, hæc ciuitas reformidans Venetum imminentem, cui occurrere non poterat; vtpote inermis totam se deuouit Ioanni Comiti Mediolanensi, ea conditione vt Genuam tutaretur ab hoste, & congruâ annonâ pasceret. Annuit Comes ille, conscripsit militem, Genuam pauit, & ita rerum potitus est. Iisdem argumentis nos omnes sibi deuinxit Deus. Nam diabolo homini insultante, tempestiuè adfuit Deus homini inermi, & consumpto inediâ, cui nemo ire obuiam poterat. Caput suum obiecit Christus, vt homines è seruitute reduces efficeret sui iuris, corpore suo sacro pauit famelicos; & quod est bonorum omnium summa, cœlos eis peruios fecit, vbi ad satietatem torrente voluptatis animæ potabuntur. Itaque non est quòd cunctetur homo in deligendo Rege, cùm omnia nobis bona ex Christi dominio prostent, eum igitur ita affari par est: Princeps noster esto, ô præpotens Iesu: abdicauimus enim omne aliud dominium, vt tuo duntaxat obsequio mancipemur. Fiat.

Ex Historia.
Pet. Bizar. in hist. Genua.

Gratitudo Genuæ versus Ioannem comitem Mediolani.



FERIA SECVNDA.

DOMINICÆ IV. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. FVIT hoc vetus effatum, ſcilicet mundum hunc eſſe templum Dei. Dico ego priori parte iſtius homiliæ, reprobos omnes facere hoc templum ſpeluncam latronum, & nundinas agere cum diabolo & carne. Totum autem illud negotium eſſe latronum commercium, inde maximè liquet, quòd merces ibi explicatæ non ſunt eorum, qui illam mercaturam exercent. Quomodo autem homines diuendant oues & boues, explico illud moraliter, & ſubiicio Deum flagellis multis pellere hos nundinatores è templo huius mundi. Eſſe autem multa genera flagellorum, quibus impetuntur impij, fusè ſatis facio palam illa prima ſectione.

II. Secundò dico, diabolum aliam negotiationem induxiſſe in Eccleſiam, illam videlicet quâ venduntur & emuntur columbæ. Vendere autem & emere columbas, eſt beneficia Eccleſiaſtica facere venalia. Deus in hos ſacrilegos multifariàm animaduertit, eliminans eos cenſuris, quæ ſunt flagella, quibus illi mercatores pelluntur Eccleſia, & iuxta grauitatem facinoris congruè flagellantur.

PRÆFATIO.

Inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas. Ioan. 2.



RCA Dei olim introducta in delubrum Dagon Dei Philiſtinorum, nequiit ferre impium ſimulacrum: nam illud ſuſque deque vertit in fruſta comminuens; quippe non coeunt in eodem templo Deus & idola. Vt namque Deus vnus eſt, ita & vnitate gaudet; nec vult cultum ſuum pollui, aut rei alterius obſequio commiſceri. Idem rerum omnium Dominus ſubintrans hodie templum ſuum, & deprehendens in eo celebrari nundinas ab hominibus ementibus & vendentibus oues, boues, & columbas, zelo Dei armatus inſurrexit in ſacrilegos illos mercatores: nempe compoſuit flagellum è funiculis, quo durè excipiens profanos illos nundinatores, procul à templo abegit, dicens domum Dei eſſe domum orationis, & non ſpeluncam latronum. Eo facinore Chriſtus hodie condemnat omnia pacta quæ inimus cum dæmone, mundo, & carne, ibi enim agitur de anima noſtra, quæ ouis eſt quando innocentiæ ſtatu gaudet; bouis autem indolem æmulatur, quando in Dei obſequio corpori collaborat. Eſt denique columba, quando donis Spiritus Sancti rutila decoratur. Secum dumtaxat vult Deus celebrari nundinas, vtpote cuius ſunt omnia noſtra, iuxta illud Pſaltis. Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. *Has ego vobis indico nundinas, auditores. Venite, emite abſque argento, omnia gratis dat Deus, dummodo alia negotia cum Dei hoſtibus abiurentur. Negotiamini itaque, ô fideles, & coemite à Deo merces minimè perituras: cauete à circumuentione dæmonis inimici mercatoris, cuius fœdere quiſque reprobus efficitur gratiâ deperditâ, quam vt recuperemus, eam adeamus quæ eſt gratiâ plena:* AVE MARIA.

Pſal. 94.

MVltiplex eſſe Dei templum nemo eſt qui eat inficias, niſi neſcius varij modi, quo Deus inhabitat orbem hunc vniuerſum. Ne autem ædes illæ ſacræ exurgant in numerum propè immenſum, ſicut & illæ quas erexit Iuſtinianus Imperator, quas penè infinitas recenſuit Procopius; tres tantùm recenſebo baſilicas ſeu templa, quæ Deus inhabitat. Trifariàm namque Deus ineſt rebus. Primò per eſſentiam. Secundò per gratiam. Tertiò per gloriam. Nec vbique Deus exiſtit hoc triplici inhabitandi modo; nimirum reprobis adeſt per eſſentiam, ſed non eis ineſt per gratiam: iuſtis verò hominibus intimus eſt per gratiam, ſed non per gloriam, qua dumtaxat influit in beatos. Hunc diuerſum in Deo eſſendi modum Bernardus ita commemorat. *Licet in omni loco ſit qui nullo clauditur loco; dicitur tamen, Pater noſter qui es in cœlis, quod aliter illic, & proprio quodam modo ſe præſentem exhibeat; non quidem ipſe diuerſus, ſed diuerſa diſtinguens.*

Templum Dei triplex.

Deus quare dicatur eſſe in cœlis.

Bernard. ſer. 6. de dedic.

Ex præfatis, tria Deo templa conueniunt, in quibus inuenit vendentes boues, oues, & columbas, quos eiecit flagello compoſito è tribus funiculis. In templo gloriæ, id eſt, in cœlo inuenit Angelum deſertorem, qui vendebat aliis Angelis gloriam Dei, propriis viribus acquirendam. Ex hoc templo eiecti ſunt & emptores & vendentes, Deo vindice vt flagello, cuius tres funiculi ſunt tres perſonæ Trinitatis læſæ in diaboli piaculo, quo offendit Patrem vſurpans eius potentiam. Fuit & Filio iniurius ille nebulo, auſus fieri ſimilis Altiſſimo, ita ſibi vendicans imaginem Dei, quod proprium eſt & perſonale Verbo,

quod

quod procedit vt imago. Denique incurrit in Spiritum Sanctum, quando illius ementita bonitate voluit gloriæ latices effundere in omnes refugas Angelos, quos turpiter eiecit Deus de hoc templo gloriæ: non quod gloriam fuissent adepti spiritus illi nequam, sed quia erant in cælo citra visionem Dei; cælum illud ego nuncupo templum gloriæ. Templum essentiæ, est orbis terrarum, vbi sunt oues & boues. Ouis innocentiam sonat, quæ est communis Angelis & hominibus, qui ideò censentur eodem nomine ouis, Christo perhibente se reliquisse in caulis nonaginta nouem oues, vt vnam errantem prouidus baiulus proprio humero reportaret. Hæc ouis errabunda notat hominem, sicut & aliæ Angelos significant. Rursus boues etiam homines designant, quia nati sunt ad laborem. Inuenit Deus in hoc templo mundi homines ementes à diabolo gloriam & scientiam; nundinator enim ille vafer, sic merces suas ventilabat: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Deus hos mercatores ex hoc templo eiecit inglorios, dum morti obnoxios fecit, flagello facto è tribus his funibus, peste, fame, & bello, quibus homo pellitur hoc mundo vt flagellis.

Genes. 3.

Templum gratiæ est Ecclesia seu cœtus fidelium. In eo templo sunt columbæ, id est, dona Spiritus Sancti, quæ consequuntur infulas Ecclesiæ, quibus Episcopi, Abbates, & alij Prælati cæteris eminent. Qui has dignitates mercatur, ille in templo nundinas agit, & emit columbas. Hos vendentes & ementes Deus pellit flagello, cuius tres funiculi sunt irregularitas, suspensio, excommunicatio. Habeo igitur hoc probandum, reprobos vendere oues, boues, & columbas in templo, ideóque à Domino deturbari, quia mundum hunc faciunt speluncam latronum. Non enim sunt hominum ea quæ diabolo vendunt, atque ita fures sunt, qui de anima sua cum dæmone paciscuntur, vt dicam primò. Secunda verò parte concionis huius agam de columbis, id est de simonia.

Pars Prima Homiliæ.

Dei flagella reprobos quatiunt, quia nundinas agunt cum dæmone.

Philo lib. Alleg. Mundus est templũ Dei.

EX Philone Iudæo, auctore magni nominis apud suos, mundus est templum, cuius introitus est ipsa natiuitas; templi incolatus siue mora, est vitæ discursus; exitus verò omnibus & inuitis patens, est mors. Hoc sibi Deus erexit templum, vt sui nobis admirationem ingereret, iuxta illud Tertulliani effatum. *Totam molem istam verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, nihilo expressit in ornamentum maiestatis suæ.* In hoc templum introducti sunt homines, vt cum Deo salutis suæ gererent negotium, vacantes orationi, & cæteris religionis obsequiis: domus namque Dei domus orationis est. Deus secùm agi vult, & non cum aliis, venale proponens regnum suum, vt illud ab homine animæ suæ pretio comparetur. Sed vt aurum multos habet insidiatores; ita & anima potior auro multas patitur insidias: quippe dæmon nundinator animarum alios adsciscit mercatores, quibus vt sociis vtitur ad negotiãdum cum homine. Negotiatores diabolo adiecti, sũt mũdus & caro, quibus cum homine res est de anima, quam mercantur pretio voluptatum. Dæmon opes opimas explicat, mundus oculis obiicit pompam & sæculi fastum, caro deliciis demulcere animam tentat; demum in his nundinis animarum tot & tantæ illecebræ prostant, vt se ab eis ægrè admodum valeat anima salutis mercibus expedire.

Tertull. in Apolog. c. 17.

Diabolus animas petit.

Diaboli mercatoris animarum ingenium congruè refert Rex ille Sodomorum, quem sic recenset Moyses. *Dixit Rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Callidus ille nundinator, merces suas omnigenas ante hominem versat, vt rerum discolor facies eum deliniat, & inclinet ad mutua cum mũdo & carne negotia, quibus animam suam obligat, potiora Dei commercia incautè & turpiter aspernatus. Etenim anima hominis diabolo obstringitur quando libidini & gulæ indulget; siquidem de ratione peccati est, vt homo consentiat, consentire autem est velle. Sed qui vult aliquid, hoc illud amat, & qui amat, ille seipsum dat: nam amor est donum amantis. Ergo cùm anima amet, & non corpus; anima amans mundum & carnem se dedit illis, & eorum domino qui est diabolus, à Christo nominatus Princeps huius mundi.

Gen. 14.

Ex Theologia. Thom. 1. 2. q. 113. art. 1. ad primum. Peccator negotiatur cum diabolo.

In illa autem negotiatione est constituta tota ratio peccati. Nam illic anima à Deo auertitur, & conuertitur ad creaturam, vnde emergit summa iniquitas, quâ totius commercij cum diabolo malignitas innotescit: dicimus enim iniqua commercia, quæ contra fas & æquitatem frequentantur. At omni peccato violatur iustitia; ac proinde omne peccatum nominatur iniustitia, iuxta illud Ioannis. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Est enim contra æquitatem dare alteri id quod ad alium pertinet. Sed peccando quisque dat diabolo animam suam, quam Christus multiplici titulo demeruit. Ergo damnanda sunt illa negotia, quibus anima variis illecebris implicita diabolo deuincitur.

Peccati ratio in quo sita sit. 1. Ioan. 3.

Rursus ex Philosophia, liquet animæ peruersitas, quæ contrahitur cum dæmone neglecto Deo. Animæ integritas attenditur penes perfectionem potentiarum eius, quarum status æquior aut iniquior petitur ab actibus. Ergo si actus potentiæ, à qua homo dicitur iustus, deuiat ab obiecto suo, homo inde nuncupabitur iniustus. Verbi gratiâ, oculus ægrotat, qui lumine modico offenditur; sicuti membrum liuidum est, quod minimo attactu querulum vim patitur; gustus item peruertitur illi, quem non afficiunt exquisita condimenta. Itaque voluntas, cuius obiectum est bonum, quando Deum fastidit, qui est summum bonum vt adhæreat fucato alicui bono, deflectit ab ea rectitudine, quam vendicat sibi cuiusque potentiæ integritas, ac proinde iniqua est illa potentia, cuius actus elicitus impetit æquitatem. Ideò dicimus iniquos omnes eos, qui delinquunt, qui contra æquitatem cor suum seu voluntatem deuouent ementito bono; Deo, à quo est omne bonum, penitus abnegato. Eo pacto mundus, quo debuit homo vti tanquam templo ad Deum contemplandum, fit spelunca latronum, quia quod Dei est, suffuratur homo, cùm se suáque deuouet diabolo, vt viliore quaque recula potiatur.

Ex Philosophia. Albert. Magn. de intellectu lib. 1. tr. 1. c. 11.

Mundus quomodò fiat spelunca latronum.

Deus has nundinas exosus vt sibi iniurias, hos mercatores durè excipit, aptatis funibus in flagellum. Et reuerà nunquam homines in flagella Dei impingunt, nisi ob pacta inita cum diabolo, animas summâ Dei iniuriâ nundinante. Scriptura

Peccatum mortem homini creat.

sacra multa est in recensendis historiis, quibus liquet illa mea conclusio, de homine flagellato & extirpato ob iniqua commercia. Audi epitaphium Regis à Deo reprobati. *Mortuus est Saül propter iniquitates suas, eo quòd præuaricatus sit mandatum Domini.* Cùm autem plebs tota init fœdus cum dæmone, omnis etiam ille populus pacti iniqui conscius extirpatur, vt fidem facit idem Codex, vbi Deus ipse futurus vltor impiæ negotiationis, hæc minatur. *Quia dereliquerunt me irritantes me in cunctis operibus manuum suarum, succendetur indignatio mea in hoc loco, & non extinguetur.* Etsi impij mercatores quasi lateant in speluncis, dum contrahunt cum dæmone, aut aliquo illius institore; nihil inuium est oculis Dei, qui latrones quosque traducit plectendos tempore opportuno. Ideóque flagellorum Dei argumentum petitur à peccatis nostris, quæ nihil planè aliud sunt, quàm impia commercia cum diabolis degentibus in speluncis. Hinc Gregorius malos hortatur ad resipiscentiam metu pœnæ, si præmiis nequeant inuitari. Sic ille: *Qui bona minus diligunt, saltem mala pertimescant, & ab his se qua sunt plectenda contineant. Nam in flagellis positos, flagellis digna committere, contra ferentem est specialiter superbire, & sæuientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis iustè quiescere, & Deum iniustè velle à sua vltione cessare.*

1. Paral. 10.

4. Reg. 22.

Ex SS. Patribus. Greg. lib. 8. epist. 41.

Saluianus æui sui texens historiam ingloriam, tot nefanda commemorat, vt ipsa etiam charta pudibunda rubescat, referens obscœna piacula hominum, quos ille censor asper stylo suo notat, subiiciens grauia flagella, quibus Deus hoc impium genus aliò deportauit. Qualia autem fuerint commercia illorum hominum, quos Deus vltor extulit, disce ab eodem ita debacchante in perditos mores illius sæculi: *Quid miraris si cadimur; miseria nostra, infirmitates, euersiones, & penè improba seruitutes, testimonia sunt mali serui & boni Dei. Quid enim omnium aliud dignitas sublimium, quàm præscriptio ciuitatum, aut quid aliud quorumdam præfectura quàm præda. Nulla maior pauperculorum depopulatio quàm potestas: ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione satietur. Reddunt miseri dignitatum pretia, quas non emunt; commercia nesciunt, & solutionem sciunt. Vt pauci illustrentur mundus euertitur, vnius honor orbis excidium est. Nihil mirum, si deteriora quotidie patimur, qui deteriores quotidie sumus, quamlibet aspera & aduersa patiamur, minora patimur quàm meremur. Quid querimur quòd durè nobiscum agat Deus, multò nos durius cum Deo agimus, vim facimus pietati eius, ac manus quodammodo inferimus misericordiæ eius. Nam cùm ea, quibus torquemur, admittimus, ipsi tormentorum nostrorum sumus auctores, & impletur illud Isaiæ: Ecce omnes vos ignem accenditis, & vires præbuistis flammæ, ingredimini in lucem ignis vestri & flammæ quam accendistis.* Hæc ille, qui longè latèque spatiatur in eo argumento de Deo reproba capita flagellante.

Flagella Dei quomodo possumus declinare.

Saluianus lib. 4. de prouidentia.

Flagella Dei quare desæuiant.

Nota, ementes & vendentes è templo fuisse eliminatos à Christo, qui & in singulos hodie sæuit, & in plures grassante lue & recrudescente bello. Nam vt singuli quique reprobi peccant, quando animam suam diris deuouent; ita & mundus crimini obnoxius est, quia pollicetur delicias quibus est impar & sufficere nequit. Verbi gratiâ, dum pœnitens anima cogitat sanctius institutum & secessum, statim insurgit mundus, & suggerit esse importunum hoc genus vitæ singularis, & mitiore ritu posse à nobis æterna præmia comparari. Nutanti animo obiicit pœnitentiam lurido vultu, lacero corpore flagris, membris inediâ exesis, comâ incultâ, detrita veste & cinere aspersa, demum eo habitu quo terreri queat etiam animus propositi tenax. Confluunt vndique sodales retroactæ vitæ, pollicentes æuum diuturnum, sufficiens ad pœnitendum. Aiunt esse nefas pubescente ætate pœnitere, nihilque esse metuendum homini viribus integris. Sua quæque tempora suos etiam manere ritus, florentes annos esse voluptatis, & serotinum vitæ tempus esse sacrum luctui peccatorum, quæ ætas vegeta perpetrauit. Denique delicias omnes iactant & promittunt, mundus, caro, dæmon; nequeuntes tamen stare pollicitis: Dei namque est animam bono omnimodo cumulare. Ideò quotidie Deus sæuit in impios, quia alios etiam in suam tribum reprobam adsciscere satagunt, dum faciunt seruos Dei fugitiuos.

Mundus obstat ne quis agat pœnitentiam.

In huiusmodi corruptores seuerè cautum est ab Alexandro Seuero Imperatore, cuius accipe edictum. *Aduersus eum dumtaxat, quem seruum tuum sollicitasse dicis, si eum deterioris animi fecerit, serui corrupti agere potes. Quod si sollicitatum occultauerit, etiam furti cum eodem agere potes.* Plerique hodie morte repentina occidunt, quia alios sollicitarit ad defectionem à Deo, & sic emunt boues. Hos namque homines, qui impendunt laborem suum iugi Dei obsequio, dum peruertunt, iugum suaue offerunt his bobus editis ad laborem; vt in luxuriæ & gulæ pascuis diffluentes otio saginentur. In nebulones illos aliis hominibus insidiantes, vt eos abducant secum in præceps vitiis irretitos, agi potest hac lege Imperatorum Diocletiani & Maximiani. *Eos; qui à seruo furtim ablata scientes susceperint, non tantùm de susceptis conuenire, sed etiam pœnali furti actione potes.* Mundus à Dei seruis exigit pensum, vni duntaxat Deo debitum, scilicet curas & affectum, dum hortatur viros probos, vt curent sollicitè ea quæ carnis sunt, & benè afficiantur erga corpus suum; hoc reuerà est à seruis furtim suscipere ea quæ Domini sunt: quippe vni Deo debent & curæ & affectus omnino deuoueri.

Ex Iure Civili. Lege aduersus Cod. de furtis. Seruos sollicitantes qua pœnâ teneantur.

Seruorum furta recipere quale sit peccatum. Lege Eos Cod. de furtis.

Eamobrem Deus pœnali actione quandoque quatit impios, suam vlturus iniuriam, vt suo ferè extremo discrimine sensit Constantinopolis, quæ cùm nefanda libidine arderet, Sodomam sua obscœna colluuie referens, grauem Dei manum passa est. Nimirum virulenta lue populante ciuitatem internecio ferè indicta est illi populo Sodomitæ. Iustinianus Imperator rerum potiens Deum placaturus eius partes egit, capite animaduertens in conscios nefariorum actuum, vt in auctores flagellorum, quæ tunc erant Veneris monumenta nefandæ. Deletis autem præcipuis reis, dedit inducias Deus his populis ad pœnitendum. Triginta circiter annos anteà durius actum est cum Antiochia, quæ vt sentina vitiorum fœteris, valido terræ motu concussa, collapsa est, & in ædium ruinis infinita propè capita sepeliuit. Quam cladem vt audiit Iustinus Imperator senior, totum se accinxit ad Deum demerendum. Nam purpurâ exutâ, & deposito diademate, cinere

Ex Historia. Hist. Imperial. sub an. 558. Peccata ciuitatum ruinam inducunt.

Eadem hist. sub an. 525. Pœnitentiæ exemplum insigne in Iustino Imperatore.

cinere aſperſus, ſacco & cilicio indutus eſt, diutinis orationibus vacans. Et ne quid abeſſet ab eo humili habitu, quo Deus fieret propitius, ærario ſuo aperto larga manu ſtipem egenis omnibus erogauit.

Audiuiſti quo flagello Deus exturbarit ex hoc mundi templo homines ementes carnis illecebras, & in pretium harum mercium deſpondentes animas tuas diabolo. Habes in Iuſtino cautelam, quâ occurri poteſt cladi inſtanti. Nempe tria is perfecit, quibus omnia cum dæmone inita fœdera reſcinduntur. Quidquid enim emimus à dæmone, eſt voluptas, vel aurum, aut honos, iuxta illud Apoſtoli affirmantis, illud omne, quo vt ſupellectile mundus inſtructus eſt, eſſe ſuperbiam vitæ, concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum. Superbia depreſſa eſt quando Imperator exuit infulas; purpura namque depoſita animum humilem clamat. In cilicio ſetarum aculeis hiſpido puncta caro luit pœnas debitas illecebris, quibus aliàs indulſerat. Gazæ apertæ & opes effuſæ in manus pauperum, auari animi notas penitus expunxerunt. Diceres Imperatorem voluiſſe reuocare pretium diabolo datum, cùm abiecit omnem ſæculi pompam, quaſi diceret callido illi mercatori: Pœnitet me, ò deceptor, hactenus vſum mercibus tuis, tuas nunc res habeto, agnoſco dolos, ac proinde reſcindo pactum, & tutiora ineo commercia, deſpondens animam meam Chriſto, à quo procul eſt fraus omnis. Ille habet regnum vænale bonis operibus, & citra condignum, præmia decernit his, qui cum eo paciſcuntur.

Ratum non habetur, quod mala fide geſtum eſt.

Ex Ivre Civili. *Leg. Si pater Cod. de reſcindenda venditione.*

Chriſtiane, fias hac Iuſtini hiſtoriâ cautior, & reſili à contractu inito cum diabolo à quo ſpurias merces ſummo animæ tuæ diſcrimine coëmiſti. Tibi fauet Ius Ciuile, à quo habes hoc effatum. *Ratum non habebitur, quod non bona fide geſtum eſt; malæ fidei enim emptio irrita eſt.* Mala fides ſeu dolus petitur ex qualitate facti; vt habetur hac lege. *Dolus emptoris qualitate facti non quantitate pretij æſtimatur.* Qualitas autem facti attenditur ex intentione facientis; ſed dæmonis intentio eſt, vt fallat & hominem perdat: ergo homo poteſt irritum facere pactum cum diabolo celebratum. Rurſus alia etiam actione eludi poteſt negotiatio facta cum dæmone; nimirum non ſoluit ille merces pollicitas; ſiquidem vafer ille animarum nundinator pollicetur beatitudinem in hoc ſæculo; & tamen homo effuſus in omnes carnis illecebras, non inde beatior efficitur, ſed longe deterior: Venere namque & Baccho multa adſcita ægritudine corpora diſſoluuntur. Et hoc monet prouida Medicorum ſchola. Ex qua celebre eſt illud Hippocratis oraculum. Περὶ ὀρέντων εὐχροίη καὶ ἱδρῶτες ἀπυρέτοισι κόπρανα παλαιὰ ὑπεόντα ἢ σημαίνει, ἢ διαίτης ἀταξίην. *Eximia faciei coloratio, & ſudores febris expertium, fæces vetuſtas ſubſiſtere, aut irregularem diætam teſtantur.* Vide quàm fallax ſit viuidus ille color, quo facies exſaturata rubet plethoram arguit, ideóque affluxu nimij ſanguinis intenſus calor foras trudit humorem, qui diluit fæces, quæ ideò diutius in viſcere ſtabulantur, ſuaque colluuie præbent multa, morbis variis argumenta. Longa eſt ſeries morborum, quos gula parit: in his ſunt apoplexiæ familiares obeſis corporibus, humore nimio redundante; calculi frequentes in renibus, oriundi ex indigeſto cibo, vnde pituitoſus humor alluens renes, illis magno helluonum diſpendio decoquitur. Adiice his podagras, paralyſes, cephalalgias, & febres, quarum omnium rudimenta gula præſtat. Nec mitiùs agit Venus cum ſuis cynœdis; omnia illis fœtent, tempora puſtulis ſata rubent, inglorius oris habitus ſcabie horrida fugat omnes, lues intus omnia viſcera exedens exigit pœnas deliciarum, in quibus ſeſe corpora volutarunt. Sicque liquet dolus diaboli venditoris.

Lege Dolus eod. titulo.

Diaboli intentio fallax.

Ex Re Medica. *Hippoc. lib. 2. Coac. c. 6. prænot. 5.*

Gulę diſpendia multa ſunt.

Adiice Iuris Cæſarei legem quâ reſcinditur illa venditio rei, cuius pretium longè minus eſt quàm par ſit. Ecce textum legis. *Rem maioris pretij, ſi tu vel pater tuus minoris diſtraxerit, humanum eſt, vt vel pretium te reſtituente emptoribus fundum venundatum recipias auctoritate iudicis intercedente, vel ſi emptor elegerit, quod deeſt, iuſto pretio recipias. Minus autem pretium eſſe videtur, ſi nec dimidia pars veri pretij ſoluta ſit.* Hæc cauerunt Diocletianus & Maximianus Imperatores. Ergo cùm non habeat dæmon vnde reſtituat pretium animæ, ſupereſt hoc vnum pœnitenti, vt abdicet omnes illecebras, diaboli merces quas coëmit; & aliud ineat cum Deo commercium, quo magno gratiarum fœnore homines adaugentur. Ille autem minus pretium illud quo ſibi homines obligat dæmon, colligere eſt ex defectu proportionis rei datæ cum anima, quam ſuam facit ille aſtutus nundinator.

Ex Ivre Civili. *Leg. Rem. maioris Cod. de reſcindenda vendit.*

Emptor quis dicatur malè emiſſe.

Proportio quid ſit.

Audiendus pro eo argumento Euclides. Sic ille: *Proportio eſt habitudo duarum quantacunque ſint eiuſdem generis quantitatum, certa alterius ad alteram habitudo.* Cùm ergo quantitates debeant eſſe eiuſdem generis, vt intercedat aliqua proportio; nulla planè erit proportio inter merces, quas diaboli præſtant pro lucranda anima, quia corporea tantùm & peritura præbent; & anima tamen eſt ſpiritalis & durationis interminæ. Quòd ſi nulla eſt proportio inter locum & tempus, quia non ſunt eiuſdem generis; multò minor erit inter animam & delicias, quas dæmon rependit in pretium animarum, atque ita vrgebit lex antea recenſita de reſcindenda venditione, quia non ſoluta eſt media pars veri pretij, quo anima debuit æſtimari.

Ex Mathematica. *Euclid. lib. 5. elem. Geomet. defin. 3.*

Se hîc offert locuples argumentum declamandi in deliros homines, qui etſi reſilire queant ab iniquo contractu inito cum dæmone; tamen ratum habent quidquid antea peccauerunt. Et licet crebris flagellis Deus in hæc pacta deſæuiat, nemo fit cautior. Pauci quidem reſipiſcunt ad moram, facientes templum hoc domum orationis, negotiantes cum Deo; ſed poſtea in ignauiam fracti, iiſdem vetitis negotiis vacant, quæ hactenus abdicarant. Ideóque poteſt eis affingi lemma, cuius meminit Ferrus, qui depingit auem aucupis, quæ viſo illicio repetit manum aucupis, incuria libertatis, dummodo modica carne præoſtenta ſe ingurgitet. Huiuſce auis incautæ lemma hoc eſt. VLTRO AD VINCVLA REDIT. O homo, quem Deus dignatus eſt meliore fruge, caue dæmonum technas, aures occlude ſuſurro infideli Angeli huius nequam, cui ſi quando auſcultas, VLTRO AD VINCVLA REDIS, ac proinde indignus es, cui denuò condonetur

Ex Symbolis. *Io. m. Ferrus p. 2 Theatri.* Pœnitentiæ interruptæ ſymbolum.

SECVNDA

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Quibus flagellis vexet Deus Simoniacos, qui columbas vendunt.

IN templo Ecclesiæ alia versat commercia spiritus ille astutus: nempe columbas vendit, & hoc quando ad simoniam sollicitat homines. Nomine columbæ intelligitur Ecclesia, cuius regimen cùm vænale est, vt inde ditior fiat homo, ecce iniquum columbarum commercium. Accipe Canonem meo intento propitium. *Et arbitror conuenire verbum de venditoribus columbarum eis, qui tradunt Ecclesias auaris, & tyrannicis, & indisciplinatis, & irreligiosis Episcopis aut Presbyteris. Propter quod & cathedras tantummodo appellauit Euangelista euersas esse à Iesu.* Eodem Canone notantur illi, qui negotiantes in re sacra, faciunt Ecclesiam speluncam latronum. Ecce textum. *Nunc autem arbitror templum Dei ex lapidibus viuis constructum, esse Ecclesiam Christi. Sunt autem multi in ea non sicut decet viuentes spiritualiter, sed secundum carnem militantes, qui & domum orationis de lapidibus viuis constructam faciunt speluncam esse latronum actibus suis, non Ecclesiâ Dei dignis, sed speluncâ latronum. Qui enim considerat in multis Ecclesiis talium Christianorum peccata, qui arbitrantur quæstum esse pietatem, & cùm deberent de Euangelio viuere, secundùm quod viuere decet seruos Dei; hoc non faciunt, sed diuitias & multas possessiones acquirunt, nonne dicet speluncam latronum factam esse sub illis Ecclesiam.*

Ex IVRE CANONIC. Can. Et hoc diximus 16. q. 4. Columbarũ venditores qui sint.

§. Nunc autẽ eod. Canone. Ecclesia est templum de viuis lapidibus erectum.

Sacrilegos esse hos contractus patet ex natura rei. Nam opes Ecclesiæ sunt pauperum, & non eorum qui eas possident, si aliunde queant sibi prouidere. Ergo qui auro comparat sibi gradus & honores seu beneficia, vt vulgus nominat infulas & titulos eminentes; ille in Simonis discrimen incurrit: vt enim credidit ille auro possideri Spiritus Sancti dona; ita & illi in Ecclesia ditescere volunt, beneficio rei merè spiritalis: vt est dignitas Ecclesiastica imposita magis ad onus quàm ad honores, & magis homines prouocans ad opus quàm ad opes. Vnde magnam iniuriam Deo faciunt Simoniaci iniqui rerum æstimatores: nam res sacras arbitrantur posse nummorum pretio compensari. Horum mensas euertit & cathedras; & insuper flagello eiecit è templo. Vbi nota mysterium insigne. Satis fuit Christo eiicere de templo vendentes & ementes oues & boues; sed eorum æs non effudit, aut si qui cathedras habuêre, ille eas non euertit; quod tamen fecit quando animaduertit in eos, qui de columbis in templo nundinas impiè celebrabant. Explico arcanum.

Opes Ecclesiæ sunt pauperum.

Simoniaci sunt Deo iniurij.

Opes Ecclesiæ Laici ne occupent.

Omne peccatum lethale noxium est auctori suo, & plerumque morte præcoci luit reprobus facinoris iniqui piaculum, vt passim videre est in helluonibus, & aliis, qui dum libidine diffluunt, morte pereunt immatura; tamen eorum fato facultates eorum sartæ tectæque transeunt ad heredes, Deo non effundente eorum æs, imò nec euertente cathedras, quia si qua pollent dignitate, filij eorum aut propinqui eâ non excidunt. At planè alia sors est illorum hominum, qui de columbis tractant commercia. Primò flagellis Ecclesiæ & Dei subsunt. Audi Canonem ferientem anathemate eos, qui iniquis artibus Ecclesiæ censu gaudent. *Nullus laicorum Ecclesias, vel Ecclesiarum bona occupet vel disponat. Qui verò secus egerit, iuxta beati Alexandri capitulum, ab Ecclesiæ limitibus arceatur.* Sed quia Simoniaci parui faciunt, pelli Ecclesia his flagellis, Deus adiicit flagellum quod pertingit ad diuisionem animæ, & compagum: nam hi negotiatores vtplurimum malè defunguntur, luentes morte horrenda pœnas congruas sceleri perpetrato.

Ex IVRE CANONICO. Can. Nullus 16. q. 4.

Ne exempla desideres, ego subiiciam vnum, idque luculentum in subiecta materia. Mortuo Acacio Patriarcha Constantinopolitano, diu hæsit Imperator Zeno in successore nominando. Tandem subiit eius mentem tale consilium. Schedam altari imposuit, foribus Ecclesiæ cautè obseratis, Deum enixè orans, vt illi Ecclesiæ ad arbitrium suum Præsulem prouideret. Accessêre omnium vota petentia Antistitem idoneum. Omnibus Deo intentis, quidam nomine Flauianus homo anhelans ad gloriam & cupidus titulorum Ecclesiæ, magnam vim auri dedit Ecclesiæ custodibus, vt nomen suum inscriberent, adeóque eos hoc munere deliniuit; vt res pro voto succederet. Condicta die ciuitas tota confluxit in Ecclesiam, visura quid Deus desuper indicasset. Chartâ explicatâ renuntiatur Flauianus Patriarcha, nemine reclamante. Noluit Deus esse diu hoc impune scelus; breui enim ille sacrilegus columbarum emptor malè disperiit.

Ex HISTORIA. Niceph. lib. Eccles hist. 16 c. 18 Simoniacus quidam à Deo punitus.

Eo exemplo vides eiectos eos qui emunt columbas; vide iam & æs effusum, & cathedras euersas, id est, opes malè vsurpatas aliarum etiam opum cumulos absorbere, & insuper has Ecclesiæ dignitates non transmitti ad posteros eiusdem nominis & stemmatis. Gallia Christiana ante omnia regna, quæ hodie subdita sunt principi Christiano. Gallia, inquam, pietate Regum suorum magnas opes congessit in pios vsus; inde emersêre Episcopatus quamplurimi, & plures etiam Abbatiæ. Sed repente auita religione in prosapia Caroli Magni, quo auctore Ecclesiæ ærarium intumuit, Principes regio sanguine sati, in priuatos suos vsus aptarunt censum Ecclesiæ, ita vt propinqui & affines Regum optimos quosque reditus Ecclesiæ in suo penu recenserent. Distentæ eorum gazæ opibus Ecclesiæ crepuerunt: nam mortuo Lotario, filius eius Ludouicus V. Galliæ Imperio degustato, veneno sublatus est; & licet extaret heres, scilicet Carolus frater Lotarij Regis; in aliam stirpem corona translata est, rerum potiente Hugone Capeto, qui vt regnum sartum tectumque ad suos posteros transmitteret, rebus cum hoste compositis, conuocauit omnes propinquos suos, sicque eos affatus est: Est quod nos sollicitat, ô propinqui, ad grates Deo rependendas; nam eo moderante facta est nobis copia regni, cui non deerant legitimi successores. Et equidem credo causam quæ fecit inglorios regni hæredes, esse vsurpationem bonorum Ecclesiæ, quorum accessio ditiores aliquando fecit proceres Regibus satos. Sed Deo vindice exuti sunt bonis Ecclesiæ & regno. Ne igitur corona nutet & horarium sit regnum meum; impræsentiarum abdico omnes facultates Ecclesiæ, in bonorum meorum numero recensitas, vosque omnes meo exemplo prouoco ad simile facinus, vt Deum ea pietate demerentes, regnum bonis auibus auspicemur. Valuit Regis

Simoniæ causâ fuit exautorata familia Caroli Magni. Dupleix in hist. Gal. in Hugon. Cap.

Opibus Ecclesiæ restitutis regnum auspicatus est Hugo Capetus.

Regis oratio: namque omnes adstantes haudquaquam muti male parta reddiderunt Ecclesiæ. Non defuit fides augurio: hæc enim pietas in Ecclesiam eo cæmento fixit fundamina regni, vt perennius sit Imperium in hac sola familia, quæ sexcentos & quinquaginta annos iam expleuit; cùm duæ aliæ priores familiæ, Clodouei scilicet, & Caroli Martelli ambæ simul nequaquam deuenerint ad sexcentos annos. Itaque Deus & æs effudit, & cathedras euertit vendentium columbas, quando his fato iniquo pereuntibus, eorum facultates & tituli in aliam stirpem Deo sic decernente transmigrarunt.

Hanc ruinam imminere omnibus, qui commercia columbarum agunt, Beatus Gregorius Papa multis sæculis affirmarat, antequam Hugo Capetus hæc orasset in celebri illo consessu suorum nobilium propinquorum. Sancti illius sententiam Iuri Canonico inseruit Gratianus, vnde est editus iste Canon. *Quibusdam narrantibus agnoui, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat. Quod si ita est, sicut dico, gemens denuntio, quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus in templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas quippe vendere est de Spiritu Sancto (quem sibi consubstantialem Deus omnipotens per impositionem manuum hominibus tribuit) commodum temporale percipere.* Nota, Pontificem affirmare non posse diu foris stare hominem, qui intus cecidit, ac proinde ruinam instare eis, qui Simoniam animo conceperunt. Quare autem mala sit Simonia, audi ex Theologia.

Ex Ivre Canonic. *Can. Quibusdam 1. q. 1.* Columbas vendere quid sit.

Ex S. Thoma, actus est malus quando cadit in materiam indebitam: at res spiritalis est materia indebita venditionis & emptionis. Primò quia res spiritualis nequit pretio terreno compensari, vt Petrus ait Simoni, à qua suam nomenclaturam accepit Simonia. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Secundò, id nequit esse legitimè & congruè subiecta materia venditionis, cuius venditor non est dominus. Sed Prælatus Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, vt ait Apostolus. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi; & dispensatores mysteriorum Dei.* Tertiò venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita Dei voluntate prouenniunt; sicuti Dominus ipse monet, ita affatus proceres Ecclesiæ: *gratis accepistis, gratis date.* Cùm ergo res spiritalis incôgrua sit materia venditionis, peccat ille qui vendit aut emit huiusmodi rem. Nota rem aliquam esse spiritualem duobus modis, atque adeò esse Simoniæ obnoxiam. Primò res est spiritalis inquantum est causa spiritualis gratiæ, vt sacramenta quæ pretio æstimari non possunt, ideóque nec emi aut vendi citra Simoniam. Rursus aliqua res dicitur spiritalis, quia ordinatur ad aliquid spirituale, vt ei annexum & ab eo dependens, vt sunt beneficia Ecclesiastica, quæ haberi non possunt sine præuio officio clericali. Hæc emere & vendere est Simonia, quæ non auro & argento tantùm perpetratur, sed quocunque alio pretio accepto, aut sperato, quod pecunia commensurari potest, & hoc par est annuntiari palam à præconibus sacris. Verbi gratiâ, Prælatus nequit domestico suo dare beneficium loco stipendiorum, quæ meruit ob temporalia obsequia. Nec potest alteri dare beneficium eo intento, vt ille qui accepit, sit domesticus eius, & suarum rerum curam gerat. Quidquid enim pecunia æstimari potest, illud nequit dari pro beneficio demerendo. Si verò Clericus Episcopo adstans in re sacra, diu suum præstiterit obsequium, potest citra periculum Simoniæ accipere beneficium iuxta illud Gregorij. *Ecclesiasticis vtilitatibus deseruientes, Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere.* Potest & sacerdos dispensans sacramenta aliqua à populo accipere ad sustentationem, sed non ratione pretij aut mercedis, vt eradite distinguit Augustinus ita monens. *Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino.* Ita pro supplicationibus publicis, & pro funeralibus licite sacerdotes accipiunt oblata à fidelibus, iuxta effatum Apostoli. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant.* Ibi enim attenditur labor corporalis, cui vacare nequeunt sacerdotes citra annonam.

Actus malus quinam sit. Ex Theologia. *Thom. 2. 2. q. 100. art. 1.* *1. Cor. 4.* *Matth. 10.*

Ecclesiasticis decernenda sunt congrua stipendia. Ex SS. Patribvs. *Gregor. in Registro l. 2. cap. 57.* *August. lib. de Pastor. cap. 2.* *1. Cor. 9.*

At si quis attenderis ad sacramenta, & gratiam, quæ confertur ministerio suo, pretium exigat, ille columbas vendit, eamobrem Deo vltore effundetur æs eius, & cathedra illius quantociùs euertetur. Nemo quippe retinere potest id quod inuito domino rei acquisiuit. At Deus sacramentorum Dominus voluit eorum dispensationem fieri gratis. Ergo ille qui ea vendit, fur est & latro, Ecclesiamque facit speluncam latronum, vnde & meretur malè partis spoliari, vt cauit Imperator Iustinianus hac Nouella. *Sed neque clericis cuiuscunque gradus dare aliquid ei à quo ordinatur, aut alij cuilibet personæ permittimus.* Infra autem subnecit mulctã æris effundendi, & cathedræ euertendæ ita fatus: *Qui verò præter hæc quæ disposuimus, aut dat, aut accipit, aut mediator fit, sacerdotio, aut clero huiusmodi commissa sibi cuiuscunque gubernationis nudabitur, iis quæ accipiuntur vendicandis venerabili loco, cuius talis persona ordinationem, aut sollicitudinem, aut gubernationem susceperit, præbeatur. Si autem sæcularis sit qui accipit, aut mediator factus est, quod datum est, duplum repetitur.* Facessant igitur vetita commercia, vel si nimia nos cupido tenet mercaturæ, de anima nostra cum Deo rerum omnium Domino pacificamur. Amen.

Ex Ivre Civili. *Nouel. 123. de sanctissimis Episc. cap. 16.* Clericus pro sua ordinatione nihil debet dare.

FERIA



FERIA TERTIA.

DOMINICÆ IV. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. ANTE ortum Christi in humanis, valde erant opaca hominum pectora: quippe hallucinabatur ferè hominum genus, diabolo imponente hominibus, qui doctrinam erroneam eo tempore sectabantur. Dogmata illa spuria quæ vigebant & suos assertores habebant, erant illa quibus Angelus nebulo homines in paradiso antea dementarat: scilicet superbia, sciendi cupido intempestiua, gula, aliaque id genus ita animis insidebant, vt Christo Domino opus fuerit ad extirpandos hos errores, exhibito specimine virtutum omnium, quarum praxis homini exciderat, iniquo diaboli dogmate præualente.

II. Secundò notum facio quantum contulerit orbi doctrina illa Christi, quæ excepta patulis auribus, & hianti corde in assensum composito, hominem restituit huic decori, in quo editus est in incunabulis mundi. Accipio ex his commodis locuples argumentum, homines hortandi vt abiurent noxiam doctrinam, quam ebibére aliàs, vt valeant vltro doctrinam Christi Domini profiteri.

PRÆFATIO.

Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. Ioan. 7.

PHILIPPVS Rex Macedo filium suum Alexandrum dicebat esse faustis auibus natum, sub præceptore Aristotele, cuius ingenium nactus euaserat magni nominis Philosophus. Sed quid hæc ad Christum, cuius humanitas affata Deo, dignata est thesauro scientiæ & sapientiæ Dei, ita vt doctrina eius non esset scrutinij humani, sed diuini influxus, vt hodie palam ipse protestatur, hoc themate prælibato: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. *Tamen vt oculi imbecilles lucifugæ nequeunt sustinere coruscos radios; ita Scribæ & Pharisæi, noctuarum instar sese in suas recepere latebras, Christi affulgentis lumine sauciati. Mirabantur vndenam illi tanta inesset doctrina; cùm tamen literas nusquam didicisset: huic dubio occurrit Christus affirmans doctrinam suam esse eodem quo & ipse patre satam. In hoc autem esse dissitam ab aliis, quod nemo eam probè callere queat, nisi morem gerat Deo, cui impigrum præstare obsequium, est se accingere ad hanc disciplinam: cuius rudimentum est virtutum praxis. Hac ego Christi doctrina tinctus, volo vos omnes initiare, vt tandem aliquando sacra illius academia iure gaudeatis. Et ne intento excidam, id præcipuè animo meo insidebit, scilicet vt potiùs cupidinem faciam virtutum Christi, quàm desiderium scientiæ. Nimirum prolegomena illius disciplinæ sacræ petuntur à praxi; ita vt in schola Christi primas teneant illi, qui plura faciunt quàm loquuntur: illic quò quisque sanctior est, eò etiam doctior probatur à ludimagistro. Itaque non est periculum inanis gloriolæ in doctrina Christi: siquidem illa capite haudquaquam concluditur, sed discurrit ad summos digitorum apices, vt quod menti insitum est, opere comprobetur. Ad hanc scientiam comparandam non opus est Virgine Pallade Dea disciplinæ, vt mentita est Gentilitas, sed est consulenda Virgo Maria.* Aue Maria.

DAuid præscius arcanorum Christi totam spem suam reponebat penes Verbum illud abditum nostri corporis inuolucris. Sic præcentor ille occinebat: *Sustinuit anima mea in Verbo eius, sperauit anima mea in Domino.* Psal. 129. Si argumentum exigis tantæ spei, ille idem faciet satis hoc tenore: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.* Si copiosa apud eum redemptio, nihil habet dæmon in homine quod vendicare queat sibi: quippe hominem totum Christus multiplici titulo demeruit, & præsertim eius intellectum abstergendo errores insignes, quos summo animæ dispendio diabolus inspirarat. Vt namque ille acerbus hominum hostis, Angelus refuga, ab iniqua doctrina auspicatus est naturæ nostræ labem, erudiens hominem ad peccatum; ita vt copiosa esset redemptio generis nostri, Christus aliam disciplinam innexit, qua initiauit homines beneficio huius scientiæ sospitatos. Ne autem dubiam faceret hanc doctrinam homo, ait Christus eam esse à Deo, ac proinde abesse periculum mendi, quod subesse potest alteri disciplinæ. Doctrina Christi fuit initium salutis nostræ. Cùm itaque delirus homo hallucinatus fuerit, diabolo deceptore, & sic à Deo declinarit; operæpretium fuit eum doceri ab eo, qui venturus erat vt dissolueret dæmonum technas: frustra enim Christus in gratiam hominum subiisset tot & tantos agones, si non idoneos effecisset nos ad percipienda merita passionis suæ. Fit autem anima compos tanti boni, edocta à Christo: vnde Apostolus texens salutis nostræ compendium, eius summam reponit penes doctrinam Christi. Nimirum quidquid egit,

dixit, & passus est Christus, illud omne doctrina fuit. Gratiæ autem Dei latices alluisse nos mediante illa eruditione Christi, aliena planè suadentis à persuasione dæmonum, succinctè ait Paulus, hoc contextu: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Inde hanc infero conclusionem: Sequaces tantùm doctrinæ Christi saluari. Vt autem liquidò fiat illa propositio, explicabo priori parte concionis huius, quænam fuerit illa praua doctrina, quam Christus oppugnabat. Secundò expendam, quàm fuerit orbi proficua doctrina Christi. Auspicemur.

Tit. 2.

Pars Prima Homiliæ.

Quàm prauam doctrinam Christus venerit impugnare.

NE in vado diutius hæreamus, hoc primò probare aggredior; scilicet, omnem disciplinam esse reprobandam, quæ principiis innititur Deo contrariis, hoc adstruendo faciam satis priori parti concionis huius, cuius est explicare præcipuas sectas, quarum perniciem Christus omnibus aperuit, ita hominibus insinuans, quàm indigus esset orbis optimæ disciplinæ. Ipsa mundi incunabula clamant, quonam auctore & magistro dictata sint prima principia contraria sacris institutis. Sancta nimirum historia Geneseos mundi enarrat Angelum desertorem suasisse mulieri esum pomi vetiti, sub spe Deitatis imminentis, si carperet fructum, cuius inedia faciebat homines obsequentes. Adiecit insuper spiritus ille mendax fructum illum facere omniscios epulones suos. Ideoque mulier à diabolo accepit prima rudimenta gulæ, superbiæ, & curiosæ rerum omnium indaginis, futura voti compos, si Deo neglecto diabolis adhæreret. Hoc namque mentiens ille magister fœminæ promiserat. Illa ebibitis hisce principiis malè edocta, erroris sui conscium habuit virum suum, apud quem plus valuere blandientis fœminæ lenocinia, quàm dæmonis argumenta. Nempe eleganti ore mulier in blanditias tota efficta, virum fregit, & malè suadâ voce pellexit ad lethale pomum, cui mentita est subesse infulas abditæ Deitatis. Credulus Adam fœminæ dedit manus hactenus illibatas. Itaque diabolus & fœmina constituere præludia & prima principia superbiæ, gulæ, & amoris nimij fœminarum. In ea schola eruditus Adam doctrinam didicit, quam magno hominum dispendio transmisit ad posteros, qui vt ex parte æmularentur Deum, de dominio cogitarunt compositi in pompam. Et ne spiritu gloriante, caro esset inglora, & congruæ beatitudinis expers; genio indulgentes gulæ cupedias & omnes illecebras Veneris adsciuerunt. Vtque beatitudo illa ementita iugis esset, per fas & nefas cumularunt opes, veluti media idonea, quibus scanditur ad gloriam seu dignitates, & quibus compendiosè omnes deliciæ comparantur.

Doctrina diaboli qualis extiterit.

Huius erroneæ disciplinæ erat conscius ferè orbis vniuersus, quando suæ doctrinæ latices effudit Christus. Et vtinam iamdudum damnatæ illæ disciplinæ adhuc non vigerent, nec plures haberent sequaces sui delirij, quàm Christus Euangelij sectatores. Sic autem conuincitur hominum impiorum insania, quæ sugillat institutum & meliorem frugem cuiusque viri probi. Ea disciplina potior est, quæ magis est consentanea rectæ rationi. Ergo cùm à recta ratione deuient prima principia doctrinæ omnium reproborum, nulla conclusio emergere potest congrua ex præmissis erroneis, quales sunt illæ omnes, quibus innituntur symmystæ Angeli desertoris. Verbi gratiâ, affirmare hominem tantùm debere allici præsentibus, ac proinde esse vacandum deliciis; quasi verò à tergo nó instet mors luitura pœnas improbi delirij. Id, inquam, opere profiteri fuit disciplina Iudæorum æuo Isaiæ, quo ipsimet proceres & pastores velut abdicato spiritu duntaxat sensibus inhiabant. In hos sic declamat Isaias. *Ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suã declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum. Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.* Hallucinari eos qui hoc sensuale dogma adstruunt, sic ostendo. Hi qui reponunt beatitudinem suam penes sensuum illecebras, certò sciunt in hoc se esse felices, vel nesciunt. Si nesciunt, illa est extrema amentia profiteri quod nescias, & alios inducere in sectam, de qua non constat an malè sit habitura sequaces suos perpetuis ignibus addicendos. Nemo inficiabitur eum esse insanum, qui reclamante conscientia sua, nescius rapiatur in præceps. Si verò perfrictæ frontis aliqui sycophantæ saturati deliciis, ore petulco affirmant, libidinem, epulas, & sæculi pompam hominem beare, nullamque aliam dari scientiam certiorem ea, quæ multa experientia sectatores suos vsquequaque obstrinxit. Respondeo, illud esse indubium manifestæ caliginis argumentum, petere à sensibus solis validas rationes, vnde scientia aliqua stabilita consistat, cùm nec ipsi sensus semper sibi constent, possintque facili negotio falli, vt demonstrat Euclides in sua Mathematica perspectiua, cuius est hoc theorema. *Speculum construere est possibile, vt in ipso spectentur plures facies, & maiores, & minores, & aliqua propius, & aliqua longius, & alia dextera, & alia sinistra.* Nimirum prægrande speculum aliqua parte sui planum referet obiecta, specie eis adæquata; alia verò parte si conuexum sit, id est, si in gibbos assurgat, tunc illudet oculis, imagine decurtata rei coram positæ, quæ etsi quandoque procul sit, tamen ementita specie cominus obiicitur. Si demum in eodem speculo pars aliqua depressior sit, facies illa caua, res effinget maiori typo & longiore distantia. Ergo nutante principio sensuum, quorum notitia adeò inconstans est, necesse est labare omnes conclusiones, quæ labili fundamento incumbunt. Et vt error ille liquidior fiat petito exemplo ex præfata optica; animæ planæ, siue æquales, id est iustæ & perquàm acceptæ Deo, singulas quasque res æqua lance pensant: in bono amant bonitatem, vt secus odere malum, si quãdo occurrit. At anima typho tumens, & veluti assurgens anhelando ad sæculi pompam, reuera conuexa est, & gibbosa: quidquid ei magnum obiicitur, illud minuit deprimendo, & infra se constituit, quia iuxta Prophetæ oraculum. *Superbia eius ascendit semper.* Quidquid animo versat arduum & insigne, illud iuxta se ponit, cesserit quasi in ius suum, nihil namque suis meritis negat anima ad fastum composita. Ecco deploranda sit

Isai 55. Pastorum ignorantia lethalis est gregi.

Doctrina quæ à sensibus petitur, est noxia.

Ex Mathematica. Euclid. specularia theorem. 39.

Psalm. 73.

Ex Philosophia. Aristot. lib. 1. post cap. 7. Doctrina sana quænam sit.

sit hæc indoles; iniquior tamen est sors eius animæ, quæ adeò caua est, vt dehiscat in profundum vitiorum: nequit enim reuocari ad sanctioris instituti ritum; quippe facessit ei ingens negotium virtutis austeritas, quæ tanta creditur esse reprobis, quanta potest esse maxima. Si quod autem pœnitendi desiderium animum subit, hæc vota vitæ tersioris incundæ refundit in remotissimum tempus, scilicet in senectam.

Scientiæ obiectum quale esse debet.
Ex Philosophia.
Arist lib. 1. poster. c. 7.

Ex præfatis hæc doctrina labat, quæ homines erudit ad deliciarum obsequium, quasi hominem beare queant. Nempe ex Aristotele: Scientia debet esse de necessariis, quæ alio modo se habere non possunt. Vnde ipse affirmat, mutata re de qua est scientia, mutari & scientiam. At sæculi pompa & voluptates quandoque variant, siue eas consideres in seipsis, siue in connexionibus. Hæc namque propositio est falsa: Homo stipatus agmine voluptatum omnium est beatus: nihil namque hominem beare potest, nisi id quod perfectum reddere eum potest secundùm id quo formaliter homo constituitur, id est secundùm animam. At sensuum illecebræ animam deorsum inclinant, & rebus inanibus occupant, quas quando adepta est, deterior fit, vtpote occupata sensuum crepundiis, cùm tamen sociata choris Angelorum deberet tantùm rebus superis inhiare. Ideóque animæ vilia aucupanti, & addictæ sensuum obsequio, eodem modo licet ominari quo Hippocrates ægro, qui delirus venatur muscas & festucas palpando legit. Hunc damnat Hippocrates ita fatus, *De gesticulatione manuum ita ago. Si æger ad faciem manus admouet, aut muscas frustra venatur, aut colligit festucas, aut de veste euellit pilos, aut de pariete stipulas carpit, id omne malum, & lethale est.* Hæc ille, cuius præsagium affingo animæ profitenti dogma Mundi stipulis intenti. Coaceruat opes, variat illecebras, & hoc omne in suam ipsius perniciem, licet beatam hanc rerum indolem arbitretur.

Manuum gesticulatio malù omen ægro portendit.
Ex Medicina.
Hippoc. lib. 1. præsag. c. 7.

Vesaniæ Hebræorum fuit olim hoc euidens argumentum, quod Deo seruientes in deserto, concupierint tamen illum statum, quo malè habiti sunt in Ægypto, quærentes paleas ad lateres effingendos. Sic querulum vulgus flebat. *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Ita & extremæ dementiæ illud est signum, Dei præmia æterna postponere paleis huiusce sæculi, quibus etsi coëmi regna possent, nihilo beatior esset homo, sed potius inde metuendum malum omen, quia prospera huiusce sæculi vtplurimum fata pessima sortiuntur. Exemplo est, celebris ille apud Nortmannos Guillelmus eorum Dux, qui recens natus paleæ impositus ad recubitum, exertis brachiis paleam amplexatus eam ad se traxit, quod prodigium demirata obstetrix exclamauit: Puer iste ab ortu suo conquirere incipit, profectò assurget in rerum apicem, si vt cœpit in accumulando pergat. Non defuit fides præsagio: nam factus ætate prouectior, auctus est regno Angliæ, & fortè summo animæ suæ discrimine; quia multo milite armatus irrupit in Galliam, vbi etiam sacris ædibus iniurius Deum vltorem sensit: nam æger rediens in Angliam periit homo obeso corpore, quod crepuit dum inferretur in ædes sacras, & ideo tetrum odorem afflans, omnes in

Exod. 16.
Palearum instar est gloria mûdi.

Ex Historia.
Paleas ab ortu suo venatus est Guillelmus Dux Normaniæ.
Andr. Chesf. in hist. Angl. sub ann. 1010.

fugam egit, ipso etiam recedente clero nequeunte ferre olidum corpus hominis in ædes sacras impij. Ecce fatum hominis cumulo palearum euecti ad fastigium: Non ergo veridica est connexio eorum terminorum, qui delicias & beatitudinem consociant.

Adiice ex Aristotele, scientiam debere excludere omnem ansam dubitandi, quia tunc non esset scientia, sed opinio: quippe opinio formidinem vehit; scientia verò certitudinem. Sed disciplina omnis Deo contraria continuas patitur instantias, conscientia reclamante. Nempe sinderesis semper sollicitat animam ad assensum suum iniquo dogmati denegandum. Et quidquid anima sibi malè conscia moliatur, vt prætereat hoc dictamen conscientiæ; iugiter tamen arguitur hoc susurro, iuxta Theologiæ effatum, quod concludit, non expungi synderesim; ea namque dicit lumen habituale, quo prima principia in speculatiuis, & practicis, omnibus innotescunt: est autem hoc lumen de natura ipsius animæ, cùm beneficio huius luminis anima dicatur intellectualis. Vnde affulgente hoc lumine mali & boni, primas notiones quæuis anima deprehendit, vt benè arguit Psaltes. *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Huiusce luminis obsequio lætatur anima egregio aliquo facinore perpetrato, ideo Dauid subiicit has voces. *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et vt contrariorum passiones sunt dispares, eadem anima gestiens in virtutum praxi, inquies est, & diris acta stimulis, si aliquo vitio deturpatur. Itaque reprobanda est hæc doctrina, quæ suos discipulos in varios agit gyros, nescios firmitatis.

Doctrina iniquæ contraria est synderesis.

Ex Theologia.
Thom. quo l. libet. q. De synderesi. art. 3.

Psalm. 4.

Præfatum animæ lumen conantur extinguere venti præualidi, quos commemorat Bernardus; hi scilicet quos supra recensui, nimirum Mundus, caro, diabolus suis susurris, incautis hominibus illudentes. Sic ille. *Tribus malignissimis & validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo, & mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus vestris desideria mala, motus illicitos; & ita te repente turbantes, vt vix prænoscere valeas, vnde venias, aut quò vadas. Ex quibus etsi duo sæpius intermittunt, à tertio tamen nemo vnquam sufflandi inducias extorsit.* Nemo planè immunis est à susurro horum magistrorum, quorum suasiones Sanctus ille Bernardus nomine venti explicat: alibi verò, appositè ad meum institutum, carnem & mundum meminit, vt magistros dogmatum impiorum, ita fatus. *Alia est scientia mundi, quæ docet vanitatem; & alia scientia carnis, quæ docet voluptatem. Illa tanquam pater, ista tanquam mater nobis est. Sicut enim mater filio suo semper optat quietem, & omnem prorsus laborem claudit à filio suo; sic caro incrassata, impinguata, dilatata recalcitrat, nec minimis saltem digitis patitur se contingi. Et sicut pater vult filium suum huc illucque discurrere, vt addiscat vnde aliquando magnificetur; sic & mundus vult hominem multis laboribus intricari, vt habeat vnde superbiat, vnde inflettur, & desipiat de vanitate in idipsum.* Hæc ille.

Ex SS. Patribus.
Bern. hom. 3. in vigil. Natiuit.
Peccata tria fortiter hominem sollicitant.

Idem serm. in hæc verba: Iustum deduxit Dominus, &c.
Doctrina mundi quænam sit.

Pars Secvnda Homiliæ.

Quàm orbi proficua fuerit doctrina Christi.

Doctrina mundi eſt virulenta.

Adeò virulenta eſt hæc doctrina mundi, vt ſuum virus affricet ſuis profeſſoribus etiam cum diſcrimine hominum ſanctiorum, qui ſi incautè vtuntur conſuetudine reproborum, inde referunt aliquod animæ detrimentum. Eamobrem doctrinæ iniquæ, quæ effluxit à ſerpente antiquo, poteſt congruere ſymbolum à Camerario effictum, quando viperam exanimem pingit, quam veſpæ depaſcentes, exugunt eius virus, quo poſtmodum demorſos homines inficiunt lethali plaga: lemma hoc adiicit huic picturæ. Transfvndit pasta venenvm. Ita & doctrina illa, quam hominum impiorum menti diabolus inſpirauit, Transfvndit pasta venenvm. Orbis pene omnis ebiberat hoc venenum, quando in humanis apparuit Chriſtus, iturus obuiam graſſanti malo, quod cùm à ſpiritu ſua cœperit exordia, nō ab alio quàm Chriſto Domino potuit extirpari. Siquidem erronea omnis doctrina conuinci nequit niſi à potiore ſcientia: ſcientia autem notitiam præſupponit; & omnis notitia terminatur in verbo mentis, ſi ea ſit intellectualis & inuehens ſcientiam. Vt ergo diluerctur error hominum, quos impia dogmata dementarant, indiguit homo verbo mentis lucido, quo affulgente tergeretur ea caligo, quam dæmon inuexit, hominis intellectum præpediens erroribus multis. Sed hoc verbum mentis in his quæ pertinent ad ſalutem, reſpicit miſſionem Verbi Dei, cuius ſunt ea dona, quæ intellectum perficiunt. Ergo cùm Chriſtus ſit ipſum Verbum caro factum; nonne par eſt illi totis viribus auſcultare? Et maximè ea ratione, quam ſuggerit Bernardus ita fatus: *Mundus clamat, ego deficio; dæmon clamat, ego decipio; caro clamat, ego inficio; Chriſtus clamat, ego reficio.*

Ex Symbolis. Camerar. in centuriis ſymbol.

Doctrinæ mundi ſymbolum egregium.

Doctrina Chriſti expunxit eam, quam mūdus inuexerat.

Mundus clamat ego deficio.

Rurſus ita ſe habet natura noſtra ad ſcientiam, ſicut æger ad ſanitatem: vtrobique enim eſt potentia quædam actiua ad vtrumque. Natura namque prima principia nacta eſt, quibus aliunde adiuta deuenire poteſt in notitiam omnimodæ veritatis, vt & æger Medici obſequio redux eſſe poteſt, calore naturali non extincto. Sed homo qui decumbit graui morbo, citra Medici peritiam nequit exurgere, aut ſuperare malitiam morbi, qui depoſcit humoris noxij repurgium. Ita & homo neſcius rerum ſupernarum, ſuo Marte nequit pertingere ad ſcientiam ſenſibus inuiam, & rationis indaginem excedentem. Ergo Magiſtro adhærere debet, qui tranſcendat ſenſuum captum, & ſit rebus ſuperis aſſuetus. Nemo autem hominum adeò callet ea quæ Dei ſunt, ſicuti Chriſtus. Ergo illi ſoli primario competit homines edocere: quippe in eo ſunt theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei, qua procedit à Patre vt Verbum. Si verò res eſt de eo vt homine, ſcientia eius ſuo lumine retundit aciem omnium Angelorum.

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 43. art. 6. ad 3.

Doctrina Chriſti non potuit diſci ſine magiſtro.

Vt autem liquidior ſit iſta concluſio pertinens ad doctrinam Chriſti, de fide ſupponendum eſt, eum fuiſſe ſortitum veram naturam humanam, quæ corpore & anima coaleſcit. Et in hoc grauiter errauit Eunomius dicens Diuinitatem animaſſe corpus Chriſti: nequit enim Diuinitas ſupplere cauſam formalem in eodem genere cauſæ, ita vt ſit ipſa Diuinitas forma compoſiti, etſi poſſit in genere cauſæ efficientis. Si ergo Chriſtus anima humana dignatus eſt, ea ſuis potentiis perfectis inſtructa eſt, ſicut & corpus accinctum ſuis omnibus organis. At de ratione intellectus eſt vt perficiatur habitu ſcientiæ. Nimirum potentiæ perficiuntur actibus, & actus repetiti generant habitum. Ergo cùm Chriſtus vſquequaque perfectus fuerit ab ortu ſuo, ita & fuit omnimodâ ſcientiâ conſpicuus. Præter enim viſionem beatificam, qua in Verbo anima eius habuit omnia peruia; habuit & aliam ſcientiam infuſam, qua ſingula quæque nouit iuxta cuiuſque rei indolem. Ergo illius eſt præ omnibus homines erudire; nam etſi homo ſit; illa tamen eius doctrina non eſt ab homine, ſed à Deo: quà enim homo fuit Chriſtus, multa fecit hominum ritu, vt ſunt, ambulare, loqui, manducare, quibus actibus ſola anima vnita corpori ſatis ſuperque fuit. Sed ad doctrinam illam, quam diſſeminauit, opus fuit peculiari influxu, ideo ſic eius hæc verba intelligenda ſunt. *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Id eſt, illa doctrina, quam palàm prædico, eſt quidem mea, quia habitus eius animæ meæ inſitus eſt; ſed non eſt mea, quia non eam comparaui ſolis naturæ viribus, ſed reuelante Verbo, quo vegetor & ſuſtentor. Ideóque cùm ipſum Verbum non ſit ſui, ſed alicuius, vt ſunt relata omnia; Doctrina illa mea eſt eiuſdem, cuius eſt & Verbum.

Rem acu tetigit Auguſtinus ita fatus: *Ipſe Chriſtus doctrina Patris, ſi Verbum Patris. Sed quia verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicuius: & ſuam doctrinam dixit ſeipſum; & non ſuam, quia Patris eſt Verbum. Quid enim tam tuum quàm tu? Et quid tam non tuum quàm tu, ſi alicuius es quod es?* Vides relata eſſe ſimul natura, ideoque doctrinam Chriſti, quæ à Verbo proceſſit, non eſſe à Chriſto, Deo Patre inſcio deriuatam. Pergit Auguſtinus. *Hoc videtur mihi dixiſſe Dominus Ieſus Chriſtus: Mea doctrina non eſt mea, ac ſi diceret: Ego non ſum à meipſo. Quamuis enim Filium Patri dicamus, & credamus æqualem, nec vllam in eis eſſe naturæ vel ſubſtantiæ diſtantiam, nec inter generantem & generatum aliquod interfuiſſe temporis interuallum; tamen hoc ſeruato & cuſtodito iſta dicamus, quod ille Pater eſt, ille Filius. Pater autem non eſt, ſi non habeat filium; & filius non eſt, ſi non habeat Patrem. Sed tamen Filius Deus de Patre; Pater autem Deus, ſed non de Filio. Pater Filij, non Deus de Filio; ille autem Filius Patris, & Deus de Patre. Dominus enim Chriſtus dicitur lumen ex lumine. Lumen ergo quod non ex lumine, & lumen æquale quod ex lumine, ſimul vnum lumen, non duo lumina.* Hæc Auguſtinus, appoſitè quidem ſi referantur ad myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, ita vt voluerit Chriſtus docere ſe proceſſiſſe à Patre. Tamen quia aliò etiam reſpexit ille peritus hominum doctor, alia eſt quærenda exegeſis ſeu explicatio verborum Chriſti, quæ faciat ad meum inſtitutum de magiſtro, cui debent homines adhærere.

Ex SS. Patribvs. Aug. tr. 29. Ioan.

Doctrina Chriſti quomodo ſit Patris egregie demonſtratur.

Chriſtus lumen ex lumine.

Vt capiamus ingenuum ſenſum huius textus reuera ſalebroſi, & difficultatum ſentibus hirſuti, conſulenda ſunt præcedentia verba; quorum hic eſt tenor: *Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Ergo Iudæi in ſtuporem acti erant ob doctrinam, quæ auditorum auribus inſonabat, ideóque nequit ei conuenire præfata Auguſtini expoſitio. *Hoc mihi videtur*

Ioan. 6.

videtur dixisse Dominus Iesus Christus: Mea doctrina non est mea; ac si diceret: Ego non sum à me ipso. Quippe Iudæi non mirabantur Christum, sed doctrinam eius, quæ erat quid realiter distinctum à Christo. Pergit textus. *Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Suam fortè dixit hanc doctrinam quà Deus est, & non suam quà homo est. Quasi diceret: Si me attenditis vt hominem, non est hæc mea doctrina, vt inuenta ab homine, etsi reuera mea sit, quia doceo vos ex habitu scientiæ mihi insito, à quo realiter denominari queo omniscius; magis tamen est Dei hæc doctrina, à quo influxit in meum intellectum, & tunc vt Deus possum dicere esse meam hanc doctrinam. Nec mihi ego attrideo ita expendens hunc locum, etsi habeam præeuntem mihi Chrysostomum, ita discutientem textum quem versamus. *Quomodo idem eiusdem potest esse, & non esse: esse, quia à nullo doctus loquebatur; non esse, quia Patris doctrina erat. Quomodo ergo dicis: Omnia quæ sunt Patris mea sunt, & quæ mea Patris? Si quia Patris doctrina est, propterea non est tua, falsum illud est; ideo enim tua esse debuit. At hoc verbum: Non est mea, maiorem in modum Patris, & suam vnam doctrinam esse indicat; quasi dicat, nihil habet diuersum tanquam alterius. Quòd si persona alia sum; idem tamen, & dico, & facio, vt non existimetis aliud à Patre, sed idem me & dicere, & facere.* Hæc Chrysostomus congruè ad meam sententiam prælibatam.

Doctrina Christi quomodo non Christi.

Chrysost. in Ioan. hom. 48.

Absit à me censura omnis Sanctorum Patrum, quos etiam mihi in more positum est recensere passim. Citra tamen eorum sententiam dico, Christum aliud planè intendisse quàm illam identitatem essentiæ recensitam ab Augustino, & Chrysostomo, dum doctrinam Filij explicant esse doctrinam Patris. Placet Maldonatus quando commemorans præfatum illum sensum Augustini, hæc scribit. *Vereor ne nimis hoc subtile sit.* Itaque genuinus sensus petendus est ex ipsa responsione Christi, qui Iudæis stupentibus ait: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Iudæi audientes à Christo prædicari humilitatem, floccipendium opum, aliasque beatitudines, vocabant hæc dogmata doctrinam Christi: & reuera Christus hanc doctrinam suam esse confessus est, quia eam cœpit ante exemplo docere quàm verbis, humiliando se, & obediendo parentibus, & legi. In illo sensu hæc doctrina erit Christi hominis; nam Deus vt Deus subiici nequit hominibus, sed hominem assumpsit, vt in homine ex homine homines erudiret. Et vt Draco leges suas sanguine conscripsit, ita Christus suæ admirabilis disciplinæ statuta suo sanguine confirmauit. Doctrina est hæc practica, vtpote in virtutum praxi, in qua quicunque peritus est, ille intelligit hanc doctrinam non esse ab homine, sed supra hominem: quippe dogmata Christi hominem exuunt carne sua, cui omnino molesta sunt. Ideóque ait Paulus. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis.* Ergo licet homo doceat hanc doctrinam homini ingratam, hoc non obstat, quin sit doctrina illius hominis; tamen ille non erit inuentor illius doctrinæ, quia nemo vnquam carnem suam odio habuit. Igitur aliunde accepit illam disciplinam, quæ hominem totum suis subiicit institutis; nimirum à Deo, cuius Verbo vnita humanitas, ab eo accepit plenitudinem gratiæ congruam officio Redemptoris, qui vt redimeret homines nescios viarum cæli, doctrinæ suæ latices fudit, qui & Apostolorum obsequio in omnes orbis oras effluxerunt. Si nomine doctrinæ intelligas Verbum ipsum Dei, Filium Patris, non erit congrua Christi responsio; nam seipsum distinguit vt homo est, à seipso vt est Verbum: ait enim eum qui se composuerit ad arbitrium Dei, experturum hanc doctrinam non esse à puro homine, etiamsi homo eam aliis prædicaret. Et reuera debuit magister ille hominum homo esse, vt factibile esse demonstraret à suis discipulis illud quod suis sermonibus ingerebat. Siquidem ante Christum natum, plerique Prophetæ à Deo missi mira prædicarunt; sed quia non ea virtutum face orbi præluxerunt, quà Christus, ideo raros habuere sequaces suæ disciplinæ. At Christus in specimen virtutis omnimodæ compositus, quoscunque voluit habere sectatores, hos statim habuit professores suæ huius disciplinæ, quam reuera suam nuncupat, quia virtutum omnium exempla à Christo edita, fuere Euangelij prima rudimenta. Ita vt ipse Christus mundo exhibitus, fuerit doctrina, errores insimulans diabolum, mundum, & carnem, quibus vt magistris homines vtebantur. Eamobrem præscius Isaias Christum prænuntians ait. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Nempe videre Christum, est decurrere compendium sacræ cuiusque & abditæ disciplinæ.

Maldonat. in Ioan. c. 7. num. 16.

Doctrina Christi literaliter quænam sit.

Doctrina Christi est mortificanu.

Galat. 5

Doctrina Christi est Euangeliũ.

Isai. 30.

Itaque discere doctrinam Christi, est ipsummet attendere sese in eius speciem effingendo. Eò spectat illa parænesis Augustini. *Verbum ergo, & Deus est, & doctrina stabilis verbum est, non sonabilis per syllabas, & volatilis, sed manentis cum Patre, ad quem conuertamur manentem, sonis transeuntibus admoniti. Non enim nos ità admonet, quod transit, vt ad transitoria nos vocet: admonemur vt diligamus Deum. Totum hoc quod dixi, syllabæ fuerunt, percussum aerem verberauerunt, vt ad sensum vestrarum aurium peruenirent: sonando transierunt, non tamen illud quod vos admonuit, transire debet, quia ille quem vos admonui diligere, non transit. Et cùm transeuntibus syllabis admoniti, conuersi ad eum fueritis, nec vos transibitis, sed cum manente manebitis. Hoc est ergo in doctrina magnum, altum, & æternum quod manet; quò vocantur omnia quæ transeunt.* Subiicit ille alibi priuilegium Christi, qui quod magistri alij nequeunt, illud ipsum præstare potest. Scilicet acuit hebes hominum ingenium, & facit idoneum ad scientiam & disciplinam suam capessendam. Ideo Psaltes sic orat. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Quem locum Augustinus sic expendit. *Deus quando vult docere, prius dat intellectum, sine quo ea quæ ad diuinam doctrinam pertinent, homo non potest discere. Potest itaque homo cùm docere aliquem cupit, dicere illa quæ dixit Dominus discipulis suis, postquam resurrexit à mortuis; sed facere quod ille fecit, non potest. Ait enim Euangelium: Tunc aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit illis. Ideo cœperunt quod dixit, quia vnde caperent, aperuit.*

Aug. tr. 29. in Ioan

Doctrina stabilis est Verbum.

Doctrina Christi intellectum aptat, vt capiatur.

Psalm. 118.

August. in Psalm. 118.

Ex Theologia.

Doctrinam autem illam Christi esse practicam, collige ex Propheta sic Deum deprecante. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Bonitas ad voluntatem pertinet, à qua si bona

Doctrinæ genus est tribulatio. *S. Th. quodlib. q. de instit.*

bona est, homo efficitur bonus, si autem bonus; ergo propensus in id omne quo perfici potest: nam cuiusque rei bonitas est eius perfectio. Sed homo nequit perfici quin labefacta resarciat, & praua corrigat. Ergo cùm illa correctio sit importuna carni, quæ ingratas patitur angustias quando compescitur, benè bonitati subiicit disciplinam, quam sic definit Augustinus. *Disciplina significat emendatoriam tribulationem.* Hanc postea excipit illa scientia seu doctrina Christi, quæ præuia praxi virtutum addiscitur. Etenim in maleuolam animam non intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Igitur Christi illapsus in animam, requirens propensionem voluntatis in bonum, insinuat ea quæ Christi sunt, homines ad ardua prouocare, qualia sunt virtutum omnium egregia facinora. Vnde cùm doctrina Christi, Dei sit & Christi, etiam quàm maximè practica est: nam & sequaces eius non sunt auditores tantùm verbi, sed factores. Et vicissim illa doctrina beat suos sectatores, iuxta illud. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

Tribulatio est disciplina erudiens.
August. in Psalm. 118.
Luc. 11.

Ex SS. Patribus.

Hæc conclusio stipatur agmine Sanctorum Patrum, qui beatitudinis nostræ summam reponunt penes hanc doctrinam Christi, cuius merita non pertingunt ad animas incurias dictorum Christi. Primus occurrit Ambrosius, qui recenset commode verbum Dei. Hæc enim vocabula, verbum Dei, sapientia, scientia, doctrina Christi eodem omnino collimant, & significant id quo præceptore Christo homines edocti sunt. Sic Ambrosius: *Ignis est verbum Dei, quem misit, qui secretos mentium Diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet, bonus ignis qui calefacere nouit, nescit exurere nisi sola peccata; hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud aurum probatur; hoc igne illud morum, vel operum examinatur argentum; hoc igne lapides illi pretiosi illuminantur; hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit vt perdat; hic ignis habitare per fidem Christum in cordibus facit.* Hugo Victorinus in eo argumento parcus, multa compendiosè concludit ita fatus: *Via ad Deum est scientia, quæ ad institutionem rectè & honestè viuendi pertinet: est disciplinæ bonitas, & beatitudo. Per scientiam itur ad disciplinam, per disciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem ad beatitudinem.*

Ambros. in Psalm. 118.
Doctrina Christi ignita.
Doctrina moralis est via ad Deũ.
Hug. Victor. de instruct. nouitior.

Ex Iure Civili.

Iure etiam Cæsareo probari potest hæc mea conclusio de efficacia doctrinæ Christi: nam Iustinianus Imperator, speciali constitutione Hebræis copiam fecit legendi libros sacros, arbitratus inde effluere rudimenta salutis nostræ. Et ne in cassum legerent aut audirent Iudæi doctrinam illam Christi, monet ille vt sint de praxi solliciti. Sic ille. *Oramus verò eos sacros libros audientes non solas considerare literas, sed rebus refici, & diuinum veraciter intellectum excipere.* Refici rebus, est in suos vsus conuertere doctrinam illam: hoc autem fit opere, non sermone.

Nouell. 146. c. 3. Vt liceat Hebræis.
Doctrina sacra quomodo sit legenda.
Clericorum vita qualis esse debet.

Ex Iure Canonic.

Ideo Canones sancti, qui clericis indicunt peculiare studium literaturæ sanctioris, hoc ab ipsis argumentum suorum studiorum petunt, vt habitu & incessu probent se clericos esse, ad quos præcipuè pertinet professio sanctioris instituti. Ecce Canon. *Clericus professionem suam & habitu & incessu probet.* Hoc breuiloquio textus iste ad virtutum omnium praxim clericos adhortatur. Esse autem singularem vim insitam huic doctrinæ etiam ebibitæ ex libro, vide hoc Canone: *Nunquam de manu tua & oculis tuis recedat liber: dicatur psalterium ad verbum, oratio sine intermissione, Vigil sensus sit, nec vagis cogitationibus patens, corpus pariter & animus tendantur ad Dominum: iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

Can. Clerique dist. 41.
Can. Nunquam. De consecr. dist. 5.

Si quis arte chymica componeret aurum, & profiteretur sciẽtiam qua proderet arcanum suum, profectò ille sequaces innumeros haberet æmulos instituti sui. Doctrina tamen Christi ditãns animas super aurum & topazium, vt occinit Psaltes, raros habet hoc sæculo sectatores. Ideóque acutissimo stylo configendi sunt plerique hodie scioli scientiarum omnium præludia delibantes; & nescij tamen doctrinæ, quæ est collactanea puerulis: quippe ignorant prima rudimenta doctrinæ, à qua tamen volunt Christiani ementito nomine nuncupari. Illis decerno Alcibiadem in Censorem. Is aliquando ingressus scholas, petiit à ludimagistro librum Homeri, quem cùm ille dixisset haudquaquam se habere, succensens Alcibiades alapam impegit ei, hac animaduersione carpens illum. O agaso, cum asinis putas esse tibi rem, & non cum hominibus. Homerum lege iuuenibus, vt ebibant animos Heroum, quos meminit ille apex Poetarum. O homo eiusdem farinæ, cuius & ille ludi magister, quid ethnica & iniqua volumina versas, floccipendens dogmata Christiana? Tibi in supremo agone posito illudetur vt ignaro & nescienti Christum, cuius vna est doctrina, quæ recreat animas suo dogmate saginatas; vt expertus est olim Iustinus Philosophus, qui vt acri ingenio, quo pollebat, scrutatus est omnes Philosophorum sectas. Cùm autem animus eius inquies semper aliquid hiulcum reperiret in his disciplinis; dedit nomen suum Christo, cuius doctrina pastus, illic reperit vnde vsquequaque quiesceret. Huius doctrinæ summam Paulus supra recensuit ita fatus: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Nota illam disciplinam non esse humanæ indaginis, aut scrutinij ratiocinantis animæ, sed esse gratiæ Saluatoris. Gratia illa est, quæ reduces facit homines errabundos. Apparuit omnibus hominibus; nemo namque ab ea gratia secernitur, vt & nullus adeò doctus est, quin indigeat hac doctrina, quia transcendit omne acumen ingenij. Prolegomena huius scientiæ sunt æterna impietatis repudia. Vnde catechumenis vox ista fuit familiaris, ABRENVNTIO: Dæmone, Mundo, & carne abiuratis, mittitur securis ad radicem: nam animi anhelantis ad vilia huius sæculi crepundia, vota omnia resecantur, dum Christus sæcularia desideria præcipit abnegari. Rescissa propagine surculorum vagæ cupidinis, sobrietas inducitur, qua libidini, gulæ, & auaritiæ exterminium indicitur; qui namque sobriè concessis vtitur, ille excessum cauet: omne autem vitium excessum clamat. Demum impigra virtutum praxis animam iustitia Dei insignem exornat singulari tessera pietatis.

Orationis attẽtio quãta debet esse.
Scriptura sancta vitia carnis eliminat.
Doctrina Christiana ditat animas.

Ex Historia.
Ælian. l. 13. hist.
Liber Homeri quanti æstimatus ab Alcibiade.

Tit. 2.
Doctrinæ Christianæ summa, vitiis est abstinere.

O Christiani, attendite ex hac summula an sitis discipuli Christi, aut diaboli. Angelus ille nequam homini suasit defectionem à Deo: Christus verò clamat vt abiuremus impietatem. Tentator suasit fastum & pompam: Prædicat Christus esse contrahenda hæc sæcularia desideria, ne diffluant. Contracta autem vult idem Dominus extirpari, ne pullulent. Ad gulam impulit dæmon, vnde effluxit iniustitiæ & impietatis exordium: Christus verò indicta sobrietate inuexit iustitiam & pietatem. Hæc quando annuntio, non ex proprio penu promo; siquidem illa omnis doctrina non est mea, sed eius qui misit me, scilicet Christi Domini Redemptoris.



FERIA QVARTA DOMINICÆ IV. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT omne quod est, Deum auctorem habet; ita etiam deitatis aliquos radios emittunt creaturæ omnes, & præsertim digniores, quæ alios eminent. Dico ergo priori parte istius homiliæ, hominem excæcari, si cautè excipiat radios, qui emergunt ex rebus editis infra cælos. Nimirum probo, res omnes imponere homini, si spectentur tantùm cute tenus: etenim omnis illa pompa qua refulgent singula quæque pulchriora, illudit sensibus, & caliginem offundit animæ, si non prudenter discernit fucos ab ingenua veritate.

II. Secundò ostendo quomodo tergatur illa cæcitas iniuria homini. Nempe dico, hominem qui fucatis bonis fuit excæcatus, recipere lumen, agnita veritate, & speculando creaturas omnes esse luteas, præcipuè aurum, & hominum corpora speciosa, quorum prima rudimenta fuere è luto, vnde educta sunt, industria Dei manu componente ex hoc fermento omnia hæc infima, quæ rutilant & coruscant.

PRÆFATIO.

Præteriens Iesus vidit cæcum à natiuitate. Ioan. 9.



CVM Sol & Luna principes cæli faces lumine quo rutilant excidunt, omnia deorsum effusa caligine tenebrescunt. Et si Angelus ille, qui in gyrum agit cælos, suam denegaret opem, profectò tenebris præualentibus cuncta hæc infima nigricarent. Sed quia spiritus ille beneficus odit inertiam, incunctante gyro sidera circumducens, singula quæque eclipses breuiore mora suum explent deliquium. Corporis humani præcipua lumina sunt oculi, qui suas etiam eclipses quandoque patiuntur, si in cæcitatem incurrunt. Ad tenebras eorum detergendas impos est ille Angelus, quo motore gyrant cæli. Ideoque operæpretium est consulere maius præsidium contra oculorum caliginem, si quando irrepserit. Ne in ea indagine laboremus, textus hodiernus obiicit nobis magni consilij Angelum, qui hominem ab ortu suo cæcum curat, medicante manu recreans oculos, quos ei natura nouercans ademerat, ex oculorum cura se totius hominis comprobans esse conditorem, vt benè aduertit Chrysologus hoc discursu. Cæco nato, non lumini sed tenebris, & cui natura visum inuiderat, atque ipsa quæ parat & aperit oculos, oculos clauserat, & negarat. Christus imponit lutum, & collyrio materiali fingit, facit, procurat oculos, non securatiuè creante non medicante manu, inde homini suppleret lumina; vnde hominem fecerat totum. Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, diuino ore luciferam dat saliuam, vt sancti roris gutta baptizaret oculos peccatoris, vt aperiat venia quos clauserat culpa. Nemo ergo dubitet diuino imbre tota arefacta mortalia membra posse reuiuiscere, cùm videat parua dominici sputi gutta arentes cæcitate oculos subitò sic suscitatos in lucem. *Vt hac & nos lucis vsura gaudeamus, sistamur ei, quæ lucem illam edidit mundo. Ea est Maria, quam fas est ista precatiuncula demereri.* Aue Maria.

Cæcos quare illuminarit Christus.

Chrysolog. serm. 176.

INualuit quondam; & tritum fuit istud adagium. *Canis festinans cæcos parit catulos.* Crediderim ego inde ortam parœmiam, quòd omne præcox ortu præcipiti anteuertens debitum sibi statum perennare nequit. Cæcutiens Adami prosapia fidem fecit illi prouerbio: nimirum Eua præpropero gressu festinans ad gloriam, quam ambiit demorso pomo, cæcos peperit filios, quorum vnus hodie sistitur Christo, qui illius tersit cæcitatem, iuxta præscij Dauidis vaticinium. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum.* Quo autem medicamine visum reuocarit hominis huius cæci, Ioannes sic recenset. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur missus. Abiit ergo, & lauit, & venit videns.* Tota hæc rei gestæ series mystica est, & abditum quidpiam

Psalm. 33.

Ioan. 9.

quidpiam grande sapit, quod ista concione reserabo. Dicam primò creaturas omnes hominem excæcare, si eas incautè aspiciat, ementito lumine præfulgidas. Secundò probabo easdem res, quæ caliginem offuderant, esse luteas tantùm, ideóque superimpositas oculis, id est, attentè meditatas tergere cæcitatem, quam suo fulgore primitus aspserserant. Auspicemur.

Pars Prima Homiliæ.

Creaturæ incautè aspectæ excæcant hominem.

Ex Philosophia.

IN confesso est apud omnes, hominem duplici notitia præpollere, ac proinde bifariam res videri ab homine. Primò lumine petito à sensibus. Secundò irradiante intellectu, cuius notitia non destruit sensuum industriam, nisi tamen inuigilet sibi illa animæ potentia defluens in organa sensuum, fit ipsa sensualis, atque adeò errori obnoxia, cui singuli quique sensus patent. Quod autem est cæcitas in re corporea, illud idem est error in re spirituali modo dignoscenda. Vnde animus incongruè obuia quæque diiudicans, omnino cæcutit quando dicitur aberrare. Si itaque probauero hominem falli, quando malè deperit ea quæ rutilant & illudunt oculis, habebo intentum, scilicet, creaturas excæcare hominem, si eas incautè aspiciat. Erit hoc Philosophiæ negotium. Errare ille dicitur, qui deuiat à scopo sibi præstituto: Ergo cùm anima fertur in obiecta corporea arbitrans esse bona consona indoli suæ, toto cælo aberrat. Nam ex Aristotele, error paruus in principio, in fine fit maximus, quia principium virtute maius est, quàm magnitudine. Est autem error in principio, affingere bonitatem animæ congruam, rebus quæ deliniunt sensus. Quippe ex Sancto Thoma, errorem qui accidit circa esse & non esse, sequitur error circa verum, & falsum. Verbi gratiâ, diuitiæ concupitæ vt quidpiam aptum ad beandas animas, apprehenduntur vt bonæ: rutilus namque radius emergens è fulgore auri, oculos afficiens, credulæ nimis animæ imponit, inesse opibus semina beatitudinis immortalis; & hinc opes dictæ concupiscentia oculorum. Cùm ergo in illa apprehensione error sit circa esse diuitiarum, erit error etiam circa verum, atque ita delirus animus auari inhiantis opibus fallitur & cæcutit dum attendit opes vt suum summum bonum; iuxta illud Psaltis. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Ratio erroris petitur ex incuria animæ non pensantis æqua lance res quæ occurrunt; siquidem etsi pleraque demulceant sensum vt ei congrua, non ideo tamen animæ conueniunt ratione præcepti, quo animæ interdicitur vsus rei corpori perquàm gratæ. Quòd si illecebra sensuum tanta est vt rationis actum anteuertat, & animæ suadeat rem illam esse bonam, & eam inflectat ad amorem eius; reuerà illa anima cæcutit, & desipit, iuxta illud Platonis oraculum. *Errores omnes tum manus in apprehendendo, tum pedum in gradiendo ab ipso videndi defectu procedunt. Sic errata omnium hominum; tum in eligendo, tum in agendo ex defectu intelligentiæ proficisci Socrates arbitratur.*

Arist. lib. 1. de Cælo text. 33.

D. Thom. 4. Metaph. lect. 13. text. 28.

Cognitio quomodo fiat erronea.

Psalm. 143.

Cognitionis error causa est aliorum omnium defectuum.

Plato in Lache.

Huiusce farinæ fuisse primum hominis delirium audi ex Genesi, vbi mulier ratione inconsulta, consultores adhibuit sensus, an deberet præterire repagula sibi à Domino præstituta. Prima namque præludia erroris eius fuere lenocinia sensuum, quibus mulier incauta animum inflexit ad carpendum lethale pomum, vnde virus effluxit in totam prosapiam. Ecce seriem lapsus. *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, dedítque viro suo, qui comedit.* Ferias intellectui indixit delira mulier, ideoque incurrit in tenebras, quas aspergit sensuum obsequium, quorum indolem attende ex perspectiua Euclidis, cuius est hoc theorema. *Quæ obiiciuntur longitudinem habentium, quæ sunt in dextris, in sinistra procedere videntur; quæ verò in sinistris, in dextera.* Si namque è speculo videas homines, lucidum illud vitrum oculis obiiciet dextro modo ea quæ sinistra sunt. Ita & sensus suas illecebras prætendunt homini vt quidpiam dextrum & maximè conueniens, etsi portendant semper aliquod animæ dispendium. Ideóque homo litans sensibus patitur animæ deliquium, dum credit haudquaquam esse alienas à salute sua blanditias, quæ sensibus affinguntur. In eo discrimine posita anima dicitur cæca; quia etsi videat oculis corporeis, hallucinatis ratio offundit caliginem, qua totus animus opacatur.

Genes. 3.

Ex Mathematica.

Eucl. perspectiua theorem. 12.

Hinc pleraque absurda facit homo præpeditus aliqua sensuum illecebra. In eo argumento locuples est historia, è cuius prædiuite penu promam exemplum illustris fœminæ, quam libido nimia dementauit. Illa fuit Margarita filia Ducis Brabantiæ desponsata Imperatori Ludouico Bauaro, suæ dignitatis immemor deperiit hominem speciosum, cuius consuetudine obscœnâ adeò mente capta est, vt cùm duas scripsisset epistolas, vnam Imperatori, alteram adultero, ita cæcutiit, vt ad Imperatorem direxerit literam adulteri, quâ prælectâ Imperator pertæsus salacem mulieris animum, in eam duro & inglorio supplicio animaduertit. Nonne caligauit fœminæ petulcus animus in delectu literarum, quas coniugi suo, & amasio conscripserat? Ita planè & lethalis fuit hæc cæcitas, sicut ea quæ Samsonem habitum magno despicatui, extremo periculo addixit, & in cuius ruinâ videre est, quò contextu sensuum illecebræ soleant homines excæcare. Philistiim audientes Samsonem captum amore Dalilæ, conuenerunt eam & dixerunt: *Decipe eum, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere.* Hoc dæmones aiunt sensui corporeo. O sensus, illecebris tuis hominem induc in discrimen, vt vinctum tradas. *Cùmque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad illam: Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, cõsecratus Deo sum de vtero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea & deficiam.* Reuerà iugis est illa molestia, quam facessunt sensus, dum animus inquies sese expedire nequit ab eorum lenociniis. Frustra reluctatur anima, si non perseuerat. Hoc exigit ab homine omnis illecebra, vt radat caput suum, id est, omnes cogitationes ad Deum pertinentes expungat. Scit nempe desertor Angelus animum qui delluxit in sensus, illico frangi & deficere; ideoque sollicitat carnem, vt ablandiatur spiritui, eo propè modo quo Dalila

Ex Historia.

Hist. Imperial. sub ann. 1340.

Luxuriæ excæcantis in Margarita Imperatrice.

Iudic. 16.

Sensuũ molestia est animæ importuna.

illuſit Samſoni. *Illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.*

O ſenſuum perfidiam! deliniunt animam, vt feriante ſano cogitatu, lenociniis ſpiritus indormiat, omnique ſua virtute cadat, & eodem fato defungatur, quo Samſon miſerè ſublatus eſt. *Quem cùm apprehendiſſent Philiſtiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Ecce infelix ſtatus hominis, cuius perniciem ſenſuum illecebræ procurarunt. Lumine mentis orbus vitiorum vinculis adſtringitur, & carcere clauſus, molæ addictus gyrat, iuxta illud Pſaltis. *Impij in circuitu ambulant.* O homo deliciis irretite, quid inſano tripudio geſtis, & Dalilæ amplexus iactas? Tota illa tragœdia deſinet in noxia cæcitate. Nimirum quidquid huius ſæculi hominem afficit vltra modum, illud eum facit obnoxium cæcitati. Fortè eo alluſit Turca Sultanus nomine Saux, qui vt audiit filium ſuũ Amurathem rebellaſſe, & ambire imperium, valido exercitu conſcripto, in eum proceſſit, & victum protinus excæcauit, vt corporea cæcitas ingemeret illi caligini, qua ſuperbia ſpiritum excæcarat.

Amurathes rebellans quomodo punitus. *Hiſtor. Turca. ſub an. 1365.* Superbia excæcat.

Illa animæ cæcitas eſt mulcta cuiuſque peccati, vt ait Auguſtinus ita fatus, Deum commemorans punientem hominem, qui defecit: *Auerſos punit cæcitate. Vindicat enim primò in anima conuerſa à ſe exordium pœnarum, ipſa cæcitate. Qui enim ſe auertit à lumine vero, id eſt, à Deo, iam cæcus efficitur. Nondum ſentit pœnam, ſed iam habet.* Ratio huius cæcitatis eſt merè Theologica, & ſic adſtruitur. Homo illectus ſpecie rerum editarum in rerum humanarum obſequium, nequit in eis deprehendere abditum virus remorans ſalutem animæ; niſi cælitus illuſtretur lumine deſuper affulgente. At lumen illud cùm ſit ſuperioris ordinis dirigentis animam ad beatitudinem, patitur eclypſim, animâ deorſum occupatâ: nempe Dei gratia & illecebræ non coeunt. Eamobrem ſicut interiecta terra Solis occidentis ſubducit radios, & inuehit noctem; eo etiam modo quæuis creatura affectum noſtrum pelliciens, & quaſi media inter Deum & nos, inducit tenebras in animam, quia gratia eſt ſicuti lux, cuius perennitas eget iugi influxu corporis luminoſi, quo negante lumen, illico tenebreſcit medium illuſtratum. Ita Deo ſuperſedente, & non influente in animam, deperit illi animæ lucidus ille ſtatus, quo antea refulgebat, & ſic cæcutit anima ſupra modum affecta erga creaturas, quarum amor nimius Deo iniurius ſolet homines excæcare.

Cæcitas animæ vnde oriatur.
Ex SS. Patribvs. *Aug. de verbis Domini in Euang. Ioan. ſer. 38.*
Ex Theologia. *S. Thom. 1. 2. q. 71. art. 3.*
Peccata omnia in animam cæcitatem inducunt.

Habeo Auguſtinum mei dogmatis aſſertorem. Sic ille. *Quid turbat oculum cordis? Cupiditas, auaritia, iniquitas, concupiſcentia ſæcularis, turbat, claudit, excæcat oculum cordis: & tamen quomodo quæritur medicus, cum oculus carnis turbatus eſt, quomodo non differtur vt aperiatur, atque purgetur & ſanetur, vnde lux iſta videatur? curritur, nemo requieſcit, nemo differt, ſi vel ſtipula in oculum cadat. Solem certè, quem ſanis oculis videre volumus, Deus fecit. Multò eſt vtique lucidior ille qui fecit, nec huius generis lux eſt, quæ pertineat ad oculum mentis. Lux illa eſt æterna ſapientia: fecit autem te Deus, ô homo, ad imaginem ſuam. Daretne tibi vnde videres Solem quem fecit, & non tibi daret vnde videres eum qui te fecit, cùm te ad imaginem ſuam feceris? Dedit & hoc, vtrumque dedit tibi: ſed multum hos oculos exteriores diligis, multum illum interiorem negligis. Detritum portas atque ſauciatum: pœna tibi eſt, ſi ſe voluerit oſtendere fabricator tuus, pœna eſt oculo tuo antequam curetur & ſanetur. Nam & in paradiſo peccauit Adam, & abſcondit ſe à facie Domini. Cùm haberet ergo cor ſanum pura conſcientia, gaudebat ad præſentiam Dei. Poſtquam peccato oculus ille ſauciatus eſt, cœpit lucem formidare diuinam, refugit in tenebras, atque in denſa lignorum, veritatem fugiens, vmbras appetens.* Hæc ille.

Ex SS. Patribvs. *Aug. ſer. 18. de verbis Domini in Matth.*
Cæcitas animæ à quo ſolo curetur.
Peccator odit lucem, & quare.

Creaturæ omnes quantumuis ſpecioſæ, virus effundunt in oculos, ſi incautè ipſi ſeſe effundunt in ſenſuum illecebras; & ipſe oculus mentis excæcatur, quia iniquè aſpexit obiecta, quæ deorſum hominem inflexerunt. Vigetque in eo ſupplicio edictum Imperatorum Arcadij & Honorij, qui hanc tulêre legem. *Sancimus ibi eſſe pœnam, vbi noxa eſt.* Prima hominum noxa incœpit ab oculis; vidit namque mulier fructum vetitum, & illecta ſpecie eius, feralis edulij paſtu ſe peremit. Præterea ei pollicitus eſt ſerpens acumen ingenij, hæc ſuggerens. *Aperientur oculi veſtri.* Vnde nimia ſciendi cupidine delinita, oculos mentis direxit in obiecta ſibi hactenus inconceſſa. Ideòque fuit retuſa illa acies intellectus grandia meditantis, & mulier condemnata ad notitiam illam quam ingerunt ſenſus, ibique fuit pœna, vbi noxa. Nam ratio quæ deliquit, paſſa eſt & ipſa deliquium, minuto lumine quod cælitus affulgebat, & homines anteà rebus ſuperis intenti, cœperunt attendere ad turpia: quippe cognouerunt ſe eſſe nudos, & pruriens caro libidinis impetiginem fecit. Illa autem ſuæ nuditatis animaduerſio in homine facta eſt à ſenſu, cuius notitia tunc maximè viguit in homine, quando illius ratio deuiauit à ſcopo ſibi præſtituto. Si iam ſenſus effrænes faceſſunt importunum homini negotium, legitima omnino eſt illa vexatio, iuxta Canonem editum à Fabiano Papa. *Ibi ſemper cauſa agatur, vbi crimen admittitur.* Vt ergo redimas innumeras propè moleſtias quas procurant ſenſus inſcia ratione vagi, hoc vnum indic tibi penſum, vt ſenſus tui hactenus ſedulò compeſcantur. Pepigerat fœdus Iob cum oculis ſuis, ne cogitarent de virgine; quidni & tu fœdus ineas cum omnium ſenſuum quinario, vt cogitatus tuus in poſterum ſit à vitiis illibatus.

Ex Ivre Civili. *Leg. Sancimus Cod. de pœnis.*
Synderesis quare cor laucinet. *Geneſ. 3.*
Peccatum quare animã excæcat.
Ex Ivre Canonic. *Can. Ibi 3. quæſt. 6.*

Quænam autem præcipuè iniuriæ ſint oculis animæ, colligi poteſt ex re Medica, quæ recenſens cauſas iniquas oculis, has potiſſimum quatuor commemorat, ſcilicet ventum, fumum, puluerem, & ignem. Ventus & fumus vanitatem referunt, quæ Adamo & Euæ fuit altæ caliginis argumentum. Puluis auaritiam ſignificat, quæ terræ addicta conglomerat glebas, vt cumulus opum maior aſſurgat. Ignis verò libidinem clamat, iuxta illud. *Supercecidit ignis & non viderunt Solem.* Olim ſtante Græcorum Imperio, illis erat in more poſitum reos excæcare, iuxta oculos apponendo laminas igne incandentes; fiebat enim vt integris oculis exciderent videndi facultate. Hac hodie induſtria vtitur dæmon, technarum peritus artifex in hominum ruinam, obiicit oculis corpora ſpecioſa, quorum intuitu amor obſcœnus accenditur, & renes protinus incaleſcunt.

Synderesis quare cor cruciet.
Ex Re Medica. *Arnoldus à Villan. in lib. ſchol. Saler.*
Pſalm. 57.
Cæcitatem quænam res concilient.

incaleſcunt. Dum autem renes æſtuant, vapor exurgit crebro iniquior, vtpote grauedinem inducens, vnde oculi grauati odere vigilias in soporem clauſi. Hippocrates hunc ægri lucifugam ſtatum refundit in peſtiferum morbum. Sic ille. Ὀσφύος ἄλγημα μετὰ κώματος ἀσώδεος κακόν. *Lumborum dolor cum comate anxio, peſtiferus.*

Hippoc. lib. 2. Coac. cap. 12. praenot. 18.

Medici vocabulo peſtis intelligunt morbum, quem ſinguli quique homines contrahere poſſunt ex contactu. Et hoc appoſitè quadrat luxuriæ, quæ ſuum inurit virus, ipſo etiam leui corporum contagio, vt oſculis, vel frequenti manuum tactu, vnde exurgunt libidinis incendia, quæ occupant hominem totum, & præcipuè renes, vbi viget fomes edacis huius flammæ, quæ hominem excæcat, aut ſaltem graui ſomno obnoxiam reddit, & diabolo copiam facit, ſopitas illas animas inuadendi. Ideóque omnibus hominibus ſenſuum illecebrâ delinitis affingo ſymbolum illud, quod effinxit Camerarius, pingens piſces, quos dormientes, piſcatores tridente ferreo confodiunt, & ſemiuiuos in nauem trahunt, hoc titulo adiecto. STERTENTES OCCVPAT HOSTIS. Illa animæ cæcitas non eſſet homini reprobo grauis, ſi tota mali labes eſſet penes illam caliginem, quæ non tollit ſenſuum illecebras. Sed ſummum corporis & animæ diſcrimen quod manet homines ſic ſopitos, eos ſollicitat ad meliorem frugem, ne STERTENTES OCCVPET HOSTIS.

Luxuria tactibus incandeſcit.

EX SYMBOLIS. Camerar. lib. Centur. de piſcibus.

Hic ſe aperit campus longè latéque patens ad ſpatiandum & declamandum in reprobos, qui ſuis vitiis indormiunt, conſcij iniquæ ſortis Isboſet Regis Iſraël, qui feruente die in ſtrato ſuo ſtertens, perduelli facinore truncatus eſt. Si me non auditis, ô reprobi, ſaltem morem gerite Auguſtino opportunè ſuadenti hoc contextu. *Tota igitur opera noſtra in hac vita eſt, ſanare oculum cordis, vnde videtur Deus. Ad hoc ſacro-ſancta myſteria celebrantur, ad hoc ſermo Dei prædicatur, ad hoc exhortationes Dei morales, id eſt, ad corrigendos mores, ad emendandas carnales concupiſcentias, ad renuntiandum non voce tantum ſed mutata vita huic ſæculo: ad hoc agunt quidquid agunt diuinæ literæ, vt purgetur illud interius, ab ea re qua nos impedit ab aſpectu Dei. Sicut enim oculus factus ad hanc lucem temporalem videndam, & quamuis caleſtem, tamen corpoream & conſpicuam, non ſolùm hominibus, ſed etiam viliſſimis animantibus (ad hoc enim factus eſt, vt hanc lucem videat) tamen ſi aliquid iniecium fuerit, vel irruerit vnde turbetur, ſecluditur ab hac luce; & quamuis eum ſua præſentiâ circumfundat, ille tamen ſe auertit atque abſens eſt. Non ſolùm autem abſens fit perturbatione ſua à luce præſenti, ſed etiam pœnalis illi eſt lux; ad quam videndam factus eſt. Sic & oculus cordis perturbatus atque ſauciatus auertit ſe à luce iuſtitiæ, nec audet eam contemplari, nec valet.* Hactenus ille.

Oculus animæ purgandus.

EX SS. PATRIBVS. Aug. ſerm. 18. de verbo Domini in Matth.

Lux animæ quà induſtriâ procuretur.

Peccator tenebris delectatur.

Lux ſpiritalis eſt ingrata malis.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Creaturæ omnes ſpectatæ vt luteæ ſunt, oculos acuunt.

ETſi humanis opibus lux oculorum extincta redux fieri nequeat; poteſt tamen reuocari medicamine, quo Chriſtus cæcum à natiuitate fecit compotem oculorum. Expuit in terram, fecit lutum, & eo coagulo delinitos oculos peruios fecit lumini circumfuſo. Non fuit hæc curatio peritiæ medicorum, ſed altioris induſtriæ, quæ ſuis inuolucris recondit ingentia myſteria. Hæc recolere eſt partium ſecundi huius puncti, vbi incumbit mihi probare, illa omnia egregia quæ coruſcant infra cælos eſſe lutea, & ſpectata in ſua indole ingerere potius tædium ſui quàm amorem, & ſic reddere oculis lucem, quam ademit fucata rerum pulchritudo. Philoſophia meo intento fauet; quando probat finem mouere appetitum, ſecundùm eſſe ſuum reale, & non ſecundùm eſſe ſuum obiectiuum, quo concipitur ab agente propter finem. Verbi gratiâ æger non abſtinet, neque pharmaca ingrata deglutit, vt aſſequatur illam ſanitatem, quæ nullum habet aliud eſſe quàm intelligibile ſeu obiectiuum; ſed totum ſe componit ad medici arbitrium, vt fiat compos eius ſanitatis, quæ ſita eſt in debita humorum temperie, hac tamen præuia cautione, vt eſſe reale apprehendatur adæquatè: tunc enim pro dignitate finis percellitur appetitus, deprehenſa cuiuſque rei bonitate; vnde ſic arguo. Qualis eſt res, talis & debet eſſe in eam animæ propenſio. Ergo cùm quidquid in natura proſtat ſenſibile & oculos afficiens, illud luteum ſit & fragile, debet ingerere faſtidium ſui, non amorem. Amore autem reuocato à creatis, in quæ anima hallucinans ſe effuderat, oculorum eius acies acuitur, & videt quantùm credula nimis hactenus aberrauit. Si itaque oſtendero, omne quod eminet, ſenſumque ferit, minimè conſtare ſibi, ſuperimponam oculis veſtris lutum: nam aſpernari honores, opes atque delicias veluti puluerem, illud eſt in hæc omnia conſpuere. Ex ſputo autem & puluere exurgit lutum, quo deliniti oculi cæci viſum recipient.

EX PHILOSOPHIA. Auerr. lib. 12. Metaph. com. 36.

Finis quomodo moueat appetitum.

Ne longiores præludendo moras texam in eo argumento, ſic explico indolem rerum, quæ faciunt ad huius ſæculi pompam & ornatum. Quidquid infra cælos editum eſt corporeum, illud in gratiam & obſequium hominum fuit compoſitum, atque ita non eſt corpore humano nobilius. Sed corpus humanum ſingulis quibuſque momentis deperit, & fit ſeipſo deterius; iuxta querelam Iob. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore; repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra; & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Eſt ergo fugax & fragile omne quod conditum eſt in hominum obſequium. Alioquin ſi quid in hoc ſæculo præſtantius homine emineret, illic homo appetitus ſui metas præfigeret, ſuſpicans illic eſſe indubium beatitudinis argumentum. Ideóque omnia prætereuolant & alternis ludunt, ne illudant homini, affectum illius noxiè demulcendo.

Iob. 14.

Omnis ille huius ſæculi apparatus ſequitur hominis ingenium, ac proinde non eſt quo delirus homo totis votis inhiet rei perituræ, qualis eſt iſta ſenſibilis rerum omnium congeries, in quam Sancti ferè omnes declamant, ſugillantes hominum inſaniam, quos fucata mundi ſpecies excæcauit. Sic Gregorius. *Qui ſe adhuc pro rebus tranſitoriis extollit, neſcit in proximo venerari quod maneat. Nolite ergò intra voſmetipſos penſare quod habetis, ſed quid eſtis. Ecce mundus qui diligitur fugit. Sancti ad quorum tumbam conſiſtimus, florentem mundum, mentis deſpectu calcauerunt.*

EX SS. PATRIBVS.

Greg. hom. 28. in Euang.

Erat

Mundi ſupellex omnis eſt fugax.

Erat tunc vita longa, ſalus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace; & tamen cum in ſeipſo floreret, iam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam mundus in ſeipſo aruit, & adhuc in cordibus noſtris floret. Vbique mors, vbique luctus, vbique deſolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiſcentiæ, ipſas eius amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo, nunc tantis plagis plenus eſt, vt ipſe nos iam mundus mittat ad Deum. Penſate ergo, quia nulla ſunt quæ temporaliter currunt. Finis temporalium oſtendit, quàm nihil ſit quod tranſire potuit. Caſus rerum indicat, quia res tranſiens, & tunc propè nihil fuit, cùm ſtare videretur.

Cæcitas eſt homini hæreditaria.

Eſto mundus auro & argento diues affulgeat tibi, hoc tamen vnum animo recole, baſes eius eſſe luteas, ideóque minimo ictu machinam illam totam peſſum-ire, atque ita præſens remedium contra præſtigias illius eſſe opinionem contemnendæ eius ſubſtantiæ, quæ meditata ſub typo luti, reſtituet lumen quod dæmon extinxit faciens homini fucos. Vnde Auguſtinus opportunè monet. *Si attendamus hæreditariam pœnam noſtram, totus mundus cæcus eſt. Ideò venit Chriſtus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. Omnes cæcos naſci fecit, qui primum hominem decepit. Currant ad illuminatorem, currant, credant accipiant lutum de ſaliua factum.*

Aug. lib. 50. homiliar. hom. 43.

Ea cautione Paulus occurrit cæcitati, quam ingerit fucata ſpecies mundi, ita fatus: *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Vtque lutum deterit illud omne cui iniicitur; ita & Paulus credidit ineſſe gratiæ detrimentum ei, quem mundus infecerit aſpergine ſua. Sic ille. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum, propter Chriſtum detrimenta.* Quantùm enim amoris noſtri accedit mundo, tantùm deperit Chriſto, qui nos ſibi totos & totaliter obſtrinxit, & cui fit iniuria, ſi in partem amoris adſciſcatur aliud quidpiam infra Deum.

Philip. 3.

Platonis etiam fuit opinio, fucata eſſe omnia quæ videntur, quia hallucinantur ſenſus. Adiiciebat ille idem Philoſophus, rerum omnium ingenuum ſtatum inuium eſſe oculis corporeis, qui dum afficiuntur rebus extrinſecis, excidunt ea luce, cuius obſequio citra errorem ſeſe veritas prodit, animæ tantùm oculis innoteſcens. Meminit Auguſtinus huius Philoſophi, quem ait ſenſiſſe, *Non corporeis oculis, ſed pura mente veritatem videri, cui quæcunque anima inhæſiſſet, eam beatam fieri atque perfectam, ad quam percipiendam nihil magis impedire, quàm vitam libidinibus deditam, & falſas imagines rerum ſenſibilium, quæ nobis ab hoc ſenſibili mundo per corpus impreſſa, varias opiniones erroresque generarent: quamobrem ſanandam eſſe animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, & eodem modo ſemper ſe habentem, atque vndique ſui ſimilem pulchritudinem, nec diſtentam locis, nec tempore variatam, ſed vnum atque idem omni ex parte ſeruantem, quam non crederent eſſe homines, cùm ipſa verè ſummèque ſit: cætera naſci, occidere, fluere, labi, & tamen inquantum ſunt ab illo æterno Deo per eius veritatem fabricata conſiſtere, in quibus animæ tantùm rationali & intellectuali datum eſt, vt eius æternitatis contemplatione perfruatur, atque afficiatur, orneturque ex ea, æternamque vitam poſſit mereri. Sed dum naſcentium atque tranſeuntium rerum amore ac dolore ſauciatur, & dedita conſuetudini huius vitæ, atque ſenſibus corporis, inanibus euaneſcit imaginibus, irridet eos qui dicunt eſſe aliquid, quod nec iſtis videatur oculis, nec vllo phantaſmate cogitetur, ſed mente ſola & intelligentia cerni queat.*

Aug. lib. de religione c. 3.

Veritas quomodo videatur.

Ita planè, animalis homo non ſapit ea quæ Dei ſunt, qui deſipit in his quæ Dei non ſunt, ſed carnis & mundi, ideóque fas eſt eum ſugillare eo ſymbolo, cuius alibi memini, dum recenſui picturam illam, quâ Camerarius obiicit tigrim inſequentem venatorem, qui ſuos catulos furatus eſt. In ea tabella viſitur tigris, qui in via verſat globum vitreum, in quo attenuatæ ſpecies imaginem tigris præſentant, quam credulus tigris ſpectat vt catulum ſuum, ſicque deluſus perdit catulos ſuos, & prædoni dat ſpatium euadendi. Huic tabulæ auctor affingit illas voces. VITREÆ TARDARIS IMAGINE FORMÆ. Eâ nos aſtutiâ remoratur dæmon ab indagine veri boni.

EX SYMBOLIS.

Camerar. centuria de quadruped.

Senſus decipiuntur formâ rerum.

Callidus ille præſtigiarum artifex probè ſcit, hominem anhelare ad bonum vt in finem quo percellitur ad omnes actus ſuos. Ne igitur anima ſortiatur congruum ſibi bonum, Angelus ille nequam bonorum omnium mutat eſſe obiectiuum, quia in bonum ſeu in eſſe reale nullum ei ius datur'audi verſutiam. Etſi bonum ſua bonitate reali moueat appetitum, ita vt deſideretur ipſa boni realitas; tamen debet apprehendi illa concupita realitas, quæ pro intentione & remiſſione apprehenſionis, magis & minus ſollicitat animam ad operata comparanda. Vt ergo diabolus hominem diſtrahat à vero bono, variat eius eſſe obiectiuum, ſuggerens homini operoſum eſſe Deo ſoli attendere, ſaltibus & dumetis interiectis inuios eſſe ad virtutem calles, & demum eſſe incerta quæ de ſorte Beatorum paſſim iactantur à paucis, quos fortuna iniquior arctioris inſtituti carceri mancipauit. Triſtioris eſſe ingenij, & clauſtrorum indigenæ aucupari bona inaſpecta; Deum nihil feciſſe fruſtra, ſed ad hominis arbitrium explicaſſe hunc rerum omnium apparatum. Carne conſcia quatitur animus his ſuſurris, & deorſum inflexus conſiderat voluptatum omnium ideas corpori perquàm gratas, eas apprehendens vt idoneas ad diu beatéque viuendum in hoc ſæculo. Ita errabundus homo à Deo diſtrahitur, VITREÆ TARDATVS IMAGINE FORMÆ.

EX PHILOSOPHIA.

Profectò vitrea ſunt omnia quæ iſtic irradiant; ô reprobe: nihil namque ſibi conſtat in hoc rerum vniuerſo, ſæculi pompa quò ſplendidior, eò fragilior. Nonne Alexander gloriæ ſuæ eclypſim paſſus eſt, dum eam plus ſolito ſibi credidit affulgere? Nonne præpotens Romanorum Imperium defecit Cæſarem in ſuo crepuſculo? Si ab honore prouocas ad prædiuites auro gazas, conſule Polycratem cruci affixum in eodem loco, ad quem illius carnifices condixerant, polliciti illic eſſe ingentem vim auri. Deteſtare iniquum fatum Craſſi, qui diffluens opibus, ſuæ fortunæ impar ſuccubuit captus ab hoſte, à quo ſe theſauros crediderat accepturum. Nihil planè eſt adeò inconſtans ſicut pecunia, figuram globi ſuo circulo referens, quia neſcit quieſcere,

EX HISTORIA.

Quint. Curt. lib. vlt. de Alex.

Suet. in Iul. Cæsare.

&

& diu eidem homini ſuffragari. Ideóque diuites altè deſodiunt opes ſuas, ne emergant, aut aliò diffluant

1. Timot. 6.

Earum perniciem Paulus conſiderans, ſic monet Timotheum. *Præcipe diuitibus huius mundi, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum.* Hoc Pauli conſilium ſic expendit Auguſtinus, dum proponit argumenta, quæ ſuadent floccipendium huius ſæculi facultatum: ſic ille monet diuites. *Conſiderantes quàm ſit incertum vnde gaudebant antequam accederent ad ſeruitutem Dei, vident ex ipſis diuitiis, vel habere ſe preſſuras cogitationum, quomodo ea gubernentur, quomodo cuſtodiantur, vel ſi paululum inclinauerint cupiditatem, vt eas diligant, plus eos impleri timoribus quàm fructibus. Quid enim tam incertum, quàm res volubilis? Nec immeritò ipſa pecunia rotunda ſignatur, quia non ſtat. Tales ergo etſi habeant aliquid, pauperes ſunt: qui verò nihil horum habent, & habere deſiderant; inter reprobandos diuites computantur: non enim attendit Deus facultatem, ſed voluntatem. Pauperes igitur deſtituti omni ope ſæculari, quia etſi ea circumfluant, intelligunt quàm incerta ſint.*

Auguſt. in Pſalm. 83.
Diuitiæ quàm incertæ.
Pecunia quare ſit rotunda.

Mundi inconſtantia deſcribitur.
Ex Ivre Civili.
Nouell. 49. in præfat. De his qui ingrediuntur ad appellat.

Illa mundi inconſtantia argumentum præbuit Iuſtiniano Imperatori nouas condendi leges. Nempe mutato rerum omnium habitu, diſcolor etiam ritus conſequitur. Sic ille legiſlator. *Volubile hoc & humanum, & quod manere idem nunquam valet, ſed ſit quidem ſemper, manet autem nunquam, & legiſlationibus introducit aliquem tumultum, & iis quæ videntur ſe habere rectè, & firmè poſita indicantur, ſed ea quæ ſubtili obſeruatione cauta ſunt, plerumque turbauit emergentium varietas cauſarum.* Quis ergo ſanus vitreæ confidat imagini? Nemo planè, imò rutilus ille mundi ſtatus ſuſpectam eius fidem facit, prudenteſque animas ſollicitat ad defectionem à ſæculo, cui olim applaudenti renuntiauit Ioſaphat Indiarum Rex florente ætate, ſe abdicans regno & ſecedens in ſolitudinem, ne rurſus ſæculi abiurati ſpecies animum excæcarent. Nullus anteà Regum adeò ſibi deuinxerat hominum corda, omnia huic Regi ex voto ſuccedebant, tamen ſecundis ſpirantibus auſtris, & integro rerum omnium ſtatu, Rex pertæſus perfidiam mundi, probauit ſuo exemplo concluſionem meam quæ affirmat, mundum agnitum parturire contemptum ſui.

Ex Historia.
Damaſcen. in vita Ioſaphat.

Mũdo quàm alacriter renuntiauit B. Franciſcus Borgia.

Superiore ſæculo Hiſpania mirata eſt facinus audax & inſigne Franciſci Borgiæ Ducis Gandiæ, cui cum Caroli V. Imperatoris aura beneuolà afflaret, & quamplurimis aliis aulicis emineret; ille attentè ſpeculans ingenium ſpecioſæ cuiuſque ſupellectilis huiuſce ſæculi, faſtidiens hunc ornatum, dedit nomen & animum ſuum Societati Ieſu, cuius habitu initiatus exiens è Gandia vt Romam contenderet, in hunc ſe Dauidis iubilum effudit. *In exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo Barbaro.* Deinde recolens quàm ægrè ſalui fiant homines ſæculo addicti, vſurpauit hunc etiam Dauidis verſum. *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Vbi ille Romam appulit, multa virtutum praxi oſtendit Principes abdicato principatu fieri indigetes & indigenas cæli. Tandem inſigni pietate exactis viginti & quinque annis, præcipiente Pio V. Pontifice, reuiſit Hiſpaniam, vt ſuâ virtutum fragrantiâ reſpergeret oras, quibus olim affulſerat, nobilitatis & gloriæ titulis pluribus inſignis. Ad eum confluxêre proceres regni affines eius, eum deprecantes, vt ſuo aſpectu Gandiam recrearet. Noluit ille hoc ſolamen dare carni & ſanguini, ne extincti ſæculi ideas incautè reuocaret, & ſic magno ſui diſpẽdio, animæ ſuæ oculos excæcaret.

Ribaden. in vita B. Franc. Borgia.

Sciebat ille diuino ſpiritu afflatus, mundum eſſe eiuſdem generis ac omnia ſenſibilia, quæ ſupra ſenſum poſita impediunt ſenſionem; quippe ad hoc ſcilicet vt res aliqua probè ſentiatur, neceſſe eſt vt obiectum & potentia ſint in aliquali diſtantia, vt patet in oculis, qui non vident illud, quod palpebris imponitur. Hinc mundi aſſeclæ omnes cæcutiunt, quia mundo immerſi, & haudquaquam ab eo vlla intercapedine diſſiti impotes ſunt huius notitiæ, quà gaudent ſæculi transfugæ, ſeſe recipientes in caſtra Chriſti, videlicet in clauſtra, aut ſaltem in meliorem frugem. Nam tunc homo factus animæquior, & quaſi ſui iuris, vnde exciderat factus vile mancipium mundi, recolens diſcrimina in quæ incurrit, ſuo experimento callet, quanta in ſæculo diſpendiâ anima patiatur. Horret ſeipſam quam fuiſſe meminit, & exoſa mundum, ſolitudinem facit ſuas delicias, ne rurſus iiſdem anfractibus neſcia capiatur.

Conſortiâ mala quomodo fugienda.

Eo ſpectauit iſte Canon. *A malis ſemper corde disiungimini, ad tempus cautè corpore copulamini.* Quo ſuadetur animæ ſolitudo ſita in contemptu mundi, & non diſcreta à perſonis manſione, ſicut explicat iſte alter Canon. *Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis, ſed contactu cordis, non corporis. Quid eſt enim tangere immundum, niſi conſentire peccatis? Quid eſt autem exire inde, niſi facere quod pertinet ad correctionem malorum? Diſplicuit tibi quod quiſque peccauit, non tetigiſti immundum.* Qui mente à mundo elongatur, ille mundi perniciem ſatis ſuperque deprehendit, intuens eſſe lutea hæc quæ rutilant imperitis.

Ex Ivre Canonic.
Can. A malis. Can. Recedite 23. q. 4.
Conſortia malorũ corde magis, quàm corpore fugienda.
Aug. hom. 43. lib. 50. homil. Am. q. 75.

Aduerte, eo ſolo luto cæcum non vidiſſe, ſed fuiſſe miſſum ad natatoria Siloë: erat hæc piſcina ad radices montis Sion, eo nomine inſignis, quòd Chriſtum etiam adumbrabat ſua ſignificatione: nam Siloë idem eſt ac miſſus, à radice Hebræa שלח *ſchalah* miſit. Arbitratur Auguſtinus miſſum fuiſſe hunc cæcum ad aquas, vt inde liqueret Baptiſmi neceſſitas: nam Baptiſmus Paulo dicitur φωτισμὸς illuminatio. In ea fuère ſententia Auguſtinus, Ambroſius, & Sedulius, cuius ecce verſus indices illius animi in eo argumento.

Cognoſcite cuncti
Myſtica quid doceãt animos miracula noſtros.
Cæca ſumus proles, miſera de fætibus Euæ,
Portantes longo natas errore tenebras,
Sed dignante Deo mortalem ſumere formam
Tegminis humani, facta eſt de Virgine nobis
Terra ſalutaris, quæ fontibus oblita ſacris,
Clara renaſcentis reſerat ſpiracula lucis.

Sedulius l. 4. carmin.
Obedientiâ illuminat.

Euthymius putat voluiſſe Chriſtum tentare fidem cæci; an crederet ſuadenti. Chryſoſtomus & Theophylactus dant obedientiæ illius cæci tale miraculum. Non ego faſtidio Sanctos Patres, ſi meam adiicio ſententiam conſonam titulò huius libri, quem nuncupo Moralem Encyclopædiam. Hæc igitur eſto mea expoſitio in ordine ad mores. Non fuit ſatis Chriſto imponere lutum oculis cæci; ſed adiecit lauacrum aquæ, cui miſſionis nomen inuſtum eſt, vt erudiret homines, notitiam vanitatis huius ſæculi non ſufficere

ad

Ex Theologia. S. Thom. 1. p. q. 35. art. 1.

ad contemptum eius, & ad integram animæ sanitatem, si minimè animam pœniteat obsequij, quod aliàs exhibuit mundo, cuius odium quammaximè probant lacrymæ effusæ in tesseram libelli repudij sæculo porrigendi. Nimirum lacrymarum ingens profluuium, omnem tergit caliginem, quam sæculi huius iniqua seruitus affinxerat. Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas, lacrymis etiam incubat: nam amore Dei percitus homo deflens retroactos annos in aucupio vanitatum mundi, nequit allui hoc fletuum fonte, nisi Spiritus sanctus hos sacros latices expresserit. Ita enim se habet in anima missio inuisibilis Verbi & Spiritus sancti, sicut ab æterno se habent generatio Verbi & processio Spiritus sancti: nempe vt Pater seipsum cognoscendo generat Verbum, & vterque per modum vnius principij spirat Spiritum sanctum; ita (absit tamen comparatio rerum humanarum cum diuinis) statim atque anima cælitus illustrata nouit omnem sæculi pompam, diffluit in lacrymas, perculsa tædio seruitutis, quam passa est delinita mundi noxiis illecebris. Illa cognitio practica suadens secessum à sæculo, clamat missionem inuisibilem Verbi, cuius est euehere intellectum ad ea quæ superant hominum ausus. Omnis autem notitia amorem Dei excitans æmulatur processionem Spiritus sancti, qui procedit à Patre & Verbo. Itaque illis lacrymarum aquis competit nomenclatura Siloë. Namque vox illa missionem significans, benè quadrat huic lauacro, quo non alluitur anima, nisi præuia missione Verbi & Spiritus sancti.

Lux animæ bonis actibus se prodit.

Hoc seriò attendite, ô fideles, ne summam pœnitentiæ vestræ reponatis penes fastidium mundi. Multos rerum omnium nausea perculit, verùm in melius minimè commutauit. Habuere quidem illi delinitos oculos luto, sed eos non tinxere salutaria balnea lacrymarum. Querulí ore damnant ea quæ manibus amplexantur. Itaque animæquior esto, ô homo, cui affulsit perfidia rerum humanarum, abdica omnes insolitas tibi curas, & lauare in piscina lacrymarum, securus fore tibi sarta tectaque omnia. Hoc suadet Gregorius hortans vt imitemur cæcum, qui sequutus est Christum; sic ille. *Videt & sequitur, qui bonum quod intelligit, operatur. Videt autem, sed non sequitur, qui bonum quidem intelligit, sed benè operari contemnit. Diuerso itinere ambulat, si gaudia delectationesque appetit, cui dux suus viam amaritudinis ostendit. Reuocemus ergo ante oculos peccata quæ fecimus, consideremus quam terribilis Iudex hac puniturus adueniet. Mentem formemus ad lamenta: vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentia, ne æternam amaritudinem sentiat in vindicta. Per fletus quippe ad æterna gaudia ducimur.* Faxit Deus vt hac fletuum aspergine fias illustrior, ô peccator.

Ex SS. Patribus. Greg. hom. 2. in Euang.

Pœnitentia amatorem inferni impedit.



FERIA QVINTA
DOMINICÆ IV. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT puerile ingenium seria non patitur; ita nec homo, cui peccare insolitum est, rebus quæ ad salutem pertinent occupari potest. Ideò declinans anima ad opera ingloria, quando peccat, dicitur versare puerilia. Eamobrem dico priori parte istius homiliæ, adolescentem Naimitam, qui florente ætate mortuus est, ideò periisse quia more adolescentum vixit agendo puerilia; siquidem omne peccatum hominem dedecet, & tantùm committitur repuerascente anima. Hæc igitur esto prima sectio homiliæ, scilicet peccatum esse puerile negotium.

II. Secundò explico quomodo possit fieri anima rediuiua, & præsertim expendo quid significare voluit Christus tangendo loculum adolescentis emortui, & concludo illum loculi tactum esse symbolum ærumnarum, quibus corpora nostra quatit Deus, vt suscitet animas nostras, quæ in corpore humano veluti in congruo sibi loculo reconduntur.

PRÆFATIO.

Adolescens, tibi dico surge. Luc. 7.



RECREATVRVS lassum corpus suum Ionas æstuante Sole, industria sibi manu composuit vmbraculum, quo teperet ardor diei feruescentis. Prophetæ sub degenti in opaco Deus aliud solamen adiecit, scilicet hederam, quæ subitò exorta, discurrentibus effusa foliis tugurium illud penitus obumbrauit. Incredibili propè lætitia gestiit Ionas, virentis hederæ gratiam considerans. Sed vt nihil est infra cælos quod sibi diu constare queat, illa hedera præcoci nisu assurgens, icta denticulo vermis exaruit. Præstat audire textum sacrum. Præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum; laborauerat enim, & lætatus est Ionas super hedera, lætitiâ magnâ. Et parauit

Iona 4.

Voluptas quàm sit fugax probatur egregia figura.

parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum; & percussit hederam, & exaruit. *Momentaneum sanè est in hoc sæculo quod delectat, & quidquid virore suo oculis illudit, id omne est vermibus obnoxium. Illa parum tenax series rerum, quàm maximè liquet in adolescente Naimita. Ille nuper ex ephebis excesserat, vixque lanugo tenella genas prurientes modicè resperserat, & tamen immaturæ mortis vermiculus lethali denticulo demessit illum florem. I nunc adolescens, & confide virentibus annis, cùm hodie noua pubes cedat in ius mortis. Fias inde cautior, ne sub spe longioris æui committas piacula, quæ Deus assolet morte præpropera castigare. Huius defuncti mater Christum beneficum filio suo extincto demeruit. Eiusdem & nos gratia erimus conscij, si omnium nostrûm communem matrem inuocemus, scilicet Mariam.* Aue Maria.

INficiari nemo potest hominem esse conditum eo habitu, qui ruinæ impatiens nesciisset mortem, si sibi constitisset, vt ait Augustinus. *Homo quando est primum conditus, veritati similis factus est: sed quia peccauit, quia recepit dignam, vanitati similis factus est.* Itaque mors fuit opus alienum à Deo, cuius opera omnia sunt perfecta, idcóque vitæ deliquium est à liuore diaboli, qui ægrè tulit hominem sufficì in locum, vnde ipse superbiens Angelus exciderat. Hac lethali falce demessuit omne hominum genus factum morti obnoxium. Sed estò carnificina hæc sit hominibus inglòria; tamen summa mali nostri non est in ea morte, quæ depascit hominem cute tenus: ast suprema mali labes attenditur penes animam, quam mors etiam iniqua peruasit, eodem telo confodiens corpus veluti thecam spiritus infidelis. Hanc animæ perniciem Dauid nuncupat manum filiorum alienorum. Et vt infirmetur illa manus, aliam efflagitat emitti è cælo, sic exorans: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.* Crediderim ego Psaltem petiisse Verbi in humanis exordia accelerari; Christus enim nomine manus congruè designatur: nempe manus à manando dicitur, quia à brachio emanat, & ab ea rursus digiti emanant. Ita Verbum à Patre emanat, quem Maria brachium nuncupat in Cantico suo, sic occinens. *Fecit potentiam in brachio suo.* Rursus vt digiti à brachio & manu oriundi sunt, ita Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit, diciturque digitus Dei. Christi ergo missionem orat Dauid, quando commemorat manum desuper emittendam, vt destruat hominis imperium. Hodie anhelantis Prophetæ vota sortita sunt effectum suum: nam Christus extendens manum suam tetigit loculum, quo cadauer adolescentis emortui condebatur. Præpotentis huiusce manus vim persensit mors euomens animam quam præcoci fato pridie deglutiuit. In hac historia scaturiunt pleraque mysteria, quæ singula percensebo, ne quid in re tam celebri tacitum prætercam. Duabus propositionibus perstringam istam concionem, vbi Euangelij quod decurro præcipua arcana reserabo. Dicam primò, peccatum esse puerilis animi negotium, ideóque Christum suscitaturum hunc mortuum, eum sic compellasse: *Adolescens, tibi dico surge.* Quasi diceret; adolescentiam eius fecisse illum conscium mali quo periit. Secundò adiiciam antidotum mortis, & probabo homines à Deo tangi, vt eo tactu fiant illicò rediuiui.

August. in Psal. 143. Veritati similis factus est homo. Vanitati similis quando factus est homo.

Psal. 143.

Luc. 1. Manus figura est Verbi incarnati.

Pars Prima Homiliæ.

Peccatum est puerilis animi negotium.

NAtura vbique benefica, pedetentim sua prodigit bona, vt congruè vnicuique prouideat, dum naturæ singulis debitas dotes impertit. Ideóque viuentia, & præsertim animalia perfecta suas habent moras & momentis indigent, quibus vt scalis euehantur ad altiorem statum. Verbi gratiâ, infantiam excipit pueritia, quam mox adolescentia consequitur. Huic succedit maturior ætas, dicta virilitas, cui colophonem imponit annis fœta canities, tessera senectutis. Vt discolor est corporum status, dum ætas alternat; ita & dispar est indoles, & anima variat, facta seipsa melior, & aliquando deterior, iuxta naturam habituum, quos corpora contraxerunt. Verbi gratiâ, pubescente corpore, intelligentiæ organa nondum nacta temperiem congruam illi animæ facultati, homini non permittunt rationis vsum defæcatum, quem prouectior ætas adhibet in agendis. Ideò ætas illa immatura, vtplurimùm ratione inconsulta quasi ignoranter peccat. Ergo cùm omnis peccans sit ignorans; profectò quicunque peccat, puerile negotium versat, quia à recta ratione deuiat: nam agere ex ratione, illud est præstituere sibi finem consonum humanæ indoli, & sectari media quæ conducunt ad finem propositum. At qui peccat, is omnino deuiat à fine consentaneo naturæ suæ: nam vel passionis œstro percellitur, aut raptatur à sensibus, quorum illecebræ demulcentes appetitum sensitiuum, eum deorsum inclinant ad obiecta pecorum, quibus nulla alia notitia concessa est præter sensitiuam. Vnde & peccatum ita dicitur, quasi pecoris actum. Puerilis ingenij est anhelare ad obuia quæque si rutilant, & vilibus inhiare crepundiis, quia nesciunt pueri discernere res fucatas à sinceris. Ita hallucinantur omnes qui hoc sibi indixère pensum, vt litent opibus & gloriæ, creduli nimis auram popularem hos beare homines, quibus aspirat aliquando propitia.

Si ergo etiam in rebus profanis est homini inglorium, pueriliter agere. Si erubuit Agesilaus Rex deprehensus cum filiolo suo currens in arundine longa. Quo amabò pudore suffundi debet anima eò se demittens, vt velut rationis impos gyret errabunda. Non enim turpius errari potest quàm deuiare à rerum omnium scopo, qui est Deus, qui propter semetipsum creauit omnia. Ipse est veritas & vita, vnde omnia habent vt vera sint & viuida. Cùm igitur anima nolit decipi, nec perire, debet vt sibi semper constet, vni Deo vero & viuo iugiter adhærere. At anima incauta sensuum illecebris delinita deserit vera bona, vt adulterinis gaudeat & spuriis, quibus adducitur in discrimen vtriusque vitæ, animæ scilicet & corporis. Et hoc subindicauit Christus eo ritu, quo mortuum hodie suscitauit; siquidem quasi ostendens rationem mortis eius, ita eum affatus est: *Adolescens tibi dico surge.* Id est, ô homo, cui puerile ingeniũ lethale fuit, alios indue animos, vt serò licet, seriò tamen viuas, discernendo vera à falsis & cõpescendo appetitũ rationalẽ, ne raptetur à sẽsibus, qui

Peccatum est ignorantia.

Ex Philosophia. *Arist. l. 2. Physic. 30. textu 78.*

Peccator puerilẽ animum versat.

Ex Theologia. *Thom. 1. p. q. 103. art. 2.* Sensuum illecebris capi puerile.

qui effrænes hominem totum per abrupta deuium agunt in præceps.

Ex Mathematica.
Ioan. à Sacrobosco lib. de sphæra.

Lubricante vestigio casibus innumeris obnoxia est illa adolescentiæ indoles, cuius ingenium colligere est ex Astronomia, quæ in globo suo pingit duos puerulos nudos implexis brachiis adunatos. Hi constituunt zodiaci signum, quod Gemini nuncupatur. Quo autem satellitio stipentur hi Gemini, vide ex serie signorum, quæ hoc contextu digeruntur in sphæra cæli vt Gemini medij sint inter Taurum & Cancrum. Taurus salacitate sua petulcum animal armentis iniurium est, dum iuuencas deperit. Præterea robore lacertorum & ceruicis insolescens hoc animal, obuia quæque quatit: & Psaltes insimulans proteruiæ Iudæos, ait. *Tauri pingues obsederunt me.* Cancer item retrogradum animal, notat præposterum ingenium. Eamobrem signum geminorum referens ætatem hominis immaturi, apposite collocatur inter Taurum & Cancrum, quia adolescens naturam Tauri & Cancri inscius æmulatur. Vide quàm ritè conueniant Gemini animæ & carni; sunt enim duæ illæ partes geminæ, etsi coalescant in vnum suppositum, quod si genio indulgeat, petulcum est, & salax veluti Taurus, & à Deo declinans ad infima retrocedit in modum Cancri. Itaque liquet dyscolos homines puerorum agere vitam affinem Tauro & Cancro.

Psal. 21.

Ioan. de Indagine, lib. de nouo schemate.

Adiice ex Astrologia, pueros editos dominante signo Geminorum esse affluxu nimij sanguinis adiposos: exundat enim & refluit sanguis, eo signo rerum potiente. Quidquid homo perpetrat sub dominio carnis & sanguinis, illud omne Geminos sapit, id est puerulos, ac proinde Tauri & Cancri ingenium redolet. Quàm autem noxia sit sanguinis exuberantis copia, disce ex re medica, in qua peritissimus Fernelius sic loquitur: *Sanguis totus natura calidus est: ex hoc caro tota fermè condita est.* Quo ergo magis turgebunt venæ, eò etiam magis homines incalescent, vtique libidinis æstu; est enim sanguis copiosus Veneris incrementum. Rursus caro sanguine concrescit, ac proinde assurgit corpus in ampliorem molem adiectione sanguinis; sicque homo carnalis efficitur, & obesus. Nempe adeps fluit è sanguine, vt concordi suffragio decernit tota medicorum schola, è qua præfatus Fernelius ita fatur: *Membranæ atque cuti copiosius adeps & vberior increscit, ex pingui quidem & tenaci eaq; frigida sanguinis portione genitus, quæ è venis excidens, moxque affusa frigidis exanguibusque membranis, tanquam congelans similiter, atque crassius oleum frigore durescit.* Hæc ille. Vnde sic arguo. Iisdem nutrimur quibus constamus. Sed homines in ephebis multo desudant sanguine, & copioso adipe distenduntur. Nequeunt ergo illi homines animales sapere ea quæ Dei sunt, sed quæ carnis & sanguinis: & hinc magna vitiorum colluuies. Nonne igitur apposite dico, esse de epheborum grege eos omnes, qui carni & sanguini indulgent?

Ex re Medica.
Fernel. lib. 5. Physiol. cap. 6.
Sanguis quomodo carnē & adipem faciat.

lib. 3. Physiol. c. 15.

Adiice, ex multo sanguine prolici magnam vim spirituum, qui memores ortus sui hominem percellunt ad pleraque obscœna, quibus vt gaudeat, oculos impudicè vibrat in obiecta idonea intento suo, & sic anima illius effertur extra portas, sicut elatum est hoc cadauer, quod meminit textus hodiernus. Nemo terræ mandabatur in vrbibus Hebræorum; ideóque foras emissus ille adolescens emortuus. Ita quamdiu anima sibi benè conscia colligit se, tamdiu sospes & integra est. Sed vbi ad exteriora diffluit illecta deliciis, ex tunc ea excidit vita, quæ ipsam antea recrearat. Effuderat se Dauid extra portas, quando vidit ex aduerso mulierem se lauantem; & hæc effusio lethalis fuit animæ illius, & corpori Vriæ coniugis innoxij fœminæ, quam Dauid impiè deperibat. Suo etiam summo discrimine captus est in oculis suis Holofernes, adstante Iudith muliere Hebræa, compta in perniciem hominis incauti. Ratio discriminis, quod anima incurrit effusa in sensuum illecebras, hæc est. Qualis in homine viget notitia, talis & cietur appetitus: nusquam enim dissitæ sunt illæ duæ facultates, scilicet apprehensiua, & appetitiua. Si ergo præualet notitia sensitiua, necessariò sensualis appetitus animæ indicet easdem leges quas bestiis, quæ mouentur ab obiectis nullo præuio dictamine rationis; at moueri ab aliquo obiecto sensibili, inconsulta ratione, est degenerare in pecus, & hæc est sors hominis sensuum obsequio præpediti. Quo namque magis sensus aucupantur illecebras, eò etiam magis intenditur notitia sensitiua, ac proinde magis stimulatur cupido sensualis; quæuis nempe potentia repetitis actibus acuitur. Accensa autem cupido sensitiua retundit rationis vsum, & sic hominem exuit eo vnde nuncupatur homo, faciens eum multis piaculis obnoxium; siquidem turba copiosa reatuum sequitur obsequium appetitus sensitiui. Imò dyscolos quosque homines impunè delinquentes, multi alij nequam posteà consequuntur, prosequentes funus hominis iniquè defuncti, eamdem ingredientes aleam, quam & ille summo animæ suæ dispendio expertus est.

Sensuum illecebrę quam fallaces.

Ex Philosophia.
Thom. 3. Phys. lect. 5. tex. 22.

Occurrit opportuna historia, quam meminit Codex sanctus, dum recenset stragem editam à Iudæis, in indigenas vrbis Madabæ, vnde exeuntes oppressi sunt ab Hebræis. Accipe historiam, typū eius industriæ, quâ diabolus irruit in incautos, quos internecione delet cum turba copiosa. Sic eloquitur scriba sacer. *Renuntiatum est Ionathæ & Simoni fratri eius, quia filij Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba filiam vnius ex magnis Principibus Chanaam, cum ambitione magna. Et ascenderunt & absconderunt sub tegumento montis, & eleuauerunt oculos suos, & viderunt, & ecce tumultus & apparatus multus, & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis. Et insurrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & residui fugerunt in montes, & acceperunt omnia spolia eorum, & conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum in lamentum.* Reuerà nemo miseratus est iniquam illorum hominum sortem, qui etsi conscij essent, non abesse Hebræos hostes suos; exiêre tamen accincti omni supellectile voluptatis, quâ deliniti, fecere copiam sui abditis inimicis, qui hanc pompam in funera commutarunt. Profectò illa clades fuit imperitiæ adolescentium assignata. Quòd si hæc ruina senes inuoluit, nullo planè fuerunt patrocinio digni, quia ducatum ætatis immaturæ debuerunt maiori industria declinare. Non est sanè quòd illis ego succenseam, cùm maiora longè argumenta zelum meum sollicitent, vt declamem in vilia deliciarum mancipia. Nemo nescit nos vndique impeti crebris dæmonum insidiis, in quas impingunt omnes qui efferuntur

1. Mach. 9.
Voluptatis exitus est lethalis.

extra

extra portas suorum sensuum; & rari tamen sunt qui caueant insidias, & suis sensibus inuigilent: potior hominum pars cedit in ius Angelorum nequam, qui dementant animas dum erumpunt foras, vt rebus hisce infimis occupentur. Ille animæ exitus extra se turbam copiosam trahit; nam malorum omnium ilias stipat hominem delinquentem, & plerumque accidit mors præcox, vindex criminum quæ perpetrat ætas virens, arbitrata mortem procul abesse, quia sospes & integra caro ruinam non metuit. Hos pungit adolescentes incautos immaturi fati, præscius eorum infamiæ Dauid, ita fatus: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Psal. 54.

Reprobi omnes ea tenentur lege, qua Imperatores Diocletianus & Maximianus sanxere ædificium non debere in altum exurgere, si ei seruitus fuerit imposita. Ecce legem. *Si in ædibus vicini tibi debita seruitute parietem altius ædificauit Heraclius, nouum opus suis sumptibus per præsidem prouinciæ tollere compelletur. Sed si te seruitutem habuisse non probetur, tollendi altius ædificium vicino non est interdictum.* Adolescens, cui sensuum illecebræ iugum seruitutis imposuere, nequit in plures annos adsurgere: namque corporis eius ædificium inualente vitio, in ruinam inclinat, & iisdem mediis labitur, quibus credidit emitescere. Nimirum epulæ, libido, & vigiliæ intemperiuæ, quibus exercentur homines, dum excedunt ex ephebis, sanitatem labefactant: quippe crapula obest sanitati, & vigiliis atque luxuria corpora colliquantur. Itaque iuuenilis ætas malesuada est, dum suggerit delicias sub spe longioris æui; siquidem infideli argumento vtitur, dum prætexit productiores annos, quorum certitudo fiduciam facit impune luxuriandi & cæteris vitiis indulgendi. In hos debacchatur Propheta hac censura: *Et corruet hodie, & corruet etiam Propheta tecum.* Malè sibi ominatur adolescentia, quando animo concipiens infinitos propè dies, pube sua litat Veneri & Baccho. Salacis huiusce ætatis dispendium sensit adolescens ille, cui ciuitas tota Naim hodie parentauit; cui fortè quadrat illa animaduersio Augustini. *Non se credendo moriturum, fecit vnde moreretur.* Quò namque magis ætas illa virens credit se viuacem, eo etiam magis deserit sanitatem suam, dum in vitia nimis effunditur.

Ex Ivre Civili. *Leg. si in ædibus Cod. de seruitutibus.*

Osee 4.

Ex SS. Patribvs. *Aug. ser. 52. de resurrect.*

Hæc fuit olim querela Patrum Ecclesiæ, in quibus Hieronymus Nepotianum adolescentem sic hortatur, vt eum velit sibi esse suspectum ratione ætatis, quæ dum in cute flores, minimam vitiis effutam facit. Ita Hieronymus. *Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur; ita sapientia in adolescentia, tentationibus & libidine impedita non explicat suum fulgorem, nisi labore, & studio, & oratione incentiua iuuentutis repellantur.* Eadem ferè annotauit Ambrosius hoc tenore: *Vicina est lapsibus adolescentia. Quia variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis.* Luxuriantis huius æui indoles, ferè rerum seriarum impatiens, hæret in ludicris, vt benè aduertit Chrysostomus ita fatus: *Adolescentibus in ludo literarum positis, non tam placent solida, quàm picta: quare potius pulchra, quàm vtilia sectantur. Nec tam agentia diligunt, quam sonantia: magis gaudent foliarum amœnitate conspergi, quam fructuum vbertate nutriri.* Indoles illa prona in lapsus fecit vt peccantes fuerint puerorum titulis obiurgati, ipso etiam Aristotele censore, sic

Adolescẽtia est insipiens.

Hieron. ep. ad Nepotian.

Amb. lib. 1. de viduis. Adolescentia vicina lapsibus.

Chrysost. in prolog. in Matth. Adolescentibus nihil solidũ placet.

carpente homines suæ ætatis immemores. *Nihil differt ætate puer, & moribus puerilis.* Eò etiam Seneca allusit, quando Lucilium sic monuit. *Magnum expecta gaudium, cum puerilem animum deposueris, & te in virum Philosophia descripserit. Adhuc enim non pueritia, sed quod grauius est, puerilitas remanet. Et hoc quidem peius est, quòd auctoritatem habemus senum, vitia verò puerorum, nec puerorum tantum, sed infantium.*

Arist. lib. 2. Ethic.

Senec. ep. 16. Pueri senes quinam sint.

Ex præfatis habent iuuenes, vt caueant insidele susurrum viridæ ætatis, quæ agit causam omnigenæ voluptatis. Habent & senes vnde erubescant, si in mores incongruos adolescentiæ dilabantur. Vt ergo viri puerorum ingenium declinare debent; ita etiam iuuenes, senum probatissimos quosque ritus sedulo satagant æmulari. Fient equidem voti compotes, si Deo se suaque maturè deuoueant; sera namque sui oblatio, in prouecta ætate marcida est. Audiendus Hugo Victorinus. Sic ille: *In illa ætate quando crines flauescunt, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis subministrat, & ætas iuuenilis longioris vitæ spatium repromittit. Quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus iucundior. Qui in hac ætate se domant, & Deo se sanctificant, præmium Ioannis Baptistæ expectant. Tales enim offerunt hostiam viuentem Deo placentem, & immaculatam, non aure, non pede, non lingua carentem. Audiat hoc senum sera conuersio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, vt breuiter cuncta perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed (vt ita dicam) porcum cruentatum. Sicut enim porcus in immunditiis, sic senex iacuit in vitiis.*

Hugo Vict. lib. de claustr. anim. Adolescentes pœnite tes offerunt Deo hostiam viuentem.

Ea prodiuis ad errorem ætas, suæ salutis incuria arcetur à rebus sacris, vt sunt infulæ sacræ, seu dignitates Ecclesiæ, ad quas scandere haudquaquam conceditur homini immaturo. Hinc varij Canones emanarunt, in quibus istum accipe. *Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tantò periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant.* Credidit Gregorius Papa non coire crudam ætatem, & ordines sacros, quibus initiari nefas est homines immaturos. Imò ex Concilio Elliberitano tollitur impuberi ætati iurisiurandi copia, hoc Canone. *Pueri ante annos quatuordecim non cogantur iurare.* Cùm igitur illa ætas inepta sit ad res arduas exantlandas; valde delirant homines, qui vltro inclinant in errores annis puerilibus insolitos, & quos plerumque Deus castigat morte præcipiti, vt cautiores harũ alij eiusdem farinæ nequam.

Pueri non admittendi ad sacros ordines.

Ex Ivre Canonico. *Can. Pueri 2. quæst. 4.*

Can. Pueri ante 22. qu. 5. Pueri qua ætate queunt cogi ad iurandum.

Eo forte intento Deus voluit censeri sibi historiam huiusce adolescentis, vt hæc ætas virtutum impatiens erudiretur hoc funere, audiens hominem prima lanugine pubescentem, morte sua luisse delicias, quibus se totum hactenus addixerat. Etenim mors omnes sensuum illecebras adsciscit veluti præambulas iniqui fati, quo dementat homines suæ sospitati plus nimio confidentes. Non erit abs re hîc recensere historiam perceleb rem opportunam meo intento. Rex inclytus Galliæ Henricus Magnus, parua nobilium manu stipatus in nemore regio Fontisbellouaci venatione animum suum recreans, aliquando audiit magnum apparatum aliorum etiam hominũ, quorum canes venatici sæpius adlatrabant. Quæsiuit Rex quinã eò audaciæ proruperat, vt tẽtaret permeare lucum

Ex Historia. *Dupleix in Henric. IV. sub an. 1591.* Mors, visa venatoris habitu.

lucum peruium vni tantùm Regi. Adstitit Comes Suessionum, Princeps regij Gallorum stemmatis, rogans an exploraret vnde reboantes hi latratus emergerent. Annuit Rex, & statim Princeps admotis calcaribus vrgens equum aliunde velocem, totam viciniam lustrat. Huic indagini intento occurrit ingens spectrum, referens terribile simulachrum mortis, has inconditas voces ore macilento submurmurans. An me auditis? Refractæ vocis compendia excepit Comes animo consternatus, & festinè redux ait Regi se vidisse reuera venatorem, sed horrendum, scilicet mortem. Impauidus Rex nihil cunctatus, suas quas cœperat, egit partes. Proculdubio mors suas obit vices, venationi intenta, & totum populatur orbem. Canes eius venatici sunt deliciæ omnes, seu illicitæ voluptates, in quas iuuenes incauti potius incurrunt, quàm viri sagacioris indolis, ideóque plures cadunt iuuenes quàm senes, Deo sic iuuenum proteruiam morte citissima vindicante. Plerosque mors occupat eo modo, quo militem dirè extulit, sub Turca Baiazethe primo huiusce nominis. Insolescens miles ingressus tugurium rusticæ mulieris, lac recens emulsum tulit, & coram absorbuit: illa tyrannum adiit, qui illic castra metatus sanxerat omnes fore indemnes qui erant conterminí castris. Querula mulier causatur insultum militis & prædam lactis: zelo armatus Bajazethes militem exenterat, & in mulctam epori lactis viscera eius fundit, capite animaduertens in eum, qui prætierat imperium Principis sui, ob haustum lactis.

Voluptates sunt canes venatici mortis.

Hist. Turc. sub an. 1396. Voluptatis lac est lethale.

Deterioris sanè conditionis sunt reprobi omnes, qui in gratiam fugacis illecebræ, diris se deuouent & æternis cruciatibus. Hoc recolite iuuenes, quos venatici canes mortis exagitant, scilicet libido, epulæ, ludi, choreæ. Hæc omnia sunt mortis stipendio conducta in perniciem vestram, quidquid resonent & auribus insusurrent, illud omne rectà ad mortem vergit. Non ambigo adolescentem hunc indulsisse genio, ac proinde sauciatum venabulo mortis, quo vitâ excidit. Itaque, adolescentes, si quando suaue melos animam deliniat, illius occinentis illecebræ dubiam semper facite fidem, ne tandem serò pœniteat. Ei argumento propitium erit symbolum Ferri, qui pingit hamum inescatum hoc titulo. CAPIENTEM ME CAPIO. Ita & voluptas dum demulcet hominem, pellicit ad sequelam: sed illa incautum capit, quando voluptatem se capere arbitratur homo imprudens. Illecebrâ voluptatis capitur quidem, sensu gaudente deliciis; sed vicissim anima capitur, & cedit in ius diaboli, qui est industrius voluptatum artifex. Fiunt delusi homines eiusdem sortis quam miseram experti sunt illi, quos antea recensui captos ab Hebræis. *Acceperunt omnia spolia eorum, & conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum in lamentum.*

EX SYMBOLIS. *Ioan. Ferrius p. 2 Theatri.* Voluptas capientes se capit, vt egregio symbolo probatur.

1. *Mach.* 9.

Reprobi omnes omnigena voluptate gestiunt, nihil omnino subtrahunt corpori eorum quæ pruriens caro petit. Deliciæ quæque & tripudia sunt præcipuæ hominum impiorum curæ; sed vindice tandem fato, intempestiua hæc gaudia præcipiti funere nigricant, & æternus luctus excipit modicam lætitiam, sicque omne suaue melos vertitur in lamentum. Proh dolor! ô admirandi luculenta seges! Multi quotidie iuuenes efferuntur ad tumultum, ipsa etiam baiula voluptate; & tamen turba copiosa se comitem adiicit illi lanienæ. Nimirum quæuis corporis illecebra, si sit immodica, dilaniat animas aspergine sua affricans illas. Carnificina hæc multo pereuntium sanguine rubet & desudat: veruntamen verò nihilo segnior est turba copiosa iuuenum, se immiscens deliciis, quæ terram effodiunt, vt ea dehiscente reprobi tumulentur.

Adeò in decliue vergunt iuniorum hominum gressus, id est, ita inclinant in vitiorum omnium præceps, vt citra præpotentis Dei manus opem, nequeant ad propria repedare. Psaltes huiusce veritatis quàm maximè conscius, prælibato à me versu ideò sic orauit. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.* Nota, nomine aquarum multarum intelligi populos, iuxta stylum Scripturæ sanctioris. *Aquæ multæ, populi multi.* Dauid populi præcipitis in abruptum, refugit inire commercium, probè callens indubiam imminere ruinam ei, qui pepigit fœdus cum turba copiosa properante ad sepulchrum, & proinde à Domino declinante. Eripi huic malo instanti, esse singularem Dei gratiam affirmat idem Vates, dum concludit diluuium aquarum, id est, populos remorari accessum animæ ad Deum. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Quanti autem sit momenti ab hac se expedire molestia, subiungit idem dicens esse hoc præsidij specialis. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me à circumdantibus me.*

Psal. 143.

Psal. 31.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Afflictionibus fit anima rediuiua.

HVic orationi Deus propitias aures adhibuit, Dauidem sic affatus. *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris.* Quomodo autem hominem erudiat, si voluptas illicita aliqualem illi caliginem offuderit, declarat ille Vates isto versu, & in eodem Psalmo. *Multa flagella peccatoris.* Et ne mens infida fatiscat, pertæsa verbera & disciplinam salutarem, subiicit hunc contextum. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Lætamini in Domino & exultate iusti; & gloriamini omnes recti corde.* Quasi diceret: O animæ pœnitentes, quando Deus vos flagris excipit, tunc manus suas extendit ad loculum vestrum, scilicet ad corpus, quod est velut animæ theca. Sed illa manus extensio est argumentum animæ rediuiuæ. Ideóque est locuples materia collætandi.

Cæterum ne vt canis in Nilo delibare videar primoribus labris textus recensitos appositè ad moralem sensum, libet eos reuoluere. Dauid supplex à Deo petiit, ne immergeretur aquis, id est ne contraheret noxas turbæ copiosæ. Annuit Deus, & spondet se daturum intellectum. Quare hoc? Sanè id congruè & ad postulata opportunè. Reprobi omnes exciderunt genuina ratiocinandi facultate, collapsi in classem infantium. Dauid transfuga petit sanctiorum hominum castra. Deus aurâ beneuolâ votis eius afflans, pollicetur gratiam, cuius maximè indiga est turba illa copiosa hominum nequá, qui facti sunt vt equus & mulus, quibus non est intellectus. Eamobrē ait: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris.* Hoc autem intelligendi acumen impertit,

Tribulationes acuunt intellectum.

impertit, corpora castigando; & hæc castigatio est tactus manus Domini, iuxta loquendi tropum, quem vsurpat Codex sanctus, vbi Iob suarum ærumnarum texens epitomen, ait: *Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Eamobrem postquam Deus pollicitus est intellectum, adiicit modum, quo acuitur illa rationis acies, videlicet, flagella quibus accenditur ratio extincta.

Iob. 19.

Crux & intellectus eadem voce significantur apud Hebræos.

Ideo Chaldæi crucem vocant משכל *Mascal*: vox autem illa & intellectum sonat, & id omne quod cruciat, à radice שכל *Sebacal*, id est, intelligere. Nam ea omnia quæ sensum torquent, excitant intellectum. Eò allusit Isaias ita vaticinans: *Flagellum inundans cum pertransierit, eritis ei in conculcationem. Quandocunque pertransierit, tollet vos: quoniam manè diluculo pertransibit in die, & in nocte, tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Lacerum flagris corpus quando dolet, est inde animus alacrior; initque virtutum calles, quos deliciæ inuios hactenus effecerunt. Ideo Sancti Patres ingruentes angustias pellucido nomine nuncuparunt, dum dixere molestias acuere intellectum, & ingerere scientiam rerum abditarum. Accipe Laurentij Iustiniani effatum. *Perniciosa est sui nescientia, & ad omne facinus procliuis, quæ dum se stare putat, iacet miserabiliter. In tenebris obuoluta est, videre se arbitrans, sed felleo collyrio inungenda est, vt rectè videas, manuque tentationis erigenda est, ne pereat.* Ait ille detergi caliginem, qua anima suiipsius nescia vitiis indulgebat, si ingruant cruces; & adiicit singula quęque tormina esse manus, quę erigunt hominem deorsum inclinantem. Alius quidam veterum recensitus in Bibliotheca Patrum, sic crucem compellat. *Salue crux, prauorum institutorum correctrix, & sanctioris viuendi generis promotrix: salue crux, reuertentium manuductio.* Dolorem vocat Dauid legisperitum qui legifragos instruit. Sic ille: *Constitue Domine legislatorem super eos.* Chrysostomus ita hunc versum expendit. *Sit eis supplicium pro admonitione. Erit supplicium loco legis & non eis tantùm, sed aliis. Dei prouidentia est, quod non facit hoc latenter, vt aliorum calamitatibus alij reddantur meliores.* Eodem spiritu afflatus, quo & Dauid alter Vates querulus idem dogma profitetur hoc tenore. *Misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Deo magistro didicerat hic Propheta dari intellectum, quando flagellis concutitur caro. Laudatus Laurentius in eo argumento locuples est, ideòque consulendum eius penu, è quo depromo istam sententiam. *Tribulatio conseruat. Electum enim suum tunc magis diuina gratia erudiendo custodit, cùm quasi percutiendo deserit, & quò durius ex dispensatione flagellas, eò ampliùs ex pietate conseruas, si tamen ea sponte suscipiat. Altissimus enim contulit eam pro medicina, & vir sapiens non abhorret eam, quia facit cessare peccata multa. Et quis nesciat, quod melius est affligi dolore tribulationum, quàm ardore vitiorum? Et tamen cùm corripimur à Domino, donum ipsum considerare negligimus.* Commoda molestiæ, quæ corpori facessit negotium, tanta sunt, vt Tertullianus ea meditatus hæc loquatur. *Quin insuper gratulari & gaudere nos decet dignatione diuinæ castigationis.*

Isaia 28.

Ex SS. Patribus. Laur. Iust. de casto connub. c. 6.

Cognitio sui quàm necessaria.

Apud Greis. 2. tomo de cruce.

Psal. 9.

Crux est reuertentium manuductio.

Chrysost. in Psal. 9.

Tribulatio est vt legislator.

Thren. 1.

Tribulatio conseruat animas.

Laur. Iust. l. de patien. c. 3.

Tribulatio est pharmacũ salutare.

Tertul. l. de patien. c. 11.

Tribulatio est Dei beneficium.

Ex re medica.

A re medica petitum argumentum, non erit incongruum. Disciplina illa conscio Hippocrate, vbi in ægro febriente deprehendit coloratam faciem, abditum virus inibi esse pronuntiat. Ita Hippocrates. Προσώπου εὔχροια, καὶ συνθρωπότης ἐν ὀξέσι κακόν. *Egregiè colorata facies, & vultuosa pestifera.* Simili planè modo pessimè ominantur Sancti, ei qui decumbit vitio sauciatus, si illi omnia prospera accidant. Reuera anima illius extincta est, & habet corpus suum pro loculo, cui si non adiiciat manum suam Medicus industrius, reprobus ille sepelietur in inferno. Me charta deficeret, si vellem recensere eos, quos salutaris illa Dei manus tangens reuocauit ad meliorem frugem, & fecit postea insignes. Consultò prætereo Paulum, quem depressit oculis captum, vt inde sanctior exurgeret, factus Petri apicis Ecclesiæ consors.

Hippoc. lib. 2. coac. cap. 5. praeot. 4.

Prosperitas metuenda.

Ignatius à Loyola militiæ sæculari dederat nomen suum, fortassis magno animæ suæ dispendio; vt Deus eum faceret esse suarum partium, non modò loculum tetigit, sed valido globo fistulæ æneæ crus illius comminuit. Eo attritu didicit vir nobilis rudimenta pietatis illius quæ eum fecit Antesignanum inclytæ Societatis Iesu. Clemens VI. dum iunior esset, graue vulnus in capite accepit, quo mutata temperies cerebri eius, adeò feracem indidit memoriam, vt multa illum literatura effecerit summum Pontificem. Non ei inuideo has infulas plenas ęrumnarum & curarum. Æmulor ego meliora charismata, ea videlicet quæ nescia auræ popularis, hominem Deo gratum efficiunt. Eo fine suam manum extendit Deus, vt resurgat homo exanimis. Consule historias omnigenas. Illæ vades erunt meæ conclusionis de tactu illo salutari corporis afflicti.

Ex Historia. Ribad. in vita R. gn.

Tribulatio salutaris fuit multis, quos hic habes.

Ciacon. in Clem. VI.

Etsi Carolus Magnus Imperator rerum gloria egregiè gestarum litarit famę, bello & pace clarus; tamen pietas eius illustrior emicuit, quando Deus tetigit loculum eius, chiragra videlicet & podagra illius corpore dissoluto. Imperator ille aliis omnibus eminens præsentiens viuificam Dei manum, se abdicauit curis Imperij, vt piis tantùm operibus intenderet. Nimirum modicè pastus, dies & noctes agebat in oratione, lætior planè Dei commercio, quàm tota Imperij pompa. Pertæsus sæculi fastum, animum suum omnem composuit ad regna cælestia comparanda, sicque corpore infirmo facta est illius anima vegetior. Nec vlla Carolus ille Magnus, Gallorum decus, maiora edidit specimina sanctitatis, quàm cùm decubuit, suo calculo probans Pauli effatum: *Virtus in infirmitate perficitur.*

Regino sub an. 8 1.

Tribulatio animam segregat à curis huius sæculi.

2. Cor. 12.

Vt pulsanda fuit arcula illa lignea, quæ conclusit corpus exanime adolescentis ad hanc lucis vsuram reuocandi; ita & nos crebris concutimur ictibus, & corpora nostra flagris vapulant, ne anima malè sibi conscia dæmonum tumulo recondatur. Ita nempe anima corpori implexa est, vt nequeat punctionum acumine cruciari corpus, animâ insciâ. Ideòque Deus volens deuias animas reddere instituto sanctiori, ferit corpus, inde proliciens animæ sospitatem, cuius omne virus effluit eodem vulnere, quo corpus apertum hiat, ipso etiam Iob conscio, cuius caro desudans sanie, & inglorio vlcere dissoluta, virum illum probum egit in has veridicas voces: *Sagitta Domini intra me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Nihil prorsus habuit lethale Iob quod flagella Dei vt noxium ebiberent. Sed quia ærumnarum probè callebat ingenium, ideo ait has sagittas eo fine in homine contorqueri, vt exsugant omne virus, si quod aliquando diabolus instillauit. Diluitur autem omne malum quod irrepsit in

Flagella Dei ebibunt sanguinem noxium.

Iob. 6.

in animam, si illa recolens spiritum nequam, quo diabolo afflante percita est, eliminat hunc spiritũ, vt pristinam rectæ rationis indolem postea nanciscatur. Et hoc est præcipuum Dei intentum, quando hoc fecit; scilicet vt vexatio det intellectum. Sicut enim adolescens iste Naimita minimè surrexisset, nisi anima rationalis se rursus insinuasset in corpus exanime; eo etiam pacto anima nescia gratiæ Dei, atque adeò extincta non resurgit, nisi rectæ rationis vsum prius accipiat à Deo eum pollicente. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris.* At potior actus rationis ille est, quo anima in Deum connectitur. Quippe gratia in animum redux auspicatur introitum suum ab intellectu Deum meditante.

Psal. 31.

Ex Theologia. Thom. quodlib. qui Dei iustificat. art. 4.

Audienda in hoc agone Theologia, astruens Dei & animæ contactum præuium, ad ipsius animæ sospitatem, id est, ad iustificationem quæ non fit in adultis nisi homo actu proprio contingat causam iustificantem, scilicet Deum. At homo nequit Deum contingere nisi moueatur in eum. Ergo ille motus prior esse debet, citra quem conamina omnia compescuntur. Prior ille motus est actio intellectus: nam licet anima amore flagrans in Deum effundatur, & ruat in amplexus: tamen veluti coërcita moueri nequit in summum illud bonum, nisi irradiante intellectu bonum illud animæ fuerit explicatum: quippe ex Philosophia anima nunquam suo obiecto afficitur, quin prius innotescat. Namque voluntas præeunte duntaxat intellectu percellitur: nec ordo naturæ variat in actibus potentiarum animæ, quando rebus superis occupantur. Ideòque Theologi concludunt fidem aliis præire virtutibus, quæ Deum spectant; siquidem Deus fide debet apprehendi, priusquam congruis ritibus excolatur. Et hoc stabilitur auctoritate Pauli, cuius hoc est oraculum. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Cùm igitur plagis à Deo inflictis homo vapulat, & sic loculus eius validè pulsatur, si eo tactu resurgit alacrior, id fit ex conuersione animæ in Deum, quem depositis priscis affectibus amplectitur. Sed nequit priscos exuere affectus, quin agnoscat eorum perniciem, & Deo illucente cælestia meditetur. Ergo anima afflictione sua cautior effecta, & exosa reprobum suum institutum, exit ex ephebis, & veluti nuces proiecit, quando mores iuniorum hominum abiurauit. Contusa

Amor agit tantùm præuio lumine intellectus.

Arist. lib. 3. de anim. text. 49. & 54. commentar.

Hebr. 11.

flagris didicit anima, sensuum illecebras, magnas parturire homini angustias. Sic erudita fit seipsa doctior, & acuitur acies intellectus eius; eademque Dei manus, quæ conterit corpus, erigit intellectum, qui solo naturæ nisu nequit pertingere ad diuina. Atque ita liquet quàm prudenter Deus rediuiuos faciat homines extinctos. Nempe eos qui puerili more, genio suo nimis indulserant, ab errore suo reuocat, nouo intelligendi acumine impertito. Et ne prius caro deliciis assueta repetat insolitas sibi voluptates; peritus ille Medicus perstringit dolore sensum, & rebus insipidis gustum afficit, vt anima vitiorum immemor, tandem se accingat ad virtutum praxim. Et hoc est suscitare adolescentem Naimitam, tangendo loculum eius: nam anima adinstar adolescentium errabunda, se recipit in meliorem frugem, corpore excepto duriusculè.

Eò spectat Iob, Deum ità commemorans. *Ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt.* Esto decumbat caro saucia impetita flagris, dummodo sanctior anima vegetetur. Ita solatus est afflictos beatus Damianus. *Magna electis Dei est consolatio, ipsa diuina percussio: quia per momentanea flagella, quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriam, firmæ spei gressibus conualescunt.* In ea meditatione defixus Idiota, sic gestit in ærumnis. *Visitatio tua custodiuit spiritum meum: flagello tuo piissimo puluis excutitur, quem ad deformitatem animæ iniquitas assidua congessit; & exteriori vulnere sanatur plaga interior.* Qui sponte subeunt Dei manum, eosdem sortiuntur effectus, quos expertus est ille adolescens à Domino suscitatus. *Resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.* Anima, cui Deus propitius adstat, primò sedet, mente reuoluens defectionem suam à Deo, & tramite rationis. Secundò illa prudens animæ sessio loquelæ substrata, tacitum hactenus os reserat, dum hominem pœnitentem sollicitat ad piacula sua in confessione propalanda. Demum redditur Ecclesiæ communi omnium matri homo ille rediuiuus, in cuius gratiam Ecclesia gemebunda non modicas lacrymas effuderat; fitque ex anima reduce in caulas Ecclesiæ lætitia insignis, quæ percellit omnes conscios gratiæ huic homini cælitus impertitæ. Faxit Deus vt de nobis mater Ecclesia gestiendi simul capiat argumentum. Amen.

Flagellando Deus sanat. Flagella ducunt ad gloriam.

Ex SS. Patribus. Pet. Dam. lib. 8. epist. 6.

Idiota lib. 2. de patien. Flagello Dei puluis animæ excutitur.

Luc. 7.

FERIA SEXTA.

DOMINICÆ IV. QVADRAGESIMÆ.

SVMMA HOMILIÆ.

I. AZARI extincti & fœtidum odorem exhalantis idea, statum refert animæ degentis in vitiorum cœno. Ea videlicet refugit Dei aspectum, & graui vitiorum pondere premitur, irretita nexibus plurium peccatorum. Itaque dico priori parte istius homiliæ, corrumpi animam, & excidere gratiâ, si refugit aspectum Dei, quo singula quæque, quæ sunt viuida vegetantur. Seorsim namque posita talis anima, Deo non influente in eam, nequit explicare sua piacula in confessione; ideoque ei affingitur lamentum hoc Prophetæ. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ.* Psal. 31.

II. Secundò

II. Secundò probo, non posse animam resurgere nisi Deo præmouente, id est inspirante, lapis moueatur. Mouetur autem ille lapis incubans animæ, si cor emollitur contritionis suffragio, citra quam nemo gratiæ Dei suscipit incrementum.

PRÆFATIO.

Lazare veni foras. Ioan. 11.

EA viuificandi vis est insita Soli, siderum principi, vt quidquid aspicit, illud idem suo lumine corroboret. Testes sunt Orientis plagæ vtentes eo sidere propitio: illæ recreatæ benefico Solis influxu, omnigeno flore vernant, & multiplici aromate fragrant. At secus Boreales oræ, diffusa intercapedine à Sole dissitæ, inopes sunt, & summam penuriam patiuntur, non florum duntaxat & aromatum, sed & earum rerum, quæ conducunt ad vitam sartam tectamque diu propagandam. Esto non sit qui audeat inficiari beneficos aspectus præcipui illius sideris; eis tamen potiores sunt & longè præstant salutares Christi influxus: namque omnes qui se sistunt diuinis obtutibus sospitantis huiusce Solis, quacunque infirmitate decumbant, subitò recreantur. Nonne cæci ab incunabulis, hoc lumine aspersi, lucis vsura gauisi sunt? Nonnè coruscantis eiusdem astri radius mutorum hominum ora tacita reserauit? Et ne longiores protraham moras in contextu gratiarum, quas contulit Christus omnibus indigis ope sua; satis superque erit hodie immorari in Lazaro. Ille lethali morbo decumbens è medio sublatus est, & auito tumulo reconditus. Quatriduo postea subiit ades eius Dominus Iesus, cui occurrens soror Lazari, querulâ eum sic compellat: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. *Sciebat hæc mulier præpotentes Christi influxus virtutem esse viuificam; Potioris gratiæ incremento, Marthæ fidem superauit Christus; siquidem pergens ad monumentum, & præcipiens reuolui immane saxum, vbi aspexit exanime corpus, illud ad vitam illicò reuocauit. Aderant ibi Martha, & Maria. In decursu huius historiæ potior Maria adstabit, si eam recolamus, ita affati:* AVE MARIA.

PRæceptorum Dei immemor Adam, infideli suæ coniugi adhæsit, nescius ærumnarum, quæ instabant vt vindices criminis exantlati. In scelestum Deus hoc contextu animaduertit. Primò excitata synderesi hominem acutè pupugit. Secundò ille inquies huius punctionis impatiens, timore seruili actus in fugam, se abscondit, nolens sisti Dei sacris obtutibus. Profectò malè sibi consuluit homo refuga quando delituit; nimirum his latebris fodit sibi terram, vt in ea veluti mortuus abderetur. Esto incautus homo deliquerit demorso lethali pomo, ac proinde se asperiori censuræ obstrinxerit; si tamen vltrò consuluisset misericordiam Dei, & pronus ei aduolutus explicasset vulnus suum, sanè industrius hic medicus huic ægro sua salutari & medicante manu propitius adstitisset. Sed quia saucius homo declinare voluit Dei præsentiam, & latuit imprudenter; latibulum eius abiit in sepulchrum, Deo sic castigante proteruiam hominis aberrantis. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Deus seriem hanc pœnarum non meminit, nisi postquam homo lucifuga se abscondit quærens inuolucra tenebrarum, vt aduertit Codex sanctus. *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Cùm audis absconditum hominem, hinc collige moriturum, & obnoxium pœnis quas commemorat textus antea prælibatus. Eò spectat Marthæ effatum, quo Christum hodie compellauit: *Domine, iam fœtet; quatriduanus est enim.* Præceperat Christus vt tollerent lapidem, qui tumulò incumbebat, sed Martha occurrens incommodo, ait subolidum corpus fore ingratum, quia quatriduò latuerat. Spretâ hac instantiâ Dominus iussit amoueri lapidem, vt Lazarò rediuiuò prodeunte foras; omnes agnoscerent, lucem & vitam esse indiuiduas comites, sicut antea dixerant coire latebras, & fœtorem.

Gen. 3.

Præsentiæ Dei refuga quibus malis fit obnoxius.

Inde peto argumentum istius concionis punctò duplici consummandæ. Dicam primò, corrumpi animam, quæ refugit Dei aspectum, & tacita celat sacerdoti sua piacula. Secundò dicam, Deo præmonente debere reuolui lapidem; id est, operæ pretium esse vt cor emolliat duritiem suam, si velit anima extincta, aura liberiore frui. Auspicemur.

PRIMA PARS HOMILIÆ.

Anima Dei refuga mortua est.

EX Philosophorum placito, quidquid infra cælos materiâ & formâ coalescit, illud idem quatuor primis qualitatibus coëuntibus in vnum compositum, ritè compactum est, ideoque nequit permanere diu sartum tectumque, nisi concordes sibi consent, & conueniant illæ qualitates. Nimirum ex vnius, scilicet caloris insiti, dispendio compositum putredine dissoluitur. Namque calor vniuscuiusque rei impertitus à natura dum viget in subiectis; illa perseuerant. Sed vbi teperis ille calor deliquium patitur, aliæ qualitates intenduntur; & adducunt in discrimen corpus, in quo concolor erat illarum qualitatum tenor, vt videre est in singulis quibusque corporibus dum putrescunt. Etenim illa, fatiscente calido, humore quodam subfrigido desudant præuio corruptelæ. Quod calor est omni composito, illud idem in moralibus est amor Dei; siquidem homo flagrans illo amore sacrò, sospes est & integer. Dum autem euanescit hoc calidum,

Ex PHILOSOPHIA. Arist. lib. 4. Meteor. c. 1. text. 4. & 6. Corruptio corporum quomodò fiat.

noxio humore madet homo: etenim in mollitiem fractus libidine & crapula diffluit. Et quia semper est timidum scelus, ne reprobus alienis castigetur oculis, latebras quærit, vt fornicantibus olim erat in more positum, quos veteres dixere fornicantes, quia in fornicibus abditi sese Veneri deuouebant. Quò autem altius occultantur impij, eò etiam magis suam iniquitatem produnt, seque ampliori vitiorum aspergine conspurcant, ac proinde tetrum odorem afflant æmuli putredinis, quam reconditus Lazarus hodie contraxit.

Corruptio quid sit. *Arist. lib. 5. Phys. cap. 1. text. 4.* Peccatum est animæ corruptio.

Animam in eo miserando statu esse corruptam disce ex definitione corruptionis, quam Aristoteles dicit esse mutationem seu transitum ab eo quod est ad id quod non est. Vnde sic arguo: Anima à Deo deficiens exuitur eo calore viuifico, quo vegetatus Adam in incunabulis desuper incaluit, eidemque mulctæ fit obnoxia, quam luit ille homo postquam intepuit, in sudore vultus sui vescens pane suo. Ergo anima experta hanc iniquam sortem, corrupta est; quia transiit ab esse positiuo ad esse negatiuum, iuxta illud Psalmi. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Peccatum namque sortitur rationem nihili, quia defectum dicit potius quàm effectum; atque ita idoneum est ad animam corrumpendam, iuxta etiam loquendi tropum inolitum Scripturæ sacræ, vbi Ioël commemorans Iudæorum clades, hanc recenset. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Iniquos homines ille idem textus habet vt iumenta, vel ipso Dauide conscio, qui postquam sui sceleris infandi memor ait se fuisse redactum ad nihilum, immediatè hunc subiicit versum. *Vt iumentum factus sum apud te.* Et reuera benè quadrat ille versus, & cohæret præcedenti. *Ad nihilum redactus sum & nesciui.* Non enim illic hominem Physicè considerat Psaltes in ordine ad naturam, sed Theologicè in ordine ad gratiam, qui peccando ipsemet Dauid exciderat transiens à statu illo beato, ad iniquam omnino sortem. Eamobrem cùm peccatum omnem planè gratiam eliminet, reuera homo congruè dicitur redactus ad nihilum, cum nihil in se prorsus habeat, quo de condigno queat Deum demereri, à quo impiè declinauit.

Psal. 73.

Ioël. 1.

Peccatum annihilat animam.

Psal. 72.

Ex Theologia. *Thom. in lib. 2. sent. Dist. 39. qu. vnic. art. 1.*

Peccata alia in intellectu, alia in voluntate.

Rursus peccata omnia sunt subiectiuè in intellectu, vel in voluntate, & sic ab eis principes illæ potentiæ corrumpuntur. Verbi gratiâ, hæresis, iudicium præceps seu temerarium, nimia suiipsius æstimatio, vitia sunt, quæ labefactant intellectum. Luxuria verò, odium, & vindictæ fera & insana cupido, noxij & lethales sunt habitus, qui pessumdant voluntatem. Namque intellectus & voluntas bifariam spectari possunt. Primò velut potentiæ, quas Deus animæ inseruit, vt earum beneficio suas actiones exereret. Secundò illæ etiam potentiæ attendi possunt in ordine ad actus suos, qui sunt intelligere, & velle. Primo modo potentiæ illæ præcipuæ hominis sunt incorruptibiles, quacunque etiam vitiorum colluuie exundante. Corruptio enim est transitus ab esse ad non esse. Sed nusquam desinunt esse illæ potentiæ, etsi assurgat cumulus vitiorum; imò sine illis potentiis stantibus & integris nequeunt crimina perpetrari. Altero autem modo exploratæ illæ potentiæ, scilicet in actione sua magnam contrahunt corruptelam, quia versantur circa obiecta incongrua, quæ suam malitiam affricant animæ effusæ in res, quæ illudunt rationi. Hinc pertinax hæreticorum intellectus hallucinando corrumpitur in ordine ad actionem, quia tenaciter falsis thesibus assentitur, & impugnat veritatem, quæ Deo reuelante nobis innotuit. In simile discrimen incurrit animus superbiâ turgidus, & iniquus sui æstimator, dum credulus de seipso grandia concipit. Patitur & affectus in actione sua deliquium, quando fertur in noxia; deuiat nempe à naturæ intento, quæ anhelat tantùm ad consona sibi, & refugit inimica. Totius autem huius dispendij rudimentum, est auersio à Deo, quo influente in animam, potentiæ illius, videlicet intellectus & voluntas congruum sibi tenorem seruant. At secus animâ Deum auersante, pessum-eunt omnes facultates, quæ antea debito contextu sua obibant munia. Etenim ratio nescia veritatis, caligine suffunditur, & affectus derelicto summo bono, sensuum illecebris deuius occupatur.

Peccata corrumpunt animæ potentias.

Huiusce veritatis quàm maximè conscia soror Lazari exanimis ita Christum affata est: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Nimirum. *Oculi Domini super iustos.* Et quidquid Deus aspexerit, illud proinde suo salutari lumine recreat, ideoque animæ quadrat illud symbolum Ferri, qui depingit columbam multa radiorum aspergine discolorem, cui aptare possis illud Poëtæ effatum.

Ioan. 11.

Mille trahit varios aduerso Sole colores.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus part. 2. Theatri.*

Huic columbæ Solis obsequio polymitæ adiicit ille has voces. In lvce lvcidior. Ita & anima quando præfulgidis Dei sistitur aspectibus, fit profectò In lvce lvcidior, vtpote illustrata nitore gratiarum. Illa Dei præsentia, quam familiarem habuit Susanna, obstitit ne eam corrumperent inhonesti senes noxia & lethali libidine conflagrantes. Cùm enim eam prouocarent salaces illi adulteri ad flagitium; illa Deum recolens illibatam suo coniugi fidem conseruauit. Irradiante Deo, casta mulier fuit procul à corruptione posita. Audi ex sacra historia quomodo Susanna recensens Dei præsentiam eluserit technas hominum impiorum, qui eam ad peccandum hoc affatu vrgebant: *Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscentia tui sumus: quamobrem assentire nobis, & commiscere nobiscum; quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc causam emiseris puellas a te. Ingemuit Susanna, & ait; Angustiæ sunt mihi vndique; si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Vt contrariorum dissitæ sunt passiones, dispari etiam ratione corrupti sunt senes illi, videlicet, quia fuere immemores Dei, in cuius locum obscœnas fœminarum species impiè suffecerunt. Audi præludia eorum funeris inglorij. *Ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem; & exarserunt in concupiscentiam eius, & euerterunt sensum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* O Domine, si fuisses illic, non disperiissent inglorie illi senes: tuæ autem præsentiæ adscribitur integritas illa, qua Susanna memor tui constitit sibi. Non est quòd causemur absentiam tuam, ô rutilans & immense Deus; nostra est omnis

Præsentiæ Dei sunt salutares effectus.

Dan. 13.

Luxuria memoriam iudiciorum Dei expungit.

omnis illa pernicies vnde corrumpimur: nimirum sese multa insinuant adeò opaca, vt nobis Dei aspectum eripiant, atque ita adducant in discrimen.

Ex SS. Patribus. Chrysol. ser. 63.

Mulier quæ mala in orbem induxerit.

Non vacat mysterio mors illa Lazari absente Christo, & fœminis astantibus. In ea agnosco deliquium infinitorum propè hominum, quos mulieres efferunt ad sepulchrum, æmulantes Euæ ingenium, quæ virum Dei oblitum mortis imperio mancipauit. Habeo huius tropologiæ conscium Chrysologum, ita mihi præludentem. *Non moreretur Lazarus, si Dominus fuisset ibi, qui erat ibi: sed si in paradiso tu mulier non fuisses: mulier tu quæsisti lachrymas, tu inuenisti gemitus: tu mortem gula pretio comparasti, & accusas absentiam Dei, quando causam mortis fuisse tuam præsentiam non recusas. Iam quære per fidem mulier, quod per perfidiam perdidisti.* Enucleatius ille idem Sanctus hoc Euangelio ait designari, esse homini infidele commercium cum fœminis; quas sugillans interrogauit vbi posuissent. Quasi eas insimulans discriminis in quod homines incurrerant. Pergit Chrysologus.

Ibidem.

Serm. 64

Putauerunt eum nescire, vbi positus esset in terra, qui sciebat vbi illum tartara dira retinerent. Ille sic interrogans exigebat fidem, scientiam porrigebat, vt adstantes scirent, quod mors, quod sepulchrum, quòd corruptio, quod putredo, quòd fœtor, non ex conditione Dei, sed ex delicto hominis, hominibus accidisset. Nam cùm dicit, vbi posuistis eum? mulieres increpat, mulieres arguit, hoc est, quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vos vbi posuistis eum. Ita profectò mulier attentè inspecta præpedit oculos animæ, ne Dei decorem egregium inuestiget. Et hæc Dei obliuio parta obiectu fœminarum, hominem perdit, Dei omnino incurium, si suos affectus fœminæ consecrauit.

Peccati effectus quàm noxij sunt.

Dæmon industrius ad hominum ruinam, & fœminis semper vsus est, veluti præambulis ad funus indecorum. Prætereo, Euam fuisse argumentum mortis, quæ irrepsit, non repeto Samsonis infortunium, & Holofernis ignominiosam necem. Vbique terrarum famosa est clades, quam intulit ille sexus præpotens ad hominum corda confringenda, si se accinxerit ad hanc pugnam. In hac infami alea cecidit Ladislaus Rex Siculus, quem cùm osores eius tollere vellent è medio, conduxere pellicem, quæ eum æstuante libidine inunxit lethali vnguento, quo dirè cruciatus luit pœnas experi solitas à Venere inconcessâ. Eodem fato periit Carolus ille nequam Nauarræ Rex, quo suasore Carolo V. Regi Gallo virus infusum est. Scelestus ille, qui sæpius illusit Gallis perfidiâ suâ & astu, non potuit declinare potentiam fœminarum; quippe is impudicarum stipatus agmine mulierum, ab eis congrua suæ luxuriæ stipendia accepit: hæ namque mulieres inhonestæ, suam Carolo affricantes pruriginem, corpus eius morte tenus scabie fœtidum incrustarunt. O mulieres indecoræ, ecce vbi posuistis hominem: ecce cui fato subiecistis eos, qui sese vobis temerè crediderunt. Ecce demum in quam malorum omnium abyssum præcipitem egistis hominem, qui vos inter Deum & se medias interiecit; hominem immortalem fecistis spolium mortis, cuius ignobiles reliquiæ sunt fœtor & puluis, vermes, & sanies, aliaque putida cadauerum excrementa.

Luxuria Ladislai Regis quomodo punita.

Ex Historia. Hist. Neapol. sub. an. 1414.

Hist. Nauarr. in Carolo. Luxuria Caroli Regis Nauarræ punita.

Luxuria mortis præsaga.

Opportunè occurrit illa obseruatio Mathematicorum, qui signum violentum nominant Libram. Est autem Libra signum aëreum sanguini procreando idoneum, proprium domicilium planetæ. Veneris tamen illa domus est infausta, mortemque præcocem ex ea nugaces Astrologi minitantur ei, qui fuerit editus Sole decurrente Libram; illic enim aiunt Saturnum esse in exaltatione sua. Et hunc planetam affirmant demetere falce sua quidquid illi signo subiicitur, multasque producunt historias hominum, quos iniqua sors excepit, natos his malis auspiciis. Esto dubia sit Astrologorum fides, quando lethalem illam Veneris domum pronuntiant; nullus tamen in moralibus est inficiandi locus circa idem argumentum. Etenim nemo impunè Veneris domum ingressus est, nec vllum est flagitium, in quod Deus ex hoc sæculo desæuiat magis, quàm libido, ex qua progignitur illa lues, quæ ab hac prælibata domo dicitur Venerea, qua corpus illi contagio obnoxium desudans, olida sanie colliquescit. Præstat audire Medicos de hac plaga decernentes. Sic Fernelius. *Lues Venerea totius substantiæ morbus est occultus, contagiosus, tuberculis, maculis, vlceribus, cruciatibus & doloribus sese prodens. Hunc iram Dei optimi Maximi interpretati sunt Theologi, cum hanc malorum à nobis morum pœnam exigi, hoc supplicium de scortatoribus sumi publicè docuerunt. Non defuerunt etiam Astrologi, qui morborum popularium causas altius repetentes, insolentem quandam siderum constitutionem, ac binas Solis ecclipses, aëri inquinamenta quædam respergentes accusarunt.*

Ex Mathematica. Schonner. lib. 1. de indiciis Planet. & sing. cap. de libra.

Luxuria quem morbum vltorem afferat.

Ex re Medica. Fernel. lib. de lue vener. cura c. 1. & 2.

Luxuria iram ei excitat.

Quàm verò fœdus habitus extiterit hominum illorum, quos sua aspergine domus Veneris infecerat, ipso etiam æuo, quo illa pernicies cœpit emergere; rem ille sic enarrat ad ignominiam hominum obscœnorum. *Vlcera erant innumerata, in querna glandis speciem, & magnitudinem aspera, exporrectáque: spurcus ab iis profluens humor, fœtor vero tantus exhalans, vt cuius nares attigisset, is infici mox crederetur: color pustulis ex nigro virescens, ipso aspectu non minus ægros quàm dolore cruciabat. Fugiebant idcirco omnes eius aspectum, nedum contactu abstinebant, vt morbi præterea nullius.* Hæc ille, explicans pœnas quas rependunt lucifugæ homines, concameratas Veneris tenebrosæ fornices inuisentes. Quòd autem Lazari soror eum fœtere dixit, quia quatriduanus erat; illud insinuat peccata, quæ alto silentio tacita recondit impius, eò tandem deuenire putredinis, vt teterrimum odorem afflent eis, qui illius consuetudine vtuntur. Ad eos pertinet illud Isaiæ. *De cadaueribus eorum ascendet fœtor.* In huiusmodi anima extincta tanta est corruptio, vt inibi scaturiant vermes, illi scilicet, qui iugi corrosione lancinant omnes malè sibi conscios. Quò deducat impios dilata confessio, disce ex Dauide, qui ore obserato siluit diu, etsi reus homicidij, & tori inconcessi. Sic ille: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* O lethale silentium, inuehens illuuiem vitiorum quamplurium, vt suo penè excidio expertus est Dauid recensens mala quibus inuoluit reprobos exosa confessio! *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.*

Ibidem. Luxuriæ horror, & fœtor describitur.

Isai. 34.

Psal. 31.

Psal. 37.

Confessio dilata fœtorem inducit.

Profectò est illa ingens insania, quæ reprobum

relegat in latebras, ne piacula sua homini prodat in confessione, quæ sola est ianua, qua extincti homines ad vitam gratiæ renouantur. Huiusmodi homines mente captos Propheta Baruch hac censura notat, singulos quosque sic compellans. *Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis; deputatus es cum descendentibus in infernum: dereliquisti fontem sapientiæ.*

Baruch 3.

Hanc Lazari historiam pertinere ad confessionem moraliter credidit Augustinus, ita fatus: *Iam post suggestionem facti, & delectationem, & consensionem, & perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet; sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamauit: Lazare prodi foras. Cessit voci misericordiæ moles sepulturæ, cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Eleuatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Iam processerunt à morte, nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri ab occulto & tenebroso procedere est.*

Ex SS. Patribus. Aug homil. 27. libri quinquaginta hom. Peccati fœtor.

Si peccatum recens editum lethale est in confessione reticere, quale piaculum arbitraris esse illud quod contrahit homo sacrilegus, dum in eo sacramento tacitus ementitur animam pœnitentem? Nonne ille damnatur hac regula Iuris Cæsarei? *Quod in initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.* Nulla annorum productio est propitia homini sua crimina recondenti, imò ipsa æui diuturnitas illi silentio adiicit magnum sceleris incrementum. Quò diutius in vitiorum cœno decubuit anima, maius hinc contraxit profluuium puris & saniei, ac proinde magis olida est, & plus fœtoris afflat.

Ex Iure Civili. Leg. Quod in init. ff. De regul. iuris.

Itaque prodeundum est foras cum Lazaro, ei qui illi mortuo consedit in sepulchro. Ille autem exitus fit prodendo crimen, quod abditum antea computruit, & hoc Canone sancti clamant hoc contextu: *Porro illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & vltorem. Et quid eis prodest humanum vitare iudicium, cùm si in malo permanserint, ituri sunt in æternum Deo retribuente supplicium? Quòd si ipsi sibi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissima animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.* Perquam necessariam esse eruptionem peccati in faucibus abditi, ipse etiam faucium habitus clamat: quippe in angina illarum partium dolor est lethalis, si foras non erumpit, vt decernit Hippocrates. Ἐκ κυναγχικῶν πάντα ὀλέθρια ὅσα μὴ ἐκβάλλει ἐπώδυνον ἄλγημα. *Ex anginosis, mortifera omnia, quæ dolorificum malum foras non edunt.* Quid ergo in tuam perniciem tergiuersaris, impie, nolens Deo in confessione aperire crimen, quod abditum se fœtore suo prodit? Tolle lapidem, & emerget noxa illa subolida, largo fletuum profluuio detudes cor tuum, vt eo humore in mollitiem compositum, euocanti Deo citius obsequatur. Caue ne diuina vindice iustitia, assueta vitiis anima lapidescat. Nimirum praua consuetudine in saxum pectora commutantur, quia veluti obdu- it callum animus eodem sæpe vitio repetito: nec aliunde occurritur illi dispendio quam sua ingenuè crimina confitendo.

Confessio dilata facit vindictam sollicitat. Ex Iure Canonic. Can. Porro De pœnit. Dist. 1. Confessio quam salutaris. Lacrymæ extinguunt ignem Inferni.

Ex re Medica. Hippocrat. lib. 2. Coac. cap. 15. prænot. 35. Confessio celans aliquod peccatum, est lethalis.

Pars Secunda Homiliæ.

Anima non resurgit nisi omni lapide amoto.

Audiendus in hoc argumento Augustinus ita fatus: *Mortuus est peccator, maximè ille, quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus Lazarus. Parum enim erat quia mortuus, etiam sepultus. Quisquis igitur mala consuetudinis, mala vitæ, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, ita vt in illo factum sit, quod in quodã Psalmo miserabiliter dicitur: Dixit stultus, non est Deus. Fit talis de quali dictum est: A mortuo velut qui non sit, perit confessio. Quis eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamauit dicens: Lazare prodi foras? Quid est autem foras prodire nisi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset nisi viueret. Viuere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est.* Hæc ille, cuius ego vestigiis insistens aio reuoluendam esse molem importunam consuetudinis prauæ, vt exeat anima rediuiua, quam vitiorum sarcina grauis & antiqua fatiscentem premit. Amouetur autem illud onus graui contritione, quæ tenerum cor efficit, emolliendo duritiem eius, iniqua consuetudine contractam. Citra hanc cautelam, id est, nisi conteratur anima, nunquam concupitâ Dei gratiâ potietur.

Consuetudo mala quam perniciosa. Ex SS. Patribus. Aug. serm. 8. De verbis Domini in Matth. Confessio mali, est Dei laudatio.

Consulenda est Theologia in re ista sacra. Ait illa sancta disciplina, moralia vt plurimum æmulari ritum rerum physicarum, vt videre est in iustificatione hominis impij, qui transit à peccato ad gratiam. At in mutationibus naturalibus, actus actiuorum non sunt nisi in agente, & patiente. Ex parte agentis fit alterius formæ expulsio, & alterius introductio. In patiente verò requiritur duplex dispositio; vna ad expulsionem vnius formæ, altera ad introductionem alterius. Cùm ergo iustificatio sit moralis mutatio, debent & illa quatuor coire quando iustificatur impius. Deus agens sibi duo vendicare debet, sicut & anima patientis vices gerens alia duo debet exhibere. A Deo sunt, gratiæ influxus, & culpæ expunctio. Ab anima autem emergunt, actio liberi arbitrij, & odium noxæ; quæ quatuor Angelicus doctor ait insinuari hoc versu Psaltis. *Commouisti terram, conturbasti eam, sana contritiones eius, quia mota est.* Gratiæ infusionem sonant illæ voces. *Commouisti terram.* Si namque Deus animam non vrgeret ad gratiæ indaginem, illa proprio conamine nunquam attingeret gratiam. Ideoque apposite Deus dicitur commouisse terram, quando influit in animam, quæ antea terræ affixa transit in statum gratiæ. Tristitiã clamat subsequens series prælibati textus. *Cõturbasti eam.* Et quia contritionem excipit animæ sanitas, subiicit Dauid. *Sana contritiones eius.* Demum ne quis arbitretur animã inscia vel inuitã fieri recessũ à peccato, & accessum ad gratiam, sic concludit Psaltes. *Quia mota.* Quippe operæpretium est vt modulo suo anima se accingat ad gratiæ illapsum. Et ille animæ apparatus est actus liberi arbitrij, pertæsi iniquam suam sortem, & anhelantis ad sanctius institutum.

Ex Theologia. Thom. in lib. 4 sent. Dist. 18. q. 1. a. 1. Iustificatio impij quomodo fiat.

Psal. 59.

Quem autem tenorem seruent illa quatuor recensita in iustificatione impij, audi ex Sancto Thoma,

Thoma. Sic ille. Quatuor hæc, scilicet, motus liberi arbitrij, contritio, infusio gratiæ, & remissio culpæ, simul sunt tempore, sicut in naturalibus dispositio quæ est necessitas materiæ, formæ introductio, & alterius formæ expulsio. Sed esto sint simul tempore; tamen non sunt simul natura. Nam prioritas, & posterior ratio rei alicuius secundùm ordinem naturæ, reducuntur ad ordinem causæ & causati, ideóque iuxta diuersum genus causæ, illa quatuor quæ memini, alternis sibi præeunt. Verbi gratiâ dispositio, quæ est necessitas materiæ, est causa materialis formæ: forma verò causa formalis necessitatis materiæ. In eo sensu fas est dicere, motum liberi arbitrij & contritionem præcedere alia duo, videlicet gratiæ influxum, & culpæ exterminium, quia se habent vt dispositiones præuiæ ad gratiam & remotionem culpæ. Sed in genere causæ formalis, gratiæ infusio & emundatio à culpa primas tenent in iustificatione impij. Nimirum ille non formaliter est iustus ob motum liberi arbitrij, aut ex natura contritionis; sed iustificatio suam formalitatem accipit à iustitia seu gratia inhærente, ex beneficio diuini influxus, quo etiam detergitur culpa. Rursus ex parte dispositionum, prior est contritio, quia remouet prohibens in genere causæ materialis, disponendo animam ad expulsionem culpæ. Si verò motus liberi arbitrij attendatur in ordine ad formam introducendam, scilicet ad gratiam, tunc erit contritione prior. Præterea in serie formarum: In genere causæ materialis, culpæ remissio prior est infusione gratiæ; nam illa non influit, nisi anima congruè disponatur. Disponitur autem anima ad gratiæ illapsum quando remouetur culpa. Si verò res est de prioritate in genere causæ, quæ formaliter animam iustificat, tunc gratiæ infusio prior erit remissione culpæ, quia vt præfatus sum, anima formaliter iustificatur à gratia, suam affingente formam illi animæ in quam influit.

Iustificationem impij quatuor sunt quæ perficiunt.

Gratiæ infusio quid faciat in iustificatione impij.

Gratiæ illapsus in animam quando fiat.

Ex prælibatis liquet, quàm congruè Christus hodie præceperit tolli lapidem vt Lazarum redderet vitæ, qua mortuus exciderat. Poterat eadem voce sua, & amouere lapidem, & suscitare extinctum: nihil namque Deo obstare potest, si absolutè suas vires explicare velit. Noluit tamen vti Christus toto iure suo in lapidem, sed adsciuit adstantium hominum obsequium ad remotionem saxi, insinuans debere etiam homines impios conferre opem suam, si afflari velint aura suscitante animas emortuas. Nempe iustificatio dicit agens & patiens, vt ergo illa suum sortiatur effectum, patiens debet omnem remouere obicem, & se accingere ad gratiam desuper imminentem. Præcipua autem dispositio, quam requirit Christus, est contritio lineata in remotione lapidis. Etenim quamdiu viget iniquitas in homine, tamdiu cor iniquum in modum lapidis obdurescit, ac proinde remoratur influxum gratiæ, cuius obsequio reuocatur homo ad statum innoxium, vnde cum retroacta piacula deturbarunt.

Non pigebit audire hic Bernardum, ita versantem moraliter istam historiam. *Ad monumentum properat vita nostra, vt quatriduanum reducat à monumento. Age igitur, Domine, quære quem amas, vt amantem facias & quærentem. Quære vbi posuerunt eum. Iacet enim clausus, ligatus, oneratus. Iacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, & tanquam lapide superposito premitur, & opprimitur onere pœnitentiæ, maximè quod desit interim fortis vt mors dilectio, & charitas omnia sustinens. Et in his omnibus iam fœtet, Domine: quatriduanus est enim. Eum dico qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem, vt videat abominationes multas & malas praui & inscrutabilis cordis sui; & iuxta Prophetam alium, ingressus est in petram absconditus fossa humo à facie furoris Domini. Sed quid est, Domine; iam fœtet, quatriduanus est enim? Ego primam arbitror timoris diem, qua nimirum irradiante cordibus nostris peccato, morimur, & quodammodo sepelimur in conscientiis nostris. Secunda, ni fallor, agitur in labore certaminis, solet nempe inter primordia conuersionis acrius insurgere tentatio praua consuetudinis, & vix extingui possunt iacula ignita diaboli. Tertia nihilominus doloris etiam videtur, dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ, nec tam laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quos hos dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur dies pudoris, non dissimilis tribus, quando iam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat, quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus huiuscemodi nihil dissimulat, sed diiudicat, sed aggrauat, sed exaggerat vniuersa.* Hactenus ille texens præludia gratiæ, quam impertit Deus animæ pœnitenti, cui cor emollitur ante illapsum gratiarum.

Ex SS. Patribus. Bern. serm. 4. de Assumpt. B. V. Mariæ.

Peccato moritur anima.

Examinis conscientiæ vtilitas.

Conuersionis initium & progressus.

Pœnitentis animæ sunt quatuor dies qui præcedunt resurrectionem.

In gratiam hominum pœnitentium recensebo historiam opportunam, & vtinam illa tot nanciscatur æmulos egregij facinoris, quot lectores eam decurrent oculis. Audiit aliquando Sueno Rex Daniæ obtrectatores suos temerè exarsisse in famam suam. Ille non ferens conuicia, & iniuriarum impatiens, vt rescìit homines illos sibi iniurios conuenisse Ecclesiam Calendis Ianuarij, vt illic sacris adstarent, eos crudeliter occidit, vt victimas deuotas iræ & furori, quibus detractorum suorum sanguine sic litauit. Ea cæde absoluta, Rex adiit Ecclesiam, arbitratus esse impunè quidquid delirant Reges. Eo accedente, pro foribus occurrit Vvilelmus Episcopus Roskildensis, qui pedum pastorale intorquens, cuspide illius regium pectus pulsauit, vocans hominem illum carnificem, & damnationi æternæ eum obstringens, si congrua pœnitentia scelus suum haudquaquam dilueret. Regij satellites demirati zelum Antistitis credidere Regem adiecturum necem Episcopi priori piaculo, ideóque gladiis exertis expectauere nutum Principis homicidæ. Sed Deo moderante Regis iram, ille pœnitentia facti immanis adeò perculsus est, vt vltro repetens palatium suum, deposuerit infulas, & induerit saccum cinere aspersum, eo habitu rediens in atrium Ecclesiæ, vbi aduolutus humi, gemebundus Deum exorabat, largo lacrymarum imbre madens. Vt autem resciit Episcopus resipuisse Regem, & tædio piaculi sui in puluere volutari, miseratio eum perculit, ideóque in veniam fractus, rigorem oblitus maturinum, irruit in collum Regis, cui collacrymans absolutionis gratiam impertiuit; & concinente choro deduxit ad altare, vbi Rex palam crimen horrendum edita voce & flebili confessus est, amplas

Episcopi magnanimi exemplum.

Ex Historia. Saxo. Gram. lib. 11. hist. Daniæ.

Detractores morte puniti.

Pœnitentia admiranda Regis Suenonis.

Pœnitentia Deum & homines inflectit ad misericordiam.

amplas possessiones adiiciens ditioni Ecclesiæ in pœnam sui sceleris exantlati.

Vides hoc contextu non suscitari animam extinctam, nisi lapidem tollat. Ideóque fuisse Regem istum acriter ictum, vt sic moueretur, imò vrgeretur ad tollendum lapidem, qui pectori incubabat. Quod vt præstitit Rex corde delibuto fletibus, illico Deum demeruit, plusque pietatis suo exemplo adiecit plebi, quam mali antea perpetrarat. Rariora quippè sunt exempla pia Regum quàm crimina, atque adeò magis homines sollicitat ad virtutem pietas regia, quàm ad peccata pelliciant eorum vitia inolita.

Lacrymarum vis est detersiua.

Etsi cruentam in Ecclesia tragœdiam Rex ille exciterit; tamen statum Ecclesiæ sanguine aspersum lacrymis suis effusis vbertim tersit, seque composuit in eum omnino modum, quem deposcit misericordia volens influere in animas. Nimirum is est Dei miserantis animus, vt si quis ipsi Deo collaboret ad lapidem reuoluendum, id est, si quis ineat pœnitentiæ præludia, statim veniam consequatur. Hanc conclusionem suo exemplo probauit Achab, quem cum corriperet Elias, diuinam asserens iram instare, eum se præ-

3. Reg. 21.

stitit quem describit textus sacer. *Cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens, Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Sunt qui affirment, ementito pœnitentis habitu Achab simulasse resipiscétiam, licet esset qui antea animo versipelli. Vnde sic arguo: si pœnitens homo cute tenus, potuit Deum inflectere ad veniam; quasnam dotes idem Deus impertiet homini, quem vera contritio lancinat, & obstringit pœnis, quibus pœnitentes homines assuescunt.

Ex SS. PATRIBVS. Bern. serm. 4. de Assumpt. B. V. M. Pœnitens anima est sibi crudelis.

Bernardus misericordiæ Dei conscius, eius indolem aperiet, recensens quàm sit propitia animæ exosæ suum reprobum institutum. Sic ille: *Non sibi parcit durus iudex in semetipsum. Vtilis equidem exacerbatio, & digna miseratione crudelitas, facilè sibi diuinam concilians gratiam, dum prò Deo mens æmulatur etiam contra seipsam. Veruntamen Lazare veni foras, ne in tanto fœtore diutius immoreris. Abyssus abyssum inuocat, abyssus luminis & misericordiæ, abyssum miseriæ & tenebrarum. Maior illius bonitas, quam iniquitas tua, & vbi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. Lazare, inquit, veni foras. Ac si dicat: Quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet? quamdiu in cubiculo tuo graui corde compungeris? Veni foras, procede, respira in lucem miserationum mearum.* Hæc ille. Nota, Lazarum suscitatum prodiisse quidem, sed ligatis manibus, & pedibus institis: vt animis nostris Deus ingereret speciem aliqualem animæ recens gratiæ restitutæ. Hæc etsi beneficio gratiæ sit rediuiua, vitiorum tamen nexus patitur importunos. Licet enim gratiæ infusio detergat culpam; nòn tamen tollit illam iniquam propensionem in vitia prius inolita. Eamobrem anima procliuis in eadem deliqua, quibus indicta est pœnitentia, cautior esse debet ea, quam nulla vincula præpediunt.

Ne igitur præproperum & intempestiuum pæana canite, ó fideles, quos ad meliorem frugem Dei gratia reuocauit. Viuitis quidem; sed propensio iniqua in priora deliquia vos iisdem quibus antea vinculis forte obnoxios faciet. Ideóque id altè menti vestræ insideat; scilicet declinare omnia, quæ subministrare queunt fomitem vitiis abdicatis. Ea nempe posticò redeunt, licet coram protrusa foras. Audi peritum in hac alea consultorem: ille est Bernardus, admonens qua cautela quisque debeat incedere mediis in laqueis. Sic vir sanctus: *Quis ita ad vnguem omnia à se superflua resecauit, vt nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur.* Dirupta sunt profectò vincula peccatorum adstante Dei gratia. Laqueus sanè contritus est, & nos liberati sumus. Tamen laqueorum pendula extrema circumferimus, dum prisca delinquendi consuetudo animum in mala pronum deorsum inclinat. Itaque rarus ille est qui non habet vnde querulus ingemat Apostolo de suo corpore conquerenti. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Cùm ergo anima pœnitens, inscia & inuita foueat rudimenta mali, cautè ambulet, omnia tuta timens, nullumque faciens finem pœnitendi, vt prudenter hortatur ille idem Bernardus ita fatus: *Iam verò quid significat quod ait: Tollite lapidem, & post pauca: Soluite eum? Nunquid post visitationem gratiæ consolantis cessabit agere pœnitentiam, quonia appropinquabit regnum cælorũ: aut abiiciet disciplinam, ne fortè irascatur Dominus, & pereat de via iusta? Absit hoc. Tollatur lapis, sed pœnitentia remaneat, non iam premens, & onerans, sed viuidam & robustam mentem roborans atque confirmans. Sic & disciplina non iam constringit liberum, secundum illud: Iustis non est lex posita, sed voluntarium regit & dirigit in viam pacis.* Hæc ille, quæ si sedulo recolis animo, ô homo contrite, laqueorum omnium implexus indubiè declinabis.

Bern. ser. 18. in Cant. Putatione iugi indigemus.

Rom. 7.

Bern. ser. 4 in festo Assumpt. Pœnitentia etiam post gratiæ illapsum est facienda.

DOMINICA PASSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. INDVBIA res est, salutem animarum non esse facinus operæ humanæ, sed esse negotium Diuinæ potentiæ, quæ vt se aptat agentibus & patientibus in actionibus etiam ad salutem nostram pertinentibus, media elegit congrua indoli nostræ vt faceret compotes beatitudinis eius, ad quam adulti homines deueniunt cooperando gratiæ.

Media

Media autem illa, vt non innotescunt lumine naturali, sed Deo reuelante debuere proponi homini modo consono captui eius. Et is maximè idoneus fuit ille, quem vocamus discursum; discurrendo enim homines erudimus. Sermo ille dicitur verbum Dei, quia à Deo est, de Deo est, & ad Deum animam dirigit. Dico priori parte istius homiliæ, quàm auidè debeat excipi verbum Dei.

II. Secundò variis argumentis probò, pessimè ominandum esse ei, qui subsannat verbum Dei, & præcipuè veritatem, quam qui odit, ille reuera incurius est salutis suæ, viasque omnes sibi occludit, quibus homini reprobo conceditur ad propria repedare.

PRÆFATIO.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Ioan. 8.

HODIE tabularum Ecclesiæ immutatur habitus velo obducto, vt illi ritus Euangelio sit concolor, vbi Christus se abscondit declinans acerbitatem suorum hostium iniquorum, qui in animum suum induxerant, lapidibus obruere Dominum hunc rerum potentem. Nihil ergo mirum si Iudæi adhuc densâ caligine effusâ cæcutiant, cum veritas sese ab eis procul abstraxerit. Multi ore tenus abhorrent ab illo sacrilego facinore Hebræorum, quos ira perculit in Christum, & proh dolor! isti Iudæorum crimini sua impietate plurimum adiiciunt: Nimirum illi perduelles Dominum hunc nescière Deum esse plasmatorem suum, sed eum duriter excepere, sicut hominem in vita declamantem. At nunc temporis plerique fidelium impugnant veritatem si quando irradiat, & si sciant eam esse radium vtique coruscum à veritate æterna cælitus emergentem: Hi lapides tollunt, vt mittant in Iesum, quem fide norunt Deum præpotentem, atque adeo dicere eos incumbere criminis auctioni. Arrigite aures, Christicidæ: vos ego hac concione peto, & traduco veluti reos capitis, quando veritatem conuicijs oppugnatis. Profecto moribus vestris inglorius Democriti tēpora reuocastis. Aiebat ille, veritatem præcipitem actā fuisse in puteū vbi etiam nunc abdita delitescit. De ea veritate cui Philosophus ille ingemuit, parum curo. Aliam scrutinij altioris inuestigo, eam scilicet, quæ Christo obstringit suos amatores. Hanc Deo inimici procul abegistis. Hanc reducem hodie suscitabo, annuente illa, quæ peperit veritatem. Ipsam itaque consulamus, AVE MARIA.

Herod. lib. 1. Plut. in symposi. Gell. l. 16. c. 19.

COnscia rerum Physicarum ætas illa prisca, cuius monumenta ad nos integra deuenerunt. Multiscia inquam illa ætas, aduertit disparem delphinorum & tigrium indolem circa suaue melos, & symphoniam Musicorum. Quippe ait delphinos ita capi sono & modulis humanæ vocis, vt Arion cantor eximius actus in mare præceps, exceptus sit à Delphino, qui in stipendium cantilenæ, ad cuius auram conuenerat, homini huic posito in summo discrimine se submisit, sessorem patiens, quem ad fidam littoris stationem vexit. Ipsimet naturæ arcanorum seduli scrutatores affirmant, tigres non odisse tantùm melos, sed insuper ad canoræ hominum vocis modulos insanire. Discolor ille rerum habitus penetrat etiam moralia, ipso etiam Christo assertore, qui animum benè aut secus affectum erga veridicum verbum Dei dixit esse tesserā dubiam filiorum Dei, & Dæmonis assectarum. Nec aliunde idem Dominus petiit argumenta ruinæ Iudæorum, quàm à liuore eorum, & odio sacræ disciplinæ, cui præire debet prædicatio verbi Dei. Textus Euangelij hodierni fidem facit huic meæ conclusioni prælibatæ. Namque pius hominum sospitator Christus volens damnare perfidiam suorum hostium acerborum, & eos reuocare ad suum obsequium, illos præmonuit, certiores salutis indices peti ab amore verbi sacri, ac proinde à Deo procul esse omnes homines iniurios verbo Dei. Sic ille Dominus consultor opportunus. *Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Iudæi æmulantes tigrium ferociam, hoc suaue melos iniquius excepérunt. Siquidem scelus anhelantes tentauere violentas inferre manus Christo, saxis volentes eum impetere. *Tulerunt lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de tēplo.* Quia non variat indoles hominum nequam; ita etiam ruinæ eorum signa semper sibi constant, eademque sunt hodie, quæ Christus antea recensuit. Et hinc erit huiusce concionis partitio. Dicam primò, verbum Dei ambabus auribus excipi ab hominibus innoxiis, vtpote de sua salute sollicitis. Secundò probabò, esse certissimum reprobi animi indicium, odisse veritatem, quæ conducit ad meliorem frugem.

Arion musicus à Delphino saluatus.

Ioan. 8.

Ibidem.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Quam auidè debeat excipi verbum Dei.

ETsi crebra sit recensio vocis huius, *Verbum Dei*, & extent multæ parænescs, quæ homines adhortantur, vt morem gerant verbo Dei; rari tamen sunt qui calleant vim vocabuli omnium ore resonantis. Ne quispiam ergo abditæ rei sensum alibi inuestiget; enucleatè discutiam nominis huius rationem petitam ex penitiore penu Theologiæ & Philosophiæ. Antequam autem diuini verbi notionem referem, operæpretium est aperire, quid sit verbum, vt explicata ratione generica verbi, liquidiore indagine rimemur species varias eodem hoc nomine recensitas. Hoc igitur esto Philosophiæ effatum citra inficias, scilicet voces seu verba, quæ auribus nostris insonant, esse signa conceptuum quæ referunt. Vnde sic arguo: Res significanda prior est signo, quo aliis innotescit, & debet aliquali ratione referre ideam, quam signum pro suo modulo delineat. Ergo cōceptus ille animæ, quem verba produnt, est verbum internum antecedens illa verba extrinseca; alioquin incongruè res illa interna exprimeretur verbis, si ipsa non esset verbum. Rursus, vt res se habet in essendo, ita & se habet in repræsentando, eo

Verbum quid sit apud Philosophos.

eo nempe stylo Logici garriunt. Cùm ergo verbis extrinsecis auditores deueniant in notitiam rei, cuius voces fuere veluti nuntiæ & baiulæ; profectò verbum mentis erit id quod ingeret animæ notitiam rei, circa quam tunc temporis occupatur. Et quemadmodum ille perhibetur aliquid deforis dicere, qui voces edit suis quibusque distitas articulis, eo etiam planè modo intellectus dicit, quando exprimit similitudinem rei, quam eo momento lustrat, & intelligit. Et in eo species intelligibiles dispescuntur à verbo mentis, quòd species illæ sunt in nobis per modum habitus; verbum autem mentis non est, nisi quamdiu intellectus intelligit rem, cuius similitudinem recens expressit. Itaque in intellectu accuratè speculante aliquod obiectum, quatuor coire solent. Primum est ipsa potentia intelligens. Alterum est species intelligibilis sensuum obsequio in animam transfusa, positis antea omnibus exuuiis vernaculis cuique rei sensibili. Illa autem species intelligibilis inhærens intellectui possibili non ideo præcisè facit eum compotem peritiæ rei, cuius indolem aucupatur; Sed est rudimentum notitiæ, quam ab ea specie animus auspicatur. Tertium quod occurrit in intellectione actuali, est ipsa actio intellectus. Denique quartum est ipsum verbum mentis, quod habet se per modum obiecti, in quod intendit anima recolens naturam rei, cuius verbum mentis est similitudo expressa ab intellectu. Nec inconsulto hoc verbo potest anima quidpiam intelligere; necesse est enim intellectum intelligendo formare aliquid: illa autem adæquata rei effectio, est verbum mentis, non quo anima intelligit, sed in quo speculatur naturam rei, cuius illud verbum est similitudo expressa recens, ab illa potentia.

Verbum mẽtis quamdiu durat.

Intellectionem quatuor sunt quę perficiunt.

Præterea aduerte, verbum mentis non sumere suam speciem à dicente, in quo est sicut in subiecto: sic enim nullum planè esset verbum Dei, præter illud quod à Deo dicitur, & omne verbum quod homines animo suo versant, esset eiusdem speciei, quia emergit ab vna potentia, quæ est eiusdem speciei in omnibus. Est itaque aliunde petenda distinctio specifica verbi mentis, vt sciamus discernere verbum Dei à profano. Igitur hæc sit conclusio. Verbum mentis specificatur à similitudine rei, quam exprimit intellectus, & non ab ipso intellectu: quippe conceptus asini & hominis, non aliunde discreti sunt, nisi quia discolor est vtriusque rei significatæ similitudo. Ratio autem hæc est. Quiuis effectus magis conuenit cum principio, quo agens suas exerit actiones, quàm cum agente, cui solum affine est ratione principij. Hoc namque principium, quo agens agit, affingitur effectui ipsa actione agentis. At similitudo rei expressæ est principium, quo verbum rei omnis efficitur, & hæc item similitudo reperitur in verbo, cui communicauit illam ipsum agens. Ergo vbi erit dispar similitudo rerum expressarum ab intellectu, illic etiam species verbi distitæ variabunt, ac proinde verba extrinseca, quæ designant verbum mentis intrinsecum, sortientur indolem rerum quas loquentis animus expressit. Vnde si quis animo recolit aliqua pertinentia ad Deum, & suum hunc conceptum aliis salutarem eloquio vtili pangat, illa illius oratio dicetur verbum Dei; quia aliquid diuinum suggerit auditori.

Verbum mẽtis à quo suã desumat speciem.

Hoc Dei verbo capiuntur omnes futuri consortes gloriæ Dei: qui namque deperit aliquem finem affectu efficaci, ille nulla præterit media, quæ conducunt ad finem illum assequendum.

Verbi Dei quantus esse debet cultus.

Ergo cùm homines editi ad gloriam Deo quàm maximè addicti sint, illi etiam consulent cuncta idonea ad consequendum concupitum finem. Sed verbum Dei compendiosa est via, & congruum medium ad Deum. Igitur omnes Dei obsequio intenti, sedulos se præstabunt cultores verbi huius sacri, quod ideo prædicatur, vt ad Deum qui finis est verbi huius, homines euehantur. Si enim ex Aristotele finis est id, cuius gratia aliquid fit, reuera Deus erit finis verbi illius sancti, quod ideo tantùm seminatur, vt homines eo germine concipiant fructus pœnitentiæ & salutis, quibus tandem aliquando valeant Deum demereri. Ideóque cùm prædicatio verbi salutaris à Deo instituta sit vt medium appositum ad salutem; nemo sanè de sua salute sollicitus refugiet audire quomodo quisque queat gaudere Deo. Audire autem ea quæ inducunt famulatum Dei, illud est benè affici erga verbum Dei. Sicque liquet veritas conclusionis à me propositæ, scilicet iustos verbum Dei auribus patulis amplexari.

Ex PHILOSOPHIA. Finis definitio. *Arist. lib. 2. Phys. cap. 2.* Verbi diuini prædicatio salutaris.

Rursus omnia appetunt naturaliter finem suum, at Deus est omnium rerum finis, iuxta illud Salomonis. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Ergo quò quis nobiliori modo in Deum dirigetur, eò etiam maiori œstro vrgebitur ad Deum totis viribus anhelandum. Sed hi, quos Deus ab æterno præstituit ad gloriam, præcipuo quodam titu ad hunc rerum omnium finem pertinent. Igitur nihil intentatum linquent & omnem mouebunt lapidem, vt huic fini suo iugiter adhærescant. Itaque cùm verbum Dei homines erudiat, qua ratione queant fieri compotes eius boni, anhelis auribus illud excipient, nec vlla vnquam nausea franget eorum appetitum.

Ex THEOLOGIA. *Thom. qu. quodl. qu. de voluntate art. 2.* Verbi Diuini necessitas.

Adiice Deum homini impertientem gloriam suam, esse finem naturæ viribus inuium, atque adeò indigere mediis consonis ad finem illum supernaturalem propitiis. Cùm ergo humana indagine nemo possit inuestigare media, quæ ipsemet Deus reuelauit Ecclesiæ, profectò homo omnis non immemor sui æquo animo excipiet veridicos hos sermones, quos verbum Dei desumpto à Deo nomine nuncupamus. Nec facessit negotium illa instantia quæ suggerit, Deum lumine naturali peruium esse omnibus, atque adeò hominem non egere nomenclatore, qui diluat ansas dubitandi an Deus sit totis viribus excolendus; sicque perperam homines esse, qui aliorum aures diuerberent sermonibus de Deo, qui citra eloquium omnibus innotescit, & amorem hominum multis titulis deuincit sibi. Nullius, inquam, est momenti illa obiectio: nam Dei notitia illucens solo lumine rationis non sufficit ad charitatis influxum. Vt enim Deus agnitus ametur ex charitate, debet apprehendi irradiante fide, quæ eum obiicit non vt causam rerum, sed vt finem ad quem omnia diriguntur vtpote edita ad gloriam Dei, quam speciali modo participare possunt homines, si ineant calles institutos ad beatitudinem illam assequendam. Cùm ergo fides sit ex auditu, & nemo audire possit sine prædicante, necesse est esse præcones, qui Dei placita omnibus annuntient. Quisquis eis auscultat, ille censebitur inter Indigetes & Heroas cœlorum indigenas.

Thom. 2. 2. q. 4. art. 2.

Verbum Dei congruè animis insitum esse argumentum salutis eorum, qui illi morem gerunt, luculenter probat Rex Iosias, qui vt audiit ex libro legis Deum auersari homines exleges, & iacentes

Verbum Dei reuerenter auditum, est nota prædestinationis.

iacentes in spurcissimo vitiorum omnium volutabro, exosus impium illum ritum, quo populus suum decurrebat æuum, magnam vim lacrymarum fundens, totum se deuouit legis obsequio: quippe vt in templo prælectus est liber Scripturæ sanctioris, Princeps ille inclytus omnes iureiurando adegit, se ratam habituros legem Dei hactenus antiquatam. Facinus hoc ita recenset textus ille sacer. *Ascendit Rex templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuersique qui habitabant in Ierusalem cum eo Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus à paruo vsque ad magnum, legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus est in domo Domini. Stetitque Rex super gradum, & fœdus percussit coram Domino, vt ambularent post Dominum, & custodirent præcepta eius, & testimonia, & ceremonias in omni corde, & in tota anima, & suscitarent verba fœderis eius quæ scripta erant in libro illo, acquieuitque populus pacto.* Quàm autem sit salutare obedire suasioni sanctæ, quam animis insinuant verba Dei, videre est ex serie rerũ, quæ tum Ierosolymis acciderunt: nempe sub iugum missa est ciuitas illa regia subdita Gentibus & opimis spoliata gazis. Superstite tamen Rege Sancto Iosia, dilata est illa clades, quæ eo sublato de medio conclusit omnes incurios verborum Dei, vt prophetidis Holdæ præsagium indixerat. Nimirum illa mulier Deo afflata nuntios Regis Iosiæ ita affata est: *Dicite viro, qui misit vos ad me: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego adducam mala super locum istum, & super habitatores eius, omnia verba legis, quæ legit Rex Iuda, quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuũ suarum, & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. Regi autem Iuda, qui misit vos vt consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum & habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem, & in maledictum, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus; idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.*

4. Reg 23.

Verbi Dei cultor eximius Rex Iosias.

4. Reg. 22.

Verbi Dei salutares effectus.

Quare autem Rex ille Iosias, audito verbo sacro dederit Deo manus, etsi antecessores eius ingloriam habuerint legem Dei, illud omne refundendum est in speciale donum Dei, à quo præordinati in vitam æternam, verbo illius morem gerunt, alij autem scilicet reprobi subsannãt & sugillant conciones, & quandoque in eas impiè debacchantur. Verbum autem Dei sortiri effectus beneficos circa prædestinatos tantùm disce ex prædicatione Pauli, cui adhæsère quidam Gentiles adsciti in numerum filiorum Dei, cùm tamen Iudæi Paulo necterent insidias, vt Lucas sic recenset. *Videntes turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Audientes autem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Quia ergo Iosias erat inscriptus libro vitæ, ad

Verbo Dei obediunt omnes prædestinati.

Act. 13.

præscriptum legis se totum composuit, ideóque vt virtutis emeritæ, sacro Codice commendatur. Ecce locuples illius elogium multa compendiosè concludens. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* 4. Reg. 23.

Nota, verbum Dei, quod auribus nostris insonat, non esse nobis verbum, nisi duo cautè exequamur. Primum est receptio attenta verbi Dei: etenim nisi quisque seriò excipiat verbum auditum, species sensibilis, quæ diuerberat aures, hærebit in foribus animæ, atque ita non fiet species intelligibilis. Alterum est ipsa animæ reflexio supra speciem illam intelligibilem verbi Dei: non enim species intelligibilis animæ inhærens per modum habitus est verbum; sed ipsa actualis similitudo verbi expressa ab intellectu intelligente & recolente verba Dei est reuerà verbum, cui obtemperant omnes censendi beatitudine æterna. Nescit nempe moras anima verbo illo Dei cœlitus erudita, vt ostendit præfatus Rex Iosias, qui se totum ad nutum Dei effinxit ex præscripto legis. Omnia namque euertit delubra & simulacra Deo iniuria, impios omnes ritus extinxit. Egregiorum eius facinorum compendium texit encomiastes eius sacer isto breuiloquio. *Pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerũt in terra Iuda & Ierusalem, abstulit Iosias, vt statueret verba legis.* Eo rerum iniquarum exterminio se accinxit Rex Iosias ad celebrandum pascha, vt pergit enarrare Codex sanctus. *Reuersus est Ierusalem, & præcepit omni populo dicens: Facite phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis huius. Nec enim factum est phase tale à diebus Iudicum qui iudicauerunt Israël, & omnium dierum Regum Israël & Regum Iuda.*

Verbum Dei quomodo sit nobis verbũ.

Ibidem.

Vnde illa tanta celebritas Deo perquàm accepta, nisi ex libello repudij dato figuris idolorum, immunditiis, & abominationibus. Nimirum verbum Dei praxim impigram petit, manusque sollicitat ad agendum, vt vitia quantocyus expungantur. In hoc verbum Dei secernitur ab eloquentia sæculari, quòd hæc lenocinio tersioris eloquij aures demulceat tantùm, manibus inconsultis. In hoc præcipuè vim fecere Patres Sancti, quando meminere sermonis sacri, affirmantes eum esse virtutibus fœtum, & omnium vitiorum ruinam: ita Ambrosius. *Ignis est verbum Dei, quem misit qui secretos mentium diuina ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei, & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet, bonus ignis qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata, hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud aurum probatur: hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum: hoc igne lapides illi pretiosi illuminantur; hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur; vrit enim sermo diuinus vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit vt perdat, hic ignis habitare per fidem Christum in cordibus facit, hic ignis materialium extinguere sana flammarum consueuit incendia.* Verbum autem illud suauiter audiri ab his, quos Deus adsciuit ab æterno in numerum beatorum, audi ab Augustino confirmante suo suffragio conclusionem meam præfatam de iustis &

Verbum Dei quomodo distinguatur à doctrina profana.

Verbum Dei quare igni comparetur.

Ex SS. PATRIBVS.
Amb. serm. 8. in Psal. 118.
Doctrina Christiana est ignita comburens spinas.

impiis dispari modo affectis circa verbum Dei, sic ille.

Aug. lib. 1. de praedest. sanctorum. c. 1.

Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis praeparetur, aliis non praeparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio? Quod quaerebat Israel, ait Apostolus, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, caeteri verò excaecati sunt, sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum & in scandalum, & in retributionem illis, obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Ecce misericordia & iudicium, misericordia in electione, quae consecuta est iustitiam Dei, iudicium verò in caeteros qui excaecati sunt: & tamen illi, quia voluerunt, crediderunt, illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratia est, non vtique meritorum; superius enim dixerat ille Apostolus: Sic ergo & hoc tempore reliquiae per electionem gratiae saluae factae sunt; si autē gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio. Hactenus Augustinus, refundens in electionem Dei quòd vltrò quidam patientem verbo Dei aurem accommodent.

Verbo Dei quinam sint qui obediāt. *Isaia 6.* Iustificatio est opus gratiae Dei.

EX HISTORIA. *Euseb. lib. 4. vita Constantini.* Verbum Dei quā reuerentiā audierit Constantinus Imperator.

Si cupidus exemplorum me de historia sollicitas, praestò adsum. Consule Eusebium, & ille referet apparatum, quo Constantinus Imperator concioni adstabat. Ait ille, Principem hunc bello & pace clarum, stantem audiisse semper verbum Dei; & cùm ipse Eusebius praedicans rogasset Imperatorem, vt de zelo suo tantisper remitteret, vt corpori fesso consuleret sedilis obsequio, adiicit ille Imperatorem piè respondisse, verbum Dei debere etiam corpora erigere, cùm animos in Deum dirigeret. Vnde illa Imperatoris propensio in sacra eloquia, nisi ex indole praestituta ad gloriam Dei consequendam? Esto quandoque Dei verbum cùm corrigit, acerbitate sua aures exasperet; si tamen incurrit in aures electorum, beneuolis auribus ebibitur, ita vt liceat eis aptare symbolum quod meminit Ferrus, pingens plectrum, quo fidicen fides canoras pulsat, hoc lemmate adiecto. ASPERITATE MELOS. Licet enim plectrum resinâ illitum, dum in fides inducitur, asperum sit, dulce tamen sonat. Ita & verbum Dei carpens hominum deliquia, nihil animae ingratum strepit, si animam nanciscatur Deo acceptam. Quippe licet increpans sit verbum Dei, dulcisonum semper est menti in Beatorum aliquando numerum adsciscendae.

Verbum Dei obiurgando melos facit. EX SYMBOLIS. *Ferrus p. 2. Theatri symb.*

EX SS. PATRIBVS. *Ambros. apolog. prima pro Dauid. cap. 2.*

In argumentum mei effati Ambrosius Dauidis ingenium pensat & enarrat, quonam habitu fuerit ille Princeps, quando Nathan ipsum corripuit; sic ille: *Ille Rex tantus ac potens, nec exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed praematura confessione atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facilè reperias honoratum ac diuitem, qui si arguatur alicuius culpae reus, non molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cùm à priuato homine corriperetur quod grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpae dolore. Alij homines cùm à sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingrauant, dum negare cupiunt, aut defendere, ibique eorum lapsus est maior, vbi speratur correctio. Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè vt homines corruerint natura magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, vt non solum nullum attulisse aestimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse.* Haec ille, probans Dauidis exemplo verbum Dei esse plectrum, cuius asperitate melos exurgit vtique suaue ei, qui aliquando futurus est compos Melodiae Angelorum. At secus ingrata est reprobis illa symphonia veridici verbi Dei, quia eo censore obscoena quaeque crimina perstringuntur.

Correctionis effectus erga Regem Dauid.

PARS SECVNDA HOMILIAE.

Reprobationis argumentum est odisse verbum Dei.

NOn mihi graue incumbet onus, si tentauero hoc probare, scilicet iniquos omnes odisse veritatem. Nomine enim veritatis hodie in Euangelio Christus intelligit verbum Dei, ita affatus Iudaeos. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Qui ex Deo est verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Eò nos compellit altera pars concionis, cuius est explicare quorsum impij omnes iniquiores sint verbo Dei. Et hoc ex Philosophia aggredior, Aristotele assertore: Omne quod agit, aliquem sibi finem constituit, qui rationem boni induit; non enim aliter mouere appetitum posset ille finis, si haudquaquam conueniret ei qui se componit ad agendum. In assecutione autem illius finis, agens intendit aliquam sibi adiicere bonitatem. Verbi gratiâ, homo anhelans ad aliquem finem, vt eo potiatur, arbitratur se meliorem fore aliquali modo, si eo fine quandoque gaudeat. Nemo namque operatur, in malum intendens, cùm malum habere nequeat rationem finis, ex defectu conuenientiae, imò potius horrorem sui incutiat statim atque innotescit. Hinc fit vt versipellis Angelus ille nequam, vitio habitum boni sensibilis affingat, ne homo detestetur illecebras, quibus impetitur ad animae suae perniciem. Cùm ergo reprobi deliciis assueti, eas ament veluti quidpiam congruum indoli suae carne satae, & beatitudinis suae summam in voluptate constituunt, nolintque reuocari ab eo errore, desaeuiunt in verbum Dei, quo eorum scelera propalantur. Nempe vt impij probè callent, malum odio haberi ab omnibus, nolunt recenseri inter malos, ac proinde oderunt veritatem, quae traducit vitium, & proscribit omnia illius ingloria mancipia. Et reuera mirabile est illud quod miratur Augustinus, videlicet neminem velle falli in his praecipuè quae deperit, siquidem in adeptione rei amatae, quisque verum amat & non falsum. Vnde quia turpe est falli, nolunt ea turpitudine notari nebulones; ideoque declinant verbum Dei quod declamat in homines eius farinae, eos praedicans errabundos. Sycophantae illi

Ioan. 8.

EX PHILOSOPHIA. *Arist. lib. 2. Metaphys. tex. 8.*

Finis ab agente semper intenditur. *l. 1. Ethic.*

illi autumant se beatos, dum genio indulgent, & reuera arbitrantur inesse bonum aliquod sensuum illecebris, quibus sane nollent velificari, si rescirent abesse bonum ab his deliciis. Eamobrem ne pudore suffundantur, vitio speciosum nomen affingunt, ne censuram veritatis incurrant, cùm præcones verbi sacri in vitia debacchantur.

Veritatis encomia.

Ex SS. Patribus. Aug. lib. 10. conf. ca. 23.

Qualibus gyrent spiris noxij homines, vt eludant lumen veritatis, siquando irradiat, disce ab Augustino, hoc contextu reprobis ingemente. *Nam quæro ab omnibus, vtrum malint de veritate quam de falsitate gaudere? Tam non dubitant dicere, de veritate se malle, quàm non dubitant dicere beatos esse se velle. Beata quippe vita est, gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea, salus faciei meæ, Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt: hanc vitam, quæ sola beata est, omnes volunt; gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum, qui vellent fallere; qui autem falli, neminem. Vbi ergo nouerunt hanc vitam beatam, nisi vbi nouerunt etiam veritatem? Amant enim & ipsum, quia falli nolunt. Et cùm amant beatam vitam, quod non est aliud quam de veritate gaudium, vtique amant etiam veritatem. Nec amarent, nisi esset aliqua notitia eius in memoria eorum.* Hæc ille eruditè, probans eos etiam, qui computruere in cœno peccatorum, effingere sibi aliquod simulacrum veritatis, quod affingunt suæ voluptati, ne si vana crederetur, pessum-iret illa lætitia qua gestiũt. Hinc quò magis existimant se æquiore gaudere sorte, eò longius absunt à fœlicitate, & citius in miseriarum omnium summam, scilicet in tartara, dilabuntur. Quodque remedij spem omnem eliminat, nolunt veritatis suffragio à suo errore reuocari.

Veritatis notitia necessaria.

Vbi supra.

Pergit Augustinus, in explicatione delirij huius. *Cur ergo non beati sunt? Quia fortius occupantur in aliis, quæ potius eos faciunt miseros, quam illud beatos quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim modicum lumen est in hominibus. Ambulent, ne eos tenebræ comprehendant. Cur autem veritas parit odium, & inimicus eis factus est homo tuus verum prædicans, cùm ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate, nisi quia sic amatur veritas, vt quicunque aliud amat, hoc quod amant velint esse veritatem: & quia falli nolunt, nolunt conuinci quod falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem: quia enim falli nolunt & fallere volunt; amant eam cùm seipsam indicat, & oderunt eam cùm eos ipsos indicat. Inde retribuitur eis, vt qui se ab ea manifestari nolunt, & eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Sic sic etiam, sic animus humanus, etiam sic cæcus & languidus, turpis atque indecens latere vult; se autem vt lateat aliquid, non vult. Contrà illi redditur, vt ipse non lateat veritatem, ipsum autem veritas lateat.*

Veritas quare parit odium.

Veritatis olores etiam inuiti, in veritatem incurrent.

Hoc omne eloquium Augustini paradoxum sapit, imò & lectorem ducit in anfractus, & implexas volulis vias hic discursus, adstruens homines sequaces illecebræ, amare & odisse veritatem: quippe non coëunt amor & odium. Rursus hoc facessit animo negotium, scilicet affirmare veritatem esse ingratam, quando homini sua deliquia explicat: tunc enim maximè sortitur rationem boni, vtpote benefica referens lethale malum, quod vbi innotuit, curæ finitimum est, atque ita odio haberi nequit. Consulenda est Theologia, vt nos ab his tricis expediat. Ait illa disciplina consciã rerũ diuinarum, Deum esse primam veritatem, à qua res omnes quæ veræ sunt habent rationem veritatis: vnde sicut ens & verum conuertuntur, sic à quo omnia habent ens, ab eo etiam habent & veritatem. Cum ergo reprobi Deum auersentur; est quippe peccatum auersio à Deo, necesse est vt veritas ab eis penitus expungatur. Et licet veritas, quæ explicat vitij malitiam, sit verum bonum, ac proinde debeat iniquorum hominum amorem conciliare sibi, quia diaboli technas aperit, animùmque sollicitat ad meliorem frugem; eodem tamen odio percelluntur impij, quo in Deum desipiunt. Vt enim odêre Deum, affingentes illi quidpiam noxium, scilicet iustitiam, quæ singula quæque piacula obstringit pœnis; ita & veritatem iniquo animo excipiunt sontes, quia suas vident ab ea sugillari illecebras, & in earum locum sufficì asperum ritum pœnitentium. Rursus ex Sancto Thoma, idem actus numero fertur in finem & in media, quando spectantur connexa ad inuicem. Auersio igitur à Deo qua feruntur impij, inuoluet etiam odium veritatis; siquidem illa medium est, quo ad Deum rectò itinere deuenitur: est namque veritas prædicata, similitudo quædam æternæ veritatis.

Ex Theologia. Thom. in lib. 1. sent. dist. 19. q. 1. a. 1.

Deum quare reprobi odio habent.

S. Thom. q. quodlib. q. de voluntate a. 14.

Homines iniurios verbo Dei, seu veritati, esse nefanda capita deuota diris, & funere inglorio deportanda sanxit Imperator Iustinianus, arbitratus se insigne obsequium præstare Deo, decernendo supplicia obtrectatoribus veritatis. Sic ille hac nouella constitutione cauit, quâ Doctoribus Hebræorum vetitum est deprauare textum Scripturæ sanctioris, inducendo glossas deuiantes à veritate, quam veridicus ille textus vbique profitetur. Ecce legem compescentem Iudæorum proteruiam, quæ erroris aspergine sacrorum bibliorum oracula conspurcauit. *Sancimus igitur licentiam esse volentibus Hebræis per synagogas suas, in quocunque Hebræi omnino loco sunt, per Græcam vocem sacros libros legere conuenientibus, &c. Neque fiduciam esse his qui apud eos sunt expositoribus, solam Hebraicam tradentibus malignari hanc quemadmodum voluerint, multorum ignorantiâ suam ipsorum abscondentes malam consuetudinem. Si quidam verò apud eos atheos vana noua vocis eloquia inferre præsumpserint, aut resurrectionem & iudicium negare, aut facturam Dei, & creaturam, Angelos subsistere; hos & expelli volumus loco omni, & non relinqui vocem blasphemiæ, & ita à Dei simul lapsam notitia: præsumentes enim eos affari aliquid huiusmodi, vltimis subdantur suppliciis.* Hæc Imperator, consulens veritati, ne affingeret ei næuos Gens assueta mendaciis, capitis sentẽtiam dicens in verbo Dei temerè detrahentes. Æmulatus est Dei ingenium ille Imperator: nempe Deus expũxit è libro vitæ nomen eorum, qui detractione aut adiectione Codicis sacri habitum mutant, ita vt variet hinc veritas, quæ tamen fuerat hactenus illibata.

Ex Ivre Civili. Nou. l. 146. c. 1. & 3. Vt liceat Hebræis.

Doctrina sacra non est adulteranda. Apoc. 22.

Hæcce est censura, quâ feriuntur omnes veritati tenebras offundentes. *Qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro*

Verbi Dei incuria quam noxia.

in libro isto. Quos Deus morte secunda plectit vt reprobos, eosdem Iustinianus alia morte ferit vt iniquos, ne eorum virus serpat, & alios veritatis amantes homines lethali plaga sauciet. Ars etiam medica lapidem suum torquet in osores inclytæ veritatis, cuius suaue melos auris aspernata, necis indubium accipit argumentum.

Ex re Medica. *Hippocr. lib. 2. Coac. c. 16. praenot. 58.*

Accipe Hippocratis decretum opportunum, quod reuera quadrat iis hominibus antea recensitis. Τοῖσιν ἐμπυΐοισι κώφωσις γινομένη, αἷμα τῶν διαχωρήσεων σημαίνει τούτοισι πρὸς τὴν τελευτὴν μέλανα διαχωρέει. *Surditas, quæ cadit in empyicos, cruentarum excretionem denunciat; atque his sub finem vitæ, nigra ducuntur.* Medici empyicos vocant eos, quorum sanie, & pure inundatur pectus. Illis omnino noxia est audiendi facultas hebetior, vtpote præsaga lethi instantis eo modo quo descripsit Hippocrates, commemorans cruentas deiectiones, quas demum nigricans humor subsequitur. Nimirum pus vt acre est exedit pulmones, qui corrosi sanguine suo aspergunt saniem illam, quam natura, volens se expedire humore hoc noxio, transfundit in viscera, meatibus sibi soli notis vt postea secernatur. Eo profluuio rubente, natura fatiscens experitur lethale deliquium calidi insiti, quo percunte nigricant excrementa, & mortem nuntiant imminere.

Eo ferè contextu scelesti omnes sorte iniqua defunguntur. Primò pectore intimo pus & saniem concipiunt, quando corde suo fouent affectus illicitos, quorum ea est acerbitas vt sanguinem Christi effuderint. Eo cruore rubent homines illi nequam, qui vitio assueti, noxio hoc pure madent, facti eo pacto conscij sanguinis Christi sacrilegè effusi. Vnde eos spectat præsagium Dauidis, certius prænotione Hippocratis, quo Psaltes instare ait mortem reis respersi cruoris. Si restagnante vitiorum pure in corde impij accedat nausea verbi Dei, & occludantur aures veritati, alioquin peruiæ mendacio, & næniis quas occinunt Epicuri de grege sues; quàm citiùs sortietur effectum suum illud Prophetæ effatum, carpens inimicos veritatis, eos falsiloquos adiudicans immaturæ morti. Sic ille: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Et alibi ait præcoci fato esse reprobos expungendos; quia sanguinis aspergine conspurcantur. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*

Psal. 5.

Psal. 54.

Esto præcipitis fati pœna sit grauis; multum tamen ei adiicitur obseruatione prælibata Hippocratis, affirmantis fore nigram omnino deiectionem eius, cui stabulante sanie auris obsurduit. Nempe is, cui dolet auris impatiēs verborum Dei, breui euomet animam fuscam nigrore vitiorum, quæ dum suam fuliginem atram animæ affingunt, illam notant æterno incendio concremandam. Non est in eo argumento incongrua recensio coniecturæ illius Mathematicorum, quæ ex surditate alicuius arguit eum natum Saturno malè affecto, qui hebetiore auditu est. Meminit huius obseruationis Andreas Laurentius dum recenset morbos, quos singuli quique planetæ proiiciunt, & singulari solertia hoc notat, eos auersari lucem, qui decumbunt sub Saturno. In re medica multùm valere sidera nemo inficiari potest, ideóque valeat quantùm fas est ille influxus iniquior sideris importuni, atque malefici; quo etiam coniicere possumus, eos quibus ingrauescunt aures, quando verbum Dei insonat, aut qui refugiunt intuitum veritatis, cùm affulget, subdi Angelo nequam atque malefico, ac proinde eorum salutem esse deploratam, cùm obstinatum in malo animum dæmonis imitentur.

Ex Mathematica. *And. Laurent. lib. de crisibus c. 5.*

Ex Ivre Canonic. *Can. Sacerdote De Consecratione Dist. 1.*

In huiusmodi impiorum hominum genus Canones sancti declamant, velut in damnatos. Nimirum eos arcent a cœtu fidelium, qui discedunt concione incepta, iniuriam factam verbo Dei hoc Canone vindicantes. *Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.* Ita sancitum est in Concilio quarto Carthaginēsi. Quòd si cui plaga deliquio grauior esse videatur, ille aduertat Ecclesiam in hac censura nihil innouare, sed tantùm declarare deforis, qualis ille intus sit qui diuina eloquia floccipendit. Cùm enim à Deo alienus sit mente is, qui exosus veritatem, aspernatur verbum Dei; nonne par est vt Ecclesia eum prodat, & foras trudat extra caulas suas, quandoquidem ipse se proprio crimine condemnauit?

Verbi Dei contemptor censuræ obnoxius.

Ex Historia. *And. Chesnaus in hist. Angliæ sub ann. 457.*

Verbi Dei contemptor Rex Vortimerus à Deo punitus.

Desiderabis fortè historiam, quæ confirmet odium veritatis esse argumentum animæ reprobatæ. Accipe insignem. Æuo S. Germani, rerum potiebatur in Britannia Vortimerus Rex, qui ob consuetudinē cum idololatris sæpius admonitus ab illo sancto Antistite, nihili fecit consilium salutare Præsulis afflati Deo. Vir sanctus ægrè ferens contemni verbum Dei à Rege iniquo, adiecit minas, mandans regi vt caueret iram Dei sibi cœlitus imminentem. Impius ille excepit cachinnis hoc Episcopi effatum. Sed non impune fuit ludibrium deliri huius Principis: namque eo iocante in arce sua, ignis de cœlo illapsus, eum & supellectilem eius absumpsit, Deo comprobante, eos qui ingloriè habent verbum Dei, pessimè disperire. Impiorum arces sunt cauponæ, choreæ, ludi, aliique nefandi cœtus, vbi sua agunt tripudia, sugillantes verbum sacrum. Illic igne libidinis æstuant impij, donec eos æterna inferorum incendia depascantur.

Itaque nō est quòd vltra laboremus in indagine causæ modici fructus, quem referunt auditores hoc sæculo, quo tanta est prædicatorum turma, vt excedat auditorū frequentiā. Inualescentis huiusce mali labes è duplici fonte manat. Primò carpendi sunt prædicatores, qui se prædicant vt plurimùm & non Iesum, dum luxuriant pampinis cultioris eloquij, & tacitam prætereunt veritatem vt elingues, non audentes in aliis mordere vitia, à quibus ipsi sibi malè conscij corroduntur. Christus ideò concioni suæ facturus fidem, hodie sic auspicatur: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Quasi diceret: Ego moribus illibatis & exemplo præeunte consilia quæ suggero ad salutem; & cunctante tamen gressu segniores estis ad veritatis obsequium. Altera causa gliscentis vitij est hæc quòd veritas plures habeat refugas, quàm sequaces. Hinc fit vt præcones verbi Dei, dum indulgent malitiæ æui quod decurrunt, prætereant stylum Sanctorum Patrum, vt nouo quodam & deplorando ritu prædicent, cuius fructus omnis est aura popularis. Hos profectò adulterantes verbum Dei, manet pœna, quæ excepit Heli sacerdotem, qui incurius corrigere filios suos sacrilegos, è cathedra deorsum cecidit exanimis, vtpote cathedrâ indignus. Cave.

Ioan. 8.

FERIA



FERIA SECVNDA DOMINICÆ PASSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. HOMO editus vt bono infinito frueretur, à Deo dignatus est appetitu congruo. Hinc est inquies ille animę motus, anhelans semper ad bona inconcessa, quia eorum omnium quæ infra cęlos sunt, nihil omnino sedat famem nostram. Huiusce indolis nostræ conscius Christus Dominus anteuertit hominum vota, præbens bonum quod bona omnia concludebat. Citra hoc bonum homo sese in gyrum versans fidem facit Vati affirmanti, in circuitu impios ambulare. Priori parte istius homiliæ dico gyros animæ appetentis huiusce sæculi bona, & probo fore semper irrequietam animam, dum rebus hisce vilibus inhiabit.

II. Secundò indico quali bono debeat adhærere anima, vt appetitus eius non variet. Probo illud bonum esse Deum solum, qui bonus est essentialiter, ac proinde potest affluenter influere in animas hominum sitibundas, quas vt ad se alliceret, eas sitientes nuncupat, & promittit leuaturum anxiam illam sitim, largos gratiarum latices infundendo.

PRÆFATIO.

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.
Ioan. 7.

Voluptatis emblema egregium.

NICANDRO *assertore, introeuntes in Ægyptum offendunt insignem fontem structura mirabili: quippe salientis aquæ siphunculus hominem refert, qui ore diducto deglutit aquas sibi infusas à duabus puellis egregiis. Latices autem haustos ille ingens tubus abdito cuniculo deponit in latebras oculis inuias, ita vt sitis huiusce simulachri sit iugiter inexhausta. Et id appositè ad intentum opificis, qui adiecerat serpentem dipsadem implexum pedi hominis huius, cui virus instillando sitim acuit, nullis vnquam potibus extinguendam. Industrium illud opus, hominis indolem delineat, quam sortitus est, factus incola Ægypti, id est mundi. Hominem incautum momordit ille serpens Codice sacro notus: eâ lethali plagâ sauciatus homo pulsus est paradiso, & deportatus in Ægypti viciniam, vbi inualescente appetitu rerum infimarum, gula & libido delicias affatim subministrant. Nulla tamen voluptatis omnigenæ copia replere potest hiantis oris sitim: nam inquietè gyro se in varia versat homo, anhelus ad nouas illecebras. Sed esto mali labes totam Adami prosapiam peruaserit, & molesta sitis sollicitet omne hominum genus; tamen est penes nos imponere huic æstuanti siti modum; nimirum vnicuique liber aditus conceditur ad perennes aquas fontis vtique salientis in vitam æternam. Gratis illa aqua omnibus prostant, nec aliud potionis suæ stipendium quærunt, quàm affectum. Audi Christum dispensatorem aquæ occurrentem homini tabescenti.* Si quis sitit, veniat ad me & bibat. *Sitientes venite ad aquas, Christo adstate, & recludite cor, tam amori hactenus obserâtum. Maria est concha, quæ has fudit aquas, illam veneremur.* Aue Maria.

Voluptas semper est sitibunda.

NIhil omnino vacat in rerum hoc vniuerso: quidquid sortitum est aliquem gradum entis, illud planè ad laborem editum est; eo namque implexu sociantur esse & agere, vt perinde sit feriari, ac protinus interire. Itaque omnia incunctanter agunt: dum autem iugi actione gyrant, sitim conciliant, & hinc agentia quæque sitibunda ad potum anhelant semper, nec inualescentem sitim restinguunt, nisi idoneum sibi potum congruè nanciscantur. Et hæc est sors deploranda quamplurium hominum, quibus aridæ fauces exæstuant, quia non alluuntur consona sibi potione. Illi miserorum discrimini hodie occurrit Christus, edita voce clamans. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat.* Dęmon homini semper iniurius, cælestium illarũ aquarum semper præpedit influxum, sciens potionis appetitum non sedari in homine, si eum à Deo procul abegerit; imò potius accendi in anima bibendi cupidinem, quam tollere nequit potio à diabolis impertita. Impiorum hominum noxia sitis iugiter ardet, accensa à dæmone in perniciem animarum, frustraque immerguntur aquis huiusce sæculi, vt tepescat ardor, qui eorum præcordia exedit: quippe vni tantùm Deo conceditur vsquequaque appetitum hominis adimplere. Ideóque lethalis est alia omnis bibendi cupido immodica; nec vnquam satiari potest, vt concionis huius priori parte dicam, vbi varios recensebo appetitus, quibus vrgetur & tentatur homo minimè satiandus. Secundò dicam, eos tantùm benè sibi consulere, qui suos omnes colligunt appetitus, vt in Deum hos refundant, quia ille duntaxat recreare potest æstuantis animæ sitim importunam.

Pars Prima Homiliæ.

Immodica cupido rerum humanarum est lethalis.

Ex Philosophia. *Albert. Mag. in lib. 1. Ethic. tract. 3. cap. 3.*

Ne nominis cortex abditæ rei indaginem remoretur, illud præmoneo, sitire & appetere esse idem prorsus, atque adeò ex indole appetitus licere inferre naturam sitis, bona sit necne. Rursus vt hallucinandi ansa omnis adimatur, adiicio me nomine sitis intelligere hîc tantùm animæ affectum, seu appetitum rationalem, quo cietur anima in id quod arridet. His præfatis debeo hoc probare, perniciosam esse sitim animæ, quæ deperit aliquid infra Deum, & inquietum fore semper appetitum, qui deteriora sequitur. Philosophia hoc institutum aggreditur sic discurrens. Vt se habet motus ad terminum; ita & se habet appetitus ad obiectum: nam appetere est moueri. Sed omnis motio inquies est, nondum nacta terminum. Ergo & appetitus inhians illecebris huius mundi errabit semper & nutabit, quia quidquid sensibus obuium est, & demulcet lenociniis hominem, illud non est adæquatum obiectum appetitus, atque adeò cupiditas eius non expletur, sicque viget semper sitis immodica, quæ depascit animum rebus inanibus huiusce sæculi dementatum. Et vt aqua salsedine infecta sitim non extinguit, sed accendit vredine sua; ita voluptates halitu dæmonis afflatæ, nullo planè refrigerio recreant appetitum implicitum noxio obiecto; quippe carent eo bono, cuius fruitione tantùm potest satietas animæ superari. Vt namque repleatur appetitus subiecti alicuius, operæpretium est inducere in illud formam congruam potentiæ, quæ quasi ore hiante potionis est auida. Sed nihil est sensibile consonum appetitui humano, quem Deus effinxit capacem boni infiniti obiectiuè. Ergo anima adepta bonum fugax, non habet quod inde repudiet aut gestiat, sed potius delusa experitur vnde lugeat suam sortem infelicem.

Voluptates quare sitim acuunt.

Bonitas quotuplex sit.

Instabis, singula quæque opera Dei esse bona, ideoque hominem posse tutò appetere illa omnia bona & eorum adiectione fieri meliorem. Respondeo, bonitatem hominis in genere motum aliam prorsus esse à bonitate rerum physicè spectatarum, ac ideò rerum omnium congeriem nihil adiicere hominum bonitati, quæ in perfectione animæ sita est: cùm enim forma denominet compositum, non debet homo nuncupari bonus, nisi ab anima bona. Non est autem bona anima nisi à voluntate bona. Voluntas autem eatenus bona est, quatenus conuenit cum suprema Dei voluntate, ad cuius arbitrium anima composita efficitur bona. Sed quicunque supra modum creaturis afficitur, declinat à Dei nutu, quo prohibetur immodica rerum affectio, vtpote hominem deorsum inclinans, cum tamen editus sit ad superna. In hominem sic demum, & effectum ludibrium vanitatum, hac censura animaduertit Dauid. *Filij hominum vsquequò graues corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nota, hominem effici corde graui, dum illum cupido tenet rei periturae. Etenim amor induit habitum eius quod amatur. Cùm igitur hæc infima grauedini obnoxia sint, vtpote compacta luto, homo est sibi iniurius, quando ista vilia mundi crepundia totis viribus insectatur.

Psal. 4.

Non inglorium tantùm est homini deperire creaturas, sed est noxium & lethale. Quippe illud animæ mortiferum est, cuius suffragio decumbit anima morte tenus. Sed nimia creaturarum sitis mortem inducit, quia anima gratiâ Dei excidit præpedita deliciis. Nempe non coëunt charitas, & nimius voluptatum amor, ideoque necesse est expungi charitatem & gratiam ab anima effusa in affectum rerum editarum. Est nimirum de ratione amoris, vt animam in obiectum sibi propositum validè inflectat. Ergo si illa amorem suum tota deuoueat voluptati, ad eam omnino conuertetur dato repudio cæteris. Hæc autem conuersio ad creaturam, & auersio à Deo, gratiæ deliquium est, & exordium omnium peccatorum, quorum rudimentum est ipse rerum appetitus, dum in homine modum prætereundo incipit æstuare. Deo iniurius homo magnis hinc subditur angustiis, quibus homo luit pœnas defectionis suæ à Deo.

Ex Theologia, *Thom 1. 2. q. 71. art. 3.*

Amor creaturarū quàm noxius sit.

Appositè hîc recenseri potest animaduersio Mercurij Trismegisti, si eius est liber Iatromathematicæ quem Stadius fusè commemorat. Ait ille, hominem qui decumbit, dominante Planeta Martis, vrgeri insatiabili siti, quam crebrò repetita potio sedare nequit. Præterea adiicit corpore inquieto agitari ægrum in varias partes, & eius insuper præcordia conflagrare. Etenim in confesso est apud peritos Astrologiæ, Martem procurare affluxum bilis, quam Medici affirmant igneam esse, & sua exuberantia multam prouocare sitim. Nemo it inficias hominem cùm peccauit subiisse dominium diaboli, qui vt planeta Martis discordiam clamat, vtpote rixarum parens, quas turbulentus ille apostata inter Deum & hominem varias excitauit. Huius iniqui Domini iugum passus homo decubuit pessima ægritudine, sitim passus honorum, opum, & prurientis luxuriæ. Adiectione etiam peccatorum inualuit morbus, & inde cupidinis auctione sitis inualuit, cui tota rerum omnium congeries non sufficit; ideò variè iactatur homo faciens rerum omnium periculum, vt earum fruitione effrænem suum satiet appetitum. Irrita tamen indagine venatur homo cupedias; nempe in omnium voluptatum cœno volutatus vltro confitetur, summis etiam deliciis finitimum esse fastidium.

Ex Mathematica. *Trismeg. lib. Iatrom. apud Stad. libro Ephemerid.*

Alibi recensui funus Henrici VIII. Regis Angliæ, qui vnus voluptatum omnium experimentum diu impunè fecit, & vt immunitatem vitio adiiceret, se caput Ecclesiæ in Anglia professus est, arbitratus omnia licere sibi in hoc honoris culmine constituto. Ille inebriatus gloria illa, quâ regium decus auxit, tamen cupidini suæ modum haudquaquam imposuit: namque libidine flagrans appetitus eius, eum præcipitem egit in varia vagæ Veneris sordida volutabra. Et ne quid adhuc impio Regi facesseret negotium, ille sitiens sanguinem hominum, quos aduersos senserat vsurpando iura Ecclesiæ, pro voto suo omnes capite censitos funditus extirpauit. Itaque homo ille auctus gloria, opibus, concupita omni libidine, sanguine æmulorum suorum, & affinitate omnium Europæ procerum, habuit si quis vnquam quo sedaret sitim suam. Sed vt lætiora quæque contermina sunt tristitiæ, Princeps tantis impar deliciis sensit vltricem Dei manum, pœnas multiplici piaculo debitas experientem. Nempe

Voluptatis effectus in Henrico VIII Rege Angliæ.

Ex Historia. *Florim. Raym. lib. de hæresis exord. sub an. 1547.*

Voluptas homines in desperationē inducit.

Nempe is adhuc vegeta ætate decubuit, ſed corpore effœto libidine. In eo agone recolens quàm ſuæ ſalutis incurius genio indulſiſſet, eiulans exclamauit ſe omnia perdidiſſe, & in hac delirij ſui confeſſione, animam multis vitiis obnoxiam ille reprobus eructauit.

Non eſt ergo quòd ſiticuloſus homo ſuam omnem colligat induſtriam, vt reſtinguat ſitim ſuam, qua tentatur, hiſce rebus inferis inhiando, cùm potius illæ appetitum acuant quàm illum repleant vſquequaque. Vt videre eſt in Henrico, cuius effuta libido non tepuit, ſed magis inualuit toris inconceſſis. Regiæ facultates auaritiam eius non ſedarunt, ſed ille facultates Eccleſiæ ſibi vendicans addidit fiſco. Denique aura diſtentus inanis gloriolæ, prætericns fines, quos mare Anglis impoſuit, conſcripto milite quem effudit in Gallias, traiecit illum maris ſinum vt Gallis edomitis, ditionis ſuæ terminos ampliaret. Et hæc omnia nec fecere modum cupidini, neque profecere homini ſitibundo. Alius item Henricus in eadem plaga rerum potiens, luxuria ſua impar in coniugem etſi inuitam accepit virginem Deo dicatam nomine Matildem, filiam Malcomi Regis Scotiæ. Puella ingenua pridie nuptiarum Deum vindicem appellauit, orans vt ſi qua ſtirpe dignaretur, illa lueret pœnas, quæ eos caſtigarent impios hymenæos. Non fuere irrita vota virginis abſtractæ à Dei obſequio: nam proſapia, quæ ex illo ſacrilego connubio emerſit, infelix fuit, ſæpe ſæpius regio ſanguine conſpurcata. Inſurrexere filij in patrem, dubiamque fecere Reges ſuorum fratrum fidem; hanc longiorem mulctam Regis luxuria depoſcente.

Andr. Cheſnam in hiſt. Angl. ſub an. 1101.

Luxuria diros effectus parturit.

Alij veluti ore diducto bibunt auram popularem, adeòque ingentes ſpiritus concipiunt ſuorum meritorum, vt infra ſe arbitrentur omne quod aſſurgit, ideoque in ſuam perniciem nimio diſtenti vento crepant. In his fuere Ruffinus & Stilicho viri Conſulares, qui aucti honore ab Honorio Imperatore, noluere tamen vanitati ſuæ modum imponere: nimirum de ſumma rerum pacti cum conſciis ſuæ defectionis tentauere diadema iniquis artibus vſurpare. Sed vt modicus imber ventorum flabra ſedat; ita ſuperborum ſanguine effuſo deprimitur eorum tumor omnis. Eò deuenere Ruffinus & Stilicho, morte ingloria diluentes facinus intentatum. Eadem cenſura capitis olim proceres Angliæ animaduerterunt in Oduinum virum prænobilem, quia mortuò Henrico V. Rege, viduam eius Catharinam regio Gallorum ſtemmate progenitam clam deſponſarat. Damnauere iudices ſuperbiam hominis auſi accipere in coniugem fœminam, quam ſibi Rex antea ſociarat. Eodem fato diſpereunt omnes qui aſpirant ad gloriam ſuæ ſorti imparem: Gloria namque Dei conſors indiuidua eſt, à Deo ſponſo ſuo rerum Domino dominium ſibi vindicans. Hæc intima coniunx neminem ſuo toro capit, ipſomet Deo aſſertore, quem ſic Iſaias inducit eloquentem: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum; gloriam meam alteri non dabo.* Quiſquis itaque vrgetur appetitu gloriæ, ille tentat vetitos hymenæos, atque ita in capitis diſcrimen incurrit, ſuoque probat exitio gloriæ ſitim prætendere mortem immaturam. Eò alluſit Iſaias ita fatus: *Nobiles eius interierunt fame, multitudo eius ſiti exaruit.* Cupido gloriæ, nobilium ſitis eos abſumit areſactos.

Auaritiæ pœna.

Andr. Cheſnam in hiſt. Angl. ſub an. 1437.

Superbiæ pœna.

Iſaia 42.

Iſaia 5.

Superfluus amor opum nihilo melius habet eos, qui anhelant ad theſauros, quos beatitudinis eſſe ſimulachra putant. Ad pleraque immania facinora, mortalia pectora cogit auri ſacra fames, inexpleta tamen ingentibus aceruis opum; quippe ſemper auarus eget, impos ſatiari gazis: de eo namque iactatur adagium iſtud.

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Quodque deterius eſt, Deo vltore depereunt auaro facultates malæ partæ: nimirum omnes exoſi ſordidum hominem auro grauem, quidquid illius eſt, emungunt, & prædantur, iuxta illud Iob. *Huius meſſem famelicus comedet, & ipſum rapiet armatus, & bibent ſitientes diuitias eius.* Si quæ agmina hominum armatorum populantur vrbes, prima tunc quæſtio eſt de ædibus hominum auarorum: nam illic reconditæ creduntur opes, ideoque inibi ſuſque deque omnia conuertuntur. Rebus verò pace compoſitis, ditiores homines iniquis artibus multa rei domeſticæ diſpendia patiuntur. Etenim quotidie apparitores pro foribus eorum adſtant, & vadimonium indicunt, fitque ita fiſci proprium, quod peſſimè ſibi diues antea vendicarat. Tyberius aiebat hos diuites eſſe ſpongias exprimendas.

Auarus non ſuis fruitur opibus.

Iob. 5.

Diuites auari ſunt ſpongiæ quas alij premunt.

Suet. in Tyberio.

Eſt & altera ſitis homines dirè ſollicitans ad ſuorum æmulorum ſanguinem epotandum. Eo cruoris appetitu ſitiuit Aman, ſtatuens apud ſe effundere ſanguinem omnium Hebræorum, vt hoc libamine litaret iræ, quam conceperat in Iudæos. Sed plerique cogitantes ſanguinis alieni profluuium, præcoci fato luunt necem quam aliis intentarant. Horum crudelium hominum typum habes in dracone cupido ſanguinis elephantis. Serpens ille immanis ſuis volulis feram amplexatus dente acuto ſecat principes eius venas, proiiciens inde ſanguinem quem exugit: ſed dum ille incautus inebriat ſe cruore belluæ, illa cadens exanimis ſuo pondere draconem obterit, qui ea eliſione perit, cui adiice lemma in ſimili argumento vſurpatum à Camerario. NEC DVDVM LÆTABERE VICTOR. Eſto Deo ferente facinus impium, deſæuias in fratrem tuum, illa Dei patientia impunem non ſinet iniuriam alteri illatam: ideòque non eſt quod geſtias, etſi quandoque præualeas, ne incurras in ſortem ingloriam Principis Aman, qui ſuſpendio interiit, in eamdem crucem actus, quam crudelis erexerat æmulo ſuo Mardochæo. Si quando igitur vltrice manu pœnas experis ab homine, cum quo exerces ſimultates, ſitis hæc tua expleta lethalis erit tibi. NEC DVDVM LÆTABERE VICTOR.

EX SYMBOLIS. *Camer. lib. centur. ſymbolic.*

Iniuriæ ſuæ vltores à Deo puniuntur.

Concors eſt omnium Sanctorum chorus, affirmans inquietum eſſe appetitum animæ, ſi definitus ſenſuum illecebris, rebus hiſce inferis adhæreſcat. Quàm fuerit inquies Auguſtinus genio indulgens ipſo pubeſcentis ætatis exordio, audi ab eo confitente quàm infida ſit ſatietas voluptatum. Sic ille: *Exarſi aliquando ſatiari in inferis, in adoleſcentia, & ſilueſcere auſus ſum variis & vmbroſis amoribus: & contabuit ſpes mea, & computrui coram oculis tuis; placens mihi, & placere cupiens oculis hominum. Et quid erat quod me delectabat; niſi amare, & amari? Sed non tenebatur modus ab animo vſque ad animum, quatenus eſt limoſus limes amicitiæ. Sed exhalabantur nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & ſcatebra pubertatis; & obnubilabant atque obfuſcabant cor meum, vt non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis. Vtrumque in confuſo æſtuabat; & rapiebat imbecillem*

EX SS. PATRIBVS. *Auguſt. lib. 2. confeſſ. c. 2.*

Luxuria inquietum hominem facit.

Amicitiæ humanæ limes eſt limoſus.

Luxuria hominẽ à Deo longiùs abducit.

imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque mersabat gurgite flagitiorum. Obsurdueram stridore catenæ mortalitatis meæ, pœna superbiæ animæ meæ: & ibam longius à te & sinebas: & iactabar, & effundebar, & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & tacebas. O tardum gradum meum! Tacebas tunc, & ego ibam porro longe à te in plurima & plura sterilia semina dolorum, superba deiectione, & inquieta lassitudine. Eâdem cupidine instabili diuexantur omnes, qui conscij sunt Genij iuuenis Augustini: nimirum maiora quæque lenocinia sensuũ nullas figunt metas homini turpiter errabundo. Etenim isto maledicto Deus feriit animam, quæ defecit.

Osea 2.

Ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiã, & interficiam eã siti. Profectò redacta est in solitudinem anima quæ gratiã excidit; nullo nempe humore madens arida est, atque adeò nequit esse virtutum ferax, quarum etsi semina nobis insita sint, illa tamen non germinant, nisi cælitus alluantur. Itaque reprobus sitiens interit, non irrorante Deo; & quo maior est deliciarum affluxus, eò etiam magis noxia dyscolorum sitis ingrauescit.

Beatus esse nequit homo in vtroque sæculo. Hieron. ep. 34. ad Iulia.

Et esto voluptatum colluuies inundet reprobos; sitient tamen in æternum, iuxta illud Sancti Hieronymi effatum. *Difficile, imò impossibile est, vt præsentibus quis & futuris fruatur bonis; vt hîc ventrem, ibi mentem impleat; vt de delicijs transeat ad delicias; vt in vtroque sæculo primus sit; vt in cælo & in terra appareat gloriosus.* Sed quid in futurum refundo supplicia turpioris appetitus expleti, cùm ipsa voluptas secum semper tortorem vehat, vt cruciet hominem delinquentem, si fas sit credere Boëtio, in vitia declamanti hoc contextu.

Voluptatum exitus sunt tristes. Boëtius lib. 3. de consol. Philos. pro 7.

Tristes esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget; quæ si beatos explicare possent, nihil causæ est, quin pecudes quoque beatæ esse dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lasciuiam festinat intentio. Bernardus ait animæ detrahi, quod corpori impenditur vltra modum; vnde infertè est, noxium esse omnem immodicum corporis appetitum. Hæc sunt sensa viri illius sancti.

Amor nimius corporis est noxius animæ.

Bernard in Apologia ad Guill. Abbat.

Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit, talis misericordia crudelitate plena est: quia videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ etenim charitas est, carnem diligere, & negligere spiritum? Quæ discretio totum dare corpori & animæ nihil? Qualis misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro huiusmodi misericordia speret se consequi misericordiam.

Aurum quot mala inducat.

Quia autem multi insusurrant, opes multum conducere ad salutem, vtpote quibus effusis in pauperes crimina condonantur: vnde inferunt, licitè appeti posse, quod piè possidetur, ideóque sitim opum non esse inter vitia recensendam. Audiant illi, satius esse flocci pendere diuitias, quàm eis nimium affici. Credant Augustino hæc dictanti.

Aug. ser. 18. de verbis Apost.

Diuitiarum quanta pernicies.

Aurum materia laborum, periculum possidentium, eneruatio virtutum, malus dominus, proditor seruus, aurum nemo tutus habet, nisi qui semper abscondit; in perniciem domini fulget, per tenebras quæritur, per tenebras custoditur. Aurum præbet misericordiæ materiam apud bonos animos, & nouo genere lucri tunc magis prodest quando contemnitur, vt scilicet ipsa sui conditione testetur, quoniam mala est eius rei

Aurum magis prodest quando contemnitur.

possessio, cuius abdicatio fructuosa, Abditum virus auro collige ex siti quam accendit in homine etiam prædiuite, cui gazæ semper hiant, & lacunas explicant nouis opibus adimplendas. Hoc luget Bernardus ita fatus: *Diuitiarum amor insatiabilis. Longe enim amplius desiderio torquent animam, quam refrigerent vsu suo: vtpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris inuenitur.* Cùm itaque tanta sit auri pernicies, meritò idem Sanctus inuehitur in cupidos rei tam noxiæ. Ille hæc declamat.

Bern. serm. de conu. ad cleric. cap. 12. Diuitiarum amor est noxius.

Filij Adam, genus auarum & ambitiosum, audite. Quid vobis cum terrenis diuitijs, & gloria temporali, quæ nec vera, nec vestra sunt? Aurum enim & argentum nonne terra est rubra, & alba, quam solus error hominum facit, & magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Quòd si non tædet adiicere Senecam; ille suum suffragium adferet ita fatus: *Res est inquieta felicitas.*

Idem serm. 4. in Aduent. Diuitiæ quare sint contemnendæ.

Senec. ep. 36.

Quare autem inquies sit superflua hæc cupido rerum, nec vnquam satiari queat appetitus terrenis implicitus, vna hæc est ratio, scilicet amorem esse naturæ igneæ, qui indolem flammæ assecutus, extra suam sphæram in varia se inclinat, consistere impatiens. Vnde necesse est hominem, qui declinat ab amore Dei vt quisquilias amplectatur, esse multiuagum, & de variis in varia collabentem. Profectò homines hi transfugæ tenentur ea lege, qua Constantinus sanxit amputari pedes, aut damnari ad metalla seruos, qui conuolabant ad Barbaros dominis inconsultis. Ecce sanctionem.

Ex Ivre Civili. Leg. Si fugitiui. Cod. de seruis fugitiuis.

Si fugitiui serui deprehendantur ad Barbaros transeuntes; aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur. Ille qui amorem suum à Deo transfert ad res alias infra Deum, reuera à Domino suo inuito dilabitur, vt ad exteras oras traiiciat. Vt nimirum à Deo receditur affectibus aliò deportatis; quisquis aliquid sensibile anteponit Deo, ille ab eo diuertit, vt alteri Domino mancipetur. Ideo in mulctam deliquij, amputato pede claudicat hic refuga, dum nutante affectu, & delibante obuia quæque obiecta, semper est inquies appetitus; vt qui noluit constare sibi penes Deum, titubet in creatis. In hos latum edictum, metalla commemorat vt pœnam congruam seruis infidelibus. Et hæc etiam indicta est pœna homini Dei dominium abiuranti: vbi enim quis segnior est in Deo redamando, & sic ab eo sensim deuiat, statim afficitur opibus, & vexatur opum anxietate noxia, necnon & grauiora patitur, quàm inuiti ferant damnati ad auri fodinas. Sicque vltro auari subeunt pœnas, quas experiuntur iniquo animo vilia capita in mulctam suæ perfidiæ, quando fodinarum labori improbo mancipantur.

Auari damnati sunt ad metalla.

Non deerunt fortè qui instabunt, iacturam rei quam quis parum curat, non ei facessere negotium, ideoque reprobos Deum exosos non malè affici post defectionem suam, & reuera esse homines vitiis assuetos, qui viuunt eadem animi æquitate, quam circumferunt viri sanctissimi; Dei namque ita incurij sunt, vt nullam planè sitim experiantur eius summi boni, cuius absentiam dixi homines impios grauibus suppliciis obstringere. Scio equidem esse sues, quibus hebes & obtusa sinderesis ademit omnem ferè Dei sensum,

Beatitudinis æternæ incuria notat hominis insaniam.

ſenſum, ita vt quamuis luxuriæ flagrent incendio, nullum tamen gratiæ refrigerium deſiderent. Eos inſcius Hippocratis prænotione iſta præiudicat. Κακὸν δὲ πάντως ἐν ὀξέϊ, δίψα παραλόγως λυθεῖσα. *Malum omnino denuntiat in acuta febre ſedata ſitis ſine ratione.* Duretus hoc Hippocratis oraculum verſans ſuſpicitur ægrum mente excidiſſe, ſi æſtuante morbo, nullo potionis appetitu teneatur. Idem eſto iudicium eius quem nulla cupido tenet rerum diuinarum: audacter pronuntia, delirum eſſe huiuſmodi virum, nihilque ei ſupereſſe vnde redux ſalus conici tutò queat.

EX RE MEDICA. *Hippoc. lib. 1. coac. praenot. 62. Lud. Dur. hic.*

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Deus tantùm reſtinguere poteſt importunam animæ ſitim.

ALius planè eſt habitus animarum, quas in beatarum mentium album Deus ante ſæcula retulit. Hæ nimirum ita Deum depereunt, & æſtuantibus præcordiis appetunt, vt cætera quæque faſtidiant, quibus lenocinandi vis eſt quàm maxima. In his fuit Dauid qui immemor deliciarum, quas ſecum diadema vehit, Deum tantùm in ſua ſiti commemorat, cum crepuſculo illucente ſic compellans: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi & caro mea.* Hac ſua ſiti Dauid, ductile ſibi fecit templum, & Sanctum Sanctorum, Deum ſemper ſua peruigili mente circumferens. Vnde & adiecit hunc verſum, qui alios excipit antea prælibatos. *In terra deſerta, & inuia, inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi.* O terque, quaterque beatos illos, qui tota ſua mente Deum deſiderant, nullâ ipſos remorante carnis illecebrâ. Profectò hæc eorum ſitis aſſidua tandem aliquando ſedabitur in cælis, vt fusè explicat Auguſtinus, quem audire præſtat ita decurrentem iſtum Pſalmum. *Qui ſitit in iſto ſæculo, in futuro ſæculo ſatiabitur, dicente Domino: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur. Ergo in hoc ſæculo non debemus quaſi amare ſaginam. Hic ſitiendum eſt, alibi ſaginabimur. Modo autem vt non deficiamus in iſto deſerto, aſpergit nobis rorem verbi ſui, & non nos dimittit prorſus areſcere, ſed vt ſic ſitiamus, vt bibamus. Vt autem bibamus, aliqua gratia aſpergimur.* Quid ſit autem ſitire, ille explicat, vt ego præfatus ſum, quando præmonui totam illam animæ ſitim eſſe hominum vota & affectus.

Pſal. 62.

Deus ſolus ſatiare poteſt animam.

Ex SS. PATRIBVS. *Auguſt. in Pſal. 62.*

Sitis animæ quænam ſit.

Sic itaque pergit Sanctus Auguſtinus. *Sunt qui ſitiunt, ſed non Deo. Omnis qui ſibi vult aliquid præſtari in ardore deſiderij eſt. Ipſum deſiderium ſitis eſt animæ. Et videte quanta deſideria ſint in cordibus hominum. Ardent omnes homines deſiderio, & vix inuenitur qui dicat: Sitiuit tibi anima mea. Sitiunt enim homines ſæculo, & non ſe intelligunt eſſe in deſerto Idumeæ, vbi debet ſitire anima ipſorum Deo.* Non anima duntaxat iuſti hominis Deo ſitit, ſed & caro eius: quippe reflorebit illic caro, vbi affluxu bonorũ omnium anima recreatur. Fit nunc iſta caro ſpolium prætereuntis æui ideo ſtatũ appetit immortalem. Multipliciter ſitit in hoc ſæculo caro noſtra; quia multifariã æſtuat, & laborat. Labor autem ille iugis conciliat ſitim alibi reſtinguẽdam. Hic enim nil ſatiat; imò plerumque faceſſunt negotium carni ipſi ea quæ inſtituta ſunt ad ſolamen, vt eruditè probat Auguſtinus hoc tenore. *Modo ex corruptione fragilitatis, ſi non manducemus, deficimus, & eſurimus: ſi non bibamus, deficimus, & ſitimus; ſi diu vigilemus deficimus, & dormimus; ſi diu dormiamus deficimus, ideo vigilamus; ſi diu manducemus, & bibamus, quamuis propter refectionem manducemus, & bibamus, ipſa diuturna refectio defectio eſt; ſi diu ſtemus fatigamur, ideo ſedemus; & ſi diu ſedeamus, & ibi fatigamur, & ideo ſurgimus. Deinde videte quia nullus eſt carnis noſtræ ſtatus, quoniam infantia auolat in pueritiam, & quæris infantiam; & non eſt infantia, quia iam pro infantia pueritia eſt. Iterum & ipſa migrat in adoleſcentiam; quæris pueritiam, & non inuenis. Adoleſcens fit iuuenis; quæris adoleſcentem, & non eſt. Iuuenis fit ſenex, quæris iuuenem, & non inuenis. Et ſenex moritur; quæris ſenem, & non inuenis. Non ſtat ergo ætas noſtra, vbique fatigatio eſt, vbique laſſitudo, vbique corruptio. Attendentes qualem nobis ſpem reſurrectionis promittit Deus, in iſtis omnibus multiplicibus defectionibus noſtris, ſitimus illam incorruptionem; & ſic caro noſtra multipliciter ſitit Deo.* Hæc ille, acutè reſerans argumenta, quæ hominem ſollicitant ad Deum totis viribus amplexandum, ne dum in varia diſtrahitur, multiuagus erret; deuius ab obiecto ſibi cælitus inſtituto. Quippe non eſt in potentia rei alicuius, immutare fines vnicuique à Deo impoſitos, nec vlli conceditur ſpatiari extra cancellos, quibus indoles eius includitur.

Deſideria noſtra ſunt ſitis animæ.

Homo nequit in eodẽ ſtatu permanere diu. *Vbi ſupra.*

Hominis inconſtantia egregiè deſcribitur.

Homo quare ſitit alium ſtatum.

Hinc collige; neminem extra Deum poſſe quieſcere; omnia nempe Deum ſitiunt, citra quem inexhauſta ſitis eſt impiis importuna. Hoc vt liqueat, ſupponendum eſt ex Philoſophia, quidquid mouetur, moueri ab alio, & à motore ſuo terminum motus accipere. Motor autem ille eſt, qui accinxit mobile omni ea ſupellectile qua cietur. Verbi gratiâ, quando ignis accenſus, inquies aſſurgit ſurſum vergens, hos impetus non habet primariò à forma illa quæ deſinit in acumen, ſed ab auctore qui condidit illam formam, cui etiam idoneum ad conſeruationem ſui indidit appetitum. Et hoc Philoſopho innotuit quando ait, leuia & grauia moueri à generante. Nam eſto forma inclinet compoſitum in obiectum aliquod ei quàm maximè congruum; illa tamen forma non ſeipſam huic compoſito affinxit, ſed à Deo accepit propenſionem illam quæ compoſitum dirigit in finem. Ergo cùm appetitus hominis ſit aliqua motio, neceſſe eſt inquietum eſſe illum motum animæ, ſi deuiet à termino, quem Deus huic præfixit. Et cùm homini appetere ſit ſitire, & Deus tantùm ſit verum obiectum appetitus; ſi quidpiam infra Deum homo deſiderat, erit ſanè illius ſitis inexhauſta. Sicut oculus non ſatiatur viſu; quia nullum viſibile concludit omnium colorum rationem, atque ita videndi potentia vt hiulca patet adiectioni nouæ ſpeciei. Eo etiam modo Deo moderante voluntas hominis fertur in bonum omne, etiam infinitum. Cùm ergo nihil omnino editum ſit, quod ſit omne bonum; nequit homo quieſcere in fruitione boni creari: nimirum appetitus eius ſiticuloſus, vt arida tellus hiat, & faſtidit bonum præhabitum; quia totum non cumulat appetitum.

EX PHILOSOPHIA. *Ariſt. lib. 8. Phyſ. text. 32.*

Motus omnis ab alio eſt.

EX THEOLOGIA. *Tho. qu. quodl. lib. 3. De volunt. art. 8.*

Prælibata liquent ex ſerie geſtorum Moſis; qui licet alienigena, tamen adſcitus eſt in familiam

liam Pharaonis, adoptatus ab eius filia liberis orba, & suam orbitatem specie egregia huius pueruli consolante. Puero pubescenti prospera rerum omnium aura afflauit. Eum stipabant plerique ephebi nobiles: non deerant præceptores omnigenæ disciplinæ. Pompa, fastus, opes, & Regni Ægypti proceres quique præpotentes ei colludebant. Alius fortè regium illum apparatum, felicitatis suæ summam esse credidisset. Sed Moyses ad maiora genitus; totam illam adblandientis sæculi suppellectilem spernens, & aulam fastidiens, populo Dei se adiunxit, Gentémque suam duxit in eremum, vbi post præclara edita facinora, pertæsus omnia quæ corusca hominum oculis irradiant, de Deo tantùm sollicitus, ita rerum omnium Dominum affatus est. *Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi.* Profectò beatarum mentium est illa sitis, quæ in Deum fertur bonorum omnium fontem, cuius est tantùm sua vbertate reficere animas vsquequaque. Audiendus est anhelus Dauid, suæ arentis animæ sitim explicans hoc tenore. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Æstuans hominum appetitus iugiter inquies citra fruitionem Dei, frustrà gyrat inuestigans alia bona; cùm Deus sit omne bonum, vt alio versu Psaltes iubilando commemorat. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Nota insigne mysterium, fontem lumini consocians: nemo namque potest fastidire bona corporis, & Deum ardenter appetere, quin gratia ei singularis affulgeat. Rursus illa societas fontis & luminis insinuat bonum animæ congruum esse penes intellectum, & non in sensuum illecebris, quæ bonum tantùm ingerunt ementitum, ideóque impos recreare sitim animæ, quæ appetitu reprobo contabescit. Inexpletam impiorum cupidinem sugillat Deus hoc Scommate. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Qui à Deo deficit emendicans creaturarum obsequium, ille toto cælo aberrat, sitim patiens indefessam.

Exod. 33. Deus est omne bonũ.

Psal. 41.

Psal. 35. Deum sitire gratia est singularis.

Ierem. 2. Concupiscet res infirmas, quisquis Dei est incurius

Ex SS. Patribvs. Ambros. in Psal. 61.

Compendiosè Ambrosius textum illum enucleat. Sic ille. *Nec mirum si sitierunt, qui aquam fontis æterni tenere non poterant, lubrici perfidiæ suæ rimis. Sitierunt ergo, quia se potu priuauerunt spiritali, quem hauserant, de consequenti petra. Vnde & Symmachus ait* Τῷ δόλῳ αὐτῶν εὐλόγουν, *hoc est placuit illis in mendacio, cum obtecerent falsa pro veris. Omne mendacium sitim habet, veritas vbertatem, quæ in perpetuum perseuerat.* Si ergo veritas est de ratione boni congrui, necesse est bonum illud, quod sui cupidinem facit, pertinere ad intellectum, cuius est congaudere veris; vnde & Psaltes hæc duo annexa commemorat, scilicet fontem vitæ, & lumen, præbens argumentum Augustino ita commentandi. *Si & fons est, & lumen est, meritò & intellectus est, quia & satiat animam auidam sciendi, & omnis qui intelligit, luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore illustratur. Est ergo, fratres, quædam lux intus, quam non habent qui non intelligunt. Vnde iam eos qui desiderant hunc fontem vitæ, & inde aliquid carpunt, alloquitur Apostolus obsecrans, & dicit: Vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate mentis suæ: obscurati intelligentia, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Si ergo illi obscurati sunt intelligentia, id est, quia non intelligunt obscurantur: ergo qui intelligunt illuminantur. Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ, & insiccabilis fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quemdam fontem, quoddam lumen quale non norunt oculi tui: cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit.*

August. in Psal. 41. Deus fons est, & lumen. Eph. 4. Deum qui nesciunt habent intellectum obscuratum.

Fons ille sacer alluens animas, eas omnino beat, & affingit illis symbolum eius, qui depinxit salicem arborem infœcundam, luxuriantem in ora fluminis, cuius humore madens arbor illa virens & multiplici flore vernans, opportuno aquarum suffragio perennabat. Ea fuit epigraphe picturæ symbolicæ. Dvm flvmina lambo. Id est: Ego infœcunda salix gestio irrorantibus aquis, tamque diu vireo, quamdiu delibo rorem decurrentis aquæ. Contabesces, ô anima, assiduo marcore exedente quidquid viuidum est in te, nisi ad Dei fluenta conuoles, & eis sitiens immergaris. Equidem tincta fies alacrior, Dvm flvmina lambes. Recole greges hominum, qui pertæsi sæculi delicias omnes, consuluere sibi fugâ, sese arctioris instituti carceri mancipantes. In his plerique calcato etiam diademate comprobarunt, innoxiam animæ voluptatem præualere aliis omnibus illecebris, quibus vegetur quidem sitis animæ, sed non compescitur. Priuilegium est aquæ desuper effluentis, quam meminit textus sacer. *Sitierunt & inuocauerunt te, & data est eis de petra, altissima aqua.* Appositè sanè dicitur aqua illa scaturire de petra; siquidem firma & sibi constans est felicitas, quę restinguit appetitum animæ, in Deum toto pectore anhelantis. Vnde hæc subiicit Ambrosius. *Petra, eò quòd sitientes sequatur, confirmet labentes; ne sitientibus aqua desit, labentibus firmamentum.*

Ex Symbolis. Ioan. Ferrus p. 1. Theatri. Gratia Dei fœcundat animas.

Sap. 11. Christus quare dicatur petra.

Ambros. in Psal. 39.

Non inficior esse aliqua bona in hoc sæculo, quæ demulcere sitim possunt, quatenus sunt dona Dei desuper illapsa. Sed esto illa bona cælitus affluxerint, & Deo moderante homini dispensentur, scilicet opes, gloria, sanitas; hæc tamen hominem beare nequeunt. Vt namque fluenta è paradiso deriuata in quatuor dispares orbis oras non traxere secum omnem supellectilem illius loci peramœni; ita singula quæque bona, licet adumbrent beata cæli tripudia, & illinc ad nos effluant; non ideo tamen nos satiant sicuti paradisus. Accipe Canonem meo effato propitium. *Flumina de fonte paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manauerunt. Nominatim quippe commemorantur, & per quas terras fluant. Et quia extra paradisum constituta sunt, omnibus notum est. Nec tamen in Mesopotamia, vel in Ægypto, quò illa flumina peruenerunt, est felicitas vitæ, quæ in paradiso commemoratur. Ita fit, vt cùm paradisi aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit extra paradisum.* Ne itaque immergamur aquis huiusce sæculi, sed potius omnem appetitum illibatum reseruemus aquis, quarum impetus lætificat ciuitatem Dei. Cæterùm vt fiat nobis copia fontis æterni, sortiamur ingenium cerui, qui serpentibus indicit necem, antequam pernice decursu volet ad fluenta. Accingamus nos ad vitiorum excidium, vt potemur aquis hisce salutaribus.

Ex Ivre Canonic. Can. Ecclesia De consecrat. dist. 4. Beatitudo non est extra Paradisum.

Consonat meo intento ista Augustini parænesis.

nesis. Curre ad fontem, desidera fontem: sed noli vtcunque, vt ceruus curre. Non sit tarditas in currendo, impigrè curre, impigrè desidera fontem. Aliud est in ceruo, serpentes necat, & post serpentium interemptionē maiori siti inardescit: peremptis serpentibus, ad fontes acrius currit. Serpentes vitia tua sunt: consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Auaritia fortè in te tenebrosū aliquid sibilat, & sibilat aduersus verbū Dei. Cum ergo adhuc faueas vitio tuo, cupiditati tuæ, auaritiæ tuæ, serpenti tuo, quando in te inuenio tale desiderium, quo curras ad fontem aquarum? Quando concupiscis fontem sapientiæ, cùm adhuc labores veneno malitiæ: interfice in te quidquid contrarium est veritati; & cùm te videris tanquam vacare à cupiditatibus peruersis, desidera ad fontes aquarum: habet Deus vnde te reficiat, & impleat venientem ad se, & sitientem post interemptionem serpentium, tanquam velocem ceruum.

O homo, si nulla vrgeris siti aquarum viuentium, virulenta vitiorum genimina vigent in te. Hoc satage, vt ea validè elidas, si animo tuo insedit haudquaquam impiè dispetire.



FERIA TERTIA.

DOMINICÆ PASSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

j. COALESCENS homo corpore & anima, vtriusque partis curam gerere debet impigram, ne vna fatiscente, dissoluatur hæc compages. Cùm autem vnius partis bono inuigilat, operæpretium est de altera eum minus esse sollicitum. Verbi gratia, quando procurat commoda corporis anxiè, incurius est animæ suæ, vt videre est in his, qui genio indulgent, vacantes epulis, choreis, & ludis ad voluptatem corporis institutis. Ne homo diffluens in sensuum illecebras esset immemor animæ suæ, Deus instituit dies festos, vt tunc corporis sollicitudo remissior esset, & animæ cura maior, iuxta consilium Christi præmonentis discipulos suos, vt ascenderent ad diem festum. Dico priori parte huius homiliæ, qui sint ascensus ad quos die festo prouocamur.

II. Secundò aperio technas diaboli, qui sua festa opposuit festis Christi. Dico quænam sint illa dæmonum festa, ideo instituta vt expungantur Dei solennia. Nempe vt diebus Deo sacris anima tota debet euehi sursum intenta bonis operibus; ita præualente cura corporis diebus festis indictis à diabolo, in animæ suæ perniciem dyscoli debacchantur.

PRÆFATIO:

Vos ascendite ad diem festum hunc.
Ioannis 7.

IN Tobiæ elogijs, istud maximè commendatur; *scilicet eum peculiari ritu coluisse Deum diebus solennibus, etsi contribules eius, veluti degeneres à Domino declinarent. Hoc tenore scriba sacer texuit eius encomium.* Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Ierusalem, ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens. *Christi æuo Iudæi diebus festis erant iniurij, pecorum ritu effusi in omnes sensuum illecebras. Hos pungit Isaias, dum sic inducit Dominum increpantem.* Neomeniam & sabbathum, & festiuitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. *Ne Apostoli desinerent ad iniquum eorum schema celebrandi festa, Christus hodie eos præmonuit hoc contextu:* Vos ascendite ad diem festum hunc. *Id est, cauete, ne Iudæorum more, vilia, & humilia sectemini, vacantes epulis atque tripudijs, die instituto ad virtutum praxim, & ad sidera transcendenda. Scribæ & Pharisæi instar vitulorum, petulci luxurient immemores humanæ indolis, & sic infra bestias se demittant. Id in eorum arbitrio est. Sed quia vos altiora manent, accingite vos ad ascensum, quo anima expedita à remoris omnibus euehitur ad superna, scilicet ad Deum. Sequamur & nos ascendentes discipulos, Deum versus, & ne nos abstrahat Dei eminentia, immoremur tantisper in Maria, eam venerantes insolito nobis obsequio.* Aue Maria.

Tob. 1.

Isai. 1.

VNitatis & quietis consona ferè sunt symbola; quippe quies importat statum sibi constantem, qui sit diuisionis impatiens, sicut est vnitas: nescit nempe quies summa, à præstituto sibi termino dimoueri. Cùm ergo homo defectione sua deuiarit a Deo qui est suprema vnitas, quid mirum si inquies abierit in varia procul à Deo? Nonne Adam refuga se abscondit? Nonne Cain malè sibi conscius fratricidio suo periit errabundus, hanc animi sui inquieti causam promens; nimirum quòd esset à Deo dissitus. Ita namque fatus est homo ille, spe omni excidens; Maioz

Dei desertor omnis, est inquies.

Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie a facie terræ; & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Reuera homo à Deo deuius occiditur ab ea re, cui primò totis suæ animæ viribus adhærescit; siquidem in eo est sita labes cuiusque peccati, vt amore suo addicto rebus infimis, eas Deo suo reprobus anteponat. Deus miseratus iniquam hominis sortem, noluit eum effrænem abire in præceps; ideoque eum religionis suæ ritibus instituit, vt transfugam hominem tinctum piis institutis, sic sibi denuo religaret. Annuit Augustinus isto eloquio commemorans pietatem Dei miserantis. *Ipse fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiseramus enim negligentes: hunc ergo religentes, vnde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quiescamus: ideo beati, quia illo fine perfecti.* Itaque homo religione redux, Deo adhæsit à quo insanus antea deuiarat. Potissimus autem actus exterior religionis est sacrificium, vtpote præcipua tessera agnitæ deitatis, vt recenset Augustinus hoc contextu. *Sacrificium, certè nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo soli. Multa denique de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit?*

Gen.4.

Ex SS. Patribus.

Deus solus est appetitionis nostræ finis.

Aug. l.10. de ciu. Dei c.4.

Religio vnde dicta.

Ibidem.

Sacrificium Deo soli defertur.

Ratio autem quare sacrificium ad Deum tantùm pertineat, petenda est ex essentia sacrificij apud Bellarminum, à quo illam accipe. *Sacrificium est oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem diuinæ maiestatis à legitimo ministro res aliqua sensibilis, & permanens, ritu mystico consecratur, & transmutatur.* Consumptione rei Deo oblatæ protestamur omnia esse obnoxia deliquio, si præpotens Dei manus ea non à nihilo vindicaret, atque ita summum Dei dominium solenniter eo ritu supplices ingenuè confitemur. Rursus ea oblatione Deo pendimus tributum vt ei à quo solo editum est quidquid in rerum natura prostat; & quia sunt homines impotes referre Deo pares gratias eis, quas ille liberali manu contulit, ingrati animi notam detestatus homo, cœlitus accepit sacrificandi modum, quo Dei benefici gratiam sibi conciliare posset, eo obsequio recolendo beneficia accepta: Præcipua namque sacra à Deo instituta sunt, vt populus Hebræus memoriam repeteret gratiarum desuper acceptarum. Vt autem esset expeditior animus ad sacras hasce vices obeundas, Deus assignauit aliquos dies festos quibus mens soluta curis, liberiore nisu in Deum assurgeret, meditans illa beneficia, in quorum memoriam, sacra tunc temporis agebantur. Christus hodie eò aspexit, ita suos discipulos adhortatus: *Vos ascendite ad diem festum hunc*; hac typica locutione significans, animam debere eniti ad cœlestia tantum diebus festis, vt dicam primò, explicans quo ascensu debeant celebrari dies festi. Secundò dicam dæmonem habere sua festa, quæ deplorando hominum descensu in tartara celebrantur.

Bellarm. l.1. de missa c.2.

Sacrificium quid sit.

Ioan.7.

Pars Prima Homiliæ.

Quo apparatu debeant celebrari dies festi.

Svnt qui iactent, columbas in gratitudinis argumentum nunquam pasci, quin delibantes grana caput inflectant, vt vno saltem oculo cœlum aspiciant, vnde iugi influxu bona omnia deriuantur. At secus omnes concordi suffragio odere sues, qui multiplici glande litant abdomini, & saginæ, dedignantes hominem aspicere, qui liberali manu desuper arborem exagitans prodigit glandes quernas. Ne illius porcorum gregis ingrati esset homo, Deus sanxit matutina, & vespertina sacra quotidie celebranda, vt stante religione omnia homini sarta tectaque constarent. Rursus prouidus ille rerum Dominus vt vegetior esset memoria gratiarum, quibus obstrinxerat Hebræum populum, dies quosdam seposuit ex reliquo anni contextu, vt beneficia Dei accepta singuli quique homines animo recolerent, corpore feriante. Primò solennis erat dies sabbati, septimo quoque recurrens die, vt memor esset populus editionis rerum, quas sex diebus effinxit Deus, septenarium quiete sua sanctificans. Itaque sabbatum erat dies omnipotentiæ Dei sacra. Secunda solennitas erat Neomenia, id est, nouilunium, quo fiebat mentio gubernationis eius, qua Deus singula quæque prouidè & congruè moderatur. Nam inferiora hæc variant ad motum lunæ. Quia autem creatio & gubernatio sunt veluti principia gratiarum Dei, ideò sæpius in anno celebrabant festa illa duo prælibata. Præterea alia quinque festa semel in anno recurrebant, in commemorationem specialis alicuius beneficij huic populo exhibiti. Solenne habebant Phase seu Pascha reuocans exitum populi ex Ægypto. Pentecostes excipiebat illud festū reuolutis quinquaginta diebus, quia eo tempore lex cœlitus emanauit. Alia verò tria festa septimum mensem ferè totum iugiter occupabant. Prima dies mensis erat sacra tubis, in memoriam Isaac liberati à morte, quam subiit Aries substitutus in locum eius, ideo clangebant corneis tubis. Hoc festum erat veluti præambulum alteri festo, quod nuncupabant expiationis festum, eò quòd Deus propitium se præstiterat populo post piaculum vituli adorati. Demum septem dies totos festiuos habebant quos nuncupabant Scenopegiam, seu festum tabernaculorum, vt Deo grates agerent ob populum degentem in tabernaculis sospitem è deserto adductum in Iudæam. Octauo die erat festum collectæ.

Num.28.

Festa Iudæorum quare instituta.

Festa Iudæorum quæ sint præcipua. Num.29.

Hæc fuere festa indicta Iudæis sensibus assuetis, nihil nisi corporale meditantibus hisce festis, quibus tamen Deus abdita arcana obrexit, peruia tantùm eis qui defæcato oculo cœlestia meditantur. Ideo hodie suos Christus sic compellat: *Vos ascendite ad diem festum hunc.* Id est, nolite immorari corporeis rituum inuolucris, sed assurgite ad cœlestia, quæ festiuis hisce typis mysticè designantur: Nullum namque festum mysterio vacat idoneo ad animos sursum efferendos. Verbi gratiâ, Sabbato designatur illa beatarum mentium quies, quam precamur his, in quorum gratiam sæpius insonat iste versus: *Requiem æternam dona eis Domine.* Neomenia notat illuminationem Ecclesiæ, cui illuxit Christus opere & doctrina. Pascha refert immolationem agni sine macula,

Festa Iudæorum quęnam mysteria referant.

macula, cuius ſanguine litauit homo. Pentecoſtes clamat Euangelium eo die promulgatum, miniſterio Apoſtolorum, qui ſua prædicatione feſto etiam tubarum congruè denotantur. Feſtum verò expiationis clamat remiſſionem omnium peccatorum, illis qui morem gerunt Euangelio. Tabernaculorum ſolennitas refricans memoriam Hebræorum procedentium verſus Ieroſolymam, excitabat homines ad progreſſum in via virtutis. Tandem illud feſtum collectæ ideo aſſignatum, vt populus adunatus colligeret ea quæ erant neceſſaria ad impenſas diuini cultus, inſinuabat congregationem fidelium, quos adunabunt merita Chriſti, quibus vt pretio, Domino conſecramur.

Feſta quãnã aſcenſu celebrari debeãt.

Animo aliquid diuinum recolere quod pertineat ad animæ ſalutem, hoc eſt aſcendere die feſto. Quippe ſolennitates non ideo recenſentur vt corpus diffluat inertia indictis feriis, ſed vt animus valido conamine ad Deum enitatur. Nempe hunc aſcenſum fieri cogitando, & pium de Deo cogitatum, ſolennia celebrare, audi ex Dauide. *Cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Confiteri in Scriptura ſacra plerumque ſignificat celebrare, & colere, vt hîc. Itaque Deum colit, & eius feſta ritè celebrat ille, qui Deum meminit hiſce diebus, vt eum deliniat commemorans præterita ſua piacula, vt ea expiet, vel iterum erubeſcat, ſi fuerint antea expuncta. Grates Deo exhibitas ob conceſſam meliorem frugem, erunt reliquiæ cogitationis Deo gratæ, & ſoluentes penſum quod exigit Deus in die feſto. Et reuera attendere eis quæ ad Deum ſpectant, eſt aſcendere eò quò vocamur: licet enim videamur deſcendere, quando recolimus impium habitum retroactæ vitæ; ille tamen deſcenſus eſt ſpiritalis aſcenſio: quia nos ſollicitat ad Deum demerendum, vrgendo eum vt condonet, vel gratias exhibendo, quia nobis propitius aſpirauit.

Pſalm. 75.

Ex SS. Patribus. *Auguſt. in Pſalm. 75.* Cõfeſſionis propoſitum ſalutare eſt. Confeſſionis peractæ licet decet quænã ſint agendæ gratiæ.

Conſulit Auguſtinus ita eſſe obeundos dies feſtos. Sic ille: *Bona illa cogitatio, vnde incipies confiteri. Confeſſio adiunget nos Chriſto. Iam verò confeſſio ipſa, id eſt, prima cogitatio facit in nobis reliquias cogitationis; & ipſa reliquiæ cogitationis ſolemnia celebrabunt tibi. Quæ eſt cogitatio quæ confitebitur? Quæ damnat vitam priorem, cui diſplicet quod erat, vt ſit quod non erat, ipſa eſt prima cogitatio. Sed quia ſic debes recedere à peccatis, primam cogitationem confeſſus Deo, vt non tibi recedat de memoria, quia peccator fuiſti; per hoc quod peccator fuiſti, ſolemnia celebras Deo. Adhuc intelligendum eſt. Prima cogitatio confeſſionem habet, & remiſſionem à veteri vita. Sed ſi oblitus fueris à quibus peccatis liberatus ſis, non agis gratias liberatori, & non celebras ſolemnia Deo tuo.*

Ex Theologia. *D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4.* Feſtorum finis quinã ſit.

Rurſus ſuadetur diei aſcenſus hoc diſcurſu Theologico. In inſtitutione diei feſti ſicut & in omni præcepto, finis & media cõſiderari poſſunt. Sed hæc hominem eleuant ſurſum: Nã finis omnium ſolennitatum eſt ſanctificatio, ad quam deuenitur feriando & ceſſando ab opere ſeruili, vt medio congruo aſcenſui qui animas ſanctificatas in Deum euehit. Cùm ergo ſanctificatio ſit finis diei feſti, & ſanctificari ſit aſcendere in Deum; proculdubio ille qui ritè celebrat feſtum, in Deum aſcendit, dato libello repudij ſeruili negotio remoranti animam, cui inſedit totam ſe Domino conſecrare. Dicitur aliquid ſanctum, quod Deo dedicatum eſt, vel quod ſacrificij ſanguine ſit tinctum, vt notat Iſidorus ex more antiquo emundandi homines aliquo contagio ſordidos, qui credidere ſe mundari dum hoſtiæ ſanguine tingerentur. Itaque ſanctificatur aliqua ſolennitas, ſi dies illa diuino cultui dedicetur. Non eſt autem illa dies Deo ſacra, quam ſibi etiam vendicant opera ſeruilia, quibus anima volens adhęrere Deo, fœdâ velut aſpergine conſpurcatur. Nimirum anima inquinatur adiuncta rebus infimis, ſicuti ſingulæ quæque res ſordent ſi eis quidpiam adfrices ignobile, vt argentum ſit ſeipſo deterius plumbo immiſto. Ne ergo mens præpedita curis huiuſce ſæculi ægrè queat in Deum efferri, feriæ indictæ ſunt, vt expeditior anima ſit ad aſcenſum.

Sanctificari quid ſit.

Sanctũ quid ſit.

Sãctum, vnde dictum.

Nota ex S. Thoma, eum qui peccat in die feſto, eſſe maximè iniurium huic præcepto de ſolennitate celebranda, quia nullum opus eſt adeò ſeruile ac peccatum; qui namque peccat, ſeruus eſt peccati. Hinc collige quibuſnam ſcalis ad Deum aſcendatur diebus hiſce ſolennibus. Etiamſi ſuas corpus inducias habeat otiando; nunquam tamen feriatur anima, vtpote ſemper amans, & ſemper intelligens: nullas nempe moras habent illæ potentiæ, quibus anima ſpeculatur, & diligit. Cùm ergo quiete indicta corpori, Deus non exigat corporale obſequium; operæpretium eſt hominem die feſto mente tenus Domino famulari, commemorando beneficia à Deo accepta, & rependendo affectum, cui gratiæ illæ collatæ totum hominem obſtrinxerunt. Eo pacto intellectus Deum recogitans, & voluntas amore Dei flagrans, erunt velut alæ quibus anima die feſto ad ſuperos euehetur. Eamobrem conuenire poteſt iſti argumento ſymbolum quod effinxit quidam, depingens duas alas explicatas hoc titulo. Expansæ svblimem, inſinuans aues non volare ſi contrahunt alas, quas neceſſe eſt exerere, vt ſurſum alites efferantur. Eadem eſto animæ ratio: Illa repit humi dum terrena ſapit; At ſi Deum animo ſuo verſat, & eius amore capta Dominum hunc deperit, profectò Expansæ svblimem, id eſt, illæ duæ facultates animæ, ſcilicet intellectus, & voluntas, animam inſtruent ad volatum, cuius obſequio, eò aſcendet, quò vocat Chriſtus ſequaces ſuos ſingulis quibuſque diebus feſtis, volens eos ad cœleſtia tantùm tunc temporis anhelare.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 2. Theatri.*

Expandite igitur alas, ô fideles, ſolliciti quonam ritu peragenda ſint feſta: animos aptate ad ardua, & expurgato affectu amorem veſtrum in Deum dirigite. Alioquin ſi contrahitis has principes animæ potentias, illæ vos depriment humum verſùs, facientque iræ Dei obnoxiam incuriam veſtram de die feſto celebrando. Quàm debeat eſſe ſecretus animus à rerum infimarum contagio, quando dies aliqua ſolennis agitur, egregiè oſtendit Olaüs Rex inclytus Noruegiæ, ſacrorum rituum propugnator acerrimus, ſi quis in eos inſurgeret. Ille die dominico deambulans in magna frequentia nobilium, baculum geſtans & cultellum, ancipiti animo diſtractus, inaduertenter cultello baculum in minuta fruſtula diſſecuit. Huic operi intentum Regem ita affatus eſt vnus aulicorum ſpecie quidem ioci: Satis ſuperque laboratum eſt, ô Rex, ſuperſede, & moue manum de tabula: iam finis eſto operæ illius, cui ſeriò hactenus intendiſti. Eſt hæc dies Domino ſacer, à quo & Dominicus appellatur, præfato tuo opuſculo

Feſti per incuriam violati pœnas luit Rex Olaüs.

Saxo. lib. 10. Krantz lib. 4. Metrop. c. 8.

opusculo iniurius es dici tam celebri. Risere adstantes effusi in cachinnos, ob lepidam hanc censuram. Sed Rex serius nesciit iocos, vbi Dei offensam est ex hoc suo opere suspicatus. Nimirum fragmenta omnia baculi collegit, & exemplò palàm supposita manu, iussit illas accendi reliquias execti baculi, vt manus delicti conscia lucerет igne deliquium. Doluit Rex animi sui errabundi facinus innoxium, & seuerè expiauit, suo exemplo fideles quosque omnes erudiens, dies festos esse institutos ad animæ ascensum, & non ad ludicra perpetranda. Foculi exigui tormine castigauit iniuriam suam religiosus ille Princeps; sed impij plerique Christiani iniurij diebus festis, æterni incendij supplicia fomentur. Etenim non inanime lignum scalpello mortuario secant, sed lacerant animas suas diffluentes illecebris.

Festos dies solennes qua pietate Reges olim egerint.

Hist. Gallica in Pepino, Carolo & Ludouico.

Euseb. in vita Const.

Dies solennes esse celebrandos ascensu animæ in Deum, suo exemplo probauere Reges Galli, Pepinus, Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, quibus hoc erat insolitum, scilicet diebus illis Deo sacris secedere à turba aulicorum, ne nobilium hominum agmen, mentem abstraheret à Diuinis. Eodem zelo percitus Imperator Constantinus, dies illos vix ab Ecclesia pedem referens, Domino consecrabat. Profestis diebus in palatio litabat Deo, remotis arbitris. Sed aliquo recurrente die festo prodibat in medium, vt suo exemplo sacris adstans, alios prouocaret ad festiuitates, vt par est, ritè celebrandas. Ea pietate sibi cauit Carolus Prorex Liguriæ, quem tollere de medio statuerat homo perduellis, qui veneni aspergine dapes eius infecerat ipso die Paschali. Pius ille Princeps immemor epularum, orationi plus solito intentus, longiores in Ecclesia moras traxit, quas pertæsi quidam nobiles eius domestici, ederе fracti media, quam vt leuarent virulentis hisce cibis pastu, illico ceciderunt. Eorum mors immatura fidem fecit adagio: Non frustra teri tempus quod sacris impenditur. Occubuere inerti nomine, quia fastidiere sacra, & Deo derelicto dapibus inhiarunt. At Carolus Deo gaudens, inglorium duxit ex eo summo rerum omnium apice, ad infima declinare. Nempe ubertas animæ in Deum effusæ, eam immemorem facit rerum omnium inferarum: certa namque nauseam conciliat his, quos cogitatus altior euchit ad superna. Et hæc rerum superarum meditatio, est ille animæ ascensus ad quem nos Christus hodie sollicitat. Etenim tunc tantùm ratio nostra superior appellatur, quando circa res cœlicas occupatur. Vt hæc nomenclatura liquidior fiat, consulenda est Philosophia, edoctura nos quomodo sit ascendendum die festo, Sic illa discurrit disciplina.

Festi obseruati quale præmium retulit Carolus Prorex Liguriæ.

EX PHILOSOPHIA.

Arist. l. 3. de anima text. 18. comment.

Anima suas exerens functiones vtitur duplici genere facultatum, quarum aliæ affixæ sunt corporeis organis, vt visus, auditus, &c. Aliæ verò secretæ ab omni consuetudine corporis. Potentiæ illæ, quæ habent aliquod cum corpore commercium, determinatæ sunt ad finita quædam obiecta, vt visus ad colores, & auditus ad sonora. Etenim actio, quæ fit beneficio corporis, nequit porrigi vltra naturam corpoream. In his actionibus præcisè sumptis anima non ascendit, sed descendit, vtpote occupata sensuum illecebris, quas etiam bestiæ cum homine participant. Hinc toties Sancti Patres declamarunt in plebem diebus festis intentam spectaculo scenæ theatralis. Anima quippe defluens ad inferiora degener est, & patrat opus inglorium sibi. At si res est de potentiis animæ diffitis à corpore, vt sunt intellectus & voluntas, illæ non sunt alligatæ vni obiecto tantùm, sed quia immateriales sunt, transcendunt omnia quæ sensibus obuia sunt: Verbi gratiâ, intellectus tot habet obiecta quot esse possunt entia, quia ab omnibus rebus abstrahit aliquid commune omnibus, circa quod vt intelligibile est, versari potest. Ideo Aristoteles ait obiectum intellectus esse, quod quid est. Et quia illa potentia repurgat ea quæ recolit, & quasi eis suam ipsius indolem affingit, faciens intellectualia ea quæ corporea sunt, defœcando species sensibiles, quæ fiunt intelligibiles eo repurgio; adiicit Philosophus, Animam esse quodammodo omnia, dum scilicet rerum omnium ideas versat. Cùm ergo omnis potentia ordinetur ad actum, sicut ad finem ex Aristotele, & actus specificentur ab obiectis, eodem Philosopho assertore; quale erit obiectum speculantis animæ, talis erit illius actio. Et hinc orta est illa distinctio rationis, in superiorem & inferiorem, cuius Angelicus Doctor causam istam adfert, scilicet illud omne quod anima recogitat esse nobilius anima, vel inferioris ingenij. Si sit supra animam, illud erit Deus, vel Angeli, & tunc anima perficitur illa intellectione, qua assurgit in indolem naturæ potioris ea quàm circumfert, ideoque dicitur ille actus rationis superioris, quia ratio superauit seipsam, & facta est seipsa superior, obiecta illa nobilia meditando. Sed si secus dehiscens anima ad inferiora deuoluitur, cogitans ea quæ corporis sunt, & sæculi dilabentis, illa discurrenti animæ ratio dicitur inferior, quia est inferiora secuta.

Lib. 9. Metaph. tex. 11. & 15. commentar.

Lib. 3. Phys.

S. Th. quodlibet qua. De ratione superiore, art. 2.

Ex præfatis infer, Deum non hortari hominem ad ascensum corporeum, quia anima consulens corpus defluit potius quàm assurgat. Sed hoc tibi altè insideat, ascensum illum dicere actum intellectus intenti sacris, & affectus, Deum sicuti par est totis viribus anhelantis. Vt autem liberiore nisu anima ad Deum scandat, Ecclesia consultura fidelibus pridie festorum insignium ieiunia indixit, vt corpore alleuiato fieret animus alacrior, & aptior ad volatum. Et quia ascensio Domini nostram sollicitat, Canones sancti triduanum ei ieiunium præmiserunt, vt deposita exuberante ciborum sarcina, citius ascensionem Christi spiritus assequatur. Ecce Canon. *Rogationes, id est, litaniæ ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum ieiunium triduanum in dominica Ascensionis solennitate soluatur. Per quod triduum serui, & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conueniat.* Sanctio hæc ex Concilio Aurelianensi effluxit, qua Patres illic adunati, arbitrati sunt esse decernendas corpori ferias, vt anima facilius sidera transcenderet. Concilio Toletano damnati sunt ritus hominum nequam, qui iniurij diebus festis, bacchantium more solennia celebrabant. Hinc prodiit iste Canon. *Irreligiosa est consuetudo, quam vulgus per Sanctorum solennitates agere consueuit. Populi qui debent officia diuina attendere, saltationibus & turpibus inuigilant canticis, non solùm sibi nocentes, sed & religiosorum officijs perstrepentes. Hoc etenim, vt ab omnibus prouincijs depellatur, sacerdotum, & iudicum a concilio sancto cura committitur.*

EX IVRE CANONIC.

Can. Rogationes Dist. 3. Conc. Aur. 1. cap. 29.

Can. Irreligiosa, Dist. 3. Conc. Tol. 3. cap. 23.

Non hîc perperam fit commemoratio iudicum; namque penes eos est cura Reipublicæ, cui imminent multæ clades, quando Dei cultum populus

EX IVRE CIVILI.

Leg. Dies feſtos Cod. De ferijs. populus aſpernatur. Ideoque Iure Ciuili cautum, ne diebus feſtis rei forensi homines vacent. Huius argumenti proſtat celebris illa conſtitutio Imperatorum Leonis, & Anthemij. *Dies feſtos maieſtati altiſsimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, vt a cunctis executionibus excuſetur: nulla quemquam vrgeat admonitio, nulla fideiuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio deliteſcat, ſit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox ſileſcat, reſpirent à controuerſiis litigantes, & habeant fœderis interuallum.* Qui vt par eſt ſolennibus hiſce diebus ſe geſſerit, ille proculdubio ſalutarem influxum percipiet gratiarum, quas Deus impertit illis, quos nullus obex à Deo diſſitos eliminat.

Ex Mathematica. *Ptolomæus l. 4. de iudicijs cap. 3.* Liquidior erit iſta concluſio ſimilitudine petita ex Mathematica illa cœlis intenta. Aiunt illius diſciplinæ proceres, ea quæ faciunt ad inſigne hominum decus dependere ab vtroque luminari. Sic decernit Ptolomæus. *Quæ ad dignitatem pertinent, à luminum ſtatu accipimus.* In Mathematicis etſi ſidera rutilent omnia, Sol & Luna tantùm luminarium nomenclaturâ gaudent. In his autem quæ pertinent ad argumentum feſtorum; Sancti omnes ſunt ſidera, quæ deſuper irradiant, & peculiare ſibi dominium vendicant diei huius feſti, qui eſt eorum nomini ſacer. Ea tamen feſta, quæ ad Deum pertinent, vt ſunt omnes dies dominici, dicuntur eſſe dies Solis. Principis huius ſideris influxu propitio dignantur omnes quos planeta iniquior aſpectu ſuo non inficit. Verbi gratiâ ſi mundus, infauſtum ſidus, hominem non auertit à Dei obſequio die Dominico, Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter beneuolè influit in animam ſubductam iurgiis importunis huiuſce ſæculi. Eò ſpectauere pij Imperatores, Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius hoc edicto. *Leg. Omnes dies. §. In eadem. Cod. De ferijs.* *In eadem obſeruatione numeramus, & dies Solis, quos Dominicos ritè dixere maiores, qui repetito in ſe calculo reuoluuntur, in quibus parem neceſſe eſt habere reuerentiam: vt nec apud ipſos arbitros, vel à iudicibus flagitatos, vel ſponte electos vlla ſit cognitio iurgiorum.*

Ex SS. Patribus. *Greg. hom. 26. in Euang.* Hoc contextu homines prouocantur ad ſeceſſum, vt ſepoſitis mundi negotiis anima ſe totam explicet radiis fauſtis atque beneficis huius ſideris illucentis. Inde fiet vt mens in Deum aſſurgat erecta virtute Solis, quo radiante collapſa omnia recreantur. Audiendus in hoc themate Gregorius ita homines prouocans ad aſcenſum diebus inſtitutis ad virtutum praxim. Sic ille: *Ecce Paſchalia ſolennia agimus; ſed ita viuendum eſt nobis, vt peruenire ad æterna feſta mereamur. Tranſeunt cuncta quæ temporaliter feſtiua celebrantur. Curate qui his ſolennitatibus intereſtis, ne ab æterna ſolennitate ſeparemini.* Feſta temporalia nos aptare debēt ad feſta æterna. *Quid prodeſt intereſſe feſtis hominum, ſi deeſſe contingat feſtis Angelorum? Vmbra venturæ ſolennitatis eſt ſolennitas præſens. Idcirco hanc annuè agimus, vt ad illam, quæ non eſt annua, ſed continua, perducamur. Cum hæc ſtatuto tempore geritur, ad illius deſiderium memoria noſtra refricatur. Frequentatione ergo gaudij temporalis, ad æterna gaudia mens incaleſcat, & ferueat, vt ex veritate lætitia perfruatur in patria, quod de vmbra gaudij meditatur in via. Vitam ergo veſtram, fratres, moreſque componite.* Hæc ille, ſuo calculo probans concluſionē meam de aſcenſu animæ in Deum die feſto, vt declinemus aſtutiam diaboli æmulantis indolem ſerpentium, qui tunc maximè virus ſuum inſtillant, cùm Sol magis irradiat. Nimirum bruma ſubducente hominibus Solem, torpet ſerpens, qui ſeſe explicante Sole ſæuit. Ita cùm dies aliqua ſolennis agitur, Sanctus ille, cui ſacer eſt ille dies, plus ſolito rutilat, & coruſcat, ſuam impenſurus opem illis, qui ſe ad hunc influxum ſicuti par eſt, accinxerint. Sed ne ſideris huius benefici gratiore aſpectu gaudeant homines, obſtat dæmon: Namque callidus ille ſerpens, illucente Sancto, lethale ſuum virus euomit, diſtrahens homines à Dei cultu, & eos ſollicitans ad curam corporis, pompam ſcilicet & ſaginam, ſicque animas in præceps agit, vrgens eas ad deſcenſum; & hoc mihi probare incumbit.

Pars Secvnda Homiliæ.

Quàm impia ſint feſta inſtituta à dæmone.

Ex Philoſophia. *Ariſt. lib. 5. Phyſ.* EX præfatis, nomine aſcenſus & deſcenſus, hîc non intelligit Chriſtus progreſſionem corporis, ſed animæ motionem, vnde ſic arguo, & probo intentum. Ille deſcendit, cuius anima mouetur ad obiecta, quorum appetitus hominem deprimit. Sed reprobi die feſto epulis vacant, choreis, & theatris, aliiſque ſenſuum illecebris, quæ infra hominem ſunt, vtpote corporales: Ergo cùm potior hominis pars ſit anima Dei capax; ſi à Deo deuiat, vt beſtiarum more ſenſuum aucupio vacet, profectò illa ſe deiicit, induens pecoris indolem, iuxta hunc diſcurſum petitum ex abditis Philoſophiæ fontibus. Omnis actio ſpecificatur à fine ſuo, ſeu ab obiecto; potentia denominatur ab actu; forma dignoſcitur ex qualitate potentiæ; denique omne compoſitum denominationem accipit à forma. Igitur homo die feſto occupatus circa voluptates, & actiones pecori magis proprias, quàm homini, degener eſt, vtpote ſolo ductus appetitu ſenſitiuo, qui formam beſtialem conſequitur, à qua nomenclaturam pecudis reprobus aucupatur. Ea induſtriâ dæmon ſuas facit eſſe feſtiuitates, eas quæ ad Dei gloriam inſtitutæ ſunt; nullo namque potiore ſuffitu gaudet dæmon quàm vitiis. Epularum & crapulæ nidor, luxuriæ fœtor, cachinni theatrales, & choreatum implexus, & voluuli ſalaces & petulci, ſunt ritus inſtituti à dæmone, quibus expungit Dei cultum die feſto, iuxta illud Pſaltis. *Incenderunt igni ſanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde ſuo, cognatio eorum ſimul: Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.* Luxuria incendit ſanctuariū Dei. *Pſalm. 73.* Reuera incendunt igni ſanctuarium Dei, qui de gula tantùm ſolliciti, ingurgitant ſeſe, & multa vini illuuie libidini fomitem parant. Eodem etiam igne flagrant, qui choreis & comœdorum geſticulationibus frequentes adſunt. Obſcœnis his ritibus polluitur feſtiuitas, & eraditur obſequium debitū vni Deo. Feſti dies celebrātur ſolùm pompâ veſtium.

Ex SS. Patribus. *Bern. ſerm. 3. de aduentu Domini.* Hanc hominum amentiam Bernardus deflet, & ſugillat, increpans impios, quòd in cultum & ſaginam corporis vertant præcipua Dei feſta. Sic ille: *Ipſa quoque ineſtimabilis huius dignationis myſteria dantur in occaſionem carnis, vt videas eos tanta ſollicitudine diebus iſtis veſtium gloriā, ciborum*

ciborum parare delicias, ac si hec huiusmodi quærat in natiuitate sua Christus, & ibi suscipiatur digniùs, vt hæc accuratiùs exhibeantur. Sed ipsum audi dicentem: Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Quid tanta ambitione vestes paras in natale meum? Detestor ego superbiam, non amplector. Quid tanta sollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? Damno ego carnis delicias, non accepto. Planè insatiabilis es corde, tanta parans, & ex tam longo: nam corpori vtique & pauciora sufficerent, & quæ possent opportunius inueniri. Celebrans ergo aduentum meum labiis me honoras, sed cor tuum longè est à me. Non me colis, sed Deus tuus venter est, & gloria in confusione tibi. Infelix omnino qui voluptatem corporis, & sæcularis colit gloriæ vanitatem. Beatus autem populus, cuius est Dominus Deus eius. Ecce quò diabolus deiecit hominum mentes. Iniquiores sunt homines diebus solennibus, quàm profestis: si quid enim indecorum est agendum, illud omne refunditur in instantem diem festum. Tunc instruuntur epulæ, vestium pompa nitet, choreæ luxuriant. Denique pudet cum impudentibus non esse impudentem. Tertullianus suo mordaci stylo notat genus hoc hominum nequam. Ecce aculeos, quibus hos configit. *Grande officium, focos & toros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem taberna habitu adolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Haccine solennes dies principem decent, quæ alios dies non decent? Qui obseruant disciplinam de Cæsaris respectu, ij eam propter Cæsarem deserunt, & malorum morum licentia pietas erit; occasio luxuriæ religio deputabitur? O nos meritò damnandos! cur enim vota, & gaudia Cæsarum casti & sobrij & probi expungimus? Cur die læto non laureis postes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solennitate publica exigente, induere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris.*

Festa Deus horret quæ epulis tantum celebrantur.

Tertull. in apolog. c. 35. Festa malè celebrata luget Tertullianus.

Eodem zelo fas est pungere nostrates Christianos, qui diebus sacris piacula perpetrant, quæ diebus profanis nefas est cogitare. Quæso nonne hoc est descendere, vinci à bestiis in suo viuendi ritu? Bestiarum autem indolem præstare moribus hominum impiorum vide his argumentis. Ea quæ secundùm naturam agunt, potiora sunt eis, quæ contra naturam se habent. At bestiæ naturæ suæ ductum sequuntur, nec ab eo vel latum vnguem discedunt; homo autem impius etiam inuito dictamine conscientiæ in malum fertur diebus festis. Malum dico id quod non disconuenit tantùm, sed insuper est noxium & lethale; qualia sunt impia omnia facinora, quibus se obstringunt viri nebulones, solennia quæque suo scelere polluentes. Esto pecudes sensuum illecebras quærant, ea indagine naturam suam probant; quæ tota est sensualis, & cuius beatitudo sita est in fruitione rerum, quæ sensibus obsequuntur. Sed si homo editus ad maiora, sensualem vitam agat, animæ suæ iniurius est, eam faciens morti obnoxiam: nimirum Deo moderante res hominum, ita comparatum est, vt qui noluerit ascendere ad altiorem statum Angelorum, in inferiorem bestiarum sortem præceps meritò deturbetur. Profectò præcipitis animæ lapsus, est scopus à dæmone intentus, quando sollicitat impios ad dyscolam vitam die festo. Ea namque natura est meriti, vt rationem operis consequatur; vt si opus sit arduum, & transcendens animæ naturalem nisum, vtpote emanans à gratia, procul dubio merebitur anima ascensum ad gloriam. At si secus homo nequam eò se vilitatis deiiciat, vt inuito rationis dictamine libidini & crapulæ vacet, sectatus pecudum morem, sanè inde præcipitium nactus, ad tartara deprimetur.

S. Thom. 3. p. q. 49. art. 6. Malum quid sit.

Vide itaque quantùm hallucinentur hi, qui die festo genio indulgent, arbitrati benè secum agi, si deliciis vsquequaque diffluant. Intempestiua hæc gaudia sunt luctui finitima: eorum typum habes in solenni eo ritu, quo Holofernes exceptus est in Syria, volens expungere Dei cultum, vt nouum Deum induceret, scilicet Regem suum Nabuchodonosor. Accipe lugubrem catastrophen actionis, quam auspicatus est populus tripudiante terra. *Tantus metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores principes & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis. Nec ista tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt. Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit: præceperat enim illi Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur Deus.* Hoc vnum diabolo insedit, scilicet abolere festa, & Sanctorum memoriam, vt bacchanalia inducat. Suasori impio morem gerunt plerique homines omnigenæ sortis. Magnates, & infimæ classis lixæ, & calones, in solennes dies regerunt sua tripudia, vt omni apparatu voluptatis explicato litare queant dæmoni, qui Deo sic decernente, præcocis lætitiæ omnia argumenta in luctum vertit. Nempe deliri homines effusi in sensuum illecebras, pœnis æternis se obstringunt; & quò magis in vitia proni sunt, eò etiam magis properant ad ruinam suam: potestque illis affingi illud præsagium Hippocratis, quo creditur imminere mors ægro, si corpus totum ad pedes defluat; arguit enim inde medicorum princeps, extingui calorem illum natiuum quo recreatur homo, si æger velut impos sui viribus excidat. Audiendus Hippocrates. Εἰ δὲ καὶ προπετὴς γένοιτο, καὶ καταῤῥέοι ἀπὸ τῆς κλίνης ἐπὶ πόδας, δεινότερόν ἐστι. *Si verò procliuior est, ac deorsum labitur ad pedes, maiori cum periculo est.* Valet coniectura in moralibus; nimirum homine ad inferiora defluente, Dei amor extinctus est, & anima in summum discrimen incurrit luitura pœnas, quas retroacta crimina demerentur.

Iudith 3. Festa Dei conatur diabolus abolere.

EX RE MEDICA. *Hippocr. l. 1. præsag. c. 4.*

Amor ad infima inclinans est lethalis.

Imperatores Christiani conscij malorum, quibus se obstringunt homines iniurij diebus solennibus, speciali edicto cauerunt ne die festo populus se vitio mancipet. Ecce legem. *Ad sese simul veniant aduersarij non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula.*

EX IVRE CIVILI. *Leg. Dies festos §. Finali. Cod. De feriis.*

Etsi

Feſtis diebus ſunt fugiẽda theatra.

Etſi in noſtrum ortum aut natalem celebranda ſolennitas inciderit ; differatur. Amiſſionem militiæ, proſcriptionemque patrimonij ſuſtinebit, ſi quis vnquam hoc die feſto ſpectaculis intereſſe, vel cuiuſcunque iudicis apparitor, prætextu negotij ſeu priuati, hæc quæ hac lege ſtatuta ſunt, crediderit temeranda. Hac bicipiti lege duo colligo, Vnum poſitiuum, & alterum negatiuum. Nempe illa Principum ſanctio hortatur aduerſarios, vt die feſto concordi animo coeant inituri fœdera pacis. Demum ſeuerè vetat frequentari iniquos cœtus.

Duo hæc capita ſatis ſuperque nos erudiunt ad obſeruationem Dierum ſolennium. Vtinam homines animo diſſiti conuenirent, ſuaſque omnes rixas componerent ad arbitrium prudentis ſacerdotis. Vtinam frequentes adeſſent illis cœtibus, vbi recolitur myſterium quod recurrit. Quaſi enim indicti eſſent dies illi ad meditandum, Deus præmiſit huic præcepto vocem, quæ memoriam ſollicitat. *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.* Ideoque ne operum ſeruilium fragor obeſſet memoriæ verſanti ideas à Deo indictas, amouit Deus illa impedimenta extrinſeca, quibus diſtrahitur anima corpore laborante. Quid autem debeat homo recogitare die feſto, Bernardus inſinuat hoc contextu. *Tria ſunt quæ in feſtiuitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus, auxilium Sancti, exemplum eius; confuſionem noſtram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior eſt in cælis ante faciem Domini Dei ſui. Si enim dum hîc viueret, miſertus eſt peccatoribus, & & orauit pro eis: nunc tantò amplius, quantò verius agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis patrem; quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, ſed adauxit. Neque enim quia impaſſibilis omnino, ideo incompaſſibilis factus eſt; ſed nunc potius induit ſibi viſcera miſericordiæ, cùm ante fontem miſericordiæ exiſtit. Debemus etiam attendere exemplum eius, quia quamdiu in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, non declinauit ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ſed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Sed & diligentiori intuitu confuſionem noſtram inſpiciamus; quia homo ille ſimilis nobis fuit paſſibilis, ex eodem luto formatus, ex quo, & nos. Quid ergo eſt quod non ſolùm difficile, ſed & impoſſibile credimus, vt faciamus opera quæ fecit, vt ſequamur veſtigia eius?*

Ex SS. Patribvs.

Bern. ſerm in vigilia SS. Petr. & Paul.

Feſtos dies quomodo debeamus celebrare.

Feſtis diebus tria ſunt cõſideranda ex Bernardo.

Sed quia ſuus eſt cuique vitio patronus, non deerunt qui affirment Deum ſanxiſſe epulas die feſto, allegantes verſum hunc Deuteronomij. *Epulaberis in feſtiuitate tua.* Et ſic importunum eſſe zelum qui parciore manu die feſto dapes diſtribuit. Reſpondeo vnumquemque iudicare ſicut affectus eſt, atque ita legem eſſe carnalem homini animali. Sed eos, qui ſpiritu Dei aguntur, dico intendere refectioni animæ, magis quàm corporis. Reuoco Bernardum vt congruum iudicem huius controuerſiæ. Sic ille: *Non ignoratis ſæcularibus id moris eſſe, vt diebus feſtis feſtiua ſibi conuiuia parent; & quanto fuerit ſolennitas clarior, tantò ſplendidius epulentur. Quid ergo? Nonne & his qui conuertuntur ad cor, cordis deliciæ ſunt quærendæ, & ſpiritualibus ſpiritualia comparanda? Dignum eſt enim vt prius anima ſatietur, quod hæc portio ſine dubitatione, & ſine comparatione ſit potior, præſertim cum Sanctorum ſolemnitates manifeſtum ſit ad animas magis quam ad corpora pertinere. Nihil itaque dubium quin gratior eis ſit, & multò acceptabilior illa feſtiuitas, quæ intenditur epulis animarum, quam ſit ea quæ celebratur à ſæcularibus, curam carnis perficientibus in deſideriis voluptatum.*

Deut. 16.

Feſta quibus ſint epulis celebranda.

Bern. ſer. 1. de feſto omn. Sanctorum.

Feſta ſunt obſeruanda ſicut exemplo ſuo Eſdras inſtituit.

Demum præfati Imperatores Leo & Anthemius, ſua conſtitutione prohibuere ritus inolitos illo æuo, quo die feſto præcipuè circus & theatrum aliaque ludicra homines occupabant. Qui ergo matutino tempore ſacris adſtiterit, caueat ne detrahat feſto reliquum tempus deuouendo diris. Ea cautione excubet homo, qua ſibi inuigilauit Eſdras, ne Gentes conterminæ ciuitati Ieruſalem facerent iniuriam diei feſto. Accipe ſeriem hiſtoriæ; & audi ipſum Eſdram egregium facinus explicantem. *Clauſerunt ianuas Ieruſalem, & præcepi vt non aperirent eas, vſque poſt ſabbathum, & de pueris meis ſuper portas conſtitui, vt nullus inferret onus in die ſabbathi. Et manſerunt negotiatores, & vendentes vniuerſa venalia foris Ieruſalem ſemel & bis. Et conteſtatus ſum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerſo muri? ſi ſecundò hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in ſabbatho.* Hæc ille, cuius induſtriam, faxit Deus, imitemur. Hoc equidem præſtabimus, ſi præuia mentis recollectione noſmetipſos ſeriò concludamus, ſenſuum omnium foribus obſeratis, ne quæ deliciæ irrepant inſciis nobis. Si quis Deo & nobis iniquior noſtram tentat conſtantiam, vt recludamus oſtiola ſenſuum, inſurgamus audacter, & reſcindamus noxia fœdera eorum, qui animas noſtras ſubdolè nundinantur. Æmulemur ingenium Valentiniani, qui præcipuis auctus honoribus in exercitu Iuliani Imperatoris, noluit ſe immiſcere illius impiis ſacris, maluitque excidere præfectura ſua quàm inire iniqua commercia cum Principe transfuga, & deſertore fidei Chriſtianæ. Si propoſiti tenax ſit animus, & libellum repudij porrigat iis omnibus rebus, quæ hominem à diuinis arcent, deget ille Ieroſolymis procul à ſtrepitu nundinarum, quibus dæmon, mundus, caro faciunt animæ mercaturam.

3. Eſdr. 13.

Feſta ſunt animæ gratia potius, quam corporis inſtituta.



FERIA QVARTA DOMINICÆ PASSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. NON citra mysterium, textus hodiernus commemorat Christum ambulasse in porticu Salomonis, cùm fierent encænia brumali tempore. Non frustra, inquam, Scriba sacer hyemem meminit, dum recenset encænia templi. Priori parte istius homiliæ aperio mysterium, & dico ea omnia frigere, à quibus abest Christus. Nimirum eliminato Christo ab anima, peccatum præualet, & algorem inducit in animam, quæ horrido concreta gelu inepta est ad omne facinus egregium exantlandum.

II. Secundò probo animam, quam bruma decoxit, posse suum frigus deponere, & feruorem induere, si det manus Christo, qui stipatus flammis accendit orbem totum. Demum hoc concludo, igne desuper illapso, id est, amore Dei æstuante, animam Domino consecrari.

PRÆFATIO.

Facta sunt encænia in Ierosolymis, & hyems erat. Ioan. 10.

EGREGIVM planè facinus est id quod recenset Scriptura sacra, dum meminit operosa negotia, quæ coæui Dauidi Principes exantlarunt. Veridicus ille textus commemorans Banaiam, hoc eius encomium refert. Percussit leonem in medio cisternæ in diebus niuis. *Hodie vrgente bruma, Christus declinans apertum cælum se recepit in porticum Salomonis, vt inde ingrediens templum, illic diabolum percuteret, qui præualuerat hactenus in Scribas & Pharisæos iniurios templo Dei, vbi perpetua hyems erat, extincto Dei cultu. Christo disseminante verbum Dei, crediderę quidam, quorum animus incaluit amore Dei, & apud hos ille Banaias* Percussit leonem in media cisterna in diebus niuis. *Quippe diabolus leonis instar gyrat, explorans an deuorare queat incurios salutis suæ. Profectò hyems viget, ac proinde rigor est vbi dæmon adest. Namque peccatum algorem inducit in animam, quæ excidit amore Dei. Congruè item leo ille infernus capessit fugam Christo accedente; siquidem Christus ignem venit mittere in terram, ideoque quasi flammiuomus anhelans incendia, noxius est leoni, quem dicunt horrere faces, & earum obiectu agi in fugam. Aptate igitur vos, auditores, vt efficiamini templum Dei, & vestra hodie celebrentur encænia; Christus adest propitius, non dedignans brumæ iniurias, & hyemantis animæ algorem: habet vnde diluat lethale gelu, quo concreta virtus alget; hoc vnum præstolatur, scilicet vt pateat aditus ad cor, vt illud sibi in sacrarium accommodet, frustra dæmone reclamante. Si cedimus in ius Dei, futuri templum eius, hoc vnum nobis insideat, aliquem etiam nostri angulum Deiparæ Virgini commendare, vnde possimus Angelico ritu eam salutare.* Aue Maria.

2. Reg. 23.

SEmel, iterum & tertio dedicatum fuisse templum Ierusalem ex Scriptura sacra liquet. Primam dedicationem fecit Salomon, eo solenni ritu quem recenset sancta Regum historia. Alteram perfecit Zorobabel, populo reduce ex Perside, restauratis ruinis sacrarum ædium, sicut Esdras commemorat. Vltima denique solennitas illa fuit, quam Iudas Machabæus celeberrimam voluit esse quotannis, ob dedicationem altaris holocaustorum. Eius diei festi en synopsim. *Fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris, & laudis. Et ornauerunt faciem templi coronis aureis, & scutulis: & dedicauerunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas. Et facta est lætitia in populo magna valdè, & auersum est opprobrium Gentium. Et statuit Iudas, & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum, per dies octo à quinta & vicesima die mensis Casleu cum lætitia & gaudio.* Non concordant Patres cùm expendunt textum Euangelij hodierni. Cyrillus arbitratur ista encænia fuisse instituta ad recolendam memoriam dedicationis factæ à Salomone: Chrysostomus contra putat esse hodie reuocatam dedicationem illam celebratam à Zorobabel. At Rupertus reclamat, & equidem opportunè. Nam superiores illæ dedicationes factæ sunt vere & autumno; hæ verò mense Decembri, qui est Casleu: & brumale hoc tempus commemorat textus, vt omnem tollat ansam dubitandi. *Facta sunt encænia Ierosolymis, & hyems erat.* Ideoque valet argumentum in gratiam dedicationis factæ à Iuda Machabæo. Quòd autem tribus temporibus dedicatum sit templum, illud insinuat hominem debere se Deo omni tempore deuouere. Sed quòd præcipuè Ioannes recenseat hyberni temporis festum, cui adfuit Christus, est mysterij singularis indicium, quod erit summa istius concionis. Nimirum inde conijcio Deum voluisse nos edocere, frigida esse omnia, quæ Deo addicta non sunt. Calida autem & feruentia illa, quæ Christo Domino consecrantur.

Templum Salomonis ter dedicatum. 3. Reg. 8. 1. Esdr. 6. 1. Mach. 4. Ioan. 10.

Igitur dicam primò, ea quæ ſunt aliena à Chriſto eſſe veluti concreta gelu & rigere, vt probatur ex Iudæis, qui auerſantes Dominum hunc rerum, periêre, brumâ eos miſerè decoquente. Secundò dicam eos qui dedere nomen ſuum Chriſto, non feruere tantùm, ſed amore illapſo deſuper æſtuare. Eccleſia in ſuis incunabulis ſenſit illud incendium in die Pentecoſtes: tunc quippe Apoſtoli iecere Eccleſiæ fundamina, & hanc emergentem medio igne illapſo Domino deuouerunt. Ordiamur.

PRIMA PARS HOMILIÆ.

Chriſto abſente, anima congelaſcit.

QVidquid ſub cælo ex materia & forma coaleſcit, illud idem concretum eſt ex quatuor primigeniis qualitatibus, calore ſcilicet & frigore, humido item & ſicco. Sed eſto hæ omnes qualitates neceſſarium pendant obſequium; calor tamen primas tenet, vtpote à quo potiſſimum effluit vita quæ deficit calore extincto. Vnde ab effectu illo benefico calor vitalis dicitur, vt ſecus mors gelida nuncupatur. Cùm ergo anima impia procul à Chriſto poſita mortua ſit, neceſſe eſt eam obrigere gelu, veluti expertem vegetioris huius calidi, quo recreatur omne viuidum. Quomodo autem patiatur anima deliquium caloris huius benefici, illud eſt petendum ex Theologia, affirmante peccatum eſſe in actu voluntatis. Nam peccatum non eſt deformitas, vt ait Angelicus Doctor, ſed eſt actus deformis; omnis autem actus eſt potentiæ alicuius. Ergo cum voluntas ſit potentia imperans actus elicitos, & de ratione peccati ſit libertas actionis, neceſſe eſt peccatum effluere ab illa potentia, cuius eſt imperare actum deuiantem à recta ratione, & à lege Dei. Hinc collige glaciale ingenium hominis iniqui, hoc diſcurſu. Ea virtute præſtat voluntas, vt effuſa in aliquod obiectum, homini affingat indolem rei volitæ; induit enim animus naturam eius quod appetit. Voluntas igitur à Deo deuia hominem raptans ad iniqua opera, maximè cum à Deo abſtrahit, qui eſt fons vitæ, atque ita ei aſpergit qualitates oppoſitas grauis, quibus ſcaturiunt accedentes ad Deum, qui ignis eſt conſumens & accendens. Itaque operæpretium eſt frigere hominem à Deo auerſum, quia rebus adhæret vetitis, ideoque gelu concretis.

Peccatum gelu in animam inducit.

S. Th. quodlib. q. de peccatis art. 2.

Adde, gratiam & charitatem ſi non ſint idem realiter, eſſe tamen indiuiduo nexu implexas. Vnde peccatum quod importat amorem oppoſitum charitati, quæ tota ignea eſt, neceſſariò animam facit obnoxiam frigori ſempiterno. Nihil namque adeò animam elongat à diuinis, ac peccatum, iuxta illud Iſaiæ. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.* Homines autem à Deo diſſiti incurrunt in diſcrimen plagæ, quæ ſubiicitur polo Arctico. Illa regio veris neſcia aut æſtatis, continuo gelu concreta eſt, quia Sol eam nunquam luſtrat, niſi obliquis radiis. Sed tota permiſſa eſt duarum vrſarum influxibus. Si quis enim illic degeret, ille verticales haberet Vrſas quæ obſident polum borealem. Ita hi qui genio indulgent & diffluunt vitiis, more adoleſcentis prodigi à Deo patre ſuo recedunt, & abeunt in regionem longinquam, vbi damnantur ad beſtias, & paſcuntur ſiliquis, vt ſordidum pecus. Illic longiore bruma rigent, quia beſtias habent verticales, id eſt, nihil animo verſant præter peccatum, quod eſt pecoris actum.

Iſai. 59.

EX MATHEMATICA.

Clauius in Sphæram.

Nota, iuxta polum eſſe ſeptem ſtellas figuræ triangularis referentis ideam plauſtri. Harum influxus gelidus eſt, & ab eis illa cæli ora dicitur Septemtrio: nam ſtellæ hæ dicuntur triones, & quia ſeptem ſunt, earum regio Septemtrio nuncupatur. Alij Aquilonem vocant, quia ventus inde emergens adinſtar aquilæ citatiſſimus eſt. Idem ferè eſt habitus hominum nequam; hi derelicto Sole iuſtitiæ ebiberunt beſtiarum indolem ſubditi conſtellationi iniquæ ſeptem peccatorum lethalium, vnde brumalis aura velox animas exagitat: quidquid enim reprobum ſpirat, illud inde ortum habet, iuxta illud Ieremiæ. *Ab Aquilone pandetur omne malum ſuper omnes habitatores terræ.* Et Deus hoc præcipit, ſcilicet auſpicandam eſſe reductionem animarum ab Aquilone. *Vade & clama ſermones iſtos contra Aquilonem, & dices: Reuertere auerſatrix Iſrael, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis.*

Stellæ triones quænam ſint.

Stellæ brumales, quæ?

Aquilo quare mali ſymbolum.

Ierem. 1.

Ierem. 3.

Rurſus ita ſe habet anima ad Deum ſicuti corpus ad animam: Sed vt anima exuit corpus, illud algore congelaſcit: Ergo anima Deum auerſata & ab eo diſcreta debet magno frigore obrigere. Sicut enim corpus ab animæ vnione habet quòd caleat; ita anima à Deo percipit gratiæ influxum, quo feriante friget. Nec aliunde certius ars medica venatur animæ deliquium, quàm à frigore membra hominis occupante. Sic Hippocrates. Ῥῖγος ἐν συνεχείᾳ τοῦ σώματος ἀσθενέος ἤδη ἐόντος, θανάσιμον. *Frequens rigor in febris aſſiduitate, iam fractis viribus ægri, lethalis eſt.* Vt enim principium vitæ feruet; quò quis magis ab illo fonte recedit, eò etiam plus friget, vt videre eſt in ſenibus, & his quos morbus actior in vitæ diſcrimen adduxit. Ita quò quis à Deo magis eſt diſcretus, eò plus morbidum ſapit, ac proinde rigori etiam eſt obnoxius. Eſſe autem Deum vitæ fontem audi ex Dauide, ita Deum compellante: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

EX RE MEDICA.

Hippocr. l. 1. Coac. prænot. 9.

Peccatum quare frigus in animam inducat.

Pſalm. 35.

Quare autem algeat anima Deum dedignata, diſce ex Philoſophia, quæ in omni motu tria conſiderat, videlicet terminum à quo, medium, & terminum ad quem, & aduertit rem mobilem eò magis recedere à termino à quo, quò magis accedit ad terminum ad quem. Vnde ſic arguo: Deus & peccatum ſunt termini oppoſiti, & quàm maximè contrarij. Sed Deus igneus eſt, & venit mittere ignem in terras. Ergo qui ab eo recedet, diuertens ad aliud extremum, ſcilicet ad peccatum, profectò ille algidus erit, quia in nullo conueniunt Deus & peccatum, ſed repugnant, ideóque rigent hi, quibus noxa lethalis ſuum algorem affinxit. Rem adſtruit Iob ita fatus. *Peccaui, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce nunc in puluere dormiam.*

EX PHILOSOPHIA.

[illegible]

Hoc

Hoc contextu Iob ait hominem peccato fieri contrarium Deo, & hinc sequi grauitatem, quæ inducit mortem. Sed quid me torqueo in probanda conclusione mea, cùm locuples experientia singulos quosque homines vrgeat ad credendum, hominem aspernantem Dei cultum protinus obrigere. Nonne gliscens acedia præoccupat artus omnes, quando anima remissior est in Dei obsequio? Acedia autem nihil aliud est quàm tepor, animam inertem efficiens; quia à Deo recessit incuriâ. Ille recessus ignauam fecit & frigidam cadauerum ritu. Et hæc inertia mortis illatæ aut instantis est indubium argumentum. Præstat audire hic Bernardum ita fatum. *Vera anima vita Deus est: & inter hæc quoque separat malum, sed malum animæ, quod non est aliud quàm peccatum. Eia fratres, nugari libeat, otiositatibus indulgere delectet. Nimirum gemino hoc serpente vicino, qui duplicem nobis auferat vitam, alter corporis, alter cordis: quidni securè dormiamus, nisi quòd negligentia in grauiori periculo, non tam seueritatis est, quàm desperationis indicium.* Vt sese insinuante frigore grauiora symptomata ægrum conficiunt; ita acedia hominem incautum inducit in maxima discrimina, Gregorio assertore. Sic ille. *Sicut cauta prouisio, culparum vias obstruere, & nouit quæ sunt noxia declinare; ita neglectus patet excessibus, & quæ sunt cauenda solet incurrere.* Sed esto hi Sancti acediæ noxios effectus ostenderint; non tamen meo intento ad arbitrium meum fecero satis: hoc namque mihi incumbit probare, animam parum de Deo sollicitam ab eo recedere, & hunc secessum inuehere frigus negligentiæ, & hinc malorum omnium agmen sequi. Opportunus aderit Cassianus de re spiritali benè meritus; sua ille sensa sic prodit. *Stillicidia eiciunt hominem de domo sua in die hyemali, inquit Salomō Prou. 27. Mentis incuriam domati comparauit, tectoque neglecto, per quod primo penetrant ad animam stillicidia passionum; quæ si leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbres largissimis vitiorum, per quos in die hyemali, id est, tempore tentationis ingruente, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua circumspectia se diligentia retinens, velut in domus propria possessione requieuerat.*

Deus est animæ vita.

Ex SS. Patribus. Bern. ser. 10. in Psal 90.

Peccatum animæ vitam adimit.

Greg. lib. 7. epist. ep 59.

Negligentiæ malum.

Cassian. coll. 6 c. 16.

Negligentia quam animæ perniciem conciliet.

Quàm extremo periculo finitima sit illa negligentia, monet iste Canon. *Reuertar in domum meam vnde exiui. Timendus est iste versiculus, non exponendus; ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.* Alter Canon liquidior est in argumento quod decurro, expendens incommoda quæ excipiunt animas à Christo deuias. Ecce textum. *Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit?* Frigoris atque interitus exemplum celebre commemorat Basilius stupens iudicia Dei. Ait ille, quadraginta Martyres variè tentatos, & purpura sui sanguinis exornatos, accepisse tandem supremam capitis sententiam, qua sereno cælo, & rigida nocte, immersi aquæ glaciali collo tenus, lentæ mortis debebant subire supplicium. Omnes vltrò & gestientes excepere nuntium mortis, ad brauium vitæ instantis totis viribus anhelantes. Sed vt detractis vestibus, lictores eos tinxerunt aquis, immanis earum rigor tincta hæc corpora sic perstrinxit, vt martyrum vnus quasi gelu concretus alserit, cæteris superantibus algorem stagni, quod charitate eorum æstuante tepuerat. Frigore ingrauescente, martyr ille, qui querulus algorem suum iniquè habebat, insiliit in balneum tepefactum, & ea animi defectione, Christi fidem perfidus abiurauit. Rigori tamen inualescenti malè consuluit obsequio candentis aquæ: quippe natura nequeunte vices alternantes ferre acrioris huiusce frigoris & caloris, statim vt excepit balnei illecebram, transfuga ille & desertor impius expirauit.

Ex Iure Canonic. Can. Reuertar. De pœn. dist. 4.

Can. Qui recedit. De pœnit. dist. 4.

Ex Historia. Basil. oratio. de 40. Martyr.

Quæro vnde deliquium hominis hactenus recensiti inter Heroas? Dices fortè eum fuisse tenerioris indolis, quam gelidæ tempestatis iniuria perculit ad defectionem à Christo, cæteris inconcussis. Minimè sanè compages vlla delicata eum abstraxit à generoso agmine sociorum, quos etiam acerbior bruma torsit, sed non extra aleam victos turpiter extulit. Tota mali labes, quæ perdidit apostatam illum, petenda est ab acedia interna; vbi enim amor eius intepuit, & remissior in Christum fuit, algere anima incepit, ideóque ingemuit corpori immerso brumalibus aquis, quas declinare volens homo refuga, suæ salutis immemor, à Christo Domino deuiauit. Præceps eius impietas non est nacta seram pœnam: eadem namque hora qua suam fidem extinxit, & tepente balneo suam perfidiam tinxit, Deus eum capitali sententia ferit, & æterno gehennæ incendio mancipauit, iuxta præfati Canonis censuram. *Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit?*

Si quando igitur tepor irrepserit, alacritatem animæ præpediens, factus homo remissior, seipsum exploret vigili scrutinio, & deprehendet se fuisse infidelem Christo, à quo vel minimum auerti, est incurrere in frigus iniurium animæ, quæ deficit illo frigore sæuiente. Parum est quotidie adstare sacris, & concrepantibus buccis insonare Deum, si Dei languet amor in cordibus nostris. Eiusdem farinæ sumus ac Iudæi, quibus erat acrior hyems, etsi eis medius adesset Christus, quem corpore contingebant, animó autem dissiti ab eo discrepabant, vt ait Augustinus. *Hyems erat, & ambulabat Iesus in tēplo, in porticu Salomonis. Circumdederunt eum ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. Hyems erat, & frigidi erant: ad illum enim diuinum ignem accedere pigri erant, si accedere est credere. Qui credit accedit; qui negat, recedit. Non mouetur anima pedibus, sed affectibus. Friguerant diligendi charitate, & ardebant nocendi cupiditate. Longè aberant, & ibi erant: non accedebant credendo, & premebant persequendo.* Ne ergo hyems importuna discruciet aliquando incautos, celebremus ista encænia hyberno tempore, id est, negligentia dominante. Non obstabit hyems, neque præterita incuria, dummodo abdicatis aliis affectibus, totos ex animo nos Domino consecremus. Quidquid enim Deo addictum est, illud calet, & hoc probandum est altera parte huius concionis.

Ex SS. Patribus. Aug. tr. 48. in Ioan.

Peccatoris anima tenet hyemem.

Quamuis anima reproba Deum auersata redux fieri nequeat proprio tantùm conamine: nihil enim præterit suam sphæram, & operari sequitur esse. Vnde cùm esse hominis sit naturale, nequit aliquid exerere superioris ordinis, vt est iustificatio sui ipsius. Tamen ab eo Deus exigit aliquem

Ex Theologia. S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 1.

aliquem apparatum, quo præuio hominem recipit in gratiam, qua hactenus exciderat. Theologia refundit illa præludia in intellectum & in voluntatem, vt quemadmodum hallucinans ratio & noxius appetitus hominem abstraxere à Deo; sic earum etiam facultatum obsequio Domino consecretur. Vt nempe peccatum est auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, vnde anima polluitur; nequit eadem anima Deo deuoueri, nisi expiata ritibus, quos meminere Canones sancti, & quibus anima edocetur Deum animo versare iugi meditatione, & affectu valido deperire. Ille autem modus redeundi in gratiam cum Deo totus feruidus est: qui namque Deum vigil & sedulus animo recolit, superno lumine perfunditur, ac proinde calet, quia lux vehiculum est caloris, & præcipuè in diuinis, vbi minimâ luce irradiante, anima statim Dei amore accenditur. Illa assueta huic amoris incendio, aliò migrare nequit, pertæsa alias omnes illecebras, quibus dum indulsit, morte tenus fuit frigore sauciata.

Gratiæ infusio qualem postulat apparatum.

Vt quisque hac dignari queat gratia, adeamus Iuris Canonici sanctuarium, vt inde rimari liceat quibus præambulis debeamus Domino consecrari. Prior iste occurrit Canon. *Ecclesiam, in qua sepeliuntur mortuorum cadauera infidelium, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis eius loci reædificetur.* Ad moralem sensum istius canonici textus, operæpretium est scire, homines esse templa Dei, id suadente Apostolo. *Nescitis quia templum Dei estis vos.* More aliarum ædium sacrarum sanctificatur homo speciali gratia factus templum Dei. Sed heu domus illa Deo sacra plerumque polluitur, illatis in eam cadaueribus infidelium. Quomodo debeat expurgari hoc templum, dicam infra; debuit namque præire sanctificatio antequam Ecclesia illa iure suo cadat.

Ecclesia sanctificari nequit, vbi sunt corpora infidelium. EX IVRE CANONIC. *Can. Ecclesiam, De consecrat. dist. 1.* *1. Cor. 3.*

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Christo influente, anima amore Dei incalescit.

PRimam hominis sanctificationem auspicatur Ecclesia ab obseruatione Canonis antea recensiti. Nimirum veterem hominem nostris abditum visceribus eliminat, antequam Deus influat in animam. Neophytum sollicitat vt abiuret omnes suos ritus impios, & aliud schema viuendi ineat. Præuio eo repurgio anima fit templum Dei, & eius interiora calent illucente fide & charitate æstuante: quippe Deus impertit fidem, spem, & charitatem animæ initiatæ sacris fidei mysteriis. Sic anima Deo sacra frigere nequit, semper percita charitate; cuius est ardere semper. Fortè in huiusce ardoris typum, in dedicatione templi plures cerei ardent referentes animæ incendia, quando Domino consecratur. Et ne quis suspicetur illa incendia esse temporanea, & expleto ritu consecrationis omnia algere in animæ templo, Concilio Aurelianensi cautum est neminem posse erigere Ecclesiam, quin sumptus assignet ad luminaria suppeditanda. En decretum. *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat: publicè atrium designet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant.* Hoc memento, ô anima anhelans ad Dei obsequium, præpara sumptus ad luminaria, & ad custodiam: nihil enim proderit accendisse amoris ignem, si eum custodire non satagis. Summa auri coacervanda, est propositum tenax amandi Deum quàm maximè, ita vt cuiusque fidelis animæ possit esse symbolum illud idem, quod effinxit Iouius in gratiam cuiusdam, amoris sui intensione gloriolam nundinantis. Paulus ille Iouius facturus satis intento illius amasij, pinxit lampadem virginum Vestalium, cuius ignis inextinguibilis noua adiectione olei perennabat. Picturæ elinguis titulus iste loquax erat. NOSTRA LATENS ÆTERNA MAGIS, id est, Esto flamma Vestalis ægrè admodum olim defecerit; tamen abdita mei amoris incendia, licet oculis inuia sint, superant illos ignes perpetuos.

Crux figêda priùs quàm Ecclesia extruatur. *Can. Nemo. De Consecr. dist. 1.*

Amoris diuini ignis virginum Vestalium. EX SYMBOLIS. *Paul. Iouius lib. symbol.*

Vni Paulo Apostolo concessum est, ardere hac flamma potiore igne Vestalium. Nempe insurgentes omnium turbinum æstus in charitatem irritos fecit ille Deo dilectus Apostolus, ita fatus: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Hoc igne supero accensa anima ritè Christo Domino consecratur; siquidem ille amoris Dei sacer ignis & Christus vt res indiuiduæ minimè dispescuntur. Anima sic initiata fit templum Dei, vt Bernardus ait hoc contextu. *Quanta Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Dominus vniuersorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri iubet. Itaque, fratres, toto cum desiderio, & digna gratiarum actione studeamus ei templum ædificare in nobis: primo quidem solliciti vt in singulis, deinde vt in omnibus simul inhabitet: quia nec singulos dedignatur nec vniuersos.* Charitatis esse istud omne negotium ille idem infra affirmat ita fatus: *Etiam omnes nos connecti & conglutinari necesse est, mutua vtique charitate, quæ est vinculum perfectionis.*

Rom. 8. EX SS. PATRIBVS. *Bern. ser. 2. de dedicat.* Templum suum in nobis elegit Deus. *Ibidem.*

Ille idem ait Beatos omnes efficere templum Dei, ad cuius exemplar singuli quique fidelium debent sese componere, vt æmulantes propositum sibi templum gloriæ, eius aditu tandem aliquando perfruantur. Illius autem ædis sacræ compagem ait subsistere charitate. Sic ille. *Legimus in Isaia: Glutino bonum est. Duplici sibi igitur cohærent lapides illi glutino, cognitionis plenæ, & perfectæ dilectionis. Tantò siquidem maiori ad se inuicem dilectione copulantur, quantò ipsi charitati, quæ Deus est, viciniores assistunt: sed nec vlla separare eos abinuicem suspicio potest, vbi nihil omnino quod in altero sit, alterum latere patitur penetrãs omnia radius veritatis. Quoniã enim qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo; nihil dubiũ est quin perfectè adhærentes ei beati spiritus, cum eo pariter & in eo penetrent vniuersa. Ad hanc domum si peruenire desideras, sic concupiscat & deficiat anima tua in atria Domini, sicut Propheta clamat: Vnam petij à Domino, hanc requiram,* vt

Serm. 2. de dedicat. Amor nos omnes simul agglutinat.

Vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. Non igitur incongrua est illa conclusio, quæ affirmat, feruida esse omnia quæ Dei sunt, & eum debere auspicari à calore, qui seipsum statuit totum Dei obsequio mancipare.

Plures cerei accensi quando dedicantur Ecclesiæ, igne suo amorem significant qui scintillare debet in his, qui in templa Dei se componunt. Nonne audiit Moyses à Deo locum illum esse sanctum, vnde assurgebat flamma inuoluens senticetum, sentibus illibatis? Nunquid Elias populum Israël auertit ab impio cultu idolorum ignis obsequio? Sic ille: *Inuocate nomina deorū vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei; & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Annuente populo, sacerdotes Baal conclamantes tentauerunt ignem educere, & vt Deos suos ad petita inflecterent, dissecto corpore lanceolis multo se sanguine cruentarunt. Sed vt in eorum simulacris nulla erat scintilla diuinitatis; ita nec vllam ignis scintillulam potuerunt impertire suis cultoribus. Ideoque Elias deorum inanium ridens impotentiam, & volens deuium hunc populum reducere in caulas Dei, eumque suo legitimo Domino consecrare, inaugurationem populi huius ab illapsu ignis credidit auspicandam. Eamobrem quanta animi contentione potuit, flammæ influxum à Deo efflagitans, has igneas fudit preces. *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me; vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aqua ductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus.*

Exod. 3. — *3. Reg. 18.* — *Ibidem.*

Ex Historia. *Eugippius in vita S. Seuerini. Baron. sub an. 473.*

Eâdem ignis tesserâ Christianorum fidem explorauit Sanctus Seuerinus Noricorum Apostolus: namque euersis simulacris, & sacro fonte tinctis his populis, audiens esse aliquos fideles nomine tantùm tenus, qui clam abdicata idola repetebant; sic eorum fidem tentauit. Iussit omnes conuenire in Ecclesiam, & singulos quosque præferre cereum vnum. Adfuere neophyti omnes, & ex præscripto affixere parieti cereos suos: operosum sanè erat discernere hypocritas à sinceris; nimirum tota illa populi frequentia ementito cultu Christi, imponebat oculis adstantium, ita vt spurios nemo posset à legitimis seponere. Rei ancipitis iudicium Sanctus ille reposuit penes ignem, Deum deprecans vt igne illapso desuper ostenderet sequaces suos. Annuit Deus: nam omnium fidelium ignis fidem aliis indicauit; quippe Christianorum cerei cœlitus accensi sunt, igne respuente cereos aliorum, qui nomen suum non dederant Christo, nisi cute tenus. Eo prodigio perculsi hypocritæ, abiurarunt impios ritus, sincero amore Dei concepto, rursus se suaque omnia Domino deuouerunt. Profectò eo argumento fideles suos probat Christus: si cuiuspiam algidum cor esse deprehendit, hunc hominem illico reprobat; si verò secus aliquis amore Dei ardeat, ille ad Deum pertinet. Rursus ille, qui amoris expers incurius est, hunc ignem prolicere, alio igne plectitur inferorum. Imò ex hoc æuo alio nefando igne calet, scilicet luxuriæ, cuius incendia virtutum omnium semina depascuntur.

Amoris igne Deus suos probat discipulos.

Vtinam illius incendij molestia eumdem sortiatur effectum, quo visus est Iudæus quidam Archisynagogus, quem Nicephorus cōmemorat. Ait ille, fuisse comprehensum Iudæum illum, vt authorem concitatæ plebis, & tentatum exquisitis suppliciis à viro Consulari, vt lueret pœnas congruas facinori. Sed vt increbuerat fama S. Sergij; adiicit ille, Iudæum hunc crebro inuocasse Deum Sancti Sergij mediis flammis, quibus addictus est impunè; nam duo equites inaspecti hactenus eum eripuere flammis, qui deinde sanctiore lauacro tinctus Christianus effectus est, & in eodem loco vbi accensa fuit pyra, suis sumptibus erexit Ecclesiam, vbi se & duos filios deuouit Deo, illic edens multa virtutum specimina. Vbi Iudæus ille ardere incepit amore Dei, & pertæsus dogmatis impij ritum Christo iniurium, Deo se addixit, templum Dei effectus est, antequam materiale templum extrueret, ideoque nequiuit in illum flamma noxia desæuire. O homo libidine flagrans, in eodem loco vnde flamma luxuriæ assurgit, extrue templum Deo. In eodem corde vbi libido calet, erige Deo sanctuarium, præaccenso alio amoris igne, qui tutatur homines aduersus alios ignes, vt palam fecit Episcopus orthodoxus disputans contra alium Antistitem Arianum, quem frustra impetitum argumentis, vt non potuit inducere ad canendum palinodiam, ita affatus est: Si indubiam tenes fidem tuam, ô Præsul Ariane, & meam credis erroneam, descende mecum in ignem, vt vtriusque fidei periculum flamma faciat. Detrectante autem hæretico subire hoc examen instantis incendij; altè Episcopus Catholicus magna lignorum congerie accensa in rogum insiliit, vnde cum Ariano disputans ostendit esse flammas innoxias eis, qui se præuio amoris igne Domino mancipарunt.

Niceph. Callist. lib. 15. hist. Eccles. cap 25. — *Iudæi conuersio insignis.* — *Templum Christo erectū à Iudæo in gratiarum actionem.* — *Ibidem.* — *Fides Catholica probata miraculo. Fidei Christianæ cedit flamma.*

Præfatæ historiæ à Nicephoro recensitæ meo intento fauent, & satis superque insinuant, non frigere ea quæ Dei sunt: cùm enim animarum in Deum conuersio prærequirat aliquem actum elicitum ab homine, quo Deum pro modulo suo demereat; ille debet esse amoris actus, vt rescindat omnia pacta inita cum sæculo, cui hactenus homo incautus sua obsequia consecrarat. Potest huc reuocari opportunè illa constitutio Imperatorum Arcadij, & Honorij, qui auri obrisi oblatione voluere populum Romanum, sua suis Principibus pendere obsequia, nouum annum hisce ritibus auspicantes. Ecce legem. *Quando votis communibus fælix annus aperitur, in vna libra auri, & solidis obrizatis Principibus offerendâ deuotionem animo libenti suscipimus: statuentes; vt deinceps sequentibus annis, vniuscuiusque fidelitas Principibus suis talia inferat semper, & deferat.* Censuere Imperatores, benè affectos esse erga se animos subditorum suorum, si aurum refunderent. Vt aurum cæteris metallis longè præstat; ita & charitas aliis virtutibus eminet: vnde & auri etiam nomine recensetur. Prostat ille textus Apocalypsis, quo sic Deus arguit hominem, cuius intepuerat amor. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis: Quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum,*

Xenia ex auro soluta Imperatoribus. — **Ex Ivre Civili.** *Leg. Quando. Cod. De oblatione votor.* — *Amore Deus vult sibi appendi. Apocal. 3.*

probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Increpatio hęc totum pungit hominem, qui amore Dei exciderat, & tamen ementita pietate fucos aliis faciebat, simulando se emeritum discipulum Christi, qui pertæsus hominis hypocrysim, reuocat eum ad meliorem frugem, suadendo amorem, auri obrizi symbolo denotatum: quemadmodum enim hypocrita virtutibus se prædiuitem esse fingit, cùm summam earum patiatur inopiam; sic ille, qui aurum amoris impigrè comparat, ditior efficitur, & induitur stola gratiæ, qua animæ omnis nuditas operitur.

Hoc sibi rependi aurum iniungit Christus, & ab his qui profitentur speciale Dei obsequium, & animo suo statuunt esse Dei templum. Vnde idem rerum Dominus voluit intima quęque templi Salomonis auro rutilare, item & ferculi eius ascensum purpureum media charitate constrauit, sic typicè amorem insinuans. Huius autem amoris impotes sunt omnes, qui alio affectu præpediti, se suáque rei alteri manciparunt. Itaque reuocanda est illa canonica sanctio, qua nefas est Ecclesiam consecrari, in qua iacent infideles, donec eruantur inde cadauera, & eradantur parietes. Hoc Canone admonentur omnes amandare id quod aliquales moras & obices adfert animis emundandis. Verbi gratiâ, quispiam libidine calens scorti obscœni consuetudine inglorius cogitat sanctius institutum, & animo versat quonam pacto queat cum Deo redire in gratiam, animam suam Domino consecrando. Alius iniquis artibus diues, penes se reconditas habet opes malè partas; tamen susurrante sinderesi statuit placare Deum futurus in posterum sacrarium eius. Vota hæc equidem laude digna, & Deo miserante sata, vtpote quæ conducunt ad hominem Deo deuouendum; tamen incassum anhelat homo ad Dei obsequium, nisi præuio repurgio satagat animam suam à quibusque rebus noxiis emundare. Hoc igitur propositum tenax animo insideat; trudere foras pellicem, & restituere iniquum fœnus. Et ne superstes idea alicuius illecebræ animum sollicitet ad lapsum, castiganda est memoria ne in suo penu recondat species indecoras. Memoria repurgata radit parietes, hominem aptat ad gratiam, quæ eum sanctificat & efficit templũ Dei. Dato libello repudij omnibus illicitis, anima reuoluens sua piacula, largo lacrymarum imbre madet, & iniunctas vltro subit pœnas, factura satis retroactæ vitæ moribus inhonestis. Eò crediderim respexisse Ecclesiam, in suo schemate typico consecrandi templa: non enim frustra cerei accenduntur, aut pauimentum cinere & aqua aspergitur. Non ad inane aliquod simulacrum cruces inunctæ affiguntur parietibus, multâ aquâ lustrali desudantibus. Etsi elingues sint illi ritus, tamen aliquid morale clamant, vt præmonet Augustinus. Sic ille: *Quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, spiritualiter fiat in mentibus; & quod hic perfectum cernimus in lapidibus, & lignis, hoc ædificante gratia Dei perficiatur in cordibus vestris.*

Gratia Dei nos Deo consecrat.

Ex SS. Patribus. Aug. ser. 256. de tempore.

Magno apparatu disponitur Ecclesia dedicanda, vt inde resciat homo quanti sit momenti dare suum nomen Christo, illud autem omne quod illic magna solennitate peragitur, morale est vt expendit Bernardus, ita fatus: *Quando domus ista per manus Pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est. In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. Et si vultis scire, hæc vtique sunt, aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc vtique in hac visibili domo fecere Pontifices, hæc & Christus assistens Pontifex futurorum bonorum inuisibiliter quotidie operatur in nobis: Primò siquidem aspergit nos hyssopo, vt mundemur, lauemur, dealbemur, dicaturque de nobis: Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Lauat, inquam, nos in confessione, lauat nos lacrymarum imbre, lauat sudore pœnitentiæ: magis autem lauat nos aqua illa pretiosa, quæ de fonte pietatis, id est, ab eius latere emanauit. Aspergit nos hyssopo, quæ humilis herba est, & pectoris purgatiua: aqua sapientiæ salutaris, quæ est timor Domini, initium sapientiæ, & fons vitæ: etiam condimentum salis admiscens, ne sit insipidus timor sine spe, sine deuotione.* Hæc ille, rudimenta pietatis insinuans esse penes lacrymas in ea commemorata aspersione prælibatas. Bernardo lubens assentior, & suscribo huic effato, quod concludit homines pœnitentiæ sacris initiandos, esse tingendos hac fletuum vnda salutari. Nec id repugnat conclusioni antea expensæ, affirmanti calere animam quę Deo consecratur. Nempe appositè testatur ardorem suum abditum anima quæ desudat: quisquis enim erga Deum benè afficitur, locuples flendi argumentum aucupatur ex recensione criminum quæ animo iugiter obuersantur. Quòd si arenti animæ operosum sit abire in lacrymas, sistente profluuio fletuum, illud ipsum quod flere nequit, proliciet lacrymas, si vt, par est, sua crimina commemoret. Heu! quotus quisque est ille qui congrua aspersione sua diluit facinora. Multi arbitrantur se esse templa Dei, qui ablutionis incurij, sordida adhuc peccatorum illuuie conspurcantur.

Bern. serm. 1. de dedicat.

Dedicationis mysteria spiritualiter explicata.

Pergit Bernardus in morali sua exegesi. *Inscribit legem suam non iam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promissionem, qua se pollicitus est ablaturum cor lapideum, & carneum cor esse daturum; id est, non durum, non obstinatum, non Iudaicum; sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed deuotum. Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Necesse est vt vnctio spiritualis gratiæ adiuuet infirmitatem nostram, obseruantiarum, & multimoda pœnitentiæ cruces deuotionis suæ gratia leniens; quia nec sine cruce sequi Christum, & sine vnctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est quod multi abominantur & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam vnctionem.* Seipsum quisque conueniat, & sciscitetur à præcordiis intimis, an Deus aliquid illic inscripserit, & an inscripta à Deo exciderint incuriâ suâ. Exploret vtrum crux erecta sit an iaceat, id est, sedulus & alacris obeat necne opera pœnitentiæ. Inde colliget gratiæ Dei illapsum, quo anima inuncta vegetior fit ad egregia quæque facinora perpetranda. Et supellectile homo exornatus lucernas bonorum operum manibus profert, benedictione Dei aliquando, vt condigno præmio laureandus. Ita Bernardus: *Postquam vnctionis gratia huius præcesserit, iam lucernam suam Christus non ponit sub modio, sed super candelabrum, quia tempus est, vt luceat lux nostra coram hominibus, & videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cælis est. Iam verò benedictionem quidè expectemus in fine: quando aperiet manum suam*

Ibidem.

Gratiæ Dei vnctio lenit cruces nostras.

Bernard vbi supra. Gratiæ vnctionem lux irradians sequitur.

suam, & implebit omne animal benedictione. Nam in quatuor pramissis merita constant, in benedictione sunt pramia, in benedictione tota complebitur gratia sanctificationis. Hæc ille.

Aduerte hîc obiter, quampluriumu hominum insigne delirium: nempe arbitrantur animam, quæ Deo consecratur, debere esse tunc feruidam; vbi autem fuerit anima dedicata, non satagunt huic sacro amoris igni pabula congrua ministrare. Hinc fit vt ardeant exordia pœnitentium, & remissiore tractu tepeat ille feruor. Demum Deo dedignante desidiam hominum inertium, algente eorum pietate redeunt ad vomitum: ac proinde exitus seu pœnitentiæ finis vitio reduce congelascit. Plures ego agnoui anhelos & sacra spirantes incendia dum primò obsequium Dei professi sunt, qui alio demum tenore abiere in præceps. Christiane, aliorum periculo edoctus, caue ne quando deficiat ille ignis accensus in consecratione tua, iuxta illud Dei decretum. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorũ. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Ille ignis non ad pompam aut splendorem altari imponitur, sed ad holocausta depascenda. Ita neque ego hortor ad amorem Dei, vt eo igne lucidior anima tantùm fiat illustrior; sed vt homo totus ardeat, nihilque superstes in eo sit, quod non illo incendio penitus absumatur. Tauri præcipuè & hirci addicendi sunt illi flammæ, id est, in gratiam amoris Dei deponendum est supercilium omne, & demittenda superbia, quæ in hirco fœtet. Denique quidquid est rationis expers, illud est subitò concremandum. Et hoc erit argumentum validum ad probandum sincerum amorem in Deum: videlicet inquirere, an quidpiam nos prouocet ad sensuum illecebras, & vtrum bestiarum indolem æmulemur, vt cùm nacti fuerimus aliquid indecorum, illud protinus immolemus, hoc vnum satagentes, vt nihil amori sacro præualeat.

Leuit. 6.

Audiendus in hoc themate Augustinus, Deum ita commemorans: *Huius templum simul omnes & singuli templa sumus; quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quam in singulis maior; quoniam nec mole distenditur nec partitione minuitur. Cùm ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum; eius vnigenito eum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cadimus, quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus: ei suauissimum adolemus incensum, cùm in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus: ei dona eius in nobis, nosque ipsos vouemus, & reddimus: ei beneficiorum eius solemnitatibus festis, & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio: ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis igne feruida charitatis. Ad hunc videndum sicuti videri poterit, eique cohærendum, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & eius nomine consecramur.* Hæc ille, sequenti capite adiiciens, bestiarum illam lanienam, quæ fiebat in templo, fuisse notam alterius sacri, quo ipsi homines immolantur. Ecce illius effatum: *Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis.* Exigit Apostolus ab homine integrum corporis holocaustum, sic singulos adhortatus. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

Templum Dei quare simus omnes. *Aug. lib. 10. de ciuit. Dei c. 4.* Templum Dei referens anima, quas victimas ei mactet.

Ibidem cap. 5.

Rom. 12.

Reuera perquàm accepta Deo est victima illa corporum, dum membra in Dei obsequium omnia componuntur; sed longè sanctius est animæ holocaustum, quo intimæ hominum facultates tantùm ad arbitrium Christi Domini percelluntur. Ea fuit mens Augustini, ita expendentis locum hunc præfatum Pauli. *Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo vel tanquam instrumento vtitur anima, cùm eius bonus & rectus vsus ad Deum refertur, sacrificium est; quantò magis anima ipsa cùm se refert ad Deum vt igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur: hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium.* Si igitur, ô anima, algore riges, fac hodie encænia, dedica te Deo, præuio igne accenso, & statim aderit Christus, secum omnium bonorum agmen vehens: festina eliminare quidquid oculos Dei offendit, vt beneficio repurgij huius possis eidem Christo Domino consecrari. Faxit Devs.

Sacrificium quomodo ex se toto fiat homo.

Aug. lib. 10. de ciuit. Dei c. 6.



FERIA QVINTA

DOMINICÆ PASSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.


1. CVm sit in confesso apud omnes homines Deo sacros esse templa, quæ consecratione sua excidunt, quando anima Dei incuria polluitur: dico priori parte istius homiliæ, Magdalenam fuisse quidem templum Dei, sed vitio suo transiisse in pantheon, scilicet in delubrum tot idolorum, quot peccatis facta fuit obnoxia. Ostendo omnia, quæ contaminare solent templa, concurrisse ad profanandam animam Magdalenæ, quam ideo compono cum templo polluto, facta enumeratione vitiorum, quæ famosam effecere fœminam hanc.

II. Secundò

II. Secundò probo, Magdalenam fuisse reducem eodem planè ritu, quo templa polluta decorem suum pristinum recuperant. Præcipuè recolo duos repurgandi modos, qui celebrantur in Ecclesia, si quando operæpretium sit conciliare templis sanctitatem, aliquo illic admisso piaculo deperditam. Hi duo ritus sunt, ignis, & aspersio. Namque cereis pluribus accensis, parietes & pauimenta madent multa respersione aquæ lustralis. Dico, Mariam Magdalenam his cautelis repurgasse animam suam: quippe dum amore Dei flagrauit, igne sacro exarsit; & dum vbertim fleuit sua piacula, tunc salutari aquarum aspergine desudauit.

PRÆFATIO.

Ecce mulier in ciuitate peccatrix. Luc. 7.



VERNACVLO experimento liquet, anatum & anserum oua tradi gallinis, vt iis incumbant & calore suo pullos educant decocto vitello. Anates & anseres sic educti adhærent mutuatitiæ matri, scilicet gallinæ, quam sequuntur oberrantem, dum plumescunt. Sed vbi in primores se induerunt plumas, benè suadâ indole suâ terram fastidiunt, & si quando occurrunt aquæ, eis se committunt, gallinâ perperam perstrepente. Demum adolescente plumâ volant: sicque pulli anatum & anserum tria incolunt elementa; nimirum terram sub ducatu aduentitiæ matris, dein aquam, & tandem aera. Eodem penè contextu Maria Magdalena euecta est ad apicem qui etiam eminet omnibus elementis. Eâ adhuc impubere parentes eius cessere fatis, atque ita mundus egit curam infantiæ illius, quam per amœna terræ pascua circumegit, fouens eam calore libidinis. Sed Deo miserante & irradiante luce singulari, Maria dedignata solum, in aquas se immersit, quando lacrymis alluit pedes Christi, fletibus assueta volare didicit: nempe orationi intenta, quasi corpore abducto pennis, septies in die rapiebatur in aëra, auditura melos Angelicum. Demum transcendens hanc aeris sphæram penetrauit supremos etiam ignium globos, cùm amore Dei percita quasi flammiuoma sparsit incendia charitatis. Totum siquidem fuit amoris negotium, facinus illud egregium, quod Lucas hodie commemorat, medium in epulas inducens fœminam pœnitentem. Itaque Magdalena permeauit quatuor elementa: terram quidem inglorie, cùm fuit mulier in ciuitate peccatrix. Subiit aquas, fletuum imbre madens quando lacrymis cœpit rigare pedes Domini Redemptoris. Euecta est in aera, cum dedita contemplationi optimam partem elegit: Demque infra se posuit omnia elementa, quando amore Dei decocta est: namque eo supero igne flagrans, perpetuis stipata fuit flammis, pertæsa omnia terrena, comes ideóque effecta Deiparæ, cui postea adhæsit. Si ergo conuenire Magdalenam animo insidet, adeamus B. Virginem Mariam præuio Angelico affatu. Aue Maria.

CONgeries ista rerum omnium à Deo effecta, quosdam conditoris sui characteres oculis obiicit, quibus vnaquæque res dignoscitur esse opus Dei. Quò autem magis factura refert Dei opificis ingenium, etiam perfectior est. Cùm itaque Deus sit maximè simplex omnisque mistionis impatiens, si homo anhelus ambit perfectionis statum, debet æmulari simplicitatem Dei, & deponere quidquid spurij affectus deforis adsciuerunt. Pridie ostendi, hominem esse veluti templum Dei: vt igitur homo sanctitatis apicem consequatur, debet sartum tectumque suum templum custodire, eo ritu quem Deus Hebræis indixit, nolens induci in ædes suas sacras aliqua simulacra. Voluit quidem auro rutilare omnia, & gemmis coruscare; sed eliminanda sanxit omnia idola, ne discolor ille cultus honorem debitum vni Deo distraheret. Quamdiu stetit templum illud immune ab omni impuritate, Deus stetit pollicitis, gratias impertiens hominibus, quarum catalogum contexuit, ita colloquutus cum Rege Salomone. *Audiui orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij. Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum; conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* 2. Paral. 7. Peccatum quibus animam cladibus afficiat.

Series illa gratiarum eos tantùm manet, qui Deo adhærent dato repudio idolis: vt secus pollutio templi malorum omnium iliadem magnam portendit eis, qui sacras Dei ædes suo vitio profanarunt. Nec aliud argumentum ruinæ Hebræorum instantis attulit Christus, quàm illationem idoli in templum: namque populo deficiente à Deo, stetit fluxus ille gratiarum, quas Deus illi genti promiserat dum sibi constaret in obsequio Dei. Audi præsagium cladis imminentis, statim atque templo facta fuerit iniuria. Sic Christus præscius Iudæos alloquitur. *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat;) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet.* Matth. 24.

Esto ingentes ærumnas passi sint Hebræi; postquam Romani Principes suas statuas intulere in templum Dei, licet flamma vorax vrbem depasta sit, & sanguine humano redundarint plateæ ciuitatis; grauior tamen clades instat eis, qui animæ suæ templum polluunt: nempe eorum ruina æterna est, ac proinde perenni flammæ obnoxia.

In hoc discrimen Magdalena incurrisset profanato suo templo, si Deo miserante non repurgasset illud templum, vt ostendam toto hoc contextu huius Homiliæ, quam ordiar à deliquiis Magdalenæ, & dicam primò, quibus piaculis polluerit suum templum. Secundò explicabo, quibus postea ritibus emendarit illud templum.

Pars Prima Homiliæ.

Quomodo Magdalena fuerit iniuria templo animæ suæ.

NE ab assueto ratiocinandi modo deuiet contextura istius historiæ, hoc mihi primò incumbit probare; scilicet animam pollui, quæ genio indulgens vitiis obstringitur: & postea ostendam, Magdalenam ea sensisse dispendia, quibus templa consecratione sua excidunt. Ordiamur. Quoties anima Dei detrectat obsequium, vt se totam deuoueat rerum inferarum simulacris, toties illa cadit sanctificatione, cuius beneficio cesserat in ius Dei: nimirum non coëunt dispares illi ritus, quibus Deo & voluptati litatur. Sed anima effusa, & anhelans in vitia, Deum auersatur vt excolat simulacra. Ergo illa imprudens tergit gratiæ vnctionem, qua perficitur dedicatio templi nostri, quod eatenus tantùm Deo consecratur, quatenus omne quod sumus, & valemus, illi omnium rerum Domino deuouemus. Cùm igitur gratiâ excidit, cuius est totum illud negotium, tota etiam labat hæc compages, qua stante templum animæ nostræ sanctum est. Vitiis autem subeuntibus animam, gratiam deperire, est conclusio Theologica, affirmans vel vna etiam lethali noxa deperdi gratiam; quia hæc æmulatur naturam luminis quod deficit statim atque obex interiectus corpus luminosum aufert ab obiecto. Vnde cùm singula quæque vitia Deum abigant à nobis, iuxta querulam hanc Prophetæ vocem: *Iniquitates vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret*; necesse est feriari influxum gratiæ. Deo cessante affulgere nobis, quo duntaxat irradiante rutilat gratia. Quomodo autem peccata nostra abscondant faciem Dei, disce ex natura peccati, quod eatenus Deo iniurium est, quatenus alicui rei infra Deum ita obstringit animam nostram, vt hoc illi Deus sit, quod maximè deperit. Et in hoc præcipuè dico profanari templum nostrũ, in quod inducimus simulacra, quando nimis afficimur sensuũ illecebris.

Ex Theologia. Thom 2.2. qu.24.

Isaie 59.

Ratio petenda est ex Philosophia, affirmante nihil esse in anima, quod non præfuerit in sensu, nimirum hac serie omnia quæ arrident subeunt animas nostras. Primò afficitur organum corporeum specie corporali, quæ beneficio neruorum transcolatur in phantasiam vt in pantheon, quod concludit corporea rerum omnium simulacra, quæ denuo defæcata transmeant in animam intellectualem, vbi illæ rerum imagines plerumque rationi imponunt, quæ hallucinans, affectum eis adeò vehementem conciliat, vt anima velut impos sui velificetur eis tantùm rebus, quarum species seu simulacra fouet, illis adolendo thus, quoties vota sua dicat illecebris, quę eam incautam misere dementarunt. Sic anima imprudens refert illud Romanorum Pantheon, vbi concameratę fornices Deorum inanes ideas & species obiiciebant oculis; cùm tamen illinc abessent Dij omnes quos se recolere iactitabant. Eo laborant delirio reprobi: nempe putant se gaudere rebus, quarum specie deliniti, inglorium ducunt æuum, vtpote tantùm possidentes inania simulacra, & non ipsa obiecta. Esto quis non amet speciem auri sed ipsummet aurum quando opibus inuigilat; illud tamen aurum non subiectiuè animæ insidet, sed cruda duntaxat imago auri, quam auri cupidus assiduè recolens impensè veneratur. Par est ratio de æstuante libidine, quæ dum æmuli sexus pulchritudinem commemorat, refricat obscœnas imagines; sic animæ adblandiens, etsi corpora adamata dissita sint ab amante. Sic homo irretitus illecebris, quæ Deum eliminant, & occupatus circa ideas valde exiles, fit delubrum deitatis expers, vtpote concludens tantùm rerum quibus afficitur inania simulacra. Hinc Dauid causam arripit carpendi hominum insaniam, qui tot animæ corporisque angustias subeunt in gratiam imaginum, rebus semper illibatis remanentibus. Sic ille: *In imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.* Perperam sanè is torquetur, qui dum arbitratur se gestire veris, pascitur tantùm inanibus.

Ex Philosophia. Arist. lib. 3. de anima. Peccatum qua ratione totum hominem inficiat.

Psal. 38.

Miserandam hanc animæ imprudentis sortem Deus fecit palàm, Ezechieli indicans Iudæorum reprobam indolẽ sub typo templi deforis insignis, intus autem fœdi, quia rerum omnium spurcatum fœda colluuies illuc irrepserat. Vnde illinc ipse Deus ait se recessisse, quia exosus est profana. Sic Deus Vatem alloquitur: *Fili hominis, putasne vides tu quid faciunt isti, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, vt procul recedam à sanctuario meo? & adhuc conuersus videbis abominationes maiores? Et introduxit me ad ostium atrij: & vidi, & ecce foramen vnum in pariete. Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem. Et cum fodissem parietẽ apparuit ostium vnum. Et dixit ad me: Ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola.* Fuisse autem illud templum figuram animarum, & idola aliaque fœda lineasse piacula, quibus se homines obstrinxerant, ipsemet Deus insinuat ita fatus: *Certè vides fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubilis sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Commemorat Deus nefanda luxuriæ commercia, quæ celebrat vterque sexus in cubili suo vt in delubro Veneris abhorrendæ. Nihil namque magis Ecclesiam consecratam polluit, quàm obscœna perpetrata in loco sancto: nimirum luxuria concludit omnia argumenta, quibus consecratio deperit ex Iure Canonico.

Ezech. 8. Peccatum templũ animæ quot modis polluat.

Accipe Canonem. *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exusta, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint.* Libidine accensa anima dira patitur incendia, quibus inualescente flamma consumitur homo cadens gratia, cuius obsequio fuerat Domino consecratus. Denuo effundit sanguinem Christi, ille qui dat operam turpibus; siquidem quantùm illi fas est Christum crucifigit. Cùm enim sanguine suo noxas hominum diluerit Christus, Veneris assecla deliquio suo refricat illas plagas, quæ reperito crimine recrudescunt. Non quòd vllam animi molestiam percipiat

Ex Iure Canonic. Can. Ecclesiis de consecr. dist. 1. Luxuria cõburit ædes Dei mysticas.

percipiat Chriſtus extra ærumnas poſitus; ſed quia hæc eſt peccati labes, vt Deo iniuria quantum illi fas eſt inſurgat in Dominum. Turpitudine pollui templum Dei, & quaſi vellicari plagas eius, audi ex Auguſtino, inducente Deum in die iudicij ita reprobos quoſque ſingulos increpantem. *Cur habitaculum, quod mihi in te ſacraueram, luxuria ſordidus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculaſti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pependeram afflixiſti? Grauior enim apud me tuorum peccatorum crux eſt, in qua inuitus pendeo, quàm illa, in qua tui miſeratus, mortem tuam occiſurus aſcendi.*

Ex SS. PATRIBVS.
Aug. ſer. 67. De tempore.
Luxuria polluit ſacrarium Dei.

Non inficior homines eſſe inſimulandos huiuſce reatus; ſed eſto malè ſibi conſcius ſit ſexus maſculinus, dicere non cunctabor mulieres homini prætendere faces ad libidinem, & eſſe potentiſſimum fomitem luxuriæ, ad quam vel inuitos pelliciunt ſuo ſalacis oris habitu, & faſciâ pectorali in Venerem fractâ. In has debacchatur ille textus antea recenſitus, vbi Deus petulcam mulierum indolem notat, Propheta narrante ſeriem rei præoſtenſæ. *Introduxit me per oſtium portæ domus Domini quod reſpiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Congruè indoli ſuæ mulieres illæ ad Aquilonem vergunt; inde nimirum mala in homines omnia deriuantur. Nonne illud oſtium Aquilonis mulier incauta recluſit, cùm malè ſuada virum effecit conſcium defectionis ſuæ à Deo? Nonne illa mulier famoſa, quam textus hodiernus commemorat, ſuo lethali contagio infecit vrbem Ieroſolymam? Cuius offenſionis lapidem ſi dubius inueſtigas; Euangelium quod decurro ſic leuabit animi ancipitis anguſtias. *Ecce mulier in ciuitate peccatrix.* Id eſt, ſi quæ peccati lues graſſatur impunè, mali labem totam refunde in mulierem, quæ merces ab Aquilone latas publicè explicans, nundinas ſuæ famæ incuria celebrabat. Hæc vna earum fuit, quæ adhuc hodie Adonidem plangunt. Fuit Adonis Adoleſcens egregia forma, Veneris amaſius, fero porci dente ſauciatus in inguine, vnde & occubuit. Itaque Adonis eſt typus eorum iuuenum, quos voluptas, ſignata nomine porci, ferit in inguine, necans eos, vt faciat Veneris monumenta nefandæ.

Ezech. 8.

Ibid. 7.

Noſtrates ferè omnes fœminæ Adonidem plangunt, & vltrò ſe Magdalenæ comites adiiciunt, vt parentent illi Veneris amaſio, quem poſtea ſuſcitatum dixit antiquitas, non decepta ſi credidit alios adoleſcentes fuiſſe ſuffectos in locũ demortui. Hoc ſatagunt hodie mulieres omnes impudicæ, vt multos ſuſcitent Adonides, nec aliunde fuit Magdalena in ciuitate peccatrix, niſi quia omnes ferè adoleſcentes vrbis Adonides fecit, ſeque antea templum Dei polluit, dum facta fuit obſcœnum delubrum Veneris inhoneſtæ. Non eſt acriori cenſura torquenda mulier illa peccatrix, quam infra reducem laudabimus. Hoc vnum ſatis eſto, eam malè audiiſſe, & fuiſſe veluti templum illud Ezechielis omni immunditia ſordidum: ait enim ſcriba ſacer, Chriſtum de ea eieciſſe ſeptem dæmonia, quaſi diceret, Magdalenam fuiſſe ſummam omnium peccatorum. Paucis eius vitiorum ſeriem concludit Chryſologus, ita fatus: *Ciuitate peccauerat, quia fama ſua famam totius tetigerat ciuitatis: ſicque iam non peccatrix ſolùm ſed ipſius ciuitatis facta fuerat ipſa peccatum.* Quomodo autem Magdalena ruinam ſuam auſpicata ſit, id petendum eſt à ruina omnium etiam fœminarum, quæ incuriæ ſeruare decorem domus Dei, malunt ſe dæmoni deuouere, æmulantes cultum illarum ædium, quas Gentes fecere ſacras ſuis ſimulacris. Extera templorum facies erat ornata fucis & pigmentis: in ipſo aditu aulæa pendula parietum nuditatem ſubducebant oculis; illic videre erat ſigna de hoſtibus reportata. Præterea egregia Heroüm facinora peplo inſcripta, adſtantes ad inſignia ſic opera prouocabant. Tandem proſtabat idolum plerumque aureum, tholo deſuper eminente, vnde appenſa illi Deo fictitio obſequia deſluebant.

Luxurioſus eſt ſcandalũ ciuitatis.

Chryſol. ſer. 93.

In eam templorum formam ſe componunt hodie mulieres, quæ litant Adonidi, vel ipſo etiam Dauide teſto. *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi.* Quaſi eas puderet operis & figmenti Dei, ceruſſæ ſuffragio incruſtant genas, & ſtibio inungunt oculos, ita mutuatitiâ ſpecie gloriantes: altare ſuum Deus impolito lapide ſanxit erigi, ſic teſtatus exteriorem illum cultum non placere, qui totus eſt in concilianda oculorum gratia. Ideóque damnatur illa mulierum anxietas, quæ conquirit fucos, ementitæ formæ noxia argumenta. Audiendus eſt in hoc themate Ambroſius, acuens ſtilum ſuum in fœminas has inſanas. Sic ille: *Noli bonam delere picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem; non cera expreſſam, ſed gratia. Deles picturam, mulier, ſi vultum tuum materiali candore oblinas, ſi acquiſititio rubore perfundas. Illa pictura, vitij non decoris eſt: illa pictura, fraudis non ſimplicitatis eſt: illa pictura temporalis eſt, aut pluuia, aut ſudore tergitur: illa pictura fallit, & decipit, vt neque illi placeas, cui placere deſideras, qui intelligis non tuum, ſed alienum eſſe quod placeas, & tuo diſpliceas auctori, qui videt opus ſuum eſſe deletum. Dic mihi, ſi ſupra artificem inducas aliquem alterum, qui opus illius ſuperioris nouis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus ſuum adulteratum eſſe cognouerit? Nolite tollere picturam Dei, & picturam meretricis aſſumere, quia ſcriptum eſt: Tollam ergo membra Chriſti, & faciam membra meretricis? Abſit. Quòd ſi quis adulterat opus Dei, graue crimen admittit. Graue enim eſt crimen vt putes quòd melius te homo quam Deus pingat. Graue eſt, vt dicas de te Deus: Non agnoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam, non agnoſco vultum, quem ipſe formaui, reiicio ego quod meum non eſt. Illum quære, qui te pinxit, cum illo habeto conſortium, ab illo ſume gratiam, cui mercedem dediſti.*

Pſal. 143.

Deut. 27.
Fucus faciẽi acriter reprehenditur.

Ambroſ. lib. 6. in hexam c. 8.
Mulieres vtentes fucõ ad pulchritudinis incrementum carpuntur.

Pictura diaboli qualis.

1. Cor. 6.

Reuerà bellè ait Cato, nimiam cultus curam eſſe magnam virtutis incuriam: ſi nempe recenſeas mores harum mulierum, quas commendat forma illa conquiſita modis qui dedecent Chriſtianum ritum, inuenies eas eſſe vitiorum omnium ſordida volutabra. Omnia illis vota de libidine conſtant; nimirum antequam è cubili tardæ exiliant, iuſculo pingui paſtæ, atque ouorum vitellis ſaburrant ventrem, ne genæ congruo adipe diſtentæ dehiſcant macie, & ſic procorum diſtrahant oculos, quibus arridere, eſt cupido præcipua. Ita ſaginatæ rurſus indormiunt, etiam in ſomnis verſantes aliquid inhoneſtum. Tandem multa die reuocante ignauia hæc corpora; ægrè ſurgunt obſcœna hæc luxuriæ mancipia, vt è ſpeculo luſtrent, an mendum irrepſerit in faciem degenerem ab ea quam Deus edidit. Reparatis fucõ ruinis, mulier induitur, vtique pompaticè; vt

Cultus cura nimia eſt virtutis incuria.

amictu superbo gratiam aucupetur, quam fortè natura ei parca negat. Plerumque ipsa prædia absorbet hæc vorago luxus fœminei, & pretiosa vestis sæpe exhaurit ærarium, quod construxere vigiliæ & parsimonia coniugis eruditi. Sic ornata Venus gyrat æmulata pauum, cui pluma versicolor fastum facit. Heu! quot Gentes torquet hæc libido vestium, vt congruâ supellectile pro voto suo mulier adornetur. Has acutè pingit Petrarcha, isto acumine. *Augustus ditissimus hominum veste non temerè alia quàm domestica vsus est, ab vxore, & sorore, & filia neptibusque confecta. Nam & hoc quoque de illo scriptum est. Hic ille cunctorum dominus paucas quidem sibique iunctissimas fœminas fatigabat. Tu fortassis aliorum seruus disiunctissimas fatigas Gentes. Tibi nent, tibi pectunt, tibi texunt Belgæ, tibi Persæ, tibi Seres, tibi Indi, tibi Tyrius murex natat, tibi fragrans bacca hispidis pendet arbusculis, tibi oues albicant Britannicæ, tibi Indica sandix rubet, tibi vterque sudat Oceanus.* Et quorsum torquetur orbis ferè vniuersus, fortè vt monilis exquisiti thecam paret, aut pixidem, quæ concludat gemmas prædiuites? Minimè verò; sed pompa hæc omnis fimo obtegendo decernitur. Et quemadmodum pheretrum densiore serico ornatum, hac bombycina veste cadauer abditum prodit; ita mulier exquisito ornatu suo suspicionem facit animæ extinctæ, cuius corpus instar loculi occludit hanc vermium scaturiginem: nonne enim ritè dixeris animam emortuam, quam edax vermis conscientiæ iam corrodit, sine fine ad tartara depascendam?

Petrarch. Dial. 10. de remediis vtriusq.
Vestium luxus acriter carpitur.

Præstat iterum audire Petrarcham, hanc vestium pompam sugillantem hoc tenore. *Est locus vt defleam, vtque execrer ludibria hæc habituum externorum, quos vobis ab extremis mundi finibus furibunda præsens ætas intulit. Sed dij hominésque malè oderint has belluas humana effigie, ferino animo, barbarico habitu, compto fœmineam ad mollitiem capillo, moribus ad aprinam duritiem horridis, atque incultis: hinc obscœna corporum impudicè detegentes, illinc mentium leuitatem vano vertice volucrum plumis extentis apertissimè designantes. Horum ingeniis effectum vides, vt inter mimos ducesque, inter scorta & matronas prope iam nihil intersit aspectu. Nec dum sistit, sed in dies crescit serpens, & variatur insania.* Quidnam ô Petrarcha adjecisses, si æui huius fœminas aspexisses, meretricio habitu quasi discinctas nundinari animas sinu luxuria sororiante? nonne dixisses esse hæc scorta, sæculi iniuriam? Qua probri aspergine denotasses has matronas, quæ contortis in laqueos capillis, etiam gemmas adiiciunt conquisitas suo corpore prostituto? Quibus aculeis confixisses illam earum ementitam castitatem, quam ore profitentur solo, cùm cætera sint Veneris? Hos profectò pellicum greges impuros ad hortos Epicuri congruè relegasses.

Vbi supra.
Vestium pompa nimia est.

Hodie sanè excidit effatum Musonij, qui vestibus vt clypeo vtendum dixit, scilicet ad tutamen contra temporis iniurias. Etenim præcipua fœminarum cura est in vestibus, non defendi, sed lædere oculos hominum obuiorum. Non eis est animus tegi, sed nudari supremo humero aperto, & in fomitem luxuriæ sinibus explicatis. Hæc libido mulierum præiuit ruinæ Iudæorum, qui libidine æstuantes, suo hoc piaculo prouocarunt iram Dei, vt querulus Propheta luget isto planctu. *Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos.* Philostratus ait lamias vocari etiam Empusas, & adiicit esse dæmonum genus muliebri specie adeò exquisitâ, vt qui has speciosas laruas aspexerit exerto vbere, statim earum amore flagret, effusus in sinum luxuriæ scelus anhelantem, vbi mox homò imprudens ab hoc diabolo suffocatur. Harum etiam Lamiarum meminit Cælius Rhodiginus, earum perfidiam commemorans. Iniquior sanè est sors eorum, quos nostrates hodie mulieres suis nexibus illaqueant, non semel intereunt, sed lento igne singulis quibusque morulis dira patiuntur incendia. Et quamuis iram Dei pleraque argumenta sollicitent, vnum hoc arbitror esse præcipuum, quod mulierum lasciuia fecerit orbem totum ciuitatem vnam peccatricem. Quid enim aliud hæc vbera reclusa nisi virus spargunt, quo innumeri propè homines suffusi occumbunt? Christianus orbis totus bello concutitur, concurrunt acies multo cruore litantes victoriæ, solo adæquantur vrbes, & plurima mortis imago tædium vitæ conciliat. Quid causamur æmulos Principum animos ægrè coëuntes in vnam sententiam? Salaces equidem mulieres indixere bellum, prouocauere luem, & quicquid malorum recrudescit orbe toto, illud omne effluxit à fœminis inhonestis. Cùm namque homines pelliciunt ad facinus impurum, illi declinantes à templo Dei, vt diuertant ad hæc delubra Veneris, Diuini & humani iuris incurij, omnigeno se crimine contaminant. Nonne adulter homicidio se obstringit, vt Dauid fruiturus aliena coniuge? Nonne adolescens sui impos vrgente libidine sorori non parcit, æmulatus Ammonis incestum. Demum reseratis omnium vitiorum claustris benè peccatrix fœmina nuncupatur.

Vestibus vt clypeo vtendum.
Stobæus ser. de virtute.
Thren. 4.
Philost. in vita Apollon.
Cal. Rhod. lib. 29. cap. 5.
Luxuria flagella Dei excitat.

Sunt qui credant, Magdalenam vestium luxu & nimio suæ formæ cultu fuisse illo inglorio peccatricis nomine denotatam, quia duo hæc sunt veluti præludia Veneris instantis. Teipsam semotis arbitris conueni, ô mulier, & seriò interroga, quo intento vultus tui næuos subiicis examini speculi tersioris? Quo fine hominum gratiam aucuparis? Cui bono paras vestium luxum imparem fortunæ tuæ bonis? Proculdubio mens tua malè sibi conscia respondebit hæc omnia afflare libidinem, cuius etiam participes vis facere cinædos, eorum consuetudine vsura. Hanc mulierum curam anxiam circa vestimenta, & cultiorem formæ statum esse luxuriæ negotium, esto illæ probè calleant quia impudicè flagrant, etiam liquet eo piaculo, quo se obstrinxit Athalia, cuius hanc mentionem ingloriam facit sacer textus. *Athalia impiissima, & filij eius destruxerunt domum Dei, & de vniuersis quæ sanctificata fuerant in templo Domini ornauerunt phanum Baalim.* Mulier illa sacrilega Priapi obscœnum simulacrum adorans, ei addixerat ea quæ pertinebant ad templum Dei. Ei scelestæ fœminę comites se adiungunt illæ omnes mulieres, quæ abutuntur bonis editis ad gloriam Dei. Verbi gratiâ, Deus famosas effecit aliquas mulieres, vt ea specie inspectâ homines assurgãt ad pulchritudinem Dei, cuius aspectu in templo gloriæ dignabimur. Tamen adiectis stibio & cusa conspurcatur illa forma mulierum, quæ debuit refricare memoriam templi Dei, & impenditur cultui Baalim sordidi simulacri: Bombycinas vestes vermiculatas opere Phrygio Deus gaudet assumi in sacris

2. Paral. 24.

Ecclesiæ ritibus, vt reuerentiam excitet ille ornatus locuples. Sed sexus ille mentis inops, hanc gloriam templis inuidens, bombyce vtitur ad ampla satis luxuriæ pomœria propaganda. Dextraliola, armillæ, inaures, & vnionum series pendula à collo defluens in sinum latè patentem nihil nisi libidinem afflant: & tota hæc prælibata supellex conspirat ad ornatum templi luxuriæ mancipati.

> *Galat.* 5. Luxuriæ soboles est iniqua.

Rem velut acu tetigit Apostolus ita fatus. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditia, idolorum seruitus, luxuria, veneficia, contentiones, inimicitiæ, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Quæso aduerte illum Gentium Ecclesiasten recensitâ libidine, statim subiecisse idolorum seruitutem. Nam quemcunque amor obscœnus adurit, eumdem etiam idololatram facit, quia omnem suam impendit curam, vt impudica niteant semper phana, quibus Venus adoratur. Præcipua ferè anxietas, quæ homines sollicitat, est vestium cura, quibus vt aulæis atque tapetibus obducunt hæc delubra luxuriæ, vt dum tersior ille vestium cultus allicit oculos, etiam subinde nitor cutis animum frangat, & inclinet ad turpia. Vt cuique in sua arte credendum est, audi colloquium fœminæ salacis adorsæ petulcum iuuenem. Historiam hanc recenset Salomon suo periculo edoctus, in quas angustias mulier in libidinem compta suos cynædos deducat. Sic ille explicat omnes præstigias, quibus in præceps iuuenis incautus agitur. *Occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo sua consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Apprehensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens; Victimas pro salute voui, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre; & reperi.* O veneficam mulierum industriam! Quis non illico dederit manus fœminæ commemoranti sacra, quibus velut expiata dicit se sollicitam de salute sua, in cuius gratiam vota reddidit hodierna? Quis suspicaretur inesse virus osculo, cuius tota est de pietate fragrantia? Sed præludia hæc innoxia, tristem sortita catastrophen, imprudentem hunc hominem arctis nexibus obstrinxerunt.

> Luxuriæ industria ad capiendas animas.
>
> *Prouerb.* 7.

> Luxuria vinculis est stipata.

Audiendus est Salomon ex contextu, vbi perfrictæ frontis fœmina iuuenem sic affatur. *Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto: aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies: non enim est vir in domo sua, abiit via longissima.* Reuera vir abiit via longissima, quando animus euanuit libidine defluens. Vir euasit quando intellectus excidit. Amaritudo myrrhæ & aloës synderesim clamat, cuius amarore anima sauciata fastidit illecebras, quibus inuita capitur implexa laqueis fœminæ prouocantis. Audi funus animæ subeuntis delubra luxuriæ. *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius, velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo anima illius agitur.* Ex toto hoc discursu nota, sociari funes atque tapetia, quasi eo tantùm fine vestium luxus peteretur, vt luxuriæ funibus homines irretitet: itaque, ô mulier casta, si vis constare tibi, depone meretricis habitum, & induere amictu conscio castitatis.

> Vestiū pompa mentis inopiam arguit.
>
> Ex Historia.
>
> *Laert. lib.* 2. *cap.* 12.

In habitum indecentem mulierum succensere licet eo scommate, quo feriit Stilpo Cynicum Philosophum, qui apertâ veste nudum ferè corpus obiiciebat brumalibus iniuriis. Hominis insaniam sic punxit Stilpo. Δοκεῖς μοὶ χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. *Videris mihi indigere pallio nouo, aut pallio & mente*; ἱματίου καὶ νοῦ: voces enim illæ significant pallium, & mentem. Censuræ lepos deperit Latinè redditus, & idiomate tantùm Græco viget: siquidem καινοῦ vno vocabulo nouitatem sonat, sed si distitæ voces fiant, καὶ νοῦ, tunc significabunt, & mente indiges. Profectò, mulier de nitela cutis tuæ sollicita, quando de industria nudas brachia & sinum, indiges & modestiori amictu, & mente; nimirum desipis & deliras, cum volens credi casta, meretricio habitu incedis. [illegible]

> *Panormit. lib. de rebus Al-* [illegible]
>
> Veste mediocri vsus est Rex Alphonsus.

Mentem suam benè compositam veste modesta Alphonsus Rex ritè præostendit, qui à suis admonitus vt lautiore ritu regiam maiestatem proderet, hoc responsum dedit: Malo moribus tersis præire populis, quàm cultiore amictu. Equidem optimè perpendit Rex ille magnanimus, arbitratus vestium qualitatem prodere vniuscuiusque hominis indolem. Animus namque excelsus fastidiens luxum, respuit vestes illas splendidas, velut indecoras & dedecentes hominem, cuius ingenium nobile non infertur ex prædiuite amictu, quo nec ipsæ bestiæ gloriatur. Hinc Demonax acutè pupugit hominem splendidè indutum, & iactantem vestes selecto vellere contextas. Desine (inquit ille) superbire, ô homo, tumens mutuatitio amictu: nimirum hoc vellere prius ouis induta non destitit esse pecus. Eadem animaduersione castigo tuam vanitatem, ô mulier, quæ assurgis in cothurnos, quia serico nitent vestes: nonne sericum hoc editum est bombyce despumante? Non ideo vermis ille sordidus illustrior est, quia sericum net, aliis pectendum tradens. Vis ingenuè dicam, quæ nomenclatura te deceat, ô mulier bysso & bombycina veste composita in fastum; profectò es mentis inops, ac proinde pecus insipiens. Nihil omnino sapientiæ adiiciet tibi vestis illa luculenta, quæ circumfert bestiarum exuuias.

> *Erasm. lib.* 8. *apophthegm.* Vestium luxus quomodo à Philosopho reprehensus.

Fauet & Diogenis mordacis hominis iocus, quo homines indecoro vestium luxu splendidos vocitabat χρυσομάλλους, id est, oues aureo vellere. Denique intentum meum probat luculenter Augustus, affirmans vestitum insignem esse vexillum Veneris, & nidum luxuriæ. Hoc didicerat prudentissimus ille Imperator ab Archidamo, qui cùm accepisset, Dionysium Siciliæ Regē filias suas pretiosis vestibus honorasse, ille noluit virgines has puellas hoc regium munus acceptare; veritus ne nimium compta caro animæ incultæ suspicionem faceret. Pudeat iam fœminas, quæ Christiano nomine censentur, veste meretricia mentiri castitatem, quam professione sonant: contra eas militat illud rei Medicæ proloquium, docens talem in corpore feruere humorem, qualis est color afficiens cutem; nempe exuberans humor quandoque foras prodit, vt videre est in melancholicis atque biliosis, quos dispar bilis,

> *Sueton. in Augusto.* Vestiū modestia à multis Regibus commēdata
>
> *Plut. in Lac.*
>
> Ex Re Medica.

nigricante, & croceo colore tingit. Ea prænotione fas est coniicere ingenium fœminarum: si namque deforis impudicæ apparét, audacter pronuncia ex veste indecora & sinu effuso tales mulieres esse accensos luxuriæ titiones. Nescio an Magdalena quantumuis famosa, fuerit deterior matronis illis, quæ & suas etiam filias erudiunt ad luxum, quo ipsæ infames putent naribus Angelorum. Hic teter odor arguit Deum abesse his templis fœda libidine profanatis, & illic stabulari immunda quæque animalia.

Pars Secunda Homiliæ.

Quomodo Magdalena templum animæ suæ repurgarit.

Ex Symbolis. Ioan. Ferrius part. 2. Theatri.

Adeò valida est voluptatum illecebra, vt hominem raptet totum in abyssum, vnde repedare labor est insigne facessens negotium, & cui aptare queas symbolum, cuius ideam refert Ferrus, cùm depingit labyrinthum hac epigraphe adiecta. INGRESSVS NON REGRESSVS. Etenim rari sunt qui saluis mercibus redeant è delubro Veneris, vbi nigricant omnia caligine offusa; ideoque cum modica sit spes luminis affulsuri, & propè est deplorata salus animæ implicitæ Veneris inuolucris. Tamen vt nullum omnino facinus viam præcludit misericordiæ Dei, nemo planè arcendus est ab illa gratia singulari. Et quemadmodum fictitij omnes Dij stabulantes in templo iis omnibus addicto, non obstitere quin Pantheon illud præuia lustratione fuerit Christo Domino consecratum, ita nec vitia pleraque, licet animam contaminent, officere possunt ei, si velit esse redux, & denuò sibi conciliare Deum. Primùm quod obseruat Ecclesia in repurgandis Ecclesiis, est cereorum accensio, vt eo lumine materiali significet, fieri locum illum idoneum ad Deum deprecandum, vt nobis desuper affulgeat. Eodem ritu auspicari debet anima repurgium suum: namque sine luminis obsequio Christum demerere potest. Eo præsidio Magdalena rediit in gratiam cum Christo, cui se totam ex animo deuouit in templum nusquam posteà profanandum. Namque sacer textus commemorans huius animæ pœnitentis exordia, sic rem quasi oculis subiicit. *Ecce mulier in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* (Luc. 7.)

Ex philosophia. Arist. li. 8. Metaph. c. 5. text. 10. Cognitio sui est initium pœnitentiæ.

Incunabula pœnitentiæ fœminæ huius perquàm celebris petenda sunt à lumine quod affulsit ei, vt intelligere est his vocibus: *Vt cognouit.* Quare autem conuersionis animæ primordia peculiarem sui notitiam inuoluant, disce hoc discursu. Anima rationalis etsi hominis forma sit, in eo conuenit cum formis aliorum animalium, vt beneficio eius homo multas actiones exerat eiusdem sortis & farinæ cum bestiarum actibus, vt sunt edere, & luxuriari. In his præcipuè actionibus homo peccat, vtpote ritu pecorum viuens, nec hominem sic agere quispiam dixerit eum qui epulis & libidini vacat; quippe etiam cætera animalia carnitoria ingurgitant sese, & etiam luxuriant. Cùm ergo pœnitere, sit alias inire vias ab eis, quas incautè triuit homo imprudens; operæ-pretium est eum, qui de meliori fruge cogitat, assurgere in aliud schema viuendi, ab eo quod antea secutus est. Sed nequit homo assurgere vltra bestiarum indolem nisi conscia ratione, cuius vsus est cognitio discursiua, cuius beneficio homo, Deo hanc eleuante, inauguratur infulis gratiæ, quibus exciderat. Benè ergo Euangelista texit historiam animæ fastidientis iniquitates suas, hoc tenore: *Vt cognouit.*

2. Mach. 2. Gratiæ Dei illapsus præit peccatoris conuersioni.

Hebræi templum profanatum initiaturi sacris mysteriis, requirentes ignem sacrum, & lustrantes locum vbi reconditus fuerat, deprehenderunt ignem illum degenerem abiisse in aquam luteam, quam Nehemias hauriens, & rutilo Soli explicans, illa repetiit priorem formam ignis. Vt res ista liquidior fiat, consulendus est sacer textus. *Nehemias nepotes eorum, qui absconderant ignem, misit ad requirendum: & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et iussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia quæ imposita erant iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna quæ erant superposita. Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus itavt omnes mirarentur.* Cum libertate sua exciderunt Hebræi ducti in Persidem, ignis sacer extinctus est, & in eius locum suffecta aqua limo inspissata. Magdalena iunior educata in templo cum cæteris virginibus, quas impubes ætas sacris ædibus occluserat, aliqua rudimenta amoris Dei didicerat. Sed ille ignis euanuit, quando pruriente pubertate capta est sensuum illecebris. Puella calens amore Dei sensim intepuit, demum obriguit infecta voluptatum aspergine, quando fuit arctis luxuriæ nexibus irretita. Sed vbi hoc templum restituendum fuit prisco decori suo, Sol qui hactenus fuerat in nubilo, quando Magdalena & Dei & sui immemor excæcata vitiis genio indulgebat: Sol, inquam, ille superans densitatem nubium obductarum, quando mulier illa caligans cognouit suam sortem iniquam, statim eam reduce amoris igne accendit, quo subitò exarsit, à fœda colluuie Veneris expiata. Itaque sicut beneficio coruscantis Solis aqua concepit flammas, quasi desuper illapsas; simili ferè modo peccatrix hæc mulier incaluit amore sacro, cùm ei reprobæ suæ vitæ series innotuit. Hinc igitur auspicare, ô reprobe, si anhelas te recipere aliquando in meliorem frugem. Magdalena vt cognouit, subitò conuenit Christum. Ita & tu, si quæ illuxerit cognitio peccatorum, confestim consules animæ Saluatorem.

Ex SS. Patribus. Psalm. 118. Ambros. in Psalm. 118. Examẽ conscientiarum præuiũ pœnitentiæ.

Consule ergo tibi beneficio huius notitiæ, te ipsum explora, & subiice disquisito examini, illo namque tantùm lumine prætio peruenitur ad Christum: eaque fuere præludia omnium hominum pœnitentum; quorum Rex ait. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Vbi Ambrosius. *Omnia igitur cum cogitatione facito, vt non te pœniteat operis tui, &c. Cogitandum est quid geramus. Vbi enim præcedit cogitatio, maturitas operationis adhibetur.* Prodigus ille, quem Christus in specimen pœnitentiæ obiecit, nunquam rediisset ad patrem suum, si antea ruinas animæ suæ seriò minimè perpendisset. Hoc eloquenter aduertit Chrysologus. *In se reuersus est; in se antè redit, vt rediret ad patrem, qui à se antè recesserat, cùm recessit à patre.* Reuocandos esse actus nostros (Chrysolog. serm.)

ad

ad trutinam, & cenſuram Chriſtus ipſe præmonuit compendioſo eloquio, ita homines adhortatus: *Attendite vobis.* Reuera vacare nequit cogitatio in homine: vt non ergo mens errabunda recolat aliorum facta, ſed potius ſua luſtret facinora, Chriſtus opportunus adeſt hoc monitu, quem ſic expendit Chryſologus. *Ille attendit ſibi, qui non alienis actibus importunus, impudens, curioſus intendit. Vagus oculus, laſciuus intuitus, improbus aſpectus, ſuas non reſpicit ad ruinas: alienos currit & decurrit ad lapſus: ſua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet: malorum ſuorum neſcius, alienorum eſt accuſator & teſtis: ſuum tepidus ad reatum, ad alterius & innocentis inflammatur & excandeſcit examen.*

Cognitione ſui illuſtres ſunt iuſti omnes.

Serm. 139.

Diabolus æmulatus ingenium Dei, hominem impium ſibi aptauit in delubrum, & adinſtar altaris ſacri, cui incubat ignis ſanctus, Angelus ille nequam in corde humano noxij amoris incendia ſuſcitat importuna. Ideóque monet Auguſtinus eſſe rimanda penitiora quæque animæ noſtræ, vt inueſtigatâ indole ignis eius, qui depaſcit corda noſtra, reſciamus ſimus templum Dei nec-ne. Sic ille: *Quia duo ſunt ignes, cupiditatis ſcilicet, & charitatis; & vnus de parte Dei, alter de parte diaboli: vnus deuorans omnia mala; alter vniuerſa bona conſumens: conſideret vnuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſi in ſe videt ignem cupiditatis ardere, cum Dei adiutorio feſtinet extinguere: quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit: ſicut è contrario nihil in eo remanebit, in quo ignis arſerit charitatis. Flamma enim cupiditatis in corde peccatorum velut in altari deuorans omnia bona, diabolo odorem ſuauitatis exhalat: in anima verò ſancta, velut in ſacro-ſancto altari flamma charitatis quæcunque ſuperuenerint mala conſumens; Deo odorem ſuauitatis exhibet. Et quia vniuſcuiuſque cor altare eſt, aut Dei, aut aduerſarij; attendat vnuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſi cupiditatis igne conſumitur, eleemoſynarum refrigerio mitigetur; quia ſcriptum eſt: Sicut aqua extinguit ignem; ita eleemoſyna extinguit peccatum. Qui ergo cupiditate conſumitur, ſubtrahat à ſe opera mala, & quod bonum eſt exercere conetur. Qui verò flamma charitatis accenditur, ſemper bonis operibus augeatur, & nutriat in ſe ignem, quem in eo Chriſtus dignetur accendere.*

Aug. ſerm. 255. de tempore.

Amores duo diuerſi corda noſtra ſollicitant, vt egregiè ait Auguſtinus. Cor hominis eſt altare.

Magdalena vtrumque præſtitit: nam accenſum cupiditatis ignem lacrymis extinxit, & emortua amoris incendia congruo bonorum operum fomite ſuſcitauit. Hæc anima pœnitens æmulata eſt facinus eximium, quod Scriptura commemorat de Manaſſe Rege, qui Deo aliàs iniurius, idolorum cultu & profanatione templi, poſtea ſui compos edidit ſpecimen inſigne pœnitentiæ, quam ſeries hiſtoriæ ſic recenſet. *Cognouit Manaſſes quòd Dominus ipſe eſſet. Et abſtulit Deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini; aras quoque, quas fecerat in monte domûs Domini, & in Ieruſalem: & proiecit omnia extra vrbem. Porrò inſtaurauit altare Domini, & immolauit ſuper illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepitque Iuda, vt ſeruiret Domino Deo Iſraël.* Cognitione præambula Manaſſes ſe accinxit ad expiandum templum, quod antea profanarat. Magdalena vt cognouit ſe contaminatam ſimulacris plurium rerum impiarum, omnia protruſit foras. Primò liquauit omnes reprobos affectus ſuos, & eos reſeratis oculis procul abegit. Fregit aliud inſigne idolum, nimirum alabaſtrum, cuius vnctione conciliabat cuti ſuæ fragrantiam quam afflabat. Veſtes ad libidinem compoſitas, gemmas, & pigmenta depoſuit, vt eiectis illis ſimulacris è templo Dei, repurgaret illud, denuo priori ſuo Domino conſecratum. Pulsâ foras omni ſupellectile immundâ, ſe totam aſperſit largo lacrymarum imbre, vt eo profluuio ſordes ablueret, quæ multæ ex vitiis emerſerant. Lacrymæ eius etſi elingues auditæ ſunt à Chriſto veniam copioſo fletui condonante. Si ergo tacitum te facit quæpiam noxa grauis, defle piaculum, & confide lacrymas exorabile.

2. Paral. 33.

Aduocandus Ambroſius in gratiam lacrymarum, quas mirum in modum laudibus effert, ita fatus: *Quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Et veniæ fletus conſulunt, & verecundiæ. Lacrymæ ſine horrore culpam loquuntur. Lacrymæ crimen ſine offenſione verecundiæ confitentur. Lacrymæ veniam non poſtulant, & merentur.* Quàm efficaces fuerint Mariæ Magdalenæ lacrymæ inde collige, quòd ſcilicet adeò promouerunt conſecrationem templi eius, vt eadem dicta prius in ciuitate peccatrix, dicatur *Stans retro ſecus pedes eius*, id eſt Chriſti, ad quem accedere nulli conceditur, niſi cordibus expiatis.

Ambr. in Luc. lib. 10. in cap. 22. Lacrymarum vis eſt efficax ad lauandum.

Conſideranti mihi reſurgendi alacritatem in fœmina illa ſtante, occurrit placitum Hippocratis, quo coniicit ægri res benè ſe habere, & inſtare ſanitatem. Sic ille. Στρέφεσθαι δὲ ῥηϊδίως χρὴ τὸν νοσέοντα, καὶ ἐν τοῖσι μετεωρισμοῖσιν ἐλαφρὸν εἶναι. *Oportet autem facilè conuerti ægrum, & alacrem eſſe in exurgendo.* Nihil ſanè fuit Magdalena alacrius in vltima morbi ſui periodo. Namque vt cognouit Chriſtum diſcumbere in domo Simonis, illa in procinctu criſis erumpentium lacrymarum expeditè ſurrexit currens ad medicum, coram ipſo, ſui morbi omnes reliquias effuſura.

Ex re Medica. Hippocrat. lib. coac. cap. 1. prænot. 2.

Chryſologus rem hanc comptiore ſuo eloquio proſequitur. *Quid eſt quod hæc mulier ignota, imò malè nota, onuſta luctibus, plena lacrymis, clamoſa planctu, neſcio ianitore, nullo conſcio, ipſo ignorante paſtore, domus aditus percurrit omnes, tranſit totas miniſteriorum catervas, ipſum conuiuij peruolat ad ſecretum; & facit domum lætitiæ, domum lamentationis, & planctus? Fratres; non rogata venit illa, ſed iuſſa; intrauit exhibita, non præſumens: ipſe ſic fecit eam ſiſti ſibi, qui illam cœleſti ſententia iuſſit abſolui.*

Pœnitentia non erubeſcit.

Ex SS. Patribus. Chryſol. ſer. 93.

Alio planè ritu ſuos ægros ſanat Chriſtus, & methodo diſpari omnino ei quam ſequuntur alij medici, qui potiones propinant. Nempe Chriſtus exigit à decumbentibus lacrymas, quas ipſe prouocat influendo. Ille autem exortus fletuum eſt veluti ſudor qui diluit morbos. Præterea idem effluxus lacrymarum eſt aſperſio inſignis, qua præuia, ædes ſacræ antea pollutæ, denuo conſecrantur. Pergit Sanctus Chryſologus. *Venit mulier, & venit retrò: quia reus animus poſt tergum ſtat ad veniam: quia per culpam nouit ſe vultus fiduciam perdidiſſe: venit ſatiſfactura Deo, non homini placitura, cùm venit, pietas illa, non voluptatis exhibitura conuiuium: denique & pœnitentia ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in menſura, & ad delicias deitatis totas, totam pulſat cordis ſui & corporis*

Pœnitentiæ qualis ſit pudor.

corporis symphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam: & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpe percutit, facit placitura Deo Cymbala personare: dumque taliter apportat diuinis oculis cibos, totas misericordiæ copias sic reportat.

Sacer Machabæorum textus commemorat contaminatas ædes sacras, restitutas fuisse decori suo pristino trifariam. Primò igne accenso diuinitus. Secundò aspersione aquæ. Tertio demum victimis immolatis. Ex præfatis duo in Magdalena constitere nobis, lumen scilicet, cùm cognouit, & aquæ inundatio quando lacrymis cœpit rigare pedes Domini. Vnum est quod superest, videlicet immolatio bestiarum: quippe in hoc ritu omnis vertitur cardo animæ repurgatæ. Multi namque præuia indagine sedula rimantes quali indole suum agant æuum, equidem norunt, quàm sit sibi curta supellex, imò & lacrymas adiiciunt indices mœroris, quo præteritorum reatuum memor anima contabescit. Sed hæc præludia non sortita finem consonum prælibatis initiis, pœnitentiam illam damnant, cui deest illa immolatio bestiarum requisita, vt sicuti par est templa Christo Domino consecrentur. Huic parti præcipuæ Magdalena non defuit: enimverò positis vilibus huius sæculi crepundiis, seipsam totam ad instar victimæ Deo vouit. Parum fuit abiecisse delicias; namque illud tantùm est pœnitentiæ præambulum: sed rei summam adiecit sitam in immolatione; quippe inedia, vigiliis, aliisque ritibus, qui facessunt corpori negotium, luit pœnas, quas retroactæ vitæ series exigebat.

Greg. hom. 33. in Euang. Pœnitentia nescit seruare modum.

Audiendus in hoc themate Gregorius. *Cogitanti mihi de Maria Magdalena pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Considerauit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingressa est, non iussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit.* Hoc contextu Gregorius recenset lumen siue notitiam, item & aspersionem seu lacrymas, quibus abluta hæc victima desudauit. Ne quid autem infectum suspicareris in hoc absoluto specimine pœnitentium; pergit ille describere, quomodo illa se aptarit in holocaustum tot sibi indicendo pœnas, quot antea moras sensuum illecebris indulserat. Sic ille:

Ibidem.

Pœnitentiæ bonus est odor.

Vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum; vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.

Ex Ivre Civili. L. 14. Cod. de furtis. Furti conscius fur furto obnoxius.

Magdalena vltro subiit illam sententiam, quæ eos obstringit corporali pœnæ, qui scientes ea recondunt, quæ alieni serui furtim dominis ademerunt. Ecce legem. *Eos qui a seruo furtim ablata scientes susceperint, non tantùm de susceptis conuenire, sed etiam pœnali furti actione potes.* Magdalena hac lege tenebatur luere in corpore quod in specie simili rependere non poterat. Nempe suo indecoro corporis habitu plurium hominum corda sibi deuinxerat, eo facinore sibi vendicans amorem, quem illi proci adolescentes debuerant Deo suo Domino referre, penes quem sunt omnia amoris argumenta. Et quia fortè aliquos sustulerat ætas immatura libidine sauciata, Magdalena eorum sortis iniquæ conscia, huiusce piaculi pœnitens pœnas a se congruas expetiuit. Hinc illud ingens sacrificium corporis sui, quod diu noctuque lacessebat ærumnis. Et esto amoris sui in Deum præstitisset antea specimina; tamen credidit operæ-pretium esse, adiicere molestias corpori iniurias, vt cruciata caro satisfaceret Deo, quem toties offenderat conquisitis sensuum illecebris. Demum consecrationis suæ historiam Maria conclusit, morem gerendo isti legi à Deo latæ. *Ignis in altari semper ardebit.* Enimverò amore flagrans mulier hæc contrita, nulli posthac deliquio fuit obnoxia; sed velut in fornace degens, inextinguibili arsit incendio, quo & ipso etiam pœnitentiæ illius exordio absumpta fuere illius omnia pessima facinora retroacta. Leuit. 6.

Amor Dei debita nostra omnia soluit.

Si itaque, ô homo delicate, nequis imitari Magdalenam experientem duros agones, & crebras victorias de afflicto corpore reportantem; æmulare meliora charismata, scilicet amoris æstum, quo pœnitens hæc anima conflagrauit. Si amare piget, nihil omnino superest, quo declinare queas ignem vindicem tuorum reatuum. Si mel ingratum sapit ori tuo: quomodo capieris cupidine amaroris, quo pœnitentia austerior inficit ora hominum pœnitentium. Annue consilio Chrysologi, ita suadentis. *Audistis quemadmodum cælestis creditor, totum debitum charitate compensat, & ad incrementum totius fœnoris, amoris solius exigit & requirit vsuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem. Vis scire homo, quid Deo debeas? Quod factus es, Dei creditum est: quod es rationis capax, Dei fœnus est: quod discretionem mali, bonive possides, accepisti; & quod viuendi normam acceperis per chirographum legis stipulantis Deo spopondisse te non potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis demergis, & quadrupedum more viuens, quo proditus es ratione priuaris, & in gurgite criminum bori, malive perdita discretione confundis, & diuinæ legis substantiam dissipas, mundana voluntate captiuus, factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus, cui deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur vsura. Sed licet in hac re cecideris, licet fueris in ista deuolutus, vide ne desperes; homo remansit tibi, vnde piissimo satisfacias creditori. Absolui vis? Ama, charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Ama ergo homo Deum, & ama totus, vt possis omnia sine labore vincere peccata. Tenera militia, delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam.*

Ex SS. Patribvs. Chrysolog. serm. 4.

Peccata nos de iure Dei constituunt.

Amor de criminibus reportat victoriam.

Ex Historia. Franc. Petit. in hist. Batauorum sub an. 1436.

O Dei misericordiam! ô pietatem! Principes huiusce sæculi, in quos bonitatis præcipuè titulos ipsi populi refuderunt. Illi, inquam, terræ Domini quantumuis pij, nolunt esse inultas offensas suas, quas multo rebellium sanguine diluunt; & tamen Deus Rex Regum omnia amore vult constare nobis. Seueritatis etiam in minori Principe exemplum insigne celebratur, eâ censurâ quâ in Brugenses animaduertit Dux ille Burgundiæ

Burgundiæ, quem Bonum nuncupant. Ille à Brugensibus turpiter eiectus, & huic impar iniuriæ, eam sic vltus est. Ciues hos omnes proscripsit, eorum capita deuouens morti. Ciuitatem illam eo feriit anathemate, vt in eam introeundi ius omne ademerit, & inde rerum penuria rebelles hos quàm maximè afflixit toto biennio. Ærúnis saturata vrbs ea perduellis, Duces Aurelianensem, & Cleuensem intercessores adhibuit, à quibus exoratus Philippus ea lege recepit vrbem illam in gratiam. Primò capitis sententiâ dixit in auctores defectionis: his sublatis è medio, ciuitas effusa nudis pedibus occurrit Duci suo pompaticè redeúti, & repetenti vrbē, qua inglorè pulsus antè fuerat. Porta quâ prius exierat Dux ille inglorius muro obducta est, & illic exstructa Ecclesia, vbi quotidie fiebant sacra. Demum adeò graue æs impositum fuit vrbi illi, vt pecunia collecta quingenta millia nummorum effecerit.

Pœnitentia imposita Brugensibus à Duce Burgundiæ.

Esto ita animaduerterit in Brugenses Dux ille Bonus; nullam tamen ideo notam sæuitiæ incurrit. Nonne ergo salua Dei pietate pœnitens anima luere potest pœnas congruas illi sententiæ, cùm se grauiori piaculo obstrinxerit? Nimirum homo impius Deum à se abegit, vnde & statim proscriptus est, totumque diris se deuouit. Illico stetit gratiarum influxus, raraque fuere Angelorum commercia cum anima perduelli. Sed illa oppressa angustiis, adhibet sanctos apud Deum, qui exorent. Sacerdotum pedibus aduoluitur, vt Deum inclinent ad veniam. Hæc industria omnis non incassum: inflectitur Deus, hominumque delet scelus, præuiâ hâc cautelâ; scilicet vt omnino disperеant praui affectus, qui animam ad defectionem à Deo primitùs induxerunt. Sic nudipes anima Deo occurrit, lacrymarum imbre madens. Nempe affectus sunt animæ pedes, qui nudantur cùm purgantur. Præterea Deus vult occludi fores, quibus apertis trusus est foras. Illæ sunt sensus omnes, & cor creaturis inhians. Obserandi sunt sensus, ne quid ampliùs Deo iniurium cor subeat, ipsum etiam vitiis omnibus occludendum. Æs impositum, erit eleemosyna, qua sunt redimenda peccata. Demum sacellum erectum in porta, qua Deus eiectus est, erit votum constantissimum obsequendi Deo, charitate accensa, quæ cor Christo dicat; vbi iugis erit immolatio ipsius animæ Deo sacræ & bestiarum quæ occurrent, id est voluptatum, quæ pruriens caro suggerit in animæ perniciem.

Pœnitentiæ sartæ tectæ exemplum.

Pœnitentia Magdalenæ qualis fuit.

Ex SS. Patribus. *Chrys. ser. 93.*

Pœnitentiæ typus in Magdalena.

Hunc Magdalena contextum absoluit totum, cùm inflexit Deum ad veniam: quippe desudans fletuum diluuio testata est suas angustias. Supellectile sua effusa ad pedes Christi totum contulit æs quod habebat. Amore decocta cor suum clausit sensuum illecebris, & insuper illud idem factum iuris Dei, suo huic amantissimo Domino consecrauit. Et ne deesset sacrificium; ipsa se fecit iuge holocaustum mactando omne quod bestiam redolebat. Ne ergo nobis Magdalena fiat inane simulacrum pœnitentiæ, hoc vnum pudeat non posse fœminam imitari. Morem geramus Chrysologo sic hortanti. ***Imitemur hanc mulierem, quam conspicimus non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem peruenisse. Si nos esse peccatores nouimus, & esse nolumus peccatores, pedibus Christi demus lacrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota deuotione fundamus, vt dicatur nobis: Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum.*** Equidem optimè Chrysologus, cui ego adiicio, illud præcipuè debere insidere animo pœnitentum, scilicet, vt iuge sit sacrificium, ne ingruentes bestiæ suo fimo templum denuo contaminent: id est, præcipua animæ reducis cura debet esse in extirpandis reprobis affectibus, quos communis cum bestiis suggerit appetitus. Alioquin hiulca erit atque spuria pœnitentia, quam polluet culpa repetita, vt explicat iste Canon. *Ille pœnitentiam dignè agit, quiquè commisit, sic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi quis lauet laterem crudum: quia quantò magis lauerit, tantò magis lutum facit.*

Pœnitentia integra qualis esse debet.

Ex Ivre Canonic. *Can. Ille pœnitentiam. De pœnit. Distinct. 3.*

Vt ea digneimur gratia, qua Magdalenam insigniuit Christus, illius etiam cautelam imitemur accedendo ad Christi pedes, quasi esset conculcanda vestigiis Domini Saluatoris. Ibi mulier illa prudens experta est veritatem effari, quod apud Mathematicos increbruit, scilicet stellam errabundam, quæ subiicitur Soli, deponere omne virus si quod habet, & eo sidere influente fieri beneficam, quia Sol eminens potenter influit in subiectum hunc Planetam. Hactenus errauerat Magdalena, gyrans impiorum more, qui in circuitu ambulant; hodie sistitur Soli in meridie: namque aduoluta pedibus Christi, infra Solem fuit dignata propitiis eius aspectibus, cuius tota amore incanduit, & virus omne peccatorum euomuit, innocentiæ nitori pristino restituta. O homo, quid cunctaris ad Deum accedere post errores tot & tãtos: adhærere Deo, tibi quàm bonum sit, non est humani eloquij exprimere: nimirum hoc experimentum est dũtaxat penes animam Christo Domino consecratam? Hoc memento si quando ritũ expleueris dedicationis nouę, seu expiationis, fuisse in templo duo altaria, vnũ victimis erectum, & alterum thuri, quorum mysticum sensum sic discutit Augustinus. *Quia habitare, & inambulare desiderat in nobis Deus, cum ipsius adiutorio ita cor nostrum studeamus bonis semper cogitationibus occupare, & corpora nostra ab omni sorde luxuriæ munda vel casta iugiter custodire, vt Deum in nobis delectet habitare. In templo enim à Salomone ædificato legimus duo altaria fuisse cõstituta, vnum foris, aliud intus. In illo quod foris erat, animalium cædebatũr sacrificiũ. In illo verò altari quod intus erat, thymiamatis offerebatur incensũ. Videamus ergo, ne fortè in nobis duo sint altaria constituta, corporis scilicet, & cordis nostri. Denique duplex à nobis sacrificium quærit Deus, vnum vt simus casto corpore, aliud vt mũdo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro offerantur opera bona, in corde odorẽ suauitatis redoleat recogitatio sancta. In altari cordis nostri iugiter quod est Deo placitum operemur. Tunc enim ordinem legitimum consecrationis altaris cum gaudio celebramus, quando altaria cordis vel corporis nostri munda & pura in conspectu diuinæ maiestatis offerimus. Nam nescio qua fronte aut qua conscientia optat in altaris consecratione gaudere, qui in cordis sui altari non studet munditiam custodire.*

Ex Mathematica. *Schonner. lib. de virtutib. us Planet. cap. de Sole.*

Templum animæ quomodo debeat disponi vt Deus illud inhabitet.

Ex SS. Patribus. *Aug. ser. 255. de tempore.*

Sacrificium duplex, à nobis quærit Deus.

Castos homines solùm Deus inhabitat.

Congruè ad hanc Augustini sententiam ego affirmo, non esse impiis quod lætentur de expiatione Magdalenæ, & influxu gratiarum in cor eius, si de meliori frugе parum solliciti nolunt dare Deo manus, vt suo toto quod superest, eius obsequio mancipentur.



FERIA SEXTA DOMINICÆ PASSIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VT nequitia sibi malè semper conscia est; ita Iudæi infensi Christo nusquam sibi benè constiterunt: & hinc ortum illud præsagium, quo dixere omnes credituros in Christum, & Romanos venturos, qui exterminarent & locum Iudæorum & Gentem. Pessimè sibi ominans Gens illa nequam, nihilo tamen cautior effecta est, semper exosa Christum, in quem dico primò omnes credidisse, quando prædestinati dedere nomen suum Christianæ fidei. Quippe vox hæc *Omnis* quidpiam integrum sonat: at reprobi deficiunt atque adeò hac voce censeri nequeunt.

II. Secundò dico Romanos deleuisse Gentem Iudæorum, quando Ecclesia Romana propagante fines suos, nullus fuit Iudæo locus residuus, vbi Synagogam posset extruere.

PRÆFATIO.

Omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & Gentem. Ioan. 11.

DVM prægnans Rebecca geminos vtero circumferret, & facesserent ei negotiũ infatuli cœco cõclusi ergastulo, hoc à Deo accepit oraculũ. Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex tuo ventre diuidentur, populusque populum superabit,
Genes. 25. & maior seruiet minori. *Ex Esau maiore natu orta est Gens Idumæa, vnde Gentiles oriundi. Gens verò Iudæa Iacobo Patriarchâ sata est, quæ dum irrupit in terram Chanaan; & illic rerum potita est, Idumaam etiam adiecit suæ ditioni. Sic esto Esaü Iacobum fratrem suum afflixerit; tamen Iacob inualuit, posteritate sua Idumaam subiugante. Ea planè fuit sors Ecclesia cum Synagoga concurrente. Christo edito in humanis, terra duobus erat subiecta populis, Iudæo scilicet, & Gentili. Gentes illæ variis erant dissitæ ritibus, eorumque discolor indoles coire non poterat. Hodie capitis sententiam in se dixit Gens primogenita, quando abiurando Christum, asseruit omnes in eum credituros, & venturos Romanos in excidiũ Gentis, quæ hactenus aliis Gentibus insultarat. Ecclesia incunabula veridicum fecere præsagium. Nam etsi exilia fuerint fidei Christianæ primordia, & Synagoga Stephanum & Iacobum occiderit; pubescente tamen germine Christiano, fides adoleuit, & eò assurrexit, vt Synagoga omnino defecerit, vix ferè extantibus hodie reliquiis Iudæorum; & ita maior seruit minori, Iudæis subiugatis à Gentibus, quas hactenus elato supercilio despexerat Synagoga quidem oppressit Christum, sed ille vt alter Samson moriens ingentem ruinam induxit super eam. Ecclesia namque exorta de latere demortui Domini congruam de Synagoga vindictam expetiit. Si in Iesum morientem Iudæa nouercam se præstitit, Maria matrem se ostendit: hanc veneremur.* Aue Maria.

ESto Hebræis promissus fuerit Christus, vtpote satus eorum sanguine; tamen editus ille hominum sospitator, neminem aspernatus est. Imò adhuc in incunabulis pertæsus Iudæorũ perfidiam, beneficio stellæ euocauit aliquos Gentium Reges, vt in eorum obsequio primitias exciperet omnium Gentilium, qui coëuntes in ouile vnum, debebant fines Ecclesiæ propagare. Nimirum fides est lucerna, quæ non debuit abscondi sub modio vnius prouinciæ, sed euehi super candelabrum, vt aliquando cunctis Gentibus illuceret. Idipsum præfatus est antea Christus hoc contextu. *Alias oues habeo, quæ non* Ioan. 10. *sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Vide amabo, quàm opaca sint hominum impiorum pectora. Credidere Hebræi suæ Genti & ritibus inolitis consulere, & extirpare fidem Christianam, si tollerent è medio Christum; & tamen eo consilio subscripsere intento Dei, qui morte Domini statuerat ponere prima fidei fundamina. Dicam primò; omnes Christo credidisse quando prædestinati adsciti sunt in caulas Ecclesiæ. Nam infideles quia nihil sunt, non censentur in numero omnium. Secundò dicam, venisse Romanos, & Gentem illam Christicidam perdidisse, quãdo Romana Ecclesia pessum dedit Synagogam, expungendo ritus omnes, quibus ille perduellis populus inoleuit.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Soli prædestinati plenè & perseueranter perfectam fidem habent.

COnsilio hodierno, quo conuenere Hebræi concludentes mortem Christi, nescij quid

quid dicerent præfati sunt salutem mundi, & ruinam suæ Gentis, Dixerunt expedire mori vnum hominem pro populo. Adiecerunt omnes in eum credituros, atque adeo fore vt Synagoga pessum-iret. Congruus dicto euentus fidem fecit præsagio: quippe occasus Christi fuit oriens Ecclesiæ, cuius ambitu duntaxat salus indubia continetur. Quomodo autem omnes crediderint in eum, ardui est hoc scrutinij, in cuius gratiam, nota res denominari à nobiliori parte, & non ab ea quæ ingloria est. Verbi gratiâ, homo dicitur animal rationale, quia compos est rationis, quæ præcipua in homine pars est. Ita cum Beati potiorem hominum partem adstruant, & beatitudo citra fidem nequeat comparari, prædestinatos intelligo, quando audio omnes credituros in Christum. Namque illa vox, *Omnis*, perfectos ritè designat, ex Hebræo fonte vnde desumitur hæc dictio כל *col*, *omnis*; siquidem radix eius vocis est כלל *calal* perfecit. Vnde eadem radice apud Hebræos effertur perfectio, qua & dictio omnis. Itaque hoc constans esto, omnes perfectos, id est prædestinatos, adhærere Christo, à quo tantùm distrahuntur illi, qui nihil sunt, scilicet impij.

Omnis, vox est designans solos perfectos.

Ne meam sententiam delirium arbitrere, accipe vnum ex Sanctis Patribus mihi præeuntem in ea discussione vocis, *Omnis*. Hic est doctissimus Cardinalis Damianus, qui expendens quomodo Christus exaltatus traxerit omnia, sic benè commentatur. *Non ad se proditorem Iudam traxit, non sibi latronem impium sociauit: sed omnia, idest, omnes duntaxat electos, ad proprij contubernij culmen erexit.* Accedit auctoritas Scripturæ sanctioris, quæ mihi propitia sensum vocis huius enucleat congruè ad intentum meum. Ecce contextum idoneum ad fulciendam meam sententiam. *Deum time, & mandata eius serua, hoc est enim omnis homo.* Nimirum ille, qui omnimodum obsequium Deo præstat, nulla parte sui bestiam redolet, sed est vndique teres atque rotundus, & vndequaque hominem sapit. At secus quicunque se incurium præstat mandatorum Dei, & genio indulget, profectò degener est, & ingloriam pecudis indolem stupidus æmulatur. Quà namque peccat, inde etiam bestiarum induit ingenium, & sic esto præferat hominis habitum, nequit tamen dici omnis homo. Hoc igitur indubium & ratum sit, vocem illam, *Omnis*, pertinere tantùm ad perfectos, quos Deus præordinauit ad gloriam; ita vt dicere omnes credituros in Christum, perinde sit, ac omnes prædestinatos adhæsuros Christo, & futuros fidei eius impigros sectatores.

Ex SS. Patribus. Damian. lib. 5. epist. 13.

Omnis homo quis sit. Eccles. 12.

Quare autem illi, quos Deus præstituit ad gloriam, dignandi sint perfectæ fidei charismate, disce ex Philosophiæ principiis, quibus res est in confesso apud omnes, scilicet eum qui efficaciter vult finem, velle etiam & media; eodem nempe actu animus afficitur erga media & finem, & quo magis media sunt idonea ad comparandum finem, eò etiam magis percellitur animus ad hæc inuestiganda, nec desistit actio agentis, quin gaudeat fine concupito, vt docet Aristoteles. Ergo cùm Deus beandos homines, ad gloriam ediderit, eodem etiam decreto voluit eos initiari sacris fidei mysteriis, vtpote mediis necessariis ad gloriam comparandam, quæ cùm sit superioris ordinis, nequit attingi vllo conamine humano, sed indiget auxiliis consonis, scilicet gratia, quæ fidei tantùm ostio subit animas hominum adultorum. Ideo Theologia recensens prædestinationis effectus, vocationem præmittit vt præeuntem iustificationi, sine qua nemo euehetur ad gloriam, ad quam his gradibus ascenditur, quos Paulus enumerat. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Quia igitur prædestinatio frustrari nequit suis effectibus, quos indubiè sortitur in his ad quos porrigitur, & fides infusa prior est in his, liquet omnes prædestinatos fore fideles. Nam etsi prædestinatio non sit aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantùm, est enim quædam pars prouidentiæ: prouidentia autem non est in rebus prouisis, sed est quædam ratio in intellectu prouisoris. Ita & prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existens. Executio autem huius ordinis est passiue quidem in prædestinatis; actiuè autem est in Deo. Ergo cùm vocatio ad fidem pertineat ad executionem prædestinationis, quæ nunquam irrita est; sanè electi omnes, quibus adulta concesserit ætas, in Christum credent, fietque palàm mea conclusio, affirmans omnes in Christum credituros. Vidimus namque supra vocem, *Omnis*, supponere pro perfecto. At nemo perfectus est nisi beneficio fidei, quam charitas sequitur. Igitur operæpretium est, eos omnes credere in Christum, qui prædestinationis obsequio gaudere gestiunt.

Ex Philosophia. Arist. lib. 1. de Generat. cap. 7. text. 55. Fidei necessitas adstruitur.

Ex Theologia. Rom. 8.

Thom. 1. p. q. 23. art. 2. Prouidentia quid sit.

Fidei beneficio sumus perfecti.

Augustinus suo suffragio meam sententiam adstruens ita fatur: *Inseparabilis est quippe bona vita à fide quæ per dilectionem operatur; imo verò ea ipsa est bona vita.* Idem non aliunde discernit iustos ab iniustis, quàm ab hac tessera fidei illibatæ. Sic ille: *Nostra fides, hoc est catholica fides iustos ab iniustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit. Quia iustus ex fide viuit.* Cùm audis, fidem iustificare sine operibus; hoc recole, scilicet bona opera esse in duplici differentia. Alia namque possunt præcedere fidei influxum; & de his intellige propositionem quæ concludit, opera nostra gratiâ minimè parturire. Si verò res sit de operibus quæ quis exandat initiatus fidei mysteriis, indubiũ Ecclesiæ dogma est, huiusmodi opera conducere ad incrementum gratiæ, si fiant comite charitate. Ita Augustinus. *Sine charitate fides potest quidem esse, sed non & prodesse: propter quod & Apostolus Paulus, In Christo Iesu, neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Rursus fidem & charitatem non haberi inertes, sed stipari etiam aliis operibus, ille idem sic affirmat, ita effatus: *Fides spe nutritur, vt corpus cibo reficitur. Dilectione animatur vt corpus anima viuificatur. Dilectio autem operatione comprobatur. Vnde fides sine operibus mortua esse affirmatur.*

Ex SS. Patribus. Aug. lib. de fide & operibus c. 22. lib. 3. cont. duas. epist. Pelag. cap. 5. Fides perfecta simul est cum bonis operibus.

Lib. 15. de Trinit. cap. 18.

Fides sine charitate non prodest. Lib. de cognitione veræ vitæ cap. 37. Fides charitate animatur.

Esto nihil conducat ad gratiæ influxum, tota series planetarum & sit graue piaculum tribuere siderum aspectui beneuolo fidei illapsum, cùm Dei solius sit donum gratuitum non cadens in meritum, iuxta sententiam Apostoli affirmantis, nos iustificari fide sine operibus præuiis, & merentibus hanc gratiam; tamen ex deliciis Mathematicæ cœlestis, habeo aliquid conclusioni meæ consonum, quo insinuatur meum hoc intentum de electis credentibus in Christum. Aiunt illi, nonum domum cœli esse domum religionis: dixi aliàs, Astrologos appellare domos, illas duodecim sectiones, in quas globum cœli scindunt. Sectionem illam, quam nuncupant religionis,

Ex Mathematica. Ptolem. lib. 3. de iudiciis c. 14. ... Hipparch. lib. 3. enarrat. in Arati & Eudoxi Phænomena.

gionis, aium esse domicilium Iouis, quia Sagittarius est signum illius domus. Nota Iouem esse principem omnium planetarum, & maximè beneficum., & sagittarium oriri cum ara quæ est constellatio concomitans sagittarium. Non cunctabor appellare electos seu prædestinatos, hominum principes: reprobi nempe quantumuis emineant in hoc sæculo, vilia sunt capita, & veluti quisquiliæ humani generis. Ad principes animas pertinet Ecclesia, domus illibatæ fidei, & religionis. Iusti orationibus crebris vt sagittis instructi aris adstant frequentes, suamque fidem bonis operibus adstruunt. Sic omnes credunt in Christum quando præcipua hominum pars subit Ecclesiam, quæ est domus religionis, à quà spurij tantùm, & degeneres elongantur. De fidelibus Christi sequacibus, nonne hoc Psaltis effatum prostat. *Constitues eos principes super omnem terram.* (Psal. 44.)

Frustra instabunt Iudæi, & Gentiles, se vixisse ex præscripto legum: illa namque institia, quæ conquiritur ex sequela legum Deo inconsulto, haudquaquam pertinet ad gloriam, quia symmystas suos gratia non dignatur. Audiendus Ambrosius ita discurrens. *Lex ad præsentem disciplinam pertinet, fides verò ad salutem perpetuam. Sed qui de Christo non ita sentit vt debet, ad fidei præmia peruenire non poterit, quia fides non tenet veritatem. Per Christum habemus accessum ad gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Ipse enim est arbiter Dei & hominum, qui nos doctrina sua erigens, sperare fecit donum gratiæ Dei, stantes fide eius. Ideo stantes; quia prius iacuimus: credentes autem erecti sumus gloriantes in spe claritatis, quam promisit nobis Deus.* Hæc fides non inani assensu intellectus suum obsequium præstitit Christo, sed fideles adegit ad sectanda eius vestigia, licet sudore, lacrymis, & multo sanguine desudarint. Et hoc sanè intenderunt Scribæ & Pharisæi, quando affirmarunt omnes credituros in Christum. Præscierunt enim fore vt fideles sese componerent ad imitationem Christi, cuius fidei argumenta præcipua non petuntur à concrepantibus buccis, sed potius laudabili opere comprobantur. Ita Ambrosius. *Quia fidei nostræ rationem humana verba asserere non valent; virtutum testimonio, quæ cùm tacent clamant, rationabilis approbatur, ad confusionem prudentium mundi, qui audaciâ verborum terrenis armis contra cœlestia dimicant, & carnalibus aduersus spiritalia, & prudentes se dicere non erubescunt. Nam sicut peregrini hominis improbabilis origo in terra aliena est; ita & fidei nostræ veritas peregrinatur in terris, & quia natura eius verbis explicari non potest; virtutis, quæ maior res est, testimonio comprobatur.*

(Ex SS. Patribus. Ambros. in epist. ad Rom. cap. 2. — Fidei beneficio stamus. — Fidei rationem virtutes exhibent. — Idem in epist. ad Rom. cap. 5. Fidei veritas peregrinatur in terris.)

Fidem inspirare animos nobiles & accinctos ad grandia facinora, credidere Imperatores tincti dogmate Christiano: nimirum conscripturi militem, sanxerunt esse explorandam fidem eorum, qui nomen suum dare volebant militiæ. Ecce legem. *Nemo militet qui non apud acta testificatus sit cum tribus, propositis sacro-sanctis Euangeliis se esse Christianum orthodoxum: fiantque acta ad eum Magistratum, sub quo militaturus est.* Reuera fides ingenua strenuos animos arguit: vt nempe impigra est, & arduis assueta negotiis; generosos efficit eos omnes, in quos influit, cùm à Deo prælecti sint ad grandia facinora, nemo namque potest adhærere Christo, & simul egregia opera detrectare. Hoc igitur constans esto, omnes superis adscribendos fore fideles Christo, & in eum credituros morte tenus. Eo nimirum fidei signaculo suos discipulos Christus dispescit ab aliis Epicuri de grege; & si quandoque fide exciderint hi sequaces Christi, gratiæ reducis aspirante fauonio repetunt caulas Ecclesiæ, vnde defecerant. Accipe Canonem huic meo consonum argumento. *Firmum Dei fundamentum stat immobile habens signaculum hoc: Scit Dominus, qui sunt eius. Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur: & deleta quæ intercurrerat iniquitate, in finem perseuerantia deputatur.* Quodque omnem admirationem superat, omnes credentes in Christum, sicuti par est, licet multa marium intercapedine dissiti sint, concordi tamen suffragio coëunt in vnitatem Ecclesiæ, cui omnes mundi partes, videlicet Europa, Asia, Africa, suum humile pendunt obsequium. Vnde placet symbolo insigni referre fidelium omnium animos, quos Ecclesia concolor congregat adunatos.

(Milites olim debebant esse Christiani. Ex Ivre Civili. Leg. 10. Cod. De Episcopali audientia. — Perseuerantia in bono est solius prædestinati. — Ex Ivre Canonic. Can. Firmum De pœnit. Dist. 2. — Fides vna est omnium fidelium.)

Accipio mutum hoc symbolum ab ea Academia, quam meminit Fertus, depingens in tabula tria horologia. Vnum campanile, aliud fluxili puluere compositum, tertium demum sole gyrante notans & describens momenta temporum, hoc titulo apposito. TENDIMVS VNA. Id est, quamuis tria simus horaria quoad structuram disparia; omnibus tamen idem ingenium est, videlicet easdem referre veritates. Si à variis hæreticis numerum sacramentorum exigis, variabunt omnes, dum in recensenda sacrorum serie discrepabunt. At secus si fideles orthodoxos orbe toto dispersos interrogas de sincero fidei contextu, vnanimes hoc responsum dabunt. TENDIMVS VNA. Europa, Asia, & Africa conueniunt, & subscribunt ingenuo dogmati Christiano. O symbolum egregium! & congruè effictum ad pungendos Christianos hypocritas, qui ementita fide Christum sonant, & acriter propugnant ore concrepante decreta fidei, & tamen discordi animo tragœdias excitant, æuumque suum transigunt conuiciando & debacchando ad inuicem. Siccine, ô spuria germina, TENDITIS VNA? An non potius homine deposito feram induistis, cùm hoc tantùm animo vobis insideat, videlicet diductis faucibus, ore hiante, & dente acerbo vos mutuò deuorare. Hoc vnum contendite, vt tendatis vnà, Christumque sequamini fide integra, quæ per dilectionem operatur. Cassa namque fides est, quæ extincto amore riget, iuxta textum illum Canonicum. *Vt si cuius manus esset arida, verum quidem membrum esset, quamuis sine sanguine, & inefficax esset, & mortuum: sic & fides, cùm sit vera, tamen sine operibus mortua est.* Perperam itaque ventilamus articulos illibatæ fidei, si charitate algente, non TENDIMVS VNA. Quippe exanimis illa fides partem nostram ponet cum hypocritis, æterno igne vindice feriendis.

(Ex Symbolis. Ioan. Ferrus part. 2. Theatri. — Fides quomodo sine operibus mortua. — Ex Ivre Canonic. Can. Sicut vegeri 1. quæst. 1.)

PARS

Pars Secvnda Homiliæ.

Quomodo Romani venerint, & exterminarint Iudæorum Gentem.

PRopagata fide, & inualeſcente obſequio Chriſti, malè ſibi ominata eſt Synagoga, affirmans fauſta Eccleſiæ auſpicia fore ruinam Iudæorum. Rei euentus præſagij fidem ampliauit: quippe Iudæi ſuæ ſalutis incurij, & duntaxat ſolliciti de ſuo proſpero temporali ſtatu, omni planè bono ſpiritus & corporis exciderunt. Deus Hebræorum deteſtatus infidos animos, abiecit, eos, ſibi deſponſans Eccleſiam, quam benè expreſſere maleuoli homines ſuo præſagio, dum dixerunt. *Omnes credent in eum.* Siquidem hæc vox, *omnes*, nullam omnino Gentem ſecernit à fide, ſicque concludit orbem totum, qui debebat confluere in Eccleſiam, quæ latitudine ſua potior eſt Synagoga reſtricta in vno terræ angulo, in Iudæa ſcilicet, à qua ſuam nomenclaturam Iudęi accipiunt. Præſcius Iſaias Eccleſiæ dimenſiones ſic deſcripſit. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* (Iſa. 60.) Quare autem Eccleſia ſit amplior ipſa Synagoga, accipe hoc diſcurſu. Quò res melior eſt, eò etiam magis eſt diffuſiua, hæc quippe eſt natura boni, vt ſe effundat; illam boni indolem quicunque participat, ille ſe magis effundit. Sed in confeſſo eſt apud omnes, nobiliora fuiſſe chariſmata in Eccleſia, quàm in Synagoga, cui crepuſculi tantùm lux affulſit, in eis quæ ad diuina pertinent. Ergo cùm vberior gratiarum influxus Eccleſiam alluerit, quæ facta fuit inde melior; profectò tantò diffundi debuit, quantò bonitate ſua Synagogam ſuperauit, atque ita Iudaiſmum debuit expungere, quia Chriſti fides orbem totum fere permeauit.

(Eccleſia quomodo ſit amplior Synagoga.)

(Ex Philosophia. Ariſt. lib. 1. Ethic.) Philoſophi diffuſionem boni conſtituunt penes motionem appetitus, ita vt diffundatur quando appetitur; atque ita bonum illud eſt maximum, cui ſumma ineſt ratio alliciendi appetitum. In eo etiam ſenſu Eccleſia melior fuit Synagoga, quæ nullas potuit conciliare ſibi nationes, vt Iudæorum animos & ritus ebiberent. Eccleſia verò vt emerſit, nationum propè omnium ſibi deuinxit ingenium. Imò è Iudæis ſaluandi omnes illicò dedere manus Chriſto quamuis crucifixo, licet fremeret Synagoga deſæuiens in Apoſtolos, inaudita fidei dogmata prædicantes. Audi Lucam recenſentem millia, quæ vnica concione crediderunt, etſi malè fuiſſent excepti præcones verbi Dei. Sic ille enarrans Petri & Ioannis ſermonem habitum ad populum Iudæorum. (Actor. 4.) *Loquentibus illis ad populum, ſuperuenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi, & Saducei, dolentes quòd docerent populum, & annuntiarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis: & iniecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam, in craſtinum. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus eſt numerus virorum quinque millia.* (Act. 13.) Tum primùm labare cœpit Iudaiſmus, & Chriſtiana fides ampliari, cuius incunabula fuere apud illam Gentem, è qua fuit oriundus Chriſtus, præoſtenſus, Synagogæ, cui ſtipulante Deo ſibi fidem eius fuerat antea promiſſus. Sed nouercante Synagogâ, ſurrexit Eccleſia orbe toto coëuntè compoſita, & effecta ditior ex ruinis Hebræorum. Conſonat Lucas commemorans Pauli, & Barnabæ geſta, hoc contextu. *Sequenti ſabbato penè vniuerſa ciuitas conuenit audire verbum Dei. Videntes autem turbas Iudæi, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

(Fidei aſſenſum præbent omnes prædeſtinati.)

(Ex Theologia. Thom. 1. 2. q. 98. art 5.) Ratio autem, quæ Gentes validè perculit ad Eccleſiæ ingreſſum licet Iudaiſmi fuiſſent incuriæ, hæc eſt, petita ex imis Theologiæ receſſibus. Stante Iudaiſmo potuere Gentes ſaluari citra ritus Iudæorum ſeruatis duntaxat hiſce legibus, quæ dictante natura ſollicitant hominem ad Dei vnius cultum, & congruum hominum conuictum iuxta præſcriptum Decalogi. At promulgatá lege Chriſtiana, obſtringuntur ei omnes. Ergò cùm Deus nemini deſit, (3. part q. 62. art. 6. 3. p. q. 65 art. 1.) nec aliud oſtium pateat ad ſalutem, repetitis ictibus corda hominum quatit, vt confluant in ouile paſtoris anxij de omnium hominum ſoſpitate. Vnde quia media ab Eccleſia propoſita magis idonea ſunt ad ſalutem; quàm ritus Hebræorum, quibus adulti homines ex opere operato haudquaquam conciliabant ſibi gratiàm, ſed prænia tantùm & comite charitate; melius equidem conſultum eſt orbi, quando patuere fores Eccleſiæ; vbi ſacramenta nullo obice interiecto animas efficiunt conſcias beatitudinis imminentis. Lex illa prior ferè corporalis extiterat, vtpote accommodata ingenio Iudæorum; qui variis corporum typis aſſueti ægrè admodum poterant cœleſtia meditari. Et hinc orta iugis illa ſeries hoſtiarum ſacro Codice recenſita. Sors æquior manebat Eccleſiam, cui affulgente Chriſto, gratia etiam vberior debebat affluere; atque ita ſuos fideles efficere, quaſi ſecretos à corpore, eos componendo in ſimilitudinem Chriſti. Ideoque in die Pentecoſtes Spiritus Sancti aurâ leniore fuit afflata Eccleſia; vt fæces & illuuiem corporum deponeret, nouitatem ſpiritus aſſumptura.

(Eccleſia melius ſaluti conſulit, quam Synagoga.)

(Lex Iudaica corporalis. Lex Eccleſiæ ſpiritualis.)

(Spirituum animalium in corpore virtus.)

Nonne igitur æquum fuit Synagogam cedere Eccleſiæ, cùm ſpiritualia corporalibus longè præſtent? Vtque vbi adeſt maior ſpirituum copia; ibi eſt maior fortitudo; nunquid Eccleſia fortior erit Synagoga, cùm nobiliori modo afflata fuerit ſpiritu capitis noſtri, ſcilicet Chriſti, à quo vt Deus eſt ſicut & à Patre Spiritus Sanctus procedit? Quid Eccleſiæ contulerit ille influxus Spiritus ſancti, audi ex ſimilitudine ſpirituum, qui decurrunt in neruos & compagem corporis vniuerſi. Eorum commoda ſic recenſet Fernelius. (Ex re Medica. Fernel. lib. 6. Phyſiolog. cap. 13.) *Senſuum inſtrumenta neruique omnes, & muſculi, ſpirituum viriumque animalium continenti illapſu & aſpiratione firmantur, ſimulque ſtabilimen, & præparationem quandam ad obeunda munia aſſumunt: hoc certè argumento; quòd præpeditus & obſtructione quadam interceptis viis, velut in paralyſi, non modo ſentiendi*

aut mouendi spes adimitur, sed omni prorsus robore dissoluto languescunt. Dum verò accepto spiritu omnia suo robore constabunt, benè instructa & composita erunt ad opus, & tum integrè functiones suas obibunt. Cùm ergo corporum contextura vegetior sit instructa ditiore spirituum supellectile, profectò Ecclesia multo spiritu dignata robustior extitit Synagoga, quæ maiorem spirituum parcitatem experta est. Itaque præualente Ecclesia Romani tulere Gentem Iudæorum: nam postquam Petrus Romæ suam fixit sedem, ab ea vrbe Ecclesia suam nomenclaturam accepit. Et hinc emersit iste Canon. *Quãuis vniuersæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sint: sancta tamen Romana Ecclesia Catholica & Apostolica nullis synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est: sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit. Tu es Petrus (inquiens) & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Est ergo prima Petri Apostoli sedes Romana Ecclesia non habens maculam neque rugam.* Eo igitur sensu Roma Iudæam perdidit quando Ecclesia propagata ritus Hebræorum exosos fecit.

EX IVRE CANONIC. *Can. Quamuis Dist. 21.* Ecclesia Romana supra omnes alias constituta.

Non eo inficias, alium planè fuisse sensum Synagogæ, quando decreuit mortem Christi. Scio equidem non metuisse sibi ab Ecclesia Romana, sed ab armis tantùm Romanorum, quos graues experta sub Pompeio, grauiores adhuc sub feroci Tiberio Cæsare formidabat. Pessimi ominis fidem non elusit Gens Iudæa: nam Vespasianus, Titus, & Hadrianus, Imperatores Romani, variis Synagogam cladibus afflixerunt. Quia tamen morte Christi voluerunt consulere tantùm temporaliter vrbi suæ, parum solliciti de regno æterno, vtrimque mulctati sunt, vt benè ait Augustinus ita fatus: *Pontifices, & Pharisæi sibi consulebant; nec tamen dicebant: Credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent, vt perderent, quàm quomodo sibi consulerent, ne perirent. Et tamen timebant, & quasi consulebant. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Temporalia perdere timuerunt; & vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrumque amiserunt.* Synagogæ ruinam atque repudium, Ecclesiæ verò decus & gloriam infiniti prope typi & figuræ primitus adumbrarunt. Solennis est in eo argumento historia filiorum Thamar, quam accipe ex Scriptura. *Instante partu apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens; iste egredietur prior. Ille verò retrahente manum, egressus est alter.* Iudæus, & Gentilis duo fratres sunt eadem matre sati, scilicet naturâ humanâ. Iudæus prior manum extulit accepturus legem è monte Sinaï. Sed illa manus perfusa sanguine Christi rubuit, & ab eo retracta est, quippe Synagoga non dedit manus Christo; ideóque Gentilis prior egressus est obuiam suo Domino Saluatori.

Plutarc. in Pompeio Prudentia humana suæ saluti non consulit.

EX SS. PATRIBVS. *August. in tract. 49. in Ioan.*

Genes. 38. Ecclesia potior est synagoga vt figuris Scripturæ patet.

Gen. 39.

Mulier Ægyptiaca carnaliter deperiens Ioseph, eum pallio apprehendit; sed ingenuus adolescens derelicto ei pallio erupit foras. Synagoga apud quam Christus diuerterat, beneficia tantùm temporalia ab eo expectabat; ast ille exosus acerbos Iudæorum mores, fidem suam sanxit alteri populo prædicari. Nouercante natura, mater Mosis puellũ exposuit ancipiti sorti defluentis aquæ. Expiauit hoc facinus fœmina Gentilis: nimirum filia Pharaonis pulchritudine capta infantuli, eum ex flumine eductum suauiter excepit. Synagoga Christo iniuria eum exposuit mari rubro, illum eius emergendo sanguini; & demum inanimem dereliquit in ora fluminis aquarum, quæ erumpentes è latere eius orbem alluerunt. Gentilitas dignata Baptismo, Christum reperit in his aquis, eique iugiter adhæsit. Vasthi Regina superbiens exauctorata est à Rege Assuero, & humilis Esther suffecta in locum eius. Synagoga tumens, typho suo offendit Christum, qui Gentes initians fidei sacræ mysteriis Ecclesiam composuit, quam suffecit in locum Synagogæ, ei adiiciens gratias ampliores. Et ne nutarent Ecclesiæ fundamina, ea in firmissima petra constituit, iuxta illud Psaltis. *Statuit super petrã pedes meos.* Hinc Bernardus gestiẽdi ansã arripit, effusus in hunc iubilũ *Quid non boni in petra, in petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, fortis à casu: & hoc quoniã exaltatus à terra; anceps est enim, & caducum terrenum omne.* Iudæorũ indoles terræ addicta nihil nisi terram sapere sciuit; atque ita lubricante vestigio stare non potuit indigesta Synagogæ moles, cuius etiam ruinis Ecclesia coaluit, quando aliqui Iudæi dedere nomen suũ Christo.

Exod. 2.

Esth. 2.

Psalm. 39.

Bern. serm. 61. in Cant. Petra quoniam à terra sit exaltata.

Terrena omnia caduca.

Præsciit Moyses delirium Iudæorum, in quos Deum inducit ita sæuientem: *Abscondam faciem meam ab eis, &c. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis; & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Deũ ad æmulationem excitarunt superinducentes alios Deos, & Christi Dei obsequium abiurando; in mulctam facinoris impij, alium sibi Deus adsciuit populum inferioris notæ, scilicet Gentilem, ex quo prodiit Ecclesia prædiues, & ornata gratiarum habitu polymito. Dum prodiit Ecclesia tantis stipata fulgoribus, Iudæus emarcuit inuidia, dolens se esse infra populum inferioris notæ; & hoc ex composito egit Deus vlturus Synagogæ perfidiam, vt opportunè enarrat Ambrosius, hac serie verborum. *Deus assumpsit sibi Ecclesiam de profanis, quos prælatos sibi sine lege, sine gratia, Iudæorum populus ingemisceret, atque eò amplius in æmulationem illorum excitaretur affectus, quò viliorum facta esset electio. Nam antè quo afficeretur ille populus non habebat, cùm solum se à Domino consideraret electum. Vbi verò aduertit ascitam Dei ex nationibus conuenam plebem, quæ sibi legem Domini, Prophetarum oracula, testamentum nouum, Deum vendicaret; tunc demum excruciari nimio cœpit affectu, postea quam se repudiatum esse cognouit. Denique si videat Gentium cæremonias, non mouetur: si audiat profectum Ecclesiæ, cruciatur, miseráque torquetur inuidiâ. Completur ergo in Iudæo: Et ego in æmulationem eos excitabo in non Gente. Accedit ad cruciatus grauioris ærumnam, quòd ex Gentibus peccatores sibi videntur esse prælati, qui ne Gentis quidem alicuius aut nationis nomen attollant. Nam omnis congregatio cuiusque regionis nomen sibi vendicare consueuit vt Ægyptij, Æthiopes, Syri, Iudæi, Arabes, prouinciæ suæ, terrarumque suarum vocabulum præferunt. Nos de diuersis populis congregati, vocabulum nobis vnius Gentis non possumus vsurpare. Et ideo quia nomen non habebamus in terris, de cœlo accepimus,* vt

Deut. 32.

Amb. in Psal. 36. Ecclesia assumpta est ex Gentibus.

Ecclesiæ profectus cruciat Synagogam.

Ecclesia nomen habet è cœlo.

Fideles habent è cœlo nomen.

vt Christi populus diceremur. Quòd si mutuatitio è terra nomine sincera Ecclesia dispescetur ab aliis sectis, quibus insolitum est inurere etiam sibi titulum Ecclesiæ, vera hæc est Ecclesia, quæ Romana. Et sic Romani sustulere Gentem Iudæorum, in quam etiam Imperatores Christiani cauerunt legibus suis vt in populum errabundum, cum arcentes à dignitatibus, & vetantes extrui Synagogas, hoc mandantes si qua recens fabrica surrexisset ad Synagogam nouam erigendam, extemplò cederet in ius Ecclesiæ.

Ex Ivre Civili. *Lege fin. Cod. De Iudæis.* Iudæi pulsi dignitatibus.

Theodosius & Valentinianus præcipuè perfidam illam Gentem exagitauerunt ista sanctione. *Hac valitura in omne æuum lege sancimus, neminem Iudæorum, quibus omnes administrationes, & dignitates interdictæ sunt, nec defensoris ciuitatis fungi saltem officio, nec patriæ honorem arripere concedimus: nec acquisiti sibi officij auctoritate muniri aduersus Christianos, & ipsos plerumque sacræ religionis Antistites, veluti insultantes fidei nostræ iudicandi, vel pronuntiandi habeat potestatem. Quisquis igitur vel infulas acceperit, quæsitis dignitatibus non potiatur: vel si ad officia vetita irrepserit, ab his penitus repellatur: vel si Synagogam extruxerit, compendio Catholicæ nouerit se laborasse. Et qui ad honores, & dignitates irrepserit, habeatur vt antea conditionis extremæ.* O inglorium Iudæorum pecus! O vilia mancipia! experta vim maledicti huius, quo Christus Ierosolymam feriit lacrymis obortis, eam sic compellans: *Venient dies in te; & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt.* Vespasiano vindice prostrata est & solo adæquata perduellis hæc ciuitas conscia mortis Christi. Sed quotidie Ecclesia Romana facit angustias illi nefariæ Genti, quam veluti vallo circumdat, cùm in orbem gyrans Ecclesia toto orbe diffunditur. Vnde ab Isaia typo circuli lineatur. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.*

Luc. 19.

Isai. 60. Ecclesiæ seruiunt omnes Gentes.

Ex Mathematica. *Euclid. lib. 1. Element. Geomet.* Fide stante florent regna.

Omnium figurarum capacior est circulus; omnes alias concludere potest, nullis angulis obnoxius, à quibus ex Mathematica omnis inæqualitas oritur. Ita Romana Ecclesia sine ruga, longè latéque diffusa decurrit omnes orbis oras, nullos patitur næuos, vtpote non recedens ab æquitate seu iustitia: nec Synagogæ tantum prælata, sed & eminens rei omni quæ exurgit infra cœlos, vt congruè hoc symbolo expressit Calixtus III. Papa, qui depinxit tiaram Pontificiam adiectis his vocibus. Omnes gentes servient ei. Tiara hæc insinuat Ecclesiam, cui seruire, Regibus haudquaquam inglorium est. Imò ex serie historiarum compertum est, regna constitisse sibi quamdiu iuge obsequium Ecclesiæ præstiterunt. Hinc effatum illud audax & insigne Cardinalis Stanislai Osij, quem cùm Rex Poloniæ rogaret, vt commendatam haberet Poloniam, Præsul ille indignatus serpente hæresi Polonos auspicari defectionem suam sensim ab Ecclesia, ita Regem præmonuit: Scito, ô Rex, non posse diu stare regnum tuum, non ibi stante regno Dei. Hoc antea egregio symbolo linearat Christiernus Rex Daniæ, qui turri impositæ elephanti inurebat hunc titulum. Regna firmat pietas. Huic nempe immani bestiæ dicuntur inesse quædam argumenta pietatis; nimirùm noctu adorat lunam. Vt ergo lignea turris tutò incumbit elephanti; ita & secura sunt regna suffulta pietate.

Ex Symbolis. *Ægid. Sadel. lib. 1. Iconum symbolic.*

Ex Historia. *Cabrera in vita Card. Osij.*

Procop lib 3. de bello Gothico. Fidei delinquum quomodo punitum in Iustiniano Imperatore.

Huiusce veritatis indubiæ vadem accipe Iustinianum Imperatorem, qui dum humile obsequium præstitit Ecclesiæ duos Reges, Vandalorum, & Gothorum, vinctos ope Belissarij Ducis Constantinopolim adduxit. Sed vbi repente pietate manus violentas iniecit in Vigilium Papam, Roma subitò capta est à Totila Gotho Rege, omnisque Italia in discrimen venit. Ingruentibus malis resipuit Imperator æquior factus Vigilio Pontifici, Narses nomine Iustiniani congressus cum Totila, eum fudit & occidit, Romaque capta misit claues suo Principi triumphanti. Crediderim sanè illud imperium maximè dignum imperio, cui imperat religio. Nec animo meo excidet vnquam regia illa vox Philippi II. Regis Hispani, qui cùm audisset Belgas declinare in hæresim, maturè prouidit illi plagæ, adhibitis austeris fidei censoribus, quos cùm ægrè ferrent Belgæ, causantes fidem esse libertatis, & non coactionis, illumque ritum distrahere animos populi suo arbitrio assueti; ideóque mitiùs agendum, ne dum Rex vellet integram seruare fidem, pars Belgij deficeret ad Batauos; zelo fidei Rex ille percitus ait: Malo integrum abdicare Belgium, quàm illud possidere fide labefactâ. Nec ego homo Gallus volo detrahere gloriæ illi insigni, quæ fines Hispaniæ protulit vltra lineam Æquatoris in præmium disseminatæ fidei ad mandatum Principum Hispanorum. Vnde, amabo, Gallia assurrexit promerita titulos effectos ad inuidiam aliorum Regum, nisi ob reuerentiam præstitam Ecclesiæ, cuius Pontifices Liliorum afflatu recreati suorum hostium minas eluserunt.

Ex relatione Cardin. Bentiuoli tunc legati apud Belgas Fidei zelus in Philippo II. Rege Hispano.

Cæterum caueamus, ne dum Pæana canimus ob victoriam Ecclesiæ de Synagoga reportatam, conscij etiam simus criminum, quæ Iudæos obstrinxerunt despicatui, ærumnis propemodum infinitis. Fideles suos non explorat Christus concrepante sono dictionum, nec ampullatis verborum eloquiis: quippe anceps fides; vt indubia sit, probanda est validis operum argumentis. O anima malè tibi conscia, si te vexant adhuc aliquæ Iudæorum reliquiæ, id est, si facessunt tibi negotium aliqua piacula; pete turbas auxiliares à Romanis, vt tollant impiam illam Gentem. Consule castra Dei, scilicet Ecclesiam Romanam; præsto erunt tibi sacerdotes, quorum suffragio contritione præuia, tua omnia crimina delebuntur. Faxit Devs.



DOMINICA PALMARVM.


SVMMA HOMILIÆ.

I. IEROSOLYMA hodie effusâ obuiam Christo, & populo concinente Pæana, Christus abiit in lacrymas indices animi sui auersantis omnem sæculi pompam, vtpote indignam quæ sibi gratiam hominum conciliet. Dico priori parte istius homiliæ, triumphum hodiernum explicare nobis argumenta quæ suadent mundi contemptum: quippe celebris ille apparatus, quo Dominus exceptus est hodie, habitu triumphantis, ad tria resoluitur, scilicet ad vestes expansas, ad ramos sparsos in via, & ad puerorum clamorem inconditum. Explicatæ vestes insinuant nihil planè in mundo solidum esse, & sincerum, sed omnia rutilare tantùm cute seu veste tenus. Præcisi rami sine vlla mentione frugum clamant, omnia quæ sæculi sunt esse infœcunda. Tandem applausus ille infantium satis superque nos erudit, totam mundi supellectilem esse vilia puerorum crepundia.

II. Secundò ostendo, agi triumphum de mundo, eo planè modo, quo se gessit Christus. Primò ille fletibus suis aspersit omnem illum sæculi apparatum, eo nos specimine monens, gloriam mundi prolicere lacrymas, si fuerit alto animo meditata. Præterea Christus calcauit vestes expansas, & ramos effusos; eo ritu nos inducens, vt omnia mundi huius fulgida conculcemus.

PRÆFATIO.

Ecce Rex tuus venit, sedens super pullum asinæ. Ioan. 12.



1. Reg. 9. *SOLLICITVS Saül de patris sui asinis, quæ declinarant è pascuis, se accinxit ad iussionem implendam quam meminit textus sacer hoc tenore.* Perierunt asinæ Cis patris Saül, & dixit Cis ad filium suum: Tolle tecum vnum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. *In ea stolidi pecoris inquisitione, Saül inauguratus est regiis infulis, vtpote vnctus in Regem Israel. Ita hodie exceptus est Christus ab eodem populo Hebræo. Quærebat ille rerum Dominus asinum alligatum, eo inuento illi insedit Christus, quem pæana canens effusa Ierosolyma salutauit Regem,* Ioan. 12. *obsecuta præscio Zachariæ Vatis, cuius est hoc præfatum:* Ecce Rex tuus venit, sedens super pullum asinæ. *Dum virentibus ramis, & multiplici flore vernaret hic triumphus, & polymitâ veste explicatâ solo tenus via multicolor esset, denique dum omnia tripudium agerent applausura Christo; abiit ille in lacrymas, ne suo resonante præconio suspicionem faceret animi iubilantis. Nimirum alios quærebat asinos, homines videlicet improbos, arctissimis vitiorum vinculis irretitos: horum solutione diem festum agunt Angeli & ipse etiam Christus gestit, aduertens beatarum mentium numerum adaugeri. Est penes nos, ô fideles, dare Christo argumenta noua triumphandi, abiuremus mundi tyrannidem, & vltro subeamus dominium Christi, & tunc agemus partes nostras in celebritate hodierna, in qua sæpè laudata est alma parens Christi triumphantis. Hanc & nos veneremur.* Aue Maria.

IOanni posito in mentis excessu, Christus obiectus est eo habitu, qui referret corporis hoc insigne decus, quod meruere agones eius. Accipe illius pompæ ideam breuiloquam, à præfato Apostolo recensitam. *Vidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.* Alio etiam apparatu Ioannes eumdem Dominum aspexerat. En synopsim. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Est sanè omnis pompa illa loquax, & resonans penitiora quæque mysteria redemptionis nostræ. Eques ille insignis hominem sonat, cuius facies rutila ad æmulationem Solis, hominem illum insuper esse Deum clamat. Leuior armatura equitis huiusce prodit inuictum animi robur non indignum alterius panopliæ. Arcus & ensis insinuant eum cominus & eminus esse terribilem: quos namque refugas transuerberare nequit vltore gladio, hos arcu inflexo petit, & sagitta intorta necat. Exeuntis capiti corona implexa præiudiciũ est triumphorum, qui varia discrimina huius Principis exceperunt. Equo albo insidet, in tesseram subiugatæ carnis, quam communem cum iumentis circumferimus. Nomen eius non est, bellator, sed vincens: quippe Christus non tam exiit vt certaret, quàm vt vinceret. Vnde ante expletum agonem crucis, vbi inermis mundus concidit exanimis, ille rerum Dominus ita suos affatus est: *In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.* De victoria instante nequaquam suos præmonuit, sed potius de mundo à se antea profligato. Nimirum *Exiuit vincens vt vinceret.* Itaque triumphus hodie congruè decernitur Christo, vt palmæ obúbrent caput eius antequam cruce suos omnes deleat inimicos. Etenim triumphi & coronæ manent eos tantùm, qui vidêre mundum. Vincitur autem, cum aspernando. Nec aliunde petenda sunt argumenta contemptus

Apocal. 6.

Apocal. 1. Christus egregie descriptus in Apocalypsi.

Ioan. 16.

temptus mundi, quam à palmis & pompa hodierna populi perduellis. Dicam igitur primo, quare sit contemnendus mundus. Secundo quomodo quisque queat de eo triũphare. Ordiamur.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Argumenta quæ conducunt ad contemptum mundi.

Ex THEOLOGIA. *Thom. 1. p. q. 3. art. 7.* Mundus quare ab anima contemnendus.

HOmo omnis suam eò debet dirigere industriam, ne illius domini sese deuoueat obsequio qui minor est anima. At quidquid rutilat & coruscum est in sæculo, illud totum est infra animæ decus. Ergo anima æqua lance pensans suam sortem, mundo illudet, aspernata fastum, quo incauti homines obstringuntur: quippe anima veris tantùm bonis est aptanda, & non fugacibus. Cùm igitur nihil sibi omnino constet in hoc sæculo, sed potius vniuersa gyrent; vnius namque Dei est, esse absolutè & constanter, vtpote in quo nulla est vicissitudinis obumbratio: sanè iniquè sibi consulunt mundi asseclæ, ei adhærentes, quem vt vile mancipium debuere potius aspernari. Etenim nihil omnino bonum est, nisi quatenus participat naturam summi boni, à quo alia bona habent vim afficiendi appetitum. Ergo cùm anima magis essentiam Dei participet, quàm illud omne quod sub cælo eminet. Erit illa melior mundo, vt effecta ad imaginem summi boni, atque ita suæ nobilitatis immemor est anima delinita mundi bonis, quæ nihil planè habent, vnde queant afficere sibi constantis hominis appetitum. Ratio hæc est Philosophica.

Causa prima Deus est. EX PHILOSOPHIA. *Arist. lib. 2. Metaph. c. 2. Scot. in 1. sent. dist. 1. qu. 4.*

Natura exosa processum interminum, in vna causa sistit, quæ est omnium prima, à qua aliæ omnes causæ fluunt, & emendicant totam rationem causæ, quæ sita est in modo influendi, secundùm quem denominatur causa efficiens, vel finalis. Efficiens aliquid extra se facit, plerumque eiusdem naturæ, vt quando ignis alium ignem progignit. Finalis verò metaphorica motione influit in affectum, qui vrgetur appetitu finis, cuius bonitas innotescit. Illa rerum omnium causa efficiens & finalis est Deus, à quo singulæ quæque res habent exordium suum, & in quem etiam vt in vltimum suum omnium finem diriguntur. Vnde eatenus tantùm aliquid agit aut mouet appetitum, quatenus à Deo accepit quo agat, & affectum excitet: nam vt se habent causæ secundæ in agendo; ita & se habent causæ finales ad mouendum. Sed causæ secundæ imbelles sunt feriante prima; quidquid enim appetitur in hoc mundo, nullam habet bonitatem, qua demulceat animæ affectum, nisi ei illam Deus impertiat. Ergo quemadmodum ignauæ sunt causæ, quas Deus non excitat præuio influxu; ita & planè nihil est capax percellendi appetitum in ratione finis, nisi adumbret aliquali parte sui Deum rerum omnium finem.

Mundus suos decipit asseclas.

Cùm itaque mundus à Deo toto cælo aberret, reuera bonitate ementita homini imponit, quando eum inclinat, ad sequelam fucati illius boni, cuius adulterina specie anima dementatur.

Mundus nihil dare potest solidum.

Quàm à vero bono dissideant illa stipendia, quibus homo deuincitur, colligere est ex illa insigni pompa; quam recenset hodierna historia; commemorans gloriosum illum apparatum, quo triumphantis habitu Christus Ierosolymam ingressus est. Ciuitas penè tota obuiam Christo effusa est, explicans vestes in via floribus obsita. Excisi palmarum rami, & pæana resonantes pueri, fuere summa illius gloriæ, quam triduo postea excepit genus inglorium mortis, Christo à perfidis intentatæ. Speculare amabò eam omnem supellectilem, qua suos amasios dignatur mundus. Aliquas fortè obsoletas obiicit homini vestes, quæ quantumuis præstent, nihil planè sunt præter bestiarum exuuias, vt pelles, vellera, & bombycina excrementa. Floribus aspergit mundus symmystas suos, necnon obumbrat ramis anhelos homines, iniquo sæculi obsequio desudantes. Nulla hîc tamen fit mentio fructuum; est enim mundus expers sinceri boni: & quamuis multiplici flore vernet, est tamen hoc sæculum infœcundum. Ideóque sunt qui mundum genuinè credant referri ea figura qua Laban iniurius Patriarchæ Iacob, cum condicta & debita mercede defraudauit. Etenim mundus multus est in promissis, quibus adiicit suo obsequio homines imprudentes; sed rogatus stare pollicitis, deficit & illudit. Quomodo enim staret pollicitis mundus, qui inquies semper, nec sibi constare potest, æmulatus indolem maris iugiter æstuantis. Hoc pelagi typo sequaces sæculi huius sugillat Isaias, ita fatus: *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Mundum referre ideam maris infidi, ait Ambrosius hoc contextu. *Christianis mundus hic pelagus est. Sicut enim mare aduersis excitatum procellis insurgit, & tempestatem nauigantibus facit; ita & sæculum perfidorum conspiratione commotum, perturbat fidelium mentes, & tanta diuersitate hoc agit inimicus, vt quid prius euitandum sit ignoretur.* Ille idem alibi consultor opportunus ista monet. *Fuge ergo sæculi mare, & non timebis naufragium. In mari furentibus ventis, etsi non omnium naufragium, omnino tamen periculum est.*

Gen. 31. Mundus mari comparatus. *Isaia 57.* EX SS. PATRIBVS. *Ambros. in epist. ad Rom. cap. 8.* *Lib. 4. in Luc. 4.*

Mundus à diabolo in hominum ruinam est conductus.

Vt mare adblandiens infidum est; ita & mundus se accingit ad perniciem nostram, quando spargit flores suos, odorem afflans perquàm gratum, & opacans capita nostra ramis, ne irradiante nimis æqua sorte æstuent apricantes. Hoc dæmonis astu periere nostri proceres in incunabulis mundi. Optat Sanctus Ambrosius vt fiamus eorum ruinâ cautiores, suspectam faciendo fidem mundi, quem vt nos in animæ discrimen inducat diabolus erudiuit. Sic hortatur ille olor mundi: *Caue insidias, caue fraudes. Et hoc ipso quod ad subruendum hominem totum versuta diabolus mundum fraude concutiat, totius sæculi pugnet illecebris, eius tibi blanditiæ plus cauendæ. Non Euam cibus inflexit, non mandatorum obliuio destituit, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. Quæ si solum Dominum adorare voluisset, indebita non quæsisset.* Et esto reuera aliquid homini præstaret mundus, quo animum eius posset percellere, vt velificaret huic sæculo; tamen fruitio bonorum; quæ concedit mundus, adeò breues patitur moras, vt transiens hæc voluptas sit resiliendi ab affectu huiusce sæculi locuples argumentum. Ideóque Gregorius ait, esse conscribendum mundo libellum repudij, quia ille ad occasum vergit nec proinde potest esse suarum deliciarum tenax. Sic ille: *Appropinquauit regnum cælorum. Hoc iam, fratres charissimi etiamsi Euangelium taceat, mundus clamat.*

Vbi suprà. *Greg. hom. 4. in Euang.*

Mundi ruina cernitur ad oculum.

Ruinæ namque illius voces eius sunt. Qui enim tot attritus percussionibus à gloria sua cecidit: quasi iam nobis è proximo regnum aliud quod sequitur ostendit. Ipsis iam à quibus amatur amarus est. Ipsa eius ruina prædicant, quod amandus non est. Si enim ruinam suam domus quassata minaretur, quisquis in illa habitare fugeret. Et qui stantem dilexerat, recedere quamtocius à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur; opprimi volumus potius, quàm habitare: quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quos eius passionibus amor ligat.

Mundus quare est contemnendus.

Instabunt fortè illecebrarum amasij, mundum suas habere delicias, quæ decurrunt potiorem æui partem, atque ita iure sollicitant hominum corda, vt eò propendeant. Non inficior huic sæculo suos esse amplexus. Sed profectò similes sunt osculis illis, quibus Absalon dignabatur populum, vt à Rege suo Dauid deficeret. Etenim singulæ quæque dotes, quas homini affingit mundus, eum indubiè prouocant ad defectionem à Deo. Eamobrem huic callido nundinatori animarum inuro symbolum eius qui depinxit hederam arbori implexam, hoc titulo apposito. AMPLECTENDO NECAT. Nempe vt hedera suis amplexibus est noxia fulcris, quibus sustentatur. Ita & mundus quando arridens ambabus vlnis suos excipit amasios, AMPLECTENDO NECAT; scorpium imitatus, qui brachiis dum demulcet, caudam suam aptat vt lethale virus intorqueat. Hodie Ierosolyma gestiens, & pompaticè Christo occurrens, demum in eam sese perfidiam composuit, eum deposcendo ad mortem, quem hisce vocibus, *Salua nos*, dixerat antea Saluatorem. O vrbs infidelis Regi tuo te dignanti visitatione sua. Esto tripudians effunderis obuiam illi quasi in tesseram perpetui famulatus, tamen AMPLECTENDO NECAS.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 2. Theatri.*

Mundi amor est lethalis.

Sedulò iam perpende, ô assecla mundi, an sis vsurus æquiore sæculo, futurus ita beatior Christo, cui occurrentis & applaudentis populi aura fuit instantis funeris argumentum. Sui velut impos est Bernardus, stupens in ea mundi inconstantia. Hæc ille: *O quam dissimile est: Tolle, tolle, crucifige eum; &: Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis. Quam dissimile: Rex Israël; &: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Quam dissimiles rami virentes, & crux; flores, & spinæ. Cui prius sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuitur, & sors mittitur super ea.* Benè ergo monet Augustinus, cauendas esse illecebras mundi, quia amplectendo necant. Ecce consilium Sancti Patris. *Mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus, & magis cauendus cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni. Nam cùm omnia, quæ in illo sunt, concupiscentia sint carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi; sæpe etiam iis qui talibus spiritalia, inuisibilia, æterna præponunt, inserit se terrenæ suauitatis affectus, & delectationibus suis nostra comitatur officia. Quantò enim sunt charitati futura meliora, tantò sunt infirmitati violentiora.* Quantùuis aurâ propitiâ aspiret mundus, tenorem suum diu non seruat ille fauonius: etenim semper extrema gaudij desinunt in lethalia ventorum flabra, quæ dispergunt præcipuum etiam mundi fastum, vt liquere potest decurrenti historias. Prætereo Absalonem, & Aman, luxuriantis fortunæ delicias, quibus inglorium suspendium fuit omnium honorum apex & merita conclusio æui, quod egerant in infidis mundi amplexibus.

Ex SS. Patribus. *Bern. serm. 2. de Domin. Palm.*

Mundi perfidia.

Aug. epi. 144. Anastasio.

Mundus est magis timendus blandus quàm molestus.

Nostrates historiæ satis superque probant, omnem sæculi pompam esse ludibrium venti. Accipe rem opportunam meo intento, Franciscus I. Galliæ Rex inclytus, & Henricus VIII. Anglus condixerunt consulturi de re graui. Die indicta conuenere Reges in locum vtrique regno conterminum. Is erat campus apertus infinitis propè tentoriis adornatus, vt ex aprico Principes opacum nacti, sibi consulerent aduersus aëris iniurias. Eò confluxerant proceres Galli, sicut & præcipua Angliæ capita. Plerique nobiles graue æs alienum contraxerant, vt tersiore serico tabernacula instruerent, & locupletiori veste aliis omnibus eminerent. Hunc consessum prænobilium hominum dixisses esse populum Hebræum prædiuitem spoliis Ægyptiis, castra metantem iuxta mare rubrum: omnia namque illic rutila irradiabant auro gemmisque præfulgida. Principem tamen locum obtinebat Regis Galli augustale tentorium ex densiore panno bombycino coloris cianei siue cerulei. Spissior illa bombyx erat obsita liliis opere plumario intertextis. Acus Phrygia adiecerat industriæ suæ aurum, & lapillos, vt si quid deesset peritiæ, illud omne facultates opimæ compensarent. Alia etiam primorum Regni tentoria adsciuerant artem Phrygiorum, vt nihil nisi regium spiraret hic conuentus. Vbi autem coïerunt Reges in sua tabernacula, lenioris auræ Zephirus afflans cuiusque tentorij summos apices sericos, vt & cristas plumarias reflans, recreauit omnes. Sed vt nulla fides est danda fauoniis, aliquando præuiis turbinis instantis; extemporanea procella exorta, puluere ingenti aspersit illam prædiuitem gloriæ supellectilem, exagitans primò tentoria, deinde difflata solo adæquans, lignis implexa, & inuoluta, quibus antea fulciebantur. Adeòque ingens turbo infestauit illum insignem apparatum, vt pessum-ierint panni illi prædiuites, magna facultatum profusione comparati, & in tentoria compositi.

Mundi pompa est venti ludibrium.

Ex Historia. *And. Chesnanus in histor. Ang. sub an. 1520.*

Esto fuerint ludibrio ventis opes illæ explicatæ in argumentum regiæ majestatis; iniquior tamen est eorum sors, quibus hoc animo insedit vt litarent gloriæ momentaneæ sæculi collabentis. Hi enim velificantes auræ populari, iacturam faciunt animæ, & laborum, ipso etiam sæculo vindicante iniuriam factam Deo ab his, qui eius rectum Domini cultum abdicant, vt aliis dominis obsequantur. Mundus namque vento pascit homines anhelos ad gloriam etsi grandia pollicitus multos sibi deuinciat. Ideóque fidelibus se latè patens aperit campus resiliendi à pacto inito cum sæculo, etsi ei dederint nomen opignerata fide pro obsequio æterno. Quippe etiam iure Cæsareo fas est rescindere contractus, si creditor desit summæ auri, quam debitor etiam suo chirographo confitetur in suas recepisse partes. Cùm ergo mundus suos omnes sequaces defraudet stipendiis promissis, possunt & illi aliò diuertere, ea gaudentes lege, quæ absoluit debitores, qui se non accepta pecunia aliis obstrinxerunt. Ecce legem latam ab Imperatore Antonino. *Si ex cautione tua, licet hypotheca data conueniri cœperis exceptione opposita seu doli, seu non numeratæ pecuniæ, compellitur petitor probare pecuniam tibi esse numeratam, quo non impleto absolutio sequetur.* Sed nota eodem Iure assignatum esse biennium, quo obiici potest illa exceptio pecuniæ non numeratæ,

Mundi pacta quare sint rescindenda.

Ex Iure Canonico. *Leg. Si ex cautione Cod. De non numerata pecunia.*

meratæ, ita vt quis eo tempore elapso possit chirographo sisti iudici à creditore suo, & inibi condemnari. En edictum Iustiniani Imperatoris. *In contractibus, in quibus pecunia vel res numerata vel data esse conscribuntur, non intra quinquennium (quod antea constitutum erat) non numeratæ pecuniæ exceptionem obiicere possit, qui accepisse pecunias, vel alias res scriptus sit, vel successor eius: sed intra solum biennium continuum, vt eo lapso nullo modo querela non numeratæ pecuniæ introduci possit.*

Leg. In contractib. Cod. eodem.

Hoc cautè aduertant hi qui genio indulgent, sub spe rescindendi pacta cum sæculo inita, quia mundus non stat pollicitis. Hoc, inquam, animo recolant esse à Deo vnicuique indictum breue tempus pœnitendi, & instare moras, quas quisquis impœnitens prætericrit, vltra non poterit mundo debita retractare. Itaque, ò fideles, seriò & præstò satagite irrita facere fœdera contracta cum mundo, ne frustra vos aliquando pœniteat elapso tempore præstituto. Consulite retroacta tempora, & reuocate stipem, quam accepistis à sæculo ob tot obsequia, & nihil occurret vobis digni homine ingenuo. Floribus quidem vernat, & multiplici ramo viret mundus; sed hæc non saginant. Itaque, imprudentes, hinc referte pedes, ne delusi experiamini sortem hominum damnatorum. Et esto Deus non præscribat aut præfigat aliquos annos, extra quos non sit pœnitēdi locus; totius namque æui prostat tempus idoneum ad faciendam animam reducem: praua tamen consuetudo hominem illaqueat, & ineptum facit ad reuocanda pacta conscripta magno animæ dispendio. Accipe Canonem hoc tonantem. *Mala consuetudo, quæ non minus quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab improbis assumitur: & incipiunt præuaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuò celebrari.*

Consuetudo mala sibi peíhmæ legis vim vsurpare solet.

EX IVRE CANONICO.
Can. Mala consu. Dist. 8.

Etsi ex præfatis, mundi pernicies se satis superque prodat; non erit extra aleam audire Mathematicos, & Medicos de suo penu aliquid iniurium mundo depromentes, vt probent non dubiam tantùm, sed & noxiam esse gloriam, quam promittit suis sequacibus. Columella peritus siderum inspector, & eorum influxuum callidus indagator ait, constellationem illam, quam coronam nuncupant, oriri quinta die Octobris, & esse præsagium tempestatum, quæ eos maximè infestant, qui velificant alto mari. Hos potissimum venti coëuntes exagitant, & adducunt in discrimen. Vnde malum omen est, quando corona rutilans orbi imminet: ea nimirum ortu suo condicit turbini & procellæ. Illi præsagiô fidem fecit honor, quo Iudæi hodie excepere Christum: nam vestibus, & aulæis humus strata, sparsi flores, excisi rami, aliaque fercula pompatica, fuere præambula tempestatis, quæ triduo exacto extulit Christum, cui illa corona lethalis illuxerat. Non est itaque ambiendus noxius ille aspectus sideris infausti, ideóque procul esto gloria mundi, in tot deducens angustias cultores suos.

EX MATHEMATICA.
Columm. Lib. 11. cap. 11.

Fauet & huic argumento res medica, timens homini si ad summum sanitatis habitum euectus sit: siquidem hæc ars probè callens, nihil planè esse sui tenax infra cælos, malè ominatur ei, quem plus solito vegetum & viuacem aspexerit, affirmans instare aliquem morbum, si non dissoluatur præstò illa humorum symmetria. Hinc effluxit ille aphorismus Hippocratis. Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ. *Athletarum bonus habitus, qui ad summum euasit periculosus est; non enim diu manere potest in hoc statu.* Cùm igitur præcipuæ huius mundi dotes nutent, nihilque prorsus homine dignum habeat hoc sæculum; nonne ad illud aspernandum habet homo multiplex argumentum? Et reuera probi omnes sese expediunt à tricis huiusce sæculi, & anhelant ad Beatorum sortem, ne si stipendiis mundi militent, videantur hîc accepisse mercedem suam, vt insinuat iste Canon. *Cauendum nobis est, vt si fortè aliquid boni agimus, in præsenti sæculo remunerationem accipiamus; ne fortè dicatur nobis, receperunt mercedem suam. Nisi enim diues aliquid boni egisset, vnde in præsenti sæculo remunerationem accepisset, nequaquam Abraham ei diceret: Recepisti bona in vita tua.*

EX RE MEDICA.
Hippoc. lib. 1. Aphoris. 3.
Prosperitas non est diu optanda.

EX IVRE CANONIC.
Can. Cauendum de pœnit. dist. 3.
Prosperitas est hic timenda.

Ne ergo, Christiane, demirere tripudia dyscolorum hominum, & vt præmonet Psaltes. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Spera in Domino, & fac bonitatem.* Hoc cogita, malos non esse adeò vitio immersos, quin etiam aliquid laude dignum perpetrent, ideóque donari præmio congruo, quia egregia quæque facinora, sua donatiua manent. Cùm ergo impij addicendi aliquando sint pœnis interminis, reuera par est eos aliqua bona recipere consona facinori probo, si quodpiam aliàs exantlarunt. Et hoc Iure Canonico decretum est, scilicet homines vitio assuetos non esse aliquo stipendio defraudandos, si virtutis aliquod specimen ediderint. Ecce Canon. *Quid ergo turbamur? nemo videns malignos prosperitatem habere turbetur. Non est hic retributio malignitatis, neque virtutis: ac si aliquando contingat, vt aliqua sit retributio vel malitiæ vel virtutis; non tamen secundùm quod dignum est, sed simpliciter, velut quidam gustus iudicij, vt qui resurrectionem non credunt, talibus doceantur. Quando itaque videmus malignum ditescere, non subruamur: & quando videmus boni aliquid mali pati, non turbemur. Illic corona, illic supplicia. Est & alia ratio: quia nō potest malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua bona: neque bonus in omnibus esse bonus, sed habet aliqua peccata. Cùm ergo prosperitatem malus habet, malo capitis sui est. Cùm enim pro illis paucis bonis retributionem hic accipit, illic iam plenius punietur.*

Psal. 36.

Can. Quid ergo de pœnit. dist. 3.
Prosperitate mali cur in hoc sæculo gaudent.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

Quomodo anima triumphum agat de mundo.

SVis itaque mereant stipendiis asseclæ mundi; sed ei comites non se adiungant Christi discipuli, quos alia brauia & donatiua manent, si gloriosum de sæculo triumphum egerint, Christi Domini sectantes ingenium, qui asino insidens, & calcans stratas in via vestes, suis fletibus aspersit omnia fercula pompatica, flores videlicet & virentes ramusculos, qui in gyrum compositi triumphantes coronare solent. Hæc omnia præterit Christus, vt impedimenta ad crucis ascen-

sum,

ſum, vbi extremo agone trophæum erexit, de mundo, carne, & dæmone profligatis. De eo pullo aſinæ hoc Chriſtus annotauit; ſcilicet neſciſſe ſeſſorem. *Inuenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum ſedit.* Animal hoc inſulſum notat carnem, quam nemo domuit adeò plenè vt Chriſtus. Veſtium faſtus, flores, & rami calcati, floccipendium opum ſonant. Triumphantis lacrymæ obortæ concrepantibus applaudentium buccis erudiunt nos, ſæculi pompam prolicere lacrymas, mundi inſaniam ſedulo meditanti. Quid autem ſit pedibus obterere carnem atque facultates, diſce ex habitu corporis inferiora conculcantis. Illud omne quod calcatur eſt infra pedes; at animæ pedes ſunt affectus: ergo ille, qui ſuperior eſt opibus atque illecebris carnalibus, non eis ſubiiciens affectum ſuum, profectò eas calcat, & eo attritu aſſurgit in triumphos, quos nemo planè poteſt alio decertandi ſchemate demereri. Namque licet in Dei arbitrio ſit impertire gratiam hominibus, & facere eos conſcios trophæorum Chriſti, cùm gratia ſuapte natura queat, Deo decernente, quibuſque bonis mentibus inſidere, licet nullos agones obierint, vt videre eſt in tenellulis infantibus, quos funus immaturum extulit; hi citra hoc diſcrimen quod iugiter incurrimus in hac mundi palæſtra, cælis adſcripti, beatarum mentium donatiuo gaudent. Tamen ex inſtituto Dei, gratia in nullum hominum adultorum influit, & participem facit triumphorum Chriſti, quin ille partes obierit ſtrenui athletæ, Dei cauſam validè propugnando.

Ioa.19.
Mundi pompa prolicit lacrymas meditantibus ipſam.

Ex Theologia.
Thom.1.2.q.112.art.2.

Illa Dei cauſa in eo ſita eſt, vt huic vni addictus ſit amor noſter, quem lenociniis multis ſollicitat caro, adſcitis aliis æmulis, ſcilicet opibus, & infulis dignitatum, quæ ſuaſore mundo pelliciunt hominem vt huic ſæculo oppigneret fidem ſuam, & à Deo deficiat. Nequit autem anima adhærere Deo, quin affectum ſuum liberet illecebris mundi huius omnibus importunis. Et hoc agere, eſt claſſicum canere, & bellum indicere mundo, quem ſpernere calcare eſt, & conquirere argumenta triumphandi. Vt non faceſſat negotium hic conflictus cum hoſtibus induſtriis, auſpicanda eſt pugna noſtra eo ritu, quo Chriſtus proceſſit hodie triumphantis habitu. Ille nullo delectu præhabito veſtium, quæ ſternebantur in via, eas pedibus obtriuit, nullas nectendo moras in contemplatione veſtium, quas populus obiecerat.

Hæc eſt ſumma calliditas Angeli deſertoris; nimirum is acuens mundum in nos, cum erudit vt obtendat veſtes vtique præcipuas, quibus oculis illudat incautis. Veſtes illæ ſunt ſpecies ſenſibiles, quas neceſſe eſt tranſmitti in phantaſiam, quia oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari. Illæ ſenſuales rerum ideæ ſuo obiectu validè percellunt appetitum, qui ſubodorans, exquiſitas carnis illecebras comitari totam mundi ſupellectilem, animam ſollicitat ad mundi obſequium; ſuggerit hæc cupido, non ſubeſſe virus rebus his editis ad ſolamen hominis, inter varias anguſtias enutriti. Et cùm appetitus ſenſitiuus non ſit de futuro ſollicitus, & vrgeatur tantùm præſentibus; rationem præuenit, & voluntatem inclinat in conſenſum, fitque ita vitiis obnoxius homo, quaſi implicitus veſtium inuolucris dum obuiæ cuiuſque rei ſpecie illectus capitur illecebris, & arctè huic ſæculo deuincitur.

Ex Philosophia.
Ariſt.l.2. de anima cap.3.
Mundus quibus nos armis impetat.

Ita miſerè periit Siſara dux militiæ Regis Chananæi, is profligato exercitu ſuo fugâ ſibi conſulens, ne fieret iuris Hebræorum, quos à tergo inſtantes habebat, imprudenter credidit mulieri Hebrææ, quæ fugienti obuia, eum induxit in tentorium ſuum, vbi ſitientem, & abundè potatum lacte, pallio inuoluit, ementita ſe componere latebras. Credulus ille arbitratus ineſſe pallio latibuli facultatem, paſſus eſt ſuperimponi ſibi hoc lethale tegmen, quo abditus, & errori ſuo indormiens, grauem in capite plagam accepit, qua morte inglorià deperiit, ſcilicet à fœmina turpiter enecatus. Ecce ſummam victoriæ reportatæ à muliere illa heroïna de Siſara agente triumphum, pallij obſequio, quo obtexit hominem imprudentè. *Egreſſa Iahel in occurſum Siſaræ, dixit ad eũ: Intra ad me, domine mi, intra, ne timeas. Qui ingreſſus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam: da mihi obſecro paululum aquæ, quia ſitio valdè. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitque Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi; & cùm venerit aliquis interrogans, & dicens: Nunquid eſt aliquis? Reſpondebis: Nullus eſt.* Mirare amabò hominis inſaniam. Fuerat ille Hebræis iniurius, quos viginti annis durè exceperat, & recens tentarat eos delere armis; & tamen ſuæ immemor ſortis, fœminæ Hebrææ auſcultat, & eius emendicat opem, illius clientelæ fidens, cuius populum prius oppreſſerat. Obtulit illa pallium, quo refugam abditum oculis eriperet inſequentium: delirus homo pallium hoc credidit fore latebras idoneas ſuo intento, quodque fuit dementiæ incrementum, ſomno indulſit homo ille, quem victor exercitus ad mortem depoſcebat. Quid autem incautè ſtertenti acciderit, ſeries hiſtoriæ commemorat hoc contextu: *Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa abſconditè & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram, qui ſoporem morti ſocians defecit, & mortuus eſt.* Aduerte, hominem plus nimio mulieri confiſum cecidiſſe capite terebrato; Deo edocente nos illa relatione, eos facile dementari, qui capiuntur externo rerum habitu, quem mundus explicat oculis hominum incautorum. Vt namque Iahel pallio inuoluit Siſaram, & eo amictu deluſum clauo capiti infixo perdidit; ita ſæculum iſtud infidele, offundens rerum varias imagines & ideas velut veſtes, quibus obteguntur eſſentiæ, fingit velle ſe ſuis ſequacibus præſtare obſequium, oblato penu ſuarum facultatum: dum autem ſpecies ſenſibiles ingerit corpori perquàm amœnas, eo rerum amictu præludens, caput petit, & rationem præoccupat, quæ occumbit, arbitrata ſibi quadrare hæc pallia, id eſt, extrinſecum illum mundi habitum, quem depereunt homines immemores boni potioris.

Iudic.4.
Mundi induſtria figurata in Iahel decipiente Siſaram.

Eadem prorſus illecebra veſtiũ mundus triumphum egit de Giezi diſcipulo Eliſæi. Ille conſcius egregiorum facinorum, quibus aſſueuerat Eliſæus Propheta famoſus, multùm profecerat conſuetudine tanti viri. Sed mundus inuidens virtuti eius imbecilliæ, metuens ne ſi radices altas ageret Giezi, æmulus eſſet aliquando magiſtri ſui ſanctiſſimi, aggreſſus eſt callidè illum neophytum præoſtenſâ illi egregiâ veſtium pompâ. Nempe Eliſæo recuſante prætioſas veſtes, quas attulerat Naaman Syrus in ſtipendium lepræ emundatæ; Giezi exarſit cupidine veſtium, quas ſtrenuus & triumphans ille Vates animo conculcarat. Itaque magiſtro

Veſtium pompa lepræ obnoxia.

magistro suo impar discipulus, aspiciens vestes, quas acus fortè Phrygia depinxerat, cessit illecebræ, eas ambabus manibus amplexatus. Vnde exautoratus à Propheta, & emissus cessit in ius mundi, lepram simul & vestes eius induens, iuxta maledictum, quo eum ferijt Elisæus, ita subiratus: *Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas olineta & vineas, & oues & boues, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.*

4. Reg. 5.

Ne igitur insolescat mundus de nostra imprudentia, æmulemur industriam Christi, qui per calcatas vestes perrexit, & ad vexillum crucis anhelans, victor aduolauit. Infra nos sint speciosa quæque nostris oculis intentata: quidquid namque illucet in creatis, illud est veluti pretiosa vestis obtegens viles sæpissimè reculas, quas tuo affectu indigas reperies, si exuas suis spuriis ornamentis. Et rursus illæ vestes præfulgidæ seorsim spectatæ, sunt bestiarum exuuiæ indignæ quæ aliquando demereant hominis appetitum. Etenim nec ipsa tota mundi congeries aptare homini potest vestem congruam, quæ eum obtegat vsquequaque. Eâ nempe staturâ homo assurgit, vt capite prætereat cælos: quippe mente Deum attingit, pedibus verò, id est affectibus, spatia permeat infinita, ac proinde nequit mundus congrua hominibus assuere vestimenta. Eamobrem sunt hæc omnia sæculi ludibria homini de sua salute sollicito pedibus obterenda, vt expeditius Christo adhærere queat. Ea indole fuit Moyses, cui puerulo cum Pharao coronam imposuisset, ille eam protinus abiectam animo futurorum præscio conculcauit. Nimirum grandior effectus, dato libello repudij suo natali solo, aspernatus infulas regni, quibus enutritus erat, secessit in desertum, vbi Christi nasciturí amore captus, hac oratione Deum vrgebat identidem: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Nota, Moysem non fuisse idoneum ad concipienda desideria adhærendi Christo, nisi pòst huius sæculi despicatum.

Ex Historia. Mundi pompam Moyses infans calcauit.

Exod. 4.

Eodem quo & Moyses congruo apparatu se accinxit ad sequelam Christi Canutus Rex Angliæ, qui pertæsus mundi insignia, coronam deposuit, eam imponens capiti Christi crucifixi, affirmans indecorum esse homini vsurpare diadema, quod Christus multis titulis acquisiuit. Noluit imposterum vti diademate Rex ille, memor illius tantùm esse habitum triumphalem, cuius sunt hæ veridicę voces: *Confidite, ego vici mundum.* Quòd si quis more pompatici ferculi turgidus incedat, quasi trophæa composita ex sæculi spoliis erexisset, profectò ille delirus homo consors est Caligulæ, qui percitus aliquando cupidine triumphandi, Româ exiit stipatus agmine numeroso, & contendit ad oram maris, vbi collectis lapillis rediit Romam exceptus triumphali ritu, quasi opima de hoste fero spolia reportasset. O insignem hominum vesaniam! irrident omnes Principis insulsi delirium, quo ius triumphi assumpsit, ob lectas in placidi maris littore quisquilias; & tamen omnes æmulantur insaniam Caligulę, dum ambiunt gloriā ignauis hominibus inconcessam.

And. Chesnans in hist. Angliæ sub ann. 1031.

Ioan. 16. Suet. in Calig.

Vtinam meminissent omnes sanctionis eius quæ viguit stante Roma. Cauit Senatus ne quis triumpharet, si non constaret de quinque millibus hostium cæsis, & si non adiecisset nouam aliquam prouinciam Romano Imperio. Hoc edicto etiam nunc moralia nanciscuntur titulos & triumphos: namque duo religiosè requiruntur à singulis quibusque fidelibus, qui aspirant ad præfatum hunc honorem. Prima quæstio est de numero quinario, an videlicet quinque sensuum domitores extiterint Christiani de gloria solliciti. Sed proh dolor! Quàm rara auis in terris, & quanta penuria hominum illorum, qui auertunt oculos ne videant illecebras quæ præludunt. Nescio an alicubi ille quinarius extinctus sit: adeò enim vbique sensus insolescunt, vt eorum importunum dominium longè latéque pateat apud viros etiam sanctioris instituti, quibus heu summa sanctitatis est, tergere vitij lethalis infamiam, & tersiorem ritum deforis ementiri.

Triumphus quibus legibus olim decernebatur. Alex. ab Alex. lib. 1. dier genial. cap. 22.

Si de altera cautela interrogentur ipsi emeritæ virtutis homines, nimirum an aliquam nouam prouinciam Dei imperio adiecerint, nonne erubescent, ingenuè confitentes, experiri adhuc in se mundi dominium? Quotus enim quisque est ille, quem inanis gloriolæ aura nunquam diuerberat, & cui aliqua cupido noxia non est importuna? Nescio an quis suam, vt par est, prouinciam, scilicet animam, Domino consecrarit. Eamobrem est quòd lugeamus potius quàm inanis tripudij spem fatui conquiramus. Ne tamen excidamus omni fiducia assequendi Christum, quantùm homini fas est Dominum illum consequi triumphantem; recolamus eius discrimina, & agones, vt ingressi eamdem aleam, victoriæ illius beneficia consequamur. Hoc consulit Apostolus, dum suadet deponendas esse sarcinas peccatorum, & ineundos calles tritos à Christo. Sic ille. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Esto mundus Christo fuerit iniurius eum morte ingloria despicatus; huic tamen rerum Domino nihil detraxere hominum iniuriæ, quas ipse aspernatus & subiens æquo animo, potiorem hodierno triumpho gloriam promeruit. Illa namque sæculi pompa, qua Ierosolyma tripudians eum hodie excepit, aptior est ad policiendas lacrymas, quàm ad sincerum lætitiæ vllius argumentum. Nempe Christo probè nouerat ingenium mundi, cui gestienti tristia sunt finitima. Ideò prudens & peritus hic magister, suos erudiens discipulos, qua cautione possent declinare laqueos mundi, fleuit, suis ita lacrymis aspergens tripudia ciuitatis.

Christi quomam sint futuri participes.

Hebr. 12.

Profectò tristitiæ instantis argumenta, sunt gaudia reproborum, ac proinde digna lacrymis, quarum aspergine memor homo insidiarum huius mundi, caueat technas eius: qui namque mœrens miseratur insaniam mundi, remota procul erit ab eo calle, quem à Deo deuius obit mundus. Quotidiano enim experimento liquet, valida ventorum flabra remitti, defluente imbre modico, & vanitatis æstum deprimi obortis lacrymis animæ desudante. Christus animo suo versans excidium & ruinam ciuitatis, quæ triduò post occisura Regem suum, erat conciliatura sibi exterminium; quod Romani vindices intulerunt. Christus, inquam obiectu malorum, quæ imminebant vrbi, fleuit, gestiente Ierosolyma & populo iubilante. Nos verò vberius argumentum sollicitat ad lacrymas, si quando nobis applausu suo sæculum obsecundat. Primò occurrit deflendum eius delirium, quòd scilicet instante ruina sua luxurians hoc sæculum insolescat. Secundò lugenda sunt

Reproborum gaudia luctus excipit.

sunt nostra præterita piacula, vt eorum memoria reprimat typhum, qui exurgit, aspirante prosperà mundi aurà: quid namque reprobis, & triumphis.

Illæ lacrymæ pœnitentum aspernantes mundi gloriam, eos accingunt ad potiores palmas, & sociant Christo triumphanti. Fauet hæc figura Exodi, quam meminit Moyses recolens stationes populi errabundi. Sic ille: *Venerunt in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum; & septuaginta palmæ; & castra metati sunt iuxta aquas.* Vide hoc contextu, sociari palmas & fluenta, id est lacrymas & triumphos. Hoc itaque memento, ô anima Christiana, videlicet mundi contemptum & lacrymarum profluuia trophæa erigere de sæculo profligato. Lacrymas prouocabunt retroacta tua deliquia contrito animo repetita: ea nempe mœroris indoles est, vt hominem totum fletibus alluat, qui eo rore fœcundior efficitur, ac proinde multiplici virtutum flore vernat. Despicientiam verò mundi suggeret illius nutans status, qui dum semper ruinæ proximus est, suo etiam occasu sequaces obruit. Eamobrem pereuntium iugi dispendio fiant cæteri cautiores, vt Gregorius singulos adhortatur. Sic ille: *Depopulatæ vrbes, euersa castra, concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt monasteria virorum ac fœminarum, desolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore destituta: in solitudine vacat terra, nullus hanc possessor inhabitat, occupauerunt bestiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat. In hac terra, in qua nos viuimus, finem suum mundus iam non nuntiat, sed ostendit. Tanto ergo nos necesse est instantius æterna quærere, quanto à nobis cognoscimus velociter temporalia fugisse. Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, si rebus prosperis demulceret ani-*

Exod. 15.

Ex SS. PATRIBVS. Greg. lib. 3. dialog. c. 38.

Mundi ruinæ debent eius contemptum suadere.

mum. At postquam tot flagellis premitur, tanta aduersitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat; quid nobis aliud quàm ne diligatur clamat? Si meum, ô Christiane, calculum desideras, hoc vnum habeto effatum indubium; videlicet eos, qui celebrare voluerint nomen suum in hoc mundo pompa & fastu, gloriam instantis sæculi nescituros: alios verò æterna trophæa paraturos, qui fuerint insignes sæculi despicatu.

FERIA SECVNDA maioris hebdomadæ.

Hodie texes concionem de præparatione ad communionem; argumentum desumes à lotione pedum, quam Christus egit in vltima cœna. Habes homiliam primo tomo huius moralis Encyclopædiæ, vbi octo concinnaui homilias de institutione Eucharistiæ.

FERIA TERTIA maioris hebdomadæ.

Hodie ages de ritu, quo quisque debet accedere ad sacram synaxim, habes luculentas de ea re homilias, præfato illo loco recensito, ex priore meo tomo.

FERIA QVARTA maioris hebdomadæ.

Hodie populum edocebis, quomodo se gerere debeat sumpto adorando corpore Christi, & in quas sese debeat effundere actiones gratiarum. Ne in repetita incurram superfideo. Consule primum tomum, & idoneam supellectilem ibi reperies, cui aliquid adiicere superuacaneum foret.



PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

SVMMA HOMILIÆ.

I. VIA senticeto, & floribus nihil est commune & consonum, ideo secerno dictionum florida aucupia in recensione Passionis Christi, quam trimembrem facio. Argumentum autem est reparatio hominum facta, ritu planè contrario ei, quo defecit homo. Dico primò, hominem cum Angelo nequam colloquutum in horto, & accepisse ingentem voluptatem ex eo colloquio, & eamobrem Christum Passionis suæ agones auspicatum fuisse in horto, vbi Angeli affatu suas tersit angustias, multo desudante sanguine delibutas.

II. Secunda parte dico, hominem appetiisse scientiam Dei, & credidisse esu pomi suos aperiendos oculos, & idcirco Christum vt ignarum fuisse interrogatum de doctrina sua & sordido velamine obductos ei fuisse oculos, & in pœnam superbiæ Adami, rerum hunc dominum fuisse multo opprobrio saturatum.

III. Tertia demum parte ostendo, maximum Adami piaculum fuisse inobedientiam perpetratam in esu fructus interdicti, & ideo Christum accessisse ad arborem Crucis, vt carperet fructus acerbos, quorum asperitas dilueret noxam, quam homo contraxerat, pomum vetitum absorbendo.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

Inclinato capite tradidit spiritum.
Ioan.19.

DISTRAHENTIBVS Christum Apostolis ne in Iudaam iret, quia Iudæi necem eius anhelantes, erant eum occisuri. Sospitator ille hominum, vitæ suæ incurius, vt de salute nostra sollicitum se proderet, eò tamen suum direxit iter, quò cunctabantur ire Apostoli, amore præualente in timorem, qui discipulos antea perculerat, Iudæorum facinus abhorrentes. Christi hoc propositum tenax vbi aduertit Thomas, subodorans eum vltro velle mortem oppetere, statim amantissimi huius Domini amore totus incaluit, sic alios affatus Apostolos. Eamus & nos, vt moriamur cum eo. *Non ea amoris sui argumenta ediderat Christus, quæ nos hodie recolimus. Nondum suo sanguine affectum nostrum conciliauerat. Denique non se adhuc totum tradiderat enecandum vt nos etiam totos sibi deuinciret. Cùm ergo nos plura vrgeant ad amorem Christi, quid cunctamur in mutuo affectu huic Domino citiùs expendendo? O fideles, non hodie insonat ore Christi desiderium moriendi, vt diluat nostra piacula. Cessere hodie vota factis; nempe ille anhelus oppetiit mortem, quam in hominum gratiam flagranti animo concupiuit. Æmulemur itaque gratitudinem Thomæ, & erumpamus in voces indices affectus nostri, adhortantes nos eàdem verborum serie quâ Thomas alios comites hortabatur:* Eamus & nos, vt moriamur cum eo. *O beatum hunc latronem, cui datum est commori Christo! O mortem præferendam illi languidæ vitæ, quam agimus in hoc æuo! Vt participemus amabilem illam sortem,* Eamus & nos, vt moriamur cum eo. *Stetimus hactenus, imò iacuimus adhærentes vitiorum omnium cœno, vbi volutati cum porcis Epicuri de grege viximus ingloriè. Surgamus hodie & eamus ad stantem Christum, vt & nos stantes cum eo moriamur. Pudeat nos non amare Christum, eo feruore quo fœminæ Scitharum suos coniuges depereunt. Illæ testatura amorem suum in viros exanimes, in eundem rogum insiliunt, vt concordi funere corpora concrementur. Faxit Deus, vt eodem conficiamur igne, quo hodie conflagrauit Christus nullus sanè locus esset residuus adulterinis amoribus. Eo igne ardet mons Caluariæ; facessant remoræ omnes; abscedat algor; amor exæstuet:* Eamus & nos, vt moriamur cum eo.

Ioan.11.

Amor noster in Deum commoriendo illi probandus est.

Ne causeris, ô anima, inopiam fomitis ad suscitandum ignem, & fouendum si quando illuxerit. Nimirum Crux tibi hodie porrigitur, vt lignum idoneum ad proliciendum illum amoris ignem: Crux enim meditata potis est reuocare incendia consopita. Patere igitur, ô Crux adoranda, humiles & charos amplexus nostros, vt tuo contactu ardorem animæ concipiat, quo ipse Dominus Iesus arsit. O beata Crux, non dedignata es humeris incumbere Simonis Cyrenæi redeuntis è villa? noli iam refugere obsequia animarum, quæ redeunt ex vili creaturarum commercio, vt sanctiores nundinas agant in monte Caluariæ. Macte, ô fideles, properemus ad Crucem Christi, vt cum eo moriamur. Inscia Cruce haudquaquam peruenitur ad Dominum. Ne itaque ab eo deuiemus, humili incessu adeamus Crucem, vt congruè euehamur ad Christum hoc stipite salutari. O CRVX AVE SPES VNICA.

PARS PRIMA PASSIONIS.

Pietatis suæ insigne argumentum edidit Ioseph, quando parentauit patri suo exanimi. Primò aromatibus conditum corpus largo lacrymarum profluuio aspersit. Secundò antequam solennes ageret exequias, quadraginta dies egit circa corpus, recolens merita mortui Iacob, & ei iugiter ingemendo. Parentalia hæc ita commemorat textus sacer. *Ruit super faciem patris flens, & deosculans eum. Præcepitque seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies.* Hoc quadraginta dierum numero exhausto, Ioseph secessit ex Ægypto, numeroso agmine stipatus, & contendit in terram promissionis trans Iordanem, vt illic patrem suum Iacob adiiceret aliis Patriarchis, eumque ritu congruo tumularet. Vbi deuenere omnes ad locum condictum, recruduit dolor, & inundantes lacrymæ totam illam familiam septem dierum spatio irrigarunt: quibus elapsis corpus exanime in spelunca duplici condiderunt. Ecce Scripturæ sanctioris textum. *Venerunt ad Aream Atad, quæ sita est trans Iordanem; vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies. Quod cùm vidissent habitatores terræ Chanaan dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti. Fecerunt ergo filij Iacob sicut præceperat eis. Et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici.*

Genes.50.

Ibidem.

Eodem ferè ritu plebs fidelis quotannis recolit mortem Christi. Multa gratiæ & virtutum aromata colligit, vt hoc suffitu condiat plagas Domini crucifixi. Quadraginta dies implet antequam septem dies consecret exequiis. Nimirum à feria quarta Cinerum, vsque ad Dominicam Palmarum, numerare est circiter quadraginta dies, quos præuios Ecclesia præmittit Passioni Christi, indicto longiore tractu Psalmorum aliarumque precum, & iniuncto arcto ieiunio. Die Palmarum familiam suam Ecclesia educit ex Ægypto, sollicitans omnes ad confitendum sua piacula. Cateruatim fideles exeunt è plaga illa infideli, dum pertæsi sua facinora meliorem frugem proponunt in posterum, dato libello repudij ritibus Ægyptiis, vt posthac ineant sanctius institutum. A Dominica Palmarum, vsque ad Pascha decurrunt septem dies, quos totos Ecclesia consecrat exequiis Christi, auspicans Euangelium Passionis ipso die Dominico Palmarum, adeòque in luctum se componit catholicum vulgus, vt luctuosa illa hebdomada, sancta nuncupetur. Demum in sacra Eucharistia acceptum à singulis corpus Christi pectori commendatur, sicque corpus illud sacrum sepelitur in spelunca duplici, quando ingeritur cordi humano, quod est concauum, & duobus ventriculis veluti fornice duplici concameratum.

Passionis Christi recolendæ quo se ritu aptet Ecclesia.

Pulmonis cum corde relatio.

EX RE MEDICA. Fernel. lib.1. Physiol. c.8.

Audi ex medicis naturæ industriam in ea contextura cordis. Sic Fernelius: *Quibuscunque animantibus pulmo datus est, iis in corde geminus est sinus, dexter ac sinister. Dexter modicè concauus est, pariete cinctus tenuiore: sinister altior in extremum cordis verticē pertingit, pariete crassiore obualla*

ebuallatus. In hoc siquidem plurimus isque attenuatus spiritus cõtineri debebat, cuius cor principium est atque origo: in illo autem sanguis densior concretiorque spiritus, atque is paucus, qui alendis pulmonibus satis esset. Vtroque cauo carnosa neruorum stamina intercurrunt, atque vtrinsque bini sunt canales. Cùm itaque cor duplici sinu cauum effectum sit, ad sanguinis custodiam; aptate, ô fideles, corda vestra, vt ea sanguine Christi alluam, ne pessum-eat ille cruor, quo omnis anima recreatur. Recludite speluncam hanc duplicem, vt illuc inferam hodie corpus demortui patris, vt nos exanimes suo effuso sanguine sospitaret.

Passio Christi omnes Adæ noxas expunxit.

In hac recensione agonum Christi, Rhetoricæ flosculos intactos linquam: quid enim floribus & Christo, qui hodie diademate spinis intertexto nobis ingemuit. Hoc vnum probare aggredior, scilicet hominem suis reatibus induxisse Christum in hoc discrimen, & omnes Domini angustias opponi piaculo Adami, cuius commercia cum diabolo in horto Christus diluit in alio horto Gethsemani. Et hoc erit pensum primæ partis. Altera parte dicam, Adamum nimia cupidine scientiæ credidisse serpenti pollicenti scientiam boni & mali, & adiicienti homines fore deos, probabo Christum tersisse hoc crimen quando alapis impetitus de scientia & prædicatione sua interrogatus est, & habitus vt vile mancipium, subeundo sputa & alia pleraque ludibria. Tertia demum parte dicam, summam deliquij hominum fuisse inobedientiam, qua vetitæ arboris fructum carpsit Adam, suam omnem prosapiam faciens obnoxiam morti. Ostendam Christum beneficio crucis protulisse antidotum salutare repurgans omne virus, quod homines incautos antea sauciarat. Eo pacto prudens ille Dominus rerum occurrit hominum ruinæ, rescindens omnia iniqua pacta inita cum dæmone, alia fœdera constituens planè contraria prioribus, collapsum hominem restituens pristinæ libertati, iuxta hanc regulam Iuris Cæsarei. *Nihil tam naturale est, quàm eodem genere quodque dissoluere quo colligatum est, ideoque verborum obligatio, verbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu tollitur.* Si Deus hominem non induisset, & Angelo demandasset illam prouinciam, satisfacere scilicet pro homine; profectò non fuisset in eodem genere dissolutum id quod fuerat antea colligatum. Vt ergo in integrum restitueretur homo, Deus eum assumpsit, vt eadem natura lueret pœnas, quibus se obstrinxerat in Adamo. Idcoque Dauid gestiens, sic omnes prouocat ad iubilum. *Speret Israel in Domino. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus eius.*

Obligatio omnis qua ratione rescindatur.

Ex Ivre Civili. *Leg. 36. ff. de regul. iuris.*

Psalm 129.

Copiosa sanè fuit redemptio illa, deliquiis hominum præponderans, vtpote quæ potuit infinitas animarum myriades extinctas ad vitam reuocare. Ideoque Christo affinguntur illa Iobi verba querula. *Vtinam appenderentur peccata mea; quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera. Quasi arena maris hac grauior appareret.* Peccata hominum sua dicit ille pius Dominus, non quòd ea commiserit, sed quia hæc suscepit expianda. Quàm autem congruus extiterit ille modus, non est humani facinus eloquij vt par est enarrare: nihil namque nisi adæquatè agnitum explicari potest; at quæ Dei sunt nemo hominum vt sunt attingere potest acumine intellectus. Quòd si nostro balbutiendi schemate volumus vti in indagine modi, quem iniit Deus ad salutem homini procurandam, sic fas erit discurrere. Tantò aliquis modus conuenientior est ad assequendum finem, quantò plura coëunt, quæ collimant ad eundem finem. At in Passione Christi pleraque sunt maximè idonea ad salutem hominum, præter deterssionem culpæ. Primò homini innotescit amor Dei eò effusus vt sanguinem suum totum effuderit ad diluendum scelus, quod homo antea perpetrarat. Inde Apostolus accipit argumentum affectus, quo Deus hominem deperit. Sic ille. *Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Secundò, multimodis his ærumnis, quibus Passio coaluit, Dominus edidit luculenta specimina virtutis omnigenæ, vnde hominem prouocauit vt iniret sanctius institutum. Hoc Petrus insinuat ita fatus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Rursus ille idem sospitator non hominum tantùm peccata tersit, sed etiam adiecit gratiam, quam promeruit nobis, faciendo nos conscios gloriæ æternæ. Præterea, Passione Christi homo cautior effectus est, nempè dum meminit se redemptum sanguine Christi, magni facit illud beneficium, & sibi inuigilat ne excidat gratiâ, quam sanguis Domini parturiuit. Eo argumento vsus est Apostolus, vt fidelium solertiam acueret, ita eos adhortatus: *Empti enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Denique Passio illa cessit ad insigne hominum decus: nam sicut homo victus fuerat & deceptus à diabolo; ita hoc Dei decreto effectum est, vt alter homo diabolum eliderct, & mortem superaret, in quam alij homines incurrerunt. Ideò iubilat Apostolus hoc tenore. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Iob. 6.

Ex Theologia. *S. Thom. 3. p. q. 64. art 6.* Passio Christi fuit medium valde idoneum ad redemptionē nostram.

Rom. 5. Passio Christi virtutum omniū exēplar est.

1. Petr. 2.

1. Cor. 6.

1. Cor. 15.

Prior ille homo reus editus de terra virgine, in hortum intromissus est vt in campum certaminis, obiectus Angelo nequam, facturus periculum suarum virium, nemine cogente eum ad peccandum. Eo prostrato, surrexit alter Adam, Virgine matre satus, qui nulla actus necessitate, ingressus hortum Gethsemani, Beati Angeli colloquio dignatus vltro se obtulit immolandum. Vt sicut extiterat liber Adami lapsus; ita etiam voluntaria esset hominum redemptio, quam perfecit Christus tergens omnium hominum deliquia, iuxta illud Isaiæ. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit.* Et esto Deus ab æterno decreuerit illum modum succurrendi homini fatiscenti; tamen hoc decretum vim aliquam non intulit Christo, vt eum inuitum induceret ad hodiernas angustias obeundas. Quippe ex Aristotele, necessarium aliquid dicitur multifariam. Primò, quia ex natura sua aliter se habere nequit; & eo modo omnes essentiæ necessariæ sunt. Verbi gratiâ, ita necessarium est hominem esse animal rationale, vt aliter esse homo nequeat. In eo sensu Passio Christi non fuit necessaria: potuit enim Deus alio beneficio fieri propitius hominum ruinæ. Secundò aliquid dicitur necessarium ab extrinseco. Illud autem extrinsecum, vel est causa finalis, vel causa efficiens. Aliquando causa efficiens ea virtute pollet, vt necessitatem coactionis inducat, sicuti videre est in homine

Isai. 53. Necessarium aliquod quot modis dicatur.

Ex Philosophia. *Arist. lib. 5. Metaphys. text. 6.*

homine valido alium impellente in præceps. Christus ea neceſſitate non paſſus eſt; nemo namque ei vim intulit, vt reluctantem ſubiiceret anguſtiis. Si verò res eſt de cauſa finali, nihil abſolutè loquendo Chriſtum cruci obſtrinxit, cùm vt præfatus ſum non defuerint ſapientiæ Dei alia remedia hominem ſoſpitandi. Et eò ſpectat illud Iſaiæ. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.*

Paſſio Chriſti fuit voluntaria.

Iſai.53.

Ne quis ſuſpicaretur inuitum Chriſtum obiiſſe moleſtias Paſſionis ſuæ, Scriba ſacer commemorat illud operoſum negotium, quod faceſſit ei obiecta congeries ærumnarum, quas præſcius inſtare animo recolebat. Et licet caro faſtiſcens horreret illa diſcrimina; notat ſacra illa ſeries hiſtoriæ agonum eius, Chriſtum aptaſſe voluntatem ſuam ad arbitrium Dei. Sic ille. *Poſitis genibus orabat dicens: Pater ſi vis transfer Calicem iſtum a me. Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Hoc textu duas in Domino agnoſce voluntates; vnam diuinam, quam Patris nominat; aliam hominis, quam ſuam nuncupat, & ſubiicit Deo. Audiendus Ambroſius. *Quod ait: Non mea voluntas ſed tua fiat, ſuam ad hominem retulit, Patris ad diuinitatem. Voluntas enim hominis, temporalis; voluntas diuinitatis, æterna. Non alia voluntas Patris, alia Filij: vna enim voluntas, vbi vna diuinitas. Diſce tamen Deo eſſe ſubiectus, vt non quod ipſe vis eligas, ſed quod Deo ſcias eſſe placiturum.* Quomodo autem expiarit intempeſtiua Adami gaudia incautè geſtientis in horto, diſce ex mœrore, qui eum perculit morte tenus, quando ait triſtem eſſe animam ſuam vſque ad mortem. In hominum gratiam doluiſſe Chriſtum in horto, vbi fuere præludia Paſſionis, liquidò enarrat Ambroſius ita fatus: *Pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret: & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſtitiam meam, vt mihi ſuam lætitiam largiretur, & veſtigiis noſtris deſcendit vſque ad mortis ærumnam: vt nos ſuis veſtigiis reuocaret ad vitam, &c. Debuit ergo & dolorem ſuſcipere, vt vinceret triſtitiam, non excluderet. Doles, Domine, non tua, ſed mea vulnera: non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem: & nos æſtimauimus te eſſe in doloribus, cùm tu non pro te, ſed pro me doleres.*

Luc.22.
Ex SS. PATRIBVS.
Amb. lib. 10. in Luc. c. 22.
Volũtas Dei ſemper eſt attendenda.
Vbi ſupra.
Paſſione ſua pro nobis doluit Chriſtus.

Quia in horto vitiata eſt indoles noſtra, ideo Sponſa Canticorum Chriſtum eò prouocauit, vt dulcedinem pomi vetiti caſtiget amarore alterius pomi. Sic illa inuitat. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.* Adami lethale pomum Chriſtus ſuum fecit, mortémque obiit, quam virulentus ille fructus intulit. Audi eum anhelantem ad crucis amplexum, & conuolantem in hortum, in quem eius condixerant homicidæ. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.* Optima ſanè commiſtio myrrhæ, & aromatum: putret enim oratio, quam mortificatio non vindicat à defectu: delicatæ nimis ſunt preces illæ, quæ Chriſti anguſtiis minimè condiuntur. Magni equidem facio orationis aromata; ſed vapeſcunt, niſi adſit myrrhæ ſuffragium. Ille ad ludibrium orat, qui labiis concrepantibus inuocat Chriſtum, & tamen anguſtias eius imitando tergere dedignatur. Ideo quadraginta dierum ieiunium indixit Eccleſia ante recenſionem Paſſionis, vt ſe eo præludio fideles aſpergerent myrrha, ſicque magis idonei fierent ad orandum cum eo in horto; ne refugas Apoſtolos imitati, Chriſtum deſererent anxium, fructus infauſti, quem incautè momordit Adam, reliquias abſorbentem. Audi ex Codice ſacro aromatum & myrrhæ commiſturam. *Factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Sanguinis ſui primitias obtulit Deo Patri, vt reſciſcerent omnes non coactè ſed liberè Chriſtum largo cruoris ſui profluuio crucis ſtipitem inundaſſe. Dei iuſtitia læſa hominum deliquiis ſitiebat humanum ſanguinem effundendum in expiationem criminum, quibus ſe tota Gens obſtrinxerat. Dei decretum conſtans erat, ſanguinis tantùm fluxu diluenda piacula, vt Paulus inſinuat ita fatus: *Omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione, non fit remiſſio.* Satis ſuperque ſedata eſt iuſtitiæ ſitis, eo cruoris imbre, quo Chriſtus aſperſus eſt, quando hominum cauſam agens, pronus orans ſuo ſanguine deſudauit.

Cant.5.
Orationis & myrrhæ ſocietas neceſſaria.
Luc.22.
Sanguinis effuſione omnia mundantur.
Hebr.9.

Summi ſacerdotis partes egit, dum ſanguis eius in terram defluxit, veſtis illius oram tingens, guttulis in fimbria ſiſtentibus. Ille enim debuit eſſe ornatus ſummi Pontificis, vt crepidó veſtis eius eſſet diſcreta malis punicis, atque tintinnabulis, Deo ita decernente. *Deorſum ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies ex hyacintho, purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulum ſit aureum, & malum punicum. Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonitus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini.* Fimbriata veſtis ſanguine concreto videbatur circumferre mala punica, quorum ſpeciem pendulæ cruoris guttæ oculis ingerebant. Tintinnabula intertexta, fuere orationes tertiò repetitæ vt Deum homini facerent propitium. Eò ſpectat illud Apoſtoli effatum. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id eſt, non huius creationis: neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Alius reuera ſanguis fuit iſte, ab eo quem emiſit corpus exanime Henrici I. Regis Angliæ, cui cùm ad tumulum efferretur aperta facie occurrit Richardus filius eius, Princeps olim iniurius patri ſuo, qui quaſi exoſus occurſum filij ſui rebellis, copioſo ſanguine deſudauit. Dixiſſes mortuum Regem exprobare mortem ſuam filio perduelli, & vrgere Deum ad vindictam. Hic verò ſecus; nam Chriſto oranti Patrem ſuum occurrêre quidem omnia hominum piacula, quorum obiectu effluxit inundans ſanguis, non prouocans ad vindictam, ſed inclinans Deum Patrem ad veniam homini condonandum.

Exod. 28.
Chriſtus in horto Gethſemani ſanguine perfuſus egit partes ſummi Pontificis.
Hebr.9.
EX HISTORIA.
Andr. Cheſnaus in hiſt. Angl. ſub anno 1190.
Henricus I. Rex Angliæ poſt mortem miſit ſanguinem præſente filio rebelli.

Rurſus ille ſudor fuit ſalutaris: quippe demorſo lethali pomo virulentus humor hominum genus fecerat obnoxium febri contumaci, quæ reſtingui non potuit, quia natura humana plenè in nullo adhuc homine deſudarat. Morbi, qui altas radices egerat, reliquias omnes terſit Chriſtus cruore madens, quo diluit fermentum ægritudinis importunæ. Criminis ſui horrore obriguerat Adam, & fortè aliquali lacrymarum

Sanguinis ſtillicidia, mala ſi exigua.

Ex Re Medica. *Hippocr. l. 1. Coac. praen. 61.*

stillicidio eum facti pœnituit. Sed ex Hippocrate. Στάξις ἐλάχισται κακαί. *Stillicidia perexigua mala.* Debuit saluti instanti præire sudor copiosus, index virtutis infinitæ, cuius impotes fuere omnes homines infra Christum. Aliorum hominum virtus, vt modica non potuit prolicere sudorem illum, quo solo potuit morbus foras erumpere. In hoc vno natura sospes & integra effecta est, vtque peccati labes Adami contagio omnes homines infecerat, ita remedium à Christo allatum fuit ægris omnibus salutare. Non enim sibi vt ægro laborauit Christus, sed nobis, quos à seculo infinita propè vitia sauciarant. Itaque noster fuit ille sudor sanguineus, nostræ huius angustiæ, ac proinde nostra salus est in agones Christi Domini refundenda. Et præsertim illi molestiæ, quam versamus, apprimè quadrat illa Hippocratis prænotio. Διαχώρημα καθαρὸν ἐπιγενόμενον, λύει πυρετὸν ὀξὺν μεθ' ἱδρῶτος. *Deiectio pura cum sudore febrem soluit.* Christi sudor puro sanguinis profluuio immistus, non tam fuit salutis humanæ præsagium, quam causa: quidquid enim passus est Christus, illud vnum potuit sufficere ad homines sospitandos.

Deiectiones puræ cum sudore febrē soluunt.

L. 1. Coac. tract. 4. praen. 80.

Præterea agnosco in illo imbre sanguineo amorem Pelicani, qui pullos suos ictos à serpente ac proinde occisos eo ritu reuocat ad vitam. Rostro suo adunco sibi aperit pectus, vnde copiosus effluit sanguis, cuius aspergine pullos exanimes dignatur ea qua exciderant vita. Noluit Christus tortorum rabiem habere primitias sanguinis sui, quas voluit esse amoris, non liuoris. Vltro itaque fudit hunc cruorem, vt eo rore viuifico sauciatos à serpente omnes homines excitaret, essetque pietatis opus illa sanguinis effusio, sponte facta, non extorta diris à tortore suppliciis. Ille etiam animus anxius, quo se accinxit ad orandum, amorem clamat, quem etiam congruè explicat textus sacer, enarrans quo habitu se aptauit pius ille parens sollicitus de homine reuocando. Sic ille. *Et auulsus est ab eis.* Vide quàm altas amor radices egit in corde Christi, qui cum discretos à se præsciret Apostolos consulturos sibi fugâ ingloriâ, ægrè admodum ab eis secessit oraturus, & hanc illius molestiam congruo vocabulo Lucas expressit, dicens eum fuisse auulsum ab eis. Dicitur enim id auelli quod altè defixum est. Adiice curam quam gessit eorum, vt vigiles essent, ne irruens sopor faceret eos immemores voti, quo se obstrinxerant oppetituros mortem potius quàm à Christo deficere. Illorum & omnium hominum incuriam prouidus ille reparator hoc suo agone luit, expiaturus omnia Gentis nostræ piacula.

Ælian. l. 15.

Pelicani amor erga suos pullos.

Luc. 22.

Crediderim ego eum compellasse Deum eadem oratione, qua olim Dauid Angelum affatus est quando exerto gladio spiritus ille vindex iustitiæ Dei populum immolabat. *Vertatur obsecro manus tua contra me.* Cunctante autem iustitia ferire hominem innoxium, ille vltro sanguinem suum fudit, amore suo præueniens rabiem æmulorum, qui perduelles in caput Christi Domini coniurarant. Præteriti temporis recensio veridica, miris encomiis effert Henricum III. Imperatorem, qui eo affectu deperiit populum suum, vt grassante lue, quæ populabatur oras omnes Imperij, omnem adhibuerit curam, & ingentes fecerit impensas pro populo sospitando. Quodque amoris summa est, cum beneficus ille Imperator animaduertit recrudescere mala, eo

2. Reg. 24.

Ex Historia. *Hist. Imperial. sub ann. 1054.*

Amor Henrici III. Imperatoris erga suum populum.

mœrore affectus est, vt pertæsus infulas, & insigne decus Imperij, populo suo afflicto condolens ægrotarit. Sanitatis suæ dispendio aliis inuigilans, sedulus inquirebat quomodo valerent ciues. Ast vbi resciit Deum non flecti hac internecione plebis, morte sua litare voluit Iudici sæuienti.

Profectò locuples amoris exemplum edidit ille Henricus commori malens suæ Genti, quàm viuere populo pereunte. Tamen ille fuit infœcundus amor, aliis inutilis. At Christi amor suo discrimine orbem innoxium fecit, atque adeò dignus qui etiam præferatur vtrique Decio, qui morte sua, victoriam patriæ pepererunt. Hi namque Consules fortiter in acie dimicantes, cùm viderent agmina sua inclinare, & penè iam prosterni, caput suum pro Republica deuouentes, concitato equo in medias irruerunt phalanges hostium, vbi multâ hostium strage editâ telis obruti sunt. Non fuit hæc mors ingloria; nam inde victoria emersit Deciorum sanguine purpurata. Facinus hoc vt egregium ita commemorat Valerius ille Maximus. *Dignosci arduum est verum Romana ciuitas vtilius habuerit Decios duces, an amiserit: quoniam vita eorum ne vinceretur obstitit, mors fecit vt vinceret.* Vtrobique beneficus extitit Christus, & sospes, & saucius; tamen penes Passionem suam nostram salutem reposuit. Ne autem hominibus insciis videatur hæc parta salus; ille surgens ab oratione, suos sic discipulos hortatus est: *Sustinete hîc, & vigilate mecum:* & rursus. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Quamuis enim Christi ærumnæ sufficiant ad expianda omnium hominum piacula; tamen vigiles animos petunt, qui fortiter sustineant, & orationi vacent, ne fatiscant. Dehiscens namque hominum ingenium ad iniqua semper inclinat, ideoque operæpretium est, vt beneficio orationis in Deum assurgat; alioquin deorsum vergens homo deseret Christum, factus expers meritorum eius, & futurus vile mancipium vitiorum.

Liuius lib. 8. & 10. *Plin. lib. 5. cap 22.*

Amor vtriusque Decij erga suã patriam.

Valer. lib. 5. cap. 6.

Matth. 26.

Vide in quod discrimen deuenêre Apostoli. Hi vigiles concordi animo spoponderant Christo, se ei morte tenus firmiter adhæsuros; sed vbi irrepsit somnus, illi immemores voti sui, ingruente molestia consuluere sibi fugâ. Namque accedente Iuda stipato quàm pluribus sicariis conductis in cædem Christi, nutantes Apostoli protinus aufugerunt. O si quis eorum æmulatus esset facinus audax Maioris Scipionis Africani, qui cum videret L. Metellum afflictâ Româ Cannensi clade agitare consilium de deserenda ciuitate, ne populus cederet in ius Hannibalis; ille licet iuuenis, & Tribunus militum, stricto gladio omnes iurare compulit, se non derelicturos ciuitatem, etiamsi eam victor Hannibal obsideret. Sic ille non pium tantùm se præstitit in patriam suam, sed etiam pietatem abeuntem in ciuium suorum pectora reuocauit. Si Petrus eodem gladio, quo Malchum percussit, alios suos commilitones adegisset ad comitatum Christi, non incurrissent in ingloriam notam hominum desertorum.

Liuius l. 22.

Amor Scipionis erga suã patriam.

Dum animo exciderent Apostoli, accessit Iudas osculo Christum prodens. Fortè Eua insigens Adæ osculum, eum induxit in scelus, quod ipsa incauta contraxerat. Vt hanc noxam Dominus absterseret, alterius osculi infidelis iniuriam pertulit, quam stupens Bernardus sic miratur

Bern ſerm. de Paſſione.
Amor Chriſti erga Iudá.

miratur Dominum affatus *Accedentem ad oſculum ſanctiſſimi oris tui trucem beſtiam auerſatus non es; ſed os, in quo dolus inuentus non eſt, ori quod abundauit malitia dulciter applicuiſti. Innocens agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conuentio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ Domine fuit, vt omnia illa exhiberes, quæ praui cordis pertinaciam emollire poſſent. Nam & veteris amicitiæ non immemor, illum commonuiſti dicens: Amice, ad quid veniſti? Atque horrore ſceleris ſui cor impij ferire voluiſti, cùm dixiſti: Iuda oſculo filium hominis tradis?* Subodoror in eo Iudæ oſculo myſterium componendis moribus idoneum, hoc nimirum vt quemadmodum oſculum præiuit iniuriis Chriſto illatis; ita etiam dæmon oſculis ſe accingit ad omnium hominum ruinam. Nempe voluptates callidus ille hoſtis conducit in perniciem noſtram, vt ſuis amplexibus incautos deliniant, & poſtmodum ſicariis immanibus tradant, eo ritu quo Iudas in caput Chriſti perfidos homines erudiuit, eos ita affatus: *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete, & ducite cautè.* Profectò quemcumque illecebra ſuis voluulis implexum tenet, ille ruinæ proximus eſt, ſiquidem cautè irretitum dæmones vitiis implicant tot nexibus, vt ægrè admodum queat ab his amfractibus anima reſilire. Vbi enim homo nimium credulus arbitratur aliquam ineſſe voluptati beatitudinis ſpeciem, patitur oſculum primò, deinde ruit in amplexus, æternis poſthac vinculis alligandus.

Math 25. Marc. 14.

Ex SS. Patribus.
Chry. hom. 30 Quod nemo læditur niſi à ſeipſo.
Vita hęc meretrici comparata.
Vita noſtra quot miſeriis obſtricta.

Si conſulis Patres Sanctos, hi præſtò erunt, & aſſerent infidelem eſſe voluptatem inſtar meretricis, quæ oſculo ementito hominem multis anguſtiis obnoxium facit. Ita Chryſoſtomus. *Meretricem appello hanc vitam, quæ in deliciis & voluptatibus tranſigitur: & eam quidem turpiſſimam, cuius facies fœda, horrida, & aſpera, amara, crudelis: & licet tam turpis vultus eius, & fœdus; tamen multos decipit, cùm videant apud eam cruenta omnia periculis, mortibus, inſidiis, inuidia, tormentis plena, cumque eam ſtipari videant peſſimis ſodalibus, contumeliis, inſania, inuidia, curis pernicioſis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis infauſtis conſortibus velut anguium corona circumdari; fructum vero in his nullum niſi interitum eſſe, perniciem, pœnamque perpetuam: petitur tamen à pluribus, amabilis & exoptabilis habetur.* Sanè oſculo infideli hominem tradit, omnis noxia illecebra; & cui tradit? iniquis dominis, ſcilicet vitiis, quorum immane iugum ægrè admodum excutitur.

Senſus ſunt portæ quibus ſeſe voluptas inſinuat.
Ambr. lib. 1. de Cain & Abel ca 40.
Voluptas meretrici cõpoſita.

Ambroſius etiam pellicis nomine voluptatem ſic ſugillat: *Quid tam meretricium quam ſæcularis voluptas, quæ à feneſtra domus ſuæ intrat, oculis prima tentamenta præludens, & penetrat cor: ſi tu in plateas proſpiciens, id eſt, in publicas tranſeuntium vias, non in legis interna myſteria, obtutum mentis intendas. En profectò eſt, quæ validioribus vinculis, veluti cubile quoddam conſociatæ nobis communitatis intexit, vt qui inclinauerit ſe ligetur, & opprobrioſæ fraudis velamen operiat corporis ſui ſtratum; ad ſollicitandum animos iuuenum, abſentiam viri, hoc eſt incuriam legis obtexens. Lex enim peccantibus abeſt: nam ſi adeſſet, non delinqueretur.* Hæc noxia voluptatis induſtria ad necandas animas vocat eam in partem

Ex Symbolis.

Tom. II.

ſymboli quod effinxit Camerarius, dum depinxit pantheram animal carniuorum, quod tamen adeò gratam ſpirat fragrantiam, vt cæteræ omnes feræ eo odore captæ aduolent ad pantheram, quæ eis adblandiens primò, tandem eas ſauciat dente lethali, & deuorat interemptas. Huic laniénæ iſtam epigraphen affingit auctor. ALLICIT VT PERIMAT. Voluptas homini incauto perquàm ſuauem afflat fragrantiam, à qua abeſſe periculum dum anima arbitratur, illico dementatur. Si qua igitur te cupido tenet rerum cœleſtium, ô Chriſti diſcipule, caue oſcula voluptatis, quæ ALLICIT VT PERIMAT.

Camer. in centur. quadrup.
Voluptas vt panthera.

Hic ſe etiam latè patens aperit campus declamandi in oſcula illa ſuauia crebrò reperta, quæ etſi videantur eſſe innoxia amoris argumenta; tamen ſecum plerumque virus vehunt & lethale. Non auſpicatur dæmon animæ ruinam ab actu nefario & horrendo; nempe rarus eſt ille, qui ſtatim velit eſſe conſcius piaculi deteſtandi: Callidè irrepit vafer hoſtis: nimirum animos inflectit reciproco amore, qui dum calet exigit mutua argumenta, quibus ſe indubius prodat amor. Oſcula vtrimque porriguntur, quæ vt oleum camino adiectum, amoris incendia exaſperant; & hinc adulteria, ſtupra, inceſtus, ſi diſparis ſexus amantes ſint; ſi verò inter eiuſdem ſexus homines gliſcit amor comprobatus frequentibus oſculis, illa profectò ſunt præludia horrendi caſus. Eò ſpectat illa annotatio Baronij, ſcilicet fuiſſe in more poſitum priſcæ Eccleſiæ vt viri viros, & fœminæ fœminas dignarentur oſculo pacis, quando ſacerdos in Miſſa proferebat iſtas voces: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Ab eo autem ritu oſculandi ait illos abſtinuiſſe, ſi adſtarent maſculi impuberes, & facie decora ſinè lanugine, vt ea cautela fomitem luxuriæ declinarent. Adiice conſilium illud cœnobitæ huius, qui monebat eremitas ne ſub eodem tecto cum iuniore monacho remanerent; vt vel ſic omnem diabolo anſam auferrent, oſculo animas enecandi.

Baronius Tom. 1. Annal.

Regulâ ex vitis SS. Patrum.

Ex SS. Patribus.

Illa oſculi digreſſio nos à Chriſto abſtraxit, vt & reuera oſcula Chriſto iniuria ſunt. Redeamus ad Dominum hunc, quem cùm voluere milites apprehendere, abiere retrorſum eliſi in terram virtute abdita, vt reſcirent inuitum Chriſtum capi non poſſe. Ita Auguſtinus. *Vbi nunc militum cohors, & miniſtri Principum ac Phariſæorum? Vbi terror & munimen armorum? Nempe vna vox dicentis: Ego ſum, tantam turbam odiis ferocem, armiſque terribilem, ſine telo vllo percuſſit, repulit, ſtrauit. Deus enim latebat in carne, & ſempiternus dies ita membris occultabatur humanis, vt laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris. Ego ſum dicit, & impios deiicit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Certè ad comprehendendum Ieſum perſecutores cum traditore venerunt, quem quærebant inuenerunt. Audierunt; Ego ſum. Quare non comprehenderunt; ſed abierunt retro, & ceciderunt; niſi quia hoc voluit, qui potuit quidquid voluit? Verùm ſi nunquam ſe ab eis permitteret apprehendi; non quidem illi facerent propter quod venerant, ſed nec ipſe faceret propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quærebant ſæuiendo, ſed quærebat nos & ipſe moriendo. Proinde quia tenere volentibus;*

Aug. tract. 112. in Ioan.

Paſſionem Chriſti fuiſſe ſpontaneã probat caſus militum in horto.

NNn 3 nec

nec valentibus, ostendit potestatem suam; iam teneant eum, vt faciat de nescientibus voluntatem suam. Augustini sententiam Bernardus amplectitur, ita fatus: *Non illos à te absterruit, quod in hora apprehensionis tuæ omnipotenti brachio tuo, terræ eos allisisti, non quidem defensionis causa, sed vt cognosceret humana præsumptio, nihil se posse aduersus te, nisi quantum permitteretur à te.*

[Bern. ser. 1. de Passione.]

His ego Sanctis assentior, & credo perduelles atque sacrilegos homines corruisse in argumentum potestatis eius, in quem venerant violentas manus iniicere. Sed præterea agnosco in eo casu reproborum omnium hominum sortem, & summam Dei pietatem. Vt enim homo Deo iniurius mutet ingenium, plerumque ærumnis affligitur, vt vexatione dante intellectum, pœnitens humilis ad Deum redeat, in quem tumidus insurrexit. Ideo sanè hi lictores cecidere, vt suo casu pœnitendi argumentum acciperent, sicut fecere Dauid, Manasses, & Nabuchodonosor, qui prostrati à feriente manu Dei, postea surrexerunt, dantes nomen suum eidem Domino prosternenti. Eadem nempe manu, qua deuios humiliat, reduces erigit ad salutem. Alium persecutorem, scilicet Paulum, sæuientem deorsum trusit, vt sursum eucheret. Ita Augustinus: *Voce Christi de cælo prostratus, & accipiens desuper interdictum iam sæuiendi, cecidit in faciem suam; prius prosternendus, postea erigendus; prius percutiendus, postea sanandus. Non enim postea Christo viueret, nisi occideretur in eo, quod malè antea vixisset. Iam parat se ad obediendum, qui prius sæuiebat ad persequendum. Iam informatur ex persecutore prædicator, ex lupo ouis: ex hoste miles. Audit quid facere debeat. Cæcus sanè factus est, vt interiore luce fulgeret cor eius. Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, vt redderetur prædicatori. Et eo tempore quo cætera non videbat, Iesum videbat.* Noli igitur insanire, ô reprobe, si quando errantem te elidit Dei manus acerbior; prostratus siste gradum, ne perge in præceps: namque illud est patris ferientis ingenium, vt flagellis crebrius incussis filium reuocet aberrantem.

[Aug. ser. 35. de diuersis.]

[Flagella bonos faciunt meliores.]

O pie Iesu, non continuisti in ira tua miserationum tuarum largum profluuium: ne enim lictorum error eos longius abstraheret, prostrauisti eos, vt casu remorante eorum ferociam, eo momento pœnitendi sumerent argumentum. Te miserante Deus fiamus Pauli consortes, & non Iudæ, vt recrudescente plaga ærumnarum, quibus hodie excipitur mundus, iugis illa molestia nos erigat ad gratiam, & non præcipites agat in ruinam, quam Iudas & cortei eius impij subierunt. Rursus abiere retrorsum lictores illi omnes, quia deuij à Deo constare sibi nequeunt, sed omnia eis susque déque versa pessumeunt. Et esto quandoque rutila videatur sors hominum impiorum; est tamen finitima instanti deliquio, Deo ita moderante seriem rerum humanarum, vt eo non influente nutent omnia & funditus euertantur. Ne ergo quis cadat, Deo adhæreat, à quo vel latum vnguem recedere, cadere est. Vnde nihil mirum, si hodie corruunt impij cogitantes cædem Christi, à quo habent vt stent omnia quæ consistunt, & quo inuito nihil planè assurgit, vt expertus est Augustinus ita fatus: *Domine Deus meus virtus salutis meæ. Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus. Et cùm sic volui currere, vbi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retro, & non antè: & quod credebam consequi, magis elongatum est à me. Sic per multa similia vires meas probas. Cognosco nunc quia illuminasti me, quoniam quod magis credidi posse per me, minus semper potui. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam; nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas; aderat facultas, non aderat voluntas: quoniam de meis viribus confidebam.*

[Aug. solil. 25. Superbos Deus humiliat.]

[Voluntas humana infirma.]

Frustra Deus admonuit sacrilegos homines; nam eorum impietas inualuit: siquidem comprehenderunt Iesum, funibus eum arctè vincientes, & vt hominem inglorium deducentes in vrbem, cui adeò beneficus extiterat, vt illic occumberet factus omnium hominum ludibrium. Adam in horto voluptatis tentauit excutere iugum Dei, ambiens altiorem statum, in spem cuius eum diabolus erexerat hoc breuiloquio: *Eritis sicut dij.* Hanc intempestiuam libertatis cupidinem hodie luit Christus in isto mœroris horto, vbi vincula & dedecus expertus est, vt dilueret hoc facinus, priorum hominum voto incongruo perpetratum; quippe nihil indecorum egit homo, quod non Passione sua deterserit Christus. Heu! quid Adamum commemoro vt auctorem vinculorum; ego ipse, Christe Deus, te his Dominum meum innoxium vinculis alligaui, ac proinde te compello isto Bernardi eloquio: *Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine vuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti tunc exoluebas.* Demirare homo consilium Dei. Ille vt hominum superbiam elideret, contumeliosè in terram prostratus est, & instar scelesti hominis onustus vinculis, eodem die proditoris sui pedes abluerat, eo habitu humilitatis summam transgrediens, luculentum eius virtutis specimen editurus. Hoc meditare cum Bernardo ita cum Domino colloquente. *Te quidem perditissimi tui traditoris perfidia non latebat, quando in cœna ablutionis etiam coram ipso procumbens maledictos pedes eius, veloces ad effundendum sanguinem tuum, sanctissimis tuis manibus attrectare, lauare, & extergere dignatus es. Cur autem adhuc extento collo ambulas, ô terra & cinis? Adhuc te impatiētia exagitat. Intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum Iesum, vniuersæ creaturæ factorem, tremendum iudicem viuorum & mortuorum ante pedes hominis & traditoris sua genua incuruantem. Disce quia mitis est, & humilis corde, & confundere in superbia tua, & erubesce in patientia sua.*

[Bern. serm. de Passione.]

[Passionis Christi homo causa fuit.]

[Ibidem.]

[Humilitas Christi nostram fugillat superbiam.]

Regibus adeò ingloria visa est vinculorum iniectio, vt Rex Dauid Principis Abner encomia auspicatus sit, ab eius indole nescia vinculorum. Accipe seriem historiæ. *Leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner. Plangensque Rex & lugens Abner ait: Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati; sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti.* Hanc gloriolam aspernatus es, Christe, in hominum gratiam; namque manus tuæ ligatæ sunt, & fuere pedes tui compedibus aggrauati, vt eo habitu inglorio caderes

[2. Reg. 3. Vincula dedecent Reges.]

caderes coram hostibus anhelis in cædem tuam. Ipsum etiam vinculorum nomen adeò exosus est Alexander ille Macedo, vt cùm ex decreto medici ad sanguinis emissionem esset ei vena brachij rescanda, noluerit ligamen apponi, quo stringitur brachium, vt sese turgidæ venæ prodant. Cùm enim chirurgus vittam coccineam explicasset eo intento vt brachium constringeret, renuens Alexander ait: Apage ista hinc; non enim decet vinciri imperatorem. Hunc hominum fastum spreuit iste rerum Dominus vincula expertus, quia homo procax mandatorum Dei vincula confregerat. Solutæ hominum manus pleraque impia commiserant, pedes etiam eorum effrænes effusi in nefas, à Deo procul homines extulerant. Huic discrimini consuluit Christus, assumptis manicis atque compedibus, Bernardus cum vinctum sic affatur: *Quis audiat sine gemitu qualiter homicidæ manus in illa hora in te iniecerunt, & innocentes manus tuas, Iesu bone, vinculis astringentes, te agnum mansuetissimum nihil loquentem ad instar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam?*

Vinculum chirurgi respuit Alexander.

Bernard. vbi suprà. Vinculis obstrictus est Christus.

Dormientibus Apostolis turbæ illæ noxiæ accessere in hortum ligaturæ Christum, quia remissior Adam in agendis excubiis indormiit Euæ lenocinio dementatus. Homo malè suada coniuge sua, peccati funibus implexus foras emissus est. Et hic alter Adam nexibus iniuriis obstringitur suasore Apostolo refuga, qui eum tradidit æmulis homicidis, præuio osculo, quod assumpsit in tesseram suæ indolis infidelis. Reuocari huc potest Mathematica illa siderum obseruatrix. Ait illa disciplina, Saturnum retrogradum in domo inimicorum portendere vincula, carceres, & mortem ei quem infaustè aspexerit. Iudas apostata retrogradus fuit; nempe omnis desertor retrocedit. Saturni ingenium assecutus est hic transfuga maleficus, inuidus, proditor, & auarus. Quando Iudæos adiit, tunc subiit domum inimicorum Christi, vbi non vincula tantùm decreta sunt, sed insuper omnes in caput eiusdem Domini coniurarunt. Huius sideris errabundi vim maleficam Christus hodie excepit, quia Adam subierat domum Angeli nequam, hominum inimici. Calicem ærumnarum in horto ebibit, ne in alios homines deflueret virus, quod in eo calice prior homo diluerat.

EX MATHEMATICA. *Schonner. l. de iudiciis planet. cap. de Saturno.*

Fuisse autem amoris Dei in homines omne hoc negotium in horto gestum, liquet ex nomenclatura, quam Iudæ affinxit, eum sic adiurans, etsi caput hominum impiorum. *Amice ad quid venisti?* Vt enim fornax accensa, flammiuoma sua spirat incendia; ita tunc Christus amore in hominum genus exæstuans, maxima sui affectus edidit argumenta. Eamobrem incurrens in hominem perduellem & defectionis iniquæ conscium, non eum censura acerba corripuit, sed quasi discipulum amici nomine nuncupauit. Si itaque vinctus adducitur amantissimus ille Dominus, hoc habe ratum, scilicet amorem strictissimis eum vinculis alligasse. Eo capto, Apostoli obliti propositum, quo statuerant commori Christo, turpiter aufugerunt. Abscondit se Adam in horto voluptatis malè sibi conscius, quia fructum carpserat ligni prohibiti. Hîc verò secus, Apostoli refugiunt adhærere Christo, & abeunt in latebras, ne inuiti comedant fructus acerbos crucis Domino præparatæ. Ea Apostolorum defectio adeò inglorià est, vt ipsæ etiam tenebræ noctis eam horruerint. De ea remissione animi silere libet magis quàm eam carpere: nimirum quotidie eidem deliquio obnoxij, veluti desertores, Christi obsequium impiè detrectamus. O ignauiam! ô scelus! Non suppetunt verba idonea ad declamandum in tantum nefas, feriante lingua hanc illatam Deo iniuriam taciti meditemur.

Matth. 26.

PARS SECVNDA PASSIONIS.

Esto Apostoli resciderint indiuidui consortij fœdera inita cum Christo; censores incongrui sumus ad sugillandum hoc facinus, quia illi nos habuere comites fugæ. Quis namque audeat affirmare se hactenus adhæsisse Christo patienti? Nemo planè; toties enim ab eo deflexímus, quoties genio indulsimus lenocinia sensuum aucupantes. Itaque præstat nos adiungere Apostolis, & simul condolere assumpto luctu Annæ parentis amantissimæ Tobiæ iunioris, quo dimisso in remotas Medorum plagas, mater illa ægrè ferens chari sui pignoris absentiam, in has gemebunda voces abiit: *Heu, heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Maiora prostant impietati nostræ argumenta luctus ob Christum derelictum, imò & abactum, ideoque fas est multo lacrymarum imbre nostra hæc crimina repurgare. Hoc fletuum profluuium prouocabunt hæc lamenta. Heu, heu, & proh dolor, Christe Deus, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum? Quare incauti in vincula coniecimus hominum impiorum, qui te vitiorum nostrorum multis nexibus alligarunt? Nostræ salutis incurij malè consuluimus nobis, quando te procul abegimus, te in quo simul omnia habentes debuimus intimo pectore recondere. Querulæ illæ voces crebro repetitæ desiderium nostrum acuent, vt Dominum hunc deperditum, sedula posthac indagine requiramus. Properemus ne quid nobis insciis fiat Christo, quem audio sisti Pontifici Hebræorum, qui tragœdiam illam auspicatus est ab examine doctrinæ Christi, vt recenset Ioannes, qui adstitit Christo posito in his angustiis. Sic ille. *Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga, & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quid dixerim ego.*

Tob. 10.

Ioan. 18.

O prouidum Dei consilium! homo imprudens anhelauit ad scientiam Dei aucupandam, suasore diabolo, qui suggessit istud delirium. *Eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Et Deus hodie homini subiicitur, vt probet scientiam suam esse orthodoxam. Profectò errauit ille censor conquirens argumenta quæ destruerent esse indubiam scientiam Christi. Nulla namque scientia probat sua prima principia, sed ea sunt per se nota lumine à natura insito, quo quisque assentitur propositæ thesi. Alioquin nullius omnino rei daretur scientia, si principes huius disciplinæ notiones operæpretium esset expendere ad trutinam alterius principij, quod tunc ipsum esset primum principium per se notum, & sic semper intentum

Genes. 3.

EX PHILOSOPHIA.

staret; videlicet non esse probanda principia, quorum notitia peruia est beneficio illius habitus, quem intellectum vocant, in eo dissitum ab intellectu, qui est potentia animæ, quòd hic sit facultas ratiocinans, ille verò intellectus sit habitus, cuius obsequio principia per se nota nullas patiuntur instantias, veritate sese protinus explicante. Cùm ergo Christus sit ipsa scientia Patris, ac proinde sit scientiarum Dominus; frustra eum sollicitat Pontifex, vt illam doctrinam, quæ effluxit ab ea scientia, subiiciat hominum rationi, cùm transcendat & hominum captum, & acumen intellectus omnium Angelorum. Suæ huius doctrinæ indolem satis superque aliàs ostendit, quando ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Id est, si principium huius scientiæ inuestigas, Pater est: nam licet ego principium sim; tamen sum principium de principio: Pater verò est principium de non principio, vtpote fons & origo totius Trinitatis. Res itaque incongrua est, principium illud increatum appendere ad stateram rerum, quibus prima principia creatæ scientiæ lumen aspergunt. Itaque, ô imprudens Pontifex Hebræorum, supersede, & ne explora rationum scrutinio qualis sit ea disciplina, cuius se Christus præstitit assertorem.

Ioan. 7.
EX THEOLOGIA.
S. Thom. 1. p. q. 33. art. 1.

Doctrina Dei Patris quænam sit
EX SS. PATRIBVS.
Aug. tr. 29. in Ioan.

Si Augustinus illic adfuisset, ancipitem Pontificis animum sic firmasset. *Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicuius; & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est verbum, &c. Intendite cuius est verbum, & videbitis rectè dictum, non est mea doctrina, ac si diceret: Ego non sum à meipso. Quamuis enim filium patri dicamus æqualem, nec vllam in eis esse naturæ vel substantiæ distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuisse temporis interuallum; tamen hoc seruato & custodito ista dicimus, quod ille Pater est, ille Filius. Pater autem non est, si non habeat filium, & filius non est, si non habeat patrem: sed tamen filius Deus de patre; Pater autem Deus, sed non de filio. Pater filij; non Deus de filio; ille autem filius patris, & Deus de Patre. Dominus enim Christus dicitur lumen ex lumine. Lumen ergo quod non ex lumine, & lumen æquale quod ex lumine: simul vnum lumen, non duo lumina.* Hæc ille, hoc discursu explicans, quantùm doctrina Christi aliis omnibus emineret.

Aliud se item mysterium prodit in ea quæstione de doctrina Christi. Exauthorandus erat ille Hebræorum Pontifex, & Christus vbique terrarum prædicandus vt Pontifex Maximus: ideoque in eius Passione, duo illi attributa sunt, quæ pectori suo Præsul ille Maximus inscribebat, scilicet Doctrina, & Veritas: sic enim ex præscripto Dei Moyses ornauit Aaron summum Pontificem. *Statim obtulit Aaron, & filios eius. Cumque lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo aptauit rationali, in quo erat Doctrina, & Veritas. Cidari quoque texit caput.* De doctrina quærit Pontifex, vt & Pilatus de veritate interrogat. Tria item commemorat textus facta à Moyse quando inaugurauit Aaron. Primò eum lauit, secundò ei aptauit subuculam albam, demum eum texit tunica hyacinthina. Et hæc etiam obseruata sunt in contextu agonum Christi: quippe ille auspicatus est extrema hæc discrimina à sudore, quo corpore toto madens reuera ablutus est eo profluuio, non quòd vllæ inessent ei sordes detergendæ, sed vt suo æterno Patri faceret satis. Veste alba indutus est ab Herode, & chlamyde coccinea à militibus ei iniuriis, & quamuis ille apparatus datus ei fuerit opprobrio; fuit tamen argumentum Pontificatus transeuntis à Synagoga ad Ecclesiam. Et hoc inuitus etiam ostendit ipse Hebræus Pontifex, quando zelo intempestiuo percitus, sua vestimenta scidit, quæ lacerare nefas. Eâ vesaniâ se indignum professus infulis, inscius alteri Pontifici cessit. Huic meæ sententiæ suffragatur Leo Magnus, commemorans hoc facinus hominis insulsi. Sic ille. *Caiphas ad exaggerandam auditi sermonis inuidiam, scidit vestimenta sua; & nesciens quid hac significaret insania, sacerdotali se honore priuauit. Vbi est, Caipha, rationale pectoris tui? Vbi continentiæ cingulum? Vbi superhumerale virtutum? Mystico illo sacratóque amictu ipse te spolias, & propriis manibus pontificalia indumenta discerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de principe sacerdotum: De capite suo cidarim non deponet, & vestimenta sua non disrumpet. Tu verò, à quo tam alienabatur hac dignitas, ipse tibi es executor opprobrij, & ad manifestandum finem veteris instituti, pertinet eadem disruptio sacerdotij.*

Leuit. 8.
Doctrina & veritas voces scripturæ in pectorali pontificis Hebræorum.

Leo ser. 8. de Passione.
Pontificatus ab Hebræis ablatus.

Adiice, cidarim Christi fuisse coronam illam spineam, quæ caput eius cinxit. Et esto ludibrium crediderit esse illum apparatum Gens Iudæa; Deo tamen moderante seriem Passionis, illa hæc symbola sortita sunt effectum, quem Deus præscius assignarat. Ita olim socij Iehu Principis Israël credidere iocum esse illam vnctionem, quâ oleo delibutum fuit caput eius à puero vate; sed iidem ipsi postea demirantes consilium Dei, venerati sunt hominem, quem frustra inunctum crediderant, & eo rerum potiente, alium Regem Israël eiusque omnem prosapiam penitus exaunxerunt. Plerique Christo iniurij & conscij mortis eius, eo extincto percutientes pectora sua demeruere Deum votis anhelis, & vltro confessi sunt non eum tantùm esse Summum Pontificem, sed & filium Dei esse insuper adiecerunt. Matthæus hoc recenset. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerant valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.* Lucas aliorum pœnitentiam commemorat ista subiiciens. *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Vrgente Pontifice, vt Christus quæstioni de doctrina sua faceret satis, ille sapienter ait, consulendos esse suos auditores, vt testes fidei indubiæ: nemo enim in sua causa testimonium ferre potest. Iniquè excepta est ab adstantibus sapiens illa responsio, non explosa tantùm, sed & alapa castigata.

4. Reg. 9.

Matth. 27.

Luc. 23.

O Dei patientiam ineffabilem! Repentina morte animaduertit in Ozam ille rerum Dominus quia manibus illotis & pollutis arcam fœderis attrectauit, & hodie impunè tulit immane piaculum homo sacrilegus, qui colaphum Christo inflixit. Domino ita malè habito recruduere molestiæ; siquidem plerique æmuli, velatis oculis eius

faciem

faciem contusam pugnis sputo fœtido consputcarunt. Adam sibi applaudenti dæmoni arrisit: ille applausus plectitur iniuriis hodie acceptis. Diabolus ementitus speciem optimi consultoris, exquisitam oculorum aciem promiserat hoc tenore. *Aperientur oculi vestri.* [*Genes. 3.*] Libido hæc videndi inconcessa congruam nacta pœnam, facie obducta velo, & subducto lumine castigatur. Bernardus illa ludibria querulus sic meminit: [*Bern. serm. de Passione.*] *Concilio malignantium aduersum te Pontificum præsentatus es, & veritatem prout oportuit confessus, quasi de blasphemia adiudicatus es morti. Amantissime Domine, quanta illic indigna à propria Gente pertulisti? Vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes calos adimplenit lætitia, quem deprecabuntur omnes diuites plebis, polluti labiis suo sputo coinquinarunt, sacrilegis suis manibus ceciderunt, velo in derisum operuerunt, & te Dominum vniuersæ creaturæ tanquam seruum contemptibilem colaphizauerunt.*

[Ex Ivre Civili. *Leg. Si fugitiui Cod. De seruis fugitiuis.* Serui fugitiui pes amputandus.]

Adam quasi seruus fugitiuus in horto se abscondit; hodie alter Adam ex horto eductus, in locum prioris Adæ sufficitur, luitque pœnas decretas in mancipia fugitiua; imò durius cum Christo agitur, quàm cum transfuga, cuius pœnæ omnes hac verborum serie concluduntur. *Si fugitiui serui deprehendantur ad Barbaros transeuntes: aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur.* Sic cauerunt Imperatores impij Diocletianus & Maximianus, qui licet sæui, & laniena assueti, mitius egère cum seruis desertoribus, quàm Iudæi egerint cum Christo fugitiuum hominem exhibente. Ambierat Adam præcox imperium, arbitratus defectione sua à Deo se in posterum fore sui iuris, ideo Christus infra mancipiorum humilem statum deiicitur saturatus opprobriis, quibus ille gloriæ indebitæ appetitus plectitur immaturus.

[Ex Symbolis. *Ferrus part. 2. Theatri symb.*]

Vnde & placet homini affingere symbolum, quo notatur infaustus exitus eorum hominum, quos inanis gloriolæ aura inflatos extollit, vt demum incautos agat in præceps. Pinxit quidam Icarum adolescentem, qui sibi alas composuit, vt earum ope ad cælos accederet; sed pennâ infideli negante obsequium suum, ruina ingens excepit hunc volatum. Et hoc fuit argumentum tituli, qui tabulæ adiectus est. Pro talibvs avsis. Id est, meritò ille deprimitur, qui per summum nefas erigitur. [Superbia deprimitur.] Adam etiam Angelorum apicem transgredi voluit, eò sua dirigens vota, vt tanquam Dei æmulus sciret bonum & malum. In mulctam delirij, Christus infra vilia capita se demittit, factus opprobrium hominum, & abiectio plebis. Præalta Adæ conamina Christus hodie illusus humili suo habitu condemnauit Pro talibvs avsis. Superbiens homo ausus est ascendere; ideo sanctior alter homo compescuit nisus incongruos.

Dubiam omnium hominum salutem erexit Dominus Iesus eo ferè modo, quo sibi consuluit Dauid in aula Regis Achis. Aulici Dauidem apud Regem detulerant, enarrantes hominem illum aduenam accepisse oraculo fore se Regem terræ, ideoque non esse tutum recipere virum ad ardua progenitum, ne aliquas regno strueret insidias. Rex credulus dubiam Dauidis fidem fecit, quod vt ille aduertit, cauens vitæ suæ, finxit se esse insanum, & defluente saliua in barbam, facie immutata, Principis iram fregit. Accipe ex Codice sacro historiam. *Dixerunt serui Achis ad eum, cùm vidissent Dauid: Nunquid non iste est Dauid Rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes: Percussit Saül mille, & Dauid decem millia? Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis Regis Geth. Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliua eius in barbam. Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me?* [1. Reg. 21.] Homo incautus ambierat titulos indebitos, anhelans ad regnum cæli viâ incongruâ. Ne in rebellem & tumidum Deus vt par erat deseuiret, Christi facies indecora effecta est, saliua inuncta, & contusa pugnis. Domum oculis velamine obductis sapiens ille rerum Dominus pro insano habitus est: hac industriâ redemptoris, declinauit homo iram Dei, in quam imprudens incurrerat, quando voluit vsurpare Dei infulas, dæmone susurrante. Hodie veritas enituit effati huius celeberrimi. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* [1. Cor. 1.] Insigni rerum omnium peritia eminebat Adam, in quem præaltæ sapientiæ habitum congesserat; ab hac tamen sapientia deuius ille insipiens, in hos miseriæ anfractus cecidit, vnde non potuit emergere, nisi beneficio Passionis Christi, quam plerique insaniam esse crediderunt, sicut insinuat Paulus. [1. Cor. 1.] *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.*

Vide ergo quàm aberrent illi, qui nimis alta sapiunt, & insurgunt in id omne quod famam eorum lædit. Hi profectò errabundi alios omnino calles obeunt, & dispares eis quos iniit Christus, editus in scopum, ad quem debent nostra vota omnia collimare, iuxta illud Petri. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* [1. Petr. 2.] Hoc igitur ratum esto, Christum obtectis oculis damnare effrænes hominum oculos, qui suis obtutibus omnia sistunt. Quid autem facie sua sputis illita intendat, arbitror ego eum improbare curam, quam plerique impendunt ad nitorem cutis, vt vultus inde venustior amorem sibi conciliet. Vestrum hoc est facinus, ô Fœminæ, cutis cultrices ingloriæ. Dum stibio depingitis oculos, & faciem totam cerussa obducitis, vt candore mentito oculis illudatis, estis iniuriæ Christo, carpentes opus eius, cui adiicitis vestram industriam, quasi ea superare queat Dei peritiam. Reparando fucis vestris discrimen formæ, animarum perniciem hac pigmenti libidine procuratis. Mentimini vos editas ad imaginem Dei, ideoque componitis vos ad arbitrium Angeli desertoris. O mulier adultera noli in Deum conspuere, faciem tuam albedinis multitiæ nebulis obtegendo. Si mihi auscultare piget, saltem morem gere Ambrosio, sic monenti *Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam: non fuco, sed veritate fulgentem: non cera expressam, sed gratia. Deles picturam, mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas, si acquisititio rubore perfundas. Illa pictura, vitij, non decoris est; illa pictura, fraudis non simplicitatis est:* [Ex SS. Patribvs. *Ambr. lib. 6. text. cap. 8.*]

illa

illa pictura fallit; & decipit, vt neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum sed alienum esse quod placeas, & tuo displiceas auctori, qui videt opus suum esse deletum. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris nouis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognouerit? Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere. Graue est crimen, vt putes quod melius te homo quam Deus pingat. Graue est vt dicat de te Deus: Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum quem ipse formaui, reiicio ego quod meum non est. Illum quære qui te pinxit, cum illo habeto consortium; ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti.

Si itaque vultis tergere faciem Christi, quam fœdastis, ô fœminæ incuriæ pulchritudinis animarum, abiicite fucos, sectamini honestatem, excolite formam illam, quæ penes gratiam attenditur,& ita immunes eritis à facinore quod deflemus. Vos Passioni Christi etiam ærumnas adiecisse,liquet in fœmina,quæ Petrum Apostolum miserè dementauit. Apostolus ille imprudens sociorum suorum zelum anteuertens, iureiurando se obstrinxerat commoriturum se Christo potius quàm fidem fallere. Tamen à sexu hoc imbecillo interrogatus, quasi eum puderet esse discipulum Christi, defectioni suæ periurium addidit, vt hoc suum immane nefas altero adiecto crimine confirmaret. Tria in miserando Petri lapsu occurrunt speculatione digna, videlicet culina, militum impium consortium, & fœmina eum carpens, eò quòd dedisset nomen suum Christo. Profectò tribus hisce funiculis dæmon omne hominum genus illaqueat,itavt rarus sit ille qui euadit nexus illos omnibus explicatos. Culina gulam significat, notius ille cœtus mundum delineat,fœmina Venerem clamat. Dæmoni est hoc robur triplex ad animas etiam validas oppugnandas. Quid mirum si Petrus in culina periurus homo fuit, hanc ille dialectum didicerat ab his, qui cùm litauerint abdomini, nihil aliud eructare sciunt præter blasphemias? Dyscolorum hominum nactus consortium Christo iniurium, didicit ab impiis legitimum illum Dominum abdicare. Non hinc abfuit Eua patienti Christo molesta, sollicitans Petrum ad illud deliquium quod lugemus. Eua primum hominem pellexit ad suum delirium, & hîc altera mulier Principem Apostolorum à Christo abstraxit, cui antea dederat nomen suum,effundendo etiam sanguine consignandum. Nemini sanè fuit innoxia consuetudo mulierum, vtpote inimica Christo; ideóque semper à Patribus damnata commercia cum dispari sexu: eo namque fomite magna surgunt incendia, quæ non Petrum tantùm sed plerosque alios Præsules adusserunt. Quamuis libido Petrum non à Deo abduxerit; tamen fœminæ colloquio lapsus,inde argumentum suæ defectionis accepit, muliere illa afflante Petro lethalem auram, quæ dum aspirat aliis incautis hominibus, excitat ignes luxuriæ,qui animas & corpora depascuntur.

Petri lapsus vnde fuit ortus.

Ex Ivre Canonic.

Cautior Ecclesia casu sui Pontificis, fœminæ afflatu decepti, clericos omnes seu ministros Sacrorum secreuit ab omni mulierum contubernio, editis eo fine decretis quamplurimis. In his accipe celebrem illam sanctionem Concilij Nicæni. *Interdixit per omnia sancta synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem.* Deo afflata Ecclesia, iniqua iudicauit esse clericis mulierum consortia, arbitrata neminem posse constare sibi vbi nutauit Petrus. Eodem spiritu actus Hieronymus, multus est in eo canone clericis inculcando. Eius est illa admonitio benè suada,quam ex multis eius epistolis Gratianus sic digessit. *Hospitiolum tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant. Quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit. Nunquam de formis mulierum disputes. Fœminæ nomen tuum nouerint, vultum tuum nesciant. Fœminam, quam benè videris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia.* In Adami deliquio solennis est mentio fœminæ, hominem à Deo distrahentis: debuit & in reparatione alia mulier refricare memoriam sexus conscij mortis Christi, cui negatio Petri fuit acerbior aliis omnibus angustiis. Cautè itaque fœminarum consuetudo est clericis interdicta, ne & ipsi abiurent Christi obsequium, si crebra cum fœminis misceant colloquia, quibus vtplurimum ruinæ instantis validum petitur argumentum. Ideóque forsan recensetur ille Petri lapsus, vt eius discrimine cautiores singuli quique fiant, recolentes præcipua ferè hominum capita Adamum & Petrum colloquio fœminæ corruisse.

Can. Interdixit. dist. 33.

Can. Hospitiolū. dist. 33. Hier. epist. ad Nepotian.

Mulieres sunt fugiendæ.

Ambrosius in muliere, quæ decepit Petrum, agnoscit primæ mulieris indolem, meámque suo suffragio adstruit sententiam. Sic ille: *Ad similitudinem Euæ Petrum quoque ostiaria mulier decepit, & sicut Adam fœmina circumscripsit; ita & Apostolum fœmina circumuenit. Vsitatus enim ad decipiendum sexus est: fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit: fideles viros non nisi per mulierem oppugnare consueuit. Ibi Adam per Euam superat, hîc Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim, sicut legimus, in paradiso deliciarum diabolus: nec defuit,sicut intelligimus,in prætorio Iudæorum. Ibi imminebat satanas serpens, hîc Iudas coluber perurgebat. Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit; quoniam eadem est & similitudo mandati. Accepit enim vterque à Domino mandatum; Adam ne tangeret; Apostolus ne negaret. Ille ne lignum scientiæ præsumeret;hic ne crucem sapientiæ præteriret. Sed transgrediens vterque præceptum, pari modo delinquunt. Gustat ille quod non licet, loquitur iste quod non decet.* Hæc ille. Petri quidem & Adami concolor fuit occasio pelliciens ad peccandum, scilicet mulier; sed discolor exitus fuit perquàm similis noxæ. Namque vt ait Ambrosius: *Adam reus facti nudus erubuit; Petrus conscius delicti correptus ingemuit. Ille tanquam deprehensus festinat ad latebras; hic tanquam emendatus prorumpit ad lacrymas.* Adam sibi fugâ & latibulo consuluit; Petrus verò à Christo aspectus abiit in lacrymas. Adam imaginem refert animæ, quæ in spurcissimo vitiorum volutabro delitescit, illa sibi malè conscia refugit Dei obtutus, imò Deo reuocante silet; & quandóque obiurgata tenuibus excusationum foliis obtegit suam nuditatem. Alia planè fuit indoles Petri; in quo pœnitentis ingenium prostat: nempe gallicinio admonitus, & Domini

Amb. ser. 48. Mulieris sexus est potens ad decipiendum.

Ibidem.

Domini Iesu aspectu erectus, exiuit foras, & fleuit amarè.

Ex Theologia. S. Th. quodlibet. q. de synderesi art. 2. Synderesis effectus.

Non citra mysterium quatuor ista commemorat textus sacer; videlicet, galli cantum, Christi oculos in Petrum directos, exitum eius, & fletum amarum: penes enim illa quatuor est series tota historiæ hominum pœnitentum. Primò gallus quasi classicum insonans, hominem desertorem admonuit, non esse indormiendum noxæ, sed quantocyùs resurgendum à lapsu, in quem malè cautus incurrerat. Gallicinium illud est synderesis animam sollicitans eodem ipso momento quo peccatur. Illa animam diris stimulis exagitat & vrget ad exitum: vt namque habitus primorum principiorum intellectum ab errore reuocat, si velit assentiri conclusioni erroneæ; ita synderesis animam torquet, si quando fuerit crimini obnoxia: sicut enim se habet habitus primorum principiorum ad speculatiua; ita se habet synderesis ad practica. Ideóque illa insita à Deo, antecedit gratiæ iustificantis influxum, quem denotat specialis ille Christi aspectus, sortitus effectum adeò salutarem Petro. Nam esto synderesis sit gratia quædam Dei nos prouocans ad meliorem frugem; illa tamen gratia non est iustificans, vt videre est in Iuda, qui ea perculsus synderesi retulit quidem triginta argenteos, sed non resipuit. Igitur ad verè pœnitendum, operæpretium est Deum aliam adiicere gratiam, eam scilicet, quam meminit Psaltes, sic occinens: *Oculi Domini super iustos*, ac proinde homo indiget propitio Dei aspectu, quem statim excipit animæ conuersio notata in exitu Petri reliquente mulierem, culinam, & cœtum hominum impudentum. In eo nempe sita est animæ adultæ & pœnitentis iustificatio, vt dato libello repudij creaturis, tota in Deum citiùs effundatur. Non esse autem humani tantùm ingenij conuersionem illam edocet Dauid, Deum ita deprecatus. *Conuerte nos Deus salutaris noster. Deus tu conuersus viuificabis nos*, Id est, frustra enitar ad reducem gratiam, nisi præuia conuersione tua meam sollicites. Tota hæc discussio gratiæ liquet ex Petri historia, quam Lucas sic compendiosè subtexuit. *Continuo adhuc eo loquente cantauit gallus. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amarè.* Peccante Petro gallus eum admonuit; sed ille obsurduit vtpote non dignatus adhuc beneuolis aspectibus Christi. Sed vbi conuersus ille hominum sospitator intuitus est hominem immemorem propositi sui, transfuga Petrus illico redux fuit; & quia recessus à vitio præit accessui ad Christum, exiuit foras Apostolus, qui intus fuerat apostata.

Psalm. 33. Gratia Dei comes aspectuú Christi.

Psalm. 84.

Luc. 22.

O propitios Dei aspectus! hisce dignare hominum genus extinctum, Christe Deus, vt qui conscij fuere criminis Petri, eidem à te aspecto, & deflenti noxam comites adiungantur. Rem isti argumento congruam enarrant Physiologi, affirmantes auem struthionem non incubare suis ouis adinstar cæterarum alitum, quibus hoc est insitum à natura vt foueant oua sua calore ingenito, vt sic decocta prodant pullos his abditos inuolucris. Aiunt illi seduli naturæ interpretes, struthionem oua sua recludere solo oculorum obsequio: feraces enim eius oculi, suo lumine pullos viuificant. Hinc emersit symbolum illud, quod effinxit Camerarius, struthioni intuenti oua sua adiiciens istam epigraphen. DIVERSA AB ALIIS VIRTVTE VALEMVS. Titulus ille magis Christo quadrat, quàm aliti: nimirum oculi eius viuaci virtute pollent, qua recreantur homines, etiam emortui subitò suscitantur. Petri exitus è reprobo loco index est efficaciæ oculorum Christi. Ne autem secessus Petri ementitæ pœnitentiæ suspicionem faceret; largo lacrymarum imbre tersit peccati sui reliquias, vt diluerent oculi quod lingua incauta deliquerat. Christus valida oculorum suorum virga percussit hanc Petram, & eo attritu copiosi fletuum latices effluxerunt. Profectò similes lacrymæ sacrilegum Iudæ facinus abluissent.

Ex Symbolis. Camerar. centuria de auibus.

Aduerte hîc obiter virtutem Passionis, à qua emendicant omnem vim suam pœnitentis animæ fletus; qui alioquin infœcundi essent & impotes emundare næuos, quos vitia inolita reprobis effuderunt. Dei namque totum est id quod peccati chirographum obliterat. Non est igitur quòd pœnitens homo refugiat animo supellectilem pœnitentiæ vt austeram; Deus corporis lanienam non exigit, sanguine effuso haudquaquam litari sibi iniungit, totum hoc salutare negotium flendo perficitur, plusque valet lacryma sincera, quàm prolixa oratio vtplurimum fallax & infida. Itaque animæquior esto, ô homo pertæse vitam tuam, defle tacitus præteritum scelus, & hoc ratum habe, scilicet silente lingua loquaces esse lacrymas, & Deum ad veniam validè prouocare: quippe Deus ipse homo factus Passione sua luit pœnas, quibus nos piacula nostra deuouerant, nullumque à nobis pensum aliud petit, quàm stillicidium lacrymarum.

Dei miserantis hominum lapsus pietatem adorat Ambrosius, & commoda fletuum mirè extollit Petri exemplo. Sic ille. *Inuenio quod fleuerit Petrus, non inuenio quid dixerit. Lacrymas lego, satisfactionem non lego. Rectè planè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari; & quod deffendi non potest, ablui potest. Lauat enim lacryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lacrymæ, inquam, tacitæ quodammodo sunt preces; veniam non postulant & merentur; causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quod vtiliores lacrymarum preces sunt quàm sermonum; quia sermo in precando fortè fallit, lacryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum; ac per hoc maluit causam suam flere, quàm dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.*

Ex SS. Patribus. Amb. ser. 58. Lacrymarum Petri effectus.

Dum Christus sollicitus de hominum salute eis ingemeret, Iudæi vinctum duxerunt ad Pilatum, hominem infidelem constitutum à Tiberio Cæsare Præsidem ciuitatis. Ex tunc Synagoga Messiam suum diu expectatum Gentibus tradidit, vnde & reciproca abdicatione Christus exautorauit synagogam, & adscitas Gentes in caulas suas adiecit Ecclesiæ, quam vocatione Gentium longè latéque postea propagauit. Iudæi olim Samsonem contribulem suum tradidere vinctum Genti infideli, scilicet Philisthinis; Iudic. 16.

sed

sed ille vinctus morte sua sibi argumenta triumphorum struxit. Esto hodie Iudæi in Christum deseuiant, eum tradendo Gentibus; tota illa tragœdia post triduum cedet in gloriam Christi rediuiui. Sed in eo Iudæorum facinore sacrilego speculare callidum omnium reproborum ingenium. Perduelles illi homicidæ ementita pietate mortem Christi refuderunt in Pilatum, dicentes non licere sibi occidere quemquam. Inuitum Præsidem induxerunt vt capitis sententiam in Christum diceret, suppositas promeritæ necis effinxere causas, quas vt certiores adstruerent, conduxere periuros homines, qui suo calculo obiecta Christo crimina confirmarent. Denique omnem mouerunt lapidem, vt salua suæ integritatis fama, Domino innocenti inferrent necem. Vtque Præsidem ancipitem, quem æquiorem Christo aduerterant, in sua vota deducerent, clamauere eum fore inimicum Cæsari, si hominem dimitteret Imperij decus & infulas ambientem. Suasere item populo, vt hominem homicidam anteponerent Christo, cui seductoris & præstigiatoris titulum inusserant. Iudæi tot suæ hypocrisis æmulos habent, quot hodie Christus patitur in se homines insurgentes. Nemo planè in malum intendens operatur, sed aliqualem sibi præfigit ideam boni vt peccet. Causatur impius Christi obsequium esse austerum, arcta ieiunia clamat esse inimica sanitati, virtutum calles queritur esse asperos, denique vitij patronum agens, naturam accusat in vitia pronam. Vide quàm anxiè Adam reatum sui facinoris Euæ affinxerit, & quàm astutè mulier causata sit serpentis industriam. Sed vt eo perfugio non cauere sibi incauti parentes nostri, qui excidere gratia; ita nec Iudæi astutia sua pœnas declinauere meritas neci, quam Christo Domino turpiter intentarunt. Frustra etiam hodie nebulones, deliquij sui causas prætexunt, vnde minuatur offensa: eos namque sua pœna manet vt Iudæorum socios homicidas.

Leo serm. 6. de Passione. Eruditè zelum suum & stylum acuit in hos perduelles Leo Papa, sic declamans. *Principes sacerdotum, & seniores populi, hoc consilio rem gerebant, vt ab actione sceleris viderentur immunes, subtrahentes opera manuum, & exerentes tela linguarum, nolentes interficere, & clamantes: Crucifige, crucifige. Quid hac specie religionis iniustius? quid hac clementia simulatione crudelius?* *Hypocrisis Iudæorum.* *Qua lege Iudæi, quod vobis non licet facere, licet velle? qua ratione, quod corpora polluit, corda non lædit? Contaminari occisione eius metuitis, cuius super vos, & super filios vestros fundi sanguinem postulastis. Si non totum facinus vestra impietas peragit, permittite Præsidem iudicare quod sentit. Sed vos etiam in ipsum graues atque violenti, in id eum declinare non sinitis, à quo ipsi mendaciter abstinetis. Peccauerit Pilatus faciendo quod noluit; in vestram tamen conscientiam confluit quidquid furor vester extorsit. Pretium, quod vobis Christi venditor reportauit, mitti in gazophylacium noluistis, cauentes scilicet ne sacros loculos pecunia cruenta pollueret. Cuius cordis est ista simulatio? Sacerdotum conscientia capit, quod templi arca non recipit. Refutatur illius sanguinis taxatio, cuius non timetur effusio.* Declamatio hæc retorqueri potest in plerosque, qui criminum nomen horrent, & vitiorum tamen omnium contagio polluuntur.

Noctem illam duxere insomnem Christi osores, eum saturantes opprobriis, donec illucente die eum Pilato traderent enecandum. Mirum quantùm possit animus innoxius: viso Iesu Præses veneratus hominem innoxium, & subodorans Iudæorum inuidiam, deponens iudicis habitum, causam egit Christi, affirmans eum esse insontem, atque adeò nefas cogitare necem hominis innocentis. Palam professus est, se non inuenire in eo causam mortis. Si cordis Christi infima penetrasset iudex, reperisset illic argumentum mortis Christi, quem amoris incendia decoxerant in modum agni Paschalis, quem assum tantùm Deus sanxerat absorberi. Iudæorum quidem liuor perculit inuitum Præsidem, sed conscio amore Passionis agones obiit vltro ille rerum Dominus, quem Pilatus, ægrè annuens nequitiæ Iudæorum, subdidit flagris. Milites auditâ flagri sententiâ latâ in Christum, statim se accinxere ad hanc lanienam exercendam. Certatim virgas aptauere in fasces, vt lacerum corpus exuerent cute. Metereologi affirmant aliquando Solem orientem stipari radiis, qui in virgarum modum deorsum defluunt; has autem virgas dicunt præsagire imbrem antequam sol occidat. Quotidianum experimentum fecit illi præsagio fidem. Hodie manè Christus Sol oriens ex alto, virgis circumdatus est, imò dirè exceptus. Virgarum hunc apparatum excepit largum sanguinis profluuium, quo vt imbre madens terra ferax effecta est florum, quamuis antea spinis horrida senticetis esset idonea proferendis. *Virgæ circa Solem pluuiam præsagiunt.* Virgarum supplicium indictum seruis, & non ingenuis, præsertim Romanis, quos flagellis petere crimen erat. Venit & in discrimen hoc Christus, vtpote factus non duntaxat humilis hominum seruus, sed etiam omnium peripsema.

Quando animo recolo Christum subditum flagris, mentem meam subit cogitatus hic Dauidis. *Ego in flagella paratus sum.* *Psalm. 37.* Hianti corde libet Deum sic affari: Quid tibi & flagris, ô Rex Regum! te potius diadema decet: nihil tibi & supellectili ingloriæ: transeat à te flagri calix inglorius. In me esto omne illud opprobrium, cui me fecère obnoxium infinita propè crimina perpetrata. *Ego in flagella paratus sum.* Sed heu, ego ille sum, qui peccatis meis virgas composui in fasces, quibus impiè sulcata est caro tua innoxia: vitiorum vomere dissecui corpus illud niueo candore conspicuum, ideoque me totum vltro deuoueo flagris, si quando aliqua incusseris mihi homini nequam, cui magis quàm Augustino competit vsurpare lugubre illud eloquium, quo te affatur satiatum iniuriis, quarum se auctorem ille Sanctus luget & fatetur, hoc contextu. *Aug. lib. Medit. cap. 7.* *Passionis Christi pia meditatio.* *Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti, amantissime iuuenis, vt adeo durè tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio damnationis tuæ? Ego, ego sum tui plaga doloris, tua culpa occisionis. Ego tua mortis meritum, tua vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censura conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Peccat iniquus, & punitur iustus. Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat seruus, exoluit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quò, nate Dei, quò tua descendit humilitas? Quò tua flagrauit charitas? Quò processit pietas? Quò excreuit benignitas? Quò tuus attigit amor? Quò peruenit compassio?*

Si

Si altè animo insideret, piacula nostra conscivisse mortem Christo, teperet fortè illa libido peccandi, qua iugiter æstuamus: quis namque adeò insanus auderet delinquere, si hoc apud se haberet ratum, scilicet sua deliquia cedere in torturam Christi, atque adeò fieri obnoxium pœnis, quas luunt impij Christicidæ. Profectò homines nequam resuscitant memoriam Pythagoræ, qui speculorum præstigiis ruborem sanguinis effusi in lunam refundebat, ita vt si quando cruor effluxeret, eodem temporis articulo luna lumine excideret sanguine purpurata. Res est in confesso apud omnes, Christum suas facere iniurias, omnia nostra reproba facinora: nimirum etsi iam mœroris impatiens sit ille Rex gloriæ; tamen reatuum nostrorum intuitu, suas obiit angustias, quas in quantum possumus, & penes nos est, repetito crimine renouamus. Huic effato fidem fecit ipse Christus dum querulus increpauit Saulum, dicens se ab eo persecutionem pati, quia anhelus in cædes sæuiebat in hos omnes, qui dederant nomen suum Christo. Luculentis etiam historiis fit hæc conclusio liquidior: nimirum sæpè apparuit Christus corpore aperto plagis, quas sibi inflictas à reprobis ingemebat.

Ex Historia. *Acta martyrij Petri Alexandr. sub an. 310.* Passionem Christi renouant vt possunt reprobi dum peccant. *Hist. Imperialis sub ann. 1228.*

Celebris est illa querela Christi, qui Petrum Alexandrinum inuisens in carcere, quò coniectus erat in spem martyrij fortiter exantlandi, ostendit huic martyri vestem suam laceram, quam ab Ario homine impio querebatur esse discissam, quia ille Ecclesiam in varias sectas abstraxerat. Celebriori adhuc prodigio palam fecit Deus quantum sibi facesserent negotium hominum piacula. Nempe æuo Friderici Imperatoris II. cùm ille Dei & hominum osor coniugem suam in carcere enecasset, vt liberiore indole genio indulgeret, diffluens vsquequaque deliciis, factus scandalum orbis Christiani; Deus palam fecit illius temporis ingenium, quo vt in more positum est plerique aulicorum lethale vitiorum virus ebiberant, nefarios ritus Principis induentes. Etenim sereno cælo apricante Imperatore stipato multo nobilium cœtu, omnibus è nube lucida obiectus est homo plagis inflictis copioso sanguine desudans. Credidere omnes, Christum eo suæ Passionis habitu salaces & petulcos hominum mores sic notasse, & præsertim in odium Friderici patuisse ostentum illud, quo fœda scelerum illuuies Principis huius à Christo Domino carpebatur. Eamobrem multi eo spectaculo dedignantes omne cum homine nefario commercium, meliorem inivere frugem deficientes ab eo, vt impigra virtutũ praxi Deo iugiter adhererent.

Christus hodie nobis è tabula proponitur sanguine aspersus, quem elicuere flagra & spinæ capiti infixæ: abdicemus obsequium eius Principis, qui se adeò iniurium Christo præstitit. Dominus ille, est peccatum: nam qui facit peccatum, ille est seruus peccati. Pilatus Christum hodie flagellatum, & cinctum diademate spinis implexo Iudæis obtulit, vt animos eorum ad pietatem inflecteret: damnamus eorum immites animos spirantes hominis innoxij mortem immaturam; caueamus igitur similem noxam, & cùm hæc vox, *Ecce homo*, nostris auribus intonat, nobiscum ita pœnitentes & seduli colloquamur: Ecce Deus in gratiam tui, homo effectus, ô anima ingrata, & incuria tanti beneficij: Ecce hominem innocentem in procinctu mortis, quam tui est arbitrij inferre aut differre. Si pœnitens facti cogitas sanctius institutum, Christi sanguinem tergis, & illinis balsamo vulnera hiantia; si verò secus tibi insideat immori vitiis molitis, fis hoc tuo crimine Christicida.

Fortè soliloquium illud faciet animam æquiorem Christo, quem ita etiam meditatur Sanctus Augustinus. *Ecce Pontifex Summus, qui non alieno eget expiari sanguine, quia proprio refulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens, & perfecta, in odorem suauitatis oblata, & acceptata. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit: quia alapis cæsus, sputis illitus, opprobriis affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo liuore sanauit.* Inuehimur in Iudæos, quia se præstitere iniquos Christo, qui eis semper beneficus extiterat: zelum hunc nostrum acuamus in nos vtique conscios sceleris huiusce immanis, imò reos criminis amplioris. Nesciere Hebræi Christum esse Deum, atque ita credidere hominem tantùm impetere, quando induxere Pilatum ad ferendam capitis sententiam in eum; sed nos grauior censura manet, quibus illuxit diuinitas Christi. Fide indubia scimus pium hunc Dominum miserantem hominum indolem deperditam consuluisse nobis, mortem fortiter oppetendo; nihilo tamen cautiores inde effecti noua conquirimus argumenta ærumnarum, vt facessamus Christo negotium, cui tot gratiarum titulis obligamur. Deflere magis libet, quàm inuehi in hoc immane scelus; mihimet namque ego male conscius caueo tacitus, nolens meipsum proprio spiculo configere.

Ex SS. Patribus. *August. lib. Medit. cap. 5.*

Itaque operæ-pretium est colligere ex eadem Passione remedium, vt inde liberemur, vnde meruimus dira supplicia. Conueniendus est Deus, & ad veniam inflectendus iisdem omnino verbis, quæ assumpsit Præses ad demulcendos animos Hebræorum: Ecce homo. Ita ingeminandæ illæ voces, vt Deum deliniant. Ecce homo factus ad arbitrium tuum, ô præpotens Deus, vt alios homines componeret ad nutum tuum. Ecce homo, qui sanguinis sui profluuio pietatem tuam vrget, vt hominem sanguini parcas. Ecce homo, qui peccatoris habitum induit, vt peccator gratiæ stolam indueret. Ecce homo condemnatus, ne homo in damnationis sententiã incurreret. Vt autem Deo vota nostra magis arrideant, vsurpanda est hæc oratio Sancti Augustini. *Ecce Domine mi Rex Deus omnipotens, ecce Pastor bonus refert tibi quod commisisti ei. Suscepit te disponente ad saluandum hominem, quem tibi restituit labe immunem. Ecce tuum tibi charissimus natus plasma reconciliauit, quod à te procul deuiauit. En gregi tuo Pastor mitis reformat, quod prædo violentus abegerat. Reddit tuis conspectibus seruum, quem sua fecerat conscientia fugitiuum: qui per se meruit pœnam, per satisfactionem huius mereamur veniam,* &c. *Ecce spes mea, ecce fiducia mea. Si me pro mea, vt dignum est, despicis iniquitate; respice me saltem, misericors, pro dilectæ sobolis charitate. Attende in filio, quo propitieris seruo. Vide carnis sacramentum, & remitte carnis reatum. Quoties beata prolis tibi patent vulnera, delitescant obsecro scelera mea. Quoties rubet pretiosus pio de latere sanguis, diluantur obsecro labes meæ pollutionis. Et quia caro te lacessiuit ad iram, caro te inflectat simploro ad misericordiam, vt sicut me caro seduxit ad culpam, sic caro deducat ad veniam.*

August. lib. Medit. cap. 8. Passio Christi Deo Patri offerenda in remissionem peccatorum.

Paſſione ſua Chriſtus peccatorem delineat.

Chriſtum induiſſe ſpeciem peccatoris quàm maximè liquet ex ea ſupellectile ingloria, qua hodie accinctus eſt. Corona aculeis hiſpida caput diſcrucians, reprobi hominis animum anxium notat, quem multa ſollicitudo inquies exagitat, neſcium in quas ſe verſare velit partes: neſcius namque Dei homo in perpetuos gyros agitur errabundus. Chlamis coccinea obſoleta refert purpureæ charitatis excidium, & iniquam animæ ſortem, quæ redacta eſt ad centones, vt occurrat ſuæ nuditati. Vincula à ceruice defluentia in manus eo implexu præpeditas, graphicè delineant impotentiam peccatoris, qui quaſi irretitas haberet manus, in ſummam ignauiam diſſoluitur. Inanis illa arundo, quam manibus præfert Chriſtus, vt par eſt explicat indolem actionum animæ delinquentis. Siquidem deforis eius acta virent; ſed tamen vacua ſunt & ventoſa, vtpote edita in ludibrium auræ popularis.

Congruè igitur Chriſtus ſubiit mortis ſententiam, quam præfatus habitus peccatoris à Præſide inuito extorſit. Tubarum clangor admonet omnes, damnatum eſſe Chriſtum; concurrunt omnes aſpecturi hominem innoxium pro ſalute cæterorum omnium hominum immolandum. Iungamur & nos eis, qui contendunt in montem Caluariæ, vt ſi non detetur commori Chriſto agenti animam, ſaltem ei obortis lacrymis ingemamus. Ne aſcenſus in cliuum Caluariæ defeſſos grauet, ad morulam quietis obſequio recreemur.

Tertia Pars Passionis.

Diuino ſanè conſilio id effectum eſt, vt educeretur Chriſtus extra Ieruſalem, moriturus in edito loco, ſpectandus ab ingenti populorum frequentia, qui aſtitêre huic hoſtiæ in ara crucis immolatæ: qui namque expiare venerat totius mundi piacula, noluit concludi pomœriis vrbis alicuius Hebræorum, ne ſibi tantùm Iudæi aſſingerent merita Paſſionis. Pro omnibus obiit Chriſtus, ideóque crux erecta eſt in meditullio ſiue centro terræ, vt virtus agonum eius in omnes orbis oras pertingeret. Vt enim ex Euclide lineæ omnes, quæ ex centro ad crepidinem circuli emergunt, ſibi inuicem ſunt æquales; ita virtus, quæ emerſit ex loco illo vbi obiit Chriſtus, ſine acceptione perſonarum in omnes homines diffunditur, Deo ita moderante ſalutem animarum, vt citra exceptionem omnes mundi plagas ſui ſanguinis aſpergine recrearit. Eamobrem credibile eſt Chriſtum elegiſſe ſibi centrum mundi, vt inde æquali intuitu luſtraret orbem totum. Præſciit hoc Pſaltes ita occinens: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Conſitus erat hortus Eden multa fruticum varietate. In his erat arbor, vnde pendula poma ſpecie ſua atque fragrantia cupidinem ſui homini effecerunt, etſi cautione expreſſa homini iniunctum eſſet habere hanc arborem illibatam. Latæ legis incurius Adam carpſit lethale pomum, cuius eſu virus in poſteros transfudit, ideo morti obnoxios. Furti actione cum eo Deus diſceptauit, ſciſcitans quare inuito Domino vſurpaſſet rem, quæ non ceſſerat in ius ſuum. Non habente autem Adamo, vnde reſarciret damnum præfatæ arbori illatum; Chriſtus ei hodie ſua fide iuſſit, iuſtitiæ Dei cum fœnore faciens ſatis. Nimirum olim latro tenebatur ad reſtituendum quadruplum: vnde Dauid audito à Natham, hominem iniuriam alteri occidiſſe ouem eius, ait: *Ouem reddes in quadruplum.* Et Zachæus ſpecimen editurus pœnitentiæ ſuæ, ſic auſpicatus eſt ſanctioris ſui inſtituti propoſitum. *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.*

Ex Mathematica. *Euclid. l. 1. elem Geom. definit. 15.*

Pſal. 73.

Paſſione ſua Chriſtus reddidit quadruplum furti Adæ.

4. Reg. 12.

Luc. 19.

Huiuſce edicti cenſuram paſſus eſt Chriſtus: namque ad quatuor tribunalia raptus, vbique dirè exceptus eſt. Primò ad Annam ſocerum Pontificis adductus, vbi inſtar ſacrilegi habitus, audiit illic parari ſibi mortem, cuius iniuriæ illic acceptæ, fuere veluti prima rudimenta. Inde tractus ad Caïpham Pontificē illius anni (nā alternis vicibus ludebant in pōtificatu Annas & Caïphas) difficile eſt dictu quę ludibria expertus ſit ille pius adpromiſſor, & pro homine fideiuſſor. Tertium tribunal fuit hominis infidelis, nempe Pilati, vbi cum homine ſceleſtiſſimo Barraba compoſitus, habitus eſt vilior homicida. Quartò Herodi obiectus eſt, ab eo iudicandus, eſſet morte cenſendus necne. Illic ſummo deſpicatui habitus eſt, vtpote creditus inſanus, alba veſte indutus, veluti mente captus, cui ab omnibus illuditur. Tandem Herode annuente reducitur ad Pilatum, quo decernente flagris & capitali ſententia plectitur. Et vt fieret palàm, mulctam capitis eſſe ei indictam in pœnam furti, medius inter latrones duos eductus eſt ad locum ſupplicij, quaſi ipſe eſſet latronum princeps. Huius tragœdiæ typum geſſit Dauid petitus ad mortem inſidiis Regis Saul. Hominem in his poſitum anguſtiis conuenere mœſti omnes, fortè vt leuarent ſuas moleſtias comparatione ærumnarum Dauid: accipe è codice ſacro ſeriem hiſtoriæ. *Dauid fugit in ſpeluncam Odollam. Quòd cùm audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius, deſcenderunt ad eum illuc. & conuenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps.* *1. Reg. 22.*

Hodie ſociantur Chriſto duo latrones, quaſi ipſe eſſet latronū princeps. Ei etiam & nos adiungamur, vt fures & oppreſſi ære alieno, cui diluendo impares ſumus. Nomina noſtra expedire non poſſumus, etiamſi omnes trapezitarum gazæ proſtarent nobis, & tentarent rem ſoluere creditori. Hoc duntaxat prædiuite Domino adpromiſſore, & fideiuſſore fas eſt repetere chirographum. Ille vadem rei capitalis ſe præſtabit, nec deerit vadimonio; vltro oppetiturus mortem, vt è rationibus Dei nomen noſtrum expungat. De furto itaque eſt actio in Chriſtum interceſſorem pro Adamo, qui Deo inuito ſuam fecit arborem inconceſſam, & inſuper ſerui fugitiui obiit partes, abſcondens ſe, ne Deo conquirenti occurreret. Dicat ergo Præſes ſententiam, qua legibus cauetur in fures, & in ſeruos fugitiuos. Ecce Edictum Iuris Cæſarei. *Rector prouinciæ non ignorat, in quadruplum furti manifeſti, nec manifeſti verò dupli actione furti conſtituta condemnationem formari.* Longa etiam tempora non potuiſſe præſcribere in gratiam hominis dominium Dei detrectantis, audi ex lege. *Seruum fugitiuum ſui furtum facere, & ideo non habere locum, nec vſucapionem, nec longi temporis præſcriptionem manifeſtum eſt, ne ſeruorum fuga dominis ſuis, ex quacunque cauſa fiat damnoſa.* Serui autem transfugæ pœna fuit, pedis amputatio; vt quia pedes dominum fefellerant, denegarent etiam obſequia debita deſertori.

Ex Ivre Civili. *Leg. De his Cod. de furtis. Leg. Seruum Cod. de furtis.* Seruus furtum ſui facere nequit.

Sed eſto Chriſtus æs omne illud alienum aſſumpſerit; acerbior tamen in eum ſententia decreta

Psal. 88.

decreta est, ideóque fuit apud eum copiosa redemptio. Hinc eius eloquium. *Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniustè: quæ non rapui, tunc exoluebam.* Quomodo autem nostra omnia piacula diluerit, collige ex miserando illo habitu, quo contendit in locum supplicij. Subliuidà facie & sputis indecorâ, & sentiecto capiti inducto in coronæ speciem, baiulans sibi crucem, factus est populi ludibrium, ille idem qui triduo antea pæan audierat sibi ab eadem plebe mortis suæ conscia decantatum. Etsi pleraque impia hominum facinora singulas Christo pepererint angustias; tria tantùm expediam, vt concludam istam tragœdiam. Ambierat Adam præcox imperium, hanc diadematis immaturi noxam luit Christus coronâ spineâ. Ex vetita arbore ramum homo imprudens abstulerat. Sufficitur hodie arbor alia salutaris, in locum illius abscissæ. Crux nempe Deo offertur, vt arbor illa sancta resarciat damna, quæ passa est arbor illa prior, cuius noxij fructus amittere virus suum, crucis obsequio. Demum homo abdicarat Dei iugum, ab eo deficiens. Ecce homo redux totus ad arbitrium Dei compositus, Deo cum fœnore restituens hominem deperditum. Itaque hodie prudenter oppressi ære alieno consulunt Christum vt libertatis omnium hominum assertorem.

Ex Historia.
Cedren. l. 1.
Eleemosyna larga Sophiæ Imperatricis.

Præstitit sanè æuo suo facinus egregium Sophia vxor Iustini Imperatoris. Nempe eò euecta vnde despiciuntur cæterorum hominum capita, credidit non ad typhum, sed ad pietatem esse sibi hanc gloriam impertitam. Ideò se arbitrata matrem populi, conuocauit omnes, quorum erat graue nomen in rationibus creditorum: recensitis singulorum angustiis, debita omnium soluit. Reuera locuples fuit hoc liberalis argumentum, sed infinitis omnino modis infra pietatem Christi, qui verè est Sophia seu sapientia Dei iusti. Ille omnium hominum nomina expunxit, & æris alieni contracti chirographum cruci affixit, proinde factus Redemptor omnium animarum. Illud insinuat Paulus ita fatus:

Coloss. 2.

Vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Ne gratis hoc fuisse effictum, vt commentum in gratiam Christi; ad serij examinis trutinam tria præfata crimina perpendamus. Primò occurrit reatus regni vsurpati. In hoc scelus Iura animaduertunt capitis sententia, cuius supplicio præire solent ludibria, quibus insultatur homini, qui voluit sibi regni titulos affingere. Eo despicatu periit Toleti Paulus quidam homo insolescens, qui insurrexit in Vambam Regem Hispaniç. Is rebellioni suæ adiecit sacrilegium: nam expilato ærario Ecclesiæ S. Felicis Martyris, inde tulit aureum diadema Deo consecratum à Rege Recaredo. Hominis insani insolentiam fregit Rex Vamba, profligato exercitu Reguli, quem vinctum Toletum traxit, vbi regalibus exutum, pro tessera regni vsurpati imposita est ei corona è corio, ad dedecus infularum, quas prius assumpserat; demum illud caput amputatum est, quod iniquis artibus diadema assumpserat.

Corona affectata à Paulo Tyranno ei lethalis.
Superbia punita extremo supplicio.
Tudensis in Chronic. sub ann. 674.
Corona per ludibrium quibus data.

And. Chesne. in hist. Angl. sub an. 1347.

Grauiori supplicio sæuitum est in Comitem Atholensem, virum prænobilem, auunculum Iacobi Regis Scotiæ, in quem violentas iniecit manus. Scotia detestata parricidam, de eo has pœnas sumpsit. Nudum hominem vrbe tota circumduxit coronatum diademate ferreo candente, præeunte præcone, qui nefarium hunc homicidam diceret esse Regem proditorum: scelestum hunc reum saturatum opprobriis carnifex multimodè tortum exenterauit, & corde euulso quadratim dissecuit. Christus primò nudus exceptus est flagris, dein corona spinea obtectus, corpore lacero cruci affixus; demum, ne quis deesset sæuitiæ locus, cor eius apertum est licet exanime. Et vt latronum caput esse crederetur, medius inter latrones appensus est patibulo. Nonne cruciatus hi acerbi satis superque consuluerunt hominibus consciis ambitus Adami? Ita planè nec est inficiandi locus.

Corona imposita sacerdotibus, & victimis.

Olim victimæ, & sacerdotes coronabantur, vt rescirent omnes, sacra spirare quid regium. Christus hodie victima & sacerdos, facturus rem sacram in ara crucis, diademate accinctus est, infulas regni Deo referens, quas præcoci nisu Adam ambierat. Abiecta hæc species Regis Regum attento debet animo recoli, vt homo amore flagret amantissimi Domini, in gratiam hominum sanguine desudantis. Bernardus sic se vrgebat. *Expergiscere nunc anima, excutere de puluere, & contemplare virum hunc memorabilem, quem in speculo Euangelici sermonis quasi præsentem intueris. Attende anima mea, quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi Regis, & nihilominus serui despectissimi confusione repletus, coronatus incedit: sed ipsa etiam eius corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput eius diuulnerat. Regali purpura induitur; sed potius in ea despicitur, quàm honoretur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso caput eius reuerendum feritur. Adorant coram ipso positis in terra genibus, & Regem clamant: & continuò sputis amabiles eius genas sublinunt, maxillam palmis, & honorabile collum exhonorant. Vide anima mea, qualiter vir iste per omnia conturbatur, & spernitur, sub crucis onere deorsum incuruari videtur, & tuam ipse portare ignominiam.*

Ex SS. Patribus.
Bernard. ser. de Passione.
Corona fuit ingloria Christo.
Passio Christi ignominiosa.

Isaac immolandus, sacrificio ereptus est beneficio arietis, qui hærebat in spineto. Ecce agnus Dei spinis implicitus, qui in hominis mactandi locum sufficitur. Faxit Deus vt flores parturiant illæ spinæ, quæ sanguine irrorante madent. Penes nos est illa rosarum eruptio, dummodo simus Christi bonus odor, & huic stipiti sacro gratiæ obsequio iugiter inseramur. Interim philomelæ æmulemur planctum, querula hæc auis sentibus incubat, vt puncta aculeis vigil agat insomnes noctes, & suaue melos edat. Vtinam spinis hispidum diadema Christi punctione sua nostram acueret ignauiam, & validè vrgeret ad impigrè obeundos virtutum calles, quò homines Passionis acerbæ angustiis inuitantur. Is profectò luciniæ planctum refert, qui ingemit Christo transuerberato sentibus, & inde suam carpit acediam. Ad eum pertinet ille locus præscij Baruch. *In horto spina alba, supra quam omnis auis sedet.* In horto oliuarum, huius senticeti primos excepit aculeos ille qui flos campi & lilium conuallium alibi nuncupatur. Spineti horridum habitum induit, quando rhamnus acuta cinxit caput eius. Anima pietate insignis speculans hanc coronam multo acumine importunam, est auis insidens illi spinæ, gratissimo cuique flosculo præferendæ.

Baruc 6.
Passio Christi meditata fertus consiliæ.

Vt bonis auibus auspicemur egressum suum ex vrbe parricida, tales quæso nanciscatur aues,

quales suggerit hic Propheta, animas scilicet innoxias è solo assurgentes, vt animo reuoluant cælestia. Sed vt auis volitans in sepibus, arbori proxima enititur in ramos; ita lustrato diademate spinoso, in crucem etiam quantocyùs erigamur. Eam quippe erecturus est Christus, vt resarciat injuriam factam Deo, ministerio alterius arboris infelicis. Veritas abdita effato Isaiæ recluditur hodie. Sic ille: *Leuabit signum in nationibus, & congregabit profugos Israel.* Arbor infausta dispersérat Adam & Euam; operæpretium fuit alterius arboris obsequio congregare homines errabundos. Hoc fuit salutare negotium crucis, cui eadem imò & potior vis insita est eâ, quam celebrant veteres inesse stiraci arbori, quæ adeò suauem odorem afflat, vt omnes bestias alliciat. Postquam Dominus Iesus adorandi corporis sui attactu crucem dignatus est, beatæ mentes Deo dignæ omnes anhelæ in crucem, vltrò in hunc stipitem aduolarunt. Homo imprudenter absciderat surculum ligni infausti, Deus iam recipit exectum cum fœnore ramusculum; scilicet arborem, quæ præstabit ei, quam prisca ætas commemorat fuisse in horto Hesperidum, è qua quotannis emergebant aurea poma, quibus draco peruigil incubabat. Reuera libet cruci affingere symbolum eius ligni aurea fruge fœti, hoc titulo adiecto. AVREA MALA DABIT. Fuere infatuati hominum dentes vitio Adami, qui incautè momordit pomum immaturum. Stuporem hunc dentium tollet arbor hæc aurea mala ferens.

Ex Symbolis. *Ioan. Ferrus p. 2. Theatri.* Passionis Christi fructus aurei.

Congruè ideo adumbrata fuit crux in arbore illa, cuius mysteria accuratè expendit Daniel. Hanc ita delineat textus sacer. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima? & fructus eius nimius: & esca vniuersorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.* Noxiæ arboris præsentissimum virus effuderat se in omne hominum genus; huic malo occurritur beneficio vitalis ligni, cuius altitudo pertingens cælum, & patuli rami orbe toto diffusi proficuo tegmine æstuantes febre homines opacarunt. Vndique esca salutaris ex eo penu prostat; nullo namque vitio vrgetur homo, cuius antidotum non statim è cruce recipiat. Ea nimirum omne malum homini illatum tersit, vt iubilat Leo Papa. *Per lignum erigitur lapsus in ligno, & gustu fellis & aceti diluitur esca peccati. Meritò priusquam traderetur, dixerat Dominus: Cùm exaltatus fuero omnia traham ad meipsum, id est totam causam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga delebitur. Pendente in patibulo creatore, vniuersa creatura congemuit & crucis clauos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui, & terram traxit, & cælum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum radios Solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, vt in occasu conditoris sui vellent vniuersa finiri.*

Daniel. 4.

Ex SS. Patribus. *Leo ser. 6. de Passione.* Passionis Christi quàm salutares effectus.

O hominum duritiam, quam ipsi etiam lapides increparunt! Christo in summo discrimine posito ingemuere saxa, mutuo attritu abeuntia in frusta; & tamen rarus est qui afflicto Domino condoleat, vnde illius hæ sunt querulæ voces. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inueni.* Si pudet è lapide amoris in Christum argumenta desumere, ea mendicemus ab homine fidelissimo Regi Dauid. Is fuit Ethai vir Gethæus, qui nullo adhuc beneficio accepto à Principe, ei tamen pulso ciuitate sua adhæsit, experturus cum eo ancipitem belli sortem. Noluit ille sequi partes Absalonis, qui regno & opibus auctus, sequaces suos magnis dignabatur honoribus. Maluit ille strenuus heros commori Regi suo afflicto, quàm congaudere filio perduelli, & ab eo impensis præmiis honorari. Accipe seriem eximij facinoris. *Egressus Rex, & omnis Israël pedibus suis, stetit procul à Domino: & vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi sexcenti viri, qui secuti eũ fuerant de Geth, pedites præcedebant Regem. Dixit autem Rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum, reuertere & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. Heri venisti; & hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quò iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiã, & veritatem, quia ostendisti gratiam, & fidem. Et respondit Ethai Regi dicens: Viuit Dominus, & viuit Dominus meus Rex, quoniã in quocũque loco fueris, Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.*

Psal. 68. Passioni Christi pauci se adiũgunt.

2. Reg. 15.

Eadem ciuitate hodie nudipes pellitur Christus Rex Regum; multi cum circumstant vt insultent ei. Paucæ sunt filiæ Ierusalem, quæ dolorem & mœrorem suum largo fletuum imbre profitentur. In eo Christi obsequio inglorium est vinci à sexu imbecillo. Induamus constantes animos Gethæi illius antea præfati, & freti beneficio gratiæ singularis, adeamus Christum hoc humili eloquio: Christe Deus, Rex aliis Regibus eminens, tuus ille abiectus habitus referens hominem inglorium, haudquaquam me abstrahit à cultu tuo; quæcunque te sors siue sospitem siue extinctum exceperit, hæc eadem vna ambobus erit. Dum mea vota pango, remoror accessum Deiparæ matris afflictæ supra modum. Illa clangore tubarum didicerat dictam capitis sententiam. Ioanne nuntio acceperat suum hunc prædilectum baiulare sibi crucem, & contendere in Caluariam; illa etsi efficta ad arbitrium Dei alto mœrore perculsa est. Vt enim Christus in horto Passionis suæ acerbæ ideâ percitus est in argumentum veræ carnis assumptæ, cuius est horrere violenta discrimina; sic Maria veram se probatura matrem, non inusa fuit mœstitiæ, quæ adurit parentes in funere filiorum. Nihil tamen commissura indecorum, Ioanni incumbens properat occursura Christo, quẽ vt eminus aspexit facie illita sputis, & horrida sanguine concreto, difficile dictu est quo felle delibuta fuerint sacra illius præcordia. Doloris eius speciem aliqualem licet conijcere, ex luctu amicorum Iob, viso eo degente in sterquilinio. Eos insueto stupore attonitos, sic describit Codex sanctus. *Audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphas Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamatithes. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cùmque eleuassent oculos suos procul, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus*

Iob. 2.

vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.

Passionem Christi auxit B.V. Mariæ præsentia.

Quid Maria occurrens Christo cruce sua oppresso effata sit non est humani eloquij depromere. Nempe arbitror eam fuisse elinguem, sed loquaces eius lacrymas pleraque dixisse Christo in gratiam hominum impiorum. In his autem quæ matris sunt ita cum filio collocuta est ex Bernardo. *O fili charissime, ô benignissime nate, miserere matri tuæ, & suscipe preces eius. Desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus. Suscipe matrem tuam in cruce, vt viuam tecum post mortem semper.* Alia de proprio penu suggerit ille Sanctus, ita concludens Virginis angustias. *O quàm malè tunc illi erat! Gratius illi erat vita viuere tali, quam dirò gladio seuè necari ab impiis. O graue martyrium! O frequens suspirium! O languens pectus virgineum! Anima eius tota liquefacta est, facies pallet rosea, sed pretioso filij sanguine rubet respersa.* Pace viri sancti dixerim: Etiã Angelorum ora silerẽt in isto negotio, quod superat hominũ captum. Ne igitur Mariæ iniurius sim, satius est silere quàm pueriliter in re tam ardua balbutire. Iudæis importunum fuit illud filij & matris colloquium, ideoque inclementer sepo. suere matrem, & Christum durius vrgentes traxerunt extra ciuitatem. Ille vltro crucem amplexatus pellexit in locum supplicij. Crucis ille amplexus, sequaces Christi prouocat ad facinus simile ei; quod Abimelech exegit à suis militibus, volens propugnare arcem præmisso incendio. Sic ille suos affatus est: *Quod me videritis facere, facite: certatim præcidentes ramos secuti sunt ducem.* Eodem etiam stylo suos Christus olim prouocauit discipulos, quando sequaces suos de tollenda cruce præmonuit. Plerique hodie certatim ramusculos crucis exsecant, aliquod pœnitentiæ argumentum simulantes: nimirum arctiore ieiunio, & longiori oratione diem istum prætereunt, erogatâ pinguiori stipe pauperibus; sed planè immemores erunt sanctioris huius instituti, quando postera dies illucebit. Est sanè quod pudeat videre homines adeò sollicitos pro minimis mercibus, omnes obire molestias, alicuius lucri gratiâ; & statim deficere si quando fiat commemoratio crucis.

Bernard. de lament. V.M.

Iudic. 9.

Quò autem abnegatio crucis suos refugas præcipites agat, disce ex contextu Passionis. *Cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.* Crucis importuna moles incubans humeris Christi, quos flagella vomeris instar mox sulcarant, lentiores gressus patientis effecerat. Gens impia detestata moras, quæ Christi occasum protrahebant ad vesperam, crucis onus graue imposuerunt alteri obuiam facto. Illud nequaquam fuit pietatis obsequium; sed potius mortis immaturæ prouocatio. Vt nempe citiùs in montem deueniret, deposuere crucem è ceruice eius subliuida pugnis, & eam alteri tradiderunt. Christiane hoc memento, scilicet mundum suggerere tibi repudium crucis, vt quantocius efficiare morti obnoxius. Susurro suo mundus auribus ingerit esse iniuriam sanitati omnem pœnitentiæ supellectilem: videlicet ait ieiuno stomacho hepar accendi, æstuare bilem, & pituitam defluere in stomachum, assidua oratione lædi caput; demum reprobis pleraque affluunt argumenta, quibus à sanctiore voto distrahant auspicantes. Sed tota hæc controuersia excitatur in animæ perniciem: qui namque abiicit vsum crucis, profectò ille miserando funere defungetur.

Luc. 23.

Crucis pondus quando demit mundus, mortem accelerat.

Quassatum & subliuidum corpus Christi, depositâ cruce citiùs attigit metam mortis. Illic is omnium hominum parens nudatus est, vt quemadmodum Adam nudus arboris vetitæ fructum abstulerat; ita iste Adam nudus aliam referret arborem, quæ prioris dispendia omnia compensaret. Huic arbori affigitur Christus, vt stipes inanimis acciperet, vnde vitæ latices effunderet, alio planè modo, quàm lignum illud à Moyse erectum, cui appensus serpens æneus ægris consulebat, quos serpentes ignei sauciarant. Quòd si typus adeò salutaris fuit; quanta fas est credere fuisse hominibus collata beneficia Domino crucifixo. Primò curata est plaga accepta, ministerio arboris infaustæ, cui insidens dæmon hominem dementarat. Secundò idem seductor Angelus fugatur à Christo incubanti arbori crucis. Præstat audire Ambrosium adiicientem calculum suum meæ sententiæ. Sic ille: *Si affixus serpens ligno, filiis Israël consuluit sanitatem, quantò magis salutem præstat populis Dominus in patibulo crucifixus? Et si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè planè: vt quia primus apud Deum peccauerat diabolus, primus crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum; vt quia homo in paradiso per arborem concupiscentia deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem saluaretur, atque eadem materia, quæ causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. Deinde post serpentem in Saluatore homo ipse crucifigitur, scilicet vt post auctorem puniatur, & facinus. Per primam enim crucem vindicatum est in serpentem; per secundã in venena serpentis; hoc est primum ipse auctor punitur, deinde eius malignitas condẽnatur. Virus enim quod persuasione sua in hominẽ transfuderat, nunc reiicitur, nũc curatur.*

Ambr. ser. 52.

Cruci affixus est diabolus.

Omnes in Adamo deliquerant sensus, & homo fructum vsurpando prohibitum, vndique virus ebiberat; opus itaque fuit repurgio, quod copiosè sensuum deliquia castigaret. Crux opportunè adinuenta est, vt hac inductione liquet. Oculis in lignum intentis homo deceptus est videns lignum pulchrũ visu. Hic oculorum error in cruce correctus est, vbi sãguis è capite defluẽs in oculos Christi, illos eo cruore delibutos lumine orbauit. Homo illectus suauitate odoris, quam afflabat arbor multiplici pomo grauis; naribus admouit illum fructum, excepturus fragrantiam eius, quæ fuit gulæ præambula. Intempestiuam hanc suaueolentiam luit Christus odore tetro, quem spirabant putida sputa, in os eius & faciem euomita. Dulcissimi fructus sapor demulsit Adami gulam: Christus felle & aceto potatus, omnes gulæ cupedias eo amarore insipidas fecit. Attrectando pomum, eo contagio in noxam incurrit: Et ille in Christo sensus grauiora excepit tormina, toto corpore lacerato. Denique diabolus effusus in encomia hominis, mentitus est eum fore Deũ, si à Deo deficeret; promisit omniũ rerum peritiã, si impia suadenti morẽ gereret. Improuidus homo patulis auribus hausit hoc suaue melos suarũ laudũ, quibus ei illusit dæmon. Incantantis noxiũ hunc concentum fregit Christus, in cruce saturatus iniuriis, blasphemiis, opprobriis, & maledictis, quæ sacrilegi homines eructarũt. Itaque appositè beneficio crucis homini consultum est, cùm ea sit veluti

Crux ingerit antidotum contra virus quod quinque sensus infecit.

prædiues cornu-copiæ, ſalutaria omnia bona parturiens. Nemo igitur cauſetur remediorum inopiam: namque penes crucem eſt medela omnium morborum, ſicut Ambroſius piè meditatur. Sic ille: *Habentes Dominum Ieſum, qui nos paſſione ſua liberauit: in ipſum aſpiciamus ſemper, & de ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus medicinam. Hoc eſt: ſi fortè nobis venenum auaritia ſe diffundit, ipſum conſideremus, & ſanat. Si ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus, & curat. Si terrenarum cogitationum nos morſus lacerant, eundem precemur, & viuimus. Hi enim ſunt ſpiritales ſerpentes animarum noſtrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus eſt, de quibus ipſe ait: Super ſerpentes, & ſcorpiones ambulabitis, & nihil vobis nocebit.*

Amb. ſer. 52.

Præpotentem virtutem crucis multifariam olim Deus oſtendit, plerumque ſalutem corporum beneficio ſancti huius ſtipitis impertiens, vt inde reſcirent omnes quantùm eſſet animæ ſalutaris arbor illa præcipuè erecta, vt illic Dominus efficeret animas ſuo ſanguine rediuiuas. Laudabo auctores prodigiorum teſtes ſine exceptione maiores, & magni nominis inter ſcriptores Eccleſiaſticos. Hi ſunt Paulinus, & Gregorius Turonenſis Epiſcopi priſcæ Eccleſiæ celeberrimi, & Euagrius illius æui ſcriptor illuſtris. Sanctus ille Paulinus accepta particula Sanctæ Crucis à Melania fœmina inſigni pietate, magni fecit donum illud pretioſum, quo prædiues ſibi in ſummo diſcrimine opportunè conſuluit. Nempe domo ſua ſubito incendio conflagrante, & præualente flamma, Paulinus crucem veluti clypeum igni obiecit, & ſtatim ingraueſcens illud incendium obiectu crucis extinctum eſt. Sic ille rem verſu enarrat.

EX HISTORIA. *Paulinus in Natal. S. Felicis.* Crucis Chriſti particula ſedat incendium.

Ipſe domum remeans, medicum, ſed grande ſalutis,
De crucis æterna ſumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenénſque manu aduerſis procul ingero flammis.
Inde fides nobis, & in hac cruce nixa periclo
Profuit, & noſtram cognouit flamma ſalutem,
Quanta crucis virtus, vt ſe natura relinquat,
Omnia ligna vorans? ligno crucis vritur ignis.
Multa manus crebris tunc illa incendia vaſis
Aſpergens largis cupiebat vincere lymphis:
Sed licet exhauſtis penſaret fontibus imbres,
Vt maiore tamen, laſſis ſpargentibus omnem
Vicerat ignis aquam, nos ligno extinximus ignem.
Quamque aqua non poterat, vicit breuis haſtula flammam.

Vitiorum flammæ graſſantes orbe toto depaſcebant omne hominum genus, cuius lacrymæ impotes erãt reſtinguere illa incendia, quæ diabolus ſuo flammiuomo halitu ſuſcitarat. Quod negatum fuit largo fletuum imbri, illud ſortita eſt crux, cuius obſequio Martyres impunè flammis addicti ſunt, & quotidie ſequaces Chriſti ſe immunes præſtant à fornace noxia vitiorum. Regni caput Lutetia, vbi hæc ſcribo, ſuggerit inſigne prodigium, quo ciuitas hæc illuſtris liberata eſt à Normannis, qui igne admoto portis accingebant ſe ad irruptionem. Conſilio viri pij fruſtum ſanctæ crucis coniectum in ignem, totum illud incendium ex tempore compeſcuit. Adiicit Abbo Pariſienſes eo miraculo reſumentes animos, facta eruptione in hoſtem, eum fudiſſe. Totam hiſtoriam concludit his verſibus.

Crucis obſequio Pariſienſes olim liberati à Normannis.

Abbo lib. 2. de obſidione vrbis Pariſienſis.

——— moritur Vulcanus inermis,
Subtilémque fugam petiere, cadauera torui
Multa reportantes ſecum, Mauorſque quieuit.
Hac, virtute Crucis ſancta, Victoria noſtris.

Itaque imprudenter quereris, ô homo ignaue, te vitiorum arcta obſidione premi, & torreſi igne luxuriæ Non ambigo faceſſere negotium ingens diabolicos ignes, ſed incautis, qui nolunt ſicuti par eſt occurrere incendio. Vt te quantocyùs expedias à graſſante flamma, adhibe præſidium crucis; eam obiice libidini, & ille importunus æſtus deſinet. Quid autem ſit obiicere crucem alicui vitio, verbi gratiâ luxuriæ, accipe. Nomine crucis intelligo virtutis omnimodæ ſpecimina, quæ edidit Chriſtus crucifixus. Vt Venere ſtimulante recolam oculos Chriſti humum verſus inclinatos, & inde accipiam eſſe coërcendam oculorum aciem, ne in æmuli ſexus impingens ſpeciem, luxuriæ fomitem ſubminiſtret. Recogitabo fellis & aceti ingratam potionem, vt ille amaror ſuggerat inediam, quæ pabulum igni ſubtrahit infernali. Reuocabo ſpinarum aculeos, & lacerum corpus dolore acerbo afflictum, vt illa acerbitas prouocet ad aliquas infligendas corpori anguſtias, quibus hebetior fiat ſenſus illecebræ. Profectò anima compoſita ad hanc ſimilitudinem crucis, eius virtute extinguet ignes luxuriæ, cuius magno detrimento animarum latè incendia propagantur. Si alia vitia inſurgant, eadem compeſcentur induſtriâ, qua Apamenſes fugauere Perſas, ſcilicet oppoſita cruce, quæ adeò propitia fuit Chriſtianis, vt Euagrius rei teſtis affirmet Apameam debuiſſe libertatem ſuam huic vni tantùm ſtipiti ſalutari.

Crux oppoſita Perſis, eos in fugam adegit.

Euagr. lib. 4. hiſtor. cap. 25.

Eo intento crux obducta velo hactenus, hodie recluſis inuolucris oſtenditur, vt eâ veluti panopliâ fiat populus alacrior, & abiectos reſumat animos, paſſurus audacter inſultus vitiorum, & omnia dæmonum agmina fortiter aggreſſurus. Crux hodie aperta eoſdem omnino ſortitur effectus, quos olim exeruit imago patibuli, cui appenſus eſt Andreas Rex Siculus. Ille regio Hungarorũ ſtemmate progenitus duxerat in coniugem Ioannam Reginã Siciliæ. Mulier illa ſalax ſuũ hunc pertæſa virum, conducit ſicarios, & conſilio communicato cum Principe Dyrrachij, eum ſceleris horrendi conſcium fecit. Horâ condictâ incautus opprimitur Rex, cui laqueo iniecto præcluſæ fauces eum fecerunt exanimem. Quodque nefas ſummum fuit, eodem laqueo quo periit pendulus Rex quadrantali feneſtræ appoſitus eſt ad ludibrium æmulorum. Facinus hoc impium vt accepit Ludouicus Hungariæ Rex, Andreæ germanus, fratris iniuriam vindicare propoſuit, tota Europa conclamante ſcelus hoc eſſe expiandum congruo ſupplicio. Res ſanè operoſa fuit permeare longam intercapedinem ſoli medij inter Hungariam & Neapolim, locum ſupplicij. Præterea totum illud negotium erat committendum ancipiti bellorum ſorti, quæ quandoq; fauet impiis agminibus. Rei capitis Andreæ Regis erant, Regina conſors eius, & Princeps Dyrrachij. Diſcrimina tamen

Summontius in hiſt. Neapol. ſub. ann. Ioannæ Reginæ Siculæ facinus in maritum.

tamen hæc quamuis ingentia non segniorem fecere zelum Ludouici læti in suspendio fratris sui. Conscripto exercitu velitum, vt alacrior esset exercitus contendit Neapolim; & vt referrent omnes argumentum illius expeditionis, principale labarum voluit esse nigrum, in quo erat depictus Rex Andreas patibulo appensus. Longo viarum tractu properante exercitu deuentum est tandem in fines vrbis consciæ mortis Andreæ Regis. Illic explicatum est lugubre vexillum Hungarorum, vbi Rex è stipite inglorio defluens deposcebat in mortem eos omnes, qui condixerant in probrosam suam cædem. Vt Siculis innotuit hæc imago, rei omnes necis præfatæ consuluere sibi fugâ. In his Regina & Princeps Dyrrachij suscepere propugnandam Neapolim contra Ludouicum vindicem sceleris antea perpetrati. Ille morarum impatiens, vrbem arcta obsidione cinxit, ductóque vallo in muros arietans armis viam sibi fecit in ciuitatem illam Regi suo iniuriam. Vltionis præludia fuere cædes & strages editæ multorum, quos Ludouicus acceperat conspirasse in mortem Andreæ. Sicariis extirpatis, Rex Hungarus sisti sibi iussit Principem Dyrrachij, in quem sermone asperiore castigatum dixit capitis sententiam, decernens truncum corpus eidem fenestræ appendi vnde Andreæ Regis corpus exanime pependerat. Demum talionis lege Reginam ipsam eidem fenestræ appendit, in quam Regis Andreæ cadauer extulerat. Itaque Regina sibi consciuit mortem, quando Regem patibulo appendit.

Ioanna Regina appensa patibulo.

Christus morte sua instante prædixit fugam eius, qui Iudæos prouocauit ad hoc tantum crimen. Sic ille: *Nunc iudicium est mundi; nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Hodie Ecclesia armata ieiunio & oratione procedit in hostilia castra vitiorum, & dæmonum; his namque hostibus occubuit Christus. Præcipuum Ecclesiæ labarum est crux, cui vt patibulo appensus est Rex Regum, extremo dedecore affectus; hoc vexillum eo intento palam fit, vt eius intuitu quisque zelum suum acuat ad vindictam necis Regi suo illatæ. Hoc est classicum Ecclesiæ, hic tubarum clangor, videlicet iste hymnus sollicitans animos fidelium, vt dignentur Christo etiam suo sanguine parentare.

Ioan. 12.

Crucis signũ est terribile inimicis Christi.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.

Cladem ingentem accepit Dæmon cruce erecta. Sed supersunt alij hostes Christo iniurij, scilicet vitia inolita, & intimis animæ recessibus abdita: hæc sunt eruenda, confessione facta sacerdoti idoneo, & præuio voto ritus arctioris, funditus extirpanda. Quid moramur, ô fideles: ecce brachia Christi exerta, quæ nos excitant ad exemplum vt condonet mortem suam, dummodo sæuiamus in auctores necis illatæ. Hi sunt affectus omnes impij, qui præoccupantes arcem cordis, nolunt inde resilire. Cruce arietandum est in hæc corda, vt in iniqua receptacula hostium Christi: in confessione traducendi sunt illi impij affectus, vt qui appenderunt ligno suum Regem, illi etiam sontes & rei capitis, eidem stipiti postmodum affigantur. Fauet hodierna solennitas funeri Christi sacra, quam plurium gratiarum influxu Deus illustrare solet, vt enarrat Gregorius Turonensis, qui affirmat se Pictauij vidisse

Greg. Turon. lib. 1. de glor. Martyr. c. 5.
Crucis Christi intuitu oleum lampadis exundat.

in monasterio Sanctæ Radegundis particulam sanctæ crucis, ante quam iugiter venerationis causâ ardebat lampas; sed feria sexta, quam totam planctui dicat Ecclesia, commemorans mortem Christi; illa, inquam, die tantùm lampas illa multo oleo desudabat cœlitus illapso. Adiicit ille Antistes Turonensis, hoc oleum distributum ægris, stupente medicina, omnes integrè sospitasse.

Non est exsiccata scaturigo olei huius benefici, quia viget adhuc, & vigebit in æternum virtus Christi crucifixi, in quem intendens Pater æternus, relaxat homini offensam, qua se prius obstrinxerat. Nimirum Deo Patri se offerendo Christus, cum fœnore Dei rationes auxit. Si enim Adam peccauerat auferendo Deo hominem: hodie Deo redditur alter homo, qui solus aliis præponderat hominibus. Locupletior gratia in isto effulsit, quàm in Adamo gratiæ Dei incurio. Ideóque ab inundantis olei vnctione dictus est Christus, ea nomenclatura prodens sibi inesse facultatem conciliandi homines cum Deo. Nempe dum innocens plectitur iniustè, noxij hominis arcta vincula dissoluuntur. Ita Ambrosius. *Cùm homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Deus per hominem quem suscepit, vt dum innocens patitur, præuaricationis illius diabolica in eo inobedientia corrigatur: & deinceps liber à culpa fieret, ac liber esset à morte.* Secuti igitur, ô fideles, ad vexillum Christi conuolemus, facti reduces ad gloriam, vnde natura humana deliquio prioris hominis exciderat. Vt est laurus inuia fulmini; ita & Crux ab ira Dei vindicat omnes, qui eius præsidio sibi consulunt.

Passione Christi, mortis facinus emendatum fuit.

Ex SS. Patribus.

Amb. ser. 51.

Ea cautione Augustinus prouidit sibi, Deum Patrem sic affatus: *Aspice, pie Pater, piissimum filium pro me tam impia passum. Respice, clementissime Rex, quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem vt seruum redimeres, filium tradidisti, &c. Reduc Domine oculos tuæ maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Cerne manus innoxias pio manantes sanguine: & remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Aspice mitissime conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat pedes terebratos beati sanguinis vnda. Specta gloriose genitor, gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.*

August. l. Medit. cap. 6.
Passio Christi in oratione refricata Deo Patri, peccata delet.

Sic huic orationi lacrymas adieceris defluentes ex mœrore mortis Christi, illa oratio fletuum rore madens, animum contritum prodet, imò & expiabit reatum, quem contraxit anima conscia sceleris in nece Domini perpetrati. In eo

Passio Christi meditata fletus excitat.

 planctu

planctu nostro vsurpandæ sunt voces, quas indices luctus sui assumpsit Dauid in funere Saül & Ionathæ: *Filia Israël, super Saül flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. Quomodò ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est. Doleo super te, frater mi Ionatha,*
2.Reg.1. *decore nimis, & amabilis.* Locuples est fletuum argumentum, ô fideles, in morte Domini Redemptoris, qui purpureo suo sanguine tinxit stolam gratiæ, idoneum vestræ animæ tegumentum. Ille est, quo dignante rutilant animæ fidelium. Heu in excelsis occisus est, quando superbia mea, excelsa petens, piaculo se obstrinxit, ad quod diluendum cruci appensus est Christus. Hoc apud memet statutum volo in posterum, millies potius obire mortem, quàm degere in excelsis; alta namque consciscunt ei mortem, quia quantùm possunt elati homines iterum eum occidunt, quando fastu suo abigunt procul. Doleo super te, Christe Iesu, primogenite in multis fratribus. Non solùm amabilis eras aut amans, sed ipsemet amor eras. Ideo cùm lacrymis non satietur amor, abeo totus in lacrymas, vt eo saltem profluuio cruorem abluam, quem mea crimina foras eduxerunt. Passio Christi facta est in excelsis.



DOMINICA RESVRRECTIONIS.

SVMMA HOMILIÆ.

I. HOMILIÆ istius argumentum peto à ritu celebrandi Pascha, vnde colligo præambula resurrectionis nostræ. Itaque dico, institutam esse Quadragesimam ante solennes dies Paschæ, & eo tempore Quadragesimali indictam esse abstinentiam à carnibus, vt ea maceratione carnis rescisceret homo, esse mactandam carnem, si velit resurgere. Nam resurrectio præsupponit mortem. Probo igitur priori parte istius homiliæ, animam non posse resurgere, nisi homo omnia carnalia procul abegerit: ideoque inuehor in homines hypocritas, qui ementita pietate imponunt adstantibus accedentes ad sacram synaxim, luridâ conscientiâ. Hos moneo, vt sincerâ pœnitentiâ sibi consulant, quâ carnis impetigo penitus extinguatur. Alioquin insisto, non esse eis institutum Pascha, quia nequit homo resurgere, qui non deposuit exuuias carnis.

II. Secundò expendo, in quo sita sit mystica resurrectio animarum, & concludo eum reuera gaudere beneficio festiuitatis huius, qui pro modulo suo, & quantùm fas est ei, æmulatur integritatem naturæ, qua gestiit Adam nondum culpæ obnoxius. Aperio, qua ratione queat vnusquisque fieri compos beneficij huius, ad quod est votis omnibus anhelandum.

PRÆFATIO.

Surrexit, non est hic. MARC. 16.



OLLICITO populo Hebræo de homine inaugurando in Regem, Saul domi absconditus, Deo moderante sortes, conclamatus est Rex, vt habet textus sacer. Clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex. *Communia omnium hominum vota anhela in Regis incrementum, fuere ingrata quibusdam æmulis Principis assurgentis. Hi namque Saulem aspernati, eructauere in eum conuicia, dedignantes venerari hominem, qui hactenus humilem egerat vitam. Æquo animo tulit Saül illum despicatum, dissimulans probra sibi illata, vt sacra recenset historia.* Filij Belial
1.Reg.10. dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò dissimulabat se audire. *Dum gloria Regis perstrinxit oculos inuidorum, quos insolescens æmulatio perculit ad iniurias euomendas, alij cautiores cælitus afflati adhæsere Regi, quem sic Biblia commemorant.* Abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. *Hæc compendiosa est idea rerum, quæ hodie Ierosolymis gesta sunt. Plebs ferè omnis professa est se non habere Regem nisi Cæsarem, & ne aliquorum suffragio Christus enuntiaretur Rex, ingloriè à Iudæis exceptus est, vtpote crucifixus, & demum inanimis tumulo abditus est, quem etiam homines illi Christo iniurij sua tessera consignarunt. Irrito tamen conamine tentarunt æmuli Christi, velis obducere splendorem gloriæ insignis, quæ excepit ignominiam crucis. Quippe ille rerum Dominus etsi absconditus in sepulchro obserato deforis, hodie in medium prodit eo habitu illustri, qui induxit Angelos, imò & custodes excubantes ad sepulchrum, vt eum concordi voto Regem gloriæ conclamarent. Hanc Christi resurgentis*

gentis gloriam iniquo animo tulit inuidia, quæ inimicos Regis Regum eo perculit, vt dicerent discipulos eius suffuratos esse corpus Christi. Christus rediuiuus dissimulauit se audire blasphemiam, auspicatus pacificè statum corporis sui reducis ex sepulchro: detrectante mundo imperium Christi, hi quorum Deus tetigerat corda, certiores facti de inauguratione eius in Regem seculorum, ei firmiter adhæserunt. Iis etiam & nos adiungamur, quantùm fas est animo gestientes, Psal. 117. *iuxta illum iubilum Psalmi.* Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. *Vtque vberior sit lætitia, congaudeamus Deiparæ, ei imprecantes prospera, & hæc vota omnium fidelium vsurpantes.* REGINA COELI LÆTARE.

QVò res aliqua nobilior est, eò etiam præambula potiora petit, vti liquet ex serie rerum editarum à Domino in ipsis incunabulis mundi. Vide quàm multa condiderit Deus, antequam hominem præficeret rebus omnibus editis infra cœlos. Deus Angelos voluit præire homini, sicut & sidera, aliaque omnia, quibus est hæc concreta moles, vt harum esset homo veluti compendium, quo cætera concluduntur. Nimirum inductione facta participat homo dotes effusas in totam supellectilem mundi, iuxta illud Gregorij effatum. *Omnis creatura nomine signatur homo. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.* Quamuis insignis extiterit ille apparatus præuius hominum natali, longè tamen digniora fuere præludia, quibus vt mysteriis altis homini lapso consuluit Deus, qui omnigenæ virtutis specimen edidit habitu hominis, vt suo exemplo virtutes ingereret, quibus exciderat Adami prosapia, priori illo homine rebellante. Summa virtutum Christi est penes Passionem eius, cui homo debet reparationem suam. Etenim homò nusquam mortis imperium declinasset, si Dominus ipse mortem non vicisset fortiter occumbendo. Neque caro rediuiua floruisset, nisi experta spinarum aculeos iacuisset in sepulchro. Hoc igitur esto argumentum istius homiliæ. Dicam primò, ab vnoquoque fidelium esse macerandam carnem, vt eam emortuam suscitare dignetur Christus. Secundò dicam in quo sita sit resurrectio nostra.

Greg. hom. 29. in Euang.
Homo est omnis creatura.

PARS PRIMA HOMILIÆ.

Anima non resurgit nisi caro penitus extinguatur.

CONcolores Philosophi omnes Peripatetici sectatores Aristotelis tria constituerunt principia generationis, quorum series meam adstruit sententiam, cui incumbit prior pars homiliæ istius; scilicet resurrectionem hominis præsupponere interitum carnis. In ea principiorum contextura, materia informis primas tenet: secundum locum tenet priuatio, citra quam nulla forma se insinuat in subiectum; implicat enim aliquid subintrare in locum, cui adfuit hactenus. Adice, generationem esse progressionem à non esse, vt à termino, à quo: illud autem non esse, est priuatio. Tandem formam ritè dispositam induit, & ex hac vnione exurgit compositum. Alludendo ad hoc Philosophorum dogma, homo vile mancipium carnis est subiectum regenerationis sanctæ, quam resurrectionem nuncupo. Gratia Dei recreans animas est forma, qua instructus homo redux Deum sibi conciliat, resurgens à peccato. Philosophi duas priuationes considerant in tota generationis historia, citra quas est generatio omnis incompleta. Prior priuatio est carentia formæ instantis; siquidem forma suis omnibus numeris absoluta non est in fieri.

EX PHILOSOPHIA.
Arist. lib. 1. Phys. cap. 6. text. 66.
Prima principia generationis rerum quæ sint.

Priuatio quotuplex sit.

Altera priuatio, est excessus siue extinctio formæ oppositæ, & qualitatum expulsio, earum scilicet quæ remorantur ingressum formæ, quam inducere debet substrata materia. Anima tota addicta carnis obsequiis, vt expers est gratiæ, priuationem patitur illam, quam Physica reponit inter principia; sed non ea priuatione gaudet, quæ eliminat obices introitus formæ alterius, id est, gratiæ cœlitus imminentis. Penes hanc priuationem totus est rei cardo; nusquam enim spiritalis homo fiet, nisi pereat animalis homo: nimirum discolor omnino est cura corporis & animæ, vnde gratiæ Dei indoles haudquaquam patitur has duas coire formas. Qui ergo anhelat in statum illum, quem resurrectio hodierna refert ille vt par est, impigrè se accingat ad hoc bonum, quo fruetur, ab interitu corporis auspicando.

In eo sensu morali accipe Paulum ita erudientem Corinthios. *Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Moriatur caro, vt crucis asperitate extincta resurgat cum Christo. Pœnæ corpori inflictæ, esto facessant ei negotium; tamen semina sunt, quæ emortua surgent in palmas & in lauros, dum corpus edomitum homini vitæ æternæ præmia demerebit. Caro refuga molestiæ resilit ab agone; sed est ei ingerenda resurrectio, cuius obsequio ipsa caro imbellis, tunc fiet immortalis. Pergit Apostolus. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Potissimum argumentum, adstruens hoc intentum de carne extinguenda virtutum praxi vt resurgat, petitur à Theologia, quæ affirmat Christum esse causam exemplarem prædestinationis nostræ, id est, neminem beatis adscribi mentibus nisi ad Christi exemplar totum se componat, iuxta illud Apostoli. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Hinc Theologia sic arguit. Primum in vnoquoque genere est causa cæterorum. Ergo cùm Christus in ordine supernaturalium sit primus & summus prædestinatorum, erit mensura ad quam beandi homines se explorare debent, ne deuient ab hoc fine. Sed Christus resurrectionis gloriam non est adeptus, nisi præuio interitu carnis: frustra igitur enititur ille, qui aspirat ad hoc bonum, crucibus inconsultis. Nempe hoc decretum fuit ab æterno, hominem deuium non fore reducem nisi beneficio agonum Christi, quos etsi nondum exantlasset, tamen in fide Passionis eius Domini Redemptoris, Patriarchæ, Prophetæ, aliique omnes Sancti, qui præiere Christo in fide Passionis eius, sospites effecti sunt; ideoque ab incunabulis mundi iustorum primus Abel, sacrificiorum ritu Deum demeruit; & hic sacri-

1. Cor. 15.

Mortificatio carnis necessaria est vt resurgat.

Ibidem.

Rom. 8.

EX THEOLOGIA.
Thom. 3. p. q. 24. art. 3.
Alensis 3. p. q. 3. memb. 5.
Scot. in 3. l. sent. dist. 19.

ficiorum

ficiorum vsus à Deo institutus est in figuram mortis, quam erat Christus obiturus, vt vegetior homo resurgeret.

Itaque si quis aliqua vrgetur cupidine resurgendi, ille imitetur Christum commoriendo carni, vt postmodum eadem caro innoxia suscitetur. Eò spectat illa parænesis Apostoli. *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit.*

1. Cor. 15.

Ex Historia.
Ruffin. lib. 2. cap. 27.
Socrat. lib. 5. cap. 17.
Sozom. lib. 7. cap. 15.
Suidas verbo σταυρός.
Crucis obsequio vita redux fuit.

Crucem procurare vitam liquet ipso etiam Gentilium testimonio, qui in templo Serapidis celeberrimo Alexandriæ erecto, literas mysticas asseruabant, quas Clemens Alexandrinus ἱερογλυφικὰς vocat. In his erat figura crucis, qua denotabatur vita ventura. Nam si quando esset typicè lineanda vita ventura, crucem depingebant. Cùm autem Theodosio imperante dirutum est templum illud Serapidis, & crux inibi erecta, seniores Gentilium, qui Christo dedere manus, confessi sunt se accepisse à maioribus suis, fore vt corrueret templum Serapidis, quando omnibus illuceret vita ventura, id est quando erigeretur crux, cuius efficacia reuocauit Gentes illas ad obsequium Christi. Crucem ergo assume securus, ô homo, si vita venturâ recreari cupis. Quidquid in te carnem sapit hoc cruci affige, & resurget beneficio crucis, quæ non interimit nisi vt reuocet ad vitam interminam. Eamobrem ipse Dominus vitæ, instante Passione sua, dicebat ærumnas fore claritatem suam. Sic ille triduo ante Passionem suos affatus est: *Venit hora, vt clarificetur filius hominis. Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* In hoc loco animæ odium pœnitentiam significat: quæ hominis carnem discruciat. Sed illa crux est vita æterna, id est, causa meritoria vitæ æternæ, ad quam aditus tantùm patet beneficio crucis, quæ est instar auis huius quam vulgus imperitum vocat auem paradisi, cuius illud ingenium est, vt pullos suos dorso vehat: non enim hæc auis nidificat ne quid iniurium sit pullis imbecillis. Hæc auis à Camerario assumpta est ad symbolum, hoc titulo adscripto. MEOS AD SIDERA TOLLO. Ne quid animæ tuæ molestum sit, carnem tuam cruci appende, totum te illi ex animo deuoue: nempe illa SVOS AD SIDERA TOLLIT.

Ioan. 12.

Ex Symbolis.
Camerar. Centur. de auibus.
Crux suos baiulos ad sidera tollit.

Ex Theologia.
Thom. 1. 2. q. 85 a 5. ad. 8.

Inepta est eorum instantia, qui velificantes ignauiæ, refugiunt omnia quæ ingrata sunt corpori, obiicientes Christum cruce sua non meruisse tantùm resurrectionem corporis sui, sed & omnium fidelium, ac proinde superuacaneam esse illam curam, quæ anxios tenet animos hominum pœnitentium. Sic delirant inglorij illecebræ patroni, quibus Angelicus Doctor ait pertinere ad sapientiam Dei, vt consulatur vnicuique rei, vt ab æterno sancitum est. Sed hoc Dei constans est statutum, neminem fore conscium gloriæ Christi, nisi petulantiam carnis eius, crucis angustiæ perstrinxerint; si tamen ille adultus fuerit de puerulis, namque discolor est ratio.

Esse autem hoc Dei decretum sic adstruit Apostolus. *Sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Hoc Pauli effatum suffragatur Theologiæ affirmanti illud quod supra recensui, scilicet prædestinationem Christi esse causam exemplarem nostræ; ita vt nemo glorificari queat, si non eodem passionum seu ærumnarum calle properet ad gloriam. Quod perinde est ac si diceret esse moriendum carni: vt resurgat homo vegetior. Ea fuit sententia sanctiorum Patrum, in quibus accipe Augustinum ita cum homine colloquentem. *Ad exemplum suscepit à te, in quo moreretur pro te; in Verbo caro mortua est, & resurrexit.* Caro Christi emortua nostram sollicitat ad occasum, vt postea rediuiua surgat alacrior. Hoc festa Paschalia inculcant, vt Leo Papa monet. *Vt Paschale sacramentum ipsa in se habeat vita credentium, quod festo honoratur, moribus celebretur.*

Rom. 8.
Mortificatio Christi ad exemplum proponitur.

Ex SS. Patribus.
Aug. in Psal. 70.

Leo serm. 2. de resur.

Facit ad rem typicus ille ritus abstinendi à carnibus ante Pascha, & vt mortuus homo carni, sic se idoneum præstet ad influxum gratiarum, quibus anima suscitatur. Sed heu! plerique Quadragesimâ exactâ dum repetunt carnis edulium, turpibus etiam carnis actibus immerguntur. Quod quadragesimale tempus insinuat, illud æuo toto obseruandum est, id est, semper à carnalibus abstinendum, ne excidamus eo fœnore gratiarum quod in compendia nostra refundimus ante Pascha. Eò vergunt hæc monumenta Leonis mox laudati. *Ex vestra deuotione didicistis, quantùm prosint animis atque corporibus prolixa ieiunia. Nemo enim est ferè, qui nõ hac exercitatione profecerit; & in abdito conscientiæ suæ aliquid, quo rectè possit gaudere, condiderit. Sed hæc lucra perseuerantiâ sunt seruanda custodia, ne in desidiam resoluto labore, quod donauit Dei gratia, diaboli furetur inuidia. Cùm igitur quadraginta dierum obseruantia hoc voluerimus operari, vt aliquid sentiremus Crucis in tempore Dominicæ Passionis; adnitendum nobis est, vt etiam Resurrectionis Christi inueniamur esse consortes, & de morte ad vitam, dum in isto corpore sumus, transeamus. Vnicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conuersione mutatur, finis est, non esse quod fuit, & ortus esse quod non fuit. Sed interest, cui quis aut moriatur aut viuat, quia est mors quæ causa est viuendi; & vita, quæ causa est moriendi. Moriendum ergo est diabolo, & viuendum Deo; deficiendum iniquitati, vt iustitia resurgatur.*

Ieiunia quantum prosint animæ.

Ibidem.

Ieiunia quare præcedant festum Resurrectionis.

Adiice & cautelam Medicorum, qui obstant ne succrescat adeps, & caro obesa turgeat, affirmantes protrahi vitam dehiscente carne, & adipe eliquato: namque adipem affluentem arguere frigus seu remissionem caloris eius, quo potissimum vita gaudet. Sic Fernelius. *Membrana atque cuti adeps copiosus & vberior increscit, ex pingui quidem & tenaci eaque frigida sanguinis portione genitus, quæ è venis excidens moxque effusa frigidis exanguibusque membranis, tanquam congelans similiter atque crassius oleum frigore durescit. Hinc corporibus quibus frigidior est natura, copiosus; calidioribus verò paucus innascitur, qui æstibus, immodicis laboribus, & inediis fundi atque dissipari solet.* Res medica labore & arctiore inedia liquat adipem importunum, vt productiore vita sospes homo

Ex re Medica.
Fernel. lib. 1. Physiol. c. 15.
Adeps labore dissoluitur.


homo suum agat æuum. Hoc ego ista homilia intendo, vt nimius adeps corpori obeso depereat eo labore assiduo, quem sibi vendicat impigra virtutum praxis. Suadeo ieiunia quantùm fas est ad insolentiam corporis edomandam. Nimirum anceps est & dubium aliud omne viuendi schema, nec alia cautione consulitur vitæ, quam procurando occasum carnis reuera noxiæ homini, dum illi plus nimio indulget. Itaque caro castigata beneficio crucis, indubia vitæ æternæ percipit argumenta.

Ieiunia carnis insolentiam compescunt.

Ex Mathematica.

Euclid. l. 1. elem. geomet. definit. 10.

Præfatus sum, nomine resurrectionis me notare statum vitæ defæcatæ, quæ attenditur penes rectitudinem potentiarum animæ. Vt autem anima omni rectitudine gaudeat, illa debet se in modum crucis effingere. Ea namque figura est, quæ exhaurit omnes mathematicas rectitudines, cùm eas quæ assurgunt, tùm eas quæ in latus excurrunt. Rursus linea incidens in aliam subiectam dum facit crucem, quatuor etiam componit angulos rectos, vt videre est in hac figura vbi linea perpendicularis secans substratam lineam facit angulos illos quos describunt maiusculæ litteræ A. B. C. D. totumque circulum in partes æquales dispescit.



Hoc schemate seu figurâ apprimè lineatur anima pœnitens assueta cruci: nimirum illa est tota teres atque rotunda; facultates eius à debita sibi rectitudine non deuiant. Rursus cœlum descriptum eadem figura, quam præ oculis habes, dicitur habere quatuor cardines, qui sunt quatuor puncta seu extrema figuratæ crucis in circulo. Dum planetæ occupant hos cardines, vim suam totam produnt, suosque radios ad inuicem vibrant in modum crucis. Ita gratia Dei nacta animam crucifixam magnas secum dotes vehit, quibus stipata anima vegetatur. Arabes præsensere hoc mysterium crucis in hac figura Mathematica, vt enarrat Cælius Rhodiginus ita fatus: *Traditum ab Arabibus est, crucis figuram cæteris præstare, quoniam si superficies prima cruce describatur, sic in primis longitudinem habet atque latitudinem; primaque hæc figura est, & omnium recta quàm maximè constansque rectis angulis. Effectus verò cœlestium maximè per rectitudinem angulorum radiorumque resultant; tunc enim stellarum potestas prævalet, quando cœli quatuor habent angulos, vel cardines potius, Orientis videlicet, Occidentisque, & medij vtrimque cœli. Sic verò dispositæ radios ita coniicient in se inuicem, vt crucem inde constituant. Propterea esse crucem veteres dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earumdem fortitudinis susceptaculum, ideoque habere summam in imaginibus potestatem, ac vires, & spiritus suscipere planetarum.* Hæc ille.

Cæl. Rhod. lib. 10. cap. 8. Crucis figuram Arabes commendarunt.

Adiice & inuentum illud quod recenset Beda, quando commemorat quomodo veteres coniiciebant an æger eo morbo cessurus esset fatis. Ait ille, eos fuisse solitos desumere augurium ex figura crucis, vbi hæ voces erant insculptæ:

Beda. tom. 2. lib. de diuinat.

VITA MORS. Huiusmodi crucem Petosyris misit ad Necepsum Regem Ægypti cum epistola explicante vim crucis, vnde fas erat vitæ & necis exitum ominari. Præstigiosis ambagibus crucem illam esse obnoxiam expertus sum ex ipsa eius figura, quam videre est apud Bedam. Sed alia omnino est indoles crucis Christi, cui eædem voces inustæ sunt. VITA MORS. Etenim crux illa mortificat, & viuificat; mortem indicit carni, & reparat vitam, qua prius exciderat anima incauta. Vita & mors in cruce vt in arena certant: in eo discrimine mors prævalet priore congressu, sed ad moram. Etenim virtute crucis meliore vita aspirante, resurgit homo secutus agones Christi; qui non resurrexit nisi post expertum aculeum mortis, qui eiusdem Domini nece confractus est, vt iubilat Augustinus hoc contextu: *Vbi est mors aculeus tuus, nonne confregit illum Dominus meus? ò mors quando Deo meo hæsisti, tunc & mihi periisti.* Quemadmodum Sol non oritur quìn priùs occiderit; ita nemo expectare debet vitæ sanctioris exortum, quin antea subierit occasum carnis suæ, vt suo exemplo Christus edocuit, iuxta illud Psaltis. *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Gregorius ita hunc locum versat. *Super occasum Christo fuit ascendere, ipsam mortem quam pertulerat resurgendo superare.* Quasi diceret, mortis discrimina esse vitæ præludia. Cum ergo pœnitentia crucis angustias aptet nobis; hoc altè insideat nobis, scilicet esse vnicuique pœnitentiâ præuiâ resurgendum: moritur enim carò luens pœnas congruas piaculis retro actis, Deumque sua pœnitudine deuinciens, sanctiore aurâ illapsâ cœlitus animatur.

Crucis obsequio olim peritum vitæ, aut mortis augurium.

Ex SS. Patribus.

Aug. serm. 29. de resur.

Psal 67.

Gregorius l. 19. Moral. cap. 3.

Hoc insinuat iste Canon. *Talis mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincerè & simpliciter offeratur. Etiamsi ad summum quis perueniat malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, suscipit & libenter amplectitur: facit omnia, quatenus ad priorem reuocet statum; & quod est adhuc præstantius & eminentius, etiamsi non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem; quantulamcumque tamen, & quamlibet breui tempore gestam non respuit pœnitentiam, suscipit etiam ipsam, nec patitur quamuis exiguæ conuersionis perdere mercedem.* Idem textus destruit virtutem pœnitentiæ, exemplo Achab Regis impij, in quem cum Deus succenseret, ille non amore Dei sed sæculi huius pœnitentis habitum induit; eaque specie mœrentis animæ Deum demeruit, ita vt pœnæ instantis sententiam Deus in aliud tempus transtulerit. Hoc fusè meminit iste Canon. *Sicut Achab Rex iniquus à Propheta reprehensus, cùm contra se diuinam sententiam audisset, pertimuit, & magno mœrore deprehensus est: ita vt Propheta suo Dominus diceret: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur mei causa humiliatus est, non inducam malum in diebus eius. In quibus Domini verbis pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum; si sic ei & reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præsens sæculum: aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis, in eis qui placent, si hæc ad tempus placuit, & in eis qui displicebant.*

Ex Iure Canonic.

Can. Talis. De pœnit. Dist. 3.

Pœnitentiam nullius peccatoris licet maximi spernit Deus.

Can. Sicut De pœnit. Dist. 3.

Instabis, multos pœnitere, & assumere crucis supellectilem,

ſupellectilem, quos tamen crux illa benefica non ſuſcitat à mortuis; ac proinde dubiæ veritatis eſſe illam concluſionem quam præmiſi, affirmando homines omnes fieri crucis obſequio rediuiuos. Reſpondeo, crucem ſequi iaſpidis ingenium, quod tale eſt, vt non explicet virtutem ſuam, ſi lapis ille includatur plumbo. Vnde illi qui ſanguinis profluuium volunt compeſcere beneficio iaſpidis, hoc impensè curant, vt iaſpis in limbum argenteum inducatur, vnde queat ſuam vim propitiam exerere. Ita & crux ſortita reprobas animas, non eſt eis benefica, etſi eis multæ ærumnæ faceſſant negotium. Pœnitentia vt vitalis ſit, animam petit de meliori fruge ſollicitam: etenim fruſtra quis vnum peccatum deflet, ſi altero crimine polluitur, vt hoc Canone liquet. *Falſam pœnitentiam eſſe conſtat, cùm ſpretis pluribus, de vno ſolo pœnitentia agitur; aut cùm ſic agitur de vno, vt non diſcedatur ab alio.* Pœnitentia hæc ementita incidit in plumbeas animas, quæ totam virtutem crucis præpediunt: adultorum enim hominum hi tantum participant virtutem crucis, qui argenti puritate nitent, atque ita hi duntaxat ſurrexere cum Chriſto, qui vt par eſt toto Quadrageſimæ decurſu crucem Domini baiularunt. Qui verò animo vitiis obſtricto egêre tempus hoc, ſacrum inediæ & bonis operibus; illi profectò ſuæ ſalutis incurij nullum retulere gratiæ Dei prouentum, quia crucem illam Domini peſſimè collocarunt. Reproborum itaque nemo querulus improbet concluſionem meam, quæ incunctanter affirmat, eos reſurrectionem manere, quibus incumbit crux carnem diſcrucians. Sic nempe effatum illud intelligendum eſt, vt res ſit de homine exoſo ritus ſuos impios: alioquin crux imminens homini nequam, ab eo patitur iniuriam, quia ille impietate ſua cohibet influxum gratiarum, quæ ex cruce ſolent iugiter emanare.

Crux quando, & vbi ſuos exerat effectus.

Can Fratres noſtro s. De pœnit. d. 5.

Pœnitentia quænam ſit ſpuria, & nullius momenti.

In impia hæc capita agi patet hac lege iuris Cæſarei, quam tulere Imperatores Theodoſius & Valentinianus. *Cùm ſit nobis cura diligens per omnia ſuperni numinis religionem tueri; ſignum Saluatoris Chriſti nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere; ſed quodcumque reperitur tolli, grauiſſima pœna mulctando eo, qui contrarium ſtatutis tentauerit ſpecialiter imperamus.* Reuera ille religioni iniurius eſt, qui animo ſibi malè conſcio frequentat crucis myſteria, ementitus hominem pœnitentem. Sed is, qui adinſtar Chriſti ſuam animo innoxio ſuſtulit crucem, carnem illi affigens; is, inquam, hodie conſors fuit reſurrectionis Chriſti, vtpote conſcius effectus vitæ immortalis, ac proinde habet vnde geſtiat, & vſurpet verſum quo iubilat Eccleſia ſic occinens: *Hac dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.*

Crucis ſignũ humi non formetur.

EX IVRE CIVILI. *Lege vnica Cod. Nemini licere.*

Psal. 117.

PARS SECVNDA HOMILIÆ.

In quo ſita ſit reſurrectio animæ.

IN quo autẽ hæc reſurrectio ſita ſit, accipe. Primo Adami deliquio anima extincta eſt, & caro vegetior effecta homini affinxit ſuam temperiem, à qua & carnalis ei indoles inſita eſt. Ea namque eſt natura formarum, vt ſi quando plures coëunt in vno ſubiecto, illa præpolleat aliis quæ validior eſt, ac proinde feriantibus aliis, ſuos prodat effectus. Cùm ergo Adamus animam adduxerit in ſummum diſcrimen, eaque inſigne diſpendium paſſa ſit, excidens gratiâ, qua fiebat alacrior; caro præualuit, eaque hominis portio ad opera carni conſona totum hominem inclinauit. Hæc autem opera ſunt, gula, & luxuriæ facinora, quibus homo arbitratur indiuiduo ſuo, & ſpeciei ſuccurrendum. Vt ergo redux homo recuperet ſtatum illum innoxium, cuius paſſus eſt iacturam, debet meminiſſe illius regulæ iuris. *Ferè quibuſcumque modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur; cum quibus modis acquirimus, iiſdem in contrarium actis amittamus. Vt igitur nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt; ita nulla amittitur, niſi in qua vtrumque in contrarium actum eſt.* Petiit Adam obtemperando carni; vt ergo vitæ deperditæ iacturam homo reſarciat, carnis imperium detrectare debet, & in eam inſurgere arrepta cruce, vt qui à carne cæſus eſt ligno, crucis ſtipite carnem mactet. Homo in ius dæmonum venit, animo & corpore conſciis defectionis à Deo. Igitur operæpretium eſt, duo illa concurrere vt fiat homo rediuiuus. Caro, quæ ſurrexit vt pomum ex arbore vetita decerperet, vltro patiatur impoſitæ crucis iugum, vt eo pondere grauata luat auſus ſuos. Anima, quæ deorſum inclinans non conſtitit ſibi, deinceps altiora ſequens, ad Deum ſumptis viribus enitatur.

Lege. 196 ff. De regulis iuris.

Obligationis nexus quomodo diſſoluatur.

In eo nempe eſt omnis cardo reſurrectionis animarum, vt æmulentur ſtatum illum, quo Deus Adamum dignatus eſt, quando eum effinxit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Tunc homo factus eſt in animam viuentem, quæ mortis impatiens procul erat ab omni mortifero. Beatæ illius animæ habitum explicat iſte Canon *Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis. Illa anima benè picta eſt, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima benè picta, in qua eſt ſplendor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ. Secundum hanc imaginem, quæ refulget pictura pretioſa eſt. Secundùm hanc imaginem Adam ante peccatum depictus fuit; ſed vbi lapſus eſt, depoſuit imaginem cœleſtis, ſumpſit terreſtris effigiem.* Homo quidem carne tenus erat nudus, ſed animæ virtutum tegmine diues & inſignis erat: aſt vbi indiguit veſte, & beſtiarum exuuiis vt carnem obtegeret, anima ſuo tegumento ſpoliata ſenſit iniurias non temporis, ſed peccati. Id mœrens luget Ambroſius hoc lamento. *Sapiens nunquam inanis eſt, ſemper in ſe habens amictum prudentiæ; qui poteſt dicere: Iuſtitiam induebam, & veſtiebam iudicium, ſicut dixit Iob. 17. Namque hæc mentis ſunt in terra velamina, quæ nemo aliàs poteſt auferre, niſi cùm aliquem ſua culpa deſpoliat. Denique ſic deſpoliatus homo nudus inuentus eſt.*

EX IVRE CANONIC. *Can. Illa anima De pœnit. d. 2.*

Gratia Dei hominem veſtit.

EX SS. PATRIBVS. *Amb. l. 2. de Iacob.*

Hanc inſignem animæ veſtem multiplici gratia polymitam diabolus homini inuidit, & vt Samſon Philiſtinorum veſtes detrahere non potuit, niſi eos occidendo; ita & dæmon hominem nudando necauit: quippe Adam imprudens dum exuit præclaram animæ veſtem, mox etiam vtraque excidit vita, corporis ſcilicet, & ſpiritus. Sic ominoſa fuit illa demiſſio veſtis innocentiæ, vt & Hadriano Imperatori lapſus chlamydis purpureæ, quæ cum defluxiſſet quaſi in ſeo

Peccatum hominem nudat.

EX HISTORIA. *Spartian. in Hadriano.*

Imperatore,

Imperatore, coniectores inde mortem Principi imminere affirmarunt; nec defuit stata fides omni infausto: namque paulo post Hadrianus cessit fatis. Iniquior sanè fuit sors hominis; nempe imperio potiore pulsus est, deperdita veste, cui annexum erat dominium, ad quod assumptus est. Eidem dispendio fuit Nicephorus Imperator obnoxius, cui cùm seruus suffuratus esset vestem imperialem, vix mense elapso periit. Quibus artibus egerit Satan, vt homini gratiæ chlamydem adimeret, videre est in astutia, qua hominem incautum circumuenit, vt plangit Augustinus, hominum ruinam ita deflens: *Princeps vitiorum omnium dum vidit Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate circumdatum, primò parentes illis donis ac tantis bonis expoliauit, insuper & peremit. Namque cùm homini abstulisset pudicitiam, continentiam, charitatem, immortalitatem, domino suo eum obstrinxit. Adam amissa temperantia intemperans effectus est; perdita charitate, malus inuentus est.*

Hist. Imperial. sub ann. 811.

Ex SS. Patribus.

August. hom. 11.

Gratia Dei hominem virtutibus exornat.

Hæc Adami labes suo contagio totam prosapiam traxit, ideóque extincta proles nequit esse rediuiua quin sortiatur eumdem animæ statum, quem peccato offuso expunxit Angelus ille nequam; atque ita resurrectio nostra petenda est ex similitudine nostra cum editione prima hominis innoxij, vt scitè explicat Augustinus hoc contextu. *Quomodo renouari dicimur, si non hoc recepimus quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc planè recepimus, secundùm quemdam modum, & non hoc recipimus secundùm quemdam modum: Non itaque immortalitatem spiritalis corporis recipimus, quam nondum habuit homo, sed recepimus iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo.* Ille iustitiæ seu gratiæ illapsus in animam inducit vitam spiritalem, sicut anima subiens corpus illud animat; atque ita renouatio nostra tota attenditur penes habitus animæ, vt Paulus adhortatur, ita fatus: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.* Homo, qui ad carnis arbitrium editus est, crucifigatur, vt is, quem Deus effinxit ad imaginem suam, ad pristinæ indolis schema reuocetur. Adiicit Apostolus, esse renouandas animas in sanctitate veritatis, vt sic occurrat hypocrisi, qua plerique imponunt oculis, ementita pietate, dum animo iniquo adstant sacris altaribus, in suam perniciem accepturi panem vitæ. Aduerte item, Apostolum vbi hortatus est ad renouationem spiritus, subiicere induendum esse nouum hominem; quia gratiarum influxus est veluti conceptio noui hominis: & hæc gratiæ infusio prærequirit in homine impio mentem renouatam, iuxta ideam sanctitatis, quæ in Adamo rebellante deliquium passa est, vt ait Augustinus. *In hoc ergo renouatur secundùm id quod amisit Adam, id est, secundùm spiritum mentis nostræ. Dicit item Apostolus: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite nouum, qui renouatur in agnitionem Dei secundùm imaginem eius qui creauit eum. Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam iustitiæ.*

Idem lib. 6. in Gen. c. 24.

Gratiæ obsequio quomodo homo renouetur.

Ephes. 4.

Gratiæ renouatio penes quid attendatur

August. vbi supra.

Illa itaque anima renouatur & resurgit, quæ eo statu gaudet, in quo Adam editus est: hunc scrutemur sagaci indagine; vt quisque satagat moribus assequi illud idem quod imprudens amisit Adam. Primum quod occurrit est illa imago seu similitudo Dei, qua dignatus est homo: hanc qui genuinè referet, is resurget; nemo namque potest assurgere ad integram hanc naturam, quin deponat inglorias hominis veteris exuuias. Quæ autem sint pigmenta, quibus imago Dei, sarta tectaque refulget in homine, disce ex relatione filij ad Patrem quatenus imago est. Ratio illa imaginis in filio nihil aliud essentiale dissitum à patre clamat, sed eamdem prorsus numero essentiam, quam Deus Pater totam suæ imagini communicat; ita vt hæc imago Dei Patris, ipsa Deus sit coæqualis eius, cuius imago est. Cùm enim res vnaquæque se habeat ad cognosci sicut & ad esse, & verbum mentis sit imago adæquata rei cognitæ, profectò vt Filius Dei, qui est Verbum Patris, erit imago referens ingenuè totam essentiam Patris. Ex Ambrosio. *Imago ista veritas est, imago ista iustitia est, imago ista Dei virtus est; non muta, quia verbum est; non insensibilis, quia sapientia est; non inanis, quia virtus est; non vacua, quia vita est; non mortua, quia resurrectio est.* Si igitur resurrectio nostra attenditur penes imaginem & similitudinem Dei, ad quam homo effictus est; videamus in quo vertatur rei cardo, ne quid resurrectionem animæ remoretur. Ex S. Thoma, imago alicuius bifariàm spectari potest. Primò vt est in alio eiusdem naturæ, vt imago patris est in filio. In eo sensu homo non est ad imaginem Dei, hoc nempe vni Verbo conceditur, de quo Paulus ita fatur. *Est imago Dei inuisibilis.* Secundò imago alicuius potest esse in alio diuersæ naturæ, vt imago Regis in icone argentea. Eo ritu potest homo aliquali modo referre Deum, quantùm scilicet humanæ indoli conceditur; nimirum componendo animæ suæ facultates ad virtutum praxim, ita vt intellectus veris tantùm adhæreat, & voluntas anhela bonum, illud duntaxat amet.

Ex Theologia.

Thom. 1. p. q. 35. art. 2.

Imago Dei, in Verbo æterno quid sit

Ambr. l. 1. de fide c. 4.

Coloss. 1.

Virtutum lineamenta facere hominem ad imaginem & similitudinem Dei, audi ex Bernardo. *Rectus Deus rectum fecit hominem similem sibi, id est, sine iniquitate, sicut non est iniquitas in eo: corporis staturam dedit homini Deus rectam, forsitan vt ista corporea exterioris vilioris que rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritalis sua seruanda rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem redargueret animi.* Chrysostomus distinguit inter imaginem, & similitudinem, ita monens. *Imaginem dixit ob principatus rationem; similitudinem vt pro viribus humanis similes fiamus Deo in mansuetudine, lenitate, &c. quod & Christus dicit; estote similes patri vestro, qui in cœlis est.* Resurrectionem nostram consistere in ea virtutum suppellectile, quæ inurit nobis imaginem Dei, audi ex Ambrosio homines sic adhortante: *Ergo dum hic sumus seruemus imaginem, vt ibi perueniamus ad veritatem.* Vide, negotij istius omne compendium esse, constare sibi in repræsentatione Dei, vt ad veritatem citiùs assurgamus. Pergit ille *Sit in nobis imago iustitiæ, sit imago sapientiæ, quia veniemus ad illam diem, & secundum imaginem æstimabimur. Non inueniat in te aduersarius imaginem suam, non rabiem, non furorem. In his enim imago nequitiæ est. Non inueniat auri cupiditatem, non argenti aceruos, non vitiorum simulacra.* Ille virtutum chorus vitia expungens, resurrectionis gloriam nobis conciliat, vt idem concludit. *Itaque si sapientia,*

Rectus quomodo fiat homo

Ex SS. Patribus.

Bern. ser. 24. in Cant.

Hominis rectitudo penes quid attendatur.

Chrysost. hom. 9 in Gen.

Imago Dei, & similitudo penes quid differant.

Ambr. l. 1. de officiis c. 49.

Imago virtutum in nobis est conseruanda.

Virtutum obsequio beatitudo comparatur.

si fides, si contemptus sæculi, si gratia tua abscondat omnem perfidiam, Beatus eris, quia non respicis in vanitates, & insanias falsas.

Pascha illud solemne, quod celebrauit Iosias Rex Iudæ, resurrectionis nostræ historiam delineat. Ille omnia idola comminuit, & impij cultus reliquias incendit, vrbemque Ierusalem eo repurgio nitori reddidit quem Deus ab ea deposcebat. Celebris illa expiatio sanctissimum Pascha fecit. Consule Codicem sacrum, vbi prostat ille ritus hoc tenore. *Præcepit omni populo dicens: Facite Phase Domino Deo nostro, secundum quod scriptum est in libro fœderis huius. Nec enim factum est Phase tale à diebus Iudicum, qui iudicauerunt Israel, & omnium dierum Regum Israel, & Regum Iuda, sicut in octauo decimo anno Regis Iosiæ factum est Phase istud Domino in Ierusalem. Sed & Pythones, & ariolos, & figuras Idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda, & Ierusalem, abstulit Iosias, vt statueret verba legis.* Vide, hoc Phase seu Pascha non commendari, nisi à præuio apparatu. Pascha resurrectionem n. t. t. Vox namque Hebræa פסח *pasach* transitum sonat, & resurrectio transitus est à morte ad vitam. Vt hæc sit celebris, delenda sunt ea quæ oculos Dei possunt offendere; verbi gratiâ, restinguere fas est libidinem, restituere malè parta, redire in gratiam cum æmulis, denique ad Pascha recolendum sicuti par est, sunt turpia quantocyùs omnia repurganda. Vt ergo resurgatis, ô impij, quos festiuitatis huius gratia præteriit, auscultate Regi prouocanti vos ad meliorem frugem ista parænesi: *Facite Phase Domino Deo vestro, secundùm quod scriptum est in libro fœderis.* Scriptura illa commemorat esse expianda immunda, & reparanda deliquia, quibus ipsi consciuimus nobis mortem. Vt enim Christo resurgenti sociemur, sunt abiuranda omnia commercia cum vitiis, ne deorsum peccati alicuius pondere deprimamur. Quippe, vt suggerit Augustinus, *Scire debemus, quia cum Christo, non ascendit superbia, non auaritia, non luxuria: nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro; & ideò si post medicum desideramus ascendere, debemus & vitia & peccata deponere.* Ille idem renouationem nostram seu reditum ad propria attendit, penes animam vitiis emundatam.

4 Reg. 2.

Vitia non ascendunt ascendunt cum Christo. August. serm. 105. de tempore.

Sic ille: *Post præuaricationem Adæ insolescentibus vitiis tanquam populis Chananæis à propria regione, id est ab intellectu vel rationali, virtutes sanctæ depulsæ sunt, & vitia remanserunt. Cum virtutibus rursum, si per Dei gratiam possessio animæ nostræ recepta fuerit, non tam alienas occupasse terras, quàm proprias videbimur recepisse. Cùm enim, auxiliante Domino, à populo virtutibus contra se dimicantibus vitia fuerint superata; locum, quem in corde nostro sibi concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retentabat, deinceps castitas occupabit: quem furor cepit, sapientia possidebit; quem tristitia mortem operans inuaserat, salutaris & plena gaudij lætitia obtinebit; quem desidia tepor vel negligentia vastabat, humilitas honestabit; quem cupiditas obscurum fecerat, misericordia ad claritatem pristinam reuocabit; quem inuidia veneno suo percusserat, benigna simplicitas adornabit. Ita singulis vitiis expulsis, eorum loca, id est effectus, virtutes è contrario possidebunt. Ipsæ tamen virtutes, filij Israel, id est animæ videntis Deum, non immeritò nuncupantur; & cùm vniuersas, Deo auxiliante, cordis sui expulerint passiones, non tam alienas possessiones peruasisse, quàm proprias terras recuperasse credenda sunt.* Hæc ille.

Vitia sicut Chananæi expulerunt hominem à sedibus suis.

Virtutis obsequio fit homo redux eò vnde prius excidit.

Rursus anima nostra componitur ad exemplar prioris hominis Deo grati, si eo polleat dominio, quo rerum opifex Adamum dignatus est. Ea dignitate conspicuus est ille, quem nulla vitiorum seruitus grauat; & reuera ille æmulatur statum corporum quæ resurrexerunt, qui ita amisit carnis sensum, vt totus in spiritum transiisse videatur: vt secus ille procul est à resurrectione, qui sequitur inglorium vitiorum principatum. Opportunè adest Basilius hominem incurium suæ dignitatis sic sugillans: *Animal es, ô homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum seruis seruitutem? Ecquid te dedis peccato in vile mancipium? Cur tuapte sponte mancipium constituis diaboli? Iussit te Deus in creaturis principem locum tenere, & ecce tanti principatus dignitatem à te excutis, & repellis, sed seruus vocatus es? En habes rationem, vitiosi omnis affectus planè dominationem.* Si itaque vitiorum iugum pateris, ô impie, si adhuc ad obscœna te prurigo carnis sollicitat; in spurcissimo cœno iaces: si verò animo à carne defæcato aurâ sanctiore viuis, pertæsus omnes sensuum illecebras; hoc ratum habe, scilicet animam tuam Deo propitio surrexisse. Et ne denuo extingui contingat, hoc recole Pauli effatum. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Frustra præuia confessione extincta est caro Quadragesimali sanctione, si vomitum repetis, ô anima expiata ritibus sacris. Incassum libidinis incendia lacrymis extinxisti, si consuetudine carnis alterius, caro tua flagret. Faxit Deus, auditores, vt veluti carnis nescij, quæ sursum sunt iugiter attendatis. Amen.

Homo animal est imperio natū. Basil hom. 10. in hexam.

Peccatum facit homō suo principatus excidat.

Coloss. 3.



PRÆFA



PRÆFATIO AVCTORIS,

SIGNIFICANS, QVAM SIT PROFVTVRA Diues hæc indicum structura suis lectoribus, & præsertim Dei verbi præconibus, ad texendas occurrente quouis idoneo ad prædicandum tempore conciones.

IN hoc secundo tomo, sicut & in tertio, & quarto, noua tibi industrio & sedulo lectori argumenta cudi, apta nouis instituendis concionibus: sparsas enim & dissolutas in vnoquoque libro scientias sic coëgi in cancellos congruos singulis disciplinis in calce cuiusque tomi, vt indices optimâ & selectâ rerum supellectile instructi plura tibi suppeditent idonea ad prædicandum, quàm fideli numero designatis paginis inserantur. Idcirco meam oppignerando fidem affirmo cusos hos indices, hactenus inaspectâ prole fœtos, esse velut aliam Moralem Encyclopædiam, quæ depositis foliis vmbrosis, & fortè nimis luxuriantibus erumpentes alios parturiendo flores pro institutione morum, pulchrior & ditior instauratur.

INDEX SYMBOLORVM.

A

SYMBOLVM.

Ab insomni non custodita dracone.
Pag. 53. Col. 1.

PICTVRA.

CARDINALIS Ferrariensis in tesseram suæ peritiæ, & laboris, vsurpabat ramum virentem, & instructum pomis horti Hesperidum, quem ne quis fortè latro poma eius decerperet, draco vigil excubans obseruabat. Præsul ille volens insinuare se illusisse dæmoni, & opimum congessisse cumulum gratiarum, depictis hisce pomis adiecit hunc titulum. *Ab insomni non custodita dracone.*

APPLICATIO.

Pulchriora sanè sunt, & vtiliora poma crucis; ideòque solicitant solertiam nostram, vt strenua audacique manu decerpantur, quia in æuum interminum duratura non marcescent, & assumpta in edulium verè sortientur eum effectum, quem mentitus est dæmon inesse pomo ferali, cuius vsu & esu periit Adam cum tota sua prosapia. Aiebat ille vafer atque nequam spiritus, parentes nostros, incautos fore Deos, si ederent illa poma, quæ nimis creduli decerpentes, totius naturæ humanæ graui dispendi, non dij sed pecudes effecti sunt. Poma crucis sunt antidotum arboris infaustæ, cuius lethale virus omnes homines infecit esu pomi noxij sauciatos. Quisquis generosè poma crucis abstulerit factus ærumnarum Christi particeps, & æmulus virtutum, quæ in acerba IESV Passione micant, ille lætus & triumphans præferendo poma illa sacra, suo sic hosti draconi insomni poterit insultare. Frustra Satan tentasti me pellicere ad aliquid indecorum, cùm vrgerent me acerba mala; cassi fuere tui omnes impetus; nempe crucis intuitu, æquo tuli animo omnes ingruentes angustias, ita crucis carpens fructus, quorum obsequio charismata diuina meam in animam desuper influxerunt. *Ab insomni non custodita dracone.*

SYMBOLVM.

Ad lædendum biceps. *pag.456.col.1*

PICTVRA.

Serpens biceps, nomine amphisbena, cuius eá est figura, vt vtroque sui corporis extremo virus instillet, percussum animal enecando.

APPLICATIO.

Ecce typum malitiæ, quam peccatum affricat homini, qui mortis erat nescius antequam infectus esset hoc veneno. Est peccatum noxium corpori, & animæ; quippe vitam vtrique demit. Animæ, quia peccando, Dei gratiâ excidit: corpori, ne peccator concessa vita diu nequiter abutatur. Sic peccando malè suis rebus homo consulit. Nam romphæa bis acuta iniquitas, vtpote *ad lædendum biceps.*

SYMBOLVM.

Æthere durescit. *pag.462.col.1*

PICTVRA.

Indoles hæc est corallij, vt mollescat aquis immersum, & eductum illico solidetur.

APPLICATIO.

O homo, aquæ multæ populi multi, & reprobi cœtus sunt mare amarum. Expedi te quantocyus ab his aquis, & sic *Æthere durefces.* Alioquin si malis assuescis hominibus, hoc habe ratum, te scilicet fore mollem, & ignauum ex consuetudine nebulonum, & virtutes tuas, si quas es aliquando nactus, vda mundi aspergine perituras. Ne igitur patiaris incassum fusos labores virtuti impensos; aquam deterge, qua desudant homines Deo iniurij, & plus nimio sæculi amantes. Vt Christianum decet, enitere & assurge ad ardua, vt sic æthere durescas, & famâ super æthera notus, beatis aliquando mentibus adiectus, earum choris & tu mundi nescius inseraris.

SYMBOLVM.

Allicit vt perimat. *pag. 701.col.1*

PICTVRA.

Est panthera animal carniuorum, adeò gratam spirans fragrantiam, vt cœteræ omnes feræ suaui eius odore quasi attractæ citò conuolent ad bestiam hanc crudelem, quæ illis adblandiens primò, tandem eas sauciat dente lethali, & deuorat interemptas. Huic laniena voces istas apponit auctor huius picturæ; scilicet *Allicit vt perimat.*

APPLICATIO.

Voluptas homini incauto perquàm suauem afflat fragrantiam, à qua abesse periculum dum anima deliciis illecta credit subitò dementatur. Si qua igitur te cupido tenet rerum cœlestium, ô Christi discipule, caue oscula voluptatis, quæ, *Allicit vt perimat.*

SYMBOLVM.

Alterius me præda saginat. *pag.573. col.2*

PICTVRA.

Serpens multos edens serpentes, fit de serpente draco volans, atque feris aliis omnibus inimicus.

APPLICATIO.

Auaro quadrat hoc symbolum. Etenim non ditescit, nisi pauperum substantiam ore voraci, & patulo deglutiat. Namque præda sui proximi saginatur.

SYMBOLVM.

Altiora. *pag.230.col.1*

PICTVRA.

Ludouici Estensis Cardinalis fuit hoc symbolum. Pingebat ille Prometheum face sua petentem cœlos, vt inde educeret ignem, adiecta voce hac *Altiora.* insinuabat se nolle facem suam accendere igne, qui iniurius est rei, quæ conflagrat, ast eo qui non lædit, sed accendit ad ornatum succensæ rei à flamma desuper influente.

APPLICATIO.

Amor omnis, qui à Deo abducit, torquet, & cruciat, ideoque probi omnes solo Dei amore, fœdi amoris extinctis facibus inardescunt.

ALIA APPLICATIO.

Prometheus ille lumen cœleste sua face petens, aptè idem significat, quæ sonorè clamat, nullam deorsum esse lucem, quæ possit cœlesti lumini comparari. Igitur tentatione prouocante fidem tuam, vt subeat iudicium sensuum, Christiane citò vocem hanc obiice, ALTIORA; dic, alia tribunalia esse, quorum edicta tuam stabiliunt fidem, siquidem serpit illa fides, cui opus est sensuum suffragio vt subsistat quasi verò fides indigeat sensuum argumentis.

SYMBOLVM.

Amplectendo necat. *pag.692.col 1*

PICTVRA.

Hedera luxurians, & assurgens est ominosa rebus, quas illa suis strinxit amplexibus præuiis ruinæ rerum quibus hæc arbor fortiter adhærescit.

APPLICATIO.

Quando ridet mundus, *amplectendo necat*, scorpium imitatus, qui brachiis dum demulcet, caudam suam aptat, vt lethale virus instillet homini plus nimio confidenti.

SYMBO

SYMBOLVM.

Asperitate melos. *pag. 652. col. 1.*

PICTVRA.

Plectrum, quo fidicen sonoras pulsat fides.

APPLICATIO.

Quamuis asperum sit plectrum resina illitum, dulcè tamen resonat quando sicut congruit inducitur in fides. Ita Dei verbum cum corrigit, aures acerbitate sua exasperat; attamen nihil strepit ingratum si animam nanciscatur Deo acceptam. Quippe licet increpans sit verbum Dei, dulcisonum semper est menti in Beatorum aliquando numerum adsciscendæ.

SYMBOLVM.

At me vestigia terrent. *pag. 508. col. 2.*

PICTVRA.

Academia Altorfina pingit Syrenem speciosâ quidem formâ; verùm hominum quos vorarat, cumulo ossium insidentem. Inuitabat hoc monstrum facie fœminina virum iuuenem vt accederet. Sed ille suis cautè rebus consulens retrorsum abiens hoc clamabat: Vltro darem manus, *At me vestigia terrent*; nempe necas homines, quos turpiter amplexaris.

APPLICATIO.

O voluptas, thesaurizas quidem; sed morti. Gazæ tuæ nullo alio ære, quàm multo cadauere prostant. Allicis ad amplexus, sed cùm memini Sansonem, & alios à te occisos, *hæc me vestigia terrent*, animumque subit desiderium fugiendi potius quàm tibi turpiter obsequendi.

SYMBOLVM.

Aurea mala dabit. *pag. 712. col. 1.*

PICTVRA.

Pingitur hoc titulo quædam arbor in Hesperidum horto sata; ferens aurea poma, sæpe à poëtis polymito carmine decantata.

APPLICATIO.

Conuenit hoc Symbolum cruci, quæ est aureâ fruge fœta. Momordit Adam incautè pomum immaturum, & hinc obstupuere prolis eius dentes, quos adhuc acerbitas fructus huius exasperat. Stuporem hunc dentium tergit arbor crucis aurea mala ferens suppeditans virtutum omnium argumenta. Fructus sanctæ crucis dicuntur aurea mala, quia ditescit homo gratiis & meritis quando crucis mysteria practico animo meditatur.

B

SYMBOLVM.

Breuis & damnosa voluptas. *pag. 224. col. 2.*

PICTVRA.

ILlæ voces inscribuntur muscis, quæ conuolantes ad candelam, illico concremantur.

APPLICATIO.

Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.

C

SYMBOLVM.

Calcata virescunt. *pag. 38. col. 1.*

PICTVRA.

HErba, cui nomen crocus, habet folia virentia, aureum verò florem. Accipit hæc herba tritis pedibus incrementum. Idcirco viri industrij, qui consulunt eius fœcunditati, sæpius interdiu calcant glebas delitente croco fœtas, vt numerosiore fœtu postmodum efflorescant.

APPLICATIO.

Est crocus Symbolum animi constantis, & infracti. Quò namque magis animæ deauratæ Dei gratiâ opprimuntur, eò etiam gratiores fiunt: id enim proprium est ingeniorum illustrium, vt calcata virescant. Ne igitur in posterum anima fidelis, querulâ causeris iniquos inimicorum animos facere inuisas tibi cruces, ex Seneca, Marcet sine aduersario virtus: econtrà, plures æmuli quando suis spiculis impugnant virtutem, illa fortiùs inualescit.

SYMBOLVM.

Capientem me capio. *pag. 640. col. 1.*

PICTVRA.

Hamus inescatus eos pisces capit, à quibus ore nimis voraci & gutulo deglutitur.

APPLICATIO

Voluptas hominem dum demulcet, pellicit ad sequelam: sed illa capit incautum, quando voluptatem capere se homo reprobus arbitratur. Illecebra voluptatis capitur quidem sensu gaudente suis deliciis; sed capitur anima vicissim, & incauta cedit in ius diaboli qui est industrius criminum architectus.

Reprobi omnes in omnigena voluptate ludunt, atque vitam imprudenter agunt, nihil omnino subtrahunt corpori eorum, quæ pruriens caro petit: Deliciæ quæque, & tripudia sunt præcipuæ hominum impiorum curæ; sed tandem vindice fato hæc gaudia intempestiua præcipiti funere nigricant, & æternus luctus excipit modicam lætitiam; & sic omne suaue melos vertitur in lamentum. Proh dolor! ô admirandi luculenta seges. Multi quotidie iuuenes efferuntur baiula voluptate foras, nempe vitâ cadunt; turba tamen copiosa sequax ad tumulum pergit. Nam quæuis corporis illecebra si sit immodica, dilaniat animas. Hæc carnificina rubet, & desudat sanguine multorum pereuntium: verumenimverò nihilo melior est turba copiosa iuuenum se immiscens deliciis, quæ terram effodiunt, vt ea dehiscente reprobi tumulentur.

SYMBOLVM.

Circuit semper idem. *Pag.491.col.1.*

PICTVRA.

Depicta gyrans lamina versatilis ex apice turrium ad arbitrium venti, estò rotet sese, tamen *circuit semper idem* punctum occupans quamuis gyrare loca per varia videatur.

APPLICATIO.

Choreis hoc symbolum conuenire potest, vbi namque cœpit homo frequentare ludos, & choreas actus pestilentis auræ flabro concipit ignem luxuriæ, quo depascente præcordia *circuit semper idem*: etenim constat homo sibi in peccato, ludis & choreis qui iugiter oblectatur.

SYMBOLVM.

Clariùs elucet longè. *Pag.140.col.1.*

PICTVRA.

Quò longiùs à Sole recedit Luna, eò clarior est propter excepti luminis incrementum.

APPLICATIO.

Sideris huius indolem æmulatur animus humilis, & refuga lucis: estò videatur degere in opaco procul à gloria, inde tamen splendidior est, & refulget magis quia quò quis gloriolæ est incurius, eò magis accedit ad veram gloriam; illam, inquam, qua rutilant Angeli, quia noluerunt aucupari inanis auræ afflatum, quo perculsi alij spiritus reprobi perierunt.

Maneat igitur hoc symbolum lunæ alta mente repostum, erudiens animas ad recessum, ne dum cupidine lucis, ad solem nimis accedunt, nigrorem eis Sol offundat potiùs quàm fulgorem, sicque suo intento fraudet gloriolæ animos inhiantes. Luminis cupidus, quo refulgent Angeli lucis, quærat illud ab humilitate, penes quam est, lumen illud impertire suis sequacibus. Humilis namque viri cuiusque verum est lemma *Clarius elucet longè.* Beatiores sunt, & ampliori luce perfusi spiritus illi, qui in humilitate sibi constantes noluere lucis diuinæ radios vsurpare.

SYMBOLVM.

Comprimendo imprimit. *Pag.247. col. 2.*

PICTVRA.

Sigillum comprimendo, suam imaginem imprimit materiæ idoneæ ad excipiendam speciem insculptæ rei subiectis congruis imprimendæ.

APPLICATIO.

Tam strictè Dei amor affecit Beatum Franciscum, vt illum præ aliis multis comprimendo, sacra ei impresserit stigmata Saluatoris. Non aliunde magis enitere potuit reciprocus amor amborum, quàm ex illa impressione stigmatum, quibus Deus effinxit eum vt alterum IESVM. Cùm namque talis amor sit, qualis est vnio, ardens est inferendus amor ambos vniens, comprimensque vsque ad impressionem stigmatum nemini concessorum.

SYMBOLVM.

Conantia frangere frangam. *Pag. 254. col. 2.*

PICTVRA.

Immota rupes in circumfuso mari sita ridet inundantes aquas, quæ refractæ, suum in interitum despumant, siquidem ab impetito gratis scopulo confringuntur.

APPLICATIO.

Accinxerunt se ad ruinam Societatis IESV impij omnes, qui ne huic iniquo deessent intento consuluere modos vtique nefarios, idoneos ad lumen hoc futilum extinguendum. Nihili fecit hos conatus hæc inconcussa rupes, æmulata robur & constantiam scopuli, cuius & hunc iure potest titulum vsurpare, *Conantia frangere frangam.*

SYMBOLVM.

Confricando polit. *Pag.596. col.2.*

PICTVRA.

Saxum marmori affrictum, illud antè rude *confricando polit.*

APPLICATIO.

Dum correctione terit & detergit aliquem censor acer, eius in ore parit murmur, & stridorem; sed industriè confricando nodos tollit, & scabrosa plana facit: namque magis homo nitet vtpote tersior effectus, quem correctio præuia perpoliuit.

SYMBOLVM.

Crepitat dum sonora silent. *Pag. 566. col. 1.*

PICTVRA.

Adiiciuntur illæ voces crepitaculo ligneo, quo vtitur Ecclesia in triduo Passionis, quando æra sonora lugent, & campanæ omnes penitus obmutescunt.

APPLICATIO.

Garrule sacerdos vitiis obstricte, tuum est hoc symbolum perstringens acutè vitam ingloriam, quam immemor officij transigis indecorè. Quando fœdis ageris illecebris, vacando rebus obscœnis, aut operam dando gazis instruendis, & ore pompatico te grandiloquum præstas, profectò *Crepitas dum sonora silent.* Manus namque tuæ, quæ operando loquaces debuerunt esse, tacent, ore solo vanè grandia perstrepente. Hoc vnum exigit à te dæmon, technarum & fucorum peritus artifex. Hoc intendit vnum scilicet vt gariat lingua loquens magnalia, sileant verò manus ab omni bono opere feriantes. Conscius ille draco vafer malorum, & criminum quorum est fœta vita nequam sacerdotum, vt alios impellat ad ruinam vrget presbyteros acrius in præceps & abruptum vitiorum, apprimè sciens stratam à sacerdote viam alios in omnia mala pronos homines ituros.

D

SYMBOLVM.

Damnosa voluptas. *pag. 549. col. 1*

PICTVRA.

SAtyrus nescius esse foco vim vrendi, incautè ruit in flammas, arbitratus eas innoxias esse, quia pellucebant; sed eas amplexando, serò malum sensit: quippe foco suam perniciem exerente fuit siluestris homo toto corpore concrematus.

APPLICATIO.

Voluptas oculis faciendo fucos, illudit hominibus captis sensuum illecebris: siquidem incendio æterno facit eos obnoxios, postquam incautè suis sensibus indulserunt. Vide voluptatem graphicè depictam, *pag. 549. col. 1.*

SYMBOLVM.

Data tempore prosunt. *pag. 607. col. 2.*

PICTVRA.

Si semina terra detur tempore opportuno, suam salutarem vim exerit, & impertit ægris quibus nihil omnino prodest incongruo tempore ministrata.

APPLICATIO.

Ad discretionem pertinet hoc symbolum. Etenim virtutis huius est opportuna rebus gerendis tempora decernere, ne concepta secus abortiant, sic futura magis noxia, quàm animæ profutura.

SYMBOLVM.

Delusit hiantem. *pag. 523. col. 1.*

PICTVRA.

Paradinus pingit canem edulium optimum mittentem in aquam, vt vmbram solidi cibi morsu apprehenderet; quæ vmbra cibo immerso vbi euanuit, ille canis hians abiit impastus, vmbra fugax decepit eum nempe vero cibo, panis speciem prætulit ementitam.

APPLICATIO.

Dæmon eo ferè modo videns esse penes homines vera frui beatitudine, fucata bona proponit eis, scilicet epulas, & fæculi gloriam reuerà vanam & inanem. Homine sic occupato rebus fluidis, solida & sincera perit ei felicitas; sic Angelus ille veri refuga hominem deludit hiantem. Huic technæ vates occurrit ita canens: *Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vestra beatitudo tota nihil omnino sapit præter vanitatem, & mendacium sensuum, ludibria quotidiana dæmon ingerit, hominemque fumo pascit, quem non pœna fumi, sed ignis inferi castigabit.

SYMBOLVM.

Deorsum nunquam. *pag. 289. col. 1.*

PICTVRA.

Olympia Vrsina sata stemmate prænobili duas pinxit manus, vnde focus sursum rutilus erumpebat.

APPLICATIO.

Ignis deorsum inclinans est inquies: ita profanus amor hominem ad inferiora trahens, est quietis impatiens, vtpote versans animum in varia: cùm namque bonum supremum nempe Deus debeat esse verum obiectum amoris, alibi deuius occupatus amor erit inquies; siquidem sunt infra Deum bona omnia decurtata.

SYMBOLVM.

Diuersa ab aliis virtute valemus. *pag. 707. col. 2.*

PICTVRA.

Physiologi affirmant, struthionem procera mobilis autem, non incubare suis ouis, omnium alitum more, quibus hoc insitum est à natura, scilicet vt foueant oua sua calore ingenito, vt sic decocta foras educant pullos his abditos inuolucris. Aiunt hi seduli & sagaces naturæ interpretes struthionem oua sua recludere solo oculorum obsequio: perspicaces enim eius oculi conclusos oui putamine pullos viuificant, sic aliis animalibus singulari oculorum acie præualentes.

APPLICATIO.

Titulus ille magis Christo quadrat quá aliti struthioni: nimirum eius oculi viuifica virtute vigent, qua non tantùm recreantur ij quibus vsura lucis est concessa; verum & qua etiam homines extincti subitò suscitantur. Petri exitus ex atrio Principis sacerdotum est index efficaciæ oculorum Christi. Ne autem secessus Petri ementitæ pœnitentiæ suspicionem faceret; largo lacrymarum imbre tersit omnes peccati sui reliquias, vt diluerent oculi quod lingua incauta deliquerat. Christus valida oculorum suorum virga petram hanc percussit, eo & attritu copiosi fletuum latices effluxerunt.

SYMBOLVM.

Donec aperiatur. *pag. 556. col. 2.*

PICTVRA.

Cardinalis Cigala pingebat manum pulsantem ad ostium, & non desistentem à pulsatione incepta donec aperirentur ædes ictibus importunis.

APPLICATIO.

Debent perseuerare fusæ attentè preces, quæ scilicet à pœnitente Deo oblatæ; donec anhelus opes ad diuinas cælitus audiatur.

SYMBOLVM.

Ducit idem deducitque. *pag. 157. col. 2.*

PICTVRA.

Globus fili, quo mediante fama super æthera notus Theseus labyrinthi sinus obliquos, & meatus perquàm difficiles euasit sospes & incolumis, aliis sine filo malè sibi consulentibus & perditis in meandris, & anfractibus huius inuij Labyrinthi.

APPLICATIO.

Aptè quadrat Angelo custodi symbolum illud. Nos namque ducit idem deducitque viæ cœli nescios. Eius ope diu superstat houro vigens. Vitâ demum exhaustâ cœlis inserit animas ab omni vitio defœcatas.

SYMBOLVM.

Dulcescit amarum. *pag.401. col.2*

PICTVRA.

Camerarius affirmat oues in Ponto carere felle, quia victitant absynthio quod longè lateque seuit natura ferax huius graminis in Ponto, vbi sunt absynthij pascua numerosa.

APPLICATIO.

Iusti nuncupantur oues à Christo; hi abundè crucis absynthio pasti, in hoc æuo ducunt ærumnosam vsquequaque vitam, sed in supremo die illucente cruce dulcescent animo ea quæ sensus olim aspera fugiebant.

SYMBOLVM.

Dum flumina lambo. *pag.660. col.2*

PICTVRA.

Pinxit Ferrus salicem arborem infœcundam luxuriantem in ora fluminis, cuius humore madens arbor illa virens, & multiplici flore vernans, aquæ iugi influxu vegeta perennabat. Ista fuit epigraphe picturæ symbolicæ. *Dum flumina lambo.* Id est: Ego salix infœcunda vigens gestio, tamque diu vireo, quamdiu delibo rorem decurrentis aquæ, penes quam est cardo vitæ mihi hactenus impertitæ.

APPLICATIO.

Gratia cœlitus influente viget homo, cuius expers gratiæ anima contabescit.

E

SYMBOLVM.

Ex vulnere salus. *Pag.427. col.1*

PICTVRA.

Pingitur hyppopotamus, id est fluuialis equus, qui dum ægrotat, opportunè sibi consulit secando venam, corpus affricando cæsæ acutæ arundini, cuius punctione reclusa vena prauum & noxium sanguinem fundit, quantùm sufficit ad reducem sanitatem. Tabellæ lineanti animalis huius industriam titulus hic apponitur. *Ex vulnere salus.* Quod perinde sonat ac, Esto plaga molesta sit corpori, procuranda tamen est, vt benefica, & præuia sanitati.

APPLICATIO.

Quando graues ingruent angustiæ se sic anima vrgebit ad patientiam; Constanter age, generosè subi plagam istam; siquidem illa tibi inflicta cedet in singulare lucrum: nempe Deo moderante vices nostras, ita comparatum est, vt fluat ex vulnere salus, quia ærumnæ fiunt constanti animæ salutares.

SYMBOLVM.

Exanimat visa. *pag.302. col.2*

PICTVRA.

Commenti sunt veteres caput Medusæ visum saxeos effecisse suos spectatores: ideoque voces huius symboli picturæ præfatæ fœminæ quasi indices eius indolis inscribuntur.

APPLICATIO.

Sors iniquior est hominum, qui voluptati operam dant, quia exanimat visa, Dei gratiam expungens, & gehennæ viros eos addicens, quos miserè dementauit.

SYMBOLVM.

Excutit inde canit. *pag.543. col.2*

PICTVRA.

Gallus alas excutit, inde canit.

APPLICATIO.

O anima assecuta sæpe vile bestiarum ingenium, sequendo prauas sensuum illecebras, noli iam dedignari accipere à gallo typum orationis in Christum Dominum assurgentis. Oratura procul age, citò excute omnia simulacra rerum, quæ te à Deo distrahunt, si vis aliquod edere suaue melos. Namque Deo gratior oratio excutit à se vanas omnes species à fundendis precibus alienas. Alioquin si lingua deprecante Deum discolor animus sit, mentitur oratio: siquidem mentiri est contra mentem ire: ille autem contra suam mentem it qui recitans ore preces, mente seu animo diuagatur.

SYMBOLVM.

Expansæ sublimem. *pag.168. col.2*

PICTVRA.

Alæ duæ expansæ ferunt aues & euehunt ad superna. Iacent verò, duæ si sint alæ otio complicatæ.

APPLICATIO.

Intellectus, & voluntas alæ sunt animæ, quæ expensæ Deum versus eam euehunt in sublime illucente fide, & flagrante feruida charitate.

F

SYMBOLVM.

Fac me tuis adhærere ramis. *pag.69. col.1.*

PICTVRA.

Theodoretus Triultius significare volens se indigere Regis ope, vitem pinxit, quæ assurgendo ramis arboris adhærebat.

APPLICATIO.

Nemo potest ad superna niti, si detrectat adhærere cruci, qua mediante cœlum versus eunt omnes ei homines incumbentes.

SYMBOLVM.

Fallit imago. *pag.237. col.1*

PICTVRA.

Speculum superficie gibbosa fucos facit: quippe refert species alias, & maiores quàm sint corpora describenda.

APPLI

filij, si vultis gratitudinis consciam habere prolem. Recolite dignum Platone tritum illud apophthegma, scilicet parentes grandæuos, etsi videantur graues, & morosi familiæ vestræ, tamen esse viua Dei simulacra, quibus honor exhibitus adfert bonorum omnium incrementum.

SYMBOLVM.

Hîc ratio tentandi aditus. *pag.* 113. *col.* 1

PICTVRA.

Pingit Paradinus duas claues decussatas, id est, compositas in modum crucis, symbolo præfato desuper eminente.

APPLICATIO.

Christiane, tuum oleum, & operam perdis, si tentas alias comparare claues ad occlusa cœli ostia reseranda. Instante die iudicij, irradians crux de cœlo quasi clauis in sera notum faciet omnibus, aperiendos esse cœlos vt recipiant electos qui supererunt beatis mentibus inserendi. Nam vt scriniis occlusis non apponitur clauis, nisi ad aperiendum, ita & in supremo agone mundi crux de cælo rutilans innuet breuî futuros cælos peruios illis, qui in hac vita crucem æquo animo baiularint.

SYMBOLVM.

Hîc ars deluditur arte. *pag.* 108. *col.* 1

PICTVRA.

Singulari arte nodus implexus, qui industria maiore fuit postea dissolutus.

APPLICATIO.

Diaboli technas è ligno vitæ compactas aperuit Christus alteri ligno affixus. Callidus hostis suo virulento stipite suadebat fastum, & pompam, vt hominem elideret; Christus verò secus humili ligno depressit fastigium eius, & sua humilitate nodos omnes soluit, quibus ille vafer hostis omnes homines irretiuit. Itaque non ineptè cruci inscribo voces illas: *Hîc ars deluditur arte.* Fuerat artis astutæ, Deo hominem surripere, ligni feralis obsequio, animum eius erigendo ad spem instantis gloriæ excepturas esum pomi prohibiti; sed profectò fuit cautioris instituti hominem reuocare ligno, cuius vsus, & supplicium morti ingloriæ suos baiulos addicebat. Cùm ergo tale sit nacta bonum crux, procurando crucis amasiis hunc effectum beneficum, hoc eius symbolum esto palàm faciens virtutem eius. *Hîc ars deluditur arte.* Id est, Cruce illusum est callidæ dæmonis indoli, cui Christus obiecit opprobrium crucis, vt exemplo suo superbiam hominis inclinaret. Hac arte Deus dæmoni imposuit: contemptus homo Deus, suis iniuriis inglorium dæmonem fecit, qui decurtata volens gloriam Dei, latriæ cultum à deceptis gentibus exigebat.

SYMBOLVM.

Hinc fortiùs ibo. *pag.* 27. *col.* 1

PICTVRA.

Proceres regni Angliæ Edoardum I. Regem, insulis exutum, non carceri tantùm, sed & caueæ ferreæ indecorè addixerunt malè meritum de Anglis. Rex ille ferus recolens suos impetus & insultus in iuriis Dynastis regni insularis, factus illâ suâ modestiâ cicurior, & mitior, animos eosdem inflexit in ærumnis, quos secundâ vsus fortunâ sibi fecerat inimicos. Itaque educitur è carcere Rex caueâ fracta, cuius cancellis erat antea conclusus, & mutatus in alium solio redditur immemor iniuriæ acceptæ. Ne verò vota nuper concepta de componenda vita modo magis consono iustitiæ, cassa forent, pinxit caueam vnde volans abibat auis hoc titulo inscripto: *Hinc fortiùs ibo.* Insinuans hoc symbolo, se maiores ausus ebibisse ad virtutem in carcere suo. Et reuerà pia consilia de emendanda vita suum sortita sunt effectum ex aspectu caueæ depictæ, typi perditæ libertatis.

APPLICATIO.

Vtinam vnumquemque nostrum ad æmulationem prouocaret regius hic animus, ita vt aliqua instante cruce non cadamus animis, sed has voces, *Hinc fortiùs ibo*, vt animi infracti tesseras vsurpemus. Bonorum iactura mihi peperit inopiam. Estò quasi carcer sit egestas: *Hinc fortiùs ibo*: Quippe mihi opes erant vt remoræ ad virtutem. Animus Principis iniquior me magistratu abdicatum redegit in ordinem, nulliusque fecit ordinis. LAVS DEO. *Hinc fortiùs ibo.* Humilis incessus aptior est ad currendum, & obeundos calles, qui vehunt ad gloriam. Saluatares profectò cruces virtute fiunt, & sæpe cedunt in animæ perniciem vitio nebulonum.

I

SYMBOLVM.

Incendia surgent. *pag.* 256. *col.* 2

PICTVRA.

ILla fuit tessera symbolica Principum Austriæ, qui pinxere durum saxum chalybi illisum, vnde foras ignis rutilus erumpebat.

APPLICATIO.

Conuenit hoc symbolum societati IESV; quò namque viri nequam in Iesuitas irruerunt saxeo robore prædítos homines: eò etiam maiora ex eis surrexere incendia amoris Dei, quo ferè totus orbis, eorum industriâ ereptus dæmoni conflagrauit.

SYMBOLVM.

Ingressus, non regressus. *pag.* 680. *col.* 1

PICTVRA.

Labyrinthus propter ambages implexas, & redeuntes in se vias flexuosas, habet facilem quidem ingressum, non regressum propter effictos industria arte gyros, homines subingressos eò suis circulis inuoluentes.

APPLICATIO.

Valde potens est, vtpote fascinans animos, voluptatis illecebra. Namque ferè totum hominem præcipitem agit in abyssum, vnde repedare labor est insigne facessens negotium, quia facilis est *Ingressus non regressus*: quippe rari sunt, qui saluis mercibus redeant è delubro veneris, vbi nigricant omnia caligine offusa: idcirco quia modica spes est affulsuræ lucis, est propè deplorata salus animæ implicitæ Veneris inuolucris.

SYMBO

N

SYMBOLVM.

Nec viribus vllis. pag.405.col.1

PICTVRA.

POstquam Batavi Calvinio manus dantes, ab Ecclesia defecere, Regis etiam Hispaniæ excussere iugum, vtque suæ defectioni consulerent, strictæ vnioni se obstrinxerunt illi populi desertores. Initi fœderis in icone notas exprimere, nodum insculpentes indissolubilem, limbo numismatis inscribendo voces istas: *Nec viribus vllis*, insinuando tali inscriptione fore fœdus hoc sancitum constans, nulla industriæ machina tentandum. Sic desertoribus fidei Catholicæ, & obsequij debiti Hispano Regi, vincula arctè implexa, nodi & stricti fuere typi vnionis huius infractæ, quæ ad hæc vsque fœdis eorum tenebris opaca tempora perseuerat.

APPLICATIO.

Ioannes in vinculis audiuit opera Christi, Paulus in vinculis edidit oracula, quæ orbe toto Christiano sonant; Martyres vinculis & tormentis ad cœlos euecti sunt, ita cœli æterna præmia nundinantes. Quia reprobi lasciuiunt abutentes ea libertate, quam debuere Dei obsequio impendere, nota solet eis hæc inuri fœda sanè, & ingloria, scilicet vt dissoluti, quod perinde sonat ac dyscoli, nuncupentur. Iustos verò Deus arctè sibi vinculis obstringit, id est angustiis quæ ita Deo deuinciunt homines, vt sensuum illecebris, diaboli susurro, suasione mundi *nec viribus vllis* abstrahi possint à supremo bono, cuius possessio æterna debet vinculis; id est, baiulando crucem, ab homine comparari.

SYMBOLVM.

Nec dudum lætabere victor. pag.657. col.2

PICTVRA.

Draco suis ingentibus spiris & volulis Elephantem cingens; dente acuto secat principes eius venas, proiiciens inde totum sanguinem, quem exugit: sed dum ille bibit incautus, & inebriat se cruore feræ procetæ molis, illa cadens exanimis, pondere magno terit draconem; qui collisus ita perit, incautè sibi consciscendo necem, quam deuicto æmulo procurauit. Victoriam hanc draconis ominosam suggillat Camerarius illi extincto voces has inscribens: *Nec dudum lætabere victor.*

APPLICATIO.

Christiane, licèt aliquando Deus iudicio occulto sinat te desæuire tuum in fratrem; illa Dei potentia non impunem esse sinet iniuriam alteri illatam: ideoque tibi non est quòd gestias, siquando tuas vindicas iniurias; nempe Deus crudele nefas à te patratum contra tuum proximum vlciscetur. *Nec dudum lætabere victor.*

SYMBOLVM.

Nemo antea alligauit. pag.249.col.1

PICTVRA.

Augustus in icone cudit crocodilum palmæ alligatum, hoc titulo inscripto: *Nemo antea alligauit.* Voluit significare typo illo se subiugasse totam Ægyptum, quæ est crocodilorum ferax ob fluuium Nili, quo alluitur illa terræ plaga. Itaque crocodilum palmæ alligasse sonat idem ac Ægyptum in ius victoris meritò concessisse.

APPLICATIO.

Fratrum Minorum institutum palmæ typum seu symbolum iure sibi vendicat, cui crocodilus alligatus Ægyptum refert, scilicet mundum multa illuuie luteum, quem nemo infra Apostos adeò strictè antea alligarat. Etenim alia omnia instituta religiosorum ordinum quasdam reseruauere sibi reliquias mundi, videlicet opes in communi, quæ redolent adhuc sæculi pompam, & in supellectile, & in ædibus amplis. At Franciscus pauperum Patriarcha procul egit ea omnia, quæ sæculi sunt; siquidem habitu contentus austero, fune quo succinctus erat alligauit mundum; à suo instituto velut palma mystica separatum.

SYMBOLVM.

Nodos virtute resoluo. pag.60.col.2

PICTVRA.

Alexander Macedo suo gladio exerto nodum Gordium dissoluit, quem nulla industria poterat aperire. Virtute fecit, quod nequiit arte. Vnde nodo gladio dissoluto voces hæ fuere inscriptæ: *Nodos virtute resoluo.*

APPLICATIO.

Nemini plenè potest affingi hoc symbolum nisi Christo: quamuis enim omnes Angelorum chori aduoluti throno Dei tentassent redimere hominem implexum funibus peccatorum, perperam hi beati spiritus homini desudassent. Nempe crucis vnum est hoc priuilegium, virtute nodos resoluere, procurando veram homini libertatem.

SYMBOLVM.

Non sine altera. pag.222.col.2

PICTVRA.

Guillelmus IV. Dux Bauariæ pinxit duas coronas, vnam spineam, alteram ex rosis, hoc titulo circumducto: *Non sine altera.*

APPLICATIO.

Christiane, à spinis auspicare, cœli si diadema cupis. Incurre in acumina pungentia, & assuesce duris, si animo anhelo rosis inhias. Si vis in cœlo tibi vernare rosas, non te deterreant aculeis hispidi senticeti.

SYMBOLVM.

Non vltrà irascar. pag 223.col.2

PICTVRA.

Arcus in nubibus cœli signum est fœderis, quo viso Deus iram cohibet, ideoque benè voces illas Iris habet à Deo prolatas: *Non vltrà irascar.*

APPLICATIO.

Christianis cruce sacer amor portenditur, & non furor. Namque sicut iris prænuntiat pactum Dei cum hominibus; ita & crux cùm incumbit, est præsaga Dei hominem illustrantis.

APPLI

APPLICATIO.

Hoc symbolum compendiosè crucis virtutes insinuat: *Perimit, & tuetur.* Vitiorum capita, quæ emergunt, perimit, & amputat: semina verò virtutis fouet, & tuetur. Imò quidquid India commenta est de sua Palma minus est vmbrâ crucis, cuius tot & tantæ virtutes extant, vt series illarum fortè viris vsquequaque claris dederit ansam scribendi, fuisse crucem ex multiplici ligno sicut isto liquet versu Glossæ in Clementinam primam, de summa Trinitate.

Ligna crucis palma, cedrus, cupressus, oliua.

SYMBOLVM.

Per tot discrimina rerum. *pag.* 281. *col.*1

PICTVRA.

Maximilianus Imperator pinxit malum granatum cortice hiante, cuius simul e purpureo liquore, quasi sanguine desudabant. Pictura mali granati hasce voces habuit inscriptas: *Per tot discrimina rerum.* Id est, pomum istud coronam gestat; sed semina eius sunt acini purpurei; ita & corona mea multo fuit labore parta & tot ærumnis, quot acinis constat illud pomum dictum malum granatum à granis multis, quæ illius cortice concluduntur.

APPLICATIO.

Apprimè quadrat hoc symbolum Protomartyri Stephano, cuius nomen στέφανος perinde sonat ac corona. Huic athletæ generoso fuit corona æterna, sicut malum granatum. Nam saxa quibus attritus occubuit fuere velut acini purpurei, siquidem tincta primi Iesu Martyris sanguine rubescebant. Est res digna scitu, quæ etiam animam instituit ad ferendas æquo animo ærumnas, scilicet eodem tempore efformari coronam, & acinos mali granati, insinuante nobis natura, mala quæ nos vt lapides in hoc æuo petunt & quatiunt esse quasi acinos purpureos, & semina coronarum.

SYMBOLVM.

Pietate & iustitia. *pag.*4.*col.*2

PICTVRA.

Carolus IX. Rex Christianissimus in icone cudit duas columnas, eis tot coronis impositis. In numismatis ora voces erant istæ: *Pietate, & iustitia.*

APPLICATIO.

Reuera nutant regna & coronæ, nisi iustitia & pietate velut columnis solidis obfirmentur.

SYMBOLVM.

Pietati cedite flammæ. *pag.*600 *col.*1

PICTVRA.

Pingitur Æneas baiulans Anchisen patrem per medias flammas innoxias, vtpote reueritas officium debitæ pietatis.

APPLICATIO.

Profectò faces vitiorum non exurunt pueros parentum cultores; eis namque morem quando gerunt rationi rectæ vitam agunt consentaneam, vitia declinando. Vt virtutes mutuo implexu gaudent, pietas in parentes non est destituta nexu aliarum virtutum, ideoque pij filij defuncti stipati aliis virtutibus immunes erunt ab incendio inferni: siquidem illæ solent vltrices *Pietati cedere flammæ.*

SYMBOLVM.

Plus recta valebo. *pag.*12.*col.*1

PICTVRA.

Villaua suis in symbolis columnæ erectæ voces has inscribit: *Plus recta valebo.* Quasi diceret hæc columna: caue ne decidam; quippe meo casu deperit omnis vsus, ratione cuius ego fui efficta, tuæ domui profutura.

APPLICATIO.

Ita suos baiulos crux affatur: *Plus recta valebo.* Sum cœlitus instituta, bono seu maximo hominum commodo, si tamen erecta sim; erigor autem quando patienter excipior; euertor quando proiicior, & ab ignauis hominibus refugis Christi impiè derelinquor. Non est quòd vecordes animæ illæ suas recenseant cruces vt reportent inde præmium; nullius enim sunt momenti, quæ euersæ sunt, vtpote animo inuito exceptæ. Audiant ergo crucem desides Christiani suaue iugum Christi ad perniciem suam miserè deponentes. Obiurgat eos crux hoc tenore: *Nihil inuersa valebo.* Aut si quidnam valeam euersa, totum illud erit ad interitum vestrum; namque meis ruinis vos inuoluam: quippe sicut Samson columnis erectis oppressus interiit; ita suis à refugis, id est ab ignauis concussæ cruces, iustè suo lapsu conterũt homines conscios inuitę crucibus inſtātię.

De homine iusto Vates ait Isaiæ 11. *Leuabit signum in nationibus.* Quippe sicut est ominosa crucis euersio; ita & fausta est erectio. Reprobi blasphemando suis in ærumnis conspuunt crucem, iusti vero duris in angustiis suaue melos edunt, quia patienter habent crucem, quam vt Christi Iesu tesseram amplectuntur.

SYMBOLVM.

Portantem portant. *pag.*84.*col.*1

PICTVRA.

Alæ expansæ vehunt aues: namque gratis & incassum eniteretur ales & implumis, nisi pennis ad volatum congruis aptaretur.

APPLICATIO.

Frustra sine ærumnis contendit homo Iesum assequi, quem iustus quisque debet crucem baiulando sequi. Irrita sunt conamina eius, qui anhelat ad superna sacris crucibus inconsultis. Estò crucis onus aliquando graue deses homo credat; attamen vt alæ, quæ in plumas luxuriant quamuis aues onerent, eas etiam eripiunt terris, & insidiis: simili planè modo licèt crux quandoque grauis, & onerosa premat; illa tamen *portantem portat*, vt in pœnitente latrone patet, quem crux ad superna tulit, quia ipse sicut par est deuotè crucem antea baiularat.

SYMBOLVM.

Posthac minimè flectar. *pag.*214.*col.*2

PICTVRA.

Est hæc natura corallij vt in aquis mollitiem fruticis exhibeat: nempe suo ab ortu mollis est herbas

herba; sed vt ille frutex aquas superat assurgens, instar lapidis obduratur. Vnde voces istæ benè conueniunt spectato foras vt emersit. *Posthac minimè flectar.*

APPLICATIO.

Ita Petrus Apostolus piscator olim vt aspersus erat aquis huius mundi fluctuantis nondum nactus erat constantiam, qua deinde fuit conspicuus; sed postquam se à sæculi expediuit aquis, præditus est saxea firmitate. Vnde benè quadrat ei symbolum corallij, *Posthac minimè flectar.*

SYMBOLVM.

Primus circumdedisti me. *pag.* 147. *col.* 2

PICTVRA.

Emmanuel Rex Lusitanus transfretato ferè toto mari numisma cudit vbi terræ globus erat pelago cinctus, ita Regem alloquens circumfuso pelago lineatum: *Primus circumdedisti me.* Estò gyrum terræ fecerit Emmanuel; terra tamen nihilo facta fuit vberior, Rege glebas eius non dignante noua aliqua qualitate.

APPLICATIO.

Conuenit Angelo custodi symbolum istud. Nempe priusquàm puero afflaret aura, quæ circumuallaret eum, Angelus illum iacentem in vtero circumdederat: Angeli namque curæ cedit homo suo ab ortu, scilicet eo ab articulo, quo anima in corpus influxit. Ex tunc enim dignatur homo titulo viatoris. Igitur aptè potest quiuis homo voces præfatas adaptare suo Angelo custodi, ita fatus: *Primus circumdedisti me.* O Beate, ego quasi tellus inops & egena, spinis duntaxat idonea fui excultus vt aliquid tempore opportuno meæ consonum indoli producerem: Tu mare gratiarum me tuis congruis obsequiis vt abundè ferax essem iugiter alluisti. Si qui ergo flores emersere mea ex terra, fœtus esse tuos vltro veréque dico; namque *primus circumdedisti me*, & vallando plura beneficia eaque præclara mihi indigo contulisti.

SYMBOLVM.

Pro me, si mereor in me. *pag.* 77. *col.* 1

PICTVRA.

Iacobus VI. Rex Scotiæ gladio coronato voces illas voluit inscribi. *Pro me, si mereor in me.* Quasi diceret: Hic gladius militare mihi debet, si me dignum præsto illius obsequio; sed exertus erit in me si eius præsidio indignus impiè me gessero, indigna Rege opera perpetrando.

APPLICATIO.

Ad crucem pertinere potest hoc symbolum. Illa quippe bonis est benefica, noxia verò malis. Illa Dei misericordiæ, & iustitiæ congruum est specimen: misericordiæ, quia mediante cruce de refugis facti sumus reduces ad gratiam: iustitiæ, quia Christus acerbè luit pœnas, quibus nos crebra facinora obstrinxerant. Prout ergo vnusquisque fuerit affectus, eo etiam modo crucis influxum percipiet: experietur homo pius influente cruce sibi gratias adiici; impius verò crucis intuitu memor iniuriarum, quas intulit Christo, cadens omni spe salutis miserè disrumpetur. Si fortè vacat & arridet dicere, iustitiæ symbolum esse crucem, non eo inficias: nempe sicut iustitia vnicuique suum ius tribuit; ita & crux gratiam iustis, & pœnam impiis id est reprobis impertitur.

SYMBOLVM.

Pro talibus ausis. *pag.* 705. *col.* 1

PICTVRA.

Quidam pinxit Icarum adolescentem, qui incautè sibi alas composuit & aptauit; sed pennâ malè fidâ detrectante suum reddere creditum obsequium, in præceps desiit hic volatus, qui ad exemplum ruinæ instantis, superbis omnibus exhibetur.

APPLICATIO.

Ille meritò deprimitur, qui per immane nefas supra modum erigitur. Supergressus Adam omnes Angelorum ordines voluit esse Deo similis, stultè fidem diabolo præbens dicenti Genes. 3. *Eritis sicut Dy scientes bonum, & malum.* Sed iustè fuit *pro talibus ausis*, infrà viles bestias depressus, & ad tartara relegatus.

SYMBOLVM.

Pulchrior attrita resurgo. *pag.* 367. *col.* 1

PICTVRA.

Herba cui nomen crocus pedibus attrita magis luxuriat, ideoque voces illæ benè illius indoli conueniunt, *Pulchrior attrita resurgo.*

APPLICATIO.

Estò malè sibi conscia sit anima multis peccatis obnoxia; illa tamen per asa vitam in deliciis actam, siquando pœnas ob peccata sibi infligit, *Pulchrior attrita resurgit.*

SYMBOLVM.

Puriora secernit. *pag.* 392. *col.* 2.

PICTVRA.

Ferrus depicto cribro voces has inscribit: *Puriora secernit.* Quippe mediante cribro fæces & sordes omnes ab electo & laudato semine segregantur.

APPLICATIO.

Ita proculdubio confessio sincera foras eiicit omnes animæ sordes, quæ ore patulo & reserato pura in confessione cadunt ante sacerdotem; gratia verò Dei, quæ influit in animam, sola manet post eiectam peccatorum colluuiem, illo cribro mystico repurgatam. Qui refugit subire cribrum confessionis, quæ *Puriora secernit*, ille velut sordidus & impurus in cloacam inferi protrudetur.



Q

SYMBOLVM.

Quia nescia flecti. *pag.* 471. *col.* 2

PICTVRA.

VIllaua Pinum excelsam pingit vento reflante tritam & deiectam hoc titulo apposito: *Quia nescia flecti.* Quasi diceret: Eminens illa pinus patulis diffusa ramis temerè voluit assurgere futura citi & validi ludibrium venti, cuius impetum noluit inflexione humili declinare. *Quia nescia flecti.*

APPLI

APPLICATIO.

Sciscitanti quare Deus excelsa superborum capita conterat, hæc vna ratio occurrit, *Quia nescia flecti.* Superbi omnes inquieto turbine afflantur: superbia namque semen est, quod spiritu procellarum vt congruis imbribus irrigatur. Pluuia quippe fœta bonis fructibus non aspergit illud diabolicum germen; sed irrorat è cœlo solùm in gratiam humilium, apud quos sementis illa cœli, scilicet humilitas, magno lucro & prouentu animæ propagatur.

R

SYMBOLVM.

Regna firmat pietas. *pag.689.col.2*

PICTVRA.

Christiernus Rex Daniæ turri impositæ elephanti voces istas apposuit: *Regna firmat pietas.* Nam dicitur inesse feræ illi quidam sensus pietatis. Etenim nocte, lunam vtroque genu flexo colit, quando plenum est nacta sui luminis incrementum.

APPLICATIO.

Sanctus Remigius baptizato Rege Clodouæo verum hoc effutiit oraculum: Quamdiu, ô Rex, sarta tecta fides erit in regno tuo, tamdiu illius parta tuis armis gloria perennabit.

SYMBOLVM.

Respicit vnam. *pag.411.col.2*

PICTVRA.

Pingitur acus magnesia, cuius hoc est ingenium semper agi in gyrum donec sistat fixa in intuitu stellæ, quæ propius ad polum vergit incuria siderum aliorum.

APPLICATIO.

Hoc symbolum pertinet ad hominem. Namque licèt eius amor videatur affici & percelli quibusque rebus obuiis aliqua bonitate claris, cauta tamen voluntas, *Respicit vnam*, scilicet rem summam, nempe Deum. Quippe suo dispendio edocta anima, quietis impatiens est, quando rebus afficitur infra Deum: sed vbi sortita Deum anima velificatur ei soli, tunc stat æmulata sibi constantem statum beatarum mentium, quæ duntaxat vni Deo iugiter adhærescunt.

SYMBOLVM.

Respondere paratus. *pag.617.col.1*

PICTVRA.

Echo fuit olim congruum symbolum gratitudinis. Est autem echo vocis ab alio editæ quàm cita redditio, ita vt enunciata verba subitò reddat echo; imò quandoque voce sola resonante, & excepta fornice concamerato plures in anfractus ducto, multiplex echo voces alias ingeminat grauiore sono, sicut audiere Græci in porticu Olympiæ, quæ dicta fuit ἑπτάφωνος, quia illic refracta voce porticus vnica reboabat.

APPLICATIO.

Habent homines in capite & corde suos fornices, & valuulas opere concamerato cauas, quibus excipiant indelebile atque iugem memoriam beneficiorum Dei, & hanc ore prodant agentes condignas quantùm fas est homini grates, & hoc in animi memoris argumentum. Allusit ad hos vocis refractæ tonos ille, cui fuere loco symboli ista duo vocabula: *Respondere paratus*, Id est, sicut echo voces nullas tacitas prætcrit, sed ad omnes fideli relatione sonat; ita nec ego leues etiam gratias excipiam, quin de repente mea se prodat animi gratitudo. O homo ingrate, & immemor beneficiorum Dei, hæc reconde alto tuæ mentis ergastulo. Cùm beneficia Dei euolues animo tuo, esto *respondere paratus.* Respondetur autem beneficiis Dei, gratiarum actione, qua & influxura noua gratia prouocatur.

S

SYMBOLVM.

Semine ab æthereo. *pag.314.col.2*

PICTVRA.

Picta fuit à Ioanne Ferro virga Aaron fronde virens, flore vernans, & erumpentibus maturis fructibus instructa, voces habens has inscriptas: *Semine ab æthereo*, quibus in hac virga latens quidpiam mysticum exprimebat.

APPLICATIO.

Animæ cælitus impræegnatæ typus hic est. Cæleste semen est gratia, quo anima nostra sata floret, & bonorum operum fructus profert iugiter emergentes. Mens ergo memor omne bonum esse *Semine ab æthereo*, ne insolescat insita virtute tumens, alioquin semine illo extincto fruges marcescent, & illa malis operibus tanquam spinis & tribulis inhorrescet.

SYMBOLVM.

Seruus curru portatur eodem. *pag.134. col.1*

PICTVRA.

Romani olim homini triumphanti de curru superbo vilem adiiciebant seruum, qui à tergo victori suo domino astabat. Iouius alludens ad hunc morem, pinxit currum triumphalem, cui pompaticè seruus, & dominus insidebant. Adiectæ voces sunt hæ: *Seruus curru portatur eodem.*

APPLICATIO.

Vsurpare licet hanc picturam vt signemus Angelos, & homines eodem gratiarum vehiculo dignatos, fuisse Deo sic sanciente vices & sortes similes assecutos. Namque Dei gratiæ singularis opus est, quòd homines iam beati, & Angeli compotes gloriæ sint, qua gestiunt. Homo licèt naturæ disparis; ratione tamen gloriæ, concolor esse potest Angelo, si ad eam iisdem gratiæ gradibus euehatur. Quamuis homo velut seruus sit Angeli comparatione; tamen si se præstet homo strenuum contra ea quæ defectionem à Deo solicitant, audacter in has erumpe voces: *Seruus curru portatur eodem.* Id est, & Angelus, & homo eodem virtutis & gratiæ vehiculo euecti sidera transcenderunt.

uis tria simus horaria quoad structuram disparia; attamen tribus idem ingenium est; scilicet verè defluentes horas quot sint numeris congruis explicare.

APPLICATIO.

Si à variis hæreticis numerum Sacramentorum exigis, variabunt omnes, & discordes erunt: nempe sibi non constabunt; sed in recensenda sacrorum serie discordabunt.

SYMBOLVM.

Transfundit pasta venenum. pag. 627. col. 1

PICTVRA.

Camerarius viperam pingit, quæ à vespis exesa suum mortale virus eis transfundit, quo à vespis puncti homines enecantur.

APPLICATIO.

Transfundit pasta venenum. Doctrina mala, quam hominum menti seductæ nequam Angelus inspirauit. Orbis penè totus ebiberat hoc venenum, quando in humanis apparuit Christus iturus obuiam grassanti malo, quod cùm à spiritu sua ceperit exordia, non ab alio quàm à Christò Domino potuit extirpari.

SYMBOLVM.

Trino rapta labore. pag. 419. col. 2

PICTVRA.

Pinxit olim quidam tridentem; cui corona desuper imminebat, ita volens significare, tria prærequiri vt homo meritò coronetur.

APPLICATIO.

Oratio, eleemosyna, ieiunium, tria bona sunt opera, quæ speciem tridentis habent, & armaturæ satis idoneæ contra feros dæmonum incursus. Quisquis enim aspirans ad coronam gloriæ, illo sibi consulet tridente tutus erit à vitiis, quæ gressus animæ properantis ad ardua remorantur. Superbiuit homo, rapuit aliena, fœdè vitam egit in Venerem fractus; profectò nequit eo in statu assurgere ad gloriam; sed pronus oret aduolutus aris, egenis opes impertiat, & ieiunet; ita fiet voti compos; vtpote dignus æterna corona: sic namque plagis itur obuiam, quibus lethaliter anima sauciatur. Corona virens gloriæ immarcescibilis est. *Trino rapta labore.*

SYMBOLVM.

Triplici virtute micatur. pag. 149. col. 2

PICTVRA.

Pingitur à Ioanne Ferro corona ramis texta tribus, scilicet ex lauro, quercu & oliua, voces istas habens adiectas. *Triplici virtute micatur.*

APPLICATIO.

Hæc coronà refert gloriæ diadema, cuius splendore micat in cœlo Pater Seraphicus Sanctus Franciscus ob tres ab ipso sacros ordines institutos. Laurus victoriæ sacra notat religionem Fratrum Minorum, quæ de mundo refert plenam victoriam propter opes præ institutis aliis omnibus abdicatas. Quercus olim constantiæ infractæ typus erat, vnde robur etiam dicta fuit quercus; nam vis eius est nescia flecti. Arbor illa notat ordinem Sanctæ Claræ, qui vt austerè viuit, ita clamat singulare vigere robur animi in corpore fœminino. Oliua typus misericordiæ significat congregationem pœnitentium, quæ præcipuè occupatur in operibus misericordiæ, vt in visitatione malè habentium, redemptione captiuorum, & in eleemosynis largiter erogandis.

SYMBOLVM.

Turbant, sed extollunt. pag. 13. col. 1

PICTVRA.

Bargaglius pingit aquas susque deque motas, quas venti reflantes agunt in sublime, licèt eas exagitent, hoc titulo adiecto: *Turbant, sed extollunt.* quasi diceret: Estò quies turbetur aquæ flabris ventorum, qui videntur aquis stagnantibus iniurij; attamen ventus vnum hoc obsequium præstat aquis, quòd scilicet extollat eas in sublime, quas ignaua quies antea deprimebat.

APPLICATIO.

Est hæc indoles ærumnarum, quarum in hoc æuo creber est allluxus, homines *Turbant, sed extollunt.* nimirum prospera fœlices humum versus agunt, & inclinant; aduersa verò secus ad superna vehunt animos anxiatos.

SYMBOLVM.

Tutiùs ad portum. pag. 481. col. 2

PICTVRA.

Academia Altorfina pinxit delphinum è scopulis præeuntem naui: hæc enim dicitur indoles esse piscis huius hominum amantissimi, vt opportunè suò ducatu præstet opem naui mediis in cautibus. Picturæ voces sunt istæ: *Tutiùs ad portum.* Id est, hoc regio pisce præeunte nauis tutiùs ad portum appellit, quàm illo aliò diuertente.

APPLICATIO.

Christus apud vnam è Sybillis in versu acrostico, piscis habet nomen, ille præit nobis baiulando crucem, vt inducat in portum salutis ereptos è scopulis noxiæ voluptatis. Proculdubio Christo duce licet iter eius sit sensibus ingratum, vtpote sentibus horridum, & saxo in acumen desinente satum; tamen ea salebrosa via præeunte Iesu; ad portum tutius appellemus.

V

SYMBOLVM.

Veritas persuadet. pag. 48. col. 2

PICTVRA.

DAuid Rex Abyssinorum pingebat leonem facta cruce obuia mansuetum, hoc titulo: *Veritas persuadet.*

APPLICATIO.

Esto truces hominum animi ferociant, plerique tamen meditando crucem Christo dedere manus persuasi cruce magis quàm acutis aliis omnibus argumentis.

SYMBOLVM.

Victrix casta fides. pag.66.col.1

PICTVRA.

Nicolaus VI. Papa crucem pinxit palmis intertextam, & corona desuper imminente. Tituli instar erant illæ voces: *Victrix casta fides.*

APPLICATIO.

Quamuis importuna caro suas ingerat illecebras puritati insidias texens; attamen non nutabit hæc virtus si præpotente crucis gratia fulciatur. Nam *Victrix casta fides.* Nempe cruci virtus inest quæ plantæ, nomen sortitæ suo ab effectu. Hæc est agnus castus, herba adeò inuisa veneri, vt quisquis incubuerit illi plantæ, fœda omnia exosus, amore castitatis illico teneatur, si inquam natura suas dotes parcè distribuens, est effusa manu liberali in agnum castum, & in tantùm, vt stipes ille suos attrectantes efficiat castos; quare crucis inuocatæ vires negabimus, contra fœdæ libidinis impetus in animam insurgentes.

SYMBOLVM.

Viresque acquirit eundo. pag.578.col.2

PICTVRA.

Quidam aptè volens Symbolo lineare suæ fortunæ caput, & progressum, flumen pinxit, quod in fonte quidem est exile, sed in progressu se diffundens altiùs intumescit. Quippe *Vires acquirit eundo.*

APPLICATIO.

Exprimitur hoc symbolo virtutis ingenium. Virtus enim esse debet intermina, nullas omnino sibi præfigendo metas. Virtus emergens est tenera & imbellis: sed vt noua vitis mandata solo nuper ægrè nitens exurgit; sed vbi radices egit stipes viuacior in palmites & pampinos luxurians se diffundit; sic virtus imbecilla primò, capit deinde locuples incrementum.

SYMBOLVM.

Vitreæ tardaris imagine formæ. p.634. col.2

PICTVRA.

Venator, qui asturè tulit catulos tigris, relinquit post se globum vitreum, quem inueniens tigris insequendo furem sistit illusus eo vitro, in quo species attenuatæ, tigris paruuli referunt imaginem, quam credulus tigris esse putat catulum sublatum, eumque velut suum spectat, & sic delusus eos catulos perdit, quos venator habet, & iuxta vitrum noxias nectendo moras, dat venatori spatium euadendi. Tabellæ totam hanc historiam exprimenti titulus hic inscribitur: *Vitrea tardaris imagine formæ.*

APPLICATIO.

Profectò vitri modo lucent omnia, quæ in hoc mundo micant. Omnis huius sæculi pompa vitrum est, quando magis oculis emicat tunc frangitur, ideoque debet homo fugax hoc sæculum odisse, rebus vt diuinis & solidis immoretur. Homo *Vitrea tardatur imagine forma*, quando rebus huius sæculi inhiat, spretis iis, quæ ad Deum pertinent, & æternùm in cœlesti gloria perennabunt.

SYMBOLVM.

Vltrò ad vincula redit. pag.403.col.1

PICTVRA.

Accipiter abundè satur abit relicta domo sui domini; sed vrgente fame redit ad vincula, satius esse ducens viuere ad arbitrium prouidi domini, quàm discurrendo foras iugiter esurire. Reduci titulus ascribitur: *Vltro ad vincula redit.*

APPLICATIO.

O homo, disce benè viuendi ritum à bestia edocta modum resipiscentiæ, & qua ratione redux fieri possis, & restitui in gradum pristinum. Rursus profic[i]sc[e]ro Dei obsequium *Vltro ad vincula redi.* Memor esto primæ tuæ sortis, insere colla iugo Dei. Si detrectas subire iugum illud salutare Dei, arbitrio tuo quidem viues, sed vt Cain eris profugus errabundus.

SYMBOLVM.

Vnâ mouentur variæ. pag.299.col.2

PICTVRA.

Horologij principe rota gyrum agente gyrant & aliæ, quia à rota principe percelluntur.

APPLICATIO.

Quando teres atque rotundus homo curam aliorum gerit, ille suo exemplo mouet alios ad virtutem; vtque rota calet indesinente motu, ita præses, & subditi feruent, eos ad virtutum praxim gratiâ cœlitus impellente.

SYMBOLVM.

Vna salus. pag.551.col.2

PICTVRA.

Sanctus Carolus Borromæus pingebat ceruum anhelum ad aquas cursu valido properantem.

APPLICATIO.

Anima sauciata plagis lethalibus, vt sanetur habet aquas lacrymarum, quibus immersa, citò verè pœnitenti conciliatur ei *Vna salus*, illa videlicet, quæ ratione mali perpetrati fuerat antea deplorata.

SYMBOLVM.

Vna duos nox perdit amantes. p.610. col. 2

PICTVRA.

Pyramus & Tysbe duo amantes periere simul vna nocte fato penitus immaturo.

APPLICATIO.

Symbolum illud aptè refert primarium luxuriæ effectum amasiis ambobus vna nocte vitam animæ, & quandoque malè affecti corporis adimentem. Industriè noctem commemorat auctor huius symboli; cùm namque libido suas faces submisit vni & alteri amanti, densa caligo lumen intellectus eis adimit: vbi quippe Venus adest, rectæ rationis vsus abest, nec vllus ibi tantillæ lucis gratiæ radius. Caue ergo, tui compos anima, nequando faces luxuriæ, incautæ tibi submissæ, totam accendant. Etenim tunc *Vna duos nox perdet amantes.*

SYMBO

SYMBOLVM.

Vritur vt viuat. pag. 323. col. 1

PICTVRA.

Ferrus auem phœnicem pingit, quæ senio confecta suum repurgat æuum igne quem accendit, quo cremata nouam ita vitam flamma obstetricante bonis auibus auspicatur. Vnde scitè voces istæ quadrant aui illi suo in bustulo conflagranti. *Vritur vt viuat.*

APPLICATIO.

Hoc Symbolum opportunè potest aptari vnicuique fidelium, qui ad purgandas residuas peccatorum fæces in austero degunt carcere Purgatorij: etenim illic vnusquisque suis ignibus *Vritur vt viuat*, eo priùs igne labis, quæ superest, vindice castigatus.

SYMBOLVM.

Vt prosim. pag. 294. col. 2

PICTVRA.

Ferrus pingit apem, quæ flore defudante rore sugit hunc humorem mellificum, aliis futura magis benefica, quàm sibi, cui satis est ad victum paucula delibasse.

APPLICATIO.

Ad diuites Præsules hoc symbolum spectat, qui præesse debent, *Vt prosint*, & non vt præsint. O Antistes auare, tuo non dees officio exigendi census Ecclesiasticos; non tibi sufficit tondere pecus, nisi quoque sugas & sanguinem, indebitas violenter opes à subditis extorquendo. Est quidem concessus vsus opum Ecclesiæ, sed *vt prosis*: alioquin illæ cedent in perniciem animæ tuæ, condignâ pœnâ suo tempore cruciandæ.

SYMBOLVM.

Vulnus opémque tulit. pag. 276. col. 2

PICTVRA.

Achillis hasta plagæ ferens remedium inflicto à se vulneri succurrebat. Inde voces illæ: *Vulnus opémque tulit.*

APPLICATIO.

Profectò benè cruci quadrat ea virtus attributa telo Achillæo: quicquid enim sensibus obstricta caro fugit, vt ieiunia, vigiliæ, prolixæ preces, & alia austera, plagas quidem corpori consciscunt, sed inde cita & certa salus pœnitenti animæ comparatur.



INDEX THEOLOGICVS.

A

Amare Deum est necesse.



AMANDI Deum necessitas sic probatur. Ex instituto Dei, gratia in nullum hominum adultorum influit, & participem efficit, quin ille vices obierit strenui athletæ, Dei causam validè propugnando. Illa Dei causa sita est in hoc, vt sit addictus vni Deo amor noster, quem lenociniis multis solicitat caro, adscitis aliis æmulis, scilicet opibus, escis, & infulis dignitatum, hominem vrgentibus vt à Deo deficiat. Sed titillata nequit anima adhærere Deo, quin affectum suum liberet illecebris mundi huius, omnibus importunis. pagina 694. colomna 1

Amorem nostrum exigit, gloria æterna.

AMORE Deum deuincere debet homo ciuis aliquando cœli futurus: quippe Deus maximè amat eos, quos prædestinat ad gloriam: igitur illi debent esse optimi; nam summus amor Dei non fertur, nisi in summum bonum: sed homo ex se non est summè bonus; alioquin omnes homines essent prædestinati ad gloriam, ergo debet aliunde peti bonitas, quæ hominem perficit suprà id quod habet à natura, & vnde queat à Deo summè amari. At nihil est, quod Deum demulcere queat, nisi diuinum sit, atque Deo vnitum. Fit autem hæc vnio mediante amore affingente rei amatæ bonitatem cuilibet amatori. pag. 197. col. 2

Amor Dei in nos.

AMOR DEI considerari potest substantiuè, & connotatiuè. Amor Dei substantiuè, Deus ipse est. Amor verò sumptus connotatiuè dicit in creatis aliquem effectum, aut gratiam cœlitus impertitam. pag. 448. col. 1

Amando, Deus bonitatem impertit.

AMARE perinde est ac velle bonum. Cùm ergo Dei voluntas sit causa rerum quas vult, Deus amando bonum facit illud; atque ita bona omnia sunt effectus amoris Dei. Et vt sagittarius antequam sagittam emittat, priùs inflectit arcum, & fune extenso sagittam ad cor inducit, vt eam validiùs intorqueat; ita Deus ab æterno voluit bona, quæ singulis quibusque rebus impertiit in tempore: & sic illa dona quasi sagittas penes se habuit diu antequam emitteret. Sic is, in quem influxerunt plura dona, fuit etiam sagittis amoris pluribus impetitus. pag. 286. col. 1

Amor Dei in Angelos, & homines.

Amor Dei spectatus in ordine gratiæ longè maior extitit in hominem, quàm in Angelum; siquidem

siquidem vnitus homo Deo est hypostatica vnione, cuius expers est Angelus. Attamen in ordine substantiæ & naturæ maior est amor Dei in Angelos, quorum constat naturam aliis sub Deo omnibus eminere. pag.286.col.1

Amor Dei est ex charitate.

Amorem Dei erga creaturas esse ex charitate potest duobus modis intelligi. Primò vt charitas sit principium motiuum, quo Deus vult bonum alicui: in eo sensu Deus omnia diligit ex charitate; cùm enim omnia operatus sit voluntate sua, & nihil velit nisi bonum, & non possit non amare bonum, quod est obiectum voluntatis; Deus amat omnia ex charitate, quia Deus charitas est. Alio modo charitas considerari potest, vt dicens habitudinem principij exemplaris, ita vt repræsentet illud bonum quod communicauit rei amatæ. In eo sensu Deus tantùm diligit ex charitate ea quæ sunt in charitate. Nam charitas increata est exemplar charitatis creatæ, vt charitas est, non autem præcisè suo ex conceptu formali charitas increata dici potest exemplar aliorum entium editorum. pag.226

Amare Deum homines dicimus inæqualiter, quando maius bonum vult vni, quàm alteri. Vide pag.227. col.1

Angelus editus in gratia.

Angelos ab ortu suo creatos in gratia suadet ista potens ratio. Vt se habet ratio seminalis in natura ad effectum naturalem; ita se habet gratia gratum faciens comparata ad beatitudinem. Sed omnia naturalia ab incunabulis suis à Deo producta sunt secundùm rationes quasdam seminales, quarum beneficio apta sunt agere quicquid est singulis idoneum. Ergo cùm Angeli sint capaces gloriæ æternæ, proculdubio creati sunt instructi eo semine, quo sato potest æterna gloria germinare. Alioquin Angeli in ordine ad gloriam deterioris essent sortis, quàm sint res quæque infimæ cancellis naturæ conclusæ, quibus indita sunt semina quædam, vt illorum obsequio ad effectus sibi consonos accingantur. Vide alia argumenta. pag.123. col. 1

Angeli creati sunt in cœlo.

Angelorum editio in cœlo sic probatur. Creaturæ spirituales, & aliæ corporales vnum hoc vniuersum constituunt: ergo ordinem aliqualem habent adinuicem, cúmque naturæ suæ consonum: omnia namque Deo auctore sata, benè ordinata sunt, vt videre est in terra, quæ aquis substrata iacet in extremo loco, quia est ignobile & infimum elementum. Cùm ergo rebus aliis Angeli præstent, habuere cœlos in prima sua editione velut locum congruum eorum maiestati, quæ euehit illos supra alia entia procreata. pagina 122. columna 2

Angelorum casus.

Angelorum qui cecidere, primus iter aliis ad lapsum strauit, vtpote causa casus. Est autem causa duplex: vna cogens, altera inducens. Primus Angelus alios non coëgit ad peccandum; quippe sui iuris erant Angeli, & nullius alterius Angeli arbitrio addicti: ille tamen prior Angelus causa fuit inducens ad peccandum: nempe suo exemplo dæmon rebellando, plures alios induxit ad defectionem à Deo, consciosque fecit criminis impiè perpetrati. pag.126.col 1

Angeli sunt irreuertibiles.

Angeli post lapsum tenaces fuere suo in proposito iniquo. Nam differt apprehensio Angeli, ab apprehensione hominis in hoc, quòd Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut & nos apprehendimus immobiliter prima principia, quorum est intellectus: homo verò ratione duce apprehendit mobiliter discurrendo quasi gradatim ab vno obiecto vagans in alia, nulli omnino suum assensum sic obstringens, vt ab illo non possit postea resilire. Concolor est voluntas vtens eo iure, suum affectum nulli omnino rei deuinciens tenaciter. Sic namque voluntas amat vt contrario obiecto queat postmodum adhærere. Angelus verò secus, amando totum se explicat, & quicquid virium habet exerit, nec redire potest ab obiecto, cui se obstrinxit. Itaque si voluntas Angeli attendatur ante suam electionem, illa potest libenter adhærere tali obiecto, & eius opposito, in his quæ non naturaliter vult. Sed facta rei alicuius optione nequit Angeli voluntas aliò transmigrare. pag.128. columna 1

Angeli cognitio.

Angelos duplici modo rerum indolem callere docent Theologi. Etenim illis inest notitia vna matutina, alia vespertina. Matutina est illa, qua in Verbo res cognoscunt: Vespertina, qua res concipiunt secundùm proprium esse earum. Prima dicitur matutina, quia vt lucis exordium petitur à matutino tempore; ita rerum omnium primordia sunt in Verbo, in quo sunt rationes omnium rerum factibilium. Igitur cùm notitia sit lux, ea benè nuncupatur matutina, quando habetur à primo diluculo rerum omnium editarum. Rursus vt lux matutina terminatur ad vesperum; ita & rationes rerum in Verbo, à quo effluunt, ipsum esse rerum habent pro termino sui effluxus, & cognitio earum in hoc statu dicitur congruè vespertina. Itaque Angeli cognoscunt omnia duplici medio, videlicet per rationes rerum existentes in Verbo, & hæc est cognitio matutina: item cognoscunt per species innatas, quæ ingerunt scientiam rerum prout sunt, & hæc cognitio matutina. pagina 143. columna 1

Angelorum custodia.

Angelos custodes esse scitè probant Theologi à bonitate Dei, quæ noluit hominem destituere tali auxilio, cùm præsertim diabolo permiserit animas & corpora sæpius impetere. Obseruat hæc disciplina solùm adesse nobis Angelos in statu viæ; Nam beatis nec damnatis Angeli custodes opem aliquam præstant; sunt nempe suum terminum assecuti. pag.146. col.2

Vide fusius hoc probatum. pagina 151. columna 1

Angeli

Angeli homines illuminant.

Angelus irradians multa nota facit hominibus; sed qua ratione lumen illud influat, est res in opaco, sicque lucem ob nimiam obtusam perstrictis oculis discurrendo tali de lumine caligamus. Circa modum quo nos illuminant Angeli vide discolores sententias procerum Theologiæ. pag. 165. col. 1. & 2

Angeli superiores alios illuminant.

Angelus superior cùm gratiâ, & naturâ Deo propior sit aliis inferioris ordinis, plura nouit: quippe diuina luce magis corusca præ cæteris illustratur. Quod nouit per species vniuersales, aliis explicat per species magis contractas, magistrorum more, qui conclusiones, quas norunt in præmissis, manifestas faciunt discipulis rudioribus, definiendo, diuidendo, & distinguendo, nota vt faciant illis eâ, quæ antea nesciebant.

Vide pag. 185. col. 2

Angelorum missio.

Angelica duplex est missio. Vna sensibilis, alia inuisibilis. Missio sensibilis dicitur exterior, quæ est ad aliquod ministerium circa corporalia exhibendum. Secundùm hanc missionem non mittuntur superiores Angeli. Alia est missio inuisibilis, quæ attenditur secundùm peculiarem aliquem effectum, prout scilicet vnus Angelus alium illuminat. Vide fusè totam hanc materiam explicatam. pag. 184. col. 2

Angelorum amicitia.

Angelorum ea est amicitia quæ bonorum, at secundùm Aristotelem 8. Eth. c. 3. bonorum amicitia est tantùm in virtute. Res vna in tantùm est bona, in quantùm est conueniens; bonitatis enim ratio est in conuenientia; secundùm quam tale bonum appetitum mouet: sed nihil æquè boni conuenit ac virtus, cuius proprium est perficere illum, quem informat. Ergo eorum, quos probitas ornat, amor erit in virtute, vt & amor, quo Angeli deperennt homines, petitur à virtute, præsertim illa quæ beatis illis mentibus est maximè cordi, scilicet à castitate, qua homines Angelis adæquantur. pag. 170. col. 1

Anima iusta vinea Christi.

Animas esse Dei delicias Scriptura sacra docet, non omnes, sed duntaxat eas, quas diuina gratia condecorat. Specialis amor ille nomen vineæ conciliauit eis, quos dignatur amore Deus vtique singulari. Rationes verò quibus innititur hæc nomenclatura vitis, vide pag. 578. col. 2

Anima melior est mundo.

Animæ dignitas attenditur ex participatione Dei. Namque nihil omnino bonum est nisi quatenus participat naturam summi boni à quo alia bona habent vim afficiendi desiderium & affectum. Cùm ergo magis participet essentiam Dei anima, quàm illud omne, quod sub cœlo micat, est melior mundo; quia est efficta ad imaginem summi boni, atque ita suæ maiestatis immemor est anima, delinita bonis huius mundi, quæ nihil habent vnde queant demulcere sibi constantis hominis appetitum. pagina 691. columna 1

Attributa Dei.

Attributa Dei, quæ ordinem dicunt ad creaturas, esto tribus personis conueniant; attamen iuxta modum procedendi à Patre quædam Spiritui Sancto, & alia Filio tribuuntur. Vide exempla pag. 259. col. 1

B

Beatitudo æterna.

BEATITVDINIS æternæ ratio est, vt beati induant aliquali modo voluntatem Dei, ita componendo suum arbitrium ad nutum Dei, vt nihil omnino velint dissonum à voluntate Dei: nempe Deo clarè viso, sic in eum omnis affectus effunditur; vt amore totus ebulliat: amare autem est idem velle: idem nolle. Sequitur inde malos odio haberi à beatis, quia Deo sunt exosi. pag. 172. col. 2

Beatitudinem omnia appetunt.

Beatum Dei statum creaturæ omnes pro suo modulo participant, dum non esse solùm, sed etiam benè esse quærunt. Res inanimæ suum centrum petunt: frutices non modò virent, sed & humorem congruum vitæ suæ postulant, & exugunt: animalia appetitu sensitiuo gaudent; & pro indita sibi notitia inuestigant ea, quæ pertinent ad bonum suum, vt & fugiunt ea quæ inimica sunt. Quò autem dignior est creatura, eò etiam pluribus indiget; vt beatitudine congrua potiatur: Cùm ergo rebus omnibus præstet homo, quæ sunt infra cælos, non beari potest in hoc sæculo, quamuis ei cuncta Deus impertiret, quæ hoc immenso propè cœli ambitu continentur. Beatitudo autem duplex est, vna viæ, altera vitæ æternæ. pag. 193. col. 2

Beatitudo in quo sita.

Beatitudinis infinitæ quidam dixere Deum esse verum obiectum, sed hominem esse talis interminì boni penitus incapacem. Respondent Theologi, hominem tantùm compotem fieri posse boni finiti intrinsecus subiectiuè inhærentis; sed capacem esse boni infiniti extrinsecè obiectiui per contemplationem & amorem apprehensi. Vnde beatitudo duplex est, vna obiectiua, quæ est quidpiam increatum, nempe Deus. Altera est formalis, quæ est ipsa Dei fruitio, in vitali operatione sita, scilicet in visione, & amore; quibus anima effusa tota in Deum beatur. Hinc explosa malè audit opinio, quæ suasit imperitis beatitudinem formalem esse bonum increatum, scilicet visionem illam; qua ab æterno Deus se videt. Hanc auctores huius ineptiæ affirmant communicari beatis, vt persona Verbi supponitur humanitati. Refellitur illud delirium ex eo, quòd beati indigent lumine gloriæ: at non eliceretur ille Dei intuitus ab anima si esset penitus increatus.

Vide

Vide fusè totam dimissam materiam. pag. 144. columna 2

Beatitudo vera Deus est.

Beatitudo rebus omnibus eminet, quæ prurientem appetitum possunt allicere in hoc sæculo. Illa penes id est, vnde suam homo petit differentiam ab aliis: at ratione suæ formæ distinguitur ab aliis rebus: igitur ab anima, quæ est illa forma, debet beatitudo peti: voluptas enim illecebrosa suum ad obsequium carnem pelliciens, non est beatitudo propriè nuncupanda. Nam beatitudo bonum est perfectum, cuius fruitione non est appetitus inquies: sed nihil est infra Deum, quod appetitus anheli æstus sedare queat. Ergo gyrans in creatis homo procul erit à felicitate, quam ille votis omnibus aucupatur. Omnes enim creaturæ nihil omnino dare queunt homini, quod non sit minus homine; atque ita rei illius possessio hominem beare nequit: etenim haudquaquam perfectus homo fiet accessione rei, quæ est inferioris ordinis. pag. 553. col. 1

Bonitas Dei.

Bonitas diuina rerum productarum causa duplex est nostro concipiendi modo. Vna, qua Deus absolutè bonus est. Altera verò, qua influit in res prout eas ducit è nihilo. Dei bonitati congruebat, vt vtroque modo eluceret in creatis, scilicet vt res edita non duntaxat haberet à bonitate Dei, quòd esset, & bona esset; sed insuper aliquod esse nouum posset aliis impertiri. Vt sol quando suos diffundit radios, non solùm illuminata facit corpora, sed illuminantia. Vide plura. pagina 563. columna 1

Bonum creatum finitum est.

Bonum quantumcunque diues & speciosum sit infra Deum, non est omne bonum, ac proinde nequit homo quiescere in fruitione talis boni: siquidem appetitus eius siticulosus vt arida tellus hiat, & fastidit bonum prehabitum, quia totum non satiat appetitum. pag 659. col. 2

C

Cæcitas animæ.

CÆCITATI obnoxia fit anima deficiente luce cœlesti, quæ occidit quando rebus terrenis homo suum affectum obstringit. Nempe sicut interiecta terra solis subducit radios, & inuehit noctem; eo etiam modo quæuis creatura nostrum amorem cautè sibi deuinciens, sic effecta quasi media inter Deum & nos, inducit tenebras in animam; gratia quippe sicut lux est, cuius perennitas eget iugi influxu corporis luminosi, quo negante lumen illico tenebrescit medium illustratum. Ita Deo supersedente, & non influente in animam, deperit huic animæ status eius pellucidus, vnde cæcis tenebris obuoluitur, supra modum creaturas amans, quarum nimius affectus astutè solet homines excæcare. pag 632. col. 1

Charitas est forma virtutum.

Charitatis expers virtus est informis, & adulterina, sigillo carens debitæ rectitudinis, ac proinde nequit vlla sibi merita vendicare. Namque sicut habet se materia prima ad formam in physicis; ita & homo in iis, quæ supra naturam sunt, se habet ad charitatem: etenim vt à forma compositum fit aptum ad agendum, eo planè modo charitas ad integros & perfectos actus euehit hominis indolem imbecillem.

Vide pag. 3. col. 1

Charitas quid sit.

Charitatis descriptionem egregiam, vide pag. 184. columna 2

Charitas an possit amitti.

Charitatem perfectam amitti non posse Magister ait lib. 1. sentent. distinct. 17. Omnis enim motus est secundùm exigentiam prædominantis: sed charitas prædominatur in corde amantis Deum: ergo motus omnes hominis in charitate constituti emergunt à charitate, cuius est totum cor hominis occupare. Vergit eò Christus ita fatus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Rursus charitas spectari potest ex parte obiecti; in eo statu nequit diuelli posito quòd adæquatè obiectum repleat potentiam; siquidem voluntas habet se ad charitatem vt materia ad formam, quæ si replet totam potentiam seu appetitum materiæ, tunc erit perpetua & constans, sicut in cœlo liquet; cuius materia ita cœlestem induit formam, vt illam nequeat exuere. Ergo tota si voluntas effundatur in Deum, & ille repleat eius appetitum; tunc charitas erit perpetua, et patet in Beatis; qui in æternum charitate feruida conflagrabunt. pagina 184. columna 2

Charitas qua ratione queat excidere.

Charitatis deliquium dupliciter accidit. Duobus quippe modis homo potest inflecti à bono in malum, scilicet deceptione faciente fucos, vel præcipiti passione totum hominem ad peccandum valido impetu percellente. Vide cautelas contra duos hosce modos charitate turpiter excidendi. pag. 184. col. 2

Charitatis ordo.

Charitas non tumultuariò sed ordinatè suum fertur in obiectum iuxta scitum illud Canticorum 2. *Ordinauit in me charitatem.* At ordo attenditur penes prius & posterius. Cùm ergo Deus sit principium charitatis, quæ fundatur in communicatione beatitudinis, cuius Deus est causa, illud quod in creaturis magis accedit ad Deum respectu nostri, magis debet diligi ex charitate. At parentes sunt veluti principia, & fontes, à quibus effluximus, & sic principij ratione magis ad Deum accedunt, ac proinde primi post Deum sunt amore debito prosequendi. pag. 598. col. 1. in fine, & columna 2

Christi Passio.

Christi actiones omnes fuere nobis meritoriæ; Passio tamen habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita, propter genus operis,

operis, non autem propter maiorem charitatem; illa namque fuit semper eadem in Christo, operis verò modus longè fuit diuersus ab aliis operibus, quæ salutis nostræ potens hic opifex antea perpetrarat. Etenim Passio Christi ita fuit composita ad redemptionem nostram, vt expunxerit illa tria, quæ oppressere prolem Adæ, scilicet captiuitatem, pœnam, & culpam, quæ faciebant homines infelices. Captiuitati nostræ occurrit, quando fuit ipse diris vinculis implicitus: pœnis verò quibus eramus obnoxij substituit tormenta sua acerba: demum omnem culpam, tersit, eius meritum infinitum.

Vide pag. 60. col. 2

Christi Passionis efficacia.

Christi Passio multifariàm attendi potest. Ratione diuinitatis eius egit per modum efficientiæ; ratione voluntatis animæ eius, per modum meriti: in carne illius per modum satisfactionis inquantum liberamur à reatu pœnæ, & à seruitute culpæ, per modum redemptionis: vt reconcilians nos Deo, per modum sacrificij pag. 60. col. 2

Confessio.

Confessione reus homo tria plectit, quæ illum fecere Dei iustitiæ obnoxium. Primum est superbia, qua homo Deo iniurius genio indulgens intumuit, paruipendens statuta Dei. Insolens hic animus plectitur humilitate, quam contritio amara vehit, hominem inclinans ante Deum. Alterum quo deliquit homo est delectatio, qua titillante totus in delicias effusus est. Huic deliquio vindex apponitur dolor, quo lancinatur homo detestando scelus antea perpetratum. Tertium denique quod hominem exuit omni ferè rationis habitu, est impudentia, qua detergitur ille pudor, qui color est virtutis, & in modum satellitis à natura conducti arcet ab homine quicquid indecorum est: quippe pudor est, quo circumactus homo velut inuius est actibus inhonestis. pag. 585. col. 2

Correctionis necessitas.

Correctionem necessariam esse liquet hoc discursu. Quicunque morem gerit præcepto charitatis, ille debet Deo conformari iuxta scitum illud Apostoli: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Sed dilectio Dei, ex Salomone, vehit correptionem. *Quos diligit Dominus corripit*: Ergo fratrem suum qui diligit, in amoris sui argumentum debet eum corripere. Rursus omnes sumus vnum corpus in Domino, alter alterius singuli quique membra sumus; atque ita malum membri vnius ad alia etiam membra porrigitur, si correctio discreta citam non ferat opem, vlceris saniem educendo.

Vide plura. pag. 593. col. 1

Crucis adoratio.

Crux considerari potest vt res absoluta, aut respectiua. Vt absoluta res, erit aliqua materia in anima. Vt respectiua, IESVM mentibus ingeret, corpore extenso, & brachiis expansis, eo habitu, quo in gratiam hominum duros agones fortiter exantlauit. Primo modo sibi crux nullum vendicat honorem, id est, aurum illud, siue alia omnia, quæ subsunt figuræ crucis, absolutè considerata nullo dignantur honore, quia sicut ait Thomas 3. p. q. 25. art. 4. reuerentia non est deferenda rebus inanimis vt tales sunt, sed rationali creaturæ.

Crux respectiuè considerata potest duobus modis referri ad Christum, & adorari titulo duplici, si crux illa sit, quæ diuino fuit sanguine consecrata. Nimirum vt homines venerantur imaginem Regis, quia illa Regem refert, & honorant vestem ob contactum; ita crucem fideles adorant ob contactum Christi, & propter eius repræsentationem, qui in modum crucis positus expirauit. Vnde sicut adoramus Christum propter vnionem Verbi; sic etiam adoramus crucem, quia Christo vnita est in repræsentando. Itaque duplici argumento crucem adoramus, in qua pependit Christus, scilicet ob repræsentationem, & contactum; alias verò cruces colimus eo latriæ cultu, qui Christo debetur, ad quem referuntur illæ cruces, quas sic solo repræsentationis titulo veneramur.

Vide plura de adoratione crucis. pag 112 col. 1

D

Deus est vita.

DEum esse vitam ita Thomas astruit 1. p. qu. 18. art. 3. Viuere dicuntur aliqua secundum quod operantur ex seipsis, & non quasi percita alieno motu. Quantò autem perfectiùs hoc competit alicui, tantò etiam perfectiùs ad eum vita pertinet. In mouentibus verò & motis tria occurrunt. Primò finis mouet agens. Agens autem principale est id quod per suam formam agit, & hoc quandoque agit ope alicuius instrumenti non operantis ex se, sed in virtute potioris agentis. Sic illi instrumento competit sola executio actionis. Itaque inueniuntur quædam, quæ cientur non habito respectu ad formam, vel finem, sed tantùm mouentur quantùm ad executionem motus; at forma, qua media agunt, & finis propter quem agunt, determinantur eis à natura. In eo genere sunt plantæ, quæ iuxta formam eis insitam à natura mouent seipsas, vt videre est in stipitis incremento.

Rursus alia sunt, quæ mouentur non habito tantùm respectu ad executionem motus, sed motum accipiunt à forma, quam ingerunt sensus, & non ab ea, quam natura inseruit & quo vegetior est sensus animalis, eò etiam perniciore motu sese quatit. Verbi gratiâ, ea quæ non habent nisi sensum tactus, mouent solùm seipsa motu dilationis & constrictionis, vt ostrea. Quibus verò quædam inest virtus alacrior, eisdem indita est nobilior sese mouendi norma; illa nimirum vrgent se processiuo motu cùm expedit, & recedunt quando noxiis impetuntur. Illa autem animalia, quamuis accipiant à sensibus formam, qua mouentur; non tamen præstituunt sibi finem sui motus, sed est illis insitus à natura, cuius œstro ad aliquid exerendum mouentur forma sensu apprehensa. Illis animantibus inscijs sui vltimi finis, alia animalia nobilitate præeunt, scilicet illa, sibi quæ decernunt finem, vt homines, quibus ratio suffragatur. Ideo potior est vita eorum, qui pollent intellectu, quia altiore ritu mouentur eis rebus, quæ rationis sunt expertes: Hoc nobile agendi schema liquet in homine, cuius virtus intellectiua mouet potentias sensitiuas, & potentiæ sensitiuæ, suum per imperium organa percellunt vt congruè moueantur.

Quamuis eo agendi acumine polleat intellectus vt aliis potentiis illuceat; habet tamen præstituta sibi aliqua à natura, vt sunt prima principia, circa

F

Festorum institutio.

Festa benè vitæ animæ consulunt. Namque sicut est insita quædam homini propensio ad decernendum tempus aliquod idoneum singulis quibusque rebus necessariis, vt corporali refectioni, somno, & aliis huiusmodi; ita fuit rectæ rationi consentaneum, vt assignarentur aliqui ex professo dies, vt duntaxat vni addicta Deo anima quiescente corpore pasceretur. pag. 333. col. 1

Festorum finis.

Festa sunt eo instituta fine, vt sanctificetur homo, cui intento quia obstat opus seruile, Deus sanxit esse tali operi profano quasdam ferias indicendas. Sanctificatur homo cùm fit sanctus. Dicitur autem aliquid sanctum eò quòd sit Deo dicatum, vt sacrificij sanguine tinctum, iuxta ritum aliàs inolitum emundandi homines aliquo contagio sordidos, qui crederent se mundari si hostiæ sanguine tingerentur. Igitur vt sanctificetur homo die festo, sacris adstat, ab omni ingloria & seruili actione vacat, vt illa die totus obsequio Christi Domini mancipetur. Vide plura de diebus festis. pag. 663. col. 1. & 2.

Fidei assensus.

Fides non conciliatur quolibet assensu intellectus: nempe duplex est assensus intellectus. Vnus, ad quem vrget eum euidentia obiecti, quòd si cognoscitur per se, vt sunt principia per se nota, ille assensus dicitur actus intellectus, qui est habitus primorum principiorum. Si verò tale obiectum euidens non sit notum per se, sed per aliud, vt sunt conclusiones cognitæ ob præmissas, tunc est scientia, & assensus ille elicitus circa illud obiectum erit actus scientiæ. Alio quoque modo assentitur intellectus alicui; non quia mouetur sufficienter ab obiecto, sed per quamdam electionem, qua voluntariè inclinat ad assensum. Ille modus ad fidem spectat, cuius obiectum non est per se notum, sed effulgente sacro lumine reuelatum. pag. 232. col. 1

Fidei & scientiæ obiecta suas diuersas habent rationes. Vide fusè totam hanc materiam discussam liquidis argumentis. pag. 537. col. 2

G

Gratia an sit ordinis naturalis.

Gratia non est naturalis homini, quia quicquid est naturale solet consequi naturam. At omnes iræ filij homines enascuntur. pag. 213. col. 2

Gratia efficacia.

Gratia est qualitas hominem ordinans ad vitam æternam, & vniens cum Christo velut capiti suo, sicut ait Paulus Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna in Christo* IESV *Domino nostro.* Ergo talis gratia faciet nos participes spiritus Christi, qui semper eum prouocauit ad heroïca facinora. Rursus est de natura qualitatis, vt subiectum afficiat ad operandum iuxta naturam illius accidentis. Verbi gratiâ, quamuis aqua, naturâ suâ sit frigida: tamen si aliunde calor ei accidat, aqua illa suum oblita frigus calefaciet, & cruda coquet. Igitur cùm gratia sit qualitas supernaturalis, ita hominem afficiet, vt secundùm eam operetur. Agere autem supra naturæ vires est operosum, atque ita vbicunque Dei gratia vigebit, illic arduas exeret actiones. Denique actiones specificantur à fine; sed finis actionum, quas gratia parturit, est gloria æterna, res vtique ardua: ergo actiones illæ specificabuntur à gloria, id est habebunt speciem suam, seu naturam proportionatam illi scopo, iuxta regulam mediorum, quæ debent esse fini consona, & sic illæ actiones erunt generosæ, quia ad scopum, qui eminet aliis omnibus, id est, ad gloriam æternam quàm maximè diriguntur. pag. 277. col. 2

Gratia an possit excidere.

Gratiam Theologi considerant ex parte subiecti, quod est vertibile secundùm arbitrij libertatem, & sic gratia induit vniuersalem rationem formæ, de cuius natura est, vt non adeò tenaciter vniatur materiæ, quin ab illa queat diuelli, quia non totaliter implet appetitum materiæ. Est autem gratia Dei in homine, vt forma in materia. Gratia erit in gloria vt forma cœlestis totum occupans hominis appetitum. Vnde sicut cœli sunt incorruptibiles, quia forma nequit separari à materia; sic & beati nequeunt gratiâ excidere, quia eorum replet appetitum. Sed gratia in via, ita hominem informat, vt alia possit etiam appetere à Deo, ipsi contraria Ergo potest amitti alio reprobo habitu succedente.

Gratia item in hoc dispescitur ab habitu acquisito, quòd in his actus vnus non directè opponitur habitui, sed actui, & sic actus vnus contrarius, non habitum tollit acquisitum. Nec etiam continuatio habitus requirit continuationem actus: vnde liquet quare actus vnus contrarius non tollat habitum acquisitum. Gratia diuina secus habet sese: ea quippe est habitus infusus omnino dependens ex actione Dei influentis, qui sic se habet in gratiæ influxu, vt sol in illuminatione aëris: nempe sicut in aëre deficeret lumen, si aliquid impediret illuminationem solis; ita definiente Dei influxu, deficit & gratia: cessat autem Deus influere, siquando contingat animam à recto iustitiæ tramite deuiare. pag. 207. col. 2

H

Homo vetus, & homo nouus.

Hominem veterem Paulus insinuat, & describit ex actibus Ephes. 4. *Deponite* (inquit) *secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur, secundùm desideria erroris.* Appetitu sensitiuo hominem deducente ad carnalia, aberrauit homo, & carnalis effectus, passus est, vt carnalia omnia corruptelam. Iniquus ille habitus dicitur homo vetus, quia senuit homo in ea carnis & animæ discordia. Alius verò status hominis dicitur nouus, & secundùm Deum creatus, quia nunquam senescit, vtpote faciens hominem ad imaginem Dei: sed Deus non senescit; est enim æternus, & æternitas est tota simul, nulli obnoxia deliquio. Ergo anima, spiritualis effecta ministerio gratiæ, quæ nos naturæ Dei consortes efficit, senij expers erit, & perpetuæ conscia nouitatis. Vide plura pag. 291. col. 1

I

Iudicij extremi necessitas.

IVstum esse Deum ostendent aliquando mali luendo pœnas congruas crimini perpetrato. Sed nemo debet condemnari sine præuio iudicio vt nec coronari absque merito. Ergo dies est assignanda, quæ discutiat omnium hominum merita, non potest autem vlla dies dari adeò opportuna illi iudicio vt extrema dies, quia de re mutabili plena nequit ferri sententia donec illa res fuerit integrè consummata: Sed homines etsi mortui sint, tamen quandoque mala aut bona multa faciunt etiam sternendo viam aliis similia opera perpetrandi. Verbi gratiâ Caluinus erroris est argumentum multis, atque ita mali conscius est quod fit propter lethale virus quod excusi illius codices instillarunt. Est ergo rerum omnium consummatio expectanda, plenum vt iudicium de toto hominum genere decernatur.

Vide fusius hoc digestum. pag. 527. col. 1

Iustitia Dei.

Iustitia diuina dicit perfectionem in Deo, cuius est, non duntaxat amare bonum, sed etiam odisse malum. At cùm Dei amor & odium non dicant affectum in Deo, sed connotent effectum, quo inferimus amorem Dei vel odium, operæpretium fuit ostendere quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde, faciendo bonos participes regni cœlestis, & puniendo malos. Cùm ergo modo infinito Deus faciat quicquid agit, & nullus sit in Deo modus, sed vnum quid infinitum concludens omne quod est de ratione perfecti, vt odium quo detestatur peccatum esset homini conspicuum, pœnam æternam sanxit his qui perirent vt saltem extensiuè pœna Dei odium proderet infinitum. pag. 527. col. 2

Iustificatio.

Iustificatio non fit in adultis nisi homo actu proprio contingat causam iustificantem, scilicet Deum. Ast homo nequit Deum contingere nisi moueatur in eum. Igitur ille motus debet esse prior, & hic est actio intellectus: quamuis enim anima amore flagrans in Deum effundatur, & ruat in amplexus: illa tamen velut coërcita moueri nequit in summum illud bonum, nisi intellectu illustrato bonum illud animæ fuerit desuper explicatum. Etenim ignoti nulla cupido. Ita fides præire debet aliis virtutibus quæ Deum spectant: quippe Deus fide debet apprehendi priusquam congruis ritibus excolatur.

Vide plura pag. 642. col. 1.

L

Liber vitæ.

LIber vitæ, qui seriem continet omnium beatorum, est notitia illa, quam Deus habet ab æterno eorum omnium, quos decreuit adsciscere in partem suam, nec potest irrepere mendum vllum in librum illum: nempe sicut alij libri referunt gesta, sic iste liber distinctè refert ea quæ ipse facit: nimirum illa Dei notitia, qua describit electos, est practica, ita vt editi omnes ibi conscripti, sint indubiè Christo suum nomen daturi atque manus, tempore præstituto. Vide fusè totam hanc digestam materiam. pag. 219. col. 2

Luxuria excæcat.

Luxuria fœda suam maximè perniciem affricat menti, siquidem ille magis deuiat à recto tramite rationis, cui maior inest naturæ corruptio: sed maxima corruptela illi affingitur, quem luxuria labefactat: etenim quantò quisque magis participat naturæ vitiatæ principia, tantò magis illa labe inficitur. At miseranda proles Adæ incurrit in discrimen, & contrahit naturæ malum via generationis, vbi anima tota effusa in delicias, suos inurit næuos fœtui seminato. Igitur ille, quem Veneris impetigo magis sollicitat, propior est principio corruptæ naturæ, quia iisdem capitur illecebris quotidie, quibus fuere obnoxia corruptelæ incunabula. Quòd si illa libidinis exordia hominem eo ritu progenitum errori obstrinxerunt, quanam putas caligine inuolui eum, qui tractu longiore vacat actibus inhonestis. Rursus Adæ prosapia cæcutire didicit à parente primo cæco effecto. Ergo fœdum hoc cauterium inustum ab origine, id est turpis hæc propensio in venerem, si ab initio tenebris animam texit; profectò crimen vltro admissum hominem dum peccabit penitus excæcabit. pag. 608. col. 2.

Vide ibidem alia argumenta, quibus hæc veritas liquidè comprobatur.

M

Malum pœna.

MAla pœnæ nobis inflicta Deus dirigit ad salutem nostram, quia vnicuique sicut ei expedire nouit, prouidet opportune. pag. 367. col. 2

Mereri quid sit.

Mereri est sibi aliquid acquirere pro mercede; quod quidem non fit, nisi cùm aliquid damus, quod est condignum ei, quod mereri dicimur. Dare autem non possumus nisi id quod nostrum est, & iuris nostri, vt sunt actus nostræ voluntatis, scilicet velle, & amare: item & alij actus eliciti ab aliis potentiis, & imperati à voluntate, vt manducare, loqui, ambulare. Gratia mediante Deo valde grati sunt actus illi, & æterna gloria compensantur. pag. 509. col. 1

Misericordia Dei.

Misericordia diuina prodit se maximè in creatione. Misericordia namque sita est in expulsione miseriæ; at summa fuit miseria nihil esse, sicque Dei misericordiæ creatio est locuples argumentum. Omnis enim miseria attenditur penes aliquod malum, & hoc eatenus tantùm est malum, quatenus à bono deuiat; & quantum est bonum, quod desinit esse, tantum etiam est malum, quo est affectus homo exutus eo bono, cuius priuatio illum miserum facit. Si ergo alicuius esse defectus, miseriam aliquam vehit, illa planè miseria summa erit, quæ res ad barathrum nihili condemnabit. Secus verò Dei insignis erit misericordia, quæ res eduxit è nihilo. Vates eò allusit ita fatus Thren. 3. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* Vide plura. pag. 104. col. 2

Missio inuisibilis.

Missio inuisibilis Filij & Spiritus Sancti attenditur

specificantur à fine: si ergo finem debitum non sortitur oratio, profectò malè dicitur oratio. At ille finis orationis congruus est, placere Deo, & illi vniri. Qui igitur aliena petit à Deo, non orat, sed delirat, non assurgit, sed deorsum vergit profanæ rei alicuius affectu & pondere prægrauatus. pag.568. col. 1

P

Passio Christi.

PAssio Christi fuit medium maximè propitium, ad conciliandam hominibus salutem æternam. Etenim tantò modus conuenientior est ad assequendum finem, quantò plura coëunt, quæ collimant ad eumdem finem. At in Passione Christi multa occurrunt, quæ congruunt illi fini præter detersionem culpæ, à cuius sordibus homines emundantur. Primò homini innotescit amor Dei, eò effusus vt sanguinem totum effuderit, ad diluendum scelus quod rebellis homo antea perpetrarat. Inde sumit Apostolus argumentum affectus, quo abundè Deus hominem dignatus. Rom.5. *Commendat* (inquit) *suam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Secundò multimodis ærumnis, quibus Passio coaluit, Christus edidit luculenta specimina virtutis omnigenæ quibus hominem excitauit, vt iniret sanctius institutum. Hoc Petrus insinuat ita fatus 1.Pet.2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Rursus idem sospitator non hominum tantùm peccata tersit, sed etiam adiecit gratiam, quam promeruit nobis, faciendo nos conscios gloriæ æternæ. Præterea Passione Christi cautior est effectus homo: nempe memor se redemptum sanguine Christi, magni facit illud beneficium, & cautè sibi inuigilat, ne excidat gratia, quam sanguis Domini parturiuit. Denique Passio illa cessit ad insigne decus hominum: quippe sicut homo victus fuerat & deceptus à diabolo, sic isto Dei decreto effectum est, vt alter homo diabolum elideret, & mortem superaret, in quam alij homines incurrerunt.

Vide pag.698.col.2.

Pauperes sunt beati.

Pauperum est regnum cœlorum, ergo pauperes sunt beati. Etenim ad hos pertinet illud regnum, in quos influit vberior gratia; sed vberior est gratiarum influxus in pauperes, quàm in diuites, quia se meliùs accingunt ad gratiam amplexandam. Nimirum vbi pauciores sunt obices ad gratiam recipiendam etiam apparatus ibi maior est; sed à paupere absunt præcipuæ remoræ, quæ hominem præpediunt. Duo autem sunt, quæ remorantur gratiæ influxum. Primum est intellectus versans simulacra rerum terrestrium. Alterum est affectus incautè rerum huius sæculi nexibus irretitus. Præpeditur homo auarus iis vinculis, & assiduus est in cogitatione lucri, versans animo suo modos idoneos ad rei familiaris incrementum, iuxta verax eloquium Christi: *vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Ergo quia pauper contentus sua sorte, curis huius sæculi non vrgetur, nec amore tenetur opum: mente expedita rebus omnibus Deum recolet, quando preces fundet, & in eum feruido affectu citiùs efferetur. Nam cum principes animæ facultates liberæ sint in paupere, gratia non cunctatur, sed influit abundanter. Rursus illud quod à Deo institutum est in augmentum gratiæ, sortitur intentum Dei, si nihil obstet ex parte hominis. Igitur cùm parcitas à Deo sit instituta, vt medium congruum ad beatitudinem acquirendam; si non inuitus homo rerum omnium indigus patitur inopiam, certè Deus illi non deerit, sed è cœlo dotes ad salutem comparandam congruas erogabit pag.573.col.1

Peccatum est gelu.

Peccando quasi frigore concrescit homo, quia gratiæ diuinæ calor penitus extinguitur. Rursus peccatum præcisè dicit affectum oppositum charitati, quæ tota ignea est, ac proinde facit necessariò animam obnoxiam frigori sempiterno.

Vide fusè totum hoc intentum.pag 669.

Peccati subiectum.

Peccata omnia sunt subiectiuè in intellectu, vel in voluntate, & sic à peccatis principes illæ potentiæ corrumpuntur. Verbi gratiâ, hæresis, iudicium præceps seu temerarium, nimia sui ipsius æstimatio, vitia sunt, quæ labefactant intellectum. Luxuria verò, odium, & vindictæ fera & insana cupido, noxij & lethales sunt habitus, qui corrumpunt voluntatem. Intellectus enim, & voluntas bifariàm spectari possunt. Primò velut potentiæ quas Deus animæ inseruit, vt earum beneficio suas actiones exereret. Secundò illæ potentiæ attendi possunt in ordine ad actus suos, qui sunt intelligere, & velle. Primo modo potentiæ illæ præcipuæ hominis sunt incorruptibiles, quacunque etiam vitiorum illuuie turpiter inundante. Corruptio enim est transitus ab esse ad non esse. Sed nusquam desinunt esse illæ potentiæ, etsi assurgat cumulus vitiorum, imò sine illis potentiis stantibus & integris nequeunt crimina perpetrari. Altero autem modo exploratæ illæ potentiæ, scilicet in actione sua magnam contrahunt corruptelam, quia versantur circa obiecta incongrua, quæ suam malitiam affricant animæ effusæ in res quæ illudunt animæ dementatæ. Hinc pertinax hæreticorum intellectus hallucinando corrumpitur in ordine ad actionem, quia impugnat veritatem, quæ Deo reuelante nobis innotuit, & tenaciter falsis thesibus assentitur. In simile discrimen incurrit animus superbia turgidus, & iniquus æstimator sui, dum credulus de seipso grandia concipit. Patitur & affectus in actione sua deliquium, quando fertur in noxia; deuiat enim à naturæ intento, quæ anhelat tantùm ad consona sibi, & refugit inimica. Totius autem huius dispendij rudimentum est auersio à Deo, quo influente in animam, intellectus & voluntas suum tenorem seruant: at secus anima auersante Deum pessum eunt omnes animæ facultates. pag.644. col. 1

Peccatum est negotiatio cum diabolo.

Peccatum iniqua est pactio cum dæmone, qui vt callidus nundinator merces suas omnigenas versat ante hominem, vt rerum discolor facies eum deliniat & inclinet ad mutua cum mundo & carne commercia iniqua, quibus incautè suam animam obligat, pauciora Dei commercia turpiter aspernatus. Etenim anima hominis diabolo obstringitur, quando fœdæ libidini & gulæ indulget; siquidem de ratione peccati est vt homo consentiat: consentire autem est velle: Sed qui vult aliquid, illud amat,

amat; & qui se amat, ille seipsum dat: amor enim est donum amantis. Igitur anima mundum & carnem amans se dedit eis, & diabolo, qui princeps huius mundi à Christo Domino nuncupatur. Est in hac negotiatione sita tota ratio peccati: illic enim anima à Deo auertitur, & conuertitur ad creaturam, & hinc emergit iniquitas summa, qua summa nequitiæ commercij cum diabolis innotescit. Dicimus iniqua commercia, quæ fiunt contra æquitatem: at in omni peccato violatur iustitia, & idcirco benè sacra Scriptura vocat peccatum iniquitatem, quia contra fas & æquitatem impiè perpetratur. 1. Ioan. 3. *Omnis qui facit peccatum & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Nam est contra æquitatem dare alteri id quod pertinet ad alterum: sed peccando vnusquisque suam animam diabolo oppignerat, quam Christus multiplici titulo demeruit. Ergo negotia sunt damnanda, quibus anima decepta vanis illecebris diabolo se credit callido mercatori.

Vide plura de hoc commercio. pag. 619. col. 2

Perfectio animæ.

Perfectionis animæ summa penes actionem est: omnis enim res actione perficitur. pag. 532. col. 2

Pontificis cura qualis esse debet.

Pontificis onus explicatur à Paulo Hebræos. Capite 5. *Omnis* (inquit) *Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.* Ne autem quispiam falsò suum in animum induceret Pontificis assumptionem esse merè speculatiuam abstractionem adiecit & praxim dicens, constitui pro hominibus in his quæ sunt ad Deum. Hoc autem charitatem sonat, quæ ab alio amore sincero differt, quòd amor amicitiæ vult bonum alicui, illius tantùm causâ; bonum, inquam, consonum naturæ illius, absque tamen vllo intuitu gloriæ æternæ. Sed charitas omnes suos actus exercit in ordine ad Deum vt vltimum bonum, cuius fruitione debet aliquando beari anima. Non sufficit ergo pio Pontifici amare suos subditos eo amore, quo pater deperit filios suos; affectus enim ille non præterit naturæ fines. Pontificis amor debet dirigi in Deum, quia *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.* Quamuis eleemosynis prouideat corpori egeno; attamen potior esse debet ei animarum cura, Dei fruitionem illis prouidè procurando. Ratio Theologica hæc est. Singulis sacramentis gratia peculiaris inest hominem afficiens in ordine ad gloriam, illo modo, qui signo sacramento consono lineatur. Vt quando sacris aquis Baptismi alluitur corpus, emundantur etiam animæ fæces, & ablutio externa notat eam quæ fit intrinsecus. Ita quando Pontifex consecratur in partem suæ Ecclesiæ, Deus inurit ei gratiam, qua filios suos spirituales amet; & hæc gratia est superioris ordinis, animam Deo deuinciens. Ergo & amor ille, qui Prælatis ex officio congruit, esse debet eiusdem ordinis ac gratia, vt est, quando salus animæ procuratur.

Vide alia argumenta. pag. 293. col. 2

Præscientia Dei.

Præscientia diuina nihil omnino rebus liberis necessitatis adfert, iuxta tritum illud Augustini lib. 3. de libero arbitrio. *Sicut in memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.* Vnde potest confici istud argumentum. Vt se habet memoria nostra ad præterita; ita & Dei præscientia ad futura. Vtriusque paritas in hoc est sita, quòd memoria obiiciat homini res præteritas vt præsentes, & præscientia Dei res futuras explicat vt astantes. Cùm dico paritatem, non eam intelligo omnimodam, quæ esse nequit inter Deum, & hominem. Sed demonstrationis gratiâ Augustinus comparat memoriam hominis cum præscientia Dei. At homo commemorans (verbi gratiâ) mortem Absalonis, quem pendulum è quercu Ioab confodit, homo ille reus non est mortis huius, quam reuocat in memoriam: quippe munus est memoriæ fideliter referre præterita, & nihil positiuum adiicere, quod imponat eis necessitatem, vt ita facta sint. Ita & præscientia Dei, quando futura videt vt præsentia, nihil eis affingit, quo necessariò debeant euenire. Nam de ratione præscientiæ est, habere res pertuias quæ futuræ sunt, nulla prorsus eis qualitate inusta, vnde necessariò emergant. Etenim illa Dei scientia non est causa rerum, sed duntaxat eas videt eo modo, quo sunt emersuræ suo tempore præstituto.

Rursus si illa Dei præscientia inureret aliquam necessitatem rebus eo solo quòd ab æterno Deus eas præuiderit, ipse Deus non esset liber in actionibus, quæ ad extra sunt. Verbi gratiâ, non liberè sed necessariò creasset homines, quia præuidit ab æterno se homines editurum.

Vide alia argumenta. pag. 558. col. 2.

R

Raptus quid sit.

Raptum sic definit Thomas 2. 2. qu. 174. art. 1. *Raptus est ab eo, quod est secundum naturam in id quod est contra naturam, vi superioris naturæ eleuatio.* Hunc raptum facit amor ex Dionysio.

Vide argumenta, quibus hoc probatur. pag 281. col. 2

Religio.

Religio duo dicit, videlicet cultum Dei, & seruitutem nostram. Cultus Dei excellentiam eius notat, quæ quia omnibus aliis eminet, singulares sunt actiones, quibus eminentiam Dei protestamur, vt sunt sacrificia, & adoratio. Seruitus debita, & qua nequit homo liberari, indigentiam hominum prodit, qui sunt obnoxij pluribus angustiis. Vt oratio est religionis actus, illa duo, scilicet cultus Dei, & seruitus animæ, in oratione sicut in terminis congruis includuntur. Homo Deo se sistendo sicut ei vnde fluit omne bonum, sonorè clamat eum esse Deum. Rursus opem eius mendicando, suam inopiam supplici animo confitetur. pag. 545. col. 2

Reprobi.

Reprobos ad prouidentiam Dei non pertinere, quidam falsò credidere, quia prouidentia Dei est ratio ordinis rerum in finem; sed reprobi omnem prætereunt ordinem; ergo à prouidentia Dei homines illi impij secernuntur. Sic arguunt illi, qui de prouidentia Dei circa malos iniquè sentiunt. Si staret illud argumentum, plerique viri sancti, & hi magni nominis, vt Paulus, Augustinus, & alij gemerent, in

in inferis, quia à Deo, & sibi ipsi iniqui aliàs extiterũt. Vnde quia à peccatis resilire, mutatio illa prodit singularem Dei prouidentiam, quæ opportunè cauit illis hominibus, à Deo tunc penitus alienis. Hanc Dei prouidentiam porrigere se ad malos etiam homines, hac theologica ratione patet. Cùm omne agens intuitu finis alicuius; tantùm se extendit ordinatio effectuum in finem, quantùm patet causalitas primi agentis. Hinc fit in operibus singularis alicuius agentis, vt aliquid prætereat finem intentum, quia aliqua extranea causa sese immiscuit illi operi præter intentionem agentis. Cùm ergo Dei causalitas sit infinita, nullus planè effectus erit in rerum natura, qui possit declinare finem intentum à primo illo agente, sicque quicquid participat esse, illud subditur diuinæ prouidentiæ, quæ etiam est solicita de reprobis, vt pertinentibus ad hoc rerum omnium vniuersum, & quibus vtitur Deus ad exemplum misericordiæ, quando vitam componunt in melius, secus verò facit iræ vasa nisi congruo tempore resipiscant.

Vide pag. 396. col. 1

S

Signum.

Signa Dei aliqua elucent in creaturis. Vnum est per modum vestigij, vtpote significans tantùm Dei transitum seu influxum, à quo illa res habet esse. Aliud est signum similitudinis, cuius tantùm compotes sunt Angeli, & homines conspicui gratia singulari. Ad hoc pertinet ille locus Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore.* pag. 250. col. 2

Simonia.

Simonia quando contrahatur, & quanta sit eius peccati nequitia.

Vide pag. 623. col. 1

Stare Dei seruos quid sit.

Stare Dei seruos ait Psaltes Psalm. 133. *Benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini.* Ad Galat. 5. *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Stare situm erectum, significat, & habitum expeditum. Item stare dicit quidpiam superius loco vbi statur. Iam stare Dei seruos ita probat Theologia. Deus illos habet tantùm in seruos, quos amat: *Iam* (inquit) *non dicam vos seruos, sed amicos.* Sed non amat illud quod deuiat & recedit ab eo statu, quem vnicuique Deus ipse indidit, qui hominem rectum fecit. Si igitur homo non stet, & ad diuina non assurgat, sed deorsum inclinet amans creaturas, non erit ille quem Deus edidit stantem, & superiorem rebus aliis infra cœlos, atque ita Deum esse ipsi in dominum non probabit, nec etiam in seruorum Dei numerum allegetur.

Rursus Dei seruus colligitur ex voluntate Dei, cui si morem gerit homo, profectò Dei seruus est; at Dei voluntas est, vt quicunque sunt eius, stent, sicut Apostolus insinuat hoc tenore: *Stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.* Col. 4. Itaque stat, qui adimplet voluntatem Dei, quam sic Paulus exprimit. 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Ergo nemo nisi sanctus stat. Denique stare, Dei gratia singularis est. Etenim homo nequit se in obsequium Dei componere, quin ex terra, cui addictus erat in cœno iacens, desuper erigatur. Dei seruos esse tales, id est rectos, ait sponsa Cant. 1. *Recti diligunt te.*

Vide alias rationes pag. 512. col. 2

Synderesis.

Synderesis Petrum post lapsum ad largas lacrymas excitauit. Scriba sacer eius describens historiam quatuor commemorat digna scitu, videlicet galli cantum, Christi oculos in Petrum directos, exitum eius ex atrio sacerdotis summi, & vberes lacrymas erumpentes. Namque penes illa quatuor est series omnis pœnitentiæ. Primò gallus, quasi classicum insonans, hominem desertorem admonuit, non esse indormiendum noxæ, sed quantocyùs resurgendum à casu. Gallicinium est synderesis animam solicitans eodem ipso momento quo peccauit. Illa diris stimulis animam exagitat, & vrget ad exitum; nempe sicut habitus primorum principiorum reuocat intellectum ab errore, si velit assentiri conclusioni erroneæ; ita synderesis animam discruciat, siquando rea crimini fuerit obnoxia: vt enim se habet habitus primorum principiorum ad speculatiua, ita se habet synderesis ad practica: & idcirco præit gratiæ iustificanti, quam denotat ille IESV CHRISTI aspectus, fortitus in Petro effectum, adeò salutarem. Quamuis enim synderesis sit gratia quædam Dei nos prouocans ad meliorem frugem; illa tamen gratia non est iustificans, vt in Iuda desertore liquet, qui perculsus ea synderesi retulit quidem triginta argenteos, sed non resipuit. Igitur ad verè pœnitendum operæpretium est Deum aliam gratiam adiicere; eam scilicet, quam Psaltes insinuat ita canens Psalm. 33. *Oculi Domini super iustos.* Eget homo Dei aspectu benefico, quem excipit animæ conuersio denorata cito in exitu Petri ex culina & cœtu hominum impudentum. In hoc nempe sita est animæ adultæ & pœnitentis iustificatio, vt dato libello repudij creaturis, tota in Deum citiùs effundatur. Esse supra vires humanas huiusmodi conuersionem, clarè docet Dauid, ita Deum orans Psalm. 84. *Conuerte nos Deus salutaris noster: Deus tu conuersus viuificabis nos.* Id est, frustra nitar ad gratiam reducem, nisi ad me præueniente gratia conuertaris.

Vide pag. 707. col. 1.

T

Trinitatis opera.

Tres præcipuè gradus entis recensent Theologi, quibus arguunt opera ad extra toti Trinitati esse communia. Tres hi gradus sunt, esse, posse, operari. Esse, Patrem denotat, qui est fons, & origo, principium de non principio, à quo omnia habent vt sint. Posse describit Filium vt Verbum quo Deus pangit & reserat ea quæ conclusit. Operari spectat ad Spiritum Sanctum, qui vt amor est, atque adeò impiger, iugiter operatur.

Vide pag. 252. col. 2

V

Verbum Dei audiunt, qui ex Deo sunt.

Verbo Dei capiuntur ij omnes, qui sunt futuræ consortes gloriæ Dei: qui namque finem

deperit

depetit affectu efficaci, nulla præterit media quæ conducunt ad finem illum citiùs assequendum. Cùm ergo Dei verbum maximè conducat ad animas dirigendas in viam cæli, pij quique viri sedulos se præstabunt cultores huius verbi sacri, quod ideo prædicatur, vt ad Deum, qui est finis, huius verbi homines euehantur. Rursus omnia naturaliter appetunt finem suum; at Deus est omnium rerum finis iuxta sacri codicis oraculum: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Ergo quò quis nobiliori modo in Deum dirigetur, eò etiam maiori œstro vrgebitur ad Deum totis viribus anhelandum. Sed hi, quos Deus ab æterno præstituit ad gloriam, præcipuo quodam modo ad hunc rerum omnium finem pertinent. Igitur nihil intentatum linquent, & omnem mouebunt lapidem, vt huic fini suo iugiter adhæreſcant. Itaque cùm verbum Dei erudiat homines, qua ratione queant fieri compotes eius boni, patulis auribus illud excipient, nec vllâ Dei sermonis nauseâ laborabunt.

Vide plura argumenta, quibus hæc veritas astruitur. pag. 650. col. 2.

Voluntas perfecta quæ sit.

Voluntas humana, Dei nutui se aptando, suam sortitur perfectionem. Etenim vnaquæque res eatenus est perfecta, quatenus illa refert suum prototypum; ad cuius ideam efformata fuit: at voluntas hominis est quædam participatio voluntatis Dei: Deus enim diuersos essendi gradus singulis aptauit, iuxta indolem, quam rebus indidit à natura, ita vt quicquid aliquod esse peculiare sibi vindicat, illud precariò habeat à Deo. Cùm ergo discernatur homo à brutis, illa animæ facultate, scilicet voluntate, illa potentia erit singulare donum homini concessum à Deo se communicante iuxta gradum illum entis. Igitur vt ille gradus entis sit perfectus, compositus esse debet ad amussim eius entis primi à quo deductus est, & effluxit, idest, vt voluntas sit tersa, & defœcata, debet coire cum voluntate Dei, à qua vt sit recta tenet, quando duæ voluntates hæ concordant. Si verò procul abest & deflectit à voluntate Dei, voluntas hæc humana, velut à præstituto typo degenerans deuia nuncupatur. Plura vide pertinentia ad idem argumentum pag. 270. col. 2.

Voluntatis sacrificium.

Voluntas oblata Deo præstat aliis omnibus vsquequaque rebus, idque iure, quia potior est homini cæteris rebus, titulo dignitatis. Quamuis enim oratio, ieiunium, & eleemosyna sint fructus indices amoris Dei, & pœnitentiæ; attamen eminet illis sacrificium propriæ voluntatis. Offeruntur enim in oratione voces, & verba Deo, ieiunio verò cibi, eleemosynam erogando, Deo dedicantur opes; sed in resignatione, & abnegatione sui, homo Deo consecrat principem animæ facultatem. Martyres non ideirco solum extitere Deo grati, quòd constanti animo subiere cruces, sed in hoc præcipuè fuere Deo accepti, quia voluntatem suam diuino nutui manciparunt. Nimirum illi meditantes esse Dei voluntatem vt tollerentur è medio patiendo dura; suam voluntatem refugam tormentorum, vt se aptaret ad nutum Dei, infracto animi robore coëgerunt. Martyrium auspicati sunt à cruciatu voluntatis, quæ cùm frangitur, ægrè magis angit & lancinat animam, quàm tormenta corpora diuexent, & inde sibi præsertim deuinxere Deum Martyres, quia priùs suam voluntatem, deinde pœnis immolata corpora consecrarunt. Patres eò vergunt, in quibus Gregorius ita fatur, homil. 3. in Euangelia: *Habet pax nostra martyrium suum, quia etsi colla ferro non subdimus; spirituali tamen gladio carnalia desideria trucidamus.* Hieronymus ad Eustoch. *Non solum effusio sanguinis in confessione martyrium reputatur, sed deuotæ quoque mentis seruitus quotidianum martyrium est.*

Vide plura. pag. 271. col. 1. & 2.

INDEX PHILOSOPHICVS.

A

Textus Philosophicus.



A *Forma præualente suam denominationem habet compositum.* Aristoteles lib. 7. Metaphys. text. 54.

Vt se res habet ad essentiam, ita & ad nomen; nomina quippe tantùm sunt symbola quædam idonea rerum indagini. Vnde quia in formis accidentalibus, quas insinuantur aquæ, frigus habet dominium, ab hac qualitate nomen habet aqua. Nam suppressa voce aquæ, liquor ille subit mentem quando frigida nominatur.

APPLICATIO MORALIS.

A dominio carnis, aut spiritus sortitur homo nomen. Namque prout caro & spiritus eminent in homine, morales ei habitus ingerunt, à quibus ipsi homini sic affecto tituli inglorij vel nobiles inuruntur. Dicitur carnalis homo, quando totus immersus est carni, factus vile sui corporis mancipium pecorum more viuens. Spiritualis verò nomen habet, quando suam animam excolit & instruit gratiis, & virtutibus spiritu tunc corpori præualente. Vide fusè rem hanc probatam. pag. 129. col. 1.

Accidens est magis ens entis, quàm ens. Aristoteles lib. 7. Metaphys. text. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Accidentis habet homo rationem in moralibus. Si namque Deo gratus eſt, in gratia non ſubſiſtit per ſe, ſed ſtatus ille eſt entis entium ens cæleſte, gratis homini de ſuper impertitum.

Vide pag. 107. col. 2.

Actio à vincente.

Albertus Magnus lib. 5. Metaph. tract. 5. cap. 3. aliud dogma primum hoc explicans ſic aſtruit. *Actio licet ab agente ſit, tamen eſt in patiente vt in ſubiecto, & eſt eius paſſio, vt motus eſt à mouente in motum, ſiue id quod mouetur, & eſt actus mouentis, & tamen eſt in eo quod mouetur.* Albertus idem in 6. princip. 1. cap. 1. affine refert aliud axioma primo, hoc tenore.

Actio ſemper eſt perfecti, & eſt in agente, vt in cauſa, & ſubiecto. Paſſio ſemper eſt imperfecti, & eſt in patiente, vt in ſubiecto, & mobili.

APPLICATIO MORALIS.

Animarum perfectio colligitur ex actione, ſicut è contrà malum animæ ſtatum arguit inertia. Nempe deſes anima otio fracta vacat à virtutum praxi aſſueta ſuis ſenſibus indulgere. Vita nequam animæ iniquæ, ſatis ſupérque clamat, eam eſſe vile diaboli mancipium. Nam *actio fit à vincente.* Quos diabolus vicit, hos ille iugo obſtringit miſeræ ſeruitutis. Vincit autem callidus hoſtis, quando ſuis ſibilis & ſuſurris homines inducit ad peccandum, in quos inhumanè ſæuit, exigendo pœnas æternas ab anima ſuperata pag. 164. col. 1.

Actio alia eſt humana, alia eſt hominis. Ariſtoteles ita diſtinguit actiones hominum lib. 1. Ethic. c. 7. & lib. 7. cap. 7. Quippe quædam facit homo prout animal eſt, vt edere, moueri localiter. Aliæ verò fluunt actiones ab homine prout diſtinguitur ab aliis animalibus, vt ſunt intelligere, & amare ſine errore cum delectu iuxta regulas inſitæ rationis. pag. 194. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Animalis rationis expertis agit homo vitam, quando viuit ad ſenſuum arbitrium, vacando gulæ, libidini, intellectu penitus inconſulto. Vergit eò Pſaltes ita fatus: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quia homo non intellexit, edit pomum vetitum vt iumentum, actio illa fuit hominis, non humana. Sed quando ſuo vtitur intellectu & voluntate ſicut par eſt, humana tunc actio nuncupatur.

Vide pag. 194. col. 1.

Agens omne finem intendit. Auerrois eſt axioma in lib. 1. Metaphyſ. text. 10.

APPLICATIO MORALIS.

Accingens ſe anima ad pſallendum, aut orandum, ſi fixa mente Deum non attendit, qui eſſe debet finis pſalmodiæ, atque precum, cute tenus agit, quod in res varias abſtructa facit, ac proinde gratis orat & incaſſum, quia perperam operatur. pag. 18. col col. 1.

Agens dans formam, dat etiam conſequentia formam. Auerrois eſt hæc ſententia 3. de cælo. tex. 28.

APPLICATIO MORALIS.

Anima dignata dote aliqua ſingulari, referre debet in Deum omne decus quod ex illa dote fluit, & non iniquè ſibi tanquam cauſæ boni operis gloriam vſurpare. Quicquid enim conſequitur gratiam à Deo acceptam, vt gloria, fama, decus, & honores, illud omne debet in Deũ refundi, à quo velut fonte primitiuo bona omnia deriuantur. pag. 203. col. 1.

Affectus eodem modo ſe habet ad media & ad finem. Ariſtoteles lib. 2. Phyſic. text. 89.

APPLICATIO MORALIS.

Anima exoſa bona opera, ſatis inde probat ſe eſſe ſalutis prorſus incuriam, ad hanc enim exantlato bono opere peruenitur. pag. 172. col. 2.

Animæ integritas attenditur ex perfectione potentiarum eius. Albert. Magn. De intellectu lib. 1. tract. 1. cap. 1.

Actionum integritas inſinuat potentias eſſe ſanas. Verbi gratiâ, oculus ægrotat, qui lumine modico offenditur, vt & membrum liuidum eſt, quod attactu querulum vim patitur: guſtus item peruertitur illi, quem non afficiunt exquiſitæ dapes, & optima condimenta.

APPLICATIO MORALIS.

Animæ facultas aliis imperans eſt voluntas, cuius obiectum, eſt bonum. Quando Deum faſtidit, qui eſt ſummum bonum, vt adhæreat fucato bono, deflectit ab ea rectitudine, quam vẽdicat ſibi cuiuſque potentiæ integritas, ac proinde iniqua eſt illa potentia, cuius actus elicitus impetit æquitatem. Eam ob rem dicimus iniquos eos omnes, qui delinquunt, quia contra æquitatem cor ſuum ſeu voluntatem deuouent ementito bono; Deo, à quo eſt omne bonum, penitus abnegato. Mundus eo pacto malus fit, eſtò bonus ſit conditus. Illo namque velut templo ad Deum contemplandum debuit vti homo, qui eo abutitur faciendo domum orationis ſpeluncam latronum; ſuffuratur enim quæ Dei ſunt, quando ſuam animam iniquè ditis deuouet, vt viliore quaque recula potiatur.

Vide plura huius generis. pag. 619. col. 2.

Appetituum, vnus eſt ſenſitiuus, alius rationalis. Albertus Magnus lib. 2. de anima, tract. 1. c. 7. Themiſtius lib. 1. de anima c. 18.

Appetitus ſenſitiuus dicitur ille, qui animal inclinat ad id, quod ſenſus ſuggerunt eſſe conuenięns, & abſtrahit ab eo quod ſenſus eſſe diſſonum inſuſurrant. Hic appetitus nunquam deuiat. Namque ſicut ſenſus ſunt determinati ad vnum; ita & appetitus ſenſitiuus non variat, neque dubius, imò ſui iuris non eſt; agitur enim, & non agit, ac proinde feræ ſiue beſtiæ non merentur neque peccant, ex defectu inſitæ libertatis.

Appetitus rationalis, eſt illa animæ propenſio, qua fertur homo in bonum à ratione, & quandoque à ſenſibus obiectum, & è contrà malum refugit apprehenſum. Libertate tamen ea ſe inflectit appetitus hic, vt quamuis inſcia ratione ſuos in actus non prorumpat, nequeat à ratione cogi, ſed potius illam obſtringat ad de obiecto quouis obuio diſputandum. Itaque cùm facultas illa ſui ſit iuris, intellectus eam ad arbitrium rationis minimè moderatur. pag. 263. col. 1.

Appe

Appetitus potentia passiua est, quia mouetur ab appetibili quod est mouens non motum. Aristot. lib. 3. de anima com. 54.

Appetibile non mouet appetitum nisi apprehensum. In quantum ergo ex appetibili apprehenso per sensum, mouetur vis appetitiua inferior, eius motus sensualis dicitur, & ipsa potentia, sensualitas deducto à sensibus nomine nuncupatur.

Iste appetitus dicitur inferior, quia conuenit rebus, quæ infra hominem sunt, vt patet in bestiis, quas etiam huiusmodi commouet appetitus.

Appetitus alius est, qui non solùm fertur in bonum, sed etiam in rationem appetibilitatis, id est, non duntaxat amat appetibile, sed etiam appetit id, ratione cuius res est appetibilis, vt honestatem, delectationem, vtilitatem. Appetitus hic dicitur superior, quia ab intellectu superiori parte animæ gubernatur. Vide plura de hac materia. pagina 301. col. 1.

Appetitus sensitiuus desiderio pollet, & animo. Aristoteles lib. 3. de anima.

Appetitus huius desiderium est inclinatio, animus verò, motus ille præceps, quo homines validè ab hoc appetitu noxio percelluntur.

Vide plura pag. 309. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Appetitus sensitiui ductum qui sequuntur, animales sunt homines, & non rationales, ac proinde malo duplici obnoxij. Primò gyrat semper & sese in diuersa rotat eorum animus inquies semper amans & cupiens illa, quibus plenè nequit dementatæ famem animæ satiare. Secundò sui iuris homo non est, qui sensibus seruit; quippe motus, quo à sensibus vrgetur homo ad peccandum, raptat eum ad arbitrium noxiæ voluptatis.

B

Textus Philosophicus.

Bonum vniuscuiusque rei attenditur penes formam quæ dat ei esse specificum, & non penes id quod habet se per modum materiæ. Arist. lib. 8. Metaph. cap. 5. text. 10.

Boni hæc descriptio succincta fiet exemplo liquidior. Lupus & ouis in hoc conueniunt quòd ambo corpus habent carne & sanguine coalescens, ideoque bonum aliquod proprium esse nequit eis secundùm illam rationem communem. Vt cruenta caro lupo bonum est eius naturæ quadrans, quia ratione suæ formæ ferum hoc animal ad carnem deuorandam fortiter inclinatur. Ouis verò secus horret ea, quæ ad prædam anhelus hiante gula lupus insequitur: namque pecus hoc mansuetum videlicet ouis habet à forma sua ouina vt inflectatur ad gramina depascenda. pag. 240. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Bonum proprium hominis est, quod conuenit illi ratione formæ, quæ dispescit eum à brutis, forma autem hæc est anima rationalis, cui nihil est conueniens præter ea, quæ rationi rectæ quadrant. Ergo dapes exquisitæ, libido, salus corporis, & aliæ deliciæ bestiis communes non sunt bona quibus homo debeat inuidere. Quæ verò bona sint homini propria, vide pag. 240. col. 1.

Boni diffusio est in motione apetitus, ita vt diffundatur quando appetitur. Arist. lib. 1. Ethic.

C

Textus Philosophicus.

Causæ inferiores quantumuis deficiant in prodendo suo effectu, impedire tamen nequeunt effectum & intentum primæ causæ. Aristoteles lib. de causis prop. 1.

Causa singularis aliquid corrumpens, non deuiat ab intento primæ causæ, quæ in corruptione vnius intendit generationem alterius, & in vicissitudine illa rerum procurat bonum vniuersi situm in natura suas alternante vices, dum occasum alicuius formæ subit exortus alterius, commodum vnius existente rei pristinæ detrimento. Vide pag. 46. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Causa quædam specialis, homo videlicet inimicus odit nos, & intendit opum iacturam, vel fortè famæ, imò sæpè vitæ discrimen: sed causa prima, Deus scilicet, iniurias illas aptat in vsus nostros, ac proinde mali credentes incumbere corruptioni nostræ, si intenta mala nobis æquo animo excipimus, nostræ etiam inuiti consulunt æquitati. Audit quispiam se conuitiis acerbè peti ab homine infenso: ille memor aliàs se peccasse, dicit agi mitiùs multò secum, quàm admissa crimina mereantur. Agnoscit eo in homine proteruo Deum vltorem, & adorat armatam flagello manum, sicque suum fœnus atque crum facit, inimici perfidiam: tempus enim nullum est aptius ad colligendos opimos gratiæ manipulos, quàm acerbitas hominum iniquorum. Vide fusè hanc veritatem astrui. pag. 47. col. 1.

Causa prima superior est, causans animam, & naturam, & reliquas res mediante intelligentia. Aristoteles lib. de causis prop. 6.

Causa prima, Deus scilicet, edit omnia entia iuxta rationem quam præhabuit: hæc autem ratio media quædam intellexit, & assignauit, quorum obsequio res editæ pergerent ad finē suum, & compotes eius essent, ideoque necesse est esse bona media illa quibus homines ad vltimum finem, qui est æterna beatitudo, ritè & congruè diriguntur. Ergo nequit nocere nobis æmulus quantumcunque sæuus, quippe tali liuore Deus statuit astruere salutem animæ, quæ afflata nequam huius sæculi aura perisset. pag. 49. col. 2.

Causæ ratio tota sita est in modo influendi, secundum quem dicitur causa efficiens, vel finalis. Aristotel. lib. 2. Metaph. c. 2.

Causa efficiens aliquid extra se facit, plerumque eiusdem naturæ, sicut quando ignis alium ignem, progignit. Causa verò finalis metaphorica motione influit in affectum, qui vrgetur appetitu finis, cuius bonitas innotescit. pag. 891. col. 1.

Cognitio duplex, vna sensitiua, alia discursiua. Alexander Alensis in primum lib. Metaph.

Cognitio sensitiua citra laborem obiecta apprehendit, est rationis expers, ad concupiscendum vel irascendum hæc facultas validè commouet appetitum.

Cognitio discursiua seu rationis, incipit à sensitiua, siquidem ab illa suas emendicat species. Notitia ista iugi & improbo labore debet acquiri speculando, iudicando, inferendo vnum ex altero, denique concludendo. Cognitioni vtrique suus congruus subditur appetitus. pagina 299. col. 1.

Consi

Consilium est tantùm eorum, quæ in nobis sunt. Aristoteles lib.3. Ethic. cap. 3. pag. 559. col. 1.

Contrariorum eadem est scientia, & contraria etiam passiones. Aristot. libro categoriar. c. 1.

Vide pag. 9 col. 1.

Corruptio est transitus ab eo quod est, ad id quod non est. Aristot. lib. 5. Phys. c. 1. text. 4.

APPLICATIO MORALIS.

Cùm delinquit homo, exuitur eo calore vivifico, quo vegetatus Adam in cunabulis desuper incaluit, eidemque pœnæ sit obnoxius, quam ille primus homo luit postquam intepuit. Cùm ergo frigus peccati succedat calori gratiæ, post peccatum anima vitiatur. Rursus homo cadens gratiâ, desinit in nihilum, iuxta planctum Psal. 73. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Sortitur enim rationem nihili omne peccatum, quia est defectus potiùs quàm effectus. Sic peccando fœdam incurrit anima corruptelam.

Vide plura pag. 644. col. 1.

Cuius est potentia, eius est actio. Aristoteles lib. de somno, & vigilia.

D

Textus Philosophicus.

Delectatio perficit operationem. Arist. lib. 12. Metaph. c. 3.

Datum est omni habitui, vt acuat ad agendum omnem potentiam cui insidet; siquidem habitus perficiunt animæ facultates. Attenditur & colligitur habitus ex facilitate agendi. Verbi gratiâ, argumentatur Philosophus peracutè, & grammaticus loquitur expeditè.

APPLICATIO MORALIS.

Dei gratia iustificans habitus est perficiens omnes animæ potentias, & ingerens singulare robur homini ad arduam virtutum praxim. Si ergo deses anima sit, & quasi inuita vacet bonis operibus, ab illa procul abest gratia, quæ ad ardua audenda solet homines excitare.

E

Textus Philosophicus.

Effectus omnis debet assimilari suæ causæ. Ficinus in Platonis Theologi. lib. 1. cap. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Eò vergit Christus, scilicet vt effectus assimiletur suæ causæ, quando suos hortatus est discipulos vt essent perfecti, sicut eorum pater cælestis erat perfectus. Quæris homo, penes quid ea sit sita perfectio, & similitudo, quam exigit à te causa, cuius es effectus? Respondeo, esse rei huius summam in hoc, vt quemadmodum Deus spiritus est, ita suam omnem operam impendat homo, vitam vt sic componat tanquam esset naturam spiritus esse-quutus. pag. 522. col. 1.

F

Textus Philosophicus.

Finis est nobilior mediis, quæ conducunt ad finem. Aristotel. lib. 2. Phys. cap. 9.

Finis habet se ad media, vt quies ad motum: sed quies est motui præferenda, quia æmulatur statum beatorum; ergo finem sapiens quisque solis mediis anteponet. pag. 158. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Finis supremus hominum est Deus, ad quem conducunt omnia creata, modò rebus iis homines vtantur vt mediis congruis ad salutem, & non fruantur iis vt vltimo fine, cuius possessione fruens anima conquiescat. Igitur magna Deo fiet iniuria si eo spreto, suos affectus obstringat homo rebus, quas duntaxat eo intento Deus edidit, vt illis vteretur homo velut mediis ad Deum ducentibus, & ad concipiendum amorem eius in nos congruis argumentis.

Finis mouet appetitum secundùm suum esse reale, & non secundum suum esse obiectiuum, quod concipitur ab agente propter finem. Auerroes lib. 12. Metaph. 36. pag. 633. col. 2.

Finis motionem non ab esse obiectiuo peti sed reali, experimento liquet. Nam haud quaquam ieiunat æger, nec pharmaca ingrata lubens & vltro sumit, vt ita sibi conciliet illam sanitatem, quæ nullum aliud habet esse, quàm obiectiuum, & intelligibile; imò totum se componit ad medici arbitrium, vt ita fiat compos eius sanitatis, quæ sita est in debita humorum temperie; illa tamen præuia cautione; verum vt esse reale notum sit: mouetur enim tantùm appetitus apprehensa vnicuique rei insita bonitate.

APPLICATIO MORALIS.

Facit homini incauto fucos quicquid in orbe micat, si quando vehit specie ementita boni summi imaginem: nempe nihil infra cælos prostat, quod vitreum non sit, & fragile: ideoque nihil in hoc mundo nitet dignum, cui summi boni titulus affingatur. Cùm ergo talis esse debeat animi propensio in res, quales esse suâ naturâ solent; profectò rebus caducis homo suum affectum minimè deuouebit. Vide plura de hac materia pag. 633. col. 2.

Finis est id cuius gratiâ aliquid fit. Aristoteles lib. 2. Phys. cap. 2. pag. 650. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Fit aliquid quando bonum est illud quod fit: quippe bonum, & aliquid perinde sonant, nec quidpiam esse potest aliquid, nisi quoque bonum sit. Cùm ergo Deus sit omnium planè rerum finis, profectò bona non erit actio illa, cuius intentio ab illo rerum omnium fine vltimo deuiabit: De iustis ait Scriptura: *Dies pleni inuenientur in eis.* Quia reuera bonum est & aliquid quod egere, sibi præstituendo Deum vt vltimum finem suarum omnium actionum. Reprobi verò lugent, & in inferno clamant se habuisse *menses vacuos, & noctes laboriosas*; quia namque nihil fecere boni, quicquid egere pro nihilo reputatur eis, quippe Deum sibi vt vltimum finem minimè præfixerunt.

Forma nobilior est materiâ, quam actuat. Forma dat esse rei; ergo cedit ei materia, etenim illa solùm substrata vices agit inglorias & seruiles præstando suum obsequium formæ, à qua suum esse specificum compositæ res omnes nobiles emendicant.

APPLICATIO MORALIS.

Formæ locum tenet anima rationalis in homine, caro verò vices obit materiæ. Ergo bona soli corpori procurata, sicut fercula lauta, vina pretiosa, libido, visus & aliorum sensuum illecebræ cedere debent gratiæ diuinæ cuius beneficio anima decoratur. pag. 158. col. 2

Forma est quæ dat esse rei. Aristoteles lib. 2. de anima textu 2.

APPLICATIO MORALIS.

Forma licèt hîc substantiam dicat, hoc non obstat quin præfatum illud axioma quadrare queat gratiæ, quæ est accidentalis forma nobis cœlitus erogata. Forma ille decor est animæ, cui dat esse tale, Dei v. ad similitudinem tunc fit, quando viget gratia diuina, sicut eâ extinctâ suum ad nihilum homo redit, iuxta vatis hoc lamentum: *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Satius esset homini non esse, quàm esse sine gratia, qua mediante Dei compos homo fiet. Quisquis ergo talem induit formam, attentè sibi cauere debet; eo namque dono cadens, in abyssum nihili deuoluetur. Vide plura pag. 410. col. 1

Fortitudo est magis circa timores reprimendos, quàm circa audacias. Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 9.

APPLICATIO MORALIS.

Fortitudo liquet in perseuerantia; siquidem sustinere, maius opus est, & fortius quàm aggredi, quod est audaciæ. Primò quia sustinere videtur aliquis à fortiore inuadente. Qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris. Difficilius autem est contendere cum fortiori, quàm cùm imbelli. Secundò ille qui sustinet patitur instantia pericula: ille verò qui aggreditur ea præuidet vt futura. At præstat non moueri à præsentibus, quàm à futuris. Tertiò sustinere, notat aliquod diuturnum tempus: sed quisque potest aggredi ex subito impetu, & repentino motu. Maioris autem est momenti, diu manere immobilem repugnando fortiter, quàm subitò moueri ad quidpiam arduum exantlandum. Hoc ex professo docet Aristoteles ita fatus: *Quidam sunt prauolantes ante pericula, in ipsis autem discedunt. Fortes autem econtrà se habent.* hæc ille libro 3. Ethicor. cap. 9.

G

Textus Philosophicus.

Generationis tria sunt principia. Aristot. lib. 1. Physic. cap. 6. text. 66.

Generationis in serie & tenore primas habet materia informis, quæ idcirco prima suum ad ordinem appositè & congruè nuncupatur. Secundum verò locum iure tenet priuatio, citra quam nulla forma se insinuat in subiectum. Nam generatio est progressio à non esse, vt à termino à quo: illud autem non esse est priuatio. Denique materiam dispositam aptè subit forma, quâ subiecto sicut par est vnitâ, quæuis res optimè coalescit.

APPLICATIO MORALIS.

Generationis habet ideam quandam iustificatio, seu animæ resurrectio. Homo vile mancipium carnis est subiectum regenerationis huius. Gratia diuina quasi recreans animas est forma, qua instructus homo redux opportunè Deum sibi conciliat resurgens à peccato factus influxu gratiæ rediuiuus.

Generationis contextus habet ex Philosophia duas priuationes, citra quas est omnis generatio incompleta. Prima priuatio est carentia formæ instantis: est enim in fieri forma, quæ debet in materiam congruam introduci. Altera priuatio est excessus, siue extinctio formæ oppositæ, & expulsio qualitatum, quæ remorantur ingressum formæ, quam inducere debet substrata materia. Anima addicta carnis obsequiis, vt est gratiæ expers, priuationem illam patitur. quam Physica reponit inter prima principia; sed non gaudet ea priuatione, quæ eliminat obices ad introitum formæ alterius, id est, gratiæ cælitus eminentis. In hac priuatione totus est rei cardo; nusquam namque fiet spiritualis homo: nisi pereat animalis homo: nimirum discolor est omnino cura siue salus corporis & animæ; quippe malè habet anima, corpore saginato. Si quis ergo cupit resurgere, à peccato volens ad gratiæ statum assurgere, ille debet se accingere ad hoc singulare bonum, ab interitu corporis auspicandò. Vide plura pag. 717. col. 2

H

Textus Philosophicus.

Habitus est talis, qualis ratio formalis eius. Aristot. lib. 8. Metaph. cap. 5.

APPLICATIO MORALIS.

Hominum extra fines Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ fides est, cuius ratio formalis est veritas quæsita ratione humana, quæ hallucinari & errare potest, quia vt se habent præmissæ, ita & se habent conclusiones inde ductæ: sed in præmissas irrepere mendum potest; ergo & in conclusiones. Ideoque procax genius hic est omnium hæreticorum, scilicet prouocare ad sensus, vbi agitur de rebus ad fidem spectantibus: desertores enim Ecclesiæ nesciunt res peruias sensibus, & dogmata credita dissidere. pag. 232. col. 1

Habitibus vtimur cum volumus. Aristot. lib. 3. de anima.

Hoc axioma verum est de habitibus acquisitis proprio Marte, natura duce, sed non ad arbitrium nostrum vtimur gratia habituali, sed operæpretium est ad exerendos actus huius habitus animam supernis auxiliis præuiis excitari.

Vide plura pag. 467. col. 2

I

Textus Philosophicus.

Iisdem nutrimur quibus constamus. Aristot. lib. 2. de gener. cap. 2. text. 10.

APPLICATIO MORALIS.

Iſtud axioma valet in argumento ſacri corporis Chriſti, quo repurgata ſicut congruit anima ſaginatur: cùm namque coaleſcat homo ex corpore & ſpiritu, alimento debet idoneo paſci, quo vtrique ſcilicet animæ & corpori conſolatur. Euchariſtia ſacratibus eſt corpore & ſpiritu conſtans, ac proinde quaſi concolor hominibus, quorum ruinæ à peccati fomite conſcitæ poſſunt illo pane velut remedio congruo reparari. Vide plura pag. 613. col. 1

Intellectus, circa quod quid eſt, ſemper verus eſt. Ariſtot. lib. 3. de anima, text. 26.

Intelligendo res ſimplices, vt ſunt eſſentiæ, intellectus eſſe nequit errori obnoxius; quia vel totaliter non intelliguntur, & ita nihil de his cognoſcitur; vel intelliguntur vt ſunt, & ſic non deuiat intellectus à ſcopo liquidæ veritatis. pag. 143. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Intelligendo ſeu recogitando Deum, qui reuera ſolus eſt, qui quod quid eſt: nam infra Deum, nulli enti quod ſit quid, id eſt, per ſe ſubſiſtat, poteſt propriè conuenire. Hoc ens ſubſtantiale primum, independens, à quo velut fonte fluunt alia omnia entia, quiſquis attente ſuo recolit animo, flocci pendit ea omnia, quæ ſub cœlo micant, & reputat indigna quibus ſuum affectum communicet, quem duntaxat vni Deo enti primo debet integrè conſecrare. Intellectus ille Dei eminentiam meditans errare nequit, ei poſtponendo gazas, & ſæculi pompam: ſunt namque viles quiſquiliæ & mera oculorum ludibria, cuncta quæ ſub ſole micant, ſi ab intellectu perſpicaci cum Deo optimo conferantur.

Intellectus verò poteſt errare ſuam dirigens aciem in coruſcum & ſplendentem mundi huius ornatum. Nam lumine ementito facit aliquando fucos eis, qui incautè credunt eſſe verum, ſolidum, & perennem illum mundi rutilum apparatum.

Intellectus obiectum eſt, quod quid eſt. Ariſtot. lib. 5. Metaphyſ. textu 11. & 15.

Intellectus ea repurgando, quæ recolit, aliqua ratione facit intellectualia, ſpecies ſenſibiles hauſtas à ſenſibus ab omni corpore defæcando. Intellectus ordinatur ad actum, & hic ſcilicet actus, ſpecificatur ab obiecto. Ideoque talis erit actio, quale obiectum animæ ſpeculantis. Vide Thomas ait in quæſt. de ratione ſuperiori art. 2. rationem diſtingui in ſuperiorem, & inferiorem. Illud enim omne quod recolit anima, eſt ea nobilius, vel inferioris ingenij. Si ſupra animam ſit, illud erit Deus aut Angelus; tunc anima perficitur ea intellectione, qua aſſurgit in ideam naturæ potioris ea quam circumfert, ideoque talis actus dicitur rationis ſuperioris; quia ſeipſam, meditando Deum, aut Angelos, ratio ſuperauit. Si verò ſecus anima dehiſcens ad inferiora ſe demittit, ea quæ ſunt ingloria recogitans, illa ſic diſcurrentis animæ ratio dicitur inferior, quia cogitauit ea quæ ſunt ſæculi dilabentis.

Vide plura pag. 664. col. 2

Intelligere eſt viuere. Ariſtoteles lib. 9. Metaphyſic. textu 51.

APPLICATIO MORALIS.

Intelligere non promiſcuè viuere ſignificat, ſed appoſitè ad rationem vitam inſtituere. Si ergo viuit homo, ſui ad ſenſus arbitrium ſpreto rationis vſu, non intelligit, ſed pecorum more viuit, ab illecebris ſenſuum excitatus. pag. 82. col. 2

Intelligentem neceſſe eſt phantaſmata ſpeculari. Ariſtot. lib. 3. de anima, textu 39.

Intellectus poſſibilis eſt intellectionis impos in hoc æuo niſi adſciſcat ſibi formas, aut ſpecies intelligibiles, quibus ad intelligendum debet informari. Cùm verò nudum intellectum ſit ſortitus homo, datus eſt ei intellectus agens, qui producit ſpecies in intellectu poſſibili, quas nec intellectus agens nequit depromere niſi exerat illas à phantaſmatibus, quæ non ſunt res ipſæ ſenſibiles, ſed rerum ſenſibilium imagines, quæ eruuntur à ſenſu interiori, & concurrunt cum intellectu agente, ipſum determinando velut obiectum. Quia igitur anima indiget ſenſuum obſequio, & imaginum ſenſibilium, vt aſſurgat ad res ſuperioris ordinis, data ſunt ei phantaſmata, à quibus dependet, non vt ab organo, ſed vt ab obiecto, quod conſciis ſenſibus, ſe ſe inſinuat in animam, vbi repurgantur ab intellectu illa rerum ſenſibilium inſita ſimulacra. Vide pag 415. col. 1

L

Textus Philoſophicus.

Liberum datur aliquod, agens liberè ex aliquo. Ariſtot. lib. 2. de cœlo, textu comment. 18.

Libertatem arbitrij ſic Philoſophus aſtruit. Poſitis extremis in natura rerum, conſequens eſt vt ponantur & media. Sed in hoc vniuerſo datur vnum extremum, ſcilicet Deus agens liberè & ex nihilo. Eſt & aliud extremum agens ex aliquo, & neceſſariò, vt ſunt agentia merè naturalia, vt ignis, qui è ligno facit ignem. Ergo fuit ad orbis integritatem procreandum agens aliquod operans liberè ex aliquo. Illud agens medium inter Deum, & agentia naturalia eſt homo ſui iuris, ab inſita libertate.

Vide plura de hac libertate. pag. 559. col. 1

Luminare, lux, lumen, ſplendor, diſtinguuntur. ex Alberto Magno in 2. de anima, tract. 3. cap. 2.

Luminare eſt corpus habens in ſe lucem vt formam. Huius generis ſunt ſidera. Lux eſt forma luminis in luminari. Lumen eſt quod receptum eſt in alio corpore illuminato. Splendor eſt diuaricatio luminis ſuper corpus politum & terſum.

Vide pag. 92. col. 2

M

Textus Philoſophicus.

Materia prima velut iners, impos eſt actionis: nimirum cauſalitas eius eſt in paſſione ſita magis quàm in actione: recipit enim formam, à qua, & cuius beneficio omne compoſitum accingitur ad agendum. Ariſt. lib. 1. de generat. cap. 7. textu 55.

APPLICATIO MORALIS.

Materia prima refert hominis ingenium ipſâ ſuâ naturâ nudum, & ineptum ad actiones ſuperioris ordinis exerendas. Si namque Dei gratia non accingat eum, ille nihil omnino poteſt edere cœlo dignum;

dignum: nempe totus est in passione, feris iisque crebris motibus agitatus. pag.2.col.2

Materia, ex qua sidera concrescunt, impatiens est alterius formæ quam cælestis, & inde petitur perpetuitas illa, quam nacti sunt cœli, vtpote compacti ex fermento, quod alio charactere nesciat informari. Aristoteles lib.1. de cœlo, cap. 3. textu 20.

APPLICATIO MORALIS.

Mala seu ærumnæ, quæ in hoc æuo premunt homines, cœlestes eos efficiunt, ideoque tenax adeò est gratia quam sancti baiulando crucem sibi conciliant, vt rarò à beatis illis mentibus expungatur.

Motus est actus entis in potentia, vt in potentia est. Aristot.lib. 2. Physic.cap. 2.text.6.

Motus species sunt tres. Prima locum respicit: secunda notat alterationem: vltima pertinet ad augmentum. Quò virtus agentis erit potior, eò quoque motus localis erit vegetior, fortior alteratio, & amplius incrementum.

APPLICATIO MORALIS.

Motio gratiæ diuinæ potens vt est ad agendum, ita reos homines quando subit, eos potenter agit ad omnia pœnitentiæ munia fortiter obeunda. Primò facultas illa motrix, quæ despoticè membra mouet, vrget manus ad restituenda malè parta; pedibus indicit vt adeant Ecclesiam, & ori imperat vt silentium soluat explicando vitæ præteritæ seriem & contextum. Cor angore totum frangitur, & plerumque talis est alteratio, vi fletibus diluta quasi corpora colliquentur. Denique virtutis ea sunt incrementa, quibus homo Dei gratia conspicuus assurgit, vt virtus illa finis nescia videatur.

N

Textus Philosophicus.

N*Atura abhorret à vacuo.* Aristot.lib.4.Physic. cap.2.

Natura rebus nexum indissolubilem fecit, ne cœlorum vis omnia vegetans, incurrens in vacuum cassa foret, effectu intento naturæ congruo defraudata. Egent namque cœli medio aliquo reali, quo tanquam vehiculo feratur eorum influxus ad omnes orbis oras. Quamuis enim cœlo influente viuat omne vitæ compos; si fortè tamen daretur vacuum in specu, & illic esset homo, profectò cœli influxus ad illum minimè pertineret. Non idcirco dici posset esse cœlum impotens, quia homo in vacuo illo degens careret eo benefico influxu, quo quæ infra cœlos sunt omnia vegetantur. Refundendus esset hic defectus cum in hominem, qui lateret in vacuo positus in inani, contra præstitutas à natura leges, quibus cautum est, nullas dari actiones, quin termini sint reales, positiuis etiam mediis interiectis.

APPLICATIO MORALIS.

Non exerit vim suam in homines crux Christi, si sint in vacuo. Vacuum & inane dico omne peccatum, quo anima passa quasi deliquium reducitur ad nihilum. Illis enim non est propitia crux, qui sunt in vacuo non deficiente crucis virtute, sed vitio reproborum hominum, qui nolentes resilire suis à vitiis obstant, ne ad illos positos in vacuo gratia diffundatur. Vide plura de hoc peccati vacuo. pag.76.col.1.& 2

Necessarium multimodè accipitur. Ex Aristot. lib.5. Metaph. text.6.

Necessarium vnum est ab intrinseco, aliud ab extrinseco. Necessarium est aliquid intrinsecè, cùm alio modo se habere nequit. Essentiæ omnes necessitatis huius carcere concluduntur. Necessarium ab extrinseco dicitur, quando præpotens aliquod agens causæ efficientis præpedit actionem. Vide plures necessitatis huius species & exempla. pag.107 col.1

O

Textus Philosophicus.

O*Mne viuens quamdiu viuit necesse est nutriri.* Aristot.lib.2 de anima textu 47.

APPLICATIO MORALIS.

Opportunè quadrat Eucharistiæ necessitati hoc Philosophiæ effatum. Namque sicut humidum radicale perit exhaustum ab insito calore, nisi ruinas eius, & iacturam congrua sarciant alimenta. Ita fomes peccati, residuus in natura reparata, malis innumeris homines in hoc æuo facit obnoxios, & præsertim peccatis quæ ex infirmitate fluunt. Detrimentis ab hoc fomite passis itur obuiam, allato à Christo desuper Angelico pane, quo deficiens anima recreatur. pag.435.col.2

Omne quod est in potentia sine actu, male habet. Aristot. lib.9. Metaphys. text.22. Nam vel illa potentia respicit bonum aliquod congruum, & sic illa dicit priuationem quæ est quoddam malum. Si verò potentia præfata malum aliquod imminens respicit, eo modo malum significat: nam subditum esse malo instanti, imperfectionem notat; imperfectum esse, malum est.

Vide plura pag.587.col.1

Oportet intelligentem phantasmata speculari. Aristot.lib.3.de anima, text.39.

APPLICATIO MORALIS.

O curas hominum, exclamabat olim Poëta curis ipse vanis implicitus, à quibus nec immunes esse solent homines, quos intelligentes, & prudentes huius sæculi nuncupamus. Illi nempe rarò Deum animo versant, sed terrenis semper addicti, simulacra rerum inanium toto sui æui tempore speculantur. pag.524.col.1

P

Textus Philosophicus.

P*Eruertit iudicium vitiositas, principiorúmque eorum inducit errorem, vnde actiones, & officia proficiscuntur.* Aristot.lib.5. Ethic.cap.12.

APPLICATIO MORALIS.

Præsertim istud axioma verum esse liquet in luxuria; siquidem integritas potentiæ cuiusque prodit se in actibus ingenuis, & sinceris,

vt potentiæ visiuæ acumen colligitur ex liquida visione, cuius obsequio minutiora quæque sanis oculis innotescunt. Ita rationis integer & sincerus habitus attenditur penes actus eius, qui sunt iudicare & inferre vnum ex alio; sed præpedit illos actus obscœnus amor: nam mulierum obiecto sensitiuus appetitus adeò validè concutitur, vt vltro manus homo det Veneri prouocanti. Etenim illa bonum pollicetur, cuius illecebræ sensum demulcentes homini imponunt, & blandiendo pelliciunt ad consensum, qui à ratione extortus magnum arguit in homine deliquium: hominis enim est agere,& non agi. Agitur autem, quando ratione inconsulta rapitur à sensibus, quibus stipata libido præpedit intellectum. Sunt enim eo contextu implexæ duæ illæ potentiæ, scilicet intellectus, & appetitus sensualis, vt vnâ illarum facultatum intensè occupatâ sequax altera incliner eò quò alia perculsa tota vergit, & id iuxta rerum omnium connexarum indolem, quæ validioris impetum consequuntur,

Præterea siquid est mali in turpibus obsequiis carnis, illud inuium est homini, nec omnino potest illud esse notum, nisi alta rationis indagine à sensibus abstrahente. Sed homo sensibus obstrictus ferias rationis indicit, quia vegetior est actio appetitus sensitiui, quàm discursus. Ergo omnis quem turpis vrit libido malè habet, vtpote deuius à ratione, quia ignarus bestiarum more solis sensibus adhæretcit. Et ita patet veritas effati huius: *Peruertit iudicium vitiositas.* Vide pag. 608. col. 2

Prius & posterius dicuntur iuxta relationem ad aliquod principium. Est Aristotelis apud Thomam 2.2.qu 26. art.1.

APPLICATIO MORALIS.

Primas amor noster dare debet iis qui propius ad Deum accedunt: quippe Deus est principium charitatis. Parentes autem, & superiores habent quamdam Dei imaginem. Igitur à nobis sunt amore statui eorum congruo prosequendi.

Præire debent etiam in amore rebus terrenis ea quæ ad salutem animæ pertinent. Verbi gratiâ, virtutes, & gratia diuina debent omnibus vsquequaque rebus infimis anteponi.

Vide plura. pag.598.col.1.& 2

Prouidentia est ratio in intellectu praexistens rerum ordinandarum ad suos fines. Aristot. libro 6. Ethic. cap.6.

Q

Textus Philosophicus.

QValitas ita suum subiectum afficit, *vt illud agat iuxta naturam illius accidentis.* Aristot. in prædicamentis.

Quamuis aqua suâ naturâ frigus insitum habeat; illa tamen vrit, si accenso foco deforis incalescat.

APPLICATIO MORALIS.

Quiuis homo suâ naturâ friget, vtpote procliuis ad peccatum, quod vt statim atque primum hominem obstrinxit, ita tota proles eius obriguit vt illo gelu concreti omnes ab incunabulis homines inhorrescant. Sed cum miserante Deo diuinus amor vrit corda, suam præter naturam gelidam ardet homo mira patrans facinora; quorum omne decus & gloriam referre Deo debet, quo influente fuit peccatorum glacies eliquata. pag. 277. col. 2

Quicquid mouetur, ab alio mouetur. Aristoteles lib.8. Physic. text.32.

Quamuis multa penes se habeant principium motus; illa tamen dicuntur ab alio moueri, quia à causâ prima suum esse omnia emendicant.

APPLICATIO MORALIS.

Quid habes quod non accepisti; si ergo totum alterius est, quo inualescis homo, diues, atque rerum egregiè gestarum insignis, quare tui ortus immemor vsurpata tibi gloriâ ventosæ pilæ similis intumescis? pag.659.col.2

Quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito. Aristot. lib.3. Metaphys.text.3.

APPLICATIO MORALIS.

Quando Deus hominum mentibus illabitur, illas eo influxu abundè ditat, vtpote stipatus omnium agmine gratiarum. Secus verò dæmon cùm se animis hominum insinuat, infinita secum mala vehit, quibus oppressus homo gemit impar oneri peccatorum.

Vide plura pag.413.col.1

S

Textus Philosophicus.

SCientia est necessariorum, *quæ alio modo se habere non possunt.* Aristoteles lib. 1. posterior. cap. 7.

APPLICATIO MORALIS.

Suspecta est & dubia scientia illa rerum omnium editarum, quam illucente solo naturali lumine comparamus. Cùm namque nihil sub cœlo sibi constare queat, nulla potest esse sincera rerum ancipitum peruia scientia. Vnde Vates acerbè deflet hominum amentiam, qui inesse putant aliquam constantiam huiusce vitæ rebus. *Mendaces* (inquit) *filij hominum in stateris.* Dum nempe votis anhelis opes venantur, & gloriam, serò suo experimento sciunt esse fugax quicquid credidere ratum & fixum: facta demum aliquâ iacturâ lugent, & fatentur suffusi pudore nihil posse diu in hoc præcipiti sæculo perennare. Psaltes idem acutè notat hanc errori obnoxiam hominum scientiam. *Thesaurizat* (inquit) *& ignorat cui congregabit ea.* pag.626 col.1

Sensatio non fit sine animaduersione. Caietanus in lib.de anima, cap.6. & 11.

Si quis animum non applicet ad vnionem potentiæ & obiecti, sensus erit expers. Verbi gratiâ aliquo perorante, procul animo abstractus homo, nihil audit eorum, quæ orator auribus insusurrat. Actiones enim cùm sint suppositorum, & hominis suppositum sit finitum; homo nequit sufficere ad duas actiones, si earum ratio discolor sit, vt videre est in operatione mentis, & sensuum: siquidem languet opus sensuum, animo præualente.

APPLI

APPLICATIO MORALIS.

Senſibus obſtrictus homo, deſes eſt in iis quæ ad ſalutem animæ pertinent: ſenſualis enim delectatio voluptatis obſcœnæ comes, ita totum hominem abſorbet, vt anima deliciis titillata Deum non audiat ad reſipiſcentiam interiori ſibilo prouocantem.

Vide plura de hac materia. pag.610 col.1

Signum eſt id omne, quo deuenimus in notitiam alicuius rei. Scotus in lib.4.ſent.diſt.1.qu.2.

APPLICATIO MORALIS.

Signum ſanctæ Crucis ferre nequit dæmon: eſt namque memor eâ viſâ plagæ ſibi à Chriſto inflictæ crucis obſequio: nempe talis armatura ferum hoſtem exuit dominio, quod in proſtratos homines duriùs exercebat. Signo Crucis obiecto gemit hoſtis: ſed præcipuè horret eos, qui baiulando crucem, id eſt, agendo vitam auſteram & humilem, carnem ſuam crucifixerunt cum ſuis concupiſcentiis, ac proinde fiunt æmuli Chriſti Domini crucifixi. pag.61.col.1

Signum habitus acquiſiti eſt delectatio. Ariſtoteles lib.2. Ethic. cap. 39. Habitus generatus ad tria conducit, ſcilicet ad promptitudinem, firmitatem, & delectationem in opere.

APPLICATIO MORALIS.

Suauitate quadam anima perfuſa rebus in diuinis, vltrò Deum colens, atque benè affecta piis in omnibus obſequiis, ita ſatis ſuperque probat ſe eſſe ſacro Dei gratiæ habitu decoratam.

Suauitatis huius ratio eſt petenda à concupiſcentia coercita. Quò nempe minor eſt impetus appetitus ſenſitiui, eò minus eſt negotium quod faceſſit animæ cautæ ſuis ſtimulis importunis. Vnde quia virtutis ſtudioſus homo retundit aculeos inſitæ concupiſcentiæ, quæ hominem potenter agit in omnes ſenſuum illecebras, toties retundit acumen hoc vt inde fiat hebes, nec eo animus inquies amplius vrgeatur. Itaque ſubeunte locum vitij virtute acquiſita, & extirpatis ſentibus, hilaris anima virtutis edit ſpecimina, quæ primo conamine fuerant aſpera, corpore reluctante. Adde, pluribus actibus egregiis editis conſciâ Dei gratiâ fieri augmentum gratiæ eiuſdem, cuius influxu fit anima vegetior ad compeſcendos appetitus noxij inſultus, quo ſedato mira ſuauitate conditur omnium virtutum praxis, & omnis auſteritas contracto Dei gratiæ habitu mitigatur. pag.445.col.1.& 2

Species quò nobilior eſt, eò etiam nobiliore modo genus participat. Thomas qu.21.de bono art.1.

Species animalis ſunt, vermis, homo, leo, ſed digniore modo eſt animalitas in leone, quàm in verme, & rurſus homo præit leoni in illa ratione generica: eſt enim homo animal rationale, & ſpecifica differentia non diſtinguitur realiter à ratione generica in indiuiduis, vt in homine rationalitas etſi formaliter ſit quidpiam diſtinctum ab animalitate; non idcirco tamen eſt aliquid realiter diſtinctum, ſed duntaxat vnum compoſitum ex differentia & genere coaleſcit.

APPLICATIO MORALIS.

Status varij hominum, vt ſæculares, Religioſi ſacerdotes non eadem ratione nomen Chriſtianum participant. Sed vt vita Religioſa præit ſæcularium ſorti, ita debet in Religioſo nomen Chriſtiani ſanctitate morum cunctis huius mundi affectis eminere. pag.291.col.1

V

Textus Philoſophicus.

VBicumque poteſt reperiri potentia ſine actu, ibi poteſt eſſe malum. Ariſtot. lib.9. Metaphyſ. textu comment.22.

APPLICATIO MORALIS.

Variat in hoc beatorum & viatorum ſtatus, quòd voluntas in beatis eſſe nequit ſine actuali amore Dei; ſed in viatoribus ſæpe friget hæc facultas, ſubſtituendo Dei amori affectum plerumque rerum animæ noxiarum. Idcirco malum eſſe nequit in beatis: nam peccatum, & diuinus amor non coëunt. Sed degentibus in hoc æuo malum ſe affricare poteſt, quia ab amore Dei actuali ſæpe princeps facultas animæ feriatur.

Vide pag.583.col.1

Veritas cuiuſlibet rei eſt proprietas ſui eſſe. Ariſtot.lib.10.Metaphyſ.comm.5.

Voluptas eſt motus quidam animæ, & affectio tota ſimul ſenſibiliter in naturam proficiſcens, cuius contrarium eſt dolor. Ariſtot.lib.1.Rhetoricorum.

APPLICATIO MORALIS.

Virulenta ſicut voluptas vbi hominem infecit ſuo veneno, malè totum afficit; ita dolor pœnitentiæ ex diametro voluptati oppoſitus hominem reſtituit integræ ſoſpitati. pag.551.col.1

Vt ſe res habet ad eſſe, ita ſe habet ad cognoſci.

Vtinam hoc axioma ſæpe ſuo animo verſarent homines elati, & aſſurgentes in cothurnos, eò quòd indulgente natura dotes aliquas ſunt ſortiti. Si recolerent eſſe bona omnia mutuatitia & neminem poſſe ſibi quidpiam attribuere, minimè ſuperbirent. Si cognitio concolor eſſet eſſentiæ, quiſque ſui nihili conſcius humilia ſaperet, nec vllus eò inſaniæ prorumpere auderet, vt conceſſa gratis è cœlo dona ſibi turpiter arrogaret. Imò ſecus vnicuique cura ſagax eſſet refundendi in Deum gloriam, quam egregia facta ſibi vendicant: imbelles nempe niſus ſunt hominum ad ardua & præclara audenda niſi cœlitus adiuuentur.

Vergit eò fortè verax hoc effatum Philoſophi: *Omnis peccans eſt ignorans.* Quiſquis enim mutuata ſibi arrogat vt propria, ille procul à vero aberrat; ſed errare rebus in neceſſariis, vt eſt propriæ infirmitatis agnitio, perinde eſt ac prima elementa vitæ Chriſtianæ nota tyronibus turpiter ignorare.

Vide pag.583.col.2

INDEX TEXTVVM IVRIS CANONICI.

dixit: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. *Can. Panderet. §. Nos verò. distinct.* 50. pag. 26. col. 2

Nouerint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum. *Can. Sedulo. dist.* 38. pag... col...

Nullus Patriarcharum vniuersalitatis vnquam vocabulo vtatur: quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cuiusquam mente, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquam suis in epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum. *Can. Nullus. distinct.* 99. pag. 139. col. 2

Nullus laicorum Ecclesias, vel Ecclesiarum bona occupet, vel disponat. Qui verò secus egerit, iuxta beati Alexandri capitulum ab Ecclesiæ liminibus arceatur. *Can. Nullus* 16. *qu.* 2. pag. 50. col. 1

Nunc autem arbitror templum Dei ex lapidibus viuis constructum, esse Ecclesiam Christi. Sunt autem multi in ea, non sicut decet viuentes spiritualiter; sed secundùm carnem militantes, qui & domum orationis de lapidibus viuis constructam faciunt speluncam esse latronum actibus suis, non Ecclesiâ Dei dignis, sed speluncâ latronum. Qui enim considerat in multis Ecclesiis talium Christianorum peccata, qui arbitrantur quæstum esse pietatem, & cùm deberent de Euangelio viuere, secundùm quod viuere decet seruos Dei, hoc non faciunt, sed diuitias, & multas possessiones acquirunt, nonne dicet speluncam latronum factam esse sub illis Ecclesiam. *Can. Et hoc. §. Nunc autem.* 16. *qu.* 4. p. 622. col. 1

Nunquam de manu tua, & oculis tuis recedat liber: dicatur psalterium ad verbum, oratio sine intermissione. Vigil sensus sit, nec vagis cogitationibus patens, corpus pariter & animus tendantur ad Dominum: iram vince patientiâ. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. *Can. Nunquam, de consecrat. dist.* 5. pag. 619. col. 2

Nuptiæ terram replent, virginitas Paradisum. *Can. Nuptiæ.* 31. *qu.* 1. pag. 307. col. 1

O

Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei Aue, communicat eius malignis operibus. *Can. Omnis.* 23. *qu.* 1. pag. 228. col. 2

Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysem dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis Sanctorum Patrum liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid Deo ex vsu Sanctorum Patrum debent. *Can. Omnis, de consecratione, dist.* 1. pag. 354. col. 1

Ordinatè ergo ad sacros Ordines accedendum est. Nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Scimus autem quòd ædificati parietes, non priùs tignorum pondus accipiunt, nisi à nouitatis suæ humore siccentur, ne si antè pondera quàm solidentur accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant. *Can. Sicut. §. Ordinatè, dist* 48. pag. 500. col. 1

P

Paratvs debet esse homo iustus & pius patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt potius crescat numerus bonorum, non vt pari malitia se quis numero addat malorum. *Can. Paratus.* 23. *qu.* 1. pag... col...

Pœna delicto imponitur, vt malitia delinquentium non inueniat successorem, & exemplar puniti delicti retrahat alios ab offensa. *Capitulo* 1. § *finali. de schismaticis in sexto.* pag. 530. col. 1

Pœnitentia est, & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. *Can. Pœnitentia, de pœnitentia, dist.* 2. pag. 43. col. 2

Pœnitentia est, quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. *Can. Pœnitentia, de pœnitentia, distinct.* 3. pag. 267. col. 2

Placuit vt altaria, quæ passim per agros, & per villas tanquam memoriæ Martyrum construuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt nulla ibi superstitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi vbi corpus, aut reliquiæ certæ sunt. *Can. Placuit, de consecratione, dist.* 1. pag. 152. col. 1

Porrò sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lacrymas fudit, quando Dominum negasse pœnituit, sed tamen Apostolus permansit Errauit enim qui putauit Domini sacerdotes post lapsum si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint. *Canone, Ponderet. § Porrò. dist.* 50. pag. 26. col. 2

Porrò illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsi habituri sunt & vltorem. Et quid eis prodest humanum vitare iudicium, cùm si in malo suo permanserint ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium. Quòd si ipsi sibi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hîc in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia. *Can. Porrò, de pœnitent. distinct.* 1. pag. 646. col. 1

Postea signatur baptizandus signo crucis, tam in fronte, quàm in corde, vt ab eo tempore ipsa apostata diabolus in vase suo pristino, suæ interemptionis cognoscens signaculum, iam sibi deinceps illud sciat esse alienum. *Can. Postea, de consecrat. distinct.* 4. pag. 712. col. 1

Procellarum huius mundi, quia nauigamus tendentes ad patriam, & incurrimus naufragium ex peccato primi hominis, quo sumus morti addicti. Prima tabula est Baptismus, vbi purgatur vetus homo, & induitur nouus. Secunda tabula est Pœnitentia, quâ post Baptismum resurgimus; post Baptismum enim lapsi per Pœnitentiam reuocari valent. *Can. Secunda. de pœnitent. distinct.* 1. *Glossa Procellarum.* ibid.

Prius est ergo vt ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix & seminarium peccatorum, mala tollatur radix,

iudicium sibi manducant, & bibunt. *Can. Gloria. 12. quæst. 2.* pag. 711. col. 1

Quid ergo turbamur: nemo videns malignos prosperitatem habere turbetur. Non est hic retributio malignitatis, neque virtutis: at si aliquando contingat vt aliqua sit retributio vel malitiæ, vel virtutis; non tamen secundùm quod dignum est, sed simpliciter velut quidam gustus iudicij, vt qui resurrectionem non credunt, talibus doceantur. Quando itaque videmus malignum ditescere, non subruamur; & quando videmus bonum mala pati, non turbemur. Illic corona, illic supplicia. Est & alia ratio; quia non potest malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua bona: neque bonus in omnibus esse bonus, sed habet aliqua peccata. Cùm ergo prosperitatem malus habet, malo capitis sui est. Cùm enim pro illis paucis bonis retributionem hic accipit, illic iam pleniùs punietur. *Can. Quid ergo, de pœnitent. dist. 3.* pag. 50. col. 1

Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum, & Principum omniúmque fidelium Patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiicere, à quo credit, non solùm in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse, & solui. *Canone, Quis dubitet. dist. 96.* pag. 564. col. 2

Quisquis dixerit eamdem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. *Canone. Quisquis. de consecratione, distinct. 4.* pag. 555. col. 1

Quoniam multa siue per necessitatem, siue ex quacunque causa contra regulam gesta sunt, ita vt homines ex vita gentili nuper catechizati, vel instructi, statim ad spiritualem Baptismum venissent, & continuò, cùm baptizati etiam ad Episcopatum, vel Presbyterium prouecti sunt: rectè igitur visum est de cætero nihil tale fieri debere. Nam & tempore opus est, vt sit Catechumenus, & post Baptismum multa probatione indiget. *Can. Quoniam. distinct. 48.* pag. 191. col. 2

Quoniam quicquid habent clerici, pauperum est. *Can. Quoniam. 16. qu. 2.* pag. 70. col. 1

R

RADICATA est charitas? securus esto: nihil mali procedere potest. *Can. Radicata. de pœnit. distinct. 2.* pag. 283. col. 2

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *Regula 9. de regulis iuris. In sexto.* pag. 261. col. 1

Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis, sed contactu cordis non corporis. Quid est enim tangere immundum, nisi consentire peccatis? Quid est autem exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum? Displicuit tibi quod quisque peccauit, non tetigisti immundum. *Canone, Recedite. 23. quæst. 4.* pag. 461. col. 1

Relatum est nobis, quòd quidam in partibus vestris commorantes aduersantur sacris doctrinis, & prout eis videtur, non secundum traditionem Patrum, sed iuxta sensum suum docere videntur, &c. Diligenter obseruandum est, vt lex Dei cùm legitur, non secundùm propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur. *Can. Relatum dist. 37.* ibidem.

Reuerà si contagio peccandi multos inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: nam consilia separationis inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia impia & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. *Can. Non potest. §. Reuerà. 23. quæst. 4.* pag. 407. col. 1

Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum ieiunium triduanum in Dominicæ Ascensionis solennitate soluatur. Per quod triduum serui, & ancillæ ab opere relaxentur. *Can. Rogationes. dist. 3.* pag. 374 col. 1

S

SACERDOTE verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur. *Canone, Sacerdote. de consecratione, dist. 1.* pag...col...

Sancti qui consummare pium certamen gestiunt, sicubi forte sicut homines corruunt, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina. *Canone, Ille Rex. §. Sancti. de pœnitent. dist. 3.* pag. 268. col. 2

Sceleratior ô Iuda! omnibus, & infœlicior extitisti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. *Canone, Sceleratior. de pœnitentia, distinct. 1.* pag. 17. col. 2

Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri. *Can. Secunda, de pœnit. dist. 1.* pag. 73. col. 2

Sententiam, fratres, quæ misericordiam vetat, non solùm tenere, sed audire refugite. *Can. Pondere. §. Sententiam. dist. 50.* pag. 26. col. 2

Sed illud non otiosè transmittendum est, quod vno peccante, ira Dei super omnem populum venit. *Canone, Sed illud. distinct. 45.* pag. 414. col. 1

Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. *Canone, Si res aliena. 14. qu. 6.* pag. 591. col. 2

Si quis Kalendas Ianuarias, & brumam ritu Paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, per vicos & plateas cantiones, & choros ducere præsumpserit, quod magna iniquitas coram Deo est, anathema sit. *Can. Si quis. 26. quæst. 7.* pag. 70. col. 1

Si quis mancum, aut mutum, surdumve, aut cæcum, aut eum, cui vitiosus incessus est subsannauerit, communione priuator; consimiliter & laïcus. *Can. 56.* pag. 600. col. 1

Si quis vestrùm pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc Sanctam, & Apostolicam Sedem appellet, & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne ipse innocens damnetur. *Can. Si quis. 2. quæst. 6.* pag. 132. col. 2

Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium comprouincialium præsentia, vel consilio Episcoporum, aut eorum, aut aliorum causas agere, aut eos grauare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. *Canone, Si autem. 9. quæst. 3.* pag. 139. col. 2

Si



INDEX TEXTVVM IVRIS CIVILIS.

A

Textus Iuris Ciuilis.



Ad se simul veniant aduersarij non timentes; subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. *Lege. Dies festos. §. Finali. Codice de ferijs.* pag. 666. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Hac sanctione Cæsar omnes hortatur vt die festo suas omnes dirimant lites, ineundo simul æterna pacis fœdera, & truces hactenus exercitas componendo piè concordi animo simultates. Sed profectò parum est homines vnanimi consensu inuiolabile sancire fœdus ad inuicem, fœdifragis congruâ pœnâ indictâ, nisi seriò collaborent sese reconciliare Deo, quem violato voto emisso in Baptismo, suis peccatis grauiter offenderunt. Verba legis Cæsareæ descriptæ sanum & opportunum consilium suppeditant pro concilianda nobis beneuolentia Dei, & indubia peccatorum venia cœlitus impetranda. Ita sonat lex præfata. *Subeat animos vicaria pœnitudo.* Quippe Deum citò placat pœnitentia sincera, vitam sanctius instituens, & exigens à peccatore pœnas, seuerè sicut par est perpetrata crimina castigantes.

Textus Iuris Ciuilis.

Aduersus eum duntaxat, quem seruum tuum sollicitasse dicis, si eum deteriotis animi fecerit, serui corrupti agere potes. *Lege. Aduersus. Codice Quæ res pignori.* pag. 610. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Plerique morte repentina fatis cedunt, ita Deo vendicante scelus, quod admittunt sollicitando Dei seruos ad defectionem. Namque iugi Dei obsequio addictos homines dum peruertunt, Christi suaue iugum auferunt ab eis, vt in luxuriæ atque gulæ paludis diffluentes, otio saginentur. Dum pœnitens anima cogitat sanctius institutum, & secessum, statim insurgit mundus, & suggerit esse importunum singularis huius vitæ genus, & mitiore ritu posse à nobis æterna præmia comparari. Nutanti animo obiicit pœnitentiam lurido vultu, corpore laniato flagris, membris inediâ exesis incultâ coma, veste detrita, & cinere aspersa; illo demum habitu quo terreri possit etiam animus propositi tenax. Confluunt vndique sodales retrò actæ vitæ, pollicentes æuum diuturnum sufficiens ad integrè pœnitendum. Aiunt esse nefas pubescente ætate sibi præcoces stultè pœnas indicere; sua quæque tempora, suos etiam manere ritus, florentes annos esse voluptatis, & serotinum vitæ tempus esse sacrum luctui peccatorum, quæ ætas vegeta perpetrauit.

Denique

Denique delicias omnes iactant & promittunt mundus, caro, dæmon; stare tamen nequeunt pollicitis: namque Dei solius est animam cumulare bono omnimodo. Ideo quotidie iustitia diuina sæuit in reprobos, qui cautè Dei seruos sollicitant satagentes eos facere fugitiuos.

Eodem quoque zelo debet spiritus accendi in carnem: nempe caro concupiscit aduersus spiritum, quem pruriens illa procul à Deo facere machinatur. Vnde suas vt partes agat spiritus vltor iniuriæ factæ Deo, succensere debet carni, prolixis vigiliis, & austeris ei ieiuniis indictis, & sæpius inflictis ei flagellis, temerarios ausus eius suppliciis congruis expiando.

Textus Iuris Ciuilis.

Agricultores dum agros colunt securi sint in quacunque parte terrarum. *Lege Agricultores. Codice. Quæ res pignori.* pag. 260. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Caro nobis importuna, velut terra maledicta duras germinat spinas & tribulos, aculeis acerbis die ac nocte reas animas affligentes. Nemo tali ab ærumna liber est & securus, præter eos, qui pœnitentiæ sulco secant hanc aridam terram, & austerâ vitâ velut ligone terunt eius glebas. Illi profectò securè viuunt, & immunes ab illo malo æterno, quod vnicuique pigro homini decernetur.

Textus Iuris Ciuilis.

¶ Animaduertimus plurimos iniustarum desperatione causarum, potentium titulos & clarissimæ priuilegia dignitatis, his, à quibus in ius vocantur, opponere. At ne in fraudem legum, aduersariorumque terrorem his nominibus abutantur & titulis; qui huiusmodi dolo scientes conniuerint, afficiendi sunt publicæ sententiæ nota. *Lege. Animaduertimus. Cod. De his qui potentiorum nomine titulos,* pag. 10. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Crux Christi regius est titulus: nempe sicut Dynastæ sumunt à potiore loco nomen seu titulum; ita IESVS dicitur crucifixus, à cruce suum aucupans titulum vt ab infulis regiæ maiestatis. Vnde cruci titulus appositus, sonorè clamans Christum meruisse nomen Regis mediante cruce, quasi magis ei crux præ cæteris titulis arrideret. Pilatus, estò Dei arcani & tanti mysterij ignarus, mente velut præsaga rei futuræ cruci titulum affixit, quo IESVS Rex Iudæorum est inscriptus: namque penes crucem stemmata sunt inclytæ dignitatis. Hoc titulo crucis aspecto fugam arripiunt hostiles dæmonum acies. Titulus ex Varrone nomen habet à tuendo. Et reuerâ crucem baiulando tuti sumus ab hostibus infinitis.

Textus Iuris Ciuilis.

Annonas publicas non tam titulis dignitatum, quàm singulorum viritim meritis attributas Diui Constantini liberalitate sanè claruit. *Lege. Annonas. Cod. De annonis.* pag. 41. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Apparatus ad annonam sacram, id est, præparatio ad communionem non petitur à stemmate prænobili, aut à præfectura suspicienda plebi; sed attenditur ex meritis, quæ, mediante Dei gratia, virtutum omnium serie comparantur.

C

Textus Iuris Ciuilis.

CAstus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas. Profectò indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. *Lege. Si quemquam. Cod. De Episcopis.* pag. 292. col. 1

Textus Iuris Ciuilis.

Certissimè credimus quia sacerdotum puritas & decus, & ad Dominum Deum & Saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM feruor, & ab ipsis missæ perpetuæ preces multum fauorem nostræ Reipublicæ & incrementum præbent, per quos datur nobis & barbaros subiugare, & in dominium redigere illos, quos antea non obtinuimus, & quantò plus illorum rebus accedit honestatis & decoris, tantò magis & nostram Rempublicam augeri credimus. *Lege 34. Cod. De Episcopali audientia lib. 1. tit. 4.*

Vide legem illam integram. pag. 481.

APPLICATIO MORALIS.

Sacerdotum vita illibata quasi firma basis est, & columna domus Ecclesiæ, quæ patitur ingens eorum vitio detrimentum.

Textus Iuris Ciuilis.

Conditioni, sub qua testamento matris tuæ heres instituta es, si non paruisti, locum habet substitutio. *Lege. Conditioni. Codice. De Institution.* pag. 571. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Christus nos instituit cæli heredes ea cautione, factum vt bibamus calicem ærumnarum. Si ergo talis hereditatis nos cupido tenet, quicquid occurrit acre, durum, & acerbum, illud omne velut gloriæ æternæ pignus fortiter amplectamur. Asseclæ mundi, vt voluptatis amasij peramœna quærunt, stultè cane peius & angue crucem exosi, ideoque cadunt hereditate Dei, & his substituuntur animæ pœnitentes. Alludit eò Damianus lib. 8. epist. ep. 6. *Diuina (inquit) dispensatio ad hoc suos temporaliter verberat, vt perpetuis eos flagellis abscondat. Ad hoc premit vt eleuet: ad hoc secat, vt sanet; ad hoc deiicit, vt exaltet. Qui enim bona agit, & mala suscipit, quicquid ei iusta retributione in terra subtrahitur, hoc illi in cælo multiplicius cumulatur.*

Textus Iuris Ciuilis.

Consecratas nobis ædes, id est, inclyta palatia, ab omni priuatorum vsu & communi habitatione excipimus. *Lege. Consecratas. Cod. De palatiis.*

APPLICATIO MORALIS.

Anima religiosa Deo consecrata debet à se procul arcere mores iniquos eorum, qui se incautè nequam isti sæculo manciparunt. Namque genus est sacrilegij, religiosum, qui se singulari & solenni professione Deo obstringit quando vota emittit, animam suam Deo dedicatam accommodare fœdis huius mundi vitiis incolendam.

Textus Iuris Ciuilis.

Cùm inter nos cognationem quamdam natura constituerit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. *Lege. Vt vim. ff. De iustitia & iure.* pag. 3. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Terminos hominibus à natura præstitutos homo velut degener violans, homo dici nequit. Huius generis sunt detractores, homicidæ, fures, & alij omnes iniquè suo proximo iniurij, quos nomine condigno benè dixeris inhumanos.

Textus Iuris Ciuilis.

Cùm sit nobis cura diligens per omnia superni Numinis religionem tueri, signum Saluatoris Christi nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere; sed quodcunque reperitur tolli, grauissimâ pœnâ mulctando eo, qui contrarium statutis tentauerit, specialiter imperamus. *Lege vnica. Codice. Nemini licere.* pag. 720. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Profectò crucis amor eos non incessit qui terreni sunt. Qui namque suum affectum deuouere rebus huius sæculi, ab ipsa crucis memoria abhorrent, vt & omnes qui obstricti peccato diuturno, duri instar silicis obdurescunt. Appositè ad hæc Ezechiel Propheta vidit eos, qui salutari signo crucis merentur à Domino cælitus insigniri. Sic ille cap. 9. *Ait Dominus: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem. & signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius, &c. Percutite interficite vsque ad internecionem: super quem videritis Thau, ne occidatis.*

Thau signum salutare typus erat & figura crucis, cuius amor inest duntaxat iis, qui corde contrito gemunt, & acerbè deflent peccata, quibus olim se turpiter obstrinxerunt. His profectò nihil est commune cum terra, duro vel marmore; quippe vale dixere solo, cœlum versus attentè vota sua omnia dirigentes. A silicis etiam aut marmoris natura procul absunt. Etenim tantùm abest vt obdurescant eorum corda crucis ad sigillum; quinimò secus, corde contrito cruci obuiam eunt; siquidem vltro sibi generosè pœnis inflictis ob peccata, suis humeris submissis baiulare crucem Christi Domini gloriantur.

Nota, cruci fieri iniuriam quando viri nequam baiulant illam aliquas subeundo pœnas, vt ieiunij, orationis, & cilicij, & assueta nolunt vitia deserere. Ita crucem Domini IESV fœdant sordida peccatorum colluuie. Grauior infertur iniuria sanctæ cruci, illam reponendo penes animam immundam, quàm si mitteretur in cloacam. Reuerà peius est inserere crucem cordi obstinato, quàm illam marmori abiecto insculpere. Profectò magis deprimitur crux in anima iniqua, quàm si pedibus sacrilegis impiè calcaretur. Ita planè; quippe rerum æstimatio petitur ab anima, eas pensante, & non à corpore, plerumque inscio meritorum vniuscuiusque rei. Si ergo rea peccati lethalis anima tollit crucem, id est, aliquod vltro subit pœnitentiæ austeræ genus, vt se dirè excipiendo flagris, & inediâ diuturnâ suum vexando corpus, stabulantia peccata cruci gratiam detrahent, quæ aliàs influeret in animam vitiis illibatam.

Textus Iuris Ciuilis.

Cùm & postliminij ius, & communis vtilitatis ratio exigat; vt si qui captos ab hostibus redemerint, accepto pretio redemptos suæ ingenuitati restituant, proponasque redemptorem tuum noluisse oblatum pretium à te vel alio recipere. Præses prouinciæ efficaci instantia compellet eum legibus obtemperare, & percepto eo, quod pretij nomine dependitur, statûs securitatem non inquietare. *Lege. Cum & postliminy. Codice De postliminio.* pag. 139. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Imperatores hæc scripsere cuidam captiuo, cui redemptor erat iniurius, animo obstinato nolens eum priscæ suæ reddere libertati. Hoc grauiter & ægrè tulere duo Cæsares Diocletianus, & Maximianus, confirmantes inolitum ius postliminij, quo homines iure belli abstracti à suis sedibus, siquando redirent, ius eis erat ad primas sedes, dum facerent satis æri expenso vt redemptor eos à seruitute misera vindicaret. Astutiâ diaboli abducti sumus à sedibus Angelorum, ad quas occupandas homines edidit ipse rerum omnium opifex Deus. Nos raptatos per deuia & abrupta dirè diu vexauit dæmon. Deus ærumnas miserans nostras, homini se affinxit, & redemptionis nostræ luit pensum, specimen edendo nouæ humilitatis, quæ diluit ausus illos nimios, quibus ille prior homo surrexerat ad vota penitus inconcessa. Illo ære persoluto Deo Patri, homo diaboli nexibus ereptus est, & iure postliminij Angelorum castra repetiit, vnde suâ superbiâ pulsus, vtique meritò, turpiter exularat. Sed illo iure gaudere nequit homo, nisi Christo suo Redemptori pretium effusum pro modulo suo reddiderit humiliando se adinstar Inspiratoris sui, qui ab incunabulis exactè cœpit apprehendere pretium illud, quo plenè fuit libertas hominum instaurata. Ignora fuit hæc gratia Philosophis, qui nescientes talis pretij virtutem & effectum, illi idcirco non fecere satis, ac proinde choris Angelorum non sunt postliminio inserti, quia superbiendo procul à salutari humilitatis tramite deuiarunt.

Vide plura scitu digna pag. 139. col. 1. & 2

Textus

Textus Iuris Ciuilis.

Cum ancillis non potest esse connubium: nam ex huiusmodi contubernio serui nascuntur. *Lege Cum ancillis. Codice. De incestis.* pagin. 307. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Caro velut ancilla data fuit spiritui, vt obsequeretur ei. Namque caro simul homini & bestiis est communis; spiritus verò secus abstrahit à carne velut participans indolem Angelorum. Igitur caro vilem ancillarum statum sortita nequit illud inire fœdus cùm spiritu quod sponsæ solent cum desponsato viro contrahere. Si namque foret spiritus sponsa caro, proles inde nata vilis esset; partus enim ventrem sequitur, ideoque nihil omnino nisi ingloriuni caro potest, dum præualet animæ, parturire. Opus enim carnale sapit idem ac seruile seu reprobum, & indignum quod æternâ cœli gloriâ compensetur. Paulus Apostolus succinctè docet quosnam caro fœtus edat spiritui quando suum assensum præbuit huic ancillæ, in perniciem animæ prurienti. Sic ille, Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Textus Iuris Ciuilis.

Cùm multa priuilegia Imperialibus donationibus iam præstita sint, dignum incrementum & his conferre nostra dignata est clementia. Si quis igitur à serenissimo Principe, vel à piissima Augusta siue masculus, siue fœmina donationes sit consecutus vel consecuta, siue mobilium, siue immobilium, siue se mouentium rerum, filius familias tamen constitutus vel constituta, habeat huiusmodi res omni acquisitione absolutas, & nemini eas acquirat, neque earum vsumfructum pater, vel auus, vel proauus sibi vendicet; sed ad similitudinem castrensis peculij omnem facultatem in eas filij, vel filiæ familias habeant. Vt enim Imperialis fortuna omnes supereminet alias; ita oportet & principales liberalitates culmen habere præcipuum. *Lege. Cum multa Codice. De bonis.* pag. 312. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Bona fortunæ, sicut honores, opes, & aura plebis, homini propitia ad gloriam, cùm fuere parta labore duro & diuturno cedunt plerumque iuri aliorum hominum æmulorum. Fortuna suas alternando vices inconstantia bona quasi pilâ ludens in partes agit varias, ab vnoquoque fure vafro & callido deprædanda. Gratia diuina secus, vt à supremo rerum omnium domino & rectore data, donum atque bonum est, quod nemo nobis inuitis auferre potest, aut callidè suffurari. Imò donum illud est adeo personale bonum, vt quisquis eo dignatus est, possit illud exuere vt alio transferatur. Rursus vna gratia cælitus erogata sapit abundè sui largitoris munificentiam: quippe Deo non sufficit influxisse semel; ideoque noua capit hæc gratia illapsa desuper incrementa.

Textus Iuris Ciuilis.

Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, &c. Hanc legem sequentes Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos verò dementes, & vesanos iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere. *Lege. Cunctos. Codice. De summa Trinitate. lib. 1. tit. 1. leg. 1.* pag. 463. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Falsò sibi Christiani nomen vsurpat homo suæ salutis incurius, ad arbitrium sensuum viuens. Namque licèt ore dicat se traditam à Petro fidem sectari, factis dicta negat: quippe fides à Petro nobis prædicata, bonis operibus est vt sincera veri Christiani tessera sociata. Audiendus ille suos discipulos initians hoc tenore. 2. Petri cap. 1. *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amorem autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent; non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri* IESV CHRISTI *cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Ait ille, cæcum esse virum, quem non stipant virtutes hæ descriptæ: quasi diceret; inutilem esse fidem in adultis sine bonis operibus, quia cum hæreticis & aliis damnatis homo tali fide instructus igne æterno vindice punietur.

D

Textus Iuris Ciuilis.

Damus licentiam collatoribus detinere eum in prouincia, & omne quod dederunt ei occasione furti exigere, sed etiam ipsos prouinciales si senserint administratorum furtum, licentiam habere; magis autem necessitatem, hæc referre nobis, vt cognoscentes, quia omnino auro vendidit iustitiam, prædictis eum subiiciamus pœnis, super quod etiam cœlestibus suppliciis reus erit, transcendens iusiurandum, in quo acceperit administrationem. *Nouella* 8. c. 12. *Vt iudices.* pag. 529. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

O homo nequam, insolescis voluptate diffluens, iniquis legibus vteris, Deo & proximo tuo iniuriis; sed in supremo die ille iudex iustus decernit vt pereas. Nempe fiet omnibus copia te accusandi, sicut olim vnicuique fuit ius iniquos Præsides ad tribunal Cæsaris liberè deferendi.

Diabolus insurget, qui à calumnia & accusatione nomen habet; ille Deum sic vrgebit, vt Augustinus ait: *Æquissime iudex, iudica illum esse*

meam per culpam, qui tuus noluit esse per gratiam; tuus per naturam, meus per miseriam; tuus per passionem, meus per persuasionem. Hactenus Augustinus.

Non dæmones tantùm, sed etiam opera nostra reos nos esse dicent, imò toti generi humano voce valida prædicabunt. Bernardus eò vergit ita fatus, lib. Medit. cap. 2. *Tunc quasi loquentia simul opera dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, sed tecum semper erimus, tecum pergemus ad iudicium.* Illa dies horrenda reis abundè fidem faciet dicto Vatis Psalm. 9. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Textus Iuris Ciuilis.

Dies Natalis atque Epiphaniæ Christi, & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis magistræ, à cunctis iure celebratur. *Lege. Omnes dies. Cod. De feriis.* pag. 216. col. 1

Dies festos maiestati altissimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus, & venerandum, vt à cunctis executionibus excusetur. *Lege Dies festos, Cod. De feriis.* pag. 665. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Ptolomæus ait, ea quæ faciunt ad insigne decus hominum, præcipuè dependere solis ab influxu, vt ille fusè probat lib. 4. de iudiciis cap. 3. Is appositè ad stylum Scripturæ sacræ vocat Solem luminare, quia constat eum præ omnibus aliis stellis lucidis emicare. In his quæ ad festa pertinent, Sancti omnes sunt sidera, quæ desuper irradiant, & peculiare sibi dominium vendicant diei festi, qui est eorum nomini consecratus. Illa tamen festa, quæ ad Deum pertinent, vt sunt omnes dies dominici dicuntur esse dies Solis. Principis huius sideris influxu dignantur ij omnes, quos Planeta malus aspectu suo non inficit, Verbi gratiâ, si mundus infaustum & lethale sidus hominem non auertit à Dei obsequio die Dominico, Sol iustitiæ Christus Deus noster magno rore gratiarum influit in animam subductam mundi huius iurgiis importunis.

Textus Iuris Ciuilis.

Diuus Seuerus Vlpio Ruffino, Omnem me rationem adhibere subueniendis pupillis, cùm ad curam publicam pertineat, liquere omnibus volo. *Lege. Diuus ff. Quæ petunt.* pag. 148. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Nulla sanè hominum ætas est apta, feros ad coërcendos diaboli nisus & impetus; ipso Deo assertore, scimus immane robur huius hostis acerrimi: *Non est* (inquit) *super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Iob. 41. Is ergo rerum omnium opifex Deus, qui omnia voluit esse hominis, hominem verò sui, noluit perito rei militaris hosti hominem obiicere inermem; sed præfecit ei Angelum in custodem: alioquin perperam & in cassum condidisset hoc insigne Dei simulacrum, si cessisset in ius Angeli desertoris. Non profectò fuit Deo cura minor hominis quàm fuerit antiquitus Seuero Principi pupillorum, qui cùm sint pars innoxia regni; ad illos etiam spectat sollicitudo. Regum Nomine illo quoque nobis prouisum est, ne causaremur aliquando, Deum fuisse iniurium genti nostræ, tot & tantis insidiis obnoxiæ, è quibus homo nequit sospes emergere, citra potentis alicuius opem, qui diluat omnes obices occurrentes.

Textus Iuris Ciuilis.

Dolus emptoris qualitate facti, non quantitate pretij æstimatur. *Lege. Dolus. Cod. De rescindenda venditione.* pag. 621. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Qualitas facti attenditur ex intentione facientis, sed dæmonis intentio est vt hominem fallat, & disperdat. Ergo homo potest irritum pactum efficere cum diabolo celebratum. Rursus alia actione potest eludi negotiatio facta cum dæmone; nimirum non soluit ille bona pollicita: namque vafer hic animarum nundinator pollicetur beatitudinem in hoc sæculo; homo tamen effusus in omnes carnis illecebras, non inde beatior efficitur, imò peior est & deterior conditio illius. Etenim multa mala sibi consciscit homo, gulæ & obscœnæ Veneri turpiter indulgendo.

Textus Iuris Ciuilis.

Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi. *Lege. Si Dominus ff. De statu hominum.* pag. 60. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Homo reus, lethali peccato suam animam obstringendo, legem hanc violat; quippe Dei dominio legitimo se subtrahit, vt diabolis iniquis dominis obsequatur.

E

Textus Iuris Ciuilis.

Eiusdem est velle, cuius est nolle. *Reg. 3. ff. De regulis iuris.*

APPLICATIO MORALIS.

Cùm peccare sonet idem ac nolle Deo obsequi; emendare vitam, & conciliare sibi veniam erit efficaciter velle Deo obsequium debitum exhibere.

Textus Iuris Ciuilis.

Eos testes ad veritatem iuuandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ & potentatui fidem religioni iudiciariæ debitam possint præponere. *Lege Eos. Codice. De testibus.* pag. 585. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Reprobi, quos diabolus mercatus est ære voluptatis,

ptatis, dum sistuntur tribunali pœnitentiæ, vt aduersum se testimonium dicant confitendo sua peccata, cadunt animo, & ad instar piscium protinus obmutescunt. Illud eorum silentium in confessione notat eos non esse sui iuris, sed dæmonis importuno iugo premi, vt præscius Isaias insinuat, monitorem agens cap. 52. *Solue (inquit) vincula colli tui, captiua filia Sion.* Quasi diceret: Quid tacitus in confessione siles, homo præpedite duro erubescentiæ vinculo, quo implexum collum tuum omnibus ingloriam ostendit diabolo obstrictæ tuæ animæ seruitutem!

Veridicos testes oportet esse sui iuris, huius item constantiæ, cui nemo metum valeat inferre, ideoque nequit testis esse vilis seruus. Libera ceruix sese in confessione prodit, à pudore sua crimina deferendi minimè præpedita. Ita sanè liquet, eam animam ingenuam esse, siue sui iuris, dignamque Deo sisti in tribunali pœnitentiæ, quæ præualet in pudorem, quo vt sigillo mala quæque facinora à diabolis obserantur.

Textus Iuris Ciuilis.

Eos, qui à seruo furtim ablata scientes susceperint, non tantùm de susceptis conuenire, sed etiam pœnali furti actione potes. *Lege. Eos. Codice. De furtis.* pag. 620. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Mundus à Dei seruis vni Deo debitum exigit pensum, scilicet præcipuas animæ curas, & affectum, dum hortatur viros probos, vt quæ sunt carnis, ea sedulò procurent, & bene afficiantur erga suum corpus, hoc reuera genus est furti, & à seruis furtim surripere ea quæ Domini sunt. Omnes quippe curæ debent & affectus vni Deo tantùm vt supremo rerum omnium Domino deuoueri. Idcirco Deus pœnali actione ferit & quandoque quatit impios, seuerè suam vlturus iniuriam, vt extremo ferè suo discrimine sensit Constantinopolis, quæ cùm nefanda libidine arderet, Sodomam obscœna sua colluuie referens, est passa grauem Dei manum. Nimirum virulenta lue populante ciues indicta propè fuit internecio illi populo Sodomitæ. Iustinianus Imperator ritè Deum placaturus, eius partes egit, capite animaduertens in conscios nefariorum actuum, vt in auctores flagellorum. Deletis ita reis præcipuis, benignè Deus inducias huic populo indulsit ad congruè pœnitendum.

Triginta circiter annos antea duriùs actum est cum Antiochia, quæ vt vitiorum sentina fœtens valido terræ motu concussa collapsa est, & in ædium ruinis multa hominum millia sepeliuit. Quam cladem vt audiit Iustinus senior Imperator totum se accinxit ad Deum demerendum: nam purpurâ exutâ, & deposito diademate, cinere aspersus, cilicio indutus est, ita vacans precibus assiduis. Et ne quid abesset vnde citò Deus fieret propitius, aperto suo ærario, larga manu stipem egenis omnibus erogauit.

Magdalenâ legis præfatæ duram subiit sententiam, quæ corporali pœnæ reos obstringit, qui scientes, ea recondunt, quæ alieni serui furtim dominis ademerunt. Magdalena tali lege suo in corpore soluere tenebatur, quod in simili specie rependere non poterat. Nempe suo indecoro corporis habitu plurium hominum corda sibi deuinxerat, eo facinore malo sibi vendicans amorem, quem illi proci adolescentes vni debuere Deo rerum omnium Domino consecrare. Et quia fortè plures sustulerat ætas immatura fato, cui libido viam substrauerat ad infernum; Magdalena necis eorum conscia, & pertæsa scelus hoc patratum à se contrita pœnas congruas expetiuit. Iuge sui corporis sacrificium vltro fecit, diu noctuque diris suppliciis hoc lacessens. Estò sui amoris erga Deum egregia dedisset specimina, credidit operæpretium esse subire pœnas corpori iniurias, vt cruciata caro Deo satisfaceret, quem toties offenderat voluptati obscœnæ litans corpore prostituto. Illa suæ pœnitentiæ & dedicationis historiam conclusit obsequendo legi, quæ sic homines obstringit, Leuit. 6. *Ignis in altari semper ardebit.* Etenim amore flagrans mulier hæc contrita velut in fornace degens æuo suo toto, arsit incendio inextinguibili, ita Deo plenè sibi conciliato, cuius iram incurrerat ob furta plurium animarum.

Si, ô homo delicate, rerum diuinarum furto obstricte, nequis imitari Magdalenam reportantem de corpore afflicto crebras victorias, æmulare Dei amoris æstum, quo pœnitens hæc anima conflagrauit. Si amare piget, nihil omnino tibi superest, quo declinare queas ignem vindicem tuorum reatuum. Si amoris dulcedo sapit quidpiam ingratum ori tuo: quomodo capieris cupidine amaroris, quo pœnitentia austerior inficit ora hominum pœnitentum.

Textus Iuris Ciuilis.

Et agi apud defensores testamentorum insinuationes, & donationum, & quicquid aliud est monumentorum proprium. *Authentica. Et agi. De defensoribus ciuitatum.* pag. 157. col. 1

Et antiquis legibus & dudum imperantibus satis odibile visum est, esse lenonum nomen, & caussam, intantum vt etiam plurimæ contra talia delinquentes scriberentur leges. Nos autem, & dudum posita contra eos, qui sic impiè agunt supplicia auximus: & si quid relictum est à nostris prædecessoribus, etiam hoc per alias correximus leges. *Ex præfatione. De lenonibus in Authenticis. §. Sancimus.* pag. 177. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Adeò obscœna libido fœtet, vt non solùm sit exosa Deo & hominibus sanctis, sed etiam illam persequantur apes, quæ, vt experimento quotidiano liquet, Veneris amasios accedentes ad aluearia fœta puris his insectis, inde procul arcent, iniuriam castitati illatam acerbè suis stimulis vlciscentes.

Præter supplicia indicta reis omnibus, luxuria fœda noua consciscit tormenta suis mancipiis. Quippe tali peccato obstrictus homo plura solet alia crimina perpetrare. Primò pudet eum in confessione suas explicare fæces, ne fortè fœtor offendat eum, cui contingeret audire fœdam historiam vitæ viri nefandæ Veneri mancipatæ. Mutilam confessionem excipit confessioni concolor accessus ad Eucharistiam, id est, sacrilega communio, deinde sacris omnibus sic violatis homo diris iam deuotus, abit in vitiorum omnium præceps & abruptum, ac proinde noua sibi pœnarum comparat incrementa.

Textus Iuris Ciuilis.

Existimauimus oportere & nos adiicere aliquid causæ subtilitati, & falsa testamenta quantùm est possibile minorare. Tale enim quiddam etiam tunc apud clarissimum Bithyniæ Prouinciæ iudicem gestum inuenimus in testamento ostensa testium falsitate pessima apertè conuictorum, & nouissimè confessorum; quia cùm testamentum fieret, & fuisset defuncta testatrix, testium quidam tenentes iam mortuæ manum, ita per chartam virgam factam, & ex latere ductam traxerunt, & signum venerabile crucis videri scripsisse defunctam putauerunt. *Ex præfatione Nouella* 90. *De testam.* pag. 88. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Hac nouellæ legis præfatione Cæsar ait, testes credidisse, crucem desuper appositam seu inscriptam chartæ testatricis facturam abundè fidem dubio testamento. Cruce ratum & confirmatum est à Christo nouum testamentum, quo mediante, Dei heredes facti sumus, coheredes autem Christi, qui non nisi baiulando crucem strauit nobis iter ad gloriam. Quis ergo nisi mente captus inire viam cæli audeat alio calle quàm trito sacris pedibus Christi, qui nòluit subire cælum nisi corpore crucifixo. Trâmites alij omnes deuiant à gloria, passione vtique acerbâ cælum prostat, hereditas diuina solâ patientiâ in aduersis est ab vnaquaque pia anima comparanda. Paulus illud idem insinuat hoc contextu. Rom. 8. *Si filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Quisquis ergo mœret, hoc recolat, scilicet Christum nos conscribere coheredes suos, quando crucem aliquam imponit. Nullo alio titulo sancti in cœlo Dei consortes effecti sunt, cælique viæ omnes beatorum molestiis & sudore madent. Si ergo tuus sensus refuga ærumnarum detrectat obuias iniurias, audacter cum vrge suum vt assensum aptet eis; nam crux est tessera beatorum. Inde cruci præcipuè virtus inest alliciendi animas ad sequelam suam; namque crucem scientibus esse viam ad gloriam æternam mitescunt asperiora quæque, quia illis indita sunt semina gaudiorum.

F

Textus Iuris Ciuilis.

FErè quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur. *Lege ferè ff. De regulis iuris.*

APPLICATIO MORALIS.

Quia incautus homo cum Angelo nequam locutus est, inde futurus exul, vtpote pulsus paradiso; prudens & cautior effectus nunc deuotè debet consulere beatas mentes eas, precibus conciliando sibi, vt earum ope ciuis sit & incola paradisi. In horto manus mulieri deceptæ dedit homo, pastus eâ malè suadâ cibo gulæ grato & suaui, idcirco nobis indictus est mortificationis vsus contra gulæ vitium, & impetus Veneris importunos. Denique rebellis homo Deum fugit contemplatus eum vt vindicem; & sic illum auersando totus amor extinctus est, quem iam excitare debet ea quacunque post industria, vt iuxta legem proximè descriptam iisdem in contrarium actis liberetur homo, quibus ferè modis eum à paradiso dæmon tenuit obligatum.

Textus Iuris Ciuilis.

Feudum est ius prædio alieno in perpetuum vtendi, fruendi, quo pro beneficio dominus dat ea lege vt qui accipit, sibi fidem & militiæ munus aliudve seruitium exhibeat. *Cuiacius in proœmio lib. 1. De feudis.* pag. 264. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Homo totus est diuini iuris, tamen Deus hominem fecit sui arbitrium, & sic veluti alieno prædio vtendi & fruendi ius concessit, ea lege tamen vt deuotè Deo ipsi debita redderet obsequia tanquam Domino largitori.

Textus Iuris Ciuilis.

Feudum amittit si domino mortuo, heredem domini non adierit, vt ab eo eam quam lex vocat inuestituram accipiat, fidelitatem pollicendo. *Lib. 1. De feudis. De beneficio quid sit.* pag. 19. col. 2

Filius & pater eadem persona censentur esse. *Lege penultima.* §. 1. *De bonis libertorum.* pag. 532. col. 1

Fœminæ adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent. Sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt. §. *Fœmina. Institut. De adoptionibus.* pag. 227. col. 2

G

Textus Iuris Ciuilis.

GRammaticos tam Græcos, quàm Latinos, sophistas, & iurisperitos in hac regia vrbe professionem suam exercentes, & inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi se habere patefecerint, & cætu amplissimo iudicante digni fuerint æstimati: cùm ad viginti annos obseruatione iugi, ac sedulo docendi labore peruenerint, placuit honorari, & his qui sunt ex vicaria dignitate connumerari. *Leg. Grammaticos. Cod. De professoribus.* pag. 260. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

In homilia de S. Ignatio à Loyola legem hanc explico in gratiam Iesuitarum. pag. 260. col. 2

Quis audeat Societati IESV cunctari deferre decus & gloriam magisterij, quod in supremo gradu in hac Societate viget, cum qua conferre pudet hos magistros, qui excoluere nudos & virentes pampinos bracteatæ eloquentiæ, cuius præcipuè specimen edidere, fœda & obscœna poëtarum deliria quando suis scholiis illustrarunt. Tersior est, & mascula magis eloquentia Iesuitarum, & lingua illorum, qua lambendo sanant & instituunt animas, virtute sua præit aliis, iuxta verum placitum medicorum, qui affirmant, linguam esse sanam & viuidam, quæ non scabra rubet persuaui humore madens

madens Scaligeri, Erasmi, Rami, Casauboni lingua velut atra fuit & noxia Reipublicæ Christianæ, sicut & plurium aliorum hæresis asseclarum. Astutè suum eructauere virus ij omnes errorum magistri: instillauere auribus incautis dogmata iniqua, quæ sunt sortita suum effectum apud discipulos illectos tersioris eloquij noxio condimento. Iesuitarum verò sana Deo fœta rubet lingua, tote gratiæ perfusa, vitæ puros latices infundit eis quos erudit, vtens sæculi scientiis ad clariorem & breuiorem indagine ditæ veritatis.

Quòd si Melancthon, Erasmus, Munsterus, & alij huiusce farinæ viri scioli & sycophantæ suis voluero sequacibus reserare sacræ Scripturæ arcana, cæci omnes & deuij à recto veri calle, vtpote caligantis animi ludibria pangentes, turpiter errauerunt.

H

Textus Iuris Ciuilis.

HAc valitura in omne æuum lege sancimus, neminem Iudæorum, quibus omnes administrationes, & dignitates interdictæ sunt, nec defensoris ciuitatis saltem fungi officio, nec patriæ honorem accipere concedimus, nec acquisiti sibi officij auctoritate muniri aduersus Christianos, & ipsos plerumque Religionis Antistites; veluti insultantes Religioni nostræ, iudicandi, vel pronunciandi auctoritatem habeat. Quisquis igitur vel infulas acceperit, quæsitis dignitatibus non potiatur, vel si ad officia vetita irrepserit, ab his penitus repellatur. *Lege finali, Codice. De Iudæis.* pag. 689. col. 1.

Textus Iuris Ciuilis.

Honoris argumentum non ambitione, sed labore, ad vnumquemque conuenit deuenire. *Lege. Contra. Codice. de re militari.* pag. 291. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Gloria æterna solis prostat humilibus, vt secus ab illa procul arceantur ij omnes, qui popularis auræ flabro tument ad dignitatum infulas anhelantes.

I

Textus Iuris Ciuilis.

IMperatoriam maiestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam. *Ex proœmio Institutionum.* pag. 4. col. 1.

Imperium aut merum est aut mistum. Merum imperium est, habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mistum imperium est, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda possessione consistit. *Lege Imperium. ff. De iurisdictione* pag. 54. col. 2.

Impuberes esse in tutela naturali iure conueniens est; vt is qui perfectæ ætatis non est, alterius tutelâ regatur. *Lege. Impuberes. Instit. De Attiliano tutore.* pag. 148. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Cæsareo iure quædam ratio relationis inest inter maiorem & minorem, ita vt in maioris tutela minor sit: maiores eo nomine, quod grandiores sunt, impuberum hominum curam gerere legibus obligantur. An non ætas omnis hominum est imperfecta toto longioris æui tractu, & idcirco crebris est deliquiis obnoxia? Ergo sicut adulti & maturi tutoris ætas supplet impuberis annos ad secia omnia ineptos; sic Angelorum peritia imbellem hominum statum iuuat, eis salutaria iugiter inspirando.

Textus Iuris Ciuilis.

Immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat. *Lege. Qui præpositi. Cod. De præpositis.* p. 142. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Qui in oratione Deo iugiter adstant, vt sacerdotes aliique sacri Ecclesiæ ministri, immunes esse debent à vitiis, quæ sunt tributa, quibus mundus eos obstringit, qui se vltro totos huic nequam sæculo deuouerunt.

Textus Iuris Ciuilis.

In eadem obseruatione numeramus & dies Solis, quos Dominicos ritè dixere maiores, qui repetito, in se calculo reuoluuntur, in quibus parem necesse est habere reuerentiam; vt nec apud ipsos arbitros, vel à iudicibus flagitatos, vel sponte electos vlla sit cognitio iurgiorum. *Lege. Omnes dies. §. In eadem. Cod. De feriis.* pag. 665. col. 1.

In excoctione buccellati, quod deuotissimis militibus conuenit præparari, in translatione etiam annonæ, nullius excipiatur persona, videlicet vt ne nostra quidem domus habeatur immunis. *Lege. In excoctione. Codice. De excoctione.* pag. 614. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Profectò parum fuit Imperatoribus Arcadio, & Honorio tulisse legem de erogatione militaris annonæ, nisi & coctioni prouiderent, ita vt calente pane miles eo pro libito vesceretur. De omnium salute Deus solicitus non procurauit vnum hoc tantùm, scilicet abundè dari deuotissimis suis sequacibus frumentum electorum, sed etiam omnibus indixit vt incumberent sedulò coctioni. Panis autem ille sacer amore calet, & coquitur in clibano amoris, nec vllus hominum prorsus excipitur à penso toti generi humano iniuncto, Deo scilicet & proximis exhibendæ feruidæ charitatis. Et hoc genuinè refert illa sessio seu discubitus hominum per quinquagenos, insinuans & adhortans, vt supposito igne amoris cordium clibanus aptetur, eo vt accenso panis Angelorum immissus congruè decoquatur.

Illud idem significat iste canon, ebullire amore volens hominum corda, quibus inseritur iste panis, eo igne cælico concoquendus. Ecce canon. *Ecce quod accepistis, quomodo ergo videtis esse vnum quod factum est, sic vnum estote vos, diligendo vos tenendo vnam fidem, vnam spem, vnam indiuiduam charitatem.* Canone. Quia passus. De consecratione. Dist. 2.

Textus Philosophicus.

Iniuriarum actio dissimulatione aboletur. Si quis enim iniuriam dereliquerit, hoc est statim passus ad animum suum non reuocauerit, postea ex

pœnitentia iniuriam remissam non poterit recolere. *Lege Non solum. §. Iniuriarum. ff. De iniuriis.* Pag.520.col.2.

APPLICATIO MORALIS.

Qui iniuriæ acceptæ, Dei amore motus immemor eam indulsit, postea dæmonis susurro bile succensa nequit illam nisi cum iactura suæ animæ vindicare.

Textus Iuris Ciuilis.

Ipsos defensores, quos iudicum officium complere in ciuitatibus volumus, ipsos quoque in omnibus diligentiam habere. *Authentica. Nulla. De defensoribus ciuitatum.* pag.157.col.1.

Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. *Lege. Iustitia. ff. De iustitia & iure.* pag.578 col.1.

APPLICATIO MORALIS.

Anima iusta debet singulis momentis exhibere Deo quæ Dei sunt, & reddere proximo omnia obsequia, quæ debentur ei iuxta leges cælitus institutas. Verbi gratià, cùm intellectus & voluntas principes animæ facultates à Deo sint, & subsistere nequeant sine iugi Dei influxu, iure debent illi perpetuum obsequium, cui homo deest, si mente Deum iugiter non recolit, & ei semper amore sacro non fortiter adhærescit. Quisquis ergo Deum recolit semper, & pia mente colit, ei duntaxat vni corde defæcato suum amorem deuinciens, ille debet iustus meritò nuncupari.

Textus Iuris Ciuilis.

Iuris præcepta sunt hæc: honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. *Lege. Iustitia. ff. De iustitia & iure.* pag.578.col.1.

APPLICATIO MORALIS.

Inhonesta vita prodit homines iniustos & iniquos, & qui aliena rapit, is contra iura facit. Vnde liquet eos, qui de bono opere perpetrato sibi gloriam vsurpant, iniustos esse, quia soli Deo est de egregiè factis gloria deferenda.

L

Textus Iuris Ciuilis.

Legislatores tales scierunt animorum affectus, vt etiam donationes constante matrimonio prohiberent, vt non concupiscentiæ magnitudine victi latenter paulatim coniuges semetipsos priuarent substantia sua. *Nouella 74. cap.4. Quibus modis naturales filij.* pag.210.col.1.

APPLICATIO MORALIS.

Cæsareo iure potes inferre, qualis quàmque potens sit libido ad rationis vsum ab ipsa arce animæ deponendum. Illo iure fiunt irritæ donationes omnes factæ à coniugibus stante matrimonio, ratione periculi, cui obnoxios facit omnes homines nimia in venerem propensio, dementare viros etiam optimos assueta. Caue igitur, ò homo, caue à libidine obscœna, quæ astutè petit hominum caput, quando fœdè vacant ad delirium inducenti noxiæ voluptati.

Quis amabò caput Holofernis amputauit? luxuria, qua ardebat, & quæ temulentum, vino somnoque sepultum exposuit generosæ fœminæ trucidandum. Quis Samsonis oculos effodit, qui robore lacertorum præstabat aliis omnibus hominibus? nonne salax amor, quo Dalilam magno detrimento, sui corporis & animæ deperibat? Nonne Dauid ipse, licèt olim Numine afflatus, muliere aspecta, sua mente excidit? Nonne tota hominum sapientia infatuata fuit à mulieribus, quando Salomonis amor accensus à Venere abduxit eum à vero Dei cultu, vt idolis hostias immolaret.

Textus Iuris Ciuilis.

Legibus Romanorum auctores seditionis, aut tumultus pro qualitate dignitatis, aut in crucem tolluntur, aut bestiis obiiciuntur. *Paulus lib.5. tit.22.* pag.58.col.1.

APPLICATIO MORALIS.

Spiritui importuna caro sæpe quatit eum & perturbat, excitando motus & tumultus passionum, in quarum seditione salus animæ in magnum discrimen incurrit, nisi generosè feros hosce motus homo comprimat insurgentes. Iustè tales ob tumultus carnis, obsequio Dei iniuriæ, decretæ fuere cruces pœnitentiæ, vt ieiunia arcta, flagella corpori inflicta, preces assiduæ, & alia opera carni permolesta, quibus si non se submittit homo, suam ob perfidiam bestiis exponetur. Experientia namque probat, eos, qui proteruè nolunt subire crucem, id est, qui dedignantur onus baiulare sacræ Pœnitentiæ, fœdè suis sensibus indulgendo, more viuere bestiarum.) Ne ergo caro motus & tumultus aliquos excitet in animæ perniciem, sunt illi decernendæ cruces coërcendo gulam ieiuniis, precibus assiduis & protractis vigiliis, longè latéque fusa incendia salacis Veneris extinguendo.

Textus Iuris Ciuilis.

Libertos siue libertas, maximè quibus impositæ operæ non sunt, consuetum potius obsequium, quàm seruile ministerium manumissoribus exhibere debere, neque vincula perpeti, non est opinionis incertæ. *Lege. Libertos. Codice. De obsequiis.* pag.514.col.1.

APPLICATIO MORALIS.

Ciuili iure nefas est, homines ingenuos, id est, liberos, seruili negotio addicere. Cùm ergo Dei gratia nos liberos efficiat, iuxta sacrum oraculum: *Vbi spiritus, ibi libertas.* Res est prorsus indigna, cælo natos homines ingloriis vitiorum vinculis alligari. O homo memor esto tui status ingenui, quem Ioannes sic describit. cap.1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ita tuam prænobilem sortem recolentem pudebit fortè rebus vilibus occupari. Seneca ductus eo, vel saltem simili argumento, procul arcebat omne nefas, sicut eius scripta probant; vnde voces has descripsi: *Maior sum & ad maiora genitus, quam vt vile*

vile fiam corporis mancipium. Cælo satus homo, solo sua non deuouere debet obsequia, in fugaces anhelus opes, aut præclaras huius seculi infulas ambiendo.

Textus Iuris Ciuilis.

Licèt seruilis conditio deferendæ precis facilè capax non sit, tamen admissi sceleris atrocitas, & laudabilis fidei exemplum super vindicanda cæde domini tui, nobis hortamento fuit, vt Præfecto prætorio mandaremus, vt auditis his, quæ in libello contulisti, & reos inuestigare, & seuerissimâ vindictam iuxta legum censuram exigere curet. *Lege. Licèt seruilis. Codice. De seruis.* pag. 546. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Quamuis homo reus sit seruus peccati; idcirco tamen non excidit facultate Deum orandi, vt diabolum eliminet, quo instigante viri nequam, scilicet Iudæi, Christum Dominum occiderunt. Rursus idem hostis adhuc perduellis homines ad peccandum inducendo, procul Dominum IESVM arcet à cordibus, sic iteratò necem inferens Christo, quia nequiter obstat, ne gratia mediante viuat in anima reproborum. Sic ergo Deum deprecetur homo, licèt fortè reus, & multis peccatis obnoxius: *Miserere mei, Domine, anima mea à dæmonio malè vexatur.* Hæc me tentatio adurit, cui si succumbo, tuus filius Christus Dominus occidetur. O præpotens Rex cæli & terræ, qui permittis etiam seruis adire thronum tuum, vt orent & adorent, hoc enixè peto, trucem vt dæmonem pellas, filij tui perfidum homicidam.

Oratio illa Deo gratior est, quæ potiora Dei amoris argumenta prodit. Ergo sua propria commoda terrena oblitus homo, Dei vt hostem diabolum exterminet, erit acceptior orando Deum, vt dæmonem abigat quàm si quidpiam aliud expeteret propriis commodis inhiando. Adiice, non posse nouam formam induci in subiectum, quin tollantur obices; at magnus obex ad gratiam est illud dæmonium, quo singuli quique dirè vexantur. Igitur enitatur homo suis in precibus hoc præsertim efflagitare, procul vt scilicet dæmones arceantur.

M

Textus Iuris Ciuilis.

Milites, qui à Republica armantur & aluntur, solis debent vtilitatibus publicis occupari: nec agrorum cultui, & custodiæ animalium, vel mercimoniorum quæstui; sed propriæ muniis insudare militiæ. *Lege. Milites. Codice. De re militari.* pag. 279. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Gratia Dei militiæ spiritualis est stipendium; at stipendio accepto, durum ad certamen omnes milites obstringuntur. Audiendus hîc Ambrosius serm. 7. *Milites Christi sumus, & stipendium ab ipso donatiuumque percepimus, sicut dicit Beatus Apostolus: Qui dedit nobis pignus Spiritus, hoc est, qui Spiritus sancti nos remuneratione ditauit.* Hoc ergo sciant omnes, in quos gratia vberior influxit, gratiam esse pignus gloriæ, quæ strenuis tantùm conceditur, nec alio fine dari, quàm vt se animosè gerant milites à Deo conscripti, quòd si gratiâ acceptâ, rebus aliis iniquè vacet homo quàm diuinis, ille Dei stipendio iniurius est; à profanis enim negotiis omnino debent Christi milites abstinere.

Heu militum Christi plerique vacant cultui agrorum, terræ solùm intenti, & auari, quos inexhausta cupido tenet opum; alij verò suas omnes impendunt curas mercimoniæ, quando suam animam diabolo mercatori oppignerant, vt ab illo quædam crepundia vilia nundinentur. Et hoc omne nefas est, vtpote contra decus & meritum stipendij cælestis, id est, gratiæ diuinæ nobis ideo concessæ, toto vt æuo nostro, Dei in obsequio validè militemus.

Textus Iuris Ciuilis.

Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus, & domicilia mutamus. *Lege. Mulieres. Codice. De dignitatibus.* pag. 307. col. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Fœminæ desponsatæ viris, sunt vt eorum ancillæ, quia, ex Scriptura sacra, caput mulieris est vir. Vnde tali ex connubio nascuntur serui peccati & filij iræ. Virgines verò, Dei sponsæ, prolem edunt sociam Angelorum. Nempe quia virgines in sua carne viuunt in hoc æuo, vitâ labis experte, Dei Angelos imitantur. Ita Hieronymus serm. 7. de Assumpt. *In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis; vnde in carne Angelicam gloriam acquirere, est maioris meriti, quam habere. Esse enim Angelum felicitatis est; esse verò virginem, virtutis; dum hoc obtinere nititur cum gratia, quod Angelus habet ex natura.*

Quamuis res sit decore plena, assimilari Angelis; attamen corona manet virgines præ Angelis titulo potiori, eo scilicet, quo Esther Regina diues auro & gemmis diadema cepit, vtpote euecta Regis ad thalamum quippe Regem & sponsam eius idem diadema solet pretiosis margaritis rutilum honorare. Virgines esse Dei sponsas audi ex Patribus, è quorum choro prodit Ambrosius, ita fatus lib. 1. de virginibus: *Quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli in cœlo: nemo ergo miretur, si Angelis comparentur quæ Angelorum Domino copulantur.* Si Domino copulantur virgines; ergo iure veræ sunt Reginæ, quia sponsæ Regis sunt, vt in virgine Sancta Catharina liquet, quam Rex ipse Regum Christus castis hymenæis, eius digito inserto annulo desponsauit. Effatum commune clamat: *Si vis nubere, nube pari.* Nihil æquè refert in hoc æuo Dei puritatem ac virgines; ergo benè Dei in sponsas virgines assumuntur. Cyprianus eas hoc nomine præsertim commendat, quòd in illis eluceat similitudo Dei. Sic ille libro de habitu virginum: *Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus & ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis honoris & opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.*

Textus Iuris Ciuilis.

Mulieres castè viuere volumus & oramus; non autem inuitas ad luxuriosam vitam deduci, nec impiè agere cogi. Omnino enim lenocinium & & prohibemus, & factum punimus, præcipuè quidem

dem in hac felicissima ciuitate, & in eius circuitu: nihilominus autem & in locis foris positis omnibus, & quæ ab initio nostræ sunt Reipublicæ, & quæ nunc à Domino Deo donata sunt nobis, & maximè in illis, eò quòd Dei dona, quæ circa nostram Rempublicam fecit, volumus conieruari pura ab omni tali necessitate, & Domini Dei circa nos munera esse permanere digna. Credimus enim in Domino Deo, etiam ex nostro hoc studio circa castitatem magnum fieri nostræ Reipublicæ incrementum, Deo nobis omnia prospera per talia opera conferente. *Authentica. Sancimus. Deo lenonibus. collat.* 3. pag. 171 col 2

APPLICATIO MORALIS.

Iustinianus Imperator castitate ratus posse Dei gratiam conciliari, præ aliis virtutibus illam præfata suæ legis serie commendauit. Dum suaue flagrant flores, apes eò per examina conuolare solent, vt tetro secus odore procul ab immundis fœcibus abiguntur. Ita pura & casta solent prouocare Deum & Angelos ad eorum præsidium; vt contrà, fœda & obscœna Deum & Angelos sollicitant ad hæc immunda capita conterenda. Audiendus hic Ambrosius lib. 1. de virginibus. *Vobis virgines sanctæ spiritale præsidium est, quæ pudore intemerato sacrum Domini seruatis cubile. Neque mirum si pro vobis militant Angeli, quæ Angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam imitatur. Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas enim Angelos facit. Qui eam seruauit, Angelus est: qui perdidit, diabolus est. Virgo est, quæ Deo nubit; meretrix, quæ Deos facit. De resurrectione quid dicam, cuius præmia iam tenetis? In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli in cœlo. Quod nobis promittitur, vobis præsto est, votorumque nostrorum vsus apud vos est. De hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo. Sæculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quàm præclarum autem, Angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cœlo, virgines propter castimoniam in cœlum transiisse de sæculo.*
Vide plura scitu digna. pag. 172. col. 1

N

Textus Iuris Ciuilis.

NAtalibus antiquis restituti liberti, ingenui nostro constituuntur beneficio. *Lege Aureorum Codice. De iure aureorum annulorum.* pag. 314. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

In Baptismo quasi natalibus restitutus homo suam in primam libertatem, si non perfectè, modo tamen aliquo vindicatur. Singulare Dei beneficium est libertas illa redux, cui larga Dei manus & hanc gratiam adiecit, scilicet ius aurei annuli: quippe Deo, gratia mediante, potest anima desponsari.

Textus Iuris Ciuilis.

Natura ab initio produxit liberos, & ingenuos; bella verò & lites atque libidines, & concupiscentiæ causam deposuerunt ad aliud schema. *Nouella. 89. c. 2. Quibus modis naturales.* pag. 604. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Natura Deo miserante primum hominem liberum fecit. Homine constante sibi in illa libera sorte, rerum omnium dominium infra cælos erat penes eum; quippe fuit a Deo inauguratus in proregem, cui animalia omnia subdebantur. Sed latius regnandi cupido primo huic homini suggessit, equidem stultè, Deo vt bellum indiceret, detrectando fidem oppigneratam & debitum obsequium præstare Deo, quo offenso tali rebellione, nequam homo prima sua excidit libertate, cuius sorte Deus illum dignatus erat quando lucis huius vsuræ fecit eum participem. In multctam perfidiæ subiecit eum Deus miseræ seruituti.
Præterea hoc bellum iniquè Deo illatum excepit obscœna libido, cui ille primus homo suam omnem sobolem obnoxiam fecit: & inde tetra malorum omnium illis exorta, toti humano generi permolesta. In aliud schema deuolutus homo gemit, de Rege rebus huius sæculi præfecto vile mancipium factus dæmonis & peccati, plurium ærumnarum pondere prægrauatus.
Congruas temperies humorum dissoluta viam strauit morbis innumeris, qui salutari corporis habitu vitiato etiam conciliauere necem homini peccatori. Habuit & anima ægrota suas infirmitates affines eis, quæ corpus ægrum discruciant: dum namque nimis incandescit amor huius sæculi, anima sic accensa febrem concipit eius speciei, cuius est ille fomes & materia febrilis incendij, quod profanus amor in decumbente suo in vitio anima suscitauit. Verbi gratiâ, luxuria est, quando salax & obscœnus amor ardet: auaritia est, quando potens ad omnia nefaria audenda flagrat opum cupido, duris stimulis exagitans homines inquietos. Est plethora seu omnium humorum noxia colluuies quando suo abdomini seruit homo gulæ obstrictus. Vnde quouis humorum affluxu in homine iniquo febris exæstuat, & illud beatum schema mutat, quo gaudebat homo liber, in illo Dei gratia præualente.
Vide plura. pag 604. col. 2
Nemo Deum accuset auctorem naturæ si libertate sua excidit proteruus homo: quisque suo vitio seruit, & vltro iuris alterius efficitur, vt scitè fatur Ambrosius libro de vita Beata, cuius en contextum. *Neminem iugo seruitutis diabolus possidet, nisi et prius se vendiderit ære peccatorum.* Bernardus item libro de gratia & libero arbitrio. *Nostra voluntas nos mancipat diabolo non potestas.*
Augustinus lib. 1. in Genesim eruditè notat, Deum in editione prima rerum dominij non meminisse nisi commemorando feras. Etenim ita primos est homines alloquutus, Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Sic commentatur ibi Augustinus: *Conditio seruitutis iure intelligitur imposita peccatori; nomen istud culpa meruit non natura.* Id est, quia homo pecudis naturam induit, seruus effectus est, vitio etiam eum subigente duro sensuum dominio, sicut exprobrat Isaias hoc tenore cap. 50. *Iniquitatibus vestris venditi estis.* Quibus? Tot dominis, quot sunt sensuum illecebræ, in quas effusus homo sese obscœnè rotat in voluptatum omnium sordido volutabro.
Vide plura scitu digna de hac ingloria vitij seruitute. pag. 515. col. 1

Textus

Textus Iuris Ciuilis.

Nec tamen pœnitentiæ locum in causa exclusis auferimus & ex hoc; nam & si voluerint & posthac ad rectam fidē Christianorum conuerti qui per hoc hæreditate exclusi sunt, suas recipient portiones, ita vocandi ad hæreditatem, tanquam si rectæ huius religionis extitissent, solis fraudatis medij temporis fructibus. *Nouella.129.cap.3. De Samaritis.* pag.551.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Quantauis sanctitate viri quique clari extiterint, cœlesti hæreditate cadent si obstricti mortifero peccato diem extremum concluserint: suprema namque fata vitæ toti imponunt aut pœnæ æternæ, vel inæstimabilis præmij colophonem. Si verò vitam illibatam, vitiis interceptam pœnitentia congrua sarcierit, repetendo primum schema vitæ innoxiæ vsque ad mortem, ad regni hæreditatem, quâ pulsi fuerant, denuo vocabuntur. Sed illud æuum omne malè impensum non cedet ad meritum, vt neque mala perpetrata pœnis æternis in alio sæculo punientur.

Textus Iuris Ciuilis.

Ne quis mortalium ita faciendi sacrificij sumat audaciam, vt inspectio iecoris extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat; vel, quod est deterius, futura sub execrabili consultatione cognoscat. Acerbioris enim supplicij cruciatus imminebit ei, qui contra vetitum præsentium vel futurarum rerum explorauerit tentare veritatem. *Lege 2.Codice. De paganis.* pag.472.col.1

Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quàm ipse habet. *Lege 35.ff. De regulis iuris.* pag. 237. col.1

APPLICATIO MORALIS.

Quia in maligno totus mundus est positus, ille bonos nec beatos facere nequit eos, qui incautè suos affectus omnes huic mendaci domino deuouerunt. Magnum sanè Dei prouidentiæ argumentum est, vt prælectis à Deo mundus non affricet nequitiam suam, mentes eorum deliniendo crebris pollicitationibus, quibus vtplurimum vegetiores etiam animi dementantur. Speciali luce Deus affulget eis, sæculi promissa docens esse meras technas, iuxta vatis eloquium. Psalm. 6. *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipient ipsi de vanitate in idipsum.* Mundum vis nosse parum veridicum. Promittit mundus prospera cuncta suis asseclis, æuum nempe sanum, vtpote ægritudinis expers, multa blandientis fortunæ dona, perpetuas corporis & animæ delicias, & demum, insusurrat, in suprema ætate fore congrua spatia pœnitendi. Deprehende vafrum deceptorem: præstiturum se affirmat ea, quæ esse iuris eius non possunt, ac proinde fucos facit iis omnibus, qui illi turpiter obsequuntur.

Textus Iuris Ciuilis.

Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur. *Lege. Nemo. Codice. De sacris Ecclesiis.* pag. 350. col.2

Neque monachi, neque quicunque alij cuiuscunque status aut fortunæ in ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem, & Sanctorum Martyrum reliquias illicitè inferre conentur. *Lege. Neque monachi.Cod. De Episcopis & clericis.* pag.350.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Grauior multò Deo infertur iniuria, quandò viri sacrilegi conscientiâ pollutâ sacrum Christi corpus accipiunt: non enim crucem, sed ipsum IESVM crucifixum committunt fœtido volutabro. Peius namque fœtet anima vitiis obstricta quàm cloaca. Vnde panem Angelorum sumere in peccato, scelus est æternis ignibus expiandum.

Textus Iuris Ciuilis.

Nemo clericus vel militaris, vel alterius cuiuscunque conditionis de fide Christiana publicè turbis coadunatis & audientibus tractare conetur in posterum; ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam & iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit. Igitur si clericus erit qui publicè tractare de religione ausus fuerit, à consortio clericorum remouebitur; si verò militia præditus sit, cingulo spoliabitur: cæteri autem huius criminis rei, siquidem liberi sint, de hac sacratissima vrbe expellentur, pro vigore iudiciario etiam competentibus suppliciis subiugandi: si verò serui, seuerissimis animaduersionibus plectentur. *Lege Nemo clericus. Codice, De summa Trinitate.* pag.539.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Dogmata sacra fidem & assensum ab homine Christiano petunt, alioquin scrutator maiestatis opprimetur à vibratis coruscantis & rutilæ gloriæ radiis excæcatus. Qui Ecclesiæ decreta suæ discussionis indagini submittit, ille procul ab Ecclesiæ castris est arcendus, homo sicut insanus, ethnicus, infidelis.

Textus Iuris Ciuilis.

Nemo militet qui non apud acta testificatus sit cum tribus, propositis sacrosanctis Euangeliis se esse Christianum orthodoxum, fiantque acta apud eum magistratum sub quo militaturus est. *Lege 20. Cod. De Episcopali audientia.* pag.686.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Vt fides Christiana suos professores aptat ad ardua facinora, ita pij Imperatores credidere, fidem orthodoxam conciliare Dei auxilium, ideoque suos milites voluere palam profiteri se initatos esse dogmate Christiano. Reuerà fides ingenua strenuos animos instillat iis, qui sincerè credunt: vt namque fides sincera nihil nisi arduum spirat; ita robur animi inspirat eis, in quos influit: nemo quippe potest adhærere Christo, simul & grandia opera detrectare. Hoc igitur constans esto, cœlo scilicet homines inscribendos fideles Christo fore: quippe fides est tessera discernens discipulos Christi ab aliis sectæ cuiusuis erroneæ sequacibus, qui propugnant deliria dogmatis infidelis.

Textus

Textus Iuris Ciuilis.

Neque tibi sit cura cuiuslibet sint hæc agentes dominij : sufficit enim per omnia tibi ad perfectam fortitudinem, & lex & Imperij fauor. *Nouella.17. cap.13. De mandatis Principum.* pag.103.col.1

APPLICATIO MORALIS.

O infirma Regum huius sæculi præsidia ! imò Reges ipsi sunt inermes, contra plebi communes aëris iniurias, & morbos æquo fato Regum & populi capita demetentes. Pharaonis diadema, tutum non fecit cum à bestiis etiam minusculis, vt sunt cinifes, aculeis infixis subiectæ coti omnibus importuni. Herodes sceptro clarus pediculari morbo fatis cessit, eo fine docens, esse Regum debilia fulcra, quibus imprudentes homines innituntur. Imperij fauor non obstitit, quin Belissarius, Stilicho, & Ruffinus miserè perierint, quamuis olim consulari purpura decorati. Præfatæ voces, *sufficit ad perfectam fortitudinem & lex & Imperij fauor*, à Cæsare vsurpatæ, suum sortiuntur effectum quando Deus illas pronuntiat in gratiam fidelium, qui illi fide sincerâ suis stipatâ bonis actibus obsequuntur. Ecclesia Sancta potens est experta Dei subsidium, quando truces in eam sæuiere Reges & tyranni, qui igne & ferro domum Christi tentauere solo penitus adæquare. Periere sæui fidelium hostes : & Ecclesia sancta floret suffulta Dei auxilio quo freta fugat infrementes acies infernales.

Audiendus vnus, scilicet Paulus, opis diuinæ docens quanta sit virtus & potestas contra feros omnium ærumnarum & dæmonum impetus insurgentes. Sic illè Deo afflatus, opem eius prædicat & commendat Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos ? &c. Quis nos separabit à charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? &c. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.*

Non è cœlo timet fulmen, quando nubes concussæ tonant, & horrendo suo fragore metum omnibus incutiunt. Ex inferno licèt diaboli erumpant, Paulus eos prouocat ad certamen. Denique si sub cœlo quidpiam est infracto robore conspicuum, ille Dei armatus ope prodit in occursum, de victoria à se reportanda velut certior effectus, quia à nullo potest diuina gratia superari.

Textus Iuris Ciuilis.

Nihil tam naturale est, quàm eodem genere quodque dissoluere quo colligatum est : ideoque verborum obligatio, verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu tollitur. *Lege 36. ff. De regulis iuris.* pag.698.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Si Deus hominem non induisset, & Angelo demandasset onus satisfaciendi pro homine : profectò non fuisset eodem genere dissolutum id quod fuerat antea colligatum. Vt igitur in integrum restitueretur homo, Deus eum assumpsit, vt illa natura pœnas lueret & supplicia acerba, quibus se obstrinxerat in Adamo. Ideoque Dauid gestiens sic omnes prouocat ad iubilum. Psal. 129. *Speret Israel in Domino. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*

Christus item beneficio immenso crucis abundè tulit & sustulit omne virus, quod incautus Adam, miserandæ toti soboli propinauit. Eo pacto prudens ille rerum omnium Dominus occurrit hominum ruinæ, rescindens omnia iniqua pacta inita cum dæmone, alia fœdera constituens planè contraria prioribus, collapsum hominem restituens pristinæ libertati.

Textus Iuris Ciuilis.

Nisi velociter reuocemus curam defensorum, per competens officium : nec ipsam vlterius antiquorum nominum habebimus veritatem. *Authentica 1. collat. 3. De defensoribus ciuitatum.* pag. 157. col.1

APPLICATIO MORALIS.

Est constantis veritatis apud Theologos, prædestinationem posse adiuuari precibus Sanctorum, id est, Sanctorum suffragia posse nobis impetrare Dei gratiam, qua mediante suum effectum prædestinatio in æterna gloria sortietur. Omnium electorum nomina sunt conscripta in libro vitæ : sed Sancti, & Angeli omnes vt defensores agunt causam hominum, & precibus indefessis apud Deum præstant vt nominum in cœlis descriptorum veritas habeatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Non solùm autem is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, hoc est qui percussit : verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit, vel qui curauit vt cui malæ pugno percuterentur. *Lege. Non solum ff. de iniuriis & famosis libellis.* pagin. 50. col.1

APPLICATIO MORALIS.

Omnes qui peccando viam aliis sternunt ad peccandum exemplo suo inducentes eos in vitiorum præceps & abruptum, quo feruntur : ij profectò rei sunt ante Deum, cui de iactura animarum strictam rationem sunt congruo tempore reddituri. Christus ait, satius esse molam asinariam suspendi in collo viri, qui scandalizat vnum ex pusillis, quàm talè scelus admittere. Aliquem scandalizare sonat idem ac alium ad peccandum nequiter excitare. Ad hoc verò valent exempla nequam hominum; cùm namque prona sit natura, malè ad agendum, profectò ruet homo, suam animam vitiis obstringens, si à peccantibus hominibus dyscolis impellatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Non est alia causa iustior beneficium auferendi, quàm si id, propter quod beneficium datum est, seruitium facere recusauerit. *Lib.3. De feudis tit.1. De beneficio, quid sit* pag.164.col.1

APPLICA

APPLICATIO MORALIS.

Homini tincto sacris aquis in Baptismo, Deus gratiam impertit, ea lege tamen vt vale dicat homo rebus cunctis, quæ à Deo abstrahunt, diabolo scilicet, mundo & carni, vtpote salutis animarum hostibus importunis. Baptizatus item quibusdam præfixis à Deo obstringitur obsequiis, vt sunt parere Dei mandatis, almæ matri Ecclesiæ quando iubet aliquid vltro morem gerere, opera bona suo pro modulo facere, mala secus omnia opera declinare. Si ergo suis pollicitis non stet homo Deo iniurius, violando Dei & Ecclesiæ mandata, rebus & vacando, suam quæ salutem adducunt in discrimen; derepente cadit eo beneficio, quo Deus eum dignatus erat ea cautione, vitam vt ageret innoxiam, & vitiis omnibus illibatam. Sic hominis ingratitudo demit acceptas olim gratias, & est magnus obex ad influxum gratiarum, quas alioquin Deus larga manu cœlitus erogaret.

Bernardus huius veritatis est assertor sermone 2. de Dominica IV. post Pentecost. Sic ille: *Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitudo; vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet. Hinc mihi tristitia magna, & dolor continuus est cordi meo, quòd nonnullos tam pronos ad leuitatem video, ad risum & scurrilia verba tam faciles, vt pertimescam valdè, ne fortè plusquam expediat, diuinæ misericordiæ sint immemores, & ingrati tam multis beneficiis sui aliquando deserantur à gratia, quam non vt gratiam venerantur.*

Textus Iuris Ciuilis.

Non solùm Barbaris aurum minimè præbeatur; sed etiam si apud eos inuentum fuerit, subtili auferatur ingenio. Sed si vlterius aurum pro mancipiis, vel quibuscunque speciebus; ad barbaricum fuerit translatum à mercatoribus; non iam damnis, sed suppliciis subiugentur. *Lege, Non solùm. Codice, de commerciis.* pag. 288. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Hac descripta lege, bifariàm procedendum est contra alienantes aurum; videlicet damnis, & suppliciis. Damna pertinent ad censum; supplicia verò pœnas infligunt acerbè reis, quorum corpora cruciantur. Hunc etiam tenorem seruat Deus quando legi huic obnoxios plectit. In amore nimio creaturarum arguimur furti pretiosæ rei, duntaxat vni deuinctæ Regi Regum, ideóque datum est ius omni creaturæ reos plectendi, qui magnâ Dei iniuriâ iniquè suum omnem affectum isti sæculo deuinxerunt. Ipsæ creaturæ, quibus vti, imò frui ad voluptatem volumus, iusta nobis infligunt supplicia, ita Deo decernente, tebus vt scilicet plectamur iis, quas amando supra modum iustè Dei iram in perniciem nostræ animæ prouocamus.

Cassianus eò vergit ita fatus collatione 24. capite 29. *Ipsa nobis tormenta sunt, quibus vtimur voluptates, & oblectamenta huius carnis, atque delicia carnificum vice in suum retorquentur auctorem.*

Aurum quod suffuratur homo Deo, rebus vt terrenis illud deuinciat & obstringat, amor est, quem auri typo notat & designat Apostolus hoc contextu Apoc. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias.* Ius ciuile cauet ne aurum deferatur ad Barbaros, pœnámque decernit eis, qui proteruè secus faxint. Appositè ad hanc legem, qui aurum charitatis vni Deo debitum creaturæ defert, ille luet in suis facultatibus, arente solo, & abortiente sato semine, vnde fames. Aliàs locustis gramina vastantibus, parcior annona decurtabit opes, vt videre fuit olim in locustis, quas describit Holcot, affirmans in earum alis fuisse voces has descriptas: IRA DEI. Bella, lues pestifera, & alia flagella pœnas exigent ab iniquis hominibus, vt qui iacturâ boni terreni admoniti amare Deum nolunt restituentes ei aurum suffuratum; inflicto demum acerbo flagro reo corpori resipiscant.

Ioannes Numine afflatus, eis imminere necem dicit, qui creaturis obstricti, amoris pensum stultè Deo negligunt exhibere. Sic ille: *Qui non diligit manet in morte.* 1. Ioan. 3.

Textus Iuris Ciuilis.

Non nudis adseuerationibus, nec ementita professione, sed matrimonio legitimo concepti, vel adoptione solenni, filij ciuili iure patri constituuntur. *Lege. 14. Codice, de probationibus. lib. 4. tit. 19.* pag. 461. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Sola voce tenus asseuerare, Dei se filium esse, satis non est. Duobus namque modis homo dici potest filius esse patris, scilicet naturâ, vel adoptione, cuius obsequio quilibet adoptantis eum filius appellatur. Homo nequam neutro modo Dei filius est: non naturâ; sola quippe Dei gratia nos consortes diuinæ naturæ facit: non adoptione, quia vitiis & peccatis obnoxij homines haudquaquam in filiorum Dei numerum adsciscuntur. In Baptismo quidem adoptatur homo Dei filius effectus, sed sensibus indulgendo viuens pecorum ritu, tanquam degener & spurius gratiâ diuinâ cadit, à Christo Domino reprobatus.

Textus Iuris Ciuilis.

Nos non damus luxuriantibus sed pudicis legem. *Nouel. 89. c. 12. §. Si vero. Quibus modis naturales.* pag. 302. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Christus initiando suos discipulos, vt aptiores eos redderet instituto sacri Euangelij, præ aliis virtutibus moralibus, illis castitatem maximè commendauit. Sic ille sator nouæ legis. Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* Quem versando locum Gregorius ita fatur homil. 13 in Euang. *Lumbos præcingimus cùm luxuriam per continentiam coarctamus.*

Castitatis amor insinuatur à Christo, quia fœda libido iugum cuiuscunque legis excutit, illud vnum in votis habens, scilicet repudiato rationis vsu & dictamine, hominem totum Veneri mancipare. Castitas ergo fauet quammaximè Christianæ legis obsequio; siquidem indoles est hæc potentiarũ, arctè sibi connexarum, vt si vna supra modum intendatur, alias etiam omnes rapiet, vt videre licet in catena,

quæ est ferreis annulis intertexta. Si eam dextera parte trahas, annulus fortiter attractus, circulos omnes aget eò, quò vergit ea pars primò mota. Si verò secus eo ipso momento manus vegetior sinistram partem catenæ trahat, circuli omnes impetum hunc sequentur; ita ferè sua functione carent sensus omnes corporei, cùm anima sancta Dei arcana seriò meditatur. Si verò rebus obscœnis delinitus homo suos omnes sensus iis obstringat, voluptas illa potens ita rapit hominem totum, vt nihil prorsus ea quæ sunt diuina curet, ideoque ferè est deplorata salus omnium veneris assectarum.

Textus Iuris Ciuilis.

Nulli hominum sit licentia, defensoris ordinationem declinare; sed inuicem vniuersi nobiliores ciuitatum habitatores hoc ministerium eis adimpleant. *Authent. Interim. De defensoribus ciuitatum.* pag. 157. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Nullus planè Angelorum dedignatus est defensoris hominum indictas subire vices, hominem deducendo crebris à meandris, & implexis anfractibus, in quos deuolutus homo nequit inde sine Angelis ducibus emergere. Idcirco iure nomen custodum illis inditum est; nempe curam attentè gerunt eorum omnium quæ conducunt ad perfectam corporis & animæ sospitatem. Ita sanè fidus ille tutor & defensor procurat eam sanitatem, qua sæpè diu gaudet homo licet corpus sit infirmâ suâ naturâ labans ac proinde breui tempore obnoxium fœtidæ corruptelæ.

De his ita fatur Augustinus Soliloq. cap. 27. *Ambulant nobiscum in omnibus viis nostris; intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes quam piè, quàm honestè in medio praua nationis conuersemur; quantòque studio, & desiderio quæramus regnum tuum, & iustitiam eius, quantóque tremore, & timore seruiamus tibi, & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus.* Hæc ille, sua auctoritate ratum faciens quod digessi, scilicet corporis etiam incolumitati custodes Angelos insudare.

Inde nouo obsequio est obstrictus homo, suum erga bonum Angelum: nempe debet inuigilare suis omnibus membris ne quid eis insit Angelos offendens, vtpote illorum mentibus indecorum. Aures non pateant homini maledico, nec sibilis aut susurris castitati iniuriis; oculus non scintillet irâ, supercilio diducto vibrans horridos obtutus; lingua vacet à blasphemiis aut garritu; contracta manus abstineat à malè partis; contra loca, quibus inest scandali petra, citâ sibi fugâ pedes consulant: omne demum corpus cuncta bono animæ noxia detestetur.

Illud idem opportunè monet Apostolus hoc contextu Roman. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo, &c. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ ad sanctificationem.*

Vt Angelus est impuritatis osor, malè sibi consulunt homines, qui alios sollicitant & prouocant ad impura, quorum Angelus est vltor, sæpe fato immaturo viros plectens ob insidias tensas pudico corpori pupillorum.

Textus Iuris Ciuilis.

Nullum ab initio benè natorum ex supplicio permittimus fieri seruum. Neque enim mutamus nos formam liberam in seruilem statum, qui etiam dudum seruientium manumissores esse festinauimus. *Nouella 22. cap. 8. de nuptiis.* pag. 132. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Cæsar hac sanctione demit quicquid suppliciis aut vinculis inglorium esse putant homines vel saltem animo dubio suspicantur. Tantùm abest, vt flagella iugum seruitutis imponant aliquando viris ingenuis, id est liberis, quinimò secus Imperator ait se miserando vilem mancipiorum sortem, seruos sæpe flagris acerbè cæsos, vinculis dissolutis liberos effecisse.

Diuinæ maiestatis opus est & gratia, vt iustis flagella cedant ad gloriam, & non ad dedecus aut opprobrium. Nemo sanè benè natorum, id est, eorum quos Dei gratia ingenuos fecit, aliqua molestia vrgente peior aut deterior effectus est, imò plerique graui molestiâ oppressi, gratiores inde fuere Deo, vtpote in seriem filiorum eius, eis accedente noua gratia, cooptati. Ærumnæ sicut par est acceptæ Deum non arcent à nobis vt ingloriis, sed contrà Deo sternunt opportunè viam, vt afflictis & contritis cordibus illabatur. Paulus huius veritatis conscius ita fatur. 2. Cor. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum.*

Censuere Patres, eum qui aduersa subit æquo animo, non esse solùm supparem Angelis, sed insuper & mereri habere sibi beatos illos spiritus obsequentes. Ex Scriptura sacra liquet hoc effatum. Actorum 12. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitauit eum.*

In hoc agone, primas cuinam ô Christiane dabis; Angelo, an Petro? Chrysostomus suspicatur, in Petro Dei causâ afflicto quidpiam altiùs eminere. Sic ille hom. 8. in cap. 4. ad Ephes. *Hic si quispiam mihi dixisset: Elige vtrum velis; vis esse Angelus, Petrum stimulans ac soluens; an Petrus seruatus? Petrus vtique maluissem esse, propter quem Angelus descendit. Vinculis istis potiri libuisset.*

Augustinus eo & Numine afflatus ait serm. 218. de tempore: *Ad hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, vt Angelum susciperet medicum. Quid meruistis Tobias pater, filiusque Tobias? Mercenarium habere cœlestem, & tanquam operarium locare terrestrem? Celauit vobis Angelus nomen suum: Azarias sum, inquit, & non dixit: Ego sum Raphaël Angelus. Si enim diceret: Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.*

Seruos

Seruos à vinculis ad libertatem vocare Cæsar ait esse suæ dignitatis opus & beneficium, ita cruces & quascunque graues angustias habere gratas, eas conuertendo Dei ad gloriam & salutem nostram & proximi, est profectò Dei gratia singularis.

Paulus in carcere pro Domino vinctus, aliorum omnium, quos carcer ibi concluserat, vincula dissoluit. Ita Lucas Act. 16. *Subito terræ motus factus est magnus, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt.* Sic versat hunc contextum Chrysostomus, Pauli cultor eximius: *Vides naturam vinculorum vincula soluentem. Nam vt mortem interemit mors Domini, ita ligatos soluerunt vincula Pauli.*

Rex Manasses in carcere vinctus, inde cepit ansam conciliare sibi Deum, quem grauiter offenderat, & sic eius catenæ visæ ingloriæ, peccatorum illius vincula dissoluerunt.

O

Textus Iuris Ciuilis.

OMNES priuilegia dignitatum hoc ordine dignoscant, vt primo loco habeantur hi, qui perillustres in actu positi peregerint administrationes. *Lege, Omnes. Codice, Vt dignitatum ordo seruetur.* pag. 141. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Ea lege nobis hominibus Angeli præstant dignitate, quia nobiliores obiere vices eis omnibus, quas vnquam gessere Reges & Prophetæ: Angeli quippe Deum induentes, omnia fecere, quæ nomine gesta Dei sacro codice recensentur: Illud idem Augustinus habet pro comperto, locum versans, qui est de apparitione Dei facta Moysi. Sic ille lib. 2. de Trinit. cap. 13. *Moyses quando ad populum Israel ex Ægypto educendum missus est, sic ei Dominum apparuisse scriptum est. Pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian, & egit oues in desertum, & venit in montem Dei Horeb. Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo. Et vidit quia in rubo ignis arderet, rubus verò non comburebatur, & ait Moyses: Ibo, & videbo visum istud, quod tam magnum vidi, quoniam non comburitur rubus. Cum ergo vidit Dominus quia venit videre, clamauit ad eum Dominus de rubo, dicens: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Et hic primo Angelus Domini dictus est, deinde Deus. Nunquid ergo Angelus est Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Sed cur prius Angelus Domini dictus est, cùm de rubo in flamma ignis apparuit? vtrum quia vnus ex multis Angelus erat? sed per dispensationem, personam Domini sui gerebat.*

Illa constitutio Theodosij & Valentiniani benè quadrat eis, quibus acerba pati pro Christo datum est. Cùm namque cedat honori & gloriæ, in hoc æuo diris agi ærumnis pro Christo; cruces & omnia permolesta passa Dei intuitu, afflictis erunt ad coronam. Idcirco viri sancti, quos diuinus amor egit in agones & tormenta Dei causâ, procul dubio in cœlo suis consortibus altiùs eminebunt. Ideòque gradus Martyrum, quos atrocia tormenta cœlis inseruere, benè ab Ecclesia in Litaniis præponitur ordini confessorum. Si ergo pati acerba nobis contigerit, & præsertim pro nomine Christi animo recolamus alto locum istum Scripturæ sacræ, Iesum inducentis dicentem ipsum Christum oportuisse pati, & ita intrare in gloriam suam. Namque duris angustiis prostant præcipuæ æternæ gloriæ dignitates.

Textus Iuris Ciuilis.

Omnibus laicis interdicimus Litanias facere sine sanctis Episcopis, & qui sub eis sunt Reuerendis clericis. Qualis enim est Litania, in qua sacerdotes non inueniuntur, & solennes orationes fiunt? *Authentica 123. de sanctissimis Episcopis.* pag. 374. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Nota, primis & aureis Ecclesiæ sæculis fuisse morem hunc constantem, publicas supplicationes faciendi; vniuerso clero resonante Dei laudes, & tota comitante plebe, sua vota sacris Ecclesiæ precibus inserente. Nempe Deus præcipuè illis adest, quos sanctus amor vnit. Christus enim ait se esse in medio illorum qui sunt in eius sacrosancto nomine congregati.

Rursus ea lege Cæsar sanciendo preces publicas fieri non debere sine clero, monet esse plenam periculi pœnitentiam illam quam auspicatur homo sine Præsule consultore. Namque sicut in cœlis superiores Angeli alios inferioris notæ, luce quadam perfundunt, purgant & perficiunt; ita Deus sanxit, eos qui à peccato nouum vitæ genus instituunt, non debere suum ad arbitrium viuere, ne aberrent à recto cœli tramite, sed debere probæ vitæ consulere sacerdotes. Christus ipse cœlis iam insertus qui potuit vno momento suum Apostolum Paulum initiare sacris fidei arcanis, misit eum ad Ananiam, vt ab illo pio sacerdote prima addisceret fidei rudimenta.

Profectò vita in spirituali labyrinthus inest recurrentibus in se gyris plurimis implexus, à quo sine Theseo, id est sine præeunte duce, sese nemo potest pœnitens expedire.

Textus Iuris Ciuilis.

Oportet eos scire, quòd si mundo semetipsos constituerint, & Dei auxilium habebunt, & nostra placatione non fraudabuntur, & longior eis dignitas erit. Quis enim benè & rectè agentem amouere velit? *Nouella 13. cap. 5. de Prætoribus populi.* pag. 555. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Profectò puri & immunes à peccato sibi conciliant gratiam Dei, & si rectè agendo suum æuum transegerint in perenni gloria dignitate regia potientur. Non in futuro solùm regno Deus mundis adest beneficus; sed etiam quamdiu in hac vita degunt, influit in eos munificè, larga manu multas & opimas gratias erogando.

Scriptura sacra locis est fœta; quibus constat, eos, quorum est vita fœdis vitiis illibata, Deum habere sibi propitium, ac proinde bonis gaudere cœlo satis, vnde simul & animæ ditiores abundè fiunt;

fiant, & salutari influxu corpora vegetantur.

Audiendus ipse Deus, ita fatus Leuit. 26. *Si ambulaueritis in praeceptis meis, & mandata mea custodieritis & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedite panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis, &c. Respiciam vos & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum, comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus.*

Potiora nobis bona Deus qualitate sicut & quantitate dedit, quàm sint hæc præfata ferè soli corpori proficua: nempe suis fidelibus è cœlo dotes impertit, vnde æterna salus animæ procuratur. Quicquid est pollicitus populo Hebræo, fidum illi obsequium præstante, solum corpus atque fugax æuum spectans; illud omne puris & mundis corde, cedit in diues stipendium gratiæ singularis.

Pluuias tempore opportuno dedit Hebræis vt terra ferax esset: sed abundè donis Spiritus Sancti anima iustorum imprægnata ferax est virtutum cœlitus irrigata. Pinguis erat ille panis, quo Iudæa suis stans pollicitis vixit: at electorum frumento, pane scilicet Angelorum, benedicta rore cœli terrâ sato pia anima saginatur. Israëlitæ vino pretioso poti transigebant iucundè vitam; sed animæ sanctæ vinum germinat virgines: sanguis enim est Christi, quo exhausto, sacris deliciis, expertis soli notis, grata Deo anima recreatur.

Lex Mosaica obseruata fecit cultores suos ab omni pauore tutos, hostium victores, omnésque feras agris iniurias procul egit à pacificis finibus Hebræorum. Gratia diuina suis possessoribus plura dona secum affert Nam conscientia secura tutos eos faciendo fugat etiam hostes inuisibiles, & arcet longè fœda omnia vitia, peiora feris. Alta demum quies & pax animæ concedit ei ius in hac vita quædam Paradisi gaudia delibandi.

Synagoga, Dei tabernaculo potita, vocem eius audiit sæpe sacra pangentem oracula, quibus fusè suum hunc populum, mediante Moyse, de antiquæ & nunc antiquatæ legis ritibus erudiuit, Anima benè sibi conscia non in tabernaculo deforis extructo videt indicia præsentiæ Dei; sed ipsa suo corde Deum perculsa sacro eius amore gerit, & hunc stipatum omnibus vsquequaque bonis, ad quæ omnimodo voto potest animus anhelare.

Textus Iuris Ciuilis.

Opprimendorum desertorum facultatem prouincialibus iure permittimus. Qui si resistere ausi fuerint, in his velox vbique iubemus esse supplicium. Cuncti enim aduersus publicos latrones, desertorésque militiæ, ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum. *Lege, Opprimendorum. Codice, Quando liceat vnicuique.* pag. 514. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Fidelium vnusquisque fuit in Baptismo miles Christi conscriptus, eo nomine dignatus stipendio gratiæ, quæ influit copiose nuper editam in animam congrue baptizatam. Qui militiæ Christianæ nomen dedit, ille ferum bellum indixit hostibus Christi, scilicet mundo, diabolo, & carni æterno & stricto voto se obstringens oppignerando fidem suam, quòd siquando foret illectus & callidè tentatus suggestionibus & susurris hostium illorum, se minimè consensurum. Quisquis ergo fœdus init cum diabolo, carne, malis & hominum impiorum consortiis, ille sacræ Dei militiæ desertor agit contra fidem Christo datam, ac proinde pœnis obnoxius est perfidi desertoris. Vnicuique licet creaturæ pœnas exigere ab illo læsæ majestatis diuinæ reo, iuxta sacrum illud effatum: *Orbis vniuersus pugnabit contra insensatos*. quales sunt reprobi omnes fœdifragi, qui abiecto priùs præcincto Dei militiæ cingulo, ad hostilia castra transfugæ concesserunt.

Audiendus ipse suæ iniuriæ vltor acer præpotens Deus. Ecce vocem quæ horrore quatit eos, qui nomine dato fœderi militiæ, pepigere fœdus cum dæmone, & à Christo rerum omnium Domino defecerunt.

Leuit. 26. *Si spreueritis leges meas, &c. & ad irritum perducatis pactum meum; ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustrà seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subiiciemini his, qui oderunt vos: fugietis nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ, dabóque vobis cœlum desuper sicut ferreum, & terram aeneam. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt, &c. Immittam in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertaeque fiant viæ vestræ, &c. Cùmque confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri, &c. Ego incedam aduersus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum, destruam excelsa vestra, & simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea.*

Magnæ licet & terribiles illæ minæ metum & terrorem incusserint Iudæis; attamen immemores pacti initi, solenni iureiurando datam & obfirmatam fregere fidem. Idcirco velut desertores subiere pœnas omnes contra reos sacro Codice recensitas.

Esto plagæ cœlitus incussæ plebi Hebrææ terribiles sint, maiora tamen adhuc supplicia & tormenta manent eos, qui contra fœdus in Baptismo ratum & fixum perpetrato graui crimine rebellarunt.

Flagella reo populo Hebræo intorta ferè nihil aliud insinuant præter huius æui pœnas perfidorum corpora castigantes. Conducebat enim Deus hostes, elementa, cœlum, bestias, pestilentiam, & ardorem, vt his sæuientis & vltricis iustitiæ instrumentis desertorum capita protetua manu vindice conquassaret.

In egestate & ardore Deus visitat & castigat eos, qui delinquunt atrociter. Nam peccatum lethale gazas omnes meritorum diripit & spoliat, gratias omnes eliminat, ita rerum diuinarum prorsus inops,

in

in extrema viuit egestate malè sibi conscia anima peccatoris. Præterea concupiscentiæ supra modum accensæ ditus eam ardor vrit. Anima namque Deo offenso graui piaculo, expers gratiæ diuinæ, sibi derelicta flagrat, imò velut consumitur & torretur amore rerum omnium externarum. Frustra serit & laborat; namque bona omnia opera facta ab homine desertore nihil meriti aut gratiæ diuinæ suo auctori acquirunt, & sunt proinde sicut semina commissa solo penitus infœcundo.

Hebræorum hostes eis imminebant magna clade plebi illata, cæsis quamplurimis fœdifragis. Ita truces hominum hostes diaboli, peccatores lethali crimine sauciatos agunt in præceps & in imam voraginem omnium vitiorum.

Profectò cœlum ferreum est homini iniquo, sicut terra quasi ænea; siquidem è cœlo nihil gratiæ influit in animam eius, à qua spinæ solùm & angustiæ quamplurimæ eæque graues in hoc æuo meti solent: reprobi quippe vita malis & ærumnis plurimis inhorrescit.

Bestiæ quæ populantur agros, & pecora discerpunt, sunt conscientiæ malæ sæui vermes, qui iugiter ebulliunt, & indefesso quasi tormento rodunt & diuexant præcordia animæ mortali spiculo terebratæ.

Pestilentia, qua laborat homo nequam, est peccandi consuetudo mala quasi contagio virulento necem eamque citam & crudelem consciscens animæ illorum, quos exemplo suo inducit ad nefanda opera perpetranda.

Inflictæ demum pœnæ malis hominibus extremum, est inhumana cædes peremptæ prolis à proprio parente, sæuo deteriore tigre, cui insitum est à natura suos sollicitè catulos educare. Dum namque patres iniquè viuunt æternæ suæ salutis incurij, assiduè peccando, suis vitiis filios & filias inficiunt, & sic cum lacte virus eis instillant quo sunt indubiè in ætate mali conscia perituri.

Textus Iuris Ciuilis.

Oramus verò eos sacros libros audientes; non solas considerare literas, sed rebus refici, & diuinum veraciter intellectum excipere. *Nouell.* 146. *cap.* 3. *Vt liceat Hebræis.* pag. 619. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Profectò rebus refici perinde sonat ac cautè suos in vsus conuertere doctrinam sacram. Hoc autem fit opere, non sermone. Nempe sicut corporis incrementa notant congruo alimento benè refici animal; ita Dei verba suam ad salutem accommodans optimè reficitur: praxis enim virtutum est refectionis eius indubium & locuples argumentum. Qui verò solis auribus excipiunt oracula sancta, nihil eorum applicantes ad salutem & profectum, magno suæ animæ detrimento terunt tempus; nempe nihil proficere, & non refici, perinde est: ita sacro eloquio sunt iniurij homines, eo audito vitam in melius minimè componentes.

Dei verbo mores, imò totum hominem debere frugem in meliorem institui, scite docet Ambrosius hoc contextu in Psalm. 118. *Ignis est verbum Dei quem misit, qui secretos mentium diuina cognitionis ardore inflammaret affectus, qui vaporem fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet; bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere nisi sola peccata: hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud aurum probatur; hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum; hoc igne lapides illi pretiosi illuminantur; hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris; non exurit, vt perdat; hic ignis habitare per fidem Christum in cordibus facit.*

Hugo Victorinus eo in argumento sonat idem quod præmisi, scilicet verbo Dei, excepto sicut par est, vim inesse miram ad collapsos fortè mores hominum instaurandos. Sic ille libro de instructione nouitiorum: *Via ad Deum est scientia, quæ ad institutionem rectè & honestè viuendi pertinet: est disciplina bonitas, & beatitudo. Per scientiam itur ad disciplinam, per disciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem ad beatitudinem.*

Scientia sacra bonos homines cùm efficit, reficit, & eos reficiendo beat, iuxta verax hoc Christi effatum Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.*

Bonitatem & scientiam cœlo satam qualis est Scriptura sacra dicit Psaltes esse simul ita Deum precans Psalm. 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* Bonitas ad voluntatem pertinet, à qua bona bonus euadet homo pronus ad id omne, cuius obsequio perfici potest; nam cuiusque rei bonitas est perfectio illius, ad quam inducit opportunè sacra Scriptura cœlitus inspirata.

P

Textus Iuris Ciuilis.

PLACVIT omnibus locis, atque vrbibus vniuersis claudi protinus templa, & accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quòd si aliquid fortè huiusmodi perpetrauerint, gladio vltore sternantur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vendicari, & similiter puniri rectores prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint. *Lege, Placuit. Codice, De paganis. lib.* 8. *tit.* 11. *leg.* 1. pag. 472. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Sunt vetita idolorum templa, loca illa, quæ sunt addicta rebus, quæ ad peccandum prouocant homines, aliunde pronos ad nefaria opera perpetranda. Verbi gratiâ, caupona fanum est Bacchi, cui vino madens, & ventre saburrato cibis obesus homo litat. In comœdorum, & chorearum orchestra Venus excolitur. Sunt Martis delubra, domus vbi ad ludendum & detrahendum proximo conuenitur.

Sacræ leges seuerè cauent, ne quis eò se conferat, ratione periculi, in quod imprudens incurrit homo, frequens in præfatis cœtibus hominum multis vitiis obstrictorum.

Cultores habet dæmon in choreis & cauponis, quæ si claudantur, dyscoli homines ab insolitis ritibus abstinebunt.

Cuncta demum loca quibus inest occasio præceps, animam pelliciens ad peccatum, & omnia consortia mala, velut ædes diabolis addictę, piis quibusq; Deo sacris hominibus, & de æterna sua salute solicitis non

non sunt declinanda solùm, sed tanquam inferni suburbia sedulò fugienda.

Pausania auctore lues quædam pestifera grassata totâ Græciâ multa hominum millia sustulit è medio. Origo mali tanti fuit antrum templi Apollinis, quo aperto lethale virus hoc emersit, auram inficiens, quâ exhaustâ plures quàm credi possit homines expirarunt. Est tetrior aura cuiusque loci infamis, vbi Deus ostenditur: impij namque bonos contagione quadam inficiunt, illis affricando morum suorum nequitiam. Vnde nisi fugâ tibi consulant iusti, ea quoque naue vecti qua impij, naufragabunt.

Moyses idcirco sciens perituros Dathan, Core, & Abiron, ab his secreuit eos omnes, quos præsciuit esse procul à peccato, cuius intuitu dehiscens terra viros illos erat rebelles & perfidos absorptura.

Ecce rei gestæ breuem seriem ex Scriptura sacra libri Numerorum cap. 16. *Locutus Dominus ad Moysem & Aaron, ait: Separamini de medio congregationis huius, vt eos repentè disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? Et ait Dominus ad Moysem: Præcipe vniuerso populo vt separetur à tabernaculis Core, Dathan, & Abiron. Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron, & sequentibus eum senioribus Israël dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Cúmque recessissent à tabernaculis eorum per circuitum, &c. dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne fortè & nos terra degluttat.*

Quando Dei verbi præcones aiunt ex suggestu, esse fores obserandas ædium diaboli, fugienda loca omnia suspecta, & declinanda mala consortia, perinde est ac si magno tubæ clangore sonum hunc ederent, quo Moyses Hebræis opportunè cauit: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.*

O homo Christiane, tuis auribus insonent semper istæ voces: *Nolite tangere quæ ad eos pertinent.* Si incauto tibi accidat, choreis, epulis, atque ludis interesse, noli tangere; oscula nempe caue & contactus, vnde totum corpus luxuriæ facibus inardescit.

Corpore refecto sicut par est in epulis, si quis te ad pocula largiora vocat ebrius oblato propinato vino titubante manu, ne tu quoque nutes & vacilles homo caue noli tangere, ne fortè pœnis ebrio debitis inuoluaris.

Si inexhausta sitis opum, & æstuans auri cupido tuam auaritiam sollicitat ad recondendum vsuræ fœnus à debitore tibi allatum, & impij suggerant & insusurrent, hoc indebitum penum licere tuis loculis inserere, quæso noli tangere prohibitum & emergens ex vsura penu, ne forsan opes per immane nefas congestæ tuam animam obstringant suppliciis hominum auarorum.

Conscij omnes perfidiæ Dathan, Core, & Abiron, periere simul eo supplicio quo & illi; & ne spes superesset vlla vitæ reducis, operti omnes humo suas infœlices animas exhalarunt. Reprobi omnes humi incautè sua corda figunt: quicquid namque solet deperire nequam homo, vilis humus est. Nonne caro, cui libido sua vota dicat, primò fuit humo sata? Nonne micans & rutilans aurum terra fuit, vnde sua rudimenta cepit? Nonne vinum & escæ lautæ, gulæ idola, sua incunabula prima sata debent terræ, quæ exculta profert segetes opimas & edulia delicata, quibus gulosi homines abutuntur.

Luxuriosi, auari, & heluones humo operti cum sociis, quos infecere suo contagio, damnati ad tartara detruduntur.

Probi omnes Israëlitæ procul abiere, voces querulas audientes & lamenta cœtus hominum qui peribant. Homo, Dei obsequio consecrate, tibi consule hoc exemplo quando voces audies hominum iniquorum. Siquando tibi contigerit frequentare viros qui obscœna dicunt, famæ sui proximi detrahunt, falsò iurant, & insolito more Deum passim blasphemant, scito voces illas esse voces hominum, quos vltrix & hians terra reos protinus absorbebit. Idcirco fuge tales cœtus, quorum indolem diabolo iam deuotam verba produnt obscœna sicut alia multa probra Deo atque piis quibusque viris iniuria. Nisi citâ fugâ cœtus hos declines, ea te plectent tormenta reum, quæ obstricta diris capita conquassabunt.

Textus Iuris Ciuilis.

Pecuniæ solutæ professio collata instrumento, maiorem rei gestæ probationem continet, quàm si chirographum acceptæ pecuniæ mutuæ fuisset redditum. *Lege, Pecunia. Codice, De seditionibus,* pag. 111. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Magna nobis inesse debet spes salutis ex adoranda cruce Domini Iesu; namque crucis obsequio Deus hominum debita dissoluit, quæ contraxit Adam reddendo nobis chirographum, quo obstricti iustitiæ diuinæ rei, peccati vinculo tenebamur.

Ita Paulus ad Colossenses 2. *Vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens cruci.*

Inde liquet quàm probatæ monetæ species fuerit crux, qua mediate sacra Scriptura docet fuisse nobis omnia peccatorum debita relaxata.

Augustinus serm. 2. Feriæ 3. post Domin. IV. Quadrages. industriè & eruditè suo more probat, quàm congruus fuerit ille modus, à Deo electus beneficio crucis ad libertatem hominum instaurandam.

Sic ille loco præfato: *Quia mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat, & mors nisi à morte superari non poterat, ideo mortem Christus sustinuit, vt iniusta mors, iustam vinceret mortem, & liberaret reos iuste, dum pro eis occideretur iniustè.*

Idem Sanctus ibi egregias aduertit Adæ & Christi antitheses ratione crucis, quæ idcirco fuit instar antidoti contra virus peccatorum, quæ homo reus in paradiso sui oblitus & suasore dæmone perpetrauit.

Ita Augustinus eo prælaudato loco. *Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem, iste ad crucis amaritudinem; ille arborem necis, iste salutis ostendit. Ille se contra Deum erexit, & cecidit; Christus se humiliauit,*

humiliauit, vt omnes erigeret. Adam mortem vniuersis intulit; & Christus vitam omnibus reparauit. Respiciebat vnusquisque ad serpentem aneum, & à venenatis serpentibus sanabatur. Serpens aneus in ligno positus venena viuorum serpentium superauit, & Christus in cruce suspensus & mortuus antiqua diaboli venena restinxit, & omnes, qui percussi ab eo fuerant, liberauit.

Textus Iuris Ciuilis.

Præconizamus, quia si quis de cætero præsumpserit inuitam puellam assumere, & fornicationis deferentem sibi quæstum, hunc necesse est à spectabilibus Prætoribus populi huius felicissimæ ciuitatis comprehensum nouissima omnia sustinere supplicia. Si enim pecuniarum emendatores eos elegimus & furtorum; quomodo non multò magis castitatis furtum & latrocinium eos coercere permittimus. *Ex præfatione Nouella* 14. *de lenonibus.* §. *Sancimus.* pag 177. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Angelus vt Prætor, eius habet curam, cuius ei è cœlo fuit commendata salus. Si quis ergo susurro malum ad aliquod induxerit animam, profectò luet ille pœnas extremas, Angelo custode scelus suppliciis congruis iniuriæ illatæ tali animæ vindicante.

Prostat apud Hieronymum historia luculenta, fidem faciens illi liquidæ veritati. Sic ille epist. 7. ad Lætam: *Prætexta nobilis mulier Eustochij Virginis habitum cultúmque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens virginis votum. Adfuit Angelus: Tune, inquit, ausa es viri tui Mymetij imperium præferre Christo? Ausa es caput virginis sacra attrectare manibus sacrilegis; ecce illa arescent, & post quintum mensem deduceris ad inferos, & si non pœniteat, marito & filiis orbaberis. Hæc ordine dicto acciderunt.*

Paulus item adstruit illam sententiam dictam è cœlo contra reos ad peccandum animas innoxias callidè prouocantes. Ecce vocem præconis huius Numine afflati 1. Cor. 3. *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.*

Textus Iuris Ciuilis.

Pretij causâ non pecunia numerata, sed pro eo pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus. *Lege, Pretij causâ. Codice De rescindenda venditione.* pag. 523. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Astutè fucos homini facit dæmon. Etenim animas mercando bona solida promittit, opes scilicet constantes, honores, ea & cuncta, vitam quæ beatam faciunt in isto nequam sæculo perennare. Sed ille vafer hominum hostis vice boni perennis, ea concedit tantùm, quæ sunt congrua quadrupedi, satisfaciendo gulæ, & luxuriæ. Sicque suis pollicitis stare putat, quando pretij causâ fœdas & bestiales concedit animæ voluptates. O insulsam hominum impiorum mentem, qui vltro suas animas diabolo vendant, vt abdicato Deo, & abiecta beatitudine æterna, vile pretium bestiarum, scilicet gaudia, nundinentur? Quid frustrà voces querulas emittis, homo, clamans te deceptum à diabolo, ementita bona substituente veris? nemine vrgente tuum consensum præbuisti dæmoni fraudulento.

Textus Iuris Ciuilis.

Principes populorum hi sunt, qui quietem eorum defendunt, & quod eis expedit prouident. *Nouella* 13. *cap.* 1. *de Prætoribus.* pag. 194. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

In his quæ ad animam pertinent, Præsules sunt principes populorum; ideoque debent inuigilare bono & quieti animarum, procurando viros vsquequaque probos, quibus vt ministris idoneis pascant gregem suum. Si secus faxint, & pascant semetipsos lautè, gregis immemores, seuerè Deus animaduertet in hos commissæ plebis incurios, vt profanæ rei familiaris tantùm die & nocte curam gerant, vnde duro Dei hoc scommate ferientur: *Facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eò quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant semetipsos, & greges meos non pascebant. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam vt vltra non pascant gregem meum nec vltra pascant amplius pastores semetipsos. Et liberabo gregem meum de manu eorum, & non erit vltra eis in escam, dicit Dominus.*

Q

Textus Iuris Ciuilis.

QVA ætate testamentum masculi vel fœminæ facere possint, videamus. Et verius est, in masculis quidem quartumdecimum annum spectandum; in fœminis verò duodecimum completum. *Lege, Qua ætate ff. de testament.* pag. 28. col. 2

Textus Iuris Ciuilis.

Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram insinuata sunt legem, tua sublimitas in prouinciis quibus præest facere manifesta per programmata propria studeat, quatenus cognoscant omnes, quia & maximorum & mediocrium, & paruulorum nobis cura est, & nihil est tale quod à nostra sollicitudine remoueamus. *Authentica, Quia verò de defensoribus ciuitatum.* pag. 157. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Estò Cæsar hac lege dicat se sollicitam habere rerum omnium curam; attamen illa procul abest à prouidentia qua tempestiuè Deus prouidet vnicuique. Nempe manum aperiendo replet omne animal benedictione, præbens vnicuique dotes & res omnes, quæ conducunt ad beatè vitam in hoc sæculo propagandam. Idcirco sicut nulla propè sunt momenta sine Dei beneficiis; ita grates assiduæ sunt rependendæ nobis memori corde Deo, talis, tantæ, iugis, & necessariæ gratiæ largitori.

Textus Iuris Ciuilis.

Quando votis communibus felix annus aperitur, in vna libra auri, & solidis obrizatis Principibus offerendis deuotionem animo libenti suscipimus sta-

tuentes vt deinceps sequentibus annis vniuscuiusque sedulitas Principibus suis inferat semper & deferat. *Lege, Quando. De oblatione votorum.* pag. 672. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Aurum in Scriptura sacra typus est amoris, quem pro tributo Deus exigit ab homine, seuerè cauens, ne magnâ Dei ipsius iniuriâ deferatur amor creaturis, eas supra Deum amando, crimen ita læsæ majestatis nobis turpiter inurentes: Quantumcunque diues homo sit, auro tamen charitatis egens, in extrema rerum omnium necessitate; nudus erit in supremo agone, nihil habens vnde cœlum emat, quod solo Dei amore nobis prostat, quo qui noluit ardere viuens, ille fatis cedens æterno incendio tartari conflagrabit.

Illud idem Ioannes ait ex persona Dei. Apoc. 3. *Dicis: quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis; quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.*

Textus Iuris Ciuilis.

Qui verò præter hæc, quæ disposuimus, aut dat, aut accipit, aut mediator fit, sacerdotio aut clero huiusmodi commissæ sibi cuiuscunque gubernationis nudabitur, iis quæ accipiuntur vendicandis venerabili loco, cuius talis persona ordinationem, aut sollicitudinem, aut gubernationem susceperit, præbeatur. Si autem sæcularis sit qui accipit, aut mediator factus est; quod datum est, duplum repetitur. *Nouella 123. cap. 16. De sanctissimis Episcopis.* pag. 623. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Reuerà malè cedunt opes Ecclesiæ cunctis eas per immane scelus comparantibus; profectò duplum ab his repetitur. Namque malè parta suis dominis infausta malè dispereunt, & iusto Dei iudicio ad nihilum redacta benè parta omnia colliquantur.

Textus Iuris Ciuilis.

Quicquid nostrorum vnquam nunciari cœperit prosperorum, vt bella si desinunt, si oriuntur victoriæ fastus, si honor datus fuerit regalium, vel consulum, vel trabeatum, compositæve pacis erit offerenda tranquillitas. Si sacros vultus inhiantibus fortè populis inferimus, hoc sine immodico pretio nuntiari, excipique sancimus. *Lege, Quicquid. Codice, Publica lætitia.* pag. 221. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Aptè quadrat hæc lex concionatoribus, qui reuerà plebi nuntiant fausta, & lætiora rebus quas sanctio Cæsaris enumerat. Euangelizare perinde sonat ac læta nuntiare, sicut ea sunt, quæ sancto Euangelij codice recensentur. Addiscimus inde fugam dæmonum, quorum impia simulacra fides Christiana fregit & eorum cultum antè Deo iniurium penitus aboleuit. Iesus eo nuntio fausto suos Apostolos est dignatus, eos sic affatus: *Confidite, ego vici mundum.* Ioan. 16. rursus ait: *Princeps huius mundi eiicietur foras.* Ioan. 12.

Præterea homines regalibus induti sunt in prædicatione sacri Euangelij. Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Populis Apostoli sacrum intulere Dei vultum, quando plebem initiauere sacris fidei arcanis: siquidem inde Deus hominum mentibus innotescit. Sed liquidior extitit illa Dei notitia quando primi discipuli, edendum corpus Christi populo concessere, panis sub specie consecrati. Paulus ea omnia fausta plebi annuntiauit; nec idcirco tamen perpessæ pœnæ & suscepti laboris ea in disseminanda doctrina, loco pretij & mercedis quidpiam ab initiatis populis expectauit. Sic ille loquens Corinthiis: *Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos, & non ero grauis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.*

Mercenarios concionatores hîc pudere debet, onerantes pretio magno exacto plebem, de verbo Dei disseminato fœdas & sacrilegas nundinas exercentes.

Textus Iuris Ciuilis.

Quisquis emensis militiæ stipendiis expletisque officiis siue muneribus, quæ cuicunque, conditione, aut consuetudine, aut lege debebantur, ad consortium se contulerit clericorum, & inter ministros veræ orthodoxæ fidei maluerit, & elegerit numerari, nullius prorsus sententiæ acerbitate reuocetur, nec à Dei templis, quibus se consecrauit, importunis contentionibus abstrahatur: sed in iisdem beatissimis ministeriis securus permaneat & quietus, ad quæ post longi laboris lassitudinem, ob reliquæ vitæ requiem consilio meliore prostratus est. *Lege, Quisquis. Codice, De Episcopis.* pag. 241. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Hominem, qui mundo abdicato, Deo se deuouit in sæculum redire nefas est; quippe scelus sacrilegum est ad profanos vsus applicare vasa, voto solenni & professione rata, Deo Domino consecrata.

Textus Iuris Ciuilis.

Quid obfuit conatus, cùm iniuria nullum habuerit effectum. *Lege, Hoc edictum. §. Si quis.*

APPLICATIO MORALIS.

Nemo debet de diaboli tentatione queri, si illa suum non est sortita malum effectum: quippe Deus eo in agone suos instruit milites ad certamen, & tentatione luctata maior & ditior corona manet victores Christi Domini palæstritas.

Paulus olim ita suos discipulos hortabatur. 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum.*

Textus Iuris Ciuilis.

Quod naturalis ratio apud omnes homines constituit, id apud omnes æquè custoditur, vocatúrque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtantur. *Lege, Omnes. §. Quod verò. ff. de iustitia & iure.* pag. 3 col. 1

Quod Principi placuit, legis habet vigorem, cùm Lege Regia, quæ de eius Imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concedat.

concedat. Quodcunque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legem esse constat. *Lege, Sed & quod. Instit. de iure nat.* pag. 274. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Vtinam ad arbitrium Dei inflecteretur homo, sicut Turca suum ad nutum impium & seuerum inclinat homines subiectos eius miseræ ditioni. Ille suæ potestatis in subditos specimen editurus præcipuè quando Regum oratores eum conueniunt, quosdam astantium producit in medium, & inhumanè iubet vt se immolent. Incunctanter huic tyranno morem gerunt, gladio incumbunt, & occumbunt, rati se beandos, quia supremæ sui Principis iussioni statim hilares obsequuntur.

O Christianorum hominum ignauiam! constat eis de voluntate Dei, ingruente graui aliqua ærumna; tamen non desinunt detrectare iugum impositum ad salutem. Quod Principi placet, eis ingratum est. In aperto Dei voluntas est quando malè habemus; nostra tamen voluntas in occulto latet, & recusat proteruè totam se ad arbitrium Dei componere, impositas à Christo cruces æquo animo baiulando.

Textus Iuris Ciuilis.

Quod in initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere. *Lege, Quod in initio. ff. De regulis iuris.* pag 646. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Post peccatum lethale recens, synderesis dira suis stimulis animam exagitat: errat & delirat homo reus, si crimina refricando putat, ita pacem & quietem se conciliaturum animæ peccatrici. Quò diutiùs in vitiorum cœno iacet homo, maius inde trahit profluuium puris & saniei; æternitatis diuturna malis operibus assueta nihil detrahit magnæ moli, & grauitati scelerum; imò vitam protrahens in peccato grauat ponderis incrementum.

Textus Iuris Ciuilis.

Quoniam in plerisque nuper testamentis inuenimus huiusmodi institutiones, quibus ex asse quis scripserat Dominum nostrum Iesum Christum heredem, &c. Si verò vnius ex Archangelis meminerit, nulla facta ædis mentione: (quod quidem etiam nouimus à quodam factum; qui ex illustribus erat, & in omni verborum & legum doctrina spectatissimus) si quidem aliquis sit in illa ciuitate locus, vel in vicinia eius, in honorem illius Reuerendissimi Archangeli constructus, videri ipsum constitutum esse heredem. *Lege, Quoniam. Codice de sacrosanctis Ecclesiis.* pag. 114. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis in hoc æuo vacat attentè bonis operibus, ille sua in morte Deum hæredem conscribet eius animæ, quam illi tota suæ vitæ serie consecrauit. Homo verò secus in vitia effusus, ac proinde suos iniquè dies omnes agens in peccatis, eo atramento suum heredem inscribit diabolum, qui in morte rei atque nequam hominis, ad supplicia æterna rapit eius animam tanquam heres ab illo impio constitutus.

Textus Iuris Ciuilis.

Quoniam quidam diabolica instigatione comprehensi, & grauissimis luxuriis semetipsos inserunt, & ipsi naturæ contraria agunt: istis iniungimus in sensibus accipere Dei timorem, & futurum iudicium, & abstinere ab huiusmodi diabolicis & illicitis luxuriis; vt non propter huiusmodi actus impios ab ira Dei iusta inueniantur, & ciuitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim à diuinis scripturis, quia ex huiusmodi impiis actibus, & ciuitates cum hominibus pariter perierunt. *Nouella 77. cap. 1.* pag. 406. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Profectò Dei, & iudiciorum eius timor, singulare frænum est ad coërcendas animas, quæ luxuriæ stimulis agitatæ ferunt se præcipites in abyssum; nullúmque reor esse magis salutare tali vitio remedium. Veneris namque faces accensæ diris inferorum meditatis ignibus extinguuntur.

Textus Iuris Ciuilis.

Quoniam tabularij ciuitatum per collusionem potentiorum sarcinam ad inferiores transferunt, iubemus vt quisquis se grauatum probauerit, suam tantùm professionem pristinam agnoscat. *Lege 1. Codice de censibus.* pag. 431. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Vitiorum tributa grauiora diues diabolo pendit quàm pauper, qui in magna rerum omnium penuria contractus, habet vnde fleat potius quàm lætetur: ditiores verò suis sensibus indulgendo, rerum omnium in copia affulgente fœdis omnibus vitiis assuescunt.

R

Textus Iuris Ciuilis.

Ratum non habetur, quod non bona fide gestum est: malæ fidei enim emptio irrita est. *Lege, Si pater. Codice de rescindenda venditione.* pag. 621. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Si in confessione supplex conqueratur homo, se mala fide suam oppignerasse animam diabolo dum peccauit, ex narrans crimina quæ patrauit; profectò talis emptio à dæmone facta mala fide, citò à sacerdote, vices gerente Dei, absolutionis gladio rescindetur.

Textus Iuris Ciuilis.

Rebus, quas alius detinet, imprimere signa nemini licet, etiamsi suas, vel obligatas sibi eas esse quis affirmet. *Lege, Rebus. Codice. Vt nemini liceat.* pag. 248. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Religiosus, qui solenni emisso voto, totum sponte Deo se deuouit, omnem lapidem mouere debet, nequando

nequando næuos huius sæculi contrahat viuendo more nequam hominum: quippe vitam sic agentibus contra fidem Christo datam, vitia fœda sicut indubiæ tesseræ dæmonis inuruntur.

Quia Seraphico Patri Francisco nihil & mundo fuit commune, totum illum Deus assumpsit; & ne mundus fortè labem aliquam ingloriam affricaret ei, Christus sacra suæ passionis stigmata corpori illius impressit, ne aliquando dæmon, mundus aut caro sibi aliquid auderent in Francisco labis nescio vendicare.

Textus Iuris Ciuilis.

Rector prouinciæ non ignorat, in quadruplum furti manifesti, nec manifesti verò, dupli actione furti constituta condemnationem formari. *Lege, De his. Codice, de furtis.* pag.710.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Peccatum omne genus est furti manifesti, iniurij Deo, Angelis, proximo, & peccanti. Idcirco Deus in peccata sæuit, ea plectens congruis suppliciis. Homo delinquendo, decus & gloriam iniquè Deo adimit; Angelis gaudium aufert, quo exultant, quando vident iustos Deo debita reddere obsequia; gratiâ diuinâ suam exuit animam; aliósque demum virtutis eo exemplo priuat, quo vnusquisque debet omnibus illucere.

Quadruplex est pœna mali seu furti tanti. Primò luit homo reus in bonis suis, scilicet quando prosperæ fortunæ dona, sicut facultates, honos, atque fama, graue damnum iusto Deo vindice patiuntur.

Altera mulcta malum infert corpori, quo vt instrumento reus homo Deum offendit. Iustitiæ diuinæ truces & inhumani tortores sunt morbi atroces, quibus acerbè mali, id est furti admissi, conscia corpora cruciantur.

His suppliciis accedit vnum tertium, quod in hoc æuo finem aliis imponit antea recensitis. Illud supplicium est mors, omnium malorum terribilissimum. Impij namque sæpe nece repentina fatis cedunt, à latronibus aut hostibus interempti.

Denique grauissima, scilicet quarta pœna manet animam, quæ impœnitens corpore soluta fœnus & vsuram soluet huius furti, quod in hoc æuo degens fecit. Etenim inferni carcere conclusa diris tormentis cruciata gemet, omni spe excisa suæ instaurandæ pristinæ libertatis.

Textus Iuris Ciuilis.

Rem maioris pretij, si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, vt vel pretium te restituente emptoribus fundum venundatum recipias auctoritate iudicis interueniente, vel si emptor elegerit quod deest, iusto pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, sic nec media pars veri pretij soluta sit. *Lege, Rem maioris. Codice, de rescindenda venditione.* pag.621.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Dæmon mercator iniquus emit animas, quas in vitiorum omnium sentina vili pretio conclusit. Deceptus homo potest imò debet ab inito tali pacto cum dæmone resilire. Esse minus illud pretium, quo diabolus animas obstringit, est facilè probare, rebus diaboli appensis ad trutinam æstimationis equæ. Pro anima quæ æternæ durationis erit, corporeas voluptates indulget easque breui tempore perituras. Profectò dæmon non habet vnde verum pretium animæ restituat; superest hoc vnum pœnitenti, vt scilicet omnes abigat illecebras, diaboli merces, quas coëmit, & aliud ineat cum Deo commercium, quo magno gratiarum fœnore homines adaugentur.

S

Textus Iuris Ciuilis.

SANCIMVS igitur, licentiam esse volentibus Hebræis per Synagogas suas, in quocunque Hebræi omnino loco sunt, per Græcam vocem sacros libros legere conuenientibus, &c. Neque fiduciam esse his, qui apud eos sunt expositoribus, solam Hebraicam tradentibus malignari: hanc quemadmodum voluerint, multorum ignorantia suam ipsorum abscondentes malam consuetudinem. Si quidam verò apud eos athæos vanæ nouæ voci eloquia inferre præsumpserint, aut resurrectionem & iudicium negare, aut facturam Dei & creaturam, Angelos subsistere; hos & expelli volumus loco omni, & non relinqui vocem blasphemiæ, ita à Dei simul lapsam notitia: præsumentes enim eos affari aliquid huiusmodi, vltimis subdantur suppliciis. *Nouella 146. cap.2. & 3. Vt liceat Hebræis.* pag.653.col.2

Textus Iuris Ciuilis.

Sancimus, omnes quidem secundùm quod possunt castitatem agere, quæ etiam sola Deo cum fiducia potis est animas præsentare. *Authentica. Sancimus. de lenonibus.* pag.171.col.2

Sancimus ibi esse pœnam, vbi noxa est. *Lege, Sancimus. Codice, De pœnis.* pag.175.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Iniquus homo priùs corde malum concipit, quàm actione foras illud edat, ideoque primum est cor quod mulctatur. Etenim statim atque deliquit homo, dirus eum conscientiæ stimulus exagitat, quo acerbè rei cordis intima cruciantur.

Vide plura pag.275.col.2. & pag.276.col.1

ALIA APPLICATIO.

Prima hominum noxa cœpit ab oculis; namque vidit mulier fructum vetitum, & illecta visu eius, feralis edulij pastu se peremit. Præterea promisit ei serpens acumen ingenij, linguâ trisulcâ virus eius auribus instillando. Hæc sibilans anguis ait Genes. 3. *Aperientur oculi vestri.* Mulier hac voce delinita, suæ mentis oculos extulit in obiecta sibi hactenus inconcessa. Idcirco fuit retusa prior acies intellectus, eò quòd cupido scientiæ intempestiua Deo fecit eum iniurium; vtque pœna malo admisso congrueret, deuius intellectus iustè fuit ignorantiæ tenebris obcæcatus.

Ratio, quæ deliquit, est passa lucis deliquium; & homo rebus superis intentus, ad turpia se conuertit; nempe nouit se esse nudum, & pruriens caro fœdæ libidinis impetiginem fecit. Illa suæ nuditatis animaduersio facta fuit à sensu, in quem est deuolutus homo totus postquam passa fucos ratio deuiauit.

Creaturæ omnes, quantumuis speciosæ, virus oculis

oculis affricant, quod incautè fugunt noxiis ab obiectis. Sed in mulctam spissa caligo toti se animæ offundit, quia curiosè rebus intenta fuit, quæ deorsum hominem inflexerunt.

Textus Iuris Ciuilis.

Sancimus, si quis manumittens seruum, aut ancillam suam, ciues denuntiauerit Romanos (neque enim aliter licet) sciat ex hac lege, quia qui libertatem acceperit, habebit subsequens mox & aureorum annulorum, & regenerationis ius. *Nouella* 78. *cap.*1. *Vt liberti.* pag.590.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Aliàs seruum denuntiare ciuem Romanum, perinde fuit, ac ei concesso iure annuli aurei, illum absoluere ab omni inglorio vinculo seruitutis. Sacerdos in confessione, iuris huius participes abundè facit eos, quos absoluit, idem præstans beneficium, quod pius ille pater concessit prodigo filio pœnitenti. Hoc contrito adolescente procul aspecto parens ingemuit, & miserando vilem eius sortem, incumbens illius collo fleuit, & iussit pro attritis exuuiis & lacera veste nouam proferri stolam, & inseri digitis annulum, qui est tessera libertatis.

Textus Iuris Ciuilis.

Sciendum est autem Præfectum vigilum, per totam noctem vigilare debere, & coërcare calceatum cum hamis & dolabris. *Lege, Nam salutem.* §. *Sciendum est. ff. De officio Præfecti Vigilum.* pag.580.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Etiamsi sensus omnes debeant vigiles esse, & sedulò cauere sibi, ne incurrant in noxia obiecta, quorum nequitia emergat animæ pernicies. Illa tamen præcipua vigilandi cura penes affectum est, cui incumbit illa militum inclyta præfectura. Dum namque sacer amor Dei coërcet errabundos sensus ne vagentur, tunc reuerà vices agit Præfecti vigilum; calceatus incedit, vt impunè queat incedere in mediis incendiis, vt opportunè docet Cuiacius. Rursus amor hamis & dolabris est instructus, cùm extirpat omne quod concipere potest ignem luxuriæ. Est item calceatus amor, quando pedes animæ, id est affectus, nulli creaturæ patent. Sic congruè occurrit amor libidinis incendio, quo fœdè solent omnes inertes & otio fractæ desides animæ conflagrare.

Textus Iuris Ciuilis.

Sed neque clericum cuiuscunque gradus dare aliquid ei, à quo ordinatur, aut alij cuilibet personæ permittimus. *Nouella* 123. *cap.*16. *De sanctissimus Episcopus.* pag.623.col.2

Seruum fugitiuum sui furtum facere; & ideo non habere locum, nec vsucapionem nec longi temporis præscriptionem manifestum est, ne seruorum fuga dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa. *Lege, Seruum. Codice, De seruis.* pag 710.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Iuxta Vatis eloquium: *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Psal 23. Ergo Deus omnium Dominus est, & nos omnes serui, ad illum iure obsequij debiti pertinemus. Quisquis ergo sibi alium dominum præstituit, ille velut seruus fugitiuus abit à Domino vero, vt tyranno truci, mundo scilicet aut dæmoni mancipetur. Cùm igitur titulis multis homo Dei seruus sit, nullo iure potest declinare Dei dominium: & estò dæmon astutè fucis homini factis, eum suo deuinxerit obsequio; nulla tamen possessio diuturna valet contra Dei dominium, quo non liberatur homo, dicens sese à multis annis vni alteri Domino deuouisse.

Quid ergo Deo te sistere cunctaris, homo fugax? quando totus hæres mundo sicut domino, ille tibi velut herus mendax imponit & illudit; quippe suis non stat pollicitis: namque tibi promisit opes, gloriam, atque felix æuum, quod deceptor ille dare nequit; quippe solet vnum hoc tantum, scilicet cautè suos seruos mittere in villam, vt porcos ibi pascant confecti fame, cui reficiendæ viles porcorum siliquæ denegantur.

O homo, cibo suillo tuum ventrem reples, quando fœda & obscœna tuo animo versas: nemo tibi dat siliquas illas porcorum escas; nempe tuum ad arbitrium & iuxta votum impurum non suppetunt sordidæ voluptates. Deus verò secus Angelicò pane suos seruos alit, eos occupando rebus arduis & decoris, æuo demum beato suis sequacibus hîc concesso, cœlo dignatur eos, ibi reddita obsequia perenni gloria compensando.

Textus Iuris Ciuilis.

Si hæc sacra ministeria turbauerit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur. Hoc ipsum & in litaniis, in quibus Episcopi & Clerici reperiuntur, custodiendo. *Authentica* 123.*cap.*31. *De sanctissimus Episcopis.* pag.374.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Quando Deo sistimur fundendo preces, si virid nostro vanæ species menti nostræ occurrant, & ideæ turpes et obiectæ fusas preces impediant & moreantur ne assurgant, distractiones illæ caput nostrum iræ Dei obstringunt: nempe sacris iniuriæ sunt, ac proinde procul sunt à nostris mentibus abigendæ.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis apud eum, qui Magistratum, potestatemve habet, aliquid in aliquem noui iuris habuerit, quandoque postea aduersario eius postulante, eodem iure aduersus eum decernetur, scilicet vt quod ipse in alterius persona æquum esse crediderit, id in ipsius quoque persona valere patiatur. *Lege, Hoc edictum.* §. *Si quis.* pag.54 col.2

APPLICATIO MORALIS.

Vltor iniuriæ acceptæ pœnas à Prætore petit æmulo infligi, nullis precibus relaxare volens iniuriam illatam, quicquid homo reus agat, vt ad veniam indulgendam offensi animus inclinetur: Ille suo proximo pœnitenti immitis & inhumanus, eum

eum quoque Deum experietur, quem se præbuit erga reum. Etenim quando preces apud eum fundet vt remittat ei offensas, profectò luet pœnas congruas, & indulgentiæ quam deposcit repulsam meritò patietur. In propria persona luet vtique acerbè pœnas, quas seuerè suo à proximo exegit, ita vices debitas vnicuique Deo congruè rependente.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis à Serenissimo principe, vel à piissima Augusta, siue masculus, siue fœmina, donationes sit consecutus, vel consecuta, siue mobilium, siue se mouentium rerum, filiusfamilias tamen constitutus, vel constituta, habet huiusmodi res omni acquisitione absolutas, & nemini eas acquirat, neque earum vsumfructum pater, vel auus, vel proauus sibi vendicet. *Lege, Cum multa. Codice, De bonis.* pag. 511. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Gratia diuina bonum est, quod à solo Deo potest animæ concedi, & quod homine inuito nemo potest auferre, sicut opes huius sæculi, quæ plerumque solent à cautis furibus vsurpari.

Textus Iuris Ciuilis.

Si cui legata fuerit egregia pictura & heres tamen eraserit aut fœdauerit hanc picturam, licèt tabulam ei remittat, ad quem ex legato pertinet, soluat illatum picturæ detrimentum, quia is, qui testamentum instituit, de tabula, id est, de ligno incurius attendit ad picturam, quam in sui monumentum amico legauit. *Lege. Si imaginem. ff. De auro & argento.*

APPLICATIO MORALIS.

Gratia diuina velut imago Dei est animæ impressa, cui cœlitus illapsa decus insigne refert. Homo verò sicut tabula è ligno compacta nihil de hac pictura potest vsurpare sibi, nempe color est diuinus, quo infusa talis gratia figuratur. Quando Dei gratia iustum hominem incessit, ille velut tabula est pertinens ad Deum, qui in illa pluris gratiam facit quàm naturam. Quisquis ergo Dei gratiam, suggerendo mala; suo à proximo expungit, quamuis ei mortem non consciscat, profectò Deo magnam iniuriam infert! illi namque totum, quod cœleste micat & eminet in homine, suffuratur. Etenim gratia spoliatus homo nihil est, & obstrictus peccato vili est tabulæ postponendus.

Textus Iuris Ciuilis.

Sicut non licet Nestorij libros scribere, vel possidere, sic nec dicta, nec scripta Seueri maneant penes aliquem Christianum; sed sint profana & aliena ab Ecclesia Catholica, ignéque comburantur à possidentibus, nisi qui ita habent, velint periculum pati. A nemine ergo scribantur, neque ad pulchritudinem, neque ad velocitatem scribentium, sciendo quia amputatio manus, his qui scripta eius scripserint, pœna erit. Similiter autem & huic interdicimus omnino regiam ciuitatem ingredi, aut districtum eius, nec aliquam aliam de insignibus; sed in aliqua solitudine, & in silentio sedere. *Nouella 42. cap. 2. De depositione Anthimi.* pag. 560. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Consortia mala viros etiam innoxios æternis ignibus obstringunt, & in hoc æuo malis acerbis eos faciunt obnoxios, vt magnâ vitæ ipsæ iacturâ Vates expertus est ille, cui leo necem intulit, iuxta Dei sententiam hanc illi ab homine afflato Numine recitatam. 3. Reg. 13. *Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod precepit tibi Dominus Deus tuus, & reuersus es, & comedisti panem & bibisti aquam in loco in quo precepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum, &c. Qui cùm abiisset, inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere.*

Diabolus tanquam leo circuit quærens quem deuoret. Dente fero necat omnes coëuntes iis, qui de fide malè sentiunt, aut qui fœdis vitiis assuescunt.

Præfata lege Cæsar sanxit, iis præscindendas esse manus, qui describunt dogmata futura sibi & aliis noxia, vt vtraque manu careant homines, qui in suam & sociorum perniciem manibus abutuntur. Qui incautè malis cœtibus intersunt, pessimæ doctrinæ virus ebibunt, proscripta quasi virtute vacant ab omni actione bona, quia truncas habent manus inerti otio dissolutas. Extremo demum supplicio mulctandi, à regia ciuitate, cœlo scilicet & paradiso, procul abacti extorres in tartara detrudentur.

Textus Iuris Ciuilis.

Si Ecclesiasticum sit delictum egens Ecclesiastica castigatione & mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis prouinciæ iudicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire ciuiles iudices, cùm oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas per Ecclesiasticam mulctam, secundùm sacras & diuinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges. *Nouella 83. cap. 1. Vt Clerici apud proprios Episcopos.*

APPLICATIO MORALIS.

Vt sit sarta tecta fama Deo deuinctorum hominum, id est sacerdotum, vnusquisque debet de his iudicare sanè, silens aduertendo mali illis quippiam excidisse. Nam Religio Christiana labem magnam contrahit quando Dei obsequio obstricti homines ex clero malè audiunt apud alios, & eorum peccata fœtent in plateis, vitio detractorum, vniuersâ vitæ ingloriæ clericorum conscia ciuitate.

Delinquente sacerdote, velim obseruari editam à Dauide Rege legem istam occiso Saul. 2. Reg. 1. *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne fortè lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum.* Exultant ceterà viri nequam, quando sciunt peccasse viros religiosos, ita rati posse mores etiam turpes imitari hominum, quorum vita probitate debet aliis illucere.

Textus Iuris Ciuilis.

Si fugitiui serui deprehendantur ad Barbaros transeuntes, aut pede amputato debilitentur, aut metallo

metallo dentur. *Lege. Si fugitiui. Codice. De seruis fugitiuis.* pag.658.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Ille qui amorem suum à Deo transfert ad alias res infra Deum, reuerà suo à domino inuito, sui fur & latro fugitiuus abit, vt ad longinquas oras traiiciat. Vt nimirum à Deo receditur affectibus aliò translatis; ita suum amorem alteri quàm Deo deuinciens iniustè fugit ab eo; sed in mulctam perfidiæ amputato pede claudicat hic refuga, dum nutante affectu, & delibante quæque obuia obiecta gyrat & est semper inquies appetitus. Et hæc congrua sanè pœna est, scilicet vt qui noluit constare sibi integro amore penes Deum reposito, titubet in creatis, deuio amore pœnas iniquæ fugæ meritas exigente.

Cæsaris edictum transfugas hos seruos agit ad metalla, quibus effodiendis æuum improbo labore ducunt ingruentibus vndequaque malis plurimis ærumnosum. Hæc etiam est indicta pœna reis, quorum deflectit amor ima ad obiecta Deo iniuria. Hos anxius vexat opum affectus & velut amputato pede cadunt præcipites in auri fodinas, vbi auari fame, siti, nolentes opum vti præsidio, miserè cruciantur.

Textus Iuris Ciuilis.

Si qui latrones, seu aliis criminibus obnoxij in possessione degunt, seu latitant. Dominus possessionis si præstò est, aut procuratores si Dominus abest, seu primates possessionis, vltro eos offerant, aut si scientes hoc non fecerint sponte, conueniantur à ciuili officio, vt tradant prouinciali officio eos, qui requiruntur, sub examine iudicis arguendos, & pœnas post documenta congrua subituros. Si verò eos exhibere domini vel procuratores aut primates possessionis distulerint, tunc ad detinendos eos adito rectore prouinciæ omnia ciuilia dirigantur. *Lege. Si qui latrones. Codice. De his qui latrones.* pag.595. col.2

APPLICATIO MORALIS.

Præsides, Antistites, & superiores omnes seuerè debent sed prudenter ea subditorum castigare mala, quæ sunt grauia perpetrata. Alioquin illos vt conscios horum peccatorum acerbè Deus excipiet, & ab his strictè petet rationem animarum, quarum ille curam ipsis commiserat, & quæ errantes derelictæ suo arbitrio miserè perierunt.

Ecce Dei in eo argumento minas Prælatis incuriis cælitus intentatas. Ezech. 3. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel; & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia & viuat; ipse impius in iniquitate sua morietur sanguinem autem eius de manu tua requiram.*

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis propter nimiam paupertatem victus causâ filium filiamque vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente: emptor obtinendi eius seruitij habeat facultatem. *Lege. Si quis. Codice. De patribus.* pag.599.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Si filio ingrato, patri denegante cibos confectus egestate parens dispereat, iustè Deo vindicante crimen impietatis, degener ille natus eam à propria prole pœnam patietur, qua antè patrem feriit inhumanè. Vide plura scitu digna de hac materia. pag.599. col.2

Textus Iuris Ciuilis.

Si verò contigerit ex prioribus nuptiis inculpabilibus filios esse ei, aut nepotes fortè, aut vlterius, paternam mox illi accipiant successionem: suæ quidem potestatis patris supplicio facti; pascentes autem eum, & alia necessaria præbentes. Nam licèt legum contemptor & impius sit; tamen pater est. *Nouella 12. cap. 2. De incestu.* pag.563.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Plato duros & ingratos vt filios inflecteret ad obsequium debitum parentibus, illos ait esse viua Dei simulacra domi erecta modis omnibus ab ingenuis filiis excolenda. Nempe Deus iis instrumentis vsus ad educationem dignatæ lucis vsura prolis, congruo sanxit honore patrem & matrem ab omnibus filiis obseruari.

Quòd siquando pater æuum transigit in vitiis, inurendo notam ingloriam titulo paterno, Cæsar ait debere meminisse prolem, non ad illam pertinere patris moribus indignari. Vtinam filij omnes altè suo animo recolerent ista verba legis Cæsareæ. *Licèt legum contemptor, & impius sit: tamen pater est* fortè modos ponerent querelis, quas texunt de patre nimis parco, suas opes cautè loco abdito recondente.

Textus Iuris Ciuilis.

Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehensorum qualitate damnatus; minimè in facie eius scribatur; cùm & in manibus & in suris possit pœna damnationis vna inscriptione comprehendi. *Lege. Si quis. Codice De pœnis.* pag.605.col.2

APPLICATIO MORALIS.

Crimine perpetrato nota quædam infamis, manibus inuritur, iuxta Vatis hoc effatum Psal. 9. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Ideoque manus in confessione debent explicare rei homines, si à sacerdote velint absolui: tacitum namque satis non est pœnitentiæ se sistere tribunali. Operæpretium est enarrare crimen vt mundetur aqua salutari gratiæ. Recensere sua peccata in confessione, manus est porrigere, & insculpta palàm facere stigmata peccatorum. Frons, oculi, vultus, & ora sæpe fucos faciunt, & imponunt hominibus: sacerdotes conuenire satis non est, & perfunctoriè dicere se peccasse; est facienda vitæ dissectio, & sigillatim peccatorum omnium series explicanda.

ALIA APPLICATIO.

Iuxta legem ab Imperatore Constantino latam, damnatis ad metalla notæ suris & manibus à tortore fiunt, vnde pœna damnationis agnoscitur. Lex illa suum effectum sortitur in auaris, quorum suræ terreæ sunt quando totus affectus opes auet, vnde nomen auarus habet; nam auarus auet aurum. Ma-

nus verò modis iniquis opes dum comparant, pupillorum & aliorum ſanguine purpuraſcunt.

Textus Iuris Ciuilis.

Si in ædibus vicini tibi debita ſeruitute parietem altiùs ædificauit Heraclius, nouum opus ſuis ſumptibus per Præſidem prouinciæ tollere compelletur. Sed ſi te ſeruitutem habuiſſe non probetur, tollendi altiùs ædificium vicino non eſt interdictum. *Lege. Si in ædibus. Codice De ſeruitutibus.* pag.639.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Adoleſcens, cui ſenſuum illecebræ iugum ſeruitutis impoſuere, nequit in plures annos aſſurgere; nam vitio præualente, totum corporis ædificium in ruinam fatiſcens inclinat, & oppreſſum ea voluptatum mole cadit, qua credidit eminere. Nimirum epulæ lautæ grauant ſtomachum; larga manu propinata vina iecur accendunt; inde vapor emergens ita caput obnubilat, & noxio humore replet, vt dum mentis organa & inſtrumenta madent ſupra modum, rationis vſus aquis illis penitus immergatur. Vigiliæ intempeſtiuæ ludis & choreis impenſæ, quibus exercentur homines exeuntes ab ephebis, & exæſtuans libido malè ſuæ ſalutis incurios iuuenes afficiunt. Noctes enim inſomnes ægræ ſunt, & luxuria exardente, ſine ſenſu corpora colliquantur.

Itaque iuuenilis ætas eſt malè ſuada, ſuis ſuſurris homines inclinans ad delicias ſub ſpe longioris æui; ſiquidem infideli argumento freta, vitæ ſeriem longam fore putat, quæ concepta velut certa facit fiduciam impunè malè agendi, vitiis omnibus indulgendo. Hac cenſura Vates in hos inuehitur: *Et corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecum.* Oſeæ 4. Falsò benè ſibi ominatur homo prima ſua in lanugine, quando ratus fore ſuos infinitos propè dies, vltro litat Veneri & Baccho. Salacis ætatis huius diſpendium ſenſit adoleſcens ille, cui effuſa foras vrbs Naim præcoci fato mortuo parentauit. Illi fortè quadrat illa animaduerſio Auguſtini ſerm. 52. de reſurrectione. *Non ſe credendo moriturum fecit vnde moreretur.* Quò namque magis ætas illa viret, & incautè credit ſe viuacem; eò etiam plura facit ſaluti corporis iniuria. Verbi gratiâ, vigiliæ, quæ noctem diei committunt, libido, gula, mala ſunt noxia ſanitati.

Vide plura ſcitu digna. pag.639.col.1.& 2.

ALIA APPLICATIO.

Vt ſeruituti obſtricta domus iure nequit attolli, quin ſe redemerit; ita neque reus homo malè ſibi conſcius, vtpote peccatis plurimis obnoxius, ad præmia æterna poteſt peccatis aſſurgere, quin pretio virtutis & gratiæ ſe abſoluat à debito peccatorum. Quò namque magis homo nequam eminet in hoc æuo, diues opum, & ſæculi dignitate tumens; eò etiam plus fatiſcit, ima petens tartara, ſub pedibus eius dehiſcente ſolo præ pondere vitiorum.

Textus Iuris Ciuilis.

Si Monachus reliquerit monaſterium, & ad ſæcularem vitam migrauerit; hunc militia & honore, ſi quem habet, priùs ſpoliatum ab Epiſcopo locorum, & Prouinciæ iudice in monaſterium mitti, & res, quas poſtea habuiſſe probatus fuerit, monaſterio in quod mittitur competere. *Nouella* 123 §. *Si Monachus. De Sanctiſſimis Epiſcopis.* p.242.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Si quis in Religione voto ſolenni emiſſo ſibi minimè conſtiterit, & deſertor eius vitæ, cui vltro nomen dedit, ad ſæculi caſtra ſui propoſiti immemor transfuga ſeceſſerit, fruſtra vacat ille bonis operibus in illa ſorte Deo ingrata, quia quandiu eſt apoſtata, bonorum omnium operum merito ſpoliatur. Quodque peius, æternâ vitâ cadit, eumque fata manent, quæ Semei extulere, quia Ieruſalem mœnia tranſiliuit. Ita Codex ſanctus eius interitum commemorat 3. Reg. 2. *Nuntiatum eſt Salomoni quod iſſet Semei in Geth de Ieruſalem & rediſſet. Et mittens vocauit eum, dixitque illi: Nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacunque die egreſſus ieris huc & illuc, ſcito te eſſe moriturum? Et reſpondiſti mihi: Bonus ſermo quem audiui. Quare ergo nō cuſtodiſti iuſiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi, &c. Iuſſit ergo Rex Banaiæ filio Ioiadæ; qui egreſſus percuſſit eum, & mortuus eſt.*

Vana ſanè ſunt omnia argumenta, quibus nos ſollicitat mundus ad egreſſum è Religione, nobis eam gratiam præſtante, cuius compos erat Semei non prætereundo muros Ieruſalem. Mundus enim nullis omnino bonis animum noſtrum demulcere poteſt, quin in Religione nobis proſtent maiora bona, quibus anima potiatur. Pollicetur opes mundus; ſed, vt Auguſtinus ait: *Paupertas cœlum emit.* Honores huius ſæculi ſæpe ſua luce fucos faciunt oculis, quos perſtringunt: gloria namque fugax eſt, ad quam anhelat homo vile ſæculi mancipium; ſiquidem inſtar coruſcationis abit illud inane decus omne, fumo citiùs euaneſcens. Senſuum voluptate ſuos aſſeclas mundus in hoc æuo beat, ſed momentaneum illud quod delectat, æternis eos ſuppliciis obſtringet. In religione verò ducit homo vitam felicem & tranquillam, quam potiora bona manent in æternum. Caro demum in perniciem noſtram à mundo conducta, nobis hymenæos offert hilares & beatos; ſed in Religione vitam Angelicam profeſſa Deo conſecrata anima, ipſi Angelorum Domino deſponſatur.

Textus Iuris Ciuilis.

Si ex cautione tua, licet hypotheca data conueniri corporis exceptione oppoſita ſeu doli ſeu non numeratæ pecuniæ, compellitur petitor probare pecuniam tibi numeratam eſſe, quo non impleto, abſolutio ſequetur. *Lege. Ex contractibus. Codice. De non numerata pecunia.*

Stigmata, hoc eſt nota publica, fabricenſium brachiis infligantur, vt hoc ſaltem modo poſſint latentes agnoſci: his qui eos ſuſceperint, vel eorum liberis ſine dubio fabricæ vendicandis. *Lege Stigmata. Codice. De fabric.* pag.248.col.1

APPLICATIO MORALIS.

Beato Franciſcó vitam auſpicante, cuius è cœlo Deus inſpirauit ei formam, à Chriſto cura fuit illi demandata nouæ fabricæ, deſuper facta voce talia reſonante: *Vade Franciſce repara domum meam quæ labitur.* Innocentius III. Papa vidit in ſomnis Eccleſiam Lateranenſem ruinæ proximam Seraphici Franciſci humero ſuſtentari. Cùm ergo Dei fabricæ eſſet deſtinatus homo ille clarus orbe toto, ſacra ſua ſtigmata Chriſtus ei impreſſit, vt ſcirent omnes, eum ad diuinæ domus ſtructuram eſſe præ aliis omnibus occupatum.

Recenſita

Recensita lege Imperatorum Arcadij & Honorij cautum est, vt quisquis exciperet hospitio fabricenses stigmate prænotatos, ille vel liberi eius censerentur ad eiusdem fabricæ opera destinati. Hodie non oneri est, sed honori, recipere B. Franciscum, etsi eadem lex sortiatur effectum suum: orbis enim vniuersus vbi excepit institutum illud Seraphici Patris; ciuitates illæ, quibus apparuit ille Sanctus rediuiuus in filiis suis arctiori regulæ addictis, statim dederunt operam eidem fabricæ, cuius est structura penes conuersionem animarum, quam procurauere, suos filios Beati Francisci ordini consecrantes.

ALIA APPLICATIO.

Cato Romæ gerens Censuræ munus, ad quod pertinet, ius ciuitatis dare viris extraneis, admittebat eos tantum, quorum callosæ manus erant; cautè ratus, non esse manus huiusmodi inertes, sed laboriosas, quales Roma petit operibus arduis assueta. Ita viri fortes erant, quibus constabat Romanæ Reipublicæ structura, solos robustos homines admittens, quorum generosæ manus erant callo velut legitimo stigmate prænotatæ.

Electi omnes, id est prædestinati, sunt fabricenses eius ciuitatis, quam futuram inquirimus; stigmata quæ discernunt illos à reprobis otio fractis, sunt callosæ manus, quæ obduruere, bona opera fortiter exantlando.

Textus Iuris Ciuilis.

Stipendia & donatiua temporis, quo apud hostes fuisse te dicis, restitui tibi postliminio regresso, restitutoque, non iure desideras. *Lege. Stipendia. Codice. De re militari.* pag. 279. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis influente Dei gratia, ac proinde labis expers studiosè vacat bonis operibus, ille diues est meritis, quæ sunt donatiua nobis generosè sacra in militia certantibus cælitus erogata. Sed si, diabolo præualente, miles ille quasi desertor abit ad hostilia castra, viuens ad sensuum arbitrium, priuatur eo tempore gratia diuina; cuius incremento diues fit anima iusta, piis sese actibus occupando. Quod siquando redux homo, pertæsus acerbè vitam, quam vitiis obstrinxit, iterum Christo manus dederit, abiecto prius cingulo se præcingens, iure nequit stipendium exigere à Christo vitæ neque temporis, quo impunè suis est sensibus obsequutus. Redire quidem possunt merita præterita virtute pœnitentiæ, quæ sanguine Christi tincta vitam instaurat antea deploratam. Sed pœnitentia, quantumuis integra & plena, nequit inspirare vitam bonis operibus editis in peccato graui. Actio namque vitæ expers ab initio nullâ potest industriâ fieri à pœnitente anima rediuiua. Vnde gratis homo petit à Deo, vt tempus, quòd ipse reus egit apud hostes, eiusdem sit conditionis ac ipsa Dei militia, in qua bonis & arduis operibus, Christi pugiles exercentur.

Textus Iuris Ciuilis.

Subscriptionem supponere heredem necesse est; significantem, & quantitatem rerum, & quod nulla malignitate circa eas ab eo facta, vel facienda res apud eum remaneat: vel si ignarus sit literarum, vel scribere præpediatur, speciali tabulario ad hoc solùm adhibendo, vt pro eo literas supponat, venerabili signo crucis antea heredis manu præposito. *Lege. Scimus. Codice. De iure deliberandi.* pag. 102. col. 2.

APPLICATIO MORALIS.

Tanta fides olim fuit adhibita signo crucis, vt character ille sacer adhibitus publico rescripto fecerit illud indubium. Hinc edita lex illa volens heredis scripto credi, quo defuncti supellectilem omnem conscripserat, dummodo propria manu signum crucis tabulis inscriberet. Ita palàm fiebat an posset heres dissoluere debita testatoris.

Christus homines in cruce suos heredes instituit, hereditatis huius supellex est locuples: illa nempe dotes omnes corporis & animæ concludit, quæ conspirant vt beatitudo suis sit omnibus numeris absoluta. Attamen vt plenè fiat compos homo boni tanti, non formare sed baiulare crucem patiendo debet: si namque pati decuit Christum, & ita suam hereditatem adire; cur detrectabit homo subire cruces, quarum obsequio æterna gloria comparatur.

T

Textus Iuris Ciuilis.

TEstamenti factio, non priuati, sed publici iuris est, ideoque forma eius priuatorum pactis non læditur. *Lege. Testamenti. ff. De testam.* pag. 29. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Christus ea conditione suos heredes instituit, vt vltro morem gererent mandatis ab ipso rerum omnium Domino præstitutis: *Si vis (inquit) ad vitam ingredi, serua mandata.* Perperam ergo viam aliam quærit homo, quam præscriptam: Quippe nemo potest alia ratione cœlum mercari. Itaque desipit qui alio pacto credit se beandum, quàm modo nobis cælitus assignato.

Textus Iuris Ciuilis.

Tutores sunt, qui vim ac potestatem habent in capita liberorum, qui per ætatem se defendere non possunt. *Lege 1. Institut. De Attiliano tutore.* pag. 148. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Nulla sanè potest hominum ætas coërcere feros dæmonum insultus, ipso Deo assertore, cuius hoc effatum est. Iob. 41. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Is ergo rerum omnium opifex Deus, qui omnia voluit esse iuris hominum, noluit inermes eos diabolis obiicere, sed præfecit eis Angelos in tutores, vt homines faceret illa custodia vigili cataphractos. Profectò gratis & incassum editus esset homo sine præsidio illorum spirituum, qui dum perpetuò stipant homines, quamdiu in hoc æuo degunt, eorum tutela prudens atque potens hoc beneficium præstat eis, scilicet vt non cedant in ius Angeli desertoris.

Sed ne se fortè malè gerat homo, suo tutori iniurius, contra decus agens debitum præsentiæ custodis sui; mente sua recolat historias Vdonis, Heliodori, Prætextæ, & aliorum, quos peccantes Angelus seuerè pœnis congruis affecit, iuxta legem, quæ decernit, tutores habere plenam potestatem in capita pupillorum.

Textus Iuris Ciuilis.

Tutores vel curatores, mox quàm fuerint ordinati

nati sub præsentia publicarum personarum, inuentarium rerum omnium, & instrumentorum solenniter facere curabunt. Aurum, argentumque, & quicquid vetustate temporis non mutatur, si in pupilli substantia reperiatur, in tutissima custodia collocent: ita tamen vt ex mobilibus aut prædia idonea comparentur, aut fortè si, vt adsolet, non potuerint idonea inueniri, iuxta antiqui iuris formam, vsurarum crescat accessio; quarum exactio ad periculum tutorum pertinet. *Lege. Tutores. Codice. De periculo tutorum.* pag. 168. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

De hominum custodia est Angeli sollicitudo maior, quàm sit vigilans cura fidi tutoris de bono sui pupilli; namque modo perfectiore Deo Angelus obsequitur, quàm homo legi humanæ morem gerat. Sed ex Cæsaris statuto debet prouidere tutor incremento rerum omnium, quæ ad pupillum pertinent: ergo debet Angelus inuigilare bono intellectus & voluntatis eius quem custodit, quia illæ duæ sunt principes animæ facultates. Illorum est circa suos pupillos eas obire vices, quas gereret procurator, opportunè suam præstans operam consilio & persuasione. Consulere pertinet ad illuminationem intellectus, suadere verò respicit voluntatem. Ita duæ illæ potentiæ Angelorum curâ solent maxima commoda reportare.

Quòd si intellectus hebes est, & caligat perscrutando verum, & voluntas propensior ad iniqua malo adhæret, illud est refundendum in magnam hominum incuriam, quæ omnem sollicitudinem Angeli irritam facit, estò suis partibus haudquaquam desit: nempe vices omnes obit seduli tutoris, cuius est satagere, vt singula quæque bona pupillorum modis licitis augeantur.

Si ergo decumbis, homo, caue ne querulus & iniustè tui carpas & incuses Angeli custodiam: namque penes te est tota mali labes; siquidem intellectum & voluntatem incautè tui Angeli regimini subtrahis: densa caligo tibi à dæmone offusa placet, & ita lumen respuis Angelicum; sensus item, præpediendo tuos affectus obstant ne saluti congruis Angelorum monitis obsequaris.

Textus Iuris Ciuilis.

Tutoris præcipuum officium est, ne indefensum pupillum relinquat. *Lege. Tutoris. Codice. De administratione & periculo tutorum.* pag. 161. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Nullus omnino tutor eam de pupillo curam gerit, quam Angeli custodes habent de nobis, ipsorum custodiæ vigili commendatis. Bernardus eam sic describit serm. 11. in Psal. 90. *Vide quam necessaria sit ista protectio, ista custodia in viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Parùm tibi videtur quod non sit lapis offensionis in via? Considera qua sequuntur. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quàm necessarius pædagogus imò baiulus præsertim paruulo inter hæc gradienti. In manibus portabunt te. In tuis quidem viis custodient te, & deducent paruulum qua parte potest paruulus ambulare.* Vide plura ad illam Angelorum custodiam pertinentia. pag. 161. col. 1. & 2.

V

Textus Iuris Ciuilis.

VIros clarissimos sacri nostri palatij, silentiarios circa latus nostrum militantes de tutelis & curationibus excusari sancimus. *Lege 15. Codice. De excusationibus.* pag. 184. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Qui supra plebem eminent, & in Ecclesia sancta gradum sublimem obtinent, non debent ratione suæ dignitatis se onere, quod incumbit populo, prægrauare. Peccata moles sunt onerosæ, plebem grauantes. Nempe suæ gloriæ populus iniurius, non satagit detrectare iugum inglorium, imò sponte suos supponit humeros importuno oneri peccatorum. Optimates & Præsules ad maiora nati, si aptè velint accommodare vitam ad statum illustrem, quo assurgunt, abstinere debent à vitiis, & instar siderum in cœlo, suis subditis illucere.

Textus Iuris Ciuilis.

Vnam intentionem hanc semper proponimus, omne quicquid priùs imperfectum erat, aut confusum videbatur, hoc expurgare, & perfectum ex imperfecto declarare. *Nouella 7. in præfatione.* pag. 595. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Christus olim de perfectione procuranda salutare dedit omnibus hoc præceptum: *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Attamen rarus est ille, cui contingit huic præcepto sicut congruit obedire. Credo totum aut præcipuum saltem huiusce rei cardinem in hoc verti, vt scilicet vnusquisque primò suas labes omnes tergat, deinde suam omnem adhibeat industriam, vt conciliato sibi Deo præstitutis ab ipso modis, hiatus imi dehiscentes, & lacunæ, quas fecere mores incongrui, virtutibus & gratiis impleantur.

Textus Iuris Ciuilis.

Vniuersos, qui vsurpantes sibi nomina magistrorum in publicis magistrationibus, cellulisque collectos vndequaque discipulos circumferre consueuerunt, ab ostentatione vulgari præcipimus amoueri; ita vt si quis eorum post emissos diuinæ sanctionis afflatus, quæ prohibemus & damnamus, iterum fortè tentauerit non solùm eius quam meretur infamiæ notam subeat, verum etiam pellendum se ex ipsa vbi versatur illicitè vrbe cognoscat. *Lege. Vniuersos. Codice. De studiis.* pag. 299. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Ille reuerà sibi falsò nomen doctoris affingit, qui non se præstat eum, quem Christus voluit esse virum electum ad initiandos homines optimâ disciplinâ. Christus ipse typus imò prototypus omnium doctorum sanxit, eos debere salis instar esse. Si sal vrendi vim amitteret, non esset legitimum & sincerum, sed spurium; ita si doctor non ardeat, & sit amoris expers, id est sine charitate, talis est indignus qui magistri titulo censeatur. Doctor ergo Dei ad amussim se componat accuratè, nisi ille velit ingloriè è pulpito vsurpato foras pelli. Sancto Dei amore flagret, vt sint eius eloquia ignita, quibus in discente facer excitatus amor eum compellat ad Christi dogmata diligenda.

Elias Propheta talem se præstitit, quem describo verum & idoneum doctorem. Scriptura sacra virum hunc Numine afflatum sic commendat, Eccles. 48. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis.* Instar ignis

ignis erit doctor, qui exemplo suo probabit esse bona facienda, quorum indolem & ideam plerumque nuda voce solent magistri, auditorum mentibus explicare.

Augustinus item exemplar se præbuit eximij doctoris: etenim statim atque suum nomen vltro dedit Christo, totus ebulliit amore Dei, & opera sancta plura suis moribus expressit, quàm scripto suis institutis indixerint alij consultores. Eius pictura vitam illius compendiosè refert. Præfert ille suis manibus cor ignitum, quia practicus eius amor saliebat in manibus, & inde totus in virtutum omnium praxim feruidus erumpebat.

Textus Iuris Ciuilis.

Vniuersa rescripta siue in personam precantium, siue ad quemlibet iudicem manauerint, quæ vel adnotatio, vel quæuis pragmatica sanctio nominetur, sub ea conditione proferri præcipimus: Si preces veritate nitantur. Nec aliquem fructum precator oraculi percipiat impetrati, licet in iudicio afferat veritatem, nisi quæstio fidei precum Imperiali beneficio monstretur infecta. *Lege. Vniuersa. Codice. De diuersis rescriptis.* pag. 544. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Imperator Zeno sua hac constitutione preces supplicum voluit irritas esse, sicut & dona eis facta rata noluit esse, nisi præfatæ preces veritate liquida niterentur. Etenim tantùm abest, vt titulo falso preces factæ dono aut gratia aliqua sint dignæ, quinimò secus, vt maiestati Cæsaris iniuriæ, ab ipso debent Imperatore pœnis acerbis vt reprobæ castigari.

Meminisse debent huiusce legis omnes qui in oratione Deo se sistunt: nam veritas est de ratione precum, quæ reuerà preces non sunt, si à veritate procul absunt. Vnde graui peccato se obstrinxit quisquis ementita veritate Deum mendaci animo deprecatur.

Mentiri perinde sonat ac contra mentem ire, Idcirco nomen mendacis habet, & sortitur homo dicens ore bonum quidpiam, dissona mente malum aliquod impiè meditando. Si linguâ Deum orante, vacet & discolor sit animus, alia versans quàm quæ verba sonant, mentitur oratio: siquidem à mente procul abit orans, qui recitando preces, non se attentè totum colligit, & abstrahit à profanis; sed se inflectendo gyros in varios, animo diuagatur.

Suffragatur huic effato Vates, ita canens. Psalm. 144. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.* Si orantibus in veritate Deus adest, profectò procul erit à precibus, quæ mendaci & errabundo animo proferuntur.

Est profectò malè ominandum homini illi, qui perspicacis & vigilis ingenij est, quando vacat iis negotiis, quæ ad sæculum spectant; si verò Deum orat, balbutit animo somnolento.

Hunc hominem vigilem ad profana negotia, & stertentem ad diuina, fata manent illa, quorum meminit Hippocrates, quando dicit, ægris instare diem extremum, qui interdiu dormiunt, & insomnes agunt noctes. Sic ille lib. 3. Coac. cap. 2. prænot. 16. *Dormire oportet noctu, vigilare interdiu, contrarium autem malo fit agri.* Igitur, Christiane, caue, tuæ orationi; nempe diem illa sapit, & non noctem: animos vigiles exigit oratio; quippe totum hominem illuminat, iuxta Regis Prophetæ vetus oraculum, Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Insinuat, ille fore preces confusioni obnoxias, quando fient ab homine distractionum tenebris obumbrato. Vide plura. 544. col. 1

Textus Iuris Ciuilis.

Volubile hoc & humanum, & quod manere idem nunquam valet, sed fit quidem semper, manet autem nunquam, & legislationibus inducit aliquem tumultum, & iis quæ videntur se habere rectè & firmè posita iudicantur: sed ea quæ subtili obseruatione cauta sunt plerumque turbauit emergentium varietas causarum. *Nouella 49. in præfatione. De his qui ingrediuntur ad appellat.* pag. 635. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Hac constitutione Cæsar Iustinianus ait se varias condidisse leges, quia mundus volubilis atque fugax constare sibi nesciens, nouo viuendo more, leges veteres antiquarat. Indoles hæc inconstantis huius sæculi meditata, viros illustres, quandoque Reges etiam induxit, vt mundo vale dicerent, aspernando ritus, eius asseclis insolitos, vt iuxta leges à Christo latas æuum componerent; ab hoc mundo nequam penitus abhorrentes.

Ioannes Damascenus vnum commemorat, cuius fusè vitæ seriem omnem contexuit. Huic sæculi desertori famoso nomen erat Iosaphat, qui se florente ætate suo Indiarum regno lubens abdicauit, nè sæculi more vitam transigeret; cautè ratus, satius esse, procul abire, sacris vt ita Dei legibus inhæreret. Nullus antè Regum adeò strictè sibi omnium subditorum corda deuinxerat: succedebant ex voto Regi omnia: adolescentia robusta viuax æuum promittebat ei: ille tamen secundâ rerum omnium aurâ aspirante secessit in eremum ne mundus eum ad inferna secum deuolueret implicitum plurimis inuolucris.

Augustinus eo inconstantiæ mundi argumento fretus, generosè ferum bellum indixit ei, vt se totum obsequio Christi Domini manciparet.

Audiendus ille in Psal. 83. *Considerantes quàm sit incertum vnde gaudebant antequam accederent ad seruitutem Dei; vident ex ipsis diuitiis vel habere se pressuras cogitationum, quomodo ea gubernentur, quomodo custodiantur, vel si paululum inclinauerint cupiditatem, vt eas diligant, plus eos impleri timoribus, quàm fructibus. Quid enim tam incertum, quàm res volubilis? Nec immeritò ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat.* Hactenus Augustinus.

ALIA APPLICATIO.

Vt semina electa & sincera solo benè exculto & fœcundo data fruges edunt congruas naturæ suæ, secus verò malè sata, & commissa solo ingrato nihil producunt; ita Dei leges mundo datæ, velut in agro infœcundo satæ, sui satoris spei non respondent, obsequio asseclarum huius sæculi defraudatæ.

Cælo nati homines, conscij nequitiæ mundi cautè solo illi se subducunt, ne longiores ibi trahendo moras, exleges quoque fiant, & inepti ad sancita lege diuinâ bona opera germinanda.

Diuinæ leges in mundo silent inter fluctuum æstus, & discordiarũ tumultus ibi crebros, quorum

fragore velut horrisono tonitru concussi homines electi ad gloriam, vt cautè suæ saluti consulant, coguntur aliò transmigrare. Secessus huiusce locus congruus excolendæ diuinæ legi, est Religiosa vita, foeta bonis operibus, quia professores eius copiosè Dei gratia cælitus alluuntur.

Si quis ergo tibi importunus, homo religiose, petat quare fugâ præcipiti tetæ receperis in cœnobij claustra, legis descriptæ breuis textus erit congrua responsio; scilicet: *Volabile hoc, & humanum, & quod manere idem nunquam valet, ea quæ subtili obseruatione cauta sunt, plerumque turbauit.* Ne ergo talis inquies turbo mihi noxius sit, ego procul eo ab his motibus inquietis. Illic, vbi dego, iuge redditur obsequium legibus & diuinis, & humanis, quæ prudenter cautæ, vitam ad beatam conferunt, inoffenso pede cœlum versus euchendo sacræ huius regulæ sectatores.



INDEX RERVM MEDICARVM.

A

Textus Medicinæ.

ABSCESSVVM lethales sunt illi, qui pus effundunt intrò. *Hippocrates. lib. 2. coac. cap. 11. prænotione 8.*

APPLICATIO MORALIS.

Ad confessionem sacrilegam pertinet hoc effatum, mortis omen eis portendens, quos retenta puris illuuies eiecta foras subito sospitasset. Sanie immunda impij cor alluitur, quando admissi criminis sordida colluuies silentio tecta foras non erumpit confessionis obsequio. Tunc timenda puris effusio interna; citò namque necem animæ consciscit: quisquis enim sacrilega confessione crimen alto premit silentio, ille suo malo abdito suffocatur. Vide præclaras eo in argumento Patrum sententias. pag. 584. col. 1. & 2.

Textus Medicinæ.

Athletarum bonus habitus, qui ad summum enasit, periculosus; hic enim bonus status quiescere nequit. Hippocrat. lib. 1. aphorism. 3.

APPLICATIO MORALIS.

Aspirantis huius sæculi auræ nimis propitiæ nequit diuturnus esse tenor, imò malè cedet ei animæ creditæ iam beatæ, quia illius arbitrio luxurians fortuna litat: quippe malum atrocius instat ei, quàm corpori nimio adipe saginato.

Allusit eò Seneca, suspectos esse doceris alternantis fortunæ ludos, & præsertim cùm illa ridens, sed inconstans technis assueta suis affeclis adblanditur. Segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem nimia non peruenit fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata fœlicitas rumpit: quia non tantùm in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt, quorum impotentiæ, atque insanæ libidini, ob hoc vnum possis ignoscere, quod quæ fecere meritò patiuntur. Vide plura pag. 431. col. 1

Vide rursus eumdem aphorismum illustratum textibus eximiis ex iure canonico. pag. 693. col. 2

C

Textus Medicinæ.

Calor vnus est plus nimio exuperans, & qui naturalis fuerat, sensim non naturalis euasit, vitiosus proinde, & naturæ iam infensus. Fernelius Pathologiæ lib. 4. cap. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Congruit ille calor iræ leui, quæ estò vitam non adimat, infensa tamen & noxia est animæ, quæ saltem veniale malum incurrit, quando repentino motu perculsa deses ad compescendos iræ insultus leuiter excandescit. pag. 53. col. 1

Textus Medicinæ.

Calor alter est ex putrescente materia prognatus, qui etiamsi non sit admodum ardens; quoniam tamen eius de qua prodit materiæ conditionem redolet, præter naturam est, & insito calori grauis. Fernelius ibidem.

APPLICATIO MORALIS.

Censeo appositè ad præfata, leuem iram quando diu in corde iacet, ibi altè suas radices agere, & putrescendo ferum in odium oppositum charitati, magno discrimine animæ cõmutari. pagina eadem.

Textus Medicinæ.

Calor tertius est malignus, & perniciosus, quem pestilens venenatáque materia fundit, non qualitatis exuperantia, non putredine, sed totius substantiæ dissidio, vitali insitoque calori aduersus. Fernelius ibidem.

APPLICATIO MORALIS.

Concipitur iste calor noxius & lethalis, quando bilis atrox & acerba furit in perniciem proximi, & præsertim quando suum lethale virus effundit, cum iniuriis

iniuriis sermonibus ad dispendium famæ textis turpiter impetendo. Arguit ille calor venenum insidens cordi, scilicet odium extremum, quod omnem charitatem extinxit, maximo animæ detrimento. Est deplorata salus huius animæ. Mortis æternæ notas homo præfert, quem succensa depascit ira; diris oculi scintillant aspectibus, linguâ bile suffusâ voces ora vomunt blasphemas & obscœnas, corpore toto fremit ille sui impos, & præcoci pœna mala pati incipit, quæ multa suis æmulis cogitat irrogare. Vide plura. pag.54.col.2

Textus Medicinæ.

Causon superueniente rigore soluitur. Hippocrates lib.1. Coacarum, prænotione 141.

APPLICATIO MORALIS.

Concordant imò fraternizant rigor, quo superueniente febris ægros inuadit, & ille timor, quo irruente, ferè omnia membra quasi concreta sæuo frigore congelascunt. Est autem timor tristis affectus animæ meditantis graue malum instare sibi. Si quem ergo fœda libido, velut accensa febris agit in phrenesim, ille debet recolere pœnas, quas atroces in inferno luunt homines obscœni. Exurgens inde timor & horror incendium extinguet à Venere suscitatum. Hieronymus soluebat eo rigore fœdos æstus luxuriæ, quos ingerebat ei dæmon. Quippe suo animo iugiter versans clangentis tubæ sonum conuocantem homines ad iudicium, inde totus horrore rigens impos erat ad peccandum, corpore frigescente. Vide plura pag.606.col.a

Textus Medicinæ.

Cibi potusque vitia gignendis morbis pabulum materiamque suggerunt. Si eius quod assumptum est validæ vires indomita fuerint, nec prorsus ventriculi robore euicta, ea vel substantia, vel quoquouersum expirante vapore, in omne corpus permanabunt, ipsumque cor, & cerebrum, atque vniuersum corpus concutient. Sic sua sunt vnicuique cibo dotes, sua sunt incommoda. Fernelius. lib.1.pathologiæ. cap.14.

APPLICATIO MORALIS.

Commoda multa cibi sobriè sumpti conciliant hominibus. Nam ieiunia discreta solent salutem corporis, & animæ procurare.

Cogitationes item, & scientias, quæ hominem erudiunt, esse cibos animæ studiosæ nemo sanus ibit inficias: instar enim escarum, disciplinæ tota anima diffunduntur. Itaque cautè suam omnem vnusquisque debet industriam impendere, vt addiscat ea omnia, quæ conducunt ad salutem & secus ea declinare mala consortia, in quibus doctrina mores inficiens patulis & incautis auribus instillatur. pag.613.col.a

Textus Medicinæ.

Circumfusus aër in intima quaque penetrans, nos etiam contagione immutat, neque nos solum, verùm etiam solidissima quæque, vt ligna, lapides, & metalla, quæ aliter sicco, & aliter pluuioso cœlo affici notamus. Tanta quidem vis est aëris per cuncta rerum meabilis: huius autem quàm cæterorum vis maior, & efficacior ad morbos infligendos. Fernel.lib.1. pathologiæ cap.13.

APPLICATIO MORALIS.

Contagiosus aër est mundi, ideoque citâ fugâ benè suæ vitæ consulunt omnes, qui ad claustra religiosa velut ad castra Dei confugiunt, vt illic aura suæ saluti congrua vegetentur. Si Ioanne Apostolo assertore, quicquid est in mundo, illud omne tumet superbia, aut luxuria ardente flagrat, vel auaritia oculos titillante prurit. Quis impunè deget in aëre tam noxio, qualis est hic maleficus & infaustus aër, quem mundus à Ioanne verè dicitur expirare.

Chorearum item orchestra tetrum aërem spirat, vbi virtutes etiam solidæ corrumpuntur.

Alea, caupona, ludi, mulierum consortia suspecta lue contagiosa necant eos, quos afflat pestilens aura loci alicuius ex his proximè recensitis.

Vide pag.460.col.2

Textus Medicinæ.

Corporis partisuè absoluta & exquisita symmetria, quæ ad summum peruenerit, summa est sanitas. Quæ ab hac paulum deficiens constitutio, nec actionibus nostris nocua est, nec animali manifestè grauis, sanitas etiamnum est; at non perfecta. Fernel. lib.1.Pathol.c.5.

Concordant in plerisque rebus anima & caro, licèt aliis in multis sint discordes. Verbi gratiâ, maiori ex parte salus animæ concolor est exquisitæ corpori sanitati.

Corporis præcipuæ partes sunt hepar, cor, & caput. Disponuntur eo ordine partes hæ principes vt hepar sanguinem defæcatum cordi suppeditet, tanquam annonam idoneam principali illi visceri, vbi decoctus iterum ille sanguis factus indigena cordis, illic attenuatus vapescit in spiritum vitalem, qui arteriarum obsequio fertur sursum, & sese insinuat in cerebri ventriculos, vbi adiectione nouæ virtutis, in animalem spiritum transit, quo mediante quasi vinculo, anima corpori deuincitur. Itaque corpori humanō sua sūt sarta tectaque omnia, quādiu chylus in hepate sano rubet ibi accipiēs prima rudimenta sanguinis: cùm item cor vegetum, spiritu vitali fœtum cerebro benè affecto suum exhibet pensum. Tuta demum sunt omnia, si in spirituum animalium genitura caput minimè ferietur. Si verò secus partes illæ sui oblitæ vacant, & deuiant ab intento, malè habet homo iacens in paralysim fractus, spiritu exhausto, sui impote corpore dissoluto.

APPLICATIO MORALIS.

Corporis ex sanitate licet inferre benè habentis animæ sospitatem. Etenim illa tribus etiam partibus constat, quæ dum ritè suas obeunt vices, illa benè valet. Tres hæ principes animæ potentiæ sunt, intellectus, voluntas, & memoria. Intellectus veluti fax illuminat voluntatem, ei proponendo bonum verum, & sincerum, quod est obiectum illius. Memoria reuocat præterita vt præsentia, eo intento suis vt peccatis opponat congrua remedia, & de beneficiis cælitus acceptis agat impensè Deo gratias immortales.

Corporis partisuè (sicut ait Fernelius) absoluta & exquisita symmetria, quæ ad summum peruenit,

summa est sanitas. Si ergo suis fungantur officiis intellectus, voluntas, & memoria, congrui sunt indices integræ sanitatis. Animæ sanitas est summa, cùm ad summum peruenit, id est, quando Deum attingit, qui est omnium planè rerum apex & supremum culmen: nam posito congruo conamine potentiarum animæ, ponitur & gratia. Verbi gratiâ, si peccati contagio infirmus homo in spem veniæ assurgens, ad Deum direxerit intellectum suum, & deposito affectu rerum inferarum, amore Dei incalescat, & recolens admissa piacula, dolorem concipiat congruum facinori; reuerâ sanus effectus est. Quamuis enim prima gratia non cadat in meritum de condigno; prælibatæ tamen dispositiones ordinantur ad gratiæ illapsum, ideoque Deus influet in animas, quæ se ad gratiam mediis congruis accinxerunt. At nullo alio potiore modo anima se aptare potest ad gratiæ influxum, quàm deducendo suas principes facultates ad summum, id est, ad Deum, illum meditando, & amando eo affectu, qui lacrymis alluat hominem memorem reprobi sui quondam status. Ita Deo in medio animæ constituto tres illæ potentiæ debitam sibi à Deo mensuram accipient, estò priùs ipso cœlo toto, suo à Domino turpiter aberrassent. pag. 588. col. 1. & 2.

Textus Medicinæ.

Crebri ex lumbis horrores, cum cita caloris vicissitudine, calamitosi. Hippocrates lib. 1. Coacarum, prænotione 8.

APPLICATIO MORALIS.

Concupiscentia obscœna quatit eo horrore fœda & abiecta luxuriæ mancipia. Cùm namque Dei iudicia horrenda suo animo versat homo salax, derepente quodam horrore riget, apprimè sciens supplicia æterna reis ingloriæ Veneris imminere. Infaustum portendit omen horror ille crebrò ream animam vellicans, & lacessens: cùm namque iugis est, & homini luxurioso negat inducias, synderesis importuna notat eum semper in carnis corruptæ cœno sordido volutari.

D

Textus Medicinæ.

DEiectio pura, cum sudore febrem soluit. Hippocrat. lib. 3. Coacarum, tract. 4. prænotione 80.

Doctè sanè vates hic medicorum, deiectioni puræ monet necessarium esse quasi comitem indiuiduum sudorem, qui morbi fatiscentis reliquias natura trudit corpore desudante.

APPLICATIO MORALIS.

Designat sudor lacrymas seu contritionem in ratione morum. Itaque lacrymis madere debet confessio ne marcescat, & sic inutilis animæ reprobetur. Ideoque sicut medici decernunt syrupos, & apozemata, quibus attenuatur humor noxius, & rebellis, vt idoneo remedio proliciant fomitem febris; ita & nos præcones Dei frequenter vrgemus dyscolos homines vt lugeant iniquam suam sortem: nam præuia contritio, qua soluitur in fletus homo facit, puram deiectionem, atque ita febrem soluit. Sincera etiam deiectio restitutionem significat, qua expelluntur opes iniquis artibus aduectæ: siquidem valde parum est explicare manum medico vt arteriam tentet, si adhuc in viscere restagnet humor, quo stabulante vita malè habentis adducitur in discrimen. Sanitas namque dicit eiectionem noxij humoris à corpore decumbente.

Diuitias in cumulos se congessisse malis artibus plerique dicunt, & fatentur sacerdoti: illa quidem ingenua confessio confert homini, sed non plenè euacuat; quia adhuc stabulatur in liene prauus humor refluens in hepar, & inde venas alluens, quæ hoc contagio infectæ dirè malè habentem vexant. Id est, si prædiues homo malè parta aperiat in confessione, mutila erit & imbecilla hæc peccati vomitio, si lateant in loculis obseratis opes noxiè comparatæ. Vide plura in hoc argumento pag. 666. col. 1. & 2.

Textus Medicinæ.

Dolente capite vomitiones æruginosæ, cum vigiliis, & surditate citò venturam insaniam portendunt. Hippocrat. prorrheticor. 10. sect. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Delirant homines contumeliosi arbitrantes iniurias euomere, & effutire quicquid in buccam venerit, alleuiare caput, & restinguere flagrantis iræ incendium. Etenim illa vocis iniuriæ acerbitas, cui præire solet surditas ad monita, insaniam arguit imminentem.

Vide plura de hac materia. pag. 54. col. 1

Textus Medicinæ.

Dum pus conficitur, dolores atque febres incidunt. Hippocr. lib. 2. aphorism. 47.

Doloris ratio petitur ex solutione continui quoad qualitatem; omnis etenim corruptio debitam temperiem soluit, & ita parit molestiam corpori dolore quouis anxiè lacessito.

APPLICATIO MORALIS.

Designantes aliquod immane nefas perpetrare, citam iam sentiunt & præcocem admittendi sceleris vltionem. Et id iuxta vetus hoc effatum. *Pœna comes sceleris.* Nempe crimen ante suum partum animam exagitat stimulis importunis.

Vide Patrum sententias selectas, vbi describitur animus inquies hominum improborum. pag. 413. col. 2. pag. 414. col. 1

E.

Textus Medicinæ.

EXimiè colorata facies, & vultuosa pestifera. Hippocrates lib. 2. Coacarum cap. 5. prænotione 4.

Ex facie supra modum colorata luem mortiferam colligit medicina dicens esse virus quod se in vultuosa prodit facie propinatum.

APPLICATIO MORALIS.

Exultant profectò rebus in pessimis illi, quibus prospera fortuna ridet: præferunt facie serena sui animi lætitiam. Interim serpit in corde virus, quo gliscente

glifcente vita cadent hi fortunæ amafij, aliquando pœnis atrocibus à tortore dæmone cruciandi. Vide pag.641.col.2

Textus Medicinæ.

Elephantiam alij ab ortu, alij contagione, alij sponte, proprioque vitio contrahunt. Ab ortu, qui ex elephantico parentum semine procreati sunt, atque se parentum alter, cum genuit, elephanticus erat, fœtus quoque nascetur elephanticus. Fernel. lib.6.Patholog.cap.19.

APPLICATIO MORALIS.

Exemplo parens erudire debes sobolem, quam frustra voce curas instituere, si facta desint congrua sermonibus. Operum namque via est compendiosa ducens ad virtutem, verba verò sine exemplis sunt teneris auribus importuna. Quando totus abis in vitiorum præceps, ô incaute pater, tunc coalescis ex sanguine impuro, & miserandæ proli peccata tibi inolita affingis. Scito tuam in perniciem te nutrire prolem, nisi maturè cures opere & exemplo resecare primos vitiorum surculos erumpentes. Multi gemuere patres equidem iustè malè habiti à filiis, in quos vt æmulos, & sequaces vitæ patrum, eorum vitia deriuarunt. Pertinet ad pessimos hos parentes hæc censura Iuuenalis Satyra 14.

Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem latè, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero trepidumque magistrum
In cauea magno fremitu leo tollet alumnus.

Si verò secus pueros enutrias & dirigas ad amussim diuinæ legis, tu ipse primos carpes fructus bonæ educationis, honorem scilicet, & reuerentiam: nempe tibi debiti cultus memoria puero non excidet, cui & aliarum virtutum semina commisisti. In stipendium reuerà benè meritum operæ impensæ, tua in excolenda prole, vitæ illibatæ typo & exemplo ei præstito non erit illi natura procax aut deuia, quia ad messes opimas eam congruæ disciplinæ vomere coluisti. Vt compendiosè plura dicam, & paucis omnia perstringam præcepta, vitæ prolis instituendæ sicut expedit apta, talis esto erga Deum patrem tuum, vt diuini obsequij exemplo ritè expresso, tui addiscant filij ingenuos sese liberos exhibere.

Vide plura pag.601.col.2.& pag.602.col.1.& 2.

Textus Medicinæ.

Ex largiore potu rigor, & delirium, malum. Hippocrat.lib.7.aphorism.7.

APPLICATIO MORALIS.

Effectus præcipui, quos immoderata gula parit, sunt rigor, & delirium, & effectus vterque cedit in extremum corporis & animæ detrimentum. Primo riget corpus; siquidem esca supra modum ingesta grauat stomachum, & indigesta, crudam desinit in pituitam, qua inundante totum friget corpus, quia omnia membra madent hoc gelido humore, cuius est pernicies tanta, suas vt obire vices nequeant artus & compages, quia propter hanc illuuiem penitus obstupescunt. Rursus humor hic restagnans corrumpitur, vnde foco velut accenso, febris ardor vrit hominem antè gelu phlegmatis obstrictum. Febre denuum inualescente furit æger, delirio morti proximæ præeunte.

Ecce quibus armis eadem gula sæuit in animam consciam & morborum, quibus hoc vitium corpus obnoxium facit. Primò tepet anima facta deses iis in rebus, quæ ad Dei cultum pertinent. Tandem in pigritiam fracta, & quasi concreta gelu inertiæ facultates habet impotes ad agendum iuxta rectæ rationis vsum. Hallucinatur eius intellectus, ei gulâ faciente fucos, deuia voluntas amat noxia, vt epulas opiparas, quas excipit libido cogens hominem insanire.

Vide plura mala gulæ. pag.104.col.1

Textus Medicinæ.

Ex dolorifici lumborum mali ascensu, oculorum peruersio malum. Hippocrat. lib.2. Coacar. prænot. 10.

Experimento liquet quotidiano, raros esse quibus non aliquando malè affecti sint lumbi, absque tamen ægri detrimento, modò dolor non assurgat oras ad supremas; tunc namque niuent, & laborant oculi, portendentes eo vitio mortem hominis ægrotantis.

APPLICATIO MORALIS.

Est res in confesso, raros esse quibus lumbi, id est libido, graue non facessant negotium: citra tamen lethale crimen est pruritus ille, sua impetigine carnem titillans, vt voluptate noxia dissoluatur. Nullum à lumbis inest periculum, si quandoque calent. Sed si obscœnus humor eò assurgat, vbi ratio præcipuè solium fixit, ita vt luxuriosus homo, fœda suo animo verset, tunc cum præuia mortis æternæ nota indubia incipit anima caligare.

Extant in eo argumento Patrum selecta oracula, quæ prostant in pag.209. col.2

Ex professo verum hoc medicorum effatum refricatur eo intento, notis ex iure ciuili adscitis, vnde tetra pernicies luxuriæ liquidò confirmatur. Vide ergo locum. pag.610.col.1

Textus Medicinæ.

Ex anginosis mortifera omnia, quæ dolorificum malum foras non edunt. Hippocrat. lib.2. Coacar. cap.15. prænot.55.

APPLICATIO MORALIS.

Ergo malè tuam in perniciem tergiuersaris homo, nolens reserare Deo in confessione crimen, quod tectum iniquè suo se fœtore prodit. Tolle durum marmorei cordis saxum, & emergit ea, quæ iam subolida noxa fœtet. Largo fletuum profluuio desudet cor tuum, vt illo humore quasi emollitum, euocanti Deo citiùs obsequatur. Transit in lapidem vitiis assuetus homo; namque praua consuetudo lapis est, obducit enim callum animus, in eadem semper vitia impingens: nec aliunde tali dispendio occurritur, quàm sincerè sua omnia crimina confitendo. pag.646.col.1

Textus Medicinæ.

Eximia faciei coloratio, & sudores febris expertium, faces vetustas subsistere, aut irregularem diætam testantur. Hippocr.lib.2.Coac.c.6.prænot.5.

Ecce

Ecce quàm fallax sit viuidus ille color, quo facies exsaturata rubet, & plethoram arguit. Sanguine exuperante calor expellit humorem, qui diluit fæces, quæ idcirco diu in viscere adusto iacent, ac proinde plura præbent morbis variis argumenta.

APPLICATIO MORALIS.

Eadem imò peior series est morborum, quos parturit gula, benè faciem tingens. In his sunt apoplexiæ familiares obesis corporibus, humore nimio redundante. Calculi frequentes in renibus, oriundi ex indigesto cibo, cuius humor alluendo renes ibi coquitur & concrescit. His accidunt podagræ frequentes, paralyses, atque febres, quarum gula præbet noxia rudimenta.

Est aptior ad institutum moralem trita obseruatio, qua constat res concolores esse gulam, & Venerem. Et appositè ad Hippocratis effatum, subsidunt in corde fæces luxuriæ, quando totus aruit fons lacrymarum qui scaturiendo, mala perpetrata congruè diluebat.

Vide plura. pag. 621. col. 1

F

Textus Medicinæ.

Febris ardens soluitur rigore superueniente. Hippocrat. lib. 1. Coac. prænot. 141.

APPLICATIO MORALIS.

Flagrante licèt Venere obscœna totus inardescat homo, tamen si mente diem iudicij extremi recolat, & supplicia, quæ æterna manent homines impuros, enascens inde timor restinguet ea incendia quæ vrebant hominem Veneri mancipatum.

Vide plures eo in argumento Patrum sententias, illud idem expressis terminis astruentes.

Febris est calor præter naturam, è corde in omne corpus effusus, &c. Cùm febris maximè vniuersalis morbus omnes vbique functiones offendat, debet eius partis affectio censeri, quæ est ad omnium conseruationem vsumque necessaria, solusque calor præter naturam, è corde in omne corpus effusum vera febris haberi debet. Fernelius lib. 4. Pathol. c. 1.

APPLICATIO MORALIS.

Febrientis animæ vt disquisitio exquisita fiat, operæpretium est hoc rescire, scilicet amorem in anima easdem obire vices, quas calor in corpore humano gerit. Etenim amore Dei viuit anima; & ægrotat si à Deo deflectat amor, sicut homo decumbit æger, quando calor naturalis præterit illum statum, quem sartum tectumque sibi vendicat corporis integritas. His præfatis; peccatum est animæ febris, quia deuius est affectus à regula cælitus homini præstituta. Peccat enim anima quando rebus his caducis supra modum afficitur, ideoque vehens excessum affectus ille febrem parit, quæ toto corpore diffunditur Quippe ad voluntatis arbitrium percelluntur omnia membra, quibus voluntas iniquo affectu præpedita prauos indicens affectus, illa nequeunt a voluntatis iussione noxia resilire. Et sic astruitur prælibata febris affinitas cum peccato, quod dico febris instar oras omnes corporis, & animæ permeare.

Febrilis estò calor potissimum æstuet in corde sicut in fornace; tamen eius fomes dicitur esse triplex, scilicet spiritus, humor, & solidæ partes: quioquid enim in homine est, illud omne tribus his cancellis concluditur. Ideoque febris nulla potest assignari, cuius sint alia rudimenta. Nempe tria hæc, spiritus, humor, & solida pars, sunt semina prima febris omnigenæ. Si spiritus accenditur, emergit inde febris ephemera, siue diaria, ita nuncupata, quia vno die concluditur. Ille necem nunquam conscisit, ratione leuis pabuli, quod vapescit, & subitò dissipatur.

Febris hæc in ratione morum apprimè potest nuncupari motus primò primus præueniens rationis vsum, & hoc citra metum, aut periculum noxæ lethalis. Sed siquando ferus humor feruidus ebulliat, inde febres tot exurgent, quot humorum misturæ dari possunt. Aliæ namque febres sunt tertianæ, quartanæ, continuæ, quæ singulæ quoque suas speciales ideas habent. Ita si appetitu sensitiuo illecto concupiscentia inardescat, tot peccata fluunt, quot sunt varia obiecta, quibus animæ affectus deuius inflammatur. Denique quando febre diuturna flagrant solidæ partes, illa febris hectica nuncupatur. Quia ista febris est lethalis, vtpote difficilè mobilis, delineat opportunè malam consuetudinem, quæ vt altè suas radices egit, ab illa nequeunt se homines expedire.

Vide plura. pag. 603. col. 2

Textus Medicinæ.

Febrium symptomata, quæ ferè solent grauissimè torquere, hæc sunt: sitis, lingua aridit as, & scabrities, deglutiendi difficultas, gustus deprauatus, cibi fastidium, &c. Fernelius lib. 4. Pathologiæ cap. 19. Vide alia symptomata. pag. 604. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Fraternizant effectus peccati, atque febris Namque malis illecebris irretitus homo iugem & inexhaustam patitur sitim, semper inquies, omnia sacra fastidiens, & præsertim Eucharistiam, cui deglutiendæ velut impar est: blasphemiarum, turpiloquij, & conuitiorum, ex pectore corrupto frequens vomitio. Libidinis obscœnæ focus est perennis, ipsas etiam medullas animæ adurens. Synderesis noctes ægro facit insomnes, animumque quatit horrore, pœnas dum recolit impio destinatas. Multo demum labore sudant homines nefarij idque suam in perniciem; nempe sibi nusquam faciunt satis, quia ad concupita semper animo anxio percelluntur.

Vide plura pag. 604. col. 1

Textus Medicinæ.

Frequens è lumbis anadrome ad cor, vnde febriunt ægri, & perhorrescunt, tenuia, & aquosa euomunt, nec sunt suæ mentis, voce capti, cum nigra vomuerint moriuntur. Hippocr. lib. 2. Coacarum cap. 11. prænot. 12.

Funesta dicit ægros manere, quibus humor noxius ad cor enititur, & illud accendit importuna febre, qua percita viscera perhorrescunt. Aduertit idem Hippocrates, equidem scitè, febris æstus, & rigores in aquam desinere, qua perfusus æger fit elinguis, & inuadente humore tetro nigra vomit, & deinde fatiscente natura perit, humore fero in cordis intima sæuiente.

APPLICA

APPLICATIO MORALIS.

Facilè est adaptare febris huius symptomata libidini fœdæ, cuius rudimenta sata sunt in lumbis, vbi feruet humor ad turpia titillans & infensus inclytæ castitati. Statim atque fœdus hic pruritus luxuriæ incipit cor permeare, sua spargit incendia, vnde febris accenditur amoris impuri, qui vt gliscit, horrore totum concutit hominem memorem iudiciorum Dei. Nam ille suo reuoluens animo, quàm grauiter offenderit, illo momento velut impos sui concepto metu perculsus inhorrescit. Subinde sudor frigidus excipit hunc horrorem, id est, timori iudiciorum Dei succedit inutilis fletus, quem nigricans excipit vomitio, cùm vile voluptatis mancipium desperans de salute sua, eructat blasphemias, & demum diductis inferni faucibus absorbetur. Ecce fatum indubium, & infaustum, quod iustè Deo vltore manet eos omnes, qui volentes indulgere suo genio, se voluptatis inglorio cultui mancipatunt. Vide plura. pag. 446. col. 1

Textus Medicinæ.

Frequens rigor in febris assiduitate, iam fractis viribus ægri lethalis est. Hippocr. lib. 1. Coacar. prænotione 9.

Feruet omne vitæ principium, ideoque friget quisquis ab eo fonte magis recedit, vt sentiunt magnâ vitæ iacturâ senes & infirmi, qui morte instante toto corpore congelascunt.

APPLICATIO MORALIS.

Fati iniqui homini instantis argumentum locuples est elongari à Deo, qui vt est suauis ignis dulciter adurens; ita procul ab eo effecti, peccati horrore rigent, & hoc lethale frigus significat mortem ingloriam, & æternam his reprobis imminere. Vide locum istum illustratum ex Philosophia. pag. 669. col. 2

Textus Medicinæ.

Frigida respiratio ex ore & naso admodum lethalis est. Hippocrat. lib. 1. præsag. c. 7.

APPLICATIO MORALIS.

Fiunt obnoxij huic ômini infausto viri omnes, à quibus frigida loquela notat abesse Dei amorem, quo qui ardent ore probant, id est, sermone sacro, foco Dei amoris ipsorum intima conflagrare. Vide plura pag. 515. col. 2

G

Textus Medicinæ.

Genitura vndecunque procedit, sana quidem à sanis, morbida item à morbidis. Hippocrates libro de aëre, locis, & aquis.

Genuinè Vates seu Poëta quidam reddidit versibus hoc effatum ita canens.

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cum semine mores.

APPLICATIO MORALIS.

Gliscunt à natiuitate quædam vitia, eaque plura velut morbi ab vtroque parente sati; ideoque citam ne perniciem animæ consciscant, sedulò cauendum est, ne quod insalubri semine contractum est, nostro demum vitio recrudescat. Hæc effusa labes in nos parentum incuriâ, cautiores debet efficere, ne pullulét hæc germina, nostræ salutis æternæ dispendio. Quamuis enim inclinatio in malum non sit peccatum; si tamen illa trahat hominem in consensum, hæc noxia propensio spinas & tribulos illico germinabit. Idcirco tota series vitæ nostræ tempus est putationis; quia naturæ nostræ stipes vitiatus in Adamo malefica vbertate luxuriat in surculos iugiter enascentes. Proinde sagax Christiane cura, ne propagines hæ tenellæ pubescentes, te feriante, tandem aliquando in arbusta nequiter adolescant.

Vide locum egregium S. Bernardi in eo argumento fusè & optimè disserentis. pag. 468. col. 2. & pag. 469. col. 1

H

Textus Medicinæ.

His purulentæ carnes prærubræ, vt plurimum fœtedunt. Hippocrates lib. 3. Coacar. tract. 4. cap. 4. prænotione 49.

Hoc effatum pertinet ad leprosos, quorum est deplorata salus. Christus ipse manum extendens ad sanandum hominem eo morbo malè habentem apprimè docet, infame malum hoc non detergi nisi beneficio Domini præpotentis.

APPLICATIO MORALIS.

Huius generis, id est, salutis deploratæ malum est peccatum, quod lethale vocant. Detergi quippe nequit humanis imò neque solis auxiliis omnium Angelorum. Nullus enim est infra Deum gratiam deperditam educere de potentia animæ; siquidem est facinus exuperans omnes naturæ vires, ac proinde Deo soli conueniens. Etenim homo iacens in peccato nequit mereri gratiæ influxum; quippe reus homo Deo exosus, ei placere nequit. Angelus etiam spectatus in ordine naturæ nequit gratiam producere, quæ est superioris ordinis, & dignitate sua, sorti eminet Angelorum. Vide plura scitu digna, pag. 457. col. 1

Textus Medicinæ.

Hydropicos statim secare oportet. Hippocr. lib. 7. epidimiorum, parte 7.

Hoc morbo totus plerumque tumet homo, quia stagnantes aquæ vel venti in gyros & voluulos inflexo viscere concluduntur.

APPLICATIO MORALIS.

Hydropisis species est superbia, quia diaboli afflatu distenta suum tumorem affingit iis qui in cothurnos assurgunt, & plusquàm sorti illorum congruat enituntur. Tympani modo cutis abdominis icta sonat arguens, arguens illo sono flatum abditum corporis ergastulo. Sic hominis elati mens est sonora, quia si leuiter attingitur, insurgens in homines iniurios, clamoribus & strepitu cuncta replet,

plet, contumelias euomens indecoras. Si verò claris encomiis appetitur, est etiam animus hic canorus, elatè sua præclara facinora pangens, quæ sonora nimis egregiorum operum recensio, superbiæ distendentis animam est locuples argumentum.

Hydropicos secandos esse monet Hippocrates arbitratus ita flatu vapescente, fore sanos ægros, quos flatus, vel stabulans aqua nimia distendebat. Humilis venter arguit abesse flatum, & humorem, quo affluente tumens abdomen erat. Itur obuiam superbiæ animi demissione, procul agentis omnem dæmonis afflatum, quo perculsus Adam in Deum nequiter insurrexit. pag.158.col.1

I

Textus Medicinæ.

IN febribus, carentia crisis diuturnitatem morbi sonat. Hippocr. lib. 13. Coacarum, prænotio. 80.

APPLICATIO MORALIS.

Instituta crisis est à natura, febris vt desinat, noxio humore quadam spontanea eruptione foras eiecto, quo subsidente nequit homo suæ reddi pristinæ sanitati. Ab auaris opes malè partæ suis dominis restitui debent, & ex arca foras educi, nisi velit homo malo diuturno vitâ æternâ excidere salute animæ deplorata. pag.198.col.1

Textus Medicinæ.

In acuta febre aures obsurdescere furiosum. Hippocrat. lib. 2. Coacar. cap. 3. prænot. 8.

APPLICATIO MORALIS.

Inuehere surditatem omnia peccata solent: quippe rarus est deliciis obstrictus homo, qui accommodare velit aures optimo consultori. Imò rei omnes auditâ probi cuiusque viri censurâ furunt, & execranda quadam arte sibi spontaneam conciliant animæ surditatem. Hanc Psaltes olim insaniam luxit hoc lamento. Psal. 57. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surda, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium.*

Infert Hippocrates insaniam febrientis, quando graues habet aures æger. Si namque febrilis humor adeò maleficus est, vt effuso suo bilioso vapore lædat neruum sensorium, profectò offendet etiam organa potiora. Meninges enim accensæ trahent cerebrum in consensum vitij contracti, ægro in furorem acto, graui cum iactura principis animæ facultatis. Simili planè modo, homo nequam callo velut obducto suis in vitiis, cùm deuenit eò proteruiæ, vt suggerenti meliora viro probo nihil concedat, de emendatione parum sollicitus, profectò mali suprema labes est, nam præpedit intellectum. Nempe fucos ei cautè fecit aliqua sensuum illecebra specie ementita boni. Ideoque gratis & incassum quispiam tentat eum reuocare suo ab errore, quia tunc feruet ira, furens acer voluptatis noxiæ propugnator.

Idcirco tamen non deesse suos debet officio præco Dei, aut Prælatus, exemplo medici, qui non desistit ægrum curare licet desæuiat in conantes omnes procurare malè habenti corpori sanitatem. Augustinus eò vergit ita fatus epistola ad Bonifacium Comitem: *Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelitas est.*

Vide locum illum integrum Augustini, & alium concolorem Basilij. pag.594.col.1

L

Textus Medicinæ.

LEpra incipiente viuidus ille coloris flos perit, &c. stuporis & frigoris sensus inest, &c. Pedes, manus, & facies tument, &c. Malo ingrauescente, præ stupore cutis sensus perit, manente motu, vt ne infixa quidem acicula dolorem moueat, neque inspersa feruidior aqua exurat. Fernelius libro 6. Pathologiæ cap. 19. Vide locum integrum descriptæ lepræ eleganter ab hoc regio medico. pag.455. col. 1. & 2.

APPLICATIO MORALIS.

Lineamenta quædam vtique sincera refert lepra mali multigeni, quod consciscit homo sibi, quando fœdus in peccatis agit æuum. Imò leprâ peius est peccatum: siquidem illa pœnis temporalibus circumscripta finit; sed supplicia peccatis decreta finem minimè sortientur. Immutatur in lepra totus faciei habitus, exasperatur inspissata cutis, genæ tument, obstructæ fœtent nares, & ingratæ vocis spiritus olidus est. Deteriora mala vehit in animam lethale crimen. Primò namque Dei lumen extinguit, quod est signatum super nos gratiâ desuper affulgente. Hoc lumine extincto decor omnis ab anima deturpata perit, & supra modum deformis, horrorem Angelis conciliat. Quicquid homo nequam loquitur, raucum illud omne sonat: nam detrahit, aut obscœna vomit, vel blasphemat, & sic perstrepit indecorè. Itaque fauces eius tot conuitiis & turpibus eloquiis assuetæ fœtent, nihilque nisi putidum exhalant astantibus omnibus importunum.

Leprosi manus atque pedes insito rigore frigent, & quia corrupto humore madent, idcirco tument. Hebes fit oculorum acies, pustulis respersum corpus diffluente fœda sanie colliquatur. Etiam illa clade laborat homo reus peccati mortiferi: torpent otio manus nesciæ boni operis: caligant oculi, quibus deliciæ fecere fucos obiecta specie voluptatis. Vtque lepra mali supremum attigit quando sibi infixos aculeos non sentit æger: sic peccatum altè reis mentibus infitum, omnem synderesis adimit sensum, & tunc impunè peccat homo spei ad veniam incurius, ideoque dici potest, idque iure, salus huius animæ desperata.

Lamentum Salomonis eò vergit Prouerb. 18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.* Denique vt liquatur caro viri leprosi in frusta cadens diffluente tabo: ita & peccator abit in nihilum vitio præualente.

Vide plura pag.455.col.2

Textus

Textus Medicinæ.

Lingua calamitosissima est nigra, & virulenta. Hippocrat. lib. 2. Coacar. cap. 7. prænotione 1

APPLICATIO MORALIS.

Liuens lingua virus lethale vomit, quando suæ indulget iræ detractor, ore maledico cautè nitens famam proximi denigrare, lacerare. Calamitas deploranda manet eos post fata, quibus lingua prurit, vt soluatur in sermones aliis iniurios, obscœnos, & blasphemos: hæ nimirum nigricantis linguæ notæ clamant esse viris huiusmodi viscera virulenta.

Vide plura in eo argumento fusè deducta, pagina 260 col. 2

Textus Medicinæ.

Lues venerea totius substantiæ morbus est occultus, contagiosus tuberculis, maculis, vlceribus, cruciatibus, & doloribus sese prodens, &c. Fœtor verò tantus exhalans, vt cuius nares attigisset, is infici mox crederetur. Fernelius libro de luis venereæ curatione cap. 1. & 2.

Vide plura symptomata mali huius pag. 645. col. 2

APPLICATIO MORALIS.

Libido obscœna biceps est gladius, qui districtus in perniciem corporis & animæ sæpe ferit: namque benè valere nequit anima, à luxuria corpore sauciato. Primò latet hoc vitium; namque pudor initio, luxurioso totus non excidit. Vnde suo vt pudori consulerent sic peccantes olim ibant in fornices subobscuros vt in congruas officinas operis lucifugi, nequando rei criminis infamis à conscio lumine proderentur. Gliscente demum voluptate, famæ prorsus incurij sunt homines obscœni; imò suum scelus iactant, & inde credunt conciliare sibi gloriam, vnde manet eos dedecus æternum: nihil eos suauè olentia pigmenta iuuant, nec vlla potest fragrantia obstare, quin eorum vita putens sit horrori: quicquid enim exhalant, illud omne fœtet; quippe mores redolet impudicos. Vide paginam 645. col. 2

Textus Medicinæ.

Lumborum dolor cum comate anxio pestiferus est. Hippocrates libro 2. Coacar. cap. 12. prænotione 18.

Lancinans acerbè dolor lumborum est instantis nuntius interitus, & præsertim alto sopore malè habentem fortiter inuadente.

APPLICATIO MORALIS.

Libido impura sedes habet in renibus, animamque facit obnoxiam malis, quæ corpori inurit atrox lumborum dolor. Nempe dirus est stimulus luxuriæ, ac proinde sui semper impos est & inquies ille, qui pungitur his stimulis importunis. Sed præcipuus cardo mali est somnus: nam quando suis noxiis afficit his indormiunt homines, ille sopor arguit magnam salutis incuriam, quæ familiaris esse solet omnibus à Christo Domino reprobatis.

Vide pag. 310. col. 1. & 2

M

Textus Medicinæ.

Malum omnino denuntiat in acuta febre sedata sitis sine ratione. Hippocr. lib. 1. Coacar. prænot. 62

Mente captum suspicatur ægrum illum Duretus istum versando locum: nam si æstuante febre nulla cupido potus eum solicitet; profectò vacat rationis vsus in ægroto illo sitim minimè sentiente.

APPLICATIO MORALIS.

Magna sitis inest omnibus impressa rerum quæ conducunt ad beatitudinem, nullus est, qui saltem voto bona non anhelet vnde potest beari, & à malo maximo vindicari. Igitur quando suæ salutis æternæ curam nullam gerit homo, bonum vile, fugax, & noxium inquirens; pronuntia audacter cum hallucinanti animo delirare. Vide pag. 659. col. 1

Textus Medicinæ.

Membranæ atque cuti adeps copiosus & vberior increscit, ex pingui quidem & tenaci eaque frigida sanguinis portione genitus, quæ è venis excidens, moxque effusa frigidis, exanguibúsque membranis, tanquam congelans similiter atque crassum oleum frigore durescit. Hinc corporibus, quibus est frigidior natura, copiosus; calidioribus verò paucus innascitur, qui æstibus, immodicis laboribus, & inediis fundi atque dissipari solet. Fernelius libro 1. Physiologiæ cap. 15.

Medici consiliis & pharmacis fortiter obstant, ne succrescat adeps, & obesa caro turgeat, asti mantes ita vitam protrahi, quam sortiuntur anxiam atque breuem omnes homines adiposi.

APPLICATIO MORALIS.

Medicinæ vices agit Christiana disciplina gulam coërcendo, cui dum indulget homo, caro tumet, & præualet in animam immersam adipi colliquato. Ieiunia austera, durus discubitus, media nox insomnis, & protractæ preces eò vergunt, vt insolentia corporis edomita & fracta, vita animæ propagetur.

Vide pag. 718. col. 2

Textus Medicinæ.

Morbi omnes partim à ratione victus nascuntur, partim à spiritu, quem viuendo ducimus. Hippocrates lib. 2. de natura.

Medicus nobilis & apprimè notus, scilicet Fernelius, scribit aërem in cor nobilissimum viscus, in cerebrum, in corpus denique omne penetrando suis vitiis omnia perfundere, atque vitæ maximo detrimento.

APPLICATIO MORALIS.

Mundi spiritus pestilens inficit eos, qui terrena suo versant animo, & delectantur eis. A cerebro in cor irrepsit virulentus aer huius sæculi, quando vilem & caducam supellectilem mundi decepta fucis anima concupiscit.

Melius consuluere sibi viri religiosi, qui spiritum valde purum in claustro ducunt; ibi salutaris aër spirat, quo absque vllo vitæ discrimine, consecrata Deo anima recreatur.

Vide plura pag. 241. col. 2

ALIA APPLICATIO.

Malè inspirati, & pessimè afflati asseclæ mundi, cùm vtantur noxiis escis, vtpote saginati sensuum illecebris, & pasti omnigena voluptate, benè habere non possunt ante Deum, tot & tantis vitiis assueti. Illa nimirum indoles est vtriusque appetitus, scilicet rationalis, & sensitiui, vt rationalis à scopo suo aberret, appetitu alio præualente. Hinc fit vt voluntas hominum nequam non alliciatur spirituali bono, quia appetitui sensitiuo voluptates emenciti boni species offuderunt.

Vide plura in eodem genere pag. 461. col. 1

Textus Medicinæ.

Morbus est affectus insidens contra naturam corporis. Affectus autem contra naturam, non modò naturæ limites excedit, sed & illi vim infert, eiúsque vires & functiones manifestè interturbat. Fernelius lib. 1. Pathologiæ cap. 2. Vide fusiorem morbi descriptionem ex eodem Fernelio. pag. 514. col. 1

APPLICATIO MORALIS.

Morbi corporis & animæ fraternizant, eoque ferè modo attenditur æquior aut iniquus hominum status ex eorum affectu. Si homo benè afficitur erga Deum, affectus ille congruit naturæ humanæ, cui competit ordinari in Deum. Ordinata autem anima in Deum, totum hominem sanum facit: nam sic singulæ quæque potentiæ suas congruè vices obeunt. Voluntas, cuius est imperium in alias potentias, has compescit, ne sint rationi iniuriæ, frustra renitente appetitu sensitiuo, in quem est illi imperium politicum, sicut & despoticum in corporis membra, quibus vtitur tantùm consultâ præuiâ ratione. Vtque rapit nos affectus eò, quò ferimur amore perciti, homo qui se obsequio diuino totum addixit, stabit erectus, quia Deo adhæret, qui est summa imò sola animæ rectitudo.

Malè verò suis rebus homo consulens incautè suum affectum obstringit creaturis, quasi detrectans subire Dei dominium, ille proculdubio malè afficitur, affectus enim illius est contra naturam, quæ cùm sit rationalis, exigit ab homine, vt semper agat ea quæ sunt congrua rationi. Est autem maximè consentaneum rationi, ei seruire cui competit in nos supremum dominium. Ergo malè se habet homo, & valdè ægrotat, cuius animæ functiones ita læsæ sunt, vt vtatur iis ad voluptatem, & sensuum obsequium, iniquè Deo derelicto, cui multiplici titulo deuincitur.

Vide plura de hoc debito Deo obsequio p. 514. col. 1

Vide rursus eandem morbi descriptionem liquidiùs explicatam in ordine ad mores rectiùs informandos. pag. 587. col. 2

N

Textus Medicinæ.

N*Ares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora aures frigidæ, & cutis circa frontem densa, & dura.* Hippocrat. lib. 1. præsagiorum.

APPLICATIO MORALIS.

Notæ illæ fati supremi instantis ritè quadrant homini reprobo. Acutæ nares cum significant, qui vt videatur esse sagax, & nasutus homo, suæ censuræ subdit res fidei, ad quarum obsequium omnis homo debet vltro sui intellectus apicem inclinare. Oculi concaui sunt indices animi memoris iniuriarum: tempora collapsa clamant hominem à cœlo auersum & mente rebus infimis adhærentem. Si verò frigent aures, frustra Dei verbum tentat aliquis instillare.

Nulla pelor nota malum æternum portendit ei qui peccauit, quàm frons dura: vbi namque reus obduruit ad interna Dei monita, nullus ei omninò locus ad salutem superest aliis mediis assequendam.

Non adeò solenniter animam damnant aliæ ominosæ notæ, sicut frons instar lapidis obdurata. Vergit eò Psaltes ita fatus Psalm. 89. *Vespere decidat, induret, & arescat.* Quippe tribus gradibus concluditur hominum pernicies. Primò cadit homo, idque semper tempore vespertino, quia gratia occidente alicui, ei multa se caligo offundit. Illecebra gliscente, casus qui fuerat actualis, in habitum transit, & hic habitus indurat animam, quæ dum assuescit peccatis, aret & marcescit quicquid antè viuax erat, ac proinde salus huius est animæ deplorata. Vide plura pertinentia ad hanc materiam. pag. 561. col. 2

Textus Medicinæ.

Nullum parum criticum. Hippocrates libro primo epidimiorum.

Natura debet in expulsione praui humoris constare sibi, & non fatiscere; ne si ferietur; humor subsidens factus ea mora peior, noxius inualescat. Ideoque supremus ait Medicus, illam esse bonam crisim, qua excernuntur *qualia oportet, quando, qua parte, & quantum opus est.* Alioquin medici *ἄπιστον*, id est, infidelem nuncupant illam crisim, quæ incepta quidem est laudabiliter, sed desiit imperfecta.

APPLICATIO MORALIS.

Non satis est cœpisse benè, sed est virtutum omnium summa penes actus continuos protractos vsque ad supremum operis incrementum. Præclara quidem exordia, & egregij conatus ad virtutum praxim, argumenta quædam laudis habent; sed præmiis, & condictis stipendiis non dignatur homo nisi opere consummato.

Nota est & digna scitu Bernardi sententia opportuna meo intento, de virtute suos ad præfixos limites adducenda. Sic ille libro de modo benè viuendi serm. 6. *Inchoantibus præmium promittitur, sed perseuerantibus datur, sicut scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Non quæruntur in Christianis initia vel exordia, sed finis & perseuerantia. Paulus Apostolus malè*

cœpit

cœpit, sed benè finiuit. *Laudatur initium Iudæ; sed finis vitæ illius condemnatur. Vnde Beatus Gregorius: Virtus boni operis perseuerantia est, incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur.* Vide plura pag. 556. col. 2.

O

Textus Medicinæ.

O*Mne nimium, bellum naturæ indixit.* Hippocrat. lib. 2. aphorismor. aph. 51.

APPLICATIO MORALIS.

Ominosus amor homini est, quando rebus infra Deum capitur immodicè. Quisquis enim vltro modum deperit creaturas, ille sibi bellum indixit, amore Deo iniurio, illum impiè prouocando.

Odit enim virtus omnia extrema, quibus inesse solet vitium. Virtus enim in medio consistit, & medium tenuere beati.

---------Sunt certi denique fines
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Opus ergo bonum vt sit, ita fiat, vt ab extremis homo prudens satagat abhorrere.

Oraculi vice fuit sapientis vnum hoc effatum: *Nequid nimis.* Verbi gratiâ, ieiunia extrema necant; oratione nimis attenta caput offenditur, liberalitas excedendo fines in vitium prodigalitatis abit: & vigiliæ protractæ lædunt organa rationis.

Oportet ergo rebus etiam bonis sic vacare, suos nequando fines prætereant. Est vnicuique rei à natura limes & terminus indictus, quem præterire, malum & vitiosum est. Denique sincera bona modum quemdam seruare debent; quippe suis cancellis ea omnia, quæ sunt optima, concluduntur.

Vide pag. 604. col. 1

Textus Medicinæ.

Oportet facilè conuerti ægrum, & alacrem esse in exurgendo. Hippocrat. lib. 1. Coacar. cap. 1. prænotione 2.

Omen ægro bonum est conuersio facilis in vtrumque latus: siquidem illa notat hepar non obduruisse, neque malè affectum esse latus oppositum scilicet hypocondrium sinistrum: Æger ea constitutione breui tempore conualescit.

APPLICATIO MORALIS.

Operæpretium est esse citam & spontaneam pœnitentiam, vt sarta tecta fiat: nempe sera rarò solet esse seria; nam peccandi difficultas in prouecta ætate facit eam suspectam, detrahitque decus, & meritum, quod debetur iuueni pœnitenti.

Omnes verò secus ægrè frugem in meliorem se recipientes, ea duritie laborant, quam Medici scirrum nomine Græco vocant, cùm tactui resistit hepar aut splen. Sed profectò peior est, & deterior status eius qui cunctatur pœnitendo vitam in melius instituere; cor namque talis, vt reprobi hominis obdurescit.

Textus Medicinæ.

Optimi sunt sudores in morbis acutis, & qui accidunt diebus decretoriis, & perfectè sedant febrem. Hippocrates lib. 1. præsagiorum.

Opportunus reuerà sudor est, quo exundante, febris accensæ fomes extinguitur: præsertim si desudat æger eo die, quem deposcit natura mali; tunc namque suæ redditur pristinæ sospitati.

APPLICATIO MORALIS.

Optimæ sunt lacrymæ copiosæ modò fluant eo intento, Deum, vt placent, & extinguant accensas à carne faces concupiscentiæ, quæ corporum egregia forma, cibis delicatis, & effusis opibus inflammatur. Vide in hoc argumento, Patrum, selectas sententias. pag. 551. col 1. & 2

Q

Textus Medicinæ.

Quæ parturiendo, priùs cordis dolorem sentiunt, paulo post illa parturiunt. Hippocr. lib. 3. Coacarum. tractatu 3. prænotione 38.

APPLICATIO MORALIS.

Quando diuinus amor ima cordis accendit, eò igne quasi perculsus homo primò leue deliquium cordis patitur, sed non idcirco fatiscit amans otio torpens, imò tale deliquium portendit omen alicuius ardui operis exantlandi.

Vide plura de amore p. 286. c. 2. & p. 287. c. 1

Textus Medicinæ.

Quæ prauis cum signis mitescunt, contumacia sunt. Hippocr. lib. 1. Coacarum, prænotione 51.

Quando mali ingentis sensus ægrum deficit, insensibilitas illa notat ægro fatum vltimū imminere.

APPLICATIO MORALIS.

Quotiescunque reus deuenit eò nequitiæ, vt peccata Dei timorem omnem eliminent, nullum quære peius indicium animæ desperatæ.

Vide locum illum illustratum exemplo Sodomitarum, qui Loth tentantem eos reuocare vitam ad tersiorem, in sensum reprobum traditi subsannarunt. pag. 478. col. 2. & pag 479. col. 1

Textus Medicinæ.

Quæ vomitorio modo non trahuntur, calamitosa sunt. Hippocrates prorrhetic. 25. sectione 3.

APPLICATIO MORALIS.

Quisquis à confessione redux habet adhuc tacitum crimen, quod explicare pudor obstitit, ille reus est sacrilegi piaculi. Calamitosa sanè fuga est vomitorij illius, id est, confessionis, cuius obsequio itur obuiam peccato, vitam animæ depascenti. Vide fusè locum hunc adscitis Patribus explicatum. pag. 590. col. 1. & 2.

Textus Medicinæ.

Quibus cum biliosa deiectione premitur morsu pectus, amarescitque os, malum. Hippocrat. lib. 1. Coacarum, prænotione 45.

APPLICATIO MORALIS.

Bilem effusam in perniciem indubiam ægroti æmulantur

æmulantur iræ impotes omnes homines iracundi. Horum est indoles miseranda: perciti namque leui flabro vocis ingratæ motus iræ concipiunt, qui quandoque cœlum versus eunt. Cùm scilicet ira feruescente furunt; sanctos, imò Deum ipsum blasphemis vocibus impetentes.

Vide aliam applicationem pag. 276. col. 1

Textus Medicinæ.

Quòd si quis repentè obmutescat, in causa est venarum interceptio, si benè valenti accidat, non præuisa, ac sine aliqua fortiori causa. Ergo venam secare oportet interiorem cubiti. Hippocrat. libro 2. Epidimiorum.

APPLICATIO MORALIS.

Quando benè omnia succedunt homini afflato gratâ fortunæ luxuriantis aurâ, quando bono succo plenum corpus habet alacriter, cùm sincero sanguine repletæ venæ tument, & arca turget opum cumulo, homo voce velut intercepta rebus in diuinis negligens obmutescit. Prospera fortuna, precum, & confessionis ei adimit vsum: quippe nemo curat ea quæ Dei sunt, quando rerum omnium copia affluente sibi duntaxat vnum hoc negotium indixit, scilicet impunè suis sensibus indulgere.

Quando velut inops mentis homo deuenit eò insaniæ, vt neque Deo grates agat de acceptis ab illo bonis, neque mala perpetrata velit aperire sacro in tribunali pœnitentiæ, tunc expedit opportunè venas huiusce muti à summo medico resecari. Iactura boni alicuius opes minuit: ægritudo bonum corporis habitum soluit. Acerba demum ingruens ærumna sanat animam, quam prosperitas nimia sauciarat. Nemo sanè redux à faucibus mortis medicum carpet, qui sectionem venæ indixit, cuius ope valet, & vtitur sospes integra sanitate. Ita sanæ mentis homo feret æquo animo omnes quantumcunque graues angustias, mente sua recolens illas ad conciliandam animæ salutem cœlitus adhiberi. pag 427. col. 1

Textus Medicinæ.

Quibuscunque animantibus pulmo datus est, ibi in corde geminus est sinus, dexter ac sinister. Dexter modicè concauus est, pariete cinctus tenuiore: sinister altior in extremum cordis verticem pertingit, pariete crassiore obuallatus. In hoc siquidem plurimus isque attenuatus spiritus contineri debebat, cuius cor principium est, & origo: in illo autem sanguis densior, concretiorque spiritus, atque is paucus, qui alendis pulmonibus satis esset. Fernelius lib. 1. Physiologiæ cap 8.

APPLICATIO MORALIS.

Quia pulmo typus est & organum respirationis & aspirationis, idcirco suum pulmonem est nactus homo, natus ad respirandum gratiam, & ad Deum amoris alis iugiter aspirandum. Cœlitus accepit eo intento duos in corde sinus, vt vtroque sacrum Domini Iesu sanguinem exciperet effusum hominum causâ. Illo namque cruore velut fomite amoris quando ruber cor amat eum, qui ipsius amore fuit proprio sanguine cruentatus.

Quamuis ille Dei sincerus amor vnus sit, homo tamen in corde sede amoris habet geminos sinus vt charitas bipartita Deum & hominem amplectatur. Primò Deum, quia eius liuore procurata salus. Secundò fratres nostros, id est, alios omnes homines, quia & in hos illa salus æterna, Dei in humanis effuso sanguine deriuatur. pag. 697. col. 2

S

Textus Medicinæ.

Sanguis totus natura calidus est: ex hoc caro tota fermè condita est. Fernelius lib. 5. Physiologiæ, cap. 6.

APPLICATIO MORALIS.

Sanguis vt naturâ calet, ita fomes est luxuriæ obscœnæ, cuius humor ebulliens, & despumans erumpit ex affluxu sanguinis oriundus. Rursus eo ex sanguine nacto suam debitam temperiem in iecoris & venarum officina velut ex fermento caro quasi massa malè affecta suò ab ortu arma cudit in perniciem inclytæ castitatis. Tantò peior est illa clades, quantò magis obesa caro luxuriat, abundè gulâ contracta saginata. Vt ergo malis illis occurrat homo suæ castitatis amans, cuncta debet cauere, quibus turgere venæ solent, vt sunt epulæ, crapula, somnus, & otiû, vnde penu totum sanguinis intumescit.

Salutare reor remedium esse malo tanto cibos parcos, vigilias, & laborem, quo frangitur corporis inertia, quam præcipuè tanquam militem generosum conducit acer hominum hostis, ad pudorem corporis & animæ profligandum. p. 638. col. 1

Textus Medicinæ.

Sensuum instrumenta, nerniique omnes, & musculi, spirituum vtriumque animalium continenti illapsu, & aspiratione firmantur, simulque stabilimen, & præparationem quamdam ad obeunda munia assumunt: hoc certè argumento, quòd præpeditu, & obstructione quadam interceptis vis, velut in paralysi, non modo sentiendi, aut mouendi spes adimitur; sed omni prorsus robore dissoluto languescunt. Fernelius libro 6, Physiologiæ cap. 13.

APPLICATIO MORALIS.

Spiritus Sancti influxus idem beneficium imò maiora dona conciliat animæ, quàm spirituum animalium illapsus in musculo, & in neruos, qui membra regunt, & corpus agunt in varias partes, quando sicut par est præfati spiritus in neruos à capite deriuantur. Anima Spiritû afflata sacris & validis vrgetur motibus ad virtutem, & ad ardua audenda supra naturæ vires fertur impetu præpotente. Si verò secus absit Spiritus Sanctus ab anima, illa deses otio torpet, impos assurgere ad diuina. Vnde quia nescit homo quiescere, anima feriante caro luxuriat, & inertiâ fracta iacet in voluptatis sordido volutabro. pag. 687. col. 1

Textus Medicinæ.

Si oculi lumen refugiunt, aut peruertuntur, si qua in ipsis alba esse debent rubescunt, fuerintque aspectus horridus, obscurusque, atque vniuersæ faciei color mutatus: hæc omnia signa mala perniciosáque putanda sunt. Hippocr. lib. 1. præsagior. præsagio 13.

APPLI

APPLICATIO MORALIS.

Sicut habet corpus ægrum signa, quibus infertur hora extrema vitæ; ita notæ quædam peccata produnt, quæ animam morti æternæ clamant obnoxiam esse, nisi subitò resipiscat.

Signa ominosa ferè sunt eadem corporis & animæ; concolores quippe notæ malum supremum corporis & animæ significant, vt omnium inductione facta liquet homini signa hæc infausta seriò perscrutanti.

Salutis deploratæ primus nuntius est oculus lucifuga; nam peccatis inest densa caligo comes sceleris, quâ rationi offusâ totus animus ignorantiæ tenebris opacatur. Inde tritum hoc effatum fluxit: *Omnis peccans est ignorans.* Siquidem voluptas homini imponit, ei faciendo fucos, obiiciendo boni speciem ementitam.

Signum hoc, aliud excipit lethale totam oculorum structuram inuertens. Illud idem accidit animæ, quæ à Deo auersa, suæ mentis aciem dirigit in obiecta, quibus vt mortis æternæ laqueis irretitur.

Spei quoque totum quod superest adimit ille color ater, qui stemma vitæ delet in facie, quam natura sanam effingens pinxit eo penicillo, cuius obsequio congruè coloratur.

Significauit eo tetro colore Vates extrema mala, quibus erant plectendi Hebræi, qui contra Dei sanctiones magnâ Dei eiusdem iniuriâ, sacrilego se idolorum cultui manciparant. *Denigrata* (inquit) *super carbones facies eorum, &c. immutatus est color optimus.*

Vide pag. 397. col. 1

Textus Medicinæ.

Si nudos pedes, nec admodum calidos, & manus, & collum & crura dispergat inæqualiter malum est, significat enim inquietationem. Hippocrates lib. 1. præsagiorum cap. 4.

APPLICATIO MORALIS.

Sunt & alia signa præsaga vitæ dehiscentis ægri, quæ possunt etiam peccatrici animæ conuenire, verbi gratiâ, affectus, qui sunt animæ pedes, auaro frigent, estò ferueseat amor opum cor depascens. Ad malè parta manus dispergit, & collum porrigit ad epulas. Denique pessimè iactatur homo, quem inquies & vesana libido rotat à choreis ad lupanar miserè periturum.

Vide plura de his pag. 575. col. 1

Textus Medicinæ.

Si procliuior est, ac deorsum labitur ad pedes, maiori cum periculo est. Hippocr. lib. 1 præsag cap 4.

APPLICATIO MORALIS.

Superioribus signis est affine pedum ad inferiora prolapsus, qui deuios affectus animæ significat: ad creaturas enim, cùm deflectit homo, Dei amor extinctus est. & anima in summum discrimen incurrit, luitura pœnas, quas retroacta crimina demerentur. pag. 666. col. 2

Stillicidia perexigua mala. Hippocr. lib. 1. coacarum, prænotione 61.

APPLICATIO MORALIS.

Sudores exigui, & sanguinis stillicidia parua die critico febrem non extingunt: quippe focus ille nequit extingui, nisi erumpentibus magnis humorum imbribus aspergatur. Ita neque fletus Adæ, neque sudor, quo fluente panem edit, potuere sanare genus nostrum, cui Christus vnus in horto sudans vsque ad sanguinem potuit procurare plenam animæ sospitatem.

Saluti æternæ instanti debuit præire sudor copiosus index virtutis infinitæ, cuius impotes fuere omnes homines infra Iesum vindicem, & assertorem pristinæ libertatis. Aliorum hominum virtus vt modica non potuit prolicere sudorem illum, quo solo potuere mala nostra foras erumpere. Ideoque soli Christo fuit concessum curare genus nostrum, copiosè suo sanguine defluente.

Vide plura de hoc sudore pag. 700 col. 1

Textus Medicinæ.

Surditas, quæ cadit in empyicos, cruentam excretionem denunciat, atque his sub finem vitæ, nigra ducuntur. Hippocrates lib. 1. Coacarum cap. 16. prænotione 58.

Summus Medicorum Hippocrates empyicos vocat, quorum inundante pure totus pulmo madens inficitur, ex pleura malè affecta putri sanie defluente. Illis ægris hebes audiendi facultas, est præsaga lethi instantis eo modo, quo describit Hippocrates commemorans nigras deiectiones, quas demum ater humor subsequitur. Pus acre pulmones exedit, qui corrosi sanguine suo aspergunt saniem illam, quam natura volens se expedire tali ab humore, transfundit in viscera, inuiâ & ignotâ nobis viâ, vt præualente naturâ, foras postea secernatur. Eo profluuio rubente iacens æger sentit fatiscente natura vitæ fomitem extingui, id est, calidum innatum, quo pereunte nigra fiunt excrementa, quæ mortem nuntiant imminere.

APPLICATIO MORALIS.

Scelesti omnes eo ferè fato pereunt. Primò toto pectore saniem concipiunt, quando suo corde fouent noxios & fœdos affectus, quorum est acerbitas tanta, sacrum vt sanguinem Christi effuderit. Illo cruore rubent homines iniqui, qui assueti peccato, tetro pure madent, facti eo pacto conscij sanguinis Christi sacrilegè effusi, ac proinde pœnis obnoxij, quæ viris sanguinum sacro codice decernuntur. Ita Vates Psal. 54. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Si in corde viri nequam restagnante pure vitiorum, accesserit nauseâ verbi Dei, & occludantur aures veritati, aliàs peruiæ mendacio, & næniis, quas occinunt Epicuri de grege sues, mortis instantis omen apud ægros huiusmodi indubium effectum subitò sortietur. Quamuis sit ægro fati præcipitis pœna grauis; illa tamen Hippocratis obseruatione magis est horrenda: affirmat enim medicinæ verax oraculum, fore nigram deiectionem eius, cui stabulante pure dura auris obsurduit. Ita nequam homo, cui dolet auris impatiens sermonum, breuì animam fuscam vitiorum nigrore vomet, subinde pœnis æternis à dæmone cruciandam.

Vide plura pertinentia ad illam animæ surditatem, quæ obtingit eis, qui resonante Dei verbo duris auribus obsurdescunt. pag. 654. col. 1

V

Textus Medicinæ.

VNaquæque pars dum benè valet, spiritu abundat; sed dum malè, ichoribus acribus, & sæpè venenosis, qui adurunt epiderma, & pruritum generant. Duretus in librum 2. Coacarum. cap. 19.

APPLICATIO MORALIS.

Vigente Dei gratia in anima, Spiritus Sanctus eam afflat abundè ditans illam omnibus vsquequaque donis, quæ perfectè sanant, vegetant, & dirigunt ommnes animæ facultates. Harum congrua acta probant illis inesse Dei spiritum, quo inconsulto nihil omnino potest arduum & cœlo dignum anima perpetrare. Secus verò sacri huius spiritus æstro mota valet ad omnia; nullo namque iacet lethali crimine sauciata.

Vbi autem Spiritus Sanctus abest ab anima iniqua malè habent omnes eius potentiæ: nempe flagrat imò in corde fomes peccati, quo ardente miser homo totus concupiscentiâ accenditur, & tantus cum pruritus ad turpia sollicitat, vt incandescat amore fœdo, visa specie corporis elegantis.

Voluptati indulgendo diros synderesis aculeos patitur, quos figurat ichor vrens longè latéque cutem, quæ adusta prurit, & hominem vellicat importunè.

Vide pag. 132. col. 1

Textus Medicinæ.

Vitalis facultas animali succurrit, & opitulatur, quod ei velut pabulum, & materiam suggerat, ex qua demum spiritus profertur animalis. Cæterùm hæc ipsa facultas vitalis non modo cæteras omnes, cum rudes adhuc & inchoata sunt, perficit, sed etiam easdem quoad viuit animal, tuetur, & ad agendum perficit. Est enim animantium vita, facultatum actionúmque omnium conseruatio. Hæc autem à corde cum spiritu caloréque defluit. Fernelius libro 5. Physiologiæ cap. 16.

APPLICATIO MORALIS.

Viuificans siue iustificans animas gratia diuina, vitæ nomen sortitur apud Theologos. Anima namque viuit eius obsequio, quæ defuncta graui iacebat peccati vulnere sauciata.

Vita suo velut è fonte fluit à corde, penu spiritus & caloris; ita suas in corde sedes habet amor ille sacer, qui cum gratia diuina coit, & ardet in anima iusta, Dei spiritu cœlitus influente

Vide plura de hac relatione vitæ cum gratia diuina piam animam informante. pag. 548. col. 2

Textus Medicinæ.

Vt calx ad arboris radicem conspersa fructum accelerat, arborem vero perimit; ita calidum alimentum maximéque vinum, suscitato calore, spiritus facultatésque erigit, mortem vero maturat. Dum enim corporis calorem auget, substantiam minuit, dumque innati calidi spiritum & calorem fouet halitu, eiusdem substantiam, quæ est humidum primigenium, dissipat, exorbétque omnem; vitámque què alacriorem, ac vegetiorem, sed tamen breuiorem facit. Fernelius lib. 1. Pathologiæ, cap. 14.

APPLICATIO MORALIS.

Voluptatis est genius ille, vitam vt suauiorem efficiat, sublatis æui huius omnibus angustiis, quas corpori ingratas, omnium virtutum praxis austera vehit. Sed suauitas illa fato immaturo necat: tunc namque Dei gratiæ absorbetur humor, quo exhausto fine perit anima deplorando.

Vide plura de hoc argumento. pagina 613. col. 2



INDEX HISTORIARVM.

A

Alexandria nondum Christiana fœdis vitiis obnoxia non potuit ferre viri sancti præsentiam, qui conuitiis impetitus coactus est aliò transmigrare. pag 34. col. 2

Ludouicus

P

R

S

T



INDEX



INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

Angeli

B

C

Cognitio

Crux

Crux

E

F

Fidei

Mors

N

Necessarium

O

P

Pori

Q

R

Sensuum

Solis

T

ERRATA.

PAgina 148. columna 1. linea 6. *factus*, lege, *factum*. pag.272. col.2.lin.8. *dinexant*, lege *dinexent*. pag.375. col.1. lin.52. *potiores*, lege, *pauciores*. pag. 446. col.2. lin. 42. *illa*, lege, *ille*. pag.467.col. 2.lin.41. *ait valere*, lege, *ait non valere*. pag.588. col.2. lin.21. *Deo*, lege, *à Deo*. pag.603.col.2. lin.22. *effectus*, lege, *affectu*. pag.617.col.1.lin.1. *fornice concamerata*, lege, *fornice concamerato*. nam fornix est masculini generis. pag. 644. col. 2. lin. 15. *nimia*, lege, *munia*. pag.644.col.1. lin.64. *ille*, lege, *illa*.

FINIS.

